
W. Elder sculp.

Joannes Rajus
Societatis Regiæ Socius

1505/117

JOANNIS RAII
Societatis Regiæ Socii

Hiſtoriæ Plantarum

TOMUS SECUNDUS.

CUM
DUPLICI INDICE,
Generali Altero
Nominum & Synonymorum præcipuorum;
ALTERO
Affectuum & Remediorum:
ACCESSIT
NOMENCLATOR BOTANICUS
Anglo-Latinus.

LONDINI:
Impenſis SAMUELIS SMITH & BENJAMINI WALFORD Regiæ Societatis
Typographorum, ad Inſignia Principis in Cœmeterio D. *Pauli*. MDCXCIII.

BRITISH MUSEUM
18 62
OCT

PRÆFATIO.

Quamvis initio hujus operis præfatus fuerim quæ tum ſufficere arbitrabar, nonnulla tamen ab ejus editione quæ Lectorem monitum oportuit à me omiſſa animadverto, alia interea temporis quæ ad Hiſtoriam illuſtrandam, augendam aut etiam emendandam pertinent, vel ab exteris prodita, vel ab amicis communicata ſunt, vel mihimetipſi inter legendum occurrerunt, quæ novam exigunt Præfationem, nec permittunt ut Tomus hic ſecundus acephalos prodeat, qui aliàs id non requiſiſſet, cùm ejuſdem velut corporis medietas ſit, non aliam ob cauſam bipartiti, quàm ne ſi in unum volumen compingeretur, nimis id ſpiſſum minúſque tractabile eſſet.

Primò ergo noverit Lector, me omnes de nomenclaturis concertationes ſtudio declinâſſe, nec valde ſolicitum aut induſtrium fuiſſe in exquirendo quo quæque Planta nomine Veteribus diceretur, cùm in multis ob notas adſcriptas, paucas illas, generales, & pluribus ſpeciebus communes, illud certò definiri nequeat, in aliis controverſis id tentare majoris eſſet operæ quàm fructûs, cúmque ab aliis me longè doctioribus in hac palæſtra jamdudum abundè decertatum fuerit, nec quicquam ferè dicendum reſtet quod non dictum priùs, oportet autem ut Controverſiarum etiam aliquis modus ſit. Hinc nomina recepta & diuturno uſu approbata ubique retinui; nec temere ſolicitanda aut locomovenda duxi quæ initio fortaſſe injuriâ impoſita fuerint, ne præſcriptionis jure nobiſcum experiantur.

Deinde cùm nominum non minùs quàm rerum non neceſſariam multiplicationem oderim, in iis etiam ſpeciebus quas à genere ad genus tranſtuli perſæpe nomina antiqua, novis nullis impoſitis, reliqui: hinc ut nonnullis fortaſſe videar, multiplicandi metu à neceſſaria etiam ὀνοματοθεσίας *abſtinuiſſe, & illorum cœtui me aggregâſſe qui* dum vitant vitia in contraria currunt. *Indicis tamen & exoticis nominibus quæ auribus Europæis duriora & abſona poſſint videri, lemmata ſeu titulos deſcriptorios aliquoties adjeci, quod Lectori nec inutile nec ingratum futurum ſpero.*

Proximo in loco monere convenit, me non pro meis venditare omnia quibus Autoris nomen adſcriptum non eſt: illud enim in multis incuriâ aut feſtinatione omiſſum & ſentio & doleo: imprimis Jo. Bauhini, *è cujus Hiſtoria plurima mutuatus ſum eo non laudato; quod hîc palam & ingenuè agnoſco; ne quis ob ſcripta aliena clam ſurrepta gravem mihi plagii dicam meritò impingat. In mutuatitiis ipſa Autorum verba ſcrupuloſè ſervavi; non tantum mihi in aliorum ſcripta licere ratus ut ea immutarem; veritus inſuper nè ſi id facerem, (ut eſt proclivis in errorem lapſus) ſenſum corrumperem, novámque & ab Autoris mente, fortè etiam veritate, alienam malè intellectis ſententiam affingerem, & Lectori obtruderem.*

Porro, In Fructuum exoticorum, quorum ingens numerus à Carolo Cluſio, Jo. Bauhino, Jo. de Laet, Olao Wormio *aliiſque deſcribuntur, Hiſtoria, me planè, peregrinum eſſe, & velut in Sylva quadam aut Labyrintho verſari fateor, unde nullâ induſtriâ memet expedire poſſum, ſingulâſque ſpecies ad ſua genera reducere. Quocirca in iis ordinandis* C. Bauhini *potiùs methodum, quamvis non nimis accuratam, ſequi malui quàm in nova & commodiore inveſtiganda me fruſtra fatigare. Alias à* Bauhino *non traditas, nullo ferè ordine ſervato, prout ſeſe obtulerunt exhibui, minimè dubitans quin nonnulli arborum in Hiſtoria deſcriptarum fructus ſint, alii ſub diverſis nominibus bis terve repetiti. Qui in magnis Emporiis degunt, ipſóſque fructus à nautis redimendi opportunitatem habent, quibúſque curioſorum Muſea ejuſmodi cimeliis referta patent, eóſque coram inſpicere, invicem conferre, & curioſè examinare conceditur, facilè diſcernent qui quarum arborum fructus ſint, quique ob nominum varietatem & deſcriptiones imperfectas iidem cùm ſint pro diverſis fallant: omniumque convenientiis & differentiis adnotatis, ſuis ſingulos locis diſponent & in ordinem reducent.*

Tandem, nè quid diſſimulem, dum ſchedas à prelo tranſmiſſas ad examen revoco, ab Operis Typographicis ſæpiùs, à meipſo aliquoties, & pluries equidem quàm vellem, erratum deprehendo. Nec tamen mirum in tam longo opere homini veternoſo diuturni laboris tædio ſomnum quandoque obrepſiſſe, inque tanta feſtinatione præcipiti calamo multa utique delenda excidiſſe. Quæ in rebus ipſis Errata obſervavi in Appendice emendata reperies, quæ in verbis & ſyntaxi inter παροράματα *Typographica. Quinimo præter hujuſmodi* σφάλματα *à me obſervata, in diſpoſitione ſpecierum ſæpiùs erratum vereor, cùm multas mihi nondum videre contigit, quáſque olim vidi non ſim curioſè contemplatus, ut notas generum characteriſticas inveſtigarem (nec enim jam tum de Hiſtoria Plantarum condenda per ſomnum quidem cogitabam.) In aliorum autem deſcriptionibus partes præcipuæ ex quibus notæ modò* *dictæ deſumendæ ſunt, flores ſcilicet & fructus, eorúmque calices & conceptacula, non rarò omittantur: unde in his conjecturas probabiles ſequi coactus ſum, quódque ſuſpicabar potiùs quàm quod compertum habebam.*

Miraberis fortaſſe, Lector, Appendicem *in tantam molem excreviſſe: Illud autem duabus potiſſimùm de cauſis accidit; quarum prima oblivio & oſcitantia noſtra. Cùm enim ut Opus hoc conſarcinarem, Hiſtorias Plantarum evolverem, multáſque inibi ſpecies locis alienis diſpoſitas invenirem, eáſque idcirco differrem & in præſens omitterem, nec tamen, memoriæ nimium fiſus, & ignaviæ libenter indulgens, eas ſtudioſè excerperem, & in ſchedis diligenter adnotatas reſervarem, cùm ad loca ventum eſſet quibus inſeri deberent, è memoria facile elapſæ & per oblivionem omiſſæ ſunt. Altera Appendicis auctæ cauſa fuere novæ multæ necdum deſcriptæ Plantæ poſt Tomum primum & ſecundi etiam magnam partem abſolutam & impreſſam evulgatæ, tum ab aliis, tum præcipuè à Celeberrimo viro & rei Herbariæ longè peritiſſimo* D. Paulo Hermanno *in Academia* Lugduno-Batava *Medicinæ & Botanices Profeſſore, in Catalogo ſtirpium Horti Medici illius Academiæ. Horum quidem pars magna in hortis circa* Londinum *colitur. At nobis ob rationes hîc non dicendas* Londinum *adire vel non licuit, vel non placuit. Quin ſi id licuiſſet, cùm Catalogi mox laudati editionem propediem expectarem, ſatius duxiſſem labori meo parcere, quàm iis deſcribendis inutilem operam navare; ſiquidem accuratiores plenioréſque earum hiſtorias quàm ego poſſem texere me inibi inventurum confiderem; cùm ego ſemel tantùm & brevi temporis ſpatio iiſdem intereſſe potuerim, D. autem* Hermannus *ſemper* ϗ κτ̀ τὴν ἀρχφυῆ βλάστησιν ἐκ τῆς γῆς, ϗ ἀκμάζουσι, ϗ παρακμάζουσι. *Plurimas certè eruditiſſimo huic Viro gratias debemus, tum ob ea quæ jam præſtitit in Opere prædicto nuper edito, tum ob ea quæ pollicitus eſt in* Muſeo Zeylanico *brevi edendo. Hic cùm animadverteret multos lucro intentos negotiandi cauſâ magnis quotannis claſſibus* Indiam Orientalem *adnavigare, neminem ad id habilem & idoneum Plantarum indagandarum & Hiſtoriæ Naturalis promovendæ ſtudio illuc proficiſci, quamvis regio iſta, cœlo ſolóque ſtirpium generationi propitio, innumeras ferè ſpecies è fœcundiſſimo ſuo ſinu effunderet, novas, raras, facie & viribus admirandas, ipſe ad opus ſe accinxit, ſpretiſque magnanimiter tam longinqui itineris difficultatibus & periculis, per immenſum æquor in Indiam contendit, ibidemque aliquot annos ſubſiſtens & inſtitutum pertinaciter urgens, quæ ad Hiſtoriam Naturalem pertinent curioſè rimatus eſt, tandémque Orientis divitiis onuſtus in Europam rediit.*

At neque, cùm in hoc ſumus, reticendus Illuſtriſſimus Vir & immortali fama dignus, D. Henricus van Rheede, van Draakenſtein, *qui rebus pace bellóque per Indiam Orientalem geſtis clarus hoc ſibi ad laudem non ſufficere arbitrabatur; verùm ingenti &* ἀσβέστῳ *Hiſtoriæ Botanicæ illuſtrandæ & amplificandæ zelo flagrans, in ſtirpibus per totum Regnum Malabaricum naſcentibus conquirendis, deſcribendis, delineandis nullis laboribus, nullis ſumptibus pepercit, ut hujus beneficio iconas non tantùm omnium quæ extant pulcherrimas habeamus, ſed etiam deſcriptiones non minùs accuratas & fideles, pluréſque ſpecies in lucem prolatas, quàm ego per univerſam Indiam ſponte oriri unquam credidiſſem.*

His adjungere liceat & tertium, non minoris in Botanicis nominis & famæ, D. J. Baniſter, *qui in India quam vocant Occidentali idem ſtadium decurrit, &* Virginiæ, *ubi nunc degit, Hiſtoriam Naturalem meditatur. Nemo certè hactenus ex noſtra gente Botanices ſcientiâ omnique literaturæ genere ei ſimilis aut ſecundus in Novum Orbem pedem intulit, nemo omnibus requiſitis ad talem Hiſtoriam conſcribendam paratior acceſſit.*

Horum induſtriâ Indiæ utrinſque montes, ſylvæ, valles, litora, campi, prata, viridaria perluſtrata, eorúmque ſtirpes nativæ & alumnæ oculis noſtris expoſitæ. Hinc ut diſcamus, Indiam ab Europa non minùs naturâ quàm loco diſtare, ejuſque regionis genium tantopere à noſtrate abludere, ut ſiquis hinc illuc per quietem transferretur, experrectus vix crederet ſe vigilare, adeò omnia nova, inſolita, admiranda ubique oculis occurrerent; ut verbi gr. Arborum nonnullarum ſtupenda proceritas, altiſſimarum Europæarum dupla tripláve, ut quæ trecentos pedes adæquet, vel etiam ſuperet; aliarum enormis craſſities, ut earum caudices vel ſexdecim hominum amplectentium ulnas extenſas impleant: Hujus folia in eam longitudinem extenſa & latitudinem fuſa, ut ſingula vicenis hominibus inumbrandis & à pluvia protegendis ſufficiant: Illius ligni durities ferri æmula, nec gravitas multò inferior. Quid mirabilius quàm arborem cernere, quæ cùm per triginta quinque aut quadraginta annos neque fructum, neque florem protulerit, tum demum novam velut arborem è vertice emittat, & deinde folia omnia exuens, velut altiſſima quædam navis malus (naturâ enim μονόκλωνος *eſt, ut reliquæ Palmæ) erecta & in ſublime elata appareat; donec nova hæc arbor paulatim comam explicet, ramóſque & ſurculos numeroſiſſimos quaquaverſum diffundat, incredibili florum iiſque ſuccedentium fructuum multitudine onuſtos, quibus ad maturitatem perductis mater ipſa radicitus interit.*

PRÆFATIO.

Quis crederet in una provincia Malabara, eâque non admodum vaſta, trecentas arborum & fruticum ſpecies ſpontaneas inveniri? & tamen plures adhuc dari veriſimile eſt. Quis tot uſpiam terrarum herbas fruticeſcentes & lignoſas provenire ſperaverit quot in Indiis obſervatæ fuerint? Vix ullum certè herbarum genus eſt in quo non dentur plures hujuſmodi ſpecies.

Si cuiquam Europæo per ſylvas iter facienti arbores quædam in conſpectum venirent corticum ſuorum internoctu lucentium ſplendore, tam claro ut viis illuſtrandis ſufficeret & ad eum literæ legi poſſint, quem non ſtupore percelleret tam inſolens ſpectaculum? & tamen hujuſmodi in America reperiri idoneos teſtes habemus Illuſtriſſimum Dominum D. Joannem Comitem de Carbery Jamaycæ Inſulæ nuper Proregem, Regiæ Societatis nunc Præſidem digniſſimum; & D. Thomam Trapham M. D. in inſula jam dicta medicinam facientem.

Illud inſuper ſingulare, Indiæ proprium, & miraculo affine, Arbores nonnullas, imò non paucas ibidem creſcere, quæ cùm florere incipiunt folia omnia amittunt, atque interim dum florent nudæ iiſque viduæ manent, novis tandem decuſſo flore unà cum fructu erumpentibus: Fortè nè ſolares radii quibus illuſtrari geſtiunt flores foliorum objectu interciperentur; fortè etiam nè florei ornatûs quo ſuperbiunt arbores oſtentationi folia officerent, ejúſque parte aliqua occultatâ impedirent nè adſtantium oculi tam pulchri ſpectaculi integra voluptate fruerentur.

Quis jam crederet in mediis Indiis Europam reperiri? in regione fervida, quæ nihil ferè cum temperatioribus commune producit, frigidioris etiam cœli patientibus plantis alicubi locum eſſe? Hujus tamen rei fidem nobis facit inſignis peregrinator D. Bernier. Cùm enim in terris magno Mogorum Imperatori ſubjectis iter faciens montes excelſos tranſcenderet, à latere meridiem ſpectante, Palmæ, Piper, Arundines ſaccharinæ, breviter Indica & Exotica omnia; Verùm poſt ſex ſeptemve horarum iter, cacumine ſuperato cùm ex adverſo latere deſcenderet, ecce nova rerum facies, & velut momento temporis in Europam tranſlatus fuiſſet, Quercus, Ulmi, Pinus, Hyſſopus, Majorana, Roſmarinus, nec aliæ quàm noſtro Orbis quadranti familiares ſtirpes conſpiciendæ.

Sed ut è diverticulo in viam redeam, non illuſtratæ tantùm prædictorum operâ Indiæ, ſed & in Europam quadantenus tranſlatæ ſunt, ut ſi in hortis noſtris cultioribus obambules, te in ipſis Indiarum viridariis ſpatiari crederes, tot ubique Indica & Exotica oculis obverſantur.

Horum denique hiſque ſimilium per Europam plantas indagantium & colentium, D. Pauli Bocconi, D. Jacobi Breynii, D. Petri Magnoli, D. Joſephi Tournefortii, quos honoris causâ nomino, indefeſſis ſtudiis & laboribus Botanices ſcientia, quæ à Cluſii & Bauhinorum temporibus paulatim elanguit, reſuſcitata eſt, miróſque intra hos viginti annos proximè elapſos progreſſus fecit. Vigilant ſcilicet ſeculi noſtri Botanici, nec majorum inventis contenti ad ulteriora tendunt, nec alios ſibi inquiſitionum terminos & columnas figunt quàm quas natura terris fixit, univerſum orbem curis ſuis complexi.

Unum adhuc in excuſationem noſtram præfandum ſupereſt, nimirum Plantas multas quarum nomina in Catalogo Horti Regii Pariſienſis aliiſque extant à me omiſſas, quòd ſcilicet pigeret tot nuda nomina vel paucis Epithetis aucta, nullis additis deſcriptionibus aut figuris, Hiſtoriæ inſerere, cùm mihi non conſtaret, annon earum aliquæ ſub aliis nominibus jam editæ & deſcriptæ fuiſſent, aliæ jam deſcriptarum varietates potiùs quædam quàm novæ ſpecies eſſent.

At nec ante finiendum quàm, præter initio laudatos, eorum qui Tomo huic ſecundo ſymbolas ſuas contulerunt honorifica mentio facta fuerit. Hi autem ſunt 1. Illuſtris Vir D. Gulielmus Courtine Medii Templi Londinenſis Armiger. 2. Præclarus Vir, & in ſtirpium cognitione nulli ſecundus, D. Leonardus Plukenet, M. D. 3. D. Samuel Doody, & 4. D. Jacobus Pettiver, Pharmacopæi Londinenſes, Botanices apprimè gnari. Horum frequens mentio tum in Hiſtoria, tum in Appendice, quid quiſque contribuerit Lectorem certiorem faciet.

His adde quamvis initio dictum, non tamen ſine ingratitudinis nota in fine operis reticendum doctiſſimum & amiciſſimum Virum D. Tancredum Robinſon M. D. cujus perpetuâ & eruditâ induſtriâ, quam mihi per totum compoſitionis & editionis tum primi tum ſecundi Voluminis decurſum benevolè commodavit, Hiſtoria noſtra multis & ſpeciebus & obſervationibus auctior, & mendis repurgatior quàm abſque eo fuiſſet, proditura eſt.

Sed & enumeratio Auctorum alteri Tomo præmiſſa, imperfecta cùm ſit, eorum adjectione ſupplenda venit qui à nobis per oblivionem omiſſi, quorúmve ſcripta poſt id tempus edita, vel nobis ſaltem tradita ſunt. Primo in loco Clariſſ. Viri D. Chriſtophori Merret, annis & ſcientiâ gravis, de Profeſſione ſua deque Repub. Botanica optime meriti: E cujus Pinace rerum naturalium Britannicarum, Annotationibus in Antonii Nerii Artem vitrariam, aliiſque ſcriptis non pauca in Hiſtoriam noſtram tranſtuli.

Deinde D. Pauli Hermanni, *de quo ſupra, è cujus Catalogo Plantarum Horti Academici* Lugduno-Batavi *Appendicis magnam partem mutuatus ſum.*

Tum Joannis Baptiſtæ Triumfetti, *è cujus Obſervationibus De Ortu & Vegetatione Plantarum aliquammultas novarum Plantarum deſcriptiones ſumptas Appendici inſerui.*

Poſt Jo. Commelini, *cujus Catalogum Plantarum Indigenarum Hollandiæ editum An.* 1684. *in* 12. *vidimus, & ex eo ſpecies nonnullas in Hiſtoriam noſtram tranſcripſimus. Idem Horti Malabarici Tom.* 2, 3, 4, 5, 6. *notis adauxit & commentariis illuſtravit. Idem Tractatum de cultura Limonum & Aurantiorum emiſit in* 8.

Tandem Pauli Ammanni, *cujus Character plantarum naturalis* Francofurti 1684. *impreſſus notis & deſcriptionibus nonnullis Hiſtoriam noſtram auxit.*

Ejus Hortus Boſianus 1687. *editus ad manus noſtras nondum pervenit.*

Denique D. Rochefortii, *cujus* Hiſtoire naturelle des Antilles *nos debitores agnoſcimus.*

Nec minùs Mauritii Hofmanni *Catalogo Plantarum Horti Medici* Altdorffini, *& Catalogo Plantarum circa* Altdorffium *naſcentium.*

Item Jacobi Sutherlandi *Horto* Edinburgenſi.

Atque nec omittendæ Roberti *icones fol.* Pariſiis. *Neque D.* Rob. Plot *Hiſtoria naturalis territorii* Oxonienſis *edit. An.* 1677. & Staffordienſis *An.* 1686. *fol. è quarum parte ea quæ de plantis agit hiſtoriam noſtram locupletavimus.*

Joan. Baptiſtæ Ferrarii *Heſperides, ſive de Malorum Aurantiorum, Citriorum & Limonum varietatibus, cultura & uſu. fol.* Romæ. 1646.

Joan. Euſebii Nierembergii *Hiſtoria Naturæ.* Antwerp. *fol.* 1635.

Joan. de Laet *Hiſtoria Indiæ Occidentalis. fol.*

Muſæum Olai Wormii. *fol.*

Muſæum Regiæ Societatis Londinenſis. fol.

His addi poſſunt libri nonnulli Botanici quos nobis nondum videre contigit, nimirum,

Hyacinthi Ambroſini *Phytologiæ partis primæ Tomus primus.*

Mich. Boym, *S. J. Flora Sinenſis* Viennæ 1656. *fol.*

Franciſci Steerbeck *Citri cultura. Ejuſdem Theatrum Fungorum* 4.

Georgi Turre *Hiſtoria Plantarum fol.* Patav. 1684. *Hic liber agit ſolummodo de facultatibus & viribus Plantarum è* Theophraſto, Dioſcoride & Galeno.

Poſt Opus abſolutum & typis impreſſum literas accepi à Botanico non incelebri D. Tho. Lawſon *in* Weſtmorlandia *degente, quibus Catalogum inſeruit Plantarum à ſe obſervatarum in Septentrionalibus* Angliæ *ſponte naſcentium, quarum nonnullæ novæ & nondum editæ, aliæ à nobis in Catalogo Anglicanarum præteritæ & indictæ.*

Primi generis ſunt

1. CEraſus ſylveſtris fructu minimo cordiformi, **The leaſt wild Heart Cherry-tree**, Ruſticis Ceſtrienſibus, **The Merry-tree**, cujus in Phytologia Britannica mentio. Hanc circa *Buriam* & *Mancunium Lancaſtriæ* oppida, & alicubi etiam in *Weſtmorlandia* inveniri ſcribit D. *Lawſon*; circa *Stockportum* & alibi in *Ceſtria* D. *Stonehouſe*, qui hanc Meraſum ſylveſtrem Ungarorum *Cluſ.* à nomine **Merry-tree** conjectaretur, ni color fructus dilutè ruber, qui Meraſo Ungarico niger eſt, obſtaret. Verùm errat D. *Stonehouſe*; Cluſius enim Meraſo ſylveſtri fructum nigrum non attribuit ſed rubrum; Meraſo autem ſimpliciter dicto nigrum; unde color fructus non impedit quo minùs Meraſus ſylveſtris Ungarorum *Cluſii* eſſe poſſit.

2. Cochlearia marina folio anguloſo parvo, in *Walney* vulgò *Waney Lancaſtriæ* inſula. Huic nulla quæ extat mihi ſaltem viſa neque icon, neque deſcriptio reſpondet.

3. Geranium hæmatodes flore eleganter variegato: in inſula *Walney* prædicta copioſiſſimè provenit. Hanc ſpeciem pro varietate Geranii hæmatodis vulgaris in Hiſtoria pag. 1061. habuimus, at nunc, ex obſervatione plantæ in horto cultæ melius edocti, diverſam agnoſcimus; non enim floris duntaxat variegatione quam etiam culta retinet, ſed & parvitate ſua & humilitate, aliiſque accidentibus ab eo differt.

4. Lilium convallium anguſtifolium; ad pontem *Waterfall* in *Weſtmorlandia*.

5. Hieracium macrocaulon hirſutum folio rotundiore, prope *Shap* vicum in *Weſtmorlandia*.

6. Gramen ſparteum capite bifido vel gemino D. *Merret*. In *Weſtmorlandia* copioſè.

Secundi generis ſunt

1. Gramen ſparteum montanum ſpica foliacea graminea majus, à nobis in ſummis altiſſimorum *Cambriæ* montium verticibus copioſè naſcens obſervatum, quamvis in Catalogo per oblivionem omiſſum.

2. Lunaria minor ramoſa.

3. Lunaria minor foliis diſſectis, utraque *Stricklandiæ majori* in *Weſtmorlandia.*
4. Pyrola Alſines flore Braſiliana, prope *Gisburgum* oppidum in *Clevelandia.*
5. Sambucus foliis laciniatis prope *Mancunium Lancaſtriæ* in ſepibus.
6. Scabioſa pratenſis minor flore carneo *Park.* in *Weſtmorlandia.*
7. Sorbus ſylveſtris Anglica **English wild Service, Cheſs-Apple, Sea-Oulers.** Aſſerit *Parkinſonus* eam in *Witherſlake Park* ſponte naſci. Verùm arbor eo loci hoc nomine vulgo dicta Aria eſt Theophraſti.
8. Viola folio Trachelii D. *Merret.*
9. Viola paluſtris rotundifolia D. *Plot* Hiſt. nat. *Oxon.*
10. Geranium columbinum maximum fol. diſſectis *ejuſdem*, quorum deſcriptiones in Hiſtoria noſtra exhibuimus; ut &
11. Adianti foliis bifidis vel trifidis.
12. Helleborine minor alba *Park. Weſtmorland.*

His adde Varietates quarundam Plantarum inſignes, v. g.

1. Carduus monſtroſus Imperati.
2. Cotula non fœtida flore pleno *Weſtmorl.*
3. Gentianella flore lacteo *ibid.*
4. Geranium batrachioides flore eleganter variegato, *In old Deer-Park by Thornthwait Weſtmorland.*

ER-

ERRATA.

PAg. 986. lin. 49. lege *lævibus.* p. 987. l. 5. *nigrum, rugoſum, compreſſum.* l. 7. *negandum.* l. 49. *ſurculorum.* 989. 12. *Carinthiacus.* l. 23. *corniculis.* 998. l. penult. *altiora.* 999. l. antepenult. *ſimilia.* 1005. l. 39. *ſurculorum.* 1008. 37. *coactus,* item *accensúſque.* 1019. 1. *vidimus.* l. penult. poſt *hirſutum* ſupple *vocat.* 1022. 47. *medullarem.* 1044. 46. *veſtitis.* 1048. l. ult. *aurea.* 1052. 34. *ſimilia.* l. penult. *an.* 1053. 51. *ſex.* 1057. 28. poſt *moſchatum* adde *C. B.* 1061. 51. *Walney.* 1066. 22. *Secta.* l. 47. *Sarbetis.* 1068. 30. *latis, ſerratis.* 1069. 22. *Dentellaria.* 1070. 9. *craſſis.* 1076. 15. *inſident.* 1081. 44. *cui.* 1085. 25. *ſeſquipalmaris.* 1088. 11. *Baidelſar.* 1090. 40. *flexilibus.* 1093. 53. *viribus.* 1099. 53. *rigua.* 1106. 46. *picta.* 1110. 8. poſt *occupantibus* ſupple *aſſeruit.* 1113. 49. *Zuſiniare.* 1120. 11. *contextum.* 1125. 5. ἄγλιθες. 1126. 40. *Foliis.* 1138. 63. *flori.* 1139. l. antepenult. *coronatum.* 1145. 5. *candidus.* l. 31. *propendentes.* 1147. 11. *æqualia.* 1149. 22. *externis.* 1151. 10. *ovis.* 1157. 5. poſt *inter* ſupple *qua.* 1159. 33. *variorum.* 1168. 33. *geniculis.* 1176. 23. *proficiant.* 1178. 8. *ſe.* l. 26. *eum.* 1186. 9. *variegata.* l. 33. *venoſas.* 1199. 26. *ſparſus.* 1205. 5. *tertiò.* 1209. 33. *erant.* 1211. poſt *latum* ſup. *&.* 1214. 56. poſt *fluxum* ſup. *exhibe.* 1223. 28. pro *mas* lege *fœmina.* 1224. 26. *Muteto.* 1229. 6. *Brand. tædis.* 1233. 27. poſt *non* ſup. *tantùm.* 1240. 45. πόλτος. 1241. 53. *candidam farinam.* 1244. 14. *exuunt.* 1245. 62. *aſſervanda.* 1246. 40. *reſpuit.* 1263. l. antep. *coaptata, appreſſa.* 1268. 14. *Nemauſi.* 1276. 58. *circundatos.* 1282. 33. *ſimiles.* 1289. 9. *donatur.* 1290. 58. *tenuiori.* 1292. 16. *ſeſquicubitalibus.* 1293. 51. dele *è ſquamis.* 1299. 2. *prominentia.* 1301. 2. *compreſſâ.* 1302. 31. *abierunt.* 1303. 44. *terræ.* l. ult. *folii.* 1304. 46. *Junci.* 1305. 22. *lychnanthemos.* 1307. 8. *geſtit.* 1319. 22. *zelotypiâ.* 1321. 17. *plantáque.* 1324. 31. *habeat.* 1317. 33. *alia.* 1331. 16. *erigentes.* 1332. 6. & 17. *duos.* 1343. 23. *Aguacima.* 1356. 16. *Abariga.* 1368. 25. *Polus.* 26. *Fanfur.* 30, *ſupernatent.* 31. *ſimiliis.* 1373. 35. *Fruſtum.* 55. *hodienum.* 1378. 25. *Allio.* 1382. 34. *chartâ.* 1385. Marg. Nos. 1392. 14. *leviter.* 45. *excreſcentias.* 1407. 31. *ſequi.* 1411. 19. Ἄρκευθος, & lin. ſequ. κεύθειν. 1419. 19. dele *in.* 1425. 31. *cluditque.* 1430. 19. *ſumptus.* 1438. 33. *latitudine.* 1445. 10. *inſidet.* 1447. 17. *initium.* 1464. 14. dele *magnitudine.* 1467. 42. *apporta.* 1484. 15. *ſurculis.* 1486. lin. penult. *utuntur.* 1495. 25. & 1504. 4. *feminibuſque.* 1506. 50. poſt *Genevam* ſupple *obſervavit.* 1514. 34. *Lacuturia.* 1518. 4. *tormina.* 1520. 3. *ac.* 1522. 38. *Guillandino.* 1523. lin. ult. *cenſetur.* 1530. 49. *Inhyama.* 1541. 61. *minoreſque.* 1552. 50. *Pyri in modum.* 1557. 42. *ii.* 1561. 18. *delibratione.* 1571. 2. *inſidente.* 1588. 4. *Eſula.* 1590. 44. *flexu.* 45. *Spiræam.* 1606. 2. *febrilibus.* 1607. 13. poſt *inſuper* ſupple *ſpinis.* 1615. 18. *ſcandendi.* 1616. 16. *tertiò.* 1618. 58. *mictionem.* 1626. 59. *folioſis.* 1645. 4. *quà.* 1646. 40. *conſtitit.* 1651. 17. *Guanabano.* 1656. 18. dele *id.* 1671. 21. *rimis.* 1672. 45. *Gul.* 1673. 1. *æquali.* 59. *abſumpta.* 1674. 20. & 1677. 47. pro) lege *&*, & pro *&* in ſequenti linea ponatur.) 1683. 17. *ſpinis.* 1687. 58. *ſuturam.* 1691. 43. poſt *lobos* ſupple *diviſum.* 1693. 25. *quos.* 36. *Nos.* 1703. 5. *contrarium.* 1705. 35. poſt *omphacitidi* ſupple *proxima.* 1709. 15. *ad.* 1717. 26. *ſiliquoſis.* 1721. 47. *Helleboro.* 1730. 27. *paulò.* 1734. 29. *perterebrato.* 1744. 57. *forma.* 1747. 2. *corticis.* 10. *gratiſſimum.* 1764. 20. *eſt.* 1770. 24. *Areca.* 1776. 11. *foris.* 1777. 23. *ravi.* 1781. 25. *Cheb.* 1797. 38. *obtuſius.* 45. *exutum.* 1802. 28. voces *ferro* & *vilius* tranſponuntur. 1814. 57. *nervoſque.* 1819. 5. *fructus.* 1822. 19. *debet.* 1826. 31. *adſcriptum.* 32. *verius.* 1827. 37. *tegebant.* 49. *ſulco.* 1828. 52. *tecta.* 1834. 44. poſt *coloris* ſupple *Caſtaneæ.* 1835. 4. *parte.* 15. poſt *non* ſupple *ſonat & aquæ injectus.* 1836. 11. *mediocre.* 1837. 3. ſupple *figura.* 13. *turbinata.* 1843. 29. poſt *Sagapenum* ſupple *& Sagapeni.* 1844. 10. *è.* 1846. 8. poſt *aliud* ſupple *præſtantiùs.* 1850. 21. *eum.* 1853. 45. *ſplendenti.* 53. *vidi.* 1858. 8. *confarctos.* 1862. 49. *ſcandulis.* 1866. 56. *Singulæ.* 1867. 9. *quinis.* 1868. 37. *perfecerit,* & dele *ſe.* 39. *Cantabrigienſi.* 1869. 30. *tria.* 1874. 27. *ſuis.* 1876. 57. *in.* 1877. antepen. *Portulaca.* 1885. 20. *huc.* 1896. 38. *muriaticus.* 1913. 62. poſt *ego* ſupple *inquit.* 1914. 44. *inflexa.* 1915. 17. *Heydelbergâ.* 57. *Glaſtrividam.* 1916. 47. *Rampoſtan.* 1917. 1. *ſpinoſa.* 43. *exarata.* 45. *obſita.* 1919. 19. poſt *planè* dele *ut.* 37. poſt *in* ſupple *medio.* 38. *ni.* 1920. 26. *Atzoyatl.* 27. poſt *eam* dele *&*, item poſt *genere* dele *& ſpecie.* 1922. 48. *Bakili.* 49. *Balinda.* 1923. 6. *Kata*; *an Lycium.* 15. *Kodna.* 27. verba illa *vulgo Giacca de Buſcio* transfer ad lineam ſequentem poſt *Laun.* 58. *Nellica.* 1927. 15. *Ilex.* 63. *protrudentes.* col. 2. l. 12. *duodecim.* 21. poſt *caule* ſupple *geſtat.* 1929. 26. *Coapatlidi.* 29. *expendendum.* 1939. 30. col. 2. *eſt.* 1941. 51. *iidem.* 52. *deſcriptis.* 1943. 51. *foliis.*

Emendandis adde.

Quæ de *Mungo* habentur, pag. 1831. dele: ſuperiùs enim pag. 955. traduntur.
Lucma fructus *Leucomæ* in eadem pagina 1831. deſcriptæ eadem videtur.
Fructus Indicus decuſſatus *J. B.* pag. 1838. deſcript. ad Avellanam quadrifidam *C. B.* p. 1828. refertur, ideóque non erat repetendus.
Fructus Peruanus Amygdaloides ſub terra naſcens *J. B. Mandobi Lerii* deſcript. p. 1833. idem eſſe videtur *Mandubi Braſilienſibus Marcgrav.* vel *Mandubi d'Angola* ejuſdem, quarum deſcriptiones habentur ſuperiùs p. 919.

Errata leviora in literulis & punctatione, nè Lectoris ingenio nimis diffidere videar, inemendata reliqui.

BRITISH MUSEUM
13 OCT 62

HISTO-

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER DECIMUS NONUS,

QUI EST,

De Herbis Pentapetalis vaſculiferis.

HIS admiſcemus nonnullas minùs proprie Pentapetalas dictas ob petala ad ungues juncta, ut flores integri decidant: unde propriè & ſtrictè loquendo Monopetalæ dicendæ ſunt.

Pentapetalis etiam Polypetalas adjungimus, & ob convenientiam in reliquis notis nonnullas etiam Tetrapetalas.

Hunc Librum in duas Sectiones partiemur. Prima erit De Herbis pentapetalis cùm foliis in caule ex adverſo binis:

Secunda De Herbis pentapetalis foliis in caule alterno aut nullo ordine poſitis.

SECTIO PRIMA.

De Herbis pentapetalis foliis in caule ex adverſo binis.

Herbæ flore pentapetalo aut polypetalo, foliis integris in caule conjugatim diſpoſitis ſunt vel flore

- *Pentapetalo,*
  - *Maritima,* ſemine grandi; **ALSINE** *cruciata marina.*
  - *Terreſtres,* calice
    - *Integro,* concavo ſeu fiſtuloſo,
      - *Oblongo* & cylindraceo; petalis margine extremo inciſis; vaſculo itidem ſeminali cylindraceo,
        - *Latifolia* folio virente; **ARMERIA.**
        - *Anguſtifolia,* folio glauco gramineo, ſeminibus compreſſis, rugoſis, nigris; **CARYOPHYLLUS.**
      - *Tumidiore* & plerunque ſtriato; pericarpio plurimùm pyriformi; ſummâ parte per maturitatem ſe aperiente in oras dentatas, ſeminibus turgidioribus, florum petalis plerumque bifidis; **LYCHNIS.**
    - *Ad modum floris expanſo* in plura ſegmenta,
      - *Fruticoſæ,* ſuperficie perenni; flore ſpecioſo caduco,
        - *Majores & elatiores,* capitulis in pleriſque ſpeciebus pentagonis; **CISTUS.**
        - *Minores & humiliores,* calicibus triphyllis ſeu trifidis; vaſculis ſeminalibus trigonis; **CHAMÆCISTUS.**
      - *Herbaceæ,* ſuperficie annua; ſeminis conceptaculo
        - *E tribus carinis compoſito*; flore flavo; comâ tritâ velut cruentante; **HYPERICON.**
        - *Bivalvi*; flore itidem flavo, foliis ſalicis oblongis, ad genicula interdum ternis aut quaternis; **LYSIMACHIA LUTEA.**
        - *Simplici,* ſemina in medio ſita exteriùs protegente; florum petalis

- *Disjunctis*, colore albis;
  - *Bifidis*; ALSINE *genuina*.
  - *Integris*
    - *Alſines* foliis; ALSINE *minima*.
    - *Foliis anguſtiſſimis*,
      - *Binis* in caule oppoſitis; SAXIFRAGA *puſilla*.
      - *Caules ad* nodos *ſtellatim ambientibus*; SPERGULA.
- *Ad ungues junctis*, adeo ut flores integri decidant; in ſingulis foliorum alis ſingulis; ANAGALLIS *terreſtris*.
- *Hexapetalo*, in aquoſis naſcentes,
  - *Erecta* & *procera*, floribus in ſpicis longis in ſummis caulibus; foliis ad genicula interdum ternis; LYSIMACHIA *purpurea ſpicata*.
  - *Humilis* & *ſupina*; foliis Portulacæ rotundis, floſculis & ſeminibus in foliorum alis ſeſſilibus: ALSINE *Portulacæ folio*.

Androſæmon & Aſcyron ſub *Hyperici* titulo comprehendo; omnino enim genere conveniunt, cujus notæ ſunt flos flavus, coma terentium digitos velut cruentans, & pericarpium tribus carinis compoſitum.

Ad hoc genus pertinent *Holoſteum minimum* dictum & *Saxifraga graminea* puſilla, ob folia in caulibus ex adverſo bina, & vaſculum ſeminale in metæ formam turbinatum, quamvis floribus ſint tetrapetalis.

Gramen leucanthemum majus & minus & *Caryophyllus holoſteus* uterque *Alſines* ſpecies cenſendæ ſunt ob florum petala bifida, & vaſculum ſeminale conforme.

Hyſſopifolia hujus etiam loci eſt, cui D. Moriſonus florem pentapetalum tribuit, capſulam ſeminalem longam innumeris ſeminibus minutis refertam. At Jo. Bauhinus florem hexapetalon eidem aſſcribit. Utri ego ſubſcribam neſcio, nec enim ipſe florem adeò exacte & diligenter obſervavi, ut recorder quot petalis conſtet.

Globularia lutea montana F. Columnæ Lychnidis Speciebus annumeranda videtur.

CAP. I.

De Caryophyllo.

CAryophyllus ab odore Caryophyllum aromaticum referente dicta eſt hæc planta, fortè etiam ab aliqua ſimilitudine, quam habet flos expanſus cum ſuo calice cum Caryophyllo dicto. Nonnulli Veterum Vettonicam ſeu Betonicam à Vettonibus Hiſpaniæ populo dictam eſſe arbitrantur. Officinis Tunica à Betonica per aphæreſin denominatur.

Ego Veteribus incognitum fuiſſe credo. Si enim flos tam eximiæ pulchritudinis & fragrantiæ quam eſt Caryophyllus altilis & hortenſis, eis innotuiſſet, proculdubio non minoribus eum encomiis celebrâſſent quam Roſam ipſam, cui odore quidem æquiparanda eſt, venuſtate & durabilitate etiam præferenda.

Caryophylli notæ characteriſticæ ſunt, calyx floris oblongus, cylindraceus, lævis, integer, in margine duntaxat ſummò dentatus, vaſculum itidem continens oblongum, cylindraceum; Petala margine extremo inciſa aut laciniata, ſemina compreſſa, rugoſa, per maturitatem nigra.

Duplex eſt 1. Anguſtifolius folio gramineo, glauco: 2. Latifolius, calyce foliolis oblongis cincto, Armeria dictus.

§. 1. *Caryophylli anguſtifolii calyce non barbato, ſed ad baſin ſquamis brevibus cincto.*

1. *Caryophyllus hortenſis* Park. *Caryophyllus altilis major* C. B. *Betonica coronaria ſativa, ſive Caryophylleus flos* J. B. **The Clove-July-flower.**

Foliis eſt è ſingulis geniculis binis, anguſtis, gramineis, duris, per extremum acuminatis, cæſio quaſi ſive glauco colore: *caulibus* levibus, teretibus, cubitalibus, raró altioribus, geniculatis, nodoſis, in ramos diviſis: in quorum faſtigiis longiuſculis ſpectantur *calices* teretes, glabri, orbiculo ſuperiore denticulati, quibus dehiſcentibus paullatim diverſa apparent *florum* genera, candida ſcil. ex candido purpurea, coccinea, nigricantia, vermiculata, diverſóque colore variegata, ídque non unâ ſed variâ ratione. Invenias ſiquidem in quibus candidus & coccineus color ità miſceatur, ut in alio candida in alio rubra foliola numero ſuperiora evadant. Quid quod nonnullos videas ità candidos, ut minutiſſimis rubris punctulis ſint redimiti, contra qui rubent lacteis notis aſperſi videantur. Poſtremò ex uno & eodem caule non raró duo florum genera, quod ad colorem attinet, hoc eſt par-

tim

BRITISH MUSEUM 13 OCT 62

tim candidi rubríſque maculis notati, partim verò toti rubri ſeu coccinei proſiliunt, & quod mirum magis videri poſſit ſæpe uno pediculo diverſi coloris flores ſuffultas deprehendas. In florum medio ſtamina emicant cum apicibus candidis & bina cornicula recurva ſupra florem eminentia ſemunciali interdum longitudine. Cornicula hæc nihil aliud ſunt quàm *ſtylus* geminus ſummo *vaſculo* ſeminali innatus, oblongo, tereti, *ſemen* continenti per maturitatem nigro, rugoſo, compreſſo. *Radices* ſimplices, fibroſæ.

Caryophylli vulgò dividuntur in hortenſes ſeu altiles, & ſylveſtres: nec præter rationem, ſiquidem hortenſes & ſativi dicti à ſylveſtribus & ſpontaneis revera ſpecie differant: quamvis nugandum non ſit quin ſativi etiam alicubi ſponte proveniant, & nos ipſi in Italia obſervavimus Caryophyllos ſponte naſcentes, quos ſativorum primos utità dicam parentes fuiſſe ſuſpicamur: ex his enim iteratâ ſatione, tranſplantatione, irrigatione, alióque cultu & mangonio paulatim immutatis & cicuratis hortenſes tandem & ſativos primitus factos opinamur. Quotidiana enim experientia docet Caryophyllorum ſemen in ſolo pingui & bene ſubacto ſatum, præſertim loco calidiore, Soli expoſito & ab aeris injuriis tuto, ſobolem producere florum magnitudine & figurâ, necnon petalorum multiplici ſerie, & colorum varietate à matre diverſam, quæ diligenti culturâ & mangonio dicto adeò adhuc immutari & (ſi ita loqui liceat) meliorari poſſint, ut novum tandem vultum & habitum induat, nec pro primitivæ plantæ progenie ab harum artium ignaris & minùs exercitatis agnoſci poſſit.

Caryophylli hortenſes à nonnullis dividuntur in maximos & minores, & utrumque genus in eos qui multiplici petalorum ſerie donantur, & qui ſimplici. Alii Caryophyllos hortenſes ſeu ſativos primò diſtinguunt in eos qui flore ſunt ſimplici & flore multiplici ſeu pleno, & utrumque genus in plurimas ſpecies ſubordinatas. Nos has omnes varietates pro una & eadem ſpecie habemus, adeóque iis recenſendis non immorabimur. Nec tamen ſi maximè vellemus id unquam efficere poſſemus, cùm hujuſmodi varietates, novis indies emergentibus, infinitæ ſint. Si quis ſpecies celebriores ſcire deſiderat Parkinſonum & C. Bauhinum conſulat, necnon Hortum Eyſtettenſem, Theodori de Bry florilegium, Criſpini Paſſæi hortum floridum, Emmanuelis Swertii florilegium, alióſque.

Vires.

Innumeros (Deo benedicente) ſolo decoct. florum Caryophyllorum vindicavi à febribus malignis; & hoc omnibus Medicinæ ſtudioſis jurato veluti affirmo, vel potenter ſudores movent, vel urinas pellunt citra magnos naturæ motus, ſimúlque cor corroborant, ſitímque ſedant. *S. Paul. Quadrip. Botan.* p. 242.

Flores Caryophyllei cephalici ſunt ac cordiales; unde uſus eorum præcipuus eſt in capitis malis, Vertigine, Apoplexia, Epilepſia, Paralyſi, aliíſque nervorum affectibus; in ſyncope, palpitatione cordis, &c. in ventriculi imbecillitate, cardialgia, &c. in febribus peſtilentibus, dato vel ſucco expreſſo totius herbæ ad ℥ iij. vel pulvere radicis ad ʒ iij. Eodem tempore nares contingere oportet aceto caryophyllato, geſtare linteola eadem madefacta. Fugant lumbricos, partum facilitant. Extrinſecus adhibentur in vulneribus capitis, extrahunt oſſa cranii fiſſa, leniunt cephalalgiam & odontalgiam. In uſu ſunt ſuccus inſpiſſatus, eſſentia dictus. *Schrod.* 2. Conſerva ex floribus. 3. Aqua ſtillatitia ex floribus. 4. Syrupus ex infuſione florum. 5. Acetum ex infuſione florum.

In facultatibus (inquit C. Hofmannus) compone florem noſtrum cum roſa. Quemadmodum enim illa inæſtimabilem odoris gratiam habet, ita etiam flos noſter, éſtque pariter guſtu amarus, ſine tamen ungue ſuo. Qemadmodum in Roſa odor & ſapor in ſuperficie eſt, perítque in ſicca; ita in flore noſtro. Quare quemadmodum Roſæ ſunt cordiales, reparatis ſpiritibus animalibus ob benignas è ventriculo ad caput evaporationes; ita heic. Veruntamen hac differentiâ. Roſæ calidis affectibus ſunt aptiores, Caryophylli frigidis. Hoc enim affirmo ut Roſa temperata vix eſt, ita Caryophylli ſuperant temperiem.

2. *Caryophyllus arboreſcens Creticus* C. B. *Betonica coronaria arborea Cretica* J. B. *C. B. prod. J. B.*

Ex *radice* craſſa, alba, dura & lignoſa *caules* cubitum ſuperantes exurgunt, albi, rotundi, læves, geniculati, lignoſi, in alas brachiati. *Folia* glauca, ſeſquiunciam circiter longa, anguſta, rigida, in acutum & pungentem mucronem deſinentia, in ſtolonum & circulorum extremis duntaxat confertim poſita conſpiciuntur, ut muſcaria totidem videre videaris; nam in reliqua ramorum parte caduca, veſtigiis relictis nodoſam illam aſpredinem efficiunt. *Calyculi* antequam in flores explicentur exigui, echini inſtar ſpinulis horrent, ipſéque adeò ejus mucro pungit: interim manentibus iiſdem ſpinulis calix productior redditus *florem* exhibet ſimplicem circinatæ rotunditatis, è quinque foliis conflatum, per extremam oram inciſis, colore dilutè purpureo præditis, ſtriatis, paulò ultra medium lineolâ guttatâ ſaturatiùs rubente pictis, ex quarum omnium concurſu circulus deſcribitur, infra quem lanugo quædam apparet. Medium occupant *ſtamina* florum concoloria.

Tempus.

Floret menſe Julio & Auguſto, ínque multos annos durat, hyeme in hypogæum reponendus.

Nobis planta hæc Caryophyllus arboreus ſylveſtris *Alpin. Exot.* videtur, quamvis icones non bene conveniant.

Vel hæc ipſa planta, vel ei valdè ſimilis nobis inventa eſt in Provinciæ monte S. Balmæ dicto propè cryptam S. M. Magdalenæ.

* 3. *Caryophyllus ſylveſtris flore magno inodoro hirſuto* C. B. *Caryophylleus ſylveſt.* 2. Cluſ. *Cluſ.*

Hujus breves ſunt *cauliculi*, tres uncias raro excedentes, geniculati: *folia* in ſingulis geniculis bina, ſuperioribus breviora, molliora, viridia, deorſum reflexa, ſplendentia, in novellis autem germinibus, ſatis copioſè ex eadem radice naſcentibus, majuſcula, latioráque: flos è nigricante & craſſiore caliculo emergens ſummis cauliculis inſidet, unicus, ſuperioribus major, quinque etiam foliis conſtans, paulò ſaturatior priore, circa umbilicum longioribus villis hirſutus, & eleganti ex ſaturâ purpurâ albo miſtâ varietate gratus, inodorus tamen. *Semen* in longis *vaſculis*, quæ maturitate hiantia paleaceum fuſcum aliorum Caryophylleorum modo continent. Radix ſuperiori ſimilis eſt.

Locus. Frequentiſſimum eſt in Sneberg & aliis Auſtriacarum Stiriacarúmque Alpium jugis; ubi ſub finem Junii & Julio floret.

Illi per omnia ferè ſimile creſcit in altiſſimo Jugo *Etſcher* vocato, niſi paulò longioribus eſſet *foliis* & *cauliculis*, *flore* plerunque majore, nec eo unico ſed gemino aut triplice: præterea ſub villis umbilicum ambientibus inæqualem quandam & in frequentes mæandros excurrentem lineam impreſſam habet, humani cranii ſuturam referentem, colore rubro ſaturatiore præditam, ut prioris eſt.

In eodem jugo paucas hujus generis; in Sneberg verò ſecundi aliquot plantas inveniebam quæ ab illis duntaxat floris varietate differrent: nam licet forma diſpar non eſſet; color tamen albus erat, umbilici ambitus purpuraſcentibus villis hirſutus.

4. *Caryophyllus ſylv. flore laciniato ſine corniculis odoro,* C. B. *Betonica coronaria folio æruginoſo latiore, flore rubro laciniato, repens* J. B. *Caryophylleus* 3. Cluſ.

Cluſ.

Cauliculi huic paulò majores craſſioréſque pedali plerunque altitudine aſſurgunt, geniculati, ſingula genicula ambientibus *foliis* binis, primo genere [Cluſ.] longioribus & latioribus, æruginei quodammodo coloris: ex ſummis alis bini, terni, ſingulatim autem naſcentes *flores*, priori non multùm abſimiles, quinque *foliis* per oras laciniatis, atque circa umbilicum carnea lanugine pubeſcentibus conſtantes, rubri coloris, nullis corniculis inflexis præditi, odorati, qui è calyculis primùm emergentes candidi futuri videntur. Floribus ſuccedunt *cornicula* ſatis craſſa, *ſemen* nigrum planum, ut cæteri Caryophyllei, continentia. *Radix* oblonga, fibroſa, à capite plures ſurculos in orbem diffundit, qui plerunque fibras agentes adeò ſe propagant, ut brevi totas areas occupent.

Unde primum illatus ignoro: ſed in omnibus Auſtriacis, Ungaricis, Bohemicis, etiam Germanicis pleriſque hortis colitur, & Maio menſe cum reliquis floret.

Hic eſt etiam, fortaſſe, qui in hortis noſtris nomine **Pink** ubique ferè enutritur, floris colore plerunque ex purpura rubente; interdum etiam albente ex carneo, cum corolla circa umbilicum macularum atro-rubentium ſaturatiorum. Habetur etiam flore pleno ſeu multiplici. Flos odoratiſſimus eſt, adeò ut cùm floret odorem exhalet ſuaviſſimum, qui è longinquo percipiatur, & non tantùm flore naribus admoto. Verùm in nonnullis Caryophyllis ſylv. **Pink** noſtratibus dictus à Cluſiano Caryophylleo tertio differre videtur, viz. quòd non (quantum quidem hactenus obſervavi) eo modo, ſurculis radices agentibus ſe propaget: deinde quòd in cauliculis ramoſis plures ternis flores geſtet. Eſto ergo Caryophyllus **Pink** noſtratibus dictus.

A. 5. *Caryophyllus ſimplex flore minore pallidè rubente* C. B.

Qui in muris lapideis & lateritiis eodem fere modo oritur quo Keiri ſeu Leucoium luteum.

A. 6. *Caryophyllus minor repens noſtras. An Virgineus* Ger? *ſylveſt. humilis flore unico* C. B? *Betonica coronaria ſive Caryophyllea repens rubra* J. B? **Maiden Pinks.**

Radix tenuis, longa, paucis fibris donata, plurimos per terram ramulos ſpargit, in terram reclinatos, & ſubinde radices agentes. *Cauliculi* flores ſuſtinentes ſeſquipalmares ſunt aut dodrantales, teretes, tenues & vix ſe ſuſtinentes, geniculati, *foliis* crebris, binis ex adverſo poſitis, abſque pediculis caulem amplexis, digitali interdum longitudine, ſed plerunque brevioribus veſtiti, in ſummitate duos vel tres flores ſuſtinentes rubellos, circulo ſeu corolla punctorum ſaturatiorum circa umbilicum inſignes, è calice longo, oris in quinque ſegmenta acuta diviſis, ut in reliquis caryophyllis. Ramuli ſeu cauliculi illi in terram procumbentes qui flores non proferunt, crebris foliis veſtiuntur brevioribus iis quæ in caulibus ſunt, anguſtis, nec admodum acutis. *Semen* in calyculis paleaceum, fuſcum.

Locus. Locis ſabuloſis duntaxat apud nos in Anglia ſponte provenit. Æſtate ad Autumnum uſque floret. In collibus ſabuloſis propè Notinghamiam oppidum ſecus vias copioſè provenit. Obſervavimus præterea in ejuſmodi collibus arenoſis propè *Sandy* vicum in agro Bedfordienſi, itémque in colle quodam non longe ab *Hilderſham* in agro Cantabrigienſi monſtrante *D. Dent. D. Willughby* eundem invenit non procul *Bridgenorth* Salopiæ oppido: Denique *D. Horſenell* in colle quadam *Mantham-hill* dicto propè *Slough* vicum ſeſquimilliari remotum à Vindeſora oppido, viâ qua Londinum itur.

Caryophyllus qui his in locis oritur duos aut tres & interdum etiam plures in uno caule flores profert, cùm qui Cluſio & Bauhino deſcribitur unicum plerunque (interdum binos flores) in ſingulis caulibus producere dicatur, ut dubitemus an ſpecie conveniant nécne, quamvis aliàs & figura & deſcriptio illius huic noſtro ſatis bene reſpondeant; Deſcriptionem Cluſii ſubjiciemus.

Dodrantales huic ſunt *cauliculi*, teretes, geniculati: *folia* in ſingulis geniculis bina, inter ſe oppoſita, oblonga, anguſta, dura, mucronata, colore quaſi cæſio. *Flos* è calyculo rubente emergens, ſingulis cauliculis unicus plerunque inſidet (interdum bini) quinque foliis conſtans, lentè fimbriatis, coloris in dilutâ purpurâ rubentis, circa umbilicum hirſutus, & ſaturatiore purpurâ nitens, atque inodorus, ex cujus medio umbilico duo brevia *ſtaminula* prominent: *Semen* in calyculis paleaceum fuſcum. *Radix* longa, tenues fibras ſpargens, è cujus capite plures cauliculi latè in ambitu & confertim ſeſe diffundunt.

Locus. Invenitur in Hamburgenſi monte duobus ſupra Poſonium, octo infra Viennam Auſtriæ milliaribus. Floret iſthic Maio, in hortos verò tranſlatus etiam Aprili. At noſtras ſerius multo florere incipit, & ad Autumnum uſque florere perſeverat.

* 7. *Betonica coronaria ſive Caryophyllea, corollâ purpureâ inſignis* J. B.

J. B.

Non altè aſſurgit & hæc Caryophylli ſpecies. *Rami* ſupra terram ſparſi, ut in præcedente, denſo foliorum ſtipatu muniti, minùs cæſiorum: qui imâ parte duriuſculi & ferè lignoſi. *Caules* in duos, aut ad ſummum tres ramulos diviſi, quorum quilibet ſingularem ſuſtinet *florem*, elegantiſſimumquinquepartitum, in ambitu pulchrè diſſectum, & in medio amœnâ corollâ ſaturatiùs purpuraſcente decoratum: cujus odor ſuaviſſimus gratiſſimúſque.

Præcox eſt & reliquos antevertit: Maio ſc. floret.

Hujus deſcriptio meliùs convenit Caryophyllo ſupra propoſito, apud nos in arenoſis naſcenti quàm Cluſiana Caryophyllei ſylveſtris primi: noſter tamen ſeriùs floret quàm vel hic, vel præcedenti loco propoſitus; ut putem ab utroque diverſum eſſe.

8. *Caryophyllus ſylveſtris Corinthiacus ruber* C. B. *Caryoph. ſylv.* 4. Cluſ.

Cluſ.

Craſſiuſculam habet *radicem*, nigro cortice tectam, ſatis fibroſam, ſupernè in aliquot ramos diviſam, qui ſummâ tellure multa capita gignunt, è tenuibus, gramineis, virentibúſque *foliolis* conflata: inter quæ proſiliunt aliquot ramuli ſeu *cauliculi* tenues, geniculati, palmares, & ad ſingulos nodos bina exigua *foliola*. *Calices* in ſingulis cauliculis ſingulares, majuſculi, è quibus *flos* ruber dilutior quinque foliis nonnihil per ambitum crenatis conſtans, è cujus umbilico bina interdum albicantia *cornicula* exeunt cum aliquot ſtaminulis. *Semen* ut in cæteris nigrum, paleaceum.

Creſcit in Tauro Carinthiæ monte. Floret Julio, *ſemen* Auguſto maturum eſt. *Locus & Tempus.*

Hoc genus Caryophylli in monte Jura propè Genevam, invenimus.

* 9. *Caryophyllus ſylveſtris tertius flore laciniato, ſtaminulis corniculatis odoratis* C. B. *Betonica coronaria minùs ramoſa, flore tenuiter fimbriato, albo, coniculis duobus emergentibus* J. B. *Caryophylleus ſylv.* 5. Cluſ. *montanus albus* Ger. emac.

Cluſ.

Huic craſſa & nigra *radix* eſt, dura, lignoſa, multos ramulos humi ſparſos fundens, nigros item illos lentóſque & ſubinde fibras agentes: ex iis *cauliculi* exeunt dodrantales, geniculati, infima parte gramineis quibuſdam, brevibus, anguſtis, colore cæſiis *foliis*, binis ſemper ex adverſo inter ſe oppoſitis, deinde ſecundùm genicula aut nodos aliis rarioribus onuſti: extremis cauliculis inſident longi *calices*, *florem* continentes album, odoratum, quinque foliis valdè laciniatis conſtantem; è quorum umbilico bina emergunt *ſtamina* longiuſcula, corniculorum Papilionis inſtar inflexa. *Semen* deinde in longioribus capitulis planum, quale reliquorum Caryophylleorum.

Provenit in Hamburgenſi monte inter ſaxa, quà Auſtrum & Septentrionem ſpectat. Floret Maio. *Locus & Tempus.*

2. Iſtius etiam genus ibidem invenitur, longioribus *cauliculis*, & plures flores proferens, ſuperiori quidem formâ & candore ſimiles, ſed inflexorum corniculorum expertes, atque eorum loco decem ſtaminula, ipſius floris ſuperficiem paululum exuperantia habentes: capitula etiam in quibus ſemen continetur longiora. *J. Bauhino* Betonica coronaria minùs ramoſa, folio tenuiter fimbriato, planè albo, ſine corniculis. *C. Bauhino* Caryophyllus ſylv. floribus lanuginoſis hirſutis.

3. Aliud tertium paulò majus inveniebamus (inquit Cluſ.) ad radices montis oppido *Medeling* imminentis, tertio ferè à Vienna milliari. Firmioribus & longioribus eſt *cauliculis*, majore etiam *flore*, licet non minùs profundè per oras laciniato, nec odorato, aut lactei candoris omnino, aut dilutiùs rubentis, & quodammodo carnei coloris, brevibus villis purpureis umbilici circumferentiam in utraque ſpecie occupantibus, nullis ſimiliter corniculis, ſed decem ſtaminibus ut in ſuperiore prominentibus, alioqui foliis, radice & florendi tempore conveniunt. *J. Bauhino* Betonica coronaria ſive Caryophyllea, flore tenuiter laciniato, minore albo & dilutiùs rubente. C. Bauhino Caryophyllus ſylveſtris laciniatus 1. ſeu flore tenuiſſimè diſſecto.

10. *Caryophyllus ſylv. alter flore laciniato odoratiſſimo* C. B. *Betonica coronaria tenuiſſimè diſſecta, ſive Caryophyllea ſuperba elatior vulgaris* J. B.

J. B.

Caules huic ſunt multi, cubitales & bicubitales, ramoſi, geniculati, *foliis* inferioribus pluribus, latiuſculis, dodrantalibus, vireſcentibus, ſuperioribus cæterarum Betonicarum coronariarum ſimilibus, binis geniculos amplectentibus, ſaporis amari. *Flores* ſparſi, ex pediculis longioribus, multi, longioribus caliculis incluſi, quinque foliolis, nunc albis, nunc purpuraſcentibus conſtantes, in longiſſimas & tenuiſſimas lacinias diſſectis, umbilico vireſcente, & purpuraſcente lanugine hirſuto, ſuaviſſimi odoris & è longinquo nares ferientis. *Vaſcula* ſuccedunt duas penè uncias longa, tenuia, ſuperna parte in quatuor partes crenata, extra calicem eminentia, qui tunicâ conſtat & aliquot brevibus foliolis juxta pediculum, *ſemine* abundans nigro, compreſſo, paleaceo. *Radix* fibroſa.

In montibus Genevæ vicinis ſed parciùs naſcitur: invenimus etiam in Germania, in quibuſdam ſylvis non procul *Weiſſenbergh* Franconiæ oppido. Sponte naſcitur (inquit Cluſius) in humidioribus Viennenſis agri pratis, atque etiam ad cæduarum ſylvarum pratis vicinarum declives margines, pleriſque Auſtriæ locis. Seriùs reliquis floret, nimirum Julio & toto Auguſto. *Locus.*

Reperitur etiam flore pleno, qui J. Bauhino Betonica coronaria ſive Caryophylleus flos, flore tenuiſſimè diſſecto, pleno, purpuraſcente.

* 11. *Caryophyllus ſimplex ſupinus latifolius* C. B. *montanus humilis latifolius. Betonica coronaria ſive Caryophyllus minor folio viridi nigricante repens, flore argenteis punctis notato* J. B. *Caryophylleus ſylv.* 7. Cluſ.

J. B.

Foliorum hujus Caryophylli raritas deſcriptionem promerita eſt: ea enim tam ſunt Hyſſopi foliis toto vultu ſimilia, colore, figurâ, non tamen odore & ſapore, ut legenti imponant: cæterùm *cauliculi* palmares, Caryophyllorum ſylveſtrium inſtar geniculati, nonnihil aſperi, ſubhirſuti, *flores* ſuſtinent Caryophylli ſylveſtris, quinquepartitos, ſupina parte hirſutos, ſuaverubentes, argenteis punctis guttatos, quorum ſingula folia lambdoides linea ſaturatior coccinea pingit, oræ autem crenatæ ſunt: porro prona parte color eſt ex luteo vireſcens, levi rubore perfuſis marginibus. Reptatrix eſt planta.

Locus. Creſcere audio (inquit Cluſius) in monte illo non procul à *Niclaſburg* Moraviæ diſſito. Umbroſis locis delectatur.

Hujus ſpeciem, [potiùs varietatem,] flore pleno in hortis quibuſdam obſervavit & deſcripſit Cluſius: cui an Betonica coronaria minima, rubello flore pleno repens *J. B.* eadem ſit nécne dubii ſumus: *caules* ei in aliquot ramulos diviſos attribuit, in eorúmque extremitate ſingulares *flores*, parvos, plenos, rubellos; *foliis* eſt brevibus, latiuſculis.

12. *Caryophyllus cœruleus Monſpelienſium* C. B. Park. *Aphyllanthes Monſpelienſium* J. B. Lob. *Caryophyllus cœruleus ſive Aphyllanthos* Ger.

J. B.

Multos junceos enodes *caules* emittit, quorum ſingulis *flos* ſatis magnus inſidet, unicus in ſummo, quinque denticulatis cœruleis foliis conſtans, ex *calice* oblongo erumpens, guſtu dulci. *Radix* fibris multis, longis, contortis, lignoſis, duris, albis conſtat: circa quam *folia* multa graminea, celeriter marceſcentia.

Locus. In collibus juxta *Caſtelneuf*, aliíſque ſterilioribus Monſpelio vicinis abundat.

13. *Armeria prolifera Lobelii* Ger. *Caryophyllus prolifer* Park. *ſylveſtris prolifer* C. B. *Betonica coronaria ſquamoſa ſylveſtris* J. B.

J. B.

Rectos complures emittit *caules*, læves, geniculatos, dodrantales, interdum cubito longiores, ad quorum ſingulas juncturas bina *folia* graminea, anguſta: ſummo cauli extremíſque ramulis *calyx* inſidet ſquamas habens albas, *florem* promens parvum pallidè rubentem, quo marceſcente alius quoq; flos, ſubinde plures, ſuis ſinguli calicibus obvoluti ſubnaſcuntur, tanto numero, [ad ſeptem aut octo] ut tandem prægnanti calici, qui reliquos *juniores* cum ſuis floſculis complectitur, alvus ſobolis multitudine rumpatur. Flores parvi admodum ſunt, plerunque ſinguli rariſſimè bini unà aperiuntur & è calyce apparent.

Locus. In Italia, Sicilia, Gallia, Germania frequens occurrit, in paſcuis, præſertim ſterilioribus.

* 14. *Caryophyllus pumilus latifolius* C. B. Park.

C. B. prod.

A radice cauliculus, ſtatim in duos ramulos ſex uncias altos, tenues, rotundos diviſus prodit, cui ad radicem *folia* brevia, latiuſcula, in ramulis longiora, mollia & pallida, binis ſibi invicem ad geniculos reſpondentibus. Cuilibet ramulo *flos* unus, ſequente multò minor, pallidè purpuraſcens, magíſque albens, ex brevi calice prodiens inſidet. Habuit ex Auſtria.

* 15. *Caryophyllus ſylveſtris biflorus* C. B.

C. B. prod.

Ex *radice* parva *folia* pauca, anguſtiſſima ut prioris [Caryoph. ſylv. repentis multiflori *C. B.*] ſed multò longiora exſurgunt, & inter hæc cauliculus tenuis, plus minus palmum altus, in ſummitate in duos pediculos ſemper diſtinctus, quorum ſinguli *florem* magnum, Caryophyllo ſyl. vulgatiſſimo multò majorem, quinquefolium, leniter laciniatum, colore pallidè rubentem ſuſtinet.

Locus. Circa Genevam Cherlerus collegit.

§. 2. *De Caryophyllo latifolio barbato ſive Armeria.*

1. *Armeria alba rectiùs rubra* Ger. *Betonica coronaria, ſive Caryophyllus ſylveſtris vulgatiſſimus* J. B. *Caryophyllus ſylv. vulgaris latifolius* C. B.

J. B.

Huic *caules* plures, & è diverſis capitibus, recti, rotundi, ſtrigoſi, nunc palmares, nunc pedales ac etiam cubitales, non ramoſi, niſi interdum in ſummitate: *folia* graminea, viridia, ad genicula bina, propter terram numeroſiora: *radix* longa & ſatis craſſa, colore foris fuſco, intus albo, ſapore ſubamaro. *Flores* modò ſingulares, modò plures ſimul, ſuave-rubentes, odore nullo excellente, per obtuſum marginem crenati, ex vaſculo oblongo, tereti, atro-rubente, cui ad baſin foliola acuta, calyci æqualia, ſæpe breviora appoſita.

Locus. In pratis, paſcuis & incultis campis per Germaniam, Italiam & Siciliam frequentiſſima eſt.

Hujus aliam ſpeciem habet C. Bauhinus ſub titulo Caryophylli ſylv. vulgaris anguſtifolii, Caryophylli montani albi *Tab. Ger.* apud quos vide ejus deſcriptionem.

2. *Armeria rubra latifolia* Ger. *Armerius latifolius ſimplex, flore rubro* Park. parad. *Caryophyllus hortenſis barbatus, latifolius* C.B. *Betonica coronaria latifolia petræa, flore punctulis albis notato* J. B.

J. B.

Lignoſa *radix caules* emittit cubitum unum aut alterum altos, læves, teretes, geniculatos, inanes; ad quorum ſingula genicula *folia* liliacea, atrovirentia. *Flores* in caulium & alarum extremis, ſuaveolentes, multi ſimul in umbellæ formam juncti, ex oblongis rubentibus *calicibus*, coccinei, crenati, circulum è punctis albis, ſaturíſque purpureis circa imam foliorum partem obtinentes.

Geſnerus in petroſis collibus & aſperis, ſaxoſis, ſabuloſis apricíſque locis naſci ſcribit. *Locus.*

Hæc planta florum colore inſigniter variat: nimirum 1. *Albo*, hinc Armerius latifolius ſimplex flore albo *Park.* 2. *Variegato*, hinc Arm. latif. variegatus ſive verſicolor *Park.* Huic in eadem umbella *flores* habentur nonnulli purpurei, alii albicantes, alii carnei, cum circulo ſive corollâ punctulorum albentium ſive argenteorum, aut purpureorum vel ſaturatiorum vel dilutiorum, &c. aut ſine illo. 3. *Rubro ſaturo holoſericeo*, ut nos etiam cum Parkinſono obſervavimus. Variat inſuper hoc genus flore multiplici ſeu pleno. Hinc Armerius latifolius flore rubro multiplici *Park.*

Uniuſcujuſque floris calicem circumſtant foliola ſex, anguſta, mucronata, calice ipſo longiora: *Semina* in vaſculis cylindraceis per maturitatem nigra, Caryophylleorum æmula. *Flores* qui cùm primò aperiuntur albicant, poſtea paulatim purpuraſcunt.

3. *Caryophyllus barbatus hortenſis anguſtifolius* C. B. *Armerius anguſtifolius rubens ſimplex* Park. *Betonica coronaria minùs latifolia flore profundè diſſecto* J. B. *Armerius ſuave-rubens* Ger.

J. B.

E *radice* alba fibroſa plura prodeunt capita *foliorum* palmum longorum, unciam ferè latorum, atrovirentium, ſimilium quodammodo Plantagini anguſtifoliæ, in quibus duo nervi exigui juxta coſtam ſecundùm longitudinem extenduntur. *Caules* ſeſquicubitales, recti, glabri, in plures ramos diviſi, per quorum genicula gemina *folia* alterno poſitu diſcrepantia, anguſta, ſurrecta. Summitates ramulorum *flores* ſtipant ſuaviter olentes, accedentes quadantenus ad Superbæ dictæ florem, minùs tamen profundè atque tenuiter ſecti, ſed profundiùs multo quàm in præcedente, purpurei, potiſſimum circa foliorum media & umbilicum, extremitatibus atque ſegmentis ad albedinem tendentibus, in quibuſdam etiam ſaturatiùs candicantibus, in quibus *apiculi* eminent gemini, candicantes, exigui. Sapor radicis & foliorum amarus.

C. Bauhinus Armerium ſimplici flore Pannonicum *Cluſ.* huc refert, cujus differentiæ quinque: 1. Eleganti eſt flore, eóque aut plane rubro aut lactei candoris maculis aſperſo, aut niveo oris carnei coloris. 2. Omnino niveo. 3. Flores pauciores, dilutiùs rubentes, & carnei coloris. 4. Flos purpuraſcens oris albis. 5. Flores die primo & ſecundo quo aperti ſunt lactei prorſus candoris, ſequentibus paulatim albedine evaneſcente, tandem omnino purpuraſcunt, ſic ut in eadem umbella flores lacteos, alios exalbidos & media ex parte purpuraſcentes, alios omnino purpureos conſpicere liceat.

Mihi equidem videtur Armerium hunc ſimplici flore Pannonicum *Cluſ.* præcedenti Armerio latifolio eundem eſſe ob florum conformitatem, qui in hoc uti in Armerio latifolio umbellatim naſcuntur & eodem modo colore variant, quamvis minùs rectè pingatur folio nimis anguſto. Hinc & Armerium pleno flore Cluſii ſuperioris ſpeciem ſeu varietatem eſſe oportet.

Cæterum & Armerius hoc in loco è J. Bauhino deſcriptus floris colore albo variat, quæ varietas Parkinſono deſcribitur ſub titulo *Armerii anguſtifolii albi ſimplicis*; Utraque etiam varietas flore pleno reperitur ſeu potiùs duplici, quæ *Armerius anguſtifolius duplex* Park.

A. 4. *Armeria ſylveſtris altera calyculo foliolis faſtigiatis cincto* Lob. *Caryophyllus pratenſis* Ger. *pratenſis noſter major & minor* Park. *Viola barbata anguſtifolia Dalechampii* J.B. *Caryophyllus barbatus ſylveſt.* C. B. **Deptford Pink.**

E *radice* alba, lignoſa, ſimplici, fibellis innumeris tenuiſſimis capillata *caules* exeunt plures, tenues, teretes, ſatis firmi & rigidi, obſcurè virentes, imâ parte glabri, ſummâ brevi admodum & vix conſpicua lanugine hirſuti, nodoſi, longis internodiis, in ſpontanea nón multùm palmum excedentes, in culta cubitales & altiores. *Folia* ad nodos bina adverſa, anguſta, oblonga, acuta & velut graminea, caulibus adnaſcuntur. *Caules* ad nodos in ramos frequentes divaricantur, in quorum extremis *caliculi* plerunque plures conferti, nullâ tamen umbellæ formâ, pediculis brevibus aut nullis inſidentes, cylindracei, tenues, unciali longitudine, ſtriati, foliolis binis anguſtis, acuminatis, æqualibus aut etiam longioribus obvallati; è quibus *floſculi* emicant parvi, pulchrè rubentes, petalis anguſtioribus, quorum latera flore expanſo ſe mutuo non contingunt, minùs obtuſis quàm in aliis Armeriis, per extremum ſubrotundis, & unâ alterâve crenâ inciſis, punctulis ſaturatioribus circa umbilicum aſperſis, quibus in vaſculis oblongis cylindraceis, quæ ſumma parte per maturitatem in quatuor denticulos aperiuntur, ſuccedunt *ſemina* parva, anguloſa, nigra. *Folia* quæ primo à ſatione anno è radice exeunt latiora multo ſunt & ferè unciam dimidiam excedunt, æquæ propemodum latitudinis ab exortu ad extremum, quod ſubrotundum eſt, duos plus digitos longa, obſcurè viridia, glabra, nullis præter coſtam mediam nervis conſpicuis.

Secundo à ſatione anno caulem edit, & poſtquam ſemen perfecerit radicitus exareſcit.

In pratis & paſcuis plurimis locis invenitur, ſolo præſertim arenoſo aut glareoſo, æſtate floret. *Locus & Tempus.*

CAP. II.

De Lychnide.

LYchnidis nomen accepiſſe contendunt hanc herbam παρὰ τὸ λύειν νύχος ἤγουν σκότος, quod *tenebras ſolvat:* Vel quòd tomentoſis ejus foliis Veteres ad lucernarum uſum pro ellychniis uterentur. Antiquitus enim Goſſipii copia non dabatur, ejus ergo vicem quarundam herbarum folia, ut Verbaſci & Lychnidis, præſtabant. Placet aliis nomen Lychnidis huic datum, non à frondium tomento, ſed à flammeo rutilantéque floris colore: Lychnis ergo quaſi lucidus luculentúſque flos. *Jo. Bod. à Stapel*, qui & alia adfert.

Lychnidis notæ ſunt Calyx floris integer, ſtriatus plerunque & tumidior: Vaſculum ſeminale plurimùm, pyriforme, interdum tamen oblongum & propemodum cylindraceum, ſummâ parte per maturitatem ſe aperiente in oras dentatas, ſeminibus turgidioribus, non latis, compreſſis & rugoſis, ut in Caryophyllis, in medio ſitis ea ambiente undique & protegente vaſculo.

Florum petala in Lychnidibus ſæpiſſimè bifida ſunt, raro integra, rariſſimè laciniata, nunquam, quod ſciam, in margine crenata, quo à Caryophyllorum diſtinguuntur.

§. 1. *Lychnides umbellatæ.*

1. *Lychnis hirſuta flore coccineo major* C. B. *Lych. Chalcedonica flore ſimplici miniato* Park. *Lychnis Chalcedonica* Ger. *Flos Conſtantinopolitanus miniatus, albus, & varius* J. B. **Noneſuch, or flower of Conſtantinople.**

J. B.

Numeroſis fibris craſſioribus, & in alias ſubdiviſis, radicatur, guſtu ſubacri: *caules* tollens bicubitales interdum & altiores, aliàs cubitales, pro ratione ſoli aut loci in quo oritur, teretes, hirtos, inanes, crebris geniculis interceptos: ad quorum ſingula bina *folia* conjugatim, alternante conjugiorum ſitu, adnaſcuntur, pediculo nullo, ſed latiore baſi caulem amplectentia, Lychnidis ſylveſtris æmula, verùm nigriora, rigidiora, magiſque aſpera lanugine obſita; priora cum Armeriis magnam ſimilitudinem habentia, guſtu acri. *Flores* in caule ſummo & ramulorum extremis umbellam deformant, odore ſuavi quanquam obſcuro, ſed colore perquam amœno miniato aut cinnabaris factitii, interdum carneo aut albo, petalis oblongis biſulcis, utrinque cis medium alatis, & ad exortum binis appendicibus incumbentibus auctis, ſic ut integrum & explicatum petalum Papilionem occultato corpore exprimere poſſe videatur: inter hæc *ſtamina* purpuraſcentia *apiculos* violaceos ſuſtinent. Emicat autem flos ex *calyce* oblongo hirſuto, viridante, *vaſculum* oblongum occultante *ſemine* ſubruffo repletum.

Varietates. Flos colore variat, albo, carneo, variegato: petalorum etiam multiplici ſerie.

Locus & Tempus. Peregrinus eſt flos: ſeritur in hortis ſemine è Conſtantinopoli advecto. Junio & Julio altero à ſatione anno floret, deinde pluribus ſequentibus. *Radice* enim conſtat vivaci, diùque durat, hyemis & frigoris patiens.

Lychnis flore coccineo minor *C. B.* nobis incognita & ſuſpecta eſt. Solâ parvitate à præcedente differt.

2. *Lychnis Auriculæ Urſi facie* C. B. *Lychnis ſylv. latifolia Cluſii, ſive Muſcipula Cretica Auriculæ urſi facie Cretica* J. B. *Lych. ſylv. latifolia Cluſii* Ger. emac.

C. B. prod.

Radice eſt alba, longa, & fibroſa, *foliis* ad radicem pluribus, etiam viginti numero, per terram ſparſis, incanis, lanuginoſis, Auriculæ urſi flore luteo foliis formâ & craſſitie ſimilibus, uncias tres etiam quatuor longis: quæ ex longiſſimo & latiuſculo pediculo ſenſim rotundam figuram acquirunt, & rariùs unguem latitudine ſuperant. *Caulem* ſecundo à ſatione anno producit, ſeſquicubitalem & altiorem, ramoſum, rotundum, hirſutum, firmum, in ſummo lento ſucco glutinoſum. *Flores* ex viridi flaveſcentes, plures quaſi in umbella congeſti, quinquefolii & bifidi, ſatis tamen exigui pro plantæ magnitudine, quibus *vaſcula* parva ſemen minutum nigricans continentia ſuccedunt.

3. *Lychnis viſcaria maxima Cretica* Alpini. *Viſcaria maxima Cretica Alpini* Park.

Plantam hanc præcedenti eandem eſſe ſuſpicor, quamvis nec deſcriptiones, nec icones per omnia conveniant. Alpinus diverſam eſſe contendit, quòd nimirum præcedens unicaulis ſit, at hæc multicaulis: quòd caulis illius ſit tres cubitos longus & ramoſus: hujus autem caules vix cubitum attollantur nullóſque ramos circumferant, iis exceptis in quibus flores producuntur: ampliùs illius folia pauca ſunt, & radix fibroſa, Primulæ veris perſimilis, hujus folia innumera ferè ſunt ſimul denſiſſimè ſtipata, & radix craſſa & longa, minimè fibroſa.

* 4. *Lychnis montana flore luteo globoſo. Bellis montana flore globoſo luteo* C. B. *Globularia lutea montana* Col. Park.

Col.

Radicem habet longam, pedalem, minimi digiti craſſitudine, craſſo cortice ex fuſco pallido tectam, medullâ intus lignoſâ, durâ; fibris multis circa foliorum exortum tenuibus, inferiùs rarioribus craſſis longioribúſque donatam: ſapore ſicco, odore gravi, acuto: *Folia* ad illam denſa (plura namque germina fundit), oblonga, *Globulariæ* ſimilia, digitali in ſummo latitudine majora, minora verò ſunt reliqua, lævia, elata, carnoſa, rigida, occultis nervis intra carnem & minimis extuberantibus, ſapore amaro cum acrimonia quadam: Inter quæ ex ſingulis propaginibus pedales exeunt juncei rotundi *caules*, aut majores parum, æqualiter craſſi, unico geniculo, binis foliis rectis adverſis cincto, ſupra mediam longitudinem intercepti, in quo purpuraſcunt. In ſummo verò ſunt *capita* orbiculata quatuor apicibus foliorum duorum contecta, quæ caule perforata videntur: quibus hiantibus copioſi *utriculi*, hirſuti, purpuraſcentes in globum compoſiti *flores* emittunt luteos, ſtellatos, odore Geniſtæ non ingrato, pentapetalos, cum decem intus *ſtaminibus* oblongis, & *ſtylo* craſſiuſculo, bicorni, pallente, & lato, *fructui* inſidente: qui intra florem adhuc latens, ovalis eſt, & tenerâ pelliculâ tegitur, ut *Semina* extuberare videantur, defluxis per maturitatem floribus hirſutus fit, atque utriculi modo apertus alium habet intra ſe duriorem; ovalem fructum parvum, Lychnidis modo, in quo *ſemina*, nigra, compreſſa, rotunda, ſed parum inciſurâ quâdam diviſa, quæ aperto in quatuor partes pericarpii ore vento excutiente decidunt.

Junio floret, Auguſto perficiuntur ſemina. Montium altiſſima juga ſupra Villam Flaminianum Æquicolis Marerii Comitatûs, loco *lo Serrone* dicto, quod eſt ſupercilium montis, incolit, loco herbido & plano; nec alibi invenit deſcriptionis autor F. Columna. *Tempus & Locus.*

Planta hæc inter Lychnidem & Caryophyllum ambigere videtur: calicibus florum hirſutis & pericarpiis ovalibus cum Lychnidibus convenit. Pericarpii ore in quatuor partes hiante, & ſeminibus compreſſis Caryophyllos æmulatur.

* 5. *Lychnidis Chalcedonicæ umbellâ Phlomos Lychnitis altera Syriaca* Lob. *Verbaſcum acuto Salviæ folio* C. B. *Verbaſcum Lychnites Syriacum incanum ſummitate Floris Hieroſolymitanæ* J. B. *Verbaſcum foliis Salviæ tenuifoliæ Syriacum* Park. *Phlomos Lychnitis Syriaca* Ger. emac.

Lob.

Hæc nova planta ſpecioſa differt à Verbaſco Monſpelienſi florum ortu & modo: ſunt enim Lychnidis ſylveſtris vel Chalcedonicæ, coloris flavi, *foliis* item anguſtis, & virgultis quadratis, tomento craſſo incanis, & radice lignea. *Lob.*

* 6. *Camara flore albo Braſilienſis* Marggr.

Marggr.

Caule lignoſo, duro, quadrato, hiſpido, in duorum aut trium pedum aſſurgit altitudinem, atque in multos expanditur ramos; partim etiam caules longi in terram procumbunt, ſerpentes cum ſuis ramis. *Folia* autem habet rugoſa, hirta & ad tactum dura, in ambitu ſerrata, ſplendentia, ſaturatè viridia, bina ſemper ſibi invicem oppoſita, & ad exortum ramorum ſparſim. In extremitate autem ramorum & ſummitate caulis umbellatim proveniunt *floſculi* parvi, inſtar florum Lychnidis Chalcedonicæ, coloris candidi, ſc. lactei, ſuavis odoris. Tota planta odorem habet ferè inſtar Menthaſtri.

Ad hoc genus pertinet Muſcipula Lobelii Ben rubrum dicta, verùm ob caules infra genicula admodum viſcoſos, ac ſi glutine perfuſi eſſent, eam Lychnidibus viſcoſis annumeravimus.

* 7. *Lychnis umbellifera montana Helvetica* Ja. Zanoni. *An Lychnis coronaria ſylv.* C. B? *Lych. coronaria rure nata* Ad. Lob?

Ex radice magnum ceſpitem foliorum per terram ſtratorum emittit, ejuſdem formæ cum Ocymoidis albi foliis, craſſiora tamen, duriora, cartilaginea, magna & villoſa, attamen viridia. Ex horum medio protruduntur *caules* plurimi, villoſi itidem, quadrati, albi, in medio cavi, nodis ſeu geniculis exceptis, quæ rarò diſponuntur & craſſeſcunt, ex quorum ſingulis exeunt bina *folia*, ex oppoſito diſpoſita, nunc à dextris & ſiniſtris, nunc ante & retro, ut cernitur in plantis omnibus caule quadrato donatis. In ſummis caulium ramis naſcuntur plurimi *flores*, umbellatim diſpoſiti, ſinguli quinis petalis rubentibus, cordatis ſeu biſulcis conſtantes; in quorum medio exit *ſtylus* ejuſdem coloris: Flores, inquam, in capitulum congeſti, pulchri aſpectui cernuntur. Hiſce evanidis ſuccedunt capſulæ ſimul junctæ, oblongæ, ſulcatæ exteriùs, & virides, uſque ad numerum denarium: capſula interior cartilaginea, ſuperiùs quinque criſtatis denticulis donatur, unà cum foramine, ex quo decidunt *ſemina* ſubruffa, paululum plana cum parvis protuberantiis.

Floret Maio: ſemina perficit Julio & Auguſto. *Tempus.*

Hæc fortè eſt quam Geſnerus in Rhætiæ Alpibus flore hortenſi odoratiore reperiri ait.

§. 2. *Lychnides ſativæ & ſylveſtres minùs viſcoſæ.*

1. *Lychnis coronaria vulgo* J. B. *vulgaris* Park. *Dioſc. ſativa* C. B. *alba & rubra* Ger. **Garden Campions, or Roſe-Campion.**

Ex *radice* ſimplici multùm fibroſa plures exeunt *caules* cubitales & altiores, teretes, tomentoſa lanugine incani, in alas aliquot diviſi; *foliis* veſtiti per intervalla ex adverſo binis, ad genicula caulem amplexis, lanugine denſa, molli & incana obſitis, tres aut quatuor digitos longis, ſeſquidigitum latis, in acumen deſinentibus; [quæ tamen ad radicem obtuſa ſunt.] *Flores* in ſummis caulibus & ramulis eodem fere modo diſpoſiti quo Ocymoidis vulgaris, obſcure rubentes, è *calicibus* oblongis, ſtriatis, quinque in ſingulis ſtriis eminentibus, ac ſi anguloſi eſſent, totidem minoribus interjectis. Florum *petala* ſubrotunda ſunt & versùs umbilicum ſtriata, & ad ipſum umbilicum duos

emittun

emittunt proceſſus denticulatos, ſatis rigidos, ſurſum erectos. *Vaſculum ſeminale* ſuccedit craſſum, ventricoſum, pyriforme, copioſo *ſemine* intus refertum ad modum Ocymoidis albi.

Flos colore albo & ex candido carneóque mixto variat.

Colitur in hortis multiplici petalorum ſerie inſignis.

Locus. In Italia paſſim provenit, ubi & flore albo medio incarnato interdum cernitur ſponte orta.

A. 2. *Lychnis ſylveſtris flore albo* Ger. emac. Park. *ſylv. alba ſimplex* C. B. *Ocymoides album multis* J. B. **Wild white Campion.**

J. B.

Perenni nititur *radice*, cubitorum duorum aut trium longitudine, interdum brachiali ferè craſſitudine, multifidâ, albâ, acri & ſubamara, quæ antequam è terra emergat in numeroſa capita pollicaris craſſitudinis aut minora, dodrantalia aut palmaria dividitur. [Apud nos tantam longitudinem aut craſſitiem non aſſequitur, in terram tamen profundè deſcendit.] *Caules* emittit crebros, cubitales & ſeſquicubitales vel etiam majores, teretes, hirſutos, inanes, geniculatos, ramoſos, propè terram rubentes: ad quorum ſingulas juncturas *folia* bina adverſa, acuminata, piloſa, duos aut tres digitos longa, ſeſquidigitum lata, nervis aliquot inſignioribus ſecundùm longitudinem excurrentibus, in acutos apices ſenſim anguſtata, per margines æqualia. *Flores* in ſummis caulibus, & ramulis ex alis foliorum exeuntibus, pediculis admodum brevibus, è calice oblongo, canaliculato ſtriis purpurantibus, turgidulo, albi, pentapetali; petalis in medio profundè fiſſis, latis, ſubrotundis. Circa centrum floris corolla quædam laciniata cernitur. Flori ſuccedit turbinatum, Nicotianæ æmulum, crenatum denticulatúmve [decem denticulis recurvis] dehiſcens vaſculum; in quo *ſemen* copioſum Hyoſcyami par, rotundum, compreſſum nonnihil, coloris cinerei.

Locus. In paſcuis & ad ſepes paſſim.

Flore pleno reperitur ob raritatem & elegantiam in hortis culta.

Vires. In liquore poſſeti decocta optimum eſt remedium in convulſione puerorum. D. Palmer ex relatione D. Hermans.

A. 3. *Lychnis ſylveſtris rubello flore* Ger. *ſylv. flore rubro* Park. *ſylv. ſive aquatica purpurea ſimplex* C. B. *Ocymoides purpureum multis* J. B. **Red-flowered wild Campion.**

Ex *radice* minimi digiti craſſitudine, alba, ſapore ſubacri & ſubamaro, fibris multis donata, *caules* emittit aliquot cubitales & bicubitales, geniculatos, hirſutos, concavos, nonnihil ſubinde rubentes. Ad quorum ſingula genicula *folia* bina oriuntur oppoſita, foliis Plantaginis aliquatenus ſimilia, oblonga, lata, acuta, tactu mollia, hirſuta. *Flores* ſimul aliquot in caulium ſummitate fert, inter folia ſimul junctos, ſed non ſimul ſe expandentes, è quinque petalis ſuaverubentibus, bipartitis compoſitos, *ſtamina* quinque alba, flore altiora ambientes, *calyce*, ſtriato, lanuginoſo, partim rubente, partim virente, pediculo brevi, villoſo, in quo ſeminis conceptaculum oblongum.

Locus. Ad ſepes & foſſas, inque ſylvis humidioribus paſſim invenitur.

Varietas. Flore pleno habetur, quæ ob ſpeciem & venuſtatem ab hortulanis noſtris colitur, nomine **Red Batchelors buttons.**

Datur & prolifera flore viridi, quam Lobelius Lychnidem agreſtem abortivam, multiplici viridi flore appellat, Camerarius ep. Matth. Ocymaſtrum flore pleno viridi.

A. 4. *Lychnis ſylv. hirſuta annua flore minore carneo* Moriſ.

Moriſ.

A priore differt, 1. Duratione: 2. Floris parvitate & colore carneo, quódque citò evaneſcat, cætera ſimilis, nec plura de eo habet. Videtur eſſe *Lychnis ſylveſtris annua anguſtifolia flore purpuraſcente noſtras*, quam *D. Dent* invenit inter ſegetes propè foſſam illam famoſam in agro Cantabrigienſi **The Devils ditch** dictum & *D. Newton* etiam alibi.

5. *Lychnis noctiflora* C. B. Park.* *Ocymoides non ſpecioſum* J. B. **Night-flowering Roſe-Campion.**

E *radice* alba, ſimplici [interdum multifida] ſatis craſſa, lignoſa, fibris aliquot capillata, non altè deſcendente *caulis* exurgit ſimplex, cubitalis & altior [in viridariis cultæ] teres, hirſutus, ſolidus, firmus, ramoſus: *foliis* ad nodos binis adverſo ſitu poſitis, Ocymoidis albi, atrovirentibus, hirſutis, acuminatis; imis latioribus, ſummis oblongis & anguſtis. Ramuli è foliorum ſinubus egrediuntur plerunque ſinguli alternatim, interdum bini oppoſiti, in faſtigio duos tréſve *flores* ſuſtinentes, pediculis uncialibus innixos è *calicibus* oblongis, villoſis, canaliculatis, æqualibus, Ocymoidis albi minores, parte ſupina albos, levi rubore tinctos, prona ex languido luteo palleſcentes, petalis bifidis, noctu expanſos; Sole illuceſcente flacceſcentes illico, petalis introrſum ſe convolventibus.

Flore præterito *vaſcula* ſeminalia intumeſcunt valdè, & pro plantæ modo grandiora evadunt quàm in reliquis pleriſque Lychnidibus, adeò ut interdum calycem diſrumpant, plerunque tamen calyx extenditur & extumeſcit ad pericarpii intus contenti modum; quod per maturitatem in ſex denticulos recurvos, aperto orificio *ſemen* effundit atro-purpureum, copioſum. Planta eſt annua. Summi caules & ramuli, ut & florum calices ad tactum viſcoſi ſunt.

Locus & Tempus. Provenit in agris circa *Boll* in Germania, & alibi. Floret Auguſto & Septembri. Flos æſtate noctu odorus eſt, Autumno inodorus.

A. 6. *Lychnis major noctiflora Dubrenſis* Newtoni.

E *radice* alba, ſimplici rectà in terram deſcendente, ſurculos aliquot tranſverſos obiter emittente, plura exeunt germina crebris foliis terram operientia, inter quæ multa in caules excreſcunt cubitales, & ſeſquicubitales aut altiores, medio erecto & ſurſum rigente, reliquis in ambitu terram verſùs reclinatis, teretes, firmos, medullâ farctos, brevi ſed tamen denſa lanugine hirſutos, geniculatos internodiis longioribus, ramoſos, ramulis brevioribus quàm in Ocymoide albo vulgari, quin potiùs ſurculis floriferis quam ramulis dicendis, binis ordine ad ſingula genicula, ab imò fere caule ad ſummum, ad quinque aut ſex paria in eodem caule. *Flores* in ſingulis ſurculis crebri, eodem ſitu quo in aliis Lychnidibus è calyce anguſto, ſtriato, oblongo, minore multò quàm in Ocymoide albo, minuſque hirſuto, ſtriis etiam minus rubentibus emicant, albi, minores quam in prædicto Ocymoide, petalis profundè ad ungues ferè fiſſis, ſegmentis quàm in illo multo anguſtioribus. Singula autem petala ad umbilicum duas habent appendices ſeu proceſſus acutos adnatos quæ quandam quaſi corollam efficiunt in medio flore, è quo exeunt quinque *ſtamina* prælonga, initio alba, poſtea purpuraſcentia, *apices* ſuſtinentia primò pallidos, deinde pariter purpurantes. Floribus ſuccedunt *vaſcula* ſeminalia turgidula, quæ calyces rumpunt, turbinata, ſeminibus copioſis, minutis, per maturitatem nigro-purpureis repleta. *Folia* lata, obtuſa, craſſiora & breviora quàm in Ocymoide albo, obſcuriùs viridia, nervis minùs conſpicuis.

Flos noctu aperitur, Sole illuceſcente contrahitur non tamen penitus marceſcit ſed nocte ſequente denuo ſe pandit.

Summitates caulium cum vaſculis ſeminalibus ad tactum nonnihil viſcidæ ſunt.

Maio menſe floret & ſemen brevi perficit: In clivis maritimis quibus inædificatur Arx Dubrenſis *Locus.*
obſervata eſt à D. Newton, à quo & ſemen ejus accepimus.

7. *Ocymoides repens* Park. *Lychnis vel Ocymoides repens montanum* C. B. *Lychnis montana repens* Ger. emac. *Saponaria minor quibuſdam* J. B.

J. B.

Radices habet craſſas, longas, multifidas, fibratas, in multa capita diviſas, molles, exteriùs nigras, intus albas: *Caules* per terram ſupini procumbunt, hirſuti, rubentes, geniculati, ramoſi: quorum nodis adnaſcuntur ex adverſo poſita *folia* bina, Polygoni aliquatenus figurâ, hirſuta. *Flores* purpuraſcentes, Saponariæ minores, ex *calice* oblongo, hirſuto, rubente, quinq; & petalis & *apicibus* in medio conſtantes.

Delectatur locis ad Meridiem ſitis, arenoſis, & collibus ad Rhodanum & Arve fluvios Genevæ: *Locus.*
in Italia etiam obſervavimus inter Maſſam & Lucam.

* 8. *Lychnis Cretica anguſtifolia* Park. *hirſuta anguſtifolia Cretica* C. B. *Ocymoides flore rubro minus Creticum* J. B. *ſylv.* 7. Cluſ.

Cluſ. J. B.

Statim à radice in multos ramulos palmares vel etiam minores dividitur, teretes, tenues, geniculatos, hirſutos. [J. Bauhinus cauliculos plures, pedales ex radice pullulare ſcribit.] *Folia* ad ſingulos nodos enaſcuntur bina contrario exortu, exigua, craſſiuſcula, villis quodammodo tecta oblonga, mucrone obtuſo. Singuli rami ſuſtinent membranaceum *calyculum*, ſtriatum, lanugine obſitum, infima parte anguſtiorem, ſuperna laxiorem, è quo exilit *flos*, quinq; foliis conſtans, in ſummo bifidis, coloris initio rubelli, deinde leviter candicantis; in quo *ſtaminula* aliquot flaveſcentibus apicibus prædita. Flori ſuccedunt capitula *ſemen* continentia ſimile Lychnidis hortenſis ſemini. *Radix* tenuis, in varios ramos divaricata, non tamen vivax.

9. *Lychnis parva, flore rubello è calyce oblongo anguſto, Meſſanenſis.*

Ab aliis ſpeciebus diſtinguitur *calyce* floris prælongo & tenui; *flore* pulchrè rubello, ejúſque petalis in medio profundè ad unguem ferè fiſſis, quemadmodum in Alſine majore aut Gramine leucanthemo, &c.

Juxta Meſſanam in primo montium aſcenſu hanc obſervavimus. *Locus.*

Superiùs proximè deſcriptæ ſimilis eſt; non tamen eadem.

* 10. *Lychnis ſylveſtris hirta* Lob. *ſylv. hirta* 5. *Cluſii* Ger. *ſylv. hirſuta major* Park. *ſylv. lanugine caneſcens flo. majuſculo rubeſcente, Cluſio* 5. *J. B. ſylv. lanuginoſa major* C. B.

Cluſ.

Multos *caules* ex una radice profert rotundos, longiuſculos, cæteris infirmiores, in terram procumbentes, geniculatos: *folia* in ſingulis geniculis bina, longa, mollia, & lanugine quadam caneſcentia, inter quæ *flores* alternatim ſecundùm ramulorum longitudinem enaſcuntur, ſuperioribus formâ ſimiles ſed majores & dilutiore colore rubeſcentes, vel ut ità dicam, incarnati. *Semen* in vaſculis ſuperioribus par, ſubruffum. *Radix* craſſa & fibroſa, quæ tamen plerunque alterum annum non ſuperat.

11. *Lychnis ſylveſtris lanuginoſa minor* C B. Park. *ſylv.* 6. Cluſ. *Lychnis parva* J. B. *hirta minima* 6. *Cluſii* Ger.

Cluſ.

Cauliculo aſſurgit circiter palmum alto, geniculato, tenui, lanuginoſo: ad quorum ſingula internodia bina tenuia, longiuſcula, lanuginoſa *folia* naſcuntur. Alternatim ex ſingulis geniculis prodeunt flores parvi, purpurei coloris, pulcherrimo rubro mixti, longo lanuginoſóque caliculo incluſi. *Radix* tenuis eſt, lignoſa, fibrata.

Plantæ quam C. Bauhinus Joanni fratri Lychnidis parvæ titulo miſit folia infima propter terram ungue non multò longiora, at ſuperiora longiora & latiora paulò extiterunt, Polemonii petræi foliis ſimilia ſed minora, magis hirſuta. A caule medio ſummo tenus tenuia foliola & floſculi alternatim conſcendunt, oblongi, tunicâ ſtriatâ, rubente longis pilis obſitâ involuti, &c.

Flores colore variant, purpureo, mixto ex albo & rubro, &c. Accedit ad lychnidem noſtram hirſutam flore eleganter variegato.

Locus. Præcedentem plantam in marginibus quorundam Caſtellæ agrorum invenit Cluſius: hanc, nonniſi in collibus Salmanticæ vicinis, inter ſaxa provenientem, atque utramque Maio florentem.

12. *Lychnis ſegetum meridionalium annua, hirta, floribus albis, uno verſu diſpoſitis* Moriſ. *An Lychnis ſylv. alba ſpicâ reflexâ* Botan.. Monſp.

Moriſ.

Caulem emittit pedalem, erectum, cujus ſingulis geniculis bina è regione adnaſcuntur *folia* anguſta, hirſuta: versùs cymas plurimos fert *flores* albos, quinque anguſtis petalis ad medium bifidis donatos, ſtellulaſque quaſi æmulantes, atque uno verſu diſpoſitos: quibus ſuccedunt *capſulæ* oblongæ, pericarpio exteriore hirſuto, capſulâ interiore cartilagineâ, continente in ſe *ſemina* minuta, ſubnigra.

Locus. Plantam à D. Moriſono deſcriptam & depictam circa Neapolin & Meſſanam invenimus.

Lychnidem ſuam albam ſylv. ſpicâ reflexâ *D. Magnol* ſic deſcribit.

Radix ei alba eſt & fibroſa; è qua *Cauliculus* oritur, [aliquando duo] ſeſquipalmaris. *Folia* circa radicem per terram ſparſa, Bellidi minori ſimilia ſunt, piloſa; quæ verò ad ſingulos cauliculi geniculos bina opponuntur anguſta & oblonga ſunt: In caulis ſummo oritur florum ſpica, quæ initio caudæ Scorpii modo recurva eſt, ſenſim tamen poſt floris lapſum erigitur, & utriculos producit aliarum Lychnidum more. *Flos* quinq; petalis albidis profundè bifidis conſtat, quæ cùm marceſcere incipiunt intro recurvantur. Planta eſt annua.

13. *Lychnis flore albo minimo.*

Folia huic anguſta, inferiora & quæ è *radice* exeunt tres uncias longa, vix unam lata; ſuperiora in caulibus ſenſim breviora & anguſtiora, ſupina facie raris pilis & longioribus, inferna ſeu pronâ crebrioribus & brevioribus hirta. *Caulis* cubitalis, teres, infirmus, hirſutus, inferiùs propè radicem rubens, geniculis ut in hoc genere ſatis crebris interceptus, foliis binis, ex anguſto principio ſenſim dilatatis, abſque pediculis adnatis, ad ſingulos nodos cinctus, in mucronem tandem contractis. E foliorum ſuperiorum ſinubus exeunt *flores* ſingulatim & alternatim, brevibus pediculis, inferioribus vix ſemuncialibus, è calycibus longis pilis hirtis, ſtriatis ut aliarum congenerum, perexigui, pentapetali, petalis anguſtis, & in extremo vix bifidis, tenuibus, fugacibus & rarò expanſis, marginibus introrſum flexis, albi plerunq; interdum tamen purpuraſcentes in eadem planta. Coma & vaſcula ſeminalia, ut in pleriſq; aliis Lychnidibus humorem quendam viſcoſum exudant, quo ſtringentium digitis adhæreſcunt. Folia figura ſua Armeriæ pratenſis dictæ folia æmulantur.

Ex ſemine ab eruditiſſimo & amiciſſimo Viro D. Hanſio Sloane ad me tranſmiſſo enata eſt. Unde aut à quo illud ſemen habuit non adſcripſit.

14. *Lychnis ſylveſtris, pluribus foliis ſimul junctis* C. B. *L. ſylv. anguſtifolia* Park. *ſylv. foliis anguſtis & pluribus è geniculis ſingulis Cluſio* 1. *in Hiſp.* 8. *in poſt. hiſt.* J. B. *ſylv.* 8. *Cluſii* Ger.

Cluſ.

Geniculatos habet *caules*, tenues, in plures alas diviſos, pedales aut majores: *folia* in ſingulis geniculis bina ternáve, interdum plura, anguſtiora quàm reliquorum, viridis candido perfuſi & quaſi cæſii coloris. *Flores* in ſummis ramulis naſcentes, quinis foliis bifido mucrone præditis conſtantes, interna parte candidos, externa aliquantulum purpuraſcentes, & antequam omnino tabeſcant ſeſe contrahentes & circumvolventes: *calyces* admodum duros, breves, ſubrotundos, *ſemen* parvum, rotundum Papaveris rhœados continentes: *radicem* ſatis craſſam, albam, multifidam, altero anno pereuntem.

Locus. Non modò in cæduis ſylvis, ſed etiam ad reſtibilium agrorum margines naſcitur per univerſam Auſtriam, infra Aniſum, Moraviam, Bohemiam, Pannoniam, ultraque Muram & Dravum; abundè etiam ſylvis Francofurto vicinis. Ubi adolevit lento quodam & glutinoſo humore, ſuperiore parte illita videtur.

Lychnidis cujuſdam verbo meminit C. Bauhinus, quam flore obſoleto Autumnalem calyculis turgidis vocat, nulla addita deſcriptione aut Synonymis.

* 15. *Lychnis ſylveſtris hirſuta perennis foliis Cochleariæ Britannicæ, flore amplo Saponariæ,* Moriſ.

Moriſ.

Caulibus eſt hæc ſeſquipedalibus aut pedalibus, partim humi procumbentibus, partim erectis, geniculis craſſioribus: quibus adnaſcuntur *folia* oblonga, hirſuta, forma Cochleariæ Britannicæ: in ſummis caulibus conſpiciuntur *flores* ampli, Saponariæ florum æmuli, quibus ſingulis deciduis ſuccedunt capſulæ pares continentes paria ſemina [Lychnidi ſylv. albæ]

De tempore florendi nihil habet.

* 16. *Lychnis Chalepenſis annua, foliis parum hirtis & anguſtis, floſculis carneis, pediculis infirmis biuncialibus inſiſtentibus, capſulis ferè rotundis,* Moriſ.

Moriſ.
A longitudine pediculorum, ſcilicet biuncialium, è quibus dependent flores & capſulæ ſeminales iis ſuccedentes notu facilis eſt à cæteris ſuæ ſortis.

Hæc & præcedens ex ſeminibus Chalepo uſq; à D. Rob. Huntington miſſis enatæ ſunt in Horto Botanico Academiæ Oxonienſis.

Plantam hanc, ſi modò rectè picta ſit, ad Alſines genus potiùs quàm ad Lychnidis pertinere puto, ob calycem in ſegmenta diviſum, & ad modum floris expanſum.

* 17. *Lychnis glabra annua, foliis oblongis mucronatis flore amplo rubello, capſulâ oblongâ pyramidali* Moriſ.

Moriſ.
Florem gerit amplum, eleganter rubellum, cui ſuccedit capſula verſus fundum craſſa ſatis, in longum acumen deſinens pyramidis in modum.

18. *Lychnis erecta parva, flore rubello, folio longo anguſto.*

Inter ſegetes Lini invenimus Aprili menſe florentem, medio circiter itinera inter Maſſam & Lucam. *Locus.*

19. *Lychnis hirſuta flore eleganter variegato. An Lychnis Hiſpanica viſcoſa minor hirſuta, floribus maculis ſanguineis notatis* Hort. Leyd.

E *radice* alba, ſimplici, rectà in terram deſcendente paucis fibris donatâ *caules* ſurrigit plures, interdum unicum, pedales, teretes, ſolidos, ab imo ſtatim ramoſos, hirſutos, infirmos, fragiles. *Folia* in caulibus per intervalla ex adverſo bina, ab anguſto principio ſenſim dilatata, duos circiter digitos longa, medium digitum lata; ſuperiora in caule anguſtiora, mucronibus acutis, utrinq; hirſuta. Summi caules & ramuli ad tactum viſcidi & pingues, floribus ex alis foliorum ſingulatim exeuntibus alterno ordine, pediculis admodum brevibus inſidentibus, onuſti. *Flores* è calicibus oblongis ſtriatis rubentibus exeunt amœni, quinq; foliis ſubrotundis non crenatis, medio purpurantibus, circum oras albis compoſiti. Delapſis floribus *calices* ſtriati in ventres utrinq; turbinatos extumeſcunt Vaſcula ſeminalia occultantes glabra, turbinata, *ſeminibus* exiguis purpurantibus repleta.

Æſtate floret & ſemine ad maturitatem perducto radicitus interit: ſemine deciduo ſequenti vere *Tempus.* ſe renovans in hortulo noſtro: non rarò etiam Autumno è ſemine deciduo oritur, & per totam hyemem viret, & ſequenti vere in cubitalem altitudinem aſſurgit.

20. *Lychnis minima rigida Cherleri* J. B.

J. B.
Rigidula eſt planta, duûm triúmve unciarum altitudine, rarò palmum attingit, *coliculis* duris rigidis, ramoſis. *Folia* ad nodos bina oppoſita, ſemuncia breviora, peranguſta, piloſa: è quorum alis naſcuntur *calices ſemiunciales*, perquam graciles, æquabiles, hirti & aſperi: è quorum apice *floſculus* proſilit, quem præ exiguitate vix viſus capit, purpureus. *Radix* dura, lignoſa.

In collibus prope Florentiam nobis obſervata eſt, Cherlero propè Nemauſum juxta molendinum. *Locus.*

21. *Lychnis ſylveſtris calyculis ſtriatis* Park. *calyc. ſtriatis* 2. *Cluſii* Ger. *ſylv. latifolia calyculis turgidis ſtriatis* C. B. *Muſcipula major calyce turgido ventrioſo* J. B.

J. B.
Cubitalem emittit *caulem*, rectum, ſtatim à radice ramoſum, craſſiuſculum, hirſutum, ſtriatum, fragilem *Folia* Ocymoidis non ſpecioſi, hirſuta, mollia. Ex ramorum divaricationibus, foliorum ſinu ramíſque extremis *flores* ex pediculo ſatis longo appenſi, quinq; petalis bifidis purpuraſcentibus, orto Sole flacceſcentibus conſtant *apicibus* in medio albis, ex *calyce* oblongo, hirſuto, pulchrè ſtriato, quem in immenſum diſtendunt ſeminum *vaſcula*, è lata ſeſſilíque baſe ventrioſa, in mucronem deſinentia, *ſemen* continentia pulchrum, nonnihil ad papaverinum accedens, ſed majus, compreſſum, ſtriatum, cinereum. *Radix* robuſta eſt, recta, ex lateribus fibras producens. Tota planta ad tactum viſcoſa: foliorum ſapor glutinoſus. Herba eſt annua.

In Germaniæ paſcuis & agris ſecus Rhenum copioſè provenit. *Locus.*

22. *Lychnis ſylveſtris anguſtifolia calyculis turgidis ſtriatis* C. B. *Muſcipulæ majori calyce ventrioſo ſimilis* J. B. *ſylv. incana calyculis ſtriatis* Park. *ſylv. incana Lobelii* Ger. *præcedentis eſt varietas.*

J. B.
Multum ſimilitudinis habet hæc herba cum præcedenti: *radix* alba, craſſiuſcula, paucis fibris donata: *caules* craſſiuſculi, rigidi, pedales, purpuraſcentes, geniculati: Ad genicula *folia* bina caulem amplectentia, ſuperiora unciam longa, anguſta, hirſuta, candicantia: caulium ſupremæ partes dividuntur potiſſimùm in ternos breves ramulos, in quorum extremis *calyces* turgentes, magni, breviores multò quàm in præcedente; in iis *vaſcula* breviora; tunicis diviſa, *ſemina* Papaveris modo parva cinerea continentia. Hæc ex ſicca.

Monſpelii ſecus vias obſervavit Cherlerus. *Locus.*

Hæc, autore D. Magnol qui vidit ſponte ortam in loco à Cherlero deſignato, præcedentis variatio tantùm cenſeri debet.

§. 3. *Lychnis calyculis, ceu utriculis, membranaceis, laxis & velut inflatis.*

1. *Lychnis ſylveſtris quæ Ben album vulgo* C. B. *Behen album Offic.* Ger. *Been album Officinarum* J. B. *Papaver ſpumeum ſive Ben album vulgo* Park. **Spatling Poppy.**

J. B.

Lignoſa *radix*, craſſa & alba, *caules* emittit cubitum & ſeſquicubitum altos, tenues, teretes, læves, geniculatos, in alas circa ſummum diviſos: Ad ſingulos articulos *folia* bina oppoſita naſcuntur, Lychnidis formâ, ſed penitus glabra, cum dulcedine quadam acria affatim & ſubamara. *Flores* ex laxis utriculorum inſtar habentibus calycibus, quinquepartitis, rubro herbidóque & albo verſicoloribus, glabris parum prominent, vel albi, vel ex albo purpuraſcentes, quinq; foliis bifidis conſtantes, *ſtaminibus* purpuraſcentibus medium occupantibus. *Calyces* poſtea pericarpia continent Lychnidis *ſemine* plena.

Locus. In paſcuis & inter ſegetes frequens oritur.

Hæc planta foliis eſt plurimùm glabris, nonnunquam tamen hirſutis; ſtaminum quoq; apicibus plerunq; albis, interdum purpureis reperitur.

In horto medico Lugduno-Batavo has invenio varietates.

1. Lychnis ſeu Papaver ſpumeum flore pleno. N. D.
2. Lych. montana ſeu Pap. ſpumeum flo. albo: item flo. ex albo obſoleto.
3. Lych. hirſuta latifolia flo. albo ſeu Pap. ſpumeum.
4. Lych. ſylv. anguſtifolia, Ben album dicta.

2. *Lychnis fruteſcens myrtifolia, Ben albo ſimilis* C.B. *Ben albo Officinarum ſimilis; planta ſemper virens* J. B. *Lychnis ſylv. ſemper virens, ſive Ocymoides arboreum ſemper virens* Cluſ.

Cluſ.

Huic multi ab eadem radice prodeunt *ramuli*, palmares, craſſiuſculi, lignoſique quidem, ſed fragiles: in quibus naſcuntur bina ſemper adverſa inter ſe *folia*, Bellidis foliis non majora, ab imo paulatim in latum expanſo, ſed ſummo mucronata, viridia admodum & ſplendentia: è ſummis aliquot ramis alii enaſcuntur dodrantales aut pedales interdum ramuli, geniculati, graciles, binis inter ſe oppoſitis anguſtioribus foliis ad ſingula genicula donati, & ſummo in alas contrario ſitu utrinq; naſcentes diviſi: quibus inſident membranaceis pinguibus *calyculis* incluſi *flores*, quinque bifidis foliis conſtantes, coloris quodammodo carnei, è quorum medio terna gracilia incurváque prodeunt *ſtamina*. *Radix* candicat, paucíſque fibris prædita eſt, perennis tamen, Floret Junio.

Semine ex Italia miſſo Cluſio enata eſt.

Hanc *P. Boccone* ſub titulo *Saponariæ fruticeſcentis acutis foliis ex Sicilia* depingit & deſcribit: & circa Panormum & Agrigentum inter ſaxa ubique erumpere monet.

A. 3. *Lychnis maritima repens* C. B. *marina repens alba vel rubra* Park. *marina Anglica* Ger. *marina Anglicana* J. B. **Engliſh Sea Campian.**

J. B.

Præcedenti apprimè ſimilis eſt, ut haud à quoquam ità facilè diſcerni queat. Nam ut in illa bina quoque geniculis hærent *folia*, multò tamen minora, craſſiuſcula, glabra, glauca, per oras ceu pilis breviſſimis albis ſerrata: *Cauliculi* teretes, dodrantales & longiores, glabri, humi ſparſi: *Flores* ex turgidis folliculis prodeunt ſpecioſis, ſtriatis & Avellanam magnitudine ferè æquantibus, pauciores, foliis conſtantes quinque, bifidis, niveis, quàm in illo latioribus, & ità geminatis, ut flos plenus illius reſpectu videatur: in medio ſtamina totidem ſine apiculis, & plura quoque cum capitulis geminis ex fuſco luteolis: ſapor nullus inſignis. Ad hunc modum in horto Montbelgard. ſatam atq; cultam deſcripſit J. Bauhinus: in ſpontanea florum petala non adeò lata ſunt & geminata. Obſervavimus interdum cum foliis præſertim primulum erumpentibus tomento candido hirſutis.

Locus. In toto litore Meridionali Angliæ inter ſilices & Braſſicas marinas, quà ferè undæ alluunt enaſci & nos cum Lobelio obſervavimus; verùm non in Meridionali tantùm ſed & in Occidentali, ut Lancaſtrenſi, &c.

Quæ de ſtaminibus habet J. Bauhinus illius fide tradimus: nobis enim non obſervata ſunt. An ſpecie revera differat à Ben albo vulgari mihi nondum planè conſtare fateor.

§. 4. *Lychnis ſegetum.*

A. 1. *Lychnis ſegetum major* C. B. *L. ſive Lychnoides ſegetum & Nigellaſtrum* Park. *Pſeudomelanthium* Ger. J. B. **Cockle.**

Simplici & albâ *radiculâ* nititur. *Folia* ei in caule oppoſita, anguſta, longa, per margines æqualia, latâ baſi caulem amplexa, & in acutum mucronem ſenſim deſinentia, longis albicantibus pilis hirſuta & incana. *Caules* teretes, hirſuti, cubitales & altiores, geniculati, inanes, in ramos aliquot diviſi, in ſummitate geſtantes *flores* pentapetalos petalis bifidis, purpureos, circa umbilicum ſaturatioribus lineis ſtriatos cum punctulis in ſtriis nigricantibus, è calice oblongo, ſtriato, villoſo, in quinque oblonga ſegmenta, flore altiore diviſo. Succedit *vaſculum ſeminale* oblongum, glandis ferè figura; in quinque partes per maturitatem dehiſcens, ſemina magna, anguloſa, ſtriata, per maturitatem nigra, ſapore amaro in ſe continens.

Inter ſegetes paſſim obſervatur Maio & Junio menſibus florens. *Locus.*

Hujus ſemen microſcopio inſpectum Echinum in ſe conglobatum non malè exprimit.

Quidam Folii facultates huic herbæ tribuunt, & hinc mirificè eam commendant in ſanandis impetiginibus, aliíſque ſcabiei generibus: item vulneribus glutinandis, ac fiſtulis curandis, compeſcendóque ſanguine utilem eſſe tradunt. *Fuchſ.* quæ ut incerta in medio relinquimus. *Vires.*

Radicem Nigellaſtri in ſiſtenda hæmorrhagia à D. Sennerto recordor commendatam fuiſſe diſcipulis ſuis, cujus uſus eſt, ut linguæ ſubdita ægri ore aliquandiu detineatur. Hujus radicis ſtupendam vim expertus fui in hæmorrhagiis epidemicis per Daniam ſævientibus, adeò ut me magum aut Dæmonem nonnulli ſuſpicarentur. *S. Paul.* Quadrip. Botan. Claſſ. 2. p. 93.

2. *Pſeudomelanthium glabrum Siculum. Lychnis foliis glabris, calice duriore* Bocconi.

Radix ei alba, lignoſa, unde plantam annuam eſſe colligimus. *Caulis* nunc ſimplex, nunc multiplex, teres, gracilis, lævis, pedalis aut cubitalis, ab imo ſtatim ramoſus, magis minúſve pro ratione ſoli in quo creſcit, nodoſus. *Folia* ad nodos ex adverſo bina, longa, anguſta, acuminata, Graminis leucanthemi foliis nonnihil ſimilia, raris pilis hirſuta. *Flores* in caulis & ramulorum faſtigio pediculis longis inſident, ut in Pſeudomelanthio, pentapetali, pallidè purpurei, Pſeudomelanthii dicti ſimiles, circa umbilicum velut calycem quendam habentes è foliolis ſeu petalorum appendicibus quinque, ſurrectis, bifidis compoſitum, ut in Lychnide coronaria. *Calix* floris ſtriatus ſeu cannulatus Pſeudomelanthii inſtar. Succedit pericarpium oblongum, ſemine minuto fuſco prægnans.

In lateribus montium Meſſanæ imminentium, ínque agris ad promontoriolum *Punto Cerciolo* dictum non longè à *Puzallu* obſervavimus. *Locus.*

Huic eadem nobis videtur

Lychnis ſegetum, Nigellaſtrum minus glabrum dicta, flore eleganter rubello *Moriſ. hiſt.*

3. *Lychnis ſegetum rubra foliis Perfoliatæ* C. B. *Lych. ſeg. Vaccaria rubra dicta* Park. *Vaccaria* J.B. Ger. **Red Corn-campion, improperly called Cow-Baſil.**

Caule ſurgit ſingulari, cubitali & altiore, lævi, terete, concavo, glauco quodam polline, qui facilè detergi poteſt, obducto: qui ab imo ſtatim ramos emittit alternos, circa faſtigium in oppoſitos divaricatur, atque hi in alios, ſitu ſemper contrario. *Folia* ad caulis genicula bina ex adverſo naſcuntur, ex glauco pallentia, oblonga, acuminata, lata baſi abſque pediculis alis ſuis ita caulem amplectentia, ut ab eodem tranſadigi videantur. Ex ipſis divaricationum angulis exeunt pediculi prælongi *flores* ſuſtinentes, qui extremis etiam ramis inſident, parvi, dilutè rubentes, quinque foliolis bifidis compoſiti; paulum è calice prominentes, qui canaliculatus, glaber, pentagonus, angulis viridibus, cæteroqui pallet. *Pericarpium* eodem obvolvitur turbinatum, *ſemine* plenum rotundo, nigro, Sinapeos majore. *Radix* lignoſa, candida, recta, fibras è latere ſpargit.

Junio & Julio floret, & brevi ſemen perficit, quo perfecto radicitus exareſcit. *Tempus.*

Ob coloris, ut puto, ſimilitudinem *Iſatidis* ſpecies à nonnullis cenſetur, nam ad tingendum omnino inutilis eſt. *Vaccaria* dicta eſt quòd vaccæ eam libenter depaſcantur.

§. 5. *De Lychnide Saponaria dicta.*

Saponaria Recentioribus ab extergendi facultate dicta eſt hæc herba, quòd Saponis ritu pannos eluat purgétque: Struthium Veterum nonnullis creditur, quòd à verbo ϛρυθίζειν, id eſt, lanas purgare & candidas facere nomen accepit.

A. 1. *Saponaria Anglica convoluto folio* Park. *Sap. concava Anglica* C. B. *Gentiana folio convoluto* J. B. *Gentiana concava* Ger.
C. B. prod.

Planta eſt elegans, *radicibus* fuſcis, craſſis, longis, lentis, repentibus, fibrillis pauciſſimis adhærentibus: unde *caules* exurgunt cubitales, rotundi, ſtriati, glabri & albi, geniculis diſtincti, in terram reclinati & concavi, circa quos *folia* viridia, glabra, rotunda, nervoſa, uncias duas lata, paulò longiora, rariùs ex ſingulis geniculis bina, ſed ex quolibet geniculo unum tantùm, nullo certo ordine vel numero enaſcitur, quod antequam expandatur fiſtulæ inſtar caulem amplectitur. *Flores* in ſummo cauliculorum ex ſuperiorum foliorum ſinu, tenerrimis pedicellis ſubnixi, ex calyculis oblongis, nonnihil hiſpidis prodeunt, Saponariæ vulgaris formâ, ex quinque foliis per oras crenatis commiſſi, quo ab illius floribus differunt, qui colore albi ſunt, levi carneo colore aſperſo, in quorum medio ſtaminula quædam exigua. *Semen* non vidit *C. B.* at neque Parkinſonus, neque nos.

In ſpineto quodam prope *Lichbarrow* oppidum in Northamptoniæ agro eam invenit Joan. Gerardus: at in loco illo eam indagantibus hodie non comparet Nobis Luſus naturæ ſeu Saponaria quædam degener eſſe videtur.

A. 2. *Saponaria* Ger. *vulgaris* Park. J. B. *major lævis* C. B. **Sopewort.**

Radicibus tenuibus geniculatis cortice rubenti tectis ſub terra repit. *Caules* ſeſquicubitales & altiores, teretes, glabri, [J. Bauhino hirſuti] ſubrubentes, vix ſe ſuſtinentes, crebris geniculis intercepti, medullâ farcti. Folia ad genicula ex adverſo bina, plantagineis ſimiles [J. Bauhino Gentianæ cruciatæ] tribus nervis inſignioribus ſecundùm longitudinem decurrentibus, glabra, ſapore nitroſo, brevibus aut nullis pediculis. *Flores* in ſummis caulibus velut in umbellas digeſti, ſinguli breviſſimis pediculis nixi, e *calice* tenui, unciam longo, glabro [J. Bauhino hirſuto] non ſtriato, qui marceſcente flore in ventrem turgeſcit, pallidè rubentes ſeu carnei, odorati, petalis quinis compoſiti, nec laciniatis neque bifidis. Succedunt *ſemina* in *vaſculo* oblongo, circa medium craſſiore, parva, penè rotunda, compreſſa, ſpadicea.

Locus. Juxta torrentes, fluvios & ſtagna locis apricis & arenoſis ſponte naſcitur, florens Junio, Julio, Auguſto & Septembri, ut rectè J. Bauhinus.

Vires. In uſum medicum veniunt Folia ſed raro & radix. Saponariæ radix attenuat, aperit, ſudorifica eſt. Uſus in Aſthmate, utero & menſibus ciendis. Decoctum ejus in lue Venerea commendat Septalius: Extrinſecus ptarmica eſt, tumores ac præcipuè panos diſcutit. *Schrod.*

3. *Saponaria Lychnidis folio, floſculis albis* C. B. *Lanaria ſive Struthium Dioſcoridis Imperato* J. B.

Imper.

Ortus hujus plantæ ſimilis ferè eſt Saponariæ vulgaris aut Lychnidis. *Folia* Caryophylli, bina ex adverſo ſita, anguſta ſeſcuncialia: *Caules* cubitales valdè ramoſi & ad ramos anguloſi, tenuibus admodum ramulis, quorum extremis *floſculi* hærent pentapetali, albi, minimi. *Semina* minimis involucris continentur nigra, magnitudine grani Milii, ſaporis amariuſculi.

Locus. Nos in præruptis montium Meſſanæ imminentium invenimus. Imperato auctore provenit in Calabria & in regione Baſilicata, Regni Neapolitani provinciis, ubi Lanaria à paganis dicta eſt, quòd hujus radice ramiſque commodè utantur ad mundandas lanas.

Suſpicor hanc genuinam Lychnidis ſpeciem non eſſe.

Huic eadem nobis videtur, quamvis C. Bauhinus diſtinguat & ſeparet, Saponaria altera fruticoſior ex Sicilia, anguſtioribus foliis quaſi Oleæ Cæſalpino, lato ceſpite floribus diſtantibus.

§. 6. *Lychnis petalis laciniatis paluſtris.*

A. *Lychnis plumaria ſylveſtris ſimplex* Park. *Armerius pratenſis* Ger. *Flos cuculi, Odontis quibuſdam* J. B. *Caryophyllus pratenſis laciniato flore ſimplici ſive Flos cuculi* C. B. **Meadow-pink, Wild Williams, Cuckow-flower:** rectiùs **Meadow-campion.**

J. B.

Subinde reptante fibratâque *radice* ſe propagat; *caules* attollens cubitales & altiores, inanes, hirſutos, geniculatos, ſtriatos; in quibus folia ad genicula bina, ſtricta, oblonga, acuta, glabra, abſque pediculis. *Flores* Caryophylli ſuperbi dicti, rubente carneóve colore, eodem modo in ipſis angulis divaricationum caulium in ramos ſiti, quo Alſines vulgaris, pediculis longis inſidentes, fimbriati, apicibus cinereis, ex *calice* oblongo purpurante ſtriato & quaſi cannulato.

Locus. In pratis humidioribus & ad rivos ubique ferè cernitur.

Variat interdum floris colore albo. Habetur etiam in hortis flore multiplicato.

§. 7. *Lychnis viſcoſa.*

A. 1. *Lychnis ſylveſtris viſcoſa rubra anguſtifolia* C. B. Park. *Odontidi ſive Flori cuculi affinis Lychnis ſilveſtris, 1. Cluſii in Pannon. 4. in Hiſt. poſt.* J. B. *Muſcipula anguſtifolia* Ger. emac.

J. B.

Caulem tollit cubitalem, rectum, cavum, longis internodiis diſtinctum, tactu circa cacumen glutinoſum: ex ſingulis geniculis bina *folia* ex adverſo ſita. Floris cuculi, oblonga, acuminata, craſſiora, ſaturatiúſque virentia: ad eadem genicula à medio ferè caule ad ſummum faſtigium pediculi à foliorum ſinu exorti longi *flores* crebros ſuſtinent, pulchrè purpuraſcentes, quinis foliis conſtantes, Saponariæ floribus accedentes, ex calice oblongo. *Semen* ruffum ſequitur in vaſculis ex principio anguſto paulatim dilatatis. *Radix* craſſiuſcula, nigra, ſingulis annis novos eóſque numeroſiores caules profert.

Locus. In rupibus in vivario Edinburgenſi. In omnibus fere Pannoniæ & Auſtriæ inferioris cæduis ſylvis provenit (autore Cluſio) editiſque & herbidis locis. Floret Maio, ſemen Junio matureſcit. Cùm floret, flores multi ſimul aperti & elegantiſſimo colore rubro ad purpuram tendente rutilantes pulchram ſpeciem exhibent.

D. Lloyd eam invenit ad latera cujuſdam montis *Craig Wreidhin* dicti in comitatu Montis Gomerici in Walliâ, ut nos monuit D. *Tancredus Robinſon.*

2. *Lychnis viſcoſa purpurea latifolia lævis* C. B. *Muſcipula Lobelii* Ger. Park. *Centaurium minus adulterinum, quibuſdam Lychnidis viſcidæ genus* J. B. **Lobels Catchfly.**

Radice nititur albâ, lignoſâ, ſimplici, paucis fibris donatâ. *Caulis* plerunque ſingularis [interdum plures] altitudine pedali aut cubitali, tenues, teretes, rigidi, glabri, ramoſi, propè terram interdum rubeſcentes aliàs cæſii, geniculati. *Folia* ad genicula ex adverſo bina, latâ baſi caulem amplectuntur, & in acutum deſinunt mucronem, glabra, glauca, ſapore ferè oleraceo, magis nitroſo. *Flores* in ſummis caulibus & ramulis in umbellas quodammmodo diſponi videntur Centaurii minoris æmulas, ſuaverubentes: verùm ſi accuratiùs eos inſpicias obſervabis omnes in ramorum divaricationibus ſigillatim oriri, quomodo & Lychnidum aliarum & Alſines; è calice prælongo, ſtriato purpuraſcente exeuntes; quinque *petalis* obtuſis nonnihil bifidis compoſiti. Circa floris umbilicum ſingula petala duos proceſſus acutos recurvos obtinent. E medio flore *ſtaminula* aliquot exeunt cum *apici-*

bus purpureis. *Vaſcula ſeminalia* oblonga, & propè cylindracea, calice tamen duplo ferè breviora. Paulo infra genicula ſuperiora è caule exudat, humor quidam viſcoſus quo muſcæ capiuntur. *Semen* minutum ſubruffum, J. Bauhino cinereum. Vaſculum per maturitatem in quinque ſegmenta acuta ſumma parte finditur & aperitur.

Spontaneam invenit *D. Magnol* ſolummodo circa *Sumenes* ſub caſtaneis Junio & Julio menſibus florentem. *Botan. Monſp.* *Locus.*

* 3. *Lychnis viſcoſa rubra altera ſylv.* C. B. *Muſcipula viſcaria ſive Lychnidis ſpecies* J. B. *Lych. viſcaria ſive Muſcipula* Ger. *Lych. ſylv. rubra minor* Park.

J. B.

Crebris ſtatim à *radice* fruticat ramis, multis *caulem* ipſum cubitalem altitudine æquantibus, geniculatis, ſolidis, rotundis: per quos ad genicula naſcuntur *folia* adverſa, duobus plura, oblonga, acuminata, quibus latiora & obtuſiora ſunt infima, ad Bellidis accedentia, viridia, glabra. *Flores* tum extremis ramulorum, tum è foliorum ſinu prodeunt rubelli, ex *calyce* ſimili Polemonio petræo, oblongo, ſtriato, qui delapſis floribus à pericarpio & vaſculo in ventrem turgente diſtenditur, ſemine ſubnigro. *Radix* lignoſa, alba, multifida.

Sponte naſcitur in arvis inter ſegetes, pingui ſolo, autore Cluſio, pleriſque Caſtellæ veteris locis. *Locus & Tempus.* Floret à Maio uſque in Autumnum eodem quo ſata eſt anno, & ſuperveniente hyeme corrumpitur.

* 4. *Lychnis viſcoſa foliis lanuginoſis, floribus carneis* C. B. *Lych. ſylv. ſemine nata* 3. Cluſ. *Muſcipula Italica flore carneo* Park.

Cluſ.

Ex una radice tenui aliquot profert *caules*, tenues, nodoſos, quadam lanugine pubeſcentes: quibus ex adverſo ſemper inhærent bina lanuginoſa *folia.* Summis ramulis alternatim inter folia innaſcuntur caliculi tumidiuſculi, ſtriati & pubeſcentes, è quibus emergunt *floſculi* coloris ex albo pupuraſcentis ſive carnei, in quibus exilia ſtamina.

A. 5. *Lychnis montana viſcoſa alba latifolia* C. B. *ſylveſtris alba* 9. *Cluſii* Ger. *ſylv. alba minor ſeu Ocimoides minus album* Park. *Polemonium petræum Geſneri* J. B. **Wild white Catchfly.**

Radice nititur craſſiuſculâ, lignoſâ, albâ, ſimplici (interdum tamen ramoſa) profundè in terram deſcendente, fibris aliquot donata, in plurima capita diviſa; undè exorta *folia* plura denſo cæſpite terram opacant. *Folia* ſingularia hirſuta, atro-virentia, unciam circiter lata, tres, quatuórve uncias longa, figurâ foliorum Ocymoidis albi, ſed minora, pediculis longis carinatis ſtipata. *Caules* ex eadem radice plures cubitales, tenues, rotundi, hirſuti, foliis veſtiti ad ſingula genicula ex adverſo binis hirſutis oblongis, ſumma parte ex alis foliorum ramulos emittunt binos ſemper, inter ſe oppoſitos; quibus ut & ſummitati ipſius caulis innaſcuntur *flores* pediculis uncialibus aut brevioribus albi, evanidi, petalis bifidis, è *calice* rubenti ſtriato, ſtaminulis quinis calice longioribus. Succedit *vaſculum ſeminale* pyriforme, *ſemina* intus parva, pulla, reniformia continens. Pars caulis ſuperior humorem pinguem glutinoſum exudat, unde & *Muſcipula* dicitur. Junii menſis initio & Maii fine floret. Maturo ſemine vaſculum ſeminale ſumma ſui parte aperitur in ſex ſegmenta dentata.

Singula petala binas mucronatas appendiculas circa umbilicum obtinent.

In muris arcis Notinghamiæ provenit. Genevæ in muris ipſius urbis, inque montibus viciniis abun- *Locus.* dat: in Germaniæ quoque meridionali parte nuſquam non obvia eſt.

6. *Lychnis viſcoſa foliis brevi lanugine aſperſis* C. B. *viſcoſa flore albo Italica, ſive Muſcipula Italica alba* Park. *ſylv. Cluſio* 1. *è ſemina nata, folio lanuginoſo, floſculo niveo, viviradix Muſcipula Italorum* J. B.

Cluſ.

Cubitali aut ampliore *caule* excreſcit, nodoſo, bina *folia* alternatim ad ſingula genicula ſemper ex adverſo proferente, oblongiuſcula, extremo mucronata, è quorum alis exeunt tenues ramuli, lento quodam rore, ut extimus caulis, obliti, ſuſtinentes tenues, longiuſculos, ſtriatóſque *caliculos*, è quibus emergunt elegantes *floſculi*, prorſus nivei, quinque foliis, à ſummo mucrone orbiculari ad medium uſque per longitudinem ſectis conſtantes, in quibus decem *ſtamina* alba, tenuia, quorum quinque flore ſeſe explicante ſtatim conſpicua ſunt, & albicantibus apicibus prædita, alia demum exeunt contrahente ſe Milvinorum unguium inſtar flore. Duriora *capitula* floribus ſuccedunt, in quibus *ſemen* quale in reliquis. *Radix* multifida eſt, è qua ramuli enaſcuntur purpuraſcentes ferentes adverſa inter ſe folia, quâdam brevi lanugine aſperſa, quæque facilè propagari & pangi poſſunt.

7. *Lychnis viſcoſa floribus foris purpuraſcentibus, intus albis* C. B. *ſylv. Cluſio è ſemine nata, folio lanuginoſo,* 2. *flore foris ex fuligine purpuraſcente, intus albo viviradix* J. B. *Muſcipula altera purpuraſcens* Park.

Cluſ.

Huic brevior eſt *caulis* & cubito minor, rotundus, multis nodis cinctus, è viridi purpuraſcens. *Folia* paulò majora quàm in ſuperiore, non minùs tamen lanugine obſita: ex quorum alis exeunt ramuli, lento humore (quemadmodum & extimus caulis) obducti. Ex radice ſecundùm caulis latera enaſcuntur alii ramuli, frequentibus foliis prædíti, æqualibus ferè præcedentis foliis, omnino purpuraſcentes, qui non minùs quàm ſuperiores pangi poſſunt: Summo cauli & extremis ramulis, qui valdè purpuraſcunt, inſident ſtriati ex atro-purpuraſcentes *caliculi*, è quibus emergunt *floſculi*, petalis anguſtis per medium in longitudinem ſectis compoſiti, foris ex fuligine purpuraſcentes, internè albi, cum quinque longis *ſtaminulis*, extima parte craſſiuſculis & purpuraſcentibus, & totidem brevioribus in candidos apices deſinentibus. In reliquis cum præcedente convenit: & revera quicquid intercedit diſcriminis minoris eſt momenti quam ut ſpeciei diverſitatem arguat, noſtro judicio.

* 8. *Lychnis ſylveſtris peregrina, noctiflora odorata* Zanoni.

Zan.

E *radice* alba, longâ, raris fibris donatâ, ſubſtantiâ tenerâ, unum aut plures *foliorum* ceſpites emittit, Seſamoidis Salmantici magni *Cluſ.* perſimilium, niſi quòd paulo minora ſunt, craſſiora, ſolidiora, magis cartilaginea, glabra & undique lucida: [quæ è radice prima exeunt lata ſunt & extremo ſubrotunda] nervo medium percurrente elato, ſecundùm cujus ductum ſupinâ parte folia leniter ſulcata ſunt, alios laterales nervulos emittente, quæ ſuperiùs vix comparent. Folia iſthæc fimbria tenui tranſparente coloris argentei circumdata ſunt. Ex unoquoque foliorum ceſpite enaſcuntur *caules* multi, propè terram arcuati, deinde in directum ſurgentes, altitudine fere ulnæ [Bononienſis] calami ſcriptorii craſſitie, fragiles, colore viridi ſordido, glabri, viſcoſi, maximè prope nodos ſuperiores & æſtivo tempore, humore glutinoſo, è caule exudante, crebris geniculis intercepti, præcipuè terram verſùs, albicantibus, quamvis Autumno appetente rubeſcant, nodoſis adeò ut reliquum caulem craſſitie multum ſuperent. E quorum unoquoque *folia* exeunt bina oppoſita, caulem ſimul amplectentia, atque inſuper unus & interdum bini foliorum ceſpites, qui plantam folioſam & denſam efficiunt, è quibus ramuli egerminant foliis cincti ad nodos binis, & in folioſum ceſpitem deſinentes. Caules principales ſuprema parte *flores* producunt duos tréſve interdum ſimul in eodem communi, eóque brevi pediculo, aliàs ſingulares, è *calice* oblongo ſtriato ſeu cannulato, ſtriis viridibus, ſulcis albis, piloſo, quinque foliis compoſiti, contractis & unitis antequam aperiantur flavicantibus, quæ poſtquam explicantur candida evadunt, latis & ſubrotundis, extremo tamen bifido, ſeu crenâ in medio excavato: medium florem occupant *ſtamina* aliquot apicibus albis inſignia. Flos iſthic ſub veſperam & Solis occaſum ſe explicat, ſuaviſſimum, Gelſemini vulgaris ſatis ſimilem, minùs tamen acutum, odorem ſpirans. Manè ſequente, illuceſcente Sole, ſe iterum contrahit & occludit, nec amplius denuo aperitur. Florem excipit capſula Olivaris, viridis, *ſemen* claudens anguloſum, minutum, rufeſcens.

Tempus. Circa finem Junii floret, Auguſto & Septembri ſemen perficit.

A. 9. *Lychnis viſcoſa flore muſcoſo* C. B. *Seſamoides Salamanticum magnum* Ger. *Muſcipula Salamantica major* Park. *Muſcip. muſcoſo flore ſive Ocymoides Belliforme* J. B. **Spaniſh Catchfly.**

J. B.

Folia primùm pullulantia Bellidis folia vel potiùs Globulariæ referunt, ſatis denſa, fibroſa, obſcurè virentia, ſapore nullo inſigni; reliqua per *caules* anguſtiora oblongioráque conſpiciuntur, & ad genicula multò breviora & tenuiora enaſcentia. *Caules* pedales aut cubitales, in culta etiam duos cubitos ſæpe excedunt, teretes, hirſuti, inanes: à caulis medio ferè ad ſummum *flores* aliquo modo racemoſi, ex longiuſculis pediculis ſpicam longam mentiuntur, pluribus ad genicula ortis muſcariis, ſingulares autem parvi, ex luteo herbacei, pentapetali petalis parvis anguſtis, cum plurimis intus ſtaminulis prælongis, concoloribus, *calyculo* ſtriato inſidentes; quos *vaſcula* excipiunt turgidula, ſemine cinereo, Papaverino ferè ſimili, inſipido plena. *Radix* longa, mediocriter craſſa, alba. Tactu glutinoſa eſt herba, potiſſimùm circa ſuperiora.

Locus. Circa *Newmarket* locis glareoſis, & in campeſtribus eundo à Bartonæ molendinis ad Thetfordam Norfolciæ oppidum provenit. Cluſius lapidoſo & arido ſolo circa Salmanticam obſervavit.

10. *Lychnis ſylveſtris minima flore muſcoſo* Botan. Monſ.

Magnol.

Primo vere *folia* producit Caryophylli ſylveſtris proliferi æmula: *Caulis* eſt pedalis, tenuis, in alios tenuiſſimos ſubdiviſus, in quorum ſummitate *capitula* producuntur, ex quibus tantùm *ſtamina* viridia cum apicibus, ſicut in viſcoſo flore muſcoſo exurgunt. *Semen* parvum fuſcum: Viſcida eſt planta, annuæ durationis.

Locus. In luco Gramuntio Julio & Auguſto menſibus occurrit.

Plantam hanc in ſylva Gramontia & agris vicinis invenimus, & in Catalogo plantarum tranſmarinarum *Lychnidem viſcoſam erectam annuam caryophylloidem* denominavimus. *Folia* ei anguſtiſſima erant & Caryophylleorum ſimilia: *Caules* tenues ſed tamen firmi, erecti. *Capitula* in ſummis caulibus & ramulis. *Florem* non vidimus, jam enim Auguſti menſis medio præterierat.

* 11. *Lychnis viſcoſa alba anguſtifolia major* C. B. *Lych. repens folio viridi, flore albo Cluſii* J. B. *ſylv.* 10. Cluſ. *Caryophyllus humilis flore candido amœno* Ger. emac.

Cluſ.

Singulis annis ex eadem radice novi prodeunt *cauliculi*, per terram ſparſi & ſubinde circa internodia radices agentes, deinde ſurſum denuo ſeſe erigentes palmari altitudine, geniculati, bina folia in ſingulis geniculis ex adverſo oppoſita ferentes, longiuſcula, anguſta, obtuſo mucrone, viridia, prominulo dorſo: *flores* in ſummis cauliculis & lateralibus ramulis elegantes, candidi, quinque laciniatis foliolis conſtantes, inodori: quibus ſuccedunt obtuſa *vaſcula*, exiguo, nigricante planóque ſemine (quâ notâ quandam affinitatem cum Armeriis floribus habere videtur) referta: Fibroſam habet *radicem* quam facilè pangere licet.

Locus. Provenit ad Stiriacarum Alpium & Snealben ſupra cœnobium Neuberg radices: abundantiùs tamen in Etſchero.

Aliud hujus genus multò minoribus & anguſtioribus foliis, minore etiam flore, cæteris notis non diſpar, invenitur in ſcopuloſo illo præruptóque jugo *Durreſtain* nuncupato, ſecundo ſupra Gamingam milliari. Lychnis ſylv. alba anguſtifolia minor *C. B.* dicitur. *Altera ſpecies.*

§. 8. *Lychnides aliquot miſcellaneæ incerti ſitûs, & exiguæ.*

1. *Caryophyllus Alpinus calyce oblongo hirſuto* C. B. *Caryoph. montanus Cluſii* Ger. Park. *Betonica coronaria, quæ Caryophyllus pumilio Tauricus Cluſio* J. B.

J. B.

Longiuſculâ *radice* ſquamoſâ, ſubfuſcâ, aliquot fibris donatâ figitur, in capita aliquot diviſâ; ex quibus exeunt *pediculi* unciales & ſeſcunciales, uno aut altero nodo articulati, binis gramineis ad ſingula genicula foliis veſtiti; *florem* ſuſtinentes purpuraſcentem, magnum, pentapetalum, ex *calice* unciali ſtriato, hirſuto, in quinque lacinias diviſo, quem non ineptè Gentianellæ Helveticæ flori compares. *Folia* ad radicem craſſiuſcula, ſucculenta, Caryophylli marini foliis ferè ſimilia, frequentiſſima & confertiſſima, amariuſculi ſaporis. *Semen* Cluſio obſervare non licuit.

Provenit in Tauro Carinthiæ monte, Solo tenui & arenâ ſplendente referto: Floret ſub finem Julii & Auguſto *Cluſ.* *Locus.*

* 2. *Caryophyllus arvenſis glaber minimus* C. B. Park.

C. B. prod.

Ex *radice* capillaceâ, rufeſcente *cauliculus* unus vel alter, tenuiſſimus, geniculatus, pedalis prodit; in ſummo valdè ramoſus, ramulis capillo tenuioribus; quorum ſinguli ſingulos *floſculos* albos, minutiſſimos, in duos apices abeuntes ſuſtinent. *Folia* ~~habet~~ pauca, longa, anguſta.

Variat magnitudine: nam & ſemipalmaris eſt, pauciſſimis, capillaceis, brevioribus foliolis: illum ex Euganeis collibus habemus; hunc verò Monſpelio.

Circa Monſpeliam non invenit *P. Magnol.*

An Lychnidis an potiùs Alſines ſpecies ſit neſcimus.

* 3. *Lychnis Alpina glabra minima*: i. e. *Auricula muris Alpina glabra, aut Caryophyllei minima ſpecies flore albo* J. B. *Alſine Alpina glabra* C. B.

J. B.

Duriuſculis & pro plantulæ modo etiam craſſiuſculis *radicibus* nititur, albis, non admodum fibroſis, ſapore nullo manifeſto. *Cauliculi* pluſculi, palmares, tenues, læves, inferiùs rubentes, rotundi, geniculati, in ramulos aliquot, híque in alios diviſi: *Folia* oblonga, glabra, acuminata, pallidè virentia, Lini formâ ſed breviora: *Flores* ſurrecti, candidi, foliolis quinque per extremum denticulatis compoſiti, ſtaminulis aliquot donati. *Calyculus* in Lychnidum ſylveſtrium morem formatus, ſtriatus, ſuperiùs nonnihil fimbriatus. *Vaſcula* ſuccedentia ubi dehiſcunt denticellis ſectas habent oras, in quibus *ſemina* tenuia. Herba perennis eſt.

In Alpibus variis in locis oritur. Locis ſaxoſis humidis gaudet. *Locus.*

4. *Caryophyllus gramineo folio minimus* C. B. *Betonica coronaria ſive Tunica minima* J. B.

Radix hujus pro plantulæ modulo craſſiuſcula eſt, multorum capitum: *Coliculi* numeroſi, palmares & altiores, ramoſi: ad quorum ſingula genicula ſunt *foliola* bina, ex adverſo poſita, peranguſta, unciam circiter longa: extremis ramulis floſculi majuſculi, ſingulares ſupernaſcuntur, ex albo purpuraſcentes, pentapetali: in ſingulis petalis ſtria purpurea; *calice* ambiente ex ſquamis oblongis, lineis viridantibus ſtriatis.

Circa Lansbergam in Bavaria, Genuam & Florentiam in Italia, atque alibi tam in Italia quàm in Germania copioſum obſervavimus. *Locus.*

An ad Lychnidum an potiùs Alſinarum genus referendum ſit dubito, quoniam non memini, an floris calyx integer ſit, ut in Lychnide, an in plura ſegmenta ad fundum ferè diviſus, ut in Alſine.

5. *Betonicæ ſive Tunicæ minimæ ſimilis planta* J. B.

Dodrantalis eſt plantula, aliquando pedalis, gracilis, plurimâ ramulorum diviſurâ ſtipata, haud ſecus ferè ac Alſine anguſtifolia, à qua tamen pluribus notis manifeſtè differt, quemadmodum à Betonica minima quoque. *Foliola* rara & ad ſingulos ramulorum geniculos bina, anguſtiſſima, longiora quàm in Alſine dicta. Extremis ramulorum *floſculi* appenſi ſubpurpurei, pulchelli Betonicæ modò dictæ aliquatenus ſimiles calyce folioſo, qui & vaſcula ſequentia floſculos ſuſtinet, quæ nullis ſtriis prædita ſunt, ut Alſines tenuifoliæ: *Semina* continent exigua, valdè nigricantia. *Radix* exigua tenuíſque alba, ſed dura ac lignoſa in aliquot diviſuras ſecta. Annua eſt.

Florebat & ſemen gerebat menſe Auguſto in agris montis *Roſsberg* propè *Maſmunſter*: Montbelgardi Junio ſupra muros. Nos etiam, quantum memini, hanc plantam invenimus in agris propè Moguntiam copioſé. Rectius ad Alſines genus refertur. *Locus.*

* 6. *Lychnis ſylveſtris minima exiguo flore* C. B. Park.

C. B. prod.

Ex radicula oblonga tenui cauliculus rotundus rufeſcens, geniculatus, trium quatuórve unciarum, in alas minimas brachiatus exurgit, *foliolis* binis exiguis, acutis, ad quemlibet geniculum & alam, & ex qualibet ala pedicelli oblongi, anguſtiſſimi, rigidi, quibus *floſculus* purpuraſcens, ex quinque foliolis, ſingulis cordis formam referentibus, compoſitus inſidet.

Hæc

Locus. Hæc circa Monſpelium, in pede montis, qui eſt prope Boutonet, copioſè reperitur, quam Centaurium minimum appellabant.

* 7. *Lychnis Luſitanica hirſuta non deſcripta* Hort. Lugd. Bat.

Semen in capitulis oblongis verrucoſis aliorum ejuſdem generis ſimile. *Flos* incarnatus.

* 8. *Lychnis noctiflora minima, flore exiguo* Bocconi.

Bocc.

E *radice* parva, leviter fibrata *Cauliculos* plures tenues emittit, primùm per terram in orbem ſtratos: *folia* ad genicula bina, è regione oppoſita, anguſta, uncialia, Linariæ minimæ ſeu Spergulæ æmula gerit; quorum in ſinu ſubinde foliola alia duo naſcuntur, breviſſima & tenuiſſima: eriguntur demum *cauliculi* ſtipatu numeroſo geniculati, multiplices, in ramos diviſi, nonnihil piloſi, ut & folia, quorum quæ ad ſummitatem accedunt ſenſim breviora fiunt & latiora. In ſummitate & foliorum ultimis alis ſubrubri exeunt *floſculi* quinquefolii, Alſines magnitudine, capſulis minimis Lychnidum formâ inſerti. Tota planta viſcoſo quodam glutine manus inficit.

De loco & florendi tempore nihil addit.

* 9. *Lychnis omnium minima ex monte Argentario* Bocconi.

Bocc.

Rectus huic *cauliculus*. Folia, flos & capſulæ quoque quibus ſemina includuntur Alſines hirſutæ ſunt, ſingulis tamen multò minoribus.

Locus. In monte Argentario inter ſaxorum rimas & hiatus frequenter pullulat.

* 10. *Lychnis parva paluſtris, foliis acutis, lanceolatis, floſculis purpureis* Mentzel.

Hæc uncialis quandoque, rarò trium aut quatuor unciarum.

Locus. In udis circa oppidum Marchiæ *Beſcovia*, & in aliis Sileſiæ & Croſnæ locis reperitur.

A. 11. *Lychnis Alpina minima. Caryphylleus* 9. *Cluſio. Caryophyllus pumilio Alpinus* Ger. emac. *Muſcus Alpinus flore inſigni, dilutè rubente* J. B. *Ocymoides muſcoſus Alpinus* Park. *Lych. Alpina pumila folio gramineo, ſive Muſcus Alpinus Lychnidis flore* C. B.

J. B. Cluſ.

Craſſiuſculas habet *radices*, in multa capita diviſas, numeroſis fibrillis donatas, unde *folia* infinita, anguſta, vix unciam longa, terræ incumbentia naſcuntur. Phyllum Dalechampii magnitudine æmulantia, ſine ulla aſperitate; inter hæc *pediculi* exeunt vix unciales, tenues, quorum unicuique *flos* inſidet, quinque bifidis foliolis conſtantes, magnus, coloris rubri dilutioris ſive carnei ex *calice* oblongo, ſtriato; *Semen* in capitellis fuſcis & ſplendentibus renis formâ, exiguum, ſubruffum.

Hæc planta tum flore tum ſemine ſe genuinam Lychnidis ſpeciem eſſe fatetur.

Locus. In altiſſimis verticibus montium max. Carthuſianorum cœnobium cingentium obſervavimus: Cluſius in ſummis Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium jugis. Floret Junio; *Semen* Auguſto plerunque maturitatem adipiſcitur.

Nuperrimè in Cambriæ Septentrionalis altiſſimo monte *Snowdon* dicto, à D. *Lloyd* detecta & obſervata eſt; ut nos monuit D. *Tancredus Robinſon*.

12. *Lychnis arvenſis minor Anglica* Park.

Folia infima parva, hirſuta ſeu piloſa Auriculæ muris ſimillima: quæ *cauliculo* gracili, vix pedem alto, (qui nunc ſimplex à radice, nunc multiplex aſſurgit) bina ſemper ad nodos oppoſita, adnaſcuntur, minora ſunt, maculis albis infecta: è quorum ſinubus alia enaſcuntur bina multo adhuc illis minora, ſapore nullo manifeſto prædita. *Flores* parvi, albi, aliarum Lychnidum ſylveſtrium ſimiles; quibus ſuccedunt *capitula* oblonga, caneſcentibus *ſeminibus* repleta. *Radix* parva, alba, quotannis marceſcens.

Locus. In arvis propè Colceſtriam oriri tradit Auctor.

13. *Lychnis exilis rubra* Park.

Caryophylli minoris ſpecies cenſeri poſſet, ni capitula cum ſeminibus obſtarent: Multa enim ad imum caulem foliola parva, graminea obtinet & ad geniculos, (qui crebri ſunt) ſingulos bina vel plura, ſimilia, ſed minora. *Flores* in ſummis caulibus duo treſve ſimul è longis tenuibus calycibus exeunt, Muſcipulæ *Lob.* ſeu Ben rubri ſimiles, colore rubente petalis in extremo crenatis. Radix minima, longa, non diuturna.

14. *Lychnis tenuifolia altera* Park.

Parvitate ſua, tum foliorum ſitu & naſcendi modo à præcedente parùm differt, niſi quod bina duntaxat plerunque folia ad ſingulos nodos habeat. Præcipua differentia eſt in floribus qui æquè parvi ſunt, verùm non ſummos tantùm caules ornant ſed & à ſuperioribus eorum geniculis exeunt, ſuntque colore pallidè viridi, petalis integris abſque ulla in extremo crena. Semina eorúmque conceptacula parva & præcedentium ſimilia. Radix fili inſtar tenuis velut præcedentis.

Has duas ſpecies in Anglia ſpontaneas inveniri tradit variis in locis. Et revera præcedens nobis ſuperiùs ſub titulo Lychnidis ſylveſtris hirſutæ annuæ flore minore carneo *Moriſ.* deſcriptæ ſimilis eſt ſi non eadem. Huic autem ultimæ nihil à nobis ſimile in Anglia nec viſum, nec auditum.

Cap. III.

De Ciſto montano ſeu Ledo Alpino.

HÆ plantæ veræ & genuinæ Ciſti ſpecies ſunt ex flore & vaſculo ſeminali, loco tantùm differunt.

1. *Ledum Alpinum hirſutum* C. B. *Ledum Alpinum ſive Roſa Alpina* Park. *Nerium Alpinum quibuſdam alis Ledum hirſutum* J. B. *Ciſtus Ledum Alpinum Cluſii* Ger.

Cluſ. J. B.

Multis *ſtolonibus*, duris ac lignoſis, cubitalibus aut paulò longioribus, vix unquam ſurrectis fruticat. *Folia* potiſſimùm per ramorum extrema conſpiciuntur, & illic quidem conferta, breviora quàm Ledi Alpini glabri, & obtuſiora, Chamæleæ Italicæ foliorum æmula, utrinque virentia, ſed virore ſaturato & ſplendente, infernè dilutiore, per ambitum pilis, ceu ciliorum, longis & conſpicuis obſita, ſaporis non ingrati, aromatici & nonnihil reſinoſi cum adſtrictione quadam. Germinum extremis inſidet coma *florum*, pediculis hirſutis inhærentium, deorſum inflexorum & propendentium, Campanulæ modo concavorum; qui ſumma labra quinque diviſuris ſecta habentes, foris intenſius rubent, & argenteis veluti guttis (cum ipſis unde dependent petiolis) conſperſi ſunt, interiore verò parte dilutius rubri, aliquot *ſtaminulis* intra latentibus, ſuaviuſculi odoris. Is ſuccedunt exigua *capitula* quinque cellulis conſtantia, in quibus *ſemen* fulvum minutiſſimum Scobis inſtar. *Radix* dura, lignoſa, oblonga; ſed rami per terram ſparſi interdum radices agunt.

In ſummis *Sneberg*, *Snealben*, *Wechſeln*, *Durrenſtein* & vicinarum Alpium jugis inter ſaxa ad devexa plerunque latera invenitur. Nobis in præruptis Alpium ſcopulis propè *Pontebam* oppidum, quod Venetianum & Imperiale territorium diſterminat, obſervatum eſt. *Locus.*

Floret Junio & Julio; ſemen Auguſto matureſcit aut aliquanto ſeriùs. *Tempus.*

2. *Ledum Alpinum foliis ferrea rubigine nigricantibus* C. B. *Nerium Alpinum quibuſdam, aliis Ledum glabrum* J. B. *Chamærhododendros Alpigena* Ger. *Ledum Alpinum ſive Roſa Alpina* Park.

Cluſ. J. B.

Rami huic contorti, digitali craſſitie, cortice veſtiti extimo quidem cineraceo, interiore autem nigricante; at minimi *ramuli* ſubinde etiam rubente cortice teguntur; per quos *folia* circa faſtigium conferta, glabra, brevibus hærent pediculis, Lentiſci foliis paria; nec formâ diſſimili, niſi quòd craſſiora; nervoſiora, minimè in ambitu hirſuta, ſuperiore parte virent, inferiore ferruginei ſunt coloris, ſaporis adſtringentis & quodammodo reſinoſi. *Flores* habet ſuperiori ſimiles, ſed paulò dilutiores: *Capitula* & *ſemen* ſimilia. *Radix* oblonga, lignoſa, dura, ſubnigro cortice.

Hujus Folia Cluſio rariora nec ità conferta, majora, duriora, admodum venoſa, longiore mucrone prædita quàm præcedentis.

Hujus porrò circulorum ſummitatibus *capitula* quædam increſcunt ſquamis foliaceis congeſta, oblonga, & gemmæ majoris ſpeciem exhibentia, colore ruffo foris, intus flaveſcente, cujuſmodi in Salicibus cernuntur. Foliis verò ramiſque adnata aliquando reperiuntur tubercula nunc nucis Ponticæ, modo Piſi magnitudine, inæqualia, foris rutilante aut palleſcente nonnunquam colore, intus fungoſâ, albâ, guſtûque adſtringente pulpâ plena, quæ Gallorum vicem præſtare poſſint, cujuſmodi pilulæ Quercuum foliis ſæpiſſimè accreſcunt. Perpetuâ fronde viret.

Invenit Cluſius in *Snealben* ſupra *Neuberg*: nos in ſummis jugis montis Juræ propè Genevam: J. Bauhinus utrumque in montibus Rhæticis ut Burmio. Floret utrumque Junio & Julio: *Semen* ſub Auguſti finem aut paulò ſeriùs matureſcit. *Locus.*

Utroque Ledo Alpino tinctores, qui montium *Sneberg* & aliorum vicina inhabitant ubi provenit utuntur ad lineas penulas nigro colore inficiendas, autore Cluſio. *Uſus.*

3. *Ciſtus pumilus montis Baldi, fortè Auſtriacus myrtifolius* J. B. *Cham. hirſuta* C. B. *Ciſtus humilis Auſtriaca Cluſii* Ger. *Chamæciſtus hirſutus* Park.

J. B.

Compluſculis ſeſcuncialibus & quadrantalibus aſſurgit *virgulis*, lignoſis, tenuibus & hirſutis. *Folia* virentia, crebra ſatis, ſimilia Myrto Tarentinæ, vel Lentis foliis paria, nec ità diſſimili circumſcriptione, ortu & poſitu diverſiſſimo, quippe bina, incondita tamen, fortuitis pilis ſupra, ſubtuſque donata, per margines copioſioribus ut in Nerio Alpino: *Flores* extremis ramulis unici, ſatis magni, cum multis ſtaminibus.

Eadem forte eſt (inquit J. Bauhinus) cum Chamæciſto 8. *Cluſ.* quem ſic deſcripſit:

Palmaris eſt aut paulò amplior, [à nobis obſervatus ſemipedalis erat aut altior,] ſuperioribúſque firmior, multis, lignoſis, rectis & nigricantibus ramulis præditus, quos numeroſa & adeò conferta ambiunt *folia* ut quaternis verſibus digeſta videantur, Myrti minoris foliis non diſſimilia, minora tamen & hirſuta, licet atra viriditate ſupernè ſplendeant, quorum guſtus adſtrictionis particeps eſt. *Flos* unicus, interdum & alter extremis ramulis exit, ſatis craſſo pediculo ſubnixus, unico quidem conſtans folio, ſed quinque profundis crenis, eiſdémque velut circinatis diviſo ut quinque folia habere videatur, ejuſdem cum Helianthemo vulgari penè magnitudinis, coloris ex albo purpuraſcentis & quaſi carnei dilutioris, decem ſtaminibus extremâ parte nigris & ſtylo oblongo purpuraſcente medium florem occupantibus. *Floribus* excuſſis apparent pentagona *capitula,* obtusè mucronata, quæ maturitate aperta *ſemen* continere deprehenduntur exile admodum, flavi coloris.

Locus. Rariſſimum hunc fruticem duntaxat in *Snealben* jugi ſcopulis naſcentem obſervavit Cluſius florentem ſub menſis Junii finem; ſemine verò prægnantem in *Veytzalben* ſummo ſupercilio duobus ſupra *Neuberg* milliaribus. Nos in rupibus Alpium propè *Pontebam* unà cum Ledo Alpino hirſuto invenimus, cùm Viennâ Auſtriæ Venetias iter faceremus, Septembri menſe.

4. *Ciſtus Ledon foliis Roſmarini ferrugineis* C. B. *Roſmarinus ſylveſtris quorundam* J. B. *Roſmarinum ſylv. Bohemicum Matthioli, ſive Ledum Sileſiacum Cluſii* Park. *Ciſtus Ledum Sileſiacum* Ger. *item Ciſtus Ledum Roſmarini folio* ejuſdem.

J. B.

Cubitalibus interdum eſt *virgis,* firmis, lignoſis, cortice cinereo obductis, quarum extrema in plures alias tenuiores, & quodammodo purpuraſcentes, eáſque etiam nudas dividuntur: illæ viciſſim in alios dodrantales *ramulos,* virentes quidem, ſed tomento quodam ferruginei coloris obſitos; quos nullâ ſerie digeſta, ſed confuſa ambiunt *folia,* Libanotidis coronariæ foliis *ferè* ſimilia, ſed longiora, ſupina parte viridia, adeóque in pronam partem reflexa & convoluta, ut ejus nihil conſpici poſſit præter nervum ſecundùm folii longitudinem excurrentem, ſimili tomento cum pediculo cui inhæret pubeſcentem, grati & ſuavis odoris, acriuſculi autem ſaporis. Summis iſtis ramis inſident *capita* ex multis brevibus quaſi ſquamis ferrugineis compacta, ex quibus deinde ſeſe explicat corymbacea quædam multorum *florum* coma, oblongis, tenellis atque virentibus, nonnihil tamen lanuginoſis, pedicellis inhærentium, grato odore nares ferientium, quinque petalis albis conſtantium, decem candidis *ſtaminulis* cum *ſtylo* medium florem occupantibus. His demum ſuccedunt oblongiuſcula *capitula* pentagona, oſſiculis fructûs Corni aliquando magnitudine non cedentia, quæ dum adhuc viridia ſunt, argenteis punctis diſtincta eſſe videntur, ſed maturitatem adepta, rubiginei ſunt coloris, ſeménque continent oblongum, flaveſcens, adeóque exile, ut ſcobis è ligno vermibus eroſo ſponte decidentis inſtar ſit. Verùm peculiare in illis capitulis eſt, ut matura deorſum inflectantur, terrámque mucrone ſpectent magnâ naturæ providentiâ, nè *ſemen* temere effluat, nam præter reliquorum conſuetudinem, à pediculo non ab extrema cuſpide aperiri & dehiſcere ſolent. Maturo ſemine terni aut quaterni ramuli, rubigineo tomento obducti cum ſuis foliis in comæ lateribus naſcuntur, ſpem florum in ſequentem annum pollicentes. *Radix* lignoſa eſt, & brevibus fibris donata.

Tota planta, præſertim floribus onuſta odorata eſt, & aromaticum quidpiam ſpirat, quare mirum non eſt ſi, teſte Matthiolo, veſtibus injiciatur ad eas à tineis præſervandas.

Locus & Tempus. Naſcitur pleriſque Sileſiæ in locis, autore Cluſio, Matthiolo in Bohemia. Floret ſub finem Junii ac Julio: ſemen Auguſto ac Septembri maturum eſt: inhæréntque interdum in ſequentem uſque annum capitula, ſic ut recenti flore, & fructu ſuperioris anni vacuo, nonnunquam & tertii anni fructûs pedicellis onuſti rami conſpici poſſint.

* 5. *Ciſtus Ledon foliis Salicis anguſtifoliæ* C. B. *Roſmarinus ſylveſtris* ἄοσμος *Cluſio* J. B. *Roſmarinum ſylveſtre* ἄοσμον Park.

Cluſ.

Pedalis eſt altitudinis, raró amplior, tenuibus, ſubrubentibus *virgis* præditus, quæ deinde in tenuiores candicantéſque *ramulos* dividuntur, anguſtis longiſque *foliis,* temerè & confuſo ordine eos veſtientibus, onuſtis, ſupernè virentibus, infernè verò caneſcentibus, & Salicis pumilæ anguſtifoliæ valdè ſimilibus foliis, nullius grati odoris, ſed peradſtringentis ſaporis. Summis etiam ramis inſident *capitula,* ex multis brevibus ſquamis compacta Cachryos modo, ex quibus ſeſe explicant aliquot *floſculi,* tenuibus oblongiſque pedicellis inhærentes, quinque foliolis, ut ſuperioris, prædit, ſed diverſi coloris, rubri nimirum dilutioris ſive quodammodo carnei; quibus excuſſis pentagona conſpiciuntur *capitula,* brevia, obtuſo mucrone, exili, palleſcente *ſemine* plena.

Eodem quo ſuperior tempore floret & minutum ſemen profert.

CAP. IV.

De Ciſto genuino.

Ciſtus, Græcis κίστος & κίσθος & κισσάρον: fortè inquit C. Bauhinus à κισσὸς Hedera ob aliqualem foliorum ſimilitudinem, quod non placet. Theophraſti exemplar olim corruptum fuiſſe, & Plinium pro κίστῳ κισσὸν legiſſe conſtat, nam Hederam vertit. Dioſcorides tamen Ægineta aliique Hederam etiam κιστὸν appellant. Jo. Bodæus à Stapel accentu differre putat & cùm Ciſtum ſignificat κίστον cum accentu in penultima ſcribendum putat, cùm Hederam κιστὸν accentu in ultima, Κίστον autem à Ciſto puero nomen ſumpſiſſe fabulantur. Fabulam vide apud Caſſianum Baſſum. Alii à κὶς κιὸς vermis, curculio, κιστὸν dictum volunt, quia lignum Hederæ eſt admodum poroſum & aquam tranſmittit, ac ſi à curculionibus eroſus & perforatus eſſet; quomodo & pumex κισσηρὶς ob eandem rationem dictus eſt.

Ciſti genuini notæ characteriſticæ ſunt, Fruticoſum eſſe & ſubſtantiâ ligneâ, florem habere pentapetalon amplum, & quaſi roſeum, caducum; capitula pentagona. Folia habere in caulibus & ramulis ex adverſo bina omnibus ciſti generibus commune eſt.

Nos Dioſcoridem cum aliis pleriſque Botanicis ſequuti Ciſtum primò dividemus in non Ladaniferum ſeu Ciſtum ſimpliciter dictum,& Ladaniferum; Non Ladaniferum deinde in Marem & Fœminam. Marem vocamus qui florem habet rubrum nunc ſaturatiorem nunc dilutiorem: Fœminam qui album, luteúmve.

De Ciſto mare ſeu flore rubro.

1. *Ciſtus mas folio oblongo incano* C. B. *mas* IV. *folio oblongo albido* J. B. *mas vulgaris* Park. *mas cum hypociſtide* Ger. *mas* I. Cluſ.

J. B. Cluſ.

Frutex eſt quàm fœmina robuſtior, albidior, bicubitalis, [Cluſio * humana altitudine,] hirſutus, ligno ſatis fragili, & candicante cortice tecto: frequentibus *ramis*, alternatim ſemper ex adverſo reſpondentibus, eandem etiam ſeriem ſervantibus *foliis*, quæ omnino ſunt incana, molliora & longiora in novellis plantis, in adultis verò contractiora, duriora & aſpera, adſtringentis guſtûs, inferne rugoſa, anguſtiora ſpiſſioráque quàm fœminæ. *Flos* ejus Cynorrhodi aut Roſæ ſylv. magnitudine, pentapetalos, dilutioris rubri coloris, ſeu, ut vocant, incarnati, multis *ſtaminibus* cum ſuis *apicibus* croceis medium occupantibus, confertus, agminatim ſtipatus, numeroſior in ramulorum extremis, ex brevibus, robuſtis pediculis, non debilibus oblongis, ſingularibus ut in Ciſto fœmina: quibus decidentibus ſuccedunt *Capitulo* quædam pentagona, dura, hirſuta, mucronata, in quibus exiguum eſt *ſemen*, ex ruffo nigricans, ſeminis Hyoſcyami aut Papaveris magnitudine. J. Bauhinus capitula trifariam ſecta ei aſcribit, foliolis tribus mucronatis hirſutis obſepta.

** Nobis nunquam ea altitudine viſus eſt.*

Ad hujus radices, quæ ſummis ceſpitibus diffunduntur & cohærent, Hypociſtidem obſervavit Cluſius copioſè naſcentem.

Locus. Per Siciliam, Italiam, & Galliam Narbonenſem in ſterilioribus & ſaxoſis collibus & ſylvis copioſè naſcentem obſervavimus.

Vires. Veteres vim adſtringentem Ciſto attribuunt: unde flores in vino auſtero triti & bis in die poti dyſenteriis & ſolutionibus ventris proſunt: ulceribus veteribus & ambuſtis cum cera: & per ſe oris ulceribus. *Dioſcor. Plin.* Eadem ferè habet & Galenus.

* 2. *Ciſtus mas anguſtifolius* C. B. Park. Ger. *mas* II. *folio longiore* J. B. *mas* 2. Cluſ.

Cluſ.

Eâdem altitudine quâ ſuperior aſſurgit, interdum etiam majore; non minùs fruticoſo ſtipite, neque minore ramorum frequentiâ, minùs tamen candicat. *Folia* præterea eodem ordine diſpoſita, molliora tamen, longiora, anguſtiora, & magis mucronata. *Flos* ſuperiori ſimilis, incarnatus: capitulis etiam & ſemine parum differt.

Locus. Naſcitur in Hiſpania, & diutiùs reliquis maris generibus floret: item ramuli ejus ſub Autumnum rorulentum quiddam pingue & odorum contrahunt.

Suſpicor hunc non differre ſpecie à præcedente, ſed foliis duntaxat variare, ſed nihil temere aſſero.

* 3. *Ciſtus mas folio breviore* C. B. Park. *mas* III. *foliis dilutiùs virentibus* J. B. *mas* 3. Cluſ.

Cluſ.

Superioribus brevior eſt, non minùs tamen fruticoſus, ſed tenuioribus *ramis*. *Folia* ejus jam dicto breviora, & dilutiore virore prædita, magis rugoſa, pinguia & odorata. *Flos* aliis ſimilis, dilutè rubens, & aliquantulum odoratus; quam notam in reliquis Ciſti maris generibus non obſervavit Cluſius. Hujus *capitula* ſuperioribus multò minora ſunt, & ſuis involucris, quæ florum calyces ſunt, diutiùs occultantur. *Semen* in capitulis æquale.

Locus. In Luſitania ſolùm hunc ſponte naſcentem, ſupra Ulyſſipponem itinere Conimbricenſi, atque etiam in maritimis obſervavit Cluſius.

* 4. *Ciſtus mas folio rotundo hirſutiſſimo* C. B. *mas* I. *ſeu major folio rotundiore* J. B. *mas folio ſubrotundo* Park. *mas* 4. Cluſ.

Cluſ.

Humanâ altitudine plerunque attollitur, ut reliqui Ciſti fruticoſus: *ramulis* aliquantulum incanis: *Folia* reliquis majora & quaſi orbiculata, hirſuta nonnihil & rugoſa. *Flos* reliquis formâ ſimilis, paulò major & colore ſaturatiùs rubente: *capitula* hirſuta, dura, pentagona, ſuperioribus majora, in quibus *ſemen* ruffum.

Locus. Invenitur Regno Valentino & Aragonum. Aiunt & in Italia frequentem eſſe, *nos tamen ibi non vidimus; fortè in Apulia invenitur.*

* 5. *Verbaſcum ſubrotundo Salviæ folio* C. B. *ſalvifolium exoticum ciſtoides* Park. *Verb. ſylveſtre Salvifolium exoticum* Lob.

Lob. ob.

Hæc *foliis* rotundioribus, denſioribus, candidioribúſque minùs tamen lanugine canis, ſed Salviæ æmula concretione; alioquin lignoſâ fibratâque *radice*, caule & facie non ità diſſimilis ſuperiori [Phlomo Lychniti alteri Syriacæ] Iiſdem gaudet Syriæ natalitiis. Flores Lobelio videre non contigit, at Ciſti æmulos appingit Parkinſonus, & pentapetalos, petalis ſubrotundis, colore flavo, ſtaminulis rubentibus deſcribit.

* 6. *Ciſtus*

*6. *Ciſtus mas foliis Chamædrys* C. B. *mas 5. foliis criſpis & quodammodo ſinuoſis* J. B. *mas dentatus* Ger. *mas humilis* Park. *mas* 5. Cluſ.

Cluſ.

Humilis eſt & ſupinus utplurimum, pedalibus ramis aut paulò amplioribus, multis ex eadem radice prodeuntibus: *Folia* criſpa ſunt & quodammodo ſinuoſa, candicantia & hirſuta, guſtûs acerbi & aſtringentis. *Flores* ramulorum ſummitatibus æquali altitudine & quaſi umbellatim naſcuntur, ſuperioribus paulò minores, ſed elegantis ex rubro purpuraſcentis coloris, intenſioris quàm in quarto. *Capitula* reliquis minora, ſuis involucris plerunq; contecta, *ſemen* continent reliquis ſimile, magis atrum.

Locus & Tempus. In ſolâ Luſitaniâ naſcentem vidit Cluſius, nec uſquam frequentiorem quàm apud monaſterium *Pera longa* dictum, quinto ſupra Ulyſſipponem milliari. Floret Aprili ſeriúſve aut citiùs pro loci natura & temperamento: Semen Auguſto, Septembri aut Octobri matureſcit.

D. Magnol hanc ſpeciem invenit in ſterilibus locis vulgò *Garrigues* inter *Pezenas* & *Beziers* Maio menſe florentem copioſè.

CAP. V.

De Ciſto fœmina.

Ciſtus fœmina folio Salviæ C. B. *fœmina* Ger. *fœm. vulgaris* Park. *fœmina Monſpeliana flore albo & Hiſpanica luteo* J. B.

Cluſ.

Frutex eſt ramoſus, cubitum interdum altus & erectus, nonnunquam ſupinus & humi ſtratus, gracilibus, nigricantibúſque *ramis*; *folio* non minore quàm in maris quarto genere, circinatæ ferè rotunditatis, rudi & aſpero, viridi tamen, ſaporis adſtringentis & acerbi. *Florem* habet paulò minorem quàm mas, quinti generis flori pænè ſimilem, album, nonnunquam etiam flavum, luteis fibris, ut in Roſa ſylveſtri, medium florem occupantibus, non minoribus quàm maris, multò majoribus quàm Ledi. *Capitula* minora ſunt maris capitulis, nigriora, non mucronata ſed nonnihil compreſſa ſuperiore parte, pentagona, *ſemen* paulò nigriùs & ſatis magnum continentia.

Locus. In ſterilioribus & ſaxoſis collibus & dumetis per Italiam, Siciliam & Galliam Narbonenſem vulgatiſſima eſt.

Duplex habetur, elatior & humilior, ut rectè notat C. Bauhinus.

CAP. VI.

De Ciſto Ledo ſeu ladanifera.

Hoc genus humore pingui, Ladano dicto, quem copioſè exſudant folia à præcedentibus diſtinguitur.

De Ladano.

E foliis Ciſti Ledon appellati exudat liquor quidam, Ladanum dictus, in maſſas graves ex purpura fuſcas coactas, odore valido ſed ſuavi, inflammabilis, accenſâque gratum odorem halans.

Modus colligendi. Tradit Dioſcorides ſuccum hunc hircorum barbis dum fruticem depaſcuntur adhæreſcere, indéq; depecti; nec barbis tantùm ſed & femoribus villoſis. Quidam etiam (inquit) funiculos per frutices trahunt, & adhærentem ipſis pinguedinem deraſam efformant. Qui modus eum colligendi idem ferè eſt quem Bellonius in Creta obſervavit, & accuratiùs ita deſcribit. Græci colligendo Ladano peculiare inſtrumentum parant raſtro dentium experti ſimile, *Ergaſtiri* illis dictum. Huic affixæ ſunt multæ ligulæ ſive zonæ è corio rudi nec præparato confectæ: eas leniter adfricant ladaniferis fruticibus, ut inhæreat liquidus ille humor circa folia concretus, qui deinde à ligulis per ſummos ardores Solis cultris eſt abradendus. Itaque Ladanum colligendi ſummus, imò intolerabilis, eſt labor, cùm totos dies ardentiſſimo caniculæ æſtu in montibus hærere neceſſe ſit: neq; facile quiſquam alius ad id colligendum operam ſumit præter *Callobieros*, i. e. Monachos Græcos.

Siquis tamen in Hiſpaniis huic colligendo operam navare vellet, multò minore (ut Cluſio videtur) negotio magnam ejus longè puriſſimi, reſinoſi & odorati copiam colligere poſſet; cùm integræ aliquando ſylvæ inveniantur omnium puriſſimi illius Ledi, quod Ciſtus Ledon flore maculâ nigricante notato inſcribitur.

Vires. Ladanum emollit, digerit, maturat, attenuat, aperit, orificia venarum reſerat, inſpiſſat. *Quomodo autem emolliendi & aperiendi, cum ſpiſſandi & adſtringendi facultate convenire poteſt?* Uſus præcip. (inquit Schroderus) eſt in capite humido ac catarrhoſo, inque dyſenteriis. Laudant Veteres in tuſſi à craſſa pituita, in ſtranguria, &c. Extrinſecus ejus uſus eſt in emplaſtris emollientibus, anodynis, tuſſim ſedantibus, in Alopecia (inunge vel coque in vino & lava) in odontalgia & cardialgia doloréque ventriculi (cum modico Bdellii pilulas faciunt dandas numero 1. vel 2. hora 1. ante paſtum. *Crato*) in ſuffocatione uteri (introrſum adhibitum) cicatrices curat. *Schrod.*

In ſuffumigiis efficax eſt, in pellendis ſecundinis & fœtibus immortuis, in ſcirrhis uterinis: peculiariter ad uteri vitia convenit. *Dioſc. Galen. Plin.*

Maximè celebratur in ulceribus antiquis & cavis cum magno labiorum tumore & duritie.

Galenus Ladanum defluentes capillos retinere poſſe concedit, non tamen Alopecias aut ophthalmias ſanare, utpote magis diſcuſſorias vires quàm quæ Ladano inſunt poſcentes.

1. *Ciſtus Ledon foliis Laurinis* C.B. *Ciſtus Ledon latiore folio* J. B. *Ledon* 1. *latifolium* Cluſ. *Ciſt. Ledon latifolium* Park.

Cluſ.

Superatâ Calpe, litore marino, quà Malacam iter eſt, naſcitur hoc genus, latiore *folio*, quaſi ad Lauri anguſtifoliæ foliorum formam & amplitudinem accedente: non minùs tamen pingui lentóq; illo humore abundat quàm id quod anguſtiore eſt folio, proximè deſcribendum.

In horto Botanico Monſpeliaco hanc pulchram Ciſti ſpeciem vidimus, è vicinis montibus (ut nobis retulerunt) delatam: cujus pleniorem deſcriptionem è Parkinſoni Theatro Botanico mutuatam dabimus.

Virgis aliquot lignoſis, quinque aut ſex pedes altis, in plures ramos diviſis aſſurgit, *foliis* ad genicula binis oppoſitis cinctos, latioribus paulò quàm proximè ſequentis folia, & ad Laurinorum formam proximè accedentibus, ſupina parte colore viridi obſcuriore ſplendentibus, infernè caneſcentibus, ad tactum pinguibus & glutinoſis unà cum caulibus & ſurculis tenellis; odore valido ſuavi è longinquo nares feriente, æſtivo præſertim tempore & natalibus locis calidioribus. E ſummis ramulis erumpunt *flores* ſimplices, candidi, petalis quinque latis, ſubrotundis compoſiti, interdum maculis carentibus, aliàs ad ungues maculâ atropurpureâ in angulum ſurſum verſus productâ notatis, in aliis majore, in aliis minore, multis *ſtaminulis* luteis medium florem occupantibus. Succedunt *capitula* grandiora, quinquepartita, dura, ſubrotunda *ſemina* parva fuſca continentia.

Quærendum annon hæc ſpecies Ciſti ſit quam obſervavit D. Wheeler in monte Olympo Aſiæ, & deſcribit Itinerar. lib. 3. pag. 219. in qua cuticulas varias facilè ſeparabiles (quas ut veriſimile eſt quotannis exuit) obſervavit.

* 2. *Ciſtus ladanifera Hiſpanica incana* C. B. *Ciſtus Ledon* 1. *Cluſii* Ger. *Ciſtus Ledon flore macula nigricante notato* J. B. *Ciſtus Ledon anguſtifolium* Park.

Cluſ.

Hoc (inquit Cluſius) omnium per Hiſpanias naſcentium vulgatiſſimum & pinguiſſimum Ledon fruticat ad hominis altitudinem, quam etiam interdum ſuperat, *ramis* frequentibus, lignoſis, duris, nigris. *Folia* quemadmodum & rami ex adverſo ſita ſunt, oblonga, tranſverſum digitum quandoq; lata, nonnunquam etiam latiora, ſupernè ex viridi nigricantia, infernè candicantia, quæ cum tenellis ramulis pingui quodam, odorato, calido & tranſparente liquore adeò copioſo aſperſa ſunt, ut procul etiam ex ſplendore conſpici & agnoſci poſſit, odor autem octavâ Germanici milliaris parte naribus percipi. *Flore* eſt inter reliqua Ciſti genera & pulcherrimo & ampliſſimo, magnæ Roſæ inſtar, ſimplici quinque foliorum texturâ, omnino interdum albo, ſed cujus ſingula folia circa unguem ex purpura nigricante maculâ rhomboide, nunc majore, modò minore & anguſtiore, utplurimùm infecta ſunt, floris umbilico multis croceis fibris pleno. *Capitula* in longis pediculis foliiſq; ſuis denudatis, omnium maxima, rotunda ferè & plana, non mucronata, & ſæpenumero decagona, dura, interiùs flaveſcentia, quibus dehiſcentibus *ſemen* decidit copioſum, ſubrufum, omnium minutiſſimum.

Tota planta, dum reſiccata eſt, quendam candorem contrahit, pinguem tamen illum ſuum lentorem & ſuavem odorem non amittit per multos annos.

Locus. Creſcit frequentiſſimè multis Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis, piſtoribus ad calefaciendos fornaces & tenuioris fortunæ hominibus ad ſtruendos ignes inſerviens. Nuſquam tamen abundantiùs quàm in collibus eorúmque declivibus inter Tagum & Anam flumina; & toto ferè monte *Sierra Morena* nuncupato. Reperitur etiam unà cum præcedente verſus *Carpouiran* & *S. Jordi* in incultis. *D. Magnol.*

* 3. *Ciſtus Ledon foliis Populi nigræ major* C. B. *Ciſt. Led. Populi nigræ foliis Cluſii major* J. B. *Ciſt. Led. Populnea fronde major* Park. *Ciſt. Led.* 2. *Cluſii* Ger.

Cluſ.

Brevius eſt & bicubitalibus duntaxat aſſurgit *ſtolonibus* ramoſis: *rami* ſunt fragiles: *folia* omnium inter Ciſti genera quæ obſervabat Cluſius maxima, ſupernè viridia, infernè nonnihil candicantia, Hederæ foliorum formam interdum, & Populi nigræ plerunque æmulantia, ſatis rudia & carnoſa, hyeme rubedinem nonnullam contrahentia, ſubacidi & adſtringentis ſaporis. *Flos* candidus, Ciſti fœminæ flori par: *Capitula* pentagona, mucronata, exili & nigricante ſemine referta ſunt.

Tenellæ plantæ neque pingues, neque odoratæ ſunt, ſed annotinæ duntaxat & vetuſtiores, Autumno præſertim, quo tempore omnes Ciſti ſpecies, quæ pingues ſunt, abundantiore ſucco, craſſiore ſaltem & magis tenaci, prægnantes eſſe mihi viſæ ſunt.

* 4. *Ciſtus Ledon folio Populi nigræ minor* C. B. *Populnea fronde minor* Park. *populea fronde* Ger. *Pop. nig. foliis Cluſii minor* J. B.

Cluſ.

Præcedenti per omnia ſimilis eſt ſed humilior, neque cubitum excedens: folia etiam minora: flore, ſemine guſtu conveniunt.

Locus. Utrumque genus naſcitur in ea montis Mariani (vul. *Sierra Morena* dicti) parte, quæ ſuperanda eſt iis qui; Ulyſſippone Hiſpalin iter faciunt, & in quibuſdam collibus Granatæ vicinis.

* 5. *Ciſtus Ledon Cretenſe* C. B. *Ciſt. Led. latifolium Creticum* J.B. *Ciſtus ladanifera Cypria* Park. *& ladanifera Cretica vera* ejuſdem. *Ciſt. Ledon* 4. *Cluſii* Ger.

Cluſ.

Cubitali & interdum majore altitudine aſſurgit, fruticoſum, nigricantibus ramis, carnoſis *foliis* & præ ſaturata viriditate nigricantibus, mediæ inter primi & ſecundi generis [ſecundi & tertii noſtri] folia magnitudinis, brevioribus tamen & rhomboidis quodammodo figuræ, quæ cum novellis ramis lento & roſcido humore oblita ſunt, non adeò tamen abundanti & denſo, neque etiam adeò odorato ut in ſecundo genere. *Flos* albus eſt, ſecundo generi ſimilis; *ſemen* etiam exile nigricans in rotundis capitulis.

J. Bauhinus folia infernè candicantia, tribus ſecundùm longitudinem decurrentibus nervis plantagineis deſcribit: capitula Ciceris circiter magnitudine, Olivæ ferè ſive oblongâ figurâ, hirſuta, cum quinque angulis, membranis diſtincta, plena *ſeminibus* minutis, papaverinis, fuſcis, anguloſis.

Locus. Naſcitur in Creta & Cypro inſulis.

An Alpinus de hac ait? Plantam ex qua Ladanum Cretenſes colligunt, planè differentem ab ea quam hactenus ferè omnes prodidêre, inſpexi; Ciſto fœminæ perſimilis eſt, foliis tamen Ciſti longioribus prædita, Salviæque proximis, floréſque fert ſylveſtribus roſis omninò ſimiles, roſeo etiam colore, quàm Ciſti fœminæ majores. *J. B.*

Hunc in exoticis deſcribit Alpinus, quem conſule.

* 6. *Ciſtus Ledon hirſutum* C. B. *Ciſt. Led.* 4. *Cluſii* Ger. 4. *Cluſii flore candido* J. B. *hirſutum ſive* 4. *Cluſii* Park.

Cluſ.

Multis *ramis* fruticat, cubito longioribus, lentis & flexibilibus, hirſutis, albicantibus. *Folia* reliquis Ledi generibus molliora, ad Ciſti fœminæ folia accedunt, verùm paullò longiora, anguſtiora, hirſuta, nigriora, & lentâ pinguedine conſperſa, non modo verno tempore, ſed etiam per totam æſtatem conſpiciuntur. *Flos* albus eſt, Ciſti fœminæ flore non minor, nec ei abſimilis; *capitula* exigua, membranaceis quibuſdam & laxis involucris tecta, *ſemen* continent omnium inter Ciſti genera maximum, nigrum.

Locus. In ſola Caſtella veteri hoc genus obſervabat Cluſius, vicinis pagô S. Martini *del Caſtannal* locis.

7. *Ciſtus ladanifera Monſpelienſium* C. B. *ladanifera, ſive Ledum Monſpeliacum, anguſto folio nigricans* J.B. *Ciſtus Ledon* 5. *Cluſii* Ger. *Ciſt. Led. Oleæ foliis* Park. *Ciſt. Led. foliis Oleæ ſed anguſtioribus* C. B.

J. B.

Frutex eſt bicubitalis, odoratus, in ramos plures brachiatus, cortice nigro obductus: *foliis* ſeſquiunciam longis, anguſtis, nigris, rugoſis, ex brevibus intervallis ſibi mutuò oppoſitis. *Flores* albi, parvis roſis ſylveſtribus aſſimiles, in quorum medio *apices* lutei. Succedunt pericarpia hiſpida [nobis obſervantibus, parva, quinquepartita, per maturitatem colore ſpadiceo ſplendentia, non hiſpida, calycibus tamen hiſpidis occultata] & ſemina minora quam in Ciſto mare Monſpeſſ.

Nos cum J. Bauhino, cui etiam aſſentitur P. Magnol, M. D. Monſpelienſis exiſtimamus Ledon V. Cluſii idem eſſe huic Monſpelienſi, namque & deſcriptio & locus conveniunt: ait enim nihil iſto Ledi genere vulgatius eſſe toto Valentino regno & Narbonenſi Gallia, ubi aliud utiq; Ledum non obſervavit. Hinc C. Bauhini *Ledum* 9. *foliis Oleæ ſed anguſtioribus*, huc reducendum eſt. Foliorum varietas ex locorum diverſitate dependet.

Ad hujus radices Hypociſtin adnatam obſervârunt tum Cluſius tum J. Bauhinus.

* 8. *Ciſtus Ledon anguſtis foliis* C. B. Park. *C. Ledon VI, minoribus anguſtioribuſque foliis Cluſii* J. B. *Ciſt. Led.* 6. *Cluſii* Ger.

Cluſ.

Quinto pæne ſimile eſt, brevius paulò, minoribus, anguſtioribúſque *foliis* lento humore aſperſis quemadmodum illius folia. *Flos* major eſt, albus item & quinque foliis conſtans; ſemen etiam reſpondet.

9. *Ciſtus Ledon foliis colore cinereo* J. B. *Ciſt. Ledon foliis Roriſmarini hiſpidis* C. B. *Ciſt. Led.* 7. *Cluſ.* Ger. 7. *Cluſii ſive Roſmarini hiſpidis foliis* Park.

Cubitalis eſt, multis & frequentibus *ramis* fruticans cineraceo colore præditis: quos ſepiunt frequentiſſima *folia*, Roriſmarini coronarii foliorum æmula, omnino caneſcentia & hiſpida, nec minùs pinguia & lento ſucco perfuſa cum ſuis tenellis ramulis quàm quintum genus. *Flos* ſummis ramis copioſus, candidus, ſuperiori ſimilis, nec *ſemen* diſſimile.

Locus. Valentino regno hæc duo poſtrema Cluſio tantùm obſervata ſunt circa *Xativa*.

10. *Ciſtus Ledon foliis Roriſmarini ſubtus incanis* C. B. *Ciſt. Led. foliis Roriſmarini coron. Cluſii, flore luteo* J. B. *Ciſt. Led.* 8. *foliis Roſmarini ſubtus incanis* Park.

Eadem quâ ſuperius magnitudine creſcit, *rami* tamen magis expanſi ſunt, *folia* tenuiora, ſupernâ parte ex fuſco viridia, infernâ verò candicantia, ut Roriſmarini coronariæ folia videantur, guſtu tamen adſtringentia, licet lento quodam & pingui humore ſint cum tenellis ramis oblita. Numeroſi *flores* ſecundùm ramorum longitudinem naſcuntur, exigui, poſtremo tamen deſcriptis pares, lutei coloris. *Semen* in puſillis capitellis ex cinereo nigricans.

Inve

Invenitur frequens incultis illis locis citra Tagum ſupra Ulyſſipponem cum Ciſto foliis Halimi, &c. *Locus.*

* 11. *Ciſtus Ledon foliis Roriſmarini, ſed non incanis* C. B. C. *Led. Roſmarini foliis ſubtus non incanis* Park. *Ciſtus Ledon* IX. *Cluſio* J. B. *Ciſtus Ledon foliis Roſmarini* Ger. emac.

Cluſ.

Minus eſt ſuperiore, *folia* paulò majora, neque ſubtus incana, ut in præcedente, ſed rariora & magis glutinoſa ſunt: ramulos quibus flos inhæſit tenues, exſuccos, planéque retorridos; aliquot inania capitula & omnino hiantia jam excuſſo ſemine, ſuſtinere deprehendebat Cluſius.

* 12. *Ciſtus Ledon foliis Thymi* C. B. Park. *Ciſt. Led. Thymi foliis Cluſii* J. B. *Ciſt. Ledon* x. *Cluſii* Ger. emac.

Cluſ.

Pedali duntaxat eſt altitudine, *ramulis* exilibus, lignoſis, ſatis tamen fragilibus, nigricantibus; pinguibus, & quodam lento humore madentibus: *foliis* longè minoribus quàm in præcedente, non multùm à Thymi foliis diſſidentibus. *Flores* non obſervavit Cluſius, quemadmodum nec in ſuperiore, ſed in oblongis ramulis quaſi umbellatim prodeuntia *capitula*, exigua & ſuperiore parte aperta, inania jam, & cum ſuis ramulis arida.

Naſcuntur hæc duo poſtrema in extrema Bæticæ parte qua Caſtellam novam ſpectat. *Locus.*

* 13. *Ciſtus Myrtifolius Balearicus Pennæi. Myrtociſtus Pennæi* Park. Cluſ. C. B. *Myrtoc. Th. Pennæi Angli* Ger. *Myrtoc. Pennæi, floribus luteis oblongis* J. B.

Cluſ.

Frutex eſt interdum tricubitalis, ſcabro admodum cortice, & veluti quibuſdam tuberculis obſito, qui in vetuſtis ramulis facilè abſcedit & ſponte decidit. *Folia* ſunt pænè Myrti (quorum dorſum non minùs ſcabrum eſt quàm ipſi ramuli) ſupernè lævia, conjugatim ut in Ciſti & Myrti generibus circa ramulos naſcentia. *Flores* ſummis virgis inſident lutei, quinque oblongis foliis conſtantes, & multis in meditullio longiuſculis ſtaminulis præditi: His ſuccedit oblongum & pentagonum *capitulum ſemine* plenum.

Tota ſtirps odorata eſt, & lentorem ſive pinguem quendam ſuccum, quali Ciſti Ledi genera madent, effundere videntur.

Ex Balearium inſularum majore *Majorica* vulgò dicta eruit Pennæus. *Locus.*

CAP. VII.

De Ciſto vaſculis trigonis, & primo De

§. 1. *Majore & fruticoſiore, Ciſtus fœmina dicto.*

* 1. *Ciſtus fœmina folio Sampſuchi* Park. *folio Sampſuchi incano* C. B. *folio Sampſuci Cluſii, cui macula in flore* J. B. *Ciſtus folio Sampſuchi* Ger. emac.

Cluſ.

FRutex eſt multos graciles ramulos proferens, in quibus *folia* parva, quaſi circinata, incana, Sampſucho ſimilia, paulò minora & dorſo eminente, contrariis inter ſe pediculis, ut in cæteris Ciſti generibus, naſcuntur, & adſtrictionem habent cum quadam aciditate & ſalſedine conjunctam. *Flos* in ſummis ramis copioſus, albus, meditullium petalorum macula ex purpura nigricans inficit, villis & ſtaminibus flavis medium florem occupantibus: *Capitula* deinde Lini ferè exigua, trigona, in quibus *ſemen* minutum Hyoſcyami, ex nigro candicans ſive cinereum continetur. Totus verò oblongus ille ramulus qui florem & capitula ſuſtinet, ſemine maturo areſcit, ut in ſingulis Ciſti generibus.

Copioſum invenit Cluſius circa *Caraicejo* & toto Bætico agro inter Tagum & Anam flumina. *Locus.*

* 2. *Ciſtus fœmina folio Thymi* Park. C. B. *folio Thymi Cluſii ſine macula in flore* J. B. *folio Thymi* Ger.

Cluſ.

Pedali fruticat altitudine, *ramulis* ex purpura nigricantibus, duris, lignoſis, qui magna ex parte ſine *foliis* conſpiciuntur præterquam circa eorum ſummitates, in quibus confertim naſcuntur, exilia admodum, viridia, Thymi foliorum æmula, adſtringentis guſtûs. *Florem* ſummis ramis fert, ſuperiori ſimilem, minorem & nullis maculis infectum. Semen non obſervavit Cluſius.

Solùm autem conſpectus eſt extrema Bæticæ parte, quæ Caſtellam & Luſitaniam ſpectat. *Locus.*

* 3. *Ciſtus fœmina folio Halimi major* Park. *fœm. Portulacæ marinæ folio, latiore, obtuſo* C. B. *folio Halimi* Ger. *folio Halimi, flore luteo* J. B. *folio Halimi* 1. Cluſ.

Cluſ.

Cubitales aut ampliores profert *ramos*, graciles, ſatis fruticoſos; in quibus folia Portulacæ marinæ ſimilia, ſed omnino incana ut Halimi, obtuſiore mucrone, ſubacidi & adſtringentis guſtûs. Summis ramis multi inhærent *flores*, flavi coloris, minores quàm in ſuperioribus, Helianthemo ſimiles, ſuas fibras in medio continentes.

His ſuccedunt longiuſcula & triangula *capitula* exiguum ſubrufum *ſemen* continentia.

Ad hujus radices Hypociſtidem obſervavit Cluſius.

Ciſtus fœmina folio Halimi minor Park. *fœm. Portulacæ marinæ folio anguſtiore mucronato* C. B. *folio Halimi longiore incano* J. B. *fol. Halimi* 2. Cluſ. *Ciſtus folio Lavendulæ* Ger.

Cluſ.

Procerior eſt priore, firmioribus ramis & incanis ut prior. *Folia* etiam habet Halimi, paullò tamen longiora, anguſtiora, magis mucronata & dorſo elatiore, incana tamen tota & ſicca, ſubacidi etiam & adſtringentis ſaporis. Hujus neque florem, neque ſemen vidit Cluſius.

Locus. Uterque frequens eſt in Luſitania arenoſo ſolo, & aurâ marinâ afflato inter Ericas non procul Olyſſippone, nuſquam alibi Cluſio conſpectus.

* 4. *Ciſtus fœmina Lavendulæ folio* Park. *folio ſpicæ* C. B. *folio Lavendulæ Cluſio, fortè idem cum Helianthemo recto* J. B. *mas tenuifolius* Ger.

Cluſ.

Cubitali plerunque altitudine eſt, plurimis ramis iiſque brevibus præditus; circa quos confertim naſcuntur *folia* anguſta, incana, Lavendulæ foliis proxima, adſtringentis guſtûs. *Flores* ſuperioris floribus non multùm abſimiles, parvi, candidi: Semen non obſervavit Cluſius.

Adeò Lavendulæ ſimilis eſt, ut excepto odore & ſapore cùm non floret pro ea ſumi poſſet.

Locus. Solo Valentino regno, aridis & petroſis locis quarto à Valentia mil. Aprilis initio invenit Cluſius.

5. *Chamæciſtus Halimi folio oblongo* Moriſ. prælud.

Hic ſuffrutex ad pedalem altitudinem utplurimum, aliquando ad bipedalem aſſurgit. *Folia* profert, oblonga, mucronata, incana, Halimi inſtar. *Flores* fert luteos, quibus delabentibus ſuccedunt capſulæ triangulares, minuta multa ſubruffa *ſemina* in ſe continentes.

Locus. In glareoſis & arenoſis circa caput Cenomanorum.

6. *Ciſtus Ledon folio Myrti* C. B. *ledon anguſtifolium* Ger. *ledum Myrtifolium Lobelii* Park.

Virgis, ſurculis, foliis multò craſſioribus, latioribus & longioribus eſt quam mas, fœmina, aut ladanifera vulgaris, Sumachi Plinii aut Ruſci modo fruticoſa, ſemine item tricocco.

Multa laſcivit quopiam in monte celſiſſimo agri ſterilis Sevenæ, cui nomen S. Columbæ. Alioqui guſtu Ciſti Ledi, & fragrantiâ graviuſculâ.

Suſpicor hanc non differre ſpecie à Ciſto Ledo 1. ſeu latifolio *Park.* quantumvis Lobelius ſemen tricoccum ei attribuat.

§. 2. *De Ciſto capſulis trigonis annuo.*

1. *Ciſtus folio Plantaginis* C. B. *Tuberaria major Myconi* J. B. *An Tuberaria noſtra* ejuſdem.

J. B.

Caulis pede altior, teres, alioqui glaber, imâ duntaxat parte tomento candicante obſitus, interlucente levicula quadam rubedine. *Folia* circa infimum caulis crebra, Plantaginea, ex rotundo oblonga, latitudine ſemunciali, longitudine ferè unciali, ſupra ſubtúſque incanâ lanugine pubeſcentia, nervis tribus Plantaginis in morem diſpoſitis diſtincta. Per reliquum caulem ex longis intervallis bina folia adverſo ſitu velut ex geniculo naſcuntur, (aut alterum altero paulò inferius) anguſtiora, longiora, acutioráque quàm infima, glabra, nervoſa. In ſupremo caulis faſtigio *flores* plures, interdum ad 12, plurium foliorum voluminibus contexti, quorum baſin fulciunt foliola perpuſilla, acuminata.

Locus. In monte D. Joannis propè Piſas collecta fuit inter plantas Stœchadis Arabicæ.

Mycono *Radix* lignoſa per ſumma ceſpitum ſpargitur: *floris* color luteus: ſemen folliculo incluſum.

D. Magnol in *Indice plant. Monſp.* Tuberariam majorem & minorem Myconi pro eadem plantæ ſpecie habet, pro loci humidioris vel ſiccioris natura variante.

2. *Ciſtus flore pallido, punicante maculâ inſignito* C. B. *annuus flore maculato* Ger. emac. *annuus flore guttato* Park. Ponæ. *Tuberaria minor Myconi* Lugd. J. B. *Helianthemum flore maculoſo* Col.

Folia in terram ſtrata promit, tribus nervis diſtincta, oblonga, Centaurii vulg. min. modo, ſed acutiora. [*Mycono* plantagini ſimilia ſed minora, humi repentia, villoſa; *Ponæ* Oleæ effigie] Unico *caule* obſervavit Columna, nec ramoſo, [Binos caules appingit Myconus] pedali altitudine, tenello, recto, nec admodum ramoſo *Cluſ.* quadrato, hirſuto, vireſcente *Ponæ.* *Folia* per genicula bina, alterno ſitu, parva, hirſuta. In ſummo ex petiolis longis *Flores* plures, pentapetali, lutei, petalis ſingulis punicante Columnæ ex nigro rufeſcente macula circa unguem inſignitis, antequam aperiantur nutantes, ſicuti & fructum habentes, & hiantes eriguntur, paulatim, in medio *apicem* habentes craſſum, quem plurima *ſtamina* circundant. Tenella admodum & triquetra *capitula* puſillum & cinereum *ſemen* continent. Folia diluta viriditate prædita unà cum ramulis per Caniculæ æſtus pingui quodam & lento humore ſunt obſita. *Cluſ.*

Locus. Nos ad radices Veſuvii moncis invenimus flore non maculato, quales & F. Columna obſervavit quamplurimas eodem loco una cùm maculoſis naſcentes. Maio menſe floret.

In Madritiana ſylva invenit Cluſius ſecundo ab urbe Lutetia milliari. Myconus ex Hiſpania miſit, ubi paſſim, inquit, in pratis reperitur locis pinguibus & terrenis. Radice ſimplici, lignoſa, tenui, & nonnihil fibroſâ alitur.

D. *Magnol* (ut diximus) Tuberariam majorem & minorem Myconi pro eadem plantæ ſpecie habet, pro natura duntaxat loci humidioris aut ſiccioris magnitudine variantis; utranq; autem in luco Gramuntio abundè provenire ait, quin & foliis anguſtiſſimis ſe inveniſſe plurimis aliis in locis, valdè accedentem ad Ciſti ſpeciem annuam anguſtifoliam *J. B.* Nos ejus ſententiæ libenter aſſentimur, ut qui ſpecies temere multiplicare odimus.

Sunto ergo, ſi videtur, Tuberaria noſtras *J. B.* Tuberaria major & minor *Myconi.* Ciſtus annuus ſecundus *Cluſ.* Ciſtus annuus flore guttato *Ponæ*, denique Ciſti ſpecies annua anguſtifolia *J. B.* una & eadem plantæ ſpecies.

3. *Ciſtus annuus* Ger. *annuus folio Salicis* Park. *annuus* 1. *Cluſio folio rotundiore* J. B. *folio Salicis* C. B.

J. B.

In hortis cultus ad cubiti interdum altitudinem & majorem excreſcit: ab una *radice* lignoſa & nigra, modò *coliculo* uno, modò pluribus, quinq; ac etiam ſex, medio erectiore, omnibus hirſutis, teretibus: *foliis* veluti per genicula binis, Majoranæ ſimilibus, longioribus, potiſſimùm circa medios caules, inferiora enim rotundiora ſunt, ſuperiora verò anguſtiora, piloſa. Ad latera ſingulorum geniculorum, ad unumquodque *folium* duo parva foliola. In extremis ramis duo, tres, quatuórve *flores*, pallidi aut albicantes, unuſquiſq; in ſuo geniculo, ex brevi pediculo, hirſuto, uno folio longo & duobus parvis ad ejus exortum appoſitis. Floribus ſuccedunt *vaſcula* triquetra, brevia, magna, Ciceri ferè æqualia, quæ matura in tres dehiſcunt veluti cotylas, latas, corticoſas, ruffas, quas cingunt foliola tria hirſuta, coſtas habentia. Intus membranula, tenuis, lucida, cui adhærent multa *ſemina* minùs ruffa, papaverinis minora, inæqualia, matura Auguſto.

In vinetorum apud Salmanticenſes marginibus, & Granatenſi regno Cluſio obſervatus eſt. **Locus.**

Caſtellani *Turmeram* hunc vocant, autore Cluſio, i. e. Tuberariam, forſan quia ubi hæc naſcitur Tubera, quæ illis *Turmas* dicuntur, creſcant. Eadem ſcribit Myconus de Tuberaria ſua minore, quæ ab hac tamen diverſa eſt, nimirum Ciſtus annuus 2. Cluſii.

Hujus alia ſpecies invenitur, longioribus aliquantulum *virgis* non tamen minùs hirſutis, anguſtioribus etiam *foliis*; cujus *flos* minor, pallidus, valdè caducus: capitula & ſemen ſimilia. Huic ſimilis eſt, ſi non idem,

* 4. *Ciſtus Ledi folio* C. B. *annuus folio Ledi* Park. *annuus folio Ledi, flore luteo* J. B. *annuus longifolius Lobelii* Ger.

Park.

Elatior eſt præcedente, *virgis* craſſioribus, non minùs tamen hirſutis, *foliis* ad genicula duobus tribúſve cinctis, longioribus, anguſtioribus, mucrone acutiore, hirſutis nonnihil, colore viridi ſaturatiore. *Flores* evanidi, versùs ſummos caules ex alis foliorum exeunt ſingulatim, pari cum ſuperioris floribus magnitudine, pallidè lutei. *Capitula* & *ſemen* illius ſimilia.

Annua eſt planta; in hortulo tamen noſtro aliquando hyemem pertulit, cùm ſuperiori æſtate non floruerat, inquit Parkinſonus.

In loco dicto *la garrigue dau Tarrall* & circa Salenovam in herbidis incultis ultra pontem ſæpiùs collegimus, inquit *D. Magnol* in *Botan. Monſpel.* **Locus.**

Eidem Ciſto annuo Cluſii ſimilis etiam eſt

* 5. *Ciſti ſpecies annua anguſtifolia* J. B.

J. B.

Dodrantalis eſt, vel etiam major ac cubitalis: *radix* unica, leviter fibroſa, ſatis tenuis, recta: *Caulis* unicus, teres, hirſutus, gracilis, quatuor aut quinque geniculis diſtinctus; ad quorum unumquodque *folia* bina, duabus unciis longiora, anguſta, hirſuta, ad Ledi Monſpeſſulani accedentia; ad radicem breviora. Subdividitur is in aliquot ramulos, inæqualiter non ex adverſo ſitos, quod obſervaverimus, quatuor aut quinque uncias longos; *capitulis* multis (ad quindecim numeravimus,) parvis triquetris, Ledi Monſpeſſulani ſimilibus, minoribus tamen, ex pediculis ferè uncialibus in unam partem inſtar jubæ vergentibus. [*Flos* circulum in medio nigrum habet cujus interiora alba, punctulis nigris aſperſa, aliquando etiam ſtriis intercurſantibus nigris, folia flava *Cherl.*]

Inter Monſpelium & *Peroul* invenit C. Bauh. *D. Magnol* pro Tuberaria minore Myconi hunc habet: vide ſupra quæ ad illam plantam annotavimus. **Locus.**

§. 3. *De Ciſto capſulis trigonis humiliore & perenni ſeu*

De Chamæciſto & Helianthemo.

A. 1. *Chamæciſtus vulgaris flore luteo* C. B. *Helianthemum vulgare* Park. *vulgare flore luteo* J. B. *Helianthemum Anglicum luteum* Ger. *item luteum Germanicum* ejuſdem. **Dwarf Ciſtus, or little Sun-flower.**

E *radice* alba, lignoſa *Caules* plures, tenues, teretes, humi fuſi, hirſuti emergunt, *foliis* veſtiti oblongis, anguſtis, ex adverſo binis, pediculis brevibus inſidentibus, ſupernè viridibus, ſubtus incanis, mucronibus obtuſis. *Flores* in ſummitatibus in longas veluti ſpicas diſpoſiti, alii ſuper alios, pediculis ſemuncialibus appenſi, lutei, pentapetali, cum plurimis intus *ſtaminulis* flavis, è *calice* trifolio lineis rubris ſtriato exeunt. *Flori* ſuccedit vaſculum trigonum, grande, *ſemina* aliquot trigona, ruffa continens. Ad floris uniuſcujuſque pediculum apponitur foliolum longum anguſtum. Delapſo flore *ſemina* deorſum dependent. Floret Junio.

Locus. In montoſis ſiccioribus præſertim cretaceis abundat.

Helianthemum foliis majoribus flore albo *J. B.* Chamæciſtus vulgaris flore albo majore *C. B.* à priore ſola magnitudine & floris colore albo differt, inventu rariſſimum eſt.

Vires. Vulneraria eſt & aſtringens hæc planta, unde in ſputo ſanguinis, alvi profluvio, uvula (& ut numero dicam) omnibus affectibus quibus fluxus nimius conjunctus eſt, Symphyti aliarúmque conſolidarum more, uſurpari poteſt *J. B.* Hinc *Panax Chironium* nonnullis credita eſt, & Herbariorum Germanicorum vulgo *Conſolida aurea* dicta.

Exhibetur decoctum in vino rubro cum Symphyto & Plantagine ad ſanguinis ſputum, diarrhœam, dyſenteriam, &c.

Ad ulcera oris & genitalium decoquitur in vino rubro addito momento Aluminis, decoctionéque os colluitur aut ulcera partium dictarum.

* 2. *Ciſtus humilis Cluſio ſive Helianthemum omnino candicans flore nunc albo, nunc pallido* J. B. *Chamæciſtus foliis minoribus & incanis* C. B. *Chamæciſtus* 4. Cluſii.

Cluſ.

Exigua eſt plantula, tenuibus, lignoſis, humíque ſparſis virgulis prædita: *foliis* primo generi, quod Helianthem. putant, ſimilibus, minoribus tamen, omnino candicantibus, guſtu adſtringentibus. *Flores* extremis ramis inſident, coloris interdum albi, utplurimum pallidi, *ſtaminibus* medium florem occupantibus. *Semen* triangulis capitulis, Lino paribus ineſt, exiguum, ruffum. *Radix* lignoſa & fibroſa.

Locus. Salmanticenſi agro frequens eſt: J. Bauhinus Monſpelii vidit florentem in monte propè *Caſtelneuf*, & in montibus propè *Gigan*, menſe Martio & Aprili.

Mentzelius in Pugillo Plantarum rariorum Helianthemi ſpeciem in monte Apennino collectam depingit quam

Helianthemum ſaxatile, caulibus & foliis incanis, oblong. fl. albiſſimis, Appenineum inſcribit.

3. *Chamæciſtus foliis Thymi incanis* C. B. *Helianthemum flore albo folio anguſto hirſuto* J.B. *An Chamæciſtus* V. Cluſ? *Helianthemum anguſtifolium* Park. Ger.

J. B.

Plantula ſeſquipalmaribus dodrantalibúſve ramis donata, interdum paulò majoribus, Monſpelii verò & Lugduni nunquam ferè cubitalibus, partim erectis, partim repandis. *Folia* mediocriter magna, ſemunciam longa, anguſta, piloſa, incana ut Lavendulæ, inſipida, nonnihil viſcoſa. *Flores* ex longa ſerie plures, quales Helianthes vulgaris, niſi quod albi, fibris luteis medium occupantibus. *Calyces* hirſuti, *vaſcula* quoq; conſimilia in quibus *ſemen*. Quæ Monſpelii provenit radicem habet craſſiuſculam, lignoſam quæ in frequentes abit propagines.

Locus. Propè Monſpelium in collibus Caſtro novo adjacentibus obſervavimus atque etiam circa Nemauſum. Folia ei oblonga ſunt, incana, & figurâ ſua ad Roſmarini folia accedentia, niſi quod breviora ſint.

J. Bauhinus dubitat an hæc planta ſit Chamæciſtus 5. *Cluſ. hiſt.* & revera deſcriptio Cluſii non videtur exactè reſpondere.

* 4. *Chamæciſtus repens ſerpyllifolia lutea* C. B. *Serpylli folio nigricante & hirſuto, flore aureo odorato* J. B. *Serpylli folio, flore luteo* Park. 2. Cluſ. *Ciſtus humilis Serpyllifolia* Ger.

Cluſ.

Multos promit ex eadem radice *ramulos*, tenues, oblongos, ſummâ tellure ſparſos, ſubrubentes; in quibus exigua *folia*, ordine quodam ac duplici ſerie diſpoſita, Serpyllo ferè ſimilia, nigricantia & hirſuta, craſſáque: ſub florum autem partum in novellis ramis longiora & candidiora. *Flores* in extremis eiſdem novellis ramulis terni aut quaterni, oblongis & hirſutis pedicellis inhærentes, Helianthemi vulgaris floribus magnitudine pares, ſed aurei planè coloris & odorati. *Semen* obſervare non licuit. *Radix* multifida, aliquot fibris latè ſparſis capillata.

Nuſquam niſi in ſummis Auſtriæ & Stiriæ Alpibus invenit Cluſius, idque ſemel, menſe Auguſto florentem: in hortos tranſlatus Maio menſe floruit; ſed *flores* cum ſuis pedicellis nimium caduci, omnem obſervandi ſeminis occaſionem planè ademerunt.

Ciſtus Helianthemos flore parvo luteo J. B.

Florum parvitate qui triplo minores quàm Helianthemo vulgari, & loco naſcendi circa Nemauſum à ſuperiore differt.

* 5. *Chamæciſtus anguſtifolius flore luteo Cluſii* J. B. *Chamæciſtus anguſtifolia* C. B. *Chamæciſtus* 6. Cluſ. *Ciſtus humilis anguſtifolius* Ger. *Helianthemum anguſtifolium* Park.

Cluſ.

Dodrantales aut majores humíque fuſos *ramulos* habet, multis oblongis anguſtiſque *foliis*, nullo certo, ſed confuſo, utplurimum, ordine diſpoſitis ſeptos, præter vulgarem in omnibus Ciſti generibus foliorum ſitum, *ſaporis* initio velut gummoſi, deinde amaricantis. Extremos ramulos bini aut terni occupant *flores*, lutei cum ſuis in medio ſtaminulis coloris: quibus ſuccedunt trigona *capitula* ſatis magna, majuſculum & inæquale *ſemen* continentia. *Radix* lignoſa, dura, vivax, foris nigro cortice obducta, & in aliquot ramos ſparſa.

Rarior eſt, nuſquam enim niſi in monte Badenſibus thermis imminenti, quarto à Vienna Auſtriæ milliari, atque in Hamburgenſi duobus à Poſonio Ungariæ urbe mil. pauculas plantas inveniebat Cluſius florentes menſe Junio, & brevi ſemen perficientes. *Locus.*

* 6. ***Chamæciſtus** foliis Myrti minoris, incanis* C. B. *foliis Myrti Tarentinæ canis vel cinereis* J. B. *Chamæciſtus* 3. Cluſ. *Chamæciſtus latifolius* Park. *Ciſtus humilis latifolius* Ger.

Cluſ.

Dodrantalibus eſt ramulis, humi diffuſis: quos bina ſemper contrario inter ſe ſitu ſepiunt *folia*: Myrti Tarentinæ foliis æqualia aut anguſtiora, ſupernè cinereâ quadam lanugine obducta, infernè verò omninò incana, guſtu adſtringente & nonnihil amaro prædita. Pedicellos poſtea exſerit duas aut tres uncias longos, quibus inſident quinque aut ſex *flores* Chamæciſti ſerpyllifolii ferè formâ ſimiles, lutei coloris. His ſuccedunt trigona parva *capitula, ſemine* inæquali, minuto, ruffo plena. *Radix* lignoſa, dura, vivax. In hoc etiam ramuli flores ſuſtinentes, maturo & deciduo ſemine, exiccari & confringi plerunq; ſolent.

Naſcitur maximâ abundantiâ in omnibus illis montibus, qui à *Calenberg* Danubio imminente ad Alpes Auſtriacas continua quadam ſerie procurrunt, &c. Floret Maio; *ſemen* maturum eſt Junio. *Locus.* Invenitur etiam in monte *Capouladon* non procul Monſpelio *Botan. Monſp.*

A. 7. ***Helianthemum** Alpinum folio Piloſellæ minoris Fuchſii* J. B. *Item, Ciſtus Helianthemos folio Polii montani* ejuſdem *fortè: item Ciſtus puſillus folio candido, flore luteo* ejuſdem.

J. B.

Fruticoſa eſt herba, cui *folia* oblonga, Piloſellæ minoris Fuchſii ſimilia, inferiore parte magis candicantia, ſuperiore viridia & piloſa, ſed minùs quàm in inferiore. *Flos* luteus, qualis Helianthemo vulgari.

Plantula nobis collecta in monte *Saleva* propè Genevam, *cauliculos* ſurrigit palmares & longiores, tenues, teretes, incanos, non ramoſos, *foliis* per intervalla longiora binis adverſis cinctos, ſumma ſui parte quatuor aut quinque floſculos ſingulatim caulem conſcendentes, pediculis tenuibus appenſos, ſuſtinentes, parvos, colore luteo. *Folia* ima uncialia ferè aut minora, oblonga, in acumen deſinentia, cinerea & fere alba: quæ cauliculos veſtiunt breviora ſunt & pro magnitudine latiora. In montoſis Septentrionalibus Angliæ à ſe inventum nobis oſtendit *D. Jac. Newton.*

Ad latera & radices montis Salevæ propè Genevam copioſè oritur. *Locus.*

* 8. ***Helianthemum** ſive Ciſtus humilis folio Sampſuchi capitulis valdè hirſutis* J. B.

Plantæ nobis deſcriptæ & intellectæ eadem eſſe videtur. Radicem lignoſam craſſiuſculam ei attribuit; *folia* Majoranæ foliis paria. Vide & confer.

Hunc Monſpelii collectum habuit J. Bauhinus. Juxta Monſpelii patibulum magnâ copiâ fruticat *Ciſti folio Majoranæ* nomine notus. *Botan. Monſp.*

* 9. ***Chamæciſtus** Serpyllifolia floribus carneis* C. B. *Cham.* 7. Cluſ. *Cham. Serpylli folio, flore carneo* Park. *An Chamæciſtus* Alpin. ex? *Serpyllifolius* Ger. emac.

Cluſ.

Oblongis, quandoque dodrantalibus tantùm ſerpit ramulis, humi diffuſis, nigricantibus, in multos alios breves ramulos diviſis. *Folia* frequentia & conferta ſunt, bina ſemper inter ſe oppoſita, exigua, Serpyllo minora, Thymi durioris foliis haud majora, craſſa, ſuperiore parte viridia, infernè candicantia, amaricantis ſaporis: extremis ramulis innaſcuntur bini aut quaterni *floſculi*, ſimul juncti, perpuſilli, pentapetali, carnei quaſi coloris: His ſuccedunt *capitula* in quinque crenas maturitate ſeſe aperientia, & ſemen exile admodum oſtendentia. *Radix* dura, lignoſa, aliquot fibris donata eſt: quinetiam rami ſubinde tenues fibras agunt. Exiccata planta non injucundo ſpirat odore.

Naſcitur tenui ſolo inter ſaxa, in ſummis *Sneberg*, *Snealben*, & aliis Auſtriacarum Stiriacarúmque *Locus.* Alpium ſuperciliis. Floret Junio aut interdum paulò maturiùs.

Vaſculo ſeminali ab hoc genere differre videtur.

10. ***Helianthemum** tenuifolium glabrum flore luteo* J. B. *Chamæciſtus Ericæ foliis* Park. *Cham. Ericæ folio luteus* J. B.

J. B.

Ex *radice* craſſa, lignoſa, cortice nigricante contecta *ramuli* plures exurgunt, lignoſi, dodrantales, nonnunquam erecti, interdum per humum ſparſi, *foliis* donati valdè tenuibus & anguſtis, ut in Cori Monſpeſſulana, vel Erica arboreſcente, viridantibus & ſubrubentibus, glabris, nec ſibi oppoſitis ut in vulgari, ſed alternatim ramos conſcendentibus, & ſingularibus. Ramoſius videtur quàm Thymifolium ſequens. *Flores* multò minores quàm in vulgari, aurei, caduci, quibus ſuccedunt *vaſcula* majuſcula, lucida, quæ ſemine maturo in tres veluti ſcutellas triquetras dehiſcunt; ea autem vaſcula ambiunt tres tunicæ. *Semen* copioſum, ferrugineum, triquetrum.

Ad radices montis Juræ & in collibus ſaxoſis circa Genevam & Monſpelium multus oritur. Duplex habetur erectior & humilior. Hi (inquit D. *Magnol*) non tantùm magnitudine differunt ſed & modo conſervandi ſeminis, ſiquidem erectioris capſula dum aperitur decidit ſtatim ſemen, ſicut aliis accidit, at in humiliori quamvis capſula aperta ſit & prona versùs terram, manet tamen ſemen quaſi capſulæ adhærens. *Locus.*

11. *Helianthemum folio Thymi incano* J. B.

J. B.

Virgulæ plures, tenues, incanæ, quæ in alios repandos mox dividuntur ramulos. *Foliola* Thymi durioris, minuta, brevia, hirſuta, cinerea, terna, quaterna, interdum plura ex eodem geniculo enata. *Flos* & capſellæ in tres carinas dehiſcentes cum involucris hirſutis, ut in Helianthemo vulgari. *Radix* craſſiuſcula, contorta, lignoſa, multifida, multorum capitum.

Fortè (inquit J. B.) hanc miſcet & intelligit Lobelius cum Helianthemo tenuifolio glabro: ſimiles ſunt plantæ, differentes tamen diligentiùs conſideranti.

Nos circa Monſpelium obſervavimus in eadem planta *folia* inferiora in caulibus tenuiſſima, qualia ferè Camphoratæ Monſpel. ſuperiora verò longè diverſa, viridia & Helianthemi proximè deſcripti foliis ſimilia, unde & Lobelium non imperitè aut temere has duas plantas miſcuiſſe opinati ſumus: poſtea tamen circa Maſſiliam Chamæciſti ſpeciem obſervavimus cujus omnia folia tenuiſſima erant Camphoratæ ſimilia & glabra, plura ſimul naſcentia; aliam etiam ſpeciem, folio Thymi longo re, cujus tamen florem & vaſculum ſeminale non vidimus.

His adde, anomalas quaſdam & parum cognitas ſpecies.

1. *Helianthes ſpecies rara, comâ inflexâ ut in Heliotropio* J. B. *Telephium repens folio deciduo* C. B. *Telephium legitimum Imperati* Cluſ. Ger. Park.

Radix craſſitudine digitali, longitudine ſeſquipalmari, lignoſa, fibris paucis ſed validis donata, foris buxea, intus alba, vivax, *ramos* ſex, octo, aut plures per terram ſpargit, palmares & ſpithamæos, teretes, tenues; quibus *folia* nullo inſigni ſapore prædita, crebra, alterno ſitu utrinq, adnaſcuntur, Majoranæ, glabra, & ex viridi luteola, unico nervo per longitudinem decurrente: at priora folia & quæ proximè terram non parùm ab iis quæ per ramos viſuntur differunt, utpote longiuſcula. *Flores* in extremis ramulis perquam conferti, & Scorpioidis inſtar reflexi quinis foliis albis conſtant, *apicibus* luteolis, quinque viridantibus extrinſecùs obvallati: *capitula* ſequuntur triquetra, fuſca, *ſemine* exiguo, papaverino pari, atro, cavitatem impreſſam altera parte habente, altera gibbo referta amaro.

Moriſonus hanc plantam Polygoni ſpeciem facit, verùm cùm Cluſius & J. Bauhinus diſertis verbis affirment fructus ejus triquetros non ſemina eſſe, ſed vaſcula ſeminalia, multis ſeminibus referta, cum illo ſentire non poſſumus; verùm ob flores pentapetalos, & vaſcula ſeminalia triquetra, quibus cum Chamæciſtis convenit, iis cum J. Bauhino ſubjungendam duximus, quamvis foliorum ſitu alterno ab iiſdem differat.

2. *Ciſtum folio Stœchadis citrinæ* C. B.

Cujus neque deſcriptionem, neque ſynonyma dat.

3. *Ciſtum folio Majoranæ* C. B.

Eadem videtur Chamæciſto octavæ, id eſt, Helianthemo ſive Ciſto humili folio Sampſuchi capitulis valdè hirſutis *J. B.* quam D. Magnol Ciſti folio Majoranæ nomine Monſpelii notum ſcribit.

Item,

4. *Chamæciſtum quadrifolium* C.B. i.e. *Helianthemum Sabaudicum* Park. Tab. Ger.

Foliis quaterno ordine in caule poſitis, viz. ad ſingula genicula quatuor, à reliquis congeneribus præcipuè differt: in quo convenit cum Pſeudo-ciſto Ledo altero *Alpin. exot.*

5. *Pſeudo-ciſtus Ledum* Alpin. exot. *Pſeud.* 1. Park.

Alpin.

A *radice* longa craſſâque mittit plures ſurculos rectos, rotundos, graciles, foliis fere Liguſtri, ſed minoribus longis intervallis pauciſſimis veſtitos, qui utrinq, inordinatim in plures parvos ſurculos dividuntur, in quorum ſummitatibus *flores* Ciſti floribus longè minores apparent, à quibus *ſiliquæ* rotundæ, oblongæ, in acutum deſinentes, nigræ, minutum *ſemen* continentes. Tota planta inodora & inſipida eſt.

6. *Pſeudo-ciſtus Ledon alterum* Alpin. exot. *Pſeudoc.* 2. Park.

Alpin.

Herba eſt fruticoſa ab una *radice* parva *caulicules* plures, molles, obliquos producens: *foliis* Myrti ſed minoribus, & mollibus, in nigrum albicantibus utrinque bini ad intervalla; à quibus foliis ſimul exeunt *flores* albicantes, parvi, à parvis petiolis pendentes; quibus ſuccedunt *folliculi* parvi, rotundi, in acutum deſinentes, Ciceris magnitudine, colore flaveſcentes, qui *ſemina* minuta continent, colore itidem flaveſcentia.

Locus. Cretæ indigena eſt.

Cap. VIII.

De Hyperico, Androſæmo, Aſcyro.

Hypericon, Androſæmum, Aſcyron non aliter inter ſe differunt quàm ut Genus & ejuſdem ſpecies. Hypericum enim Generis nomen, Aſcyron & Androſæmum quarundam ejus ſpecierum.

Hyperici nominis rationem non invenio. Aſcyron Grammatici per Antiphraſin dictum volunt cùm mollis herba ſit, σκύρος enim Græcis aſperitatem ſignificat. Androſæmum autem ab ἀνδρὸς αἷμα dictum conſtat, quòd comæ ejus tritæ terentium digitos velut cruentent.

Notæ Hyperici characteriſticæ, præter foliorum in caule ſitum adverſum, ſunt flores flavi ſtaminibus multis; vaſculum ſeminale è tribus partibus, [in uno genere quinq;] compoſitum, triplici ſtylo, coma attritu ſanguineum ſuccum reddens.

1. *Androſæmum Conſtantinopolitanum flore maximo* Wheeleri. *Aſcyroides* Alpin. exot. *Aſcyroides Cretica major* Park.

Hujus *folia* conſiſtentiâ & colore ſunt foliorum Androſæmi vulgaris, longiora & magis lenta, *cauli* quadrato, fruticoſo, rubenti, non ultra ſpithamæ longitudinem aſſurgenti adnaſcentia. Caulis faſtigio inſidet *flos* ampliſſimus, pentapetalos, petalis incurvis ſeu arcuatis; è quorum umbilico ſtaminula infinita, flava, oblonga, in formam globoſam compoſita, apicibus veluti punctis notatis, exurgunt. *Siliculæ* ſuccedunt pyramidales, è loculamentis quinis, dum adhuc viridia ſunt arctè junctis, per maturitatem dehiſcentibus compoſitæ, cæterarum hujus generis capſulis triplo majores. *Radix* longè latéque ſerpit, & plantam ſtolonibus emiſſis propagat.

Floret Junio & Julio, ſemina perficit Auguſto & Septembri menſibus. *Tempus.*

Hæc nobis eadem planta videtur quam deſcribit & depingit *Proſper Alpinus* in Exot. titulo *Aſcyroidis.* Et rectè noſtro judicio Aſcyroiden potiùs quàm Aſcyron appellat, ob capſulas in quinq; loculamenta diſpertitas, præter normam hujus generis reliquorum.

Non eſt autem reticendum, *D. Wheeler* unicum tantùm florem ſummo hujus plantæ cauli appingere, nec plures in deſcriptione ei videri attribuere: cùm Alpinus, & Moriſonus etiam, plures ei dant. Moriſonus autem plantam ipſam è ſemine à D. Wheeler miſſo ortam in horto Academico Oxonienſi coluit. Fortè in loco ubi eam invenit (prope Conſtantinopolin) ob ſoli ſiccitatem aut ſterilitatem unum tantùm florem produxit. Odore eſt Terebinthinæ optimæ fragrantiore.

Hujus plantæ folia & virgas Vincæ pervincæ foliis & virgis comparat D. *Covell*, inque eodem caule unum vel duos (interdum etiam plures) flores geſtare ſcribit, odore Sericum crudum referentes.

* 2. *Hypericon Olympi montis* Wheeleri. *An Aſcyron magno flore* C B. Park?

Hanc plantam *D. Wheeler* ab Androſæmo ſuo Conſtantinopolitano diverſam facit. Hæc etenim caule eſt pedali aut altiore, cùm illud ultra ſpithamæ altitudinem à terra non aſſurgat. Hujus folia Hyperici vulgaris ſimilia ſunt ſed minora: illius conſiſtentiâ & colore Androſæmi vulgaris, duntaxat longiora & tenaciora. Hujus deniq; (quod præcipuè eſt notabile) vaſculum ſeminale rotundum eſt Androſæmi vulgaris inſtar, illius oblongum, & in quinq; loculamenta diviſum.

Deſcriptio Aſcyri flore magno apud C. Bauhinum in Prodromo plantæ noſtræ ſatis bene convenit, niſi quòd plures in ſummo caule flores ei attribuere videatur, cùm noſtrum Hypericon unicum tantùm geſtet. Deſcriptio Bauhini ſic ſe habet:

Aſcyro vulgari ſeu Hyperico dumetorum ſimile eſt, *caule* ſeſquicubitali, rotundo, glabro, ruſeſcente, quem folia pallidè virentia & infernè albidiora, unciam longa, ſemunciam lata, ſubrotunda, bina ſemper ſitu adverſo cingunt. In caulis ſummo *flores* calyce viridi ſuſtentati, pallidè lutei, magni, quintuplo vulgaris majores, ex quinque foliis uncialibus compoſiti; è quorum umbilico *ſtaminula* plura, flava, veluti puncto notata exurgunt. Siliquas & ſemina non vidit Bauhinus.

In Pyrenæis D. Burſerus legit. In Olympo Aſiæ monte D. *Georgius Wheeler.* *Locus.*

3. *Androſæmum fœtidum* Park. *capitulis longiſſimis filamentis donatis* C. B. *Ruta Hypericoides quibuſdam Sicilianæ affinis ſive Tragium* J. B.

J. B. Bel.

Frutex eſt rectus, aſpectu pulcher, ad tres, nonnunquam & quinque, cubitos aſſurgens, *caule* tereti, lævi, ramoſo, rubente, brachiali interdum craſſitudine: *foliis* ad articulos adverſis, duplo Hyperici majoribus, glabris, neutiquam pertuſis, fœtidis. [Bellus foliis Glycyrrhizæ aut Terebinthi ea comparat.] Sapore ut J. Bauhino videtur, acidulo: *Floribus* magnis, Sicilianæ proximis, [ſed quadruplo majoribus *Bel.*] luteis, denſâ cirrorum, luteorum, tenuiſſimorum longorúmque intortis apiculis, ſegete medium occupante: *capitulo* ſequente oblongo, rotundo, Terebinthino fructui æquali, tenuiſſimo *ſemine* referto, [è cujus ſummo emicant ſtamina longa *J. B.* quod obſervatu dignum.] Capitula hæc à planta non decidunt, ſed ei perpetuò inhærent.

Secus fontes & rivulos provenit non in Creta tantùm, ſed & in Sicilia & Calabria frequens. Tota planta ità hircinum virus olet ut longius percipi poſſit: æſtate reſinam fundit, ſed paucam. Perpetua fronde viret, Bello teſte. Junio menſe floret. *Locus.*

* 4. *Coris Hypericoides quorundam* J. B. *Coris Matthioli* Park. Ger. emac. *item Coris legitima Cretica Belli* ejuſdem. *Coris lutea* C. B.

J. B.

Lignoſis Ericæ ramulis Thymi magnitudine fruticat, vel potiùs Corios Monſpeſſulanæ, tenuioribus, erectis, in multas alas brachiatis, teretibus, ſubrubentibus. *Folia* ex brevibus intervallis veluti ad articulos terna, radiata, Ericæ arboreſcentis. Caulium faſtigia, in ramulos ſubinde abeuntia longiuſculos *flores* gerunt planè Hyperici, luteos, quinis foliis radiatis, conſtantes, numeroſorum croceorum apicum cirris medium occupantibus. Folia per hyemem viridia retinet, Bello teſte. Toti flori foliola puſilla viridantia ad baſin ſubjecta ſunt.

Nos cum C. Bauhino Corin Matthioli & Corin legitimam Ericæ ſimilem Belli ad idem caput reducimus.

A. 5. *Hypericum* Ger. *vulgare* C. B. Park. *vulgare ſive Perforata caule rotundo, foliis glabris* J. B. **Saint Johns wort.**

E *radice* lignoſa multifariam diviſa, buxeo cortice intecta, virgulæ ſurgunt complures rigidæ, lignoſæ, teretes, ſubrubentes, in plurimos ramos diviſæ, ſeſquicubitales aut altiores. *Folia* ex adverſo bina, abſque pediculis caulibus adnata, Majoranæ aut Centaurii minoris, glabra, nervis per longum excurrentibus donata, innumeris foraminulis Soli objecta pertuſa eſſe videntur (unde & *Perforata* dicitur hæc herba) ſapore ſicco & adſtringente cum aliquo amarore. A geniculo ad geniculum ſeu à pari foliorum inferiori utrinque ad utriuſque ſuperioris paris folii nervum excurrit linea in caule elatior, ceu angulus quidam. *Flores* in extremis ramulis copioſi, ex quinq; radiatis foliis compoſiti, fimbriati, apicibus multis concoloribus, majores & ſpecioſiores quàm Aſcyri, brevibus aut nullis pediculis nixi, ſtylo triplici. *Calix* quinq; anguſtis acutis ſegmentis conſtat. *Semen* parvum, ex nigro ruffum, in *capitulis* oblongis granum hordei imitantibus, è tribus carinis compoſitis. Tam flores quàm capitula ſemine gravida, ſi terantur, ſanguineum ſuccum reddunt.

Deſcriptio eſt J. Bauhini à nobis interpolata.

Locus. In dumetis & ad ſepes.

Vires. Diureticum eſt & vulnerarium inſigne. Decoctum & potum febri tertianæ & quartanæ medetur. *Trag. Cam.* Exſcreationes ſanguinis ſiſtit, vulneribus & eroſionibus internis auxiliatur. Sanguinem coagulatum reſolvit. *Cùm ſanguinis fluxum ſiſtat, quomodo coagulatum diſſolvit?* calculum renum atterit: lumbricos expellit. Semina in pericarpiis ſeu ſummitates ad vulneraria balſama nulli ſecunda experimento chirurgorum Monſpelienſium.

Oleum Hyperici duplex habetur *ſimplex* & *compoſitum*, & utrumq; variè apud varios ſtruitur. Gerardus noſter Oleum Hyperici quod magnis laudibus effert, & Balſamo cuivis naturali præfert, ſic parat. ℞ Vini albi ſextarios duos, Olei Olivarum ℔. iiij. Olei Terebinth. ℔. ij. foliorum, florum & ſeminum Hyperici leviter contuſorum aa. M. ij. Vaſi vitreo capaci indantur, & inſolentur per octo aut decem dies, deinde coquantur in MB. & colentur, abjectiſque herbis novæ indantur & operatio repetatur.

Herbæ decoctum quadraginta diebus potum, vel etiam ſeminum pulvis icterum & podagram ſanat, calculo apprimè conducit, interaneorum vermes necat, & balſamica qualitate ſanguinem imbuit. *D. Bowle.*

Tinctura florum Hyperici egregium eſt medicamentum in mania intus ſumptum *Sala, Grembs*; mihi quoque ſæpius expertum. Idem præſtat & in Melancholia. *D. Needham.*

Inter varias Hyperici virtutes unius hic meminiſſe publico ægrotorum plurimorum commodo intererit. Eſt verò præſtantiſſimum ad lumbricos pellendos ſi flores in ſp. Vini infuſi exhibeantur: id quod certa nobiliſſ. matronæ experientia didici. *T. Bartholin.* Act. Med. An. 1671, 1672. Obſ. 40. Non eſt autem hoc novum experimentum. Hyperici enim ſuccum ad vermes necandos commendat Camerarius & alii, ut ſuperiùs vidimus. Schroderus, ſuperſtitioſè nimis, Hypericum lumbricos fugare ait, ſed ſi tempore exaltationis collectum fuerit, aliàs hac facultate deſtitui.

6. *Hypericum Syriacum & Alexandrinum* J. B. *Hyp. folio breviore* C. B. *Syriacum* Ger. **Saint Johns wort of Alexandria.**

Quadruplo minora quàm noſtri Europæi, quæ ſummis cubitalibus virgulis confertim tanquam in verticillis exeunt, profert folia: flores luteos noſtrati perſimiles. Deſcriptio eſt Lobelii, & nimis quidem brevis, ſed tamen plenior (quod ſciam) apud Botanicos non occurrit.

Plantam ipſam aliquando cultam & florentem vidi in horto inſtructiſſimo Nob. Viri D. *Caroli Howard*, Ducis Norfolciæ fratris. Parkinſonus eam cum Hyperico pulchro Tragi confundit perperam.

7. *Hypericum foliis parvis criſpis ſeu ſinuatis Siculum.*

In Sicilia propè Promontoriolum *Punto Cerciolo* dictum, non longè à *Puzallu* hanc ſpeciem invenimus: quam poſtea in horto Viri Nob. D. *Caroli Howard* cultam vidimus Darkingæ in Surreia, unde allatam neſcimus.

* *Pag.* 220. Eadem eſſe videtur quam *D. Georg. Wheeler* in * Itinerario ſuo titulo Coridis foliis criſpatis depingit & deſcribit: obſtat quòd folia caulium nodis plura ſimul accreſcere ſcribat, quod in noſtro non obſervavimus, in quo bino ordine, ut in reliquis congeneribus, adverſa inter ſe oriuntur.

Locus. In monte Olympo Aſiæ obſervavit *D. Wheeler.*

Florem non videmus, necdum enim cum ibi eſſemus Maii menſis medio floruerat. Erat autem *caule* tereti, firmo, in plures ramulos & ſurculos prætenues ſparſo.

8. *Hypericum Nummulariæ folio* C. B. Park. **Small St. Johns-wort, with Money-wort leaves.**

C. B.

Radicem habet oblongam, tenuem, paucis fibellis capillatam; ex qua *cauliculi* tenues, ruſeſcentes, palmares efferuntur, quos *folia* parva, rotunda, nummo ſimilia, bina adverſo ſitu & æquali diſtantiâ locata cingunt: quæ ſupernè atrovirentia, inferiùs alba, aliquando punctis vel maculis rubris notata conſpiciuntur. Cauliculorum ſummis *flores* pallidè lutei, ſatis magni, plurimis ſtaminulis donati, odoratiſſimi, non ità multi inſident.

Ex ipſis rupium max. Carthuſianorum cœnobio imminentium fiſſuris emergit. *Locus.*

* 9. *Hypericon montis Olympii foliis circa margines hirſutus* Wheeleri.

E *radice* fibroſa germina emittit tenella, *foliis* bino ordine alternatim adnaſcentibus adeò crebris obſita, ut cauliculi penitus occultentur, aſpectu pulcherrimo, & ut undique pilis hirſuta videantur, quamvis folia ad margines tantùm piloſa ſint. Verum cum elongantur in caules ad altitudinem circiter ſemi-pedalem aſſurgentes, augentur foliorum intervalla, eundem tamen ſitum retinent folia caulis reſpecta, h. e. bina adverſa alterno ordine, oriuntur; ſunt autem figurâ ovali, nervoſa, pallide viridia, Hyperici vulgaris inſtar pertuſa, utrinque glabra, exceptis marginibus qui valdè hirſuti ſunt & piloſi. Summa parte caulium ex alis foliorum exeunt flores, alii ſupra alios; quibus ſuccedunt vaſcula tripartitò diviſa ut reliquis hujus generis.

In monte Olympo Aſiæ invenit *D. Georg. Wheeler*, & deſcribit depingítque Itinerar. Lib. 3. pag. 221. *Locus.*

A. 10. *Hypericum minus ſupinum* Park. *minimum ſupinum* J. B. *minus ſupinum, vel ſupinum glabrum* C. B. *ſupinum glabrum* Ger. **The leaſt trailing St. Johns-wort.**

E *radice* tenui, lutea, nunc ſimplici, nunc ramoſa, paucis & tenuibus fibris capillata *cauliculos* fundit numeroſos, tenues, teretes, infirmos & in terram reſupinos, palmares & longiores, ab exortu mox ramoſos, *ramulis* binis è foliorum adverſorum alis exeuntibus, & ipſis etiam in ramos diviſis. Caulis autem medius in binos tandem divaricatur ramulos, & unuſquiſque ramulus in alios binos ordine ſubdividitur, inque ipſis divaricationum angulis ſedent *floſculi* ſingulares, pediculis ſemuncialibus aut brevioribus, pentapetali, ſtellati, flavi, Anagallidis luteæ non multùm diſſimiles, petalis latiuſculis & in acutum deſinentibus, cum plurimis in medio ſtaminulis luteis. *Calix* floris quinquefolius, cujus folia poſt florem delapſum augentur. *Vaſcula* ſuccedunt Hyperici vulgaris formâ, in terna pariter loculamenta diviſa. *Folia* parva Hyperici figura & colore, minora multo, Serpylli paria, glabra nullis foraminulis pertuſa, neque punctulis inſcripta. Coma trita in hac etiam ſpecie cruentat, minùs tamen quàm in aliis.

In paſcuis arenoſis & ſterilioribus requietis agris oritur. *Locus.*

Plantula hæc ab aliis omnibus Hyperici ſpeciebus parvitate ſua, cauliculorum multitudine, qui denſo interdum ceſpite terram opacant, floribus rariùs diſpoſitis, caulibus infirmis & in terram provolutis facilè diſtinguitur.

A. 11. *Hypericum pulchrum Tragi* J. B. 5, *ſive pulchrum Tragi* Ger. emac. *minus erectum* Park. C. B. **Small upright St. Johns-wort.**

Radices ei plures, lignoſæ, duræ, cortice rubente tectæ, interiùs albæ. *Caules* inde exoriuntur dodrantales & majores, teretes, glabri, ima parte rubentes, ramoſi, foliis veſtiti per intervalla binis oppoſitis, lata baſi caulem amplexis, mucrone acuto, ut triangula videantur, ſupernè obſcuriùs virentibus, infernè ſubglaucis, glabris, minoribus & ſolidioribus quàm Hyperici vulg. *Flores* in ſummis caulibus & ramulis lutei, conſimiles ſed pauci, breviſſimis pediculis nixi, & eodem modo in ipſis angulis divaricationum caulis & ramulorum ſiti. Stylus pariter triplex, & vaſculum ſeminale par, tribus loculamentis compoſitum.

In dumetis & ericetis ſolo præſertim arenoſo aut glareoſo. *Locus.*

A. 12. *Aſcyron* Ger. *vulgare* Park. *Hypericum Aſcyron dictum caule quadrangulo* J. B. *Hyp. Aſcyron dictum* IV. *ſive Androſæmum hirſutum* C. B. **S. Peters-wort.**

Ex *radice* reptante, fibrata, rubente *caules* emittit Hyperico vulgari pares, quatuor membranulis ceu alis ſecundùm longitudinem productis quadratos, rubeſcentes, ramoſos: *Folia* quàm Hyperici breviora, latiora præcipuè ad baſin, nervoſiora, eodem tamen ortu & odore, nullis poris pertuſa, ad Majoranæ ſylveſtris folia accedentia. *Flores* lutei, pentapetali, plus dimidio minores quàm Hyperici, petalis minimè fimbriatis, triplici pariter ſtylo, pediculis breviſſimis, ſanguineum ſuccum digitorum attritu reddentes. Vaſculum ſeminale quàm Hyperici minus, ejuſdem tamen figuræ & tribus loculamentis compoſitum, ſemine puſillo prægnans.

Caulibus quadratis, floſculis minoribus, loco natali circa rivulos ínque riguis & pratenſibus humidis, ab Hyperico facilè diſtinguitur. *Locus.*

C. Bauhinus malè hoc genus Androſæmum hirſutum, cùm nos nullam in ejus caulibus aut foliis hirſutiem percipere poſſimus.

A. 13. *Aſcy.*

A. 13. *Aſcyrum ſupinum villoſum paluſtre* C. B. Park. *Aſc. ſupinum ἑλώδης Cluſii*, Ger. emac. **Marſh St. Peters-wort, with hoary leaves.**

Cluſ.

Hoc genus Aſcyri molle eſt prorſus & lanugine obſitum, *caule* non quadrangulo, ſed tereti & rotundo præditum, quem alternis bina ſemper ambiunt *folia*, ex adverſo naſcentia, ut in Aſcyro vulgari, aliquantulum tamen magis orbiculata, ſummo caule geſtans *flores* [paucos] quinque foliis conſtantes, flavi coloris, qui triti ſanguineo ſucco non inficiunt, ut illius quod ſiccioribus locis naſcitur; quod humidioribus natalibus tribuo. Procumbunt autem ſinguli cauliculi, & recenter lecti humore turgent, ad ſingula pene internodia fibras agentes, & ſubinde novellos ramulos producentes, ſub aqua tamen latentes; qua ratione feliciter ſeſe propagat.

Locus. Hæc planta in Occidentalibus Angliæ, locis paluſtribus frequentiſſima eſt, alibi rarior. In paluſtribus putridis & aquoſis latè ſe propagat; & totas paludes noſtratibus **Moors** & **Boggs** dictas occupat. In altitudinem non attollitur, rariùs ultra ſemipedem ſupra aquas eminens, nec admodum ramoſa eſt, & paucos in ſummis caulibus flores geſtat.

Huic eandem eſſe ſuſpicor Caryophyllum paluſtrem, foliis ſubrotundis incanis, floribus aureis Mentzelii: namque & deſcriptio, & icon, & locus conveniunt.

14. *Hypericum tomentoſum* Lob. J. B. *tomentoſum Lobelii* Ger. *ſupinum tomentoſum minus* Park. *Hyp. ſupinum tomentoſum minus vel Monſpeliacum* C. B.

J. B.

Radice eſt craſſiuſcula, lignoſa, rubente: *Cauliculis* multis, palmaribus & dodrantalibus, ferè totis hirſutis, incanis: *foliis* Hyperici vulgaris ſed albidâ lanugine obſitis: *floribus* luteolis minoribus, capitulis brevioribus.

Lobelius folia non tantùm minora eſſe quàm Hyperici vulgaris, ſed & ex intervallo rariora eſſe vere ſcripſit.

Locus. In Inſula Melita & circa Monſpelium in locis naturâ udis & ubi per hyemem aquæ ſtagnârant nobis obſervata eſt hæc ſpecies.

15. *Hypericum ſupinum tomentoſum majus vel Hiſpanicum Cluſii* C. B. *tomentoſum majus Hiſpanicum* Park. *tomentoſum majus Cluſii* Ger. ico.

Cluſ.

Multis ramulis hirſutis, humi ſtratis præditum eſt, numeroſis confertiſque *foliis* illos ambientibus, vulgaris Hyperici ſimilibus, ſed planè tomentoſis & incanis. Ejus *flores* ſecundùm ramulos lutei, pallidiores tamen, & minores aliquantulum quàm in vulgari; quibus ſuccedunt capitula ſeu vaſcula vulgaris capitulis ſimilia. *Radix* eſt dura & lignoſa; ſed ipſi etiam rami per terram ſparſi ſubinde fibras & radices agunt.

Locus. In convallibus quibuſdam non procul Salmantica creſcit, ubi Julio menſe florentes plantas invenit Cluſius, adeò latè ſparſas & diffuſas, ut ampli petaſi orbem æquare poſſent.

Lobelium ſibi injurium conqueritur Cluſius quòd plantam ſuperiùs proximè deſcriptam Hyperico huic Hiſpanico eandem eſſe aſſerat: Verùm tum deſcriptiones tum icones in omnibus fere conveniunt, niſi quòd huic numeroſa & conferta in caulibus ſint folia, illi rariora: quod tamen non tanti eſt ut ſpeciei diverſitatem inducat. Nos ergo in Lobelii ſententiam procliviores ſumus: præſertim cum & Melitenſe nobis obſervatum Hypericon tomentoſum Monſpeliaco idem eſſe comperimus. Nobiſcum etiam ſentire videtur D. Magnol in *Botan. Monſp.*

A. 16. *Androſæmum vulgare* Park. *maximum fruteſcens* C. B. *Siciliana aliis Cæciliana vel Androſæmon* J. B. *Clymenum Italorum* Ger. **Tutſan, or Park-leaves.**

Radix ei craſſa, lignoſa, rubens, fibras longiſſimas emittens. *Vimina* lignoſa, cubitalia & ſeſquicubitalia, rotunda, rubentia, glabra, pinnulis membraneis alata. *Folia* bina ex adverſo ſita, Periclymeni, quæ tamen caulis non tranſadigit, glabra, ſupernè atrovirentia, infernè candicantia. *Flores* Hyperici, minores tamen minúſque ſpecioſi, obſervatione noſtra, quamvis *J. Bauhinus* contrarium affirmet, quinque foliis luteis conſtant, quibus totidem viridantia ſubjecta, quæ delapſo flore augentur. *Vaſculum ſeminale* quàm in Hyperico rotundius baccam ſimulat: eſt enim membrana ejus exterior ſeu pericarpium ſemen continens, craſſum & carnoſum, quod tamen ante maturitatem ſeminis exiccatur & areſcit: videtur quoq; tribus partibus componi, nam tres in apice ſtylos habet. Flores in hac ſpecie pediculis longioribus inſident quàm in reliquis.

Locus. In dumetis & ſepibus & umbroſis aggeribus Æſtate floret.

A. 17. *Hypericum majus ſive Androſæmum Matthioli* Park. *Hypericum Androſæmum dictum* J. B. *Androſæmum hypericoides* Ger. *alterum foliis Hyperici, quod aliquibus Hypericoides* C. B. **Tutſan-St. Johns-wort.**

Caules ſeſquicubitales & altiores, teretes, hirſuti, rigidi, per totam longitudinem, præcipuè ſumma parte ramoſi, ramulis brevioribus quàm in Hyperico vulgari; foliis crebris veſtiti, ex adverſo poſitis, lanuginoſis, venoſis, quàm Hyperici vulgaris majoribus & latioribus. *Flores* quàm illius minores nonnihil & pallidiores; vaſcula ſeminalia ſimilia. Calicum ſegmenta ad margines ſetulis ex rubro nigricantibus obſita ſunt, unde & coma punctulis nigricantibus ceu pulviſculo quodam aſperſa videtur. Radix ſubeſt ſurculoſa, obliqua.

Ab Hyperico differt caulibus hirſutis, minùs ramoſis, foliis pariter hirſutis, majoribus & latioribus & in caule crebrioribus; quódque lineis in caule extantibus caret. Floribus (ut diximus) quàm Hyperici minoribus & pallidioribus. Caules, folia, in univerſum tota planta pallidior eſt quàm Hypericum.

Ad ſepes & in dumetis, Julio menſe floret. *Locus.*

18. *Androſæmum perfoliatum & perforatum* C. B. *alterum Apulum* Col. Park.

Col.

E *radice* fibroſa, rubente, obliqua, plures *ſurculos* pedales & majores profert, rubicundos & rotundos; limbo alternatim per longum decurrente, à geniculo ad geniculum, caules veluti angulosos efficiente; ab imo pluribus alis diviſos, atque geniculis eorum & caulis *foliis* binis hærentibus, admodum ex oppoſito alternatim, atque adeò ut à caule perforata videatur, ut in Periclymeno & Campoclarenſi Androſæmo proximè deſcribendo, minora verò, acutiora, & infernè albidiora, lævia, & imperceptibilibus ferè punctis nigris per oras depicta, lucem etiam ex poris tranſmittentia, ut Hypericum. Differt ab aliis, nam circa caulis ſummum non decreſcentia & minora, ſed huic ſemper ampliora & latiora ad caulis uſque cacumen [folia ſunt] ipsáque cava velut pelviculæ, per ambitum minutis dentibus ſerrata, ut penè fallant oculos. *Flores* inſunt multi, coacervati velut corymbi, quorum calycum foliola & florum depicta ſunt punctis illis nigris minutiſſimis, non elatis ut in ſuperiore. Florum botri antequam pandantur rotundiores & compreſſiores ſunt aliis, ſed oblongi parumper ſunt dehiſcere incipientes. Aprili & Maio menſe floret. Foliola florum cava & latiora ſuperioribus inſunt nervíſque per longum ductis, ac etiam ut calicum inſcripta tunc infernè apparent. Maio fructus perficit.

Differt hæc à Campoclarenſi foliorum tenuitate, quæ illi minora triplò ferè videntur, acutiora, molliora & lucem tranſmittentia, atque in ſummo imis majora; differt etiam nervorum diſcurſu in foliis & floribus.

Hujus ortus in campeſtribus Soli expoſitis calidiorum regionum Cirinolano inculto agro, illius verò in umbroſis montibus, frigidioribus ſeptentrionalibus locis. *Locus.*

Hujus hiſtoriam integram è F. Columnæ *Hiſt. minus cognit. & rariorum ſtirpium* tranſcripſimus, quoniam planta rarior eſt, & parum cognita.

A. 19. *Hypericum elegantiſſimum non ramoſum folio lato* J. B. *Aſcyrum ſive Hypericum bifolium glabrum non perforatum* C. B. *Androſæmum Matthioli* Park. *quoad deſcript. Androſæmum Campoclarenſe* Col. **Elegant imperforate St. Johns-wort.**

F. Col.

Hujus plantæ *radix* tenuis eſt, lignoſa, multifida, fibrata, tortuosáque, duos vel tres caules producens, cubitales & altiores, teretes, rectos, glabros, tenues, firmos tamen; *folia* geniculis abſque petiolis hærentia habentes ex adverſo bina, ut fere perfoliati videantur, virentia, nullis foraminulis (ut Hyperici vulgaris) pervia, membranea, glabra, à nervo medio in mucronem excurrente productis ſinuatis in arcum venulis; inferna parte per margines punctulis rubris inſcripta. In caulis imo folia rotundiora ſunt, minora, Hyperici vulgaris paria denſiora, ob intervallorum brevitatem, ad medium uſque caulis ſemper majora longiùs diſtantia [intervallis palmaribus & amplioribus] oblongiora, triunciali longitudine & ſeſcunciali ferè latitudine: à medio caulis verò ad ſummum uſque ſemper decreſcentia, minora, anguſtiora, ut admodum tenuia ſint. *Flores* umbellæ ſimulachrum efficiunt, dum adhuc floreſcunt, Centaurii minoris modo, ſummum caulis faſtigium occupantes, cùm in ramos Hyperici modo non findatur, colore melino, Hyperici non diſſimiles niſi magnitudine, punctis nigris inſcripti ſecus oras petalorum & calicum, in quibus puncti illi nigri è pilo tenuiſſimo breviſſimóque ſuſtineri videntur. Defloreſcentibus floribus, protendente ſe magis caulis cacumine, alæ illæ [ex quibus umbella componitur] dividuntur atque aliæ ſuper alias alternatim ſupereſſe videntur; in quibus calices fructus habent ut in Hyperico, ſemine intus copioſo, nigro, minuto.

Odor plantæ, florum & fructuum præſertim reſinoſus: atque ſuccum nigro-purpureum, flores, fructus & ipſa coma, ut in Hyperico, trita emittunt.

Planta hæc in montoſis non admodum rara eſt, ut v. g. in rupe *S. Vincentii* propè *Briſtoliam*; *Locus.* in dumetis montoſis ſupra oppidum *Denbigh* in *Wallia* & alibi tum in Occidentalibus, tum in Septentrionalibus Angliæ regionibus. Neque verò loca plana & depreſſa penitus averſatur: nam in horto D. *Fr. Willughby* Middletoni in agro Warwicenſi ſponte ſuccrevit.

CAP. IX.

De Lyſimachia lutea.

HUjus notæ ſunt capſula bivalvis, flores lutei, quæ nominis ratio, folia Salicis oblonga, ad genicula interdum terna aut quaterna.

A. 1. *Lyſimachia lutea* J. B. Ger. *lutea major, quæ Dioſcoridis* C. B. *lutea major vulgaris* Park. **Yellow Willow-herb, or Looſe-ſtrife.**

J. B.

Subrubente *radice*, reptatrice, ſummo ceſpite hærente nititur: *Caules* autem profert ſeſquicubitales & bicubitales, ſtriatos, hirſutos: quibus ad genicula adnaſcuntur *folia* terna aut quaterna, rariùs bina, Salicis latifoliæ, acuminata, ſupernè atrovirentia, infernè magis candicantia, lanuginoſa. *Flores* in extremis ramorum faſtigiis lutei, Hyperici, acidi ſaporis, è quinque petalis compoſiti, totidem ſtaminibus medium occupantibus. *Semen* [potiùs vaſculum ſem.] Coriandro par, ſapore haud ſegniter adſtringente.

Locus. In aquoſis & ad rivos ſed rariùs invenitur.

2. *Lyſimachia lutea minor foliis nigris punctis notatis* C. B. *lutea minor* J. B. Ger. Park.

Cluſ.

Cubitali plerunq; aſſurgit *caule*, interdum etiam ampliore, firmo, duro, lanuginoſo & villis obſito: hunc ambiunt ordinatâ quadam ſerie quaterna plerunq; ſimul, nonnunquam etiam terna adverſis inter ſe pediculis *folia*, mollia, aliquantulum incana, quàm præcedentis minora, acidi initio ſaporis, deinde ſalivam cientis, infernâ parte nigris punctis diſtincta. Circa ſummum caulem ex ſingulorum foliorum ſinu prodeunt vel ramuli aliquot floribus onuſti, cum ſingularibus aliquot floribus, vel ſingulares duntaxat *flores*, præſertim ſummo caulis faſtigio, lutei, cum quadam gravitate odorati, veluti quinis mucronatis foliis conſtantes, ſed qui tamen infima ſede cohærent & ſimul defluunt, cum totidem *ſtaminibus* flavis. *Radix* geniculata ex ſingulis utplurimum geniculis novas propagines producens, & ſubinde fibras agens, quibus telluri firmiter inhæret.

Locus. Creſcit in Alpium Auſtriacarum aliarúmque vicinarum regionum convallibus & pratenſibus locis plurima: ut Cluſio & nobis obſervatum. Floret Junio.

* 3. *Lyſimachia trifolia lutea ſpicata* C. B. *lutea altera* ἐξάνθης Col.

Col.

Folia obtinet ad ſingula caulis genicula terna, hirſuta quàm Lyſ. lut. vulgaris minora; è quorum & caulis ſinu petiolis duas uncias longis dependentes lutei *flores*, illius non diſſimiles, emicant, pentapetali è calyce quinquepartito. *Caulis* ſenis angulis ſtriatus, quibus, ni fallimur, flores reſpondebant. In ſummo folioſum cacumen repræſentabatur, quo caulis deſinebat, densè atque in acumen ſtipatum. *Fructus* concipit decidentibus floribus folioſo illo conceptaculo tectos, Coriandrino ſemini pares atq; ſimiles, in quibus *ſemina* quæ ob imperfectionem obſervare nequivimus. *Radix* ei obliquè repens, tenuis, plures emittit ſoboles: Colore eſt extrinſecus carneo, intus verò flavicante, fibris obliquè frequentibus, craſsíſque ipſius reſpectu, humum findentibus, propè ſummam tellurem hærentibus diviſa: Sapore adſtringente, odore gravi terreo.

Differt hæc à vulgari, foliorum brevitate & ramorum inopiâ, quibus illa in ſummo dividitur, in quibus flores ramoſis etiam petiolis elati atque plures ſimul inſidentes producuntur.

Plantam hanc cum præcedente ſpecie eandem eſſe ſuſpicor. In horto cultam vidit Columna, non in loco natali creſcentem: Cluſius tamen petiolos florum longos neq; dixit, neq; pinxit: & præterea ramulos floribus onuſtos è foliorum ſinu provenire ſcripſit, non ſemper flores ſingulares.

* 4. *Lyſimachia lutea Ægyptiaca Caſſabel d'arrira* Alpin. exot.

Alpin.

Semicubitalis & amplior frutex eſt, ferens ab radice *caulem* longum, geniculatum, ferè ex toto rotundum, cavum, intus habentem medullam albam ut Sambucus, colore fulveſcentem, ramoſum, ramulis ex oppoſito exeuntibus, rectis, geniculatis, è quorum geniculis utrinq; duo exeunt ſurculi, ſubtiles, *flores* ferentes magnitudine & figurâ florum luteæ Lyſimachiæ, quibus ſuccedunt parvi *folliculi* oblongi, in acutum deſinentes, nigri, *ſemen* nigrum & minutum continentes. *Folia* verò bina in ſingulis caulium geniculis utrinq; ex oppoſito poſita cernuntur, oblonga, lata inferiùs, in acutum deſinentia, ſine petiolis adhærentia cernuntur, Lyſimachia foliis ſimilia, ſed minora tamen. *Radix* eſt craſſa, longa, in acutum terminans.

Hæc planta (inquit) videtur ſimilis ex tota Lyſimachiæ luteæ. Caules ejus craſſiores non ſuperant craſſitiem digiti minoris, qui ſicceſcentes medullâ ſiccatâ, ut calami cavi evadunt, colore fulveſcunt, facilè franguntur, intúſq; habent medullarum ſubſtantiam albam, quæ in ore agitata lenteſcit: inodori ſunt, vel exigui admodum neque ingrati odoris, præſertim radix: lignum cum aliquanta acrimonia eſt amarum: Quibus notis convenit cum Calamo aromatico Dioſcoridis: pro quo eo utuntur Arabes & Ægyptii.

Locus. In Ægypti locis humidis naſcitur.

5. *Lyſimachia lutea flore globoſo* Ger. Park. *bifolia flore globoſo luteo* C. B. *altera lutea Lobelii, flore quaſi ſpicato* J. B.

Cluſ.

Pedalem habet *caulem*, tenuem, ſtriatum, cavum, multis nodis ſeptum: ab imo brevibus binis *foliis* vel potiùs vaginulis, ad ſingulos nodos ex adverſo naſcentibus cinctum: quæ circa medium caulem naſcuntur longiora ſunt, anguſta, tenella, ex viridi palleſcentia, tenuibus quibuſdam venis obliquè ſecta; ex quorum ſinu enaſcuntur unciales pedicelli, tenues, ſuſtinentes *florum* muſcoſorum, & quinq; flavis foliolis conſtantium (prodeuntibus ex medio longiuſculis tenuibus ſtaminulis cum apice aureo) veluti ſpicam. *Radice* nititur longa, hac illac ſe ſpargente, ad cujus internodia frequentes creſcunt tenues & quaſi capillares fibræ, qualibus pleræque aquaticæ ſtirpes donatæ ſunt. Adnatis ſe propagat.

Locus. In foſſis paluſtribus circa *Sevenbuys* in Hollandia invenimus: Lobelius in humentibus foſſis circa Gandavum, atq; inter Teneramundam & Gandavum, necnon in Hollandia circa Amſtelrodamum: Schlickius riguis locis ad Alpium Kaufburnio vicinarum radices.

Nuperrimè peritiſſimus Botanicus *D. Dodſworth*, in Anglia, Comitatûs Eboracenſis orientali parte hanc invenit.

Lyſimachiæ luteæ flore globoſo ſimilis Braſiliana innominata Marggr.

Marggr.

Caule lento, anguloſo, ruffo, ſerpit, & trium aut quatuor digitorum intervallo, in pediculo digitum longo tria ſemper *folia* ſibi appoſita habet, quinque aut ſex digit. longa, in ambitu ſerrata, lætè viridia, nervo & venis obliquis conſpicuis prædita. Ad pediculum foliorum alius pediculus, quinque aut ſex digitos longus provenit, ruffus, qui umbellam habet inſtar Sambuci, floſculis minimis qui nullis foliis conſtant; in totum ſanguinei elegantiſſimi coloris; quilibet eorum figuram habet rhopali quo leproſi mendicantes circumcurſant.

Ephemeron Matthioli J. B. Ger. emac. *Ephemerum Matthioli, vel potiùs Ephemerum ſpurium Lob. Dod.* C. B.

Prodit *foliis* oblongis, latis, duriuſculis, veluti Iſatidis, ſed tamen minoribus; *cauliculis* compluribus, rotundis, cubito altioribus, non abſque adnatis: quos ſuperiùs quinquefolii candidi conveſtiunt *floſculi*, haud magni ſucceſſivè prodeuntes. *Semen* ſuccedit in rotundis capitulis exiguum. Craſſis & multis fibris capillatæ *radices*.

In Ananienſibus montibus, tam in pratis, quàm in ſylvis copioſe naſcitur, autore Matthiolo. *Locus.*

Cap. X.

De Anagallide.

Anagallis dicta videtur viris doctis ab ἀνὰ & γάλλος quòd æquè reprimat ac reponat ſedem prociduam. Γάλλος denotat eum cui amputata ſunt virilia. Veriſimilius illud nomen accepiſſe ἀπὸ τοῦ ἀναγαγεῖν τὰς ψυχάς, *animas evocare ac elicere*, magica enim herba eſt ac à Magis proprio nomine Magico donata, Belgis **guychel kruyt** Germanis **Guichheil**, i. e. fatuorum ſalus, quòd in limine veſtibuli ſuſpenſa contra maleficiorum introitum pollere credatur. Magicam herbam eſſe oſtendunt hæc Plinii verba, *Præcipiunt aliqui effoſſuris, ante Solis ortum, priuſquam quicquam aliud loquantur, ter ſalutare eam, tum ſublatam exprimere, ità præcipuas eſſe vires. Jo. Bod.* Fortè à colore hyacinthino, qui in fœmina relucet nomen accepit: eſt enim Γάλλις Hyacinthus.

Notæ Anagallidis ſunt Folia ex adverſo bina, in vulgari ſubtus maculoſa. Flores in ſingulis foliorum alis ſinguli, pediculis longis, tenuibus, hærentes petalis ad ungues junctis, adeò ut flores integri decidant: Vaſcula ſeminalia per maturitatem tranſverſim ſeu horizontaliter diſſilientia.

A. 1. *Anagallis mas* Ger. *flore phœniceo* C. B. Park. *phœnicea mas* J. B. **Male Pimpernel.**

Radix ei alba ſimplex, tenuibus fibris prædita. *Cauliculi* infirmi & humi fuſi, palmares aut ſemipedales, quadrati, læves, foliis cincti per intervalla binis, oppoſitis, Alſines mediæ paribus, abſque pediculis adnatis, inferna ſuperficie creberrimis punctis ex rubro nigricantibus guttatis. *Flores* ex alis foliorum exeunt ſingulatim, pediculis tenuibus oblongis nixi, in quinque ſegmenta acuta totidem folia imitantia ad unguem ferè diviſi, è calice quinque anguſtis, oblongis, acutis ſegmentis compoſito. Succedunt ſphæricæ ferè rotunditatis *vaſcula* ſeminalia, pro plantulæ modo grandia; ſemine repleta, quæ per maturitatem tranſverſim ſeu horizontaliter diſrupta ſemen effundunt. Florum ſtamina purpurea, apiculis luteis. Sapor totius plantæ acris.

In arvis & hortis. Seriùs & circa mediam æſtatem floret; Semine perfecto marceſcit eâdem qua provenit æſtate. *Locus.*

Anagallis moderatè calida eſt & ſicca, quantumvis C. Hofmannus repugnet, unde & pro vulneraria habetur, adhibetúrque uſu interno & externo. *Vires.*

Adversùs peſtem mirificè conducit, ità uſurpata, ut poſtquam ex illa (in vino ſc. decocta) mediocrem hauſtum acceperis, in lectum te componas probè contectus ac ſudes. *Trag.*

Mulier quædam Lutetiæ aquâ è Phœnicea Anagallide deſtillatâ multos ſuffuſione laborantes curavit.

Ad Phthiſim, tabem pulmonum, ſputum fœtidum & purulentum bibat æger ſingulis diebus manè & veſperi aquæ Anagallidis maris deſtillatæ cum pari lactis è vacca rubra emulcti quantitate permiſtæ & Sacchari optimi q. ſ. edulcoratæ cochlearia duodecim. Expertum multoties medicamentum.

Camerarius in horto ſcribit, venatores in ovis frixis Anagallidem dare cani ab altero demorſo.

Baſileæ in frequenti uſu eſt pro torminibus recens natorum. Ejus decocto utuntur Weſtphalicæ mulieres in menſibus movendis. *C. Hofman.* de Medicam. Offic.

Vulgus decoquit eandem in urina, & cataplaſmatis forma, calidè applicat pedibus ubi podagricis doloribus infeſtantur: quod Nobili Anglo præ omnibus aliis pretioſis profuit, teſte Gualtero. Imò multi pediluvium ex urina cocta faciunt cum quo à paroxyſmo ſæpe liberari videntur. Diſcutit urina ob ſalem ſuum volatilem *D. Tancr. Robinſon.* Cavendum eſt maximè in hoc morbo à repellentibus: Semper enim peſſima ſymptomata poſt ſe ducunt: Quippe, ut inquit Hofmannus, tum videre nos podagricos mori, ſi humores influentes repellantur ad viſcera, aut ſi viſcera tam ſint debilia, ut humores ad ſuperficiem pellere non poſſint. Itaque ſi diu ſupereſſe podagrici diſcupiant, & diureticis & viſcera corroborantibus medicamentis eis opus eſt: topicis & repellentibus omnino eis interdicendum.

Epilepticis quibuſdam Aq. Anagallidis phœniceæ certo experimento dedi. Ex Obſerv. Achillis Gaſſeri *D. Barn. Soame.*

Williſius in mania pro ſpecifico venditat decoctum Anagallidis flore purpureo, item ſummitatum Hyperici. *D. Soame* è Dolæo.

A. 2. *Anagallis fœmina* Ger. *cœrulea fœmina* J. B. *cœruleo flore* C. B. Park. **Female or Blew-flowered Pimpernel.**

Solo floris colore à præcedente diverſa eſt, ideóque ulteriore deſcriptione non indiget.

In tranſmarinis regionibus, Italia & Gallia ubique obvia eſt, nec ſuperiore quæ flore eſt phœniceo minùs frequens.

Nec aliter quàm floris colore à præcedentibus, & inter ſe differunt.

1. Anagallis flore obſoletè purpureo *Cluſii Park.*
2. Anagallis flore carneo. *Park.*

3. *Anagallis omnium minima* Moriſ. prælud.

Moriſ.

Planta eſt in humidis proveniens, vix biuncialis. *Floſculos* gerit cœruleos, vulgaris Anagallidis triplo minores; capſulas ſeminales pariter minores.

A. 4. *Anagallis lutea* Ger. *flore luteo* Park. *lutea nemorum* C. B. *lutea, Nummulariæ ſimilis* J. B. **Yellow Pimpernel.**

Numeroſiſſimis fibris albentibus aut ſubrubentibus è geniculis demiſſis *radicatur*. *Caules* plures per terram ſpargit infirmos, teretes, rubentes, *foliis* per intervalla veſtitos ex adverſo binis, quàm Nummulariæ acutioribus & minoribus, Alſines aut Anagallidis maris ſimilibus, glabris, infernè ſplendentibus, pediculis brevibus nixis. *Flores* ex alis foliorum exeunt, ſingulares, tenuibus & oblongis pediculis, lutei, monopetali quidem, in quinque tamen ſegmenta acuta ad ungues ferè diviſi, ut pentapetali videantur; magnitudine & figurâ florum Anagallidis vulgaris terreſtris: quibus ſuccedit vaſculum ſeminale rotundum, parvum, quinque calicis acutis foliolis obvallatum.

Locus. In ſylvis poſt mediam æſtatem floret.

* 5. *Anagallis cœrulea foliis binis ternísve ex adverſo naſcentibus* C. B. *tenuifolia* Ger. emac. *tenuifolia flore cœruleo* Park. *tenuifoliæ Monelli* Cluſ.

Plures ſtatim à radice *ramos* ſpargit, pedalis longitudinis, quadrangulos, ut aliæ Anagallides, qui deinceps alios minores à latere procreant, cinctos per intervalla longiuſculis & anguſtioribus *foliis* quàm aliæ Anagallides habeant, & ad Gratiolæ foliorum formam plurimùm accedentibus, atque ex adverſo ſemper naſcentibus, utplurimum binis numero, interdum etiam ternis, rarò pluribus, iiſque aliquando in eodem ramulo: è quorum alis magna ex parte totidem exiliunt petioli, quot folia cauliculos per intervalla ſimul ambiunt, ſummo faſtigio ſuſtinentes *flores* pentapetalos, coloris cœrulei, umbilico tamen purpuraſcente, & phœniceis majores, è quibus exiliunt exigua ſtaminula. Abundè flores profert, & plerunque toto trimeſtri ſpatio. Floribus ſuccedunt orbicularia *vaſcula*, ut in reliquis, ſimile *ſemen* etiam continentia, quo deciduo ſequente anno novæ plantæ generantur; annua enim ſive æſtivalis duntaxat eſt planta.

Locus. Semine Gadibus accepto Monello orta eſt.

CAP. XI.

A. *Anthyllis maritima lentifolia* C. B. Park. *Anth. lentifolia, ſive Alſine cruciata marina* Ger. emac. *Anth. lentifolia Peplios effigie maritima* J. B. *Alſine litoralis foliis Portulacæ* C. B. *Alſines genus pelagicum* Cluſ. **Sea-Chickweed.**

Cluſ.

Longè latéque ſummâ arenâ ſerpit, multíſque *ramis* humi jacentibus prædita eſt, tenuibus, lentis, flexibilibus, quadrangulis; quos multa ambiunt *folia*, Anagallidis aut Alſines foliis non diſſimilia, ſed craſſa admodum & ſucci plena, (ut ſunt pleraque Pelagicarum ſtirpium) bina ſemper ex adverſo alternatim naſcentia, viridia, glabra, ſalſo guſtu: inter quæ extremis ramulis *floſculi* vireſcentes, quinque foliolis conſtantes, & in his quinque ſtaminula pallida. floribus ſuccedunt vaſcula grandia, in quibus *ſemina* quàm pro plantæ modo multò majora.

Locus. In arenoſis maris litoribus ubique ferè in circuitu Angliæ.

Hæc planta quamvis Alſines nomine innoteſcat, nec flore tamen, neque ſemine cum Alſine convenit; ideóque ſeorſim eam collocavimus.

C A P. XII.

De Alſine.

ALſine dicta eſt quòd ἄλση, id eſt, lucos & umbroſa loca præcipuè amet.

Alſines notæ genericæ ſunt Folia conjugatim in caule ſita, calyx ad modum floris in plura ſegmenta, ſeu mavis folia expanſus, vaſcula ſeminalia ſimplicia, hoc eſt, in plures cellulas ſeu loculamenta minimè diviſa, ſeminibus medium occupantibus exteriùs protegente vaſculo.

Harum nonnullæ præter reliquarum normam tetrapetalæ tantùm ſunt, atque hoc reſpectu anomalæ, quas ſeorſim collectas primo in loco exhibemus. Quæ pentapetala ſunt, vel petala habent in medio bifida, vel eadem integra.

§. 1. *Alſinæ tetrapetalæ anomalæ.*

Has pro Alſinis habendas ducimus ob convenientiam in reliquis notis, quamvis petalorum numero ab iis differant.

A. 1. *Alſine tetrapetalos Caryophylloides, quibuſdam Holoſteum minimum. Alſine verna glabra* Ind. Monſp. *Alſine montana capillaceo folio* Park. C. B.

Radicula ei alba, tenuis, fibris donata: *Cauliculi* plures, ſemipalmares, tenues, teretes, infirmi, rubentes, crebris geniculis intercepti. Ad ſingula genicula apponuntur *folia* ex adverſo bina, caulem ferè amplexa, dimidium vix digitum longa, è baſi latiuſcula in acutum mucronem ſenſim deſinentia. *Floſculi* in ſummis ramulis, albi, tetrapetali, è calyce quadrifolio, quâ notâ à reliquis Holoſteis dictis diſcretu facilis eſt.

Vere floret in glareoſis ſterilioribus frequens. Hæc planta eadem proculdubio eſt quam deſcribit *D. Magnol* Alſines vernæ glabræ titulo: cui radiculam exilem attribuit, circa quam aliquot *foliola* anguſta, oblonga, glabra oriuntur: *cauliculum* uncias tres altum, duobus aut tribus articulis diſtinctum, binis foliis articulum amplectentibus, ad ſecundum vel tertium articulum in duos vel tres ramulos diviſum, quorum quilibet *florem* unicum habet foliolis albis conſtantem, quibus quatuor foliola viridia, acuta ſuppoſita ſunt: Succedente *loculo* oblongo minuto ſemine pleno. **Locus.**

Circa pratulum luci Gramontii copioſam invenit vere cum flore & ſemine.

* 2. *Alſine Alpina minima glabra* C. B. Park.

Plantula eſt floſculis elegantiſſimis placens, ex cujus *radice* rufeſcente, in fibras oblongas abeunte *cauliculi* plures in terram reclinati, *foliolis* multis, prioribus ſimilibus, ſed glabris veſtiti, prodeunt: ex quibus pedicelli unciales rariùs triunciales nudi efferuntur, qui in ſummo in duos, tres & plures petiolos dividuntur, & ſinguli *floſculum* elegantem, ſtellatum, quadrifolium, punctulis inſignitum, album, vel etiam purpuraſcentem, ex calyculo emergentem, ſuſtinent.

In Helvetiorum montibus, ut monte Fracto, & ad Thermas Fabarias, æſtate florens, reperitur. **Locus.**

3. *Alſine muſcoſa* Park. Lugd. *muſcoſa quibuſdam* J. B. *tenuifolia muſcoſa* C. B. *An Alſine ſaxifraga anguſtifolia minima montana* Col?

J. B.

Tenella admodum & infirma eſt plantula, veluti muſco terræ ſuperficiem operiens, palmaribus & bipalmaribus *coliculis* interdum duas aut tres uncias longis, prætenuibus, ramoſis, quorum nodis *folia* adnaſcuntur uncialia & ſeſcuncialia, aliquando vix ſemuncialia, fili inſtar tenuia, lætè virentia; *Flores* minimi, ex quatuor foliolis conſtantes, albi, Spergulæ facie & formâ, quorum media *apiculi* albiſſimi, nodulo viridanti inſidentes, occupant. Floſculos ſequuntur calyculi exigui, ſpadiceo aut atro-rubente ſemine, Portulacæ ferè, farcti. *Radix* gracilis, inutilis, articulatim fibrata. In hac planta tantillum amaricantis ſaporis percipimus.

Montium ſummis aditibus umbroſis udíſque ferè gaudet. In montibus Stiriæ, itémque in Jura & Saleva propè Genevam, locis humidis & umbroſis ad fontes & aquarum ſcaturigines obſervavimus. **Locus.**

Julio & Auguſto floret. **Tempus.**

* 4. *Alſine montana capillaceo folio* C. B. Park. *Alſine Saxifraga anguſtifolia minima montana* Col. *Item Saxifraga montana Neapolitana* Park. *p.* 428.

In ſaxorum rimis rupium præruptarum, & eorum cavis umbroſis, circa D. Philippæ antrum Æquicolorum, ab aquæ pluvialis impetu tuta oritur hæc plantula tenera puſilla, quæ anguſta oblonga *folia* profert, Saxifragiæ magnæ Matthioli modo, paulo latiora, albicantia, molliora, è viticulorum geniculis bina prodeuntia: ex quorum ſinu alæ, & in ſummo *flores*, candidi, quatuor foliolis conſtructi, *ſtaminibus* intus multis, candidis, tenuibus admodum, florentes Maii fine & Junio: quibus utriculi ſuccedunt ferè orbiculares, parvi admodum, Milii ſeminis magnitudine, cartilaginei, in quinque oras diviſi, Ocymoidis modo, in quibus fulvum, obſcurum *ſemen*, minutum.

Foliis tantum latioribus & albicantibus à præcedente differre videtur.

Altera ſpecies. Alteram huic ſimilem ſed majorem duplo in mœniis maritimis Neapoli obſervavit Columna, Autumni fine florentem, ſuave-rubente flore, pericarpio oblongo, acuto, in quo *ſemen* exiguum, Vulgari colore ſimile. Planta eſt repens, ſed cùm floret reſupinatur: flante Africo alluitur undâ illâque gaudere videtur.

Hæc etiam planta Parkinſono bis deſcribitur, primò p. 428. ſub titulo Saxifragæ maritimæ Neapolitanæ: deinde p. 763. ſub titulo Alſines repentis anguſtifoliæ flore ſuaverubente.

A. 5. *Saxifraga graminea puſilla flore parvo tetrapetalo. Caryophyllus minimus muſcoſus noſtras* Park. *Saxifraga Anglicana Alſinefolia* Ger. emac. deſcr. **Pearl-wort.**

Folia ad radicem in orbem diſpoſita, anguſtiſſima, graminea, glabra, obſcurè viridia, mucronata, ſemunciam longa. *Caules* ex eadem radice plures exeunt, ſemipalmares, tenues, infirmi, rotundi, humi procumbentes, ramoſi, glabri, crebris geniculis intercepti, & ad ſingula genicula binis foliis cincti. Ramuli verò è foliorum alis alternis ſemper exeunt. *Flores* quoque è foliorum alis alternatim enaſcuntur, ſingulares, pediculis longis tenuibus fulti, tetrapetali, albi, perexigui, è calice quadrifolio. Succedit *vaſculum ſeminale* rotundum Alſines, per maturitatem membranaceum, pellucidum, ſeminibus perexiguis ruffis repletum. Radix nunc ſimplex nunc multifida pluribus fibrillis capillata. Sapor plantulæ acris & calidiuſculus.

Locus. In uliginoſis, ínque paſcuis ſterilioribus & hortorum areis frequens occurrit. Per totam ferè æſtatem floret.

Flore eſt plerunq; mutilo, foliolis illis albis ſeu petalis quæ floris propria ſunt, carente; unde eam in Catalogo plantarum Cantabrigienſium flore herbido & muſcoſo denominavimus.

A. 6. *Saxifraga Anglica annua Alſinefolia* D. Plot.

D. Plot.

E *radice* parva, fibroſa *cauliculos* diffundit tenues infirmos, ſeſcunciales, geniculatos; *foliolis* exiguis anguſtis ad ſingula genicula cinctos, ut in præcedente. E geniculis ſuperioribus verſùs extremos caules exeunt *floſculi* herbacei, tetrapetali, *vaſculo* ſeminali membranaceo, petalis illis ceu calyce incluſo.

A præcedente differt foliis & caulibus ſordidè viridibus ex fuſco ſeu brunno; *radice* annua; quódque non reptat ut illa, aut ex cauliculorum geniculis radices agit.

Locus. In ambulacris hortenſibus Collegii Baliolenſis, inq; novalibus & arvis requietis circa *Heddington* & *Cowley* agri Oxonienſis.

A. 7. *Millegrana minima* Ger. *minima ſive Herniaria minor* Park. *Polygonum minimum ſive Millegrana minima* C. B. **The leaſt Rupture-wort, or All-ſeed.**

Radice nititur parva, alba, ſimplici. *Caulis* digitalis aut altior, ſimplex, rotundus, valdè ramoſus. *Ramuli* prætenues, rubentes, *foliis* veſtiti Thymi aut Alſines minimæ figurâ, ſed multis numeris minoribus, abſque pediculis immediatè adnatis, ex adverſo binis, glabris. Tum caulis tum etiam ramuli bifariàm dividuntur & ſubdividuntur ſæpius. Ex ipſis ramulorum divortiis aut divaricationum angulis oriuntur *flores* ſingulares, pediculis pro plantulæ ratione ſatis longis, tenuibus inſidentes, tetrapetali, albi, minutiſſimi: quibus ſuccedunt *vaſcula ſeminalia* rotunda. *Semina* præ exiguitate vix conſpicua.

Locus. Æſtate viget in ericetis ſabuloſis & humidioribus præſertim.

8. *Paronychia ſive Alſinefolia incana* J. B. *Anthyllis maritima incana* Park. *marit. Alſinefolia* C. B. *marina incana Alſinefolia* Ger. Lob.

J. B.

Humi ſpargit numeroſos *cauliculos*, palmares, ſubrubentes, crebrò geniculatos, ſubinde in ramos diviſos: quorum articulos folia veſtiunt verticillatim, Alſines minora, per extremum rotunda, glabra, incana, bina & etiam quaterna, foliolis membraneis lucentibus ſubjectis. *Floſculi* albi, copioſiſſimi extremis caulium ramulorúmque acervatim congeſti hærent, puſilli. *Radix* ſimplex, brevis.

Locus. In vineis circa Meſſanam & Monſpelium per totam ferè æſtatem floret: folia tamen ut rectè *D. Magnol*, non incana ſunt, ſed pallidè viridia.

9. *Polygonum anguſtiſſimo gramineo folio erectum* Botan. Monſp.

Magnol.

Ex *radicula* tenui palmares & ſeſquipalmares cauliculos producit, erectos: *folia* habet ex articulis bina, anguſtiſſima & oblonga, & quæ in florente planta utplurimum ſicca ſunt: *flores* ex ramulis plures prodeunt, tetrapetali, albi, quibus totidem folia viridia ſuppoſita ſunt. *Semen* parvum eſt & nigricans.

Tempus & Locus. Annua eſt planta, quæ Julio & Auguſto menſibus floret in marginibus ſabuloſis ſatorum Boutoneti propè Monſpelium.

Plantam huic ſimilem ſi non eandem cùm Monſpelii eſſem obſervavi ſatis frequentem in agrorum marginibus, cui *radix* ſimplex, lignoſa, alba: *caules* plures, ſemipedales aut dodrantales, teretes, tenues, ſatis firmi tamen & erecti, crebris geniculis, ad quorum ſingulos *folia* bina anguſtiſſima, vix uncialia, & verſùs ſummos caules duplo breviora. Caules ſuprema parte ramulos fundunt non binos ex adverſo ſed alternatim ſingulos, in quibus ut & in ſummis caulibus ex alis foliorum utriculi paleacei exeunt, parvum, pullum, nonnihil compreſſum & ſubrotundum *ſemen* continentes. Florem non vidimus, jam enim præterierat, Septembri menſe.

§. 2. *Alſinæ pentapetalæ genuinæ petalis bifidis.*

* 1. *Gramen leucanthemum marinum maximum* Hort. Lugd. Bat.

A. 2. *Caryophyllus holoſteus arvenſis glaber flore majore* C. B. *Gramen leucanthemum* Ger. Park. *Gramen Fuchſii ſive leucanthemon* J. B. **Stitchwort.**

J. B.

Tenui & infirma *radicula,* ſummo ceſpite geniculata reptat, demiſſis tamen altiùs fibris. *Coliculi* inanes, quadrati, dodrantales & cubitales, geniculis diſtincti, ad quorum unumquodque bina *folia* graminea, acuta & rigida: ex quorum alis pediculi exeunt tenues, hirſuti, quibus inſident *floſculi* amœni, candidi, è quinq; foliis profundè fiſſis & ſtriatis compoſiti, in quorum medio apices crocei. Dehiſcentis autem calicis quina folia vireſcentia toti flori ſubſunt. *Capitulum* ſuccedit pileiforme, ſex partibus coagmentatum, ſemen continens.

Hæc J. Bauhinus, quibus adde, Caulem propè ſummitatem in binos ramos dividi, utrumq; deinde ramum in alios binos, &c. Ad ſingulas autem caulis & ramulorum divaricationes ex ipſo angulo exoritur flos unicus longo pediculo nixus; qui florum ſitus huic cum Caryophyllo holoſteo arvenſi aliiſque hujus generis plantis communis eſt.

In ſylvis, ſepibus, & dumetis paſſim: Vere floret. *Locus.*

* 3. *Caryophyllus holoſteus, foliis gramineis acutis, floribus albis* Mentzel.

Marchiæ Brandeb. incola eſt: non deſcribit ſed tantum depingit Autor.

A. 4. *Caryophyllus holoſteus arvenſis glaber flore minore* C. B. *Gramen leucanthemum alterum* Ger. *leucanthemum minus* Park. *Gramini Fuchſii leucanthemo affinis & ſimilis herba* J. B. **The leſſer Stitchwort.**

Seriùs hoc floret, tenuioribus, quadratis *viticulis* nervo medio tenaci & valido farctis. *Folia* bina oppoſita, breviora & viridiora quàm in vulgari Leucanthemo. *Caules* eandem obſervant diviſionem, & *flores* eundem ſitum cum illius floribus: verùm longè minores ſunt, & pediculis prælongis inſident: quinque pariter foliis conſtant, verùm ad ungues ità fiſſis, ut incurioſiùs ſpectanti decem videantur apiculis rutilantibus. *Calicis* folia quinque acuta. *Capitula* minora, oblonga: *radix* ſimiliter fibroſa, ſerpens.

In paſcuis & vepretis, intérque geniſtas, præſertim ſolo arenoſo, exit. *Locus.*

Ratione loci in quo creſcit faciem inſigniter mutat, ſiquidem in aggeribus paludum Elienſis inſulæ colorem glaucum Caryophyllorum obtinet, & caules firmiores breviorésq;, ut diverſam quis poſſet ſuſpicari plantam.

A. 5. *Caryophyllus holoſteus* Ger. *holoſt. arvenſis hirſutus* Park. *hol. arv. hirſut. flore majore* C. B. *Auricula muris pulchro flore albo* J. B. **Chickweed, Mouſe-ear, with a large white flower.**

Radix ei geniculata ſub terra reptat, ad nodos fibras demittens, & ſurculos promens. *Caules* per terram ſpargit complures, teretes, hirſutos, infirmos & humi procumbentes, *foliis* cinctos ad ſingula genicula contrario ſitu binis, hirſutis, Alſines Myoſotidis anguſtioribus, exceptis iis quæ in caulibus florigeris exiſtunt, quæ æquè lata ſunt; abſque pediculis caules amplectentia, qui in ſummitatibus ſuis in binos ramulos dividuntur, & uterq; ramulus in binos ſurculos, & unuſquiſque ſurculus deinceps ordine in alios binos, donec ad extremos ventum fuerit, appoſito flore in uniuſcujuſque divaricationis angulo, pediculo oblongo inſidente. Sunt autem *flores* ampli, floribus Graminis leucanthemi dicti pares & ſimiles, pentapetali petalis in medio bifidis, ſtriati, cum ſtaminulis in umbilico plurimis apices pallidè luteos ſuſtinentibus. Calix pariter quinquefolius. Folia quoque & florum calices hirſuti.

In aggeribus terrenis propè Cantabrigiam ut v. g. colle *Sanitatis* dicto; in planitie propè *Newmarket* inter vepres, in via quæ Londinum ducit inter *Trumpington* & *Hawkſton,* & ultra *Fulmere* vicum, aliiſque locis plurimis copioſé. Floret æſtate. *Locus.*

6. *Alſine Caryophylloides tenuifolia montana, Lini flore. An Auricula muris pulchro flore, folio tenuiſſimo* J. B.?

Radix ei lignoſa, vivax. *Cauliculi* ſeu ramuli multi, ut in Caryophyllis, lignoſi, cortice cinereo tecti [vetuſtiores intellige] geniculis crebris intercepti: ad quorum ſingulos *folia* ex adverſo bina, Tunicæ minimæ vel Spergulæ purpureæ, anguſta, Laricea. Cauliculi ramoſi, inferiùs glabri, ſuperiùs hirſuti *flores* geſtant in ſummitatibus longis pediculis hirſutis inſidentes, magnos, albos, quinq; petalis intus ſtriatis, ſubrotundis, non fiſſis in extremo Lychnidum in morem, adeò ut Flos integer Lini florem referat, non tamen perinde caducus eſt, ſed diu durat, *ſtamina* plurima continens ſublutea, vel ex albo ad herbaceum colorem tendentia. *Calyx* hirſutus, quinquefolius, ad modum floris expanſus. *Vaſculum* ſeminale longiuſculum, craſſum.

In monte *Thuiri* menſis Junii fine floruit. *Locus.*

Si J. Bauhinus eandem nobiſcum plantam intelligat, figura ejus vitioſa eſt, petala florum bifida repræſentans, nec minùs deſcriptio, quæ florem ei attribuit non differentem ab alterius Auriculæ præcedentis flore: Reliqua deſcriptio & locus etiam conveniunt.

7. *Caryophyllus holoſteus tomentoſus* J. B. Park. *holoſteus tomentoſus latifolius* C. B.

J. B.

Totus candido molli denſoque tomento eſt obſitus, ut vix aliud quàm tomentum eſſe videatur. *Coliculi* geniculati, dodrantales, è ſingulis geniculis bina proferunt *folia*, ex adverſo ſita Auriculæ muris ſpecioſo flore paria, nec formâ diſſimili, ſi ſolùm excipias cum mollitie tomentum, ex quorum ſinu ſubinde ramuli propagantur. Caulis ſuperior in ramulos pluſculos abit, quorum unicuiq; *flos* innaſcitur candidus, Auriculæ muris ſpecioſo flore *J. B.* Horum *calyces* tomentoſi quoque, internè verò membranei, argenteo ſci. ſeu margaritarum ſplendore lucent. Secundùm ramulorum diviſiones ſunt etiam breviſſima folia argenteo colore micantia.

Ex Italia ad nos venit: Locus natalis non traditur.

8. *Caryophyllus arvenſis umbelliferus* J. B. *arv. umbellatus* Park. *holoſteus arvenſis* Ger. *arv. umbellatus folio glabro* C. B. **Field Chickweed, bearing the flowers in an Umbel.**

J. B

Dura eſt & fibroſa *radice*: *Folia* craſſiora, latiora & duriora ſunt quàm Auriculæ muris pulchro flore, nec ita acuminata. *Cauliculi* tenues, parvi & rotundi, ſpithamæi, tribus aut quatuor geniculis diſtincti, è quibus enaſcuntur oppoſita bina *folia*, inferioribus quæ è radice protuberant æqualia. Summitatibus inſident ſex aut ſeptem, aut etiam plures vel pauciores, longis pediculis ſurrecti flores albi, illius floribus ſimiles. Hos decidentes ſequuntur *capitula*, parva, longa, parvum *ſemen* includentia, terram verſus reflexa.

Locus. Inter ſegetes variis in locis occurrit in regionibus tranſmarinis; in Anglia, quod ſciam, non invenitur.

C. Bauhinus huc refert Alſinem vernam Dalechampii *Lugd.* quæ J. Bauhino eſt Linum catharticum.

* 9. *Caryophyllus holoſteus Alpinus latifolius* C. B. *Alpinus latifolius* Park.

C. B. prod.

Ad *radicem* tenuem, albicantem, fibroſum & repentem, *cauliculi* aliquot in terram reclinati, hirſuti, trium quatuórve unciarum, *foliis* parvis, ſubrotundis, latis, binis ſibi invicem reſpondentibus, hirſutis & craſſis cincti, ex alarum ſinu pediculorum inſtar ramuli exurgunt, ſinguli *florem* unum calici viridi primo incluſum, dein quinquefolium, magnum & album ſuſtinent, cui *capitulum* oblongum, ſemen continens ſuccedit.

Locus. In Valeſianorum Alpibus, loco *Gemme* dicto, & circa Fabarias reperitur.

* 10. *Caryophyllus holoſteus Alpinus anguſtifolius purpuraſcens* C. B. *Alpinus anguſtifolius purpuraſcens* Park.

C. B. prod.

Et hic *radicula* eſt repente, *cauliculo* tenui, triunciali, leviter hirſuto, circa quem foliola parva, oblonga, acuminata, bina ſibi oppoſita: *Flores* in ſummo bini, terni, prioribus minores, purpuraſcentes, ſtellæ in modum diſpoſiti, calycis foliolis viridibus alternatim velut intercedentibus.

Locus. Ex Pyrenæis Hiſpanicis allatus eſt.

* 11. *Caryophyllus holoſteus Alpinus gramineus* C. B. *Alpinus gramineus* Park.

C. B. prod.

Radiculam habet exiguam; *caulem* palmarem, exilem, rotundum, geniculatum, pilis leviſſimis donatum, circa medium in ramulos, & hi in alios brachiatum. *Folia* ad radicem pauca, ad geniculum bina, ex oppoſito reſpondentia, atro-virentia, anguſtiſſima, unciam longa. *Floſculi* albi, quinquefolii, ex calyce prodeuntes, ſinguli ſingulis pediculis inſident: quibus exiguum *capitulum* minuto *ſemine* refertum ſuccedit.

Locus. In Alpibus provenit: in Auſtriæ monte Taurero.

* 12. *Caryophyllus holoſteus montanus anguſtifolius albus* C. B. prod. *montanus anguſtifolius albus* Park.

C. B. prod.

Et hic *cauliculo* eſt tenui, geniculato, rufeſcente, glabro, trium quatuórve unciarum; *foliis* oblongis, anguſtis, glabris cincto, *floribus* albis quinquefoliis, & prædicto [Alpino latifolio] multo minoribus.

Locus. In horto Dei Burſerus legit.

* 13. *Caryophyllus holoſteus tomentoſus anguſtifolius* C. B. *anguſtifolius tomentoſus* Park.

C. B. prod.

Hic *cauliculis* eſt palmo minoribus, tenuibus, rotundis, & parte inferna geniculatis: ſuperiore parte nudis & pæne glabris; qui ſtatim in ramulos breviſſimos, ex alarum ſinu, ex adverſo ſitos dividuntur. *Folia* habet oblongiuſcula, anguſtiſſima, reflexa, ob tomentum mollia, & ex viridi albicantia. Cauliculus in tres pedicellos, binis foliolis ſuſtentatos, eóſque oblongos, ſed longitudine impares abit, qui ſinguli calycem viridem ſuſtinent, cui *flos* unus, iſque albus & quinquefolius inſidet.

Locus. Hunc in Granada ad radicem montis copioſè Albinus obſervavit.

Caryophyllus ſaxatilis ſiliquoſus C. B. Park.

Ad Herbas flore tetrapetalo ſiliquoſas referendus eſt.

Caryophyllus ſaxatilis foliis gramineis, umbellatis corymbis C. B. *Symphytum petræum ſive Gypſophytum majus* Thal.

Item, *Caryophyllus ſaxatilis foliis gramineis minor* C. B. *Symphytum petræum ſive Gypſophytum minus* Thal.

Nobis incogniti ſunt.

A. 14. *Alſine viſcoſa* Park. *hirſuta altera viſcoſa* C. B. *hirſuta myoſotis latifolia præcocior* Cat. Angl. **The broader-leaved Mouſe-ear Chickweed.**

Radicem habet fibroſam, tenuiſſimis filamentis capillatam; unde *caules* emergunt plures, palmum & interdum ſemipedem alti, rotundi, hirſuti, infirmi, plurimùm tamen erecti, foliis per intervalla binis oppoſitis cincti, pallidiùs virentibus & latioribus quàm ſequentis, versùs imam partem ramoſi, ramis non contrariis inter ſe, ſed ſingulis. Versùs ſummitates caules in binos *ramulos* divaricantur, & hi deinde in binos alios minores, oppoſito ad unamquamque caulis diviſionem in ipſo divaricationis angulo *flore* unico, in pediculo admodum brevi, contra quàm in *Alſine* fit. *Flores* autem pentapetali ſunt *petalis* longis anguſtis in extremo fiſſis fiſſurâ minùs profundâ quàm in Alſine vulgari; cum *ſtaminibus* intus ex luteo virentibus. Succedunt *vaſcula ſeminalia* oblonga, nonnihil incurva, per maturitatem pellucida, *ſemina* parva, rotunda, ſubruffa, numeroſa continentia. *Semina* poſt delapſos flores ſtatim matureſcunt, & vaſculis ſe ſponte aperientibus decidunt. Tota planta ad tactum nonnihil viſcida eſt.

Aprili & Maio menſibus floret, in ſiccioribus areis & paſcuis ubique. *Tempus & Locus.*

A. 15. *Alſine hirſuta myoſotis* Ad. *arvenſis hirſuta magno flore* C. B. *Auricula muris quorundam flore parvo, vaſculo tenui longo* J. B. **Mouſe-ear Chickweed.**

Radix huic ſimplex, alba, fibroſa. *Caules* quàm præcedentis infirmiores, & in terram plerunque reclinati, rubentes, *Folia* anguſtiora, viridiora & ſubaſpera. *Flores* longioribus inſident pediculis, petalis profundiùs fiſſis.

Tardiùs floret, nec ante medium Maium, & ad Autumnum uſque durat. *Tempus.*

Addit C. Bauhinus è Thalio tertiam Alſines hirſutæ arvenſis ſpeciem, quam hirſutam minorem vocat, Thalius Alſinem minutam hiſpidam: quam vide apud ipſum.

• 16. *Alſine corniculata Cluſio* J. B. Park. Ger. *Lychnis ſegetum minor* C. B. *Cluſ.*

Palmaris hæc eſt herbula, unico *caule*, qui in aliquot ramos dividitur, conſtans, eóque geniculato, tenero, ſubhirſuto, ut Alſines vulgaris. *Folia* Alſines foliorum æmula, paulò longiora, ſubhirſuta etiam, inter ſe oppoſita & ex intervallis gemina. Alarum cavis inſident puſilli *flores*, candicantes, quibus ſuccedunt membranacea & tranſparentia *cornicula*, gallinaceorum calcarium formâ, quæ lento quodam aſperſa humore à tangentibus deprehenduntur: *ſemen* in illis exiguum, maturitate nigrum. *Radix* inutilis & annua eſt: Tota inſipida eſt.

Locus. Inter ſegetes frequens Salmanticenſi agro. Ego cum J. Bauhino nec Lychnidi, nec Pſeudomelanthio hanc ſubjungendam duco, quòd eis non ſit ſimilis. Maio menſe flores producit & ſemen maturum præbet. Alſines myoſotidis hirſutæ ſpecies eſſe videtur, tum ex figura, tum ex deſcriptione.

• 17. *Alſine maxima H. Lugdunenſis* J. B. *Alſine anguſtifolia* C. B. *maxima* Park. *Lugd.*

Radice eſt ſupernè craſſiuſcula, paulatim gracileſcente, innumeris fibris capillatâ; *cauliculis* multis, pedalibus; *foliis* Alſines vulgaris, per intervalla ſæpe quaternis, interdum ſingulis, interdum binis; ramulis multis, brevibus, copioſum *florem* producentibus, antequam hiet oblongo & acuminato capite incluſum, cùm apertus eſt candidum, exiguum, radiatum, ſex foliolis conſtantem, ac totidem filis tenuiſſimis.

In opacis gignitur.

Hæc Hiſtoria mihi ſuſpecta eſt, 1. quod nullus alius Botanicus hujus meminit præter eos qui ex hac Hiſtoria tranſcripſerunt. 2. quòd folia quaterna, & ſingula interdum in caulibus ei attribuit. 3. quòd florem hexapetalum.

18. *Alſine nemoroſa maxima montana. Alſine montana hederacea maxima* Col. Park. *mont. latif. flore laciniato* C. B.

Radix ei vivax: *Cauliculi* teretes, hirſuti, pedales aut cubitales, infirmi, procumbentes niſi fruticibus vicinis ſuſtententur, nonnihil rubentes præſertim ad genicula, quæ in caule crebra brevibus internodiis, *foliis* cincta ex adverſo binis, longis & tenuibus pediculis hirſutis [ſeſcuncialibus] nixa, ipſa pariter hirſuta, pallidè virentia, longa, è lata baſi in acutum mucronem ſenſim deſinentia veluti Smilacis, per margines interdum nonnihil ſinuata. *Flores* in ſummitatibus ramulorum albi, pentapetali, petalis ad ungues ferè fiſſis, ut in reliquis congeneribus.

Locus. In ſylvoſis in aſcenſu montis Salevæ invenimus. Hæc eſt proculdubio Alſine montana hederacea maxima *Col.* parvitate tantùm differens; nam Columnæ planta folia habuit majora, duas nimirum uncias lata, atque tres longa. Flores petiolis longis inſident, eodem quo in aliis hujus generis ſitu, nimirum in ramulorum floriferorum divaricatione. Vaſculum ſeminale pyramidale cum fulvo intus ſemine, minuto, copioſo.

Tempus. Auguſto floret, & Septembri perficitur.

Huic recti fructus, atque elati remanent petioli eorum, non ut in vulgari deorſum ſpectantes.

In umbroſis excelſorum montium Campoclarenſium atque Æquicolorum denſis ſylvis collegit F. Columna.

Hæc non alia in re (ut modo diximus.) quàm magnitudine à nobis obſervata & deſcripta differt, quæ loco debetur.

A. 19. *Alſine major repens perennis* J. B. *Alſine altiſſima nemorum* C. B. *item Alſine aquatica major* ejuſdem. *Alſine major* Park. *item Alſ. aquatica ſive paluſtris major* ejuſdem. *Alſ. major* Ger. *&* *Alſ. paluſtris* ejuſdem. **Great Marſh-Chickweed.**

J. B.

Ex *radice* perenni, repente, fibroſa *caules* profert plures, qui latè ſe diffundunt, cubitos aliquot longi, teretes, ſubrubentes; lanuginoſi & ramoſi; ad quorum ſingulos nodos *folia* ex adverſo ſita naſcuntur, quorum majora Parietariæ folia æquant, formâ eâdem, ſecundùm nervos & per oras hirſuta, minora verò ut Alſines vulgaris, pediculo aliàs nullo, aliàs mediocriter longo, piloſo, ſapore fatuo. *Flores* ſpecioſi Graminis leucanthemi, quinque foliolis conſtant, ſingulis ad imum uſque fiſſis, candidis, ſtriatis, *ſtaminulis* niveis medium occupantibus cum capitulo viridi, è cujus ſummo quinq; reflexæ fibræ emicant, totidémque flori toti ſuſtinendo ſubjiciuntur *folia* viridantia, villoſa, quæ *vaſcula* ſubſequentia obvolvunt, Hyperici vaſculis ſimilia, turbinata, in quibus *grana* continentur Papaverinis paria, ruffa, circa clavam racematim cohærentia.

Folia in hac planta interdum nonnihil ſinuata ſunt per margines & veluti criſpa.

Locus. In locis humidis & paluſtribus, itémque propè fontes & defluentes aquas reperitur.

Haud dubium eſt quin Dodonæus Alſines majoris titulo hanc plantam deſcribat: Dodonæi autem figuram aſſumunt Lobelius, Gerardus & Parkinſonus, pro Alſine majori, eandem ergo plantam intelligunt, ideóque hi duo ex una ſpecie duas faciunt, nimirum Alſinem majorem, & Alſinem paluſtrem.

Lobelium autem in Adv. non cognoviſſe Alſinem majorem ſuſpicatur J. Bauhinus.

Hanc etiam eſſe puto quam deſcribit & depingit Chriſtianus Mentzelius, in Pugillo rariorum plantarum, ad calcem Indicis ſui nominum Plantarum multilinguis, titulo Alſines maximæ Solanifoliæ *March. Brandeburg.* Hæc enim (ut dixi) folia habet ad margines non raro parum ſinuata.

A. 20. *Alſine vulgaris ſive Morſus Gallinæ* J. B. *Alſ. minor ſive media* Ger. *Alſine media* C. B. *minor* Park. **Common Chickweed.**

Non multùm diſſimilis eſt majori, alſioſis locis perinde gaudens; *radiculis* capillaribus [potiùs ſingularibus in plurimas fibrillas diviſis, quæ adeò fortiter terram apprehendunt ut extirpatu difficiles ſint] humi ſtratis, tenellis, hirſutis, ſubrubentibus, geniculatis *viticulis*. *Folia* Anagallidis, minora quàm in majore, ſubhirſuta, ex geniculis ſimiliter adverſa, guſtu fatuo: *floſculi* candidi, ſtellati, minores: *Semen* in pericarpiis non diſſimile.

Locus. In uliginoſis ad ſepes & vias, itémque in vineis & hortis inter olera paſſim provenit, & per totum fere annum floret.

Hæc planta ratione loci aliorúmque accidentium magnitudine adeò inſigniter variat, & faciem mutat, ut pro diverſis à Botanicorum vulgo habeatur. Hinc Alſinem marinam *Dod. Ger. Park.* pro eadem habeo. J. Bauhinus ſuſpicatur Alſinem marinam *Dod.* convenire poſſe cum Alſine Plantaginis folio: & dubitat an Dodonæus exhibuerit figuram ſuæ Alſines marinæ: Siquidem imago quæ pro Alſine marina ab illo oſtenditur à Lobelio pro Alſine majore ac paſſim naſcente accipitur.

Nos Dodonæum Alſinem cruciatam marinam intelligere ſuſpicamur.

A. 21. *Alſine longifolia uliginoſis proveniens locis* J. B.

J. B.

Radiculis eſt tenuibus, ſerpentibus. *Caules* pedales, quadrati, infirmi; ad quorum genicula *folia* bina, Gratiolæ foliolis paria, minora, nec per ambitum ſerrata, in acumen deſinentia, glabra, nervo unico medium decurrente, circa medium latiora quàm in Gramine leucanthemo minore, cui tamen *flores* ſatis ſimiles, aut Alſines vulgaris, extremis hærent ramulis, ſtellati, albi. Cæterum foliola florem ambientia quinque ſunt viridia, alba autem decem & præterea *apices*.

Locus. In paluſtribus putridis & rivulis provenit non rara.

Petala huic in flore decem revera non ſunt, ſed duntaxat quinque, uſque adeò ad unguem ferè fiſſa ut decem videantur, & minùs cauto facilè imponant.

* 22. *Alſine inaperto flore ſeu unicaulis noctiflora* Moriſ. præludium.

Moriſ.

Caules producit triunciales, quorum nodis apponuntur bina *foliola*, è regione diſpoſita, mucronata, Linguæ paſſerinæ ſimilia. In caulium ſummis naſcuntur *flores*, ſinguli quinque petalis albis, ad medium bifidis conſtantes, aliarum hujus generis more, qui vix interdiu lucente ſole conſpiciuntur, propter tenuitatem partium. Hoc valde familiare eſt pluribus Lychnidum ſpeciebus.

Locus. Creſcit in arvis, ínque ſylvoſis humidis & udis. Quam plantam intelligat neſcimus.

* 23. *Ocymoides Lychnitis reptante radice* J. B. *Lychnis incana repens* C. B. *Ocymoides Lychnitis* Col.

Col.

Radice tenui admodum firmatur, parum ſub terra deſcendente, atque circum reptante, ex qua plures fruticant viticuli, rotundi, incani, hirſuti, bina *foliola* ſingulis geniculis hærentia habentes, quæ in imo minora ſunt, deinde majora in medio viticulo, quod contra evenit in plantis ab radice ſtatim foliatis ante caulis eruptionem; ut in Theophraſto legitur, hirſuta, carnoſa, incana, Lychnidi ſimilia, ſed magnitudine & formâ Ocymoidis Polemonii dicti. Cujus etiam, ſicuti & aliarum congenerum ritu *flores* edit Aprili atque Maio menſe candidos, quinque foliis bifidis conſtructos ſtamina intus quinque lutea habentes. Junio *ſemina* in oblongis pericarpiis mollibus, cartilagineiſque perficit, fulva, anguloſa, hirſutáque. Pericarpia vero non calice obducta ſunt ut in Lychnidibus, ſed tantùm baſin quinque foliolis conſtructum ut in Alſine habent. *Radix* admodum vivax eſt, ideóque multùm fruticat, terrámque ipſius comâ operit.

Sponte ac frequens oritur in monte D. Mariæ virginis appellato, locis humentibus petroſis. *Locus.*

Sapor plantæ dulcis eſt; quare non ineptè Herbariorum fœmellarúmque vulgus ad eliciendum lac copioſum utitur; atque plantam ſicuti cætera olera juſculis admixtis ovis diſruptis decoquunt, non ſine Piperis atque Amaraci modico, vel (ut alii ſolent) in placentam efformant, cujus uſu magnam lactis copiam provenire experimento ſe habere aſſerunt. Ab hac lactis eliciendi facultate Herbariis Neapolitanis vulgò *Herba Lattaria* dicitur. *Vires.*

* 24. *Alſine Bononienſis non aculeata* Bocconi.

Bocc.

Humi procumbit, atque *cauliculis* tenuibus, rigidulis, geniculatis, in plures ramuſculos diſtributis prædita eſt, circa quos *Folia* tenuia, anguſta, Tithymali leptophylli æmula, denſo ſtipatu invicem cohærent, quæ in ſeneſcente planta dum contrahuntur aculeata videntur. *Floſculi* albidi & *capſulæ* aliarum more.

Bononiæ & ad vicum Chantilly obſervavit Autor. *Locus.*

§. 3. *Alſinæ petalis integris, aliæque miſcellaneæ incertæ ſedis.*

1. *Alſine minor multicaulis* C. B. *minima* Ad. Lob. Dod. Ger. J. B. *aquatica minima* Park. **The leaſt Chickweed.**

Tota facie Alſine minori ſeu mediæ ſimilis eſt; [Lobelio in Ad. Anagallidem admodum præfert] verùm per omnia minor, tenellis ramulis & hirſutis donata; *foliis* minimis Alſines mediæ minoribus, nigricantibus, paulum hirſutis, pediculo breviſſimo nixis, & *flore* ſimiliter albo: *Semen* in pericarpiis minutiſſimum, ruffum.

Folia hujus plantæ Serpylli folia referunt: Flos quinque petalis indiviſis conſtat, unde ab Alſine majore & medio nullo negotio diſcernitur.

In iiſdem cum præcedentibus locis invenitur, non raro etiam muris innaſcitur. *Locus.*

Alſine minor Lini capitulis C. B. *petræa* Ger. Park.

Mihi ſanè à præcedente non videtur diverſa.

Alſine minor foliis rotundis C. B. *Alſines minoris alia ſpecies* Thal. *nobis incognita, q. apud Thalium.*

* 2. *Alſine Alpina glabra* C. B. prod. Park.

C. B. prod.

Ex *radice* albida, oblonga, fibris capillata *cauliculi* plures, iíque palmares, tenues, læves, rotundi & geniculati in ramulos aliquot, híque in alios diviſi, prodeunt: qui *foliis* pallidè virentibus, Lini formâ, ſed brevioribus & acutis, binis ex adverſo ſitis cinguntur. *Flores* plures, albi, ſtaminibus aliquot donati, pedicellis inſidentes, è caliculis prodeunt, capitulis minuto ſemine refertis ſuccedentibus.

Hæc locis ſaxoſis humidis gaudet, quam copioſè circa balneum Sultzbergenſe in Marchionatu obſervavimus. *Locus.*

* 3. *Alſine Alpina junceo folio* C. B. Park.

C. B.

Ad palmi altitudinem accedit: ejus *cauliculus* ſtatim à radice in duos, híque in alios ramulos breviores dividuntur; inter quos unus vel alter ſemipalmaris exurgit, in ſummitate *florem* unum ſuſtinens, vel is uno alteróve pediculo donatur, & cuilibet unus, íſque albus, pentapetalos, ſatis magnus, ex calyce prodiens inſidet. *Foliis* eſt capillaceis, viridibus, rigidis & inordinatè diſpoſitis Julio floret. In Helveticis & Genevenſium montibus reperitur. Nobis in montibus illis non occurrit.

A. 4. *Alſine tenuifolia* J. B. *An Alſine nodoſa Germanica* C. B. prod. Park.

Radices habet numeroſas, albicantes, lignoſas, multifidas: ex quibus ſurgunt *cauliculi* palmares & ſeſquipalmares, aut etiam altiores, teretes, ramoſi; ad quorum nodos *folia* bina naſcuntur, Tunicæ minimæ, longa & tenuia; *Floſculi* faſtigiis hærent ramulorum pediculiſque longiuſculis è foliorum

ſinu

** Alſin. minoris multicaulis.* ſinu ortis, * Alſines tertiæ Fuchſii minores, candidi, ſtellati. Sapor huic plantæ nullus conſpicuus. Lino cathartico cùm floret ſimilis eſt.

Locus. In arvis ad margines collium Gogmagogi, & ericeti *Triplow* in agro Cantabrigienſi provenit, necnon alibi in eodem Comitatu. J. Bauhino Monſpelii in agris Aprilis florens occurrit.

A. 5. *Alſine Plantaginis folio* J. B. *&* nobis. *An Alſine fontana* Ger? *i. e. aquatica media* C. B. Park? **Plantain-leaved Chickweed.**

E *radice* tenui fibrillis numeroſis tenuiſſimis capillata, *cauliculos* fundit plurimos, dodrantales, teretes, tenues, humi procumbentes, geniculatos, ramoſos, brevi lanugine hirſutos ut ferè obtutum fugiat. *Folia* ad radicem parva, pediculis longiuſculis inſidentia, in caulibus minora, pediculis brevioribus, ex adverſo bina, nonnihil productiora & acutiora quàm Alſines vulgaris, in quibus præcipuè notabiles ſunt nervi ſecundùm longitudinem decurrentes, plantagineis ſimiles, quinque plurimùm, in averſa parte elati & facilè conſpicui. *Floſculi* in caulium & ramulorum divaricationibus ſingulis ſinguli, pediculis uncialibus & longioribus inſidentes, parvi, albi, pentapetali, petalis integris, acutis, minimè bifidis ut in Alſine vulgari, quinque *calicis* foliis longis, anguſtis, acutis circumvallati. *Vaſculum* ſeminale quale ferè Alſines vulgaris, faſtigiatum, ſeminibus copioſis parvis, nigris, ſplendentibus, ad renis figuram accedentibus, repletum, ſumma parte per maturitatem ſe aperiens, Lychnidis more.

Planta hæc nullo neque ſapore neque odore notabilis eſt.

Tempus & Locus. Floret menſe Maio Junio, & ſemen brevi ad maturitatem perducit. In ſylvis cæduis & ſepium aggeribus frequens occurrit, locis præſertim uliginoſis.

* 6. *Alſine Lotoides Sicula* Bocconi. *Alſine paluſtris minor folio oblongo* C. B.

Bocc. Hujus plantulæ ſubrubentes, geniculati & invalidi *cauliculi* humi ſparguntur. *Folia* quoad ſubſtantiam ſeu texturam & figuram, non numerum, quadantenus ad Loti Libycæ *Dalech.* ſive Trifolii veſicarii ſive halicacabi *Cam.* folia accedunt. *Floſculi, capſulæ* & *ſemen* Alſines vulgaris modo verticillatim cauliculos ambiunt.

Locus. Propè Catanam in paluſtribus & humentibus locis invenit Paulus Boccone.

C. Bauhino ſic deſcribitur.

Radice eſt tenui, oblonga, capillaceis fibris prædita: *cauliculis* frequentibus tenuibus, humi fuſis, & ſubinde ad internodia fibris ſe firmantibus: *foliis* oblongis anguſtis, pallidis, binis ex adverſo naſcentibus: *floſculis* parvis, racemi modo junctis, & tenuiſſimis pedicellis inſidentibus, quibus *ſemen* minutum ſuccedit.

Folia hujus non reſpondent deſcriptioni Bocconi, ut niſi ipſe affirmaret eandem eſſe præcedenti, mihi quidem non videretur. Ego in *Catalogo plantarum Angliæ* Alſinem paluſtrem minorem folio oblongo *C. B.* Alſines rotundifoliæ ſive Portulacæ aquaticæ noſtratis & *Ger. emac.* ſynonymam feci: Verùm ſi rectè deſcripta ſit C. Bauhino floſculis racemi modo junctis, & tenuiſſimis pedicellis inſidentibus, falſus fui; quamvis reliqua deſcriptio conveniat.

* 7. *Alſine facie Paronychiæ ſecundæ Matthioli* Bocconi.

Boccon. Tribus aut quatuor ramulis humi jacentibus, Alſines foliis numeroſis, copioſis etiam floſculis in ſummitate cohærentibus donatur, ad formam accedens Paronychiæ ſecundæ *Matth.* Annua eſt planta.

Locus. Exit paſſim in maritimo litore Modicæ civitatis. *Suſpicor hanc plantam eandem eſſe Millegraæ minimæ.*

* 8. *Alſine maritima longius radicata Herniariæ foliis* Bocconi.

Bocc. *Radice* nititur pro plantæ modulo longa, craſſa, dura, Caryophyllorum ac Lychnidum more, adnatis etiam appendicibus quaſi ramoſa, aut potiùs multis modis furcata: Ab hac *Cauliculi* denſo ceſpite plures gignuntur, circa quos *folia* ſunt varia; uni quidem [in Sicilia] Herniariæ formâ & magnitudine; alteri verò Alſines maritimæ Neapolitanæ *Col.* *Flores* & *ſemina* ſunt prorſus Alſines vulgaris. Capſulas non obſervavit Autor.

Aliam hujus generis plantam pingit P. Boccone quam inſcribit *Alſinem maritimam alteram anguſtis foliis.*

A. 9. *Saxifraga paluſtris Anglica* Park. *Alſine paluſtris foliis tenuiſſimis; ſive Saxifraga paluſtris Alſinefolia* Ger. emac.

Radice nititur alba, multiplici, fibris majuſculis donatâ: *Folia* quæ ad radicem graminea, anguſtiſſima, uncialia aut ſeſcuncialia. *Caules* ex eadem radice plures, palmares, tenues, infirmi, glabri, crebris geniculis intercepti. Ad ſingula genicula *folia* ex adverſo bina, anguſtiſſima, brevia, acuta, inferiora digitum longa, ſuperiora breviſſima, ſedentibus in foliorum alis glomerulis foliolorum minutiſſimorum velut ramulorum germinibus. *Flores* in ſummis caulibus & ramulis Alſines florum ſitu, pediculis ſemuncialibus, tenuibus, majores quàm pro plantulæ modo, albi, pentapetali petalis concavis acutis, è calice quinquepartito. *Stamina* in medio flore decem alba cum *apicibus* concoloribus *capitulum* circumſtant Alſines ſimile, *ſemina* parva, per maturitatem obſcurè rubentia continens.

Locus. In paluſtribus menſe Julio floret.

* 10. *Saxifraga*

* 10. *Saxifraga Bavarica* Park. Ponæ.

Humi ſe ſpargit *ramulis* plurimis teretibus tenuibus, in alios minores ſubdiviſis, foliis crebris ad ſingula genicula binis, anguſtis, oblongis, craſſiuſculis, pallidè virentibus. In ramulorum ſummitatibus ſingulis ſinguli *flores*, calyce è foliolis albentibus compoſito obvallati, pentapetali, nivei, petalis acuminatis, interdum fimbriati & purpurâ dilutiore tincti, ſtellæ in modum expanſi, cum ſtaminibus in medio pallidis. Semen vaſculis parvis è rotundo oblongis includitur minutum, compreſſum, nigrum, ſplendens. *Radix* parva, alba, altiùs in terram deſcendens.

A. 11. *Alſine puſilla pulchro flore, folio tenuiſſimo noſtras: ſeu Saxifraga caryophylloides puſilla, flore albo pulchello.*

E *radice* ſimplici ſurculoſâ *cauliculos* fundit numeroſos, tenues, teretes, infirmos & humi procumbentes, geniculatos, foliis ad genicula binis adverſis cinctos, anguſtis, vix dimidium digitum longis, è baſi latiore in acutum mucronem ſenſim deſinentibus, Caryophylleorum in modum; verſus ſummitates in ramulos aliquot ſparſos, qui *flores* geſtant candidos, pulchellos, pentapetalos, longis pediculis nixos, in divaricationibus caulis & ramulorum eodem modo ſitos quo Alſines vulgaris, apicibus intus rubentibus. Succedunt *Vaſcula* Alſines æmula *ſemine* referta exiguo ruffo. Nullo inſigni neque odore, neque ſapore excellit.

In montoſis Eboracenſibus propè *Settle*, necnon Derbienſibus copioſè. *Locus.*

* 12. *Saxifraga Antiquorum quibuſdam* J. B. *magna Matthioli* Ger. *Caryophyllus Saxifragus* C. B. *Saxifraga major Italorum Matthiolo* Park.

J. B.

Digiti parvi magnitudine ſive craſſitudine obſervavimus *radicem* lignoſam, palmo longiorem in numeroſa capita diviſam, unde *ſtolones* pullulant innumeri, palmares & longiores, geniculatè, *foliis* ad juncturas binis ex adverſo poſitis, Hyſſopi ſimilibus, minoribus amicti. *Flos* uniuſcujuſque ſtolonis cacumini inſidet unicus, multis in medio *ſtaminibus*, è *calyce* albido, ſemunciali, ſtriis viridantibusvirgato, inferiùs anguſtiore.

Ex hac deſcriptione Lychnidis ſpecies eſſe videtur.

Rara eſt hæc planta, nec nobis unquam occurrit vel in Anglia vel in tranſmarinis regionibus, quicquid dicat Lobelius. J. Bauhinus ex Gallia Narbonenſi habuit. *Locus.*

* 13. *Caryophyllus ſylveſtris ſtrigoſior, vel Caryophyllus ſylv. flore minimo* C. B. *Saxifraga Antiquorum Lobelii* Park.

Lobelii ſententiâ eadem eſt præcedenti, verùm ſtrigoſior ob locum; non eſt ergo ſufficiens ratio cur Bauhinus eas ſeparet. Lobelium tamen memoriâ lapſum puto, cùm magnam hujus copiam in Anglia provenire ſcribat; Nobis enim nuſquam viſa aut audita eſt.

14. *Arenaria* J. B.

J. B.

Delicatula plantula, vix palmaris, ex *radiculis* longiuſculis albis, crebris geniculis intercepta, ramulos ſatis frequentes profert tenuiſſimos: *folia* ad radicem multa, uncialia; & geniculis inferioribus circumpoſita, ſemunciâ longiora, ſed inſignis tenuitatis, unà cum minoribus quibuſdam adjunctis; at per articulos bina; in ſuperioribus verò radiatim pænè diſpoſita, brevia minutáque ut nihil ſupra, verticillos imitata. Hirſutiem interdum per coliculum exhibet, extremiſque ramis florem Spergulæ album, minorem, calyci inſidentem viridi, folioſo.

15. *Rubia linifolia aſpera* C. B. *Juncaria Salmanticenſis* Cluſ. Park. *Juncaria* J. B.

Cluſ.

Habet in ſingulis geniculis bina *folia* ex adverſo ſita, Aſperulæ odoratæ foliis quodammodo ſimilia, breviora tamen & Lini ſativi foliis non abſimilia: frequentes ramuli ex alarum ſinu prodeunt ſimilibus foliis præditi, copioſos, paleaceos candicantéſque proferens flores: *ſemen* deinde exile nigricans. *Radix* tenuis eſt, candicans, non vivax, ſed ſingulis annis ſemine deciduo novellæ plantæ enaſcuntur illo ipſo anno etiam ſub finem menſis Auguſti.

Provenit locis arenoſis inter vineta, ſecundo à Salmantica milliari. Floret Julio: ſemen Auguſto maturum eſt. *Locus & Tempus.*

* 16. *Caryophyllus ſaxatilis Ericæfolius umbellatis corymbis* C. B. Park.

C. B. prod.

Ex *radice* tenui lignoſa, contorta & reclinata, *cauliculi* plures, geniculati, rufeſcentes, ſemipalmares attolluntur: ad quorum exortum *foliola* brevia, anguſta, ericæ ſimilia, & ad genicula ſingula bina, breviſſima & rigidiuſcula: cauliculorum ſummitatibus, veluti umbellæ ex corymbis compoſitæ, inſident, unde *flores* candidi ex quatuor, aliquando quinque, foliolis conſtantes prodeunt.

D. Magnol flores ſemper pentapetalos obſervavit, inque deſcenſu montis *Capouladou à las Cambrettes* Junio cum flore frequentem vidit. *Locus & Tempus.*

In Gallo-provinciæ locis ſaxoſis in monte edito propè *Vigan* reperitur.

• 17. *Caryophyllus ſaxatilis ericæfolius ramoſus repens* C. B. *ſaxat. ericæfol. ramoſus repens, aut ei ſimilis* Park.

C. B. prod.

Hic inſtar muſci clavati per terram repens ex radice *caulem* lignoſum emittit, in ramos plures & hos in alios ſubdiviſum, quos *folia* exigua Ericæ foliis ſimilia cingunt, quorum ſummitatibus *flores* copioſi, nivei, magni, elegantiſſimo ſpectaculo inſident.

Locus. Ex Pyrenæis. Hunc floribus rubris, ſed majoribus, foliiſque ad cauliculos longioribus & latioribus ex Hiſpania habemus.

A. 18. *Spergula purpurea* J. B. *alſineformis ſive* 5. *cap.* 436. *Lib.* 2. Ger. emac. *Saginæ Spergula minima* Park. *Alſine Spergulæ facie minor, ſive Spergula minor flore ſubcæruleo* C. B. **Purple Spurrey.**

J. B.

Radice eſt ſingulari, longâ, craſſiuſculâ, apophyſes quaſdam è lateribus emittente, ſapore betaceo. *Caules* multi, per terram ſparſi, dodrantales & minores, in ramulos diviſi, ad quorum ſingulos nodos *folia* ſtellatim adnaſcuntur. [Quamvis folia caulium nodos ſtellatim ambire videantur, curioſiùs tamen rimanti duo tantùm plerunque folia apparebunt ad ſingula genicula, ex eorum autem ſinubus reliqua oriuntur,] anguſta, acuta, quàm Spergulæ vulgaris breviora, obſcurè viridia, ſemuncialia circiter, plurimùm glabra, rariùs hirſuta, quibus ad exortum velut ſquamulæ duæ albæ ut in Polygono circumponuntur. Sapor herbaceus. In divaricatione ramulorum *floſculi* ſinguli; in ſummitatibus etiam cauliculorum ad ſingulos nodos ſinguli oriuntur, purpurei, Anagallidis phœniceæ floribus ſimiles, è quinque foliolis compoſiti, alii recti expanſi, alii penduli occluſi, calice quinquefolio, oblongo, herbaceo, ſubhirſuto; pediculis oblongis hirſutis nixi. *Semen* in capſulis conoidibus, per maturitatem in tres carinas dehiſcentibus, minutiſſimum arenæ inſtar, fuſcum aut ruffum.

Locus. In arenoſis & glareoſis frequens; Maio & Junio menſibus floret.

Quærit C. Bauhinus, annon hæc ſit Aſterias ſeu Stellaria *Lugd.* i.e. Aſter. ſive Stellar. Monſpelienſium *Park.* D. Moriſonus duarum aliarum Spergulæ ſpecierum meminit, ſolo ſemine à vulgari differentium, quorum tituli,

1. Spergula annua, ſemine foliaceo, nigro, circulo membranaceo albo cincto.
2. Spergula annua, ſemine compreſſo foliaceo minore, in medio fuſco, circulo pariter albo cincto.

Utraque hæc ſpecies Autore noſtro detecta fuit in arvis ſegetalibus circa Rupellam, & in arvis arenoſis intra ſepta *Chambort* ſitis.

Verùm cùm Spergulæ marinæ ſemen foliaceum ſit & fuſcum cum circulo foliaceo albo, cavendum nè multiplicentur Spergulæ ſpecies, ut rectè monet *D. Magnol* in Botan. Monſpel.

A. 19. *Spergula* J. B. *Saginæ Spergula* Ger. emac. *Sag. Spergula major* Park. *Alſine Spergula dicta major* C. B. **Spurrey.**

J. B.

Palmaris & ſeſquipalmaris eſt planta, ad cubiti etiam altitudinem excreſcens: *caulibus* multis teretibus, frequenter geniculatis, ſubhirſutis, ramoſis. *Folia* ad ſingulos articulos numeroſa, radiatim ut in Gallio caulem ambiunt tenuitate quoque pari, ſed nequaquam ità rigida, verùm flacceſcentia; ſuperiora cum coliculo leviter hirſuta, averſa parte ſulcata, ſapore nullo evidente. *Capitula* in ramulorum faſtigiis multa, ſingula ſingulis pedicellis donata (quorum unus aut alter deorſum pendet, alii ſurriguntur, ut in Holoſteo Caryophylleo arvenſi *Tab.*) Alſines ſimilia, hirſuta, quæ in *floſculos* albos è quinque foliis integris compoſitos explicantur, *apicibus* luteis; quibus ſuccedunt *vaſcula* Alſines, *ſemina* continentes puſilla, nigra. *Radix* ſubeſt ſingularis, recta, raris fibris albis donata.

Locus. Inter ſegetes ubique ferè nimis frequens.

A. 20. *Spergula marina noſtras* J. B. *marina Dalechampii ſive* 4. *cap.* 463. *lib.* 2. Ger. emac. *Alſine Spergulæ facie media* C. B. *Saginæ Spergula minor* Park. **Sea-Spurrey.**

J. B.

Craſſiore eſt *radice* quàm mediterranea Spergula, ex qua *caules* ſimiliter multos profert, palmares & pedales; ad quorum genicula naſcuntur radiata in orbem *folia*, Spergulæ jam dictæ modo, craſſiuſcula, ſalſa. Ramulorum cacuminibus flores è calyculis hirſutis erumpunt, ſimiles quoque formâ ſed colore purpuraſcente [apud J. Bauhinum legitur luteo, errore forte Scribæ aut Typographi, neque enim unquam vidi Spergulam flore luteo, aut de ea audivi.] Vaſcula nonnihil turbinata *ſemen* continent foliaceum.

Adeò ſimilis eſt Spergulæ purpureæ in Mediterraneis naſcenti, ut aliquando totam diverſitatem loco natali imputandam cenſui; verùm poſtea ſemen hujus compreſſum & planum eſſe animadvertens, ſententiam mutavi.

Locus. In ſalſis paluſtribus & maritimis paſſim provenit.

• 21. *Alſine Bætica* Cluſ. Park. *Alſine Symphyti petræi capitulis* C. B.

Cluſ.

Caule ſimplici utplurimum & ſingulari donatur, interdum multiplici, geniculato, pedis dodrantem alto, ſubrubente, aliquot ramulis prædito: *foliis* ſatis anguſtis, ſecundùm petiolos tamen latioribus, & extrema parte mucronatis, dorſo magis eminente, nullâ lanugine obſitis alterius inſtar, ſed lævibus & ſaturatè virentibus, geminis ſemper ad ſingulos nodos ex adverſo naſcentibus: extremi ramuli

ramuli

muli velut capitulis inſtar Symphyti petræi onuſti erant, quæ oblongis & purpureis *floribus* referta: *radix* mediocris, candida.

Circa *Xeres de la frontera*, aliiſque Bæticæ locis obſervabat Cluſius. *Locus.*

* 22. *Alſine maritima Neapolitana* Col. Park. *maritima flore rubente* C. B.

Col.

Folia ei anguſtiſſima, nec latitudine viticulas ipſas, in quibus hærent geniculatim bina, ſuperantia, ipſáque cruciato ordine ex foliato geniculo prodeuntia, longitudine pollicari & majore: *flores* habet in ſummo è longis petiolis prodeuntes cum calyce foliato, ut in congeneribus, colore ſuaverubente, *fructu* oblongo & ſemine ſimilibus. *Radice* admodum tenui, fibrillis diviſa, candicante, ex qua in orbem repunt viticuli fruticantes, humi jacentes, ſed cùm florent reſupini. Habent viticuli medium ſtamen, ut in congeneribus.

Oritur in maritimis Auſtro expoſitis circa Neapolin Italiæ urbem. *Locus.*

* 23. *Saxifraga altera* Alpin. exot.

Alpin.

Ab una *radice* multis áſſurgit *ſurculis*, longitudinis dodrantalis, tenuiſſimis, ex intervallis geniculatis, ex quorum ſingulis geniculis utrinque ex oppoſito bina *foliola* exeunt, tenuiſſima, longa, in acutum admodum deſinentia Caryophylli minimi foliis proxima, ſed minora tamen & tenuiora, Tunicæ minimæ veriùs ſimilia, aut ſola, aut unà cum ramulis binis tenuiſſimis ex iiſdem ſurculorum geniculis itidem prodeuntibus: in ſummitatibus verò floſculi purpurei, parvis Caryophyllis non diſſimiles emicant, & in ſurculorum cymis parvorum ferè umbellarum modo, quibus *ſemen* minutum, nigricans ſuccedit. *Radix* longa eſt, in acutum deſinens, lignoſa, utrinque demittens aliquot radiculas longas, tenues, fibroſas, per latum in terræ ſuperficie actas: Tota planta inodora eſt, guſtu modice aſtringit abſque ulla amaritudine aut acrimonia, ſiccátque. Ex Creticis ſeminibus Alpino nata eſt.

* 24. *Alſine Alpina cauliculis nudis prolifera* C. B.

Neque deſcribit, neque ſynonyma addit, duntaxat quærit, an ſit Saxifragia 3. *Col.*

Alſine fluviatilis Tab. Ger. *aquatica minor & fluitans* C. B.

Nobis incognita & ſuſpecta. Videſis ejus iconem & deſcriptionem apud *Tab. & Ger.*

A. 25. *Alſine totundifolia ſive Portulaca aquatica* Ger. emac. *aquatica minor folio oblongo, ſive Portulaca aquatica* Park. **Water Purſlane, or round-leaved Water-chickweed.** *Anagallis Serpyllifolia aquatica* J. B.

Plurimis fibris albentibus è geniculis in terram demiſſis *radicatur*. *Caules* palmares, * teretes, infirmi, rubentes, *foliis* veſtiti crebris, ex adverſo binis, Portulacæ æmulis ſed longè minoribus, ex anguſto nimirum principio paulatim dilatatis, & in extremum rotundum deſinentibus, glabris, non crenatis, luteo-viridibus. *Flores* in alis foliorum ſingulorum ſinguli ſedent, nullis pediculis, ſex purpurantibus foliolis compoſiti, quibus ſuccedunt *vaſcula* ſubrotunda ſeminibus repleta, minutis ruffis.

* *Johnſono quadrati, J. Bauhino ſtriati.*

In paluſtribus & aquoſis ubi per hyemem aquæ ſtagnârant, per totam Angliam frequentiſſima eſt. *Locus.* Hanc olim habui pro Alſine paluſtri minori folio oblongo *C. B.* verùm nunc mutatâ ſententiâ pro Alſine paluſtri minore Serpyllifolia *ejuſdem* eam habeo, ſed neque hujus deſcriptio per omnia reſpondet, nec enim noſtræ folia ſunt Serpylli multò minora. Plenam & accuratam hujus plantulæ deſcriptionem vide apud J. Bauhinum lib. 29. cap. 113. Sub finem æſtatis floret. *Tempus.*

A. 26. *Alſine paluſtris Portulacæ aquaticæ ſimilis. An Alſine aquatica ſurrectior* J. B? *An Alſine paluſtris Serpyllifolia* Ger. emac. **Small water Chickweed, by ſome called Blinks.**

Radix plurimis fibris capillaribus conſtat. *Caules* indè emergunt plures, rotundi, rubentes, in terram reclinati & ſubinde radices agentes, duorum triúmve digitorum longitudine, ramoſi & crebris geniculis intercepti; quos veſtiant folia ad nodos bina oppoſita, pallidè virentia, ad Serpyllum vulgare accedentia, verùm anguſtiora pro modulo ſuo & longiora, ſatis craſſa, pallidè virentia. Versùs caulium ſummitates ex alis foliorum egrediuntur *flores*, aliàs ex ſingulis pediculis ſemuncialibus ſinguli, aliàs plures in eodem communi pediculo, perexigui, pentapetali, albi, quibus ſuccedunt *vaſcula* tricocca, ſemina tria rotunda nigra continentia, quæ in tres carinas per maturitatem dehiſcunt, & ſemina oſtendunt: Carinulæ deinde ſe contrahentes *ſemen* ſuum cum impetu ejaculantur. Sapor plantæ amaricans.

Amat loca humida & paluſtria, ſed nec aridiora aſpernatur vere præſertim pluvioſo: obſervavimus enim non rarò in arvis inter ſegetes. *Locus.*

Hæc planta eſt, ni fallor, quam in *Prælud. Botan.* deſcribit Moriſonus ſub titulo Portulacæ minimæ flore albo. Eſt autem plantula ſingularis & ſui generis.

Deſcriptione Portulacæ exiguæ ſive arvenſis Camerarii cum noſtra hujus herbulæ diligenter collatâ, eandem omnino judicamus plantam.

* 27. *Alſine paluſtris Serpylli folio* Bocconi.

Bocc.

Parvis eſt *foliis*, carnoſis, Gratiolæ Hyſſopifoliæ anguſtioribus, ad cauliculorum humi jacentium nodos binis ex adverſo poſitis: *Floribus* in foliorum ſinu rubentibus, exiguis *capſulis* & *ſemine* Alſines vulgaris. Integra planta dimidiæ palmæ magnitudinem vix æquat.

Locus. Locis paluſtribus circa Syracuſas naſcitur. A præcedentibus diverſa videtur.

* 28. *Alſine paluſtris minima, floſculis albis, fructu Coriandri exiguo* Mentz.

Unciæ quadrantem non ſuperat. Foliola Lentis magnitudine longa & lata. Floſculi vix conſpicui.

Locus. In Boruſſia locis udis creſcit.

CAP. XIII.

De Lyſimachia purpurea ſpicata.

A. 1. *Lyſimachia purpurea ſpicata* Ger. Park. *purpurea, quibuſdam ſpicata* J. B. *ſpicata purp. fortè Plinii* C. B. **Purple ſpiked Willow-herb, or Looſe-ſtrife.**

J. B.

PLures ſpargit *radices* digitales, lignoſas, albas. *Caules* ad hominis altitudinem lætiore ſolo adoleſcunt, rigidi, in alas diviſi, anguloſi, ſubrubentes. *Folia* plurimùm bina ex certis intervallis, aliàs terna, Saligna, quàm luteæ Lyſimachiæ ſtrictiora & ſaturatiùs viridia, acuminata, ſicco guſtu. *Flores* in ſpicis dodrantalibus aut brevioribus, è pluribus velut verticillis compoſitis; hilari purpurâ oculos perſtringunt; quorum ſinguli ſenis foliis conſtant, *ſtaminibus* concoloribus medium occupantibus, ex *cauliculis* oblongis ſtriatis ſubpurpureis, in duodecim ſegmenta diviſis.

Præcipuè notabile eſt in hoc flore, quod petala non exeant ex imo calice circa baſin vaſculi ſeminalis (quod in eodem ferè occultatur) ſed è ſummo calicis margine, ut ſtatim patebit ea avellenti cùm jam marceſcere incipiunt.

Locus. In paluſtribus & ad fluviorum ripas abundè provenit. Æſtate floret.

Vires. Aqua hujus deſtillata ad vulnera, puncturas & ſugillationes oculorum, necnon ad obſcuritatem aliáque eorum vitia præſentaneum eſt remedium autore Parkinſono; ſpecificum eſt in inflammationibus.

* 2. *Lyſimachia purpurea* 2. *ſive minor* Cluſ. *Lyſ. rubra non ſiliquoſa* C.B. *purpurea Pannonica* J.B. *minor rubra ſive purpurea* Park. *purpurea minor Cluſii* Ger. emac.

Cluſ.

Humilior eſt præcedente, cubitalem altitudinem raró ſuperans: *Caules* illi teneriores, graciliores, quadranguli, cacumine in plures ramulos ex adverſo inter ſe naſcentes diviſi. *Folia* vulgari minora & anguſtiora, ſibi invicem etiam oppoſita, lenta & quodammodo gummoſa, deinde nonnihil acrimoniæ & amaritudinis exſerentia. Quæ in ſummis ramis naſcuntur confuſum habent ordinem, neq; ſeriem ullam ſervant: inter quæ *calyculi* emergunt rariores, minores, neq; adeò barbati, aut verticillorum inſtar caulem ambientes ut in præcedente, plerunq; hexagoni, ex quibus *flos* prodit hexapetalos, ruber, aliquot *ſtaminibus* ex umbilico prodeuntibus. *Radix* dura, lignoſa, non repens ut in ſuperiore, ſed ex eodem corpore multos caules ſingulis annis proferens, & ſubinde lateribus ſe propagans, multiſque fibris inhærens.

Locus. Provenit multis Pannoniæ locis in humidis pratis & Danubii inſulis. Floret cum vulgari Junio & Julio.

* 3. *Lyſimachia rubra minima* Cluſ. *linifolia purpuro-cærulea* C. B. *purpurea ſive rubra minima* Park.

Cluſ.

Dodrantalis eſt altitudinis. Statim ſecundùm radicem ramulos in latera fundens, graciles, virides, frequentibus *foliolis* anguſtis inſtar foliorum Lini, ſed brevioribus obſitos: inter quæ naſcuntur ſingulares, interdum gemini *caliculi*, longiuſculi, quales ferè in præcedente, è quibus emergit *floſculus* quinque petalis conſtans, ex purpura cœruleis, quibus defluentibus ſuccedunt *capitula* membranacea caliculis incluſa, exili ſemine candicante plena. *Radix* longiuſcula, fuſca, aliquot fibris donata.

Gulielmus Mera Cluſio oſtendit, ex Italia rediens in itinere lectam.

CAP. XIV.

De Trifolio ſpinoſo Cretico.

Trifolium ſpinoſum Creticum C. B. Cluſ. Park. Ger. emac. *aculeatum Creticum* J. B.

J. B.

RArum eſt hoc Trifolium (inquit J. Bauhinus.) Cretæ munus, cui *caulis* in ramos alternatim oriundos, creberrimos, anguloſos, denuo in minores ramulos divaricatos, humiq; fuſos ſtriatóſque dividitur: ubiq; verò quà rami ſurculiq; dividuntur duo exeunt pedicelli breves, oppoſiti, ſinguli *folia* terna, parva, oblonga, in acumen ſpinoſum deſinentia glabráque ſuſtinentes: iiſdémque divaricationibus ſubſunt, adunci, rigiduli, mordaces, deorſum ſpectantes aculei [Cluſio ad ſingulos nodos quatuor ſpinulæ, binis ſupernè, totidem infernè ſpectantibus.] Superiùs verò ex ipſo ramorum coitu pediculus exit brevis, cui ex calyce viridante emicans inſidet *flos* amœnus, magnus, purpuro-violaceus, Lyſimachiæ ſpecioſæ ſimilis è quinque foliis compoſitus, medium obſidentibus apicibus luteis. *Siliquæ* quatuor aut quinque coſtis canaliculatis, latiuſculis ad mucronem turbinatum coeuntibus conſtant, *ſemine* in ſingulis contento lato ruffo.

Semen hujus miſit ad Cluſium Honorius Belli 'Ορβιτόχορτο nomine.

CAP. XV.

De Caryophyllo marino.

HÆc planta pentapetala quidem eſt, verùm quale ſemen producat, nudúmne an vaſculo incluſum nondum diſcernere potuimus, revera quamvis diligenter quæſivimus nullum hactenus ſemen in ea invenimus, quo tamen proculdubio non caret, ut nec alia planta quæcunque.

A. 1. *Caryophyllus marinus minimus* Ger. Lob. *montanus minor* C. B. *Caryophylleus flos aphyllocaulos vel junceus minor* J. B. *Gramen marinum minus* Park. **Thrift, or Sea-July-flower, or Sea-cuſhion.**

J. B.

Foliis eſt Serpentinæ priuſquam floreat, brevibus duarum unciarum, ubi verò caulis excrevit & floret quatuor vel etiam quinque unciarum, & paulò latioribus: *radice* craſſa, non brevi, ut vult Dodonæus, in planta ſicca rubente, ubi folia protrudit in aliquot capita diviſa, ex reliquiis veterum foliorum quaſi capillata: *Caulis* primò aliquot unciarum, deinde palmaris, tenuis, infra capitulum (quod Scabioſæ ovinæ accedit) vagina longiuſcula ab ipſa capituli baſi enaſcente, & deorſum ad digitalem longitudinem producta incluſus. Exterior facies capituli conſtat *foliolis* membraneis, exteriùs virentibus, interiùs argenteo colore lucentibus. Totum capitulum ſcatet membraneis foliolis lucentibus, inter quæ exoriuntur *flores* in calycibus ſumma parte membranaceis, quinque petalis purpurantibus compoſiti, cum totidem ſtaminulis eiſdem annexis apices albentes geſtantibus. Semina nondum in conſpectum noſtrum venerunt, nam quæ pro ſeminibus habet J. Bauhinus membraneo umbilico, florum calyces ſunt & vaſcula etiam, ut opinor, ſeminalia.

In paluſtribus maritimis ínque ſcopulis ad mare per totam Angliam ubique frequentiſſima habetur. *Locus.*

Hac (ut rectè Lobelius) Angli & Belgæ arearum margines ornant; eſt enim vivax admodum, denſo cæſpite terram operit & per totam æſtatem floret.

2. *Caryophyllus montanus major flore globoſo* C. B. *Caryophylleus flos aphyllocaulos vel junceus major* J. B. *Caryophyllus Mediterraneus* Ger. *Gramen marinum Mediterraneum majus, Statice quibuſdam* Park. **Great Thrift.**

J. B.

Præcedenti eadem, vel valdè ſimilis, *caules* dodrantales emittit, rectos, enodes, quorum uniuſcujuſque cacumini (quod uncialis & longior vagina membranacea obvolvit) *flos* inſidet item glomeratus, Schœnopraſſi ferè ſimilitudine, ex albo purpureus, foliacearum ſquamarum vallo circundatus. *Radix* longa, lignoſa, teres, craſſiuſcula in multa capita dividitur, unde terram proximè magna ſeges foliorum emergit, gramineorum, glaucorum, latitudine paulò ſubinde variantium.

Parkinſonus caulem non prorſus nudum eſſe affirmat, ſed duobus parvis perbrevibus foliis ad nodum quem habet unicum cinctum, quæ præter aliorum omnium foliorum normam non ſurſum creſcendo attolluntur, ſed deorſum vergunt. Præterea flores non unà omnes aut etiam multos ſimul aperiri, ſed ſeorſim plerunque ſingulos, alios poſt alios, ut diu ſit antequam totum capitulum defloruerit.

In locis Mediterraneis & à mare procul remotis oritur. Nos propè Moguntiam Germaniæ urbem invenimus, & alibi etiam in Germania frequens habetur. Conſule ſi placet J. Bauhinum: unde C. Bauhinus non ſine ratione montanum eum denominavit. *Locus.*

Cæterum licèt Dodonæus uſum in medicina nullum habere teſtetur, ſed floſculos in coronis ſolùm gratiam aliquam obtinere dicat, Dalechampius tamen ſaporem totius Statices plantæ adſtringentem perhibet, ac facultatem habere ad miraculum uſq; deſiccandi, & erumpentium humorum impetum cohibendi, ſive trita admoveatur, ſive ſuccus ejus bibatur; Dyſenteriis ſuccurrere, menſium abundantiam, ſanguinis è naribus profluvium ſiſtere, ſanguinem exſcreantibus opitulari, denique vulnerariam eſſe, & maligna ulcera ad cicatricem perducere.

* 3. *Statice Americana* Park. **Sea-Gilly-flower, or Thrift of** America.

Park.

Folia habet ſuperiori ſimilia, ſed obſcuriùs viridia, nonnihil ſplendentia, duobus ſecundùm longitudinem decurrentibus nervis, mucronibus obtuſis. *Cauliculi* pariter tenues conſimilem floſculorum glomerem geſtant, colore tamen albo, è membrana erumpentium, quæ deorſum circa caulem reflectitur. *Radix* longa, paucis fibris donata.

LIBRI DECIMI NONI
SECTIO SECUNDA.

De Herbis pentapetalis foliis in caule alterno aut nullo ordine poſitis.

Herbæ flore pentapetalo aut polypetalo, foliis in caulibus nullo aut alterno ordine poſitis, ſunt vel vaſculo ſeminali

- *Simplici*, i. e. non diviſo in loculamenta, quod per maturitatem horizontaliter rumpitur; flore flavo, calice bivalvi; foliis craſſis, lævibus, extremis ſubrotundis; PORTULACA.
- *Bicorni*; foliis in nonnullis ſpeciebus craſſis; SEDUM.
- *Triquetro*, ſeu è tribus carinis compoſito, flore
  - *Pentapetalo*,
    - *Uniformi* ſpecioſo, in uno caule unico, albo; vaſculo conoide; foliis parvis hederæ; in paluſtribus naſcens; GRAMEN *Parnaſſi*.
    - *Difformi*, calcari donato, odorato; VIOLA.
  - *Hexapetalo*, cujus partes difficulter admodum diſcerni & diſtingui poſſunt; vaſcula ſeminalia vix unquam perfectè clauduntur; RESEDA, *Luteola* & *Phyteuma* Monſpelienſium hujus ſpecies ſunt.
- *Pentacocco*, roſtrato; GERANIUM.
- *Quinquepartito*, ſeu in quinque cellulas plura ſemina continentes diviſo,
  - *Breviore* & *habitiore*; foliis Alceæ, flore ſpecioſo, calice tumido & velut inflato veſicæ inſtar; ALCEA *Veneta*, *Malva horaria*, quia flos nonniſi ſplendente ſole & circa meridiem aperitur.
  - *Longiore* & in ſiliquam producto; foliis in eodem pediculo binis ut in Faba, Portulacæ ſimilibus; floribus albis ſtaminoſis, velut Cappareos; CAPPARIS *leguminoſa*, *Fabago*.
- *In decem loculamenta totidem ſemina continentia diſpertito*; flore caduco; ſeminibus oblongis compreſſis ſplendentibus, colore melino; LINUM.

CAP. I.

De Portulaca.

PORTULACA Græcis Ἀνδράχνη & Ἀνδράχνη. Turnebus Portulacam etiam Portulatam dicendam exiſtimavit, quòd foliis portulas imitetur; ſed exempla antiquorum voluminum deſunt. Aliorum ſententia eſt, Portulacam appellatam eſſe quaſi Porculacam, nomine à porcis impoſito, idque quòd à Gallis *Porcelia*, vel *Porcelina* vocetur (unde & Anglicum **Purſlane**) Apuleius etiam Porcaſtrum appellatam ſcribit: & Græcis junioribus Χοιροβότανον (quod *porculacam* ſonat) vocatur. Exempla vide apud *Jo. Bod. à Stapel.*

Portulacæ notæ characteriſticæ ſunt vaſculum ſimplex, ſeu non diviſum in loculamenta, quod per maturitatem horizontaliter rumpitur, flos flavus, calyce bivalvi incluſus, *folia* craſſa, ſucculenta, lævia, extremis ſubrotunda.

1. *Portulaca latifolia ſeu ſativa* C. B. *hortenſis latifolia* J. B. *domeſtica* Ger. *hortenſis* Park. **Garden Purſlane.**

J. B.

Simplici ferè eſt *radice*, progreſſu temporis ligneſcente, cui fibræ paucæ appenſæ. *Caules* plures emittit, pedali longitudine, non raro breviores, teretes, craſſos, ſubrubentes, non erectos ſed terram versus reclinatos. *Folia* incondita, craſſa & ſucculenta, ex anguſto principio, quo cauli adnaſcuntur ſenſim dilatata, extremitate ſubrotunda, lævia & per margines æqualia, ſapore ſubacido: inter quæ oriuntur *floſculi* lutei, ſtellati, pentapetali, apicibus concoloribus. Hiſce ſuccedunt *pericarpia* oblonga, grano hordei paulò majora, quæ per maturitatem mediâ parte tranſverſim ſeu horizontaliter rumpuntur, & *ſemen* effundunt puſillum, pullum.

In hortis ac eorum areis ſubactis ac ſtercoratis commodè ſeritur Martio aut Aprilis initio, Junio verò ac deinde in Autumnum uſq; viget ac viret. *Locus & Tempus.*

2. *Portulaca ſativa lutea ſive aurea.* **Golden Purſlane.**

Neſcio an ſpecie à præcedente differat, certè tenerior eſt illa, foliis latioribus flavicantibus.

3. *Portulaca ſylveſtris* Ger. Park. *ſylveſtris minor ſive ſpontanea* J.B. *anguſtifolia ſive ſylveſtris* C.B. **Wild Purſlane.**

J. B.

Multis numeris minor eſt quàm ſativa, tota terræ appreſſa, nec humo ſurgens: radice craſſiuſculâ, ſicuti & ramis ſucculentis, multifidis. *Folia* ungui digiti minimi ferè paria, ſucculenta, craſſa, atrovirentia: *flores* puſilli, muſcoſi. Summâ vix alia in re quàm partium omnium parvitate à ſativa differt; ut ſuſpicer ſativam è ſylveſtri culturâ initio factam.

In Italia, Sicilia, Gallia Narbonenſi & Germania in vervactis & ad vias frequens occurrit. *Locus.*

In ardore & dolore ſtomachi Portulaca ejúſque ſuccus & ſyrupus aut ipſa planta recens comeſta experta eſt. *Vires.*

In acetariis frequens uſus eſt Portulacæ: Stomachi ardorem lenit, & bilis fervorem compeſcit, & hinc in febribus putridis ac malignis, ardore urinæ & Scorbuto prodeſt: Venerem inhibet, Veneréaque inſomnia. Dentium ſtuporem recens commanducata tollit, & mobiles dentes ſtabilit. Verminantibus pueris cum ſucceſſu exhibetur. Verùm eſus ejus nimius cavendus eſt, quoniam ob frigiditatem ſuam & humiditatem in ventriculo putreſcere apta eſt, ejúſq; & reliquorum viſcerum tonum diſſolvere, ut in nobiſmetipſis non ſemel experti ſumus. *Uſus.*

Solet apud nos cum ſale, aceto & aromatis condiri ad intinctus, eodem modo quo Cappares, Geniſtæ flores, Lingua avis, Crithmum, &c. condiuntur: quomodo parata ventriculo magis grata & amica eſt quàm cruda.

4. *Portulaca exigua ſive arvenſis Camerario* J. B. *arvenſis* C. B. *exigua Camerarii* Park.

Herbula eſt non ab aliis ut (ut autor perhibet) demonſtrata, pinguis, ſublutea; *cauliculis* incurvis, aliquantulùm procumbentibus, *foliis* minutis Portulacæ ſylveſtris, pallidioribus tamen, ſemper geminis nigro *ſemine* in vaſculis parvulis, Portulacæ ſimilibus, ſed quæ longioribus pediculis & gracilibus nituntur, & maturè incipiunt hiare antequam ſemen plenè perficiatur. Sapor illi nullus qui notari queat, præterquam herbaceus ut in Alſine.

Primo vere in agris frumentaceis frequens eſt circa Lipſiam ante Cremenſem portum. *Locus.*

Hanc herbam eandem eſſe Alſine noſtræ paluſtri Portulacæ aquaticæ ſimili ſuperiùs diximus. Vide & confer.

5. *Portulaca Braſilienſis Caaponga dicta* Marggr.

Marggr.

Ex *radice* brevi, in multa filamenta alba deſinente producit *caulem* rotundum, craſſiuſculum & ſucculentum, qui ſtatim propè terram in multos alios caules dividitur, & hi porro in ſuos ramos, qui veſtiuntur foliis inſtar Portulacæ ſucculentis atque alternatim poſitis: in extremitate autem cujuſlibet rami, octo folia in ſtellæ modum diſpoſita ſunt, ex quorum medio *flos* enaſcitur luteus, pentapetalos, magnitudine floris Portulacæ noſtratis. Poſt florem denique remanet corpuſculum quoddam obrotundum, pappo albo circundatum, in quo *ſemen* continetur nigricans, rotundum, Papaveris ſemine paulò minus. Rami hujus plantæ tomento albo circundati conſpiciuntur inſtar lanæ ovium. Cocta comeditur hæc herba.

CAP. II.

De Sedo.

Αείζωον Græcis διὰ τὸ ἀειθαλὲς τῶν φύλλων. Italis Sedum vel à ſedere quia folia habet ad radices exiles ſeſſilia, ut vult Martinius, vel forte à ſedandis doloribus nomen impoſitum.

Notæ autem Sedi genericæ ſunt *folia* craſſa anguſta non ſerrata aut dentata, vaſcula ſeminalia bicornia.

N. B. Sedum latiſſimo ſenſu accipi pro planta quacunque pentapetala aut polypetala vaſculo bicorni, imò plantas etiam ſucculentas multiſiliquas complecti; à nobis autem hoc in loco tum à ſucculentis multiſiliquis, tum à plantis vaſculo bicorni foliis minus ſucculentis, quales ſunt Cotyledon, Sanicula guttata & Saxifraga alba dicta, diſtingui.

Notatu digniſſimum eſt plantas pleraſque craſſas & ſucculentas in petroſis & ſiccioribus provenire, ibidémque ſine humore diu durare; cujus ratio eſſe videtur, quòd folia cuticula denſiore miniméque poroſa, quæ humorem evaporare non ſinit, inveſtiantur.

§. I.

A. 1. *Sedum minus teretifolium album* C. B. *minus, folio longiuſculo tereti, flore albo* J. B. *minus Officinarum* Ger. *Vermicularis flore albo* Park.

J. B.

Vermiculari huic nomen fecerunt *folia*, quæ pinguibus caſeorum putreſcentium vermibus ſunt ſimillima, alternatim in *caulibus* ſpithamæis & dodrantalibus diſpoſita, atrovirentia, vel punctis crebris guttata. *Flores* conferti velut in umbella, ſtellati, quinque foliis conſtantes, internè albis, *apicibus* multis atro-purpureis umbilicum conoidem albidum, circumſtantibus. *Radix* tenuis fibroſa.

In hoc Sedo nullam percipio acrimoniam, quicquid dicat in Adverſariis Lobelius.

Locus. In veteribus muris & tectis non raro invenitur. Menſibus æſtivis flores promit.

• 2. *Sedum minus teretifolium alterum* C. B. J. B. *minus* 2. Cluſ.

Cluſ.

Hujus *folia* præcedentis ſimilia ſunt, ſed frequentiora & denſiùs in caule ſtipata, in muris & maceriis etiam naſcens, ſed priore minùs frequens, humi procumbens & fibris ſubinde ſe firmans.

3. *Sedum parvum folio circinato, flore albo* J. B. *minus folio circinato* C. B. *Vermicularis daſyphyllos* Park.

Lugd.

Radice eſt brevi, capillata & pallida, gracili, in exigua terra & parietum rimis hæreſcente: *ramulis* plurimis, quatuor digitos altis, perquam ſpiſsè congeſtis: *foliis* numeroſiſſimis, craſſis, teretibus, albicantibus ſeu glaucis, confertiſſimè ſtipatis, guſtu fatuis, cum levi quadam adſtrictione: *flore* in virgulis tenuibus candido, copioſo: *ſemine* exiguo, ſubruffo.

Locus. Circa Monſpelium, Genevam, Lugdunum, &c. in muris & rupibus copioſè oritur.

J. Bauhinus & Cluſius folia hujus Sedi min. acris foliis comparant, quibus paulo craſſiora & candidiora ſunt.

• 4. *Sedi minoris albi Monſpeſſulana ſpecies major, folio acuto* J. B.

J. B.

Parietinis hæret paſſim Moſnpelienſibus & Nemauſenſibus Sedum quoddam ſatis magnum, *caulibus* craſſiuſculis, frequentibus ex una radice ſuboleſcentibus; quos *folia* veſtiunt *Sedi minoris vulg. flore luteo* foliis ſimilia, ſed majora, craſſiora, longioráque, in acumen deſinentia. *Floribus* ornatur albis.

Floret loco natali menſe Julio.

5. *Sedum Alpinum ericoides purpuraſcens* C.B.

C. B. prod.

Ramis eſt palmaribus, lentis, flexibilibus, denſè geniculatis, per terram ſparſis; quos *folia* brevia, craſſiuſcula, Ericæ formâ veſtiunt, & hi in plures alios duarum triúmve unciarum & etiam breviores dividuntur, híque foliola frequentia, ſibi ferè incumbentia & rotundiora habent. In ſingulorum ſummitatibus, velut ex ſquamoſo calice *flos* ſatis magnus purpuraſcens, ex quatuor, aliquando quinque, foliis, & aliquot in medio ſtaminibus compoſitus inſidet.

Ex horto Dei habuit C. Bauhinus.

A. 6. *Sedum Alpinum Ericoides cœruleum* C. B. J. B.

C. B.

Ex præruptis jugis ac ſaxis humidis propendet, *radicem* habens oblongam, fibroſam, rufam: ramos plures, foliolis quàm in priore brevioribus, craſſis, cinereis, velut Sanamunda 2. *Cluſ.* vel Erica Alexandrina compactis cinctos. Singulis cauliculis uncialibus, foliaceis *flos* magnus, cœruleus, quadrifolius, aliquot *ſtaminulis* brevibus donatus inſidet.

Locus & Tempus. In rupibus ad latus Septentrionale montis *Ingleborough* copioſiſſimè provenit. Primo vere, nimirum Martio menſe floret. C. Bauhinus in Alpibus Rhæticis, ínque Gothardi ſummitatibus, & in Valeſia ad thermas Leccenſes ſupra Gemme invenit. Florum magnitudine & eleganti colore cœruleo oculos reficit & delectat valdè: rariſſima ſane eſt plantula, cujus flos præcox in frigidiſſimis illis montium jugis & rupibus humidis ver ipſum antevertat: verùm an ad Sedi genus referendum ſit dubito cum florem explicet quadrifolium, vaſculum autem ſeminale non obſervaverim.

• 7. *Sedum Alpinum minimum, foliis cinereis, flore candido* J. B. *Sedum Alpinum album foliolis compactis* C. B. *Sed. minus* 9. Cluſii, *minimum Alpinum muſcoides* Park. *Sedum Alpinum* 3. *Cluſii* Ger. emac.

Compactis & ſibi invicem inſidentibus eſt *foliolis*, minimis, rigidulis, craſſis, cinerei coloris ad cœruleum quodammodo tendentis, ut tota planta (quæ acidi ſaporis eſt) nihil ferè niſi muſcus quidam videatur: Pedicelli è medio foliorum exeunt duas pænè uncias longi, graciles, juncei, in quibus terni plerumque *floſculi*, pentapetali, candidi, cum aliquot intus *ſtaminulis* luteis. Cùm in ſemen abeunt flores cauliculi aliquantulum excreſcunt. Mirum in modum propaginibus ſerpit & radices agit Cotyledonis alterius ritu, integros ceſpites, cujuſdam muſci inſtar, interdum occupans.

In Baldo, Braulio & Monte fracto ſive Pilati juxta Lucernam reperitur: ínque præruptis *Snealben* & *Sneberg* locis inter ſaxa. Julio & Auguſto floret. *Locus & Tempus.*

J. Bauhinus *cauliculos* tres, quatuórve uncias altos huic attribuit, fili inſtar graciles, hirſutos, raris *foliis* anguſtioribus donatos: *radices* lentas, lignoſas, craſſiuſculas, nigricantes.

8. *Sedum montanum minimum* Caryophylli *folio, lacteo flore. An Sedum muſcoſum* J. B?

Denſo cæſpite terram operit. *Folia* habet graminea, anguſta, acuta, glauca, non piloſa, neque craſſa, Caryophylleorum ſimilia, ſed multis numeris minora, & pro magnitudine etiam breviora, confertiſſima: è quorum medio exſilit *cauliculus*, vix duos digitos tranſverſos altus, obſcure rubeſcens, villoſus, brevibus & rubentibus foliolis veſtitus, unum & alterum in ſummitate *florem* geſtans, candidum, quinque foliolis rotundiuſculis, tenellis compoſitum, cum *ſtaminulis* in medio luteis.

In montibus non longe à Bolzano ſupra Tridentum, Martio menſe florens nobis obſervatum fuit. A præcedente ſpecie diverſum videtur, cui tamen in multis perſimile eſt; ipſo florendi tempore ab eo ſatis diſtinguitur. *Locus.*

* 9. *Sedum muſcoſum J. Bauhinus his verbis deſcribit,*

Cæſpites totos operit luxurie fœcunda, Sedorum in morem, radicularum reptatu. *Folia* majora quàm Sedi Alpini cinerei, acutiora, molliora, muſcum terreſtrem imitata. *Coliculus* ex umbilico natus, unciam unam aut duas altus, foliolis crebrioribus veſtitus unicum plerunque in faſtigio gerit *florem* magnum.

Propè rivulos in Alpibus creſcere dicitur. *Locus.*

Sedum montanum perpuſillum luteolis floribus *Park.* A Sedo muſcoſo *J. B.* fortè non differt: deſcriptio enim convenire videtur. Florem ei attribuit pallidè luteum.

* 10. *Sedum Alpinum grandiflorum* Park. *Alpinum Saxifragæ albæ flore vel grandiflorum* C.B. *minimum Syriacum luteolo flore, Saxifragæ albæ,* J. B. *minus flore amplo* Ger. *An Sedum Alpinum* IV. *Fr. Gregorii Rhegienſis* Col?

Lob.

Omnium [Sedorum] huic longè minimo, ex Syria aſportato folia quàm ſuperioris [Sedi minoris majoris facie & foliis *Lob.*] & petræi montani Sedi minora. *Cauliculi* ſeſquiunciam æquant, in quibus luteoli *flores* majores quàm pro plantæ modo, Saxifragæ albæ aut Sedi petræi montani. *Radix* implicata, fibrata.

* 11. *Sedum Alpinum rubro magno flore* C B. *minus montanum flore rubro* Park. *Aizoides montanum* Lugd.

A. 12. *Sedum parvum acre flore luteo* J. B. *Sempervivum minus vermiculatum acre* C. B. *Vermicularis ſive Illecebra minor acris* Ger. *Illecebra minor ſive Sedum* 3. *Dioſcoridis* Park. **Wall-pepper, or Stonecrop.**

Obvium in muris eſt, capillaribus radicularum fibris appenſum, unde ramuli plurimi palmares aut breviores, tenues oriuntur, *foliis* exiguis admodum, denſitate cum longitudine ferè palmari. *Flores* in extremis ramulis plures, lutei, quinque foliis radiatis conſtantes, *apicibus* in medio ſimiliter luteis. Sapor plantæ acris.

In muris, tectis & aggeribus ſiccioribus paſſim reperitur. *Locus.*

* 13. *Sedum minimum luteum non acre* J. B. *Sempervivum minus vermiculatum inſipidum* C. B. *Illecebra inſipida* Park.

Cord.

Coliculis & foliis multò minoribus & exilioribus conſtat quàm præcedens. *Floſculos* habet illius ſimiles, cum quinque exiguis acuminatis in medio apicibus ſemini ferendo natis, iiſdémque decem ſtaminibus circumvallatis, non tamen illius modo umbellam ſeu capitulum conſtituentes, ſed deinceps ab uncialibus aut longioribus coliculorum adnatis utrinque alterno ſitu exeunt.

Iiſdem cum priore acri locis invenitur. *Locus.*

Ad multiſiliquas pertinet & non eſt hujus loci, verùm ibi per inadvertentiam omiſſum.

A. 14. *Sedum minimum non acre flore albo,* **White flower'd Stonecrop, or Wall-Pepper.**

An à præcedente [12.] aliter quàm floris colore differat mihi non conſtat, nec enim utraque inter ſe ſtudioſè contuli.

In ſterilioribus Suffolciæ, toto ferè itinere à *Yarmouth* ad *Dunwich* oppida plurimum obſervavimus: nec minùs abundat in rupibus Weſtmorlandicis & Lancaſtrenſibus juxta lacum *Winandermere* dictum.

Vires. Vermicularis herbæ ſtupendas vires in Scorbuto Caſtrenſi expertus eſt cum incredibili ſucceſſu D. Below interne in decocto, & etiam externe applicat in contracturis membrorum, in ulceribus & gingivis corruptis. *Ephem. German.* An. 6. & 7. Obſ. 22. *D. Tancred. Robinſon* nobis ſuggeſſit. Eandem obſervationem habui à *D. Palmer* ex dictatis D. *Hermanni.*

* 15. *Sedum Alpinum hiſpidum, ferè ſpinoſum, flore pallido* J. B.

J. B.

Multos dodrantales ferè *caules*, tenues emittit, *foliis* veſtitos alternante ſitu, ſemuncialibus, perangustis, acuminatis, ex viridi pallentibus, ſpinulis per margines aſperis, qualia propè terram multa reptantem inferiorem caulium partem ornant. *Ramuli* in quos caules ſuperiùs dividuntur, *florem* in acumine geſtant ſinguli Sedi montani minimi lutei parem, palleſcentem, *apiculis* in medio multis. Succedit unicuique *capitulum* Lini ſimile, minus, turbine bifurco patente, è quo concuſſu excidit *ſemen*, longè copioſiſſimum, minutiſſimum pulviſculi inſtar, colore nigrum.

Locus. Ex monte Calcaris, item Gothardo attulit *J. H.* Cherlerus.

* 16. *Sedum Siculum maritimum vermiculatum, flore Saxifragiæ albæ, ſemine villoſo* Boccon.

Boc.

Hæc plantula Sedi aut Kali ſpeciebus annumeranda venit; *Caulibus*, *foliis*, acutis, & vermiculatis illis omnino perſimilis. *Flores* promit Saxifragiæ albæ bulbiferæ: *Semen* villoſum, utriculo incluſum, non abſimile Semini pentagono, quod in Gelſemino Peruviano conſpicitur.

Locus. Fruteſcit utplurimum Thymi capitati modo in maritimis ad granarium Agrigentinum.

* 17. *Sedum minus* XI. Cluſ. *S. Alpinum gramineo folio, lacteo flore* C. B. *minimum Alpinum gramineo folio* Park.

Cluſ.

Longiora nonnihil habet *folia*, graminis modo anguſta, dura, viridia, lævia, ſubacidi initio ſaporis, deinde ingrati. Unicus aut alter inter folia erumpit *cauliculus*, lævis, gracilis, junceus, trium ferè unciarum longitudinis, raro major, in quo unicus, interdum bini ſunt *floſculi*, * ſuperiore majores, candidi, medio lutei, quinque foliolis, cordis ut vulgò pingitur formam referentibus prædit.

** Chamæjaſmi.*

Locus. Serpit & hoc reliquorum inſtar, in *Sneberg* & vicinis jugis invenitur, ſub finem Junii & Julio iſthic florens.

* 18. *Sedum montanum gramineo folio alterum* Park.

Park.

A præcedente creſcendi modo, foliorum parvitate, cauliculorum floriferorum altitudine parùm differt; præcipua differentia eſt in floribus, quos plures in ſummis caulibus profert, colore pallidè luteos, eóſque petalis non cordatis ſed integris compoſitos.

Hanc ſpeciem à nemine antè ſe exhibitam ait *Park.* verùm nec ubi ſponte naſcatur, nec à quo aut unde habuit nos certiores facit.

* 19. *Sedum Alpinum flore pallido* C. B. Park. *minus 6. ſive Alpinum* I. Cluſ. *parvum montanum luteum* J. B. *Alpinum* I. Cluſii Ger. emac.

J. B.

Caulem unum pluréſve erigit, palmarem, dimidio nonnunquam minorem, *foliis* crebris veſtitum Sedi minoris lutei vulg. minùs acutis, planioribúſq; qualia etiam per terram ſparſa caulis imo hærent: ſuperiùs dividitur in *ramulos* ſatis frequentes caulis, qui *flores* geſtant pulchellos, majuſculos, ex luteo colore aliquantulum palleſcentes, pentapetalos, *apicibus* luteis. *Radiculæ* ſumma ferè tellure vagantur, & ſubinde novas plantas producunt, ſubinde terram ſubeuntes. Sapore eſt valdè exiccante.

Locus. Provenit in monte Baldo, in monte Pilati & Gothardo: in *Sneberg* aliíſque Stiriacarum Alpium jugis, in Tauro monte atque Judenberg creſcere ſcribit Cluſius; florere ſub finem Julii & Auguſto. In deſcenſu montis *Capoladou à las Cambrettes* non procul Monſpelio invenit *D. Magnol* Julio menſe florentem. Vide *Botan. Monſp.*

A. 20. *Sedum minus Alpinum luteum noſtras.*

Radix huic extrinſecus nigra, multis fibris prædita, in quamplurima capita, quæ ut in aliis Sedi ſpeciebus denſo cæſpite terram operiunt, dividitur. *Folia* utplurimum longiuſcula, anguſta, plana, pallidè virentia, glabra & nonnihil ſplendentia, raris ad margines ſpinulis donata, apice acuto. *Caules* ſemipalmares & nonnihil altiores, teretes, hirſuti, crebris foliis veſtiti, tres aut quatuor, aut etiam plures geſtant in ſummitate *flores*, luteos, pentapetalos, plurimis punctis croceis circa umbilicum notatos, *ſtamina* lutea cum *apicibus* croceis continentes. Flos cùm expanditur decapetalos videtur, ob quinque calicis folia floris petala ordine interjacentia. *Vaſculum* ſeminale bicorne; *ſemina* exigua, oblonga, ruffa. In nonnullis plantis folia quæ ad radicem brevia ſunt, latiuſcula, & Paronychiæ foliis nonnihil ſimilia.

Locus. Ad latera montis *Ingleborough* juxta aquarum ſcaturigines frequens: invenitur & in *Hardknot* & *Wrenoſe* Weſtmorlandiæ montibus, & alibi propè *Shap* vicum in eodem Com.

A. 21. *Sedum*

A. 21. *Sedum Alpinum trifido folio* C. B. *Alpin. laciniatis Ajugæ foliis* Park. *Sedis affinis triſulca Alpina flore albo* J. B.

J. B.

Summo ceſpite vagatur, magnúmque ſpatium occupat, terræ appreſſis *coliculis* tenuibus, fuſcis, è quibus naſcuntur *folia* uncialia, in triſulcum tridentem latiuſculum, Chamæpityos minorem, deſinentia, ſubhirſuta; alia in oblongum utriculum glumoſum convoluta, lanugine pinnata granum Avenæ affabrè referunt, triſulcis illis foliis ſubinde obvallata: *Caules* ſurgunt quidam teretes palmares, ſuperiùs in pediculos aliquot, [quibus foliolum indiviſum puſillum appoſitum] diducti, quorum unuſquiſque *florem* geſtat Spergulæ parem, albidum, ſtriatum; *vaſculo* ſuccedente parvo, ſeminibus pleno, quod circundat florum calix laciniis denticulatus.

In montibus Cambrobritannicis, ut *Snowdon*, inque Eboracenſibus ut *Ingleborough* copioſiſſimè *Locus.* oritur, invenimus & in Jura monte, & alibi in tranſmarinis.

22. *Sedum tridactylites Alpinum majus album* C. B. *Tridactylites Alpina* J. B.

C. B.

Radicem habet tenuem, capillaceam; *cauliculum* ſemipalmarem, purpuraſcentem, nonnihil piloſum, in ramulos plures tenues & fragiles diviſum: *folia* ad radicem tenuia & mollia, lata, (in ramulis minuta) in tres lacinias primùm, deinde in alias diviſa. *Flores* in ramulorum ſummis albi, quinquefolii, totidem *ſtaminulis* donati; quibus *capitula* ſubrotunda, longiuſcula ſemen minutiſſimum continentia ſuccedunt.

Ex Baldo monte habuit C. Bauhinus. *Locus.*

2. Simile, ſed foliis latioribus, & in ternas primùm profundas lacinias diviſis, híſque in minora & tenuiora ſegmenta ſectis, *caulibus* pedalibus, *floribus* pallidè luteis, in humidis montium Pyrennæorum natum habuit idem. *S. Tridact. Alpin. pallidè luteum* C. B.

3. Aliud cauliculo rotundo, ſemipalmari, pilis leviſſimis aſperſis; *foliis* parvis craſſiuſculis Sedi tridactylitis tectorum modo diviſis, totúmque caulem alternatim baſi ſuâ cingentibus, qui in ſummitate in ramulos dividitur, & ſinguli *floſculum* candidum ſed minorem ſuſtinent, *capituláque* ut in præcedente ſuccedunt. Ex Taurero Auſtriæ monte habuit. Habeo inter plantas ſiccas Sedi tridactylitis Alpini ſpeciem majorem circa Monſpelium collectam, *caule* dodrantali, ſummâ parte in aliquot ramulos diviſo, in quibus flores candidi, ſuccedentibus vaſculis magnis. Hanc eam eſſe putamus quam deſcribit Joan. Bauhinus ſub Tridactylitis Alpinæ titulo, his verbis, *S. Trid. Alp. caule folioſo* C. B.

Palmaris interdum & major multò eſt planta, *folia* pleraque humi fundens, interdum unciali longitudine ac etiam multò minora, per extremum tripartita; alia verò nullam agnoſcunt diviſionem, ut quæ in cauliculis ſunt, in ramulos pauculos divaricatis. *Flores* parvi, *vaſcula* magna: radix ut Agerati purpurei propagatur.

23. *Sedum tridactylites Alpinum minus* C. B. *Sedum Monſpelienſe & Pyrenæum laciniatum* Park.

Ad radicem parvam repentem & nigricantem, *folia* plura, exigua, viridia, ſimul compacta, ſupernè in crenas profundas, communiter ternas, rariùs plures, diviſa: ex quorum medio *cauliculus* unus vel alter, tenuis aliquando diviſus, paucis & exiguis foliolis cinctus trium quatuórve unciarum exurgit, cui floſculi terni, quaternive pallidi, quinquefolii, multis ſtaminulis donati, ſinguli ſingulis pedicellis inſident: his *calices* parvi ſemen minutum continentes ſuccedunt.

Hoc in montium Lupi & Calcaris rupibus collegit C. Bauhinus: nos quoque eandem plantam *Locus.* habemus in monte Lupi collectam, quæ aliorum Sedi minimi generum modo ſe propagat in plura capita, è foliolis plurimis coacervatis compoſita, eáque arctè ſtipata, ut denſo ceſpite terram operiant. Folia minutiſſima ſunt, lata, ſummâ & latiore parte in tres, nonnunquam & plures lacinias diviſa. Huic titulum impoſuimus *Sedum tridactylites Alpinum minimum, hirſutum.*

Huic congener aut forte idem eſt

24. *Sedum Alpinum III. Fr. Gregorii Rhegienſis* Col. *ſecunda varietas.*

Cui *radix* fibroſa, tenuis, *folia* in ſummo binis inciſuris diviſa: Caules majores quàm Chamæiaſmes: Vaſcula Sedi tridactylitis tectorum, ſingula vel bina in eodem caule.

Prima varietas ab hac differt; eſt autem *radice* multâ, fibroſâ, ex fuſco rufeſcente: *foliis* non denſis & in caput efformatis, ſed divaricatis, ex pediculo tenui in latitudinem ampliatis, linguæ effigiem imitatis, majoribus duplo quàm Chamæiaſmes, uti ſunt & caules, in quorum ſummo unicus vel bini ſunt flores. Ex ſicca deſcripſit Columna.

A. 25. *Sedum tridactylites tectorum* C. B. *Tridactylites tectorum flore albo* J.B. *Paronychia rutaceo folio* Ger. *foliis inciſis* Park. **Rue-whitlow-graſs.**

Radice tenui ſimplici ſurculoſa nutrimentum haurit. *Caule* plerunque unico aſſurgit tereti, tenui & infirmo, ramoſo, rubente, altitudine palmari, aut paulo humiliore altioréve pro loco in quo naſcitur. *Folia* priora oblonga, ſimplicia, alia verò ſine pediculis cauli appoſita, pinguia ſive ſucculenta, pallida, hirſuta, tactu glutinoſa, in tria ſegmenta ceu digitos diviſa, & interdum in quina: verùm quæ in ſummis caulibus ſunt, iterum ſimplicia & indiviſa ſunt, alternatim poſita. In ſummis caulibus & ramulis longis pediculis inſiſtunt *floſculi* parvi, albi, pentapetali petalis ſubrotundis, minimè fiſſis, è *calicibus* oblongis hirſutis quinquepartitis. *Vaſculum ſeminale* in ſummo bicorne, infra calicem floris in ventrem rotundum turgeſcens Oxyacanthæ fructum refert. Tota planta ad tactum viſcoſa eſt.

In

Locus & Tempus. In muris & tectis locis ruderatis & ſiccioribus copioſè provenire ſolet. Floret menſe Maio, & brevi ſemen perficit, inde radicitus exareſcit.

Vires. Herba infuſa in cerviſiâ tenui ſeu leptomera, & per aliquot dies pota, abſque ulla evacuatione ſenſibili ſcrophulis medetur, humorem abſumendo, dolores mitigando, tumores diſcutiendo, & ulceroſos exiccando. D. *Boyle*, de utilitate Philoſoph. Nat. ad Medic. p. 203.

§. 2. *Plantulæ quædam Sedi nomine à Columna deſcriptæ & depictæ, quas tamen ad aliud genus pertinere cenſet.*

* 1. *Sedum Alpinum F. Gregorii Rhegienſis,* 1. Col. *Alp. exiguis foliis* C. B. *Col.*

Radicem habet tenuem admodum, æqualem, ex fuſco rubentem, quinque uncias longam, ex cujus ceſpite, qui priùs novellæ plantæ caput fuit, ramos duos vel tres edit, tenues, cannabini fili craſſitie, ex fulvo rubentes, raris exiguis foliolis, anguſtis alternatim interceptos, & in ſummo in denſum foliolorum capitulum, quod dimidiam unciam diametro æquat, deſinentes: quibus vetuſtis alios ex illis producit ramos, eodem ordine regerminantes, ut plantulam cenſeamus eſſe multorum annorum; ex ramis verò in terram procumbentibus iterum radicem fundit ſimilem, ſed hirſutam, quod non in prima obſervatur radice. Florem non habebat, ſed inter ramulos ſuperiores binos petiolos obſervavimus fructum habere, ex calyce prodeuntem quinque-foliato, oblongum, cartilagineum, nec abſimilem nimis fructui Lychnidum aut Armeriarum, ſed *ſemine* longè ab omnibus differens, quod binum intus, oblongum, ovali figurâ continet, colore ex fuſco rubeſcens, cavum intus, ſed antequam dividatur veluti parvum & nigrum Tritici granum. Sapor in ſicca parum acris apparuit. Foliola non admodum carnoſa aut vermiculata viſa ſunt.

Sui generis planta eſſe videtur.

* 2. *Sedum Alpinum alterum* ejuſdem. *Sed. Alp. anguſtiſſimo folio, carneo flore* C. B. *Col.*

Priore majus eſt, ejuſdem effigiei, niſi quòd nova germina foliorum ſupra vetuſtiora emicant immediatè longóſque *cauliculos* tenues, atq; paleares, ſeſquiunciam longos duos vel tres in ſingulis foliorum ceſpitibus exſerit, in quorum cacumine florem, [interdum duos] ex calyce virenti, apicibus quinque diviſo promit foliorum quinque in ſummo fiſſorum cordis figurâ. *Radix* tenuior & brevior ex ceſpite cinereo, fuſca, & etiam ex procumbente ramulo exit. *Folia* eodem modo quo ſuperioris denſa, in caput conglobata ſunt, ſupra cauliculos elata.

Ex ſicca deſcripſit Columna.

§. 3. *Seda aliquot è C. Bauhini Prodromo, quorum deſcriptiones nimis breves & generales, nec iconibus illuſtratæ.*

* 1. *Sedum ſaxatile hirſutum purpureum* C. B. Park.

Plantula eſt triuncialis, *radiculâ* capillaceâ; *cauliculo* tenui, leviter piloſo, cujus ſummitas in breves ramulos dividitur, qui ſinguli florem purpureum ſuſtinent: *Foliola* ad radicem plura, hirſuta & Lente minora.

Ex Pyrenæis allatum eſt.

* 2. *Sedum ſaxatile atrorubentibus floribus* C. B. Park.

Hoc tres, quatuórve uncias non excedit, *radiculam* habens exilem, longiuſculam; unum alterúmve *cauliculum* biuncialem, *foliolis* paucis, exiguis, longiuſculis alternatim veſtitum, *floſculos* atro-rubentes, velut in umbella diſpoſitos ſuſtinentem.

* 3. *Sedum ſaxatile variegato flore* C. B. Park.

Radice eſt capillacea; *cauliculis* plurimis, tenuibus, biuncialibus, per terram repentibus, & fibellis capillaribus terræ adhærentibus: *foliolis* multis, pallidè virentibus, ſubrotundis, Lente minoribus veſtiti. E ramulorum ſummis pedicelli plures, capillacei, oblongi exurgunt; ſinguli *florem* quadrifolium, varium, album, purpureum & atrorubentem ſuſtinent, eleganti ſpectaculo, cum plantula hæc ceſpitis muſcique inſtar ſaxa exornet.

Locus. Inter Valeſiam & Auguſtam vallem in monte *Sletsburgh* dicto copioſè provenit.

Ob florem tetrapetalum aliò quàm ad Seda referenda videtur hæc planta.

* 4. *Sedum Alpinum foliolis crenatis aſperis* C. B.

Radice eſt capillacea repente; *Cauliculis* tenuiſſimis, ſemipalmaribus, etiam brevioribus, rariùs palmaribus, in ſummo in ramulos aliquot ſectis: *Folia* habet longiuſcula, anguſta, acuminata, crenis utrinque exaſperata, & parte averſa candicantia. *Flores* quadrifolii, purpuraſcentes & ſtaminibus donati cauliculis ſuſtentantur; quibus *capitulum* ſubrotundum, membranaceum, apice donatum, minutulum *ſemen* continens ſuccedit.

Locus. Julio menſe floret in aſcenſu montis S. Bernardi majoris & Gothardo.

Hoc etiam, cùm florem tetrapetalum habeat, ad aliud genus pertinere videtur.

* 5. *Sedum*

5. *Sedum arvenſe flore rubente* C. B.

Radice eſt lignoſa, fibris capillata: *cauliculis* aliquot palmaribus, rotundis, rugoſo rufeſcente cortice tectis, qui in ternos, quandoq; plures, ramulos (quorum aliqui recurvantur) dividuntur. Hos *folia* longiuſcula, anguſta, ſucculenta ſine ordine ambiunt. Ramulis ſuperioribus *flores* plures, vulgaris Sedi floribus ſimiles, ſed rubentes inſident, *ſeménque* vulgari ſimile ſuccedit.

Non longè Baſilea in agris Hunengenſibus Autumno jam exiccatum reperitur. Locus.

6. *Sedum Alpinum floribus luteis maculoſis* C. B. *Sedi minoris genus floſculis luteis vel croceis maculoſis* Geſn. fra.

Conſule Geſnerum.

CAP. III.

De Sedo foliis latioribus minùs ſucculentis ſerratis aut crenatis &

§. 1. *De Cotyledone dicta.*

Cotyledon à figura folii acetabulum referente ὀξύβαφον Dioſcoridi Anglicè a Sawcer, eſt enim κοτύλη acetabulum ſinus in quo caput femoris vertitur, & in genere quodvis cavum. Falluntur ergo (inquit Jo. Bodæus) Botanici maximi nominis, quod nomen hoc accepiſſe putant, quòd planta hæc folia habeat circumacta in orbem, concavitatem humani umbilici forma leni deſcenſu referentia, nec talem formam Cotyledoni tribuit Dioſcorides à quo deſcribitur primum genus, &c.

Cotyledon ergo propriè accipitur de primo genere ſeu Umbilico Veneris vulgari. His autem plantis de quibus nunc agimus Umbilici Veneris nomen meliùs convenit quàm Cotyledonis: nam eorum multæ foliis in globulos compactis umbilicum ſeu oculum referunt, ad inſtar Sedi majoris, cujus folia κύκλον ὀφθαλμοειδῆ περιγεγράφασι.

1. *Sedum ſerratum alterum foliis longis anguſtis. An Sed. Pyrenæum ſerratum longifolium* Hort. Blæſ? *An Sanicula montana longifolia ſerrata* C. B? *An Sed. ſerratum majus foliis trium quatuórve unciarum* J. B?

Longitudine & anguſtiâ foliorum, fortè etiam & aliis accidentibus à Sedo ſerrato vulgari differt.

Invenimus in Alpium præruptis non longè à *Pontieba*, poſtea in horto Regio Pariſienſi cultum vidimus, utrobique Autumnali aut Hyberno tempore, unde nec flos, nec vaſculum ſeminale nobis conſpectum eſt. Locus.

Eandem plantam eſſe ſuſpicamur quæ in Cat. Horti Reg. Pariſ. & Horti Leydenſis, inq; Prælud. Bot. Moriſoni *Sanicula Alpina crenata umbilico pallido* dicitur, cujus infra è Moriſoni Præl. Bot. deſcriptionem dabimus.

2. *Sedum ſerratum* J. B. *Cotyledon media foliis oblongis ſerratis* C. B. *Cotyledon altera Matthioli* Park. parad. *Cot. alt. verſicoloribus floribus* ejuſdem *in* Theat.

J. B.

Tenuis, nigra eſt *radix*, ſubinde productis fibris latiùs ſe propagans. *Folia* plurimùm per terram ſparſa, rariùs humo ſe tollunt, Sedi, pinguia, oblonga, extremo rotundo, atque etiam quædam in acutum deſinentia, unciam unam aut duos longa, colore glauca, argutiſſimis in ambitu denticulis rigidulis, reliquóque folio candidioribus crenata, ſapore ſtrenuè adſtringente: è quorum medio exurgit *caulis*, palmum unum aut alterum altus, folioſus, in alas aliquot diviſus. *Flores* albi, petalis quinque non mucronatis ſed ſubrotundis, circa umbilicum punctulis rubentibus notatis conſtant, umbilico viridi *J. B.* [potiùs flavo] apices croceos habente.

In montibus Tyrolenſibus & Helveticis, inque Saleva & Jura Genevæ vicinis obſervavimus. Locus.

* 3. *Cotyledon altera minor* Park. *quoad icon. Cotyled. altera 4. ſive Matthioli* Cluſ. *Cotyled. media foliis ſubrotundis* C. B.

Cluſ.

Huic numeroſa & conferta ſunt *folia*, oblongis ligulis ſimilia, craſſiuſcula, mucronata, nonnihil per ambitum crenata, candicantia, acido & ſubaſtringente guſtu: è quorum centro ſeu medio foliorum exortu *caulis* interdum cubitalis, plerunq; tamen pedalis duntaxat aſſurgit, ſuperiore parte hirtus, brevioribus *foliis* inordinatè naſcentibus ſeptus, ſummo faſtigio ex ſingulis foliorum alis pedicellos emittens, quibus inſident bini aut terni *flores*, albi, pentapetali, interne veluti ſanguineis guttis aſperſi, umbilico pallido & ſplendente, decem ſtaminulis cincto. *Semen* continetur in capitulis, exile, nigrum. *Radix* ſubeſt fuſca, tenuis, fibroſa, cui ſecundùm matrem multæ aliæ in orbem adnaſcuntur plantæ, ut integrum ceſpitem aliquando tegant vulgaris Sedi majoris inſtar.

Locus. Naſcitur non modò in *Sneberg*, ſed & in reliquis Auſtriæ & Stiriæ Alpibus, ſaxis & ſcopulis inhærens, in quibus floret Junio & Julio.

Dubitat J. Bauhinus an hæc non eadem ſit Sedo ſerrato: verùm ſi icon proba ſit, non erit illi eadem, cùm floris petala acuta pingantur; quæ illi obtuſa & ſubrotunda ſunt: deſcriptio etiam hujus non uſquequaq; illi reſpondet. An Sedum ſerratum majus *J. B.*?

* 4. *Cotyledon altera* V. Cluſ. *Sedi ſpecies ſive Cotyledon altera Etſcheriana, lanugine alba, hirſutis foliis* J. B. *Cotyledon media ſubhirſuta floribus punctatis* C. B.

Cluſ.

Præcedenti affinis eſt, ſed mollius, anguſtioribus & longioribus *foliis*, non dentatis, ſed alba duntaxat lanugine hirſutis, minùs etiam incanis, breviore craſſioréque pediculo, & multis foliis ſepto, quæ plerunq; tam ſupernè quàm infernè nonnihil hirſuta ſunt; paucioribus floribus hinc inde ſecundùm caulem ad ſingulas alas ſparſis.

Locus. Obſervavit Cluſius hoc genus in Etſcherianis jugis menſe Junio ſuis floribus onuſtum.

Miror C. Bauhinum Sedum foliis minoribus albicantibus ſerratis hujus ſynonymum facere, cùm Cluſius expreſsè ſcribat hujus folia minimè dentata eſſe.

* 5. *Cotyledon minor foliis ſubrotundis ſerratis* C. B. *C. Bauhini* J. B. *Cot. alter minor folio ſubrotundo* Park.

C. B.

Radix ſubeſt tenuis, fibroſa, fuſca; circa quam *folia* multa, ſemiungue minora, non ut in præcedentibus oblongis ligulis ſimilia, ſed ſubrotunda, margine crenato, craſſiuſcula, candicantia & nonnihil adſtringentia: è quorum medio *caulis* ſemipalmaris, quandoque palmaris, ſubaſper, minimis & paucis foliis cinctus aſſurgit: in cujus ſummo pedicelli *flores* multò quàm in prima ſpecie minores, pentapetalos cum apicibus in medio ſuſtinentes, qui albi, aliquando punctis rubentibus aſperſi, nonnunquam extrinſecus lineis ternis foliola floris percurrentibus, ità ut *flores* pallidè purpuraſcentes appareant: hos *capitula* exigua nigrum *ſemen* continentia ſequuntur.

Locus & Tempus. In Helvetiorum Alpibus ipſis ſaxis ac ſcopulis adhæret. Junio & Julio floret.

6. *Cotyledon ſive Sedum ſerratum latifolium montanum guttato flore* Park.

Radix hujus filamentis pluribus nigricantibus compoſita, eodem modo ſe diffundit quo ſui generis reliquæ, multa capita ſeu germina protrudens è plurimis foliis non in ocellos conglobatis, ut in Sempervivo majori & Sedo ſerrato, ſed in ſuperficiem ferè planam Roſæ æmulam expanſis, congeſta. Sunt autem *folia* cùm adoleverunt majora, latiora & tenuiora quàm cujuſvis præcedentium, pediculis uncialibus, latiuſculis donata glabra, obſcure viridia, inferiùs tamen per maturitatem rubentia, præcipuè ſecundùm venulas ſeu nervos, quæ ibi innumeræ ferè apparent, ex rotundo oblonga, unciam viz. aut ſeſcunciam longa, vix unciam lata, longitudine ferè ad latitudinem ſeſquialtera, circa margines crenata crenis rarioribus, ut denticuli crenas interjacentes latiores & obtuſiores ſint, mucronibus obtuſis. E foliorum medio, Maio exeunte, emergunt *cauliculi* tenues, rubentes, foliolis minoribus ad medium ferè cincti, ubi in ramulos dividi incipiunt, in quorum faſtigiis, *floſculi* exiſtunt numeroſi, quinq; petalis, exiguis aliquantulum acuminatis, interna parte dilutiùs rubentibus, plurimis punctulis ſanguineis eleganter guttatis compoſiti, *ſtaminulis* carneis capitulum ſubviride obvallantibus, quod delapſo flore extumeſcens fit vaſculum ſeminale, in ſummo bicorne, *ſemen* continens puſillum nigricans.

Duæ hujus ſpecies ſeu varietates habentur, altera flore majore, altera minore.

In hortis noſtris frequentiſſima eſt: ubi tamen ſponte oritur nobis nondum conſtat, eſt autem proculdubio montium incola.

7. *Cotyledon minor foliis rotundioribus, guttato flore. An Cotyledon altera olim Matthiolo* J. B.

Planta quam hoc nomine intellectum volumus in hortulo noſtro Cantabrigiæ aliquot annos enutrita eſt. *Folia* ei plana, ex oblongo & latiuſculo pediculo ferè rotunda, imò (ni malè memini) latiora interdum quam longa, circumcirca crenata, denticulis crenas interjacentibus magnis, quàm in præcedente acutioribus, glabra & ferè ſplendentia, minora & pallidiùs virentia quàm præcedentis folia, nec adeò conferta.

Cotyledonem alteram olim Matthiolo, quam huic eandem eſſe exiſtimamus, J. Bauhinus ſic deſcribit:

Quicquid habet foliorum id omne per terram ſpargit: Sunt ea vero numeroſa, pediculis uncialibus latiuſculis, unde veluti ex cervice incipiunt dilatari, ut tandem circumſcriptione ſint rotunda, pulchrè crenata, ſemuncialis magnitudinis, craſſiuſcula, & ne vel ſiccata quidem corrugari ſolita. *Caulis* unicus, tenuis, ſeptem vel octo digitorum altitudine, nudus plurimùm, rariùs unâ ſupra radicem unciâ foliis donatus, ſuperiùs in aliquot tenues ramuſculos diviſus, quorum extremis hærent *floſculi* parvi, pallidè rubentes, ſaturatioribus punctis ſanguineis creberrimis aſperſi.

Locus. Reperitur in montibus circa Comum & Gothardum, itémque in Stiriæ Alpibus. *J. B.*

A. 8. *Cotyledon aquatica hirſuta. An Saniculæ Alpinæ aliquatenus affinis* J. B? *An Saniculæ montanæ alterius ſpecies* 2. Cluſ? **Hairy Kidney-wort.**

Radicem obliquè ſub terram agit, ubi locum invenit, ſatis craſſam pro plantæ modo, fibras longas, albas, crebras emittentem. *Folia* in orbem ſpargit brevia, viridia, piloſa velut Auriculæ muris, pilis rarioribus, quatuor vel ſex denticulis majoribus ſerrata, in acutum deſinentia, unciam aut ſeſcunciam longa, ſemunciam verſùs mucronem lata. E foliorum medio *cauliculi* exurgunt palmares & altiores, teretes, piloſi, foliis nudi ad locum uſque ubi in ramulos ſpargi incipiunt: geſtant autem in ſummitate *flores* aliquot, quinque petalis albis, acutis, duabus maculis flavis propè ungues notatis compoſitos, *ſtamina* in medio decem, purpurantibus *apiculis* capitata continentes. *Vaſculum* ſeminale craſſum, bicorne, ut in reliquis hujus generis, *ſemen* parvum, rotundum, ruſſum.

Loca humida montium altiorum ſectatur, ut rivulos & ſcopulos udos, & aquarum ſcaturigines, Saxifragæ aureæ modo. Ad latera montium *Snowdon*, *Carnedh-Llewellyn*, *Caderidris*, &c. ſecus rivulos defluentes: necnon in montibus *Hardknot* & *Wrenoſe* in Weſtmorlandia. *Locus.*

9. *Saniculæ Alpinæ aliquatenus affinem J. Bauhinus ſic deſcribit.*

Ex *radiculis* ſparſis capillaribus, dodrantalibus ſurgit *cauliculis*, ſine nodis, cavis ſubhirſutis, ſuperiùs in ramulos abeuntibus; quorum extremis hærent *flores* Saniculæ Alpinæ guttatæ, quinque candidulis conſtantes *foliis*, *apicibus* cum bifido *umbilico* turbinato medium obtinentibus, circumjectis toti flori foliolis viridantibus. *Folia* per terram ſparguntur ſubhirſuta, unciam aut ſeſcunciam longa, ſenſim dilatata, ſemuncialia, ſerrata ſuperiore potiſſimum parte, craſſiuſcula, guſtu adſtringente.

Reperit J. Bauhinus in rivulo fontis pulcherrimo, qui eſt in cacumine Vogeſi montis, dicti *Balon*, ubi florebat Auguſto. *Locus & Tempus.*

Deſcriptio ſatis bene convenit Cotyledoni noſtræ aquaticæ hirſutæ, ut & locus, nonnulla tamen omiſſa ſunt: icon non reſpondet; folia enim non ſatis conferta & in orbiculos compoſita, neque piloſa pinguntur.

10. *Saniculæ montanæ alterius ſpeciem ſecundam* Cluſius his verbis deſcribit.

Saniculâ guttatâ minus eſt, anguſtiore folio & per extremum ſerrato, hirſuto etiam, & adſtringentis guſtûs, coloris ex herbaceo palleſcentis. E medio foliorum prodeunt *cauliculi* triunciales, nudi, qui circa ſummum faſtigium in plures ramulos finduntur, candidis *floſculis*, Saniculæ guttatæ ſimilibus, onuſtos, verùm nullis ſanguineis guttis, ut illi, aſperſos. Bifida ſuccedunt ut in illa *capitula* exiguum nigricans *ſemen* continentia.

Floret etiam Junio, in hortis Maio; *In Snealben*, &c.

Sanicula montana minor *C. B. prod.* in omnibus ferè cum Saniculæ mont. alterius ſpecie 2. *Cluſ.* convenit, exceptis floſculis punctatis: non dicit tamen cujus coloris puncta ſint, ſi ſanguinea, Cluſiana Sanicula eſſe nequit; ſin flava, ut in noſtra Cotyledone aquat. hirſuta, non obſtant quin Cluſianæ Saniculæ dictæ eadem eſſe poſſit. *Tempus.*

Nos ergo pro eadem ſpecie habebimus Cotyledonem noſtram aquaticam hirſutam, Saniculæ Alpinæ aliquatenus affinem *J. B.* Saniculæ mont. alterius ſpeciem ſecundam *Cluſ.* & Saniculam mont. minorem *C. B. prod.* donec quis certiora docuerit.

11. *Sanicula Alpina crenata umbilico pallido* Hort. Reg. Pariſ. & Hort. Lugd. Bat. Moriſ. prælud.

Moriſ.

Species eſt Saniculæ montanæ guttatæ, cujus *folia* ſunt oblonga, tenuia, ſerrata, è quorum medio foliis crenatis (Roſæ inſtar) ſepto exit cauliculus dodrantalis, ruber, ſuſtinens plurimos flores albos, punctatos, umbilico pallido, quorum ſingulis ſuccedunt ſiliquæ biſurcatæ.

12. *Sanicula montana roſea flore guttato* Hort. Reg. Par.

§. 2. *De Sedo foliis ſubrotundis dentatis Sanicula dicto.*

1. *Sanicula montana rotundifolia major* C. B. *San. Alpina guttata* J. B. *Sanicula guttata* Ger. Park. **Spotted Sanicle.**

Cluſ.

Multa habet *folia* circinatæ ferè rotunditatis, Saxifragæ aureæ foliorum æmula, longis pediculis inhærentia, altis per ambitum inciſuris ſerrata, ſic ut minima folia tanquam digitata videantur, pinguia, hirſuta, ſupernè viridia, infernè aliquantulum exalbida, & valdè hirſuta, aſtringentis guſtûs: *Caules* deinde promit pedales, aut interdum ampliores, virides, hirſutos & nonnihil tortuoſos, & in his folia ſuperioribus reſpondentia. Summi caules in plures alas dividuntur, & ſingulis ramis inſident terni aut quaterni *flores*, Oxyacanthæ odorem referentes, quinque foliolis albis, ſanguineis punctis inferiore parte notatis conſtantes. Bifida *vaſcula* cum decem *ſtaminibus* medium florem occupant, quæ matura exile & minutum admodum nigrumque *ſemen* continent. *Radix* quodammodo ſquamata ſupernè, & craſſiuſcula, multis candicantibus fibris prædita eſt, & à lateribus propagines agit.

In Alpibus Helveticis, ínque montibus Jura & Saleva propè Genevam: Creſcit etiam, autore Cluſio, in omnibus Auſtriæ & Stiriæ Alpibus, umbroſo loco, &c. Floret Junio, in hortis etiam maturiùs. *Locus & Tempus.*

2. *Sanicula montana rotundifolia minor Hiſpanica.*

Minor eſt præcedente, *foliis* multis è radice exeuntibus, circinatæ rotunditatis, aut nonnunquam latioribus paullò quàm ſint longa, circum oras crenata, rarioribus crenis, Saxifragæ albæ in modum, laciniis aut ſegmentis crenas interjacentibus latis & ſubrotundis, minimè acuminatis, ut in Saxifraga modo dicta, raris & brevibus pilis ſupernè hirſuta, colore obſcurè viridi, pediculis tenuibus longis. *Cauliculi* & flores Sedi ſerrati montani latifolii guttato flore *Park.* quantum quidem memini.

Cantabrigiæ per multos annos hanc plantam alui quæ umbroſis delectatur, hortis facile aſſueſcit & ſe propagat, nec hyemes noſtras reformidat, quamvis ex nomine Hiſpanicæ originis ſit.

Sanicula rotundifolia crenata piloſa Hort. Lugd. Bat.

Quam pro non deſcripta habent præcedenti fortè eadem eſt; nec enim illa à quoquam (quod ſciam) hactenus eſt deſcripta, & nomen convenit.

§. 3. *De Sedo foliis ſubrotundis crenatis Saxifraga alba dicto.*

1 *Saxifraga alba* Ger. *alba vulgaris* Park. *rotundifolia alba* C. B. *alba radice granuloſa* J. B. **White Saxifrage.**

J. B.

Radix illi plurimis bulbulis, Coriandri ſeminis magnitudine, purpurantibus, amaris, tenuibus fibris inter ſe commiſſis conſtat, quanquam & aliis præterea fibris longioribus craſſioribúſque ſit donata: *Caulem* profert ſingularem nonnunquam, aliàs ternos, quinos & plures, teretes, hirſutos, purpureos, ramulis brachiatos: quibus inſident *flores* albi aliquot, quorum non idem omnium tempus florendi, quinque petalis ſubrotundis, non bifidis ut in Alſine, *ſtaminibus* luteolis & ſtylo viridi conſtantes, odore nullo evidente. *Flores* includuntur foliolis quinque viridantibus cum ora purpurea, hirſutis, & tactu nonnihil viſcoſis, cujus lentoris particeps eſt cum foliis caulis. *Folia* ex pediculis palmaribus aut brevioribus, hirſutis, ferè rotunda, criſtata, ad Hederæ terreſtris folia quodammodo accedentia pinguia: eorum verò quæ in caule ſunt, videas aliqua nullam diſſectionem experta, integra, lanceolata, mucrone ſpadiceo: alia fimbriata quidem, ſed non ità propè orbem complentia. Vaſculum ſeminale bicorne eſt, velut Sedi cujuſdam.

Tempus & Locus. Floret circa finem Aprilis & initio Maii in aggeribus ſepium, paſcuis & pratis ſiccioribus.

Vires. Hujus herbæ in cineres redactæ ſal fixus ſpiritum præbet nitroſum qui multum calculo conducit. *D. Palmer.*

* 2. *Saxifraga anguſtifolia Autumnalis flore luteo guttato* Breynii.

Breyn.

Locus & Tempus. Rariorem hanc elegantémque Saxifragam humida & muſcoſa fundunt prata quædam Boruſſiæ & Caſſubiæ, præſertim ſecundùm arcem *Klein Krakaw,* ubi ab Auguſto in ſerum uſque Autumnum floret, in hortis autem udo nec aprico nimis loco repoſita aliquanto maturiùs, à Julio nempe ad medium Septembrem.

Ex radiculis capillaceis, ſubcandido colore & ſapore adſtringenti, *propagines* multæ rubentes, pilis ferrugineis lanuginoſæ, integros ſæpiſſime ceſpites ſerpendo occupantes, emittuntur: circa quas *folia* anguſta, carnoſa, ſubtiliſſimis decurrentibus nervulis, ſunt atro-virentia & rigidiuſcula, per marginem ſubinde piloſa, cum Polygalæ & Nardi Celticæ foliis mediocriter conſpirantia, quorum nonnulla Autumno ſicceſcere incipientia pro viridi ſuo triſtem ſeu flavum induunt colorem, inſtar Nardi Celticæ. Inter propagines *Cauliculi* dodrantales, utplurimum ſummâ tellure ſparſi, tenues, rotundi & vireſcentes, inferiore parte ſubrubicundi, ſuperiore molli, ferruginea ſeu pallidiore lanugine leniter hirſuti, procreſcunt; qui foliis parumper minoribus temere & confuſo ordine, circa radicem densè, in ſuperna autem cauliculi parte ſubinde rarenter & parcè veſtiuntur. Cauliculorum faſtigia in ramulos duos, tres, quatuor, pluréſve abeuntia, *floſculos* admodum elegantes Saxifragæ albæ, ſed luteo colore tinctos gerunt, quinis foliolis nervoſis, in ungue appendiculas binas Gentianæ duodecimæ ſeu punctatæ *Cluſ.* in modum habentibus conſtantes; in quibus non ſine ingenti voluptate eſt cernere, quàm nitidè & curioſè dædala natura punctulis innumeris ſaturè croceis denſiſſimè illos conſperſerit, & quidem à medio uſque ad umbilicum: unde *ſiliqua* ſubvireſcens bifurcata, loculamentis binis Saxifragiarum more diſtincta, inter ſtamina decem, crocis capitulata, prominet: quæ deciduo flore magis magíſque intumeſcit, juſtámque maturitatem conſecuta, per cornicula finditur, ac *ſemine* exiguo, ſubrutilo & micante ſeſe exonerat. Flos æquè ac folia, inprimis verò cauliculi, amariuſculo & adſtringente ſunt guſtu.

Variat; quædam enim florum petala magis ſunt obtuſa; quædam magis acuminata: præterea foliis majoribus & minoribus, dilutioribus & obſcuriùs virentibus invenitur.

In multis cum Hirculo Friſico *Cluſ.* convenit, à quo tamen differt; ſi modò Hirculi flores ſenis petalis conſtantes duplici tantùm punctulorum ſerie interſtincti; ac folia circa radicem ac in caule tam lata, & unico ſaltem nervo plurimas laterales venulas fundente, prædita ſint, ſicut in *Cluſii cur. poſt.* planta delineatur.

Saxifraga alba petræa Ponæ Park. Ger. emac.

Hanc C. Bauhinus in pinace ad Sedum tridactylites Alpinum majus album refert, quod ſuperiùs poſuimus, unde Parkinſoni reprehenſionem incurrit. Verùm ſive ad Sedum tridactylites, ſive ad Saxifragam albam referas perinde eſt, ſiquidem & Saxifraga alba dicta Sedi propriè dicti ſpecies eſt.

Saxifraga alba Alpina Park. Lugd.

Saxifragam Alpinam *Lugd.* C. Bauhinus Saxifragæ Alpinæ eandem eſſe ſuſpicatur.

* 3. *Saxifragia alba altera bulbifera* Park. *Sax. bulboſa altera bulbifera montana* Col. *Saxifraga ad folia bulbos gerens* C. B.

Col.

Hujus radici adnaſcuntur non acini ut præcedentis, ſed veluti ſquamoſi bulbuli, Lilii modo ſe propaganti, duplo ſuperioris grumis ſeu granulis majores, foris rubeſcentes, intrinſecus albidi, ſapore primùm adſtringente, poſtea amaro & ingrato, paucis in imo fibrillis terram amplexantibus. *Folia* huic minora, rotundiora, brevioribus purpuraſcentibus petiolis, piloſa, per ambitum rotundis crenis diviſa, tactu gummoſa ſicuti caulis, florum calyces, & tota planta. *Caulem* edit craſſiorem, parùm hirſutum, purpuraſcentem, cui denſa alternatim folia, abſque petiolo, per ambitum criſtata, veluti Euphragiæ folia acutis crenis diviſa, in quorum ſinubus bulbuli oriuntur, quibus propagatur, ſeminis vicem ſupplentes, citiùs enim ſati erumpunt, atque nedum in foliorum ſinubus, ſed in florum petiolis atque juxta flores ipſos, qui in ſummo caulis veluti corymbi uno ortu è caulis ſummo prodeuntes, ramoſi, petiolis inſidentes, Aprili menſe atque Maio in quinque foliola candida dehiſcunt, calyces veluti cytinos hirſutos habentes, vel Hyoſcyami, quinque etiam oris diviſos, in quibus fructus bicornes, ſtaminibus pluribus flaventibus circundati, qui perfecti per cornicula diſſecantur, copioſa, arenæ inſtar minutiſſima ſemina extendentes, ſupervacua.

Pratenſibus montium gaudet, & ſaxoſis herbidis umbroſis Campoclari & Æquicolis. *Locus.*

CAP. IV.

De Gramine Parnaſſi.

Hujus notæ ſunt Pericarpium conoides, è tribus carinis compoſitum: *Flos* uniformis, ſpecioſus, albus in uno caule unicus: Folia parva hederacea, Locus paluſtris.

Gramen Parnaſſi Lob. Ger. *Parn. vulgare* Park. *Parn. flore albo ſimplici* C. B. *Parn. Dodonæo, quibuſdam Hepaticus flos* J. B. **Graſs of Parnaſſus.**

E *radice* fibroſa modice craſſâ [ex albo rubente, cum veſtigio levi caloris adſtringente] *folia* prodeunt ſatis frequentia, pediculis longis [rubeſcentibus] appenſa, violaceis ſimilia ſed minora, glabra, pallidius virentia, mucrone acuto: [J. Bauhino Hederaceis non anguloſis ſimilia, multò minora, craſſiuſcula, ſinuatis à pediculo nervis excurrentibus, non ignava adſtrictione prædita.] *Caules* ex eadem radice exurgunt plures, ſpithamæi, anguloſi, rigidi, unico folio non longè à radice, eoque baſi ſua caulem amplectente, cincti, quorum unicuique *flos* unus inſidet, ſpecioſus candidus, quinq; foliis compoſitus concavis, ſubrotundis, intus ſtriatis. Medium occupat conicum capitellum purpuraſcens, duûm generum ſtaminibus circundatum, quinque majoribus, longioribus, albis, cum *apicibus* concoloribus; totidem minoribus, apiculis luteis, in margine virentibus & cochlearis figuram referentibus. [Tandem conicum illud capitellum paulatim in Ciceris majuſculi molem excreſcit, quod in quatuor carinas dehiſcens ſemen oſtendit copioſum, minutum, ruffum.]

Vix temere alibi quàm in paluſtribus putridis occurrit. Auguſto demum menſe floret, & vix ſemen ante hyemem perficit. *Locus & Tempus,*

Habetur etiam duplicato ſeu pleno flore.

CAP. V.

De Viola.

Viola per diminutionem à Græco ἴον dicta eſt, ſpiritu leni in *v* literam converſo, ut in aliis multis.

Notæ ejus genericæ ſunt flos pentapetalos difformis, calcari donatus, vaſculum ſeminale ternis loculamentis diſtinctum.

Duplex eſt, alia foliis rotundis, alia foliis oblongis, quæ & Jacea dicta.

§. 1. *Viola Martia folio rotundo.*

A. 1. *Viola Martia purpurea* J. B. Ger. *Martia purpurea, flore ſimplici odoro* C. B. *ſimplex Martia* Park. parad. **Purple Violet.**

J. B.

E *radicibus* fibroſis, aliquando in plura capita diviſis, *clemata* emittit multa, quæ fibris ſubinde demiſſis radicantur, & plantam propagant. *Folia* è radicibus & ſarmentis exeunt multa, ex rotundo nonnihil oblonga, ſerrata, longis pediculis appenſa: inter quæ *petioli*, è radice quoq; enati alii, ſinguli *florem* ſuſtinentes ex cœruleo purpuraſcentem, odoris ſuaviſſimi, calcari donatum, è quinq; foliolis compoſitum; quo evaneſcente ex aliis pediculis (quod notatu dignum & ſingulare eſt in hac planta) ad radicem oriuntur ſubrotunda *capitula*, in tres carinas dehiſcentia, *ſemine* plena parvo, rotundo.

Vaſcula ſeminalia extrinſecus hexagona videntur intus in terna loculamenta dividuntur, quorum unumquodque binos ſeminum ordines continet.

Locus. In aggeribus ſepium invenitur ſed rariùs.

A. 2. *Viola Martia alba* C. B. *Martia flore albo odorato* J. B. *flore albo* Ger. *ſimplex Martia flore albo* Park. parad. **White Violet.**

Non aliter quàm floris colore à præcedente differt. Ad ſepes & in aggeribus foſſarum, & frequentiùs multò quàm præcedens invenitur, à qua non videtur ſpecie differre, ſed fortè ob ſiccitatem aut ſterilitatem ſoli florum color in album langueſcit. J. Bauhinus folia minora & magis hirſuta huic attribuit, *flores* etiam minores, quæ quidem nobis non obſervata, ſi tamen vera ſint, ſolo manifeſtè debentur, ut in aliis multis ſylveſtribus cernitur.

Tum hæc tum præcedens flore multiplici ſeu pleno inveniuntur in hortis cultæ. J. Bauhinus obſervavit, *Violam Martiam intensè purpuream, flore minore pleno*: item aliam *flore ex albo & cæruleo mixto multiplicato, odoratiſſimo.* Coſtæus *com. in Meſuem* Violæ ſpeciem Byzantii coli ſcribit Martiæ ſimilem, ſed flore infinitis foliolis conſtructo, & Roſam Damaſcenam æquante, non ſolùm magnitudine ſed & odore noſtrates ſuperante.

Vires. In Viola odorata, ut & in aliis compluribus plantis, multæ ſunt partes viribus diſtinctæ. Radix enim, umbilicus & ſemen vim habent catharticam: radicum enim tres unciæ conciſæ, & in aquam ferventem, cùm ab igne removetur injectæ, aut vino per noctis ſpatium infuſæ, vim purgatricem ipſis conferunt. Semen pulveratum & liquori immiſtum ſeſquidragmæ pondere idem præſtat. Umbilicus multò eſt debilior, eámque vim communicat aquæ cui infunditur ex qua fit ſyrupus violarum quem ex infuſionibus vocant: humores autem dejiciunt bilioſos, ſeroſos, nec admodum pertinaces.

Folia verò ſubfrigidam & aqueam ſubſtantiam habent ſuperantem: itaque phlegmonas mitigant, æſtuantem in ventriculo & oculis calorem ſedant; in olere ſumpta leniunt alvum. *P. Renealm.*

Flos recens refrigerat, humectat, emollit, laxat. Cordialis eſt è quatuor illorum famoſorum numero & pectoralis. Uſus præcip. in fervore febrium compeſcendo, doloréq; capitis indè nato, in tuſſi, aſperitate gutturis & pleuritide. Syrupus creberrimi uſûs eſt ad ſitim febrilem reſtinguendam & alvum leniter ſubducendam.

Violarum ſemen eſt lithontripticum inſigne, *D. Butlero* Cantabrigienſi medico celeberrimo olim inter arcana. *D. Needham.*

Dioſcorides & Plinius id quod in flore purpureum eſt cum aqua potum angina correptis & Comitialibus maximè pueris mederi affirmant. Quod autem aiunt Comitialibus mederi (inquit Paul. Renealmus) experientia docuit non vacare impoſturâ: Antiquorum ſcripta non ſine mendis ad nos traducta malit aſſerere.

A. 3. *Viola Martia inodora ſylveſtris* C. B. *canina ſylveſtris* Ger. *cærulea Martia inodora ſylvatica, in cacumine ſemen ferens* J. B. *Viola ſylveſtris* Park. **Wild, or Dogs-Violet.**

J. B.

Radice eſt ſarmentoſa, tenui, lignoſa & longâ, vario reptatu hinc indè penetrante, denſâ & longâ fibrarum comâ per intervalla præditâ. *Folia* circinatæ ferè rotunditatis, niſi in mucronem acutiorem deſinerent, ſupinâ parte leviter hirſuta, viridantia, pronâ verò glabra, dilutiùs virentia & ferè luteola, interdum ſubpurpurea, in ambitu ſerrata, guſtu viſcido, pediculis tenuibus, quadrantalibus. *Cauliculi* pauci, quos ad alas involucra folioſa, acuta, in ambitu hirſuta complectuntur, *floſculos* in ramulorum ſummitatibus proferunt Violæ Martiæ odoratæ ſimiles, ex quinque petalis conſtantes, quorum ſupremum longiùs protenſum reliquis, calcar deformat, purpuram utrinq; ſecante faſciâ albâ, quâ ipſâ albedine reliquorum quatuor foliorum ſaturatâ purpurâ tinctorum ungues colorantur, nullâ odoris gratiâ: in medio *ſtamina* lutea cum ſtylo virente. *Caules* ſubinde cubitalem nanciſcuntur longitudinem, inq; ramos diducti foliis veſtiuntur; *flores*, ut mox diximus, gerentes; quos ſubſequuntur *ſiliquæ* longæ, in tres carinas dehiſcentes, *ſemine* farctæ copioſo, ex rotunditate oblongo.

A Viola Martia purpurea differt præcipuè foliis minoribus & magis mucronatis; floribus languidiore purpurâ tinctis & inodoris: vaſculo denique ſeminali productiore triquetro.

Locus. Ad ſepes & in dumetis paſſim & abundè oritur; ubi floret cum priore aut paulò ſeriùs, ſed diutiùs durat in multam æſtatem.

** Hiſt. Nat. Oxon.*

A. 4. *Viola paluſtris rotundifolia glabra* D. Morriſ. & D. Plot. *

Moriſ.

Hujus radix alba, geniculata, multis fibris ex ſingulis geniculis exeuntibus, horizontaliter non deorſum tendentibus, prædita; ex cujus ſuperiore parte protruduntur pediculi tenues, quorum ſingulis ſingula innituntur *folia* rotunda, glabra, atq; exinde etiam exeunt alii pediculi tenues, ſuſtinentes *flores* ſaturatè violaceos, duplo aut triplo floribus Violæ Martiæ minores: quibus flacceſcentibus ſubveniunt *capſulæ* oblongæ, tenues, tribus loculamentis diſtinctæ; in quorum ſingulis continentur plura *ſemina*, ſubfuſca.

Locus. In humidis & paludoſis locis, muſco obductis invenitur: ut v. g. ad margines fluvii *Chervill* inter Oxonium & *Water-Eyton.*

Nos in paluſtribus & aquoſis locis multoties obſervavimus Violæ ſylveſtris ſpeciem, quæ (quantum meminimus) *folia* habuit tenuiora quàm ſunt Violæ caninæ vulgaris, *flores* minores, rubentes, ſaturatioribus lineis ſtriatos; quam eandem putamus Parkinſono deſcriptæ ſub titulo *Violæ rubræ ſtriatæ Eboracenſis.* *Alia ſpecies.*

A. 5. *Viola Martia major, hirſuta, inodora* Moriſ. D. Plot. *Viola Trachelii folio nonnullis. D. Plot.*

A *Radice* fibroſâ *folia* emittit plurima, hirſuta, averſâ præcipuè parte, majora, longiora, magiſq; acuminata quàm ſunt Violæ Martiæ vulgaris folia, pediculis ſatis longis innitentia. Inter folia exeunt *flores*, ut in reliquis, pallidè cœrulei, lineis ſeu radiis albis è medio exeuntibus ſtriati, inodori. Hæc ſpecies neque repit flagellis emiſſis Violæ Martiæ vulg. rotundifoliæ modo, nec in ramos dividitur ad inſtar Violæ caninæ.

In ſylvis cæduis propè Oxonium copioſè provenit: ut in *Shotover* colle, *Stow-wood*, Collegii Magdalenenſis ſylvis, &c. *Locus.*

Item à D. *Dale* obſervata eſt in Eſſexiâ ad dextram viæ Tilburia *Claram* Suffolciæ oppidum ducentis, prope Tilburiam: item in via quadam umbroſa *Ovinton* & *Belchamp-S. Paul* diſterminante, & à *Noal-green* in Parœcia *Belchamp* prædictæ ad *Claram* ducente ad dextram. In confiniis Cantabrigienſis comitatûs verſus Suffolciam, Viâ publicâ ab *Aſhley* ad *Silverton-ſteeple* tendente, in aggeribus.

6. *Viola Martia lutea* Ger. Park. J. B. *Alpina rotundifolia lutea* C. B. *Cluſ.*

Folia habet nigræ Violæ ferè ſimilia, minora tamen, breviora, & è viridi colore palleſcentia, calido guſtu: [J. Bauhino folia circinatæ ferè rotunditatis ſunt, ad pediculum longum, tenuem falcata, parva, cæterarum Violarum foliis delicatiora, tenuiora, quod & nobis compertum] anguloſos *cauliculos*, in quibus bini aut terni *flores*, ex alarum ſinu prodeuntes, Violâ minores, flavi, inodori, quinque foliis conſtantes, quorum infimum majuſculum eſt, & quinque radiolis ſive nervis nigris interiore parte diſtinctum; reliqua verò exteriore parte. *Semen* in triangulis *capitulis* quæ maturitate dehiſcunt, exiguum, nigricans, aliis Violis ſimile, præſertim tricolori. *Radix* alba, craſſiuſcula, multas propagines è lateribus procreat, candidiſque & longis fibris hirſuta eſt.

In ſupremo vertice montis Juræ *Thuiri* dicto nobis inventa eſt. Cluſio in omnibus Auſtriæ & Stiriæ Alpibus abundanter naſci dicitur; Junio atque Julio florens. Idem in Borealibus etiam Angliæ montibus inveniri ſe intellexiſſe ſcribit: nobis in illis montibus plantas indagantibus nuſquam comparuit. *Locus.*

7. *Viola lutea Virginiana* Park.

De hac nihil habet quàm quòd Violæ luteæ in Paradiſo ſuo deſcriptæ ſimillima ſit, & flores parvos ſimiles habet. Ego autem in Paradiſo illa non aliam Violam luteam deſcriptam invenio quàm montanam luteam flore magno *C. B.* quæ eſt Jaceæ tricoloris ſpecies.

* 8. *Viola Alpina purpurea exiguis foliis* C. B. *montana purpurea, ſolidiore folio* J. B. *montana* 2. Cluſ. *Cluſ.*

Exit hæc in ſummi *Sneberg* jugi vertice, perquam exiguis *foliis* & quaſi circinatæ rotunditatis, in ambitu leviter ſerratis, craſſiuſculis, longiuſculo pediculo inhærentibus: *Cauliculus* aſſurgit è medio foliorum duas uncias longus, unicum *florem* ſuſtinens, purpureum, vulgari ſimilem, ſed longè majorem & inodorum, cui ſuccedit triangula *ſiliqua.* *Radix* nonnihil ſerpit & aliquot fibris donata eſt. Floret ſub finem Junii.

* 9. *Viola Alpina folio in plures partes diſſecto* C. B. *montana folio multifido* J. B. *montana laciniato folio* Park. *Viola* 7. Ger. *J. B.*

Rarum hoc violæ genus J. Bauhino in monte *Nombres* Rhætorum prope balneum *Wurms* inventum ſimplici ferè *radice* hærebat. *Folia* pediculis longiuſculis nitebantur è radice ſtatim ortis, in decem longiuſcula & anguſta ſegmenta [ſingula Linariæ folium referentia, nervo ſecundùm longitudinem decurrente] ad pediculum uſque diſſecta, guſtu glutinoſo, reliquarum Violarum more. Florem, qui tum deciderat non obſervavit, ſuperſtitibus adhuc *ſiliquis* in tres carinas hiantibus, quas pediculi breviores quàm foliorum ſuſtinebant.

10. *Viola Americana foliis Granadillæ* Hort. Pariſ. *Viola Novæ Angliæ Maracoci facie* Londinenſibus.

Flore, ſemine & capſula ſeminali Violæ noſtrati Martiæ omnino conformis eſt: Floris item color violaceus. *Folia* ſolummodo habet lata, ſinuoſa, in ternos lobos hederaceos profundè ſatis diviſa, Granadillæ ſeu floris paſſionis triphylli modo, unde ei nomen impoſitum. Hæc D. Moriſonus; eſt tamen etiam differentia in flore, quantum memini: per aliquot enim annos Cantabrigiæ in hortulo meo plantam alui, Londino acceptam triginta circiter abhinc annis.

§. 2. *Viola Martia folio oblongo.*

* 1. *Viola ſurrecta purpurea* Park. *Mar. arboreſcens purpurea* C. B. *Viola aſſurgens tricolor* Ger. *Jacea tricolor ſurrectis caulibus, quibuſdam arborea dicta* J. B.

J. B.

Surrectis eſt *caulibus*, cubitum altis aut etiam altioribus, anguloſis. *Folia* priora vulgaris Violæ tricoloris ſimilia, ſubrotunda, cætera longa ad uncias quinque, alia longiora vel breviora, anguſta, quæ cultu variant, & latiora reddita Violæ Martiæ folia æmulantur, ad quorum genicula foliola alia emicant, modò parva, modò majora, quædam etiam laciniata, & per ambitum ſerrata, colore Jaceæ vulgaris: *flores* quoque dictæ Jaceæ, quinque foliolis conſtantes, in ambitu dilutè violaceis, longis inſident pediculis, è foliorum ſinubus ortis, quorum folia duo lateralia, interna parte albis villis obſita, & cum imo pulchellis ſtriis decorata. Quibus ſuccedunt *ſiliquæ* longæ, in ternas carinas dehiſcentes, *ſemen* continentes album, parvum. *Radix* tota fibroſa eſt, ac perennis. Tota planta ſapore viſcido eſt.

Locus. Frequens occurrit in Auſtriæ & Stiriæ nemoribus *Cluſ.* inter vepres in limitibus Montbelgardenſibus, itinere verſus Matthæi arcem florentem Maio obſervavit J. Bauhinus.

Viola tricolor erecta, an Jovis Flos Theophraſti 6. hiſt. 6. *C. B.* huic eadem videtur.

A. 2. *Viola tricolor* Ger. *tricolor major & vulgaris* Park. *tricolor hortenſis repens* C. B. *Jacea tricolor ſive Trinitatis flos* J. B. **Panſies or Hearts-eaſe:** vulgo **Three faces under a hood.**

J. B.

Pulcherrimi *flores* eorúmque varietas effecit, ut in hortos tranſlata cultu digna judicaretur; quos quinque foliis conſtantes delicias ſuas adverſa facie ſpectatori offerre videas, modò totos purpureos, modò luteos cœruleo & purpureo variegatos, alitérque etiam verſicolores, in pediculis longis concavis, ex *foliorum* alis, quæ modò Hederæ terreſtris inſtar rotunda, modò oblonga, in ambitu ſerrata, in *caulibus* reptantibus, ramoſis, ex *radice* tenui & fibroſa exortis. *Semen* in pericarpiis turgidulis, ferè triangulis minutum, ſplendidum, copioſum.

Locus & Tempus. In montoſis Septentrionalibus Angliæ inter ſegetes, & in maceriis & ſepium aggeribus frequens oritur. Vere unà cum Viola nigra aut paulo poſt emicat, æſtate deinde tota & in multum Autumnum floret.

* 3. *Viola montana tricolor odoratiſſima* C. B. *Jaceæ tricoloris ſive Floris Trinitatis genus flore luteo & purpureo magno, repens non annuum* J. B. *Viola montana* 3. *ſive tricolor* Cluſ.

Cluſ.

Plurimos ex una radice profert *caules*, pedales, anguloſos, valdè ramoſos: quos per intervalla ambiunt *folia* tricoloris Violæ foliis ferè ſimili, longiora, craſſiora; ſucci plena, leviter & rariùs dentata, apophyſibus ad latera oblongis & profundè laciniatis, amariuſculi guſtûs & nonnihil acris. Ex ſummis alis longi oriuntur pediculi, triangulares, tenelli, ſinguli ſuſtinentes *florem* omnium quos in hoc genere viderim maximum, quinque foliis conſtantem, quorum duo ſuperiora extremis oris ex cœruleo purpuraſcebant, circa umbilicum pallidi erant coloris; bina illa in latera expanſa, illis minora, lutei coloris, maculis ex cœruleo purpuraſcentibus reſperſa, triníſque purpureis radiis ex umbilico emicantibus inſignita: inferius folium reliquis latius erat, aurei ferè coloris, ſeptenis radiis purpureis ab umbilico intercurſantibus, maculâque ex cœruleo purpuraſcente infimo labro notatum; odor ſuaviſſimus: craſſiuſcula *capitula* quæ in ternas partes dehiſcentia, *ſemen* oſtendebant aliis ſimile, puſillum, rotundum, maturitate fuſcum, tricoloris Violæ ſemini proximum. *Radix* fibroſa & durabilis, quæ facilè etiam ramulis pangi poſſit.

Locus. Sponte in Helveticis montibus naſci ferunt.

* 4. *Viola montana lutea grandiflora* C. B. *an Viola mont. lutea foliis non crenatis* ejuſdem? *Viola montana tricolor* 2. Cluſ. *Viola flammea lutea maxima* Park.

Cluſ.

Hoc genus, autore Cluſio, præcedenti per omnia ſimile eſt floris colore excepto: nam qui in ſuperiore varius eſt color, in hoc omnino flavus eſt, purpuraſcentibus radiis ex umbilico emicantibus, qui magnam gratiam flori adferunt: aliquantulum etiam odoratior videtur. Audio & totum purpureum reperiri: quam varietatem ſeminio accidere puto.

Parkinſonus hanc ſpeciem hyemes noſtras meliùs tolerare ſcribit quàm reliquas Violas tricolores: ramulis avulſis facilè propagari qui in humido ſolo depacti illico comprehendunt; ſemen rarò aut nunquam ferre in hortis ſatum, quantum quidem ille obſervaverit.

* 5. *Viola montana lutea grandiflora noſtras: flammea lutea, ſeu* 5. Ger.

Hæc ſpecies quæ in montoſis paſcuis Derbienſibus, Eboracenſibus aliíſque Septentrionalibus Angliæ putrido & paluſtri ſolo ſubinde occurrit, *flore* eſt ampliſſimo luteo, circa umbilicum lineis ſeu radiis nigricantibus ſtriato, nec unquam ſpontanea, quod viderim, colorem variat. Planta ipſa parva eſt, & humilis, nec aſſurgit aut humo attollitur, fortè ob ſterilitatem ſoli, & loci natalis intemperiem nimis frigidam, ſiquidem locis humidis montium altiorum delectatur; an verò in hortos tranſlata faciem mutet, & in magnitudinem proficiat (quod veriſimile eſt) aut floris colore variet me nondum experum fateor: unde autem eadem ſit quam ex Cluſio deſcriptam dedimus necne determinare nequeo, puto tamen ſpecie differre, nullum enim in noſtra odorem percepi. Gerardum

dum autem hanc intelligere tum Deſcriptio tum locus convincunt. Perennem eſſe puto, neque id tamen compertum habeo.

* 6. *Viola montana pumila* Cluſ. *mont. pumila anguſtifolia* Park. *mont. pum. anguſtif. flore niveo odoro* C. B.

Gulielmus Boelius in Hiſpania obſervavit Violam montanam quandam valdè pumilam, adeò ut binas uncias altitudine vix ſuperaret. Satis craſſa *radice* conſtabat: cujus foliis anguſtiora videre non memini. Nam quaſcunque alias videre mihi contigit orbiculata folia habebant; hujus verò ut Roriſmarini coronarii anguſta erant, & unciam duntaxat longa. *Flos* inter folia exili pediculo inſidens, niveus, odorus.

A. 7. *Viola bicolor arvenſis* C. B. *tricolor ſylveſtris* Park. *Jacea bicolor frugum & hortorum vitium* J. B.

Folia huic ad radicem breviora & latiora, in caulibus longiora & anguſtiora, alternatim poſita, pediculis donata, raris inciſuris circa margines crenata. *Caules* palmares, ſtriati, concavi, crebris geniculis intercepti. Ex alis foliorum egrediuntur *flores* ſingulatim, longis pediculis, violaceis ſimiles, quinque petalis parvis conſtructi, calice quinquefolio. Succedit flori *vaſculum* ſeminale, grandius, in tres carinas per maturitatem dehiſcens, *ſemina* plurima, oblonga, ovata, albicantia fundens.

Ad pediculorum qui flores ſuſtinent exortum præter folium medium duæ appendices ſeu auriculæ laciniatæ folio primario non multò minores ad caulem hinc indè adnaſcuntur.

Floſculi huic multò minores ſunt Violæ tricoloris hortenſis floribus, colore albido & luteo, minimè venuſto aut vivido.

In arvis inter ſegetes ubique occurrit. *Locus.*

CAP. VI.

De Reſeda, & Luteola.

REſeda à ſedandis doloribus dicta eſt: nam collectiones & inflammationes omnes diſcutit, ut ſcribit Plinius *lib.* 28. *cap.* 22. Qui curant eâ addunt hæc verba, Reſeda morbos, reſeda, ſciſne, ſciſne quis hic pullos egerit, radices nec pedes nec caput habeant; Hæc ter dicunt, totieſque deſpuunt.

Reſedæ notæ ſunt Flos hexapetalos, cujus partes difficulter admodum diſcerni & diſtingui poſſunt, Vaſculum ſeminale in terna loculamenta diviſum, quæ vix unquam perfectè clauduntur ſed perpetuò hiant, & in nonnullis adeò diducta ſunt ac ſi diſcreta ſeu disjuncta eſſent.

Lutea & Luteola dicta, quòd eâ panni lanei & telæ lineæ, candidæ quidem, colore luteo, virente verò, quæ ante cœruleo tinctæ, inficiantur, Reſedæ notas characteriſticas habet, ideóque genuina ejus ſpecies habenda eſt.

1. *Reſeda alba* J. B. *candida* Lugd. *major alba rectè inſcribitur.* **Great white baſtard Rocket.** *An Reſeda foliis Calcitrapæ, flore albo* Hort. Blæſ?

Caule ſurgit cubitali aut altiore, firmo, rotundo, ſtriato, recto, ab imo ſtatim ramoſo, *foliis* veſtito crebris, nullo ordine poſitis, laciniis utrinque pluribus ad mediam ferè coſtam diſſectis, Valerianæ in modum, glabris, obſcurè virentibus. *Flores* in ſummitatibus caulis & ramorum in ſpicas longas digeſti, albi, hexapetali ſex calicis foliis incluſi, plurimis intus *ſtaminulis* cum *apicibus* majuſculis. Singula floſculorum petala in tres lacinias diſſecta ſunt.

Invenit *D. Magnol* Maio menſe prope pagum *Balleruc* juxta ſtagnum, quà itur ad thermas. *Botan. Monſp.* *Locus.*

Reſeda maxima C. B. *ed.* 2. Ger. *major* Park.

Præcedenti eadem videtur.

A. 2. *Reſeda vulgaris* C. B. *minor ſeu vulgaris* Park. *Plinii* Ger. *lutea* J. B. **Baſe Rocket.**

Tenuem quidem, ſed longam ſatis habet *radicem*, albam, lignoſam, notabili acrimoniâ præditam; unde *caules* exurgunt plures, ſtriati, hirſuti, ſolidi, [J. Bauhino fiſtuloſi q.] infirmi & vix ſe ſuſtinentes, pedales aut cubitales, ramoſi, *foliis* veſtiti alternatim poſitis, Erucæ marinæ ferè diviſurâ profundâ, inordinatâ, criſpa ſeu undulata, anguſta, obſcuriùs viridia, ſapore oleraceo. *Flores* in ſummitatibus caulis & ramulorum in thyrſulos ſpicaſve diſpoſiti laxiores, ochroleuci, ſeu foliolis compoſiti, quorum ſuprema duo maxima, lateralia minora, infima minima & vix conſpicua, omnia figuræ ſingularis, ac ſi ex uno folio duo alia emergerent; medium floris occupant *ſtaminula* numeroſa cum *apicibus* luteis. Flores delapſi *vaſcula* relinquunt trigona, ½ digiti unius longa, ſummâ parte hiantia, *ſeminibus* repleta, parvis, nigris: capſularum anguli hirſuti ſunt; calyx floris hexaphyllus.

In arvis cretaceis frequens occurrit; Reperitur & in muris. *Locus.*

3. *Phyteuma* J. B. *Reſedæ affinis Phyteuma* C. B. *Reſ. aff. Phyteuma Monſpelienſium dicta* Park. *Valeriana* 7. Ger.

J. B.

Radix huic ſingularis, nullis aut perpaucis fibris donata, ſatis craſſa, lignoſa, alba. *Caules* emittit plures, pedales, in ramos multos fiſſos, partim rectos, partim reclinatos: per quos *folia* oblonga, per extremum obtuſa, ſubinde fiſſa, mollia, quanquam infima nullam agnoſcant diviſionem, quatuor unciarum circiter longitudine. *Flores* per ramos crebri, albi, è meris ſtaminibus compoſiti [in hoc Bauhinum deceptum puto] quibus radiata folia viridantia ſubjecta. *Siliquæ*, turgidulæ, ſemunciam longæ, ſtriatæ, ſuperiore parte perforatæ, *ſemen* claudunt copioſum, nigrum.

Locus. Circa Monſpelium paſſim provenit; in Italia quoq; circa Romam & alibi.

4. *Reſeda alba minor* C. B. *Seſamoides parvum Salmanticum* Cluſ. *Muſcipula Salmantica minor* Park. *Seſamoides Salmanticum parvum* Ger.

Cluſ.

Dodrantales tres aut quatuor ab una radice producit *virgulas*, teretes, circa quas *folia* Lini exigua, craſſa, inordinata, & in ſummis plurimos *floſculos* ſpicæ aut racemi inſtar confertos, ex herbaceo purpuraſcentes initio, deinde tenuibus capillamentis ex albo palleſcentibus ornatos, in quorum medio veluti quatuor grana viridia conſpiciuntur, quæ excuſſo flore in *vaſcula* excreſcunt, exili nigricante *ſemine* plena. *Radix* craſſiuſcula, candida, dura, vivax, ſubinde etiam ante hyemem repullulat.

Locus. In collibus Salmanticæ proximis lapidoſo ſolo provenit. Maio floret & deinde ſemen profert.

Planta hæc, ſi rectè à Cluſio deſcribatur, quatuor vaſculis ſemine repletis unicuique flori ſuccedentibus, ad multiſiliquas pertinet & non ad hoc genus, quò Bauhinum ſequuti eam retulimus.

5. *Reſeda Linariæ foliis* C. B. Park. *an Seſamoides Salmanticenſe parvum alterum* Cluſ?

C. B.

Ex *radice* candida, longiuſcula *caulis* cubitalis, rotundus, in ramos palmares diviſus, foliis Linariæ ſtrictiſſimis, oblongis, viridibus veſtitus exurgit: rami ſinguli in florum oblongam veluti ſpicam abeunt, quam *floſculi* parvi, muſcoſi, tenuibus capillamentis ornati, ut in præcedente, pallidè flaveſcentes conſtituunt, quibus capitula vel *vaſcula* anguloſa, bifida, exili ſemine pallido plena ſuccedunt.

Locus. Hæc in ſolo arenoſo convallium montium Pyrenæorum collecta fuit. Nobis ſiccam communicavit Monſpelii D. Carolus Sueiker-Dantiſcanus.

6. *Lutea maxima Cretica Honorii Belli* J. B. *Luteola herba folio Cannabino* C. B. *max. Cretica fœcunda & ſterilis* Park.

Bellus apud *J. B.*

Radicem maximam profert, lignoſam, in multas diviſam, craſſo & lento cortice veſtitam. *Stolones* plures ab una radice naſcuntur, brachiali craſſitudine, qui ad quinque, ſex, atque etiam ad decem uſque cubita attolluntur, qui hyeme exſiccantur. *Folia* fert magna, pinnata, ex multis foliis magnis conſtantia, longis, ſerratis ut Cannabis, alterno poſitu hærentia, ſine tamen ordine certo. *Flores* minimi ex viridi palleſcunt. Trunci pars ſuperior in magnam *ſpicam* faſtigiatur, duos & amplius cubitos longam, ex vaſculis quibuſdam longis & anguſtis denſiſque conflatam, ſimilibus iis quæ Reſeda vulgaris gerit, *ſemine* plenis ad ruffum tendente. Procul intuentibus Cannabis eſſe videtur. Tota herba & radix ità amara eſt, ut Aloen etiam & Colocynthidem ipſam meo judicio ſuperet. Colore luteo inficit Autumno, ideóque Luteam vocavere.

Locus. Naſcitur in rivulo inter montes, tertio ab urbe Cydonia lapide.

Luteola herba ſterilis non aliter à deſcripta differt quam Cannabis aut Lupulus fertilis à ſterili.

7. *Luteola vulgaris Cretica* Park. *Luteola Cretica* C. B. *Struthium legitimum Dioſcoridis, quæ χυκών in tota Græcia appellatur quâ fullones in tingendo ſerico utuntur* Hon. Belli *ep.* 2. *ad Cluſium.*

Hanc Bellus à Melchiore Guilandino epiſtolâ ad Maximilianum II. Cæſarem anno 1572. deſcriptam dicit. Camerarius vulgari eandem facit.

A. 8. *Luteola* Ger. *vulgaris* Park. *Lut. herba Salicis folio* C. B. *Lutea Plinii quibuſdam* J. B. **Wild Woad, Diers-weed.**

Radice nititur ſimplici, albâ, lignoſâ, pauciſſimis fibris donatâ, craſſitie interdum pollicari, ſapore Naſturtii acri. *Caules* bicubitales, teretes, ſtriati, glabri, viridantes, arctiori tubulo pertuſi; ramoſi, *foliis* crebris longis, anguſtis, glabris, non crenatis, verùm obiter interdum ſinuatis aut criſpis, nullo ordine poſitis veſtiti. *Folia* antequam excauleſcat humi in orbem ſpargit nitentia. [J. Bauhinus longitudinem palmarem, latitudinem ſemuncialem foliis attribuit, ſaporem ſubacrem cùm lentore.] Thyrſi *florum* prælongi, teretes, magnam caulium & ramorum partem occupant. *Floſculi* ſinguli brevibus ſtipati pediculis, quatuor petalis laciniatis componuntur, cum pluribus intus apicibus pallidè luteis; quibus ſuccedunt *vaſcula* tripartita, hiulca, tribus loculamentis, quæ vix unquam exactè clauduntur, ſed in medio dehiſcunt, & *ſemina* parva nigra, rotunda continent, compoſita. Ad ſingulos florum pediculos ligula appoſita eſt.

Locus. In muris & locis ruderatis, non rarò etiam in arvis requietis: ſeritur etiam in agris ad uſum tinctorum.

Quæ

Vires & Uſus. Quæ de hujus plantæ viribus in medicina à Matthiolo traduntur pro incertis habemus. Nonnulli contuſam vulneribus recentibus imponunt. Lanarum infectoribus (ut J. Bauhini verba uſurpem) addo & ſerici, usûs magni eſſe quotidiana teſtatur experientia: rudes enim & albas cum alumine decocta colore luteo tingit, cœruleas autem viridi, idq; magis minúſve intenſo, quo ſaturatior dilutiórve fuerit color cœruleus. Ita panni bicolores, uno eodémq; tempore, uno eodémq; decocto, ex eadem cortina extrahuntur.

Gratiola anguſtifolia Ger. emac. *anguſtifolia ſive minor* Park. *Hyſſopifolia* C. B. *Hyſſopifolia aquatica* J. B.

Caules multi, dodrantales vel etiam longiores, ſtriati, virides, *foliis* amicti alternatim poſitis, Hyſſopi, aliquando brevioribus, brevis vitæ, nervo unico ſecundùm longitudinem diſtinctis, ſapore nullo manifeſto: è quorum ſinu ab imo ferè ad ſummum uſq; cacumen *flos* unus vel duo, longiuſculi, cœrulei, ſex foliolis [ſæpiùs quinque, qui puto naturalis eſt numerus] ſtriatis conſtantes, è calyculo viridi, cauli adnato: ſuccedunt pro floſculorum numero *ſiliquæ* longæ, teretes, membranulâ viridante involutæ, quâ detractâ, calyculum propriè conſtituens tunica fuſca *ſemen* continet copioſum, minutum. *Radix* brevis fibroſa.

Locus. In aquoſis & ubi per hymem aquæ ſtagnârant non raro invenitur tum in Anglia, tum in tranſmarinis regionibus.

Hyſſopifolia minor vel potiùs Thymifolia maritima J. B.

Simplice, lignoſa, contortâ *radicula* nititur, *caulem* tollens palmarem, aliàs dodrante altiorem, in ramos diductum, per quos crebra folia, Camphoratæ, ſurſum vergentia: ex quorum ſingulorum ſinu ab imo ad ſummum uſq; criſtatæ *ſiliquæ* perexiguæ, rubentes, Hyſſopifoliæ majoris, ſemine refertæ minuto, ex albo flaveſcente. *Flos* ut alterius minor, qui vix facilè diſcerni poſſit.

Locus. In vineis maritimis, & ad vinearum margines propè Grammontium in agro Monſpelienſi collegit Cherlerus.

Nos in Sicilia inſula propè Meſſanam duas invenimus Hyſſopifoliæ ſpecies ſimul naſcentes, alteram triplo elatiorem, omnibúſque ſuis partibus majorem alterâ, aliàs ſimilem. Verùm minor ſpecies erat, quam ſolam in Anglia hactenus obſervavimus.

Ageratum purpureum Dalechampii J. B. *purpureum* Park. *ſerratum Alpinum* C. B.

Radice eſt brevi, capillata, ſubflava: *foliis* parvis, numeroſis circa radicem ſparſis, Agerato ſimilibus, guſtu ſubamaris, antrorſum ſubobtuſis: *cauliculis* plurimis per ſaxi crepidines pendulis ſaxúmq; aulæorum inſtar ornantibus & contegentibus; *flore* copioſo, purpureo, pentapetalo, ſuaviſſimè olente; *ſemine* copioſo, minuto, in oblongis vaſculis.

Locus. In rupibus ad radices montis Salevæ, inq; aſcenſu montis Juræ prope Genevam, utrobique copioſè oritur.

Datur hujus varietas foliis & caulibus villoſis, quod Ageratum purpureum villoſum *Moriſono.*

CAP. VII.

De Geranio.

GEranium à gruini capitis & roſtri imagine quæ ſummo ejus plantæ capitulo ineſt, aptiſſima ſimilitudine dicitur: nec aliam quærere neceſſe eſt notam Geranii characteriſticam quàm vaſculum pentacoccum roſtratum, quo ab omnibus cujuſcunq; generis plantis diſtinguitur, ſi addas florem pentapetalon.

§. 1. *Geranium foliis paulò productioribus, Althææ æmulis.*

1. *Geranium Althææ folio* C. B. *Althæodes majus* Park. *malacoides* Ger. *malvaceum* J. B.
Marſh-mallow-leaved Cranes-bill.

Folia huic malvaceis magnitudine, colore & mollitie proxima ſunt, nonnihil oblonga, ſubhirſuta, in ambitu ſerrata, pediculis appenſa duas tréſve uncias longis, interdum ferè dodrantalibus. *Caules* ex eadem radice, ſolo lætiore & fimetis, multi, hirſuti, mediocriter craſſi, dodrantem aut cubitum alti. E foliorum ſinu pediculus exit duas tréſve uncias longus, multifidus, cui *flores* inſident multi, cœrulei, pentapetali, quibus decidentibus *roſtra* oriuntur unciam aut ſeſcunciam longa.

Locus. Circa Genuam in Italia, Monſpelium & alibi in Gallia Narbonenſi ſponte & copioſè oritur.

Hæc planta (inquit J. Bauhinus) aliquando vix trientalis eſt, foliis ovatis, crenatis & Betonicæ ferè ſimilibus: quæ fortè eadem eſt Geranio noſtrati puſillo ſupino maritimo Althææ aut Betonicæ folio proximè deſcribendo.

In Siciliæ quadam inſula ad Promont. Pachynum nunc dierum *Capo Paſſaro* dictum, aliam hujus ſpeciem minorem obſervavimus quod

2. *Geranium procumbens Althææ folio* denominavimus, *Cauliculis* ex eadem radice pluribus, humi procumbentibus, rotundis, rara & brevi lanugine obſitis: *Foliis* Althææ, binis ex adverſo [ubi in ramulos caulis dividitur] in margine crenatis, non autem laciniatis, ne illis quidem quæ in ſummis caulibus ſunt. *Floribus* purpureis parvis: *Roſtris* brevibus.

Fortè hæc eadem eſt alteri illi ſpeciei cujus meminit Parkinſonus, quámq; Geranium Althæodes minus vocat, quæ non alia ferè in re à primo in loco deſcripta differt quàm humilitate partiúmq; omnium parvitate, & quòd folia albidiora ſint.

In horto Leydenſi invenio *Geranium Althææ folio odoratum*: item, *Geranium Africum arboreſcens, foliis Althææ, flore purpureo.*

A. 3. *Geranium puſillum ſupinum maritimum Althææ aut Betonicæ folio noſtras.* **Small Sea-Cranes-bill.**

Radix craſſiuſcula, ſimplex, rectà in terram deſcendit, paucis ſed majuſculis fibris donata, cortice ſubflavo, ſapore nauſeoſo. Cùm primò exit, *folia* crebra per ambitum ſpargit in terram reclinata, pediculis craſſis, hirſutis nonnihil compreſſis, duos digitos longis innixa, Betonicæ foliis ſimilia ſed quadruplo minora, profundiùs laciniata, pilis brevibus raris hirſuta. *Caules* ſeu ramuli craſſi, ſucculenti, hirſuti, in terram reſupini. *Floſculi* herbacei & vix conſpicui [D. Moriſono purpuro-rubentes] *Roſtra* ſemunciam longa, duo vel tria in eodem ſurculo ſeu communi pediculo.

Locus. In arenoſis & glareoſis propè litus Angliæ Occidentale, v. g. in inſulis Mona & Preſtolma, in Wallia circa oppidum *Carnarvan*, in Cornubia circa *Penſans* & alibi.

4. *Geranium Creticum* Ger. Park. *latifolium longiſſima acu* C. B. *ſpecioſum annuum longiſſimis roſtris Creticum* J. B. **Candy Cranes-bill.**

J. B.

Latè terram obumbrat *ramulorum* hirſutorum, nodoſorum, longorum, teneriorum congerie, *foliis* præditorum longis, hirſutis, nonnihil rubentibus, ſinuoſis & ſerratis, ſapore acido & adſtringente. *Flores* cœrulei amœni, pentapetali, cum *ſtylo* in medio purpureo, quos circumſtant *calicis* dèhiſcentis folia quina è ſtriatis filis mediâ membranulâ albâ pellucidâ commiſſis compoſita. *Acus* pluſquam palmari longitudine, ad baſin craſſiuſculæ: *Semina* majora quàm aliis Geraniis, acuta & pungentia.

Locus. In Sicilia propè Meſſanam ſpeciem hanc ſpontaneam invenimus; unde Cretæ inſulæ non eſſe peculiarem novimus. Monſpeliano agro, Cluſio teſte, provenit.

§. 2. *Geranium foliis pinnatis aut varie diſſectis, Coriandri, Myrrhidis aut Cicutæ. Horum pleraque, duobus ultimis exceptis, flores habent in communi pediculo plures, velut in umbella diſpoſitos.*

5. *Geranium Cicutæ folio, acu longiſſima* C. B. *Monſpeliacum laciniatum* Park. **French long-beaked Cranes-bill.**

Caulibus eſt bicubitalibus, hirſutis, aſperis, anguloſis, in varios ramos brachiatis, foliis Geranii moſchati ſive Cicutæ modo diviſis, floribus ſubpurpureis vel violaceis, quinquefoliis: cuilibet acus uncias quinque longa, hirſuta ſuccedit, quæ ex utriculo hirſuto, quinquefolio, apicibus donato *ſemen* continente prodit, quod per maturitatem exilit, & cum utriculorum mucronibus ſurſum primùm, dein deorſum alióque modo circumvolvitur.

Locus. Ad agrorum margines & in aggeribus circa Monſpelium obſervavimus. A Geran. Apulo Coriandrifolio ſpecie diverſum putamus. Monſpelienſibus, cùm ibi eſſemus *Geranium Creticum* dicebatur ſed perperam. Huic forte idem fuerit

* 6. *Geranium Salmanticenſe roſtratum* Cluſ. *parvum foliis Ranunculi* C. B. *parvum Salmanticenſe* Park.

Perpuſillum hoc genus (inquit Autor) Ranunculi ferè *folia* habebat, purpureum exiguum *florem*, & longiſſima craſſiſſimáque (pro ſtirpis tenuitate) capitula roſtrata, Geranii roſtris pœnè æqualia.

Locus. Salmanticæ agens in vicinis ultra Thormim amnem collibus nudis ferè & petroſis, aut ſaltem tenui gramine tectis obſervavit Cluſius.

Ex brevi hac & imperfecta deſcriptione nobis non conſtat an hæc ſit diſtincta ſpecies.

* 7. *Geranium Apulum Coriandrifolium* Col. *Apulum odorum* Park. *Coriandri folio odorum* C. B. **Musked Cranes-bill of** Apulia.

Aliquam cum Cretico putato ſimilitudinem habet; prima namq; *folia* cum illius quadrare videntur, at reliqua latiora multùm, laciniata magis, Matricariæ vulg. diviſuris, niſi parùm eſſent retuſiora, ad Coriandri propè caulem folia accedentia, mollia, hirſutie vix apparente obducta, odorata ut *Acus moſchatæ* dictæ ex eodem genere Geraniorum, longis petiolis ſubrubicundis fulta, circa *radicem* parvam, flavam, vel rufeſcentem, brevem, è terra parùm elata, auriculas ſive alas in imo petiolo circa radicis caput unde oriuntur habentia, rubra. *Caulem* profert Martio hirſutum, geniculis diſtinctum ut Creticum & congenera, in quibus bina folia, minora, brevioribus petiolis ex geniculo,

culo, & binis illis etiam barbulis cartilagineis rubentibus, ut in congenere, ſed majoribus donata. Ex quorum ſinu ſemipedalis *cauliculus* hirſutus atque viſcoſus exit, baſin inſidentem habens quinquepartitam, ex qua petioli quatuor aut quinq; prodeunt *flores* emittentes, colore violaceo-purpureo diluto, pentapetalos, ex hirſutis foliolis quinis calycis vicem gerentibus, acutis in ſummo ſed non pungentibus. His longa trientalia *roſtra* ſuccedunt in imo craſſiora, in ſummo tenuiora, ac quinq; apicibus tenuibus diviſa, quæ cum ſiccantur diſrumpuntur, & in ſemetipſos contorquentur viticulorum modo, atque tunc oblongis ſetis hirſuta falcatum apicem relinquunt, in imo *ſemen* oblongum hirſutum continentia. Sapore eſt admodum aſtringente.

Maio perficitur. Cirinolæ nec alibi vidimus in agrorum & hortorum marginibus elatis frequens. *Locus.*

A. 8. *Geranium cicutæ folio inodorum* Ger. *cicutæ folio minus & ſupinum* C.B. *moſchatum inodorum* Park. *moſchatum folio ad myrrhidem accedente minus* J. B. **Field-Cranes-bill without ſent.**

Radix ei alba, ſimplex, carne tenera, cum nervo intus duriore & tenaciore, ſapore ad Raphanum accedente, paucis fibris donata, ſatis craſſa, & in terram altè deſcendens: *Caules* ex eadem radice plures craſſiuſculi, teretes, hirſuti, in terram reclinati, ramoſi, foliis crebris, veſtiti. *Folia* pinnata, ad Pimpinellæ Saxifragæ minoris accedentia, crebris & profundis inciſuris diviſa. *Flores* in ſurculis ſeu pediculis duas aut tres uncias longis è caulis lateribus ubi in ramos finduntur exeuntibus, quatuor vel quinque aut etiam plures ſimul velut in umbella, pedicellis privatis ſemuncialibus aut longioribus inſidentes, purpurei, pentapetali, petalis anguſtis, obtuſis, minimè bifidis, è *calice* quinquefolio: Stamina apicibus *rubentibus* inſignia. Succedunt *vaſcula* pentaloba, roſtrata, roſtris uncialibus aut longioribus acutis. *Semina* quina oblonga, pulla aut fuſca.

In arenoſis provenit ſponte, & circa mediam æſtatem floret. *Locus.*

A. 9. *Geranium cicutæ folio inodorum album* Ger. *flore albo* Park.

Hujus varietas eſt, quæ nobis etiam ſpecie differre videtur à præcedente, flore albo majore, petalis latioribus; *caulibus* etiam craſſioribus, brevioribus & pallidis, cùm illius rubeant; *Foliis* deniq; majoribus & minùs argutè ſectis.

In iiſdem cum præcedente locis reperitur, ſed rarior multò. *Locus.*

A. 10. *Geranium moſchatum* Ger. Park. *Cicutæ folio moſchatum folio ad Myrrhidem accedente majus* J. B. **Musked Cranes-bill, Muscovy.**

Superiori (verba ſunt J. Bauhini) affinis & illa ſpecies, inventu rarior, tota major, odore Moſchi, foliis non ita altè inciſis & perſæpe tantùm ſerratis.

In montoſa regione *Craven* dicta quæ pars eſt Occidentalis Eboracenſis comitatùs ſponte & copioſè provenit: invenimus etiam non procul Briſtolia eundo ad rupem S. Vincentii. *Locus.*

In horto Leydenſi invenio Geranii Cicutæ folio ſpeciem minorem, ſupinam, floribus pallidis.

11. *Geranium triſte* Cornuti: *triſte, ſive Indicum noctu olens* Park. **Sweet Indian Cranes-bill.**

Cornut.

Radicem habet ex multis cohærentibus fibris quæ in nodulos extuberant, Liliaſphodeli punicei modo. Statim è terra ſurculoſum in altitudinem palmarem exit. *Caulis* teres eſt, tener invalidúſque hirſutus, nec enodis, ſed per trium digitorum intervalla articulatus. *Folia* in univerſum quatuor aut quinque è geniculis prodeunt, initio humi jacentia, ſubhirſuta, pluribus ſegmentis diviſa, formâ Filipendulæ; breviora tamen, pinguiora, molliora, & ampliora multò: horum medius nervus (quam vocant coſtam) purpuraſcit, cætera atrovireſcunt. Caulium faſtigio inſidet denſa umbellæ coma. *Flores* nihil à cæteris ſui generis differunt formâ; quinque enim foliolis conſtant totidémque *ſtaminibus*, & *piſtillo*, ut Geranium Robertianum; color tamen buxeus eſt, ſinguláque foliola gemina velut acini macula purpuraſcens inficit; ſtaminibus & piſtillo ſuccedanei roſtri rudimento concoloribus. Cùm defloruit longior & acutior *ſtylus* prodit, roſtro gruis æmulus, in cujus baſi quinque ſunt exigua & ſubrotunda ſeminum conceptacula. Alveolis maturitate dehiſcentibus *ſemina* rufa oblongaque exeunt. Flos noctu eſt ſuavitate inenarrabili, interdiu nullo: influxum enim illucentis Solis adeò aſpernari videtur, ut integro die odorem neget, cùm Lunæ acceſſu gratiſſimo odore moſchato quaſi thure libet, qui odor intempeſtâ quoque nocte ad Auroram uſque perſeverat, ſtatímque Solis præſentiâ evaneſcit. *Sapor* huic plantæ acidus, qui & palatum bellè afficit, unde inter olera recenſeri poteſt: vim namque poſſidet alimenti refrigerantis & humectantis compotem. Apud Barbaros etiam audio radices ejus, ut apud nos tubera, bulbocaſtanum & ejuſmodi, gratiores inter epulas apponi. Floret integra propemodum æſtate, nec niſi incuriâ foliis per hyemem omnibus exuitur.

* 12. *Geranium noctu olens Æthiopicum radice tuberoſa, foliis Myrrhidis latioribus* Breynii.

Breyn.

Tuberòſam agit *radicem*, obſoleti coloris purpurei, peramplam & craſſam, craſíſque balanis, colore & formâ junioribus Carotæ flavæ radicibus haud abſimilibus, præditam: quæ antequam è terra erumpit in ſurculos aliquot veluti propagines ſubinde faceſſit palmares, *Folia* emittentes *Geranii triſtis* Cornuti majora, atque aſperiora. Ex horum gremio *caules* deinde in pedalem majorémve elevantur longitudinem, rotundi, inanes, ternis ac quaternis longè diſtantibus, folioſo margine fimbriatis intercepti geniculis, in quorum ſingulis folium conſpicitur, inferioribus terræ proximis longè minus, in primis quò altiorem in caule gradum obtinet. Sequuntur *flores* caulium & pediculorum in cacumine quibuſdam foliolis radiato ſe repræſentantes, novem vel decem in umbellam diſpoſiti, *Geranii triſtis* Corn. nonnihil majores, qui in *fructus* longos, roſtri gruinalis inſtar formatos abeunt, *ſemen* oblongum continentes, coloris (niſi me fallit memoria) olivacei.

* 13. *Geranium noctu olens Æthiopicum, radice tuberoſa, foliis Myrrhidis anguſtioribus* Breynii.

Breyn.

Præcedenti in omnibus ſimile eſt, niſi quod *Flores* ad purpureum obſoletum inclinent colorem, *foliáque* in lacinias plures & anguſtiores diſſecta, quorum pediculus nonnunquam magis purpuraſcit.

* 14. *Geranium noctu olens Æthiopicum radice tuberoſa, Aquilegiæ foliis* Breynii.

Radicem habet tuberoſam; *folia* verò Aquilegiæ; nec plura de eo addit.

Locus. Colitur in horto Leydenſi, ut à D. *Palmer* habeo.

* 15. *Geranium Æthiopicum Myrrhidis folio, flore magno ſtriato* Breynii.

Breyn.

Pedales & cubitales profert *caules*, hirſutos, partim virides, partim rubentes, geniculatos, ramoſos, quorum articulorum juncturis pinnæ duæ cartilagineæ annexæ, & *folia* longis pediculis adhærent ſubhirſuta, plurimis ſegmentis diviſa, crenata, & per oras aliquantulum rubentia, faciem mediam inter *Geranii Apuli Coriandri folio* Col. & *Geranii triſtis* Corn. folia minora habentia. *Flores* in umbella pauci, carnei, ſpecioſi, ſtriis purpureis inſigniti, foliis quinque amplis, ad imum anguſtis conflati, è *calycibus* longis, hirſutis, quinquepartitis exeuntes: quibus *Fructus* roſtratus & *ſemen Geranii Apuli Coriandri folio* ſuccedit.

Omnes hæ Geranii ſpecies à Promontorio bonæ ſpei ad *D. Beverningh* tranſmiſſæ ſunt.

16. *Geranium fœtidum* Park. **Strong-ſented Cranes-bill.**

Park.

Folia emittit aliquammulta è viridi caneſcentia, in tenues lacinias plurifariam diſſecta; è quorum medio duo tréſve *cauliculi* exurgunt tenues, hirſuti, ad nodos foliolis paucis, exiguis veſtiti, tres quatuórve *flores* majuſculos rubentes in ſummo geſtantes aliorum Geraniorum ſimiles, in hortis noſtris ſuaveolentes, verùm in calidioribus regionibus, ubi ſponte oritur, graveolentes. Succedunt *ſemina* oblonga rigida. *Radix* altè in terram deſcendit, coloris exteriùs rubentis, interiùs albi, odore graviore & ingratiore quam vel folia, vel flores, & in multa capita dividitur.

Ad latus Boreale montis *Lupi* propè Monſpelium ſponte oritur, referente Parkinſono. A nobis quidem ibi fruſtra quæſitum: verùm D. *Magnol* Monſpelienſis M. D. Rei herbariæ peritiſſimus collegit & nobis oſtendit: unde & exſiccatum habemus ex dono D. *Zuecher* Dantiſcani.

Hanc plantam Lobelius in ſtirpium Illuſtrationibus deſcribit, *Radicem* illi tribuens craſſiſſimam, rubro-nigricantem: *folia* palmaria, parum villoſa: *cauliculos* palmares: *flores* amœnè cœruleos, lineolis plurimis obſcurioribus diſtinctos.

Odorem habere qualem habet anguſtifolium acu longiſſima deprehendit *D. Magnol*, nec tantùm fœtere ut lipothymiam inducere valeat, ſicut dicit * Lobelius.

** Stirp. Illuſtr.*

A. 17. *Geranium Robertianum* C. B. Ger. *Robertianum vulgare* Park. *Robertianum murale* J. B. **Herb Robert.** *Robertianum à rubore caulium & florum dictum creditur.*

J. B.

Obvium ubique in ruderibus Geranium Robertianum, *radice* tenui, colore buxeo, quæ *caules* ſurrigit dodrantales & cubitales, hirſutos geniculatos, rubentes, maximè circa articulos & propter terram, ramoſos. *Folia* partim à radice, partim ex geniculis hirſuta, pediculo rubente hirſuto, Matricariæ ferè diviſurâ, ſegmentis primariis duntaxat tribus, odore ubi teruntur Paſtinacæ, ſapore adſtringente, per oras aliquantulum rubentia, interdum tota. *Flores* purpurei, dilutiore purpurâ ſtriati, pentapetali, è calyce hirſuto, atro-rubente, quinquepartito exeunt, apicibus in medio croceis: ſuccedunt *roſtra* mucronata, *ſemen* appenſum habentia.

Locus. In veteribus muris, cæſis arboribus, aggeribus ſepium & locis ruderatis paſſim provenit, tota æſtate florens.

C. Bauhinus, quique eum ſequitur Parkinſonus noſtras, alteram hujus ſpeciem conſtituunt. Verùm notæ à Lobelio in Adv. allatæ noſtro judicio non ſufficiunt ad ſpeciem diſtinctam arguendam; nec putamus hactenus inventas aut deſcriptas duas ſpecies. Certè C. Bauhinus perperam & ſine neceſſitate entia multiplicat, cùm Geranium 4. *Fuch.* Gruinalem *Dod. Lugd. Geranii Anemones folio rotundo* ſpeciem VII. facit ſub titulo *Geranii batrachiodis*, *Colli gruis Germanorum*, & poſtea eademmet nomina adhibet pro Synonymis *Geranii ſui Robertiani alterius.*

Geranium gruinale *J. Bauhini*, cui eadem ſynonyma accommodat quæ *Caſparus* frater Geranio Robertiano alteri, Geranii Robertiani ſpecies eſſe non poteſt, cum folia ei *Pedis columbini* attribuat rotunda: videtur potiùs accedere ad noſtrum *Pedem columbinum foliis laciniatis.*

Vires. Valdè vulnerarium eſt Geranium tum columbinum, tum Robertianum, tam potionibus vulnerariis inditum, quàm exteriùs applicatum. Fluxum ſanguinis ſiſtit, ipſúmque ſanguinem coagulatum reſolvit: vulnera quoque & ulcera mundificat, calculum veſicæ & arenulas pellit, colicos dolores ſedat, autore Lobelio. Decoctum in vino arthriticos dolores lenit [in fomentis] Ad herniam & rupturam commendatur.

Uſus eſt vulgò ad eryſipelata, ad oris, mammarum & pudendorum ulcera & vulnera. Raròintus aſſumitur ob frigiditatem. *Fuchſ. Vix credo plantam frigidam eſſe poſſe à quo odor adeò vehemens, teter & ingratus exhalat.*

Simplex decoctum Geranii Robert. mammis cancroſis applicatur ſæpe non infelici ſucceſſu. *Fabr. Hildan. Chirurg.* Relatum eſt mihi de cancroſa quadam unicum habere ſolatium in dolore ab aqua hujus. *C. Hofman. De Med.Officin.*

Decoctum paſtores præbent jumentis cruenta mingentibus.

§. 3. *Geranium folio circumſcriptione ſubrotundo in nonnullis tamen ſpeciebus ad pediculum fere laciniato.*

A. 18. *Geranium columbinum majus flore minore cœruleo.* **The greater blew-flower'd Doves-foot Cranes-bill.**

Radix alba, ſimplex plurimos *cauliculos* fundit, infirmos, & ferè procumbentes, dodrantales aut longiores, craſſiuſculos, teretes, geniculatos, brevi admodum & vix conſpicua lanugine hirſutos, nonnihil interdum rubentes, multò tamen minùs quàm vulgaris caules. *Folia* Malvæ, altiùs tamen inciſa, & in plura ſegmenta diviſa, longis pediculis nixa, brevi lanugine ad tactum mollia. Ad genicula exeunt *ſurculi* binos geſtantes flores, ſuis ſingulos pediculis uncialibus nixos, parvos, pentapetalos, ex cœruleo diluto purpurantes. *Roſtella* floſculis ſuccedentia vix ſemuncialia. *Semina* quina, ad baſin roſtelli, ſuis ſingula loculamentis incluſa, ut in reliquis omnibus Geraniis, per maturitatem fuſca.

In locis ruderatis & glareoſis ſepiumque aggeribus provenit. *Locus.*

A. 19. *Geraninm columbinum* Ger. *columbinum vulgare* Park. *folio rotundo multùm ſerrato ſive columbinum* J. B. *folio Malvæ rotundo* C. B. **Doves-foot, or Doves-foot-Cranes-bill.**

Cum priore convenit *radice* alba, ſimplici, ſurculoſa, *caules* emittente plurimos, in terram reclinatos: *Foliis* malvaceis, in plura ſegmenta [ſeptem plerunque inſigniora, aut ſaltem quinq., etiam in ſummis caulibus] diviſis: *Floribus* pariter, ut in illa binis in eodem ſurculo, ſeu communi pediculo, nec unquam pluribus, propè ſummitates caulium & ramulorum ex adverſo plerunque foliorum ſitis. *Roſtella* paria; *ſemina* fuſca ſimilia ſunt. Ab eadem differt 1. Parvitate ſuâ. 2. Hirſutie caulium & foliorum; Caules præcipuè lanugine molli, altâ pubeſcunt, imâ quoque parte multo magis rubent quàm illius. 3. Floribus multò majoribus, & hilari purpurâ nitentibus. 4. Surculis ſeu pediculis communibus flores ſuſtinentibus plerunque brevioribus. 5. Foliis minoribus, mollioribus, villoſis, longis pariter pediculis fultis.

Vere floret in glareoſis & ſterilioribus, non raro & ad vias & ſepes. *Locus.*

* 20. *Hujus ſpeciem minorem majori flore, foliis florum bifidis proponit* D. Magnol *in* Botan. Monſp. *paſſim juxta vias cum ſuperiore naſcentem circa Monſpelium, à quo facilè diſtinguitur cùm floret.*

A. 21. *Geranium columbinum majus diſſectis foliis* Ger. emac. *malacoides laciniatum ſive columbinum alterum* Park. *An Ger. Malvæ folio* II. *ſive columbinum tenuiùs laciniatum* C.B? *Malacoides ſive columbinum tenuius laciniatum* Park. **Doves-foot Cranes-bill, with jagged leaves.**

Caules huic infirmi, pedales aut cubitales, ramoſi, *foliis* per intervalla longiora ex adverſo binis veſtiti. *Folia* ima & quæ è radice exeunt pediculis longis [palmaribus] inſident, duriora quàm præcedentis, minùs hirſuta, altiùs in quinque lacinias ad pediculum fere diviſa, ut in Geranio batrachoides. *Flores* ex alis foliorum exeunt bini ſimul in eodem communi pediculo, ſemidigito breviore: at pediculi privati quibus ſinguli flores inſident, longiores ſunt, & propè florem ſurſum recurvi, ut in hujus generis reliquis. Color florum purpureus amœnus, nullis lineolis ſtriatus: Roſtella nonnihil longiora quàm in præcedentibus duobus: vaſcula ſeminalia turgidiora, adeò ut calycis folia non eò uſque conniventes occultent ſemina ac in aliis pleriſque Geraniis. *Semina* fuſca ſeu pulla.

In hortorum ambulacris, arvis requietis, ínque paſcuis ſterilioribus & ad ſepes, locis præſertim glareoſis oritur, & æſtate floret. *Locus.*

* 22. *Geranium gruinale folio tenuiter diviſo* J. B.

Aut eadem ſpecies eſt, aut mihi nondum cognitum. Repugnat quòd flores Geranii Robertiani paulo majores eſſe dicat, cùm in hoc iis minores ſint; folliculo etiam laxiore obſitos.

D. Magnol in *Botan. Monſp.* Geranii columbini ſpeciem ponit, quam *majorem, foliis tenuiter diſſectis, petalis bifidis* appellat, quam in omnibus convenire dicit deſcriptioni *Geranii* prædicti *gruinalis* J. B. niſi quòd in iſto petala bifida ſint, quòd fortè à Bauhino non fuit animadverſum. In pratis Lateræ.

A. 23. *Geranium columbinum diſſectis foliis, pediculis florum longiſſimis.*

Tota planta aliquanto glabrior eſt quàm præcedens, *foliis* viridioribus, calycis ſegmentis triplo quàm illius amplioribus. Roſtris longioribus. Præcipuè verò notabilis eſt longitudo pediculorum quibus inſident flores, palmaris interdum aut major. Planta eſt annua ut præcedens.

Locus. Hanc ſpeciem primò nobis oſtendit Jacobus Bobertus Oxoniæ à ſe inventam in agris circumjacentibus; poſtea & ipſe copioſam obſervavi in agro Cantiano circa vicum *Swanley* non procul Derfordia: Poſtea intellexi à D. *Goodyero* pridem inventam in Southamptoniæ comitatûs locis plurimis.

A. 24. *Geranium columbinum maximum foliis diſſectis* D. Plot. *columbinum majus foliis imis longis, uſque ad pediculum diviſis* D. Moriſ.

D. Plot.

Huic *folia* quæ primò exeunt non rotunda ſunt & ſinuata, ut præcedentium, ſed uncialia & ſeſcuncialia, ad pediculum uſque diviſa, ſaturatiùs virentia; omnia pediculis longis inſident, ſúntque multò quàm hujus generis reliquorum majora: inter quæ *caules* exoriuntur, digitali ferè craſſitie, altitudine ſeſquicubitali, propemodum erecti, ramoſi, ad genicula in nodos protuberantes, & foliis conſimilibus amplis profundè diſſectis, ad ſummitates confertis, veſtiti: inter quæ *flores* brevibus pediculis, hilari rubore micantes, quàm præcedentis majores, exeunt.

Locus. In ſepibus propè *Marſton* vicum, & in calceti Botleyenſis extremitate Oxonio proxima copioſè oritur.

A. 25. *Geranium ſaxatile* Ger. emac. Park. *lucidum* J. B. *lucidum ſaxatile* C. B. **Shining Stone-Cranes-bill, or Doves-foot.**

J. B. Col.

Radice eſt minima, parùm flavicante, interdum vix humo hærente. *Folia* in petiolis rubentibus ſubrotunda, Geranii columbini æmula, ex virore obſcuro [interdum etiam pallidiore] pulchrè lucentia, nihil aut parùm hirſuta candidis raríſque pilis, in quatuor profundas lacinias ferè ſemper tripartitas diviſa, rotundis crenis per ambitum inciſa. *Cauliculi* multi ſunt, lucidi, rubentes, ſupini ferè, pedales & longiores, in varios ramos diviſi. *Flores* Geranii Robertiani floribus ſimiles & pares *J. Bauhino*: *F. Columnæ* rectiùs minores, rubentes potiùs quàm purpuraſcentes: quibus breves admodum, nec rigentes ſuboriuntur corniculi ſive roſtra.

Locus. In locis ſaxoſis, muris & maceriis antiquis, umbroſis præſertim, ſponte & abundè luxuriat.

* 26. *Geranium tuberoſum* J. B. Ger. *tuberoſum vel bulboſum* Park. parad. *tuberoſum majus* C. B. **Bulbous, or knobbed Cranes-bill.**

J. B.

Nomen invenit à *radice* tuberoſa, ſublivida, inſipida: cujus *folia* ſemipalmari & palmari, ſubhirſuto pediculo donata, lata ſunt, diviſurâ octonâ novenâve ad ipſum uſque pediculum, ſingulis ſegmentis minutiùs diſſectis, colore ex viridi caneſcente. *Caulis* pedalis aut altior: *Flores* in petiolis teretibus ſubrubríſq; ac hirſutis pulchri, purpuraſcentes, ex quinque foliis in ſummo diviſis aliquantulum, intenſiore purpurâ ſtriatis, & circa margines nonnihil hirſutis compoſiti. Circumjecta autem ſunt flori quina itidem folia acuminata, intus nonnihil rubeſcentia, glabra, foris vireſcentia & lanuginoſa. *Roſtra* tenuia acuminata. *Radix* de ſe fibras undequaque emittit, quæ ad intervalla in bulbulos extumeſcunt, qui brevi folia & caules emittentes, à matre ſe emancipant & plantæ novæ fiunt: unde immensùm ſe propagat hæc ſpecies.

Locus. In Illyrico provenire dicitur: Junio & Julio floret.

* 27. *Geranium radice grumoſa* C. B. *bulboſum Pennæi, ſive grumoſa radice* Park. *Aſphodeli radice* J. B. *bulboſum Pennæi* Ger. emac. **Tuberous-rooted Cranes-bill.**

Cluſ.

Radicem habet ex multis parvis longiuſculis bulbis couſtantem, verſus ſummum fibratum, necnon ab imis bulbulis: *Caulem* cubitalem, geniculatum, juxta radicem & genicula parùm rubentem. E ſingulis geniculis duo *folia* longiuſculis pediculis nitentia, in quinque præcipuas partes diſſecta, quarum ſingulæ in ambitu inæqualiter inciſæ ſunt. E ſingulis juncturis juxta foliorum exortum quinq; folia mucronata exoriuntur. *Flores* in ſummis ramulis conjugatim parvis pediculis inſiſtentes, roſei, pentapetali, colore ex purpureo rubeſcentes, Geranii batrachiodis vulgaris floribus ſimiles ſed paulo minores.

Locus. In Dania provenit agro Hafnienſi, unde Turnerus Cluſio attulit & dono dedit.

* 28. *Geranium tuberoſum minus* Cam. C. B. *tuberoſ. minus Camerarii* Park. *tuberoſum minimum* J. B.

Eſt *folio, floſculo & tota facie* vulgaris *Pedis columbini* attamen multo minus: *radice* Avellanæ magnitudine, rotundâ, tuberoſâ, nullis fibris, ſed veluti acetabulis aut oſculis è parietinis alimentum hauriens.

Locus. In murorum rimis naſcitur. Præter Camerarium nemo hujus meminit, nec habemus quod de eo dicamus dubii hærentes.

29. *Geranium nodoſum* C. B. Park. *nodoſum Plateau* Cluſ. Ger. emac. *magnum folio trifido* J. B. **Knotted Cranes-bill.**

Cluſ.

Aliquot à radice promit *folia* ſatis firma, in quinque lacinias altè diviſa, inter quæ bini aut terni aſſurgunt *caules* pedales, graciles, ex fuſco purpuraſcentes, geniculati & nodoſi, bina ad ſingulos nodos ſeu articulos ferentes *folia*, ex adverſo ſita, in tres duntaxat lacinias ſecta, deinde è mediis alis longiores pediculos, in quibus bini, interdum tres quatuórve *flores* ſimul naſcentes, quinque foliis bifidis (ut Malvacei) conſtantes, purpurei coloris, ſed quibuſdam ſaturatioribus venis diſtincti, protuberante in medio rubro *umbone*, ſummo faſtigio in quinque partes fiſſo, qui in longiuſculum inde *roſtellum* tranſit, quod inferna parte in tumentibus utriculis *ſemen* continet, maturitate, ut in reliquis generibus, ſponte exiliens. *Radix* nodoſa eſt & geniculata, aliquot præterea fibris donata.

Nos hanc plantam ſponte provenientem obſervavimus in Delphinatu, eundo à Gratianopoli *à la fontaine que bruſle*, ad ſepes. *Locus.*

* 30. *Geranium argenteum montis Baldi* J. B. *argenteum Alpinum* C. B. Ger. *argenteum Alpinum longiùs radicatum Ponæ* Park. **Silver-leaved Mountain Cranes-bill.**

Radicem protrudit tuberoſam, longam, rectà in terram deſcendentem, ſurſum versùs terræ ſuperficiem in bina aut terna capitula brachiatam; ex quorum ſingulis exiliunt quina ſenáve *folia*, longiſſimis pediculis nitentia, in quinas lacinias præcipuas ad pediculum uſque fiſſa eaſque trifariam versùs mucrones ſectas, molli & incana lanugine obducta, Argentinæ colore. Inter folia oriuntur pediculi alii, longi, in faſtigio ſuſtinentes flores binos ternóſve, ſatis amplos, petalis quinis bifidis conſtantes, pallidè rubris lineis notatos. In medio apparent ſtamina cum ſtylo. *Roſtra* brevia ſunt.

J. Bauhinus altitudinem ei aſcribit palmo paulò majorem; folia parva & quæ pollicis articulo tegas: florem purpureum.

Naſcitur Alpinis rupibus majoris montis Baldi, Orientem aſpicientibus, ac ibi paſſim floret initio Junii, ſemen calendis Auguſti perficitur. *Locus.*

31. *Geranium batrachoides odoratum* C. B. *batrachoides longiùs radicatum odoratum* J. B. *batrachoides alterum longiùs radicatum Lobelii* Park. *batrachoides longius radicatum* Ger. **Long-rooted Crowfoot Cranes-bill.**

J. B.

Spectabili florum amœnitate nulli Geranio cedit, qui ex calice globoſo, ſtriato, rubente hirſutóq; odorati emicant, purpuro-violacei, è quinque foliis compoſiti, ſurrecto ſtaminum purpuraſcentium altiore cincinno, in caulibus geniculatis, dodrantalibus cubito altioribus interdum, & hirſutis. *Folia* diviſurâ quodammodo Saniculæ, ex virore incana piloſa, odorem ſpirant non ingratum. *Radix* oblique acta ſerpit, longa, minimi digiti craſſitudine, fibris & geniculatis tuberibus donata foris rubens, intus alba, cum adſtrictione valida neſcio quid aromatici guſtui offerens.

In hortis alitur, verùm de loco natali ſilent Botanici, nec nobis conſtat.

A. 32. *Geranium hæmatodes* Park. *ſanguineum* Ger. *ſanguineum maximo flore* C. B. *ſanguineum ſive hæmatodes craſſa radice* J. B. **Bloudy Cranes-bill.**

J. B.

Craſſa hæret *radice* multis longis, craſſiuſculis appendicibus auctâ, rubrâ, [aliquot fibris donatâ, novas ſub terram propagines ſingulis annis ad latera ſpargente, quæ non modò fibras ſimiliter agunt, ſed etiam craſſioribus radicibus interdum ſeſe firmant] *Caules* emittit plures cubitum altos, rubentes, hirſutos, geniculatos in multas alas diviſos. Ad ſingulas juncturas bina naſcuntur *folia*, circumſcriptione rotunda, ſed in quinque lacinias, trifidas plurimùm, ad pediculum ferè diſſecta, hirſuta, ſupernè virentia, ſubtus caneſcentia, ſicco & adſtringente ſapore prædita. Ex ſuperioribus alis oblongi naſcuntur pediculi, unicum ſuſtinentes ſinguli *florem*, inter reliqua Geranii genera maximum, Ciſti maris flori fermè parem, colore eleganti rubro, quinque foliis compoſitum, decem intus *ſtaminulis*, quæ totidem [quinque] nervoſis, hirſutis, viridantibus foliolis, ſubtus natis ſuffulciuntur. Roſtra ſuboriuntur pentagona *ſemen* intumeſcentibus utriculis ſeu torulis continentia, quod maturum cum ſonitu exilit, circumvolventibus ſe utriculorum mucronibus.

In ericetis & montoſis cæduis ſylvis & dumetis frequens occurrit, alibi inventu rarius. *Locus.*

Hujus alterum genus ſimili flore, diſparibus tamen foliis & Batrachoidis Geran. foliorum potiùs æmulis invenit Cluſius ad pratorum margines & inter vepres propè Norimbergam.

In horto Leydenſi colitur alia adhuc ſpecies Geranii ſanguinei, quam *Geranium ſanguineum cauliculis aſſurgentibus* vocant.

A. *Geranium hæmatodes Lancaſtrenſe flore eleganter ſtriato.*

Cum Geranio hæmatode vulgari in omnibus convenit præterquam floris colore, qui albus eſt rubris ſtriis variegatus.

In Inſula Wahney Lancaſtriæ adjacente à D. Lawſon inventa eſt, & D. Newton oſtenſa, ſolo arenoſo ad maris litus naſcens. *Locus.*

A. 33. *Geranium batrachoides* J. B. Ger. *batrachoides flore cœruleo* Park. *batrachiodes Gratia Dei Germanorum Lobelio* C. B. **Crowfoot Cranes-bill.**

Radix ei craſſa, obliquè acta, rubenti cortice tecta intus buxea, fibras craſſiores emittens, ſaporis amari & adſtringentis. *Folia* indè emergunt plura, pediculis dodrantalibus nixa, circumſcriptione rotunda, Aconiti ſimilia, in profundas lacinias diviſa, [ſeptem inſigniores] ad pediculum ferè, venis profundioribus rugoſa. *Caules* tenues, pedem aut cubitum alti, teretes, brevi lanugine albicante obſiti, quemadmodum ſunt & folia, & eorum pediculi; foliis nudi quoaduſque in ramos dividuntur, ubi duo plerunque folia adverſa. *Caulis* in binos ramos divaricatur, ſinguli deinde rami in alios binos. Ex angulo uniuſcujuſque divaricationis exit ſurculus duos tréſve *flores* ſuſtinens amplos, pentapetalos ex cœruleo purpuraſcentes ſaturatioribus lineis ſtriatos, petalis ſubrotundis, è *calice* pentapetalo, hirſuto, ſtriato. Succedunt *roſtra* brevia, craſſa, hirſuta, quinque ad baſin loculamentis teretibus oblongis circumvallata, totidem *ſemina* oblonga, ſinuata, colore pulla continentia.

Locus. In pratis & paſcuis humidioribus non raro occurrit.

Geranium batrachiodes flore variegato *C. B. & Park.* ab hoc non differt ſpecie ſed accidentaliter tantum.

A. 34. *Geranium batrachioides montanum noſtras. An Geranium batrachoides minus* Park? *batrachioides alterum* Ger. emac? *batrachiodes minus ſive alterum* Cluſ. hiſt. *batrachioides folio Aconiti* C.B? *batrachoides aliud folio Aconiti nitente* Cluſ. J.B. **Mountain-Crowfoot-Cranes-bill.**

Radix huic ſatis craſſa, obliquè acta, fibroſa, *ſaporis* amari & adſtringentis: *Folia* Geranii fuſci, longis pediculis innitentia, in quinq; vel ſeptem vel novem lacinias diviſa, minùs tamen profundè quàm Ger. batrachoidis vulgaris folia, molliora inſuper & flaccidiora, minúſque rugoſa, utrinque hirſuta. *Caulis* pedalis vel etiam cubitalis, rotundus, hirſutus, uno vel altero folio donatus antequam in ramulos dividatur. *Flores* in ſummis ramulis numeroſi, quinquefolii, Geranii batrachioidis minores, coloris inter Geranii ſanguinei & batrachoidis flores medii, pallidè ſcil. purpurei, quibus ſuccedunt roſtra Geranii.

Locus. In montoſis ſylvis, dumetis, ſepibus & pratis agri Weſtmorlandici & Eboracenſis copioſè provenit.

Geranium ſuum batrachiodes minus Cluſius ſic deſcribit; Prodeuntibus è radice frequentibus longóque pediculo nitentibus *foliis* præditum eſt, Ranunculi platyphylli aut *Aconiti Lycoctoni pallido flore* folio reſpondentibus ferè, rugoſis, ſubhirſutis, in aliquot profundas lacinias diviſis, deinde in ambitu ſerratis, quæ guſtata initio adſtringere & linguam exiccare, deinde nonnihil calfacere deprehenduntur. *Caule* cubitali utplurimùm, firmo, rotundo, geniculato, in multas alas diviſo, quibus ſubnaſcuntur *folia* ſuperioribus minora, paucioribúſque laciniis diviſa, perinde tamen in ambitu ſerrata. Summi rami in oblongis pediculis *flores* geſtant quinq; foliis conſtantes, Geranii batrachiodes quod in Belgicis hortis alitur floribus formâ pares, paullo tamen minores, nec ut illi cœrulei, verùm ex purpura rubentes, decem ſtaminulis cum ſtylo ex umbilico floris prodeuntibus: deinde oblonga erectáque roſtra, non inflexa, aut inclinata, quinis utriculis ad eorum baſin turgentibus, & ſemen continentibus, quod maturitate exilit, aliorum Geraniorum more. *Radix* ſuperiori [Geranio pullo flore] ferè reſpondet, & ſumma tellure in plura craſſa, internéque rubentia capita extuberat; quæ fibras etiam agentia ſingulis annis augentur.

Locus & Tempus. Creſcit hoc in Pannonicis Stiriacíſque Alpibus, nuſquam tamen abundantiùs quàm ſupra Gamingam in illo aſcenſu ex *Herrenalben* jugo ad ſublimes ſcopulos *Durrenſtain,* in quibus floret Julio & Auguſto in hortis autem Maio.

Hæc deſcriptio in pleriſque noſtræ plantæ convenit, niſi quòd folia rugoſa, profundè laciniata & minùs hirſuta faciat. Conferant inter ſe diligenter, quibus utriuſque copia facta fuerit. Huic perſimile eſt & fortaſſe idem ſpecie Geranium batrachoides alterum flore purpureo *Park. parad.* Verùm ſi folia (ut ille deſcribit) in plures lacinias & profundiùs inciſa ſunt quàm *Geranii batrachoidis vulgaris,* h. e. ad centrum uſque, omnino oportet ut ſpecie diverſum ſit. Author nulla adfert Synonyma, nec an nondum deſcriptum putet meminit.

Ab hac denique ſpecie non multum differre nobis videtur Geranium Moſcoviticum purpureum *Park.* quod tamen ob foliorum maculas ad Geranium fuſcum, aut Romanum ſtriatum, magis accedere merito cenſeatur.

35. *Geranium phæo ſive pullo flore Cluſii* J. B. Ger. *batrachiodes hirſutum flore atrorubente* C. B. Ger. *pullo flore* Park. *batrachoides pullo flore* Ger. emac. **Dusky Cranes-bill.**

Cluſ.

Cubitales frequentéſque ex una radice producit *caules,* firmos, geniculatos, virides, ſanguineis tamen veluti guttis aſperſos, lanugine pubeſcentes, in aliquot ramos diviſos: in quorum faſtigio ad ſingula genicula longi naſcuntur *pediculi,* in quibus bini *flores,* quinq; laciniatis (præter reliquorum Geraniorum uſitatam formam) foliolis conſtantes, colore ſaturatiùs rubente, & quaſi atro, medium florem occupantibus multis *ſtaminulis* circumvolutis cum *ſtylo* prominente. *Semen* deinde ſuccedit in *vaſculis* mucronatis (quæ maturitate ut in reliquis Geraniis diſſiliunt & circumvolvuntur) fuſcum. *Folia* illi ex radice multa, ampla, mollia, lanugine obducta, externa parte nervoſa, Geranii βατραχώδους foliis ſimilia, quinis, ſenis aut ſeptenis profundioribus inciſuris diviſa, non tamen uſq; ad umbilicum, deinde per ambitum ſerrata, qualia etiam ad ſingulos nodos ſub ipſis ramis naſcuntur, minora tamen, atque ſubinde ad ſingulas inciſuras nigricantibus maculis inſignita. *Radice* nititur magnâ, in multa craſſa rubentiáque *capita,* & multas fibras ſpargentia, extuberante, ſingulis etiam annis augeſcente & novos ſtolones producente.

Locus. Invenitur in Stiriæ Alpibus ubi ſylvæ deſinere ſolent, & floret Junio; in hortis verò in quibus feliciſſimè provenit & luxuriat, Maio: quo etiam menſe ſuis floribus onuſtum in ſylvoſis illis montibus Pannoniæ inter Dravum & Savum ſitæ, & propterea Interamnis cognominatæ, obſervavit Cluſius.

Geranium hoc à vulgari fuſco, flore reflexo, quod in hortis noſtris alitur, ſpecie diverſum eſſe mihi perſuadere vix poſſum; adeò omnibus ſui partibus cum eo convenit præterquam flore non reflexo, ejuſq; petalis laciniatis. In vulgari autem interdum obſervavi floris petala ſinuata ad margines & veluti criſpa. Nobis ſuffragatur J. Bauhinus, quem conſule. Quid quod Parkinſonus noſter Geranio fuſco vulgari folia floris ad margines nonnihil inciſa tribuit.

Verùm ne duas diverſas ſpecies temere miſcuiſſe videamur, *Geranii fuſci flore reflexo* deſcriptionem è J. Bauhini hiſtoria mutuatam proponemus, ut liberum hac de re Lectori judicium relinquamus.

36. *Geranium phæum flore reflexo* J. B. *Geran. montanum fuſcum* C. B. *Geranium fuſcum ſive maculatum* Park. parad. *maculatum ſive fuſcum* Ger. **Duſky Cranes-bill.**

J. B.

Specioſum eſt apprimè hoc Geranii genus, *foliis* amplioribus quàm Batrachoidis, in octo plus minùs ſegmenta, anguſta in extremis, ſed versùs pediculum lata diviſis, ſubhirſutis, nigricantibus venis aſperſis, per ambitum latiuſculis crenis conſpicuis, nullo odore præditis. *Flos* ſummitatibus inſidet purpureus & pœnè fuſcus, ſatis magnus accedens ad florem Geranii folio odorato, qui inverſè contorquetur atq; reflectitur: in medio *apices*. Floribus decidentibus *roſtra* oriuntur unciam longa.

Folia huic ad ſingulas inciſuras nigricantibus maculis, ut in Ger. pullo flore *Cluſ.* inſignita ſunt: in univerſum deſcriptio iſtius apud Cluſium huic optimè quadrat, exceptis duntaxat duabus illis quas ſuperiùs meminimus differentiæ notis.

Plantam hanc in altiſſimo cacumine montis Juræ propè Thuiri ſponte ortam vidimus & collegimus. Floris color in planta quam in ſylvoſis montis Juræ cacuminibus obſervavimus, multo dilutior erat quàm Geranii phæi, & purpureus potiùs quàm fuſcus: totaque planta hirſutior quàm illa viſa. *Locus.*

37. *Geranium Romanum verſicolor ſive ſtriatum* Park. parad. **Variable ſtrip'd Cranes-bill.**

Park.

Pulchro huic Geranio *folia* à *radice* fibroſa exeunt plurima, lata, pallidè ſeu ex luteo viridia, in quinque aut ſeptem ſegmenta diviſa, verùm non ad centrum ſeu pediculum uſque, ut in *Ger. batrachoide.* *Folia* ſingula ad ſingulas inciſuras ſeu inciſionum angulos maculâ atropurpureâ inſigniuntur: in univerſum folia integra tam figurâ quàm colore & maculis *Ger. fuſci* foliis ſimillima ſunt, in eo duntaxat differunt quòd minora ſint. Inter folia exurgunt *caules* aliquot pedales & altiores, geniculati & nodoſi, in ſummitatibus ſuis duos tréſve flores proferentes, pentapetalos, albos, lineolis ſeu venulis purpuro-rubentibus creberrimis, flexibus arcuatis ſibi invicem occurſantibus, & quaſi per anaſtomoſes junctis, pulcherrimè variegatos, ut in quocunque folio viridi vix tot nervos diſcurſantes invenias. Medium floris occupat *ſtylus* exiguus, qui flore delapſo fit *vaſculum ſeminale.* *Radix* multis fibris exiguis, luteis conſtat.

* 38. *Geranium Moſcoviticum purpureum* Park. **Purple Cranes-bill of** Muſcovy.

Folia habet lata, in quinq; plurimùm ſegmenta diviſa, circa margines dentata, *Geranii fuſci* ſimilia, verùm tantillo minora, ad Geranii Romani ſtriati folia propiùs accedentia, ſed obſcuriùs viridia, & quibuſdam pariter maculis nigricantibus ad inciſurarum angulos notata. *Caulis* ad bipedalem altitudinem aſſurgit, agminulis aliquot *florum* majuſculorum è purpurâ cœruleorum aut rubentium onuſtus. *Semina* ſuccedentia Romani verſicoloris ſeminibus tantillo majora. *Radix* in plura capita dividitur quibus propagatur: verùm folia omnia hyeme amittit, quo à reliquis congeneribus diſtinguitur.

Hanc ſpeciem in Moſcovia ſponte provenientem *Joannes Tradeſcantus* primus in Angliam intulit. *Locus.*

39. *Geranium Bohemicum, batrachioides annuum.*

Semipedali altitudine aſſurgit. *Folia* longiſſimis inſident pediculis, Geranii fuſci quodammodo ſimilia, verùm minora, pallidiùs virentia, molli & incana lanugine utrinque obſita. *Caules* in binos dividuntur ramos, ad quos hinc indè apponitur folium, éq; ipſo divaricationis angulo pediculus longiſſimus exit, bicornis, binos in ſummitate *flores* geſtans, pedicellis privatis uncialibus ſuſtentatos, purpuro-cœruleos, ſaturatioribus lineis purpureis ſtriatos, petalis latis, obtuſis, crenâ in medio inciſâ bifidis & velut cordatis. Flores delapſi relinquunt *roſtra* uncialia, craſſiuſcula, in mucrones acutos ſenſim tenuata, per maturitatem nigricantia, quorum baſes circumſtant utriculi quini, ut in reliquis congeneribus, turgiduli, pariter nigricantes, totidem *ſemina* fuſca, majuſcula reniformia continentes. Semine ad maturitatem perducto planta ipſa radicitus exareſcit. In ramulis ad ſingulos nodos bina apponuntur folia, ex eorum autem ſinubus pediculi alternatim exeunt, non bini oppoſiti, ſenſim breviores ad ſummitatem uſque.

Floribus delapſis tum *caules* ſummi, tum præcipuè florum calices pulchrè rubeſcunt.

* 40. *Geranium Alceæ veſicariæ foliis* Park. *Geranii Bætici ſpecies Boelii* Ger. emac. app.

Goodyer.

Multa huic è radice exeunt *folia*, lata, circa margines dentata, paululum diſſecta aut diviſa Geranii Cretici in modum, verùm pallidiùs virentia & minora; inter quæ exeunt *cauliculi* ſeu ramuli plures oblongi, teretes, infirmi, piloſi, in alios minores diviſi, folia prædictis ſimilia geſtantes, ſed minora, nec magis diviſa. [Parkinſonus folia Alceæ Venetæ ſimilia, ſed magis diviſa ei attribuit.] *Flores* parvi, Geranii moſchati ſimiles, verùm ſaturatiore purpura tincti, quinque petalis parvis extremo ſubrotundis compoſiti. *Semina* parva, oblonga, piloſa Roſtri Geranii moſchati æmuli baſin ambiunt. Radix oblonga, lignoſa, perfecto Semine vigore exhauſta unà cum ſuperficie exareſcit, & interit.

Hæc ſpecies Geraniis Alceæ ſeu Malvæ folio annumeranda eſt.

CAP.

CAP. VIII.

De Goſſipio ſeu Xylo.

Goſſipium ſeu Xylon duplex eſt arboreum & herbaceum. Theophraſtum lanigeræ arboris in Tylo inſula naſcentis nomine arboreum intellexiſſe veriſimile eſt, ut & Plinium. Erráſſe ergo videntur Botanici nonnulli ipſi, dum Plinium & Theophraſtum erroris inſimulant, quaſi Xylon herbaceum peregrinam & incognitam ſibi ſtirpem pro arbore habuerint. Horum ſententias vide apud J. Bauhinum.

Xylon recentioribus Bombax & Cotoneum dictum eſt, ut Ruellio videtur à mali cotonei ſimilitudine. Cæterum Xylon tum foliis, tum etiam flore Alceam Indicam dictam refert; vaſculo ſeminali in terna tantùm loculamenta diviſa, & molliſſima lanugine candida ſeminibus intermixta aut adhærente repleto.

1. *Xylon ſive Goſſipium herbaceum* J. B. *Goſſipium fruteſcens annuum* Park. *Goſ. fruteſcens ſemine albo* C. B. *Goſſipium ſive Xylon* Ger.

J. B.

Brevis vitæ herbaceum Xylon *caule* cubitali vel altiori, ligneſcente, cortice rubente hirſuto tecto, in ramos aliquot breves diducto, *foliis* vitigineis, primaria diviſione triplici, Aceris minoris folia æquantibus hirſutis, ex pediculis duas tréſve uncias longis, piloſis. *Flores* diluta flavedine pallidi, & circum oras umbilicíque ſinum eleganti rubore purpuraſcentes, figurâ florum Malvæ. *Fructum* fert barbulis quibuſdam florem tegentibus incluſum, amplitudine Nucis Avellanæ, per maturitatem in tres vel quatuor fragiles atque punctatas carinas dehiſcentem, qui molliſſimam delicatiſſimámque oſtendunt lanuginem in fila ductilem, cui involvuntur ſemina ſtrobilis ſupparia, tenero fragilíque cortice, cui lanugo pertinaciter adhæret, nucleo intus dulci. Ipſe fructus unciâ longiore pendet pediculo, ex calice craſſiuſculo emergente. Carinæ ſingulæ ſingulum interſtitium interne in medio ſui ſecundùm longitudinem habent, quaſi ante maturitatem in fructus meditullio coiviſſent.

Locus. In Creta inſula, Lemno, inter Hieroſolymam & Damaſcum magnâ copiâ ſeritur, ubi pleni agri conſpiciuntur, magníque ex eo fiunt reditus. Seritur & hac ætate in Cypro, Melita & Sicilia inſulis, ubi copioſiſſimè provenit, quemadmodum & in regno Apuliæ. *J. B.* In Campaniâ Felice obſervatum fuit à *D. Tancr. Robinſon.*

Solum amat tenue magis quàm pingue; ſolum utique ſiccum, non aliter habiturum Melitæ arvum. Miratus ſum hoc quanquam calidius ſolum eſt, fimo miſceri ab agricolis & ſtercorari, quum ſole ſtatim inareſcant omnia. Vere ſeritur, nec niſi probè madefactum, & in arvo ſtatim reſtibili [illo enim agrum pingueſcere ferunt] mox aratum integitur crate, vel raſtro quod ſupertrahunt: ſuo ſeritur tempore, & runcatione quadam inutilibus herbis liberatur tam manu quam ſarculo. Dum vellitur tunc pluvias horrent *J. B.* è Quintino, qui plura habet. Certe inſulæ Melitæ ſolum ſicciſſimum eſt & ſatis calidum, nam tota inſula nihil aliud eſſe videtur quàm rupes ingens pauca terra cooperta, nec frumenti ferax ſed hordei tantum; ex Aniſi, Cumini, ſed præcipue Xyli proventu quæſtum uberrimum faciunt: hujus enim 14000 Cantaras annuatim divendunt & in exteras regiones tranſmittunt. Cantara autem Melitenſis 116. libras Anglicas æquat.

Vires & Uſus. Quod ad uſum attinet, nullum Lini genus eſt quod huic candore & mollitie præferatur (inquit J. Bauhinus) quanquam firmitatis in eo parùm eſſe videatur. Hallucinantur autem nonnulli putantes Bombacem arte dealbari, nam naturâ candidiſſima cùm lavatur non accipit (quod nec poteſt accipere) aliquid albedinis, ſed è contra amittit magnam partem nivei candoris, ſecus quàm Linum, quod quò ſæpius lavas eò candidius efficis.

E Cotone autem Camiſiæ, femoralia, aliæque veſtes fiunt; eâque lanugine paſſim hodie utuntur ad farciendas veſtes, fovendi caloris ergo.

Quod ad uſum in medicina attinet, Uſta ſiſtit ſanguinis profluvia, & præſertim in vulneribus. Seminis medulla tuſſientibus & difficulter ſpirantibus mirificè auxiliatur; genituram quoque auget, proinde venerem ſtimulat. Oleum è ſeminis medulla expreſſum lentigines, alphos & cæteras cutis infectiones delet, palpebrarum quoque aſperitates lenit. Lanugo accenſa, & naribus ſubdita uteri ſtrangulatus avertit.

Ægyptii lanugine Xyli arborei (nam herbaceum apud ipſos non ſeritur) utuntur, linearum peciarum loco quibus noſtri tantùm utuntur ad ulcera vulneraque omnia ſananda. Adhibetur & ipſa, ut noſtri faciunt ad fluentem ſanguinem ſiſtendum. Seminis quoque mucilagine uſus eſt frequentiſſimus ad omnes febres ardentes, atque venena eroſionem ventriculo & inteſtinis inferentia. Ad tuſſientes ex acrium ſalſorúmque humorum deſtillationibus plurimus apud eos uſus.

Semina in Xylo herbaceo nobis obſervata Strobilis multo erant minora, & ordinatè poſita, non tamen cohærentia, neque nigra ut in Xylo Braſiliano.

* 2. *Xylon arboreum* J. B. Park. *Goſſipium arboreum caule lævi* C. B.

Veſling.

Ad decem uſque cubitorum altitudinem creſcit, ſtipite ramíſque duris lignoſis. *Folia* ramulis inſident violaceo tinctis, quæ perfectiùs adulta quinque velut laciniis profundiùs diviſa reperiuntur, è quibus tum inferiores duæ, tum ſuperior & longior exiguo folii additamento auctiores habentur. Florem illum diluta flavedine pallidum, &c. (qui in vulgatiore Xylo notatur) in hoc vaſtiore Goſſipio videre non contigit, ſed glomum tantùm laneum Pomi magnitudine intra vireſcentem membranam collectum, quâ denticulatis veluti ſegmentis hiſcente, Gallica nive candidior fœtus, in auras eluctatur. Is interiore bombyce maturior *ſemina* continet fuſco colore umbroſa, non uvarum congeſtu invicem contigua, ſed intervallis ſuis nonnihil dirempta. Foliis glabris à Xylo herbaceo differt, adnotante J. Bauhino, qui plantam adoleſcentiorem quam à Zuingero habuit in horto enatam deſcribit.

* 3. *Xylon Braſilianum* J. B. *Aminüa Braſilienſibus, Luſitanis Algodon* Marggrav.

Marggr.

Excreſcit ferè in magnitudinem Coryli, ligno molli, cortice ferè ut Sambucus. *Folia* tenera & mollia, ſuperiùs dilutè viridia, inferiùs ſaturatiora, in tres lacinias ſecta, quarum quælibet ſuum nervum & venas habet. Hinc indè inter tria foliola profundè ſerrata & punctulata, ſimilia foliolis quæ Avellanas virides circundant, provenit elegans *flos*, major Roſa, conſtans quinque foliis latis, eleganter flavis, interiùs in medio unguibus purpureis, habens in medio *ſtamen* flavum, tuberculis ejuſdem coloris inſignitum. Poſt florem ſequitur ovale corpus magnitudine Pruni una extremitate acutum inſtar coni, & tribus lineis notatum, & in totidem partes ſeparabile, viride, nigris punctulis in externa ſuperficie variegatum; quam autem maturuerit fuſcum eſt, & ſponte diſſilit in tres partes, & ex qualibet trium capſularum prominet albiſſimum Goſſipium, in cujus quolibet flocco continentur ſeptem nigri fructus, magnitudine ſimul Piſtaceorum, & ejuſdem planè figuræ, ſub cute ſua nigra habentes nucleum carne alba flaveſcente conſtantem, pingui inſtar Amygdalæ, dulcis ſaporis.

J. Bauhinus hujus fructum exactiùs deſcribit his verbis: In fructu grana duobus verſibus, quos lanugo xylina vulgari ſimilis intercedit, diſtincta, obliquè per ſuperficies planas, ſine ulla lanugine media, inter ſe incubitu diſpoſita, oblonga, ſtrobilorum formâ, minora, nigra, glabra, bombace ut in xylo herbaceo toto grano non adhærente, quorum extremum agmen granum unum ſingulare cogit: intus cuticula membranea priori ſubjacens exalbida, medullam continens candidam, pinguem, dulcem ut in vulgari. Seminibus nigris, arctè junctis ſeu conglomeratis à præcedentibus manifeſtè differt, ut non opus ſit plures diſtinctionis notas exquirere.

Ab hoc arbore diverſa videtur Bombax Indica *Ponæ Ital.* quæ caulibus eſt ſpinoſis, *foliis* in ſeptem lacinias Staphidis agriæ modo diviſis; quamvis C. Bauhinus eas conjungat, & ſub titulo Goſſipii arborei caule ſpinoſo utramque comprehendat. Nam ſpinarum apud Marggravium nulla mentio, * nec, ut puto, apud Lerium, qui, ut ex nomine Braſiliano & deſcriptione apparet, eandem cum Marggravio plantam intelligit.

* *Quia Lerius ad manum non eſt.*

* 4. *Xylon Malabaricum* Cudu-pariti *dictum*.

Arbuſcula eſt duorum hominum altitudine; *radice* pinniformi, cortice albicante tecta, fibras emittente, ſtipite duos in ambitu palmos craſſo, cortice communi cum corculo in medio ligni. *Folia* ſunt inſtar manûs in quinq; digitos ſeu foliola oblongo-anguſta & cuſpidata inciſa, mediâ laciniâ longiſſimâ, dein mediæ utrinque proximâ, craſſitie mediocri, ad tactum lenia, colore utrinq; ex viridi fuſco, coſtis quinque ex viridi albicantibus lacinias medias percurrentibus. *Flores* in ſummis ramulis præcedentium ſimiles tum formâ tum colore, ſed qui magis ad virorem vergit, minores cæteris, in averſa parte venis minùs eminentibus ſtriati, minimè vero aſperi, minùs quoq; ſe criſpant: in inferiore parte colli, in umbilico roſâ purpuro-obſcuro-rubrâ notati ſunt. E medio emicat *ſtylus* albicans, penicillo ſtaminulorum tenuium & rubrorum, *apicibus* flavis & lunularibus inſignium circundatus, ſuperiore parte quâ ſupra penicillum eminet albicante. *Calyx* rotundus, arctus, viridi-albicans, & punctulis ex viridi fuſcis notatus, ac ad inferiorem partem tribus foliis viridibus, grandiuſculis, oblongis, cuſpidatis, quæ ſingula quatuor vel quinque cuſpidibus anteriùs eminent, & nervulis in exteriore parte in longum ſtriata ſunt, circumamictus. *Flores* ut in reliquis, cùm per aliquod tempus aperti fuere, rubeſcunt, aut in rubro-perſicum colorem mutantur. Capſulæ ſeminales trilateræ ſunt, & in ſummitate ſtrictæ ac cuſpidatæ, lateribus nonnihil rotundiolis, viridi dilutis, quæ punctulis lacunoſis viridi-fuſcis effoſſa, ac in angulis ſulco ſtriata ſunt in inferiore parte à calyce arctè apprehenſæ, conſtántque cortice craſſo ac duriuſculo, qui odoris eſt inſtar fructus Mangæ Indicæ: in iis tria loculamenta ſunt per interſepimenta membranacea, quæ ſingula è medio cujuſque lateris oriuntur, & in medio ſtylis lignoſis concurrunt inter ſe diſtincta, continentia ſingula in ſe tria quatuórve *ſemina*, ac denſa filamenta candida, lanuginoſa, quæ ſemina arctiſſimè ac densè involvunt. *Semina* oblongo-rotundiola ſunt, colore in cortice primùm albicante, deinde fuſco, nucleo intus albicante, ſaporis nonnihil ardentis & acris. Ex filamentis candidis Goſſipium conficitur.

In arenoſis naſcitur, & per totum annum floret. *Locus.*

Folia trita & cum lacte vaccæ mixta in unctione capitis adhibita ſomnum conciliant, atque eodem etiam modo ſedant dolorem capitis ac ejus vertiginem. Fructus triti, & in aqua epoti fluxui dyſenterico ſiſtendo conferunt, ſerviúntque pro ſulcis oris. *Vires.*

CAP. IX.

De Alcea Indica dicta.

HÆ plantæ à Malvis quocunque nomine notis toto genere differunt, ſuumque ac proprium genus conſtituunt: adeo ut, ſi res integra eſſet, patrio potiùs nomine Pariti quam Alceæ eas appellarem.

Earum notæ ſunt Folia Malvacea, Flos amplus, pentapetalos, fundo purpureo alióve ſaturatiore colore tincto; vaſculum ſeminale majuſculum, in quinque loculamenta diviſum, ſeminibus intus reniformibus.

• 1. *Althæa Sida dicta quibuſdam* J. B. *paluſtris* C. B. *paluſtris Cytini flore* Lob. Park.

J. B. Ad.

Folium habet circumſcriptione Abutili putati, ex rotundo in acutum mucronem deſinens, delicatum, molle, villoſum, & per ambitum ſerratum. *Flos* magnus, pentapetalos, Malvæ roſeæ florem æquat, oblongus in ſicca planta, ſtaminibus in medio longis, colore præditus, ut volunt Adverſaria, purpureo, ſaturatiore quam Pæoniæ, aut Malvæ ſativæ aut Cytini. Juxta & in ſummis cauliculis viſuntur tempore vindemiarum utriculi rotundi, oblongi, phæo vel pullo colore, Ariſtolochiæ effigie, prægnantes Smyrnii ſemine, aut Milii colore & magnitudine. *Radix* hortenſis Malvæ; *caulis* cubitorum duorum.

Dodonæo fructus tuberoſus, rotundâ ferè ac globoſâ, quinquangulari tamen ſpecie [& in quinq; partes per maturitatem dehiſcens.]

Locus. Camerarius ad trajectum Ameſis fluvii propè Anguilaram in Italia copioſiſſimam obſervavit.

2. *Alcea Indica parvo flore* C. B. *Ægyptia* Cluſ. *Bamia* J. B. *Bamia ſeu Alcea Ægyptia* Park. parad. *Alcea Ægyptiaca* Ger. emac.

Cluſ.

Rotundo aſſurgit *caule*, recto, vireſcente, ſeſquicubitali, cui inhærent nulla etiam ſerie diſpoſita *folia*, circa infimam quidem caulis partem Malvæ foliis pænè ſimilia, in tres potiſſimas lacinias diviſa minùs profundas, & in ambitu ſerrata: à medio verò caule ad ſummum in quinque profundas lacinias inſtar foliorum Sabdariffæ minus tamen altas tectæ, dilutiùs virentia. *Flores* in alis naſcuntur, Sabdariffæ quidem formâ & colore ferè ſimiles, palleſcentes videlicet, minores tamen ſed non minùs fugaces. His ſuccedunt craſſiuſcula; longa pentagona, villis obſita, & mucronata *capita*, rectà ſecundùm caulem ſurrecta, quæ in quinque per maturitatem ſegmenta diſſiliunt; è quorum uniuſcujuſque medio ſecundùm longitudinem intergerinus paries enaſcitur, unum utrinque verſum annexum habens ſeminum, Orobo minorum, rotundorum, cortice craſſiuſculo, nigro, criſpo, pulpâ albâ dulci. *Radix* in aliquot fibras ſparſa, non vivax tamen; nam primæ etiam pruinæ totam plantam corrumpunt.

Locus. Alpinus frequentiſſimam in Ægypto naſci tradit.

Bamia Æthiopica ſiliqua decagona *Cluſ.* app. alt. capitis tantùm magnitudine, quod quatuor uncias longum erat, & decem angulis præditum à præcedente fortè differt.

3. *Alcea Ægyptiaca villoſa* C. B. *Balmuſcus Ægyptia Honorio Bello* J. B. *Alcea Ægyptia moſchata* Park. *Ab el moſch ſeu Moſch Arabum* Veſling.

Veſling.

Seminis odorati fragrantiâ moſchum provocat. Surgit à *radice* multiplici copioſè quaquaverſum venulis diffuſâ, *caule* ſingulari, amplo, ſurrecto, cubitalem menſuram altitudine conſueta facilè ſuperans, qui juxta cum ramulis ſuis rotundis, ab ipſa protinus infantiâ albicantibus veluti pilis hiſpidis caneſcit. *Folia* impari magnitudine, ad contactum aſpera Bammiæ foliis non tantùm majora, ſed profundioribus etiam laciniis ſecundùm oras, & frequentibus ſinuoſa. His *flores* ſuccedunt aurea flavedine decori, quinque in ſtellam diviſis petalis radiantes, productis ſinu *ſtaminibus* appendices aureos adjungunt. Floribus tandem fato rerum cedentibus ſeminum cuſtodes capſulæ ſeſe proferunt, rotundum ambitum inducta nigredine obfuſcantes, in quibus illa tenuem ſuaviſſimúmque ſpiritum prodigè exhalantia ſpermata conſervantur, puſilla quidem, ſed compacta, quæque in ſinum utrinq; recurvata, levi amaritudine guſtantium linguam imbuunt.

Vires. Inter Ægyptios hodie ſatis nota eſt hæc planta. Seminis leviter exiccati pulverem Caovæ admiſcent, ut roborandi capitis, ventriculi, cordiſque majorem acquireret efficaciam. Sabetis etiam intemperant ſalubri effectu, quibus ſumptuum tenuitas Ambræ Moſchíve uſum denegavit.

Ab-el-moſch & ſimpliciter *moſch*, non *bel moſch*, ſemen autem aſpiratione adaucto *Hab-el-moſch*, i.e. granum moſchi ab Arabibus appellatur.

Cur Moriſonus noſter Abel-moſch Ægyptiorum *Ponæ* ab Alcea Ægyptia *Park.* ſeparet rationem non video; cùm ipſe Parkinſonus eas conjungat.

Moſch, i. e. Bammia moſchata Alpino in Exoticis dicitur.

4. *Alcea arboreſcens glabra, Ketmia dicta* J. B. *Althæa frutex* 2. Cluſ. *Alcea arboreſcens Syriaca* C. B. *Althæa frutex flore albo vel purpureo* Park.

Cluſ.

Fruticis modo aſſurgit ſtolonibus lignoſis, cortice nigricante obductis, quali etiam veſtiti rami in quos ſtolones dividuntur: his nullo ordine diſtributa adnaſcuntur *folia* anguloſa, in paucas lacinias diſſecta, in ambitu ſerrata, ſupernè admodum viridia, infernè quodammndo palleſcentia. Summis ramis innaſcuntur *flores*, Roſæ inſtar ampli, elegantes, quinque foliis conſtantes, albis, quæ multis purpureis venis prædita ſunt. Ungues purpurâ floridiore quàm in Sabdariffæ flore infecti. Ex umbilico prodeunt multa ſtamina flava, & ſtylus albus multifidus.

Hujus flores (inquit C. Bauhinus) è rubro purpuraſcunt, at vetuſtate ad cœruleum colorem vergunt: habetur etiam flore candido.

C. Bauhinus (ut aliàs diximus) Althæam fruticem 3. *Cluſ. hiſt.* erronei hujus ſpeciem facit flore minore, cùm plantæ ſint toto genere diverſæ.

Hæc eſt quæ in hortis noſtris Althææ fruticis titulo ſtudioſè colitur, ob floris venuſtatem.

* 5. *Alcea hirſuta flore flavo & ſemine moſchato.* Marggr.

Marggr.

Ex ſemine ſato primò ſurgunt duo foliola Nummulariæ æmula, dein provenit *caulis* rotundus, unâ parte viridis, alterâ ruffus, hirſutus, duos circiter pedes altus, craſſitie pennæ anſerinæ. Hinc indè in pediculis quatuor, quinq; aut etiam ſex dig. longis, hirſutis, uno latere viridibus, altero rufeſcentibus, *folia* appoſita circinata, quinquangularia, in ambitu ſerrata, hirſuta, ac parum rugoſa, quædam & triangularia, duos dig. longa & totidem lata, atque etiam minora: quinq; nervis è centro ubi pediculus inſeritur procedentibus, in exortu rufeſcentibus, ſecundùm longitudinem prædita, & multis venulis variè intertexta. Ad pediculos foliorum unus atque alter enaſcitur pediculus brevior cum foliis minoribus, & in pediculo duos dig. longo *flos* inodorus, magnitudine & figurâ ferè floris Goſſipii, elegans, quinq; petalis conſtans, ſeſquidigitum longis, lætè flavis, ac flavis venulis ſecundum longitudinem conſpicuis, interiùs ungues foliorum inſigniter ex rubro & brunno purpuraſcunt, ut & exteriùs ubi pediculo inſeruntur: in centro floris eſt *ſtamen* erectum, ſemidigitum altum, flavum, cui ſuperiùs quinque clavi infixi ſuis cuſpidibus, brunni ſeu purpurei coloris. Flores ſe aperiunt bihorium aut trihorium ante meridiem, & ſtatim à meridie corrugantur & decidunt. Poſt florem provenit corpus *pentagonum* & turbinatum, duos & ſemis digitos longum, hirſutum, interiùs in quinque cellulas diſtinctum; in qualibet duodecim, tredecim, aut quatuordecim grana ordine leviter adhærent. *Semen* autem eſt figurâ Lunæ gibbæ, aut renis ovilli, exteriùs griſeum, quaſi leviter ſtriatum, interiùs albam ſubſtantiam habens, odorem fragrantiſſimum Moſchi referentem ſi maſticetur. *Radix* longa, alba, lenta, in multos ramulos & filamenta diſperſa, ità ut longitudine ſua plantam æquet, & profundè inſeritur terræ.

Colitur in hortis. Sevi (inquit Marggr.) ſexto Aprilis & floruit fine Auguſti & Septembri, & tulit *ſemen* copioſum.

Alceæ Venetæ ſeu Malvæ horariæ C. bonæ ſpei affinis & ſimilis eſt.

6. *Sabdariffa ſeu Alcea Americana* Park. *Bamiæ aliquatenus affinis Sabdariffa* J. B. *Alcea Americana* Cluſ. *Alcea Indica magno flore* C. B. *Sabdariffa* Ger.

Cluſ.

Caulem habet rectum, ſtriatum, purpuraſcentem, binos aut ternos cubitos altum vel etiam altiorem, ſi in horto pingui ſolo ſeratur, quem ab imo multa ambiunt viridia *folia*, nulla obſervata ſerie, hinc inde ſparſa, infima ſerrata quidem in ambitu, ſed non laciniata, quæ medio cauli inhærent in tres lacinias dentatas diviſa, ſuprema autem in quinque, Cannabinorum foliorum inſtar, diſſecta, ſummo faſtigio velut in gemmularum & anguſtiorum foliorum ſpicam deſinentem. Singulares fert in ſingulis alis calices, molliter echinatos, è quibus exit *flos* magnus, quinq; foliis præditus, coloris ex albo palleſcentis, quorum ungues ſatura & nigricante purpura, radiatim in folia ſe ſpargente infecti, ut in Malva horaria. Floris umbilicum occupant multa *ſtamina*, *apicibus* flavis prædita, & ſtylus medius ſupernâ parte ramoſus, albus. Floribus valdè fugacibus (nam ἐφήμεροι ſunt) ſuccedunt brevia, echinata, acuminata *capitula*, pentagona, interius villis albis obſita, *ſemen* continentia qualè ferè Stramoniæ. *Radix* multis candicantibus fibris utplurimum conſtat, ſed non eſt vivax, apud nos ſaltem, quibus rariſſimè fert ſemen: ſiquidem ſub Autumni initium floret. Solis orientis radiis delectari videtur & frequenti irrigatione.

7. *Alcea veſicaria ſive Veneta* Park. *peregrina* Ger. *veſicaria* C. B. *Alcea ſoliſequa, multis Veneta* J. B. *Malva horaria vulgo.*

J. B.

Candidiſſimam ſed tenuem, fibratam agit *radicem*, *caulibus* dodrante altioribus, teretibus, aſperis & hirſutis, cujuſmodi ſunt & pediculi quibus appenduntur folia, Alceæ vulgaris æmula, in tria ſegmenta ſinuata ſubdiviſa, ſuperiùs atro-virentia, inferiùs remiſſiùs colorata, ſed magis piloſa, guſtu viſcido & lento. *Flores* quàm Alceæ vulgaris minores, ſed peregrinâ elegantiâ acceptiores, ex luteo herbidi, unguibus purpurantibus, quorum medium occupat cuneolus, apicibus croceis & coccineis ſtipatus, quibus circumjicitur utriculus membranaceus hirſutus, ſtriatus, quinis thorulis à medio ſurſum versùs radiatus. Nec ſemen nec vaſculum ſeminale deſcribunt, ſed proculdubio cum ſequentis vaſculis & ſemine conveniunt, & revera parum intercedit diſcriminis inter totas plantas, niſi quod hac illa elatior & erectior ſit.

Quamvis nonnulli plantam hanc Italicam & Venetam dicant, fruſtra tamen in Italia nedum Venetiis eam alibi quàm in hortis quæſiveris.

8. *Alcea Veneta Capitis bonæ ſpei, potiùs Alcea veſicaria C. B. ſp.* **Hour-Mallow, from the Cape of Good-hope.**

Caulem erigit in ſolo lætiore cubitalem, teretem, firmum, ſpinulis rarioribus aſperum, *foliis* per intervalla veſtitum ſingularibus, pediculis longis innixis, Alceæ æmulis, in tres lacinias inſigniores diviſis, ſupernè atrovirentibus, pilis brevibus & vix conſpicuis per nervos hirſutis. E foliorum alis ſinguli exeunt pediculi, palmares *flores* ſuſtinentes quinq; petalis amplis compoſitos, ochroleucos, unguibus obſcurè purpureis, *ſtaminulis* in medio pluribus, confertis, apices croceos ſuſtinentibus. Exterior margo uniuſcujuſque petali externè è purpura rubet. *Calix* floris amplus ſtriatus in quinq; ſegmenta acuta dividitur, quæ & antequam flos aperitur, & poſtquam decidit, connivent. Delapſo autem flore calix in veſicam grandem, ſtriatam, hirſutam, ut in Solano veſicario, intumeſcit, quæ *ſeminis conceptaculum*, contegit & occultat, grande, oblongum, hirſutum, per maturitatem nigricans, in quinq; cellulas ſecundùm longitudinem diviſum, quarum unaquæq; duos *ſeminum* ordines continet per maturitatem ex cœruleo nigricantium, figurâ ferè ſeminum Alceæ vulgaris. Calicem ambit ceu vallum quoddam, foliorum anguſtiſſimorum acutorum circulus. Ex alis foliorum ad latus pediculorum flores ſuſtinentium exeunt rami propè terram prælongi, ad humum reclinati.

Circa meridiem, ſplendente ſole, uvidâ præſertim tempeſtate, flos aperitur, & poſt unam vel alteram horam iterum clauditur.

Alcea Veneta flores habet punctatos, circulis albis inter ſe diſtinctos; Africana purpureos, punctis inter ſe non ità diſtinctos: obſervante D. Hermanno Botanices Profeſſore Leydenſi. *D. Palmer.*

* 9. *Alcea Braſilienſis, Quingombo Luſitanis dicta, Congenſibus & Angolenſibus Quillobo.* Marggr.

Marggr.

In duorum aut trium pedum altitudinem aſſurgit, *caule* craſſo, rotundo, hinc inde nodoſo & ruffo: pediculos protrudit variis locis alternatim poſitos, ſex aut ſeptem dig. longos, partim ruffos, partim virides, quorum quilibet ſuſtinet *folium* laciniatum, in quinq; lacinias ſectum, ac toto ambitu ſerratum, magnitudine ferè ſimile folio Ficûs, ſuperiùs obſcurè, inferiùs dilutè virens ac ibidem nervum ruffum ac venas virides habens. In ſuperiore caule, in pediculis brevibus craſſis tres aut quatuor magni naſcuntur *flores*, quinq; foliis roſaceis majoribus conſtantes, ſulphurei coloris, unguibus brunno-purpureis, qui intus & extus apparent: in medio ſtamen craſſum, ſulphureum apicibus flavis & ſummitas ſtaminis purpurea. *Fructus* ejus pericarpium eſt tres digitos longum, pyramidale, novangulare, initio viride, per maturitatem fuſcum, conſtans albâ & parùm glutinosâ carne, cortice craſſo inſtar Mali Aurantii; intus in octo loculamenta longa diviſum; in quovis duplex ordo ſeminum rotundorum magnitudine ſeminis Cannabis continetur, & quodlibet granum ſuo petiolo eſt appenſum.

Pericarpium hoc viride odoris eſt leguminoſi, & ſaporis ſubdulcis. Coquitur totum cum aquâ & coctum comeditur cum oleo, aceto & pipere: quo immaturius eò melius ad coquendum.

Radix alba eſt haud magnæ molis, multas radiculas & filamenta habens, lenta & nullius manifeſti ſaporis.

Flore & foliis cum ſupradictis Alceis Indicis convenit, fructu ab eiſdem differt.

* 10. *Corchorus Plinii* C. B. *Corchorus ſive Melocia* J. B. Park. *Melochia* Alpini. *Corchorus* Ger. *Olus Judaicum nonnullis.*

J. B.

* *Veſling.*

Cubitali, lævi *caule* hanc plantam obſervavi; *foliis* Cynocrambes ferè vel Mercurialis, majoribus, duarum aut trium unciarum longitudine, ſeſcunciam lata, per ambitum ſerrata, quæ parte ima barbulam utrinque unam, ſeu apophyſem ligulæ inſtar tenuem poſſident [* Folia circa laterum exortus corniculato quodam additamento recurvata ſunt, quorum extrema in purpureum cincinniſq; contortum filamentum attenuantur.] *Siliquæ* brevi pediculo hærent ſingulares, quatuor aut quinq; uncias longæ, ſtriatæ ſtriis ſubluteis, ſenſim ad mucronem uſque attenuatæ, in quinque ſecundùm longitudinem portiones dehiſcentes, ſemen claudentes copioſum, cinereum anguloſum, parvum, guſtu viſcidum. *Flores*, teſte Alpino, parvi ſunt, crocei, Leucoiis minores, quinq; petalis latis, brevibus, mucronatis compoſiti.

Locus.

Ægypti indigena eſt hæc herba.

Vires & Uſus.

In cibis nihil eſt ipſa Ægyptiis familiarius, vel gratius: decoquunt enim in aqua vel jure carnium: ex ejus tamen eſu multi malè ſe habent, nam parum nutrit & ſuccum viſcidum gignit, ex quo in difficiles obſtructiones incidunt qui eam in cibo frequentant. Atteſtatur Veſlingius, inquiens, Ferculum ex decocta Melochiâ paratum omnino plebeium ſapit, viſcidum, guſtui fatuum, niſi à multo, ut ſolet, Limonum ſucco condimentum accedat. Semina ſunt in maximo apud Ægyptios uſu ad omnes affectus quibus ſemina Althææ conducere compertum eſt; habet etiam majorem viſciditatem ejus mucilago quàm Althææ: pondere ℥ij ſumpta copioſiſſimè purgant omnes humores. Eſt autem totius plantæ, vel maximè foliorum decoctum pectori amicum, ipſum enim humectat, ex quo ſiccis aſperiſque tuſſibus præſentaneum cum Sâccharo candido eſt auxilium. *Alpinus.*

* 11. *Alcea Javanica arboreſcens flore pleno rubicundo* Breynii. *Schem-Pariti* Hort. Malab.

Breyn.

Frutex peramœnus jucundùſque eſt, ad pergulas texendas valdè idoneus, in Roſarum excreſcens altitudinem, qui compluribus obſequioſis, tenuibus & lentis, Liguſtri in modum, divaricatur viminibus: per quæ *folia* cernere licet longis innitentia pediculis, auriculas circa caulem habentibus, lævia, tenera, lætè virentia, digitorum tres vel quatuor tranſverſorum longitudine, latitudine duorum triùmve, craſſo modo in ambitu dentata, Alceæ junioris Syriacæ figurâ; aut ſi minora tantùm conſideres cum *Gelſemini Indici flore phœniceo* Ferrarii foliorum extremis lobis tam formâ quàm conſiſtentiâ admodum convenientia. E ramorum extremitatibus & foliorum proximorum ſede alabaſtri circa tempus floriferum germinare incipiunt virides ſtriatique, longis ſuffulti petiolis, & à baſi uſque ad medium foliolis anguſtiſſimis, veluti cancellis ità obſepti, ut calyculos eorum geminos jure meritóque exiſtimare poſſis. Horum alabaſtrorum ſinguli cum maturitate in quinq; lacinias dehiſcentes, *florem* admodum ſpectabilem & amplum, Alceæ arboreſcentis Syriacæ ſimilem, petalis quinq; rubicundis conſtantem, expandunt: cujus medium occupat triuncialis ferè *ſtylus*, crocis pavonino in apice coronatus, & ad imo uſque ad ſummum modò multiplici foliorum fœtu luxurians, modò quinis quaterniſve foliis triplici, quadruplici aut numeroſiore ſerie ità cinctus, ut flos vel denſiſſima foliorum compage omnino plenus, vel quaſi tres, quatuor, aut quinque flores, alii ex aliis enati ſpectaculum intuentibus jucundum oblectationémque præbeant.

Variat floris colore carneo peramœno.

Utraque in hortis Indiæ colitur.

Satis convenit cum Roſa Batavico-Indica Modoru, ſeu Malva fruteſcente Bontii, excepta multiplicitate floris, quod proculdubio accidentarium & individuale eſt.

* 12. *Malva Roſea arborea Indica* Park. *Roſa Sinenſis Ferrarii.*

E *radice* albida, lignoſa, in ramos ſparſa, numeroſis implexiſque fibris ad ſummam uſque tellurem capillata *caudex* pallidus, ſimplex & lævis, frequentibus ſubinde diſtinctus oculis, aſſurgit, ſumma parte in ramos frondentes latè exporrectos diviſus, materie Ficulnæ inſtar candida & carnoſa. *Folia* per intervalla bina oppoſita alterno ordine caules veſtiunt, magnitudine pampineis, aſperitate ficulneis, figurâ utriſque, aut potiùs hederaceis anguloſis conſimilia, ſed tamen crenata, in ipſa rotunditate angulos ac ſinus habent: ſuperiore parte herbido virent colore, inferiore candicant: ramoſis utrinq; nervis ac venis ex viridi pallentibus diſtinguuntur: ſua ipſa utrinque lanugine aſperantur: aſperis itidem craſſis, prælongis, ac ſæpe palmaribus, primò virentibus, tum ſuperiore parte pediculis ſubrubentibus nituntur: ante Solſtitium hybernum defluunt.

Secundo à ſatione anno non rarò floret. Florum pediculi, qua præſertim parte Solem aſpiciunt, ſubrubicundi, quà calycibus annectuntur craſſiores, tandem panduntur foliaceas in ſtellas, octonis deniſve virentibus iiſque planis radiis florum calyces excepturus, quinis compactiles & quaſi criſtatos eminulis commiſſuris, ſæpius quinquepartitos, & in pateræ formam nonnihil ſinuoſos: quibus inſidentes flores ad Batavæ roſæ amplitudinem ſeſe expandunt, colore primùm lacteo extimis foliis intimorúmque nonnullorum oris ſubrubentibus varia ſerie foliorum ramuloſis rugis criſpantium ſpecioſi, tripliciſque coloris viciſſitudine ſpecioſiores, primò ſcil. lactei; Albo deinde rubróque temperati coloris ſunt; tandem purpurei evadunt: de qua colorum mutatione fusè rhetoricatur Ferrarius; quæ tamen non uſque adeo inſolita eſt in floribus, ut miraculo ſit; cum & nos in Echii ſcorpioidis & in Pentellariæ Rondeletii floribus eundem aut ſimilem obſervavimus, à colore ad colorem tranſitum; ut in earum hiſtoriis monuimus.

Variat interdum hic flos ſimplici quinque foliorum ſerie.

Floris caput ſeu globulus pediculo adhæreſcens, inter 5 florum calycis jam aridas foliaceas lacinias, ad ejuſdem adulti calycis magnitudinem extumidus, eminulis pulvinorum toris orbiculatim ſtriatus, canaliculis in ſumma imâque parte ſtellatam in figuram coeuntibus, aridi præterea colore folii, qui ex viridi inclinat in flavum decoloratur, brevíque ſubalbido pilo hiſpidus inhorreſcit. At verò totus interior folliculus candicat: Sex circiter carinata loculamenta [natura potiùs, ut ſuſpicor, quinque] intercurſantibus membranulis diſcriminantur, quæ ſtrias inter exortæ in duriuſculam mediam cartilaginem coeunt. Interſepta membranis concava pars lanugine denſa longiuſcula & candidâ pubeſcit. Pediculi alba cuſpis ad medium uſque folliculum pertinet, cui media cartilago adhæreſcit; huic *ſemina* ipſa numeroſiſſima, rufula, minutula, rotundè longula, modicè incurva, & quâ parte gibbum habent piloſa, æqualis longitudinis petiolis albicantibus ac tenuiſſimis, acutiore ſui parte liratim adnectuntur. In uno tantùm folliculo tria & ſexaginta ſupra centum numeravi, ſex in loculos ſive ſinus pari ferè numero diſtributa.

Semen hujus ex Occidentali India miſſum eſt, nomine Fuyò.

Tum foliorum figura, tum florum colore à Javanica ſuperius deſcripta Alcea Breynii, & à Malabaricis proximè deſcribendis differt, ut ab omnibus ſpecie diverſam putem.

* 13. *Alcea Malabarica Abutili folio, flore majore, ex albo flaveſcente: Bupariti Malabarenſium.*

Arbor eſt excelſa, denſis opaciſque frondibus, caudice hominis amplexum ſuperante, ligno albicante molliore velut Abietis, verùm nullis venis undulato, medullâ itidem molli, cortice Tiliæ. *Folia* petiolis longis, teretibus, viridibus, tenuibus appenſa cordis formam æmulantur, magnitudine unius palmi & amplius, in oblongam & anguſtam cuſpidem producta, textura molli & ſolida, plana & glabra, ſupernè viridia & parùm nitentia, ſubtus dilutiora, tribus coſtis conſpicuis à petiolo ad margines excurrentibus, quæ in ſupina ſeu adverſa folii parte eminent, ſed in averſa ſeu prona magis. Odore & ſapore carent tum foliă, tum etiam cortex & lignum. *Flores* è foliorum ſinubus exeunt, pediculis longis, campaniformes, quinque petalis oblongo-rotundis, calyci arcto, rotundo, profundiolo & craſſo, ex viridi fuſco, margine quinquepartito, inſident, coloris ex albo flaveſcentis, qui nonnihil ad virorem vergit, odoris nullius; petala ſupra ſe invicem convoluta ſunt, exteriùs venis ſeu nervis eminentibus in longum ſtriata, & ad idem latus in parte inferiore valdè aſpera, ſúntque ad calycem craſſiola, anteriora versùs tenuia, rugis valdè criſpa & contracta, & cum unguiculis versùs unam partem inflexa: inferiùs in collo flores roſâ inſigniti ſunt, purpureo-rubicundo-fuſca, quinque foliorum, quæ ſingula in ſingulis unguiculis foliorum diſtinctè notata ſunt. *Stylus* medium occupat ſtriatus, albicans, penicillo numeroſorum ſtaminulorum, tenuium, albicantium, *apicibus* lunulatis flavis dotatorum cinctus, ſupra quem digito ferme tranſverſo eminens tortuosè inflectitur. Flores poſt aperturam ex albo magis & magis flaveſcunt, & ſpatio trium dierum ex fuſco rubeſcentes contrahuntur & decidunt. Floribus deciduis *capitula* flavo-rotunda & pentagona in conſpectum veniunt, in calyces florum profundè demerſa, habéntq; latera nonnihil introrſum inflexa, ſúntque per interſepimenta intermedia in longum diſtincta in quinque capſulas, quæ ſingulæ per intermediam eminentem corticis ſuturam in duo loculamenta diviſæ ſunt, *ſemina* continentes oblonga, trilatera, uno latere rotundo, in quo argenteo lanuginoſo cortice circumdata ſunt, coloris ſpadiceo-fuſci nucleo intus albicante.

In arenoſis naſcitur, & per totum annum flores fert ubere proventu. *Locus.*

Capitula inciſa flavum gummoſum liquorem, *Guttæ Gambæ* ſimilem, ſaporis autem & odoris debilis ac ſylveſtris exudant. Lignum ad conficienda muſicorum inſtrumentorum opercula adhibetur. Folia ulcerum ſanationi ſerviunt iis applicata. *Uſus.*

14 *Alcea Malabarica, Abutili folio, flore minore ex albo flaveſcente, exterius ſubaſpero: Pariti ſeu Tali-pariti Malabarenſibus.*

Altitudine eſt trium fermè hominum, caudice unius hominis amplexu minore; *radice* fibris capillaceis in latum ſe diffundente; ramis fuſco cortice, interiùs viridi, tectis; *Foliis* ſolitariis in petiolis mediocribus, teretibus, craſſiuſculis, viridibus, supernè etiam rubeſcentibus, præcedenti latioribus & rotundioribus, pariter cuſpidatis, ad petiolum oris per inciſuram diductis, tenuiſſimis crenulis per margines inciſis, textura ſolidiore, & craſſiore, ſuperne ex viridi fuſcis, ſubtus albicantibus, lanuginoſis & lenibus inſtar *Veluti*: [Coſtæ mediæ & nervorum in foliis diſcurſum videſis apud autorem.] *Flores* in ſuperiore ſurculorum parte è foliorum alis egrediuntur, petiolis uncialibus, craſſa & viridibus, forma & colore præcedentis ſimiles, verùm minores, & in exteriore parte ſubaſperi, nec tantopere ſe criſpant ac corrugant; in inferiore parte colli, non roſâ quinque foliorum, ſed maculâ grandi rotundâ, purpureo-rubro-valde fuſcâ notati. *Stylus* albicantibus & ſubflavis gemmulis ſeu glomis circundatus eſt, in ſummitate quà ſupra glomos eminet, nodo oblongo craſſo, & purpureo rubro & valdè fuſco extuberat. *Calyx* quinque foliis viridibus, cuſpidatis oblongis, in medio coſta eminente in longum ſtriatis, decem minoribus cuſpidatis arctè comprehenſis conſtat, pede craſſo digitali ſubjecto, qui inferiùs duobus parvis, cuſpidatis & viridibus foliis ad inflexuram petioli cui annexus eſt, ſuccingitur. Floribus delapſis è calyce erumpunt *Capitula* oblongo-rotunda, à foliis calycis; quæ tum colore Perſico ſunt, fermè in totum comprehenſa, pilis minutis albicantibus obſita, in longum quinque lineis ſeu ſulcis ſtriata, ac in quinque capſulas ſeminales per membranas intermedias diſtincta.

Vires. Flores triti cum lacte mulieris auribus induntur pro doloribus capitis.

CAP. X.

De Melanthio ſive Nigella.

MElanthium, Gith Plinio, Recentioribus Nigella à ſeminis colore nigro dicta, foliis tenuiter diſſectis, flore magno, conceptaculo itidem ſeminis magno, membranaceo, in plura loculamenta, quinque plurimum, diviſo, ſingulis loculamentis ſumma parte corniculatis, à reliquis pentapetalis diſtinguitur.

1. *Nigella flore majore pleno cæruleo* C. B. *Nigella Damaſcena flore multiplici* Park. *Melanthium capite vel calice & flore majore pleno* J. B. **Double blue Nigella, or Fennel-flower.**

Radix ei lignoſa, lutea. *Caulis* pedalis aut cubitalis, tenuis, teres, ſtriatus, concavus, glaber, rigidus, obſcurè viridis, ramoſus. *Folia* per intervalla alternatim cauli adnaſcuntur nullis pediculis, [Quæ à radice exeunt latiora ſunt, & pediculis longis inſident] anguſta in tenues lacinias Umbelliferarum ferè in modum diviſa, [aut Conſolidæ regalis]: Singulæ autem laciniæ in acutos mucrones deſinunt. In ſummis caulibus & ramulis *flores* ſingulares, ſpecioſi, calicis loco quinque foliis, iis quæ in caule ſimilibus, obvallati, plurimis petalorum laciniatorum ordinibus compoſiti, ex cæruleo pallido albicantes, petalis interioribus circa margines & lacinias herbaceis. *Stamina* numeroſa cœrulea herbaceis apicibus donata *capitulum* circumſtant ventricoſum, membranaceum, velut veſicam quandam inflatum, in quinque plurimum loculamenta diviſum. Singulis loculamentis bini inſunt ordines *ſeminum* majuſculorum, oblongorum, rugoſorum, nigrorum. Quot autem in unoquoq; pericarpio ſeminum conceptacula ſeu loculamenta ſunt, totidem ejus ſummitati innaſcuntur cornicula arietinorum in modum contorta.

2. *Nigella anguſtifolia flore majore ſimplici cæruleo* C. B. *Melanthium capite & flore majore* J. B. *Nigella ſylveſtris ſive Damaſcena inodora* Park. *Melanthium Damaſcenum* Ger.

Cum præcedente cætera convenit, *flore* ſolo differt, qui huic ſimplici quinque foliolorum ſerie conſtat, ex cœruleo albicantium: medium occupant multa *ſtamina apicibus* viridantibus cum pericarpii rudimento, quæ omnia cingit corolla ex bulgulis operculatis, melleum liquorem continentibus.

3. *Nigella arvenſis cornuta* C. B. *arvenſis* Park. *Melanthium ſylveſtre* Ger. *ſylveſtre ſive arvenſe* J. B.

J. B.

Huic cum Melanthio Damaſceno magis quàm cum ullo alio convenit, ſed longè ſtrigoſius natales ſuos teſtatur, ad palmarem aut dodrantalem magnitudinem pertingens, caulibus modò ſimplicibus, modò à radice ſtatim, (quæ ramoſa) lignoſis, ſtriatis: Folia Anethina, vel potiùs Damaſcenæ Nigellæ, ſed non ità læta, rara, in tenuiſſima filamenta diſſecantur. *Flores* ſtellati quinque foliis conſtant, colore cœruleo vel pallente, luteæ Nigellæ floribus non majores, nullis foliorum tenuium barbulis ut Damaſcenum ſuffulti. Hiſce ſuccedunt *capitula* Aquilegiæ, quinis corniculis, in diverſa quidem ſuperiùs abeuntibus, ſed à medio ad imum uſque connatis. *Semen* nigrum, exigui odoris.

Locus. Per Germaniam, Italiam & Galliam Narbonenſem inter ſegetes paſſim invenitur.

Nos quidem cùm per iſtas regiones peregrinaremur, hanc pro ſpecie à Melanthio Damaſceno flore ſimplici diſtincta non habuimus, ſed quicquid diſcriminis intercederet culturæ deberi putavimus, non tamen curioſè animadvertimus, an foliolis illis viridibus diſſectis florem calicis loco ſuffulcientibus careret nécne, quorum carentia differentiam pluſquam accidentalem arguere videtur. Parkinſonus reperiri in hoc genere tradit quæ folia illa viridia florem obvallantia obtineat. Cluſius illi [Cretico] non valdè diſſimilem ſi non eandem inveniri ſcribit in arvis poſt demeſſas ſegetes, totâ Pannoniâ, Auſtriâ, reliquâque Germaniâ & Belgio.

4. *Nigella flore minore ſimplici candido* C. B. *Melanthium calice & flore minore, ſemine nigro & luteo* J. B. *Melanthium* Ger. *Nigella Romana ſive ſativa* Park.

Folia latiuſculâ diviſurâ, licet ſingula interim ſegmenta culmum latitudine non æquent, medium percurrente ſemper nervo, ſtriatis pedalibus *caulibus* hærent. *Flores* ramorum extremis hærent ſingulares, ex albo pallentes, minores quam cœrulei, è quinque foliis compoſiti, multis apicibus medium occupantibus, *capitulúmque* cingentibus, quod delapſo flore minus quoque apparet quàm in Damaſceno, quinque aut ſex corniculis præditum, ſemine refertum anguloſo luteo, vel nigro, odorato.

5. *Nigella flore minore pleno & albo* C. B. *Melanthium capite minore, flore multiplicato* J. B. *Nigella flore albo multiplici* Ger. *citrina flore albo multiplici* Park. parad.

J. B.

Ex *radice* exili ſimplici *caulis* ſurgit ſingularis cubitalis & ſeſquicubitalis, teres, ſtriatus, hirſutus, inanis, in alas diviſus: alternatim *folia* oriuntur longis carinatis pediculis appenſa, colore ex viridi in luteum vergente, diviſurâ multò latiore quàm in vulgari Melanthio, hirſuta. *Flores* ex albo herbacei coloris, multiplici foliorum ſtipatu pleni, *apicibus* multis herbidis, & pentagono hexagonóve capite, in totidem cornicula inflexa ſupernè diviſo, quod intercurſantibus internè membranis plenum eſt ſemine nigro, odorato ut vulgaris.

Nigella latifolia flore pleno, quam in hortulo noſtro coluimus ſemine eſt citrino odorato, capitulis minoribus cute ſeu membrana craſſiore quàm Nigellæ Damaſcenæ tectis, corniculis primò rectâ aſſurgentibus, deinde aliquantulum inflexis.

* 6. *Nigella Hiſpanica flore amplo* Ger. emac. *Hiſpanica flore ſimplici* Park. parad. *latifolia, flore majore, ſimplici cœruleo* C. B.

C. B.

Ex *radice* tenui, oblonga, flaveſcente *caulis* cubitalis, rotundus, viridis & lævis, in ſummo ramoſus exurgit: *foliis* ad radicem tenuiſſimè laciniatis, in caule verò aliquando in latiores partes, aliquando inferiorum inſtar tenuiſſimè diviſis: *flores* autem quàm in cæteris ampliores ſunt, pentapetali, petalo quolibet unguem æquante, ſupernè eleganter cœrulei, inverſa parte pallidi, venis elatis percurrentibus. Floribus ſuccedunt *capita* pentagona hexagonáve, dura, in totidem cornicula in latera reflexa ſupernè diviſa, quæ membranis internè intercurrentibus *ſemine* ſubnigro inodoro plena ſunt. [Capitulum circumſtant ſeptem aut octo floſculi cœruleo-virides hiantes *Park. Ger.*]

* 7. *Nigella Cretica* C. B. *Melanthium ſimplici flore Creticum* Cluſ. *Nigella Cretica inodoro ſemine* Park.

Cluſ.

Hujus prima *folia* Delphinii foliis non multùm diſſimilia ſunt, anguſtiora tamen. *Caulis* deinde brevis emergens, [cubito minor *C. B.*] paulò ſupra radicis caput in plures ramos dividitur, tenues & teretes, bipedalis vel amplioris longitudinis, valdè infirmos & vix ſe ſuſtinere valentes, quibus innaſcuntur rara *folia*, paucis inciſuris prædita: dividuntur rurſum illi rami in alios minores ramulos, qui ſinguli ſingularem ſuſtinent *florem*, in quinque folia plurimùm diviſum, è viridi candicantia initio, ut Nigellæ vulg. deinde exalbida, poſtremò cœrulei nonnihil contrahentia, mucronibus interim ſuam viriditatem retinentibus: è floris medio exit caput in quinque, ſex, ſeptem deſinens cornua, inſtar cornuum hirci intorta ut in vulgari Nig. & in ambitu frequentia *ſtamina* viridia quorum *apices* cœrulei: infra ſtamina porro ſuper ipſis foliis expanſa recumbunt octo alia foliola bifida, pari diſtantia ab invicem ſejuncta, quorum petiolus cum ſua baſi cœruleus eſt, binæ tranſverſæ venæ fuſcæ; quod inter venas medium eſt è viridi flaveſcit. *Radix* etiam flaveſcit inſtar radicis Nigellarum, [longiuſcula, tenuis, parùm fibroſa *C. B.*] nec vivax eſt, ſed hyeme perit.

Cluſius plantam hanc Nigellæ arvenſi valdè ſimilem ſi non eandem ſcribit.

* 8. *Nigella Cretica latifolia odorata* Park. Ponæ Ital. *alba ſimplici flore* Alpin. exot.

Park.

E *radice* fibris capillata, luteſcente, annua *caulis* exit ſingularis, tenuis, infirmus, in aliquot ramos diviſus, foliis longis obſitus, in partes ſeu ſegmenta aliquot diviſis, non tamen, ut in reliquis hujus generis, Fœniculi aut Delphinii modo inciſis, ſed in lacinias multò latiores, Senecionis aliquatenus ſimiles, verùm minores & tenuiores. Summos ramulos terminant *flores* ſingulares, albi, reliquarum Nigellarum ſimiles; *capita* quoque ſimilia ſuccedunt, *ſeminibus* nigris, odoratis repleta.

* 9. *Nigella Cretica altera odorata, tenuifolia* Park. *Cretica folio Fœniculi* C. B.

Park.

Radices huic duriores ſeu lignoſiores eſſe dicuntur quàm cæteris generibus, annuæ tamen: *caules* plures, recti, tenues, *foliis* paucis veſtiti, in plures alas diviſi. *Flores* minores è pallido albicantes. *Semina* anguloſa, nigra, acria & nonnihil odorata in vaſculis parvis quodammodo bipartitis baccas duas parvas referentibus.

Vires. Semen Nigellæ præcipuè in uſum medicum venit: in mucilagine ſcil. pulmonum reſolvenda & expectoranda, lacte augendo, urinâ ac menſibus ciendis, morſibus venenatis corrigendis. Specificè, in febribus quartanis & quotidianis. Extrinſecùs crebri uſûs eſt in Cephalalgia ſedanda, catarrhis exſiccandis, in cucuphis, epithemat. &c. applicatum. *Schrod.*

Radix ſiſtit proprietate ſua hæmorrhagias, ſi dentibus maſticetur, naribúſque imponatur. *Idem.*

Exprimitur ex ſemine iſto oleum, quo imperiti Pharmacopœi plerique pro oleo Nardino non abſq; gravi utuntur errore.

Viride excrementitiam humiditatem plurimam habet, ob quam non niſi cum periculo intus ſumitur, ut Tragus monet. Ideò (inquit Caſp. Hofmannus) ut ſemen Carui poſt ablutionem laborioſè ſiccari debet; ità Melanthium quoque. Quam ob cauſam frictum potiùs quàm crudum in Catarrhis & Coryzis uſurpatur, Frixa aut uſtulata incredibili ſucceſſu in Catarrho aut Coryza uſurpatur: in his caſibus commendo hunc nodulum. ℞ Sem. Nigellæ toſt. Tabac. ſtyrac. calamit. ana ℈j, ambræ griſeæ gr. ij. M. ac inde ſyndoni rubræ. F. l. a. nodulus ſubinde naribus admovendus. *Sim. Paulus.*

Ad amiſſum odoratum, ℞ Nigellæ Romanæ q. ſ. redigatur in pulverem, & cum oleo veteri ſubigatur in mortario. Ex hoc liquore, capite ſupino & ore aquâ pleno immitte in nares attrahendo ſpiritum. *Galenus.*

Nobiliſſimam Dominam à gravi Coryza liberavi, poſtquam ei illud errhinon, cujus in hiſtoria Majoranæ facta eſt mentio, commendavi hunc nodulum, ℞ Sem. Nigellæ toſti ℥ſs. Abelmoſch, Carvi folior. Majoranæ ana ʒij. Styrac. calamit. Tabac. ʒj. Ambræ griſeæ gr. vij. Olei ligni Rhodii gut. iij. M. F. l. a. nodulus, quo poſtea catarrhis valdè obnoxia ſe ab eis præſervavit. *Sim. Paulus.*

Nigellæ flores, quamvis cœrulei ſint, ſi manibus chartæ aut linteo eos affrices colorem pulchrè viridem reddunt. *D. Merret. Obſerv. in Anton. Neri* p. 338.

Cap. XI.

De Lino.

Linum à Græco λίνον, à quo non aliter differt quàm modulo ſyllabæ: nam priorem Græcis corripit, Latinis producit. Sæpe utuntur Græci pro rebus è Lino confectis, ut pro Linteis ac velis.

Lini notæ genericæ ſunt vaſcula ſeminalia ſubrotunda, in decem loculamenta totidem ſemina continentia diſpertita, ſemina melina plerunque, flores caduci.

A. 1. *Linum ſativum* Ger. emac. C. B. Park. *Linum* J. B. **Manured Flax.**

J. B.

Tenui *radiculâ* nititur, paucis fibris donatâ: *caule* tereti, plurimùm ſimplici, inani, tenui, glabro, cubitum aut ſeſquicubitum alto, alis circa ſummum diviſo. *Folia* acuminata, culmum lata, uncias duas plus minùs longa, alternatim aut potiùs nullo ordine cauli appoſita, mollia, glabra. *Flores* cœrulei, pentapetali, petalis extremo ſubrotundis, ſtriatis, è *calicibus* in quinque ſegmenta acuta diviſis, pediculis tenuibus longiuſculis inſidentes, admodum caduci. *Capitula* ſuccedunt rotunda, [Ciceris magnitudine, in quibus ſemina decem continentur, loculis in circuitu propriis diſtincta, depreſſa, in angulum acutum deſinentia, ſuperficie valdè lævi & ſplendente, mellei coloris *Cæſ.*] J. Bauhino fuſci.

In agris ſeritur tam in Anglia, quàm in tranſmarinis regionibus.

Vires & Uſus. Plinius procœmio Libri 17. de Lini uſu ad vela navium agens, in qua (inquit) non occurrit vitæ parte? quódve miraculum majus? herbam eſſe quæ admoveat Ægyptum Italiæ? herbam eſſe quæ Gades Herculis columnas ſeptimo die Oſtiam afferat, & citeriorem Hiſpaniam quarto, Provinciam Narbonenſem tertio, Africam altero? Audax vita, ſcelerum plena, aliquid ſeri ut ventos procellaſq; recipiat: & parum eſſe fluctibus ſolis vehi: denique tam parvo ſemine naſci, quod orbem terrarum ultrò citróque portet, tam gracili avena, tam non altè à terra tolli: neque id viribus ſuis necti, ſed paſſum tuſúmque & in mollitiem lanæ coactum, injuriâ naturæ ac ſummâ audaciâ.— At nos priore libro imbres & flatus cavendos frugum cauſâ fructûſque præmonebamus, ecce ſeritur hominis manu, metitur ejuſdem ingenio quod ventos in mari optet. Hæc Plinius, quibus addit J. Bauhinus, At quanta cenſenda eſt velorum ex Lino utilitas, ſi ad reliquum Lini uſum per omnem vitam conferatur? Hoc loti detergemur, hoc ſordidi defricamur. Ex hoc facta veſte totum corpus ad cutem integente omnes interdiu veſtimur, noctu ſtragulis indè factis incubamus ac integimur. Ruſticana gens [in Germania] utriuſque ſexûs pallia & tunicas ex ipſo geſtat, & mundus muliebris magna ex parte ex hoc conſtat. Sed omnes has neceſſarias vitæ utilitates facilè ſuperat Linum chartarum dono. Hæ ex ipſo penitus detrito & nullius ampliùs uſûs rejiculo fiunt, tot hodie ubique officinis, ut multa hominum millia ex præparandi chartas opera, in papyraceis (ut vocant) molendinis ſe nutriant. His chartis & literarum notis omnes bonæ artes, leges, tota Philoſophia, & vitæ piè ac rectè agendæ rationes excipiuntur, conſervantur. Harum utilitatem vix animo quis concipere poſſit, nedum pro dignitate explicare, quantumvis longa inſtituta oratione. Hactenus Bauhinus.

Liber impreſſus ex ſolo Lino conſtabit, ſi papyrum ad nigredinem uſtam, & oleo Lini incraſſato miſtam pro atramento utaris. *Michael Mayerus in luſu ſerio.*

Quantas injurias, quot tormenta hæc herba præ aliis omnibus ab hominibus patiatur, legat qui volet *Goropium Becanum* luculenter & rhetoricè demonſtrantem. *Hermath. lib.* 3.

Quidam olim Galeni tempore utebantur ſemine Lini toſto pro obſonio cum garo, item melle admixto. Sed flatuoſum eſt, inquit, ſtomacho incommodum & ægrè concoquitur. Quod paucis abhinc annis Middleburgi in Zelandia (inquit Tragus) animadverti potuit, cùm propter frumenti aliarúmque frugum inopiam plerique ex civibus pane & cibis ex hoc coctis veſcerentur. Diſtenta enim his valdè citò hypochondria fuerunt, & facies aliæque partes tumidæ factæ, quorum non pauci ſic affecti etiam mortui ſunt.

Oleum Lini, quod ex ſemine ejus exprimitur, multiplicem uſum habet, neq; enim à pictoribus aut ſtatuariis, aliiſve artificibus expetitur ſolùm, vel ad lucernas tantùm utile eſt, ſed etia mmedico uſui ſervit. Nam & duritias omnes emollit, nervorum tenſiones contractionéſque laxat, dolores illitum ſopit. *J. B.*

In Angina & Pleuritide, alii addunt Phthiſi & Colica, datur nonnullis bibendum: verùm cum cautela ut recens ſit. *C. Hofman.*

Oleum Lini eſt magnarum virium in peripneumonia, phthiſi, doloribus colicis. Ego multoties in pleuriticis doloribus nihil melius expertus ſum quàm Oleum Lini propinatum: hoc enim ſtatim reſpirationem facilitavit ſputúmque promovit: in hæmoptycis etiam idem Ol. exhibui cum optato ſucceſſu: Conſolidat enim partes affectas vi ſua balſamica & emplaſtica. *Ephem. Germ. An.* 6. & 7. ex Obſervatione *D. Raygeri*, Obſ. 209.

Oleum Lini partes habet adeò ſubtiles, ut in fictilibus ſervari nequeat quin exudet. *Michael Meyerus de luſu ſerio.*

Atramentum typographicum è fuligine lampadis & Oleo Lini componitur.

Silex politus ſi in Oleo Lini coquatur duritiem invictam acquirit, unde terendis iis quæ opus eſt in tabula marmorea evadit aptior. *J. B. in hiſtor. fontis & balnei Bollenſis, ex relatione D. Lutz Pharmacopæi Kirchenſis.*

Tumores ventris feliciſſime curantur ab Olei Lini uſu. *Ephemer. German. An.* 3. 216.

2. *Linum arvenſe* C. B. *ſylveſtre vulgatius* Park. *ſylveſtre, ſativum planè referens* J. B. **Common wild Flax.**
Trag.

Sativum planè refert formâ, niſi quòd caules habet & folliculos craſſiores, & majores, & in ſummo ſurculis multis brachiatos. Maxima autem inter hæc duo Lini genera in eo conſiſtit differentia, quòd folliculi ſylveſtris Lini calore Solis non aperiuntur perinde ut alterius: nam quamprimùm exſiccati Sole fuerint, excutere ſemen ut aliarum frugum oportet, autore *Trago*.

Inter ſegetes Avenæ reperitur. *Locus.*

* 3. *Linum perenne majus cœruleum, capitulo majore* Moriſ.

Non alias in deſcriptione notas ponit quàm in titulo poſuerat.

* 4. *Linum perenne minus cœruleum, capitulo minore* Moriſ.

Hoc *caules* emittit non rectos ut præcedens, ſed reclinatos, foliis anguſtioribus cinctos: flores & capitula quadruplo minora producit.

* 5. *Linum ſylveſtre latifolium hirſutum cœruleum* C. B. *ſylv. latif. hirſut. flore cæruleo* J.B. *ſylv. latifolium* Ger. *ſylv. latif. cæruleum* Park. *ſylv. latifolium* 1. Cluſ.
Cluſ.

Ex eadem *radice*, quæ craſſiuſcula eſt & candicans, unicum, interdum plures profert *caules*, modò pedali, nonnunquam etiam majore altitudine aſſurgentes, craſſos, firmos, hirſutos, ſuperiore parte in plures ramulos diviſos. *Folia* quæ eos ambiunt reliquis generibus majora, venoſa, hirſuta, minimum digitum lata, gummoſo guſtu; deinde amaricante. Ramuli ab infimo ad ſummum *floribus* onuſti omnium maximis, Malvæ vulgaris ferè æmulis, cœrulei coloris, aut vegetioris aut dilutioris, cum quinque internis *ſtaminulis* apicem habentibus: quibus ſuccedunt *capitula* dura, mucronata, quinque foliolis ſive apophyſibus incluſa & comprehenſa, quæ maturitate hiant, *ſeménq;* continent ſativo Lino ſimile, latum, nigricans, ſplendens. *Radix* perennis eſt & vivax, ſingulis annis repullulans, cauliculóſque etiam ante hyemem proferens tenellos, foliis multa lanugine hirſutis onuſtos.

Frequens eſt multis Pannoniæ ſuperioris & Auſtriæ inferioris locis editioribus & ſiccioribus gramineis tamen: loca particularia vide apud Cluſium. Floret Junio & Julio: ſemen maturum Auguſto. *Locus.*

* 6. *Linum ſylv. latif. hirſutum candidum venis in umbilico purpureis* C. B. *ſyl. latif. lanuginoſum, flore candido, purpureis lineis ſtriato* J. B. *ſylv. album purpureis venis* Park. *ſylv. latifolium* 2. Cluſ.
Cluſ.

Pedales, graciles, lanuginoſos ternos aut quaternos ab una radice promit *caules*, in quibus Lini latiuſcula *folia*, trinervia, ad Aſcyri formam ferè accedentia, nec multùm à prioris foliis diſcrepantia, lanuginoſa. Extremi cauliculi in binos aut ternos ramulos diviſi, & Heliotropii majoris quodammodo inſtar circumflexi, pleni ſunt *floribus*, qui ab imo aperiri incipiunt, Lini florum diviſurâ, ſed majoribus, ſuperiori ferè æqualibus, candidis, quos multæ purpureæ venæ interſcindunt.

dunt. *Semen* & *capitula* Lini ſimilia. *Radix* perennis eſt, craſſiuſcula, longa, candicans, raris fibris ſepta.

Locus. Apud Luſitaniæ urbem Colibriam celebri Academiâ claram hanc ſtirpem duntaxat obſervare meminit Cluſius.

* 7. *Linum ſylveſtre minus* C. B. *Linum pumilum, foliis ſemper binis, albo flore, vel luteo pallente* J. B. *Chamælinum perpuſillum* Ger.

Cluſ.

Exili, rotundo, dodrantalíque aut paulò majore aſſurgit *cauliculo*, quem adverſo ſitu, ut in Hyperico, bina ſemper amplectuntur folia, Lini ſativi foliis ferè paria. Supremus cauliculus in aliquot ramulos dividitur, qui in oblongis pediculis exiguos floſculos albos proferunt, luteis intus *ſtaminulis*. Floſculis ſuccedunt parva *capitula*, Lini vaſculis non abſimilia, minora tamen, in quibus ſemen. *Radix* tenuis, aliquot exilibus fibris donata eſt, ſed an perennis & rediviva ignoro.

Locus. Provenit in herboſis collibus & montanis Auſtriæ atque Pannoniæ: floret Junio & Julio. Pedale & erectum vidit *D. Magnol* in herbidis montis *Capouladou*, juxta fluvium *Herau* Julio menſe florens: *folia* anguſtiſſima habet, *flores* velut in umbella diſpoſitos, luteos, parvos: aliud invenit palmare Julio menſe in herbidis *à la Garrigue de Perauls*, quod forte Linum perpuſillum *Lob. Obſ.*

8. *Linum ſylveſtre cæruleum folio acuto* C. B. prod. *ſylveſtre anguſtifolium cæruleo amplo flore* Botan. Monſp.

C. B.

Caule eſt pedali, rotundo, lignoſo, ſtatim ad exortum in ramos palmares diviſo: quos *folia* atrovirentia baſi latiore alternatim cingunt, & in exquiſitiſſimum & veluti aculeatum mucronem deſinunt. Ramorum ſummitatibus * cauliculi multi, quaſi in umbella diſpoſiti, *calices* aliquot apicibus donatos ſuſtinent, è quibus *flores* magni, cœrulei, in medio ſtaminibus donati, prodeunt, quibus *vaſcula* ſubrotunda ſuccedunt.

** Potiùs pediculi.*

Locus. In ſaxoſis Provinciæ non longè Maſſiliâ provenit. Variis in locis ſterilibus circa Monſpelium Junio menſe cum flore reperitur, ſed præcipuè in via quà itur *Grabels*, propè prædium dictum *la Tevilliere de Maſſanes*.

9. *Linum ſylveſtre anguſtis & denſioribus foliis, flore minore* C. B. *ſylveſtre* 4. *anguſtifol.* 1. Cluſ. *ſylv. anguſtifolium flore minore* Park. *ſylv. tenuifolium* Lob. Ger.

Cluſ.

Complures ſunt huic *cauliculi*, teretes, firmi, pedalis longitudinis, virides, frequentibus foliolis, Lini ſativi ſimilibus, ex viridi ſubcœruleis onuſti, ſummo faſtigio in aliquot ramulos diviſi, quibus inſident *flores* intenſè cœrulei, ſativi Lini floribus ſimillimi, quinque in medio *ſtaminula*, totidémque *apices* ſeparatos continentes. *Semen* in capitulis craſſioribus, ſubrotundis, Lino ſativo non minoribus, nigrum, oblongum, planum, ſativi ſemini ferè par. *Radix* candicans eſt, perennis, aliquantulum fibroſa, amariuſculi guſtûs, deinde ſuavis, acrimoniæ particeps.

Locus. Variis circa Viennam Auſtriæ locis naſcitur, præſertim in gramineis acclivitatibus & juxta vias. Floret Maio & Junio interdum etiam tota æſtate, ſemen verò maturum eſt Julio.

Linum ſylveſtre anguſtifolium foliis rarioribus *C. B.* deſcripto idem videtur, ex ſententia D. Tho. Johnſoni Gerardi emaculatoris.

Huic perſimile eſt ſi non idem

A. 10. *Linum ſylveſtre cœruleum perenne noſtras.*

Cui *radix* altè depacta, perpetua: *caules* ex eadem radice plures, in terram reclinati, pedales aut longiores, ſaturatiùs virentes. *Folia* brevia, acuminata, cauli concoloria, unciam circiter longa, modicè lata, Lini ſativi ſimilia, crebra, nullo ordine poſita. In ſummis caulibus *flores* pentapetali, Lini ſativi, cœrulei ſaturatioribus lineis ſtriati, unguibus flavis. Succedunt capitula Lini ſativi, paulò minora, non exactè rotunda ſed nonnihil ſurſum productiora.

Locus. In agro Cantabrigienſi ad margines ſatorum in collibus *Gogmagog* dictis copioſè provenit.

In Catalogo Plantarum Angliæ hoc genus habui pro ſequenti ſeu Lino ſylveſtri anguſtifolio flore magno *C. B.*

* 11. *Linum ſylveſtre anguſtifolium flore magno* C. B. *ſylv.* 5. *anguſtifolium* 2. Cluſ. *ſylv. floribus albis* Lob. Ger. *ſylv. anguſtif. cæruleo vel albo flore magno* Park.

Cluſ.

Dodrantales, nonnunquam etiam pedales, habet *cauliculos*, graciles, firmos, rectos: *folia* ſativi Lini, anguſtiora, dura, mucronata, virentia, amaricantia: *flores* in ſummis cauliculis multos, magnos, quinque foliis albis præditos, circa umbilicum quinque purpureis lineis diſtinctos, totidem ſtaminibus, & quinque ſeparatis apicibus ex medio umbilico prodeuntibus, odoratos: *Semen* in rotundis vaſculis planum, nigricans, ſplendens, ſativo Lino ſimile: *radicem* candicantem, duram, aliquot fibris donatam, perennem & ſingulis annis novos cauliculos proferentem.

Locus. Magnâ copiâ naſcitur toto Viennenſi agro, pleriſque aliis Auſtriæ & Pannoniæ editioribus locis, atque ſecundùm publicas vias. Floret Junio, ſemen perficit Julio & Auguſto. Junio & Julio menſibus copioſum reperit *D. Magnol* cum flore in ſterilibus herbidis circa *S. Martin* verſus montem Lupi.

12. *Linum ſylveſtre anguſtifolium flore quaſi cinereo, capitulis magnis* J. B. *Lini ſylv.* V. *Cluſii varietas.*

Cluſ.

In Auſtriacis Alpibus, præſertim verò Sneberg, aliud genus invenitur, huic omnino ſimile, cauliculorum & foliorum gracilitate & tenuitate florúmque formâ & radice: in *florum* duntaxat colore eſt differentia, qui nivei non ſunt, ſed cœrulei in candidum langueſcentes, & quaſi cineracei. *Capitula* etiam floribus ſuccedentia longè ampliora, nec minora quàm in ſativo. Florebat iſthic ſub finem Junii. *Semen* extremo Julio & Auguſto maturum.

A. 13. *Linum ſylveſtre anguſtifolium floribus dilutè purpuraſcentibus vel carneis,* C. B. *ſylv. anguſtifolium* J. B. *An Linum ſylv.* 6. *anguſtifolium* Cluſ.?

J. B.

Duram lignoſámque poſſidet *radicem*, ſatis craſſam, ex qua germinant multi ſimul *caules*, tenues, qui ad cubitalem altitudinem aſcendunt, *foliis* ſtipati confertiſſimis, tenuiſſimis, longitudine ferè Lini ſativi. Ex calycibus longiuſculis *flores* extremis ramulorum brevium naſcuntur, magni, albi, vel quaſi cinerei, fortuitis cœruleis ſtriis ſublucentibus, tam caduci ut vix attingi poſſint quin delabantur: vaſcula minora quàm Lini ſativi, quadripartita, Semine Lini minore.

C. Bauhinus *florem* ex diluta purpura candicantem, vel carneum huic attribuit: Cluſius *flores* formâ & colore ſuperiori ferè ſimiles ſed minores; *virgulas* dodrantales, firmas, licet valdè graciles; *foliola* Lino multò anguſtiora & minora; *capitula* & *ſemen* Lini, ſed minora; radicem exilem, candicantem, perennem tamen.

Cluſio obſervatum eſt hoc genus in anteriore Madritianæ ſylvæ parte, quæ ſecundo ab urbe Lutetia lapide diſtat, inter gramina loco aperto & nullis arboribus conſito, florens Julio, maturum ſemen proferens Auguſto.

Neſcio an huic, an præcedenti Lino idem ſit quod in Cornubiæ paſcuis propè oppida *Truro* & *S. Ives* expioſè provenit, à nobis etiam propè Genevam obſervatum, cui folia (quantum memini) non adeò conferta aut crebra fuere in caulibus; duriora tamen & mucronata: reliqua autem deſcriptio quam ex J. Bauhini hiſtoria dedimus, & Cluſiana ſatis aptè conveniunt. Planta ipſa, (quam ad manum non habemus) inſpicienda, & cum deſcriptionibus conferenda eſt. Putamus tamen proximè deſcriptæ eandem eſſe ſpeciem illam Lini quam in ſterilioribus circa montem Lupi non longè à Monſpelio, Septembri adhuc menſe copioſè florentem obſervavimus. Erat autem iis in locis perexigua, foliis anguſtiſſimis, denſis ſeu confertis in caule, flore ſatis grandi, coloris ex purpura albicantis.

* 14. *Linum fruticoſum niveum* C. B. *ſylveſtre* 7. *fruticoſum* Cluſ. *fruticoſum ſemper virens* Park.

Cluſ.

Fruticoſum eſt, atque dodrantalibus pedalibúſque fermè ramulis ſemper virentibus præditum: quos numeroſa *folia* exornant, mediæ inter Thymi & Pſyllii magnitudinis, ſubalbida; *flores* deinde ſuperiore paulò majores, omnino nivei ſummis ramulis inſident: quibus ſuccedunt capitula ſemine plena. *Radix* dura & lignoſa eſt.

Exit deſertis quibuſdam Hiſpaniæ locis, ſole illuſtratis: floret Junio & Julio. *Locus.*

15. *Linum ſylv. latifolium, caule viſcoſo, flore rubro* C. B. *ſylv. latifol. flore rubro* Park.

Hujus meminit C. Bauhinus in pinace, verùm non deſcribit. Nos in planitie quadam propè Auguſtam Vindelicorum, per quam Monachium Bavariæ iter eſt, pulchram hanc invenimus, Lini ſpeciem, verùm, quod dolet, in ea exactiùs deſcribenda minùs curioſi fuimus.

Folia habet piloſa, longitudine foliorum. Lini, modicè lata, acuminata, nervis quinque per longitudinem decurrentibus. *Flos* pentapetalos, coloris incarnati, ſaturatioribus & veluti ſanguineis lineolis ſtriatus. *Radix* lignoſa eſt, & per plures annos durare videtur.

Auguſto menſe florentem adhuc invenimus.

16. *Linum latifolium luteum* J. B. *ſylveſtre latifolium luteum* Park. C. B. *ſylv.* 3. *latifolium* Cluſ. *ſylv. latif.* 3. *Cluſii* Ger. emac.

J. B.

Caulibus adoleſcit anguloſis, firmis, cubitum altis, aliquantulum rubentibus, pluribus ex una radice ortis, & ſuperiùs in ramos breves diviſis, quos *folia* veſtiunt alternata, glabra, craſſiuſcula, unciâ longiora, ſemunciam lata, in obtuſum mucronem deſinentia, perquam amari ſaporis. *Flores* numeroſi extremis ramulis innaſcuntur, magni, perelegantis flavi coloris, quinque *ſtaminibus* totidémque villis luteis medium obſidentibus. *Semen*, teſte Cluſio, in capitulis compreſſioribus reliquis paullò minùs, nigricans quidem ſed non ſplendens quemadmodum illorum. *Radix* ſatis craſſa, contorta, albicans, aliquot fibris donata, ſingulis annis repullulans, novóſque caules producens.

Exit abundè in monte Badenſibus Auſtriæ thermis imminenti locis gramineis, ſecundùm ſepta, inque vicinis, &c. Floret Junio & Julio; *ſemen* maturat Auguſto. *Locus.*

17. *Linum luteum Narbonenſe* J. B. *marinum luteum* Ger. *maritimum luteum* C. B. *ſylveſtre anguſtifolium luteum* Park.

J. B.

Ab una radice *caules* ſurgunt plures, cubitales, qui ſuperiùs in ramos dividuntur; per quos *folia* mollicella, latiuſcula, breviora quàm Lini ſativi, inſipida. *Flores* extremis hærent ramulis, Lini, ſed coloris lutei, amaricantes; quibus ſuccedunt *capitula* minora quàm Lini ſativi, amara, *ſemen* continentia.

In pratis circa Monſpelium & Sellam novam obſervavimus etiam Septembri florentem.

Hujus varietatem duplo grandiorem invenimus ad mare, quam tamen à priore ſpecie differre neutiquam concedimus. Flores nempe, caules, capitula, ſemina utriq; eadem: Differentia tantùm in magnitudine & ſtatura, quæ ratione loci evenit.

Inſtinctu J. Bauhini hæc duo Lina inter ſe ſtudioſè contulimus, cùm Monſpelii eſſemus.

Linum fruteſcens ſubflavum *C. B. prod.* Idem fortè eſt majori hujus varietati: Deſcriptio in omnibus convenire videtur.

* 18. *Linum luteum ad ſingula genicula floridum* C. B. *luteum ſylv. latifolium* Col.

Col.

Hyemali gaudet tempore planta hæc, ex pratenſibus, argilloſâ humentique tellure eruta, Decembri menſe. *Radice* nititur lignoſâ, parvâ, intortâ; ramis pluribus è caulibus in ſummo trifidis, & duorum digitorum interſtitio ex geniculis prodeuntibus *foliis*. In ſingulis geniculis *florem* habet luteum, & poſtea fructum acinoſum ut Lini ſativi vulgaris, cui etiam *ſemen* compreſſum ſimile, nitidum, fuſcum, amaro parùm ſapore. *Flos* & fructus incident quinquefoliatæ baſi, exiguis anguſtis foliolis conſtructæ. Folia in imo exigua, & per caulem ſemper majora & Lino latiora duplo, & in ramis poſtea ſemper ad cacumen uſque decreſcentia & anguſtiora.

* 19. *Linum arboreum Creticum luteum* Park. *arboreum* Alpin. exot.

Alpin.

Planta eſt arboreſcens quaſi, conſtans ramis obliqui actis, gracilibus, rotundis, cortice nigro tectis: *foliis* Lini ſativi latioribus, ut ad Myrti folia magis accedant, denſis & undique ramos contegentibus. In cacumine producuntur *flores* flavi, pentapetali, & *folliculi* multicapſulares, ſuis pediculis ſinguli adhærentes, magnitudine Cicerum, figurâ pyramidali, cæterorum Linorum modo, *ſemina* continentes Lini ſativi ſeminibus omnino ſimilia, ſapore amaro. Provenit in Creta inſula: Floret æſtate, atq; eadem durante ſemina ſua perficit.

* 20. *Linum ſylveſtre minus luteum annuum folio latiore & anguſtiore* Moriſ.

Moriſ.

Vix palmarem aut ad ſummum dodrantalem excedit altitudinem. *Floſculos* fert luteos, pentapetalos: *capſulas* ſeminales cæterorum capſulis conformes, *ſeminâque* ibidem contenta paria ſed minora. Duplex eſt, aliud foliis latioribus, aliud anguſtioribus, nullo alio diſcrimine intercedente.

Locus. Utrumque ſponte creſcit in ſylvis humidis circa Blæſas.

21. *Linum ſylveſtre catharticum* Ger. emac. *pratenſe floſculis exiguis* C. B. *Chamælinum Cluſii flore albo, ſive Linum ſylv. catharticum* Park. *Alſine verna glabra floſculis albis, vel potiùs Linum minimum* J. B. **Purging or wild Dwarf-flax, or Mill-mountain.**

E *radicula* tenui, alba, lignoſa, fibrillis aliquot donata, *cauliculos* emittit nonnihil reptantes, mox humo ad palmum & altiùs ſe attollentes, tenues, rotundos, rubentes, faſtigio ſurſum ramoſo, nutante. *Folia* infima mucrone obtuſo & ſubrotunda ſunt, ſuperiora quæ in caulibus bina oppoſita, crebra, exigua, ſemunciam longa, culmum lata, glabra, abſque pediculis adnata. *Flores* pediculis longis tenuibus inſident, albi, pentapetali, petalis acutis, minimè bifidis, cum apicibus totidem in medio luteis, è *calice* quinquepartito. *Vaſcula* ſuccedunt Lini parva, canaliculata, in quibus *ſemen* lucidum & lubricum Lini, compreſſum & oblongum J. Bauhino. Sapor totius plantæ amarus & nauſeoſus.

Tempus & Locus. Floret initio Junii, & deinceps per totam æſtatem, & in paſcuis ſiccioribus præſertim montoſis abundat.

Vires. Hujus herba integra cum caulibus & capitulis vino albo per noctem ſuper cineres calidos infuſa ſeroſos humores purgat ſatis validé.

Sumi poteſt vel herba contuſa, vel ejus exſiccatæ pulvis, cum tantillo cremoris Tartari & ſeminum Aniſi, & purgat ſine moleſtia. *D. Bowle.*

22. *Linum minimum ſtellatum* C. B. *Chamælinum ſtellatum* Park.

C. B. prod.

Tota plantula duarum, rariùs trium unciarum eſt, radiculâ capilli inſtar tenui, albicante, *cauliculo* uno vel altero tenuiſſimo: *foliolis* brevibus in exquiſitiſſimum apicem deſinentibus; inter quæ *floſculi* parvi, pallidè virentes, ſtellati, ex quinque radiolis exiguum circulum velut umbonem cingentibus compoſiti.

Locus. Monſpeſſuli in Gramuntio & Boutoneto & aliis plurimis in locis provenit, ubi vere floret.

An vera & genuina Lini ſpecies ſit ex deſcriptione hac non ſatis conſtat: nobis autem nondum videre contigit.

23. *Linum foliis aſperis umbellatim luteum* Botan. Monſp. *Lithoſpermum Linariæ folio Monſpeliacum* C. B. Park. *Paſſerina Lobelii* J. B. *Paſ. Linariæ folio Lobelii* Ger.

J. B.

Foliis eſt per caulem dodrantalem confertis, Lini ſimilibus, viridantibus, acuminatis, uncialibus, circa ſuperiora minoribus, rarioribus: *floribus* in ſummis ramulis brevibus, acervatim congeſtis, luteis; quos excipiunt vaſcula exigua, turbinata Lini, dimidio aut triplo minora, foliolis quibuſdam acutis undique obvoluta, ſemine plena lubrico, lucido, fuſco, multo Lini ſeminibus minore. *Radix* ſatis longa, tortuoſa, alba, lignoſa.

Locus. Circa Monſpelium in ſqualidis locis *Garrigues* dictis obſervavimus: at proceriorem in Sicilia.

CAP.

Cap. XII.

A. *Plantaginella paluſtris* C. B. *Plantago aquatica minima* Cluſ. Park.

R*adicibus* fibroſis albis terram apprehendit: eſt ubi radicem ſimplicem profundè in limum demiſſum fibræ plures cingunt. *Folia* ex eadem radice plura, Plantaginis aquaticæ ſimilia, ſed multis numeris minora, pediculis longis donata [duarum interdum triúmve unciarum] in terram reclinata. Quò folia majora ſunt eò longioribus pediculis inſident, quò minora eò brevioribus. Inter folia plurimi è radice exeunt *floſculi*, ſinguli ſingulis pediculis inſidentes (aliàs enim caulem non producit) nonnullis ſemuncialibus, aliis multò brevioribus, tenuibus, in terram reclinatis, quinq; petalis exiguis, acutis, albis compoſiti, *calice* quinquepartito. Succedit *vaſculum ſeminale* turgidulum, ovale quodammodo aut glandiforme, ſeminibus exiguis ruffis copioſis repletum, per maturitatem in duas carinas dehiſcens.

Sapor plantulæ initio herbaceus, poſtea nonnihil acris guſtanti ſentitur. Flagellis emiſſis ad intervalla radices agentibus immenſum ſe propagat locum idoneum nacta.

In fundis piſcinarum, aquis æſtate exiccatis, aut alibi ubi per hyemem aquæ ſtagnârant provenit, *Locus.* verùm non admodum frequens.

Alſine paluſtris exigua foliis lanceolatis Plantaginellæ aquaticæ inſtar, floſculis albis vix conſpicuis huic eadem nobis videtur.

Cap. XIII.

Pentapetalos Braſiliana floribus luteis minimis.

IN duorum aut etiam trium pedum aſſurgit altitudinem; *caule* tereti, geniculato, ſubruffeſcente paululúmque piloſo: ex geniculis emittit ramulos & bina *folia* ſemper ſibi oppoſita, brevioribus pediculis innitentia, quinque aut ſex dig. longa, aliquando craſſo modo dentata, interdum etiam non. In extremitate ramulorum flores naſcuntur ſolitarii, lutei, umbilico conico conſtantes, & in ambitu illius quinque foliolis luteis minimis. *Radix* exilis admodum. Flos tritus odorem habet ſuavem, ferè ut Chamæmeli.

Cap. XIV.

Pentapetalos Braſiliana flore Lychnidis.

Marggr.

IN quatuor aut quinq; pedum altitudinem aſſurgit, *caule* rotundo, lignoſo, leviter piloſo, quiq; ſuperiùs in multos ſe diſpeſcit ramos ſurſum elevatos. In caule autem & ramis ſolitariè poſita ſunt *folia* anguſta, brevibus pediculis innitentia, quatuor aut quinque dig. longa, ſimilia foliis Salicis, atque piloſa, diverſæ magnitudinis, in ſummitate enim plantæ anguſtiſſima ſunt & parvula. *Flores* fert magnitudine florum Lychnidis, albos, pentapetalos, unguibus in medio purpureis & *ſtaminulis* luteis. *Radix* haud longa eſt, ſed habet multas proles ad latera extenſas, atque etiam filamenta.

Cap. XV.

Rhabarbarum lanuginoſum, ſive Lapathum Chinenſe longifolium Munting. *Rhabarbarum* J. B. *Rhabarbarum I. ſeu Officinarum* C. B. *item II. quod Matthiolus pingit* ejuſdem.

Munting.

E *Radice* longæva, craſſa, fermè rotunda, parum ultra ſemipedem longa, fibris quibuſdam brevibus ac craſſiuſculis undiq; enatis onuſta, externè fuſca vel quaſi è rubedine nigreſcente, internè lutea rubris nonnullis ſtriis venuſtè permixtis, ſucco ex parte viſcoſo, è rubedine flaveſcente plenâ, amarâ, necnon guſtui ingrata, *Folia* protrudit numeroſa, arctè conjuncta, & quaſi ſimul è radicis ſupremo, ſerie rotundâ, mirabili unum ſupra aliud paulò elatius provenientia, manus longitudine aut majore, inferiori parte adeo anguſta, ut ultra digiti unius latitudinem vix obtineant, in medio tamen latiora & ſupremo latiſſima, ubi tres plus minus digitos latitudine æquant, in mucronem planè rotundum deſinentia, molli lanugine, in marginibus maximè viſibili obducta, non diſſecta, neque plicata, verùm plana, ſuperne lætè viridia, infernè pallidiora; unicâ in medio latiori ac majori venâ, è qua plurimi minores in latera undique excurrentes,

tes, & circa ea parùm incurvatè diſpoſitæ proveniunt, prædita; naturâ quidem ſurſum tendentia, anteriori nihilominus parte, Struthiocameli plumarum inſtar, quod magnam plantæ venuſtatem addit, parùm deorſum ſeſe incurvantia; ſubſtantia modicè craſsâ, guſtu amara, necnon tactu mollia.

E foliorum medio Pediculus unicus, ad tres, quatuorve digitos ſupra folia eminens naſcitur, tenuis, teres, è viridi purpuraſcens: cujus ſummo flores octo, decem, aut duodecim numero, brevibus pediculis nitentes, & modò ex hac, modò ex illa caulis parte provenientes, pallido colore cœruleo non ingrato donati, formâ & magnitudine Leucoii arboreſcentis floribus non valdè diſſimiles, quinque petalis ſubrotundis conſtantes, odore admodum ingrati, cerebrum non parùm perturbantes, & ſuccum fermè cœruleum edentes viſuntur, qui brevi in his oris nullo relicto ſemine marceſcunt & decidunt.

De Rhabarbari viribus & uſibus ſuperiùs egimus in capite de Lapatho.

HISTORIÆ

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER VIGESIMUS.

QUI EST

De Herbis flore pentapetaloide vaſculiferis.

Herbas hoc Libro comprehenſas pentapetaloides potiùs quàm pentapetalas vocamus, quoniam quæ videntur petala diſtincta, reverà non ſunt, ſed ad ungues juncta, adeò ut flores integri decidant, & ſtrictè loquendo monopetalis annumerandi ſunt. Verùm ne à recepta ſententia nimis recederemus hujuſmodi flores pentapetalis potiùs quàm monopetalis annumeravimus.

Herbæ flore pentapetaloide anomalæ.

Florem pentapetaloidem dicimus potiùs quàm pentapetalon, quia folia ſeu petala florem componentia ad ungues juncta ſunt, adeò ut flores integri decidant. Hæ vel ſunt

- *Terreſtres*, foliis
  - *Simplicibus*, h. e. in ſingulis pediculis ſingulis, caulibus
    - *Nudis*, flore è tubo oblongo in quinque lacinias ſeu folia bifida expanſo; foliis
      - *Rugoſis*, texturæ rarioris; floris calice oblongo, concavo, ſtriato; PARALYSIS.
      - *Levioribus* ſeu planis, ſucculentioribus, denſioribus, calice floris breviore ut & vaſculo ſeminali; AURICULA *urſi*.
    - *Foliis veſtitis*
      - *Adverſis*, ſeu binis in caulibus oppoſitis,
        - *Siliquoſæ & lanigeræ*,
          - *Lacteſcentes*, ſiliquis plerumque binis; APOCYNUM.
          - *Succo limpido*,
            - *Elatior*, flore parvo, ſiliquis ſingularibus, Ciconiæ roſtrum referentibus; ASCLEPIAS.
            - *Humilior*, provoluta & repens, foliis glabris, colore & conſiſtentiâ hederaceorum, flore amplo, ſiliquâ bicorni; CLEMATIS *daphnoides*.
        - *Pericarpiis ſemine minutiſſimo refertis*, nullâ intus lanâ, floribus in ſummis caulibus & ramulis crebris, ſapore amaro inſignes, flore
          - *E tubo oblongo in quinque ſegmenta acuta expanſo*; CENTAURIUM *minus*.
          - *Sine tubo* in octo ferè lacinias ſeu petala diviſo; foliis in caule adverſis in unum coaleſcentibus ut in Dipſaco, glauco colore conſpicuis; *Centaurium* luteum.
      - *Alternis*, floribus in thyrſis oblongis conſertis: pericarpio bivalvi
        - *Conico* aut *turbinato*; VERBASCUM.
        - *Globoſo*; BLATTARIA.
  - *Compoſitis*, in uno ſcil. pediculo ternis, vaſculo pentagono, per maturitatem ſi tangatur diſſiliente, & ſemen ejaculante, ſapore totius plantæ acido; TRIFOLIUM *acetoſum*, *Oxys trifolia*.
- *Aquaticæ* foliis

- *Integris ſimplicibus ſubrotundis*, ſeu quæ eſt
    - *Flagellis reptatricibus*, in alis foliorum florens, foliis ſubrotundis per margines æqualibus; NUMMULARIA.
    - *Caulibus erectis*, foliis in eodem pediculo ternis, floribus intus filamentoſis in ſummis caulibus in thyrſum depoſitis; TRIFOLIUM *paludoſum*.
- *Tenuiſſimè diſſectis*, floribus ſpecioſis; VIOLA *aquatica*.

Auricula urſi in ſummo caule, unde pediculi florum ſingularium exeunt, quædam habet foliorum rudimenta, quæ quoniam perexigua ſunt, nec ejuſdem figuræ cum iis quæ ad radicem, pro foliis perfectis non habeo; ac proinde caulis nihilominus nudus nobis cenſetur. *Paralyſis Alpina* dicta *auriculis urſi* accenſenda eſt.

Quòd Clematis daphnoides ſiliquam producat lanigeram mihi non conſtare fateor: quod ſiliquam ſatis longam bicornem & velut geminam producat (ut recte Cæſalpinus) mihi compertum eſt: unde ob convenientiam in ſiliqua cum Apocynis, ſive lanigera ſit, ſive non, cum eiſdem merito copulatur.

Ros ſolis caules producit nudos flores ſuſtinentes longa ſeriè versùs unam partem ſpectantes, è calice ſeu tubo oblongo in quinq; ſegmenta diviſos; vaſcula ſeminalia oblonga, ſeminibus minutiſſimis repleta; atq; idcirco ad hoc genus pertinere videtur.

Herbæ flore pentapetalo & polypetalo ſeminalis vaſculi reſpectu commodiùs dividi poſſent in *unicapſulares* & *multicapſulares*. *Unicapſulares* ob defectum commodioris vocabuli dicimus vaſculo ſimplici & in loculamenta non partito contentas, quibus ſeminis ſedes in medio eſt, exteriùs protegente vaſculo; *Multicapſulares* vaſculo è pluribus cellulis ſeu loculamentis conjunctis compoſito donatas.

Prioris generis ſunt *Caryophyllus*, *Armeria*, *Lychnis*, *Alſine*, *Spergula*, *Anagallis*, *Paralyſis*, *Auricula urſi*; *fortè etiam Centaurium minus luteum & purpureum*, *Lyſimachia lutea*, *Portulaca*, *Nummularia*, *Viola aquatica*. Verùm quoniam de nonnullis hujus generis mihi nondum conſtat, quomodo vaſculum ſeminale conformatum, & ſemina in eodem diſpoſita ſint; alias notas magis obvias & expoſitas pro characteriſticis generum ſubalternorum tantiſper adhibere coactus ſum dum vaſcula ſeminalia omnium de quibus dubito videndi & curioſè examinandi occaſio dabitur.

CAP. I.

De Primula veris & Paralyſi.

PRimula veris dicitur hæc herba quòd primo vere floreat; Paralyſis quia Paralyſi morbo medendo adhibetur à peritis medicinæ.

Notæ ejus genericæ ſunt caules foliis nudi, flores è tubo oblongo in folia ſeu potius lacinias quinque bifidas expanſi, eorúmque calyces oblongi, concavi, laxi, ſtriati; folia rugoſa texturæ rarioris.

A. 1. *Primula veris vulgaris* Park. *veris minor* Ger. *veris floribus ex ſingularibus pediculis, majoribus, ſimplicibus* J. B. *Verbaſculum ſylvarum majus ſingulari flore* C. B. **Common Primroſe.**

Fibris numeroſis, albicantibus, majuſculis, profundè in terram demiſſis, & fibrillis aliquot tenuibus capillatis, è *radice* modicè craſſa ſquamoſa, rubente exeuntibus firmatur. *Radicis* ſapor ſubaſtringens: *ſquamæ* autem è foliis quotannis marceſcentibus reſiduæ ſunt.

Folia plus palmum longa, ſeſquidigitum aut duos digitos lata, obtuſa, rugoſa, ad margines denticulata, ſupina parte glabra, pronâ hirſuta, nervis crebris hirſutis eam percurrentibus, ex anguſto principio ſenſim dilatata, pediculis propriè dictis carentia. Inter folia emergunt *flores* ab eadem radice plures, pediculis tenuibus, teretibus, aphyllis, hirſutis, radicem versùs leviter purpurantibus, ſemipalmaribus aut palmaribus nixi; in ſingulis pediculis ſinguli, è *calicibus* oblongis, pentagonis, angulis hirſutis, margine in quinq; ſegmenta acuta diviſo; monopetali, ampli, è tubo oblongo, anguſto, in quinq; ſegmenta cordata totidem folia imitantia diviſi, è langueſcente luteo palliduli, unguibus flavis, in quorum medio reconduntur *ſtaminula* lutea, piſtillo herbaceo capitellum viride nunc altiùs infra ſtamina reconditum proferente, nunc in ſumma tubi parte ſupra ſtamina eminente. Odor validus & non ingratus. Vaſculum ſeminale in calice reconditum.

Locus. In ſylvis, ſepibus & dumetis verno tempore ubique exit.

Hujus multiplex habetur varietas. 1. *Flore niveo*, quæ Parkinſono *Primula veris flore albo*. Adv. *Sylvarum Primula alba*. In hortis noſtris frequens eſt. 2. *Flore viridi ſimplici*, cujus tum Lobelius, tum Parkinſonus meminerunt. Flos ei calyci ferè concolor eſt, magíſque expanſus quàm vulgaris Primulæ. 3. *Flore viridante & albo ſimplici* Park. 4. Flore viridi duplici *Park*. quæ ab ea quæ flore eſt ſimplici ſeu ſecunda flore tantillo ſaturatiore, è duplici petalorum ſerie compoſito differt. 5. *Flore multiplici, ſeparatim diviſo Park*. quæ Primula veris Hesketi dicitur. Hæc præter flores quos profert ſingulares in pediculis ſeu cauliculis ſingularibus Primulæ vulgaris modo, alios etiam producit caules qui in faſtigio ſuo plures flores geſtant ex uno calyce erumpentes, interdum plurium duntaxat florum fragmenta ſeu partes in eundem calycem conſtipatas. 6. *Flore pleno* ſeu *multiplici* omnium ferè Autorum. 7. *Flore duplici* Park. quæ præcedente omnibus ſuis partibus minor eſt, flores autem duplici duntaxat petalorum ſerie compoſitos profert. His addere poſſumus octavam adhuc varietatem, cujus calycum è quibus flores exeunt ſegmenta in foliola viridantia excreſcunt & degenerant; ſeu mavis dicere, calicum ſegmenta in magnitudinem aucta viridanti margine foliaceo velut fimbriata ſunt.

2. *Carchichec Turcarum ſive Primula veris Conſtantinopolitana* Cornuti. *Primula veris Turcica Tradeſcanti flore purpureo* Par. **Blew Primroſe.**

Cornut.

Foliis à vulgari nonniſi mollitie diſtinguitur. Foliorum medium diſcriminant coſtæ albæ, infima parte latiores, ac levi rubore aſperſæ: margines ut in Lactuca Romana modicè crenantur: numeroſè ac confertim in orbem creſcunt ex craſſa ac fibroſa *radice* ſubalbida. Hanc ſolent herbarii ob plantæ raritatem multifariàm diſſecare, ut præter ſemen hac etiam ratione propagatur. Inter folia pediculi multi vix ultra digitum longitudinis efferuntur; *calices* ſuſtinent ſubvirides, tot ſinubus ſtriatos quot poſtmodum folia in *flore* ſuccedere debent: non plura quinque illa eſſe conſueverunt: ſingula cordis effigiem repræſentant, & dilutâ purpurâ colorantur, niſi quà unguiculus eſt, colorem enim in hac parte variat, in radium aureum croco adumbratum efformatus. Diceres medium floris umbilicum ſtellam eſſe, adeò radiis quinque fulgentiſſimis internitet. *Piſtillum* edit medio ſtellæ concolor. Integro propè anno floribus ornatur. Hos ſtatim atque vetuſtas decuſſit, ſequuntur *ſemina* alba, Papaveris albi facie, quæ levi capſula incluſa matureſcunt. Multa deinde ſoboles juxta deciſo ſemine germinat.

Apud Turcas audio nominari *Car chichec*, quaſi quis nivalem florem nuncuparet: Argumentum nominis floris vivacitas dedit; media quippe hyeme ſupra nives etiam caput exſerere ſolet.

Calida eſt & ſicca, guſtúque non mediocriter adſtringere percipitur. Uſu efficaci pollet ad medendum melancholicis & pituitoſis affectibus: cohibendo alvi profluvio magnopere confert: ventriculum atque adeò vniverſa inteſtina ſoluta roborat. *Vires.*

Floris colore infinitùm variat, cœruleſcente, purpureo remiſſiore, & intenſiore ſeu violaceo, carneo, ferrugineo, obſoletè pallido, miniato, albo, &c. Reperitur etiam flore geminato ſeu altero alteri innato, variorum colorum. Hæ omnes aliæque adhuc plures varietates ſeminio debentur.

3. *Primula veris Conſtantinopolitana ſive Carchichec polyanthos.*

Hæc plures in eodem caule geſtat flores velut in umbellam diffuſos, Primulæ pratenſis inodoræ luteæ modo; ſunt autem flores nonnihil minores prædecentis floribus.

Flores pariter colorum varietate ludunt, & non raro geminati obſervantur.

A. 4. *Primula pratenſis inodora lutea* Ger. *veris caulifera, pallido flore inodoro aut vix odoro* J. B. *Verbaſculum pratenſe aut ſylvaticum inodorum* C. B. *Paralyſis altera odorata flore pallido polyanthos* Park. parad. **Great Cowſlips, or Orſlips.**

Foliis & radice cum *Primula vulgari* convenit, flore inſuper, & pediculorum hirſutie: differt, quòd plures in caule flores geſtet in umbellam quandam digeſtos, *Paralyſis vulgaris odoratæ* in modum, eoſdémque tantillo minores & coloratiores. Cum Paralyſi vulgari convenit, quòd plures in eodem caule flores geſtat: ab eadem differt foliis Primulæ vulgaris ſimilibus; caule zonâ rubrâ ad petiolorum baſin cincto; caulis & pediculorum hirſutie, horum etiam longitudine; Flore pallidiore, majore, magis expanſo, minùs odorato; calicibus minùs tumidis. Differt denique quòd præter flores quæ in umbellis alios producit ſingulares, è radice exeuntes in privatis pediculis, quod in Paralyſi odorata nunquam accidere obſervavi.

In ſylvis & ad ſepes non admodum infrequens, interdum etiam in paſcua deſcendit. Aliquanto ſeriùs floret quàm Primula vulgaris. *Locus.*

Hujus etiam varietates aliquot habentur in hortis enutritæ. 1. Paralyſis flore flavo ſimplici inodoro, abſque calycibus *Park.* Flos huic nudus eſt abſque ullo omnino calyce. 2. Paral. flore geminato inodora *Park.* 3. Paral. inodora calycibus diſſectis *Park.* 4. Paralyſis flore fatuo *Park.* Hæc floris loco in ſummo caule congeriem geſtat foliolorum anguſtorum viridantium, luteis nonnullis intermixtis.

A. 5. *Primula veris major* Ger. *veris odorata flore luteo ſimplici* J. B. *Verbaſculum pratenſe odoratum* C. B. *Paralyſis vulgaris pratenſis flore flavo ſimplici odorato* Park. parad. **Common Paigles, or Cowſlips.**

Radice cum Primula veris vulgari convenit. *Folia* per terram ſparſa, quàm illius minora, breviora, obſcuriùs virentia, rigidiora, glabriora, non crenata, prona parte lanugine adeò brevi obſita ut vix perceptibilis ſit. *Caulis* ab eadem radice unus [interdum plures] ſeſquipalmaris aut dodrantalis, nudus, teres, firmus, ſolidus, brevi & vix conſpicua lanugine hirſutus: in cujus faſtigio flores ſex, ſeptem, aut etiam duodecim, aut plures [in nonnullis 24. numeravimus] velut in umbella diffuſi, ſinguli ſingulis pediculis è caulis faſtigio enatis fulti, è *calyce* majuſculo, pentagono, albicante, in quinque ſegmenta acuta, non tamen profundè, inciſo; minores quàm Primulæ vulgaris, magíſque concavi, & ſaturatiùs flavi, unguibus maculâ croceâ verùm exigua notatis, valdè odorati. Vaſcula ſeminalia in calice occultantur.

Locus & Tempus. Aprili menſe apud nos floret in paſcuis frequens.

Varietates.

Hujus etiam non pauciores habentur varietates quàm præcedentis: 1. Paralyſis altera odorata flore pallido polyanthos *Park.* Folia huic majora, pallidiùs virentia, flores in uno caule plures [ad 30. interdum numeravi] pallidiùs virentes, pediculis longioribus appenſi. 2. Paralyſis flore viridante ſimplici *Park.* Flores huic tantillo ampliores ſunt quam vulgari, calicibus viridantibus concolores. 3. Paral. flore & calice criſpo *Park.* 4. Paral. flore geminato, ſeu altero alteri innato: in hac ſpecie & omnibus quas obſervavi hujus generis flos exterior nihil aliud eſt quàm calix naturæ luſu in florem degenerans, ſeu potiùs evectus. 5. Paral. hortenſis flore pleno. 6. Paral. flore viridanti pleno *Park.* ſola florum multiplicitate à ſecunda varietate differt. 7. Paral. flore viridante ſive calamiſtrato *Park.* Flores hujus è plurimis exiguis anguſtis foliolis compoſiti, nullo calice incluſis, Roſæ parvæ in modum ferè expanſi, luteo-virides ſeu pallidi, inodori, ſi à Solis radiis defendantur ad duos etiam menſes durant antequam marceſcant.

Vires.

Radix hujus aquâ aut cereviſiâ cocta vertiginem ſanat. *D. Palmer.* Paralyſi, vertigini & ſimilibus nervorum affectibus utilem eſſe hanc herbam vel nomen arguit.

• 6. *Paralytica montana rotundifolia Æquicolorum* Col. *Primula veris montana incana, lutea* C. B.

Col.

Variat hæc à congeneribus, rotundioribus admodum *foliis*, tenui, longo, trigono & trientali petiolo inſidentibus, erectis, carnoſis, venoſis, infernè incanis, lanoſis, ſinuoſis oris ut crenata videantur, è *radice* obliqua, carnoſa, multis fibris albis, Ellebori modo carnoſis dependentibus, atque humum amplexantibus, odoratis, ſapore acri, amaro, odorato parum palato. *Caulem* dodrantalem emittit, vel majorem loci & alimenti uberioris causâ, rotundum, tenuem, nudum, Junci aut Cyperi modo, thyrſum repræſentantem, in ſummo ex baſi tenuibus foliolis divisâ *flores* decem vel pauciores prodeuntes ſuſtinentem, luteo colore hilari, ex calycibus hirſutis incanis, quinque oris diviſis, in quibus rotundum *pericarpium* longo apice perficitur, marceſcentibus atque etiam hærentibus floribus, in quo *ſemina* nigra, anguloſa & copioſa concluduntur.

Locus & Tempus.

Æquicolorum montibus ſupra Flaminianum, *lo Serrone* dicto loco, in cacumine, Septentrioni oppoſito latere, humenti humo, Maio floret, Junio perficitur.

Vires.

Primularum folia & flores guſtu non ingrato in olere, placentis & acetariis ſúmuntur, ſúntque admodum amica & utilia capiti & nervoſo generi. Adhibentur & in Apoplexia, Paralyſi & articulorum doloribus. Florum ſuccus maculas rugáſque faciei, & alia cutis vitia mirificè detergit. Aqua florum & conſerva nec minus ſyrupus anodyna ſunt & hypnotica. Infuſa, decocta & extracta Primularum veris cujuſcunque generis, anodyna & hypnotica ſunt benigna & innoxia, iis qui tenerioris ſunt ſeu ætatis, ſeu conſtitutionis apprimè idonea. *D. Tancredus Robinſon.*

Decoctum radicum Primulæ veris vulg. in Zythogalo alióve idoneo vehiculo ſumptum ſingulare eſt & præſentiſſimum remedium ad vertiginem. *D. Hulſe.* Succus foliorum & florum expreſſus cum pari quantitate lactis è vaccæ rubræ uberibus emulcti frequenter hauſtus Cephalalgiam inveteratam perfectè curavit, cum alia medicamenta nequicquam tentata fuiſſent. Hujus mentionem & ad hunc affectum leniendum commendationem factam invenio in *Horto Sanitatis Langhami.* Idem.

Acetum radicibus imprægnatum, ac loco errhini in nares attractum odontalgiam mirabiliter ſedat. *Schrod.*

Paralyſin lateris ſiniſtri curavit Tho. Bartholinus ſpiritu frumenti cui herba Paralyſis incocta erat, ut ipſe refert, Ephemer. German. An. 2. Obſ. 2.

CAP. II.

De Auricula urſi.

A Similitudine aliqua foliorum nomen ſortita, differt à Primula veris, cui aliàs ſimillima, foliis lævioribus, denſioribus, ſucculentioribus, floris calyce breviore, ut florum tubi ferè nudi appareant, foliorum quorundam rudimentis in caulis vertice è quibus florum pediculi exeunt.

1. *Anricula urſi flore luteo* J. B. Ger. *urſi lutea* Park. *Sanicula Alpina lutea* C. B. **Yellow Bears-ear or Oricola, French Cowſlip.**

Cluſ.

Hujus *folia* Primulæ veris foliis ferè reſpondent, rugoſa tamen non ſunt, ſed craſſa, Fabariæ foliorum inſtar, eáque aut farinæ quaſi polline conſperſa, & prorſus incana, aut leviter tantùm caneſcentia, interdum omnino viridia & lævia; rurſus omnia vel per ambitum ſerrata, vel nullis denticulis prædita, interdum novella duntaxat dentata, vetuſta minimè, omnia autem guſtu amara. Ex horum medio aut è lateribus prodeunt *cauliculi* dodrantales aut minores, nudi, veluti quâdam farinâ reſperſi, qui 10, 20, 30, interdum etiam plures (præſertim ſi in hortis colatur ubi admodum luxuriat) *flores* ſuſtinent, ex uno veluti capite æqualiter prodeuntes, & petiolis (quos tanquam ſquamulæ quædam incanæ ab invicem ſegregant) brevibúſque *caliculis* inhærentes, Primulæ veris ſimiles, quinque aut ſex diviſuris conſtantes, dulcem & melleum quendam odorem ſpirantes, coloris aut lutei aut pallentis, atque vel majores & ampliores, vel minores, omnes autem interiùs circa umbilicum albo circulo inſignitos, *ſtylo* inter ſtamina nonnunquam prominente, interdum nullo. *Semen* deinde fuſcum, inæquale, bullatis vaſculis incluſum quale Primularum veris. *Radix* craſſa eſt & multis candidis oblongíſque fibris prædita, ex qua in cultis ſi pangatur plures plantæ enaſci ſolent.

Creſcit in Sneberg. Nuberg, Etſcher, & aliis vicinis Auſtriæ, & Stiriæ Alpibus, &c. v. *Cluſ.* **Locus.**

Auricula urſi 7. *Cluſ. cur. poſt.* ab hac non videtur nobis ſpecie diverſa.

2. *Auricula urſi flore purpureo* Ger. *flore carneo* Park. *Auric. urſi, ſive Primula veris Alpina flore rubente* J. B. *Sanicula Alpina purpurea* C. B. **Purple Bears-ear.**

Cluſ.

Folia hujus breviora ſunt, extremâ parte latiora plerunque, & initio quaſi rotunda, quæ temporis ſucceſſu anguſtiora circa radicem fiunt, craſſa quidem illa, ſed minùs quàm ſuperioris, in ambitu ſerrata, ſupernè viridia & lævia, infernè ex viridi palleſcentia: inter quæ vel ad quorum latus exeunt nudi, duas uncias longi, aut paulo longiores *cauliculi*, quibus inſident ſex, octo, aut plures *flores*, ſimul in caput aut umbellam congeſti, ut in ſuperiore, illíſque formâ ſimiles, ſed majores, rubro colore nitentes, obſcuriore tamen initio quaſi mororum ſucco infecti eſſent, deinde eleganti & dilucidâ rubrâque purpurâ gratiſſimi, intus circa umbilicum pallentes & exalbidi, odorati quidem illi, ſed minùs ſuperioribus. *Semen* in capitulis longè minoribus, parvum, nigrum, inæquale. *Radix* priori ſimilis.

In Oenipontinis & vicinis Alpibus abundè naſci intellexit Cluſius, eam in Auſtriaci s& Stiriacis Alpibus fruſtra quæſiveris. **Locus.**

Auricula urſi 3. *Cluſ.* Auricula urſi, flore rubro, maculis exalbidis, foliis ſubhirſutis. *J. B.* Sanicula Alpina flore variegato *C. B.* foliis minoribus, tenerioribus, minùs craſſis, ſubhirſutis, & flore rubro, maculis exalbidis aſperſo à præcedente differt; nec tamen (ut puto) ſpecie diverſa eſt.

* 3. *Auricula urſi* 5. Cluſ. *Sanicula Alpina foliis rotundis* C. B.

Folia circinatæ ferè rotunditatis, longiuſcula tamen & in ambitu ſerrata, longè minora quàm præcedentis, & minùs viridia, ſed aliquantulùm caneſcentia; inter quæ tenuis & ſeſcunciam longus *cauliculus* exilit, binos, ternos aut plures *flores* ſuſtinens, ſuperiore minores, quinque petalis bifidis etiam conſtantes, colore rubente minùs ſaturo quàm in præcedente. *Radix* fibroſa eſt ut reliquorum.

4. *Sanicula Alpina rubeſcens folio non ſerrato* C. B. *Auricula urſi carnei coloris, foliis minimè ſerratis* J. B. *Auricula urſi* 4. Cluſ.

Cluſ.

Quarta hæc Cluſii Auricula minoribus eſt quàm ſecunda foliis, carnoſis, mucronatis, in ambitu non ſerratis, ſupernè lævibus & ſplendentibus, infernè ex viridi pallentibus & venoſis, minoréque acrimoniâ & amaritudine præditis quàm aliarum folia. *Flores* illi ſecundo generi ſimiles, profundioribus laciniis ſecti, colore dilutiùs rubente, intus circa umbilicum incanâ quadam lanugine villoſi, ſtylo prominente, bini terni aut ad ſummum quaterni, ſummo uncialis, raró longioris cauliculi faſtigio naſcentes. *Semen* in parvis vaſculis reliquis majus & fuſcum. *Radix* minor & nigricans, atque adeò numeroſa ſobole interdum ſe propagans ut latiſſimos ceſpites occupat.

Invenitur in *Sneberg* reliquíſque vicinis jugis & Stiriæ Alpibus frequentiſſima. **Locus.**

5. *Auricula urſi* vi. Cluſ. *Auricula urſi alba* J. B. *Sanicula Alpina alba foliis non crenatis* C. B.

Floris præcipuè colore candido aliíſque accidentibus à cultura & ſatione ortis à præcedente differt, unde nec ſpecie ab ea diverſam puto. Siquidem ex Auriculæ urſi ſemine ſato innumeræ fere varietates indies producuntur, non floris colore duntaxat, ſed & figurâ & magnitudine diverſæ.

In Cur. poſt. Cluſius inter ſextam & ſeptimam ſpecies aliam interſerit quam ſeptimam facit, quæ in paucis differt à prima ſpecie, ut ejus ſemini ſato ortum ſuum debere ſuſpicer.

6. *Auricula urſi anguſtifolia, colore rubente* J. B. *Auric. urſi* 7. Cluſ. hiſt. 8. ejuſdem cur. poſt. *Sanicula Alpina anguſtifolia* C. B.

Cluſ.

Craſſiuſcula *radice* nititur, quartæ haud diſſimili, multis candicantibus fibris capillatâ, ex qua anguſta *folia* quina aut ſena, ſucculenta & pinguia, quartæ foliis multò anguſtiora, à medio ad extremum uſq; mucronem in ambitu ſerrata, amaríque guſtûs prodeunt. *Cauliculus* inter ea naſcitur tres uncias longus, nudus, lævis, ſuſtinens *capitulum* è foliolis compactum, unde quaterni aut quini *flores* elegantiſſimi, quinque petalis bifidis ut reliqui conſtantes. Capitula hujus quartæ proxima erant; *Semen* obſervare non licuit Cluſio.

Creſcit in quibuſdam Stiriæ & Carinthiæ Alpibus, præſertim verò Tauro monte & Judenberg jugis. Floret ſub finem Julii, nivibus liqueſcentibus. Rara eſt, & culturam ægrè admittit. **Locus.**

Similem huic in Tyrolenſibus Alpibus naſci poſtea intelligebat Cluſius, cujus plantam ſiccam à fratre Gregorio Rhegienſi Capucino accepit, ejúſque iconem exhibet in *cur. poſt.*

* 7. *Auricula urſi minima flore carneo & niveo* J.B. *Auric. urſi* 8. *minima* Cluſ. hiſt. *Sanicula Alpina minima crenata* C. B. *item Sanicula Alpina minima nivea* ejuſdem. *Auric. urſi minima alba* Park.

Cluſ.

Folia hujus unguem magnitudine vix æquant, infernè circa ſedem anguſtiora, ſupernè & in extremo latiora crenatáque, viridia, nervoſa, ſuperioribus minùs denſa, amari guſtûs. *Pedicellus* inter folia exilit, vix digitum tranſverſum altus, unicum, interdum alterum, *florem* ferens, dilutiùs rubentis ſive carnei coloris, è fimbriato *caliculo* obtuſiore prodeuntem, inodorum, intus etiam circa umbilicum candidâ lanugine pubeſcentem, nullo prominente ſtylo. Neque hujus *ſemen* obſervare licuit, cùm in hortum cum ſuo cæſpite tranſlata ad frugem nunquam pervenerit. Adnatis mirum in modum ſe propagat & interdum magnos ceſpites occupat candicantes fibras è ſingulis propaginibus demittens.

Locus. In ſummo Sneberg jugo, inque Tauro & Judenberg montibus invenitur. Floret eodem tempore cum reliquis.

A. 8. *Paralytica Alpina major* Park. *Verbaſculum Alpinum umbellatum majus* C. B. *Primula veris flore albo* Ger. Cluſ.

Cluſ.

Fibroſis candicantibus Primulæ veris *radicibus* hæret, ad quarum caput aliæ novæ plantulæ ſecundùm matrem ſubinde germinant. Ineunte vere folia dena aut duodena emittit, initio quaſi in globum contracta, quæ ſucceſſu temporis ſeſe explicant, & humi ſparguntur, ſuntque exteriore parte incana, & veluti farinâ quâdam aſperſa, nervorum viridantium diſcurſu virgata; interna verò ex viridi pallentia, ſextantali longitudine, latitudine unciali, circumcirca ſerrata, aliquantulum criſpa & denſiuſcula, Auriculæ urſi, quàm Primulæ veris ſimiliora, acris ſaporis. Ex horum medio unus aut plures aſſurgunt *cauliculi* dodrantales, interdum pedales, nudi, graciles, enodes, in quorum cacumine umbella ſedit florum numeroſorum, ſemuncialibus pediculis hærentium, floribus Auriculæ urſi reſpondentium, magna ex parte eleganti dilutioréque purpurâ nitentium, aut carnei coloris, interdum ſaturatiùs rubentium, nonnunquam (ſed raro) omnino candidorum & etiam exalbidorum; omnes autem circa umbilicum luteoli ſunt, & aliquantulum odorati. *Semen* deinde in oblongis vaſculis admodum exili fulveſcens continetur.

Tempus & Locus. In pratis montoſis, locis humidis & paluſtribus, in Septentrionali comitatus Eboracenſis parte & in Weſtmorlandia copioſè provenit. Floret Maio.

In hortos tranſlata, quamcunque curam adhibeas non diu durat. Magnâ copiâ teſte Cluſio provenit in uliginoſis & vicinis urbi Viennenſi pratis.

* 9. *Primula veris minor purpuraſcens* J. B. *Paralyſis minor flore rubro* Park. parad. *Primula veris flore rubro* Ger. *Verbaſculum umbellatum Alpinum minus* C. B. **Birds-eye.**

J. B.

Præcedenti per omnia ſimilis eſt, caule trium quatuorve unciarum; foliis pæne Alſines vulgaris & etiam dimidio minoribus, vix apparentibus crenis; floribus paucis, uno ſci. duobus vel tribus.

* 10. *Auricula urſi Myconi piloſa cærulea* J. B. *Auric. urſi flore cœruleo, folio Boraginis* Park. *Sanicula Alpina foliis Boraginis villoſa* C. B.

Lugd.

Radices multas emittit ferè capillaceas, fuſcas, petris inhærentes, guſtu adſtringentes; circa quos *folia* per humum repunt, Boragini quadantenus ſimilia, in ambitu nonnihil laciniata, aſpera, rugoſa, craſſa, nervoſa, piloſa, maximè propè radices: ex iis enim ad foliorum exortum magna pilorum congeries, tomento cuidam & veluti jubæ adſimilis enaſcitur. Eadem folia tam ſupernè quàm infernè villoſa ſunt, atque etiam in ambitu pili ubique ruſeſcunt. E foliorum medio duo aut tres *cauliculi* emergunt, rotundi, dodrantales, hirſuti, ſolidi, ſuccoſi, purpuraſcentes, cum dulcedine adſtringentes, in quorum faſtigiis *flores* ſunt cœrulei, pentapetali, & in horum medio ſtamina lutea, veluti ex vaſculo, grani Hordei figurâ, ſed majore, in imo floris poſito exeuntia.

Locus. Naſcitur in umbroſis montoſíſque locis, nonnunquam etiam humidis. In Pyrenæis præcipuè reperitur.

CAP. III.

De Cortuſa.

FOliis tenuioribus, latis anguloſis ſeu in lacinias diviſis, floribus parvis à Paralyſi & Auricula urſi differt.

1. *Sanicula Alpina ſive Cortuſa Matthioli* Park. *San. Alp. Cluſii, ſive Cortuſa Matthioli* Ger. *Cortuſa* J. B. *Sanicula montana latifolia laciniata* C. B. **Bears-ear Sanicle.**

Cluſ.

Multa *folia* promit novo vere, ſatis craſſo pediculo nitentia, adeò ſeſe per oras initio contrahentia, pronâ parte, ut orbiculata videantur; admodum nervoſa & rugoſa, ſupina verò parte tumentia criſpáque ut Luſitanici Ranunculi aut Lactucæ capitatæ folia, deinde ubi ſeſe explicârunt, in ambitu non modò ſerrata, ſed etiam in ſex aut plures lacinias diviſa, omnino virentia, ſupernè quodammodo ſplendentia, infernè nequaquam, fervido guſtu; inter quæ palmaris exit *cauliculus*, firmus, rectus, nudus & ſine foliis, ſubpurpuraſcens, qui in ſummo Primularum & Auricularum inſtar, è medio quorundam foliorum capite octo, novem, aut plures profert *floſculos*, Campanulæ modo penſiles & deorſum ſpectantes, quinque crenis diviſos, elegantiſſimo rubro colore ſaturo & ad purpuram tendente, fundo interiore albo, in quinque angulos deſinente, prodeuntibus ex imo quinque *ſtaminulis* luteis, album fundum non ſuperantibus, & medium oblongum ſtylum complectentibus, ſuavis odoris ut ferè Auriculæ urſi rubræ flores: quibus defluentibus ſuccedunt ſurrecta *capitula*, tenue, fuſcum ut illa *ſemen* continentia: *Radix* numeroſis, longis tenuibus & nigricantibus fibris ex uno capite prodeuntibus conſtat, ſingulis annis ad latera augeſcens & incrementum ſumens, ut temporis ſucceſſu, veluti Auriculæ & Primulæ aliæque ſimiles in plures ſtirpes dividi & pangi poſſint. Tota planta hirſutiore lanugine pubeſcit.

Promiſcuè naſcitur cum Sanicula Alpina guttata in Auſtriæ & Stiriæ Alpibus umbroſo loco. *Locus.*

Singularis eſſe videtur & ſui generis planta, tum ab Auriculis urſi tum à Sanicula guttata diverſa.

2. *Cortuſa Indica vel Hedera terreſtris Indica* Bodæi à Stapel in Theophr. hiſt. *An Sanicula ſive Cortuſa Americana fruticoſa* Park.

Bod.

Ex *radicibus* capillaceis *cauliculos* promit repentes, ſubhirſutos: *Folia* Cortuſæ Matthioli ſimilia. Maio menſe *cauliculum* promit exiguum, digiti majoris longitudine, in quibus *floſculi* palliduli, antequam panduntur figurâ Hyacinthi Medici, poſtea ſtellares ac candidi, intus multis ſtaminibus præditi. Hanc ſpeciem nonnulli Cortuſam Americanam flore fimbriato appellant ad differentiam ſequentis. Vaſcula ſeminalia (obſervante * D. Hermanno Botanices Profeſſore in Academia Lugduno-batava, & Horti medici ibidem præfecto digniſſimo) cum Sanicula non conveniunt. Ego olim Cantabrigiæ plantam hanc flagellis repentem aliquot annos colui, verùm minùs tum diligens fui in obſervandis ſeminibus aut ſeminum conceptaculis. Anomala eſt planta, neque ut ſuſpicor, genere convenit cum Matthioli Cortuſa. Verùm quoniam Cortuſæ nomen uſurpavit, hic maneat donec ejus copia mihi facta fuerit.

* *Ex relatione D. Joſ. Palmer. M. D. Palmer.*

3. *Cortuſa Americana flore ſpicato, ſtellato* Hort. Lugd-bat.

Hæc à nemine deſcripta eſt, & D. Hermanno autore ad Pyrolæ claſſem referenda.

Folia ima longis pediculis inſident latis ſeu planis, Saniculæ guttatæ ferè in modum dentata, nec figura iis valdè diſſimilia, circumſcriptione ſcilicet ſubrotunda, ſed paulo longiora, majora. In caule bina ex adverſo ſibi reſpondent folia, minora multo iis quæ ad radicem ſunt, in acumen producta. Florum ſpica ſeſquipalmaria è raris *floſculis*, brevibus admodum pediculis inſidentibus compoſita: qui quales fuere neſcimus, jam enim cùm planta collecta fuit præterierant. Floſculis ſuccedunt vaſcula compreſſa, bicapſularia, Thlaſpeos æmula, quæ eodem modo dehiſcunt quo Pedicularis luteæ vaſcula, ſemina in utraque cellula nigra lucida ſeu ſplendentia anguloſa & oblonga continentia.

Plantam hanc in horto Regio Pariſienſi collegit, & exſiccatam ad me tranſmiſit doctiſſ. Vir *D. Hans Sloane*. Anomala eſt planta.

4. *Cortuſa Americana altera foliis minutim fimbriatis* Mentzel. *Sanicula ſive Cortuſa Americ. alt. &c.* Hort. Reg. Paris.

Floſculi albi, capillacei vix conſpiciuntur. *Semen* in capſulis rotundis nigrum, ſplendidúmque continetur.

Sanicula ſive Cortuſa Indica flore ſpicato fimbriato Dodarti, an à præcedentibus diſtincta?

Radicem obtinet ſubrubentem, capillatam, ſapore adſtringenti: multa inde protrudit germina, denſo ceſpite foliorum anguloſorum, denticulatorum utrinque hirſutorum, & pediculis piloſis inſidentium, triunciali longitudine, ſolum inumbrantia. E medio ceſpite exeunt *cauliculi* plures hirſuti, pedem alti, & ad mediam altitudinem nudi, ubi binis foliis ſibi mutuo oppoſitis, abſque pediculis adnatis, acutioribus magíſque dentatis iis quæ in imo ſeu ad radicem ſunt veſtiuntur: reliqua pars caulis versùs ſummitatem ſpicam producit floſculorum albentium caliciformium, in quinque lacinias diviſorum, colore albo ad rubrum tendente, pediculis breviſſimis adnexorum. Medium florem occupant octo aut decem *ſtamina apicibus* flavis inſtructa. Præterito flore calix grandeſcens fit capſula ſeu vaſculum, quinque aut ſex grana ovata, nigra ſplendentia continens.

Aprili & Maio menſibus floret: umbrâ gaudet. Americanæ originis eſt, unde ad nos tranſlata. *Tempus & Locus.*

CAP. IV.

1. *Chamæiaſme Alpina* J. B. *Sedum Alpinum* 4. *Cluſii* Ger. emac. *minimum Alpinum villoſum* Park. *Alpinum hirſutum lacteo flore* C. B.

R*Adix* huic exigua, nigricante cortice tecta, in ſuperficie terræ in multa capita ſe ſpargit, Sedorum minorum inſtar, quorum ſingula denſo cæſpite foliorum conſtant, [capitula hæc ocellos vocat J. Bauhinus] *Folia* autem perexigua ſunt, oblonga, anguſta [J. Bauhinus longitudinem ſemuncialem, latitudinem culmi iis attribuit] acuta, per margines æqualia, admodum villoſa, præcipuè circum oras, Paronychiæ vulgaris foliis figurâ nonnihil ſimilia: Inter quæ emergunt *cauliculi* duarum triúmve unciarum, teretes, rubentes, villoſi, rigidi, foliis nudi, geſtantes in ſummitate *floſculos* umbellatim diſpoſitos pro plantulæ modo magnos, eodem fere modo quo in Paralyſi montanâ dictâ. Singuli floſculi pedicellis brevibus inſident, è *caliculis* exiguis turgidulis, quinquepartitis exeuntes: ſunt illi revera monopetali, in quinque tamen ſegmenta ſeu folia expanſa ad ipſum uſque centrum ſeu umbilicum adeo diviſi, ut pentapetali videantur, Primulæ veris in modum; ſingula autem ſegmenta (ſeu petala mavis dicere) circumſcriptione ſubrotunda ſunt, non bifida ſeu cordata ut in Primula. Color carneus eſt, circa centrum tamen ſaturatiùs rubent.

Stamina nulla neque *ſtylus* conſpicua in floribus quos collegimus. Umbellæ exortum circumſtant foliola viridia, hirſuta, infimis humi ſtratis multò minora, plurimùm quinque, Tithymali Helioſcopii inſtar. *Vaſcula ſeminalia* ut in reliquis congeneribus.

Locus. In altiſſimo vertice montis Juræ *la Dolaz* dicto invenimus: J. Bauhinus in Rhætia veniendo Burmio Tigurum.

Floſculus in montium jugis dum recens eſt odoratiſſimus, Jaſmini inſtar, unde Chamæiaſmen Alpinam voco, Arthriticis Alpinis cognatam. Flos candidus, ætate rubeſcit. *Geſn.*

2. *Sedum minimum Alpinum villoſum alterum* Park. *An præcedentis varietas?*

Multos habet ceſpites ſeu capitula foliorum oblongorum, tenuibus ad margines pilis obſitorum, è quorum medio exoriuntur *cauliculi* tenues, tres quatuórve uncias alti, foliolis ſimilibus obſiti, tres quatuórve *floſculos* albos in cacumine geſtantes.

Ob nomen commune à Parkinſono impoſitum Chamæiaſme ſubjunximus, quamvis caulis folioſus diverſam arguit, & ad Sedum potiùs referendam.

CAP. V.

1. *Androſace Matthioli altera* J. B. Cluſ. *altera major Matthioli* Park. *Alſine affinis Androſace dicta major* C. B. *Androſaces annua ſpuria* Ger.

J. B.

RAdix ſingularis, tenuis, fibrata *caules* emittit ſeptem, plures aut pauciores (viginti interdum ut ego obſervavi) palmares aut dodrantales, nudos, enodes, teretes, hirſutos, [herbacei coloris, aliquando purpuraſcentis] quorum faſtigium in ſex, ſeptémve abit pediculos, unciales & longiores, *umbellam* mentientes, ad quorum coitum & exortum radiata foliorum ſeptem corona, oblongorum, piloſorum, paucis ſubinde crenis inciſorum; cæterùm ſinguli pediculi *calycem* geſtant majuſculum, in quinque lacinias acutas, foliorum inſtar habentes, diviſum; quorum umbilicum cum globulo *flos* obſidet albus, parvus, [in quinque crenas ſectus *Cluſ.*] quo marceſcente globulus in Piſi molem grandeſcens *ſemen* continet copioſum, triangulum, oblongum, ruffum, [Primulæ veris ſemini non diſpar ſed majus.] *Folia* frequentia per terram in orbem ſparguntur, uncias duas circiter longa, ſemunciam lata, hirſuta, Plantaginis inſtar nervoſa, & per ambitum ſubinde crenata, colore ex viridi palleſcente. [Capitella cum foliis præmanſa adſtringentis initio guſtûs, paulò poſt amari & acris deprehenduntur *Cluſ.*]

Locus. Copioſè naſcitur inter ſegetes circa Badenſes thermas, non procul Viennâ Auſtriæ. *Cluſ.*

* 2. *Alſine affinis Androſace dicta minor* C. B. *Item, Alſine minor Androſaces alterius Matthioli facie* ejuſdem C. B. *Androſace minor* Park.

C. B. prod.

Radiculam habet oblongam, tenuem, rufeſcentem, circa quam *foliola* multa, per terram ſparſa, parva, oblonga, oris crenatis; inter quæ *cauliculi* plures, nudi, nonnihil piloſi, æquales, duas, tres etiam quatuor uncias alti: Summo faſtigio quaſi umbella ex octo, decem, duodecim pedicellis compoſita inſidet: quorum ſinguli *floſculum* parvum, album, ex pericarpio prodeuntem ſuſtinent.

Locus. In arenoſis provenit non procul Herbipoli.

* 3. *Alſine verna Androſaces capitulis* C. B. *Androſace minima* Park.

C. B. prod.

Plantula eſt ſubhirſuta, unciarum trium, ad cujus *radiculam* ſimplicem & brevem *foliola* Paronychiæ vulg. minoris ſimillima, orbiculatim per terram ſparſa ſunt. Ramulos habet tenuiſſimos, biunciales, nudos, reflexos, circa quorum medium quaſi corolla quinque minutiſſimorum foliolorum, unde pedicelli quaterni aut plures exurgunt, & ſinguli *calyculum* exiguum, quinque apicibus donatum, è cujus meditullio *floſculus* parvus, albus emergit.

Hæc planta Northuſanæ alumna eſt.

CAP. VI.

De Apocyno.

A Vi & effectu nomen accepit hæc planta (inquit Columna) quæ quia canes interimit, à canibus nomen habet, *ἀπὸ τοῦ κυνὸς ἀπολλύειν* dicta.

Notæ ejus ſunt Folia in caulibus bina oppoſita; ſuccus lacteus; ſiliquæ lanigeræ & in plerîſque ſpeciebus geminæ.

Apocyno nullam vim homini ſalutarem ineſſe tradit Dioſcorides. Galenus non tantùm canes celerrimè interimere ſcribit, ſed & hominibus venenum eſſe, & extra ſolùm corpus impoſitum diſcutiendi vim habere.

Folia Apocyni Syriaci contuſa (ut ait Alpinus) tum in aqua cocta, emplaſtri modo opponuntur in frigidis tumoribus & doloribus. Ex lanugine parant cubilia Ægyptii in ſuum uſum. Utuntur etiam eâ ad excipiendum ignem ex ſilice excuſſum. Succus lacteus, quo ſcatet, calidiſſimus eſt & exurentis facultatis, quem plures in quibuſdam vaſis excipiunt ad depilanda coria; nam ſi aliquanto tempore in eo macerentur pilis nudantur, Lac quoq; ſiccatum præſtantiùs corpora ſolvit, atque dyſentericos fluxus etiam lethales facit. Eſt etiam præſtantiſſimum remedium ad impetiginem curandam, & ad plures cutis maculas & infectiones tollendas, ſi eo partes illinantur.

1. *Apocynum ſive Periploca ſcandens, folio longo, flore purpurante* J. B. *Apoc. folio oblongo* C. B. *Apoc. 2. anguſtifolium* Cluſ. *Periploca repens anguſtifolia* Ger. *Apoc. anguſtif. ſive repens* Park.

J. B.

Topiarii *operis* uſibus ad pergulas obumbrandas expetita eſt anadendras hæc planta, non aliter ac Periclymenum vicina adminicula ſolita ſcandere, vicinis pedamentis ſeſe convolvens (unde Periploca quaſi circumplectens, eò quòd proxima amplexetur dicitur) multis longiſſimis *ſarmentis*, quibus etiam præaltarum arborum (ſi vicinas nanciſcatur) cacumina ſuperat: ſunt verò ea *ſarmenta* dura, lignoſa, lenta, fractu invicta, rutilantis ex fuſco coloris, multis nodis ſive geniculis diſtincta: è quibus bina *folia* oppoſita. Aſclepiadis, ſed ex minùs lato principio ſenſim dilatata, ex intervallis, lacteo prægnantia ſucco, in mucronem acutum paullatim faceſſèntia, obliquis à medio nervo venulis, cis margines deſinentibus, ut in Myrto Laurea, quarum extremitates colligit vena, totum ambitum circumiens, viridis. *Flores* extremis ramulis lateralibus quaterni, quini aut plures, veluti umbellam conficiunt, quorum ſinguli quinq; foliis radiatis conſtant, quæ inferna parte glabra ex luteo vireſcunt, ſupernè verò hirſuta, obſoletâ purpurâ (cujus mediam aream rhomboides macula viridis obtinet) tincta ſunt, oris vireſcentibus, quà verò foliorum concurrunt exortus corollam efformant vegetioris purpuræ, quinq; ejuſdem coloris *ſtaminibus* intrò recurvis emiſſis; omnium autem medium occupat quinquepartitum, albidum, villoſum capitulum. Floribus porrò ſuccedunt *ſiliquæ* Rhododendri oblongæ, toroſæ, geminæ utplurimum, & extrorſum aliquantulum inflexæ ſive divaricatæ, deinde mucrone coaleſcentes; quibus dehiſcentibus papposâ lanugine involutum *ſemen* apparet. *Radix* latè ſe ſpargit & ſubinde germinat.

* 2. *Apocynum anguſto Salicis folio* C. B. Park. *Apocyno affinis Secamone flore albo* J. B. *Apocyni ſecundi ſpecies altera* Cluſ.

Alpin.

Planta eſt repens, altiùs ſaliens, ſéque arboribus convolvens, *foliis* duris, longis, Seſelios Æthiopici proximis, ſed majoribus. *Flores* fert albos, Styracis ſimiles, duos quatuorve ſimul copulatos, à quibus producuntur *ſiliquæ* longæ ac craſſæ, quales in Rhododendro cernuntur, plena lanugine alba, ac *ſeminibus* parvis. Ex hac planta ſuccus emanat flavus, urens, quem ſiccatum Ægyptii valenter tenues *Vires.* humores purgare aiunt.

Præcedenti (inquit Cluſius) per omnia fere ſimilis eſt, ſed tenuioribus ramis, multóque anguſtioribus foliis.

Ægypti incola eſt. *Locus.*

Parkinſonus Secamonem Ægyptiacam Alpini ab Apocyni ſecundi ſpecie altera ſeparat, & C. Bauhinum reprehendit, quòd eas conjunxerat Bontius malè hanc plantam Phaſeolum Indicum vocat.

* 3. *Apocynum folio ſubrotundo* C. B. *latifolium non repens* Park. *folio rotundo, flore ex albo palleſcente* J. B. *Periploca latifolia* Ger.

J. B.

Brevis frutex eſt ſtirps hæc, neque proximis ſe advolvens, verùm ſuis nixa viribus recta ſtat, pollicaris craſſitudinis ſtipite, in plures ramos diviſa, cortice cinereo. *Folia* ex adverſo bina ad ſingulos nodos naſcuntur, hederaceis ſimilia, non anguloſa, modicè acuminata, craſſa & mollia, uncialibus aut ſextantalibus pediculis hærentia, ſuccum remittentia ex albo palleſcentem; ex quorum ſinu *flores* ubertim emicant, longis innixi pediculis, umbellam quodammodo ementientes, candidi, è quinq; foliolis oblongis contexti. *Fructum* non obſervavit Cluſius, ſed Aſclepiadis fructui pænè ſimilem intellexit, cujus & ſemini *ſemen* par, planum, in medio aliquantulum intumeſcens, nigrum, albâ interiore pulpâ. *Radix* ſatis craſſa, pingui ſucco turgida & fragilis. Hyeme folia abjicit.

Locus natalis non certò traditur; Syriæ tamen & calidiorum regionum incola eſſe dicitur.

4. *Apocynum latifolium amplexicaule* J. B. *Scammoniæ Monſpeliacæ affinis* Park. *Scammon. Monſpel. affinis foliis acutioribus* C. B. *Apoc. 3. latifolium* Cluſ.

J. B.

Longis, tenuibus & frequentibus ſarmentis proxima quæque ſcandit, multiplici circumvolutione & arcto nexu illa amplectens, viridibus, geniculatis: *foliis* Hederæ, mollibus, ſubcineracei coloris, lacteo ſucco, ut etiam ſarmenta, adeò turgidis, ut vel leviſſimo vulnere non minùs copioſè quàm ex quovis Tithymali genere profiliat. *Flores* ex alarum ſinu multi umbellæ ferè in morem prodeunt, candidi, parvi, quinq; foliis perinde ac Aſclepiadis flores conſtantes: *Siliquæ* præterea ſimiles, multo tomento & lanugine plenæ, quâ *ſemen* occultatum planum, ex cineraceo fuſcum, Aſclepiadeo ſemini par. *Radices* candidæ & fragiles, ſarmentoſæ & fibroſæ admodum, longiſſimè hac illac ſerpunt & loca vicina occupant, hortulanis ob id moleſtæ, & odioſæ.

Circa Cataniam Siciliæ urbem collegimus, & Pincia Hiſpaniæ ad Cluſium miſſum eſt. *Locus.*

5. *Apocynum 4. latifolium Scammonea Valentina* Cluſ. *Scammonea Monſpeliaca dicta* Park. *Monſpel. flore parvo* J. B. *Monſpel. foliis rotundioribus* C. B. *Monſpelienſis* Ger.

J. B.

In longis, teretibus, tenuibus, bicubitalibus *ſarmentis*, vicina quæq; amplectentibus, ramoſis, *folia* naſcuntur oppoſita, Ariſtolochiæ Clematitidis, vel Aſari, falcata ad pediculum, in mucronem deſinentia, lata, denſa, glabra, albida, unciâ longioribus pediculis hærentia, ſucco lacteo prægnantia. *Flores* ex foliorum ſinu pediculo orto multifido inſident plures, confertim congeſti, parvi, ſtellati, albi. *Semen* Lobelio anguloſum, in utriculo minore quàm Ariſtolochiæ. *Radix* longa, digitali ferè craſſitudine, alba, longo (inquit Lobelius) reptatu multùm fibroſa, ſucculenta veluti reliqua planta.

Locus. Ad mare propè Monſpelium oritur, & ut Cluſius refert, in regni Valentini maritimis.

6. *Apocynum Syriacum Cluſii* Ger. emac. *rectum Americanum majus ſive latifolium* Park. *Deidelſar Alpini, ſive Apocynum Syriacum* J. B. *Lapathum Ægyptiacum lacteſcens ſiliquâ Aſclepiadis* C. B. *Wiſanck ſive Vincetoxicum Indianum* Ger.

Radice conſtat albâ, pollicem craſsâ, paucis fibris donatâ, quæ longo reptatu hortis non mediocriter infeſta eſt. Hyemem ſuperat humo ſepulta vivens. Sub finem Maii ſtolones teretes [Johnſono quadratos, digitali craſſitudine, concavos] lentos & fractu contumaces, duos tréſve cubitos altos, ſuperiore parte ramulos paucos è foliorum ſinubus alternatim emittentes exſerit: quibus alternatim bina ſemper adverſa, nullis intercedentibus pediculis adnaſcuntur folia, lata tres uncias, ſex longa, à latiore baſi in longum gracileſcente cono rotundata, firma quidem illa & craſſa, ad Aloes tamen craſſitudinem minimè deducta, aliquot nervis è media coſta exeuntibus ſatis craſſis, & averſa folii parte maximè conſpicuis prædita, ex viridi palleſcentia [Johnſono ſuperiùs obſcurè viridia, inferiùs albicantia] gravis odoris. Nec à tenera ſolùm adoleſcentia ſenili canitie, & inſperſis veluti pruinis cum virore albicat, ſed etiam caule, ramis, nervulíſque cunctis acre & amarum lac ubertim effundit hæc planta; quod concreſcens locis calidioribus, non ſaporis ſed candoris quadam ſimilitudine *Mann & Saccar el uſar* appellatum fuit.

Circa ſummum caulis faſtigium pediculi craſſi, ſinguli [non bifidi ut vult Cluſius] eximiam florum umbellam ſuſtinentes, quinquaginta, ſexaginta, aut etiam centum, vel pluribus floribus compoſitam, tenuibus, longíſque pediculis appenſis, & plerunque pendulis ſeu cernuis, terram reſpicientibus. Singuli autem flores componuntur primò è quinq; foliolis exiguis, viridantibus, retrorſùm reflexis, quæ pro calice inſerviunt; deinde *foliis* totidem quadruplo majoribus, retrorſum pariter reflexis, & prædicta calycis folia obtegentibus, hæc autem infernâ parte viridia ſunt, ſuperiore pallida cum aliquo rubore: reſtant tandem interiùs ſita quinque granula (ſi ità appellare liceat) externa facie Milii granis ſimilia, internâ concava, colore ſuave-rubente, è quorum ſingulis ſingula egrediuntur filamenta ſeu ſtamina, capitulum parvum ſubrotundum cingentia, inferiùs viride, ſuperiùs albicans. [Cluſius flores unico quidem folio conſtare, ſed quinque profundis inciſuris diviſo, inſtar florum Apocyni Aſclepiadíſve ſcribit.] Ex numeroſa florum compage vix una aut altera *ſiliqua* ſuccreſcit, quæ longitudine digitum implet, continétque membranaceo involucro ſemina lata, depreſſa, inſtar Coronæ Imperialis, frequentia & quaſi imbricatim diſpoſita, quibus ad germen promiſſa lanugo ſericea adnaſcitur, candidiſſima & molliſſima, ignem celeriter rapiens. Siliquæ cum ſemine & lanugine intus contenta Aſclepiadis ſiliquis ſimillimæ ſunt. Exteriùs fructûs membrana villis & rariore velut pube reſperſa videtur.

Parkinſonus noſter Apocynum ſuum rectum latifolium Americanum à *Beidelſar* Alpini, & *Oſſar* frutice Belli, i. e. Apocyno Syriaco Cluſii ſpecie diverſum putat, his rationibus inductus: 1. Quia Apocynum Americanum frutex non eſt, nec folia per hyemem retinet, *Oſſaris* Belli inſtar, ſed tota ejus ſuperficies hyeme quotannis emoritur, radice duntaxat in terra ſuperſtite latente. 2. Quia lac Apocyni Amer. acre & cauſticum non eſt. 3. Quia ſiliquæ Apocyni Amer. incurvæ ſunt & productiores, Beidelſaris autem rectæ & breviores. 4. Deniq; quia Apocynum Americanum radicibus inſigniter reptat; cujus qualitatis in Deſcriptionibus Belli & Alpini nulla mentio.

Nos tamen his non obſtantibus tum *Beidelſar* Alpini, tum *Oſſar* fruticem Belli unam & eandem cum Apocyno Americano *Park.* plantam eſſe minimè dubitamus: ſiquidem *Beidelſar* Alpini cum *Oſſar* frutice Belli ſpecie convenire tum nomen, tum locus natalis ſuadet. Beidelſar autem Alpini Apocyno Americano *Park.* eandem eſſe accuratior ejus deſcriptio quæ extat apud Illuſtriſſ. Veſlingium *Obſervationibus* in *Alpin. plant. Ægypt.* & ſiliquæ figura addita convincunt. Veſlingius enim ipſe in Ægypto peregrinatus eſt, & *Beidelſar* loco ſuo natali creſcentem vidit & deſcripſit. Nec obſtat, quòd Bellus *Oſſar* ſuum folia per hyemem retinere ſcribit, cùm eadem planta in calidioribus regionibus folia retinere, in frigidioribus amittere poſſit. Plantæ ipſæ inſpiciendæ & diligenter conferendæ ſunt.

* 7. *Apocynum Braſilianum amplexicaule fructu magno Beidelſaris*, Ibati *Braſilienſibus* Marggr.

Marggr.

Caule ſarmentoſo, exteriùs cinereo, interiùs viridi, ſpongioſo longè humi ſerpit, aut aliis plantis ſe implicat. *Folia* ſemper fert bina in ſuis pediculis ſibi oppoſita, figurâ cordis quando vetuſtiora, oblonga cùm juniora, mollia, ſubhirſuta exteriùs paulum incana, in caule quoq; multos ramulos ſurrectos, ſolitarios cum ſimilibus foliis appoſitis. *Floſculos* fert copioſos ad cujuſlibet folii pediculum, vario numero ſine propriis pediculis: quilibet autem conſtat quinque foliolis, & ſtellam quinquangularem aptè repræſentat: in medio habet obtuſum ſtamen, haud elevatum, cum coronula quadam; totus eſt pallidè luteus, interiùs umbratus, inodorus. Hinc provenit *fructus* oblongus, ovalis, in extremitate acuminatus, magnitudine ovi gallinacei, ex viridi ſubflavus, quando maturus, habens corticem craſſiorem Aurantii, exteriùs multis prominentiis inſtar aculeorum præditum: Fundit de ſe ſuccum lacteum glutinoſum, ità ut glutinis loco fungi poſſet: maturior aperit ſe, ac interiùs *ſemina* oblonga, nigra, inſigni ordine diſpoſita habet: quodlibet autem granum ſeminis habet floccum quaſi è pluma, coloris argentei ſplendidiſſimi. Hi flocci in extremitate fructûs interiùs etiam junguntur & ſuperior pars cavitatis fructûs monſtrat ſemina, inferior floccos illos argenteos, jucundo ſpectaculo. Tota planta olet graviter & copioſum lac habet albiſſimum.

* 8. *Apocynum Mexicanum Tepezentli dictum ſeu ſpicis Mayzii montani* Fr. Hernandez.

Herba eſt *folia* ferens purpuraſcentia, Limonii formâ ſed majora: *caules*, quinq; ferè dodrantes longos, teretes, purpureos, digitum craſſos, geniculatos per intervalla, *fructum* Chilli [Capſici] refertum *ſemine* planè orbiculari, & lanugine comprehenſo; *radicem* verò contortam & candidam, quibuſdam veluti glandibus adhæreſcentibus.

Naſcitur in frigidis & ſaxoſis locis. ***Locus.***

Radix extra intúſque candeſcit, guſtata virus minimè ingratum olet, Pæoniæ ſimile. Senſum ***Vires.*** aliquem caloris, nè dicam uredinis præbet circa guttur. Tuſa ac ℥iij pondere ex aqua devorata omne humorum genus ſupra infráque evacuare dicitur.

* 9. *Apocynum Canadenſe anguſtifolium flore Aurantii* Moriſ. prælud.

Moriſ.

Vix bipedalem excedit altitudinem: folia gerit anguſta, longiora multò Apocyno ſurrecto umbellifero *Cornuti*, [quod nos pro Beidelſar Alpini habemus] In caulium ſummis faſtigiis *flores* aureos aut aurantii coloris gerit: quibus ſingulatim ſuccedunt *ſiliquæ* membranaceæ, papposæ materiæ intermixta *ſemina* compreſſa, rufa (cæterorum ritu) continentes.

* 10. *Apocynum Virginianum flore herbaceo, ſiliquâ longiſſimâ* Moriſ. prælud.

Moriſ.

Hujus *folia* lata ſunt, glabra, Beidelſar Arabum foliis magnitudine accedentia. *Caules* habet ternos aut quaternos pedes altos, ſubrubros. In ſummis alis caulium proveniunt *floſculi* herbacei, ejuſdem cum cæteris ſuæ ſortis formæ, ſed multo minores; quibus flaccidis ſuccedunt *ſiliquæ*, dodrantales, tenuiſſimæ, pappoſam materiam & *ſemina* compreſſa, aliorum more claudentes. Lacteſcit etiam aliorum Apocynorum & Aſclepiadum modo.

* 11. *Apocynum Indicum minus Nummulariæ foliis* * Breynii.

Breyn.

* *Ephemer. German. Ann. 4, & 5, 6. Obſ. 138.*

Simile eſt Apocyno primo latifolio Cluſii; & ſicut minus ità in omnibus ſubtilius deprehenditur. *Caules* profert tenues, teretes, concavos, lacteſcentes: per quos ad genicula naſcuntur *folia* gemina, contrario ſitu oppoſita, Nummulariæ paria, magis acuminata, quorum unum majus alterúmque minus, ſemuncialibus & longioribus pedicellis nixa. *Floſculi* perpuſilli, muſcoſi, in caulium & ramorum apicibus, ac inter foliorum alas alterno ordine, in umbellis parvis, cauliculis tenuiſſimis ſeſcuncialibus inſidentibus diſpoſiti.

In Inſula *Zeilan* oritur. ***Locus.***

12. *Apocynum minus rectum Canadenſe* Cornuti. *rectum anguſtifolium Americanum minus.* Park.

Cornut.

Longè aliter ſe habet Apocynum minus, neq; enim ſub terra repit ut Syriacum, ſed per ſummam terram multis radicum fibramentis apricatur. Maio revireſcit, *foliis* anguſtis, digitum longis & acutis, per teretem & atropurpureum *caulem* geminatim præcedentis more diſpoſitis: altitudine vix cubitum æquat caulis, qui in ſummo *floribus* ornatur multis, umbellæ formâ: hi ſimilis quidem cum Apocyno Syriaco figuræ, ſed ſaturatiore purpurâ nitent.

Cùm defloruit caulis in duos cauliculos dividitur, qui elatiores facti alteram in faſtigio florum umbellam proferunt. Lentor quoq; pariter florem obtegit, & à muſcis tuetur, qui ſi temerè advolent, viſco implicatis pediculis tenaciùs adhæreſcunt, & fruſtra alarum niſu vitæ conſulere tentant. Sub Autumnum è floribus naſcitur folliculus unus aut alter, membraneus, Aſclepiadis inſtar, in quo *ſemina* depreſſa & lata concluduntur, à quorum acutiori parte pappoſa lanugo dependet. Planta hæc lacteo ſucco deleterio turget.

* 13. *Apocynum Canadenſe foliis Androſæmi majoris* Bocconi, Moriſon.

Bocc.

Hæc planta raritate atque elegantiâ inſignis, Arbuſculæ more erigitur: *Caule* pedali & longiore, enodi, aphyllo, ſubrufo, ſupernè in varios & multiplices ramos diſtributo atq; diviſo, donatur. *Folia* bina, ſubrotunda, Androſæmi majoris foliis quàm proximè accedentia, è regione petiolis ſuis caulibus hærentia, adornant totius plantæ compagem. Ab extremis cymis caulium exeunt ramatim *floſculi*, è diluto rubore leviter purpuraſcentes Lilii convallium aut Unedonis caliculati; quibus ſubeunt *ſiliquæ* Aſclepiadis anguſtiores, candidâ intus lanugine & ſemine compreſſo, plano, ſubruffi coloris refertæ. *Radices* longè latéque ſub terram ſerpentes admodum vivaces ſunt, & ſubinde progerminant etiam in calcatis areolarum ſemitis. Lacteo ſucco ſcatet, qui emanat quacunq; parte vulneretur, cæterorum ſui generis omnium adinſtar. Muſcarum pernicies eſt ſi floribus inſideant.

Lutetiæ in horto Regio vidit.

In horto Chelſiano propè Londinum colitur ſub nomine Apocyni flore Lilii convallium purpu- ***Locus.*** raſcente, ut nos monuit D. *Tancredus Robinſon.*

CAP.

CAP. VII.

De Aſclepiade ſeu Vincetoxico.

ASclepias dicitur ab antiquo medico, nec dubium quin illud nomen ei impoſitum ſit à vi quâ venenis reſiſtit. *Jo. Bod.*

Nomen Vicetoxici vel Vincetoxici barbarum eſt, & à recentioribus huic impoſitum, quod illi inſignis adversùs venena vis inſit. Vox conflata eſt ex *vinco* & *toxicum*, rectiùs *νικητόξικον* utrâq; voce Græca dixiſſent. *Idem.*

Hirundinariam etiam vocant à fructu ſeu potiùs ſiliquis quas producit, quæ dehiſcentes plumoſum oſtendunt ſemen, atq; Hirundinis figuram referunt. *Idem.*

Ab Apocyno differt ſucco limpido, ſiliquis ſingularibus Ciconiæ roſtrum referentibus. At Columna Aſclepiadem ſucco dilutè luteo turgere ſcribit, non limpido ſeu aqueo.

1. *Aſclepias flore albo* Park. Ger. C. B. *Aſclepias ſive Vincetoxicum multis floribus albicantibus* J. B.
Swallow-wort.

J. B.

Numeroſas *radix* demittit fibras, benè habitas, longas, albas, guſtu nauſeoſo, *caules* ſurrigens lentos, cubitum & ſeſquicubitum altos, hirſutos, geniculatos: ad quorum genicula bina ſemper *folia* adverſa, ex brevibus pediculis ſurſum vergentibus, nonnihil per extremos margines & nervos hirſuta, formâ hederaceorum, longiora, rugoſiora: Ex quorum alis pediculi prodeuntes, *flores* privatis inſuper pedicellis donatos ſuſtinent, albicantes, pentapetaloides, quinq; apicibus concoloribus rotulæ modo, ſeſſiliq; piſtillo viridi medium occupantibus. Hiſce ſuccedunt *cornicula*, ſeſcunciam aut ampliùs longa, *ſemen* tomento involutum continentia ruffum.

Locus. Per Germaniam, Italiam & Galliam Narbonenſem non in montoſis tantùm, ſed etiam in dumetis & ſepibus ubiq; ferè invenitur.

Vires. *Radix* hujus herbæ alexipharmaca ac ſudorifera eſt inſignis. Uſus præcipui in peſte aliiſq; venenoſis affectibus, in obſtructionibus menſium, in palpitatione cordis ac lipothymia, in Hydrope. *Semen* commendatur ad calculum. Extrinſecùs uſus tam florum, quàm radicum ac ſeminis eſt in ulceribus ſordidis ac malignis purificandis, ad ictus inſectorum venenatorum, in ulceribus mammarum, &c.

De vi ejus ad Hydropem vide J. Bauhinum & Tragum, item Ephemer. German. An. 1. Obſerv. 156.

Radix pondere ſemilibræ per noctem in vino macerata, & deinde uſq; ad tertias decocta, manè jejuno ſtomacho calida pota, ſudore interim provocato, mirificè expellit aquam intercutem, adeò ut illa per pedum plantas erumpat, eſtq; hoc ſingulare experimentum.

Nobis interim mirum videtur Apocynum malignam & lethiferam eſſe herbam, Aſclepiadem autem ei planè congenerem ſalutarem. At Pena & Lobelius in Adverſ. ſe certum exploratúmque habere aiunt jam diu Apocynum latifolium ſaltem aliis venenis à cane devoratis antipharmacum fuiſſe: quibus contraria ſcribit Cluſius.

* 2. *Aſclepias anguſtifolia flore flaveſcente* Hort. Reg. Pariſ. & Blæſ.

3. *Aſclepias flore nigro* Ger. Park. C. B. *flore nigro quorundam* J. B.

Col.

Radice nititur fibroſa, Aſclepiadi non diſſimili: *caulibus* ſeu viticulis flexibus, lævibus, duos aut tres cubitos longis, in multas alas diviſis, quælibet fulcra, Periplocæ inſtar ſe circumvolvendo, conſcendentibus, in altum enititur. *Folia* habet ſucculenta, mollia, viridia, lævia, Aſclepiadis ſimilia, nonnihil in ſummo acuminata. *Flores* Apocyno repenti vulgari ſimiles, ſed colore pullo, parùm in purpureum vergente, quamobrem nigrum florem habere dicitur. *Siliquas* & *ſemina* papposa, uti aliud vulgare Apocynum, compreſſa & nigra Auguſto menſe perficit. Tota planta ſucco turget luteo, ingrato.

Locus. Hanc in collibus Monſpelienſis agri Frontignanæ vicinis naſci tradit Lobelius.

* 4. *Aſclepias Cretica Cluſii* J. B. Park. *Aſclepias ſiliquâ bifido mucrone* C. B.

Ab Aſclepiade vulgari flore albo in paucis differt, ut deſcriptiones conferenti apud J. Bauhinum patebit. *Foliis* nimirum dilutiùs virentibus, *ſiliquis* brevioribus ſed craſſioribus, ſtriatis, bifido mucrone, interdum ſingularibus, nonnunquam geminis. *Floſculi* terni aut quaterni ſimul prodeunt, pediculis brevibus nitentes.

CAP.

CAP. VIII.

De Clematide Daphnoide ſeu Vinca pervinca.

CLematis hæc dicitur quia inſtar κλημάτων repentes proferat cauliculos, quos κλήματα [ſarmenta] Græci vocant: Daphnoides verò, cùm à Lauri foliorum figurâ, tum ad differentiam aliarum cognominum. *Dod.* Vinca pervinca, quòd humi ſerpat, & ſe in modum fruticuli porrigat, vicina quæque vinciens. *Fuch.*

Notæ ejus ſunt ſarmenta longa, repentia, folia glabra, colore & conſiſtentiâ hederaceorum, flos amplus, ſiliqua ad ſingulos flores gemina non lanigera.

A. 1. *Clematis Daphnoides minor* C. B. J. B. *Vincapervinca minor* Ger. *vulgaris* Park. **Periwinkle.**

J. B.

Flagellis reptatricibus, humi fuſis, latè ſe propagat. *Radix* fibroſa eſt: ſarmenta multa, tenuia, teretia, virentia & geniculata, è geniculis emiſſis fibris rurſum radicantur. *Folia* è geniculis bina oppoſita, Laurinis ſimilia [colore & conſiſtentia Hederaceorum ut nobis quidem videtur] minora tamen multò, acuta, rigida, lævia, brevibus pediculis appenſa, ſupernè ſaturato virore nitentia, infernè dilutiore, ſapore adſtringente, ſubamaro. *Flos* pediculo è geniculis enato, duas uncias longo, ſingulari ſingularis inſidet, oblongus Gelſemini modo, nunc ſimplex, in quinque lacinias altiuſculas & latas diſſectus, nunc aucto foliorum numero multiplex, quorum interiora modò bina, modò terna, ad imum integra, ſuperiùs ut extima laciniantur duntaxat, aliàs penitus ſeparata. Color ſimplici cœruleus cum apicibus concoloribus, ſed dilutioribus parùm, vel albus cum ſtaminulis luteis, piſtillo albo, fundo candidis verſibus ſtriato; vel pulcherrimo ſpectaculo violaceum florem per ſingulas lacinias à ſummo ad imum linea decurrit lactea, id quod & in multiplici obſervatur. Verùm quæ multiplici eſt flore eam non alio quàm purpureo aut purpuro-violaceo colore obſervavi, & bicolore ut dictum. Flori ſuccedit ſed rariſſimè *ſiliqua* bicornis, Cæſalpinus. *Cornicula tenuia ſunt, arcuata, utrâque extremitate cohærentia, bina plerunque ſemina continentia, oblonga, Seſelios.*

Ad ſepes & in aggeribus foſſarum. *Locus.*

Vires. Vulneraria inſignis eſt. Uſus præcip. in fluxionibus alvi, dyſenteria, hæmorrhoidibus, expuitione ſanguinis, hæmorrhagia narium, vulneribus ſeroſo liquore manantibus. Extrinſecùs in profluvio menſium, in laxitate ac dolore dentium: lac extinctum revocat. *Schrod.*

Folia ore retenta ſanguinis fluxum è naribus erumpentem compreſſiſſe frequenter vidimus, inquit Coſtæus libro ſuo de ſtirpium differentiis.

Folia recentia ſuper chartam bibulam vel emporeticam impoſito ſuperiùs lino pexo interbaſtata, & thuris odore ſuffita, conſilio muliérculæ cujuſdam in ſtrumis adhibita, diſcuſſere tumorem brevi tempore, qui per anni ſpatium aliis medicamentis à medico docto præſcriptis contumax obſtiterat. Eodem medicamento ejuſdem mulieris monitu pro deplorato relictus curatus eſt antea. *D. Hulſe.*

Vinum turbidum, quodque colorem amiſit, hujus herba q. ſ. vaſi impoſita, intra quindecim dies purum clarumque & genuini coloris reddet. Expert. Trag. Præſtabit tamen ut vinum priùs in aliud vas transferatur.

2. *Clematis Daphnoides major* C. B. *Cl. Daph. major flore cœruleo & albo* J. B. *Cl. Daph. ſive Pervinca major* Ger. *Clem. Daph. latifolia ſive Vinca pervinca major* Park.

J. B.

Per omnia major eſt Pervinca vulgari. *Folia* quæ oppoſita, ex ſemuncialibus & longioribus pediculis appenſa, è viticulis junco craſſioribus oriuntur, tres circiter uncias lata, paulò longiora, nunc acutiora, nunc obtuſiora, cum acrimonia amareſcunt ſaporis ingrati. *Flores* ex foliorum alis, pediculis hærent ſemuncialibus, longo corniculo, diviſione & formâ florum Pervincæ vulgatioris, ſed, ut par eſt, multò majora, coloris cœrulei vel interdum albi. In hac ſiliquas ſive cornicula ſingularia obſervavimus. Apud nos frigore interdum abſumitur.

Circa Monſpelium frequens reperitur. *Locus.*

CAP. IX.

De Centaurio minore, purpureo, luteòve non perfoliato.

CEntaurium unde nomen accepit diximus in capite de * Centaurio majore. ** Lib. 7. cap. 14.*

Notæ Centaurii minoris non perfoliati ſunt flores è tubo oblongo in quinque ſegmenta acuta expanſi, in ſummis caulibus & ramulis crebri, ſapor amarus, ſemina minutiſſima.

Centaurium luteum perfoliatum toto genere ab hoc differt, ſapore duntaxat amaro & ſeminum parvitate convenit.

A. 1. *Centaurium minus* C. B. *minus vulgare* Park. *minus flore purpureo & albo* J. B. *parvum* Ger. **Small purple Centory.**

J. B.

Radix ei parva, alba, lignoſa, obliquè acta, ſurculoſa, exucca & inſipida. *Caulis* plerunque unicus, anguloſus, dodrantalis aut pedalis, lævis, firmus. *Folia* alia in terram ſparguntur, alia in caule bina ex adverſo ſita, Hyperici foliis majora, glabra, viridia, tribus nervis inſignioribus, averſa parte maximè conſpicuis, ſecundùm longitudinem excurrentibus donata. *Flores* in ſummitatibus caulis & ramorum, plures ſimul juncti, nullis pediculis donati, è tubo longo in quinque ſegmenta mucronata totidem folia imitantia expanſi, ſuave-rubentes, apicibus pariter quinque luteis. *Calix* floris quinque foliolis anguſtis, acutis componitur. Floribus ſuccedunt *capitula* longa ſtrigoſa, *ſeminibus* minutiſſimis arenularum ſimilibus plena.

Sunt autem, inquit J. Bauhinus, tum flores tum folia inſigni amarore prædita.

Græcis Κενταύρειον μικρὸν: Plinius ob ſummam amaritudinem Fel terræ dici affirmat. Italis *Febrifuga*.

Locus. Julio menſe floret, in paſcuis ſiccioribus frequens.

Hortenſe ſolum reſpuit, nec hortis quamcunque adhibueris curam aſſueſcit. *Jo. Bod. à Stapel in Theoph. hiſt*. lib. 2. cap. 2. p. 87. Et iterum lib. 9. cap. 9. pag. 1045. Illud experientiâ didici, Centaurium in hortos tranſlatum eodem periri anno, nec unquam ex ſemine renaſci. *Verùm in horto noſtro ſemel ſuccrevit ex ſemine, viguit, floruit, & ſemen perfecit.*

2. *Centaurium minus ſpicatum* C. B. Park.

C. B. prod.

Ex *radice* parva, alba, fibroſa *caulis* exurgit mox in duos palmares & ſemipalmares, ſtriatos, híque in alios diviſi. *Folia* ſunt parva, pediculis carentia, quorum prima lata, ſubrotunda, ſuperiora anguſta, acuminata, quandóque bina adverſo ſitu caulem amplexantia. *Flores* oblongi, non ſemper albi, ut vult C. Bauhinus, ſed frequentiùs purpurei, præcedentis ſimiles, ab imo ſurſum per ramulos ſparſi, ſinguli utplurimum ex una caulis parte ſibi invicem ſuccedentes, è vaſculis folioſis prodeunt. His *ſiliquæ* ut in vulgari *ſemen* minutum continentes ſuccedunt.

Locus. In agro Monſpelienſi & alibi in Gallia Narbonenſi frequens eſt.

* 3. *Centaurium purpureum minimum* Moriſ. hiſt. & prælud.

Moriſ.

Caules biunciales & triunciales ramatim fert: *flores* purpureos, minimos, pentapetalos: *capſulas* ſeminales minores, & *ſemina* multa exilia Centaurii minoris vulgaris rubri modo.

Locus. In humidis circa ſtagna æſtate exiccata locis provenit.

Centaurii min. varietates. D. Wheeler in Itiner. duas proponit Centaurii varietates, nimirum Cent. ramoſum rubrum & album in inſula Corcyra obſervatas.

4. *Centaurium luteum novum* Col. *luteum puſillum* C. B. *minimum luteum* Park. *Centaurii lutei varietas* Park.

Col.

Dodrantalis eſt, *radice* perquam exiguâ, lignosâ, pallente: *foliis* in imo ſtratis ut congeneris & vulgaris flore purpureo, ſed minoribus: *caule* anguloſo, binis oblongis *foliolis* alternatim per intervalla hærentibus ut in vulgari, ſed duplo minoribus, Rutæ proximis: in ſummo verò *flores* binos aut unicum, longis calycibus pro baſi inſidentes, colore luteo, Maio menſe hiantes, ſemine ut congeneris. Sapor amarus plantæ admodum, ſed non tam intenſus ut vulgaris purpurei.

Locus. In tecto veteris ædificii Baiani *Piſcina mirabilis* dicti obſervavimus; verùm quod ibi ortum eſt ſolo floris colore à minore purpureo differre nobis videbatur. Columna in maritimis oppidi dicti vulgò *Torre della Nunciata*, non longè à Stabii ruinis, in Veſuvii montis radice illud primùm invenit.

A. 5. *Centaurium paluſtre luteum minimum.*

Radix ei alba, lignoſa, ſimplex, nonnunquam fibris majoribus donata. *Folia* ad radicem parva, anguſta, oblonga. *Caulis* trium circiter digitorum altitudine aſſurgit, nunc ſimplex, nunc multiplex, ramoſus: ad cujus ſingula genicula, duo ex adverſo ſita foliola anguſta, acuta. *Flores* in ſummis ramulis longis pediculis ſubnixi, lutei, exigui, ferè ſemper clauſi, quinque petalis (quantum deprehendere licuit) mihi viſi ſunt componi. Vaſculum ſeminale figuræ ellipticæ, per maturitatem in duas carinas dehiſcit, & *ſemen* effundit minutiſſimum, ſubrotundum, ex ruffo nigricans.

Locus. Verſùs extrema Cornubiæ locis putridis & lacuſtribus provenit, nec alibi obſervavimus.

* 6. *Centaurium minus Braſilianum* Breynii.

Breyn.

Pulchra hæc plantula *radice* nititur flaveſcente, tenui, fibroſa, uncias duas longa & nonnihil longiore, guſtu amaro. Ex qua *Caulis* geniculatus, pertenuis, erectus, dodrantali altitudine caudicis loco exit; qui in ſummitate in ramos duos, quaſi brachia expanſa, dividitur, & hi in ramulos rurſus alios, unciales & majores, alterno ordine plerunque poſitos; *Foliis* oblongis dilutè viridibus, Geniſtæ tinctoriæ formâ haud abſimilibus, binis ſemper ad ſingula genicula ſitu adverſo poſitis cinctus. *Floſculum* quidem in caulis apice inter brachiorum juncturam tantùm fert unicum; ſed plures tam in extremitatibus ramulorum, quàm inter foliorum illorum alas, perpulchros, purpureos, tubuloſos, in quatuor folia rotunda exeuntes, Centaurii vulgaris floſculis duplo majores; è *calyculis* ſpectabilibus admodum, quadrangularibus, membranaceis & rigidiuſculis, venulas conſpicuas, & in quolibet

libet angulo fimbriam latam habentibus, prodeuntes. Hos *capſulæ* anguſtæ, oblongæ, Centaurii minoris æmulæ, ſeminibus rotundis minutis & fuſcis refertæ, ſequuntur.

Cap. X.

Centaurium luteum perfoliatum.

HUjus notæ ſunt Folia in caule adverſa in unum coaleſcentia ut in Dipſaco, colore glauco; flores eorumque calyces in octo lacinias, totidem folia imitantes, diviſi.

A. *Centaurium luteum perfoliatum* C. B. J. B. *minus luteum perfoliatum ramoſum* Park. *parvum luteum* Ger. **Yellow Centory.**

J. B.

Inutili, fibroſa, multifidâque albâ *radice* nititur; *caulem* tollens modò ſimplicem, modò ramoſum, teretem, glabrum, ſeſquipalmarem aut dodrantalem; qui *folium* ad ſingula genicula gemellum, mucronatum trajicit, haud ſecus atque calidarum regionum Periclymenum: cæteroqui circa radicem proximéque terram ſternuntur *folia* multa in orbem, Saponariæ vulgari non diſſimilia majora tamen & candicantia, ſeu glauco quodam polline, qui digitis facilè detergitur, (ut & tota planta) obducta. Summus caulis in *florem* unciali aut breviori pediculo ſuffultum, velut in divortio ſeu angulo duorum ramorum (qui ad utrumque ejus latus oriuntur) ſitum, terminatur. Ramuli iſti altiùs aſſurgentes primùm in duos dividuntur ramos, inter quos in rectum aſſurgens conſiſtit flos, & deinceps ramuli eodem ordine ſubdividuntur, donec ad extremos ſurculos ventum ſit. *Flos* quàm Centaurii min. purpurei major, calicis loco octo plerunque anguſtiſſimis foliolis obvallatus, è tubo vaſculum ſeminale amplectente in octo plerunque folia, aureo fulgore micantia expanditur: quos magna excipiunt *vaſcula* ſubrotunda, *ſemen* copioſum minutiſſimum nigrum claudentia.

Herba perquàm amara eſt, non autem flos.

Floret apud nos Julio & Auguſto menſibus, ſeriùs citiúſve pro anni temperatura. *Tempus*

In montoſis & ſiccioribus pratis. *Locus.*

Centaurii minoris vires ſummatim recenſet Schroderus his verbis.

Spleneticum eſt & hepaticum, amarum citra mordacitatem, unde & leviter aſtringens, extergens, aperiens, vulnerarium. *Vires.* Utile eſt in ictero, menſibus ſuppreſſis, Scorbuto, arthritide, lumbricis, & ſpecificè in morſu canis rabidi. Datur ejus decoctum utiliter tertianariis, quòd bilem per inferna dejicere dicatur, quo factum eſt ut quidam hanc herbam Febrifugam vocaverint.

Cæterum quod Dioſcorides, & poſt eum Galenus, eóſque ſecuti ferè omnes Botanici ſcribant bilem & pituitoſos humores per alvum educere, iſchiadiciſque infundi decoctum (inquit Dodonæus) tametſi frequenter & feliciter hoc uſi, per alvum tamen expurgationem ullam facere obſervare non potuimus, &c.

Dodonæo ſe opponit C. Hofmannus, Licet enim (inquit) Centaurium noſtrum minus purget quàm Veterum; non ob id tamen non purgat. Videmus enim ſi debita quantitas detur quòd purget. Controverſiam experientiâ determinandam relinquimus.

Herbæ comæque decoctum lentigines, varos, alphos & cæteras cutis infectiones exterit. In Hetruria Biondella nuncupatur, quoniam extergendis dealbandiſque mulierum capillis ex lixivio plurimùm præſtat. *Matth.*

Novi hominem qui pro deſperato relictus importuno hauſtu Centaurii min. in potulentis, & hauſtu decoctionis fortis in vino omni mane ab ictero convaluit. D. Bates in M. S. communicavit *D. Hulſe.*

Frequentiſſimo certiſſimóque eſt mulierculis remedio dum menſium obſtructione infeſtantur, quos decocto Centaurii hujus proritant. *Sim. Pauli.*

Sal Centaurii minoris certo experimento Tertianam fugat: & aqua ejus deſtillata uſui eſt ut in eâ pulveres febrifugi, vel ſal ejus diſſolvantur paroxyſmi tempore propinandi, ut largiter ſudent.

Contra furfures & cruſtoſam capitis ſcabiem vix præſtantius ullum decoctum reperietis quàm Centaurii min. ex piſorum iſto brodio paratum quod coqui profundunt, quando ad eam uſque mollitiem cocta ſunt deglubenda ut pinſi queant. Illo enim decocto ſi lavetur caput inſigniter furfures & ſcabiem deterget, imò unà myriades pediculorum enecat. *Idem.*

Tantæ æſtimationis eſt hæc herba apud Germanos, ut vix vinum medicatum ſeu abſinthites vulgus paret, cujus partem non conſtituat. *Schrod.*

Galenus ob inſignes miráſque hujus plantæ facultates de ea & ipſius viridibus integrum librum conſcripſit.

Ad Iſchiadem, ℞ Centaurii min. q. s. decoquatur, per clyſterem infuſum mirificum eſt auxilium: humorem enim elicit, & dolorem ſedat. *Fernelius.*

CAP. XI.

De Verbaſco.

VErbaſcum nonnullis quaſi Barbaſcum dictum putatur, quia folia ejus piloſa ſunt: Italis enim *Barbaſſo*, & prima ſpecies vulgo Tapſus barbatus dicitur. Plinius à Verbena deducit. Græcis φλόμος appellatur, ἀπὸ τῆς φλογὸς à *flamma*, quòd ejus foliis & caulibus in laternis pro ellychniis uterentur.

Notæ ejus ſunt folia in caulibus alterna, flores in thyrſis oblongis conferti, non horizontaliter ſiti ſed potius ad horizontem perpendiculares; capſulæ bivalves conicæ aut turbinatæ.

A. I. *Verbaſcum mas latifolium luteum* C. B. *vulgare, flore luteo magno, folio maximo* J. B. *Verbaſcum album vulgare, ſive Tapſus barbatus communis* Park. *Tapſus barbatus* Ger. **White Mullein, High-taper, Cows lungwort.**

Radix alba, lignoſa, ſimplex fibras aliquot grandiores è lateribus emittit, minor quàm pro plantæ modo, craſſitie pollicari. *Folia* ad radicem multa, dodrantem longa, quatuor pollices lata, molli & incana lanugine utrinque hirſuta, per margines leviter crenata. *Caulis* plerunque unicus, bicubitalis aut tricubitalis, teres, hirſutus, rigidus, medullâ farctus, foliis nullo ordine poſitis, crebris, immediate adnatis, iis quæ ad radicem ſimilibus veſtitus, longis appendicibus hinc inde productis caulem velut alatum efficientibus. In ſummo caule *flores* in longo thyrſo conferti clavæ figuram referunt. *Flores* autem ſingulares non maximi ſunt, monopetali, in quinque tamen lacinias obtuſas, totidem folia imitantes diviſi, cum quinque intus ſtaminibus villoſis, flavis, apicibus rubentibus, & ſtylo in medio virente. *Pediculi* florum breviſſimi ſunt, *calices* hirſuti, in quinque ſegmenta acuta diviſi. *Vaſculum ſeminale* non ſphæricum, ſed oblongius, acuminatum, raſili lanugine hirſutum, quod per maturitatem in binas carinas dehiſcit, *ſeminibus* parvis, pullis repletum.

Locus. Ad agrorum margines, & in aggeribus foſſarum, nonnunquam in muris & ruderibus.

* 2. *Verbaſcum maximum Meridionalium odoratum duplex luteum & album* J. B. *Verbaſcum fœmina flore luteo magno* C. B. *item Verbaſcum fœmina flore albo* ejuſdem. *Verbaſcum album* Ger. *& Verbaſc. lychnite* ejuſdem. *Verb. mas foliis longioribus* Park. *& Verb. fœmina flore albo vel pallido* ejuſdem.

Lob. Ad.

Excellit maximus odoratus Meridionalium Thapſus barbatus, ut magnitudine foliorum, ſic etiam odore ſuavi, omnibus Verbaſcis, varietas tametſi tantùm videtur deſcripti communis Phlomi: floribus quippe luteis & interdum albis exit, ſenis foliolis, quæ arantur rubris lineolis, odore ſuaviſſimo; folio longiore, latiore: *radice* craſſa, nec alicubi diſſimilis tota planta.

Cùm Lobelius ipſe fateatur hanc varietatem tantùm eſſe communis Phlomi; nec nobis in agro Pedemontano, Italia aut Gallia Narbonenſi eam contigit videre, in Angliæ autem campeſtribus non inveniri certum ſit, non immerito dubitamus an detur hujuſmodi planta. Verùm mentio ejus à tot Botanicis facta, & icon quæ extat à planta ipſa, ut veriſimillimum eſt, deſumpta contrarium ſuadent: quin & utraque varietas habetur in Catalogo horti Regii Pariſienſis.

3. *Verbaſcum pulverulentum flore luteo parvo* J. B. *mas foliis anguſtioribus, floribus pallidis* C. B. **Hoary, or dusty Mullein.**

Radix pro plantæ ratione non admodum craſſa, alba, ſurculoſa, ſapore amaro. *Caules* bicubitales & tricubitales, teretes, unà cum foliis & floribus pulviſculo candicante, qui facilè detergi queat obducti, ex ſingulis radicibus ſinguli, ab imo ad ſummum uſque ramoſi, ramulis qui in longos florum thyrſos caulem undique obvallantes ipſúmque ferè altitudine æquantes exeunt. *Folia* ima pedem & interdum cubitum longa, palmum aut ſemipedem lata, pediculos manifeſtos non habent, à principio tamen anguſtiore paulatim in latitudinem funduntur, deinde rurſus in acumen ſenſim deſinunt, circa margines obſcurè crenata, in caule creberrima, alternatim adnata, quæ primo exeunt utrinque lanuginoſa, poſteriora ferè glabra [gravis ſi fricentur odoris, ſapore herbaceo cum tantillo amarore.] *Flores* in ſummis caulibus & ramulis conferti, & velut racematim naſcentes, pediculis admodum brevibus, monopetali, in quinque ſubrotunda ſegmenta partiti, pallidè flavi, cum aliquot intus *ſtaminibus* lanuginoſis, croceos *apices* ſuſtinentibus, cum ſtylo. *Flos* minor equidem eſt quàm Verbaſci vulgaris, non tamen quadruplo, ut vult J. Bauhinus.

Locus. Circa Nordvicum urbem, Buriam oppidum, invenitur, & alibi in Anglia.

4. *Verbaſcum criſpum & ſinuatum* J. B. *laciniatum* Park. *nigrum folio Papaveris corniculati, & Cam.* C. B.

J. B.

Huic infima *folia* ſeſquipalmum circiter longa, Papaveris corniculati modo ſinuata, candicantia, ſuperiora verò breviora, in acutiorem mucronem deſinentia, ferè hederacea, pulvere aſperſa utrinque magis tamen infernè, videntur, nullo pediculo, alis *caulem*, cui ſunt continua, amplexantia. *Flores* parvi, lutei, Blattariæ floribus non abſimiles, caduci, in quinque ſegmenta laciniati, ſtaminibus totidem villoſis purpuraſcentibus medium occupantibus, *apicibus* croceis.

Locus. In Italia ad vias paſſim invenitur. J.Bauhinus Monſpelii obſervavit, ubi Autumno (inquit) paſſim floret.

A. 5. *Ver-*

A. 5. *Verbaſcum flore albo parvo* J. B. *Verb. Lychnites flore albo parvo* C. B. *Verb. Lychnite Matthioli* Ger. **White-flowered Mullein.** *Verbaſcum mas foliis longioribus* Park.

J. B.

Haud aliis oriundum natalibus, nec facie multùm diverſa ex Verbaſcis luteis cognoſcendum: *radix* compar, & *caulis* alis concavus, lanuginoſus. Verùm *folia* infernè tantùm incanâ illâ lanugine pubeſcunt, supernè verò, ſi tenella illa & exigua floribus appoſita excipias, glabra ex atro vireſcunt, acuminata: *Flores* verò parvi, in alis digeſti, Verbaſci pulverulenti modo, colore albo. *Stamina* hirſuta buxei ſunt coloris, apicibus miniatis.

Flores in hoc ut & in aliis generibus petalorum ſeu ſegmentorum in quæ finduntur numero ludunt, quippe in eodem ramulo & ex eodem puncto orti modò quinis, modo ſenis conſtare deprehenduntur.

In agro Cantiano ſecus vias frequens cernitur. Quotannis ſe propagat ſemel ſatum ex ſemine deciduo: primo anno caulem non fert, ſed folia per terram ſparſa: caule producto perit. *Locus.*

* 6. *Verbaſcum anguſtifolium ramoſum, flore aureo, folio craſſiore* J. B.

J. B.

Foliis dodrantalibus, uncias duas & ſemis latis, ſpiſſis, albis, veluti lanugine pulverulenta obductis; *floribus* aureis, minoribus quàm in vulgari à præcedente differt. Dedit Agerius in Auſtria collectum.

A. 7. *Verbaſcum nigrum flore parvo, apicibus purpureis* J. B. *Verb. nig. flore ex luteo purpuraſcente* C. B. *Verbaſc. nigrum* Ger. deſcr. *nigrum vulgare* Park. deſcr. *nigrum Salvifolium luteo flore* Lob. **Sage-leaved Black Mullein.**

J. B.

Radix Verbaſci vulgaris, ut & *caulis*, non minùs altus, brachiatus, ſtriatus, purpuraſcens, minùs hirſutus. *Folia* minora, rariora, alternatim poſita, pediculis rubentibus duas aut tres uncias longis appenduntur, Salviæ æmula ſed multo majora, fœtida, at virentia, minùs villoſa, leviter crenata. *Flores* ſitu & crebritate pares ſed minores, ſaturatiore croco tincti, Blattariæ vulgaris, purpurantibus *ſtaminibus* villoſis. *Semen* ut in vulgari. Superficies hyeme perit.

In agro Cantabrigienſi pluribus in locis occurrit, & alibi etiam in Anglia. J. Bauhinus Baſileæ & Montbelgardi frequentem eſſe ſcribit. *Locus.*

* 8. *Verbaſcum perenne nigrum floribus albis* Moriſ. prælud.

Hæc Verbaſci ſpecies folia gerit ſubviridia; flores albos minutos, quibus pariter ſuccedunt capſulæ bivalves, multa ſemina minuta, ut cæteræ ſuæ familias, continentes. Perennis eſt planta.

Miror Moriſonum nullam hujus inter Verbaſca mentionem facere in Hiſtoria ſua univerſali.

* 9. *Verbaſcum ſubrotundo Salviæ folio* C. B. *Salvifolium exoticum ciſtoides* Park. *ſylveſtre Salvifolium exoticum folio rotundiore* J. B.

Lob.

Hæc foliis rotundioribus, denſioribus candidioribúſq; minùs tamen lanugine canis, ſed Salviæ æmula concretione: alioquì lignoſa fibratâque *radice*, caule & facie non ità diſſimilis, iiſdem gaudet Syriæ natalitiis quibus Verbaſcum lychnites Syriacum. Flores deſcriptori Lobelio videre non contigit, quia, ut refert, marcidi jam erant. Parkinſonus, neſcio unde doctus, flores luteos quinque foliis ſubrotundis compoſitos ei attribuit, & appingit.

Verbaſcum nigrum odoratum Park.

Blattariæ ſpecies eſſe videtur, & fortaſſe à vulgari lutea non diverſa: verùm deſcriptio Verbaſco nigro Salvifolio meliùs convenit quàm Blattariæ, ut niſi ille expreſſis verbis id vetuiſſet & negâſſet ego eandem plantam credidiſſem.

Spontaneum in Anglia quamvis minus frequentem inveniri tradit: nos nondum tam felices fuimus ut illud ipſi reperiremus, at neque quiſquam alius à ſe inventam nobis hactenus oſtendit.

Deſcriptionem & hiſtoriam integram vide apud Parkinſonum.

* 10. *Verbaſcum Danicum humile* Park.

Lob.

Foliorum figurâ & hirſutie, & florum colore aliiſque accidentibus cum Tapſo barbato communi convenit: verùm humilior eſt & minor multo, *caule* pedem altitudine non excedente: *foliis* quàm illius duplo minoribus: *floribus* tamen pro plantæ proportione ampliſſimis.

Obſervavit Lobelius inter Cronenburgum & Hafniam prope Elſenoram in Dania. *Locus.*

Verbaſcum [ſummitates & lanugo] in hæmorrhoidum doloribus à Godartio & Riverio, item à Dan. Sennerto & Weikardo commendantur. *Vires.*

Tapſus barbatus ſpecificum eſt contra tympanitem, autore Grembs.

Verbaſcum primum præcipuè utile eſt in morbis pectoris, tuſſi, expuitione ſanguinolenta, torminibus ventris. Ad pulmonum affectus in jumentis & vaccis à Veterinariis noſtris adhibetur, unde noſtratium vulgo **Cows Lungwort**, id eſt, Pulmonaria vaccarum appellatur. Extrinſecus flores & folia præcipuæ æſtimationis ſunt in ſopiendis doloribus quibuſcunq;, imprimis in affectibus ac tumoribus ani, hæmorrhoidibus, in capillis luteo colore tingendis. *Schrod.*

Hujus folia plantis pedum nudis intra calceos ſuppoſita, paucis diebus ante debitum purgationis tempus menſes remorantes leniter movent & educunt.

CAP. XII.

De Blattaria.

BLattaria, monente Plinio, lib. 25. c. 9. Eſt ſimilis Verbaſco herba, quæ ſæpe fallit pro ea capta, foliis minùs candidis, cauliculis pluribus, flore luteo. Hæc abjecta blattas in ſe contrahit, ideóque Romæ Blattariam vocant.

Blattaria vulgaris, ut rectè Plinius, à Verbaſco foliis minùs candidis differt; at certior diſtinctionis nota eſt capſula ſeminalis ſphærica ſeu globoſa, cùm Verbaſci nonnihil turbinata ſit & in acumen producta.

1. *Blattaria lutea* J. B. *lutea minor ſeu vulgaris* Park. *lutea folio oblongo laciniato* C. B. *flore luteo* Ger. **Yellow Moth-mullein.**

J. B.

Firmum tollit *caulem* & rectum, altitudine interdum humana, lævem, craſſitudine pollicari, denſiſſimo ramorum ſtipatu fruticantem: in quibus alternatim poſiti *flores* Verbaſci, ex pediculis hirſutis, unciâ longioribus, flavi ſed ſaturatiùs, ſic ut nonnihil rutilantis ruboris ſit affuſum, unguibus intrinſecùs villoſa lanugine pubeſcentibus; *ſtaminulis* ſimiliter lanuginoſis, apices miniatos ſuſtinentibus, nonnihil odoratis. Succedunt *ſemina* nigra, in vaſculis rotundis, bivalvibus, è vertice ſtylum proferentibus: cæterum uniuſcujuſq; floris pediculo appoſitum eſt folium acuminatum, unciam circiter longum aut majus: reliqua autem *folia*, quibus multis ſcatet, Verbaſci ſunt, anguſtiora, atrovirentia & ſuperiùs ſplendentia, nullâ lanugine donata, in ambitu laciniata, odore ingrato. *Radix* Napi figurâ, alba, ſapore neſcio quid aromatici reſipiente.

Locus. Variis in locis hanc obſervavimus, tam in Italia & Gallia Narbonenſi quàm in Germania, juxta aquarum margines, in lutoſis aggeribus, & haud longè à fluviorum ripis, ut rectè Dodonæus.

Tempus. Floret à Junio menſe in Septembrem uſq; ; *ſemen* interea perficitur.

Gerardus & Parkinſonus noſtrates ex unica hac planta duas fecerunt, quarum alteri *Blattariæ Plinii* Gerardus, *Verbaſci nigri vulgaris* Parkinſonus nomina dederunt, alteri *Blattariæ flore luteo.* C. Bauhinus hanc duplicem facit, alteram quatuor cubitorum, tria, quatuor, quinq; aut plura vaſcula conjuncta habentem; alteram humiliorem, ſingula vaſcula proferentem, foliis multò viridioribus.

Varietates. Quæ flore albo eſt, externè violacei quiddam habente ab hac non differt ſpecie, ſiquidem ex hujus ſemine deciduo oritur, ut in hortulo noſtro Cantabrigiæ aliquando experti ſumus.

Blattariam flore viridi à Lobelio in iconibus pictam C. Bauhinus ad Blattariam flore albo refert itémq; Blattariam flore viridi purpuraſcente *Lob. ico.* item Blattariam alteram *Lob. ico.* Variat, inquit, Blattaria alba flore parvo, eóque albo, vel viridi purpuraſcente, & magno flore. Nos C. Bauhino libenter aſſentimur: nec enim ſine neceſſitate ſpecies multiplicandas ducimus.

Blattariam flore luteo purpuraſcente *Park.* è luteæ vulgaris ſemine ortam eſſe. Autor ipſe haud dubitat, & tamen (quod mirum) radicem vivaciorem ei attribuit.

* 2. *Blattaria magno flore* C. B. J. B. *flore amplo* Ger. *Blat. lutea major ſive Hiſpanica* Park.

Park.

** Blat. lutea odorata.* *Folia* habet longiora & viridiora quàm * præcedens apicibus rotundioribus: *caulem* elatiorem & robuſtiorem, ſuperiore parte præter folia *flores* etiam geſtantem copioſos, colore aureo relucentes, minùs confertos, ampliores tamen quàm luteæ vulgaris, ſtaminulis purpuraſcentibus medium occupantibus, muſcæ ſimilitudinem quandam referentibus: quibus ſuccedunt *capitula* rotunda, bina ternáve aut plura interdum ſimul, plurimùm tamen ſingula; *ſemina* fuſca claudentia. *Radix* non admodum craſſa, fibroſa, ſemine perfecto exareſcens.

3. *Blattaria flore cæruleo vel purpureo* J. B. *flore purpureo* Ger. Park. *purpurea* C. B.

J. B.

Radix craſſa eſt & longa, ſucculentáque, cortice obducta rubente, albâ medullâ intus referta, ſapore ſubdulci: *foliis* per terram expanſis ad Conyzam Matthioli majorem [Baccharin Monſpelienſium *Ger.*] accedit, non tamen ità villoſa ſunt, ſapore ſubacri cum aliqua acrimonia. [Parkinſono folia latiora & breviora ſunt quàm Blattariæ luteæ, magis caneſcentia, paucis aut nullis per margines ſerraturis, mucronibus acutis] *Flores* & *capitula* Blattariæ vulgari ſimilia fert ſecundo anno. C. Bauhino *foliis* eſt nigrioribus non laciniatis, parúmque ſerratis. *Flos* modò obſoleto colore purpuraſcit, modò nigræ Violæ colore eleganti nitet, quandoq; dilutè rubet: & hanc vocamus Blattariam flore phœniceo. Flore cœruleo purpureóve floret Junio & Julio. *Stamina*, annotante Parkinſono, in medio flore flava; *capitula* minora quàm in Blattaria lutea; *caules* humiliores, non rarò tamen ramoſi; *radix* in multos annos vivax.

Folia in planta à nobis culta non nigricabant, ſed ut rectè Parkinſonus potiùs caneſcebant, & ut verè J. Bauhinus, folia Conyzæ majoris Matth. referebant, tum colore, tum ſerratura, &c.

* 4. *Blattaria perennis flore gilvo ſeu obſoleti coloris* Moriſ.

Moriſ.

Folia hujus præcedentis foliis multò ſunt majora, & Symphyti foliis quàm proximè accedunt. *Flores* edit ſatis amplos, eleganter coloratos, è carneo ſeu dilutè rubello gilvos; in reliquis cum præcedentibus convenit. Natura adeo intenta eſſe videtur hujus propagationi per radices ut ægrè in Gallia Meridionali, multò magis in Anglia, ſemen ſuum perficiat.

* 5. *Blattaria lutea odorata* Park.

Park.

Folia huic plura, per terram ſtrata, è viridi caneſcentia, latiuſcula & oblonga, parùm aut nihil ſerrata, in acutum deſinentia: *Caules* duos tréſve pedes alti, foliis minoribus veſtiti, à medio ſurſum in plures oblongos ramos diviſi, *floſculis* pallidè luteis, odoratis, crebris onuſti. Semen rariùs perficit. *Radice* eſt vivaci & perenni, quod paucis hujus generis plantis contingit.

Præcedenti eandem eſſe ſuſpicor.

* 6. *Blattaria piloſa Cretica, ſive Arctos quorundam* J. B. *Verbaſcum humile Creticum laciniatum* C. B. *Verbaſcum Braſſicæ folio* Col. *Blattaria Cretica incana rotundo laciniato folio* Park.

Col.

Longa & pedalia ferè profert *folia*, alternatim ex caule exeuntia, appendicibus ſive lobis circa petiolum, ut in Braſſicæ foliis obſervatur, quæ ſummum folii habent magnum, uncias quatuor latum, longum quinq; & amplius, ratione ubertatis loci, in medio pediculo lobos digitales, & reliquum nudum; ſuntq; ex viridi incana, lanugine craſsâ obducta, dura tactu, & piloſa, ſicuti & *caulis*, qui rotundus, bipedalis, & alis multis è foliorum ſinubus prodeuntibus diviſus. *Flores* in ſummo caulis & alarum profert, ſed in caule priùs, deinde in alis, ità ut diutiùs floreat, & ab imo incipiunt *flores*, qui magni ſunt & pollicari diametro, colore auri hilari, quinquepartiti, Verbaſci vulgaris figurâ, purpuraſcentem habentes umbilicum, & capitata *ſtamina* lutea; ſed totum ſtamen hirſutie magna, tenuiſſima ut Bombycina, purpuraſcente, & pilis illis hirſutiei capitatis obſitum: *Apicem* etiam habent medium, cui flore excuſſo & integrè deciduo, ut in Sambuci flore obſervatur & aliis, *fructus* ſubeſt rotundus in acutum deſinens ut in vulgaribus Verbaſcis, in quo *ſemen* exiguum non diſſimile continetur, & ſatum exit. Maio menſe floruit.

Hæc eſt Arcturus Creticus Belli. Verbaſcum fruticoſum auriculatum *Ponæ Ital.*

Variat (inquit C. Bauhinus) nam aliud foliis eſt latioribus, capitulis rotundis: eſt & alterum longioribus & anguſtioribus foliis, capitulis longiuſculis, & hoc eſt Arcturi ſecunda ſpecies *Ponæ Ital.* Blattaria Cretica incana longiore laciniato folio *Park.*

Provenit inter ſaxa, & ſuper parietes, autore Bello. *Locus.*

* 7. *Ab hac diverſam facit C. Bauhinus, eumq; ſecutus Parkinſonus* Verbaſcum ſuum foliis ſubrotundis, flore Blattariæ, *quod in Prodromo ſic deſcribit.*

C. B. prod.

Caulibus eſt cubitalibus, viridibus, rotundis, ſtriatis, leviter villoſis, nec ramoſis: *foliis* inferioribus oblongis, reliquis omnibus ſubrotundis, parvis, caulem baſi ſua alternatim amplexantibus, infernè incanis, ſupernè nigricantibus: ad quorum ferè ſingulorum exortum duo minora adjiciuntur, ex quorum ſinu *pediculi* unus, duo, tres, rariùs quatuor, prodeunt, quibus ſingulis *flos* unicus, luteus, parvus, pentapetalos inſidet, cujus medio *ſtamina* aliquot purpurea, quaſi ex calyculo ut in Blattaria emergentia, inſident. Huic vaſculum *ſemen* minutum, rotundum continens ſuccedit.

Flore minore à præcedente differt, & partium omnium parvitate. Moriſonus noſter hanc annuam facit, illam perennem: verùm Parkinſonus utramq; ſaltem apud nos, annuam. Chabræus apud J. Bauhinum pro eadem cum præcedente habet: verum ſi C. Bauhino rectè deſcripta ſit, *foliis* ſupernè nigricantibus, *caulibus* non ramoſis, *floribus* luteis, parvis, oportet ut ſit diverſa.

* 8. *Blattaria Cretica ſpinoſa* Park. *Leucoium Creticum ſpinoſum* Cluſ. J. B. *Creticum ſpinoſum incanum luteum* C. B. *Galaſtivida Cretenſium Belli. Leuc. ſpinoſum cruciatum* Alp. *ſpinoſum Creticum* Ger. emac.

Bellus.

Radicem habet multifidam, lignoſam, firmam, longam, multos caules conjunctim proferens: in orbem diffunditur, & latè fruticat, pedem altitudine non excedens: *caules* albi ſunt, crebris firmiſq; ſpinis præditi: inter quos *folia* Leucoii albi foliis ſimilia, licet minora & quadam lanugine obſita: *flores* Verbaſci aut Blattariæ ſimiles, albi, paululum ad flavum tendentes, in quorum medio *ſtamina* quædam purpurea: Floribus ſuccedunt exiles *ſiliquæ* rotundæ, tenuiſſimum ſemen continentes.

Ruſtici ad ſtruendum ignem calefaciendáſq; fornaces eâ utuntur, ob ſimilitudinem verò quam cum Stœbe habet, & album colorem galam ſtividam vocant, non quòd lac emanet. Hactenus *Hon. Bellus.*

Cluſius deſcriptione ſua flores tetrapetalos ſtatuit. Leucoii lutei ſimiles, ſed minores: *ſiliquas* oblongas, plano ſemine plenas; quibus notis à Belli Glaſtivida in tantum differt, ut plantæ toto genere diverſæ videantur Leucoium Creticum ſpinoſum Cluſii, & Galaſtivida Cretenſium Belli; quamvis Cluſius & C. Bauhinus eas ſpecie convenire putent. Plantam ipſam non vidit Cluſius, ideóque excuſandus ſi eam minùs rectè deſcripſit.

* 9 *Blattaria incana multifida* Bocconi.

Bocc.

Capſula, ſemen & flores Blattariam eſſe arguunt. *Folia* verò magna, multiplicibus & profundis diviſionibus inciſa, colore è virore candicantia, Abſinthii Pontici vulgaris aliquatenus æmula ſunt.

Ramum unicum hujus plantæ abſq; radice à *Joanne Maria Ferro,* Veneto aromatario habuit D. Boccone; qui à Raguſa allatum eſſe affirmabat.

CAP. XIII.

De Trifolio acetoſo.

AB acido ſapore voce diminutiva Acetoſella dicitur: Oxys Plinii creditur. Calabris Juliola dicitur, ridiculè Barbari corrupère in Lujula & Alleluia. *Scal. in Theophr. de cauſis Plant.*

Notas inſignes habet quibus ab omnibus aliis plantarum generibus facilè diſtinguitur, nimirum Folia in eodem pediculo terna, florem pentapetaloidem, ſaporem acidum, vaſculum ſeminale pentagonum, quod per maturitatem levi tactu diſſiliens cum impetu ſemina ejaculatur.

A. 1. *Trifolium acetoſum vulgare* Park. C. B. *Oxys alba* Ger. *Oxys ſive Trifolium acidum flore albo & purpuraſcente* J. B. *Acetoſella & Lujula ſive Alleluia* Offic. **Wood-Sorrel.**

J. B.

Ex craſſiuſcula, ſquamata, alba, vel ex albo rubente *radicula* longæ & crebræ pendent fibræ albicantes, indidémque emergunt pediculi infirmi, tenues, rotundi, palmares & longiores, terna gerentes *folia* ſatis magna, latiora quàm longiora, cordata, hirſuta, ex viridi flaventia, ſæpe reflexa, ut capitum ad pediculum coitus turbinatam reddat formam, ſapore acido. Inter hæc alii ſurgunt pediculi, *florem* ſinguli ſuſtinentes unicum, magnum, albicantem, ſtriatum, tenerum [quinq; petalis ad ipſos tamen ungues junctis compoſitum, unguibus (præſertim interiùs) flavicantibus.] *Folliculus* pentagonus, quo attacto *ſemen* exilit ruffum, nucleo Perſici ſimile, ſtriatum.

Locus. Opacis plurimùm provenit locis, in ſylvis & ad ſepes.

Ut ſapore ità & viribus cum Acetoſa convenit, ideoq; æſtum febrilem mitigat, ſitim ſedat, & ventriculi ardores, jecur refrigerat & cor roborat, quoquo modo ſumpta. Fit enim ex ea ſyrupus, conſerva, aqua diſtillata ad hos uſus. Extrinſecus adhibetur aqua deſtillata ad collutiones oris, ad Eryſipelata, ad ulcera ſordida mundanda, &c. Obſervâſſe autem ſeſe ſcribit Fuchſius, atq; adeò multorum experientiâ compertum, quòd ejus herbæ copioſi flores crebras illius anni pluvias & aquarum inundationes certò portendunt: pauci contra ſiccitatem.

2. *Oxys lutea* Ger. J. B. *luteo flore* Park. *Trifolium acetoſum corniculatum* C.B.

J. B.

Serpendo per terram ſpargit *coliculos* palmares aut ſeſquipalmares, graciles. *Folia* tenuiſſimis nixa pediculis terna cohærent, minora quàm Oxyos vulgaris, magiſque per extremum fiſſa, corculum (ut vulgò pingi ſolet) expreſſiùs effigiantia, hirſutiora, ex brevibus pediculis à coliculo prodeuntibus dependentia; guſtûs acidi. *Floris* forma ſtellata eadem, ſed color luteus: quem *cornicula* ſive *ſiliquæ* ferè unciales ſequuntur, ſurſum ſpectantes, craſſiuſculæ, folioſæ, ex quinq; loculis conſtitutæ; quæ ubi ad maturitatem pervenere, leviſſimo attactu *ſemina* plurima, parva, ruffa, aſpera exiliunt è lateribus, oſculis quam primùm conniventibus, ut nè appareat ſiliquas diſſiluiſſe. *Radix* longiuſcula, gracilis, fibrata.

Locus. Planta eſt annua, ſemine deciduo ſe propagans, in Italia & Sicilia, umbroſis præſertim, ubique ferè obvia. Æſtate tota flores producit.

* 3. *Oxyi affinis planta bulboſa Africana, flore purpureo magno* Breynii.

Hujus *flos* ex cinereo in quinque lacinias anguſtas profundè diſſecto ſubhirſuto *calyculo,* primùm pyramidali formâ convolutus, poſtea verò in quinq; folia ampla, ex rubro ſuave-purpurea, cum cœruleo colore mixta explicatus, forma florum Convolvuli Indici majoris (præterquam quòd non monophyllus) ſe diffundebat. Fulcrum ejus *cauliculus* erat ſubviridis, teres, duas treſve uncias longus, carnoſus, debilis & tener: *Foliis* circa medium compluribus, pediculis longis inſidentibus, lætè viridibus, craſſiuſculis, tergeminis, Trifolii ſimilibus, comitatus. Hujus origo ex *bulbulo* nigerrimo, Avellanæ magnitudinis, multis ſquamis compacto, cui etiam planè atræ, capillaceæ, obliquæ appendebant longiſſimæ fibræ.

Locus. E promontorio Bonæ Spei in Belgium delata eſt, ubi in horto Beverningiano florem explicuit.

4. *Trifolium bulboſum flore albo promont. Bonæ Spei* Bod. à Stapel.

Folia tria in unoquoq; pediculo craſſiuſcula, ſaporis aciduli habet. Bulbus ejus oblongus eſt, cortice nigricante: Flos albus quinis, ſeniſve foliis conſtat.

A Juſto Heurnio accepit Bodæus.

Cap. XIV.

De Trifolio paluſtri, fibrino nonnullis dicto.

A. *Trifolium paluſtre* J. B. C. B. *paludoſum* Ger. Park. *Trifolium fibrinum Tabernamont. & Germanorum.* **Marſh Trefoil, Buck-beans.**

J. B.

GEniculata *radix* longa, alba, prorſum incedit, fibris ſubinde demiſſis firmata; pediculi inferiùs latiores vaginæ inſtar, dodrantales, tria habent annexa *folia*, magna, Fabaceis formâ & magnitudine reſpondentia, lævia; inter hæc *caulis* ſurgit cubitalis, levis, gracilis, virens, thyrſum gerens florum, ex albo purpuraſcentium, ſpecioſorum, qui antequam aperiuntur exteriùs rubent, recluſi in quinque ſegmenta acuta expanduntur (ſunt enim monopetali) ſuperficie interna tenuiſſimis & candidis filamentis criſpis, velut lanugine ſeu pube quadam obductâ. E ſingulis floribus exeunt *ſtamina* quinque alba cum *apicibus* flavis; in medio *ſtylus* brevior & viridior. Succedunt *capitula* ſeu vaſcula ſubrotunda, in quibus *ſemen* Helianthemo ſimile ex fuſco flaveſcens.

Locus. In paluſtribus & aquoſis frequentiſſimum occurrit: Extra aquas non diu durat. Maio & Junio floret.

Vires. In morbo articulari debellando vires inſignes exſerit hæc planta, nulli hactenus Botanicorum proditas, ſed *Thorunii* Pruſſiæ in nonnullis ægris feliciter expertas. Folia herbæ in Cereviſia decoquunt, & bis aut ter de die cùm dolores ſentiunt, decoctum bibunt, quamvis ingratiſſimi odoris & ſaporis ſit. Qui autem eo utuntur levamen omnes percipiunt. Quin & matrona quædam folia in aqua decocta, & calidè parti affectæ applicata in Arthritide vaga admodum deprædicat. Gratior reddi poterit herba preparatione uſitata in ſpiritum, extractum liquidum, & Syrupum. *Ephemer. German. Ann.* 4 & 5. *Obſerv.* 123.

D. Tancredus Robinſon Trifolium paludoſum in hydropicis affectibus commendat; ſéque ſæpius obſervâſſe ait oves tabidas in paludes hac herbâ abundantes compulſas, ejus eſu ſanitati reſtitutas: quin Germanicos nonnullos ſcriptores eam laudare in Scorbuto, febribus intermittentibus & catarrhis.

Simon Paulus cùm ſuccum Cochleariæ Scorbuticis valdè prodeſſe ſcripſiſſet vel cum ſero lactis vel per ſe exhibitum, ſed tamen Trifolium fibrinum, inquit, ei præferendum eſt.

P. Tilingius præparat varia medicamenta è Trifolio paludoſo, ut ſpiritus, ſalia, eſſentias, tincturas, olea, quæ in morbis chronicis egregie deprædicat, omnibúſque aliis plantis hanc longè præfert. Ephem. German. An. 12. Obſ. 74. Rectè obſervavit *D. Tancredus Robinſon* herbam hanc Germanis, aliíſque gentibus Septentrionalibus nunc dierum unicè charam & in magno pretio eſſe, & aſſiduo uſu frequentari in omnibus ferè morbis, ut certiſſimam panaceam, ad quam etiam in deploratis affectibus velut ad ſacram anchoram confugiunt.

Cap. XV.

De Numularia.

NUmmularia à foliorum figura rotunda nummi æmula dicta, flagellis reptatricibus, floribus è foliorum alis exeuntibus, loco natali in aquoſis, ab aliis hujus generis diſtinguitur.

A. 1. *Nummularia* Ger. *vulgaris* Park. *major lutea* C. B. *Num. ſive Centimorbia* J. B. **Money-wort, or Herb Two-pence.**

Longis ſed tenuibus viticulis anguloſis, è geniculis fibras longas demittentibus proſerpit; quibus ex brevioribus intervallis folia bina oppoſita adnaſcuntur, ſubrotunda & nonnihil criſpa, guſtu vehementer citra morſum ſiccante adſtringentéque: ex quorum alis flores ampli, flavi, quinque foliis acuminatis compoſiti, [quæ tamen ad unguem juncta ſunt, ut flos integer decidat,] totidem in medio ſtaminibus cum ſuis apicibus luteis, ſtylo tenui non capitato vaſculo ſeminali inſidente. Pediculi florum ſemunciales aut longiores, ex alis foliorum ſingulis ſinguli exeunt, ut ad ſingula genicula bini plerunq; flores ſint. In nonnullis ramulis terna folia & totidem flores ad ſingula genicula obſervavimus. Delapſo aut marceſcente flore calicis folia connivent ut in Convolvulis, & vaſculum ſeminale rotundum, admodum exiguum, ſemine intus minutiſſimo & vix conſpicuo refertum occultant.

Locus. Juxta ſcrobes & fluenta, aliáque ligua loca provenit, ſubinde & in humidis reperitur ſylvis, ut rectè J. Bauhinus. A Maio menſe in multam æſtatem floret.

Vires. Sicca eſt & adſtringens, vulneraria è præcipuis. Flores & folia trita & impoſita vulnera & ulcera quævis glutinare valent: Eadem cum vino ſumpta dyſenterias, ventris imbecillitates, fluxúſque ac humiditates ſanant. Conducunt & ad ſanguinis rejectiones profluvia muliebria, & ad omnia interaneorum vulnera & ulcera, potiſſimum pulmonis. Commendatur & in Scorbuto. Præcipuam autem vim ejus eſſe dixit Matthiolusad puerorum enterocelas tum illitæ, tum in pulvere hauſtæ.

A. 2. *Nummularia minor flore purpuraſcente* C. B. Ger. emac. Park. *Num. rubra* J.B. **Purple-flower'd Money-wort.**

Caulibus tenuiſſimis per terram reptat, fibris albicantibus è geniculis demiſſis. *Folia* ex brevibus intervallis conjugatim bina, ſubrotunda, pallidè virentia, glabra, non crenata, breviſſimis pediculis fulta, Serpylli vulgaris foliorum magnitudine aut tantillo minora, Chamæſyces paria. Flores ex alis foliorum exeunt ſingulares, pediculis longis tenuibus, pro plantulæ ratione grandes, in quinque oblonga ſegmenta ad unguem juncta partiti, cum ſtaminum in medio lanuginoſorum glomere. Succedit vaſculum ſeminale parvum rotundum. Calicis folia anguſta ſunt & acuminata.

Locus & Tempus. Paludoſis gaudet, & Julio demum menſe floret.

3. *Nummularia mucronata Promont. bon. ſpei* Bod. à Stapel.

Folia habet lanuginoſa.

CAP. XVI.

De Rore Solis, ſive Rorella.

A. 1. *Ros Solis folio rotundo* J. B. C. B. Ger. Park. **Roſa ſolis or Sun-dew, with round leaves.**

FOlia è radice fibroſa tenui plura exſerit, pediculis longis ſupernè hirſutis nixa, circinatæ ferè rotunditatis, auriſcalpii figurâ, modicè concava, pallidè viridia, tenuium, rubeſcentiúmque ſtaminum velut cilio circumquaq; fimbriata; aſpergine rorida guttularum etiam per ferventiſſimos æſtus pilis adhæreſcentium madida. Ejuſmodi ſtamina ſed breviora mediam quoque folii partem ſupinam obſident: prona namque ſuperficies omninò glabra eſt & pilis deſtituta. E medio foliorum exurgunt *caules* duo aut tres teretes, graciles, rubentes, foliis nudi, palmares aut ſemipedales *flores* ſuſtinentes longa ſerie, versùs unam partem ſpectantes, brevibus pediculis fultos, candidulos, è calice oblongo in quinque ſegmenta diviſo exeuntes. Floribus ſuccedunt *vaſcula ſeminalia* oblonga, figura & magnitudine ferè granorum tritici, *ſeminibus* repleta.

Ros pilis ſeu ſetis adhæreſcens tenax eſt & viſcidus, inque filamenta ductilis digitorum attactu.

Locus & Tempus. Floret menſe Julio, & in humidis paluſtribus oritur, non rarò inter muſcos aquaticos.

A. 2. *Ros ſolis folio oblongo* C. B. J. B. Ger. *Ros ſolis ſylveſtris longifolius* Park. **Long-leaved Roſa-ſolis, or Sun-dew.**

Magnitudine ſua, & foliorum figurâ quæ ſenſim ab imo ad ſummùm uſque dilatantur, nec in rotundum velut auriſcalpium deſinunt, & multo quàm illius longiora ſunt, à præcedente differt.

Non procul Cantabrigia in palude quadam *Hinton meur* dicto provenit.

Præter deſcriptas & à nobis obſervatas tres adhuc alias Rorellæ ſpecies invenit, ínque literis ad me datis ſic breviter deſcripſit Tho. Williſellus, tranſmiſſis etiam earundem iconibus rudi manu à ſe delineatis.

3. *Rorellæ* ſpecies tertia, ſeu *rotundifolia perennis* vulgari rotundifolia major eſt, radice perenni, foliis erectis, non ut in vulgari in orbem ſuper terram ſtratis, pediculis propè exortum è radice aliquouſque nudis, ſuperiore tantum medietate ad margines piloſis. *Devoniæ* natales ſuos debet.

4. Rorellæ ſpecies quarta, ſeu longifolia perennis Radice eſt perenni ſeu vivaci; ſiquidem eam ſæpius vidit cum caulibus ſuperioris anni exiccatis adhuc eidem manentibus. Foliis eſt duplo pluribus quàm vulgaris longifolia, ima parte propè terram teretibus, & poſtquam dilatari incipiunt aliquouſque adhuc nudis h. e. nullis ad margines ſetis fimbriatis. Provenit in agro *Eboracenſi* inter *Doncaſtriam* & *Bautriam*.

5. *Rorella quinta*, ſeu *longifolia maxima*, foliis eſt longiſſimis, ab eadem radice pluribus, utrinq; ab exortu uſque piloſis. Tribus à *Carleolo* milliaribus *Scotiam* verſus eam obſervavit & eruit. Hæc magnitudine præcipuè à ſecunda ſpecie ſeu vulgari rotundifolia differre videtur.

Vires. De viribus hujus plantulæ non convenit inter Botanicos: Sunt qui ad phthiſin, ad peſtem, ad vulnera, ad epilepſiam eam commendant: alii nec ſine ratione, uſum ejus internum vetant, quoniam cauſtica eſt, & cuti impoſita ipſam exulcerat. Hinc

Planta Roris ſolis ovibus maximè noxia cenſetur, Pulmones enim ovillas adurit, & tuſſim lethalem excitat: Hinc & noſtratibus **The red Rot** dicitur. Ex Obſ. *Olai Borrichii* in Act. Med. *Tho. Bartholin.* An. 1676. Obſ. 53. Non tamen hoc primus obſervavit aut prodidit Ol. Borrichius: ſiquidem Camerarius in horto annotat, In Anglia obſervatum eſſe ab opilionibus oves quæ crebro hâc herbâ veſcuntur, hepar & pulmones malè affectos & marcore quodam vitiatos habere. *D. Tancredis Robinſon.*

Aquam vitæ ſeu ardentem cui Rorella cum Aromatis nonnullis infuſa eſt, olim in frequenti uſu fuit pro cordiali in lipothymia & deliquio.

Multa traduntur ſuperſtitioſa de hac herbula, quæ conſultò prætereo: cujus fortaſſe commatis eſt, quod amico quodam ſuggerente ſubjicimus.

Ros Solis collectus quando Sol eſt in medio Leonis exſiccetur, & ſacculo reconditus pectori applicetur. Arcanum eſt ad hæmorrhagiam narium.

CAP.

Cap. XVII.

De Viola aquatica.

A. *Millefolium aquaticum dictum Viola aquatica* J. B. *M. aquat. ſeu Viola aquat. caule nudo* C. B. *M. aquat. floridum, ſeu Viola aquatica* Park. *Viola paluſtris* Ger. **Water-Violet, or Milfoil.**

J. B.

Plurimas *fibras* tenues albas, altè in limum demittit. *Caules* obliquè ſub aquis feruntur, *foliis* crebris pinnatis pinnis anguſtis uncialibus, nullo ordine poſitis veſtiti. *Caules* flores ſuſtinentes ſurrecti ſupra aquas eminent, inanes, ſtriati, geniculis aliquot per ſumma nodoſi, ad quorum unumquodque quini aut ſeni verticillatim naſcuntur *flores* pulchri, majuſculi, Leucoiis ſimiles, quinque foliis albis, apicibus in medio luteis conſtantes, pediculis uncialibus & ſeſcuncialibus hærentes. Florem *calicis* vice obvallant foliola oblonga, viridia, ipſiſque pediculis appoſita foliola aliquot longiora, acuta, radiata. Succedit *vaſculum ſeminale* parvum, ſubrotundum, *ſemina* parva continens.

N. Flos revera monopetalos eſt, in quinque ſegmenta adeò profundè ad unguem ferè diviſus, ut pentapetalos videatur.

In aquis reſidibus ut & fluentibus vadoſis lubens naſcitur, & Maio menſe flores prodit. *Locus.*

Cap. XVIII.

De Anagallide aquatica rotundifolia non crenata.

A. *Anagallis aquatica rotundifolia* Ger. *aquat.* 3. *Lob. folio ſubrotundo non crenato* Park. *aquat. rotundifolia non crenata* C. B. *Samolus Valerandi* J. B. **Round-leaved Water-Pimpernel.**

Radices ei albæ, fibroſæ. *Folia* ad radicem ex anguſto principio ſenſim dilatantur, extremitate ſubrotunda, duas uncias longa, unciam lata, pallidè viridia, per ambitum minimè inciſa, craſſa, glabra. *Caules* ſemipedales aut dodrantales, altioréſve, tenues, rigidi, teretes, foliis per intervalla alternatim poſitis veſtiti, abſque pediculis, ſurſum ſpectantibus, brevioribus & rotundioribus iis quæ ad terram ſunt. *Caulis* ſuperiùs in ramos finditur. *Flores* in ſummis caulibus & ramulis in ſingulis pediculis ſemuncialibus ſinguli, rariùs diſpoſiti. Ad exortum pediculorum è caule nullum apponitur folium, at in ipſo pediculo non longè à flore ſemper habetur folium. *Flores* autem parvi, albi, in quinq; ſegmenta lata diviſi; ſunt enim revera monopetali, & integri decidunt. Succedunt in calicibus quinquepartitis, à flore reſiduis *vaſcula* rotunda, *ſemine* parvo, per maturitatem ſubruffo repleta. Sapor plantæ amarus eſt.

Amat loca paludoſa, & Junio menſe floret. *Locus.*

Cap. XIX.

A. 1. *Pyrola Alſines flore Europæa* C. B. Park. *Herba trientalis* J. B.

J. B.

Coliculo aſſurgit ſimplici, tenello, gracili, palmum plus minus alto, tereti, nudo, glabro, qui ſummo tenus velut in umbella *folia* ſuſtinet ex brevi pediculo ſex, ſeptemve, pallidè virentia, ovata [noſtratis folia oblonga ſunt & acuminata, ut in icone C. Bauhini] uncia vix longiora, latitudine proportionata ad figuram ovatam, quædam etiam minora, nonnulla majorum vix mediam aut tertiam partem æquantia; è quorum coſta venulæ eminentiores alterno poſitu exeunt ad ambitum: ſed & minimum quoddam unum aut alterum Serpylli folii facie & magnitudine cauliculo adnaſcitur. Porro è medio foliorum exortu pedicelli communiter bini ſurriguntur ſeſcunciales aut duarum unciarum ac ferè capillares, ſubruffi, *floſculos* ſuſtinentes ſingulares, ſtellatos, albicantes, quos foliola prædictis foliis concoloria, & ſtellam pulchrè poſitu exprimentia ambiunt, octona plus minus. Radix quamplurimis, tenuibus, prælongis, albentibus fibellis conſtat. *Flos (quantum memini) ſimplici laminâ conſtat, in quinque lacinias totidem folia imitantes diviſâ.*

Tho. Williſellus eum invenit nobiſque oſtendit ad orientalem extremitatem *Rumbles-mear* propè *Melwich* in agro Eboracenſi, loco paludoſo inter juncos: inque Northumbria trans murum Pictorum quinque m. ultra *Hexham* oppidum Boream versùs: necnon inter ericas in montoſis paluſtribus non longè ab oppidulo *Harbotle* ad Occidentem. Naſcitur etiam in montoſis humidis nonnullis Germaniæ in locis; vide *J. B.*

Duplex eſt, autore C. Bauhino, major & minor. Primus, inquit, Val. Cordus in Obſerv. ſylva ſub *herba trientali* propoſuit: deinde Jo. Thalius in ſua Harcynia Saxonico-thuringica ſub *Alſinanthemo* deſcripſit: & tandem Caſp. Schwenchfeld. in ſuo catalogo plantarum Sileſiæ Alſinem Alpinam nominavit, nullâ differentiâ oſtensâ, &c. vide apud *C. B.*

2. *Pyrola Alſines flore Braſiliana* C. B. Park.

C. B. prod.

Ex radicula alba, tenui, capillata *cauliculus* effertur ſingularis, ſex, ſeptemve unciarum, inferiore parte nudus, circa medium duobus foliolis parvis, ſibi oppoſitis donatus, ſuperiùs verò foliis ſex vel ſeptem per ambitum cinctus, quæ magnitudine imparia ſunt, aliquibus uncias duas, aliis unam longis; unciam vel ſemunciam latis, Plantaginis quinquenerviæ formâ, (cum & per hujus folia quinq; nervi diſcurrant) ſed glabra, tenera & viridia, in acumen faſtigiata; ex quorum medio pedicellus tenuis, uncialis exurgit, *florem* ſingularem, pallidè luteum, ungui pollicis æqualem, quadrifolium, ſtriatum, cujus folia (ſtellæ modo diſpoſita) lateralia aliis duobus latiora ſunt: ad floris umbilicum ſtaminula plura, exigua, rufeſcentia occurrunt.

Locus. In Braſilia apud Tououpinambaultios reperta eſt. Ab Europæa foliis quinquenerviis, flore quintuplo majore differt. At Braſiliana minor ab Europæa minore ſolùm foliorum magnitudine, quæ in Braſiliana longiora anguſtioráque ſunt differt.

CAP. XX.

Valeriana Græca Ger. Park. *Græca quorundam colore cæruleo & albo* J. B. *cærulea* C. B. **Greek Valerian, called by the vulgar, Ladder to Heaven, or Jacobs ladder.**

PYxidata *radice*, tenui, fibroſa, albicante, evidenter amara proſerpit, inquit J. Bauhinus. Plura è radice *folia* emittit, per totam hyemem virentia, è multis pinnularum ad mediam coſtam adnexarum conjugationibus compoſita [decem interdum aut duodecim] cum impari coſtam terminante. Singulæ pinnæ digitum longæ ſunt, dimidium latæ, è lata baſi in acutum mucronem ſenſim anguſtatæ, tribus nervis inſignioribus ſecundùm longitudinem excurrentibus, glabræ, virides, per margines æquales. *Caules* ab eadem radice plures exeunt, teretes, ſtriati, inanes, hirſuti, digitali craſſitudine, altitudine ſeſquicubitali, ramoſi, foliis ornati ad intervalla ſingulis. In ſummo caule & ramulis flores conferti, pediculis brevibus, tenuibus, deorſum nutantes, è calice in quinq; acuta ſegmenta diviſo, ipſi ſatis ſpecioſi, cærulei, quinq; foliis obtuſis, ad ungues junctis conſtantes, adeò ut integri decidant; quinque intus ſtamina apicibus luteis donata continent, cum ſtylo oblongo in ſummitate trifido & ſaturatiùs cæruleo, odore minimè commendabiles. Vaſculum ſeminale turbinatum Alſines modo, in tria loculamenta diviſum, quod per maturitatem in ſummitate dehiſcit, ſemina oblonga, parva, nigricantia continens. Sapor herbæ lentus & amaricans.

Tempus. Maio menſe floret.

CAP. XXI.

1. *Glaux exigua maritima* Ger. J. B. *maritima* C. B. *maritima minor* Park. **Sea-Milkwort, or Black Saltwort.**

J. B.

PUſillis & gracilibus eſt *coliculis*, ſubinde reptantibus, & fili inſtar tenuium fibrarum è geniculis propagatione radicatis. *Folia* per articulos Herniariæ, bina contrario ſitu, ex quorum uniuſcujuſque ſinu *ſemen* perpuſillum nudum fuſcum [Parkinſonus & Gerardus capſulas ſeminibus repletas floſculis purpuraſcentibus ſuccedere ſcribunt.]

Locus. In ſalſis paluſtribus mari conterminis ubiq; ferè reperitur.

2. *Glaux maritima major* Park. *latiore folio Thuringiaca.* C. B.

Glaux major paluſtris flore herbaceo Moriſ. præl.

Moriſ.

Hæc in fluviis & ad margines fluviorum per prata labentium provenit: *caules* habet pedales aquis innatantes, à quorum geniculis nodíſve demittuntur fibræ in aquam, quarum beneficio nutritur tota planta. Ad ſingula genicula oriuntur bina *folia*, Pulegii regalis foliis latiora, glabra, mucronata: in caulium alis ſuperioribus emergunt *flores* herbacei coloris, qui relinquunt in capſulis oblongis Caryophylli aromatici magnitudine; [in ſingulis] infinita *ſemina* minuta, ſubviridia.

Planta hæc nobis incognita ad hoc genus minimè pertinet; verùm ob nomen Glaucis ab Auctore inditum eum huc retulimus, donec certiùs innoteſcat ubi diſponi debeat.

Cap. XXII.

Quadrifolium annuum Perſicum Zanoni.

Zan.

MUltos fundit *cauliculos*, palmum circiter longos, tenues, lignoſos, fragiles, membranâ tenuiſſimâ in viridi rufeſcente tectos, medullâ albicante plenos, crebris nodis prominentibus, annularibus diſtinctos, ad intervalla circiter uncialia, ad quorum unumquemque appoſita quaterna folia, crucis formâ, brevi & tenui pediculo intercedente, supernè viridia, ſubtus alba, hic illic aſpera, & lanugine quadam albâ punctata, quæ ea viſui grata reddit, nervo tenui per mediam longitudinem diviſa, Anthyllidis Valentinæ Cluſii ſimilia, ſed paulo latiora, & extremo nonnihil excavata & inciſa. Ex ſingulis geniculis præter folia exeunt ramuli folioſi, & ex his denuo alii minores, & deinde tertii, foliis minutiſſimis veſtiti, geniculis adeò vicinis, ut planta foliis & ramulis creberrimis admodum denſa videatur, ſapore exiccante & acerbo ficûs immaturi. E geniculis præter folia dicta egreditur etiam gemma quadrata, quatuor coſtis valdè elatis, intercedentibus ſulcis ſatis depreſſis & concavis, parte infernâ, præcipuè ſecundùm coſtas, rubeſcens & punctis ſupradictis variegata, quæ circa principium Junii *florem* explicat pulcherrimum, colore Amethyſtino, quinque petalis ſubrotundis, extremo (foliorum inſtar) crenâ excavatis, compoſitum. Flore delapſo reſtant in conceptaculis *ſemina* minutiſſima, quæ microſcopio ſpectata figuræ ovalis tritici ſimilia apparent, extremo minore nigra, cum fiſſura in medio ad modum tritici, Tabaci colore aliquantulum lucido. *Radix* tenuis eſt, aliàs ſimplex, aliàs in ramulos diviſa, tenuiſſimis fibris donata, colore ad ferrugineum obſcurum tendente.

Planta eſt annua.

HISTORIÆ

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER VIGESIMUS PRIMUS.

QUI EST

De Herbis radice bulboſa donatis, iiſque affinibus.

HErbæ, quarum plantula ſeminalis bifolia ſeu bivalvis, ſeu mavis binis cotyledonibus inſtructa non eſt, ſed unicâ tantùm vel nulla cotyledone ſeu folio ſeminali donata, ſunt vel flore imperfecto ſeu ſtamineo, vel flore perfecto ſeu petalode. Hæ vel ſunt radice bulboſa, vel tuberoſa fibroſave, quas bulboſis affines dicimus.

De bulboſa radice præditis hac in Parte agemus, de Bulboſis affinibus in ſequente.

PARS PRIMA.

De Herbis radice bulboſa præditis.

RAdicem bulboſam voco quæ unico conſtat tubere ſeu capite, fibras multas ex ima ſede ſeu baſi emittente. Non me latet dari etiam alias herbas præter eas quas intellectas vellem, quarum radicibus hæc definitio conveniat, ut v. g. Ranunculo bulboſo, verùm eæ in diverſo genere ſunt, quarum ſci. plantula ſeminalis binis cotyledonibus inſtructa eſt.

Hujus autem generis herbæ plantulam ſeminalem unico tantùm cotyledone donatam obtinent, & aliis præterea inſignibus notis à reliquis tuberoſis differunt, nimirum foliis ſine pediculis in longitudinem productis, vaſculis ſeminalibus in terna loculamenta diſpertitis: Floribus plurimùm hexapetalis, aut certè in ſex lacinias ad margines ſectis.

Hæ vel ſunt bulbo ſquamoſo, ſeu ex pluribus imbricatim incumbentibus ſquamis compoſito; vel bulbo tunicato, hoc eſt, ex pluribus corticibus ſeu tunicis in orbem ſe amplexantibus coagmentato; vel tertio bulbo ſolido, ſubſtantiâ continuâ, nec in ſquamas aut tunicarum involucra diviſâ.

Secundi generis plantæ quarum bulbi tunicati ſunt dividi poſſunt in graveolentes, & odore nullo aut minus gravi præditas.

SECTIO PRIMA.

De Herbis bulbo ſquamoſo.

Herbæ radice bulboſa è ſquamis compactili.

Herbæ radice bulboſa donatæ ſunt vel eadem ſquamoſa, vel tunicatâ, vel ſolidâ, hoc eſt ſubſtantiâ continuâ, nec in tunicarum involucra aut ſquamas diviſa.

Quæ radice ſquamoſa ſunt dividi poſſunt in eas quarum bulbus componitur è ſquamis

- *Multis* imbricatim incumbentibus, caule
  - *Folioſo*, florum petalis
    - *Rectioribus*, floribus etiam ipſis erectis: LILIUM VULGARE.
    - *Reflexis*, floribus ipſis pendulis ſeu deorſum nutantibus MARTAGON, *Lilium montanum*.
  - *Nudo*, flore Hyacinthi; HYACINTHUS LILIFOLIUS *ſtellatus*

Paucioribus & majoribus majores & elatiores, caule

Supra flores aſſurgente, floribus ipſis pendulis caulem coronæ inſtar in orbem cingentibus, radice vulpem olente: CORONA *Imperialis*.
In florum thyrſum terminato, floribus parvis, deorſum nutantibus: LILIUM PERSICUM.

Binis duntaxat, humilior, flore Tulipæ, pendulo ſeu deorſum nutante, caule folioſo: FRITILLARIA.

Herbæ radice bulboſa tunicata ſunt vel *graveolentes*, floſculis multis è ſummo caulis faſtigio enatis & in umbellam aut corymbum diffuſis; vel odore nullo aut minùs gravi præditæ.

CAP. I.

Corona Imperialis Ger. Park. *Corona Imperialis ſive Tuſai aliis* J. B. *Lilium ſive Corona Imperialis* C. B. **The Crown Imperial.**

J. B.

R*Adix* bulboſa, rotunda, craſſa, diverſa à Liliorum forma, eſt enim compreſſa, ex magnis, craſſiſſimis & ſucculentis ſquamis compacta, colore interdum albo, nonnunquam etiam purpuraſcente, ſæpe pallido, odore fœtido & viroſo, uti & folia, Colchicum olente, Cluſio verò hircum [*nobis potiùs vulpem*] nares etiam procul feriente, qui eruit binas & amplius libras pendentem. *Caulem* tollit ſingularem, bicubitalem aut etiam altiorem, digitali craſſitudine, inferiore parte pluſquam pollicari, firmo, intus fungoſo, viridi, rotundo quidem, ſed ad cubiti altitudinem ſtriato, *foliis* magna parte ſtipatum numeroſis, ſplendore viridanti nitentibus, Liliaceis, modò æquali, modò confuſo ordine eum ambientibus, nullo nixis pediculo, ſed latiore ſui parte cauli adnatis, ità ut appendices paullùm eminentes ab iis propagati caulem reddant nonnihil anguloſum. Supra autem denſius hoc foliorum agmen caulis ad pedem, nonnunquam etiam cubitum protenditur nudus, ſine foliis, gracilior quàm inferiùs, & teres, neque ſtriatus & viridis ſed lævis & purpuraſcentis coloris, Serpentariæ inſtar maculoſus, qui in ſummo totidem pænè in angulos deſinit quot flores ſuſtinebit, nempe binos, ternos, quaternos, quinos, ſenos aut plures, omnes Vere quaſi æqualiter & contrario ſitu naſcentes, ſingulóſq; inter bina folia, inferioribus longè minora & anguſtiora, æquali ferè longitudine. Quum flores primùm erumpunt, inter folia latent, candicantéſq; ſunt, deinde paulatim incrementum ſumunt, unà etiam ſuccreſcente ea caulis quæ illos ſuſtinet nuda parte: florum verò pediculi, qui ſeſcunciales, in augmento deorſum inflectuntur, è quibus flores penduli ſunt circumcirca, regum coronas imitati, Lilii candidi pares, flammeo colore rutilantes [Lobelio ex phœniceo rubentes] patuli, ſenis conſtant foliis latis, per extremum mucronatis, pulchra ſtriarum ſaturatiorum ſive purpurearum diſcurſantium picturâ variegatis, laciniatâ cæſurâ ſubinde ludentibus, ungue autem (inquit Cluſius) ſingulorum petalorum nonnihil foris eminente, & ex nigro purpurante, quorum uniuſcujuſque fundum obſcuriore colore pictum obſidet gemmantis liquoris margarita argentea limpidiſſima & dulciſſima, pertinacis durationis, poſt multos etiam dies à reſectione; [Lobelio Viſci grano ferè pares] Ea deinde tubercula marceſcentibus floribus in albas lacunas abeunt. Ex ipſo penitus floris umbilico prodeunt pro foliorum numero *ſtamina* candida adeò conjuncta, ut pro uno fallant obiter intuentem, apicibus majuſculis in Ochram vergentibus, breviore trifido ſtylo inter ea latitante. Supra flores Caulis denuo attollitur dodrantali plerunq; aut majori amplitudine, foliis exilibus & anguſtis onuſtus: nonnunquam ſupra flores nullus cauliculus eminet, ſed conferta duntaxat anguſtorum foliorum coma: interdum etiam (inquit Cluſius) mihi nati ſunt ſupra flores non unicus cauliculus ſive ramulus, ſed bini, terni aut plures, ſuis etiam foliis ſinguli ornati.

Flori ſuccedunt magna trigona *capita*, interdum etiam tetragona ut in Lilio puniceo, quorum ſinguli anguli utrinque pinnati ſunt, & alati; excuſſo autem flore ſtatim ſurſum eriguntur quæ fœcunda futura ſunt capita: *Semina* piana ſunt, liliacea, paullò oblongiora, cartilaginoſa, ſubruffa, duplici ſerie in ſingulis angulis digeſta, quemadmodum in Lilii generibus, &c.

Hujus plantæ multiplex habetur varietas, nimirum

1. Lilium ſive Corona Imperialis duplici corona *C. B.* Caulis enim in hac planta nonnunquam ſupra priorem illam florum æqualiter propendentium ſeriem dodrantali longitudine attollitur, aliámq; florum ſeriem geſtat, aliquando etiam tertiam, & tum demum foliorum comam ſupereminentem: eas verò ſtirpes unicum florum ordinem ſubſequentibus annis plerunq; ferre obſervavi (inquit Cluſius) ut peculiare genus non ſit cenſendum, ſed Naturæ luxuriantis quidam duntaxat luſus.

2. Corona Imperialis flore luteo cum ſtiris purpureis: qualem Cluſius primo in loco deſcribit. Variat in nonnullis plantis florum color, eſt enim vel medius inter utrumq; genus, vel ad prioris ſecundíve colorem quàm proxime accedit.

3. Lilium ſive Corona Imperialis multiflora, latoq; caule *C. B.* Caulem lateſcere & multos deinde flores proferre, aliis etiam aliquammultis plantis accidit.

4. Lilium ſive Corona Imperialis flore pleno.

5. Lilium ſive Corona Imperialis foliis anguſtioribus, non fœtens *Cluſ.*

6. Lilium ſive Corona Imperialis ramoſa *C. B.* Tuſai δίκλωνος *Cluſ.*

Hæ aliæque varietates quarum meminit Lobelius accidentales nobis videntur, & vel ſoli luxuriei, vel culturæ & mangonio deberi, nec ſpeciei diverſitatem arguere.

De Corona Imperiali per omnia majore *Cat. Pariſ.* & Corona Imp. Sinenſium ſeu folio vario *ejuſdem*, cùm mihi nondum fuerint conſpectæ, quid dicam non habeo.

Conſtantinopoli allata eſt hæc planta: ex Perſia verò Conſtantinopolim delatos illius bulbos omnino ſibi perſuadet Cluſius, quoniam cùm accipiebat inter reliquas hæc fuit inſcriptio, *Tuſai ſive Perſiano roſſo ò diſcolorito con la teſta abaſſo*, hoc eſt, Tuſai ſive Flos Perſicus ruber aut decolor nutante capite.

Locus. Floret Aprili, interdum etiam Martio ſi aeris temperies paullò calidior fuerit.

Vires. Coronæ Imperialis guttis in flore utuntur Turcæ ad vomitum excitandum; alii ad fœtum excludendum. *D. Palmer*, è dictatis D. Herman.

CAP. II.

Lilium Perſicum Ger. Park. C. B. *Perſicum ſive Suſianum* J. B. **The Perſian Lily.**

J. B.

CAulis ei procerus, non multùm craſſus, cubitalis & altior, rotundus, *foliis* ab ima parte ſurſum verſus densè ſtipatus, Lilii crocei foliis anguſtioribus, acutioribus, digitalis longitudinis, longè quam Coronæ Imperialis anguſtioribus, illis ferè ſimilibus quæ in ſummo ipſius capite naſcuntur, vireſcentis ex cineraceo coloris, ſive quodammodo æruginoſi (inquit Cluſius) qualis in Tulipæ foliis conſpicitur; contorquentur verò illa, buxeíque ſunt odoris. Summus caulis longum gerit thyrſum *florum*, ſeſquiuncialibus & longioribus pediculis hærentium, numeroſorum, pendulorum, terrámque ſpectantium, Leucoii bulboſi nolas imitantium, ſaturâ purpurâ tinctorum, ſive (ut ait Cluſius) foris purpuræ valdè obſoletæ colore præditorum, internè autem dilutiorum, unguibus ſubvireſcentibus, odore nullo inſigni. Ex umbilico ſex inæqualia *ſtaminula* prodeunt, purpureis apicibus primùm conſpicua, qui obverſi flavo polline conſperſi apparent: tria deinde longiora ſtaminula coeunt, *ſtilúmque* medium florem occupantem æmulantur. Sequuntur deinde ſexangula capita ſive triangula, quorum ſinguli anguli binis alis ſunt præditi, Coronæ Imp. capitibus ferè ſimilia, ſed minora & breviora; *ſemine* etiam ſimili, paululum tamen breviore. *Radix* bulboſa, Pomi Arantii magnitudine, ſubrotunda, fiſſa, magnis ſquamis loricata, ex albo flaveſcens, tenui membrana cincta; ſubſtantia ejus qualis in reliquis bulbis: ima parte ſeſſilis, foramine plurimùm pertuſa caulis veſtigio. Sapor ſubſtantiæ peramarus horribilis; nullo tetro aut gravi odore nares feriente prædita eſt.

Tempus. Floret Aprili, ſemen ejus maturum cum Tuſai ſemine aut paullo poſt. Apud nos etiam perdurat hyeme non nimis acri, ſed bulbus ſemper decreſcit, niſi calido in loco ſeratur, aut in fictili per hyemem reponatur.

Cluſio Lilium Suſianum dicitur, quòd Suſis Perſiæ urbe delatum ſit.

CAP. III.

De Fritillaria.

FRitillaria à tabula Scaccaria ſeu abaco in quo Scaccorum luſus exercetur, quem Fritillum dici exiſtimant, nomen accepit. Verùm Fritillus non eſt propriè tabula Scaccaria, ſed vaſculum aleatorium ſeu pyxis cornea ligneave turriculæ aut infundibuli ſpecie, è qua mitterentur aleæ vel teſſeræ in tabulam ad cavendam fraudem.

Geſnero & aliis Meleagris dicta eſt, à Meleagridis avis plumis, quas ſi non coloris ſpecie, tamen varietate & diſpoſitione, & macularum magnitudine refert. *C. B.*

Meleagridis notæ ſunt Radix in duas velut partes diviſa, Moriſono è duabus velut magnis ſquamis compoſita; flos Tulipæ æmula, deorſum nutans vel pendula, maculis quadratis tabulæ Scaccariæ in modum pictis.

1. *Fritillaria vulgaris* Park. Ger. *præcox purpurea variegata* C. B. *Meleagris ſive Fritillaria dilutior & ſaturatior* J. B. **Common Fritillary, or chequer'd Lily.**

J. B.

Ex *radice* emergit bulboſa, candida, ſolida nullis tunicis ſepta Cluſio, ſed veluti in binas, eáſque ut plurimum inæquales partes ſecta; è cujus medio protuberat quaſi pulvinus quidam, unde *caulis* emergit, ſeſſili parte multis fibris donata. *Caulem* promit teretem, tenuem, ſingularem, dodrantalem & pedalem, interdum etiam majorem, foris ex viridi purpuraſcentem, vel fuſco obſoleto colore præditum, lævem, intus fungoſum; ad quem ſine pediculis adnata hinc inde, nullo ordine, folia Tragopogonis purpur. quinque, ſex, ſeptem, mediocriter longa, anguſta, carinata, ſubacido ſapore prædita. In ſummo caule *flos*, ſæpe unicus, aliquando bini, interdum terni [Cluſio eodem tempore ſe aperientes] ex pediculis uncialibus, cauli concoloribus incurvis nutantes dependent, pulchri, Campanæ inſtar, magni, hexapetali, teſſellato emblemate fritilli ſeu tabulæ latrunculorum diſtincti, plagis alterno rubore, carneo ſanguineóve & albedine pictis, aſpectu pulcherrimo, interiore ſuperficie ſaturatiore purpurâ ſplendente: ſingula petala ab imo coſtam elevatam habent, ad petali uſque medium abeuntem, in tantillo puniceo luteolam; in floris medio *ſtamina* ſex, capitulo farinâ croceâ aſperſo, *ſtylum* ambiunt tricuſpidem, coloris herbacei, odoris nullius. Florem verò excipit *capitulum*, triangulare, unciam plerunque longum, ſuperna parte craſſius & ſine corona, alioqui Narbonenſis Tulipæ capiti ſimile; quod in ſe continet *ſemen* pallidum, compreſſum, Tuliparum ſemini accedens, vel, ut ait Cluſius, Tulipæ Narbonenſis ſemen quaſi referens, membranaceo margine latiore, in quo nullum, contra quàm in Tulipa, germen conſpicitur.

Floret cum præcocioribus Tulipis, interdum etiam Martio in hortis. Sponte quibuſdam pratis ad Ligerim flumen, non procul Aurelia urbe Galliæ celebri oritur.

Tempus & Locus.

Duplex eſt, altera ſpecioſior & coloratior, paullò citiùs florens; altera colore dilutiore eſt, minùs ſpecioſa & nonnihil tardiùs florens. Ob ſoli luxuriem interdum florem geminatum producit, ſive dodecapetalon. Hinc

Varietates.

Fritillariam flore magno pleno *C. B. Cam. Eyſt.* Fritillariam flore duplici albicante *Park.* pro laſcivientis naturæ luſu habeo, non pro ſpecie aliqua Fritillariæ diſtincta.

Qui naturalem & ſtabilem hanc ſpeciem eſſe affirmant non varietatem accidentalem & mutabilem, obſervent, an hujus ſemine ſato ortæ plantæ hujuſmodi ſemper vel maxima ex parte flores producant.

2. *Fritillaria alba præcox* C. B. *alba* Park. *albo flore* Cluſ. App. alt. & auct. & cur. poſt.

Præcedentis varietas potiùs eſſe videtur quàm ſpecies diſtincta: ſiquidem, annotante Cluſio, caules & folia vulgaris habet ſimilia, & præcociùs unà cum illa floret. Notæ præcipuè quibus ab ea differt, obſervante Parkinſono, hæ ſunt. 1. Caulis & folia prorſus viridia ſunt, non ut illius ima parte purpuraſcentia ſeu fuſca. 2. Floris color albus, qui tamen in nonnullis variat, interna parte venis quibuſdam purpuraſcentibus diſtinctus. 3. Ungues petalorum virides ſunt, coſta etiam viridis medium folium dividit, per longitudinem.

In pleriſque hujus generis plantis teſſulæ quædam obſcuriores apparent, in nonnullis etiam color purpuraſcens dilutior: unde manifeſtum eſt eas non aliter differre à vulgaribus Fritillariis, quàm aliæ plantæ flore albo interdum variantes ab eiſdem flore rubro vel cœruleo vel alio quocunque naruraliter & uſitate præditis. Hinc neque Fritillariam albam ex phæo purpureo teſſellatam *Lob. Ad. part.* 2. cujus flos internè rubicundior eſt, unguibus albis præditus, à vulgari Fritillaria ſpecie diſtingui concedimus.

3. *Fritillaria ſerotina atro-purpurea* C. B. *Xantonica ſerotina* Lob. Ad. part. 2. *An Fritil. flore atro-rubente* Park?

Lobelius hanc ſic breviter deſcribit. Serotinæ Xantonicæ flos pulcherrimus eſt, & ſaturatiore nitidioréque purpuro-violaceo nigro colore gratiſſimus. Parkinſonus fuſiùs, ſi modo eandem intelligat, hunc in modum.

Radix hujus nonnihil rotundior eſt magíſque coacta quàm præcedentis; *caulis* brevior & humilior quàm alterius cujuſcunque Fritillariæ ſpeciei, *folio* inferiùs unico vel altero donatus, ſuperna parte duobus tribúſve arctè junctis, latioribus, brevioribus & albidioribus quàm reliqua, Fritillariæ luteæ foliis ferè ſimilibus, inter quæ exit pediculus *florem* ſuſtinens deorſum nonnihil nutantem, ſeu potiùs prorſum extantem, quàm vulgaris ampliorem, & Fritillariæ luteæ flori magnitudine ferè æqualem, foris obſcurè cinereum ſeu per totum ex cinereo fuſcum, interiùs atro-rubentem, variè ſtriatam ſeu maculatam. Hæc ſpecies neque radice libenter ſe propagat, neque ſemen perficit apud nos.

Cum præcocioribus floret: Flos autem ejus citiùs evaneſcit quàm cujuſvis alterius Fritillariæ.

4. *Fritillaria flore luteo puro* Park.

Park.

Radicem habet rotundiorem, minus planam ſeu compreſſam quàm ſuperiora genera, mediocris magnitudinis: *caulem* ſeſquipedalem & interdum altiorem, *foliis* aliquammultis, oblongis, latiuſculis, ex viridi cæſiis ſeu albicantibus, Fritillariæ nigræ ſimilibus ſed duplo anguſtioribus, veſtitum: *Florem* minuſculum, oblongum, Fritillariæ nigræ figurâ ſuâ non valde diſſimilem, petalis tamen minoribus & mucronibus rotundioribus, pallidè ſeu ex viridi luteum, nullis neque foris neque intus maculis ſeu teſſellis variegatum, *ſtaminibus* & apicibus intus luteis. Semen primi generis ſimile.

Hanc in hortulo noſtro Cantabrigiæ aluimus; Ad Fritillariam nigram accedere videtur.

5. *Meleagris ſive Fritillaria flava* J. B. *Fritil. flore luteo vario ſive punctata* Park. *Fritil. flava rubris maculis diſtincta* C. B.

Aſſurgit ad altitudinem præcedentis æmulum, *foliis* cinereis, latioribus, brevioribus & obtuſioribus; *floribus* majoribus, quorum petala flavi ſunt coloris, rubris maculis diſtincti, illorum medio nervo prominulo & vireſcentis coloris.

6. *Fritillaria lutea maxima Italica* Park. *Meleagris flos maximus Italicus* Eyſt.

Park.

Caulem ſurrigit teretem, ex fuſco virentem, *foliis* aliquot latiuſculis brevioribus obſitum, quæ baſi ſua cum amplexantur, coloris obſcurè viridis. Propè ſummum caulem, qui deorſum nonnihil incurvatur, folia exeunt tria vel quatuor, è quorum ſinu emergit *flos*, plurimùm ſingularis, quàm præcedentis longior, deorſum nutans reliquorum inſtar, colore è luteo obſcuro purpuraſcente, maculis parvis rubris teſſellatus.

Serò & poſt reliquas tandem omnes floret.

Tempus.

7. *Fritillaria lutea juncifolia Luſitanica* Park. *An Fritil. anguſtifolia variegata magno flore* C. B?

Park.

Caule aſſurgit tereti, oblongo, tenui & infirmo, *foliis* rarioribus, oblongis anguſtis & fere junceis veſtito. *Florem* edit parvum, luteum, maculis tamen rubris crebrioribus ſegmentatum quàm quodvis aliud Fritillariæ luteæ genus.

Fritillaria Luſitanica *Cluſ. cur. poſt.* huc referenda videtur. C. Bauhinus tamen diſtinguit, & revera notæ nonnullæ ſunt in Cluſiana deſcriptione quæ non bene conveniunt, nimirum caulis firmus, foliola brevia, color floris foris purp. obſoletus, in venas quaſdam ad extimas oras vergentes diſtinctus.

8. *Fritillaria flore minore* C. B. *item Fritil. ſerotina floribus ex flavo virentibus* ejuſdem. *Meleagris ſive Fritil. Pyrenæa flore minore* J. B. *item Meleagris ſive Fritil. Aquitanica reflexis oris* ejuſdem. *Fritillaria Pyrenæa ſive Apenninea* Park. *Fritil. Aquitanica minor flore luteo obſoleto* Ger. emac. **The black Fritillary, or Leather-coat.**

Bulbum habet [Cluſio] Fritillariæ *cap.* x. *lib.* ii. *Hiſt.* deſcriptæ formâ ſimilem, minorem tamen. [Parkinſonus hujus bulbum in eam molem & magnitudinem interdum excreſcere ſcribit, ut Coronæ Imperialis radicem mediocrem mentiatur] ex quo prodit pedalis *cauliculus*, gracilis, viridis, ſenis aut ſeptenis foliis ſeptus, ex viridi cineraceis, qualia ferè ſunt in aliis Fritillariis, in cujus ſummo faſtigio naſcitur *flos*, aliarum Fritillariarum flore minor, ſex petalis conſtans, quæ extimas oras nonnihil reflexas habent, ut parvi tintinnabuli formam exprimat, quorum terna exteriora internis anguſtiora ſunt, omnia obſoleti foris coloris, circa oras tamen (præſertim interiora) venis quibuſdam flaveſcentibus diſtincta, internè verò ex viridi flaveſcentis & ſplendentis; à mediis porro foliis ad ipſos uſque ungues (qui ſimilem colorem habebant) plurimis maculis ſaturatè purpuraſcentibus teſſellatim diſpoſitis notata. Ex umbilico prodeunt ſex brevia *ſtamina*, longis apicibus pallidis prædita, triſulco ſtilo è medio illorum procedente. Odor ejus gravis, quaſi Phalli odorem referens, & proximè ad eum qui in Spatula fœtida percipitur accedens. *Semen* Fritillariæ vulgaris ſemini ſimile.

In earum porro Fritillariæ plantarum quæ è Pyrenæis montibus eruuntur (loquitur Cluſius in *hiſt. app. alt.*) floribus non minor obſervatur diverſitas quàm in illis quæ vulgares in diverſis Galliæ provinciis reperiuntur: nam licet omnium, (quos mihi quidem videre contigit) forma quodammodo ſimilis ſit, ſex viz. petalis conſtans, eorúmque terna interna magna ex parte tribus externis ſint latiora & ampliora, quidam tamen flores illa repanda habent, h. e. illorum extimas oras reflexas, nonnullorum verò ore vel non ſunt reflexæ penitus, vel certè quàm minimum: rurſus illi flores qui extimas foliorum oras reflexas habent alii aliis ſaturatioris ſunt coloris, quidam etiam adeò ſaturi ut nigri videantur, præſertim externa foliorum parte, quæ nec ſplendet, nec teſſellis diſtincta apparet, at internâ purpureis quibuſdam maculis diſtincta vel frequentioribus, vel minùs frequentibus, aut magis ſaturis, aut dilutioribus, eáque ſplendet. Illi verò flores qui folia repanda non habent, vel quorum oræ paululum duntaxat ſunt reflexæ, externa parte utplurimùm vireſcentis ſunt coloris, internâ autem ex viridi flaveſcentis & ſplendentis quali pænè præditus eſt tenuior ille ſericeus pannus, quem vulgo *Tafetas* nuncupant, ex flavis & viridibus ſericeis ſtaminibus contextus, atque in illis teſſellarum illa diſtinctio obſcurior apparet. Singulorum autem foliorum ungues interni nonnihil cavi ſubviridem maculam impreſſam habent; ex floris verò umbilico ſex alba *ſtamina* prodeunt, quorum *apices* pallidi, inter quæ trifidus exilit ſtylus paullò ſupra ſtamina ſeſe exerens.

Florent paullo ſeriùs quam vulgares ſerotinæ Fritillariæ, & ſemen ferunt in thecis ſeu capitulis triangulis, vulgaris Fritillariæ inſtar, planum, vulgaris ſemini prorſus ſimile, in quo nullum etiam germen conſpicitur. Interdum hæc planta binos flores in eodem caule profert quemadmodum vulgaris.

9. *Fritillaria Aquitanica Cluſii & Boiſſoti ſerotina, i. e. Fritil. ſerotina floribus flavovirentibus* C. B.

Videtur Lobelio Adv. part. 2. quadrare cum varietatibus Fritillariæ nigræ: nonnullæ tamen notæ reclamare videntur, 1. Quòd in florum petalis dorſi nervus extuberabat paululum atque vireſcebat. 2. Quòd petala omnia ab imo ad extremas oras obſoletæ purpuræ radiis, ſub quibus nonnihil flavi conſpiceretur, diſtinguebantur. 3. Quòd folia anguſtiora magíſque herbacea. 4. Tenerior erat & frigoris impatientior.

Vires. Odore Fritillariæ quam Cluſius Aquitanicam vocat hæmorrhagiam in juvene Belga ſuppreſſam obſervavi Lugduni Batavorum. Eſt verò teterrimi odoris, cui ſimilem putidiſſimum ovum ſpirat. S. Pauli Quadrip. Botan. Claſſ. 2. p. 83.

10. *Fritillaria umbellifera* C. B. *Hiſpanica umbellifera* Park.

Fritillariæ nigræ haud dubiè congener eſt, adeo partibus omnibus ei ſimilis eſt, major duntaxat, quod fortè ſolo lætiori debetur. Flores in faſtigio quatuor vel quinque ſimul penduli Coronæ Imperialis inſtar caulem ambiunt, colore intus flavo-viridi, rubentibus maculis notati, foris nigricantes.

Fritillaria II. ſeu ramoſa *C. B.* item Fritillaria III. ſeu polyanthos flavo-viridis, ſi à præcedente ſpecie differant nobis certè incognitæ ſunt.

II. Fritillaria Luſitanica *Cluſ. cur. poſt.* ambigere videtur inter Fritillarias vulgares & Fritillarias nigras, ſiquidem petalorum mucrones in ea non reflectebantur, coloris tamen erant foris purpurei obſoleti, in venas ad extimas oras vergentes diſtincti, nullis maculis teſſellatim diſpoſitis apparentibus, ſingulorum mucrone ex viridi paullùm flaveſcente. Floris pars interior ſubflavi coloris erat, ungues verò vireſcente maculâ infecti. In flore odorem nullum deprehendere potuit Cluſius, quo à Fritillaria nigra differt.

11. *Fritillaria minima pluribus floribus* C. B.

A Swertio pingitur.

12. *Fritillaria Indica maculato caule, Viperina dicta* Hort. Reg. Paris & Lugd. Bat.

Vires.

Fritillariæ flos (autore Paul. Renealmo) non tantùm ardentibus febribus confert, ſed & ſedandæ ſiti ex hujus ſucco fit unguentum ad carcinomatoſa ulcera præſtantiſſimum. Vim præterea hic flos roborandi cordis & cerebri non parum poſſidet, meconiíque (ut me docuit experientia) malignitatem infringit. Aqua ut decet deſtillata oculorum inflammationibus ſuccurrit.

Cap. IV.

Martagon Canadenſe maculatum Park. *Mart. ſeu Lilium de Canada, auri colorem referens flore intus nigris maculis aſperſo* Bry.

Park.

AMbigere videtur inter Lilia floribus reflexis & erectis. *Folia* ut in illis per intervalla rotatim caulem ambiunt. *Radix* parva, ſquamoſa, fibris tenuibus longis ex ima ſede dependentibus. *Caulis* ſatis craſſus, ſeſquicubitalis aut altior, *foliorum* longorum, anguſtorum, viridium, pauciorum tamen quàm in Martagone Imperiali, triplici aut quadruplici per intervalla ſerie circulariter cinctus. Ex ſupremo foliorum circulo unà erumpunt quatuor aut quinque flores, Lilii rubri pænè pares, ſingulis pediculis longis tenuibus fulti, deorſum nonnihil incurvati, pulchro colore flavo ſeu aureo tincti, internâ parte maculis ſeu ſtriis atro-purpureis picti, cum ſex ſtaminibus totidem apices ſuſtinentibus & piſtillo in medio.

Cap. V.

De Lilio ſimpliciter dicto floribus erectis, & eorundem petalis non reflexis.

LIlium Latinis à Græco λείριον deductum eſt, ρ literâ in *l* mutatâ.

1. *Lilium album* Ger. *album vulgare* J. B. Park. *album flore erecto & vulgare* C. B. **Common white Lily.**

J. B.

Florum deliciæ Lilium ex *radice* bulboſa, multis nucleis conſtante *caulem* ſurrigit rectum, cubitalem & ſeſquicubitalem, vel etiam altiorem, ſingularem, teretem: cui ab imo ad ſummum adnato *folia* nullo pediculo, oblonga & latiuſcula, viridia, glabra & ſplendentia, verſus ſummum caulem ſenſim minora & anguſtiora. *Flores* in ſcapo ſerie quadam plures, non eodem tempore panduntur, odoris ſuavitate eximia, colore lacteo, ſenis pinguibus repandis foliis calathum imitati, in quorum medio *ſtylum* longiuſculum, ex albo viridantem, triſulcum circumſtant *ſtamina*, foliis numero & colore paria, quibus *apices* inſident crocei.

Vires.

Stillatitiam florum aquam dari utiliter potandam ægrè parturientibus, & ad pellendas ſecundas addito croco & caſſia ſcribit Matthiolus: Crocum & Caſſiam ad augendam penetrantiam addi non conceſſerit Camerarius; qui aquam ſtillatitiam ſolam ad hos uſus efficaciſſimam ait, unde non temere in aliis affectibus dandam. Tragus duo aut tria cochlearia reſtituere animo linquentes ſcribit ex aliorum ſententia. Schroderus usûs crebri eſſe in affectibus pulmonum, aſthmate, tuſſi & ſimilibus ſcribit. Virgunculis familiaris & expedita eſt, ut eâ faciei nitorem concilient, tantillum Camphoræ & Olei Tartari per deliquium deſtillati in ea diſſolventibus. *Sim. Paullus.*

Oleum ex floribus per inſolationem fit. Cavendum autem nè folia relinquantur in oleo vetere ad quindecim dies: Cùm enim tota planta turgeat ſucco mucagineo, facile putreſcunt, & oleum jam redolet non Lilia, quæ prima bonitatis nota èſt, ſed grave & fœtidum quid. Sufficit igitur triduum, quo exacto imponantur alia, tum denique iterum alia. Sufficit enim tertium repetiſſe.

Hoc oleum maximas habet vires in quibuſcunque doloribus & affectibus frigidis: tenſa remittit, dura emollit, dolores ſedat. Uſus ob id eſt in doloribus colicis & nephriticis, in pleuritide, &c. Uſus etiam eſt in induratis nervis præcipuè, in ſchirrho uteri & indè dependente menſium mora. *C. Hofmannus.*

Radicis uſus internus rarus eſt, externus crebrior in tumoribus leniendis & maturandis, in clavis pedum tollendis [axungia vetere exceptæ & illitæ] in pudendis parturientium emolliendis, in ambuſtis emendandis, &c. *Schrod.*

Stamina exhibentur ad facilitandum partum cum aqua Verbenæ vel ſimili. *Idem.*

Gulielmus Goderus, Elizabethæ reginæ Chirurgus, referente Gerardo, multos hydrope laborantes ſanavit radicis ſucco cum farina, Hordeacea mixta pane ſcilicet ex iſtiuſmodimaſſa confecto ægro per menſem aut ſex hebdomadas continuas exhibito; quo ſolo & non alio pane per totum id tempus veſceretur.

Idem eodem referente, Radicis tuſæ ſuccum expreſſum cum vino exhibitum & per duos treſve dies potum venenum peſtilentiale expellere, & facere ut foras erumpat in puſtulis & veſicis cutem externam occupantibus.

2. *Lilium album Byzantinum* Cluſ. Park. Ger. *Lil. album floribus dependentibus ſive peregrinum* C. B. *Sultan Zambach & Martagon Conſtantinopolitanum albo flore* Cluſ. hiſt. *Lilium album Syriacum Rauwolfii* J. B.

Cluſ.

Lilii albi genus eſt vulgari proximum: Ejus tamen *caules* licet vulgari non breviores, à diligentiùs obſervantibus graciliores, rarioribúſque & minoribus foliis ſepti deprehenduntur, ipſiúſque *flores* paullo minores, æquè tamen ac vulgaris flores odorati. Nonnullæ verò radices in tantam molem excreſcunt, ut vix utrâque manu comprehendi poſſint. Horum nonnulla in plano & lato caule ſexagenos flores protulerunt. Lobelius in caule palmaris latitudinis, humanæ proceritatis, 200 & plures candidiſſimos & ſuaviſſimos flores obſervavit.

3. *Lilium rubrum vel croceum majus* J. B. *purpuro-croceum majus* C. B. *Lilium aureum* Ger. Park. *fortè. Martagon Chymiſtarum* Lob.

J. B.

Par eſt magnitudine Lilio albo, niſi quòd folia incondita minùs ſint lata, ac firmiora, nervoſiora, atro-virentia, ſplendentia, longiora quàm in bulbifero. *Caulis* maculatus, bicubitalis; ſummitas in pediculos aliquot faceſſens, ſingulis ſingulos inhærentes flores ſuſtinet, Liliaceis magnitudine formâ foliorúmque numero ſimiles, verùm colore rutilo coruſcantes, ſaturatioribus intus ſtigmatis punctati. *Radix* ſubeſt bulboſa, è ſquamis compactilis, alba, ex qua ramuli repentes novos generant bulbos.

Locus. Nuſquam non ſponte provenit (teſte Matthiolo) in Italia, quandoquidem circa meſſem in arvis inter ſegetes, in pratis, in montibus & in vallibus aureo colore emicat. Nos in ſylvis ſupra Neapolin prope Camaldulenſium cœnobium obſervavimus.

4. *Lilium phœniceum* C. B. *phœniceum dilutum* J. B. Lob. *rubrum* Ger.

Cluſ.

Longo & præalto aſſurgit *caule*, valdè dilutos fert flores, ſerotináque eſt, cum Lilio albo duntaxat florens: in quo ſexagenos aliquando flores uni cauli inhærentes obſervare memini.

Hanc ſpeciem Cluſius vulgarem & omnibus notam ſcribit. Parkinſonus quoque ſub Lilii aurei titulo hanc deſcribere videtur. Nos à præcedente ſpecie diverſam non putamus.

Huc fortè referendum eſt Lilium Sandicis colore polyanthos *C. B.* cruentum polyanthos *Hort. Eyſt.*

5. *Lilium rubens vel croceum minus* J. B. *Lilium purpuro-croceum minus* C. B. *pumilum cruentum* Park. *purpureum minus* Ger. emac.

J. B.

Squammatus *bulbus caulem* promit anguloſum, ſtriatum, altitudine ſeſquicubitali, cui temere *folia* numeroſa adnaſcuntur, atro virore ſplendentia, perquam anguſta, ſecundùm longitudinem nervoſa. Caulis faſtigium in aliquot pediculos firmos, punctis rubris variegatos, modicè hirſutos dividitur, quorum unicuique *flos* inſidet Liliaceus, colore ex rubro flaveſcente ſeu croceo, folia intus ſulcata & ſaturatioribus punctis notata habens, odore ſuavi, *ſtaminibus* & *piſtillo* flori concoloribus.

Præcocior eſt priore: Singulare etiam habet hæc planta, quòd ex majore bulbo obliquè & in latera propagines ſub terra graminis modo ſpargat.

Flore pleno in hortis colitur.

6. *Lilium cruentum latifolium* J. B. *cruentum Plantaginis folio* C. B.

Bulbo innititur omnino tali quali Lilium album: *caule* verò donatur, non ut cætera Lilia, craſſo, qui *florem* producit unicum, cruentum, ſex foliis latis conſtantem. Cauli *folia* rara, valdè lata, Plantagini ſimilia. C. Bauhinus dubitat an detur hujuſmodi planta & quænam ſit.

7. *Lilium bulbiferum latifolium majus* C. B. *bulbiferum majus* J. B. Park. *cruentum bulbiferum* Ger. emac.

Cluſ.

Bicubitali interdum aſſurgit *caule*, firmo, craſſo, foliis ſepto Liliaceis, ſubatris, in ſummis alis craſſiores bulbos geſtans & amplos flores rubros, Lilio puniceo minori non bulbifero concolores. Teneriores hujus plantæ ante quàm flores ferre incipiant, bulbis ſecundùm caulem inter folia natis non minùs donatæ ſunt quàm reliquæ duæ ſpecies, ſed quando robuſtiores ſunt, floréſque aliquot annis protulerunt, vix, niſi in ſummo caule ubi in alas dividuntur & ſecundùm flores majores bulbi naſci ſolent.

Tempus. Floret hæc planta cum duabus ſubſequentibus Junio, alia aliâ paullò maturiùs, ſeménque perficit Auguſto. Bulbi in alis hærere ſolent, donec vento aut contactu excutiantur; imò interdum plantæ adhuc inhærentes fibras deorſum ſpectantes agere ſolent, tanquam ad communem matrem terram aſpirantes, & illâ ſe condi cupientes.

Invenitur apud Lobelium in iconibus Martagon cruentum anguſtifolium, C. Bauhino Lilium bulbiferum anguſtifolium dictum. *Varietas.*

Lilium bulbiferum incanum J. B. C. B. Cluſ. *cruentum latifolium* Ger.

Cluſ.

Vix cubitalem excedit altitudinem; *caule* etiam eſt firmo, ſtriato, ex viridi nigricantibus *foliis* prædito, quæ tamen cum ſummo caule incana lanugine pubeſcunt: Ejus *flores* igneo rubore non rutilant, ut in ſuperiore, ſed magis palleſcunt, & ad Lilii punicei non bulbiferi majoris colorem plurimùm accedunt. Ejus adultioris caules paucos etiam *bulbos* eóſque ſuperiore minores niſi in ſummis alis geſtare ſolent.

9. *Lilium bulbiferum minus* C. B. Park. *bulbiferum repens* J. B. *cruentum ſecundùm caulem bulbulis donatum* Ger. emac.

J. B.

Inter Lilium bulbiferum majus & incanum media eſt magnitudine, nonnunquam etiam primum æquat. Bulbo ſquammato cum reliquis hujus generis convenit. Cæterùm *caulis* firmus, ſtriatus, cubitalis [Cluſius caulem infirmiorem & graciliorem ei attribuit] ac major multo, maculis nigris notatus, lanuginoſus & in alas diviſus, *flores* multos profert amœnos, Lilii formâ, necnon aliquatenus colore, ex ſex repandis aliquantùm petalis, multo croco tinctis, intrinſecus multis liris aſperatis, (qua parte & color folii medii dilutior) punctíſq; ſaturatè ſanguineis notatis, extrinſecus lanugine levi profuſis: quorum nonnulla elatiorem, latiorem, ſaturatiorémq; coſtam, profundo utrinq; ad latera ſulco, habent: medium florem obſident reliquorum inſtar ſena *ſtamina*, *piſtillumque* triquetrum, eodem cum flore colore prædita. *Folia* fert Martagonis, quorum alis bulbi frequentes inſident. *Radix* plerunq; è lateribus propagines ſpargere ſolet, quæ ad ſingula genicula in candidos bulbos excreſcentes, ſubinde novas in circuitu plantas producunt, Lilii rubri minoris non bulbiferi modo.

Ferunt omnes hæc plantæ in capitibus triangulis *ſemen* latum, cartilagineum, ſubfuſcum, quemadmodum Lilium vulgare, quod non ſterile eſt, ſed ſui etiam generis plantas profert, verùm quæ ex bulbulis in alis natis creſcunt plantæ longè citiùs adoleſcunt.

Hæc & præcedens ſpecies in montanis Auſtriæ & Stiriæ pratis ſponte creſcunt, hæc tamen rarior inventu. *Cluſ.* *Locus.*

Solent verò cùm hæ, tum aliæ non bulbiferæ, cùm primùm florum gemmas oſtendere incipiunt, à formicis admodum infeſtari, &c. *Idem.*

C a p. VI.

Bulbus Liliaceus vomitorius Capitis Bonæ Spei Breynii.

Breyn.

Hujus bulbus Lilii miniati Byzantini valdè ſimilis eſt, niſi quòd plerunq; major, & ex majoribus, craſſioribus, ſaporis initio viſcidi & aquoſi, mox autem acerrimi, ac linguam inſtar Ari fermè vellicantis, purpuraſcentibus ſquamis compactus; in quibus Soli obverſis punctula obſcurè purpurea denſè inſperſa, & lineolæ quædam per longitudinem excurrentes cernuntur. *Folia* Lilii foliorum colorem, formam & totum habitum æmulantur, ſed longè anguſtiora ſunt. *Scapum* ex bulbi centro teretem, diluto virore albicantem, bipedalem ſeſquicubitalémve impellit, *Floribus* creberrimis, ex ſubviridi albeſcentibus, à tertia inferiùs parte ad apicem uſque in ſpicam longam congeſtis, decoratum: Quorum nondum aperti, immaturis Hyacinthi flore albo floribus ſimiles, reliqui autem folia ſua tam mirâ & variabili explicabant formâ, ut numerum eorum figurámq; enucleare haud valeret Autor: in quorundam umbilico *ſtylus* longus, quadrangularis, antè obtuſus & velut reſectus; in aliorum è contrario reflexus, & quaſi ex multis orbicularibus arctè conjunctis globulis contractus apparebat.

Deſcriptio caulis ad imaginem pictam à D. Beverningh miſſam compoſita eſt.

An *Bulbus ruber Promont. Bonæ Spei adhuc incognitus ſquamoſus* Swartii?

Naturam calidam & ſiccam, atq; vim abſtergendi & provocandi habere [niſi quid viroſi illi inſit] exiſtimo. Tres aut quatuor hujus bulbi ſquamas cum nonnihil carnis conciſæ famelico cani devorandas objeci, qui elapſis quibuſdam poſt ſumptum hoc ferculum horis multam tenuem craſſámque pituitam evomuit: tandem & materiam pituitoſam per alvum rejecit, quanquam non ſine magno languore. *Jac. Breynius* in *Ephemer. German.* Ann. 4, & 5. Obſ. 134. *Vires.*

C a p. VII.

Hyacinthus Liliifolius ſtellatus J. B. *ſtellatus foliis & radice Lilii* C. B. *ſtellatus latifolius* Ger. emac.

Cluſ.

Bulbo eſt Liliaceo ſatis ſimili, ſed minore & oblongiore, flaveſcente ut Martagonis. Sena aut plura fert folia Lilii albi (antequam in caulem abeat) foliis ſimilia; è quorum medio caulis exilis pede brevior, multos flores in ſummo ſuſtinens, Hyacinthi ſtellati vulgo nuncupati

cupati floribus omnino pares, ſex foliis conſtantes intenſè cœruleis ſive violaceis, eminente ex umbilico quodam veluti umbone. Flori ſuccedunt triangula capitula in quibus ſemen.

Locus. In montibus Pyrenæis naſcitur, necnon in quibuſdam montibus Galliæ Aquitanicæ, & locis humentibus gaudere dicitur.

Paſtores animalibus hanc plantam depaſcentibus caput intumeſcere Joachimo Venerio aſſerebant. *Cluſ.*

Invenitur etiam ſed rarius flore niveo.

CAP. VIII.

De Lilio floribus reflexis Martagon dicto.

1. *Lilium floribus reflexis montanum* C. B. *flore nutante ferrugineo minus* J. B. *Lilium montanum ſive ſylv.* 2. *minus* Cluſ. *Lil. montanum minus* Ger.

J. B.

FUlvus hujus *bulbus* ex ſquamis acuminatis compactilis, ſubdulci & viſcido ſapore, fibris donatus albidis, aliis in imo, aliis quà cauli committitur, quem erigit bicubitalem, teretem, punctis rubentibus maculoſum: cui ex intervallis radiata circumnaſcitur *foliorum* Liliaceorum, atrovirentium ſeries: circa caulis etiam ſummum ſingularia folia temere quà fors tulit apponuntur. Caulis faſtigium ornant Liliacei penduli *flores* ſex foliis pinguibus purpuraſcentibus, ſanguineo ſaturatiore guttatis, reflexis admodum conſtantes, quorum meditullium occupant totidem ferruginei apices cum piſtillo, odore gravi.

Locus. In montibus Germaniæ oritur, præſertim ſylvoſis: Montbelgardi ſponte & copioſè in monte Bar, Baſileæ in monte Moutetz. Genevæ in montibus abundat *J. B.* Nobis in monte Saleva prope Genevam obſervatum non viſum eſt differre à ſequente, at in obſervando minùs curioſi fuimus: differt enim inſignibus notis, ſi J. Bauhino fides, nimirum floribus paucioribus, eorúmq; petalis admodum reflexis, colore etiam diverſis.

2. *Martagon Imperiale ſive Lilium montanum majus* Park. *Lilium ſylveſtre ſive Hemerocallis moſchata polyanthos. Martagon Imperiale nuperorum* Lob. Ad. par. 2. *An Lilium flore nutante maximum* J. B.? *Lilium pyramidale moſchatum* C. B.

Bulbis huic ex ſquamis acuminatis compactilis reliquorum Liliorum inſtar, pallidiùs tamen flavus, minor interdum quàm pro plantæ modo. *Caulem* erigit bicubitalem & altiorem, ex purpureo fuſcum ſuperiore parte, & brevi lanugine hirſutum, *florum* pyramidatum acervum, 120 & plurium, jucundiſſimo ſpectaculo, ſuaviſſimi Roſæ moſchatæ odoris æmuli, faſtigio ſuſtinentem. *Flores* penduli ſeu deorſum nutantes, ſex petalis pinguibus, unciam longis, medium digitum latis, colore in pallido rubentibus, fortuitis ex fuſco purpureo maculis latioribus aſperſis compoſiti, per exortus quinq; aut ſex variè & fuſę caulem ornant. *Folia* ex intervallis radiata ſerie caulem ambiunt ſeu coronant: bini aut terni, & interdum quaterni, foliorum circuli cauli circumnaſcuntur; & præterea circa caulis ſummum ſingularia folia reliquis minora multo, temere quà fors tulit apponuntur. Sunt autem folia glabra ex rotundo turbinata, juxta annexum anguſtiora, eminentibus ramoſiſq; à tergo in mucrone coeuntibus venis. *Stamina* ferunt ſinguli flores ſena, petalis numero reſpondentia, in quorum extremitatibus *apices* oblongi, in ruffo purpurei, rubiginoſo pulviſculo ſtatímq; pereunte conſperſi. E medio ſtaminum prodit incurvus *apex*, in triquetrum rubenſq; capitulum deſinens, viridi & triquetro folliculo inſidens, qui defluentibus florum partibus ſolus remanet, & reſupinus ſurſum incurvatur, paulatímq; increſcit, donec unciâ longior & ſemunciâ latior fiat, qui inferiùs anguſtior exiſtit: idem ſex eminentibus angulis totidémq; lateribus conſtat, intus autem tribus membranis ſeu parietibus in tres cavernulas per longitudinem dividitur, in quibus bini contigui parvorum, latorum planorum, ſibi invicem ſuperjacentium & flavorum ſeminum ſeries continentur.

Hanc plantam, ni multum fallimur, invenimus in ſylvoſis montis Salevæ propè Genevam.

Florum petala in hoc genere non uſq; adeò reflectuntur ac in minore proximè deſcribendo.

Hoc fortè Quartum Lilii montani genus eſt Cluſio, cujus flores ſeriùs ſeſe explicare ſoliti ſunt, illíq; non inſuavi odore præditi.

Vires. Martagonis radix urinam ciet.

3. *Lilium montanum ſeu ſylveſtre minus* Park. *An Lil. mont. ſive ſylveſtre I. majus* Cluſ? *Lil. floribus reflexis alterum lanugine hirſutum* C. B? *montanum majus* Ger.

Bulbo eſt majori ſeu Imperiali perſimili, ut difficulter poſſit indè diſtingui. Differt 1. Quòd menſis plerunq; ſpatio ſeriùs è terra exeat, & tamen maturiùs floreat. 2. Quod folia anguſtiora ſint & acutiora, viridioraq;. 3. Quòd florum petala aliquanto longiora ſint, ſaturatiùs rubeſcant, minoribus maculis conſpergantur, interdum etiam maculis careant multoq; magis reflectantur. 4. Quod flores in eodem caule multò pauciores obtineat & rariùs diſpoſitos. 5. Quòd florum capita antequam flores aperiantur hirſuta ſint & lanugine incana. [In nonnullis hujus generis plantis, Autore Parkinſono, nulla hujuſmodi canities cernitur, verum capitula glabra ſunt & purpuraſcunt.] 6. Quòd ſummi caules in hoc glabri ſunt & virides ſecus quàm in illo. 7. Denique vaſcula ſeminalia longiora multo & duplo fere majora ſunt.

Lilium flore nutante albo *J. B.* floribus reflexis albis non punctatis *C. B.* Lilium mont. flore albo puro *Cluſ.*

Non ſpecies Lilii diſtincta, ſed accidentalis hujus varietas, à ſemine orta, nobis videtur. Hujus inquam, non primi generis, ut vult Parkinſonus. Florum enim gemmæ, referente Cluſio, antequam expandantur, multâ candidâ lanugine ſunt obſitæ, quæ una eſt ex notis quibus hoc genus à priore diſtinguitur.

Lilium florib. reflexis variis *C. B.* i. e. Lilium montanum ſeu ſylv. 3. *Cluſ.*

cui flos antequam explicatur foris carneus, explicatus intus albus notis purpureis inſignitus.

Item,

Lilium floribus reflexis albis punctatis *C. B.* i. e. Martagon flore albo maculato *Park.* Item Lil. flor. reflex. polyanthos alb. punct.

Et alias quas recenſent varietates Cluſius & Lobelius, pro accidentalibus vel hujus vel præcedentis generis differentiis habemus. Parkinſonus pro præcedentis differentiis reputat, ob notam characteriſticam quam cum eo communem obtinent, ea autem eſt, ſquamas radicis eo modo congeſtas ſeu diſpoſitas habere, ac ſi duæ tréſve ſimul, altera alteri innaſcerentur.

4. *Lilium Byzantinum miniatum* C. B. *item Lil. Byzant. miniatum polyanthos* C. B. *flore miniato nutante, ſive Hemerocallis Chalcedonica quibuſdam* J. B. *Lilium rubrum Byzantinum ſive Martagon Conſtantinopolitanum* Park. *Byzantinum* Ger.

J. B.

Ex *radice* bulboſâ emergit *caulis* bicubitalis, minimi digiti ferè craſſitudine, ima parte punctis rubentibus guttatus, cætera vireſcens, concavus, paullo poſtquam è bulbo eluctatus eſt radiatas fibras circumquaq; emittens: per quem frequentia oriuntur *folia*, indigeſta, Lilii Martagonis, ſtriata, acuminata, per marginem nonnihil veluti piloſi oſtentantia, ſapore oleraceo prædita. *Flos* cauli ſummo reflexo inſidet, plerunq; unus, aliquando duo aut plures, colore phœniceo pulcherrimo, quorum ſinguli Liliaceis ſimiles, ſenis foliis conſtant, utcunq; anguſtioribus quàm Lilii albi: hæc ſtriis notata, quæ extrorſum reflexa ceu Martagonis, apicibus circa caulem coeunt, prominentibus nudis miniatis apicibus, quos pallidâ *ſtamina* ſuſtinent, quorum medium obtinet piſtillum apicibus concolor. *Semina*, Cluſio teſte, ſunt in anguloſo capite plana, aut Lilii ſylv. ſemini ferè ſimilia, ſed nigriora, minora, neq; adeò ſpongioſa; terræ commiſſa prodierunt, planáq; foliola tulerunt. *Radix* utplurimum non eſt adeò magna ut quidam exiſtimant, ſed Lilii ſemeſtris radicem haud multùm ſuperat, coloréque dum recens enata eſt adeò illi perſimilis [etenim ſi diutiùs extra terram aſſervetur purpurea ferè tota eſt, & ſubindè quibuſdam notis ſaturatè rubentibus inſpergitur] ut etiam in ſtirpium cognitione admodum exercitati, niſi eas inter ſe conferant difficilè diſcernere poſſint.

Hujus tamen radix è tenuioribus ſquamis contexta eſt, nec minùs fibris ſupra & infra quàm illa donata.

Duplex eſt, una dilutioribus floribus prædita, altera ſaturatioribus. Ego ſanè (inquit Cluſius) longa experientiâ didici, eas plantas quæ dilutiores ferunt flores, caulem & folia viridiora habere iis quibus ſaturatiores ſunt flores; poſtremis enim caulis & folia plerunque ex purpura nigricant.

Lobelius etiam duas varietates memorat, alteram præcocem, quinque, ſex, decemque utplurimum flores proferentem; alteram ſerotinam, quandoque diu multiſque annis unicum florem edentem.

Floret Junio aut paullò ſerius, Conſtantinopoli, Viennam ad Cluſium delatum ex hortis ſupra ſinum in cornu Byzantino vulgariter *Pera* nuncupato ſitis *Zuſiniare* appellatione. **Tempus.**

Martagon Conſtantinopolitanum maculatum *Park.*

A deſcripto differt magnitudine & proceritate: flore ampliore & ſaturatiore, maculis & ſtriis aliquot nigricantibus variegato.

Lilium purpuro-ſanguineum flore reflexo *C. B.* Byzantinum flore purpuro-ſanguineo *Ger. emac.*

Cum Lilio Zuſiniani idem eſſe vult Cluſius.

5. *Lilium rubrum præcox* Cluſ. *rubrum anguſtifolium* C. B. Ger. emac. *An Martagon Pannonicum vel exoticum flore ſpadiceo* Park? *Lilium præcox nutante flore rubro* J. B.

Cluſ.

Floris color minùs ſatur eſt & longè dilutior eo qui in floribus præcedentis apparet: Caulis gracilior & brevior Byzantinis adultis, cubitalem videlicet altitudinem non multum excedens. Uno, duobus, tribus eſt floribus: & quia aliquando anguſtioribus eſt foliis vel latioribus, idcirco Cluſius in Lilium rubrum 1. & 2. diſtinguit. Primum folia multò breviora habet & paullò latiora quàm Conſtantinopolitanum, ſecundum verò anguſtiora.

Sub finem Maii aut initium Junii floret. **Tempus.**

6. *Lilium rubrum præcox* 3. *anguſtifolium* Cluſ. *Lil. brevi & gramineo folio* C. B. *Lilium præcox nutante flore rubro tenuifolium* J. B. *rubrum anguſtifolium* 2. Ger. emac.

Cluſ.

A præcedente (inquit Cluſius) valdè diverſum eſt, non quidem floris formâ, ſed colore, qui Lilio cruento majori non bulbifero ſimilis eſt, tum ſitu foliorúmque per caulem ſparſorum diſſimilitudine; multa enim & conferta fert folia, cubitalem & ampliorem caulem confuſè veſtientia, admodum anguſta & longa, inſtar pænè foliorum Tragopogi: caulis item faſtigium flores profert, non eodem ortu, ut in Byzantino, ſed in ſummis caulis alis, inter anguſtiſſima foliola παραλλήλως naſcentes. Hæc ex aliorum relatu.

Poſtea hujus floris colorem plurimum ad Mali Aurantii præmaturi colorem accedere obſervabat Cluſius; odorem autem non adeò ſuavem ut præcedentis, ſed potiùs Lilii montani flavo flore odorem referre. Plurimos interdum flores in caule fert. Ab hoc non differt, ut puto, ſpecie

7. *Lilium miniatum odorum anguſtifolium* C. B. *Martagon Pomponii* Cluſ. cur.j poſt. *Martagon Pomponeum ſive Lilium rubrum præcox & Lilium Macedonicum* Park.

Quod longè nitidioribus eſt floribus, nam prorſus miniatos illos fert ut Byzantinum, certè magis ſaturos quàm deſcriptum, nec eos inodoros. Folia etiam licet anguſta ut illius magis tamen ſatura viriditate prædita & magis ſplendentia Cluſio videbantur, atque inordinatè quemadmodum flores in caule naſcebantur. Obſervabat etiam prædictus Autor ejus caulem non adeò brevi marceſcere ut illius, ſed diutiùs perdurare.

Parkinſonus noſtras plantam hanc pleniùs & accuratiùs deſcripſit, ideóq; non pigebit deſcriptionem ejus Latinam facere & huc transferre.

Radicem habet ſquamoſam, ſquamis arctè compactis, latioribus & tenuioribus quàm reliquorum congenerum, ætate grandeſcentem, colore luteo ſaturatiore tinctam. *Caulis* indè exſilit viridis, plurimùm teres, rariùs planus, ſeſquicubitalis aut bicubitalis, *foliis* plurimis, anguſtis, oblongis, Caryophylleorum æmulis ſed viridioribus, creberrimis, nullo ordine poſitis gradatim minoribus, ad faſtigium ferè veſtitus: cui inſident *flores* plures paucioréſve pro ætate aut vigore plantæ, in junioribus pauciores & rariùs diſpoſiti, in vetuſtioribus multo plures & denſiores [in uno caule flores ſexaginta & plures numeravi, in altero ad centum uſque, confertim naſcentes.] Color florum ex luteo rubeſcens, minùs ſaturatus ſeu intenſus quàm Martagi Conſtantinopolitani: flores ipſi quàm illius tantillo minores, alias formâ ſimiles: Seminum *theca* triangularis illius etiam ſimilis ſed minor, in qua ſextuplici ſerie continentur *ſemina*, plurimum inania, quæ verò ſolida ſunt plana, orbiculata, parva, ſubrubentia. Adnatis rariſſimè ſe propagat.

Hujus tres quatuórve varietates recenſet Parkinſonus.

1. Primam foliis in caule minùs crebris, ſeriùs aliquantulùm florentem.
2. Secundam foliis brevioribus paullulum & latioribus, maturiùs nonnihil florentem.
3. Tertiam floribus pallidiùs rubentibus & ad flavum tendentibus, foliis etiam præcedente latioribus & brevioribus, ſerotinam.

8. *Lilium flavum anguſtifolium* C. B. *Lilium nutante flore flavo* J. B. *Lilium mont. flavo flore maculis diſtincto & non diſtincto* Cluſ. *Martagon luteum punctatum & non punctatum* Park. *mont. flo. flavo punctato & non punctato* Ger. emac.

Caules huic bicubitales & ampliores, rotundi, virides, quos incondito ordine plurima ambiunt *folia*, longa, anguſta, viridia, mollia, trinervia, oris albicantibus & velut lanugine quadam obſitis, *flores* in faſtigio ſuſtinentes ternos, quinos, ſeptenos aut plures, cùm primùm aperiuntur coloris ex viridi palleſcentis, deinde pallidi, tandem flavi, petalis ſurſum reflexis & convolutis inſtar reliquorum hujus generis, à medio ad umbilicum internè punctis ſeu maculis ex atropurpureis diſtinctis, [Reperiuntur hujus generis flavo flore puro, ſeu nullis maculis notato] ſex *ſtaminibus* vireſcentibus, miniato apice præditis cum piſtillo triangulari craſſiuſculo ex umbilico prodeuntibus, quo piſtillo nonnulli flores carent etiam in eadem planta quâ alii: Odor medius inter gravem & ſuavem, qualis fere in Sambuci & quarundam Iridum floribus. *Radix* craſſa, multis ſquamis prædita inſtar radicis Lilii albi.

Locus. Montium Pyrenæorum incola eſt. Byzantino & miniato Martagone maturiùs floret.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De Herbis bulbo tunicato graveolentibus.

Harum caules è ſummo faſtigio plurimos fundunt petiolos floſculos ſuſtinentes in corymbi aut umbellæ formam diſpoſitos.

Herbæ radice bulboſa graveolentes, *floſculis multis è ſummo caulis faſtigio enatis, & in umbellam aut corymbum diffuſis, ſunt vel foliis*

- *Fiſtuloſis*, capitulis
  - *Proliferis*, ſeu è multis bulbillis, quibus flores intermiſcentur, compoſitis, unde & hujuſmodi plantæ amphicarpæ nonnullis dicuntur; ALLIUM SYLVESTRE *Ger.*
  - *E floſculis ſolis compoſitis*, radicibus ſeu bulbis
    - *Non proliferis*, grandibus, eſculentis, major & elatior, caule in ventrem utrinque turbinatum intumeſcente; CEPA.
    - *Proliferis*; vel
      - *Minor*, florida; PORRUM SECTILE.
      - *Major*, non florens, aut ſaltem rariùs florens; ASCALONITIS.
- *Solidis* & planis,
  - *Longis*, gramineis, bulbo
    - *E multis nucleis* ſeu ſpicis *compoſito*, odore
      - *Graviore*, caule recto, Sativa; ALLIUM.
      - *Remiſſiore*, caule ſummo in gyrum intorto; OPHIOSCORODON.
    - *Simplici*, non compoſito ex nucleis, floribus
      - *Specioſis*; MOLY.
      - *Minùs pulchris*,
        - *Elatior* & major, radice anguſta, odore mitiore, floſculis plurimis in ſphæram conglobatis; PORRUM.
        - *Humilior* & minor; ALLIUM SYLVESTRE.
  - *Latis, brevioribus*;
    - *Montanum*, floribus minùs ſpecioſis in globum aut corymbum circumactis; VICTORIALIS LONGA.
    - *Aquaticum*, floribus albis ſpecioſis in umbella; ALLIUM URSINUM.

Allii Sylveſtris plurimæ ſunt ſpecies, quæ ad duo genera reduci poſſunt; alterum capitulis proliferis, ſeu è multis bulbillis, quibus floſculi intermiſcentur compoſitis; alterum capitulis è ſolis floribus coagmentatis.

CAP. I.

De Cæpa.

CÆpa, Græcis κρόμμυον, teſte Iſidoro ità dici videtur, à capitis magnitudine: eáq; cauſa eſt cur per æ ſcribitur.

Γήθυον Græcis eſt Cepa condimentaria, quæ opponitur capitatæ, nam Gethyon caput non habet, aut vix habet. Recentiores Græci Γήπιον dixere. Ac cenſet Salmaſius Æoles pro γήπιον dixiſſe γάπιον, indè eſſe *cæpe*: vel venire illud ex Æolico γῆφυ vel γαῖφυ pro γῆθυ: Æoles enim η in αι convertebant, ut pro σκηνὴ σκαίνη, unde ſcæna: Simile fit pro γῆθυ γαῖθυ, inde cæpe. *Voſſ.* Hæ meræ conjecturæ nobis videntur. Ego Iſidori ſententiam magis probo.

Cepæ notæ characteriſticæ ſunt folia fiſtuloſa, radices magnitudine inſignes non proliferæ, caulis in ventrem utrinque turbinatum intumeſcens.

1. *Cepa vulgaris* C. B. *Cepa alba & rubra* Ger. Park. *Cæpe ſive Cepa rubra & alba, rotunda ac longa* J. B. **Onyons.**

J. B.

Bulborum quantum uſpiam eſt in naturæ ditione notiſſima Cepa eſt, cujus *radix* acerrima, oculos mordicando lachrymas elicit, ex tunicarum involucris contexta, modò rubra, [potiſſimùm tunicæ exteriores] modo alba, interdum orbicularis, aliàs bulbo longo, pendulis ab imò *fibris* albis. *Folia* pedalia fiſtuloſa, parum acrimoniâ videntur radici cedere, ſi recentia fuerint. *Caulis* nudus, rectus, duorum triúmve cubitorum altitudine, circa medium in ventrem utrinque turbinatum turgeſcit, glomeratum in ſummo faſtigio geſtans *florum* caput, pugni magnitudine, adeò ponderoſum cùm ſemine prægnans eſt, ut à caule niſi fulciatur, ægrè poſſit ſuſtineri. *Semen* anguloſum, atrum.

Cepa ab aliis omnibus bulboſis differt quòd ejus radix nullam omnino ſobolem edat, undè & *Unio* Latinis dicta eſt olim, referente Columellâ: unde Anglicum **Onyon.**

Ceparum variæ habentur ſpecies ſeu potiùs differentiæ accidentales, v. g. 1. Cepa vulgaris alba & rubra.

2. Cepæ oblongæ, noſtratibus **St. Omers Onyons** dici ſolitæ, i. e. Sancti Audomari Cepæ: Cepa Hiſpanica oblonga.

3. Cepa radice candida dulci *C.B.* Hanc Cepam edulem Parkinſonus Cepam Hiſpanicam vocat, tum longam, tum planam, aítque tam dulcem eſſe ut Pomi inſtar mandi poſſit, & à multis mandatur. Hiſpanis tamen ipſis in cibo non adeò familiaris eſt, qui Cepis albis vulgaribus veſci amant.

4. Cepa candida tum oblonga, tum plana ſeu lata, quæ per maturitatem in terra jacentes lapidum cretaceorum ſpeciem exhibent.

5. Cepa Argentinenſis rubra, cujus exteriores tunicæ rubræ, interiores albæ, acres admodum & vehementes.

Vires & Uſus. Cepæ calidæ ſunt, partium craſſarum, adeóque flatulentæ. Utiles ſunt iis qui frigidis & viſcidis abundant humoribus; in quibus ſomnum faciunt, coctionem juvant, acidos ructus ſedant, alvum modò movent modò ſiſtunt, obſtructiones expediunt, menſes & urinas cient, tranſpirationem inſenſilem promovent. Contra in bilioſis omnia mala inducunt, caput præcipuè valdè petunt, ſomnia inquieta faciunt, oculis adverſantur, &c. *Hofman.*

Olfactu ipſo (inquit Plinius) & delacrymatione caligini medentur, magis verò ſucci inunctione: & Dioſcorides, Succus cum melle illitus oculorum hebetudinibus, argemis, nubeculis, & incipientibus ſuffuſionibus auxiliatur; Cepæ tamen in cibo uſurpatæ modernorum medicorum conſenſu oculis nocent.

Qua qualitate Cepa lacrymas eliciat quæritur: non acrimoniâ ſolâ, cùm alia acriora, ut Allium & Piper, id non faciant; ſed acrimonia & lentore. *Cardanus* de variet. rerum.

Aniculæ noſtræ crudam cepam conſcindunt, ac in aquam fontanam injiciunt, pérque noctem in ea macerant, poſtea eam aquam pueris & infantibus potandam exhibent ad ejiciendos ventris lumbricos ſanè haud infelici ſucceſſu. *J. B.* Decoctum puto melius eſt. Allium hoc præſtat efficaciùs.

Cepa magna excavata, theriaca deinde repleta & tecta, ac poſtea in calidiſſimo cinere aſſata, demum detractis exterioribus tunicis fuſa, ac cataplaſmatis ritu impoſita, peſtes ac venenoſa ulcera reliquáſque collectiones malas & duritias efficaciſſimè emollit & aperit.

Ambroſius Paræus ad ambuſta, modò ne epidermide pars ſit ſpoliata vel ulcerata, mirè commendat cepas crudas cortice liberatas, & cum momento ſalis ſubitò applicatas, empyreuma enim extrahere, veſiculas prohibere. * Fernelius quoque cepas cum ſale contuſas parti impoſitas ambuſta miraculo ſanare ſcribit.

* *Method. lib. 6.*

Cepas contuſas ad Alopecias commendant tum Veteres tum Recentiores. Poſt fotûs inunctiones præſcribit Fernelius, ut manè & veſperi caput iis confricetur dum prorſus rubeſcat, & mox melle oblinatur vice cataplaſmatis. *Schol. Salern.*

Contritis cepis loca denudata capillis
Sæpe fricans poteris capitis reparare decorem.

Ad cephalæam, ℞ Cæpam albam, per medium incidatur, & in Sp. vini infuſa applicetur ſupra partem dolentem. Valdè prodeſt, ut mihi nobilis mulier communicavit ad antiquos capitis dolores & hemicraniam. *Cheſneau.* Pernioni conferunt cepæ cum adipe coctæ & impoſitæ. Cepa non ſecus ac Allium Ruſticorum theriaca eſt, & præſervare creditur à peſte reliquíſque morbis contagioſis manè comeſta.

Calor ignis in aſpectum producit literas ſcriptas ſucco cepæ priùs deliteſcentes.

Ad dolores poſt partum, ℞ Cæpas q. v. coctas cum vino; cum oleo poſtea frixæ in ſartagine priùs contuſ. applicentur calidè ſupra ventrem, ſtatim dolorem ſedant, inquit Bayrius. *D. Hulſe.*

Ad pedum inflationes, applica cæpas contuſas, vel ſuccum cæparum cum adipe gallinæ miſtum. *Liber Arcanor.*

Bubonis attractivum, ℞ Rad. Liliorum alborum aut Cepam: coque in aquæ pauco, & porcino adipe non, ſalſo contunde cum theriacæ ʒij. & applica ſerò & mané. *Cheſneau.*

Intenſiſſimus hæmorrhoidum dolor quæ occultæ exteriùs ſe non proferebant filiam meam graviter afflixit. Appoſitis tamen Cepis à pelliculis liberatis & contuſis proritato fluxu ſanata eſt. Achilles Gaſſerus Obſerv. 88.

Novi anum quandam, quæ plurimos curabat pleuriticos fomento ex cepa inciſa & ſub cineribus aſſata mixta cum cremore lactis. Hieron. Reuſnerus in * Obſerv. à Veſchio editis.

* *Obſ.* 55.

Doloribus calculi jam præſentis, & accelerandæ excretioni nullum præſtantius in ſeipſo expertus eſt remedium Decanus capituli Auguſtani ad S. Mariæ ex omnibus topicis quàm cepas in vini &

olei olivarum part. æqual. coctas, & tribus ſacculis injectas, quorum unus Dorſo, alter & tertius Iliis fortiter alligandus eſt. Ex * Obſervationibus Hieron. Reuſneri à Velſchio editis. * *Obſ.* 167.

In tuſſi deſperata & hæmoptyſi concurrente Doleus laudat decoctum ex allio vel cepis. Lib. 2. Cap. 1. Sect. 18. *D. Soame.*

C A P. II.

De Bulboſis graveolentibus, foliis fiſtuloſis, radicibus proliferis.

1. *Cepa Aſcalonica ſive fiſſilis* J. B. *Cepa Aſcalonica ſive Aſcalonitides* Park. *Aſcalonitides* Ger. emac. *Cepa ſterilis* C. B. **Barren Onyons, Eſchalottes.**

J. B.

PLures ſimul conjunctos *bulbos*, Porraceis mediocribus ſuppares, fibroſos habet, ſapore Cepæ vulgaris. *Folia* exeunt fiſtuloſa, teretia, glabra, eodem ſapore prædita. Caulem & florem rariſſimè profert. Nobis certè florentem nondum videre contigit: non tamen idcirco nunquam excauleſcere & florere exiſtimamus.

Eſcalotas autem Gallicas Antiquorum Aſcalonitidas ſive Palæſtinas cepas arbitrantur Adverſariorum auctores, quas Francigenæ *Appetitz* vocitant, quòd appetitum ad cibum excitant & acuunt.

2. *Porrum ſectivum & Schœnopraſſon quorundam* J. B. *Porrum ſectivum juncifolium* C. B. *Schœnopraſon* Ger. Park. **Cives, or Chives.**

J. B.

Confertim in faſciculos plures naſcuntur hujus plantulæ, implexu mutuò cohærentibus *bulbillis* albis, odoris cepacei, quo etiam prædita ſunt juncea folia fiſtuloſa Cepæ adoleſcentis, ſeſquipalmum aut dodrantem etiam alta. *Flores* ex utriculo albido umbellatim prodeunt, quorum ſinguli *foliis* conſtant ſenis acuminatis, colore dilutè purpureo, ſtriâ ſaturatiore medium folium percurrente. *Stamina* albida apicibus flori concoloribus.

Feliciori ſucceſſu plantantur plures conjunctæ terræque inſertæ, ſic enim hyemis frigora faciliùs ferunt.

Minutim inciſa pro olere uſurpantur: Acetariis quoque admiſcentur ad ſaporem acutum communicandum. *Uſus.*

Viribus cum cepis conveniunt, ut eadem repetere non ſit opus.

3. *Allium bicorne proliferum flore intus albeſcente cum ſtria purpuraſcente externè* J. B. *ſylveſtre bicorne flore obſoleto* C. B. *An Moly montanum* 3. Cluſ.

J. B.

Diſſidet hujus *radix* ab Allii radice, non tantùm odore minus viroſo, ſed & quòd non è ſpicis conflata, verùm ſimplex Cepacearum tunicarum involucris tantùm conſtet, ſublonga, candida, nuci Moſchatæ par, pendulis fibris tenuibus donata, ſuperacris. *Caulem* producit cubitalem, bicubitalem & ampliorem, firmum, teretem, nonnihil ſtriatum, [apud nos ſponte ortum pedalem altitudinem raro ſuperat] quem involvunt ceu vaginâ pedem aut cubitum longa *folia*, quæ ubi à caule abſcedunt pedalia, vel etiam cubitalia, Cepaceis ſimilia, fiſtuloſa, ſtriata, ſed ſtrigoſiora multò & compreſſa, in terram reflexa. Cæterum caulis in folliculos duos deſinit, in corniculatum mucronem deſinentes, palmum circiter longos, globum continentes cauli continuum, Avellanæ rotundæ parem, & multis bulbillis rubentibus congeſtum, inter quos frequentes exeunt pediculi, unciam unam aut alteram longi, quibus inſident *floſculi* ſenis foliis contexti externè viridibus, intus albicantibus, purpuraſcente lineâ ſtriatis, apicibus medium occupantibus. Superveniunt capitula ſexangula.

Genevæ paſſim provenit. *Locus.*

Moly montani 3. *Cluſ.* tum figura, tum deſcriptio per omnia ferè huic plantæ conveniunt, ut rectè J. Bauhinus.

C. Bauhinus Allium ſylv. tenuifolium *Ad. Lob. Dod.* ab Allio canino altero *Trag.* Sylv. altero *Fuch.* diverſum facit, illud ſub titulo Allii campeſtris juncifolii capitati purpuraſcentis majoris diſponit, hoc ſub titulo Allii ſylv. bicornis flore obſoleto. J. Bauhinus ad idem caput utrumque reducit, nec tamen in hoc ſibi ipſi ſatisfacit, cum Tragus, inquit, ità obſcurè hanc tradat hiſtoriam, ut nihil certi affirmare auſim.

Lac & præcipuè butyrum hujus odore & guſtu infectum iri certum eſt, ſi ubi pabulantur vaccæ hoc genus Allii creverit gramini intermixtum: quod multò magis de Allio urſino verum eſt. *Qualitas.*

A. 4. *Allium ſylveſtre* Park. Ger. emac. *ſylveſtre tenuifolium* Ad. Lob. *campeſtre juncifolium capitatum purpuraſcens majus* C. B. **Common Crow-Garlick.**

Folia huic juncis ſimilia, teretia, glabra & interiùs vacua: inter quæ medius exit *caulis* cubitalis aut altior, interdum tamen pedalis aut brevior pro ratione loci, duobus tribúſve foliis, ima parte vaginæ inſtar eum obvolventibus, cinctus, ſuperiora verſùs nudus, gracilis, teres, glaber, durus ac ſolidus: in cujus faſtigio ſemina multa, triticeis granis magnitudine paria aut majora, purpuraſcentia, denſo ſtipatu in globum collecta; odore ſaporéque Allii. Pro *radice* eſt bulbus, non quidem è nucleis compoſitus, ſed adnatis nonnullis donatus.

Semina è quibus capitulum componi diximus, nihil aliud ſunt quàm nuclei ſeu bulbilli, qui plerunq; germinantes, & foliola tenuia viridia emittentes capitulum comoſum reddunt.

Capitulum in hoc genere unico tantùm & ſimplici non bicorni involucro includitur, quo cepam imitatur.

Nos in hoc genere floſculos nondum obſervavimus, verùm in omnibus quas hactenus videre contigit plantis capitula ex ſolis nucleis ſeu bulbillis nullis intermixtis floſculis conſtabant.

In faſtigio caulis geminum caput ſeu geminum nucleorum globulum non raró obſervavimus, unde Porrum ſylveſtre gemino capite *C. B.* id eſt, Ampeloprаſſum ſeu Porrum ſylveſtre *Lob.* & aliorum ab hoc non diverſum opinamur.

Locus. Gignitur non raró in arvis inter ſegetes, quin & in pratis locis aridioribus & in muris antiquis. Segeti innatum tritico pravum odorem & ſaporem communicat, quo deinceps tum farina, tum panes imbuuntur.

Foliis fiſtuloſis capituli folliculo ſeu theca ſimplici, ut in Cepa, capitulorum globulis è ſolis nucleis compoſitis, nullis intermixtis floſculis ab aliis omnibus nobis cognitis Allii ſpeciebus differt.

5. *Allium ſphærocephalum purpuraſcens.*

Bulbus ei ſimplex, albus, veluti parvæ Cepæ, *Folia* cepacea, fiſtuloſa, glauca, culmo minora, tria, quatuórve. *Caulis* dodrantalis aut paulò altior humiliórve, in cacumine *flores* geſtans in orbiculare ferè capitulum conglobatos, è membranaceo involucro, purpuraſcente, ſtriato, in duas carinas dehiſcente erumpentes. *Floſculi* ſingulares brevibus pediculis nixi, ſex foliolis conſtant, longiuſculis, acuminatis, pallidâ purpurâ obiter dilutis, per medium decurrente lineâ purpureâ ſaturatiore: intus occultant *ſtamina* ſex, brevia, totidem *apices* purpureos ſuſtinentia.

Locus. Florentem inveni Junii initio, in arenoſis ad Rhodanum amnem paulò infra Genevam.

Hæc planta quantum obſervavi, non eſt capite prolifero ſeu bulbifero, quo à præcedente differt.

6. *Allium flore luteo ſive pallido* J. B. *Allium montanum bicorne flore pallido odoro* C. B. *Allii montani 4. ſpecies prima* Cluſ. *Cluſii* Ger. emac. *Moly Pannonicum odorato flore* Park.

Cluſ.

Terna habet juncea *folia*; *caulem* cubitalem, rotundum; cui inſidet *caput* duabus membranaceis tunicis caudatis concluſum, quo utrinque dehiſcente magna explicatur *florum* ex longis pediculis dependentium coma, qui ſex pallidis foliolis conſtant, totidem etiam *ſtaminula* cum ſtylo in medio obtinent; qui cum ſuo caule reſecti, & in cubiculum illati, ſuaviſſimi odoris (qualis in præcocioribus Cyclamini floribus percipitur) ſed fugacis admodum eſſe deprehenduntur. Iis ſuccedunt trigona *capitula*, in quibus *ſemen* nigrum, planum, Caryophylleorum florum ſemini non multum abſimile. *Radix* globoſa eſt, ſuperiori [Allii 3. *Cluſ.*] ſimilis, & eodem modo capillata, nucleos interdum, in lateribus deponens.

Locus. Circa Poſonium Ungariæ, & locis *Niclasburg* in Moravia vicinis, omnium autem abundantiſſimè ſupra Badenſes thermas creſcit.

Allium juncifolium bicorne luteum *C. B.* ab hoc non videtur ſpecie diverſum; quamvis bulbum oblongum ei attribuat *C. Bauhinus*, caulem breviorem, umbellam parvam.

Æſtate conſpicitur in ſatorum marginibus ſupra Boutonetum & alibi propè Monſpelium ſed rarius. *D. Magnol.*

7. *Allii montani quarti ſpecies* 2. Cluſ. *Allium montanum bicorne flore obſoletiore* C. B. *An Allium ſylv. bicorne flore viridi* J. B? *Moly montani 4. ſecunda ſpecies Cluſii* Ger. emac.

Cluſ.

Pari ferè cum præcedenti altitudine excreſcit, ſimilibúſque propè *foliis* prædita eſt; cujus coma inter laxas membranaceáſque & longum mucronem habentes tunicas latè ſeſe explicat, *floribus* coloris valdè obſoleti plena. *Radix* ſuperiori ſimilis, nucleos etiam in lateribus profert.

Allium ſylv. flore viridi *J. B.* Allio ſylveſtri noſtrati **Crow Garlick** dicto radice & foliis ſimile erat, comam non proferebat cœruleam, ſed viridem, copioſiores etiam flores, nec bulbulos ad flores.

Locus. In ſterilibus herbidis propè *La Valette* ſub magnis rupibus juxta Ladum amnem Monſpeliacum Auguſto menſe cum flore collegit *D. Magnol*, tum & in vinearum & ſatorum ſepibus circa rivulum dictum *Riucoulan. Botan. Monſp.*

8. *Gethyoides ſylveſtre* Col. *An Allium montanum bicorne flore exalbido* C. B? *Moly moſchatum tertium Cluſii* Ger. emac?

Col.

Ampeloprаſſi vulgaris eſt effigie, *bulbo* oblongo, parvo, cortice tenui fuſco, intus candido; *foliis* cavis ſive fiſtuloſis, ut Cepæ ſunt, dimidiatæ virgæ figuram æmulantibus, ſtriatis parùm dorſóque elato in rotunditatem, altera parte planis quæ caulem reſpicit, ſapore herbaceo, parum dulci, nullo gravi odore nares ferientia, aut guſtu inficientia, tantillum vix calorem exerentia. *Caulis* albicans eſt, rotundus ſolidus, ſuccoſus, lævis, tripedalis aliquando, & tenuis, in ſummo folliculum oblongum proferens, longis binis apicibus veluti foliis emicantibus, quorum alter pedem longitudine adæquat, alter brevior eſt. Maio *flores* edit in orbem diſpoſitos, corymbi figurâ, albicantes, effigie cavos ut congenerum, ſtellatos, ſex foliolis conſtructos, nervulis virentibus diſtinctos, ſtaminibus intus ſex, parum exertis, capitellis tantùm pallentibus, medium verò locum *fructus* obtinet oblongus, qui Junio & Julio proficitur. Radix ſobolem è latere emittere ſolet, eodem cortice contectam, ſapore parùm acri abſque fœtore aliquo.

Locus. In Aſprenſibus obſervavit Columna atque etiam alibi.

9. *Moly moſchatum capillaceo folio* C.B. *moſchatum vel Zibettinum Monſpelienſe* Park.parad. *Allium ſylv. perpuſillum juncifolium moſchatum* J. B.

Lob.

Aridis Nitiobrigum agri Monſpelio vicinis collibus exiguus hic bulbus convictor & alumnus, parili bulbo Hyacintho Autumnali. *Cauliculo* palmari, recto, rigidiuſculo, exili; è cujus ſummo ſex circiter erumpunt propagines, è quibus *floſculi* veluti in umbellam poſiti prodeunt, quinis aut ſenis foliolis conſtantes, parvis, anguſtis, & oblongis, Ornithogali floribus ſimilibus, acuminatis, lineis fuſcis in medio per longitudinem interſtinctis Aſphodeli albi inſtar: coloris albi obſcurioris, ſtaminibuſq; in medio, Moſchi planè odorem ſuaviſſimum ſpirantibus, prædítis: quibus ſuccedunt *capitula* rotunda, in quibus tres vel quatuor, triquetra, oblonga, nigráque *ſemina* continentur. *Bulbi* ſubſunt parvi, albi, oblongiuſculi, Allii ſylv. ſimiles, ingratíque odoris. *Folia* emittit juncea, exiliora, tenuiſſima, quaterna aut quina numero, vix unciam longa.

In collibus propè Monſpelium & Sellam novam, *aux Guarigues* copiosè provenit.

Cap. III.

De Bulboſis graveolentibus foliis ſolidis & planis, & primò

De Allio Sylveſtri planifolio.

1. *Allium montanum bicorne latifolium flore dilutè purpuraſcente* C.B. *Moly montanum latifolium primum Cluſii* Park. Ger. emac. *Allium ſive Moly montanum latifolium* J. B.

Cluſ.

C*Aulem* habet duorum cubitorum altitudine excreſcentem, quem ad medium uſq; ambiunt *folia*, multò quàm in Allii generibus latiora, longa, Porraceis proxima. Summo cauli, qui lævis & junceus eſt, inſidet *caput* è multis bulbis ex atro purpureis, ſimul congeſtis, ſatíſq; craſſis conflatum: inter quos in oblongis petiolis naſcuntur *flores* dilutè purpuraſcentes; quibus ſuccedunt trigona *vaſcula* in quibus ſemen. *Radix* bulboſa, craſſa, ex multis nucleis conſtans, multis albis fibris prædita eſt: ſed & bulbi rotundi radici inhærent, iis ferè pares qui in capite naſcuntur, quiq; terrâ excepti plantas ſui generis producunt. Toti ſtirpi Allii gravis odor ineſt.

Junio & Julio flores & bulbos fert. *Tempus.*

2. *Allium ſylveſtre bicorne purpureum proliferum* J. B. *montanum bicorne anguſtifolium, flore purpuraſcente* C. B. *Moly montanum* 2. *Cluſii* Ger. *Moly montanum Pannonicum bulbiferum ſecundum* Park. parad.

J. B.

Tenui, ſed duro, tereti, glabro & ſingulari eſt *caule*, cubitum alto, in quo *folia* tria quatuórve, ſeſquipalmaria & dodrantalia, admodum anguſta, craſſiuſcula. Scapo ſummo inſidet *capitulum*, è bulbillis viridantibus glomeratum [duabus laxis membranaceis involucris longiore mucrone præditis obvolutum] è quorum [bulbillorum] commiſſuris emicant tremuli pediculi, numeroſi, ſextantem circiter longi, punicantes, *flores* concolores ſuſtinentes, ſed dilutiores, è ſenis foliis, quorum medium ſtria ſaturatior percurrit compoſiti, è medio proſilientibus *ſtaminibus* purpuraſcentibus. *Radices* bulbaceæ plures ſimul cohærent, oblongæ, albæ, fibratæ, ſapore Porri.

In Germania inter Lodeſhemium & Baſileam collegimus: Cluſius in Stiriacis Auſtriaciſque Alpibus.

A. 3. *Allium ſylveſtre bicorne flore ex herbaceo albicante cum triplici ſtria atro-purpurea. An Allium ſive Moly montanum tertium* Cluſ? *Al. montanum bicorne flore exalbido* C. B?

Radix huic Cepæ figurâ, nucis Myriſticæ parvæ magnitudine, alba, è multis tunicarum involucris Cepæ in modum compoſita, ſapore & odore Allii non admodum vehementi. *Caulis* cubitalis, tenuis, velut Allii corvini Anglis dicti, duobus tribúſve foliis cinctus, quæ eum tubi in modum aliquouſq; amplectuntur, anguſtis, carinatis, planis tamen & ſolidis, minimè teretibus aut fiſtuloſis, ut in Cepa aut Allio corvino, ſpithamam longis. Summo cauli, ut in aliis hujus generis inſidet *capitulum*, bulbillis crebris, paucioribus tamen quàm in Allio corvino, granorum Hordei figurâ ferè & magnitudine aut tantillo majoribus compoſitum. Inter bulbillos emergunt pediculi tenues, ſeſcunciales aut longiores, *floſculos* ſuſtinentes quaquaverſum diffuſos, petalis oblongis, colore obſoleto, nimirum ex herbaceo albicante, cum ſtria in medio ſecundum longitudinem & duabus aliis ad margines ſordidè purpuraſcentibus. Capitulum autem antequam ſe explicat folliculo herbaceo ſtriato bicorni, ſeu ex duabus carinis in acutos cuſpides procurrentibus compoſito obvolvitur. Flores inter chartas repoſiti & leviter compreſſi poſt paucos dies colorem obſoletum in pulchrè rubentem mutavere.

Invenimus inter ſegetes Notleiæ in Eſſexia Auguſto menſe florentem. *Locus.*

Excepto floris colore à præcedente non multùm differre videtur.

4. *Scorodopraſſum alterum bulboſo & convoluto capite* Park. *Ophioſcorodon* Ger. *Allii genus, Ophioſcorodon dictum quibuſdam* J. B. *Allium ſativum alterum ſive Alliepraſum caulis ſummo circumvoluto* C. B.

J.B. Cluſ.

Hujus bulbum multis nucleis conſtantem, fibríſq; numeroſis exalbidis capillatum ſeſſili parte circumveſtiunt tunicæ cepaceæ binæ aut ternæ, ex albo purpuraſcentes. *Caulis* ſingularis, minimi digiti craſſitudine, ſeſquicubitalis aut bicubitalis, *foliis* ab infima parte ad mediam uſq; porraceis, utplurimum quinque circundatus, quæ poſtquam caulem aliquouſq; involverunt, ab eo abſcedentia reflexa terram ſpectant, medio inter Porrum & Allium odore. Reliqua caulis pars nuda, viridis, lævis, ſummo faſtigio *caput* ſuſtinet è multis bulbis ut in Moly Indico congeſtum, & candicante membranaceo involucro, cuſpide longa, viridi prædito contextu, quod deinde bulbis excreſcentibus rumpitur, nudóſque bulbos initio purpuraſcentes, poſtea exalbidos detegit, inter quos *floſculi* quidam naſcuntur. Summa pars caulis in gyrum unum aut alterum ſpirarum ſerpentinarum more intorquetur, donec tandem caput erigat.

Tempus. Junii initio ſuum caput contorquet, Julio verò erigit, eodemq; menſe bulbos ad maturitatem perducit qui terræ crediti ſui generis plantas procreant.

J. Bauhinus Moly ſerpentinum *Lob.* huc refert, ſed dubitanter: C. Bauhinus ſpeciem diverſam facit, titulo *Moly anguſtifolii foliis reflexis*.

Parkinſonus noſter in *Parad.* Moly ſerpentinum in hunc modum deſcribit. Hujus bulbilli ex quibus componitur capitulum ſummo cauli inſidens rubicundiores & aſpectu hilariores ſunt quàm Moly mont. latifolii primi vel ſecundi *Cluſ. Caulis* humilior & tenuior: *folia* graminea, reflexa & contorta (unde nomen obtinuit) minora & pallidiùs virentia: *Flores* ex interſtitiis bulbillorum enaſcentes pariter purpuraſcunt, ſed pulchriores ſunt: odor multò quàm illius remiſſior. *Radix* parva, rotunda, albicans, plurimis bulbillis, piſo non majoribus, albicantibus, circumcirca adnatis ſe propagat.

5. *Allium ſphærocephalum purpureum ſylveſtre* J.B. *Allium ſeu Moly montanum* 5. Cluſ. *Allium montanum capite rotundo* C. B. *Moly mont. quintum Cluſii* Ger. emac. *Moly purpureum Neapolitanum* Park. parad.

Cluſ.

Caule aſſurgit cubitali aut ſeſquicubitali, nudo, viridi, [colore & formâ junceo, ſolido tamen & firmo,] *foliis* tribus, quatuorve, palmum longis, interdum minoribus pro natalium ratione obſito; cujus faſtigio inſidet *caput* obiculare initio, [ovo columbino par aut majus] è multis *floribus*, brevi petiolo præditis congeſtum, qui ſex foliola nunquam ſeſe prorſus explicantia habent, ſex in medio ſtaminibus & ſtylo, elegantis purpurei coloris. *Radix* bulboſa, alba, nucleos interdum tenui membranâ tectos, & proximè caulem lateribus adnatos habens, & ſeſſili parte multas albicantes fibras. Ejus odor Allii inſtar caput ferit.

Locus. In vineis & ſegetibus variis in locis reperitur, circa Genevam, Monſpelium, Francofurtum ad Mœnum, Poſonium in Hungaria, &c.

Tempus. Junio & Julio menſibus floret.

* 6. *Allium ſphærocephalum bifolium Italicum* J. B.

J.B.

Vix ſeſquipalmarem altitudinem adæquat. *Radiculâ* nititur olivari, fibrata, alba, nullo tunicarum foris conſpicuo veſtigio præditâ. *Coliculus* rigidus, & pro plantæ proportione ſic ſatis craſſus tereſq; ſurgit, atrovirens, binis *foliis* craſſis & canaliculatis veſtitus. In ſummo *flores* gerit, in glomum congeſtos, eleganti purpurâ conſpicuos, ex quibus *ſtaminula* quædam muſcoſa proſiliunt. Sapor Allii haud diſſimilis.

Locus & Tempus. Româ hujus bulbillos aliquot attulit Cherlerus. Floret toto Maio: ingruente tandem æſtu fatiſcit donec planè marceſcat.

* 7. *Allium petræum umbelliferum* J. B. *Allium montanum ſive Petroſcorodon* Geſn. hort. *Al. mont. foliis Narciſſi minus* C. B. *Moly Narciſſinis foliis tertium* Ger. emac.

J. B.

Inter *folia* graminea, complura, anguſta, compreſſa, dodrante longiora, in retuſum mucronem deſinentia, obſcurè virentia, ſapore Cepæ acri, *Caulis* ſurgit ſingularis, palmaris vel pedalis, nudus, enodis, anguloſus & nonnihil compreſſus; cujus extremo *flores* inſident numeroſi, terram verſùs comantes, colore purpuraſcente, apiculis ſaturatioribus, interdum pallentibus, triquetrum in medio poſitum capitulum circumſtantibus. *Radix* bulboſa, porracea, alba, tuberculis adnaſcentibus novam bulborum ſobolem profert, fibris longiuſculis capillata ac veluti repens, multùm ſe multiplicat.

Locus. Burmii Rhætorum Junio menſe florentem invenit J. Bauhinus.

J. Bauhinus hanc plantam pingere exiſtimat Cluſium pro Allio ſive Moly Narciſſinis foliis ſecundo, C. Bauhinus Petroſcorodon Geſneri ab Allio Narciſſinis foliis ſecundo Cluſii diverſum facit. Nos cum J. Bauhino ſentimus.

8. *Allium umbelliferum pratenſe* J. B. *An Allium ſive Moly Narciſſinis foliis* 1. Cluſ? *Allium montanum foliis Narciſſi majus* C. B? *Moly Narciſſinis foliis primum* Ger? *Moly Narciſſinus foliis* Park. parad.

J. B.

Udis pratis Genevæ ultra flumen *Arve* oriundum Allium umbelliferum nobis dictum, *radice* nititur Porri ſublonga, fibrata, alba, ſed quæ ex bulbo radicem obliquam fibratam, Valerianæ hortenſis radici aliquatenus ſimilem producat, odore Allii. *Folia* primum penè triangula, paulatim compreſſiora evadunt, cubito longiora, *cauli* æqualia, qui nudus, anguloſus, in *caput* albicans oblongum deſinens, eo dehiſcente umbellam explicat Allii urſini umbellæ ſimilem, *floſculis* ſex foliis apicibúſque compoſitis, colore purpuraſcente.

Floret menſis Junii principio: Loco à J. Bauhino memorato nobis etiam obſervatum eſt hoc Allii genus. Ei, inquit J. B. magna ſimilitudo cum Allio umbellifero petræo ſuperiùs proximè deſcripto. Conſiderandum an fortè tantùm ejus variatio ſit ratione loci; vel an idem cum Allio ſive Moly Narciſſinis foliis 1. *Cluſ.* cujus deſcriptionem ſubjiciemus, ut Lector botanicus eas invicem conferat & judicet.

Moly Narciſſi folio 1. Cluſ. *Bulbus vomitorius nonnullis.*

Cluſ. Quina aut ſena ex radice promit oblonga *folia*, plana, ſucculenta, Narciſſi alterius niveo flore ſimilia, viridia admodum & ſplendentia, inter quæ cubitalis plerunq; exit *caulis*, nudus, firmus, viridis, ſtriatus, ferens in ſummo multos *flores*, ſex purpuraſcentibus foliolis, totidémque interiùs ſtaminulis præditos, ſimul congeſtos, & veluti globoſum caput conſtituentes, quemadmodum in Cepa; quibus ſuccedunt trigona *capitula*, quæ maturitate dehiſcentia, rotundum, nigrum *ſemen* continere deprehenduntur. *Radix* nodoſa eſt, anteriùs progrediens Polygonati modo extima parte globoſa, candida, multis tunicis circumvoluta, plurimis albis fibris prædita, & adnatis feliciter ſe propagans.

Aliud ejus genus eſt, non valdè abſimile, mollioribus & magis cineraceis foliis, dilutioribus etiam floribus. Floret utrumq; ſub extremum Junium & Julio. Naſcitur in Leytenberg ſupra Manderſtorff (ubi tepidæ ſunt aquæ) & aliis montibus urbi Viennæ vicinis. *Tempus* & *Locus.*

* 9. *Allii genus fortè Scorodopraſſon alterum Lobelio* J. B. *An Allium ſphæriceo capite folio anguſtiore* C. B. *Scorodopraſſum minus* Ger. emac. *alterum Lobelii* Park.

J. B.

Seſcunciali eſt aut longiori *bulbo*, fibrato, turbinato, tunicis multis ruffis compactili; ex quo *folia* duo aut tria, tenuia, palmum longa, caulem aliquouſq; obvolventia pedalem, firmum, teretem, enodem; cui umbella inſidet parva *florum* pallidorum minorum quàm Allii petræi.

Ab hoc non diverſum videtur

Allium montanum radice oblonga C. B. prod.

In hujus deſcriptione nihil ſingulare invenio, niſi quòd capitulum rotundum pallidè purpuraſcat. Non longè Monſpelio in loco montoſo, qui Hortus Dei dicitur obſervavit C. Bauhinus.

Allium montanum minus

A C. Bauhino in Prodromo deſcriptum an ab aliis omnibus ſupraſcriptis Allii ſpeciebus diſtinctum ſit necne, mihi non conſtat.

10. *Scorodopraſſum dictum* J. B. *Scorodopraſ.* 1. Cluſ. *Allium ſphæriceo capite, folio latiore, ſive Scorodopraſſum alterum* C. B. *Scorodopraſſum primum Cluſii* Ger. emac. *An Porrum ſylveſtre folio latiſſimo* C. B? *Syriacum* Tab?

Cluſ. J. B.

Oblonga & lata profert *folia*, Porraceis majora, carinata: *caulem* ſeſquicubitalem, nonnunquam bicubitalem [J. Bauhino tres, quatuorve cubitos altum] infima parte digitalis craſſitudinis, ſuperiore parte nudum, paulatim in junceam tenuitatem deſinentem, ferentem in ſummo *caput* membranaceo involucro tectum, ut cepa, ſub quo florum glomer purpuraſcit, multos *floſculos* ſimul congeſtos, Cepaceis ſimiles, ſex exalbidis foliolis conſtantes explicatus oſtendens: quibus ſuccedunt trigona capitula, in quibus nigrum ſemen, Cepæ ſemini par. *Radix* ſubeſt craſſa, parvæ Cepæ æqualis, multis albis tunicis conſtans, fibratus, florum glomeri ſuppar, & ſpicis multis Allii ritu cohærentibus compoſitus, odore & ſapore remiſſiore, [Cluſio gravi odore, medióque inter Allium & Porrum, vetuſtate in alios majores bulbos ſeſe dividens] adnatis etiam extrinſecùs bulbillis, triangularibus ferè, tunicâ durâ involutis.

Junio & Julio floret. *Tempus.*

Tabernamontanus iconem habet ſub titulo Porri Syriaci, nulla addita deſcriptione: Gerardus iconi *Tab.* quam aſſumit deſcriptionem Cluſii accommodat. C. Bauhinus Porrum hoc Syr. *Tab.* pro Porri ſpecie proponit à Scorodopraſſo toto genere diverſa, vocatq; Porrum folio latiſſimo. J. Bauhinus dubitat an ad hanc Scorodopraſſi ſpeciem referendum ſit nécne. Nos cum J. Bauhino & Johnſono ſentimus Porrum Syriacum *Tab.* non aliam plantam eſſe quàm Scorodopraſſum 1. *Cluſ.* nihil tamen affirmare audemus, præſertim cùm videamus Pariſienſes in Catalogo horti Regii Porrum latiſſimo folio *C. B.* pro diſtincta Porri ſpecie ponere.

Hanc plantam olim Cantabrigiæ alui nomine Allii Romani. In Italia obſervavi in horto quodam in urbe S. Marini, neſcio an ſponte natum. Florum corymbus minor eſt quàm plantæ magnitudo promittit. Byzantio Viennam delatum eſt, autore Cluſio. *Locus.*

* 11. *Scorodopraſſum* Ger. Park. *Allioporrum ſive Scorodopraſſum* C. B.

Radicis bulbus Cepaceo major, candidus, ſplendens & ferè pellucidus, rarioribus adnatis fœcundus; *folia* aliquot edit magna, Porraceis multò longiora, craſſioráq; interdum etiam *caulem*, non tamen quotannis, mollem, ſucculentum, digito craſſiorem, bicubitalem, ſumma parte à medio uſq; nudum, in faſtigio geſtantem *florum* glomerem membranaceo involucro tectum, quo diſrupto apparent *floſculi* multi quàm Moly Homerici pallidiores aut potiùs albicantes: quibus ſuccedunt *capſulæ* triangulæ *ſeminibus* nigris repletæ.

A. 12. *Allium ſylveſtre latifolium* C. B. *urſinum* Ger. Park. *urſinum bifolium vernum ſylvaticum* J. B. **Ramſons.**

J. B.

Radice eſt oblonga Porri, tenuiore, longis & frequentibus fibris capillatâ, membranâ mediocris craſſitudinis involutâ, Allium redolente: à cujus imo ſtatim exoriuntur bina aut terna *folia*, odore vehementi Allii, & guſtu fervido, læto virore ſplendentia, ſtriata, tenera, ſeſquipalmum longa, in acumen deſinentia, duas uncias lata, pediculo dodrantali, virente, qui poſt in membranam tenuem, lucidam ſtriatámque faceſſens, floris alteriúſve vicini folii pediculum ad radicis uſque fibras vaginæ inſtar obvolvit: Eodem autem loco cum foliis ſurgunt *pediculi* bini, terni aut plures, triangulares Cyperi modo, dilutè vireſcentes, in bulgam fœtam latiuſculam, exalbidam, mucrone virente ſtriatam, deſinentes, quæ ubi ſe explicaverit umbellam oſtentat, numeroſis floſculis, etiam ad quadraginta, conſtantem, candidis, ſtellæ in modum radiatis, quos conſtituunt folia ſena, oblonga, mucronata, intra quæ *ſtamina* totidem alba, *ſtyluſq;* concolor, ex umbilico tribus tuberculis virentibus compactili. *Semen* ſuccedit parvum, rotundum, nigrum, læve.

Locus. In pratis & ad rivulos frequens oritur. Aprili plerunq; menſe & initio Maii floret.

13. *Allium Alpinum* J. B. *montanum latifolium maculatum* C. B. *Alpinum latifolium, ſeu Victorialis* Ger. *anguinum* Park. *Victorialis longa* Cluſ.

Radix nonnihil obliqua eſt, in longum bulbum deſinens, multáſq; fibras perplexas emittens, multiplici cortice, variis fibris tranſverſim coeuntibus quodammodo reticulato involuta, ſingulis annis (autore Cluſio) feliciter aliis bulbis circa ipſam adnatis ſe propagans, fibris adeò implicatis, ut difficile ſit bulbos conjunctim natos & cohærentes ſejungere. Hinc emergit *caulis* cubitum altus, minimi digiti craſſitudine, propter terram rubeſcens, enodis, lævis, ſuperiùs viridis, ſtriatus, fungoſus, cui inſident glomeratim congeſti *flores*, Ceparum floribus ſimiles, unciâ longioribus pediculis hærentes; candidi (in planta nobis obſervata flores non candidi prorſus erant ſed ex albo palliduli) quibus trigona ſuccedunt *capitula*, *ſeminibus* rotundis, pullis repleta. *Folia* duo aut tria vaginâ ſuâ caulem complectuntur, formâ foliorum Allii urſini, nervoſa, ſublonga & lata, acuminata, ſed majora, rigidiora, Gentianæ majoris foliis pænè ſimilia, ut non malè cenſet Cluſius.

Locus. In ſummis jugis altiſſimorum montium maximo Carthuſianorum cœnobio in Delphinatu imminentium. Viribus cum reliquis Alliis ſylveſtribus per omnia convenit.

Vires. Plebi noſtrati (inquit Schroderus) Judæiſq; amuletum eſt familiariſſimum, quo à ſpectris aereque infecto ſe tutos fore perſuaſi ſunt, unde & Victorialis nomen ei inditum.

CAP. IV.

Allium flore ſpecioſo Moly dictum.

1. *Moly vulgò Lilium Indicum* Bontii.

LIliis noſtris rubris figurâ & coloris elegantiâ haud cedit. Si tamen ulli florum Indicorum comparandus, certè Moly montano latifolio, flore flavo *Cluſ.* ſimilis exiſtit. *Caule* unico, enodi, firmo ſed tenui, ad altitudinem noſtratis Lilii aſſurgit: cui infra tria quatuórve *folia* oblonga, ſurrecta, ſupina parte carinata & contorta adnaſcuntur. Summo autem faſtigio ex membranaceo folliculo, bifariam diviſo quindecim aut plures *flores*, uncialibus vel longioribus pediculis, ſenis foliis, ſtellæ in modum expanſis emergunt, qui ſimul eleganter juncti Coronam Imperialem repræſentant.

2. *Moly Theophraſti magnum* J. B. *Moly Theophraſti ſive Homeri* Park. *Moly Homericum* Ger. *Moly latifolium, liliflorum* C. B.

E *radice* bulboſa pugni interdum magnitudine, foris nigricante, intùs alba, *folia* emittit quinq; cubitum longa, duos aut tres digitos lata, craſſiuſcula, ſupina facie concava, invicem amplectentia, in mucrones acutos deſinentia, colore viridi, glauco quodam polline, qui facilè detergitur, obducta: *Caulis* teres, concavus, bicubitalis aut tricubitalis, nudus, foliis concolor, in faſtigio flores geſtans in umbellam diſpoſitos, minores quàm pro plantæ modo, pediculis ſeſcuncialibus aut longioribus inſidentes, ſex & non raro ſeptem foliis mucronatis compoſitos: totidem ſtamina breviuſcula, apicibus pallidis inſignia capitulum circumſtant naturaliter trigonum, non raro tamen tetragonum. Florum umbellæ initio membranâ craſsâ includuntur, quâ diſruptâ explicantur. Color florum albus eſt cum diluto rubore. Exteriùs linea viridis petala media dividit ab ungue ad apicem. Addit Cluſius, (quod & nobis obſervatum) juxta caulem inter folia alius plerunque exit cauliculus planus & foliaceus, ſeu veriùs folium, ſummo velut Allii nucleum gerens initio candicantem deinde palleſcentem, qui terrâ exceptus germinat, & ejuſdem generis plantam profert. De loco hujus natali nihil certi traditum invenio.

* 3. *Moly Indicum ſive Caucaſon* Park. J. B. *Moly latifolium Indicum* C. B. *Moly Indicum* Ger. *& ejuſdem Caucaſon.*

Cluſ.

Superiori foliis & reliquâ formâ ſimile eſt; nunquam (inquit Cluſius) flores apud me, neque apud multos alios protulit ; ſed eorum loco *caulis* pedalis, ferè planus, adeò infirmus ut niſi aliquo fulciatur adminiculo attolli non poſſit, ſummo faſtigio conglomeratum *caput* fert, multis velut Allii ſpicis, Meſpili vulgaris magnitudine, conſtans, initio viridibus, deinde palleſcentibus, quæ etiam in terra non repoſitæ germinant, telluri tamen commiſſæ in majores bulbos adoleſcunt, foliáque & caules (non tamen ſingulis annis, quemadmodum nec ipſa etiam parens) producunt. *Radix*, ut alterius, cepacea, rotunda, alba, multis tunicis amicta, quarum externa fuſca, vetuſtate ſe ſeparans, & in alios bulbos pangens.

Conſtantinopoli allatus eſt hujus bulbus; Neapolitano etiam in regno ſponte naſci autor eſt Ferrantes Imperatus. *Locus.*

4. *Moly latifolium flavo flore* Ger. *montanum latifolium flavo flore* Cluſ. *montan. latifol. luteo flore* Park. *latifolium luteum odore Allii primum* C.B. *& ſecundum* ejuſdem *luteum Botanicorum latifol. Allii odore* J. B.

Cluſ.

Cùm non floret unicum duntaxat *folium* emittit latum .& oblongum, cùm cauleſcit & floriturum eſt bina, infimâ parte ſeſe mutuo amplectentia, decem aut plures uncias longa, unam lata, ſurrecta, firma, ſupina parte nonnihil carinata, Porracei coloris, & odoris Allium referentis : inter quæ aſſurgit *caulis* enodis, & ſatis gracilis, firmus tamen, vireſcens, pedem altus aut paulò amplior, ſuſtinens ſummo faſtigio prodeuntes, ex membranaceo folliculo, bifariam diviſo triginta aut plures *flores*, uncialibus & longioribus pediculis, iiſque firmis nixos, ſenis petalis, ſtellæ in modum expanſis conſtantes, foris palleſcentes, interiore parte prorſus flavos, occupante umbilicum triangulari capitulo, ſex flavis ſtaminibus cincto, quorum apices etiam flavi. Floribus ſuccedunt trigona capitula *ſemen* nigrum inæquale continentia. *Radix* alba, bulboſa, interdum gemina, ut Orchidis radicem quodammodo æmuletur.

Floret menſe Junio : è montibus Pyrenæis erutam eſſe aiunt. *Tempus & Locus.*

* 5. *Moly Pyrenæum purpureum* Park. *Allium Pyrenæum* C. B.

Park.

Folia emittit duo aut tria, præcedenti nonnihil ſimilia, ſed anguſtiora, nec adeò alba : Flores in ſummo caule pauciores, colore purpureo obſoletiore. *Radix* albicat, odore Allii ſatis vehementi prædita, frigore facilè corrumpitur.

* 6. *Moly montanum latifolium purpureum Hiſpanicum* Park. Cluſ. cur. poſt. ad. *Moly latifolium Hiſpanicum* C. B.

Cluſ.

Bina cùm excauleſcit lata, prælonga, viridia producit *folia*, infimâ parte ſeſe mutuo amplectentia Moly latif. lutei in modum ; inter quæ aſſurgit *caulis* teres, firmus, bipedalis aut altior, ſummo faſtigio *flores* ſuſtinens plurimos, è membranaceo involucro erumpentes, amplos & ſpecioſos, oblongis pediculis ſubnixos, *petalis* ſex, ſtellæ inſtar expanſis compoſitos dilutiùs purpuraſcentes, *ſtaminulis* totidem concoloribus, apicibus luteis donatis, *capitulum* medium cingentibus. Inter caulem & folia ima *bulbos* aliquot adnaſcentes obtinet, qui ſati facilè comprehendunt. *Radix* parva rotunda, fibroſa ; alba multos edit bulbulos. Nec radix, neque folia aut flores Allium redolent, aut reſipiunt.

Sub exitum Maii floret. *Tempus.*

7. *Moly Dioſcoridis parvum quibuſdam* J. B. *Moly anguſtifolium umbellatum* C. B. *Moly Dioſcorideum* Park. Ger.

J. B.

E *radice* bulboſa, nucis Avellanæ parvæ magnitudine, cortice nigricante tecta, plurimas prælongas fibras ex ima ſede emittente, Allii odore ingrato, *caulem* erigit pedalem aut cubitalem, teretem, lævem, ſolidum, in cacumine diſruptâ membranâ umbellam gerentem *florum* candidorum, flores Allii urſini exprimentium, minorum paullò, ſex foliis candidis, oblongis conſtantium, quibus ſuccedunt *vaſcula ſeminalia* ternis loculamentis contiguis compoſita, quæ per maturitatem ſemina effundunt.

Folia profert graminea, in terram nonnihil reclinata, bina ternáve caulem amplectentia, hirſuta, [quæ in caulibus ſuperiora, lata ſunt, glabra, carinata] Allium obolentia & reſipientia. Quæ ad terram ſunt media hyeme menſe Januario exeunt.

Flores explicati diutiſſimè durant antequam marceſcunt.

Juxta ſepes umbroſas propè Frontignanam viâ quâ itur *Balaruc* Maio menſe cum flore collegit *P. Magnol.* *Locus.*

8. *Moly Dioſcorideum Hiſpanicum* Park. parad.

Præcedenti per omnia ſimile eſt, verùm majus & ſpecioſius multò; *floribus* candidis, duplo majoribus. Frigoris impatiens hyemes noſtras ægrè tolerat.

9. *Moly minus* Cluſ. *minus flore orbiculato majore* J. B. *Dioſcorideum minus* Park. *Moly anguſtifolium floribus majoribus* C. B. *Moly minus flore albo* Ger. emac.

Caulis hujus palmaris, viridis, decem aut plures ſuſtinens *flores*, ſex niveis foliis, non mucronatis, ut ſuperioris, ſed orbiculatis & majoribus conſtantes, ſenis in medio *ſtaminulis*, inter bina Porracea quodammodo, ſed anguſtiora folia emergit. *Radix* rotunda candicans, nucis Ponticæ magnitudine, albicantibus fibris prædita.

10. *Moly parvum caule triangulo* C. B. *Moly caule & foliis triangularibus* Park. parad. *An Moly flore albo, foliis viridis coloris* Swertii?

Folia edit quatuor vel quinq; oblonga, latiuſcula, pallidè viridia, ſupernè plana, ſubtus in angulum elata ſeu carinata, unde & triangula videntur, inter quæ *caulis* attollitur ſeſquipedalis aut major, triangularis pariter, *flores* aliquammultos in faſtigio geſtans, è membranaceo folliculo erumpentes, albos, ſatis amplos & oblongos, campaniformes ferè, unumquodque petalum exteriùs linea viridis per longitudinem medium dividit. *Staminula* capitulum medium cingentia *apices* luteos ſuſtinent. *Semen* parvum nigrum. *Radix* exteriùs alba, Moly lutei perquam ſimilis.

Radix, folia, flores Allii odorem ſed mitem & vix perceptibilem expirant.

Locus. Plantam hanc inter Maſſam & Sarzanam Etruriæ oppida Aprili menſe florentem invenimus, nec multo poſt circa Baias in agro Neapolitano.

11. *Moly Africanum umbellâ purpuraſcente* C. B. *Africum umbella purpuraſcente* Park.

C. B.

Ex *radice* bulboſa *caulis* (modò unus, modò plures) cubito altior, nudus & cavus exurgit, unà cum *foliis* aliquot latiuſculis, in acutum deſinentibus, palmaribus & etiam ſeſquipalmaribus, per margines inſtar graminis hirſuti piloſis. *Umbella* caulis ſummo inſidet, cujus *flores* communiter è quinque foliolis dilutè purpuraſcentibus oblongis pediculis & firmis inſident: quibus veſicula duo triáve *ſemina* nigra rotunda includens ſuccedit.

Malè Bauhinus flores communiter pentapetalos huic plantæ attribuit, cùm bulboſæ in univerſum omnes flores hexapetalos obtineant, aut ſaltem monopetalos in ſex lacinias diviſos.

12. *Allium ſylveſtre ſive Moly minus roſeo amplo flore* Botan. Monſ.

Magnol.

Bulboſa *radix* plurimos alios bulbillos producit, in qua folia anguſtifolii umbellati foliis latiora, oblongiora & omnino glabra oriuntur. *Caulem* habet pedalem & ſeſquipedalem, cui inſidet veluti umbella florum, ſex foliis roſeis multò quàm Moly Dioſcor. latioribus & amplioribus conſtantium, cum totidem ſtaminibus & apicibus luteis. Antequam marceſcant flores plures in eodem capite ſimul roſei, alii albi videntur gratum odorem ſpirantes.

Locus. Plurimum oritur in vineis, quæ ſunt circa *Colombiere* & *Mommau*, & Maio menſe floret. In Germania huic ſimilem invenimus capite bulbifero.

* 13. *Moly flore ſubviridi* Bocconi.

Boc.

Bulbum habet oblongum: *Folia* Aſphodeli albi ſimilia: *Caulem* rotundum, lævem, non raro tricubitali proceritate eminentem; cujus ſummum occupant in umbella quaſi *Flores* è luteo vireſcentes, longiſſimis pediculis innixi.

Locus. Gaudet opacis locis & ſylvis umbroſis. In montis Mudoniæ convallibus copioſum occurrit.

* 14. *Moly humile folio gramineo* C. B. *Chamæmoly an Moly Dioſcoridis* Col.

Col.

Radix bulboſa parva, nucis Avellanæ magnitudine, flavo cortice duro obductâ nititur. *Folia* quatuor vel quinque, ab radice, per ambitum hirſuta Autumno emittit, Graminis formâ, magnitudine (gradu) inter ſe diſtantia, maximum verò non excedit pedem. Primo cœli tepore, ipſa etiam Hyeme, flores folliculo ſimul incluſos inter folia terram tangentia, caule necquicquam à terra elato, emittit; qui aperto folliculo ſeptem aut decem erumpunt ſtellati, albi, ſingulorum petalorum dorſo purpuraſcente aut virente. In florum umbilico fructus extuberant apicem habentes, luteis ſex ſtaminibus circundati, quibus cum petalis marceſcentibus creſcunt fructus in Piſi vel Ciceris magnitudinem, per maturitatem in ſex partes diviſi, *ſemina* oſtendunt nigra, anguloſa, vulgaris Moly ſimilia.

Locus. Cirinolæ per ſemitas & agros non procul ab oppido floruit Januario. Floribus evaneſcentibus fructus in terram incurvatur. Odor inter Braſſicam & Allium.

15. *Moly anguſtifolium foliis reflexis* C. B. *ſerpentinum* Ger. Park.

Lob.

Dioſcoridis Moly perſimile ortu, folio ad terram item reflexo, odore & bulbo: ſed flos candore rubens, cui ſubjacent nitidi bulbuli Indici Moly ritu. Radix Cepaceo præduro involucro obtegitur. Caulis pedalis & ſeſquipedalis. Belgis hortenſe eſt.

Cap. V.

De Allio ſativo.

Allium nonnullis dictum videtur ab ἄλλεσθαι exilire, quòd exiliendo creſcat. Sunt qui ab halante gravi odore deducunt, & Alium ſcribunt: Voſſius non dubium putat quin ſit ab αὔλιθες, i. e. Alliorum capita ſeu nuclei.

Græcis Σκόροδον dicitur quaſi σκαιὸν ῥόδον, i. e. rudis roſa, propter odorem gravem: vel quòd comeſtum vapores excrementitios ad cutim pellat & veſcentibus pandiculationes moveat.

Allii ſativi notæ ſunt bulbus à multis nucleis ſeu ſpicis compoſitus, odor gravis vehementior, caulis rectus ſingularis.

1. *Allium* Park. Ger. *ſativum* C. B. *vulgare & ſativum* J. B. **Common Garlick.**

J. B.

Scapus Allio procerus, enodis, concavus, glomeratim congeſtos in magna capita *flores* ſuſtinens, Cepaceos, rupto folliculo apparentes, poſtmodum & *nucleos* parvos quibus poſſit propagari. Verùm *folia* non ut Cepis fiſtuloſa, ſed graminea: *bulbus* denique non ſimplex ſed numeroſis nucleis, ſub unâ communi tandem membrana collectis conſtat, ſapore peracri, odore gravi, unde fibræ candidæ dependent.

Allium paſſim & vulgò omnibus notum ubique ferè gentium ſeritur. *Vires.*

Allium eximiè calidum eſt & cauſticæ facultatis particeps, quippe quod non tantùm veſicas excitat, ſed cutim corrodit, Coſtæo obſervatore. Nec obſtat, quod in cenſu alimentorum eſt: nam & alia ſunt foris quidem cauſtica, intus autem minime; quia intus miſcentur cum aliis eduliis cúmq; acido ventriculi atterantur: & præterea ventriculus humore mucoſo ſatis denſo oblinitur; ut cutem ejus interiorem non tangant ingeſta.

Uſus. Incidit & diſcutit, Alexipharmacum eſt. Uſus præcipuus internus & externus eſt in colica flatulenta, lumbricis, peſte [cum aceto] tuſſi, calculo. *Schrod.* Et ad prædictos effectus ſæpiſſimè à vulgo vel in lacte, vel in juſculo decoctum exhibetur, unde & *Theriaca ruſticorum* appellatur. Verùm uſus ejus frequentior moleſtus eſt & noxius, partim ob fœtorem intolerabilem, præcipuè verò quia capitis dolorem infert, ſitim excitat, oculis nocet, ſenſuúmque omnium inſtrumentis.

In thoracis affectibus pituitoſis egregiè facit ad expectorationem. In lacte coctum & tritum ſiſtit catarrhos & prodeſt ad raucedinem. Mulierculis noſtratibus ad hoſce affectus in pueris in frequenti uſu eſt; ut & ad lumbricos ventris enecandos & expellendos.

Allium (inquit Platerus de Febribus) in hydromelite decoctum, & ad ℥ ij. vel paulò plus exhibitum potenter ſudores & urinas elicit in peſte laborantibus. Hungari (inquit Joh. Bockelius de Peſte) peſtis tempore non habent certius remedium quàm Allium: exſiccat enim corpora humana & putredinem impedit.

Refert hiſtoriam Zacutus Luſitanus de quodam ſene, qui cùm in tempore hyberno per nivoſa loca diu iter feciſſet, innato ventriculi calore pæne extincto lethaliter decubuit. Pro quo inſtaurando & vivificando cùm calidiſſima remedia nequicquam proficerent: tandem Zacutus admonitus ab Avicenna Allium ſiccum melle delibutum exhibuit. Hoc cùm quatriduo uſurpâſſet meliùs habere cœpit, & cùm ejus uſum menſem unum continuâſſet, ſanitati reſtitutus eſt. Atque id ipſum Septentrionales populos natura docet, qui propterea Allium in continuo uſu habent. *Sennert. Inſtit. lib. 4. part. 1. cap. 3.*

Allium cum adipe ſuillo tuſum, ſi plantæ pedum eo inungantur, multum conducit ad pulmonum canales aperiendos & ab infarctu liberandos in Aſthmate, &c. *D. Hulſe.*

Si emplaſtra ex Allio contuſo plantis pedum applicentur, oris halitus Allium ſpirabit. Tradit etiam *Pet. Laurembergius* in *Apparat. Plantar. lib. 1. cap. 2.* Allium gallinis & aliis altilibus cum eſca objectum ſaporem & odorem ſuum in eorum carne & ovis prodere. Denique Chriſtophorus Bennet M. D. Londinenſis in *Theat. tabidorum exerc. 29.* aſſerit fonticulos ægrorum membris vel inciſos, vel inuſtos in rarioris texturæ hominibus, Allii intus ſumpti poſt tertiam aut quartam à comeſtione horam odorem reddere. Verùm (ut rectè *D. Lower* contra *Edm. de Meara*) iſtiuſmodi odorem vapores totum corporis habitum penetrantes non producunt; ſed corpuſcula quædam ex Allio decidentia ſanguini miſcentur, cúmque eo ſimul ad pulmones delata, unà cum fuliginoſis ſanguinis effluviis per expirationem emittuntur.

Allii ſuccus potus hominem non modò turbat, ſed etiam interficit *Spigel. Iſag.* lib. 2. cap. 16.

Arnulphi Imperatoris vitam terminârunt vermiculi in ejus carne ex nimia Allii comeſtione geniti. *Cranz. hiſt. Sax. lib. 3. cap. 3.*

Allia cum excauleſcunt pleniùs quàm recens edita olent. *Marantha method. cogn. Simpl. l. 2. c. 3.*

Gilbertus noſter de Magnete lib. 1. figmentum ait & mendacium eſſe, Magnetem non attrahere ferrum ſi allio illitus fuerit, aut ſi Adamas propé.

Ad cornua pedum, ℞ Allium ſub cineribus coctum, pluries calidiſſimè ſupponatur: eſt viri religioſi experimentum. *Cheſneau.*

A. 2. *Allium montanum majus Anglicum* Newtoni.

Radix nucleis aliquot majuſculis conſtat Allii vulgaris in modum, tunicâ duntaxat ſubfuſcâ tecta, quam facilè exuit; de reliquo integra eſt, & candida, è baſi multas oblongas, validas, albas fibras demittens. *Caulis* firmus, medullâ quadam ſpongioſâ farctus, quatuor pedes altus, parte inferiore ad cubiti circiter altitudinem per intervalla foliis quatuor cinctus imâ ſua parte eum amplectentibus, reliqua ſuperiore parte nuda & glabra; cujus faſtigio inſidet corymbus amplus floſculorum purpuraſcentium tenuibus pediculis fultorum. *Semen* parvum, album, ſublongum, triquetrum, vaſculo tricapſulari exiguo incluſum.

Tempus & Locus. Auguſto floret. In parva inſula *Holms* dicta ſupra Briſtolium in Sabrinæ æſtuario copioſè provenit.

Ob convenientiam cum Allio ſativo in radicibus ſeu bulbis è multis nucleis compoſitis eidem ſubjunximus.

CAP. VI.

De Ampeloprasso.

A. *Ampeloprassum* J. B. Park. *Ampel. ſive Porrum ſylveſtre* Ger. Lob. *Porrum ſylveſtre gemino capite* C. B. *Porrum ſylveſtre vinearum* C. B. *quomodo differat aliis inquirendum & examinandum relinquimus.*

Lob. Obſ.

Vinetis, arvis, marginibus, ſenticetis & dumetis Galliæ & Belgii gaudet. *Folio* exit Allii ſylv. tenuifolii non abſimili, ſed majore & acriore in bicubitali *caule*. *Radix* bulboſa, non ex nucleis, ſed ſingulari capite conſtans, Porri minor, durior, acrior, nonnullis adnatis ſeſe propagans. *Flore*, & nucleis ſeminis vice triticeis granis paribus, in glomeratis capitulis non diſparibus Allii ſylveſtris tenuifolii.

De Ampeloprasſo mihi nondum ſatisfactum fateor. Allii genus in Borealibus Angliæ præruptis montium ſaxis ſponte proveniens obſervavi, quod Ampeloprasſum eſſe aliquando ſuſpicatus ſum. Folia ei neque fiſtuloſa, neque teretia, ſed ſupernè plana, ſubtus carinata, anguſta, glauca, tria aut quatuor in caule. Capitulum duplici folliculo membranaceo in acutum mucronem deſinente clauditur. Huic ſimile, ſi non idem in pratis & umbroſis ſepium aggeribus propè Ceſtriam copioſum vidi, cujus bulbus ſimplex cortice nigro tegitur, mitem & vix perceptibilem Allii odorem ſpirans. Hujus flos mihi non conſpectus; cùm enim Ceſtriæ fui Maii menſis initio nondum floruerat.

CAP. VII.

De Porro.

Porrum Latinis dictum volunt nonnulli quòd porrò eat & longè latéque graſſetur. Sed eſt (inquit Voſſius) à *πράσον* facta ſecundæ tertiæque literæ trajectione & quartæ mutatione in R. quomodo à *πύργος* eſt *turris*, à *κέλης celer*.

Porri notæ ſunt radix anguſta, florum corymbi magni, ſeu floſculi plurimi in capitulum ſphæricum grande conglobati.

Porrum ſectile in noſtra graveolentium diviſione ad aliud genus pertinet: foliis enim fiſtuloſis cum Cepa convenit.

1. *Porrum* Park. J. B. *capitatum* Ger. *commune capitatum* C. B. Leeks, or Porret.

J. B.

Folia luxuriat adoleſcentius adhuc Porrum ſemunciam circiter latis, alternatim poſitis, inferiore ſuperius ceu vaginâ aliquouſque complectente: adultis idem poſitus, ſed longitudo cubitalis, latitudo ſextantalis, forma carinata, color ferè glaucus, ſapor cepaceus. Ubi cauleſcit *ſcapum* digitalem & craſſiorem ad tres, quatuorve cubitos ſurrigit, ſolidum, ſucculentum, glomeratos in pilam, quam utrâque manu vix complectaris *floſculos* ſuſtinentem, ſuo unumquemque pediculo innixum, ex albido purpuraſcentem, apicibus ſaturatiore tinctis purpura. *Semen* triangulum, atrum, Cepæ. *Radix* bulboſa, tunicis albis compactilis, fibrata, ſapore mitiore quàm Cepæ.

Porrum ſectivum latifolium *C. B.* Porrum ſectivum aut tonſile *Ger.* à præcedente non differt ſpecie, cùm ex eodem ſemine utraque generentur, ſed culturâ tantùm: quia id quod ad culinaria juſcula ſæpiùs detonderi ſolet, ſectivum aut ſectile Columellæ & Palladio nominatur: quod verò capitatum fieri debet, non tondendum, & autumnali tempore transferendum; etiam Plinio monente *C. B.*

2. *Porrum ſylveſtre inodorum* C. B. Lob.

Omnia Porro ſimilia ſunt ſed exiliora & inodora. Lieræ Brabantorum in horto D. Joannis Diffii alitur. Hæc Lobelius in Obſervationibus, nec plura habet.

Vires. Porrum ut guſtu ſic viribus cum Allio & Cepa convenit, attenuat, aperit, incidit, reſolvit. Uſus præcip. in ſerpentum morſibus & uſtionibus, mucilagine pulmonum. Extrinſecus in aurium tinnitu & ſuppurationibus: in hæmorrhoidum tumore, &c.

Ad dolorem Pleuriticorum, ℞ ex albedine Porri minutim inciſi q. ſ. frige parùm in ſartagine, & applica ſupra partem dolentem. Multos juviſſe teſtis ſum, inquit *Cheſneau. D. Hulſe.*

Ad Polypum, ℞ ſucci Porri non ſectilis q. ſ. cum pauco tartari & ceræ viridis. F. ung. de quo aliquid ſæpiùs in naſum intromittatur. *Alexis Pedemont.*

Prævotius Porrum confixum undiq; radiculis Hellebori nigri coctum aliquoties jejunè menſibus inſtantibus eſitatum in eorundem difficultate commendat D. *Soame* è Dolæo.

N. Frequens Porri uſus ſomnos turbulentos inducit, viſuíque officit.

Nonnulli ad vocis claritatem & ſplendorem inducendum Porri eſum commendant. Vitari tamen debet (inquit J. Bauhinus) aſſiduus aut multus ejus uſus, quia viſûs obſcuritatem efficit, ſtomacho adverſatur, multáque alia incommoda facit: eapropter nonniſi robuſtis admodum, decoctúmq; cum melle, vel in Ptiſana erit exhibendum.

Cap. VIII.

De Bulboſa Africana anomala Moly affini.

Narciſſus Indicus Serpentarius Col. notis in Recchum. *Indicus puniceus gemino latiore folio* Ferrar. *Africanus foliis Bifolii* C. B. *marinus Africanus ſive exoticus Lobelii* Park.

Ferrar. Col.

BUlboſa *radix*, Pineæ nuci par, oblonga, ſquamoſa, imi fibrati verticis orbe anguſto coronata, fibris inſtar botryodis Hyacinthi, quem *Muſcari* vocitant, craſſis latéque prorepentibus ſubnixa, deorſum porrecto tubere calloſa. Septembri menſe *caulem* protrudit craſſitudine digitali, pedalem aut majorem, in rotundo utrinq; planum, ex viridi pallentem, maculíſq; diſtinctum obliquis, purpuraſcentibus ex caſtaneo, colore Dracontii caulis æmulum, ſumma parte rubentem. Inde *flos* emicat nudus, ipſis foliis floris in coni effigiem convolutis, poſt primas æſtatis fine pluvias, qui dehiſcens magnus fit admodum, trium ferè unciarum diametro, magnis foliis carnoſis, duris, parùm ſtriatis, ſeptem externis, & tribus majoribus internis, colore ſanguineo rubente, interna verò parte dilutiore, magnum calycem efformans, intimos floſculos confertiſſimos, nonnihil hiantes, rubicundulos, brevibus ſubalbidíſq; pediculis nixos complectentem. Horum ſinguli præter medium ſtylum oblongiorem, oblongo, candicante capite micantem, ſena exilia ſtamina, rubentia, capitibus luteis definita, & quinq; anguſta rubeſcentia foliola, ſtaminula & ſtylum continentia deferunt. Floſculis poſtea dilapſis [marceſcentibus & dependentibus floris foliolis] ſubjecta *capitula* turgent in folliculos ardenti colore rubros, trigonos, Olivæ nuclei magnitudine, racemi ſeu corymbi aſpectu conglobatos, ſingulos in ternas cellulas diviſos, in quibus ſingula *ſemina* nigella, minuſculi Phaſeoli figura & magnitudine. Bina poſt excuſſum florem folia exiſtunt, flacceſcenti atque in ſemen exeunti ſcapo adnata & ſuperinducta, ovata, in duos circiter palmos longa [bipedali longitudine *Col.*] in palmi dimidium lata, Scyllæ foliis craſſitudine æqualia, plana ſive æqualia & minimè carinata, nigrantia, primò ſurrecta, humi demum jacentia.

Africanæ originis eſt, planta anomala ad Moly nonnihil accedit, verùm calyce polyphyllo florem mentiente, & floſculis pentaphyllis fructui innaſcentibus non à Moly tantùm & Allio, ſed & ab omnibus aliis bulboſis differt.

SECTIO TERTIA.

De Herbis bulbo tunicato odore vel nullo vel minus gravi præditis.

Herbæ radice bulboſa tunicata, odore nullo aut minùs gravi præditæ ſunt vel flore

- *Enneapetalo*, foliis illis quæ reflectuntur ſurſum in flore
  - *Bifidis*; IRIS BULBOSA.
  - *Integris*: SYSIRHYNCHIUM.
- *Hexapetalo* floribus
  - *Folliculo ſeu perianthio incluſis*, ſummo pericarpio inſidentibus,
    - *Cum calyce tubóve in medio flore* quem ſex folia circumſtant: NARCISSUS.
    - *Nullo in medio flore calyce* à ſex petalis diſtincto, floribus

Majoribus

Liliaceis; LILIO-NARCISSUS.
Colchici; COLCHICO-NARCISSUS.

Minoribus, pendulis, petalis albis cum apicibus viridibus in pleriſq; ſpeciebus: LEUCOIUM-BULBOSUM.

Nudis, fructûs ſeu vaſculi ſeminalis baſi cohærentibus caulibus

Folioſis, floribus erectis, amplis, in ſingulis caulibus naturâ ſingulis, colorum varietate & pulchritudine inſignibus, ſeminibus compreſſis tenuibus, radice eſculenta: TULIPA.
Aphyllis, floribus in ſingulis caulibus pluribus

Maritima, radice grandi, floribus folia antevertentibus, SCYLLA.
Mediterraneæ, ſtaminulis florum;

Tenuibus ſeu anguſtis & teretibus, florum petalis plerunq; puris ſeu unicoloribus: HYACINTHUS.
Latis, ſpicatis aut φυλλοειδέσι, quorum tria acuminata, tria bifida ſeu ſinuata ſunt [ſtamina hæc capitulum ſeminis ſeu ſtylum includunt arctè coeuntia, etiam explicatis foliis exterioribus] radice lactea, florum petalis in pleriſq; ſpeciebus, averſa parte lineis virentibus notatis: ORNITHOGALUM.

CAP. I.

De Iride bulboſa.

IRis Dioſcoridi à cœleſtis arcûs ſimilitudine nomen accepit, quem vario colore floris quadantenus figurat.

Notæ Iridis ſunt flores enneapetali, petalis ſurſum reflexis bifidis.

1. *Iris bulboſa latifolia acaulos odora* C. B. *bulboſa latifolia flore cœruleo & candido* J. B. *bulboſa latifolia* Ger. emac. *bulboſa latifolia prima Cluſii* Park. parad. **Broad-leaved bulbous Flower-de-luce.**

Cluſ.

Sena utplurimum habet folia, longiuſcula & latiuſcula, Hemerocallidis Dodonæi ſive Liliaſphodeli foliis ferè ſimilia, breviora tamen, alternatim invicem amplectentia, mollia, in terram prona, ſupernè ex viridi pallentia, infernè verò incana: è quorum medio flos exſilit, è membranaceo involucro, unicus, odoratus, cœruleus (interdum lactei candoris) novem foliolis conſtans, Iridis figurâ, quo marceſcente utrinque alii ſingulares ſuccedunt. Nullus eſt illi caulis, ſed flos longo duntaxat pediculo inſidet, ut in Croco. *Radix* bulboſa, candida, Avellanæ inſtar dulcis, multiplici cortice nigricante involuta; Cui (præſertim dum floret) aliquot præter fibras craſſæ longæ radiculæ ſubnaſcuntur, ut in Hyacinthi radicibus interdum fieri ſolet.

Locus. Invenitur in Luſitaniæ Bæticæq; collium radicibus non procul ab Ana flumine ſitis, & copioſè circa Antequeram & Cordubam. In Luſitania porro Januario: in Bætica autem Februario obſervabam & eruebam, inquit Cluſius.

Iris Bulboſa Perſica Park. parad. *Iris Perſica variegata præcox* Ferrar.

Park.

Ad præcedentem accedit tum radice, tum foliis, quæ tamen breviora ſunt & anguſtiora. Floris figura non multum diſſimilis, color diverſus nimirum pallidè cœruleus ruffeſcens, petala tamen repanda fere tota colore obſcurè purpureo inficiuntur, cum macula in medio flava.

Rariùs apud nos floret.

Ferrarius eam ſic deſcribit:

Hujus radix proximè ſuperiori perſimilis minorem nacta eſt modum. Folia pauciora, diluto virore veluti rorulenta, atq; in canalis effigiem concava, ſex digitorum longitudine, duûm latitudine definiuntur. Exiguò poſt foliorum exortum ſub extremum Februarium flores exiſtunt, ſupradictis conformatione pares, numero autem & colore diſpares. Hi enim quaterni tantùm quinive pro cujuſq; bulbi viribus funduntur; totiq; ſic albicant, ut folia terna ſurrecta dilutiore fuco cœruleo interfuſo pulchrè liveſcant: totidem verò hiſce ſubjecta cum prominula crocea linea intercurſante diſtincta, tum violaceis guttis circumlita, grandiore janthini coloris velut holoſerica maculâ devexum labrum infuſcante, ſplendidè nigreſcant.

Deniq; ejuſdem formæ folliculus Junio menſe matureſcit in ſemen.

2. *Iris bulboſa tota violacea vel cærulea* J. B. *bulboſa foliis cepaceis maculatis, flore purpureo inodoro* C. B. *bulboſa purpurea & purpuro-violacea* Park. *bulboſa Anglica* Ger.

Cluſ.

Craſſiore & latiore eſt *folio*, ac veluti cepaceo, parte interiore carinato, multíſq; quaſi bullis argenteis reſperſo, exteriore ſtriato: craſſo infirmóq; *caule*, quem quaterna aut quina *folia* amplectuntur: binos ex vaginulis utplurimùm promit *flores*, invicem ſuccedentes, interdum unicum duntaxat, novem foliis conſtantem, violacei prorſus & elegantiſſimi coloris, interdum dilutioris, inodorum tamen, quorum tria majora ſunt ad terram inclinata & prona, ut in vulgari Iride, & labrorum inſtar propendentia; tria alia anguſta & extima parte bifida alatáq; iis incumbunt, uſq; ad luteam maculam (quæ majoribus pro fimbria eſt) pertingentia: tria alia ſurrecta ſupremâq; parte latiuſcula, infimâ verò valdè anguſta: floribus ſuccedunt trigona laxáq; *capita*, quibus *ſemen* ineſt rugoſum fulveſcens Ervi magnitudine, quod maturum in capitibus crepitat, ſi moveantur. *Radix* magna plurimis membranis tenacibus nigricantibus circumvoluta, intus alba, & ſeſſili parte fibris prædita, quæ ſingulis annis multos nucleos circa latera deponit. Hujus folia novo vere demum germinant.

Hujus generis plantam in horto noſtro alimus à Cluſiana in nonnullis diſcrepantem. Plura etenim in caule [ad decem uſq;] folia habet: Floris petala extima & repanda maculis ex cœruleo nigricantibus perbellè pinguntur: petala etiam ſurrecta varia ſunt è cœruleo aut purpuro-cœruleo ſaturatiore & dilutiore. Flores inſuper perſæpe tres in eodem caule profert.

Hujus varietates nobis eſſe videntur,

1. Iris bulboſa major ſive Anglica cœrulea *Park. parad. Swert.* bulboſa Anglica *Ger.*
2. Iris bulboſa major purpurea variegata ſive ſtriata *Park.*
3. Iris bulboſa major flore rubente *ejuſdem.*

Has aliáſq; C. Bauhinus ſub titulo *Iridis bulboſæ latifoliæ caule donatæ* complectitur: quam tamen ſpecie diſtinctam ab Iride hoc in loco à nobis propoſita conſtituit.

3. *Iris bulboſa major ſive latifolia alba* Park. *bulboſa latifolia candida* C. B.

Integro menſe ſeriùs quàm præcedens è terra emergit, *foliis* nonnihil majoribus latioribúſq;, *caule* craſſiore & breviore, binos plerumq; peramplos flores geſtante, quorum alter altero priùs aperitur, poſterior tamen perſæpe ante explicatur quàm prior contractus fuerit, colore antequam explicantur albente cœruleo diluto, quem argenteum vocamus. Aperti candidiores fiunt, non tamen prorſus nivei, ſed aliquam languidiorem cœrulei tincturam oſtendentes. Petala florum propendentia perampla ſunt, maculâ illâ in medio flavâ inſignia.

Hujus varietates aliquot proponit Parkinſonus, nimirum Iridem bulboſam majorem albam variegatam, & majorem ſive latifoliam verſicolorem.

4. *Iris bulboſa anguſtifolia tricolor odore Coriandri* C. B. *bulboſa* 3. *ſive verſicolor* Cluſ. *bulboſa cæruleo & albo verſicolor* J. B. *bulboſa varia* Ger.

Huic quinq; aut ſex ſunt *folia*, anguſta & tenuia, cubitalis longitudinis, interna parte ſtriata & candicantia, externa rugoſa, viridis cum cineraceo commixti coloris, *caulem* amplexantia cubitalem, interdum etiam majorem, nodoſum, unicum plerunq; *florem*, raro binos, è membranaceis vaginulis proferentem, Iridis anguſtifoliæ formâ ſimilem, cujus tria latiora & ad terram inflexa folia extima parte ampliora ſunt & candicantia, luteâq; maculâ inſignita, eâ videlicet parte, qua folia his incumbentia & ligulam occulentia, bifidáq;, & in parvas alas reflexa, deſinunt, illáq; ſubcœrulei ex candido coloris; reliqua tria erecta ſunt, oblonga, & dilutiùs ex cœruleo purpuraſcentia. Totus flos jucundo ſpirat odore, præmanſi Coriandri obducti ſaccharo ſive præparati inſtar. Flori ſuccedit longum triangulum *caput*, altero gracilius, neq; laxum, *ſemen* anguloſum, ſubrufum continens. *Radix* bulboſa, candida, ſubdulcis, ſpadiceis aliquot membranis involuta, minor ſuperioris radice, & illâ liberaliùs nucleos producens, quibus facillimè ſeri poteſt.

Variat flore latiore & radice brevi, binis plerunq; floribus, altera flore anguſtiore radice oblonga: utraq; dilutioris aut ſaturatioris coloris. Vide Cluſium.

In nonnullis Caſtellæ collibus non procul Pinciâ ſponte naſcitur. *Locus.*

Iridis bulboſæ verſicoloris quinq; varietates è ſemine enatas proponit & deſcribit Cluſius, quarum deſcriptiones à C. Bauhino contractas dabimus.

1. Trium foliorum [floris] inclinatorum labra flava ſunt, maculâ aureâ magnâ in labro reflexo inſignita, ad quam venæ purpuraſcentes excurrunt: at trium incumbentium dorſum & alæ pallent, latera candicant: tria erecta albent, venis ſubcœruleis ſaturatioribus vel dilutioribus diſtincta.

2. Tria inflexa pallent labro flavâ maculâ notato, internè quibuſdam venulis purpuraſcentibus diſtincta: tria ligulam tegentia albicant, vel ochri colore ſunt tria ſurrecta exalbida, nervo flavo excurrente.

3. Flore eſt latiore breviore, ternis foliis inflexis latis, & propendente labro aureâ maculâ inſignito, & alio orbe cincto, per oras criſpo, cœrulei coloris, nervo extrinſecùs virente, intrinſecus pallente, venis purpureis in latera excurrentibus: at tria gibba purpurea ſunt gibbo albicante, alis cœruleis: tria erecta ex cœruleo purpuraſcunt.

4. Tria reflexa flava ſunt, macula aurea in labro, à qua venæ dilutiùs purpuraſcentes ſparguntur: folia incumbentia exalbida, nervo pallido diviſa: tria ſurrecta inferiùs venis cœruleo-purpuraſcentibus diſtincta, ſupernè candicant.

5. Terna inflexa lactei coloris, aureâ maculâ labro impreſsâ: folia incumbentia & terna erecta alba, & circa ungues ſubcœrulea.

5. *Iris bulboſa lutea inodora major* C. B. 4. *ſive lutea* Cluſ. *bulboſa lutea* J. B.

Iridi bulboſæ 3. ſeu verſicolori *Cluſ.* per omnia ferè ſimilis eſt, breviore tamen *caule*, gracilioribúſq; & ex viridi palleſcentibus foliis: *flos* unicus, interdum bini, contractiores, latiores tamen ex vaginulis ſummo cauli inhærentibus prodeunt, lutei coloris, inodori, mediæ inter ſecundum & tertium genus magnitudinis quemadmodum & ſiliquæ, ſeu caput trigonum, in quo ſemen ſuperiori ſimile continetur: radix tertii generis radici ſimilis, quæ nucleis non ſecus ac illa propagatur.

Sed hæc in flore quandam etiam differentiam habet, licet exiguam: nam invenitur latiore aliquantulum ſaturatioréque & magis rutilante aureo colore: radice item breviore & craſſiore, membranacea præterea illa vagina, unde primùm folia emergunt, ſanguineo colore à ſummis vaginæ oris in inferiorem illius partem radiatim deſinente magis infecta eſt, quam illius quæ dilutiore eſt flavo colore: nam illa interdum ſanguineo hoc colore caret, utriuſq; autem, quemadmodum & tertiæ folia ante hyemem germinare ſolent.

Locus. Naſcitur pingui ſolo & petroſis collibus ad Tagum ſitis ſupra Olyſſipponem. Floret paulò maturiùs tertio genere, eodem quo ſecundum tempore.

Cluſius multas proponit varietates ad tredecim uſq;, è ſemine flavæ-variæ ortas, quarum deſcriptiones qui deſiderat apud ipſum videat. Nec enim eas huc tranſcribere operæ pretium putamus, cùm & aliæ multæ nullo certo aut definito numero à ſemine ſato obtineri poſſint, quas ſiquis omnes deſcribere vellet, de unico hoc flore integrum volumen componere poſſit: quod idem de Tulipa dictum intelligatur.

CAP. II.

De Narciſſo.

NArciſſus non à Narciſſo adoleſcente, nimium ſeipſum adamante (ut poetæ fabulantur) ſed à vi ſtupefaciendi, quam νάρκωσιν Græci vocant, dictus eſt: ſeu, ut Plinius, à narce, quam vim Narciſſo ineſſe l. 21. c. 19. teſtatur: hinc Plutarcho in Sympoſio quaſi nervos hebetans, & torpidas gravitates efficiens, dicitur. *C. B.*

Narciſſus à reliquis bulboſis tunicatis certiſſimâ notâ, calyce in medio flore diſtinguitur, ut plures addere non ſit opus.

Narciſſos clarioris doctrinæ gratia dividemus in latifolios & anguſtifolios ſeu juncifolios, Latifolios iterum partiemur in monanthes ſeu unicum in uno caule florem gerentes, & polyanthes ſeu pluribus in eodem caule floribus donatos. Monanthes denique ſubdividemus in 1. calyce ſeu tubo longiſſimo præditos, 2. calyce mediæ longitudinis & 3. calyce brevi.

§. 1. *Narciſſus calyce ſeu tubo longiſſimo latifolius Pſeudo-narciſſus & Bulbocodium dictus.*

1. *Bulbocodium flore pallido, tubo flavo, ſerotinum. An Narciſſus minor pallidus amplo calice flavo non deſcriptus* Swert? *Narciſſus alter craſſo bulbo* C. B.

Folia huic breviora ſunt quàm vel vulgari Pſeudo-narciſſo vel Hiſpanico, duplo tamen latiora, planiora nec adeò carinata, minùs glauca, pallidiora, mucronibus obtuſis, ſeſquipalmaria aut ſemipedalia. *Caulis* ſemipedalis, ſatis craſſus & firmus, è membranaceo folliculo *florem* exſerens, in ſex folia pallidiora quàm Bulbocodii vulgaris, albida, latiora tamen expanſum, cum tubo in medio prælongo, flavo, fundum verſus tumidiore & quaſi ventricoſo, ſummo margine circumcirca ſinuato non tamen fimbriato aut inciſo, nec extrorſum reflexo campanæ in modum, ut illius. Folia tubum circumſtantia propiùs ad illius baſin ſita ſunt quàm in vulgari Bulbocodio & expanduntur magis. *Stylus* in medio flore pallidus ad ſummum propè tubum extenditur, quem ſex *ſtamina* longitudine eidem ferè æqualia arctè cingunt.

Seriùs floret quàm vel vulgare Bulbocodium vel Hiſpanicum, viz. non ante initium Aprilis. E ſingulis autem bulbis quatuor exeunt folia. Ungues foliorum floris & fundus tubi intenſiùs flavent ſeu croceſcunt.

De loco natali nihil certi habemus, bulbum accepimus inter alios multos ab eruditiſſimo & amiciſſimo viro *D. Uvedale.*

2. *Narciſſus major totus luteus calice prælongo* C. B. *Pſeudo-narciſſus Hiſpanicus aureus maximus* Park. *Bulbocodium Hiſpanicum* J. B. *Pſeudo-narciſſus Hiſpanicus* Ger. emac.

Elatius eſt & omnibus partibus majus Bulbocodio vulgatiore, *caule* pedali aut altiore, *foliis* digitum latis, dodrantem longis, in hortulo noſtro è ſingulis bulbis binis. *Flos* longè major eſt vulgaris Pſeudo-narciſſi flore, [undè miramur Cluſium florem paulo minorem huic attribuere] totus flavus & quaſi aureus, tam calix, quàm folia eum cingentia, alioquin ei ſimilis. *Radix* hujus craſſior eſt quàm illius.

Florebat nobis circa initium Martii.

Parkinſonus *Pſeudonarciſſum aureum Hiſpanicum flore pleno* è ſemine ut conjectatur præcedentis ſibi natum deſcribit *Parad.* pag. 103. *Varietas flore pleno.*

3. *Narciſſus albus oblongo calice* C. B. *Pſeudonarciſſus albo flore Cluſii* J. B. Ger. emac.

Hic præcedenti perſimilis eſt foliis & caule. E ſingulis tamen bulbis tria prodibant folia. Flos totus, tam tubus, quàm folia eum circumſtantia, albus eſt, aut potiùs pallidus. Aliquanto ſeriùs floret quàm præcedens; flos quoque tenerior eſt & citiùs marceſcit.

Cluſius ſpeciem hanc exactiùs deſcribit his verbis. Valdè elegans hæc planta terna è *radice* bulboſa oblongiore, nigróque cortice ſive membranâ tecta (à cujus ſede frequentes tenuéſque oriebantur candidæ fibræ) proferebat *folia*, dodrantem vel paulò ampliùs longa, Narciſſi anguſtioribus foliis valdè ſimilia, ſupina parte carinata, inter quæ nudus prodibat *caulis*, ſatis exilis, non craſſus, dodrantem altus, ſummo faſtigio membranaceum folliculum gerens, è quo propendebat flos totus albus, Pſeudonarciſſo vulgatiori formâ quidem ſimilis, paulo tamen minor [imò potiùs major] ſeſcunciam longus, ſex foliis tubum amplectentibus ſimiliter conſtans, tubo autem paulo anguſtiore, & oras nonnihil fimbriatas habente, in quo ſex alba ſtamina flaveſcente apice prædita, & medius ſtylus longior. Nullum vero peculiarem odorem in eo flore obſervabam, qui aperiebatur Aprili, deinde Junio ſemen proferebat in triangulari capite ſive theca orbiculare, nigrum & ſplendens, quale Narciſſi juncifolii albo flore reflexo, ſed majus.

4. *Bulbocodium minus* J. B. *Pſeudo-narciſſus minor Hiſpanicus* Cluſ. Ger. emac. *Narciſſus parvus totus luteus* C. B.

A Pſeudo-narciſſo Hiſpanico majore differt *foliis* longè minoribus & anguſtioribus, *flore* puſillo inſidente digitali, tenui, viridi *cauliculo*. *Capitellum* trigonum obtuſis eſt angulis & ferè rotundum, in quo *ſemen* inæquale nigrum, ſatis magnum pro plantæ proportione. *Radix* bulboſa, exigua, foris nigricans.

A. 5. *Narciſſus ſylveſtris pallidus calice luteo* C. B. *Pſeudonarciſſus Anglicus* Ger. *Anglicus vulgaris* Park. *Bulbocodium vulgatius* J. B. **Wild English Daffodil.**

J. B.

Radix bulboſa ex multis tunicis compacta, mediocris magnitudinis, tactu & guſtu viſcida, cum aliqua dulcedine, acrimoniam tandem aliquam relinquens, cui ſubſunt multæ capillares fibræ, nonnunquam unica, aliàs plures ubi ſe propagat. *Folia* longa, anguſta, è viridi cæſia, caulem ad ſummum faſtigium comitantia, ſtriata, coſtis duabus aversâ parte prædita, terna, quaterna, quina tunicâ unâ cum caule ſtatim è radice exorto involuta. *Caulis* palmaris & dodrantalis, compreſſus, ſtriatus, fiſtuloſus, cui inſidet *flos* ſingularis, deorſum nutans, duas uncias longus, ſex, pallidis & ſtellatim decuſſatis foliis conſtans, magno, longo, flavóque & fimbriato *calice* campanulæ ferè figurâ protuberans, aureus, ſplendens fimbria comata & laciniata, in cujus medio apices ſex lutei circa piſtillum concolorem intorquentur, minimo odore, non, ut aliqui volunt, nullo, qua parte geniculo intermedio cauli flos adnaſcitur membranula exalbida florem antequam explicetur involvit: paulóque infra floris medium ſex folia pallidula, micantia, mediocriter lata, mucronata ex ipſo floris codio recta foris ſe pandunt. Succedunt pericarpia rotunda, in quibus ſemen *Camer.* nigram, in principio latiuſculum, temporis progreſſu rotundum.

Variis in locis ſponte oritur, circa margines agrorum & vervactorum, humido præſertim ſolo, ínque ſylvis & dumetis, locíſque arboribus conſitis. Martio ineunte apud nos in Anglia floret, aut ſeriùs citiúſve pro anni conſtitutione, & aeris temperie. *Locus.*

1. Bulbocodium flore pleno ſeu multiplice calice carente: item
2. Bulbocodium floris calice ſeu tubo duplici, triplici & pleno: item
3. Bulbocodii pleno flore ſpecioſum genus Venerio *Cluſ. J. B.* pro luxuriantis naturæ luſibus habenda cenſeo, non pro ſpeciebus Bulbocodii diſtinctis. Horum deſcriptiones ſiquis deſiderat, Cluſium, Lobelium & J. Bauhinum adeat. *Varietates.*

Non diſtat hic à Dioſcoridis Narciſſo facie vel viribus: Is autem vomitorius eſt & nervis inimicus: extrinſecùs tamen prodeſſe dicitur ambuſtis, vulneribus & herniis. *Vires.*

Narciſſi cujuſcunque radicem vomitum ciere Cluſius ſe ſæpenumero expertum eſſe ſcribit: quin & Lobelius hujus plantæ radicibus ruſticam plebem vomitiones moliri aſſerit.

Folia contuſa in Eryſipelate conducunt. *D. Palmer* dictante D. Hermanno.

Meminit C. Bauhinus Narciſſi totius lutei floris foliis reflexis *C. B.* i. e. Narciſſi tot. lut. oblongo calice & reflexis foliis *Eyſt.*

Item, Narciſſi albi, fimbriâ luteâ *C. B.*

Item, Narciſſi lutei repentis, i. e. Pſeudo-narciſſi lutei repentis *Eyſt.*

§. 2. *Narciſſus amplo calyce, mediæ longitudinis.*

6. *Narciſſus maximus pallidus amplo calice flavo* Cluſ. *latifolius pallidus calice amplo alter* C. B. *latifolius omnium maximus amplo calice flavo, ſive Nompareille* Park. *omnium maximus* Ger. **The great Nompareil, or Nonesuch Daffodil.**

Ex ſingulis bulbis quatuor aut quinque emittit *folia*, pedem aut ſeſquipedem alta, unciam lata, carinata glauca, longiora latioráque in hortulo noſtro quàm aut Bulbocodii vulgaris, aut Hiſpanici.

Caulis elatior, unicum in ſummo *florem* geſtat, duplo ferè ampliorem Pſeudonarciſſi vulgaris flore, magis expanſum, ſex foliis amplis, pallidè luteis cum medio tubo flavo compoſitum. Tubus dimidio brevior eſt quàm Pſeudonarciſſi vulgaris, inferna parte anguſtior, versùs margines continuè latior, oris circumcirca ſinuatis & inæqualibus, minus tamen inciſis quàm illius. Floris tubus à vaſculo ſeminali ad locum ubi exoriuntur folia anguſtus eſt, digitali longitudine ſecus quàm in Bulbocodiis. Stamina in medio flore à ſtylo recedunt.

C. Bauhinus ex hac planta duas ſpecies facit, nimirum Narciſſum maximum pallidum foliis incanis & Narciſſ. latifolium pallidum amplo calice alterum.

Narciſſus omnium maximus flore & calice flavo *Park.* qui flores interdum binos conjunctim ex uno membranaceo folliculo prodeuntes obtinet: item

Narciſſus max. griſeus calice flavo *Park.* non ſunt. ſpecies Narciſſi à reliquis diſtinctæ, ſed varietates duntaxat præcedentis è ſemine natæ, quæ ſatæ denuo ſpeciem ſuam non propagant.

Habemus etiam in hortis noſtris hujus generis Narciſſum floris calice pleno ſeu multiplici: qui

7. *Narciſſus latifolius flavo flore, amplo calice* Cluſ. cur. poſt. *latif. flavo flore amplo calice ſive Matteneſſe* Park. parad. *latif. pallidus, calice amplo & aureo, ſtriato* C. B.

Radix bulboſa, oblongiuſcula: *Folia* tria aut quatuor latiuſcula, ſeſquipedem longa [tantillo breviora & anguſtiora quàm præcedentis] *Caulis* pedalis, ſtriatus, *Floris* petala pallida, ſeu dilutè admodum flava, calix ſemunciam longus, oris valdè fimbriatis, coloris aurei. [Parkinſonus calicem pallidè flavum petalis concolorem facit, & fortè natura in his ludit] Sex breviuſcula *ſtamina* flavis apicibus prædita; medius *ſtylus* ſtaminibus longior. Odor ſatis obſcurus, nonnihil tamen Spinæ appendicis floris odorem referens, qui Aprili & Maio aperitur.

Calice breviore & anguſtiore, nec ità à fundo ad margines ſenſim dilatato, marginibus etiam minùs fimbriatis à præcedente differt, nec tamen ob hæc ſpecie differre concedimus.

8. *Narciſſus montanus albus apophyſibus præditus* Park.

Folia è ſingulis bulbis emittit tria vel quatuor, lata & oblonga, glauca ſeu ex viridi caneſcentia; inter quæ *caulis* exurgit cubitalis, unicum in faſtigio *florem* ſuſtinens amplum, [rariùs binos] ſex petalis albis compoſitum, abſque ulla vel leviſſima flavi tinctura, non admodum latis, quorum tria averſa parte ad exortum ex uno latere apophyſin quandam foliaceam velut auriculam obtinent ſingula; reliqua eâ carent. *Calix* non multo minor Narciſſi incomparabilis minoris calice, ad fundum anguſtus, ad oras ſeu margines latus & peramplus, pulchrè flavus, marginibus interdum ſaturatioribus & velut croco tinctis. Odor floris gratus & valdè ſuavis. *Bulbus* magnus, albus, cortice exteriore pallido potius quàm nigricante. Adnatis rariùs ſe propagat in hortis noſtris, nec ſemen ad maturitatem perducit, ob teneritudinem & frigoris impatientiam.

9. *Narciſſus oblongo calice* Cluſ. *albus oblongo calice luteo ſerotinus major* Park. *albus calice flavo Muſcari odore* C. B.

Cluſ.

Terna habebat [Cluſio] oblonga & ſatis anguſta, carinatáque *folia*, cæſii quodammodo ex viridi coloris; inter quæ prodibat *caulis* pedalis longitudinis aut amplior, lævis, enodis, ſatis gracilis, firmus tamen, ſummo faſtigio folliculum membranaceum ſuſtinens, è quo emergebat unicus *flos* longiuſculus, ſumma parte in ſena folia alba, ſatis ampla & in mucronem deſinentia diviſus, cujus umbilicum occupabat *calix* flavus, ſemunciam longus, oris aliquantulum inciſis, & quodammodo fimbriatis, habens in medio *ſtylum* palleſcentem, ejuſdem cum calice longitudinis, cinctum ſex *ſtaminibus*, flavâ veluti farinâ conſperſis, eorum præſertim apicibus; valdè autem ſuavis erat odoris & Muſcari floris odorem pænè referentis. *Radix* bulbacea, longiuſcula, digitalis craſſitudinis, alba, è multis tunicis conſtabat, quarum exterior ſubfuſca, aliquot craſſioribus fibris albis infima ſede donata.

Cluſius duplicis præterea hujus varietatis meminit:

1. Alter flore præcedenti prorſus ſimili, calicis tamen oris magis croceis. Hunc Parkinſonus *Narciſſum pallidum oblongo calice ſerotinum* vocat, & florem ſumma parte magis flavum ei attribuit, paulò ampliorem, calicis marginibus intenſiùs flavis ſeu croceis.

2. Alteri petala ex albo palleſcebant, aut ὠχρόλευκα erant, calix verò multò latior quàm deſcripto & oras planè croceas habens.

His addit Parkinſonus duas alias varietates:

1. Narciſſum totum pallidum oblongo calice ſerotinum minorem.
2. Narciſſum album oblongo calice flavo ſerotinum, duobus floribus in caule.

10. *Narciſſus albus calice flavo alter* C. B. *Narciſſ. albus oblongo calice præcocior primus* Cluſ. ad. cur. poſt. *albus oblongo calice luteo præcox minor* Park.

Lata & carinata habet folia, non incana ſed viridia, tria vel quatuor, fere qualia Leucoii bulboſi vulgaris, pedem alta. *Caulis* viridis, foliis brevior, unicum in faſtigio *florem* geſtans, mediæ magnitudinis, minorem tamen quàm præcedentis primo loco deſcripti, petalis albidis, ad cremoris ſeu floris lactis colorem accedentibus. Medium florem occupat tubus exactè luteus ſeu flavus, ſemunciâ longior cum ſtylo intermedio, ſex *ſtaminibus* farinâ luteâ conſperſis cincto, interdum longioribus ipſo ſtylo, interdum brevioribus. Odor non ingratus, ſed obſcurior.

Tempus. Extremo Martio & ineunte Aprili floret.

Autores Additamentorum ad Cluſii curas poſteriores duas hujus varietates proponunt;

1. Altera folia habet anguſtiora, non tamen ità anguſta ut juncifolia dici queat: caulis alioqui & floris magnitudo & forma conveniunt cum priori. Floris folia in utrâque hac ſpecie alba ſunt, ità tamen ut pallorem aliquem occulant, quâ notâ præcipuè à ſerotinis ſecernuntur.

2. Tertia à prioribus duabus differt foliis tubum cingentibus non albis ſed planè pallidis, paullo anguſtioribus & acuminatis. Parkinſono Narciſſus pallidus oblongo calice flavo præcox dicitur.

§. 3. *Narciſſus latifolius monanthes brevi calyce.*

11. *Narciſſus medio-purpureus* J. B. Ger. *medio-purpureus ſerotinus* Park. *albus circulo purpureo* C. B.

Radix ei bulboſa & fibroſa, ſapore amaricante *folia* à radice ſtatim exoriuntur caulem tanquam vagina aliquouſque involventia, latitudine ſemunciali, pari cum caule longitudine. *Caulis* ſingularis, ſeſquicubitalis, compreſſus nonnihil, utrinq; acutus, fiſtuloſus; in cujus faſtigio *flos* unicus, amœnus, ſuave-olens, candidus, nutans, pediculo per articulum cauli juncto, vaginâ membraneâ obvoluto, cujus cervix in triquetram ſaturatè virentem floris quaſi baſin deſinit: hinc canaliculata fiſtula explantatur, cui ſena illa floris candidi folia cohærent, ſubrotunda, quorum tria aculeum mollicellum proferunt, totidem alternatim eo deſtituuntur: florem medium obtinet corona fimbriata, ora rubenti, infra quam circulus exalbidus, aliúſq; huic ſubjectus luteus: ſena in fiſtuloſo canali *ſtamina* lutea, tria modicè elata, reliqua tantillum apices proferentia.

Hanc plantam in quibuſdam Galliæ Narbonenſis pratis obſervavit Cluſius ſponte provenientem: *Locus.* J. Bauhinus in Italia. Narbonenſium prata ſtellarum candore ornare dicit Lob. in *Adv*.

Tres hujus ſpecies habentur formâ, colore aut odore nequaquam differentes, ſed florendi tempore: magnitudine etiam nonnihil ſed parum diſſidentes. Majores mediis præcoces & ſeriùs prodeuntes minores ſunt. *Dod.*

Parkinſonus 4. ſpecies proponit, nimirum

1. Narciſſum medio-purpureum præcocem.
2. Narciſſum medio-purpureum ſerotinum: cui folia tribuit quàm præcedenti latiora: *florem* etiam majorem, petalis latioribus & ſibi mutuò contiguis: radicem etiam craſſiorem.
3. Narciſſum medio-purp. maximum: qui omni ſua parte, foliis, floribus, radicibus reliquis major eſt, & cum ſerotinis floret.
4. Narciſſum medio-purpureum ſtellarem: cujus folia quàm præcedentium tantillò anguſtiora ſunt & viridiora: floris petala anguſtiora, nec ſibi invicem contigua, unde & longiora videntur, & ſtellam referunt. Odor huic remiſſior eſt quàm primæ ſpeciei.

Prima ſpecies Martio menſe floret, reliquæ Aprili aut Maio. Secunda ſpecies in Italia, Gallia Narbonenſi atq; etiam Germania ſponte provenit, reliquæ Conſtantinopoli miſſæ ſunt.

Narciſſus albus circulo croceo vel luteo *C. B.* A priore potiſſimum circuli colore differt, ideóque diſtincta ab eo ſpecies non eſt cenſenda.

12. *Narciſſus medio-croceus ſerotinus* Park. *albus circulo croceo minor* C. B. *medio-croceus minor ſerotinus* Ger.

Folia huic minora & breviora quàm præcedentibus: *caulis* etiam humilior: *floris* petala anguſta, ſpatio intermedio relicto à ſe invicem disjuncta, ſtellatim expanſa, nivea, *calice* circum oras croceo colore tincto. Maio floret.

13. *Narciſſus medio-purpureus magno flore folio latiore* J. B. *albus, magno odoro flore, circulo pallido* C. B. *latif.* 7. Cluſ.

Cluſ.

Latiora reliquis *folia* habet, coloris ferè æruginei palleſcentis: inter quæ ſatis latus prodit *caulis*, nudus ut reliquis Narciſſis, paullò infirmior, foris ſtriatus, intùs concavus, ſumma parte ſuſtinens magnum, laxum, membranaceum folliculum, quo dehiſcente exit unicus utplurimum *flos* magnus, odoratus, ſex albis foliis medium *calicem* pallidum cingentibus conſtans, cujus fimbria ex pallido purpuraſcit. Flori ſuccedit ſatis craſſum triangulum *caput*, nigrum *ſemen* continens. Radix craſſior ſuperiore, & cum Narciſſi medio lutei vulgaris radice comparanda, etiam ſoboles ſatis feliciter procreans.

E Stiria allatum aiunt. Seriùs reliquis floret, nempe Maio menſe. Eadem videtur Narciſſo medio- *Locus.* dio-purpureo 3. ſeu maximo *Park.* ſuperius poſito.

14. *Narciſſus niveus odoratus circulo rubello* C. B. *medio-purpureus minor* J. B. *latifolius* 6. Cluſ. *Narciſſus medio-purpureus ſtellaris* Park.

Cluſ.

Huic quaterna aut quina Martio menſe erumpunt *folia*, oblonga, anguſta, inter ea deinde *caulis* nudus, rotundus, intus fungoſus; in cujus ſummo è tenui membrana prodit unicus, nonnunquam & alter, *flos*, ſex niveis foliis ſtellæ modo decuſſatis conſtans, parvum *calicem* pallidum cingentibus, cujus oræ rubellâ fimbriâ exornatæ, ſex in eo inæqualibus *ſtaminulis* flaveſcentibus. Flori ſuaviter odorato ſuccedunt capitula triangula, craſſiuſcula, in quibus nigrum inæquale *ſemen*. *Radix* ut cæteris bulbacea, multis candicantibus tunicis conſtans, extima quæ reliquas ambit fuſca, è cujus ſeſſili parte plurimæ ſubfuſcæ fibræ dependent.

Provenit magno milliari ſupra Gamingam Carthuſianorum monaſterium, pratis quibuſdam altiſſimo lacui vicinis.

Hic flore eſt omnibus partibus minore quàm præcedens, foliolis ejus anguſtioribus & acutioribus: tardiùs etiam florens: eundem eſſe putamus Narciſſo medio-purpureo ſtellari *Park.*

Narciſſus cœruleus ſolo floris colore à Narciſſo medio-croceo differt. *Lob.*

15. *Narciſſus medio-croceus gramineo folio* C. B. *medio-croceus tenuifolius* J.B. Lob. Ad. part. 2.

Lob.

Palmaribus & quinque-uncialibus, tenuibus Hyacinthi Autumnalis foliolis exit, viridibus, bulbo cæteroq; caule dodrantali, & *flore* præcoce medio-croceo Narciſſo non diſſimili, minore tamen.

16. *Narciſſus parvus albus fimbriâ ſuave-rubente* C. B. *parvus ſtellatus albus medio ſuave-rubente vertice.* Lob. Ad. part. 2. J. B.

Nullam hujus deſcriptionem invenio. Lobelius à *N. de Quelt* accepit.

17. *Narciſſus maximus flore cœruleo albicante, fimbriâ croco-aureâ* C. B. *maximus medio-purpureus aut cœruleus latifolius Hiſpanicus* Hort. Eyſt.

§. 4. *Narciſſus latifolius polyanthes ſeu pluribus in eodem caule floribus.*

18. *Narciſſus multos ferens flores medio-luteus Narbonenſis* J. B. *medio-luteus copioſo flore, odore gravi* C. B. *Narbonenſis vulgaris* Park. parad. *medio-luteus polyanthos* Ger.

Cluſ.

Tria aut quatuor producit *folia*, virentia, oblonga, Porri foliis ferè ſimilia: *caulem* concavum, ſtriatum, nudum & ſine foliis, pedem altum, interdum altiorem; in cujus ſummo ſex aut octo pluréſve naſcuntur *flores*, triangulis pediculis inſidentes, & è tenui membranaceo involucro erumpentes, mediocriter amplos, cum gravitate quadam odoratos, ſex foliis conſtantes albis, interdum etiam ὠχρολεύκοις, quorum medium flavus omnino *calix* occupat, ſex brevia *ſtamina* cum ſuis apicibus pallidis continens. Floribus ſuccedunt triangularia *capita*, in quibus *ſemen* nigrum, anguloſum. *Radix* illi ſatis ampla, bulboſa, nigricantibus aliquot tunicis ſepta, fibríſq; multis capillata, intus omnino alba, & ſi præcidatur lentum quendam ſuccum, ut reliqui bulbi, extillans, amara.

Locus. Naſcitur pleriſque Hiſpaniæ quæ Mediterraneo mari objecta eſt locis, & omnibus ferè circa Monſpelium pratis. *Nos in Italia, itinere à Lericio ad Maſſam, & à Maſſa ad Lucam inter ſegetes copioſam obſervavimus Aprili menſe florentem. Circa Monſpelium Martio, & interdum etiam Februario floret.*

Hujus duas præterea ſpecies ſeu varietates proponit Parkinſonus in *Parad.* alterum vocat *Narciſſum Narbonenſem ſive medio-luteum præcocem*; alterum *Narciſ. Narbonenſ. majorem amplo flore:* qui fortè Narciſſus medio-luteus petalis longioribus circulo patulo *Botan. Monſp.*

19. *Narciſſus medio-luteus majoribus floribus* C. B. *Narc. plures ferens flores majores præcocior medio-luteus* J. B. *latifolius Byzantinus medio-luteus* 2. Cluſ.

Cluſ.

Præcedenti ferè ſimilis eſt, ſed paulò præcocior, latioribúſq; *foliis* & amplioribus *floribus*, cui plerumq; nonniſi terni, quaterni aut ad ſummum ſeni ſupremo cauli inſident. Major ei odoris fragrantia quàm ſuperiori.

Locus. Adfertur Conſtantinopoli & in fictilibus colitur, ubi floret Aprili, interdum etiam Martio, ſi veris temperies paulò calidior fuerit.

20. *Narciſſus niveus calice flavo odoris fragrantiſſimi* C. B. *latifolius ſimplex medio-luteus* 3. Cluſ.

Flores huic ſuperiore ampliores, omnino nivei præter medium calicem flavum, odoris fragrantiſſimi, ſepteni & plures ſummo caule ſimul naſcentes. *Folia* carinata nec minùs lata habet quàm qui plenum fert florem & *radicem* craſſiorem.

21. *Narciſſus albus circulo croceo polyanthos* C. B. *mediocroceus ſerotinus cum aliquot floribus* J. B. *mediocroceus polyanthos* Park.

Foliorum latitudo & magnitudo eadem cum magni Narciſſi lutei Hiſpanici, ſed obſcuriùs virent. Maio profert flores, duos, tres, quatuórve, pulchros, magnos ex uno pediculo. *Lob.* Brevis hæc & obſcura deſcriptio nobis non ſatisfacit. Parkinſonus folia cæſia ſeu ex cinereo viridia huic attribuit, Narciſſi Narbonenſis latitudine paria, *floris* calicem ampliorem, luteum, margine croceo cinctum.

Locus. In pratis quibuſdam ad dextram Lani amnis Monſpeliaci, in loco dicto *en gramenet*, elegantiſſimis floribus etiam ſtatim diſtinguitur. *Botan. Monſp.*

22. *Narciſſus Piſanus* Park. *medio-luteus Piſanus plures flores ferens* J. B. *pallidus medio-croceus* C. B.

Park.

Folia habet Narciſſi vulgaris Narbonenſis paria vel majora: *caulem* nonnihil altiorem, *flores* multos, albos ſuſtinentem, valdè pulchros, Narciſſi prædicti ſimiles ſed tantillo majores, *calice* etiam medio-luteo, ampliore & rotundiore.

A. 23. *Narciſſus medio-luteus vulgaris* Park. *medio-luteus* Ger. *pallidus circulo luteo* C. B. *Nar. albidus medio-luteus cum aliquot floribus* J. B. **Common pale Daffodill, or Primroſe peerleſs.**

Bulbus huic ſatis craſſus & ſubrotundus, multis tunicis compoſitus, plurimis fibris albis è baſi exeuntibus. *Folia* dodrantalia, interdum cubitalia & longiora, vix digitum lata, mucrone non admodum acuto, è viridi glauca, quatuor ferè, caulem aliquouſq; amplectentia. *Caules* inanes, ſtriati, non exactè rotundi, ſed aliquantulum compreſſi in geminam aciem, pari cum foliis altitudine, aut paulo humiliores, è membranaceo folliculo duos aut tres flores promentes [interdum unicum] amplos, ſex foliis latis, obtuſis ὠχρολεύκοις compoſitos, cum vehementia quadam odoratos, corollâ ſeu calyce in medio humili, pallidè flavo, fimbriato, cui inſunt ſtamina perbrevia cum apicibus pallidis.

Floret circa finem Aprilis, aut ſeriùs citiúſve pro anni temperatura. In Anglia ſponte provenire creditur, & nos quidem extra hortos florentem aliquoties obſervavimus, verùm hortorum rejectamentis originem ſuam debuiſſe ſuſpicamur, non tamen negamus eum alicubi ſponte naſci. *Tempus & Locus.*

Matronæ noſtrates *Primulam veris incomparabilem* hunc vocant, ob colorem floris non diſſimilem *Primulæ veris.*

Hanc ſpeciem eſſe puto quam Cluſius majorem appellat, amplis foliis, & in eodem caule binos utplurimùm, interdum ternos & quaternos flores magnos ſuſtinentem, ſex foliis albis conſtantes, & calicem pallidum cingentes, odoratos; quam in Anglia ſponte naſci à viris fide dignis ſe intellexiſſe ſcribit: quem C. Bauhinus Narciſſum totum album I. facit, & Narciſſum album majorem odoratum appellat. Verum Cluſius calicem non album, ſed pallidum ei attribuit.

Hic etiam Narciſſus flore ſulphureo medio-luteus, odore gravi *Botan. Monſp.* videtur.

24. *Narciſſus pallido flore medio-aureus ſive* 5. Cluſ. *pallidus circulo aureo alter* C. B.

Cluſ.

Hujus bulbus ſatis craſſus eſt, externo cortice ſpadicei coloris præditus. Folia Cluſio protulit Januario, quatuor, lata & quodammodo carinata, viridia, cubitalis longitudinis, inter quæ caulis prodiit cubitalis aut altior, deinde duorum cubitorum altitudinem ſuperans, (quam in reliquis Narciſſorum generibus obſervare non meminit autor) viridis, ſtriatus, intus cavus, ſummo faſtigio ſuſtinens membranaceum quoddam involucrum, è quo exibant ſuis petiolis innitentes *flores*, quinq;, ſex, ſeptem, aut plures, coloris flavi, nonnihil quidem palleſcentis, floridi tamen, quorum medius *calix* aureus, ſuavis valdè odoris.

Martii initio florebat.

25. *Narciſſi pallidi medio-aurei varietas, ſeu Narc. ſulphurei coloris minor* Cluſ. ad. cur. poſt. *Narc. pallidus medio-aureus* C. B. *Narc. ſulphureus minor* Park. parad.

Cluſ.

Folia habet qualia vulgaris Narciſſus medio-luteus, latiuſcula, pedalia feré: *Caulis* altior, ex unica vagina ſeu membranaceo folliculo profert tres plerunq;, ſed interdum plures *flores*, illis qui ſimilis ferè generis Piſâ Italiæ aut Byzantio tranſmiſſi ſunt, itémq; vulgatiorum juncifoliorum floribus non majores, ſed collo breviori, ſex foliorum valdè pallidorum ſeu ſulphureorum texturâ conſtantes cingentium coronam longiuſculam, ſed patulam, nec tubi aut calicis formâ præditam, croceam ſeu auream, cum apicibus plurimis quaſi farinâ conſperſis. Odor non ingratus.

E montibus Pyrenæis erutus eſt. *Locus.*

26. *Narciſſus præcox ſulphurei coloris majuſculus* Cluſ. ad. cur. poſt. *Narc. anguſtif. pallidus calice flavo* C. B. *ſulphureus major* Park. parad.

Cluſ.

Folia habet ſeſquipedalia, viridia, non incana, anguſta pro longitudine: inter quæ emergit *caulis* brevior ipſis foliis, ſed tamen pluſquam pedalis, plures ex uno folliculo *flores* protrudens, ſex foliis pallidis, ac propriè ſulphurei coloris conſtantes, intermedio *calice* prorſus flavo, brevi, ſed tamen tubiformi, cum *ſtylo* breviculo & parvo intermedio, tribus tantùm *apicibus* cincto. Odor gratus.

His addit C. Bauhinus ex Horto Eyſtettenſi

Narciſſum Orientalem calice rotundo aureo-luteo.

27. *Narciſſus albidus polyanthos calice amplo luteo. An Narciſſus ſulphureus major* Park? *An Narc. orientalis albus calice luteo, campanulæ ſimili maximus* C. B?

Folia huic ab unico bulbo quatuor exeunt, dodrantalia, pedalia & altiora, interna parte concava, glauca quidem, minùs tamen quàm Bulbocodii Hiſpanici, longiora latioráq; quàm illius. *Caulis* pedalis aut ſeſquipedalis, firmus, craſſior quàm Bulbocodii Hiſpanici, *flores* in ſummitate è vagina membranacea plures promens, [in hortulo noſtro tres tantùm primo poſtquam ſatus fuerat anno] albos cum pallore quodam, non prorſus niveos, *calice* in medio flavo, triplo quàm in Narciſſo medio-croceo elatiore ſeu longiore, circa margines ſinuato.

Hujus ut & ſequentis flores jucundum odorem ſpirant.

28. *Narciſſus albidus polyanthos calice amplo luteo minor. An Narciſ. orient. albus calice luteo minor* C. B? *an Medius* ejuſdem?

Hic præcedenti per omnia ſimilis eſt, ſed multo minor. *Folia* anguſtiora habet & viridiora, quatuor ab eodem bulbo. *Caulem* minorem & infirmiorem, *flores* in ſummitate geſtantem albidos, cum calice flavo, dimidio ferè minore, brevioréque quàm præcedentis.

29. *Narciſſus luteus polyanthos Africanus* C. B. *Africanus aureus major* Park. *Africanus flavus polyanthos* Addit. ad Cluſ. cur. poſt.

Folia habet lata valdè, bipedalia aut pede altiora, non adeò cana; inter quæ latet *caulis* brevior, craſſus, rotundus, firmus, ex uno membranaceo folliculo *flores* producens duodecim aut plures, quorum ſinguli majores ſunt quàm reliquorum Narciſſorum qui plures ſimul unico cauli innaſcentes flores producunt, & paullò minores vulgaribus medio-luteis aut medio-purpureis Narciſſis, prorſus flavi & ſplendentis lutei coloris, è quorum medio exſilit *calix* longus, ſeu tubus patulus, magis flavus quàm ipſa folia, minor tubo Narciſſi juncifolii 1. *Cluſ.* major autem illo calice qui in Narciſſo pallido medio-aureo conſpicitur, admodum grati odoris minimè crenatis & inciſis marginibus, ſed præſectis quodammodo & æqualibus planè oris: in cujus medio *apices* ſex lutei formâ quaſi conſperſi, non conſpicuo ſtylo ſeu piſtillo.

Tempus. Extremo Martio & ineunte Aprili floret.

Parkinſonus Narciſſi Africani aurei minoris meminit, qui non alia fere in re quàm omnium ſuarum partium parvitate & pallidiore floris colore à præcedente differt.

30. *Narciſſus luteus polyanthos Luſitanicus* C. B. *Narciſſus Ægyptius* J. B. *Narciſſus d' Argiers aut Ægyptius* Lob. Ad. part. 2.

Lob.

Bulbo eſt Narciſſi mediolutei Narbonenſis pari & ſimili, ſed externis involucris nigrioribus. *Flores, caulis, folia,* Narciſſo Piſano ſimilia; ſed flores variant, aliis minoribus, rotundioribus & veluti decurtatis: aliis verò unà pluribus & longioribus.

Locus. In Luſitania erutus eſt propè *D. Uve.*

31. *Narciſſus luteus Conſtantinopolitanus* C. B. *latifolius flore prorſus flavo ſive* 4. Zerincada catamer *nomine allatus* Cluſ.

Cluſ.

Folia huic proximè deſcripto [latifolio niveo 3. *Cluſ.*] ſimilia. *Flos* variat, nam vel totus flavus eſt, vel omnino pallet, præter calicem, qui in hoc planè aureus eſt. *Semen* in trigonis capitibus Narciſſinum, inæquale, nigrum. *Radix* tunicis ſpadicei coloris tecta.

Locus. Byzantio allatus eſt.

32. *Narciſſus anguſtifolius totus luteus* C. B. *totus luteus, ſemper florens Caccini* Cluſ. ad. cur. poſt. *anguſtifolius luteus ſemper florens Caccini* Park.

Folia habet anguſta, pedem aut circiter longa, coloris obſcurè virentis, & aliquo modo carinata, media quodammodo inter folia Pſeudonarciſſi Hiſpanici & vulgatioris medio-purpurei Narciſſi, ſaltem latiora quàm ut juncifoliis accenſeri debeant: ideóque anguſtifolius Narciſſus vocari non incommodè poterit. Inter hæc folia, quæ ſatis numeroſa ex una radice prodeunt, *caules* aliquot aſſurgunt, ſinguli duos aut tres flores proferentes [imò multò plures uſque ad quindenos] parvos, luteos, mediâ coronâ ſeu *calice* brevi, prorſus flavi coloris, odoris obſcuri: quódque mirum eſt ſæpiùs in anno flores profert, itâ ut nunquam deſinat florere, quin & ex adnatis ſuis bulbis, quos eodem quo terræ commiſſa eſt anno plures habere ſolet, illo ipſo anno alios caules & flores profert.

Locus. E Florentia miſſus eſt.

33. *Narciſſus anguſtifolius albus minor* C. B. prod.

C. B. prod.

Ex *radice* bulboſa tunicâ ſubnigrâ tecta & paucis fibris capillatâ *folia* bina vel terna oblonga, anguſta, porracea exurgunt: inter quæ *cauliculus* palmaris, cujus ſummo bini *flores* parvi, albi, *calice* oblongo, anguſto donati inſident.

Locus. In ſterilibus collibus circa montem Lupi & in monte Cetio Aprili menſe cum flore invenit *D. Magnol.*

34. *Narciſſus totus albus major* C. B. *latifolius ſimplici flore prorſus albo* 1. Cluſ. *Narciſſus cum pluribus floribus totus albus major* J. B. *totus albus* Ger.

Cluſ.

Folia habet terna aut quaterna, viridiora paullò quàm Narciſſi mediolutei nivei, longiora & anguſtiora, è quorum medio exilit *caulis* latiuſculus, anguloſus tamen & concavus, cui inſident ſeni, ſepteni, interdum deni *flores*, prioribus ſimiles, ſed oblongiores paullò, & omnino nivei, quorum videlicet calix ille medius, qui in * prædicto flavus etiam albus eſt: odor illius ſimilis, ſimilis etiam *radix*. Illius neque capita, neque ſemen obſervare potuit Cluſius, cum Januario extremo naſcentem pingui ſolo nonnullis Luſitaniæ & Bæticæ locis, & uliginoſis, multâque adhuc aquâ ſtagnantibus eum florentem obſervabat, tum etiam Februarii initio in ſumma Calpe.

* Narc. mediluteo Narbon.

35. *Narciſſus totus albus minor* C. B. *foliis candicantibus cum pluribus floribus, totus albus minor* J. B. *Narc. latif. niveus alter* Cluſ.

Cluſ.

Superiore minor eſt, firmioribus magiſque candicantibus *foliis*, qualia ferè in Narciſſo marino Pancratio dicto, *caule* breviore, & duos, tres aut quatuor duntaxat flores proferente.

Reliquis Narciſſis ſeriùs, h. e. Maio menſe floret.

36. *Narciſſus niveus* C. B. *niveus latifolius Byzantinus* J. B. *latifolius niveus* 3. Cluſ.

Cluſ.

Folia primo generi ſimilia profert; *Caulem* inter folia pedalem, qui ternos & quaternos *flores* gerit, ejuſdem cum ſuperiore magnitudinis, nivei prorſus coloris, id eſt, calice etiam niveo, è quibus emergunt ſena *ſtamina*, terna aliis longiora, flava.

Hic Byzantio allatus eſt. *Locus.*

Alius præterea adeò illi in omnibus ſimilis, ut vix quiſpiam diſcernere potuiſſet, niſi differentiam feciſſent *flores* illo minores & frequentiores in ſummo caule naſcentes, odorem & fragrantiam Jaſmini referentes: Hujus ſemen in trigonis capitulis incluſum, nigrum, inæquale. Utriuſque *radix* minor paullò priore, & nigris tunicis ſepta.

Maio menſe floret. *Tempus.*

His addit C. Bauhinus, 1. Narciſſum Orientalem majorem album, i. e. Narciſ. Orient. major. totum album polyanthem. *Eyſt.*

2. Narciſſum Orient. medium album, i. e. Narc. Orient. medium totum album polyanthem *Eyſt.* qui à priore ſola magnitudine differt. Eſt autem prior latifolius, floribus copioſis albis peramplis, odoratis, tribus ſtaminibus luteis brevibus donatis.

3. Narciſſum Orient. album odoratum, calice ſtellato *Eyſt.*

4. Narciſſum album maximum, calyce luteo brevi *Hort. Eyſt.*

5. Narc. latifolium ſulphureum vel album brevi calyce *C. B.*

§. 5. *Narciſſus juncifolius.*

1. *Narciſſus juncifolius præcox* Ger. *juncifolius flore luteo* J. B. *Narc. juncifolius* 2. Cluſ. *juncifolius oblongo calice luteus major* C. B.

Radice eſt bulboſa, tunicata, tunica ſeu membrana exteriore nigra aut fuſca, plurimis fibris ex ima ſede ſeu baſi prodeuntibus ſtipatâ. *Folia* ex eodem bulbo plerunque duo, pedalis longitudinis, anguſta, tenuitate & virore junceo, interiore tamen ſeu ſupina ſuperficie nonnihil concava, inter quæ *caulis* exurgit teres, nudus, tenuis, paris ferè altitudinis cum foliis, in cacumine è thecula membranacea tres aut quatuor *flores* promens, penitus flavos, è longo & anguſto tubo in ſex folia expanſos, cum parvo & breviuſculo in medio calice circum oras ſinuato, tria intus ſtaminula, cacuminula flava geſtantia continente. His (inquit Cluſius) ſuccedunt triangula *capita*, obtuſis angulis ut reliquorum Narciſſorum, nigro & anguloſo ſemine plena, minore tamen quam aliorum.

Aprili menſe floret. Sponte naſcitur in montanis pratis non procul Toleto & circa Guadalupe. *Tempus & Locus.*

Cluſ.

Cluſio in Hiſt. Narciſſus X. qui anguſtifolius II. & juncifolius I. dicitur.

Narciſſus juncifolius flore rotundæ circinitatis roſeo *Lob.* huc refertur; à C. Bauhino pro diverſa ſpecie proponitur titulo Narciſſi juncifolii flore rotundo roſeo.

2. *Narciſſus juncifolius minor* Cluſ. hiſt. *juncifolius luteus minor* C. B. *juncifolius flore luteo* J. B. *juncifolius ſerotinus* Ger.

Cluſ.

Hoc præcedente minus eſt, gracilioribus, rotundioribus frequentioribúſque *foliis*; *cauliculis* è medio prodeuntibus puſillis, unicum plerunque aut alterum *florem* duntaxat ſuſtinentibus, flavum & odoratum ut alterius, ſed foliis conſtantem firmioribus & magis odoratis.

Uliginoſis inter Hiſpalim & Gades locis cum ipſo flore Januario menſe eruit Cluſius: In hortis noſtris nonniſi Aprili aut Maio floret. *Locus & Tempus.*

3. *Narciſſus juncifolius flore luteo variegato* C. B. *juncif. luteus albicantibus lineis diſtinctus* Park. *juncif. lut. albicantibus lineis diſtinctus, brevi calice* Swer.

Park.

Folia habet teretia, viridia, oblonga, Juncifolii Narciſſi vulgaris ſimilia; *caulem* duos tréſve *flores* ſuſtinentem luteos, petalis extremo ſubrotundis, lineâ albâ per uniuſcujuſque medium decurrente variegatis, *calice* brevi, corollæ ſimili, oris nonnihil criſpis ſeu ſinuatis, cætera à præcedente non differt.

4. *Narciſſus juncifolius flore pallido reflexo, juncifolius minor flore pallido* J. B.

Huic in hortulo noſtro *folium* è bulbo unicum exibat palmare. Non tamen dubito quin plantæ vegetiores ſolo læto plura & majora producant. *Caulis* palmaris firmus, teres, viridis è folliculo membranaceo binos protulit *flores*, pediculis longis pendulos. Floris *tubus* à vaſculo ſeminali cui inſidet anguſtus ad florem uſque digitum aut amplius longus. *Calix* floris medius ſemidigitalis ferè, campaniformis, marginibus æqualibus, nonnihil ſinuatis, cum *ſtylo* in medio paris longitudinis, quem circumſtant *ſtamina* breviora. Floris folia reflexa ſunt. Totus autem flos tam folia quàm calix pallidè lutea ſunt, ejuſdem ſci. coloris cum foliis tubum circumdantibus in flore Bulbocodii vulgaris.

5. *Narciſſus juncifolius Autumnalis flore viridi* Park.

Park.

Folium unicum duntaxat promit, prælongum, teres, viride, ſaltem in omnibus quas Deſcriptionis autori videre contigit plantis, quo tandem marceſcente & evanido emergit *cauliculus*, folio prædicto ſimilis, teres, nudus, viridis, ſumma parte *flores* tres quatuórve ſuſtinens ex involucro tenui membranaceo erumpentes, petalis ſex anguſtis, in mucronem acutiſſimum & veluti ſpinulam deſinentibus, cum calice in medio rotundo parvo compoſitos. Floris totius tum calicis medii, tum petalorum ambientium color viridis, odor ſuavis admodum, reliquorum hujus generis ſimilis. Florem non ante menſem Octobrem explicat, qui pruinis brevi ſupervenientibus non ità multo poſt apud nos corrumpitur. Planta eſt tenera, nec hyemes noſtras facilè tolerat.

Locus. E Barbaria Africa delatus eſt.

6. *Narciſſus juncifolius flavus amplo calice* J. B. *juncifol.* 1. *amplo calice* Cluſ. *anguſtifolius flavus magno calice* C. B. *anguſtif. ſive juncif. maximus amplo calice* Park. parad. *juncifol. amplo calice* Ger. emac.

Cluſ.

Bina aut terna huic ſunt *folia*, pedalis aut majoris longitudinis, craſſa & ſucculenta, carinata & viridi colore prædita, proximè ad Juncifolii Narciſſi foliorum viriditatem accedente. Prodit inter folia *caulis* gracilis inſtar ejus qui ſubſequitur, firmus, pedalis longitudinis, qui ſummo faſtigio ex membranaceo folliculo binos aut ternos *flores* promit, valdè elegantes, majores & laxiores quàm reliquorum Narciſſorum junceo folio, ſex præditos foliis flavis, quorum medium occupat *calix* major quàm in ullo Narciſſorum genere, ſemunciam namque longus & per oras veluti ſinuoſus, paullò ſaturatioris lutei coloris, continens brevia ſex *ſtamina* flava, apicibus aureis prædita, & *ſtylum* flavum, extrema parte craſſiorem. Odoratus eſt is flos perinde ac Narciſſi juncifolii flores. *Radicem* habet Narciſſi ſequentis bulbo æqualem.

Locus & Tempus. E montibus D. Jacobo Gallæciæ vicinis à Nic. le Quelt ad Lobelium devectus eſt. Aprili menſe floret.

C. Bauhinus hanc plantam Narciſſis juncifoliis non acenſet, verùm Narciſſis totis luteis quos vocat.

7. *Narciſſus juncifolius minor* Cluſ. *minor flore pallido* J. B. *juncifolius flore pallidiore, calice flavo* C. B.

Cluſ.

Ex bulbo aliorum Narciſſorum junceo folio bulbo non diſſimili, valdè tamen puſillo, quinque aut ſex *folia*, producit, anguſta quidem illa & juncea, aliquantulum tamen planiora, dodrantem aut pedem longa, nonnihil procumbentia, viridia: inter quæ prodit unus aut alter *cauliculus*, gracilis, nudus, viridis, pedalis longitudinis, ſummo faſtigio geſtans folliculum membranaceum inſtar aliorum Narciſſorum, è quo exiliebat unus aut alter *flos*, longo pediculo innixus, formâ Juncifolii vulgaris floribus ſimilis, ſed paullò minor, ſex foliis pallidioribus conſtans, cum medio *calice* flavo, majore aliquantulum, & majus patente quàm in illius flore; è cujus umbilico pallidula breviáque ſtamina emergunt, medio ſtylo prominente. Odoratus quidem eſt flos, paullò tamen gravior eſt ejus odor quàm vulgaris Juncifolii.

Locus. Sponte naſcitur in illa Galliæ parte quæ vulgo *Rovergne* appellatur. Aprili floret.

Cluſio deſcribitur in Appendice ad Hiſtor. plantarum rariorum.

8. *Narciſſus juncifolius totus albus* C. B. *juncif. flore albo alter* Cluſ. App. alt. auct. *juncifolius albus* Park.

Cluſ.

Hujus multò longiora ſunt *folia* quàm Narciſſi juncif. flore albo reflexo, & viridia; *caulis* etiam longior, ſummo faſtigio ſuſtinens binos aut ternos *flores*, diverſæ tamen ab eo formæ: nam Narciſſi juncifolii minoris floribus valdè ſimiles ſunt; horum tamen color albus, tam ipſius calicis quàm ſex foliorum illum ambientium. *Radix* non valdè magna eſt, longiuſcula, membranâ eam cingente prorſus fuſcâ.

Locus. Floret Aprili: è Pyrenæis autem montibus erutus eſt.

Narciſſi juncif. albi *Park.* folia magis ad cæſium tendebant, pænè ut foliorum Pſeudonarciſſi, quales erant plantæ à Venerio ad Cluſium miſſæ.

Parkinſonus aliam adhuc hujus varietatem proponit calice majore, cætera ſimilem.

9. *Narciſſus albus Autumnalis minimus* C. B. *ſerotinus ſive Autumnalis minimus* Cluſ. *Autumnalis minor* Ger.

Cluſ.

Unicum *cauliculum* digitalis longitudinis, gracilem, vacuum habet hic Narciſſus, in cujus ſummo florem Narciſſinum, odoratum, ſex foliolis albis conſtantem, & in medio exiguum *calicem* flavum continentem: *Folia* ſuccedit exile, trigonum *caput*, exiguum, nigrum, anguloſúmque *ſemen* continens. *Radix* Narciſſo juncifolio valdè ſimilis, minor tamen, multis candidis tunicis, lentóque ſucco prægnantibus conſtans, ſed nigrâ quâdam membranâ tecta. Tota planta amara eſt.

Locus. Naſcitur plurimus ad Anam flumen in Turdulis, ubi florentem, & ſuis capitulis jam matureſcere incipientibus eruebam ſub Octobris finem, nullis è bulbo natis foliis, nec ulla eorum veſtigia obſervans.

10. *Narciſſus montanus juncifol. calice flavo* C. B. *Pſeudonarciſſus juncifolius primus* Cluſ. *juncifolius montanus minimus* Ger. emac.

Cluſ.

Folia huic valdè anguſta, ſive potiùs juncea; *caulis* tenuis, nudus, palmum altus, cujus extremitati inſidet *flos* è vaginula emergens, qui ſex foliis ex herbido palleſcentibus & expanſis conſtat, quorum medium *calix* flavus, calathi inſtar oblongus, oris præditus non ſinuoſis & fimbriatis ut ſuperiorum ſed æqualibus: *radix* exiguo Narciſſo ſimilis, intus candida, foris nigricans.

Naſcitur quibuſdam Luſitaniæ Bæturiæque collibus, ubi Januario florentem invenit Cluſius. *Locus.*

Parkinſonus trium adhuc ſpecierum ſeu varietatum Narciſſi juncifolii flore reflexo meminit, nimirum,

1. *Narciſſi juncifolii flore luteo reflexo foliis* majoribus & longioribus quàm Narciſ. juncif. flore albo reflexo; *caule* tantillo elatiore *flores* duo tréſve, totos aureos ſuſtinente.

2. *Narciſ. juncif. calice albo, reflexis foliis luteis, caule* pedali, viridi, duos, tréſve *flores* ſuſtinente petalis pallidè luteis, calice pallidè albo.

3. *Narciſ. juncif. calice luteo, reflexis foliis albidis.*

11. *Narciſſus montanus alter flore fimbriato* C. B. *Pſeudonarciſſus juncif. II. flavo flore* Cluſ. *montanus juncif. flore fimbriato* Ger. emac.

Cluſ.

Tenuiora paullò quàm præcedens, licet ſurrecta habet *folia*; florem flavum, hoc eſt, *calicem* per oras leviter & tenuiter fimbriatum, & ſex illa foliola calicem ambientia ex herbido palleſcentia: in *capitulo* flori ſuccedente nigrum rotundiuſculum *ſemen* profert. *Radix* puſilla, foris nigricans, bulbacea, tenuibus fibris è ſede prodeuntibus firmata.

12. *Narciſſus montanus albus minimus* C. B. *Pſeudonarciſſus juncif. tertius* Cluſ. *omnium minimus montanus albus* Ger. emac.

Cluſ.

Quaterna aut quina *folia* protulit [Cluſio] tenuiſſima & capillaria, viridia, humi procumbentia & ſparſa: inter quæ *cauliculus* emerſit infirmus, palmaris, tenuis, nudus, unicum in ſummo florem è membranaceo folliculo prodeuntem ſuſtinens tenellum, candidum omnino & calicis oris fimbriatis. Semen non potuit obſervare Cluſius. *Radix* ſuperiori ſimilis.

Hujus & ſuperioris radices è Cantabrorum jugis erutæ fuere. *Locus.*

13. *Narciſſus anguſtifolius albus, calice oblongo floréque reflexo* C. B. *juncifolius albo flore reflexo* Cluſ. app. alt. auct. *juncifolius flore albo reflexo* Park. *juncifolius reflexus flore albo* Ger. emac.

Cluſ.

E *radice* bulboſa, nucis Ponticæ magnitudine, candida, fuſcâ membranâ obducta, cujus ſedem plurimæ tenues albæ fibræ occupabant, quaterna aut quina exiliebant folia, dodrantem longa, anguſta & pænè juncea, aliquantulum ſtriata, & ſupina parte nonnihil carinata, viridia; inter quæ prodibat dodrantalis *caulis*, viridis, lævis, non valdè craſſus, ſummo faſtigio ſuſtinens in membranaceo involucro binos, ternos, interdum quaternos oblongos *flores*, nivei quidem candoris, ſed odoris expertes, deorſum propendentes & nutantes, ſex longiuſculis & ſatis anguſtis foliis conſtantes, ſurſum reflexis florum Cyclamini inſtar; è quorum umbilico prominebat *calix*, ſemunciam longus, vel etiam longior, inæqualibus oris, continens tria *ſtaminula* alba, quorum *apices* flaveſcentes, & tenuem longum *ſtylum*, calicis oras multùm ſuperantem. Succedebant triangulares *ſiliquæ* ſive thecæ, exiguo orbiculari, nigróque & ſplendente *ſemine* plenæ.

Florebat Aprili. Nicolaus le Quelt ex Hiſpaniis aut Pyrenæis montibus attulit. *Locus.*

14. *Narciſſus Autumnalis albus* C. B. *junceis foliis albus Autumnalis, medio obſoletus* Swertii.

15. *Pſeudo-narciſſus gramineo folio, ſive Leuco-narciſſus æſtivus* C. B. prod.

Ex *radice* oblongum, anguſtum bulbum imitante, exiguis capillaceis fibris prædita, membranâ fuſcâ tecta *folia* bina croceis æmula oblonga exurgunt, quæ ſæpe cauliculum ſuperant, qui nudus tenuis, trium, quatuor, quandoque quinque unciarum, qui foliolis ternis, quaternis breviſſimis cinctus florem unum ſtellatum, intrinſecus albicantem, extrinſecus venis purpuraſcentibus variegatum, ex foliolis ſex compoſitum, ſuſtinet, in cujus medio caliculus breviſſimus in ſtylum abiens, quem *ſtaminula* apicibus candidis donata cingunt, cui capitulum triquetrum ſemen continens ſuccedit.

In Alpibus Helvetiorum & Rhætorum, ut monte Spligel & ad Thermas fabarias Julio menſe floret. *Locus.*

16. *Narciſſus montanus coronatus* C. B. *Bulbocodium minimum coronato* J. B. *Narciſſus juncifolius reflexus minor* Ger. emac. *An Pſeudo-narciſſi genus admodum exile Hiſpaniâ miſſum per Regis Hiſpaniæ hortulanum* Cluſ. Pan?

CAP.

CAP. III.

De Lilio-narciſſo.

Lilio-narciſſum dicimus hanc plantam, quia flore Lilium refert radice narciſſum. Flores autem è membraneo involucro Narciſſinorum modo exeunt, unde ad Narciſſum propiùs quàm ad Lilium accedit, & ſecunda ſpecies, ſi rectè deſcripta ſit, vera & genuina Narciſſi ſpecies videtur.

1. *Narciſſus maritimus* C. B. *marinus* Cluſ. hiſt. app. alt. *Pſeudonarciſſus marinus albus, Pancratium vulgo* Park. parad. *Pancratium marinum* Ger. *Monſpeſſulanum, multis Scilla alba parva* J. B.

J. B.

Radice nititur bulboſa, minore quàm Scillæ vulgaris ruffæ; Lobelio Adverſ. cum maxima eſt quanta maximi Lilii, aut Arantii vel Limonii, oblongâ, fibris donata, cortice Cepæ obtectâ pullo, intus candidâ, tunicis veſtitâ cepaceis, pellucidis, leniter ſtriatis, aliquot detractis candidiſſimis, etiam in meditullio ſatis craſſis, minùs tamen quàm Scillæ dictæ, albis, viſcidis, lento humore plenis, ſine acrimonia amaris. *Folia* ſeptena vel octona, Porraceis ſimilia, cubitalia, pollicem circiter lata, coloris glauci, in obtuſum mucronem deſinentia, [planiora & firmiora quàm Narciſſina *Cluſ.*] Inter hæc *caulis* attollitur, parùm foliis longior, craſſitie Aſphodeli, tenerior, nudus, enodis, qui è faſtigii folliculo membranaceo flores quinos, ſenos & interdum plures profert, magnos, Pſeudonarciſſo vulgari ſimiles, uncias tres vel quatuor longos, albos, præter externorum ſex foliorum nervum & extremos mucrones, qui viridi colore nonnihil aſperſi videntur. E medio oblongo protuberante *calice*, per oras laciniato exeunt candida ſex oblonga *ſtamina*, ſuis *apicibus* flavis ornata, & medio longo *ſtylo*, ut Lilio albo ferè, quibus ſuccedunt *pericarpia* aliquot trigona maxima plena *ſemine* nigro, magno, lato, compreſſo, fungoſo.

Locus. In maritimis circa Valentiam Hiſpaniæ frequens, ut toto illo maritimo tractu infra Monſpelium, ubi Maio menſe florentem, Julióque & Auguſto ſemen maturum ferentem obſervavit Cluſius. Nos in litoribus arenoſis propè Neapolin florentem invenimus Junio & Julio, necnon in Sicilia.

Mutato natali ſolò nunquam aut rariſſimè florere ſolet, cùm viz. concepto jam in ipſo bulbo flore eruitur & transfertur.

Variat flos colore; (ut aiunt) apud Monſpelienſes eſt albo, eſt ſubluteo, & eſt palleſcente, apud Italos rubro & purpureo quandoque punicante *C. B.* Cluſio alterius coloris flores videre non contigit quàm albi, uti nec Parkinſono.

2. *Narciſſus Illyricus Liliaceus* C. B. *marinus ſive 3. Matthioli* Park. *Narciſſus tertius Matthioli* Ger. emac. *Pancratii Monſpeliani vel Hemerocallidis Valentinæ facie Lilio-narciſſus, vel Narciſſus 3. Matthioli* J. B.

Radix hujus Narciſſi, ſi in eodem loco per multos annos quieſcere permittatur, nec aliò transferatur, in magnitudinem Scillæ mediocris æmulam, reliquorum cujuſcunque generis Narciſſorum bulbos longè ſuperantem excreſcit, tunicis aliquot nigricantibus exterius obtecta, multis ex ima ſede exeuntibus fibris longis, craſſis, variè ramoſis, aliis propè terræ ſuperficiem diffuſis, aliis deorſum tendentibus, quæ non, ut in reliquis ferè omnibus Narciſſis, quotannis marceſcunt & intereunt novis ſubnaſcentibus, ſed perpetuo durant, unde planta hæc non amat transferri, ſed in eodem (ut diximus) loco perſiſtere ſinenda eſt, ſi velis ut floreat & vigeat. *Folia* emittit ſex, ſeptem, aut plura, duplo latiora quam Narciſſina reliqua, pro latitudine tamen brevia, ut quæ dimidiam longitudinem nonnullorum Narciſſorum vix attingunt, ex viridi cæſia aut caneſcentia. Ex horum medio & interdum etiam ad eorundem latera emergunt *caules* nunc ſinguli, ſæpiùs plures, pedales aut altiores in cacumine ſuſtinentes octo, decem, duodecim, aut plures *flores*, è membranaceo folliculo egreſſos, ſex petalis albis expanſis compoſitos, cum brevi in medio calice ſeu corolla, in ſex partes ſeu ſegmenta diviſâ, & unoquoq; ſegmento in tres denuò lacinias, [in univerſum octodecim] in petala ſupradicta reſupina. Ex ſingulis hujuſce calicis ſegmentorum angulis ſingula exeunt *ſtamina* alba longa, extremitate ſurſum reflexa aut incurva, apices luteos geſtantia, è medio flore *ſtylus* albus. Flori delapſo ſuccedunt *capitula* trigona, ſemine magno, nigro, rotundo, aliorum Narciſſorum ſimili repleta. Floris odor ſuavis, minùs vehemens.

Planta hujus generis Parkinſono à ſemine orta, non ante decimum quartum à ſatione annum flores produxit.

Locus. In Illyrico ſponte naſci dicitur, ínque altiſſimis Sardiniæ inſulæ montibus, & in locis etiam maritimis, quâ ratione Narciſſus hic vel maritimus, vel montanus nuncupari poſſet.

Nos hanc ſpeciem obſervaſſe putamus in maritimis Siciliæ arenoſis, ut à bulbi magnitudine conjectabamur, nam florem non vidimus.

3. *Narciſſus marinus exoticus* Park.

Park.

Quinque aut ſex *folia* larga longáq; emittit, pallidè viridia; inter quæ *caulis* exurgit firmus & ſatis craſſus, ſummo faſtigio plurimos ſuſtinens *flores*, è folliculo membranoſo tenui erumpentes, peramplos, ſex longis & acuminatis foliis, pallidè purpuraſcentibus compoſitos, cum *calice* in medio amplo, rotundo, patulo, colore ſaturatiore quàm folia prædito. *Radix* prægrandis, reliquorum tamen Narciſſorum ſimilis, tunicis exterioribus leucophæis aut nigricantibus.

Locus hujus natalis ignoratur.

4. *Narciſſus Indicus Autumnalis* C. B. *Pancratium Indicum aut Narciſſus Indicus Autumnalis quorundam Lobelii* Park. *Pancratium aut Narciſſus Indicus maximus autumnalis quorundam non amarus, albus* J. B.

Lob.

Radice eſt ſpithamam longâ, brachialis craſſitudinis, multis Cepaceis ſubalbidis tunicis ſquamoſâ, extimiſq; cuticulis ex ruffo ſubfuſcis aut Caſtaneæ diluti coloris: ſeſſili parte majore mediocrem pugnum æquante: numeroſis, carnoſis, habitioribus fibris, Pancratii aut Scillæ inſtar, quaſi trunco aut nodo collectis & appenſis, fulta. Septembri aut Octobri octo aut decem ſtellatis floribus, Colchici albi Anglici paribus, ſed longioribus, ſubluteis, ex albo luridis, ſenis longioribus *ſtaminibus* albis præditis, latioribus è membraneis tunicis, Moly Dioſcoridis modo, pendulis, brevioribus, ſine caule, penuriâ fortè alimenti inhærentibus. Foliorum rudimenta retuſa apparuerunt, Pancratii Monſpeliaci ſimilia, duas uncias lata, breviora tamen, fortè nondum prorſus enata, aut perfectam longitudinem aſſecuta.

Ex Hiſpaniola advectus eſt hic bulbus. *Locus.*

5. *Narciſſus Jacobæus Indicus* Ger. *Indicus totus ruber* C. B. *Indicus latifolius rubro flore* J. B. *Indicus flore rubro, dictus Jacobæus* Park.

Cluſ.

Radix huic bulboſa, Cepæ rotundæ ſimillima, verùm ſupernâ tunicâ pullâ. *Folia* primùm emittit craſſa, oblonga, Narciſſi marini 1. æmula, ſecundùm verò folia, atq; adeò ex latere pedalis & longior etiam emicat *caulis*, plerunq; unus, aliquando verò & alter, nonnunquam pariter (quanquam hoc raræò) interdum ſucceſſivè, dilutè rubens, rotundus, compreſſo tamen ſtylo, cavus & interiùs ſubalbidus, qui in membraneam deſinit vaginulam ſaturatè rubentem, & ad extremum acuminatam fiſſámq;, è qua *flos* unicus erumpit oblongus, pediculo nixus viridiore, qui deorſùm inflexus & nutans, minùs tamen quàm in Leucoio bulboſo aut Lilio rubro, ſex munitur petalis, eleganti minii colore rubentibus, tribus ſuperioribus, totidem inferioribus, quorum quod è ſuperioribus medium eſt, ſurrectius eminet, reliqua duo ad latera à medio reflectuntur, inferiora autem deorſum curvantur, cunctis ità concinnatis, ut enſis etiam rubri, qui ab ordinis S. Jacobi equitibus in veſte geſtatur formam valdè referat, unde Jacobæi cognomen à *Simone de Tovar* deſcriptionis autore ei inditum. Sunt porro in hoc elegantiſſimo flore *ſtamina* ſeptem, ſimiliter rubra, quorum medium aliquanto longius in triangularem apicem deſinit, cætera ſex apices tranſverſi finiunt interiùs fuſci, ſuperficie verò luteo pulviſculo obducti; cuncta verò ad mediam ferè eorum longitudinem medium ex inferioribus folium ambit: idem etiam à reliquis duobus inferioribus complexum: atq; ubi hæc deorſum flectuntur ſtamina ipſa ſurſum elevantur. Cluſius florem Arundinis Indicæ dictæ flori non valde abſimilem dicit.

Ex India Orientali adfertur. *Locus.*

6. *Narciſſus ex albo rubeſcens* C. B. *Narciſſus Gareti flore albo, exteriore parte rubicundo* Swertii.

In Catalogo Horti Regii Pariſienſis extat. *Locus.*

7. *Narciſſus Virgineus* Park. parad. *Lilio-narciſſus Indicus pumilus monanthes albus* Moriſ. Atamuſco dictus.

Park. par.

Caulem edit ſpithamæum, unicum in faſtigio *florem* geſtantem Liliaceum, album, hexapetalum, Tulipæ inſtar erectum, cum *ſtylo* in medio, quem ſex *ſtamina* circumſtant. Flore præterito *folia* demum prodeunt duo vel tria, longa & anguſta, viridia ad modum Violæ bulboſæ majoris & ſplendentia [Narciſſinis ſimilia, magis mucronata *Mor.*] *Bulbus* ſubeſt cepaceus, oblongus, è multis tunicis compoſitus, exteriùs nigricans, intus albus. *Capitulum* parvum oblongum *ſemina* continet parva, nigricantia, compreſſa.

Maio menſe floret; è Virginia Americæ Septentrionalis provincia ad nos delatus eſt, ubi copioſè provenit: in hortis noſtris raro floret, nec cœlo aut ſolo facilè aſſueſcit. *Tempus & Locus.*

8. *Narciſſus Indicus Liliaceus ſaturato colore purpuraſcens* Ferrarii.

Fer.

Magnitudine formâque candido Lilio par eſt, *floreis* foliis magis continuatis minúſque reſupinis diſpar, florum numero ſuperior, quibus albo rubróq; blandè temperatis circiter Septembres calendas expingitur, ut ipſius pulchritudo lacte & ſanguine coaluiſſe videatur. Albidæ membranæ rupto involucro, conniventis primùm folia floris modicè rubent, coloratioribus tantùm lineis in longitudinem virgata: in calathi deinde imaginem diducta adulto pudore ſuffunduntur. Toto deniq; ſenili vultu rubicundiore, dum defloreſcunt floridiora ſunt. Imus umbilicus intus floríſque flavet. Sex inæqualia *ſtamina* ima parte candicantia, ſummâ ſubrubentia, lunatos in crocos ex viridi flaventes deſinunt. Septimum & medium *ſtamen* prolixius, itidémq; coloratum apice nullo inſignitur [ſtylus hoc] Viceni pluréſve flores, è pediculis ſatis craſſis, binos ſeu ternos digitos longis, ex atro virentibus, & ſive devexis ſive arrectis, modò in orbem penduli, modò in ſylvam prominuli, necnon particulatim dehiſcentes ſummum caulem coronant. *Caulis* ipſe rotundus, digitum craſſus, ac propè bipalmis ex viridi obſoleſcit in rubeum. *Folia* Liliacei viroris & Narciſſinæ magnitudinis, areſacto jam flore, à latere caulis enata in ipſum caulem incumbunt. Bulbus Neapolitano in tepore Scillam prope exæquat, Romano ſub cœlo minùs tumet; inſtar Eriophori ſummo ſub cortice membranaceo lanoſus extra pallet, nec florem fert niſi ad juſtam Punici mali molem adolevit. Et hic Narciſſus more cæterorum ſementat, pauco tamen proventu.

Alia ſpecies. Narciſſus Indicus Liliaceus diluto colore purpuraſcens *Fer.* à præcedente, contractiore bulbo, caule tenuiore pedali & inæqualiter rotundo, florum quoq; minore & numero & magnitudine faciéque dilutiore degenerat.

9. *Narciſſus Japonicus rutilo flore* Cornuti.

Cornut.

Inter omnes Narciſſos, qui hactenus inviſi apud nos extiterunt, prima ut arbitror auctoritas nobiliſſimo huic generi debetur.

Spectabilis thyrſus, per initia nudus, foliis paullatim ſe in pedis altitudinem ſubrigit, ſuperiore parte virens, infernâ 1000. atro-purpureis notis infuſcatus: in cujus faſtigio novem aut decem florum gemmæ totidem petiolis hærentes in umbellam diſponuntur, quæ prius oblonga & rotunda quadam vagina celabantur. Hæ dum florem patefaciunt in ſex folia diduci ſolent, ſi potiſſimum planta hæc reſoluta & pingui humo ſeratur; nam ſi ſicca aut confecta poſita ſit, ſoli macies plerunq; nonnullos uno aut altero folio mutilat. Singula cujuſq; floris folia duas uncias ſunt longa, admodum anguſta & exiguâ veluti lacunâ ſulcata: juxta floris centrum levi acumine gracileſcunt, extremâ parte inflexa reſupinantur (pro more Lilii montani quod Martagon vocant) Color floris eſt Cinnabaris aut Laccæ elegantioris, venâ ſanguineâ tamen lacunarum media diſcriminante. Sex ſtant in medio *filamenta*, foliis longiora, & pallidiùs rubentia, totidem apicibus atropurpureis ornata. Unus odor abeſt, ejus defectum naturâ ſupplente vivacitate coloris, quem non modo pigmentorum mixturæ artificio quiſquam aſſequi nequit, ſed nec ullis hactenus floribus ſimilem conceſſiſſe naturam obſervatum eſt. Nam præter eximium hunc colorem, quo intuentium obtutum hebetat, ſi fortè ſerenus dies affulſerit, florémque radiis Sol meridianus illuſtraverit, mille velut ſcintillas evibrat, quas pertinax oculus, inconnivénſque vix momento ſuſtineat. Subeſt *bulbus* prioribus ſimilis. *Folia* verò nonniſi tabido caule erumpunt: quorum color non glaucus, nec obſcurus, ſed gratâ viriditate renidet.

10. *Narciſſus pumilus Indicus polyanthos* Cornut.

Cornut.

Radix eſt carnoſior majórque bulbus: *folia* octo aut novem, palmum longa, lata pollicem, glaucè virentia, non recta ut reliquorum ſed modicè flexuoſa, juxta terram nata obliquè prodeunt. Inter quæ non medius *caulis*, ſed relictis ad latera foliis nudus & liber erumpit. Hic non rotundus ut reliquorum, ſed ſemunciam latus, poſtquam medii palmi proceritatem implevit, membranam turbinatiorem, quâ veluti capite clauditur aperit, apparétque tandem eximia novendecim aut viginti *florum* umbella, qui pro ſoli cœlique ratione languidiùs aut ſaturatiùs rubeſcunt. Singulis eſt Colchici pratenſis & figura & magnitudo; ſex enim etiam conſtant foliis, quæ ab anguſtiis in latitudinem paulatim ſeſe laxant. Foris ſinus ſecundùm totam eorum longitudinem fertur, qui & in ſubjectum flori capitulum producitur, tot pariter criſtis extuberans quot folia ſtriis excavantur. Sex ſtant in medio *filamenta* longiora *apicibus* cœruleis donata. Subſunt quibuſdam floribus pediculi triangulares, hi cùm inter ſe caulis in apice committuntur, admirando prorſus ordine diſpoſiti naturale ſed vix imitandum icoſäedrum formant. *Flos* quoq; ut aſpectu ità ſuavitate eſt inenarrabili, præcocior eſt etiam reliquis: floret ſiquidem ante Arcturum, octiduo poſt autem apud nos ſemine viduum collàbitur.

11. *Narciſſus Indicus major duplex præcox & ſerotinus* Cornut. *An Narc. Indicus totus ruber* C. B?

Præcocior floribus eſt ex rubro candicantibus & odoratiſſimis: caule dum ſemina matureſcunt vireſcenti.

Alter verò florem edit poſt Arcturum, longè rubentiorem, ſed ignaviùs odoratum, caule ſemper atro-purpuraſcente.

Communem autem habent florendi modum, ſiquidem utriuſq; caulis exit ſine foliis, ſubnaſcentibus tantùm elapſo flore, in eóque maximè differunt à pumilo jam deſcripto, cujus non ſolùm uno eodémq; tempore caulis & folia prorepunt, ſed etiam per hyemem tabido caule eadem virere perſeverant, reliquas differentias vide.

12. *Narciſſus Indicus flore Liliaceo ſphæricus* Ferrarii. *An Narc. Ind. obtuſo latiſſ. folio, bulbo vaſtiſſimo* C. B?

Ferrar.

Bulbus longè Scillino major ventrem prope rotundat: ferrugineum & quamvis tenue duriſſimum tamen corium ſuperinducit: imam partem ut in botryode odorato Hyacintho, protuberantem, pro corporis amplitudine latè circinat: fibras minimi vice digiti præcraſſas, prælongas, immortaléſque diffundit. Floris vagina ad calendas Septembris exiſtit in lanceam cuſpidata, ternos lata digitos, quinos longa, exuberante cinnabari ſaturata. Poſt decem dies ſubnaſcente ſcapo in palmum exerta, turgente jam atque urgente numeroſo fœtu, in geminas partes oris anguinei modo latiſſimè hiaſcit. Apparet primò conviventium florum confertiſſima congeries, quæ ramoſo paullatim incremento rotundam ità rareſcit in ſylvam. Scapus exurgit propè bipalmis, binos digitos latus, ex rotundo preſſior, ex viridi rubens, qua parte Solem aſpicit coloratior, ſummâ capitatus. Funduntur è capite denſioris more capillitii, frequentes, prolixæ, ſuavíque rubore viſendæ laciniæ, quibus internati radiata rotunditate porriguntur *cauliculi* triangulares, palmo longiores, minuſculum digitum lati, interfuſo rubore virentes, in capita extumidi Tuliparum triquetro folliculo ſeu præferratæ trifidæ clavæ ſimillima. Pleriq; inſtar candidi camelino collo Narciſſi cervicem deflectunt; recto rigidoque nonnulli ſtatu circumſtant. E ſingulorum verticibus eminent ſurſum verſum ſpectantes elegantiſſimi *flores*, rubro convolutóq; montium Lilio æquales, nec abſimiles, quippe phœniceo rubore colorati, & foliis quinis nativos in cirros reflexis calamiſtrati, exteriore folio cum ſtaminibus aſſurgente, quæ ſanè conſpicienda ſtamina ſic extant: Sena læto colore punicea in totidem verſatiles *apices* primùm flavos & grandiuſculos, deinde contractiores, ſubter ſubfuſculos, ſupra exalbidos & veluti farina conſperſos degenerant. Septimum ſine apice piſtilli facie, productius, craſſius, longâ utrinq; rimula interſecante ſtriatum, ſummâ parte recurvum, pariter purpurat. Omnes inter ſe flores ternis quaterniſve digitis intervacantibus diſtant. Per partes dehiſcunt, nec prior ante defloreſcit quàm vernent univerſi. Senium illos non contrahit, ſed infuſcat ac demum decutit. Menſtrua ipſis vita & ver Autumnale: September eoſdem parit oriens, perimit occidens. A florum interitu triangula capita grandeſcunt, pleraq; inania, perpauca nonnullo abortivi ſeminis rudimento fœta, ſive quòd peregrina planta noſtratis autumni frigus reformidat, ſive quòd eadem apud nos nondum robuſtæ fœcunditatis eſt. Folia circa Octobris exitum apparent flore non proveniente: in ejuſdem proventu ſeriùs, extremo ſci. Novembri menſe exiſtunt. Pauciora initio, ſex tandem flori proluſêre. Longitudo illis bipalmis, latitudo palmaris, dimidiati ferè digiti ſeu cultri craſſitudo, retuſa forma, læta viriditas & fuſco per oras rubore circumlita; corpus humi erraticum, lateq; procumbens; vita uſque ad extremum Maium ſive ad primos calores producta.

13. *Narciſſus Indicus folio latiſſimo triquetro* C. B. *Narc. ſive Pancratium Orientale* Swert.

C AP. IV.

De Colchico-narciſſo.

HÆc planta radice Narciſſum refert, verùm tum flore, tum florendi tempore aliiſq; accidentibus Colchicum; ideoq; de utroq; participare, vel inter utrumq; ambigere videtur.

1. *Colchicum melino flore* C. B. *Narciſſus Perſicus* Cluſ. Park. Ger.

Cluſ.

Ἄκαυλος planè eſt hæc planta, & floris duntaxat pediculo prædita, veluti Crocum Colchicúmq;: exilit ergo è membranaceo cucullo tanquam ex vaſculo aut theca *flos* oblongus, Croci aut Colchici floris æmulus, ſex foliis conſtans, ex flavo palleſcentibus, quorum tria interiora paullò anguſtiora ſunt, externa latiora, & ſummo mucrone nonnihil incurva ſive ἀπόφυσιν quandam habentia, quâ interiorum mucronem amplectuntur & comprehendunt, ingrati odoris & Papaveris quaſi virus redolentis. *Stamina* ſex medium florem occupant, in foliorum unguibus nata, ſed internorum foliorum reliquis longiora. Exilit è medio oblongior *ſtylus* gracilis, & ſine capite. *Folia* illi ſunt Hemerocallidi Valentinæ non multùm abſimilia, lata, plana, ejuſdémq; cum illis coloris, h. e. ad æruginem tendentis, quæ utplurimum convolvuntur, aut ſeſe circumagunt. *Radix* craſſa, bulboſa, à baſi (quæ multis fibris donata eſt) ſtatim extuberans, intus candida, foris pallidior quidem ſed aliquantiſlum etiam nigricans. Æſtate breve inter folia caput, pollicem craſſum, brevi pediculo inhærens & ſummâ tellure vix erumpens ferre aliquoties obſervavi, quod cùm inane eſſet, ſeminis conſpiciendi ſpes omnis ſublata.

Sub finem Septembris flos emerſit Cluſio.

2. *Colchicum luteum majus* C. B. *Narciſſus Autumnalis major* Cluſ. Park. Ger.

Cluſ.

Præcedenti valdè affinis eſt, tametſi neuter flore Narciſſum æmuletur, ſed ſolis foliis & radice. Quina autem aut ſena habet *folia* oblonga, pollicem lata, præ viriditate ferè nigricantia, ſplendentia, humi plerunque ſparſa; inter quæ brevis exit *cauliculus*, viridis, rotundus, vix ſupra terram ſe attollens, cui inſidet *flos*, ſuperiori formâ ſimilis, ſed brevior, flavi omnino coloris, ex membranaceo folliculo emergens, cujus exteriora tria *folia* interioribus majora ſunt, eáque velut amplectuntur, omnia autem mucrone ſunt magis orbiculato quàm Perſici folia: ſex *ſtamina* ſuis apicibus ornata, & *ſtilus* è floris umbilico erumpunt. *Radix* craſſa eſt, rotunda, intus candida, foris, ut Narciſſus, nigricans.

Sub finem Auguſti & Septembri germinare incipit & plerunque floret. Gaudet montanis quibuſdam Hiſpaniæ pratis. Invenitur foliis anguſtioribus.

Tempus & Locus.

3. *Colchicum luteum minus* C. B. *Narciſſus Autumnalis minor* Cluſ. Park. *Colchicum parvum montanum luteum* Ger.

Cluſ.

Octobri menſe, quemadmodum Perſicus, nudum è vaginula membranacea profert *florem*, ſex oblongis & anguſtis foliis conſtantem, non æqualibus, nam exteriora paullò longiora & latiora ſunt, omnia autem mucronata, foris flaveſcentia & ſplendentia, interiùs flava, ad majoris colorem magis accedentia, flava *ſtamina* medium florem occupant. Odoratus eſt hic *flos*, ſolóque pediculo innitens, ſupra terram non attollitur: Flore jam marcido emergere interdum incipiunt *folia*, utplurimum autem ineunte vere duntaxat, terna aut quaterna, plana, viridia & ſplendentia inſtar foliorum majoris, ſed longè anguſtiora, & præter aliorum morem ſeſe contorquentia & cincinnorum inſtar convolventia. *Semen* fert in capitulis uncialibus ferè trigonis, rotundum, nigrum, cui adhæret albicans quædam & ſpongioſa ab uno latere materia. *Radix* puſilla, nigrâ tunicâ tecta, inferioréque ſede tenuibus fibris firmata.

4. *Colchicum luteum vernum* C. B. *Narciſſus vernus præccocior flavo flore* Cluſ. Ger. emac. *Narciſ. Trapezunticus flore luteo præcociſſimus* Park.

Cluſ.

Quaterna aut quina producit *folia*, plana, digitum pæne lata, ſurrecta, viridia, Narciſſi medio-lutei foliorum æmula; inter quæ prodit *caulis* ferè dodrantalis, planus, non valdè firmus, lævis & enodis, ſuſtinens ſummo faſtigio membranaceum folliculum reliquorum Narciſſorum modo; è quo emergit unicus *flos*, coloris flavi, penultimo in loco deſcripti Narciſſi formâ non valdè diſſimilis, ſex etiam petalis conſtans, ſeſcunciam longis, ſemunciam latis, mucronatis, quorum terna interiora paullò longiora ſunt externis, totidem ex umbilico prodeuntibus ſtaminibus candicantibus, in flavum apicem deſinentibus, atque illorum quidem tribus brevioribus quàm cætera, cum medio *ſtylo* omnibus ſtaminibus longiore. *Radicem* habet craſſam, rotundam, & multis tunicis conſtantem (quarum internæ albæ, externæ verò ex ſpadiceo nigricantes) & infima ſede multis fibris præditam.

Tempus & Locus. Præcox eſt hoc genus, Cluſio Februario menſe florem produxit: Patavio miſſum eſt, ad Cluſium à Jo. Pinello: Parkinſonus Conſtantinopoli accepit, Narciſſi Trapezuntici titulo, unde veriſimile eſt circa Trapezuntium ſpontaneum inveniri.

5. *Colchico luteo ſimilis flore albo* C. B. *Sparganium Placæ* Cluſ.

Cluſ.

Supra Valentiam ſalebroſis & petroſis locis naſcitur quædam planta bulbacea, binis foliis prædita, humi ſtratis, longis, craſſiuſculis, ex viridi nigricantibus, Narciſſi majoris Autumnalis foliis ferè ſimilibus, ſed quibus internâ parte ſecundùm nervi medii longitudinem alia quædam latiuſcula linea ducta eſt. *Radix* bulboſa, multis tunicis conſtans candicantibus, & lenti viſcidique ſucci plenis, ingrati amarique ſaporis, foris nigro cortice obductis. Caulis, referente Placa, pedalis, lævis, aliquot in ſummo *flores* Lilii æmulos, candidos fert, deinde rotunda capitula, in quibus exiguum continetur *ſemen*.

CAP. V.

De Leucoio bulboſo.

LEucoium bulboſum à Narciſſo & congeneribus differt calycis in medio flore carentia, floribus ipſis minoribus, pendulis, petalorum apicibus vel omnium, vel aliquorum virentibus in pleriſque ſpeciebus.

1. *Leucoium bulboſum vulgare* C. B. *bulboſum hexaphyllum cum unico flore, rariùs bino* J. B. *bulboſum ſerotinum* Ger. *bulboſum præcox majus* Park. parad. **The common greater early-flowering bulbous Violet.**

Cluſ.

Tota planta quàm Leucoium minus triphyllum craſſior: *bulbus* multis candidis tunicis [extimâ tamen fuſcâ] conſtans, & candicantibus fibris ſimiliter capillatus, ſapore viſcido, acrimoniâ vix notabili. Folia porracea ut Triphyllo, ſed latiora & ſplendidiora, tria, quatuor, quinque, viridia admodum & nitida: *Caulis* dodrantalis, cùm floret angulosſus, ſtriatus, cavus, nudus, quem ſimul cum foliis inveſtit etiam ad medium uſque vagina alba. *Flos* plerunque ſingularis, interdum geminus [rarò tertius Cluſio] pediculo longo appenſus, è vagina peculiari in medio membranea, exalbida, ad latera craſſiore, virente, nutat & deorſum ſpectat, exigui cymbali modo, major quam triphyllo, ex foliis ſæpiùs ſex, interdum ſeptem & octo [hoc luxuriæ ſoli debetur] cætera candidis, mucrone acutiuſculo, extrinſecus macula virente notato, intro leviter reflexo: in medio *apices* lutei ſex, modicè inter ſe diſtantes *ſtilum* intimum candidum ambiunt. Odor ei non ingratus, qui Fuchſio Violarum purpurearum prorſus refert, Cluſio Oxyacanthæ vulgò creditæ odorem referens. Succedit flori *capitulum* membranaceum, Pyri modo (ut ait Cluſius) turbinatum. *Semen* ex candido flaveſcens oblongiuſculum, durum.

Locus. In umbroſis Helvetiæ ad ſepes in paſcuis montoſis plurimum obſervavimus Martio menſe florens, quin & in Italia propè Taurinum, ſylvis montoſis, itémque inter Baſſanum & Tridentum. Provenit inſuper multis Germaniæ in locis, v. *J. B.* Maio menſe evaneſcit, radice tantùm in terra ſuperſtite.

C. Bauhinus Leucoii bulboſi alterius flore patulo meminit, cui folia latiora, florem majorem & patulum attribuit.

2. *Leucoium bulboſum minus triphyllon* J. B. *trifolium minus* C. B. *bulboſum præcox minus* Ger. Park. **The leſſer early bulbous Violet, or Snow-drops.**

J. B.

Radice eſt bulboſa, parvâ, multis tunicis albis conſtante, externa nonnihil nigricante, multis fibris longis albis appenſis ſeſſili parte donatâ: Guſtu lento, amaro, ſubacri. *Cauliculus* indè exurgit ſingularis, anguloſus, unà cum foliis vaginâ albâ ad tertiam uſque longitudinis partem incluſus, tenuis, concavus, nudus, dodrantalis, aut paulò major; quem ferè ad ſummum uſque comitantur *folia* bina, porracea, glauca ferè, nec ità lucida ut Leucoii hexaphylli, vel (ut ait Cluſius) colore æruginoſo & quodammodo cineraceo. Extremum caulis tenet *flos* pediculo longo, nutante, vaginula aliquouſque incluſo, unicus, parvus, foliolis tribus penitus lacteis, nonnihil obtuſis, aliis interioribus duplo longioribus latioribúſque conſtans, intra quæ alia tria, alternante ſitu breviora, anguſtiora, rigidiora, levi cæſura in ſummo, in quo extrinſecus corculi ex diluto virore pæne luteolo effigiatura, intrinſecus diſcurſantibus per folioli longitudinem alternatim ſtriis albis & viridantibus. Totius floris medium obtinent *apices* lutei, rigidiuſculi ſex, *ſtylúſque* exilis candidis, interioribus floris foliolis dimidio breviores. Florem ſequitur *capitulum* ut Narciſſis, olivæ virentis (inquit Cluſius) formam pænè exprimens, in quo *ſemen* candidius altero [Leucoio bulboſo hexaphyllo cum unico flore rariùs bino.] Flos nocte ſe contrahit, & cum ſole explicatur, etiam extra terram in hypocauſto. Folliculus undè flos exit duas habet virides & herbaceas coſtas ad latera, quibus adhærent membranæ folliculum efficientes. Tum herba tum radix odoris ſunt ingrati, ad Lamium accedentis. Floris odor Cluſio nullus, aut perquam exiguus.

Februario menſe floret, inter ipſas interdum nives, unde apud noſtrates flores **Snow-drops**, id eſt, guttæ nivales appellantur.

In umbroſis ad radices Alpium dum Tridentum Venetiis iter faceremus obſervavimus. Ubique fere per totam Angliam in hortis colitur, radicibus numeroſa ſobole fœcundis. *Locus.*

3. *Leucoium bulboſum præcox Byzantinum Cluſii* Ger. emac. J. B. *bulboſum trifolium majus* C. B. *bulboſum præcox minus Byzantinum* Park.

A præcedente vix alia in re quàm partium omnium, [radicis, folii & floris] magnitudine differt, ut deſcriptionem ejus quæ habetur in *Cluſ. hiſt.* cum præcedentis conferenti patebit.

Byzantio miſſus eſt hujus bulbus, Neapoli etiam à Fer. Imperato, è monte Virgineo erutus. *Locus.*

4. *Leucoium bulboſum trifolium cæruleum* C. B. *triphyllon flore cæruleo Someri* J. B. *Leucoii bulboſi præcocis Byzantini varietas* Ger. emac.

In Albania Conſtantinopoli rediens eruit Somerus.

5. *Leucoium bulboſum vernum minimum* Cluſ. Park. *bulboſum tenuifolium vernum* C. B. *bulboſum* 6. Ger. emac.

Cluſ.

Hujus bulbum à Nicolao le Quelt redimebat Cluſius. Proferebat verò ante hyemem terna aut quaterna *foliola*, pænè capillaria, iis non valdè diſſimilia quæ Leucoium minimum autumnale habere dixit [Cluſius] ea ſequente Aprili emarcuerunt. Extremo autem ſubſequentis anni Maio nudus exilíſque exortus eſt *cauliculus*, anguloſus, ſemipedalis longitudinis, ſummo faſtigio membranaceum ſuſtinens folliculum, è quo bini exibant *floſculi*, longiuſculis tenuibúſque pediculis ſubnixi, deorſum inſtar Campanulæ perpendentes, ſeníſque foliolis conſtantes candidis, quorum terna interiora latiuſcula, externa verò paullò anguſtiora, & foris ſecundùm exortum circáque capitellum ſubrubentibus, flavis *ſtaminibus* umbilicum occupantibus: totus elegans erat hic floſculus & ſuavis odoris, perſtabátque in ſua elegantia quinos aut ſenos dies: nullum vero dedit ſemen, atq; ſubſequens hyems plantam corrupit.

6. *Leucoium bulboſum polyanthemum tardiùs florens floribus minoribus* J. B. *bulboſum majus polyanthemum* Ger. *bulboſum majus ſerotinum* Park. *bulb. majus ſive multiflorum, quod aliqui Acrocorion Plinii ſtatuunt.* C. B.

J. B.

Leucoium hoc ut reliquis ejuſdem generis ſeriùs, ità tota mole majus, *radice* craſſa, longè majore, bulboſa, quæ multis ſucculentis tunicis ac etiam fibris conſtat, ſapore amaro. *Caulem* tollit unum aut alterum, pedalem, cubitalem & ſeſquicubitalem, craſſum, viridem, qui nè planè rotundus ſit, impedimento eſt utrinque vel altero tantùm latere elata coſta acuta. *Folia* Narciſſina, virentia, caulem tanquam vagina inferiore parte complectentia multa [Cluſio quinque aut ſex] carinata, ſemunciam aut unciam lata, mucrone obtuſo, quorum alia pari cum caule altitudine aſſurgunt, alia infra ſubſiſtunt. In ſingulorum caulium cacumine ad geniculum è vagina oblonga prodeunt *flores* Leucoii bulboſi hexaphylli ſimiles paulo minores, numeroſi, quini, ſeni aut etiam duodeni, tintinnabuli modo penduli, ſex æqualibus & niveis foliis conſtantes, quorum extimam partem virides maculæ inficiunt, ſenis intus ſtaminibus flavis, medióque lacteo ſtylo, apice viridi inſignito, odorati; pediculis aliquando palmaribus, aliquando vix uncialibus, præſertim antequam flos expanditur; hique non ſimul ſe explicantes, ſed aliis expanſis & ferè marcidis, alii primulum è vagina pullulantes prodire occipiunt. Floribus ſuccedunt magna & trigona capitula angulis obtuſis, Pyri in modum ferè turbinata, in tria loculamenta diviſa, quorum unumquodque duos ſeminum ordines continet, ut in aliis bulboſis.

Seriùs ſuperioribus plerunque germinare ſolet, atque Maio demum menſe flores proferre. *Tempus.*

Plantam hanc in paluſtribus propè Piſas Etruriæ urbem copioſam obſervavimus: Cluſius in uliginoſis pratis ſupra Waraſdinum in Pannonia interamni: Oritur & in pratis Lateræ vicinis non procul Monſpelio. *Locus.*

7. *Leucoium bulboſum Autumnale tenuifolium* Cluſ. *bulb. Autumn. minus tenuifolium* J. B. *bulb. Autumnale* C. B. Park. *bulboſ. Autumnale minimum* Ger. emac.

Cluſ.

Cauliculo eſt palmum alto, gracili, unicum, interdum alterum & tertium ferens *florem*, omnino lacteum, pendulum, ſex petalis conſtantem, & tintinnabuli modo formatum, inodorum, ingratíque guſtûs, in quo pallida *ſtamina*. Flore jam aperto demum prodeunt quaterna aut quina capillaria viridiáq; folia. *Radix* bulboſa, ſatis craſſa pro plantæ exilitate, è multis glutinoſis tunicis compacta & amara, quæ candicante membrana integitur.

Locus. Extremâ Bæticâ, quà Luſitaniæ contermina eſt, non procul *Badaioz*, ad flumen Anam ſitum ſub finem Octobris & Novembris initio cum ſuo flore eruebat Cluſius.

De Leucoii bulboſi temperamento & viribus P. Renealmus hæc habet,

Vires. De ſolius Erangeliæ [Veris nunciæ] i. e. ſecundæ ſpeciei temperamento & viribus nobis agendum: quid enim aliæ poſſint propter ipſarum raritatem explorare nobis non licuit. Temperamento ergo bulbus eſt calido & ſicco ſecundi gradûs initio, præterea ſubtilium partium, vomitúmq; movet, quare iis quibus ventriculus craſſis & viſcidis humoribus eſt infarctus magnopere prodeſt. Urinas ciet, meſenterium obſtructionibus liberat. *Flores* minùs calidi ſunt, ſed partium ſubtilitate præſtant, ſudoréſq; movent: tam flores quàm bulbi ad ionthos delendos, & ſcrophuloſos tumores diſcutiendos admoti conferunt, ſed bulbi floribus præſtantiores hac in re.

Leucoio bulboſo affinis duplex C.B.

Bulbus quatuor aut quinq; flores geſtans in modum Campanulæ albæ *Cluſ. hiſt.*

Alterum addit bulbum flore magno, Campanulæ formâ terram ſpectante, intus luteo, foras purpureo. *Ibid.*

CAP. VI.

De Tulipa.

C. B.

TUlipa, cujus deſcriptionem & figuram primus Geſnerus, Anno 1560. in Append. ad Cordi hiſt. dedit, à pileo Dalmatico, vel amiculo capitis, ab ipſis geſtari ſolito, Tulipam dicto nomen accepit, ídque propter floris cum pileo ſimilitudinem. Sunt qui Anemonem *λειμωνίαν* Theophraſti velint, cùm ibi Pulſatillam intelligere videatur: alii Cynorrhodon Plinii l. 21. c. 5. cenſent: alii ad Satyrium trifolium referunt. Dodonæus, quem ſequitur C. Bauhinus ad *ἀνδιῶτα* Theophraſti.

Genera prima tria ſunt: præcocius unum: ſerotinum alterum: dubium tertium, medio tempore florens.

** Cluſius & Parkinſonus.* * Alii & rectiùs duo tantum genera conſtituunt, præcox & ſerotinum, tametſi enim inveniantur quædam veluti dubiæ (verba ſunt Cluſii) quæ medio inter utrumq; genus tempore florere ſolent, potiùs tamen inter ſerotinas habendæ ſunt quàm inter præcoces, quòd & foliorum colore pariter virente cum eis conveniunt, & caulem procerum florémq; amplum earum inſtar proferunt, quódq; è mediarum ſemine ſerotinæ, è ſerotinarum mediæ enaſcantur, nunquam tamen quod obſervavit Parkinſonus, è mediarum ſemine præcoces exortæ ſunt, quamvis Cluſius contrarium affirmet; cui potiùs ut diligenti & veraci fidendum. Nos certè omnes Tuliparum majorum differentias & varietates è ſemine primitus oriundas ſuſpicamur, ideóque unam tantùm Tuliparum majorum ſpeciem agnoſcimus.

Tulipæ Notæ. Notæ Tuliparum characteriſticæ ſunt Caules folioſi, flores ampli, hexapetali, nudi, in ſingulis caulibus natura ſinguli, erecti, colorum pulchritudo & varietas inexplicabilis, unde à nonnullis *Lilia agrorum* creduntur de quibus affirmat Salvator noſter, nè Solomonem quidem in omni gloria ſua amictum fuiſſe quemadmodum unum ex illis; ſemina compreſſa, tenuia, Liliaceorum æmula, unde à nonnullis, planta Lilionarciſſus dicitur, minùs rectè cùm nihil ferè cum Narciſſo commune habeat.

1. *Tulipa præcox in genere.*

Cluſio ſic deſcribitur: Unicum fert *caulem*, pedalem maxima ex parte, interdum ampliorem, rotundum, virentem, & brevi quadam incanáq; lanugine aſperſum, non concavum, ſed firmâ medullâ plenum. Hunc plerunq; terna amplectuntur *folia*, nonnunquam quaterna & quina, inferiora lata admodum, ut etiam palmarem latitudinem explere viderim, & Liliacea, longiora tamen & craſſiora, carinata, ſupra terram ſeſe pandentia & contorquentia, ſuperiora autem minora & anguſtiora, eáq; vel propendentia & nutantia, aut interdum ſurrecta, omnia autem colore ex cœruleo virente aut ærugineo, & velut farina aſperſa. Summo cauli inſidet magnus flos unicus, (geminos etiam aliquando vidi [hoc præter naturam ob luxuriem ſoli accidit] vel ſummo caule conjunctim naſcentes, vel bifido inhærentes) ſurſum ſpectans, ſex plurimùm foliis conſtans (quanquam & ſeptenis & octonis conſpexerim) ejuſdem initio cum caule coloris, & interdum ad terram ſeſe inflectens, illíque incumbens, ut colubri aut ſerpentis caput in terra decumbentis ementiatur, deinde paullatim ſeſe ſublevans & colorem mutans, atque tandem ſeſe explicans, & calathi cyathive inſtar in fundo pandens, ex quo ſena, aut totidem quot foliis conſtat ſtamina prodeunt, modo lutea, modò pallida, modo nigricantia, pediculis etiam quæ ſtaminula ſuſtinent mirum in modum variantibus. Excuſſo flore ſuccedit membranaceum triangulare caput, ſatis magnum, oblongiuſculum, vel brevius, ventréque magis prominulo, quo in tres partes à ſummo dehiſcente, conſpiciuntur ſex ordines, ſeminis plani, cartilaginoſi, Liliacei ferè, & circinatæ propemodum rotunditatis interdum, altera tamen parte quæ capitis centrum & interiora pertingit, oblongiuſculi, utplurimum pallidi, fulvi aut rubeſcentis, & ſi imbres frequentiores ceciderint, etiam fuſci. *Radix* bulbacea eſt, interdum brevior, nonnunquam oblongior, craſſa, inferiore ſede nonnihil prominente, uti Colchici radix ferè, fibris aliquot tenuibus donata, & foris vel fulveſcente, ſed magna ex parte nigreſcente membranâ obducta, quæ interna parte lanuginoſa eſt, caſtanearum corticis inſtar, aliquando autem adeo denſo tomento plena, ut molliſſimè recubet bulbus, qui ſolidus eſt, firmus, & velut albumen ovi coctum candidus, guſtantíque dulcis, ſaltem non ingratus.

2. *Tulipa ſerotina.*

Deſcribente Cluſio, major eſt amplitudine, cubitalem enim & tripedalem interdum habet caulem, firmiorem, craſſiorem, rotundum, fungoſa materie plenum, & brevi etiam incanâque veluti lanugine, ſive efflореſcentia quadam aſperſum. Hunc alternatim amplectuntur quaterna plerunque *folia*, nonnunquam quina aut ſena, carinata, firmiora quàm in præcoce, utplurimum erecta, non nutantia aut ad terram inflexa, atque oris interdum adeò reflexis, ut ſinuoſa videantur, aliquando omnia æquali. Summo cauli, qui pedali vel majore plerunque longitudine, imò cubitali nonnunquam nudus ſupra folia eminet, unicus inſidet flos magnus & oblongus, cyathi modo concavus, ſex foliis conſtans, extremo apice omnium mucronato vel orbiculato, aut tribus exterioribus duntaxat mucronatis, interioribus orbiculatis, ut in præcoce, & è contra; caput ut in illa triangulare, membranaceum, craſſus utplurimum & prominulo ventre, quo à ſummo dehiſcente, ſex ordines *ſeminis* plani, cartilaginoſi, fulvi aut rubeſcentis, majoríſque quàm in præcoce conſpiciuntur. *Radix* præcoci ſimilis, longiore tamen majoréque bulbo conſtat plerunque, in reliquis cum illa convenit.

Caulis huic interdum πολύκλωνος & ramoſus eſt, quod proculdubio accidentarium eſt, & ſoli ubertati plantæque luxuriei tribuendum.

In hoc genere tam inſignem colorum varietatem non deprehendit Cluſius, ſed flavas duntaxat, vel ad auri colorem inclinantes, & rubras, unguibus plerunq; nigris, orbe aureo cinctis; eáſque vel odorato vel inodoro flore.

Cæterum harum ſerotinarum Tuliparum, quæ vel flavi, vel rubri coloris flore præditæ ſunt nullæ hactenus (inquit Cluſius) varietatem in ſatione mihi pepererunt, niſi quòd interdum ex rubræ ſemine flavæ, contra ex flavæ ſemine rubræ natæ ſunt, unguibus ſæpenumero variantibus.

3. *Tulipa dubia.*

Tulipæ medio inter præcocem & ſerotinam tempore florentes, videlicet quæ marceſcente præcocium flore ſuos explicant, & ſerotinis florere incipientibus jam ſeneſcunt, imò interdum cum illis etiam florent, Dubiæ quodammodo appellari poſſunt, cùm utriuſque generis naturam referant. Sunt verò inter eas nonnullæ, quarum flores & ipſa planta ſerotinarum magnitudinem æquant: aliæ quæ præcoces non ſuperant, nec illis formâ ſunt diſſimiles, & illæ quidem vel ampliſſimis floribus præditæ, vel præcoce non majoribus:. ſunt etiam quædam præcocibus humiliores. Harum differentias à ſe obſervatas latè perſequitur Cluſius.

De Tulipis Obſervationes generales.

Nobis non videtur operæ pretium ſingulas enumerare, multo minus accuratiùs deſcribere, cùm eas pro ſpecie diſtinctis non habeamus, quippe quòd ſeminio ortum ſuum debeant, nêc ſemen earum ſatum eaſdem perpetuo varietates producat. Hinc novis quotannis è ſemine exorientibus earum numerus infinitus, certè indefinitus aut indeterminatus eſt, unde etiam conſtat eas ſpecies diſtinctas non eſſe, cùm ſpecierum numerus in natura certus & determinatus ſit, ut * ſuperiùs diximus. Quibus addi poteſt hujus generis plantas colorum varietate & pulchritudine maximè ſpectabiles, ſi in eodem loco abſq; cultura diu reſtare ſinantur, degenerare paulatim & colores mutare, & è variegatis unicolores evadere. E contra habuiſſe ſe refert Cluſius Tulipam cujus flos cùm præcedentibus annis elegans ruber fuiſſet, poſtea variè commixtus ex rubro & flavo inter ſe confuſis coloribus, modò flavo medium quaſi folium occupante, modo rubro vel utroq; radiatim per oras diſcurrente, fuerit. Similiter flavam quæ flavum & rubrum, & purpuream quæ album & purpureum colores variè inter ſe commixtos & radiatim folia ſecantes habuerint. Ac illud etiam obſervabat quotquot ſic nativum colorem mutârunt ſubinde corrumpi ſolita; voluiſſe tamen antea hac colorum varietate heri ſui oculos oblectare, tanquam poſtremum valedicturæ.

* *Lib. 1.*

Hinc probabiliter colligitur colorum varietatem in Tulipis morbidæ conſtitutionis potiùs ſymptoma eſſe, quàm luxuriantis naturæ luſui, deberi.

Præterea, obſervante Cluſio, non omnes Tuliparum flores diu in ſua coloris elegantia & venuſtate perdurant; verùm nonnullarum magis caduci brevi marceſcunt, aliorum firmiores ſunt, & coloris gratiam diutiùs retinent, præſertim ſerotinæ & dubiæ: omnes certè nubilo cœlo ſeſe contrahunt, & pluvio facilè corrumpuntur, etiam ante quàm expandi poſſint interdum, ſi continui cadant imbres: contra temperato Sole illuſtrati explicantur & diutiùs conſervantur: at vehementi etiam ejus ardore nimium excocti, & ſuo humore exhauſti facile defluunt. Neq; omnes verſicolores, tam præcoces quàm ſerotinæ, ſingulis annis eandem coloris gratiam perpetuò retinent, ſed alternis variare ſæpiùs obſervavi. Inſtantias ſeu exempla vide apud Cluſium.

Cæterùm, pergit Cluſius, tametſi ſeminibus terræ mandatis Autumno (inutilis enim bulboſarum & tuberoſarum maxima ex parte verna eſt ſatio) hujus plantæ genus conſervari ſoleat: interdum tamen & nucleis majori bulbo adnatis propagatur, ſed nulla inter præcoces Tulipas fertilior rubra & alba, omnium autem maximè ſerotina rubra, quæ adeò fœcunda eſt, ut etiam ſemine ſata, & vix bima alias proles generet, biennio aut triennio antequam florere incipiat, quod etiam faciunt pleræque dubiæ. Solent enim omnes Tulipæ nondum adultæ, & antequam flores proferre incipiant, utplurimum ſingulis annis rectà & quaſi ad perpendiculum in dodrantalem & palmarem altitudinem profundiùs deſcendere, (Apennineas excipio & quaſdam alias, quæ non in altum, ſed in latus & [ob-]liquum antequam floriferæ ſint, proles è longis venis dependentes ſpargunt) ſerotinæ autem illæ & dubiæ jam dictæ etiam in veteris bulbi exuvio aliquid ſubſtantiæ relinquere, quæ in alium bulbum efformata ſimiliter in exuvio ſubſtantiæ quidpiam relinquit, quæ in alium bulbum tranſit, ut ſiquis cum dexteritate quadam & induſtria trimos & quadrimos eruat exuviorum veſtigia ſequendo, nonnunquam velut catenam aliquot bulborum cohærentium, & ex primo exuvio ortum ducentium inveniat, licèt interdum accidat, ut Radix ſerotina jam grandior, nondum tamen planè adulta, inſtar Tulipæ Apenninea ſive Bononienſis proles in latus ſpargat, ut non ſemel obſervavi.

Memini & bulbos in infima ala, quaſi ſumma tellure natos, in ſerotinarum & dubiarum generibus præſertim, qui telluri commiſſi, ejuſdem coloris cum matre florem ſubſequente anno protulerunt: eundem etiam colorem retinent bulbi matri adnati. Ex ſeminibus verò quæ fit propagatio planè incerta eſt, in præcocibus nimirum & dubiis, nam ſerotinæ magna ex parte ſuum genus conſervare videntur, aut ſi aliquam mutationem adquirant exigua ea eſt, & plerumque in unguium & ſtaminum varietate, aut coloris intenſione vel remiſſione conſiſtit.

Solet caulis è medio bulbo erumpere, ſed ipſo cum foliis jam marcido & ſiccato, ſi bulbum eruas, ad latus illius adnatum conſpicies, (quod etiam evenit in Iride bulboſa, Colchico & congeneribus aliis) novo bulbo paulatim ſuccreſcente, & totius plantæ ſuccum ad ſe recipiente, quo tempore commodiſſimè erui poteſt, erutus bulbus diu extra terram adſervari, & in alia loca etiam procul diſſita ſine noxa transferri.

Omnes cujuſcunque generis Tulipæ, quandiu florem non ferunt, ἄκαυλοι planè ſunt, & unicum folium ſingulis annis proferre ſolent: at ſi dum emerſit ſeſe explicare incipiens ſecundum etiam eo incluſum appareat, illo anno florem prolaturum ſpes eſt, niſi pruina aut aliud ab inſectorum eroſione incommodum eam intercipiat.

Petalorum figura in Tulipis variat, in nonnullis enim omnia acuta ſunt, in aliis omnia obtuſa aut ſubrotunda; in multis tria exteriora acuta ſunt, tria interiora ſubrotunda, in aliis vice verſa interiora acuminata, exteriora ſubrotunda. Præterea in nonnullis petala omnia longa ſunt & anguſta, in aliis breviora & latiora. E præcocibus nonnullæ flores habent peramplos & ſerotinarum ferè pares, aliæ eoſdem parvos, nec Bononienſis Tulipæ majores. Quin & petalorum fundi in Tulipis plurimùm differunt, uti & ſtamina & apices, in aliis enim nigri ſunt, in aliis albi, &c.

Eſt & in florum odore diverſitas, nonnullarum enim flores valdè odorati ſunt, aliarum propemodum inodori, aliarum odore remiſſiore non ingrato inter utrumque ambigunt, aliarum denique odore ſatis vehementi ſunt & ingrato.

Aſſerit Parkinſonus ſe nunquam obſervare potuiſſe, quicquid alii ſcribunt, è ſemine præcocium Tuliparum medias aut ſerotinas naſci, ſed ſemper præcoces, multo minus præcoces è ſemine mediarum aut ſerotinarum, quod argumento eſt eas ſpecie differre.

Quod ad electionem ſeminum, Cluſius è præcocibus ex albæ ſemine prognatas plantas inſignem colorum varietatem præ reliquis nanciſci experientiâ & diligenti obſervatione didicit. Parkinſonus pro ſemine exhibendo albo puro flori præfert eum cui aliquid rubri aut purpurei admiſcetur; præ aliis autem * ad hunc uſum purpureo flore inſignis ſemen commendat, poſt eum purpurei marginibus albis, tandem rubri marginibus flavis.

* *Varie coloratos flores obtinendi.*

E mediis pro ſemine præfert albas flavis, purpureas rubris, flavas & rubras omnino rejicit. Albis puris maculoſas præponit. Verùm in his fundi floris præcipuè rationem habendam monet. Nam ſi flos albus ſit aut albidus, maculoſus vel ſtriatus, fundo cœruleo vel purpureo, hæc omnium longè præſtantiſſima eſt, ad producendas ex ſemine ſato plantas colorum varietate & raritate ſpectabiles.

Tempus ſerendi Autumnus eſt, ut ſuperiùs è Cluſio innuimus. Parkinſonus ſerotinam potiùs ſationem probat circa finem Octobris, quàm Autumni initio, aut cum ſemina jam penitus matura & exſiccata ſunt. Nam quæ maturiùs ſeruntur, præcoci ortu interdum ver antevertunt, & ſupervenientibus pruinis corrumpuntur.

Semina non nimis denſa ſeu crebra ſerere convenit, terrâ laxa & opulenta. Nam quo ſolum pinguius & uberius eſt eo major florum elegantium & variegatorum proventus ſperandus.

Præcocium Tuliparum folia obſervante Parkinſono, hac notâ à dubiarum & ſerotinarum foliis diſcerni poſſunt quòd è terra tota extent, pediculum cui inſident oſtendentia, cùm dubiarum & ſerotinarum folia è terra nunquam penitus emergant & appareant, verùm inferior eorum pars terræ perpetuò immerſa latitat.

Tulipæ è ſemine ortæ cùm jam trimæ ſunt (nonnullæ etiam bimæ ſi ſolum & cœlum faveat) è terra eruendæ ſunt, & vel aliò transferendæ, vel eodem loci iterum deponendæ, poſtquam paululum exſiccatæ & mundatæ fuerint; nam naturâ ſuâ altè in terram deſcendunt ideóque elevandæ ſunt ſubinde versùs ejus ſuperficiem. Cavendum autem nè nimis densè ſerantur, ſed modico ſpatio interpoſito pro bulborum magnitudine, ne ſibi mutuò impedimento ſint. Satæ biennio relinqui poſſunt, aut ſingulis annis transferri pro libitu, modò id tempeſtivè fiat, nimirum circa finem Julii aut Auguſti initio. Quinto plerunque à ſatione anno florem producunt, rariùs quarto, interdum non ante ſextum & ſeptimum, aut etiam forte octavum & decimum. Ad Tuliparum rariorum & teneriorum bulbos à frigoribus & pruinarum injuriis defendendos conſulit Parkinſonus ut paulo altius in terram demergantur, & eorum morem probat, qui hyberno tempore ſoli ſuperficiem ſtramine operiunt.

Tulipas transferre cùm jam fibras novas ex ima ſede ſeu baſi egerint, (hoc eſt à Septembri menſe ad florendi tempus) valdè periculoſum eſt. Verùm cum defloruerint, foliáque & caules exſiccati ſint, tutiſſimè è terra eximi poſſunt, & per ſex menſium ſpatium, modò in loco ſicco, ſolaribus tamen radiis aut ventis minimè expoſito fuerint repoſitæ, extra terram ſervari abſque inſigni noxa.

Notandum hic in genere bulbos omnes quorum fibræ imæ quotannis emoriuntur novis ſubnatis abſque ullo detrimento vel injuria è terra eximi poſſe, quo tempore fibræ emarcuerunt & novæ nondum

dum ſubnatæ ſunt, & diu extra terram, (ut jam diximus) ſervari; quæ vero fibras perpetuò ſervant ſine detrimento è terra erui nequeunt.

Notandum etiam Tulipas ſi colorum elegantias diu tueri nec degenerare velis, quotannis è terra opportuno tempore eximendas eſſe, & exemptas aliquandiu detinendas, antequam iterum deponantur.

Tandem quod de Tulipæ bulbo obſervavit ingenioſiſſimus Ferrarius minimè prætereundum videtur. In intimo (inquit) bulbo, unde caulis & flos eminet, novus quoque bulbus, veluti gemellus fraterculus, ejuſdem ſcapo floris adnaſcitur, paritérque cum illo, non modò per materni bulbi fibras terræ alimentum, ſed ipſum quoque ſuccum matris exſugit, ubi verò deſito jam flore, lateri cohærens caulis inaruit, reliquo ille ſucco innutritus adoleſcit, vetere interim eviſcerato bulbo membranaceas in exuvias, nempe in recentis involucra deficiente. Mirandum jam non eſt, vel eruto bulbo extrinſecus hærentem aridum ſcapum inveniri, cùm idem utrumque partus conjunxerit, vel altera novum bulbum parte planiorem eſſe, cùm flos adnatus abſolutæ offecerit rotunditati. Ita vetula parens cum floreo partu juventutem reparat & ſemet intra ſe parturit. Si cui libeat quod affirmo oculata fide credere, tulipæ bulbum cùm jam cœpit egerminare intercidat, inveniétque inter convoluta folia puſillum floſculi rudimentum, adnatúmque ſurgenti cauliculo novi bulbi nucleum.

Simile quid à Cluſio obſervatum ſuperius propoſuimus; verùm Cluſius obſcurè de eo ſcribit, nec rem clarè perſpexiſſe videtur, aut certe mendum ſubeſt in verbis. *Eſt ergo Tulipæ, ut & aliarum bulboſarum tunicatarum, bulbus nihil aliud quam gemma grandis ſubterranea, ut in libro primo diximus, quæ præter adnatas externas intra ſe concipit alium bulbum ſeu gemmam, qui matri bulbo ſuccedens ei idem videtur, cùm revera non ſit, ſed diverſus, ipſiúſque ſoboles; cúmque intra ipſum bulbum conceptus & enutritus ſit, adnatis extremis grandior & habitior evadit ipſiúſque parentis æmulus.*

Bonitatis notæ in Tuliparum floribus ſunt, 1. colores petala penetrantes & utrinque conſpicui; 2. tres vel quatuor diverſi in eodem flore colores.

4. *Tulipa dubia pumilio* J. B. Cluſ. *pumilio latifolia rubra* C. B. Park. parad.

Cluſ.

Pedalem altitudinem non ſuperat, imò ut plurimum infra eam conſiſtit, foliis & flore ad præcocem proximè accedens, floris autem folia omnia mucronata, ſed exteriora multò longiora, foris obſcurè rubra, extremis tamen oris virentibus; interiora omnia folia intensè rubent & ſplendent, ungues flavi, radiati, ſed quos nigerrima macula ſic inficit, ut orbis aureus & radiatus eam duntaxat ambire videatur, & oculum quodam modo ementiatur: ſtamina cum ſuis apicibus nigricant. Hujus radix bulbacea interdum eriophora eſt, nam tenerior illa membrana bulbi ſubſtantiam amplectens & tegens plurimo denſo, candido mollique tomento ſuffulta eſt ut molliſſimè bulbum recubare neceſſe ſit.

5. *Tulipa pumilio altera* J. B. Cluſ. *pumilio anguſtifolia* C. B.

Cluſ.

Tota planta (quantum ex icone deprehendere potuit Cluſius) palmo major non eſt, quatuor promens folia anguſta, carinata, Tulipæ Monſpeliacæ foliis ſimilia, inter quæ cauliculus prodit uncialis aut paulò longior, nudus, (præter aliarum Tuliparum morem) ex viridi purpuraſcens, ſummo faſtigio florem gerens hexapetalon, foris nonnihil purpuraſcentem, intus candidum, umbilicum occupante oblongo capitulo, ſex flavis ſtaminulis ſepto. Florem menſe Aprili protuliſſe inde conjecit Cluſius, quoniam ſub Maii initium pictura miſſa fuit. Bulbus ei exiguus, bulbi tamen aliarum Tuliparum formam referens, ex ſpadiceo nigricante cortice tectus.

Hanc cum C. Bauhino habeo pro Tulipa pumilione anguſtifolia alba *Lob.* quantumvis J. Bauhinus diverſam faciat.

6. *Tulipa pumilio gramineo folio* C. B. *pumilio alba altera Luſitanica* J. B. *Luſitanica ſive pumilio verſicolor* Park.

Uncialis aut ſeſcuncialis hæc plantula, exilioribus brevioribúſque, anguſtifoliæ Tulipæ ſuperioris foliis, flore albo exili brevíque pediculo. Bulbus valdè parvus erat, effigie aliarum Tuliparum, duriore involucro, externè pullo, ſquamoſo obductus, interiore autem rubens.

Sponte in monte D. Oue ad maris litora provenit.

Parkinſonus Tulipam ſuam Luſitanicam verſicolorem Tulipæ minori Bononienſi & Italico ſimilem & congenerem facit, floris duntaxat colore diverſam, qui venas aliquot rubras eam percurrentes obtinet, unde à Lobeliana quam deſcripſimus diverſa videtur. Lobelius tamen florem duntaxat ſiccum vidit.

7. *Tulipa minor lutea Narbonenſis* J. B. *minor lutea Gallica* C. B. *Narbonenſis ſive Monſpelienſis vel pumilus* Park. parad.

Lob.

Foliis eſt anguſtioribus & ferè porraceis, bulbo & caule Narciſſi, minore, tenuiore, delicatiore, flore unico luteo, ad Lilium, aut potiùs ad Liliaſphodeli lutei florem accedente, filamentis luteis è medio enatis. Bulbus exilior multo, nucleum oblongum Allii æquat, ſibíque ſæpius adnatum Allium exili filo adnexum habet.

Minor eſt in omnibus Tulipa Apenninea, flores foris magis virentes, intus flavi, delicatius quiddam ſpirant: Radix etiam è tenuibus nervis in latera ſoboles & bulbillos ſpargit. *Cluſ.*

Lobelio è Cebennis montibus primùm eruta eſt. *Locus.*

8. *Tulipa Hiſpanica Narbonenſi paulo minor* J. B. *minor ex luteo purpuraſcens* C. B.

Narbonenſi paulò minor eſt, ejus florem non vidit Cluſius ſed Narbonenſi ſimilem eſſe intellexit, qui folia tamen habeat foris non omnino viridia, verùm purpuraſcente etiam colore perfuſa.

9. *Tulipa lutea Bononienſis* J. B. *Bononienſis flore luteo* Park. *minor, lutea Italica* C. B. *J. B.*

Mediocriter magno bulbo prædita eſt, oblongo, fibroſo, ſapore dulci & grato, qualis eſt Tuberum terræ, ſpadiceo (ut ait Cluſius) cortice tecto, qui in binas aut plures ſoboles ſingulis annis dividitur, proximo anno flores daturas: quin & alias ſubinde obliquè & in latera ſpargit (præſertim quæ nondum florem tulit) non in altum rectà mergit. *Caulem* profert cubitalem & bicubitalem, nonnunquam in ramos binos aut ternos *Cluſ.* ac etiam plures ab una radice (ut aſſerit Camer.) diviſum, anguloſum, colore herbaceo, faſtigium versùs purpurante: *Folia* dodrantalia aut ampliora, aliqua minora, unciam lata, partim à radice ſtatim, partim à caule exeunt, nullo pediculo, carinata, calore glauco. Flos unicuique ramo odore ſuavi, Leucoii Cheiri dicti, ſed imbecilliore, mediocriter magnus, foliis ſex conſtans, quorum exteriora tria extrinſecus è luteo purpuraſcunt aut vireſcunt, intrinſecus lutea, tria reliqua penitus lutea, niſi quòd mucrone tantillum rubent. In medio apices lutei ſeni cum ſtylo triquetro viridi, qui in ſiliquam magnam abit. *Semen*, teſte Cluſio, ut in reliquis Tulipis, ſed longè minus.

Parkinſonus in Paradiſo præter Bononienſem Tulipam aliam Italicam majorem & minorem proponit, quæ tamen mihi à præcedenti non videntur differre. Vide apud ipſum earum deſcriptiones.

10. *Tulipa Bononienſis ſive bombycina flore rubro major* Park. parad. *item Tulipa pumilio rubra, ſive Bergomenſis rubra media & minor* ejuſdem. *Tulipa minor rubra* C. B. *fortè etiam Tulipa bombycina Cretica* ejuſdem.

Hujus bulbus quàm Tuliparum majorum longior eſt, neque ad baſin eminentiam habet qualis in illis cernitur, præcipue verò ab iis differt, quòd ſummitas ejus copioſa lanugine ſericea flavicante inſtruitur; quin & cortex ſeu membrana exterior lucidiore ſeu pallidiore rubro colore tingitur, neque adeò facile delibratur; nec tantùm rectà deorſum ſed ad latus etiam ſe extendit, Tulipæ Bononienſis luteæ mox deſcriptæ in modum. *Folia* edit lata longáque, anguſtiora tamen & obſcuriùs viridia quàm Tuliparum ſerotinarum, nec pariter glauca ſeu canentia, tria quatuórve in *caule*, florem in faſtigio geſtante reliquarum ſimilem, petalis tamen longioribus & anguſtioribus fundo nigro, colore pallidè rubente, minùs hilari quàm in Tulipis majoribus, odore tamen gratiore, & ad Tulipæ luteæ Bonon. accedente.

Tulipa bombycina Cretica *C. B.* Tulipam Bononienſem facie & formâ refert, ſed bulbus lanugine obſitus & velut tomentoſus eſt.

11. *Tulipa bicolor* Park. *bicolor tribus luteis & tribus rubris foliis Caccini* Cluſ. cur. poſt. ad.

Folia habet valdè anguſta, Hyacinthinis non latiora obſcurè viridia. Floris petala tria rubra ſunt, tria verò lutea.

12. *Tulipa variegata Perſica* C. B. *Perſica præcox* Cluſ. cur. poſt. *Perſica* Park. *Cluſ.*

Caulem Cluſio pedalis duntaxat longitudinis protulit, at Matthæo Caccini, à quo bulbum accepit Cluſius, bipedalis, ſatis gracilem, quatuor foliis non valdè latis præditum, imò anguſtis, & Narbonenſis Tulipæ foliorum latitudinem haud ſuperantibus, non adeò tamen virentibus, & ad præcocium Tuliparum colorem magis accedentibus ac carinatis, qui ſupremâ parte florem ſuſtinebat delicatulum, Narbonenſis vel Hiſpanicæ Tulipæ flore paullò majorem (quin altiùs aſſurgat, & majorem florem libero loco nata proferat planta non dubito) ſex foliis binas uncias longis conſtantem, quorum terna exteriora paullò longiora & mucronata, foris quidem ſuave-rubentis coloris, oris tamen albis, internè verò prorſus albis, tria autem interiora folia, quæ aliquantulum breviora, mucronem habebant nonnihil orbiculatum, niveíque planè erant candoris, omnium autem ungues purpureâ maculâ inſigniti; ſtamina nigra; apices etiam nigri. Bulbus exiguus, ut qui exiguæ nucis Avellanæ magnitudinem non excedebat, cortice foris nigricante & fuſco tectus, interiore parte molli lanugine fuſci & quodammodo ferruginei coloris obſitus, quali ferè Rhododendri ſemen eſt, aut caſtanearum cortex ipſum nucleum tegens. *Semen* in hortis noſtris raro ad maturitatem perducit, Bononienſis tamen Tulipæ ſimile eſſe aiunt. Poſt primum annum rariùs apud nos floret ob aeris inclementiam, ſed bulbus paullatim languet, & ſingulis annis minuitur, donec tandem penitus intereat.

Præter deſcriptas duas tréſve adhuc alias Tulipæ minoris ſpecies habet Parkinſonus, nimirum Tulipam Creticam, Tulipam Armeniacam, & Tulipam de Caffa, quarum deſcriptiones apud ipſum vide.

Vires. An iiſdem facultatibus cum Satyrio Tulipæ præditæ ſint, neminem periculum feciſſe intellexi, inquit Cluſius. Jo. Muller Pharmacop. Vienn. multos Tulipæ bulbos condiit, radicum Orchidis inſtar, quibus longè ſuaviores, & palato gratiores deprehendebam: an verò id præſtarent quod Satyrio tribuitur nondum intellexi. Parkinſonus etiam ſcribit ſe Tuliparum radices cum Sacchro condiiſſe Eryngii aut Orchidum in modum, eáſque ſapore delicato Eryngii radicibus vix cedere comperiſſe: an verò venereæ facultaiis aliquid obtineant nec ipſum magis quàm Cluſium ſcire, nec ab aliis didiciſſe: quòd ſi Orchidum radicibus hujuſmodi facultas inſit, veriſimillimum judicare & has etiam ejuſdem participes eſſe.

Tuliparum innumeras ferè varietates recenſent florum cultores, quas enumerare tædio Lectori eſſet; conſulantur Parkinſoni Paradiſus, C. Bauhini Pinax, & Flora D. *Rea.* Harum accidentalium varietatum cauſas explicavimus. Nec enim eas huc tranſcribere operæ pretium putamus, cùm & aliæ multæ varietates novæ nullo certo aut definito numero à ſemine ſato obtineri poſſint, quas ſiquis omnes deſcribere vellet, de unico hoc flore integrum volumen componere poſſit: quod idem de aliis bulboſis intelligatur.

CAP. VII.

De Ornithogalo.

Ὀρνιθόγαλον propter lacteum colorem qui in flore nitet, ſimilem ei qui in alis aut oris gallinarum obſervatur, nomen accepiſſe videtur *C. B.* Alii potiùs à radice lactea dictum arbitrantur.

Notæ Ornithogali genericæ ſunt ſtaminula florum lata, ſpicata, quorum tria acuminata, tria bifida ſeu ſinuata ſunt. Stamina hæc capitulum ſeminis ſeu ſtylum includunt arctè coeuntia, etiam explicatis foliis exterioribus: radix lactea; florum petala averſa parte lineis virentibus notata.

A. 1. *Ornithogalum anguſtifolium majus floribus ex albo vireſcentibus* C. B. *Aſphodelus bulboſus* Ger. *Aſphodelus bulboſus Galeni, ſive Ornithog. majus flore ſubvireſcente* Park. parad. *Aſphod. bulboſus Dodonæi, ſive Ornithog. ſpicatum flore virente* J. B. **Spiked Star of Bethlehem, with a greeniſh flower.**

J. B.

Similis Ornithogalo Monſpelienſi ſpicato pugnum implet hujus *bulbus*, albus, ſubdulcis, è quo exeunt prægrandia *folia* porracea, carinata, humi ferè fuſa, ſapore viſcido: inter quæ ſurgit rectus *caulis*, unicus, lævis, nudus, teres, duobus cubitis altior, potiſſimùm culto, in quo dodrantalis ſpica *florum* Aſphodeli & Ornithogali ſpicati, ex longis pediculis folliculo aliquouſque incluſis, colore herbaceo vel ex luteo pallido, odore grato, ex ſenis foliis ſtellatis conſtantium, in quorum medio rectâ ſurrectæ fibræ, latiuſculæ, foliis numero pares, albiores, in mucronem acutiſſimum deſinentes, *apices* ſuſtinent, ex luteo albidos, *capitulum* ambientes triquetrum, oblongum. [Pericarpium tria interſtitia habet plena ſemine Ornithogali albi ſpicati ità ſimili, ut diſtinguere non poſſimus] Semen autem parvum eſt nigrum, anguloſum, ſapore leguminoſo, vel potiùs rugoſum Staphidis agriæ modo, ſolidum, intus candidum ſapore quaſi leguminoſo, quo maturo pericarpia ſe aperiunt in tres partes.

Propè Genevam versùs Salevam montem inter ſegetes invenimus. Tho. Williſellus eam obſervavit in colle quodam tribus cis Briſtolium milliaribus, inter vepres, viâ quâ inde Bathoniam itur. Cluſius inter ſegetes Pannoniæ ſatis frequentem obſervavit. Floret Maio & Junio menſibus, aut ſeriùs paulló. *Locus & Tempus.*

2. *Ornithogalum majus ſpicatum album* Park. *ſpicatum flore albo* C. B. *ſpicatum* Ger. emac. *ſpicatum albo flore Monſpeſſ.* J. B.

J. B.

Huic *radix* bulboſa unica eſt, magna, Cepam imitata, Cluſio candidior quàm præcedentis flore virenti, & longior interdum, in amplam magnitudinem extuberans: *folia* cubitum longa, pollicem lata, extremo mucrone acuminato: *Caulis*, quantum hactenus obſervare datum eſt, ſingularis, robuſtus cubito longior, ac etiam bicubitalis, teres, firmus [Cluſio viridior præcedente] à medio ferè ad ſummum faſtigium compluribus ornatur ſenſim ſe aperientibus *floribus*, tam denſo agmine circa faſtigium ſtipatis ut ſpicam ementiantur, quorum ſingulares tam propè ad Ornithogali albi minoris flores accedunt, ut pro iis fallant decerpti, intus albi, foris herbacei, apicibus in medio luteis, foris præter oras quæ albæ ſunt omnino virides, interiùs verò dum explicati ſunt lactei omnino candoris. *Semen* in triangulis capitibus alteri ſimile, ſed paulò majus & oblongius, nigrum, rugoſum, inæquale, ut in Staphide agria, ſed parvum admodum.

Inter ſegetes Monſpeliano agro & per Hiſpanias obſervavit Cluſius. Maio floret. *Locus.*

Cæſalpinus inveniri ait interdum flore luteo.

* 3. *Ornithogalum majus ſpicatum alterum* C. B. *Byzantinum Cluſio* J. B. *Spicatum minus* Ger. emac.

Paullò humilius eſt præcedente, dilutiore etiam caule & foliis (inquit Cluſius) quod cœpit Byzantio deferri aliis bulbis permixtum, nullo addito nomine.

* 4. *Ornithogalum ſpicatum flore viridi lacteſcente* C. B. *Pannonicum albo flore* Cluſ. *Pannonicum* Ger. Park. *Creticum & Pannonicum albo flore* J. B.

Cluſ.

Huic quinque aut ſex ante hyemem, ut Arabico, ſed præter reliquorum conſuetudinem, germinant *folia*, humi expanſa, anguſta, digitalis longitudinis, ex viridi incana, & Caryophylleorum florum altilium foliis formâ & colore valdè ſimilia, aliquantulum hirſuta, herbacei guſtûs & inſipidi: Subſequente Aprili, foliis flacceſcere incipientibus, inter illa exſilit dodrantalis *cauliculus*, ſenos aut plures ſpicatim cohærentes ſuſtinens *flores*, qui è ſenis foliolis compoſiti Maio menſe aperiuntur, interiore parte non minùs lactei candoris quàm in * ſecundo genere, foris nervo viridi illorum dorſa ** Vulgari.*

occupante ut in vulgari: triangula deinde *capita* nigrum, rotundum *ſemen* continentia. *Radix* ſubeſt bulboſa, longa, candida, lento humore plena, guſtûs primùm inſipidi, deinde acris, foris cineraceâ tenui membranâ obducta, & ſeſſili parte multis candicantibus fibris capillata. Illud peculiare habet hæc planta, ut natali loco, ubi ſponte naſcitur, magna ex parte cùm floribus onuſta eſt, ſine foliis conſpiciatur, aut ſaltem jam ferè evanidis & flaccidis. At in hortis culta diutiùs plerunque folia retinere ſolet, & in majorem amplitudinem excreſcit, ſpicam vicenûm aut plurium florum nonnunquam proferens.

Locum natalem titulus indicat.

J. Bauhinus Ornithogalum Creticum, quod ab Honorio Belli accepit, huic idem putat. Addit in ſinu floris velut glomulum eſſe ſtaminibus cinctum: *Semen* parvum, nigrum, rugoſum, ac velut araneoſis punctulis eleganter impreſſum, rotundum niſi quòd una parte modicè acutum ſit, durum, intus candidum, ſapore ſubdulci.

5. *Ornithogalum maximum floribus prorſus niveis* Cluſ. J. B. *latifolium & maximum* C. B. *maximum album* Park.

Cluſ.

Multa id ineunte vere ab radice producit *folia*, longa, dilutiùs virentia, latioráque quàm Narbonenſe aut Byzantinum: inter quæ prodit ſeſquicubitalis & amplior interdum *caulis*, viridis, lævis, magnam longámque *florum* ſpicam gerens, ut centenos & plures in eadem ſpica numerare meminerim, ſex foliis acuminatis conſtantes, nivei prorſus candoris, & nullo nervo viridi ut aliorum flores inſignitos [in hortulo noſtro floribus qui primo aperiebantur petalorum apices virebant] qui interdiu explicantur, ſéxque *ſtamina* brevia & latiuſcula, alba, flavis apicibus prædita, *capitulúmque* trigonum cingentia, & umbilicum occupantia oſtendunt, noctu verò contrahuntur aliorum inſtar. [Singuli flores pediculis duas uncias longis inſident, & è ſinu folioli oblongi exeunt.] Floribus excuſſis ſuccedunt trigona *capita ſemen* rotundum nigrum continentia. *Radix* bulboſa, craſſa, candida, è lata ſede multas fibras emittens. [Folia marceſcere incipiunt antequam flores aperiantur, & ſi ſeriùs floret penitus exſiccantur antequam florere deſinat.] Floret cum aliis majoribus Maio, interdum etiam Junio pro anni præcocioris aut magis ſerotini ratione.

6. *Ornithogalum latifolium alterum* C. B. *Æthiopicum* Cluſ. cur. poſt. Park.

Cluſ.

Ex *radice* Ornithogalo majori vulgari (quod nonnulli Aſphodelum Galeni cognominant) pænè ſimili, teſte *Davide Moſtart*, qui hujus folia cum aliquot floribus ad * me mittebat, multa producebat *folia*, pedalem longitudinem habentia, unciam aut paullo amplius lata, mollia, quæ confracta tenui lanugine prædita apparebant, perinde ac Eriophori folia, (quam ſimiliter notam in aliquot aliarum bulbacearum plantarum foliis non ſemel obſervare memini) inter quæ cubitalis aſſurgebat *caulis*, ſatis firmus, viridis: à cujus medio ad ſummum uſque faſtigium prodibant *flores*, uncialibus & longioribus, iíſque craſſiuſculis & viridibus pediculis inhærentes, ſex foliis niveis conſtantes, Ornithog. Arabici floribus pænè ſimiles, nec iis multò minores, quorum ungues aliquantulum flaveſcebant, ex eorum autem umbilico prodibant ſex candida *ſtamina* flavis *apicibus* prædita, quorum terna latiore baſi *capitulum* medium craſſiuſculo brevíque *ſtilo* præditum amplectebantur, ac illud trigonum, quod ſucceſſu temporis oblongum evadebat, *ſemen* continens.

* *Cluſium.*

Locus. Propè promontorium Caput bonæ ſpei dictum collectum fuit.

7. *Ornithogalum Neapolitanum* Ger. J. B. Park. *exoticum magno flore, minore innato* C. B.

Cluſ.

Folia huic carinata, longa, Hyacinthinis non valdè diſſimilia, verùm anguſtiora, viridia. *Caulis* craſſus, ſatìs firmus, dodrantem altus, lævis, viridis, ſuſtinens ſuperna parte *flores* denos, duodenos aut etiam plures, pediculis ſemuncialibus pendulos, in anteriorem partem propendentes, tametſi alternis in ſingulis caulis lateribus naſcentes è cujuſdam membranulæ ſinu; foliis ſex acuminatis, internâ parte candidis, externâ autem ex cineraceo vireſcentibus, oráſque albas habentibus conſtantes. Floris umbilicum occupat alius floſculus ſex etiam foliis minoribus ſurrectis, & vaſculum quoddam ſeu tubulum efformantibus compoſitus: in quo apparebant ſex alba *ſtaminula*, flaveſcentibus apicibus donata, & medius ſtylus albus. Flores porro prorſus ſunt inodori; quibus ſuccedunt trigona *capitula* craſſiuſcula, in obtuſum mucronem deſinentia, caulem propter gravitatem deprimentia *ſemine* nigro rugoſo repleta. *Radix* bulboſa candicans, fuſcâ tamen membranâ tegitur, in conum ſupernâ parte faſtigiata, inferna autem plana, perinde ac Ornithogali Arabici radix, minus tamen ampla ſede, ſed multis candidis fibris in ambitu prædita.

Locus. Hæc planta Hyacinthus arvorum Ornithogaloides dicitur; quam in agro Neapolitano frequentiſſimam, eodémque tempore cum comoſo Hyacintho vulgari botryode florere ſcribit.

8. *Ornithogalum Arabicum* Park. Cluſ. *majus Arabicum* Ger. emac. *umbellatum maximum* C. B. *Lilium Alexandrinum ſive Ornithogalum magnum Syriacum* J. B. **Great Arabian Star-flower.**

Cluſ.

Oblonga habet *folia*, viridia, carinata, Hyacinthi Orientalis foliis adeò ſimilia, ut ab iis vix diſcernat quiſpiam niſi in hoc ſtudio benè exercitatus, præſertim in planta ſuo caule ac floribus viduatâ, minimè autem Narciſſi foliorum æmula: inter quæ cubitalis emergit *caulis*, lævis, nudus, gracilis, vireſcens, quem aliquot in ſummo naſcentes confuſo ordine ambiunt ramuli, ſive longi pedicelli *flores* magnos ſuſtinentes, Narciſſinis magnitudine pares, ſed Ornithogali formâ præditos, illorúmque modo ſub veſperam ſe claudentes, ſex foliis prorſus albis conſtantes, medicati odoris & præmanſum Coriandrum ferè referentis, triangulari capitulo nigro, ſplendente, medium florem occupante, quod ambiunt ſex alba ſtamina flavo apice coronata : Semina nunquam adhuc obſervare licuit, licet ſingulis annis Byzantio cum aliis ſtirpibus ejus bulbi Viennam miſſi fuerint, quorum nonnulli *flores* dederint : *capitula* tamen incrementum capientia ſeneſcente flore, & ex nigro viridem colorem contrahentia, ut ſemen datura viderentur, paullatim contabeſcere cœperunt. *Radix* bulboſa, Hyacinthi æmula, candicans plerunque, è multis tunicis conflata, lata admodum ſede, & in ambitu fibras ſpargente.

Floret Maio. *Tempus.*

Mira eſt (inquit Cluſius) hujus bulbi natura, nam plerunq; experti ſumus vix ulla folia promere, niſi ſingulis annis exemptas aliquanto tempore adſervetur, deinde Autumno terræ denuo concredatur, tum enim demum germinare ſolet etiam ante brumam : nullus autem florere mihi conſpectus eſt niſi recens Conſtantinopoli allatus. Nam ex illorum numero eſt qui niſi iſthic eruti conceptum jam in utero florem habeant, nullum dent in frigidiores provincias tranſlati. Frigoris valdè impatiens cùm ſit, hyemes noſtras non fert, ſed in fictili reponendus eſt, ubi bulbis circa matrem adnatis feliciter ſe propagare ſolet.

A. 9. *Ornithogalum vulgare & verius* J. B. *vulgare* Ger. Park. *umbellatum medium anguſtifolium* C. B.

J. B.

Radix bulboſa, candida, quæ multos bulbulos adhærentes habet, veluti racematim compactos, fibroſos, ſe plurimùm multiplicantes, guſtu amaricante, lentâ ſpumoſâque mucagine maſticatos os replentes. *Folia* promit anguſta, tenuia, ſemipedalia, caulem ſuperantia, carinata, medium eorum lacteâ diſcurrente lineâ, in terram ſtrata, mollia, & inter hæc caulem palmarem aut ſemipedalem, tenerum, teretem & nudum, qui circa faſtigium pediculos emittit, quorum unicuiq; ſubjectum foliolum oblongum, membranaceum, *flores* ſuſtinentes è foliis ſenis compoſitos, oblongis acuminatis, lacteo intus candore, foris nonniſi per oras, medio herbido : intra quæ *ſtamina* latiuſcula ſena, candida, in mucrones acutos faſtigiata, quibus inſident apices pallidi : in eorum medio capitulum ſtylum è ſummo profert albidum, *ſemina* continens compreſſa, nigri coloris. *Flores* autem in ſummis caulibus velut in umbellas expanſi ſunt.

In Germania, Italia & Gallia ſponte provenit : aiunt & in Anglia ſpontaneum inveniri, & nos quidem in pomariis ad ſepes vidimus copioſum, fortè tamen olim ibi ſatum. Habetur major hujus ſpecies ſi C. Bauhino credimus. *Locus.*

10. *Ornithogalo vulgari ſimile latiore folio* J. B. *Ornith. umbellatum album medium latifolium* C. B. *Ornith. aliud vulgare* Cluſ.

J. B. Cluſ.

Hujus caulis J. Bauhino brevis, flores ampliores quàm præcedentis, exteriùs virides interiùs albi, *folia* latiora duplò, lineâ albicante deſtituta; bulbus paullo major.

E Tyrolenſi comitatu allatus eſt; quin & Neapoli ad Cluſium miſit Fer. Imperatus. *Locus.*

11. *Ornithogalum album minus* C. B. *Ornithogalum minus è Pyrenæis* Cluſ. J. B.

Cluſ.

Ab Ornithogalo Hiſpanico minore *Cluſ.* in eo duntaxat Cluſio videbatur differre, quòd iſtius flores paullò majores apparerent, petalis ſingulis foris nervo ſeu venâ ſubcœruleâ ſecundùm longitudinem per medium eſſent diſtincta, & ſex ſtaminulorum *apices* in hoc furvi qui in illo violacei.

12. *Ornithogalum Hiſpanicum minus* Ger. Park. Cluſ. J. B. *Ornith. umbellatum floſculis ex albo ſubcœruleis* C. B.

Cluſ.

Ex parvo, orbiculari, albicante *bulbo* ſena aut ſeptena novo vere profert *folia*, Ornithogalo vulgari ferè ſimilia, ſed paullò anguſtiora, nullâ venâ candicante per longitudinem ſecta; è quorum medio prodit ſingularis *cauliculus*, interdum & alter, palmaris, teres, ſuſtinens ſenos, ſeptenos aut plures *floſculos*, alternatim quidem naſcentes, ſed quaſi umbellam quandam efformantes, adeò æquali ſunt altitudine, non ſecus atque in vulgari & Arabico, ſenis foliolis ex albo ſubcœruleis conſtantes, totidemq; candidis *ſtaminibus* & medio *capitulo* ſubcœruleo umbilicum occupantibus. Nulla adhuc capitula vel ſemen obſervare potui, totâ comâ brevi à floribus marceſcente.

Floret Aprili. *Tempus.*

Ornithogalum cœruleum pallens *Lob. Obſ.* flore Hyacintho Autumnali pænè pari & ſimili J. Bauhinus præcedenti idem eſſe ſuſpicatur; Caſparus frater diverſum facit & Ornithogalis ſpicatis annumerat, fortè quia Lobelius florem ejus Hyacinthi Autumnalis flori penè parem & ſimilem eſſe ſcribit. Non tamen dicit Lobelius ſpicatum eſſe, ſed tantum flores ejus ſingulares illius floribus ſimiles.

A. 13. *Ornithogalum luteum* C. B. Park. *luteum ſive Cæpe agraria* Ger. *Bulbus ſylveſtris Fuchſii flore luteo, ſive Ornithogalum luteum* J. B. **Yellow Star of Bethlehem.**

J. B.

Veris munus Ornithogalum luteum *radice* eſt bulboſa, Ornithogali albi bulbum æquante, albâ, prætenuibus filamentis fibratâ, guſtu viſcoſo & ſubdulci, non amaro & adſtringente, ut annotat Fuchſius & Dodonæus. E radice ſtatim *folium* emergit porraceum, ſemunciam ferè latum, dodrantalis circiter longitudinis, in terram caducum, coloris glauci, in teretem mucronem deſinens, glabrum, ſuperiùs læve, inferiùs coſtis Plantagineis donatum, modò unum, modò duo aut tria; plura interdum folia ſunt, pinguiuſcula, anguſta, triquetra : comitatur ipſa è bulbo quoq; ortus *caulis* ſingularis, anguloſus, foliis brevior, ſubrubens, cætera nudus, alioqui ſeſcunciâ ferè infra ſummum cacumen folio præditus unico aut altero, ſextantali vel palmari, nonnunquam glabro, aliàs ſubhirſuto, oris paullùm intro flexis, ut carinam imitetur: è cujus ſinu reliquus caulis pergens, aliàs indiviſus *florem* gerit unicum, aliàs ſubdividitur, pluréſque ad novem uſque flores ſuſtinet, unicuique diviſioni folio appoſito. *Flores* ſinguli ex longiuſculis pediculis Ornithogalo ſimilibus, petalis conſtant oblongis, foris viridantibus, hirſutis, oris luteis, intus penitus flavis, medium occupantibus totidem *ſtaminibus* cum *apicibus* luteis: meditullium obtinet etiam nondum delapſo flore ſubnaſcens *capitulum* triquetrum, *ſeminis* conceptaculum, cujus ex umbilico *ſtylus* exit in apicem luteum deſinens.

Locus. In agro Pedemontano ad ſepes & inter ſegetes obſervavimus. Ad agrorum & ſylvarum cæduarum margines in Germania frequens eſt. Habetur etiam in Angliæ Comitatûs Eboracenſis Septentrionali parte, in ſylvis propè pontem *Greta* & *Brignall* vicum, ad fluvium Teſam, unde bulbulos ad nos tranſmiſit D. Johnſon.

Species ſecunda. Ornithogalum flavum Alcmarianum *Cluſ.* i. e. Orn. luteum magno flore *C. B.* flavum cum ſtaminibus rubris *J. B.* cùm florum præcipuè magnitudine & ſtaminum rubro colore à deſcripto differat, ab eo ſpecie diverſum eſſe non libenter concedimus, præſertim cùm Cluſius ipſum non viderit, ſed quæ de eo ſcribit ex aliorum relatione habuit.

Species tertia. Fortè etiam nec Ornithogalum pallido flore *Cluſ. J. B.* luteum ſive pallidum majus *C. B.* à vulgari ſupra deſcripto ſpecie differt; cui, fatente Cluſio, non valdè abſimile eſt, majori tamen *folio* conſtat, *cauléq;* craſſiore licet infirmo: biníq; aut terni quos ſuſtinet *flores* majores, minùs flavi, ſed ex herbaceo quodammodo pallidi.

Locus. In Stiriacarum & Auſtriacarum Alpium pratis ubi ſylvæ deſinere ſolent obſervabat Cluſius.

14. *Ornithogalum luteum minus* J. B. C. B. *i. e. Ornith. luteo flore* Cluſ. *Ornith. luteum parvum* Ger. emac.

Cluſ.

Unico prodit *foliolo*, duas aut tres uncias longo, anguſto, exalbidi coloris & acidi guſtûs: juxta quod tenuis, uncialis *cauliculus*, unum aut alterum foliolum ſuſtinens, è quorum medio bini aut terni exiliunt *floſculi* ſtellati, intus flavi, foris ex viridi purpuraſcentes, ſex radiolis & totidem *ſtaminibus* intus præditi: iis ſuccedunt puſilla triangula *capitula*, *ſemine* ruffo exili & inæquali plena. *Radix* alba, rotunda, cineraceo putamine obducta, exigui Piſi magnitudine. Sed & hoc culturâ aliquantulum majus evadit.

15. *Ornithogalum bulbiferum luteum minimum tenuifolium* Col. *anguſtifolium bulbiferum* C. B.

Col.

Plantula eſt ſemipedalis, *radice* bulboſa, ruffo cortice tectâ, intus albâ, capillamentis Cepæ modo tenuibus admodum: *Foliis* binis, tenuibus, Croci vel Ornithogali, minoribus, anguſtioribus, pedali longitudine: *Caule* triunciali, ſupra quem thyrſi modo vel Cyperi *folia* ſunt quina vel ſena graminea, tres aut quatuor uncias longa, in imo latiora, rubentia circa ortum, [aliàs hirſuta & candidiora] in quorum centro coacervati ſunt globuli ſeu bulbilli, Milii vel Rapæ ſeminis magnitudine aut etiam majores, flaveſcentes & purpuraſcentes, qui ſiccatâ planta in terram ſparguntur, ibidémque germinantes ſequenti anno folia emittunt ſinguli ſingula. [Invenitur alicubi abſq; bulbillis in caule.] Inter foliorum ſinus quæ bulbillos circundant petioli duo aut tres rubeſcentes, triunciales prodeunt, *flores* habentes luteos intus, foris verò virentes, ſex foliolis conſtructos, *ſtaminibus* luteis & apice in medio craſſiore ex fructu prominente, qui paullatim in flore creſcit trigonus, ſupernè latior, *ſeminibus* intus minutis arenæ inſtar refertus.

Locus. In agris tum calidarum tum frigidarum regionum primo vere floret, Februario menſe calidioribus, Martio vero frigidioribus.

16. *Ornithogalum album unifolium* Park. *Bulbus unifolius* Ger. *Bulbus monophyllos flore albo, an* Βολβίνη *Theophraſti?* J. B. *Leucoium unico & junceo folio* C. B.

Cluſ.

Valdè rara eſt hæc planta, autore Cluſio *App. alt. auct.* Eam autem redemerat à Nicolao *le Quilt*, qui in Luſitania erutam aſſerebat. Unico autem è terra prodibat *folio*, tenui primùm & prorſus junceo, quod tandem pedalem adquirebat longitudinem: duabus autem ſupra terram unciis paullò majorem adquirebat latitudinem, & canaliculatum fiebat, extremâ tamen parte manente junceâ: ubi verò latiorem adquirere incipiebat latitudinem, ex ejus medio exiliebat triuncialis longitudinis *cauliculus*, tenuis, lævis, dilutiùs virens, in cujus faſtigio alternatim ſiti erant tres *flores*, non valdè magni, qui ſex foliis candidiſſimis erant præditi, non multùm abſimiles floribus Graminis Parnaſſi, ſed nullo calyculo, ut illi, incluſi: è quorum medio prodibant ſex alba *ſtamina* flavis apicibus prædita, & umbilicum occupabat *capitellum* triangulare, ſummo faſtigio ſuſtinens exilem *ſtilum* album ſtaminum longitudinem non excedentem. Odoratus autem erat iſte flos, & Spinæ appendicis florum odorem æmulabatur. Ejus bulbus orbicularis erat formæ, nec Avellanæ nucis magnitudinem excedebat, fuſcâ membranâ tectus, ſedéq; illius multis tenuibus candidis fibris obſitâ. Bina folia, totidémq; cauliculos habuit. Flores autem aperiebantur medio Junio. Semen obſervare non potuit Autor.

17. *Ornithogalum luteo-virens Indicum* Cornuti.

Huic *Caulis* & *Folia* ſimul emergunt, longa, lata ut Pannonici, ſimiliter etiam ſulcata. *Caulis* inter hæc medius ultra pedalem longitudinem aſſurgit, rotundus, glaber viréntſq; : hunc tenuis veluti glauci coloris halitus ſuffundit, qui leviore tactu defloratur, ut in prunis integris uvíſque præmaturis videre licet. A medio ferè ad apicem uſque floſculorum globulis ſpicatur, adjectâ quibúſque folii appendiculâ, cujus cavitatibus flores ſinguli celantur, ad modum granorum in ſpica triticea, quæ gluma ſolet obtegere: Id quod familiare eſt vulgari noſtro Ornithogalo. Paullatim globuli ſe à cavitate illa ſubducunt, ſubjectíq; eorum pediculi longiùs producuntur, unáq; cum flore deorſum nutant. *Flos* tandem luteo-virens dehiſcit, ſex petalis conſtans, quorum tria externa latiſſimè expanſa luteo colore fimbriantur, tria verò interna in ſe compreſſa manent, ut Leucoii minoris verni,& mucrones habent intro reflexos,quibus *ſtamina* alba cum apicibus luteis reconduntur: tria verò his interpoſita ſtamina *apicibus* carent. Piſtillum triangulare medium floris occupans ſeminibus parvis turget: hujus in apice mollis ſtat epiphyſis, quæ cum flore marceſcit.

Nunquam floris hujus folia vento aut vetuſtate decutiuntur, ſed in ſe contracta & occluſa tabeſcunt.

17. *Ornithogalum cœruleo pallente flore* C. B. *Ornith. cæruleum pallens* Lob. ob.

Ornithogalis qualibet ſui parte valde cognatum & affine, ſed flos cœruleus, Hyacintho Autumnali pænè par & ſimilis.

Cap. VIII.

De Hyacintho.

Hyacinthum, ut Plinius lib. 21. cap. 11. duplex comitatur fabula, luctum præferens ejus quem Apollo dilexerat (Hyacinth. vocat.) aut ex Ajacis cruore editi, ita diſcurrentibus venis, ut Græcarum literarum figuræ A I inſcriptæ legantur. Utraq; fabula habetur apud Ovidium in Metamorph. altera lib. 10. ubi de Apolline ita canit v. 215.

> *Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit, & Ai Ai*
> *Flos habet inſcriptum, funeſtaq; litera ducta eſt.*

Altera lib. 13. quam ſic concludit.

> ——— *rubefactáq; ſanguine tellus*
> *Purpureum viridi genuit de ceſpite florem,*
> *Qui priùs Oebalio fuerat de vulnere natus.*
> *Litera communis mediis pueróq; viróq;*
> *Inſcripta eſt foliis, hæc nominis, illa querelæ.*

Nam literæ Αι ſunt primæ nominis Αἴας, ſúntq; interjectio lamentandi aut deflendi.

Hyacinthus Veteribus duplex eſt, Medicus & Poeticus. Poeticum eruditi plurimi ob venarum in flore ductus literas Αι referentium Conſolidam regalem eſſe opinantur.

Cæterum Hyacinthus ab Ornithogalo differt florum ſtaminibus tenuibus & anguſtis, petalis puris ſeu unicoloribus, nam flores ſeu ſpicam florum habere nullo perianthio involutum utriſq; commune eſt, non tamen Leucoio bulboſo quem quidam ad Hyacinthum reducunt.

§. 1. *Hyacinthus ſtellaris.*

A. 1. *Hyacinthus ſtellatus Fuchſii* Ger. *ſtellatus vulgaris, ſive bifolius Fuchſii* Park. parad. *Stellatus bifolius & trifolius vernus dumetorum flore cæruleo & albo* J. B. *ſtellaris bifolius Germanicus* C. B. *item trifolius* ejuſdem. **Small vernal Star-Hyacinth.**

J. B.

Ex *radice* bulboſa, oblonga, fibroſa, alba, guſtanti viſcida & ſubdulci exit *coliculus* junceus, fragilis, palmaris & pedalis, fuſcus, radicem verſùs exalbidus; duobus *foliis*, interdum tribus, longiuſculis, carinatis, à bulbo ſtatim exortis ſtipatus, qui in pediculos pro florum numero plures paucioréſve ad duodecim nonnunquam, nunc breviores, nunc longiores, teretes divaricatur, licet aliquando ipſe coliculi ſcapus floſculum ſingularem gerere reperiatur. *Flores* pulchri, cœrulei, rariùs albi, ſtellati, ſex foliolis diſtinctis, anguſtis, mucronatis conſtantes, in quorum medio *ſtaminula* ſex dilutè cœrulea ſuſtinent *capitella* ſaturatiùs tincta, piſtillum turgidulum mucronatum concolorem circumſtantia; at ſi *flos* albus tum *ſtaminula* quoq; alba *apicibus* luteis prædita piſtillum album ambiunt. Succedit capitulum in quo *ſemen* non atrum, ut in aliis Hyacinthis, ſed fuſcum duntaxat & veluti fuligine infectum.

In inſulis quibuſdam circa Cambriam copioſè provenit, ut v. g. in Bardeſeia. In Germaniæ campeſtribus & juxta ſepes: Circa Genevam etiam & Monſpelium. Primo vere floret. Locus.

Hyacinthum ſtellarem album à præcedente cum J. Bauhino non diſtinguimus, cùm ſolo floris colore, qui merè accidentarius eſt, differat: at neq; Hyacinthum ſtellatum cœruleum ſtaminulis ex viridi luteis *C. B.* neq; Hyac. ſtellatum flore rubente *Park.*

2. *Hyacinthus ſtellaris albicans ſerotinus* J. B.

Hunc C. Bauhinus cum Hyacintho ſtellari albo eundem facit: frater J. B. diſtinguit. Lobelio in Ap. ſeriùs floret & folia exiliora habet: Flos aſpectu jucundus albicat, ſeptem interdum aut pluribus floribus luxuriat.

Locus. In Belgium delatus eſt è Biſcaiæ montibus.

Perperam pictus eſt à Lobelio cum flore pentapetalo.

3. *Hyacinthus ſtellaris vernus parvulus, flore ex cœruleo cinereo* J. B. *ſtellaris minimus* C. B. *parvulus ſtellaris vernus Lobelii* Ger. emac.

Lob.

Flores terni aut quaterni, ſtellati, ex cœruleo cinerei, ſenis foliolis totidémq; ſtaminulis & apicibus cœruleis obſcuris conflati, piſtillo in medio cum umbone ex cœruleo cinereo. Vix palmaris eſt plantula, *foliis* anguſtis, ſurrectis quatuor aut quinq;. *Radix* parva, alba, oblonga, parùm fibrata.

Johnſonus apud *Ger. emac.* hanc ſpeciem tertiam ponit in capite de Hyacintho Autumnali.

4. *Hyacinthus ſtellaris major* J. B. Lob. *ſtellaris purpureus* C. B.

Lob. Ad. p.2.

Omni ſui parte duplo major eſt Hyacintho ſtellari Germanico; *flores* intenſioris purpuræ. *Radicis* bulbus albet.

His addit Parkinſonus Hyacinthum ſtellatum Martium ſive præcocem cœruleum, eundémq; flore albo & flore ſuave-rubente.

5. *Hyacinthus ſtellaris flore cinereo* Park. *ſtellatus multiflorus cineracei coloris* J. B. *ſtellatus Someri* Ger. *ſtellaris ſpicatus cinereus* C. B.

Lob.

Facie tota, ſparſis foliis & cauliculo ſpithamæo Hyacinthum Anglicum quadantenus æmulatur; ſed umbellæ inſtar initio ſtipatim ſtellati, ſubcœrulei, pallidi *flores* [ad triginta interdum aut plures] Plantaginis Roſeæ modo in latam expreſſam aut aliquantulum depreſſam ſpicam, & tandem in longam faſtigiati. Floribus ſuccedunt capitula trigona ſemen continentia. *Radix* bulboſa, candida, inſtar radicis Hyacinthi Anglici.

Floret cum vulgari ſub extremum Martium, vel etiam Aprili, paulò tamen ſeriùs vulgari.

Locus hujus natalis non traditur, quod ſciam; in hortis tamen noſtris frequens eſt.

6. *Hyacinthus ſtellatus Byzantinus major flore Boraginis* Ger. *ſtellatus Byzantinus alter, ſive flore Boraginis* Park. *ſtellatus Byzant. alter elegantiſſimus ſerotinus bullatus* J. B. Lob. *item Hyacinthus rarus* J. B. *Hyac. ſtellaris cœruleus amœnus* C. B. *qui & Hyacinthum latifolium Dalechampii huc refert, quoad iconem.*

J. B.

Radice nititur bulboſa, magna, fibris donata, alba, alicubi purpuraſcente, ſapore ſubdulci, viſcido & nauſeoſo. *Folia* à radice quaterna aut quina, per terram ſparſa, unciam lata, Hyacinthi ſtellaris dumetorum latiora [à quo differt licet affinis] longitudine cubitali, carinata, ſtriata & ſplendentia: *Caulis* tenuis, unus vel duo, interdum quaterni, cubitum alti, [alii palmum, ſeſquipalmum & palmos duos longi] purpurantes, nitentes, anguloſi, *flores* ſuſtinent in ſummo faſtigio quatuor, quinq;, vel ſex, à lateribus, petalis 6, ſublongis, acuminatis, cœruleis, vel potiùs violaceis, ungue albicante, decurrente per longitudinem lineâ ſaturatiore violâ tinctâ, ità à ſe invicem ad pediculum uſq; diſtantibus ut radiatam ſtellam æmulentur. Medium occupat *capitulum* rotundum, canaliculatum Piſi parvi magnitudine, album, loculamenti ſeminum rudimentum, quod ordine circumſtant ſtamina rigidula, ſena, violacea, circa imum albicantia; è medio autem capitulo ſtilus violaceus emicat: pediculi inferiorum quidem florum plus quàm duas uncias longi, purpurantes, ſplendidi, ſurrecti, ſuperiorum verò vix culmum latum longi, mediorum medio modo ſe habent.

Tempus. Locum titulus indicat, menſe autem Aprili floret.

7. *Hyacinthus ſtellatus Byzantinus* J. B. *ſtellatus Byzantinus nigra radice* Park. parad. *ſtell. Byzant. nigra radice, flore cœruleo* Ger. *ſtellaris obſoletè cœruleus vel major* C. B.

Cluſ. Park.

Quaterna huic aut quina ſunt *folia*, humi fuſa, longa, carinata, dilutè virentia, Hyacinthi Anglici foliis æqualia ſed breviora: inter quæ *caulis* aſſurgit digitalis ferè longitudinis, gracilis & infirmus, quinq; aut ſex *floſculos* ſuſtinens, ſtellatos, dilutè cœruleos, inodoros, petalis à ſe invicem diſtantibus cùm flores explicantur nec adeò contiguis & admotis ut in aliis congeneribus: ſtaminulorum *apices* purpurei. Succedunt *capitula* triangula, qualia in vulgari ſed inania: raró etenim *ſemen* ad maturitatem perducit, quoniam capitula plerunq; ob gravitatem ſuam à caulibus infirmis ſuſtineri nequeunt, ſed humi ſtrata, vel ab humore vel à pruinis corrumpuntur. *Radix* bulboſa eſt non magna, nigro cortice tecta, & fibris nonnullis longis, craſſis, albis ſubtus prædita.

Magnam cum præcedente affinitatem habet.

8. *Hyacinthus ſtellaris Byzantinus major* Park. parad. *ſtellaris Byzantinus major flore cœruleo* Ger. emac.

Park. par.

Præcedenti omni ſua parte major eſt, aliàs ei perſimilis. *Folia* ad radicem plùra & multò majora obtinet: radicem triplo quàm illius majorem, non tamen exteriùs nigricantem, ſed albam.

9. *Hyacinthus ſtellatus cæruleus ſtriatus* C. B. *Hyac. ſtellatus Porreti* Cluſ. cur. poſt. *ſtellar. Porreti, flore cœruleo, ſtriis purpureis* Ger. emac.

Cluſ.

E craſſiuſculo & quaſi nucis juglandis magnitudine bulbo quaterna duntaxat promebat *folia* latiuſcula, præcedentis foliis non valdè diſſimilia; inter quinque aut ſex exiliebant dodrantalis longitudinis *cauliculi*, firmiores quam in illo, purpuraſcentes & ſtriati, ſuſtinentes è longis petiolis dependentes ſeptem aut octo *flores* expanſos, cœruleos, venâ media petala ſecante ſaturatiore & quaſi violacei coloris. Floris umbilicum occupabat trigonum *capitellum*, vireſcens exiguo *ſtilo* prominente præditum, ſex violaceis *ſtaminulis* cincto, quorum apices nigri.

Flos Aprili aperiebatur, & tenuem quendam atque evanidum odorem habebat. Excuſſo flore trigona illa capitula maturitatem adepta puſillum nigrum *ſemen* continere deprehendebantur. *Radix* autem non valdè diſſimilis erat Hyacinthi ſub Autumnum flores proferentis bulbo.

Proximè accedit ad Hyacinthum rarum *J. B.* ſuperiùs deſcriptum, ſi non idem ſit.

10. *Hyacinthus ſtellaris ſature cæruleus* C. B. *Hiſpanicus ſtellato flore* Cluſ. cur. poſt. *Hiſpan. ſtellar. flore ſaturè cæruleo* Ger. emac.

Cluſ.

Terna aut quaterna producit *folia*, humi expanſa, pedem longa, viridia, carinata, ſemunciam verò lata, atque ſenſim in mucronem deſinentia: inter quæ ſub extremum Aprilem prodiit *caulis* dodrantalis aut paulò longior, viridis, firmus, ſuſtinens ex intervallis octodecim aut viginti *flores*, ſex foliis ſtellæ in modum expanſis præditos, coloris cœrulei ſaturi, præſertim circa umbilicum, nec valdè diſſimiles Eriophori Peruani floribus, è quorum umbilico prodibant ſex pallida *ſtamina* medium *capitellum* violacei coloris amplectentia, trigonum. Semen quale eſſet Cluſio ignotum.

11. *Hyacinthus ſtellatus æſtivus major* Park. parad. Ger. *ſtellatus æſtivus* J. B. Cluſ. *ſtellaris æſtivus cæruleo-purpuraſcens major* C. B.

Cluſ.

Quaternis, quinis aut pluribus *foliis* præditus eſt, viridibus, carinatis, palmum longis, ſatis anguſtis, humíque quaſi in orbem ſtratis, alioqui ſatis firmis, inſtar foliorum Hyacinthi ſtellati flore cinereo; inter quæ aſſurgit palmaris *cauliculus*, ſatis firmus, ſuſtinens in oblongis petiolis inter appendiculas purpuraſcentes prodeuntibus decem aut duodecim *floſculos*, ex cœruleo purpuraſcentes, nullius aut certè perexigui odoris, umbilicum occupante umbone ſive capituli rudimento mucronato, cincto ſex *ſtaminulis* ex albo purpuraſcentibus, quorum *apices* cœrulei. Fiebant tandem ea capitula triangula & mucronata, qualia ferè in Hyacintho Belgico, quæ maturitate dehiſcentia *ſemen* continere deprehendebantur rotundum, nigrum, ſplendens, illius ſemini prorſus ſimile. *Radix* bulboſa eſt, pæne orbicularis & candicans, infima ſive ſeſſili parte in ambitu frequentibus & tenuibus albis fibris in latera ſeſe ſpargentibus donata, & interdum unâ etiam craſſiores, digitum pænè longa, atque in profundum ſe mergente, ut aliquoties in aliis etiam Hyacinthorum generibus obſervare memini.

Ex Luſitania allatus eſſe dicitur. *Locus.*

12. *Hyacinthus ſtellatus æſtivus minor* J. B. Ger. Park. parad. Cluſ. *Stel. æſt. minor floſculis alternatim ſitis* C. B.

Cluſ.

Cùm primum è terra prodit, ſeptem aut octo è radice promit *folia*, anguſta, plana, viridia & quodammodo ſplendentia, circiter ſeptem uncias longa, quæ ſeſe humi diffundunt & in orbem ſpargunt, atque veluti contorquent: inter quæ aſſurgit *cauliculus* teres, brevis, binarum unciarum longitudinem non excedens, ſummo faſtigio ſex aut ſeptem *floſculos* alternatim ferens, veluti in ſpicam congeſtos, formâ & colore præcedentis pænè ſimiles, ſed longè minores & dilutiores. His ſuccedunt triangula etiam *capitella*, extremo mucronata, nigrum *ſemen* continentia. *Radix* bulboſa, ferè orbicularis, Avellanæ Hiſpanicæ magnitudinem æquans, candidâ ſed fuſcâ membranâ tecta, è cujus infima ſede numeroſæ exiliebant fibræ, magna ex parte valdè tenues, iis tamen admixtæ ſeptem aut octo paulò craſſiores.

Floret Maio menſe cum majore; & è Luſitania pariter allatus eſt. *Locus.*

A. 13. *Hyacinthus Autumnalis minor* Ger. Park. *autumnalis minimus* J. B. *ſtellaris autumnalis minor* C. B. **The Autumnal Star-Hyacinth.**

J. B.

Folia vix pollices quinque excedunt, tenuiſſima, tria quatuórve ex albicante *bulbo* exorta: *Caulis* palmo brevior, tenuis: *Flores* à medio ad ſummum parvi, cœrulei, ſtellati, quos excipiunt conceptacula parva.

Florere incipit antequam folia emergunt, ſub initium Septembris. In rupe S. Vincentii propè Briſtolium obſervavimus, & in promontorio *Lezard point* dicto in Cornubia copioſiſſimè: Cluſius in colliculis Monſpelio vicinis invenit, & in Madritiana ſylva propè Lutetiam, necnon circa Salmanticam in colliculis ad Thormim fluvium ſitis lapidoſo admodum ſole. *Tempus & Locus.*

14. *Hyacinthus ſtellaris Autumnalis major* C. B. *Autumnalis major* J. B. Cluſ. Ger. Park.

Cluſ.

Quina aut ſena habet latiuſcula & flexuoſa *folia*, viridia, aliquantulum carinata, Colchici montani Hiſpanici inſtar: inter quæ prodit unus, nonunquam bini, terni aut plures, *cauliculi*, palmo majores, ſatis firmi, multis *floſculis* ſex foliis ſtellæ inſtar expanſis conſtantibus, & dilutè purpuraſcentibus ſtipati, in quibus quædam *ſtaminula* nigricantibus apicibus prædita. Marceſcentibus floſculis illico ſuccedunt tenuia admodum & trigona *capitula*, quæ brevi matureſcentia & hiantia puſillum nigrum *ſemen* oſtendunt, quod terræ gremio ſtatim exceptum ſui generis plantulas generat, quæ mihi tertio anno flores dederunt. *Radix* craſſiuſcula, candicans, infimâ ſede multis fibris donatur.

Hoc genus mihi interdum cauliculos dedit ramoſos,quorum ſinguli ramuli ſuis floribus erant onuſti. *Sponte natum non vidit* Cluſius, *ſed in hortis duntaxat cultum. Nobis præcedentis varietas eſſe videtur.*

Hyacinthus maritimus minimus C. B. prod.

Tota (inquit) planta unciarum ſex eſt: ex bulbulo parvo oblongo, cortice villoſo tecto cauliculi duo vel tres nudi inter folia anguſtiſſima exurgunt; quibus capitula minuta, rotunda, ſurſum porrecta inſident floſculis minutis, cœruleis, quibus veluti ſiliquæ oblongiuſculæ ſemen minutum continentes ſuccedunt.

Locus. Monſpeſſuli in litore maris.

Hyacinthi Autumnalis minoris varietatem tantùm eſſe cum D. Magnol ſuſpicamur.

§. 2. *Hyacinthi ſtellati eriophori.*

15. *Hyacinthus Peruanus* Ger. *Peruvianus* J. B. *ſtellatus Bæticus major, vulgò Peruanus* Park. parad. *Indicus bulboſus ſtellatus* C. B.

Cluſ.

E *radice* bulboſa & oblongiuſcula, nec Muſcari bulbo valdè diſſimili (nam ſubfuſco cortice tecta erat, prominentémque ſedem habebat, ſupra quam in ambitu craſſiuſculas fibras ſpargebat) quina aut ſena novo vere prodibant *folia*, viridia, pæne unciam lata, carinata, dodrantem longa, humi in orbem fuſa: inter quæ dodrantalis aſſurgebat *caulis*, [pro plantæ magnitudine brevis admodum] tubi pennæ ſcriptoriæ craſſitie, qui circa faſtigium frequentes longiuſculos petiolos ex purpura quaſi nigricantes producebat, quorum ſinguli ſuſtinebant *floſculum* ſex mucronatis foliis conſtantem, ſtellulæ inſtar expanſis, coloris nunc è cœruleo purpurei, modò purpurei ſaturatioris & quaſi violacei, è quorum umbilico craſſiuſculus exit umbo, coloris impensè purpurei, cinctus ſex *ſtaminulis* latiuſculis, dilutioris in quibuſdam cœrulei, & quaſi albeſcentis coloris, in aliis paulò ſaturatioris, quorum *apices* flavi: tota autem florum congeries æqualis ferè erat altitudinis & velut umbellæ formam referebat. [Spica antequam flores aperiuntur Coni Pinei formam refert] nullam vero ſuavitatem odoris in floribus obſervabam; ſed cortex & folia abrupta in tenuiſſima ſtaminula diſtrahebantur non minùs quàm in bulbo eriophoro.

Variat floris colore albo & ſuave-rubente ſeu carneo. Maio menſe floret. Cæterum Gulielmus Boelius Cluſium ut & Parkinſonum monuit, non fuiſſe neceſſe hunc bulbum ex America aut Africa peti, quandoquidem circa inſulam Gades atque adeò in ipſa inſula, [atque indè incipiendo in pratis maritimis ad portum uſque *Sanctæ Mariæ* dictum] copioſiſſimè naſcitur.

16. *Bulbus eriophorus Peruanus* C.B. J. B. Cluſ.

Multa ex radice promit *folia*, ſurrecta initio, deinde in terram ſeſe inclinantia, denſa, carinata inſtar foliorum Hyacinthi, viridia ſplendentiáque, quæ minutim confracta tenuiſſima ſtamina præbent. Inter folia ſeſquipedalis naſcitur *caulis*, teres interdum & gracilis, firmus tamen, nudus, vireſcens, qui ſummo faſtigio plurimos fundit *flores*, initio quaſi in ſpicam congeſtos, deinde ab infimo ſeſe explicare incipientes & in latitudinem expandentes, ſex foliolis ſtellatim decuſſatis conſtare deprehenduntur, coloris purpurei, circa umbilicum autem cœrulei, ut & prominens umbo, atque ſena quæ illum ambiunt *ſtaminula* lata, flavis ſeu pallidis *apicibus* prædita; ſingula florum folia per longitudinem ſecante venâ ex atro purpureâ. Odor valdè tenuis & exilis: oblongis verò gracilibúſque innituntur flores pediculis, ex viridi purpuraſcentibus, quorum ſinguli ex appendicularum candidarum & membranacearum ſinu prodeunt. Floribus ſucceſſerunt trigona mucronatáque *capitula ſemen* continentia rotundum, nigrum, ſemini Hyacinthi Anglici par. Bulbus ejus craſſus, longiuſculus, & quodammodo pyramidalis, ex albo flaveſcens, cujus ſquamæ molli lanugine plenæ, infima ſede multis craſſiuſculis fibris prædita.

Floret extremo Maio.

Magnam inquit Cluſius cum præcedente affinitatem habet, hujus tamen folia duplo latiora, caulis quoq; elatior: flos purpureus, circa umbilicum cœruleus, venâ atro-purpurea floris folia percurrente.

17. *Hyacinthus eriophorus* Park. parad. *Bulbus eriophorus* Cluſ. Ger. *Bulb. eriophorus Orientalis* C. B.

Cluſ.

Sunt ei multa oblonga *folia*, Hyacinthinis ferè ſimilia, non Narciſſinis, minùs carnoſa & ſucculenta, duriora etiam, viridia, mucronata, ingrati ſaporis, quibus minutiſſimè etiam confractis tenuia quædam ſtamina inſtar telæ aranearum deduci poſſunt. Ex horum medio *caulis* exit cubitalis aut amplior, rectus, Scillini caulis æmulus, lævis, nudus, vireſcens, ſuprema parte ad cœruleum colorem tendens, oblongámque & denſam veluti ſpicam, in denos vel plures verſus antequam explicetur diſtinctam, primùm viridem ſed paullatim (dum ſeſe explicat in flores) cœruleum colorem contrahentem ſuſtinens. *Flores* ſenis foliolis ſtellatim expanſis conſtant, triangulo umbone in medio protuberante, Hyacinthi autumnalis floribus valdè ſimiles, inodori, cœrulei, cum ſuis, quibus inſident, pediculis & internis *ſtaminibus*, quorum *apices* initio purpurei ubi ſeſe expanderunt, palleſcente quadam veluti farinâ aſperſi ſunt. Incipit florere ab imo, ut Scilla, & reliquæ magna ex parte bulbaceæ ſtirpes, flores racemi aut ſpicæ inſtar confertos habentes, ſolent. *Semen* obſervare voluimus, ſed flores admodum caduci ſtatim marceſcere cœperunt, & relictis tantùm in caule pediculis deciderunt.

derunt. *Radix* craſſa & bulboſa eſt è plurimis tunicis albis contexta, tomentoſa & velut aranearum telis obſita, multos utplurimum bulbos ad latera adnatos habens, & craſſis oblongíſque fibris nitens.

Conſtantinopoli ſæpiùs miſſus eſt. Rariſſimè excauleſcit & flores profert in noſtris regionibus; licet bulbus mirâ fœcunditate plurimas ſoboles procreet.

Bulbum eriophorum minorem C. B.

Quem Cluſius cur. poſt. Hyacintho obſoleto Æthiopico ſubjecit videſis ibidem.

§. 3. *Hyacinthi flore oblongo.*

18. *Hyacinthus Orientalis, quibuſdam Conſtantinopolitanus* J.B. *Orientalis caule maculato, &c.* C.B. *Orient. cœruleus* Ger.

J. B.

Radice eſt bulboſa, magna, multis tunicis compoſitâ, guſtu viſcido dulci, cui ſubſunt fibræ longæ, teretes, mediocriter craſſæ: A qua *caulis* exurgit ſingularis, dodrantalis, lævis, foliis nudus, ad imum diluto virore palleſcens, ſupernè fuſcus: à cujus medio ferè ad ſummum ſcapum prodeunt ſemuncialibus pediculis, ex viridi ſubnigris, deorſum nutantibus appenſi flores tres, quatuor, quinque ad undecim aut duodecim & plures, odore ſuavi; hilari, cœruleo aut mixto, aut rariùs albo, omnino ſpectando colore, unciales, teretes, concavi, è longo tubo in ſex lacinias nonnihil reflexas diviſi, *ſtaminula* luteo pulvere conſperſa, brevia, penitus recondita continentes. *Folia* ſex, ſeptémve aut etiam plura, à bulbo ſtatim exorta, latiuſcula, carinata, infernè herbaceo colore, propè cacumen ſaturatiùs virentia. Succedit *capitulum* tribus loculamentis compoſitum, quorum ſingula duos *ſeminum* nigrorum, rotundorum ordines continent.

Hujus Hyacinthi plurimæ ſunt ſeu ſpecies ſeu varietates. Alii enim latifolii ſunt, foliis amplis Liliaceis, & hi ferè præcociores ſunt, & floribus majoribus, caule & foliis imis Dracontii inſtar maculatis: Parkinſono Hyacinthus Orientalis major præcox, dictus *Zumbul Indi.*

Alii anguſtifolii, floribus coloris reſpectu vel purpureis, vel albis ſeu niveis, vel exalbidis qui antequam aperiantur albi ſunt, aperti oras tantùm albas habent, reliqua parte carnei ſunt, ſeneſcentes toti nivei, vel variegatis, &c. Utriuſque generis alii polyanthes ſunt, multos ferentes flores ad vicenos & plures, eóſque vel in unum latus propendentes, vel in omnem partem æqualiter ſparſos; alii pauciores producunt flores: Cluſius plantam πολύκλωνον ſeu ramoſum ſibi è ſemine natam ſcribit, verùm hæc ſequenti anno μονόκλωνος & aliis ſimilis facta eſt. Idem Cluſius cur. poſt. Hyacinthi Orientalis folioſo caule meminit, quem non ſecus ac præcedentem pro monſtro ſeu naturæ à ſcopo aberrantis aut ſaltem ludentis effectu habendum cenſeo. Differunt inſuper magnitudine florum, aliis enim majores ſunt, aliis multò minores. Habentur etiam flore pleno rariorum colorum, cœruleo, purpuro-violaceo, niveo, &c. Tandem reſpectu temporis quo florent, alii præcoces ſunt, alii ſerotini. Præ aliis præcocibus inſignis & fortè etiam à reliquis ſpecie diverſus eſt.

19. *Hyacinthus Orientalis brumalis ſive præcox flore purpureo* Park. parad. *brumalis albus* J. B. *brumalis Orientalis albus* Lob. *Orientalis albus* C. B.

Foliorum & florum formâ cum aliis pleriſque hujus generis convenit, id tamen ſibi vendicat ſingulare, quòd ſtatim ſub ſolis hybernum tropon è terris erumpat, *caulem* quoque protrudens interdum per medias nives. Florem venuſtiſſimum laxat circa principia Januarii. Non gaudet humidis locis, ſed ab humore priùs quàm frigiditate corrumpitur, ideóque & in teſta fideliùs aſſervatur. Sunt illi *folia* non ut cæteris laxa & mollia, ſed ſucculenta, ſpiſſa ac ferè ſemper erecta, ut in generibus Aizoi. Nervi in his nulli conſpicui: ſed ſtriæ ſolummodo rectæ ac veluti tenues fibræ. Durant autem virore conſtante uſque ad finem Julii menſis, ac multò diutiùs quàm cæteris uſu venit. *Flos* lævi caule, nonnihil circa faſtigia ad ſingulos pediculos excavato propendet candidus, nonnihil tamen ſub initia & circa ſupremas oras ſubcœrulei præ ſe ferens, quo quidem evaneſcente, ſenſim Februarii menſe totus fit lacteus, odore fragrantiſſimo, in ſpecie deinceps menſe plus integro perſeverans. *Radix* bulboſa, intus candida, foris ruffa, circa foliorum exortus maculas quaſdam, quales in Serpentariæ majoris caule ſpectantur, effundit, interfuſâ purpurâ nigrâ. Verùm id maximè ſub Veris auſpicia, & cùm terræ rurſus mandata caulem emeritum gerit. Hæc Cornelius Gemma apud Lobelium.

Tempore germinandi ſeu è terra exeundi, & florendi, floríſque colore, [addit Parkinſonus foliorum anguſtia & florum parvitate] à reliquis differt: cæteræ notæ pleriſque aliis Hyacinthis Orientalibus communes ſunt.

Folia cum vino in forma cataplaſmatis adhibita pubi & mento crinium excreſcentiam impediunt, & ſemina cum theriaca in fluxu alvi conveniunt. *D. Palmer.* *Vires.*

A. 20. *Hyacinthus Anglicus* Ger. *Anglicus ſive Belgicus* J. B. *oblongo flore cœruleus major* C. B. *Anglicus, Belgicus vel Hiſpanicus* Park. parad. **Engliſh Hyacinth, or Hare-bells.**

Radix huic bulboſa oblonga, candida, tunicata, plurimas ex ima ſede fibras in circuitu emittens, quà radice exeunt tenues, mox craſſeſcentes. *Folia* ſex & interdum plura, oblonga, at caule plerunque breviora, ſemunciam lata, carinata, hilarè viridia, lævia & ſplendentia, in acutum mucronem terminata. *Caulis* è bulbo unicus, foliis viduus, ſemipedalis aut dodrantalis & altior, teres, culmi craſſitudine, Hyacinthi Orientalis caule minor, cujus coma florum pondere, cùm primùm florere incipiunt, gravata deorſum recurvatur. *Flores* odorati, cœrulei aut violacei, rariùs carnei aut albi, oblongi, penduli, octo aut decem & interdum plures [Cluſius in pratis Londino vicinis eruere meminit qui tricenos flores haberent] non eodem tempore ſe pandentes, neque integri ut in Orientali Hyacintho, (quanquam tales obiter intuenti videri poſſint) ſed ex ſquammatim incumbentibus & ſubeuntibus ſex foliis, oris multùm reflexis, quorum ſingulis adnata ſunt ſtamina ſingula ejuſdem coloris, cum apicibus albidis, compoſiti. In medio flore *ſtylus* tenuis vaſculo ſeminali inſidens, per maturitatem craſſo, trigono, in tria loculamenta diviſo. *Semina* parva, rotunda, nigra. Florum pediculi ſemunciales; ad ſingulorum exortum apponuntur ligulæ binæ violaceæ, altera major, altera minor pediculo longiores.

Locus. In ſylvis & dumetis vulgatiſſima planta. Vere floret.

21. *Hyacinthus Hiſpanicus* Cluſ. J. B.

Superiori non valdè abſimilis eſt; *folia* tamen profert non adeò ſplendentia, nec humi ſtrata, ſed potiùs ſurrecta; breviorem *caulem*, *flores* dilutiùs purpuraſcentes, & ad cœruleum colorem quodammodo tendentes, quorum odor etiam magis obſcurus. Semen, radix ferè conveniunt.

C. Bauhinus hunc non ſeparat ab Hyacintho Anglico, ſed pro eadem ſpecie habet.

Floret eodem tempore cum præcedente.

22. *Hyacinthus Hiſpanicus obſoletus* Park. *obſoletior Hiſpanicus, Anglico ſimilis* J. B. *obſoleto flore* C. B. *obſoleto flore Hiſpanicus major* Ger. emac.

Cluſ.

Quina aut ſena habet *folia*, oblonga, carinata, ſucci plena, coloris ex cineraceo vireſcentis, Muſcari foliorum æmula ferè, anguſtiora tamen, flexibilia, orbiculato fermè mucrone, candidâ venâ anteriore parte per longitudinem excurrente, ingrati ſaporis. Prodit *caulis* è medio foliorum pedalis longitudinis, vel etiam amplior, gracilis, firmus tamen, nudus, decem, duodecim, interdum etiam viginti *flores* per intervalla ferens, deorſum ſpectantes, Hyacintho Anglico non multum abſimiles, ſex petalis conſtantes, quorum terna exteriora valdè reflexa ſunt, interiora non adeò, ſed veluti tubulum quendam imitantia. Color in his valdè obſoletus, ut qui ex purpureo, pallido & vireſcente permixtus videatur: Odor nullus: *Semen* fert in triangulis capitulis planum, nigrum, cartilaginoſum, circinatæ ferè rotunditatis, Scillæ ſemini pæne par; *Radix* globoſa & rotunda, multis candicantibus tunicis conſtat, & numeroſis fibris ſeſſili parte prædita eſt.

Tempus. Serò germinat & folia in Autumnum ſervat: Junio autem cum Liliis floret: Flores etiam ſemine ex eodem capite excepto natarum ſtirpium variare ſolere obſervabam, ut alii aliis obſoletiores conſpiciantur, quidam etiam pænè virentes.

23. *Hyacinthus Mauritanicus* Cluſ. hiſt. ap. 1. J. B. *Hyac. oblongo flore fuſco* C. B.

Præcedenti non valdè diſſimilis eſt tum foliis, tum floribus, omnia tamen paulò ei majora. *Folia* & *radix* ad Ornithogali Arabici legitimi valdè accedebant. *Caulis* craſſior quàm in præcedente, impenſe viridis, viginti, interdum etiam plures *flores* ſuſtinens, coloris magis obſoleti & fuſci.

Locus. Ex ea Mauritaniæ parte, ubi urbes Feſſa & Marochum, delatus eſt.

24. *Hyacinthus obſoletus Æthiopicus* Cluſ. cur. poſt. *Hyac. oblongo flore flavo-viridi* C. B.

Cluſ.

Caulis craſſiuſculus erat & firmus, viridis decem aut plures *flores* ſuſtinens, dum adhuc florum gemmis onuſtus eſſet aliquantulum nutans, ſed floribus ſenſim ſeſe aperientibus erectus. *Flores* uncialibus pediculis appenſi, hexapetali, ternis petalis internis ad oras dentatis & albidis, alioqui toti lutei, ſed interna parte virides. Folia quinque, aut ſex, impensè viridia, quàm Hyac. obſoleti Hiſpan. paulò firmiora, aliàs eis valdè ſimilia.

Ab extremo Æthiopiæ promontorio cui Bonæ Spei nomen à Batavis delatus eſt.

Aliarum adhuc varietatum meminit C. Bauhinus, v. g. 1. Hyacinthi obſoleto flore alterius: ſerotini in obſoleto flore *Eyſt.* 2. Hyacinthi ſerotini albicantis: ſerotini facie Orientalis *Eyſt.* 3. Hyac. oblongi flavo flore, in ſummitate Pontis Gari reperti: quos accidentibus quibuſdam potiùs quàm ſpecie à præcedentibus differre opinamur.

25. *Hyacinthus minor Hiſpanicus anguſtifolius* J. B. *oblongo cœruleo flore minor* C. B. *Hiſp. minor, Orientalis facie, flore cœruleo, albo & rubente* Park. parad. *minor Hiſpanicus* Ger. emac.

Cluſ.

E *radice* bulboſa, olivæ puſillæ magnitudine, fuſcâ membranâ tectâ, & multis fibris donatâ quina aut ſena promit *folia*, longiora & anguſtiora quàm Hyacinthi Anglici, ſtriata & carinata, viridia, humi plerunque ſparſi. *Cauliculus* gracilis, dodrantalis, teres, lævis, glauco ſubinde polline obductus, in ſummitate flores ſuſtinens ſenos aut ſeptenos [interdum duodenos aut plures,] pedicellis ſemuncialibus inſidentes, deorſum nutantes, monopetalos, concavos, in ſex parvas acutas lacinias per oras diviſos, colore cœruleo amœno, ſed dilutiore nitentes, [ſex lineis ſaturatioribus per longitudinem ad laciniarum apices excurrentibus ſtriatos] Hyacinthi Anglici floribus minores, inodoros, ſex intus ſtaminula perbrevia *apicibus* luteis ex umbilico prodeuntia cum exiguo in medio *ſtylo* continentes. Floribus ſuccedunt capitula trigona, mucronata. Variat floris colore albo, interdum mixto, dilutè ſuaviterque rubente.

Tempus. Floret Maio menſe, ſemen Julio maturat, autore Cluſio.

Variat flore cœruleo, albo, interdum mixto, dilutè ſuavitérque rubente, venis ſaturatioribus per foliorum externorum longitudinem excurrentibus.

26. *Hyacinthus floribus campanulæ uno verſu diſpoſitis* C. B. *Hiſpanicus major flore Campanulæ inſtar* Park. parad. *Hyacinthus totus albus, Campanilla* J. B.

Park.

Hyacintho Anglico vulgari perſimilis eſt, ſed omni parte major. *Flores* in ſummo caule multi, deorſum nutantes, majores, latiores, orificiis amplioribus Campanarum inſtar, colore cœruleo obſcuro, odore nullo.

Hyacinthus floribus Campanulæ utrinq; diſpoſitis C. B. *à præcedente non videtur ſpecie diverſus.*

27. *Hyacinthus paluſtris vernus floſculis fimbriatis albidis.*

Hanc ſpeciem ad foſſarum margines & in humidioribus inter Liburnum & Piſas in Italia obſervavimus, necdum deſcriptum putamus.

§. 4. *Hyacinthus racemoſus.*

28. *Hyacinthus botroides minor cœruleus obſcurus* Park. *racemoſus cœruleus minor juncifolius* C. B. *botryoid. cœruleus* Ger. *vernus botryoides minor cœruleus, anguſtioribus foliis, odoratus* J. B.
The leſſer Grape-Hyacinth.

Bulbus huic qualis Hyacintho ſtellari vulgato oblongus, fibris multis capillatus, tunicis compactus, [exteriùs nigricans] ſapore viſcido & amaro. *Folia* ſena, novena, dena, juncea, carinata, ſtriata, viridia, propter terram purpuraſcentia, [humi ſtrata] caule palmo nonnunquam longiora. *Caulis* unus, interdum duo, dodrantales, tenues, læves, proptérq; terram ut folia rubeſcentes, per reliquum herbaceo colore præditi, excepto ſcapo ſaturo cœruleo tincto qui *flores* ſuſtinet, ex brevibus pediculis in racemum duas uncias longum congeſtos, odoratos, in urceoli modum concavos, deorſum nutantes, purpureo-violaceos, oris albidis crenatis, quorum qui extremum botrum claudunt longè minores dilutiore purpurâ infecti, nulla tamen albedine oras picti, non ità nutant, ſed vel ſurrecti, vel rectà foras protenſi comâ explicatâ ſubjectos flores inumbrant. Seriùs hic floret quàm botryoides qui mox ſequitur.

Hiſpaniis & Galliæ Narbonenſi vulgaris & paſſim obvius eſt in agrorum marginibus & ſecundum vias. *Cluſ.* Nos in agro Pedemontano in Italia copioſiſſimum obſervavimus juxta vias, cùm iter illac faceremus, Aprilis initio florentem. *Locus.*

Hujus aliud genus habetur craſſioribus longioribúſq; foliis, florum etiam racemo longiore, denſiore & odoratiore *Cluſ.* qui Hyacinthus racemoſus cœruleus minor latifolius *C. B.* Hyac. botroides alter major cœruleus obſcurus *Park. parad.*

Hyacinthus racemoſus cœruleus major C. B.

Nobis non videtur à ſequente diverſus.

29. *Hyacinthus botryoides vernus minor latifolius cœruleus inodorus* J. B. *botryodes purpureus* 3. Cluſ. *racemoſus latifolius ſpecioſior* C. B. *botryoides cœruleus major* Ger. *An Hyacinthus botroides cœruleus amœnus* Lob? Park?

J. B.

Planta eſt ſeſquipalmaris, *radice* bulboſa fibroſâque, ſapore ut præcedens, amaro & lento. *Folia* profert bina aut terna, ſtriata carinatáque, interdum & potiſſimùm primò proveniens, non multùm latiora quàm jam dicti, ſed multò breviora, ſæpe, potiſſ. culta & ubi adolevit, latiora, [quæ humi diffundi non ſolent, nec flexuoſa ſunt ut ſuperioris, ſed ſurrecta] nec caulis altitudinem attingentia. *Caulis* ſingularis, tenuis, ſeſquipalmum altus *flores* ſuſtinet racematim congeſtos ut ſuperior, ſed non ut illa odoratos, rariores, breviores, minores, magíſq; ventrioſos, oris ſimiliter crenatis coloratíſque.

Montbelgardi provenit ſponte: citiùs floret præcedenti, foliáq; non retinet tamdiu. *Locus.*

Pro hujus varietatibus habeo

1. Hyacinthum racemoſum album *C. B.* botroiden album *Park. parad.* botryoden albo flore *Cluſ.* qui ſuperiùs deſcripto minor eſt & tenerior, *foliis* dilutiùs virentibus & quaſi palleſcentibus, floribus niveis, cætera ſimilis.

2. Hyacinthum botroiden flore albo rubente *Park. parad.* Hyac. flore è niveo purpuraſcente *Cluſ.* cujus flori niveo profuſa eſt tenuis quædam & dilutiſſima purpura, qualis in Roſis albis nondum planè expanſis, præſertim circa ungues, hæc vetuſtate & matureſcente flore intenſior redditur: *Caulis* è viridi purpuraſcit: *folia* viridiora ſunt & infima parte quodammodo purpuraſcentia. Radix (autore Parkinſono) nullas aut raras adnatas ſoboles producit.

3. Hyacinthum botroiden ramoſum *Park.* Hyac. uvâ ramoſâ majorem & minorem *C. B.* nam duas hujus ſpecies facit,

Qui ramoſam profert florum uvam, hoc eſt, qui uvæ in modum plures habet congeſtos racemulos, alios aliis minores & graciliores.

Cùm hæ omnes varietates ex Hyacinthi botryodis cœrulei aut albi ſemine (ut refert Cluſius) enatæ ſint, eas inter ſe & à parente ſpecie differre nullatenus conceſſerim, quantumvis J. Bauhinus Hyacinthum botryoiden album pro diſtincta ſpecie ponat, & Camerarium reprehendat quòd Hyacinthum album & cœruleum pro uno & eodem habeat. Ego enim in deſcriptione Hyacinthi botryoidis

tryoidis albi Bauhiniana nihil invenio quod non conveniat Hyacintho cœruleo præter floris colorem: Conſule J. Bauhinum, & confer deſcriptiones utriuſq;.

Omnium hujus generis ſemina in triangulis quibuſdam vaſculis continentur, rotunda, nigra, exigua: omnium etiam radix plurimos exiguos nucleos in ambitu generare ſolet, nulla tamen abundantiùs quàm primò deſcripti *Cluſ.*

30. *Hyacinthus racemoſus moſchatus* C.B. *botroides major moſchatus ſive Muſcari flore cineritio* Park. *Muſcari obſoletiore flore* Cluſ. *Hyac. odoratiſſimus dictus Tibcadi & Muſcari* J.B. *Muſcari Cluſii* Ger.

Cluſ.

Quina aut ſena oblonga producit *folia*, humi diffuſa & obliquè inflexa, canaliculata, ſatis craſſa & ſucculenta, Hyacinthi comoſi majoris foliis perquam ſimilia, & tenuia ſtamina etiam ſi rumpantur oſtendentia, non adeò tamen abundè ut Eriophori folia; quæ cùm primùm germinant vel purpuraſcunt, vel albeſcunt, vel interdum pulcherrimo rubro colore nitent. Ex horum medio *caulis* verno tempore erumpit ſatis craſſus, rotundus & nudus, admodum infirmus pro ſua craſſitudine: hunc à medio ad ſummum ferè racematim cohærentes ambiunt *flores*, urceolis propemodum ſimiles, initio interdum purpuraſcentes aut virides, deinde ex purpurâ virentes, aut cum viriditate albicantes, nonnunquam ſubcœrulei, aliquando nigricantes initio ſive ſaturatè purpuraſcentes, deinde pallidi vel flaveſcentes, vel ab initio pallidi, poſtea flavi, poſtremò ubi tabeſcere incipiunt nigricantes aut pulli, iiq; mucrone quàm in aliis craſſiore & obtuſiore interdum, qui marceſcere incipientes gratiſſimum moſchi ferè aut aromatum odorem referunt, licet qui flavo colore eſt gravius quidpiam & Narciſſinum quodammodo ſpiret: intelligo & niveo colore inveniri, atq; etiam egregiè rubente, quos ſane mihi nondum videre contigit. Omnibus ſuccedunt prægrandia trigona & veluti pinnata *capita*, in quibus *ſemen* continetur nigrum, rotundum, magnitudine Orobi. Radix ſubeſt magna albicans, multis tunicis ceparum modo contexta, & frequentibus craſſis fibris ex ima ſede prodeuntibus firmata, perennibus, nec ſingulis annis marceſcentibus & pereuntibus, ut Hyacinthorum, Narciſſorum, Tuliparum, Liliorum, & multarum aliarum bulbacearum ſtirpium fibræ. Ab imo flores explicare incipit ut cæteræ bulbaceæ ſpicatum vel botryodem florem ferentes.

E vicinis Conſtantinopoli hortis, ultra Boſporum in Aſia ſitis primùm Europæ communicata eſt hæc planta, autore Cluſio.

Hyacinthus racemoſus moſchatus luteus C. B. *Muſcari flavo flore* Cluſ. *Hyac. botroides major moſchatus, ſive Muſcari flavo flore* Park. parad. *Hyac. odoratiſſimus Tibcadi luteus* J. B. *Muſcari flavum* Ger.

Cluſius nullam particularem hujus deſcriptionem ponit licet iconem ejus habeat, ſed in ſuperiore deſcriptione & hunc comprehendit.

Hyacinthus racemóſus luteus præcox C. B. *Tipcadi lutei varietas, ſive Muſcari luteum præcox* Lob. Ad. part. 2.

Flores initio ſubcœrulei ſunt, poſtea lutei.

§. 5. *Hyacinthus racemoſus comoſus.*

31. *Hyacinthus comoſus* Ger. *comoſus major purpureus* C. B. Park. *maximus botryoides comâ cœruleâ* J. B.

J. B.

Ex cepaceo *bulbo folia* aliquot interdum ſcapo longiora, & pluſquam ſemunciam lata, cæſia, per terram ſparguntur: inter quæ ſurgit *caulis* ſingularis, duas ſpithamas longus, nondum explicatis floribus in pyramidalem thyrſum deſinens, qui ubi expanſi fuerint, longiùs invicem abjunguntur, colore obſoleto, concavi, ab anguſtiore baſi, quà pedicello ſemunciali appenduntur, ſenſim dilatati, vix tantillum hiantes, oris in ſex ſegmenta obſcurè partitis, ut difficulter conſpici poſſint latentes apiculi cinerei. Faſtigium autem thyrſi in comoſam *jubam* cœruleo-purpuream longis pediculis concoloribus explicatur, odore nullo excellente: plerunq; flores abundant pulvere fuliginoſo. Amara eſt hæc planta.

Locus. Inter ſegetes circa Genevam & Liburnum copioſum obſervavimus. Italiæ, Narbonæ, reliquæ etiam Galliæ tepidiori abundè in ſatis & viarum marginibus provenit. *Lob.*

Varietates duæ. Hujus duo genera in Pannoniis obſervavit Cluſius; *Alterum* præcox, latiore folio, craſſiore comâ, in eleganti tamen, majoréq; bulbo. *Alterum* magis ſerotinum anguſtiore folio, tenuiore comâ, laxiore verò & elegantiore: hujus flores comæ proximi ex cœruleo purpuraſcunt, ejuſdémque cum coma ſunt coloris, quæ nota in priore deſideratur; bulbus etiam minor.

32. *Hyacinthus comoſus Byzantinus* Cluſ. Ger. Park. *comoſus albus Byzantinus* C. B. *com. Byzant. candicans cum ſtaminulis purpureus* J. B.

Cluſ.

Quaterna, quinq; aut ſex interdum habet *folia*, humi utplurimum fuſa & expanſa, nonnunquam procumbentia duntaxat, oblonga, præcedentis foliis valdè ſimilia latiore tamen mucrone prædita, & in lateribus veluti tenui lanugine obſita, præſertim infima parte, circa eorum exortum, ingrati guſtûs & nauſeam facilè excitaturi. Ex horum medio, pedalis, nonnunquam major, naſcitur *caulis*, teres & rotundus, nudus, intus fungoſus, foris viridis lævíſque; quem à medio ad ſummum ſexaginta plerunq, aut plures ambiunt *flores*, oblongiuſculi, oris in ſex laciniolas diviſis, ſex ſtaminulis urpureis intus præditi, inodori, initio candicantes, deinde cùm marceſcere incipiunt fuſci & inele- antis coloris: pediculi quibus flores innituntur initio breviſſimi ſunt, deinde paulatim marceſcen- ibus floribus excreſcentes quatuor unciarum aut ampliorem longitudinem adquirunt, ſic ut totus aulis ſuis floribus ità expanſis onuſtus, aſpergillum non minùs referre videatur quàm Hippuri uoddam genus. Caulis ſuprema pars cum florum pediculis purpuraſcit: incipit florere ab imis. Trigona deinde *capitula* fert exigua pro plantæ amplitudine, in quibus paucum *ſemen*, interdum in ingulis capitulis unicum duntaxat, rotundum, nigrum, præcedentis ſemine minus continetur, inter- um nullum, nam utplurimum capitula inania ſunt. *Radix* rotunda, bulboſa, multis candicantibus unicis conſtat, exteriore ſubfuſca & baſi multis albis fibris præditâ. *Locus:*

Conſtantinopoli primùm allatus eſt circiter annum 1578.

33. *Hyacinthus comoſus albus* Ger. Park. parad. *comoſus albus Belgicus* C. B. *comoſus albo flore* Cluſ. *comoſus albus cum cæruleis ſtaminibus* J. B.

Claſ.

Præcedenti non admodum diſſimilis eſt, nullâ aut perpuſillâ comâ præditus, cujus *flores* obſoletioris coloris albicantis, illius floribus ſatis accedunt, pediculi tamen flores ſuſtinentes in longitudinem on excreſcunt; *ſemen* & *radix* ſatis conveniunt. Parkinſonus omnem prorſus comam huic denegat, ideóque Hyacinthos botryodes potiùs quàm comoſos referre ſcribit; *radicem* nigricantem & ſublongam tribuit, unde *folia* exeunt tres aut quatuor, lævia, albicantia, anguſta, carinata; *caulis* pedalis aut altior, floſculis ſumma parte prioris ſimilibus, minùs tamen crebris, obſitus, tantillo longioribus & amplioribus, oſculo latiore, ad margines interiùs maculis quibuſdam nigricantibus infecto.

34. *Hyacinthus pennatus ſive comoſus ramoſus elegantior* Park. parad. *Hyac. Sanneſius comâ paniculoſâ* Col. *Hyac. comoſus paniculâ cærulea* C. B. *comoſus ramoſus elegantior* Ger.

Col. Park.

Martio menſe [in Italia] tribus quatuórve foliis erumpit, Hyacinthi botryoidis moſchati nonnihil ſimilibus ſed minoribus, brevibus, latiuſculis, colore cæſio, inter quæ *caulis* exurgit pedalis aut altior, faſtigio florum comam geſtans ſpecioſiſſimam, in coni effigiem efformatam, in innumeros ramulos diviſam, quæ cum flores explicantur, uvarum racemum ablatis acinis æmulatur, magnitudine dodrantis ferè, paniculæ graminis Miliacei modo paulatim faſtigiata. Singuli ramuli in alios denuo dividuntur filamentorum criſporum glomeres extremitatibus contortis & velut cincinnatis; colore purpuraſcente pulchro ſeu columbino, odore cum gravitate jucundo. Flos gratiam ſuam diutiſſimè retinet antequam marceſcit, & tandem nullo ſuccedente ſemine evaneſcit. Mirum dictu (inquit Columna) bulboſam plantam vulgaribus Hyacinthis non abſimilem, fructu ac ſemine prorſus deſtitui: an tranſlatione & cultura id accidat, an nimiâ florendi luxuriâ ab ubertate proveniente (Sylveſtrem enim nondum videre licuit) ignoramus.

Nos equidem hanc plantam pro ſpecie Hyacinthi nova & ab aliis omnibus diſtincta habemus, verùm ubi ſponte oritur ſeminis fœcundam eſſe minime dubitamus. Aſt varietatem hanc quæ in hortis noſtris colitur Naturæ initio deerranti, aut ſi mavis laſcivienti ob alimenti ubertatem, aliámve nobis incognitam cauſam tribuendam cenſemus; adeóq; accidentalis cùm ſit, fruſtra in agris ſponte provenientem quæri.

In agro Papienſi primò inventum aiunt: adnatis ſe propagat. *Locus.*

35. *Hyacinthus comoſus ramoſus purpureus* Park. Ger. emac. *i. e. comoſus quartus.*

Hujus *folia* latiora, breviora & viridiora ſunt quàm Hyacinthi comoſi vulgaris, non tamen pariter infirma & humi ſtrata, ſed firmiora & erectiora nonnihil: *caulis* altitudine par; coma præcedenti ſimilis, minùs ſparſa & cincinnata, colore purpureo obſoletiore: *Radix* etiam major & brevior quàm illius pluribus adnatis ſe propagat.

His adde

Hyacinthum Indicum bulboſum minorem C. B. *Indicum minorem Orientalem* Swertii.

Item, *Hyacinthum latifolium maximum* C. B. *Hyacinth. Ind. Orient. dictum adhuc incognitum* Swertii.

Item, *Hyacinthum latifolium alterum* C. B. *Hyacinthum Africanum bulbo craſſo, facie Hyacinthi Peruani* Swertii.

Item, *Hyacinthum Tripolitanum* J. B. *exoticum flore Phalangii* C. B.

J. B.

Foliis eſt longis, tenuiſſimis, Phalangio noſtro ſimilibus. *Caulis* ſatis magnus, in cujus ſummitate quatuor flores, ſpecioſi, colore & magnitudine ſimiles foliis tribus erectis in parva Iride cœrulea: *Radices* forma & colore Tulipis ſimiles.

Florebat Aprili Tripoli, ubi obſervavit Rauwolfius. *Locus.*

§. 6. Hya-

§. 6. *Hyacinthus Indicus anomalus.*

1. *Hyacinthus Indicus minor tuberoſa radice* Park. parad. *Indicus tuberoſus* Ger. *Indicus tuberoſu, flore Hyacinthi Orientalis* C. B. *Indicus tuberoſa radice* J. B.

Moriſ.

E radice tuberoſa Ari Ægyptii aut Colocaſiæ ſimili ſed longè minore & graciliore, adnatis ſe propagante, multiſque fibris prædita prodeunt folia multa humi in orbem ſparſa, oblonga, anguſta, carinata, mucronata Allii foliorum æmula; à quorum medio plures exurgunt *caules*, teretes, graciles, bicubitales interdum aut longiores, duriuſculi, læves, minimi digiti craſſitudinem nunquam ſuperantes; unde ob nimiam illam longitudinem & tenuitatem quo tempore florent ſe contorquent, ac humi plerunque procumbant, niſi bacillis, fulcris, aliiſve adminiculis ſuſtineantur. Hos autem caules per intervalla ſingularia folia alternatim lata baſi velut Perfoliatæ folia ambiunt, brevior multò ſed magis acuminata iis quæ circa radicem atque in eorum ſummo permulti ſpicatim cohærentes inſident *flores* candidi, Hyacinthi Orientalis floribus omnino ſimiles.

Folia avulſa & confracta non ſecus in ſtamina deducuntur quàm Bulbi eriophori folia.

Locus. In America ſeu India Occidentali oriuntur: in frigidioribus hiſce regionibus ſi omnino vix ante medium Auguſtum floret.

2. *Hyacinthus Indicus major tuberoſa radice* Park. parad. *Indicus Autumnalis, flore amplo albo odoratiſſimo, radice partim tuberoſa, partim bulboſa* Moriſ. *Indicus tuberoſus flore Narciſſi* C.B. **Tuberoſe.**

Florem habet omnium maximum, album, odoratiſſimum, Narciſſi albi in modum expanſum, cum apicibus in medio luteis. *Caules* pedales, robuſti & firmi, quos deorſum verſus radicem ambiunt *folia* plurima, dilute virentia, palmari longitudine, mucronata, quo altius ſita in caule eò minora. *Radicem* habet inferiori ſui parte tuberoſam, ſuperiore autem bulboſam ſeu tunicatam, [gemmæ ſci. è tranſverſa radice erumpentes tunicatæ ſunt bulborum inſtar.] Ex inferiore tuberoſa parte plurimæ craſſæ fibræ in terram demittuntur.

Eiſdem gaudet natalibus cum præcedente. Folia rupta pariter in filamenta ducuntur.

CAP. IX.

De Scilla.

NOtum eſt diſcrimen, Scyllæ marini monſtri ἀπὸ τοῦ σκύλλειν dicti, & Scillæ plantæ, de qu agimus quanvis Græci nonnulli & plantam ipſam Σκύλλαν ſcribant, minus rectè.

Nomen accepit quòd inter hanc & teſtaceum piſcem à tunicea ſquamarum compactili ſerie maxima ſimilitudo intercedit, vel σκίλλης nomen obtinuit ἀπὸ τοῦ σκιλλήματος i. e. viriditate, quòd in ſabuletis marinis ſole retorridis oriatur; cujuſmodi ſunt in Hiſpania, & propè aridæ Luſitaniæ teſqua maritima. Latini Scillam dicunt & Squillam etiam antiquiſſimi. *Jo. Bod. à Stapel.*

Cepaceo generi tantopere eſt compar (inquit Lobelius) ut multi eam *Cepam marinam* vocent. At nos Hyacinthis, ut puto rectiùs, eam adjudicamus.

Notandum Scillam Græcis veteribus etiam σχῖνον dictum fuiſſe nomine cum Lentiſco communi. Iidem Veteres tria Scillæ genera tradunt; duo medica, maſculum albis foliis, fœminam nigris, & tertium genus, & tertium cibis gratum Epimenidium vocatum. *Plin. lib.* 19. *c.* 5. C. Hofmannus Epimeniam corrigit.

1. *Scilla rubra magna vulgaris* J. B. *Scilla vulgaris radice rubra* C. B. *Scilla rubra ſive Pancratium verum* Park. *Pancratium Cluſii* Ger. **The red Squill, or Sea-Onion.**

J. B.

Bulbum habet magnum Pomo Adami vel Citrio majori ſæpe parem, multis craſſis fibris donatum, è laminis tuniceis, rubentibus, viſcidis contextum, ſub bulbo multæ fibræ, è quo *folia* emergunt impenſè virentia, cubitum longa, palmum ferè lata, ſucculenta, craſſiuſcula, cum multa viſciditate amara: inter quæ ſurgit *caulis* Aſphodeli, floribus inſignis, ſerie longa diſpoſitis & ſucceſſivè ſe aperientibus, candidis, Ornithogali ſpicati flores æmulantibus. *Fuchſ.* Caulis ut in croco prius proſilit, tum ex eo flos in luteo candidus, qui cùm ſenuerit folia demum multis pòſt diebus emicant lata, nullo nixa pediculo, Cepitia quadam ſpecie, & pleraque ex iis in terram deflexa. Matthiolo amara eſt Scilla & acris.

Cluſius Pancratio ſuo amplitudinem majorem tribuit quàm Scillæ, extimas tunicas rubentes, folia ampliora, longiora, magis carinata & quodammodo ſurrecta. Verùm quod ad bulbum attinet, non aliter à Scilla alba differre quàm colore J. Bauhinus & Lobelius conſentiunt, cùm tunicæ extimæ huic rubeant, ut Cepis oblongis, illi albent.

2. *Scilla radice alba* C. B. *Scillæ magnæ albæ* J. B. *Scilla alba* Park. *Sc. Hiſpanica* Cluſ. *Hiſpanica vulgatus* Ger. emac.

Cluſ.

Caulis huic plerunque cubitalis eſt aut major, rectus, nudus, abſque foliis, plurimis candidis & ſtellatis floribus ornatus, Aſphodeli minoribus, Ornithogalo majori (quod quidam Scillam Epimenidiam putant) valdè ſimilibus, qui ab imis (uti veriſſimè Theophraſtus Hiſt. l. 7. c. 12. ſcribit) explicari incipiunt, quemadmodum Aſphodeli & quarundam aliarum bulbacearum, ſtirpium flores. His ſuccedunt triangula *capitula* compreſſis angulis & velut inania, in quibus tamen nigrum, planum, paleaceum *ſemen*. Quinque, ſex aut plura demum emergunt *folia*, liliacea, lata, viridia admodum, denſa ſive carnoſa, humi expanſa, nonnihil carinata. *Radix* craſſa eſt, multis tunicis albis lento quodam humore plenis prædita, multíſque craſſiuſculis fibris capillata.

Copioſè naſcitur ſupra Olyſipponem & pleriſque aliis Luſitaniæ & Hiſpaniæ locis. Floret Auguſto & Septembri, ſemen Octobri & Novembri matureſcit. Folia maturo jam ſemine & exarido caule emergunt Novembri & Decembri. *Locus & Tempus.*

J. Bauhinus in Scillis albis diſcrimen à vulgari rubra non potuit animadvertere: præterquam in colore magnitudo eadem, ſquamæ craſſæ ac latæ; ex quibus apparebat folia æque lata eſſe atque rubris. Non placet ergo duplex deſcriptio Scillæ albidæ traditæ à Dodonæo.

Præterea, cur (inquit) Dodonæus & Cluſius Scillam albam veriùs Scillam cenſeant quam ruffam non poſſumus adhuc intelligere.

De Scillæ viribus & præparatione multa habent Plinius, Dioſcorides, Galenus, quæ apud ipſos vide: Incidendi, aperiendi, diſcutiendi vi præditam eſſe Recentiores conſentiunt: unde uſus ejus eſt in obſtructionibus hepatis, meatus biliarii, lienis, menſium retentione, urinæ & in mucilagine pulmonum & tuſſi. *Vires.*

Maximus ejus uſus eſt (inquit C. Hofmannus) pro Trochiſcis Scilliticis qui Theriacam ingrediuntur.

Habemus in Officinis duplex Oxymel Scilliticum, ſimplex & compoſitum, utrumque Meſue, ad affectus præcipuè pectoris ex pituita craſſa, &c. Habemus & *Loch* ejuſdem duplex, ſimplex & compoſitum, utrumque ad craſſos & frigidos in pectore humores. *Hofm.*

Tupa ipi Braſilienſibus, Luſitanis Cebola albæræa Marggr.

Marggr.

Bulbum habet album, rotundum, Pomi noſtratis magnitudine, cuticulâ tectum umbræ coloris, qui inferiùs multas agit radiculas, quaſdam ad novendecim digit. longas: producit porro duo, tria, aut quatuor *folia*, pedalis aut ſeſquipedalis longitudinis, quatuor digitos lata ubi latiſſima, ſucculenta, dilutè viridia, ſplendentia: lineis ſecundùm longitudinem & latitudinem viridioribus quaſi texta.

CAP. X.

Tigridis flos C. B. Dod. Lob. Ger. *Tigridis flos Dracunculi ſpecies putata* J. B. *Ocoloxochitl ſeu Flos Tigris* Hernandez.

Hunc florem figmentum eſſe ſuſpicati ſunt multi Botanici, nec dari in rerum natura ejuſmodi plantam putârunt: verùm αὐτόπταις & fide dignis potiùs credendum, qui dari affirmant. Lobelius à Joan. de Brancion accepit coloribus affabrè expreſſum, & ſic deſcribit; Virentibus, oblongis, anguſtis & acuminatis eſt foliis è pullo radicis bulbo: flore luteo exiguis quamplurimis notulis fortuitis punicantibus variato, è cujus medio ſuave-rubens ſtylus exeritur.

C. Bauhinus radicem ait habere porraceam, folia Gladioli, florem egregiè rubentem, circa medium tamen album, & inſtar pellis Tigridis maculatum.

Cum C. Bauhino conſentit Franc. Hernandez, qui plantam ſic deſcribit,

Herba eſt folia fundens Gladioli, nerveis diſcurſibus denſis, & ſecundùm longitudinem procedentibus. *Florem* rubrum, magnum, ternis conſtantem foliis, ſed circa medium pallentem albúmque & Tigrinæ pellis more maculatum, unde nomen. Additur in corollas floreóſque manipulos ob floris præſtantiam. *Radix* vero porracea eſt, quæ frigefacit ac febrem extinguit ℥ j. pondere ex aqua devorata, & punctis adverſatur quæ ardentes febres ſequi ſolent. Sunt qui dicant devoratam, efficere fœcunditatem; edulis etiam eſt, frigentíſque nec omnino injucundi nutrimenti, lubrica & pectori conferens. *Vires.*

Naſcitur clementi cœlo, quale ſortitur urbs Mexicana, hortenſibúſque præcipuè, humidíſque & cultis locis.

Bulbus oblongus Æthiopicus foliis guttatis & cilii inſtar piloſis Breyn.

Breyn.

Narciſſorum aliqua ex parte ſimilis eſt hic bulbus, niſi quòd ſeſquipalmaris propemodum longitudinis, ad proportionem haud craſſus, fibris autem validis ima baſi Hyacinthi inſtar Muſcarii diffuſis. Hic in Beverningiano horto folia quinque proferebat, glabra, craſſa, carnoſa, in mucronem parumper exeuntia, ſupina parte ſaturè viridia, pronâ dilutiora, quinque vel ſex uncias longa, ſed nè duas quidem lata, nimirum circiter medium ubi latiſſima; quæ confracta ſubamarè nauſeabundum odorem (quamvis ſapor ſingularem amaritiem haud præ ſe ferat) atque ex venularum cavitatibus in carne deliteſcentium, tenuiſſima, araneæ inſtar ſubtilia ſtamina, in modum Eriophori Peruviani præbent. Digna verò ſpectatu hæc folia reddebant margines, pilis ſubrigidis ſpadiceis, duplici ſerie, admodum curioſè, & ferè ità fimbriati, ut pro ciliis innumerabilium in altera folii parte apparentium guttularum ſive ocellorum haberi queant.

Nondum floruit apud *D. Beverningh.*

CAP. XI.

De Siſyrhynchio aut potiùs Syſirhynchio.

SYſirhynchio non ſolùm ſuillo pabulo bulboſæ atque carnoſæ radicis aptitudo, ſed roſtrata forma radicis roſtro ſuillo ſimilis, monente ſagaciſſimo Columna, nominis cauſa fuit.

Nos in hoc capite duas toto genere diverſas plantas conjunximus, nimirum Syſirhynchium Cluſii, & Syſirhynchium Columnæ, alteri enim folia in flore novem, alteri ſex tantum; altera, id eſt Syſirhynchium Cluſii, ad Iridem bulboſam accedit, à qua tamen differt radice ſeu bulbo gemino altera alteri inſidente ut in Xiphio, & petalis illis quæ ſurſum reflectuntur minimè bifidis, obſervante Jungio, altera, id eſt, Syſirhynchium Columnæ, Croco ſimilior eſt, verùm foliis canaliculatis, & radice cum epiphyſi roſtrum ſuillum referente diſtinguitur, geminum autem bulbum habet præcedentis modo.

Utravis planta ſatis aptè reſpondet deſcriptioni Theophraſti & Plinii. *Peculiare Syſirhynchio datum eſt* (inquit *Theophraſtus*) *ut una radix primo augeatur hyeme, tum ineunte vere quod in imo excreverat contrahatur, ſupernúmq; creſcat quod manditur.*

Syſirhynchium Columnæ ob dictam radicis epiphyſin melius convenit nominis interpretationi, quod roſtrum porcinum ſignificat; & præterea edule eſt, quod de Syſirhinchio Cluſii negat Boelius.

1. *Siſyrhynchium majus flore luteâ maculâ notato* C. B. *Siſyrhynchium majus* Cluſ. Ger. *Iridi bulboſæ affinis Siſyrhynchium majus* J. B. *Siſyrhynchium* Park. parad. Spaniſh Nut.

Cluſ.

Oblongis eſt anguſtíſque foliis, mollioribus quàm Iridis bulboſæ folia, & ad Allii aut Hyacinthi botryodis folia proximè accedentibus, ſtriatis, viridibus, & humi plerunq; fuſis, rotundo, dodrantali, ſtriato firmóq; *caule* qui ex multis involucris tanquam ex vaginulis *flores* promit quatuor aut quinque, alternatim prodeuntes, h. e. ut primo marceſcente alter ſuccedat, deinde tertius, & ſic deinceps, Xyridis potiùs florem referentes quàm Iridis, ex novem foliolis compoſitos, quorum tria deorſum inflexa, pro fimbria, luteam maculam habent; alia tria ſurſum aliquantulum attolluntur; tria verò reliqua, quæ in aliis ligulam tegere ſolent, ſurrecta, ſumma parte diviſa & bifida. Eſt verò totus flos pulcher aſpectu, coloris cœrulei, præter maculas illas, & odore quidem præditus ſed valdè fugaci. Floribus ſuccedunt *folliculi*, vaginis quibuſdam cutaceis incluſi, adeò tenui membranâ conſtantes, ut *ſemen* rotundum, parvum, ſubrufum, quod in illis continetur, conſpici poſſit. *Radix* bulboſa, gemina, planta ipſa florente, & altera alteri inſidens Xiphii modo; ſuperior plena, candida, dulcis, edulis, & pueris expetita, inferior flaccida; totam nimirum ſubſtantiam ad ſe trahente ſuperiore, ut in Croco, Xiphio, & tandem evaneſcens cum adhærentibus fibris: multiplici verò cortice reticulato, craſſo, nigro integitur Xiphii radicis inſtar, & adnatis ſeſe propagat; nam quinas, interdum etiam ſenas aut plures plantas, quarum ſinguli bulbi ſuo retiformi tegmine involuti erant, alio villoſo capacioréq; tegumento ſimul comprehenſa eruere memini in collium ſupra Olyſſiponem urbem acclivitatibus, atq; etiam Gadibus non procul à ponte qui eam inſulam continenti nunc conjungit.

Tempus. Florebat Martio natali ſolo, ſed apud Belgas Maio duntaxat, interdum etiam Junio, ídq; valdè raròò, utpote quod alternis utplurimùm annis duntaxat prodire ſoleat, imò paulatim plerunq; contabeſcens prorſus tandem ſæpenumero pereat.

Hoc genus (inquit Cluſius) Luſitani *Nozelhas*, quaſi nuculas aut parvas nuces diceres, appellant, quia pueri iſthic ejus bulbo, perinde atq; Avellanis, veſcuntur, eúmque in deliciis habent.

Cluſio contradicit Gulielmus Boelius, referente Parkinſono in Parad, & hujus plantæ bulbos iis in locis *Nozelhas* appellari negat, inſipidos enim eos eſſe, minimèq; edules, verùm Croci parvi ſeu vulgaris variegati radices ità dici, aſſerit, quæ & guſtui dulces ſunt, & à paſtoribus pueríſq; avidè appetuntur.

Locus & Tempus. Nos plantam hanc in lingula portum Meſſanenſem à freto Siculo dirimente obſervavimus florentem circa medium Aprilem, & in Inſulâ ad Promont. Pachynum.

Huc refer Siſyrhynchium flore albâ maculâ notato *C. B.*

2. *Siſyrynchium minus* Cluſ. Ger. *Iridi bulboſæ affinis Siſyrhynchium minus* J. B. *Siſyrhynchium* Park. parad. *Siſyrhynchium medium* C. B.

Cluſ.

Superiori (inquit Cluſius) ſimile eſt, minus tamen gracilioribúſq; foliis. *Flores* è vaginulis prodeuntes colore ſuperioris floribus ſimiles, ſed magis odorati: tenuiores etiam *folliculi* minore & exiliore ſemine pleni: *radix* item minor, non minùs tamen quàm ſuperioris reticulato cortice tecta & gemina.

Creſcit Valentino Hiſpaniæ regno, ſed Murciano frequentiſſimum obſervabam, præſertim tribus leucis ſupra *Murciam* Antiquis Murgin, ejus regni metropolin.

Floret cum priore.

Vires. Ad ventris tormina utile eſſe referebant incolæ, ſed devorata radice illico corpus ſaltatione eſſe exercendum.

Cluſio iterum contradicit Boelius, & duplex Siſyrhynchii genus dari negat, nec enim majus à minore aliter quàm magnitudine differre quæ major eſt plantis in maris vicinia naſcentibus ob undarum alluvionem, aut auræ marinæ afflatum.

3. *Siſyrhynchium Mauritanicum* Cluſ. Park. parad. *Siſ. flore albâ maculâ notato* C. B.

Hoc genus flores Cluſio protulit Siſyrhynchio majori Luſitanico formâ prorſus ſimiles, non tamen cœruleos ut illius, ſed purpurei dilutioris coloris, valdè etiam fugaces & ephemeros, quorum terna majora folia inflexa & terram ſpectantia albâ maculâ erant inſignita.

4. *Siſyrhynchium Theophraſti* Col. *minus anguſtifolium* C. B.

Radicem habet bulboſam, parvam, Avellanæ nucis medullæ parem, cortice Colchici modo obductam ruffo, qui facilè avellitur, rotundâ formâ oblongâ verò, & inferiùs non ut aliæ bulboſæ rotundam planam & fibroſam baſin habentem, ſed in oblongum productam, ſinuoſam & in acumen deſinentem, Delphini vel Suis roſtrum effigiantem, lævem veluti arte elaboratam, ſuperiorem animalis mandibulam imitantem, atq; palati cavam partem: ex alia verò velut inferiorem alteram mandibulam, quæ tenuis eſt & lata, mobilis menti inſtar, ex lata in tenuiſſimas fibras diviſa, tandem denis velut capillamentis quibus terræ adhæret deſinens: inter ambas verò linguæ modo carnoſa fibra rotunda longa exit, ex qua ſe propagare videtur, ut aliæ bulboſæ ſolent, & bulbus anno ſequenti efficitur. Cujus rei ſignum eſt cortex inanis bulbi qui ſupra vegetum bulbum paulo ſuperiùs invenitur. Fibræ pullæ, diaphanæ ut Orchidum fibræ, non ſolidæ ut bulbus, qui denſus, durus, albus, ſplendidus eſt, Caſtaneæ immaturæ ſapore. Duas uncias infra terram occultatur, & ſupra folia emittit quatuor, quinq;, aut ſeptem inæqualia, tenuia, dura, carnoſa, minora & breviora Croci ſativi, nec lata, ſed Xiphii modo tota dorſum, ſolida, duriuſcula, ſtriata. Binos emittere flores obſervavimus, ſtellata inter folia terræ hærentes ſex foliis conſtructos è folliculo exeuntes: quorum tria exteriora vireſcunt vel violacea ſunt, reliqua alba, & lineis tribus violaceis per longum ductis depicta, ſylveſtris Croci modo, brevibus intus ſtaminulis. His marceſcentibus fructus remanet oblongus, viridis Tritici grano par, trigonus, deinde duplo major, in quo ſemina turgent, & in ſuperficie propter cutis tenuitatem extuberantia apparent; ſiccatus diſrumpitur & copioſa, minuta, rotunda & flaventia oſtendit.

Novembris fine obſervavimus in hac planta bulbulum emittere ſupernè, uti Gladiolus, qui tunc parvus admodum erat, duobus foliis emiſſis, atq; hyeme poſtea crevit, foliáq; alia emiſit. Quare hyeme bulbum creſcere & pingueſcere certum videtur, æſtate verò contrahi exſuccum, nam Vere fructus perficit Aprili menſe cùm floruerit Martio. Hæc omnia F. Columna. *Tempus.*

Per viarum margines herbidos Cirinolæ obſervavit Columna. *Locus.*

5. *Syſirhynchium alterum latifolium* Col. *minus latifolium* C. B.

Col.

Hujus *radix* ſimili formâ, ſed duplo major oblongior, ac multiplici cortice nigrioreq;, inferiùs barbata ut ſuperior, ſed ex altera menti parte oblongus, planus, roſtratus & flaveſcens adhæret bulbulus, qui anni præcedentis erat vetuſtior, cortice ſupra vegetum novum bulbum relicto, ut in ſuperiore. Hic præcedente ſuccoſior eſt, atq; ſapore amaricante parum. *Folia* lata, porracea, brevia reſpectu latitudinis, lævia, ſplendida, oris parùm piloſis, *fructu* inter folia, & terræ hærente, ut vix promineat & appareat, trigono uti ſuperioris, ſed majore, rubeſcente, in quo duodecim *ſemina* inſunt, quatuor ſingulis angulis, craſſiora, Orobi aut Viciæ ferè magnitudine, anguloſa parum.

Via quâ ad Acquamenam vineam itur inter Orchides ſphegodes. *Locus.*

6. *Syſirhynchium Aſprenſium anguſtifolium alterum* Col. *minus anguſtifolium flore majore variegato* C. B.

Col.

Hæc minimo aeris tepore emicat, florentémq; Januario menſe obſervavimus in Caſtro *Aſpra* dicto, in Sabinis, olim *Caſperies* appellato. Bulbo eſt craſſiore præcedente Apulo, cui folia ſimilia quatuor ponit, canaliculata, ſed ita tenui ſciſſura ut niſi animadvertatur, juncea videantur, & coſtæ effigie. *Florem* edit Croci figurâ & odore, magnum reſpectu plantæ, ſed Croco minorem, candicante colore, & in aliquibus ſummæ floris partes purpuro-cœruleæ, & imæ veluti ungues luteo colore; ſtamina intus tria, craſſo & oblongo capite prædita, lutea, medium verò apicem album, oblongiorem, in ſex tenues brevéſq; lacinias in ſummo diviſum, ex pallido candicante colore. Variat flos, nam tria ex ſex foliis exteriora dorſum habent vel rubens & lineis variegatum, vel ex luteo virente linea inter purpureum colorem, aut obſoletâ purpurâ. *Radice* bulboſa barbata Apulo ſimili, ſed majore duplo, eodem ſapore Caſtaneæ, etiámq; ſe bulbo ſuperiore propagante. Iiſdem locis congener altera Apula oriebatur.

7. *Siſyrhynchium Indicum* Cornuti.

Corn.

Hùic *radix* bulbacea, Nuculæ magnitudine, Croci effigie Mœſiaci, quam incolæ libentiùs eſitant (ſicut ejuſdem etiam generis indigenas Hiſpani opiliones edunt, quas *Noſelhas* appellant vocabulo vernaculè Avellanam ſignificante.) Poſtrema æſtatis parte, quam *oporan* vocant *flores* fundit in ſingulis caulibus nunc ſingulares, nunc etiam plures, ſex foliis variè coloratis compoſitos: Interna ſiquidem pars cœrulea eſt, circulóque flavo diviſa, dorſum autem mediâ & infima parte cineraceum, mediâ vero quæ in mucronem porrigitur languidè cœruleum. Elapſo flore *ſemina* in *folliculo* ſubrotundo & carinato, ut Gladioli, concepta ſubnaſcuntur. *Folia* ut Iridis bulboſæ aut Aſphodeli lutei minoris, teretia ſunt, & per longitudinem ſtriata.

Ex India Orientali delatum eſt.

8. *Siſyrhynchium ex phœniceo ſuaverubente flore Æthiopicum* Breyn.

Breyn.

Altitudine pluſquam pedali aſſurgit, *bulbum* poſſidens rotundum, Croci aut Siſyrhynchii Indici *Cornuti*, cortice ex fuſco cinereo & filamentoſo obductum: è quo *caulis* viridis, ut exiſtimo carnoſus, aſſurgit, *foliis* partim longiſſimis, partim brevioribus, anguſtis, nervoſis, vegetiſſima viriditate coloratis, in modum ferè Siſyrynchiorum *Cluſii*, amictus; cujus ſuperior pars papaveris erratici inſtar hirſuta, *florem* ſua venuſtate aſpectum delectantem ſuffulcit, Croci aut Siſyrhynchii Aſprenſium *Col.* grandiorem, foliis ſex tenerrimis, è carneo & phœniceo, necnon dilutâ Roſarum purpurâ blandè rubentibus, ad unguem croceis, congeſtum; cujus in medio *ſtylus* quadrangularis, craſſus, phœnicei coloris occultatur.

Ex intuitu figuræ ſuis coloribus ad vivum depictæ, à *D. van Beverningk* (in cujus horto floruit ipſa planta) tranſmiſſæ deſcripſit Ja. Breynius.

Locus. Locus ejus natalis Promontorium Caput Bonæ Spei dictum.

Variat flore triſtiùs & obſoletiùs rubente, & languido collo deorſum dependente, velut Polygonati ramoſi flore luteo *Cornuti*, pari quoq; formâ & convolutis foliis.

9. *Siſyrhynchium ramoſum Æthiopicum foliis plicatis nervoſis & incanis, radice tuberoſa phœnicea* Breynii.

Hujus *radix* tuberoſa, Iridum quadantenus ſimilis, vix ſeſcunciam in longitudine, ac pollicem tranſverſum in latitudine contingens, non adeò inconvenienter Cygni corpus repræſentabat; ſubſtantiâ carnoſâ, ex phœniceo crocea lentam mucilaginem continente, & cuticulâ firmiter inhærente, tenui, ſanguineâq; contecta; cui inſuper cortex, colore & ſubſtantia Colchici ſimilis obductus fuerat, [cùm bulbum accepit Autor à *D. van Beverningk* miſſum] jam reſolutus, quo ſanguineus perpulcher radicis color ſine impedimento meliùs oculis luſtrari poſſet. Eâ enim Radix hæc eſt naturâ, ut illo quo planta optimè augetur tempore imminuta, venuſtiſſimum coloris ſplendorem deperdat, formámq; ſuam in pedis figuram convertat, ſub qua emiſſas inter fibras nova propago tandem procreſcit.

Hujus tuber menſe Julio terræ commiſſum paucos poſt dies *folia* octo aut decem producebat, pollicaria, palmaria, vel etiam pedalia, Iridis facie, & quæ eo etiam modo in latum expanſa, mutuóque ſe amplexando naſcebantur, obſcuriùs autem viridia, incana, hirſuta, nervoſa, plicata, & ab imo ad medium uſq; carinâ amplâ prædita: E quorum medio *Caulis* pedalis, rotundus, viridis, & hirſutus effundebatur, parte inferiori rubicundus; ima medietate geniculatus, ſingulis genicula folio anguſtiore brevioréq; cinctis; ſupra verò pluribus ramis, (quorum quemvis circa baſin longum anguſtúmq; comitabatur foliolum) brachiatus; quos Siſyrhynchii Theophraſti *Col.* pares, ſed grandiores duplo ornabant *floſculi*, ſex foliolis purpureis, aliqua flavedine ex phœniceo colore intermixtis, foríſq; leniter hirſutis, conſtructi. His marceſcentibus *fructus* enaſcebantur quidem trigoni, nec tamen ut Siſyrhynchii *Col.* oblongi, ſed Hyacinthorum in modum ſubrotundi, qui perfectionem debitam non aſſecuti, virides erant, & pilis brevibus, velut caulis foliáque, hirſuti, intrinſecus verò glabri, in tres ſeparati partes, ſingulas *ſemina* ſingula tantùm complectentes, quantum ex fructu ſicco enucleare licuit.

10. *Syſirhynchium Perſianum* C. B. *Flos Perſicus Syſirhynchio congener* Cluſ. hiſt.

Hujus ſtirpis flos (quem ſolum cum ſuprema caulis parte coloribus ſuis duntaxat expreſſam vidit Cluſius) pulcherrimus erat, ſummo cauli ſatis gracili & vireſcenti innitens, & ex membranaceo involucro, inſtar folliculorum qui Iridum flores ambiunt, emergens, tribus tantùm foliis (ſi picturæ fides eſt adhibenda) conſtans, mucronatis, binas uncias longis, minimum digitum latis, dorſo elatiore, cœrulei coloris adeò elegantis ut cum Gentianellæ cœruleis floribus contendere poſſit: interna parte ramoſa quædam *ſtamina*, in multas tenues fibras ſecta continere videtur, rufi coloris, *apicibus* verò albis infra illum addita erat alterius floris gemma, ſuo membranaceo folliculo etiam involuta.

Hujus pictura Conſtantinopoli expreſſa erat ex altera pictura è Perſia allata.

CAP. XII.

De Gladiolo.

Gladiolus à foliorum formâ dictus, Dioſcoridi Ξίφιον, foliis enſiformibus, floribus in ſingulis caulibus pluribus longa ſerie & forma peculiari à congeneribus diſtinguitur.

1. *Gladiolus ſive Xiphion* J. B. *Gladiolus Narbonenſis* Park. *Italicus* Ger. *Glad. floribus uno verſu diſpoſitis major* C. B. **Corn-Flag.**

Cord.

Rectum & mucronatum emittit *folium*, è quo alia duo aut tria erumpunt, Iridi ſimilia, multò tamen anguſtiora, utrinque ſtriata, & Iridis modo ſibi inſerta, junceum, teretem, cubito longiorem & glabrum *caulem* amplectentia; in cujus ſummitate quinque, ſex, aut ſeptem, egregiæ figuræ &

coloris *flores*, Sole Cancrum ingrediente ſe proferunt, à ſe invicem diſtantes, in unam partem caulis ſe inclinantes, & deorſum nutantes: conſtant hi ſex petalis, unciâ parum longioribus, ſimul ab uno exortu prodeuntibus: ex quibus quatuor ſemunciâ paullò latiora ſunt, colore roſeo, ſed multò lætiore & pulchriore; interdiu, cùm Sole tanguntur, ignis & ſcintillarum modo exteriori ſuperficie coruſcantia & veluti flagrantia, reflexis labris profundioris calathi figuram referentia: reliqua duo foliola prædictis multò tenuiora ſunt, ac intra florem conſtituta, inferiùs aliquantulum prominent, & candidam, longam & in medio latiorem maculam habent, quam undique purpurea linea circumſcribit & terminat: ſuperiori floris folio *ſtamen* ſubeſt trifidum, & inter hoc & folium ſingularis apex. Floret paucis diebus ab inferiore parte incipiendo: aperiente enim ſe qui in ſummitate eſt flore inferior flacceſcit & clauditur. Floribus ſinguli *folliculi* ſuccedunt, in rotundo modicè oblongi, tenuibus venulis diſtincti, nucis Avellanæ quantitate, qui cùm immaturuerunt in tres partes dividuntur, & tenuia, paleacea, flaváque *ſemina* oſtendunt, in quibus rubens, cartilagineus & parvus eſt *nucleus*. *Radicem* habet non profundam, parvam, rotundam, bulboſam, ab ima baſi versùs germen turbinatam, aliquot crinitis & reticulatis tunicis veluti loricis veſtitam; quibus detractis duo exigui, candidi, carnoſique apparent *bulbi*, uno alteri inſidente, ſuperiore quidem Veris initio minore ſed vegetiore; inferiore autem majore & latiore, verùm flaccido & fungoſo: perit enim & flacceſcere incipit prioris anni bulbus Veris initio ſupernaſcente alio: itaque ſimul decreſcentem & increſcentem radicem habet: nonnunquam etiam inferiori ſubeſt tertius bulbus, ſed adeò flaccidus & inanis, ut inter fodiendum (quia non eſt ſpectabilis) negligatur; dum floret ſuperior & minor bulbus increſcit, vincítque ſoliditate & qualitate inferiorem; nam cùm flacceſcere flos incipit, digiti craſſitudinem & globuli figuram acquirit; fibras ab inferioris bulbi baſi emittit tenues candidáſque. Saporem radix habet præ cæteris herbæ partibus excellentem, nempe dulcem & modicè acrem; relinquit enim in palato aliquandiu linguam & fauces aliquantulum urentem & ſalivam elicientem [flores & folia idem faciunt *J. B.*] acrimoniam.

In calidioribus regionibus frequens inter ſegetes reperitur. Nos circa Liburnum in Italia copioſum invenimus. Paſſim Monſpelii in ſegetibus provenit. *J. B.* In Italia & circa Monſpelium Aprili etiam & Maio floret, in frigidioribus Junio & Julio. *Locus & Tempus.*

Variat floris colore pallidiore & interdum planè albo.

2. *Gladiolus utrinque floridus* C. B. *binis florum ordinibus* Park. *Glad. Italicus binis florum ordinibus diſtinctus. Gladiol. Narbonenſis* Ger.

Vix aliqua in re à præcedente differt quàm florum duplici ordine in caule; quamvis Parkinſonus radicem minorem & nigriorem ei attribuat; caulem item obſcuriorem; flores pariter coloratiores & tantillo minores.

3. *Gladiolus floribus uno verſu diſpoſitis minor* C. B. *purpureus minor* Park. *minimus* Lob. Ad. part. 2.

Lob.

Minor eſt quàm vulgaris Narbonenſis Gladiolus *floribus* concoloribus, minoribus, uno verſu digeſtis in pedali gracili *caule*: *foliis* item duplo minoribus. *Radix* Siſyrynchii aut Gladioli parvi.

4. *Gladiolus anguſto gramineo folio* C. B.

C. B.

Foliis gramineis, anguſtiſſimis, palmaribus: *floribus* paucioribus, [ternis aut quaternis] pallidè rubentibus ſupra ſe invicem ad caulis ſummum utrinque: *folliculis* minoribus à præcedentibus differt.

In Murena Hiſpaniæ collegit Albinus. *Locus.*

A præcedentibus non aliter differre videtur quàm magnitudine; quæ fortè loco debetur.

5. *Gladiolus Byzantinus* Park. *major Byzantinus* C. B.

Partium omnium magnitudine; *floribus* uno verſu diſpoſitis, atro-rubentibus, ſeriùs poſt reliquos omnes ſe aperientibus; *radice* teneriore & frigoris minùs patiente à Gladiolo Narbonenſi differt.

6. *Gladiolus Æthiopicus flore coccineo* Cornuti. *An Gladiolus maximus Indicus* C. B?

Cornut.

Bulbum habet unicum, (non duplicati ordinis ut vulgaris) eúmque longè habitioris & adultioris amplitudinis, planum tamen, ac ut Nux vomica depreſſum: ejus caro intima fæcis vini colorem refert, & guſtanti acerrimè linguam pungit. Bulbus hic multis tunicis obducitur, ſingulæ nerveis filamentis ductis in ſeſe & in plexum veluti retiformem textis fimbriantur. Aliæ aliis inſident, ut in Croco Myſiaco uſu venit. *Folia* ſunt Iridi noſtrati magnitudine & figurâ ſimilia, longitudine inter ſe diſparia, qualia in Gladiolo vulgari. Thyrſus inter folia medius erumpit, nunc unus, nunc ramoſus (ut vidi) teres, fragilis, glaber, enodis, atque ex nigro leviter purpuraſcens. Hujus ſuprema pars in coccineam velut ſpicam faſtigiatur: adeò bellè florum germina utroque verſus diſponuntur, ut in Hordeo δισίχῳ videmus: prius autem quàm ſingula hæc aperiantur, alia poſt alia longiùs excreſcunt, túncque corniculorum modo leniter incurvantur; ac tubulum ſinuatum formant lutei coloris; pediculus tamen quo tubulus cauli adnectitur ruber eſt, nec niſi propiùs intuenti apparet, cùm gemino foliolo atro-virente hinc inde tegatur. Dum tubi hujus extremum hiat, in ſex lacinias diviſum, totidem quoque folia format, quorum tria longiora ſunt & obtuſa, coccineóque colore rutilant, reliqua tria brevia admodum & acuta: extra puniceo colore tinguntur, intus croceo, nonnullis lineis coccineis ſtriato ſplendent. Eo autem diſpoſita ſunt ordine: ſupremum ampliſſimum eſt; ſubjectum utrinque minimum; quæ deinceps poſita magna; infimum autem valdè exiguum: uno verbo breviora longioribus interſeruntur. A cavo hujus floris quatuor *ſtamina* fluunt, quæ per ſupremi folii ſinum deducuntur inæquali longitudine: inferiora duo humiliora ſunt, tertium elatius eſt; ſingula purpureis *apicibus* ornantur, fiſſis parte ſupina, pronâ verò duplici linea ex pulvere luteo confectâ diſtinctis. Quartum ſtamen ſine apice eſt, & linguæ ſerpentis modo triſulcum apparet.

Locus. A Promontorio bonæ ſpei dicto delata eſt egregia hæc Gladioli ſpecies.

7. *Gladiolus Africanus, radice tuberoſa, Cepæ foliis* Breyn.

Tuberoſa conſtat *radice* craſsâ, pænè pugillari, foris ex cinereo fuſcâ cum aliqua flavedine ſordeſcente, intus carnem ſolidam cerini coloris habente, in ſuperiore parte colliculi inſtar ſubrotundè elevata, ac fibris multis ex ima circulari ferè planaque baſi diffuſis, de qua binæ radices plerunque ità conjunctæ ut facili tamen negotio ſeparari poſſint. *Folia* ex colliculorum verticibus prolixa emittit, Cepæ vulgaris formam, colorem ac magnitudinem æmulantia, concava, aut materia levi, ſpongioſâ, ut & ſpumâ quâdam glutinoſi ſaporis farcta: hæc folia tenues veluti glauci coloris halitûs ſuffundunt, qui leviſſimo tactu deflorantur: Horum primùm emergentia inferiore parte incumbunt terræ, ſuperiore autem eâ ſe erigunt figurâ, ut cornua pænè tauri repræſentent. Caulem (ut ferunt) impellit rotundum, foliis minoribus veſtitum junceis, & *floribus* ſuave-rubentibus, cacumen onerantibus denſiſſimè ſpicatum: hi Gladioli Æthiopici *Cornut.* dimidio breviores, nec eo modo incurvati, in medio *ſtamina* apicibus luteis donata, complectentes, è calyculo binorum foliorum membranaceo Cannæ Indicæ progenerantur.

An *Radix tuberoſa Promont. bonæ Spei, collo eximiè craſſo* Swertii?

CAP. XIII.

De Colchico.

COlchicum dictum eſt quòd plurimum in Colcho naſcitur.

Magnitudine ſua & foliis latis Liliaceis, vaſculis ſeminalibus majoribus, à Croco cui aliàs perſimile eſt, diſtinguitur.

A. 1. *Colchicum commune* C. B. *Colch. Anglicum purpureum, & Anglicum album* Park. Ger. *Colchicum* J. B. Meadow-Saffron. *Cord.*

Autumno edit quincuncialem, nonnunquam etiam dodrantalem, gracilem, glabrum, candicantem, atque egregiæ teneritudinis *caulem*, in cujus ſummitate *flos* Lilio non diſſimilis, ſed minimè repandis & reflexis deorſum foliis, ſex petalis, longitudine ſeſquiunciam aut beſſem æquantibus, latitudine verò unciâ paullò anguſtioribus, utrinque acuminatis, glabris, nitidis, pinguibus, in attritu glutinoſis, primùm clauſis & convolutis, poſtea ſe explicantibus conſtans, colore in ſubrubente purpura albicans; in medio luteo colore *ſtamina*, numero ipſa floris folia non excedentia continens, qui poſtquam unum atque alterum diem duraverint flacceſcunt: deinde paulò poſt ſequentis Veris initium *folia* profert, longitudine dodrantali, latitudine verò unciæ aut ſeſquiunciæ, acuminata, craſſa, Liliaceis formâ & ſubſtantiæ lentore ſimilia, ſed longiora, ſub terra coeuntia, & teretem, tenerum, candicantémque pediculum conſtituentia; in quorum medio propè terram utriculus extuberat, acuminatus, triquetrus, longitudine ad ſeſquiunciam plerunque accedens, latitudine verò unciam utplurimum æquans, rotundo, milioque majori, primùm candido, æſtate deinde poſt Solſtitium matureſcente, ad ruffum in nigro colorem tranſeunte *ſemine* plenus: quo ſparſa folia flacceſcunt. Inveniuntur nonnunquam duo aut tres utriculi ſimul conjuncti, & ab una radice prodeuntes, cùm eadem radix totidem flores produxerit, ſed unus tantùm ex his magnitudine præſtat, alii veluti abortivi ſunt. *Radice* nititur longitudine ſeſquiunciali, modicè in planum compreſſa, latitudine unciam plerunque quarta ejus parte excedente, ſuperiùs turbinatâ, inferiùs autem latiuſcula parte veluti in parvum unguem deſinente, & candidas fibras in terram demittente, & parvis bulbis circa latera enatis ſe propagante, foris multis in ruffo nigris tunicis veſtita, ex quarum numero ejus ætatem cognoſcere potes: Singulis enim annis ſingulas ſuperinduit tunicas, quibus detractis reliqua radicis pars carnoſa, totáque candida, & ſucco lacteo plena eſt, eadem ab una parte rimam veluti habet, per quam floris coliculus tranſivit; hunc enim non è ſuperiori & acuminata parte majoris radicis Autumno promit, ſed ab inferiori flacceſcentis ungui & latiore, contra reliquorum bulboſorum morem. Ea verò radix à cujus mucrone flos & folia emittuntur, ſulco caret uſque in Autumnum, donec ſubnaſcens parvula alia emiſſo flore priorem ſulcet. Hinc eſt quòd radices, quibus Vere & Æſtatis principio folia inſident canaliculatum illum ſulcum non habeant. Eadem radix quæ priore anno germinavit, ſequenti flacceſcit, Autumno ſuccedit alia admodum parva, inferiùs adnaſcens, à cujus ſuperiori parte Autumno flos prodit: (num hic minimè à majori exit) minor hæc radix unà cum flore adoleſcit; in Vere autem & æſtate ſequenti ſimul cum ſemine ad juſtam magnitudinem pervenit, quo tempore prior omnino perit. Siccata radix tam foras quam intus fuſca fit; ſaporem habet dulcem, ſimúlque amarum tenuem ſalivam provocantem, & aliquantulum nauſeoſum. Odorem verò omnes herbæ hujus partes gravem & nauſeabundum ſpirant.

Locus. Naſcitur in pratis tam planis quàm montanis, ſolo pingui, tam in Occidentalibus, quàm Borealibus Angliæ partibus: nec minùs in tranſmarinis regionibus.

Colchicum Anglicum album *Park.* candido flore Anglicum *Lob.* à deſcripto non aliter quàm floris colore differt, quicquid dicat Lobelius. Hoc autem merè accidentarium eſt, nec ſpeciem mutat. Nos enim neque vidimus neque à quoquam audivimus, ullum aliud præter deſcriptum Colchici genus in Anglia ſponte natum inventum unquam. Certe nihil tale in montoſis & collibus propè Briſtoiam occurrit.

Fortè Lobelius Colchicum polyanthes album *Cluſ.* ſive Pannonicum, quod in hortis cultum vidit, per errorem pro Anglico & ſpecie diſtincto habuit.

2. *Colchicum album cum purpuraſcentibus lineis* J. B. *Colch.* *ποικιλανθὲς alterum* Cluſ. *ex albo purpuraſcente varium* C. B. *variegatum alterum* Park.

Floribus candidis purpuraſcentibus lineis & notulis eleganter perſperſis à præcedente differt; in reliquis ferè convenit.

J. Bauhinus in Helvetia in convallibus ad radicem montis *Waſſerfall* invenit Septembri florentem.

Reperitur flore pleno.

3. *Colchicum purpureo-lacteum variegatum* C. B. *verſicolor* Cluſ. Park. *ποικιλανθὲς* Cluſ.

Cluſ.

Non minùs craſſo eſt bulbo quàm Pannonicum *πολυανθὲς*, vel etiam craſſiore. Octobri paullò ſeriùs quàm ſuperiora binos, ternos aut quaternos producit *flores*, vulgari breviores & brevi pediculo innixos, ut vix ſupra tellurem attollantur, quorum interiora tria folia ex purpura quodammodo rubent, aut Hiſpanici montani floribus concolores ſunt utplurimum: exteriora autem tria vel omnino lactei candoris ſunt, vel internè media ex parte purpurea, aut craſſioribus purpureis venis radiatim diſtincta, vel purpureis maculis aſperſa, omnia verò mucrone magis orbiculato & obtuſo quàm in vulgari. Hujus folia ineunte vere germinantia ex viridi purpuraſcunt, deinde explicata ſaturatiùs virent vulgaris foliis.

4. *Colchicum Pannonicum album* Park. *polyanthes album* J. B. *candidum multiflorum* C. B.

Bulbo majore; *foliis* dilutiùs virentibus; floribus lactei candoris, ab eodem bulbo pluribus ad ſeptenos, denos aut duodenos, &c. à Colchico communi differt.

Autumno pratis quibuſdam Viennæ Auſtriæ vicinis non procul à Danubio eruit Cluſius. *Locus.*

Colchicum polyanthes ſive multiflorum purpureum Lobelii J. B.

A præcedente non aliter quàm floris colore differre videtur.

5. *Colchicum Byzantinum latifolium polyanthes* Cluſ. J. B. *Byzantinum* Park. *lato Hellebori albi folio polyanthos* C. B.

Cluſ.

Novo vere germinat, ternáque aut quaterna producit folia ampliſſima, Ellebori albi foliis nec formâ nec magnitudine valdè abſimilia, nec illis minùs nervoſa, magis tamen viridia, & ſeſe mutuo amplectentia. Autumno cum vulgari numeroſos fert *flores*, ut viginti aliquando obſervare meminerim ex eodem bulbo prodeuntes, vulgaris quidem floribus formâ & colore propè ſimiles, ſed ampliores, craſſioréque pediculo ſubnixos, foris dilutiùs, internè ſaturatiùs purpuraſcentes, & tanquam venis quibuſdam per folia ſparſis notatos, in quibus *ſtamina* ut in vulgari. Satis copioſum *ſemen* fert interdum in triangulis, laxis, brevibúſque capitulis ſive folliculis, triplo craſſius vulgari. Ejus *radix* craſſiſſima pugnum æquans vel etiam amplior.

6. *Colchicum Luſitanicum Fritillaricum* Park. *Luſitanicum purpurei cum albo mixti coloris* Cluſ. J. B.

Hujus plantæ florem tantùm deſcribit Cluſius, Parkinſonus reliquas etiam partes accuratiùs, ideóque deſcriptionem ejus adhibebimus.

Flores hujus majores & longiores ſunt quàm vel Anglici, vel Pannonici, ad præcedentis flores proximè accedentes, ejuſdémque ferè cum illis coloris, paulló duntaxat ſaturatiores, maculis teſſellatim (ut in Fritillariæ flore) diſpoſitis purpureis, ſed floridioribus, & vel è longinquo conſpicuis. *Folia* hujus ortu ſuo reliqua omnia Colchica Autumnalia præveniunt, ſiquidem ante hyemem ſemper emergunt, quinque vel ſex numero, brevia potiùs quàm longa, baſi latâ, ſummitate acuminata, canaliculata ſeu concava, quaſi in circulum diſpoſita: & ſeſe mutuo ima parte amplectentia, colore pallido; ſeu ex viridi caneſcente, à reliquorum hujus generis colore diverſo. *Radix* Anglici aut Pannonici perſimilis, paulo duntaxat major. Floret Autumno omnium primum.

Colchicum latifolium Boiſoti *Cluſ.* Cluſius ipſe huc referendum ſuſpicatur.

7. *Colchicum Neapolitanum Fritillaricum* Park. *flor. Fritillariæ inſtar teſſellatis* C. B. *Colchicum Neap.* Cluſ. hiſt. App. 1.

Park.

A præcedente, cui aliàs perſimile eſt, differt florum colore ſaturatiore, adeò ut maculæ teſſellatæ è longinquo etiam conſpicuæ ſint, floréſque Fritillariæ alicujus intenſiùs coloratæ ſimiliores, & quàm præcedentis pulchriores & ſpecioſiores. *Folia* poſt flores brevi exeunt, ſúntq; nonnihil longiora quàm illius & obſcuriùs viridia, ad cinereum tamen tendentia; nec adeò decenter in orbem diffuſa, ſed erectiora, & velut inter ſe complicata.

Cluſius Neapolitanum ſuum paullo aliter deſcribit. Flores, inquit, quaternos aut quinos protulit, non adeò altè inſurgentes ut in vulgari, ſed breviores, quorúmq; folia luci oppoſita teſſellatim diſtincta apparebant, perinde ferè ac in dilutiore Fritillariæ flore. Semen etiam abundè præbet id genus, ſed in minoribus brevioribúſq; capitibus quàm vulgare.

8. *Colchicum Fritillaricum Chienſe* Park. *variegatum* Cornuti.

Cornut.

Autumno ſtatim ineunte ſupra terram *flos* emergit, mille variegatus maculis, dilutè purpuraſcentibus, quadratis & in quincuncem diſpoſitis, ut in Meleagride *Dod.* Singulis illius petalis ineſt albeſcens quædam vena, quæ per eorum medium ab infima parte ad mucronem uſq; prorepit. *Filamenta* ſex longiora, cœruleis apicibus donata, à cavitate floris oriuntur. Bulbus huic plantæ pro radice eſt, tunicas habens plures, coloris ex nigro rufeſcentis, interior multa bombace munitur: conſpicuum id eſt ſi quis delibret. Poſt florem *folia* fert atro-virentia, anguſtiora & breviora noſtratium. Æſtate media ſeminibus turget ruffis, quæ ſiliquæ coriaceæ virides cellulatim coercent.

Park.

Folia huic plerunq; tria è bulbo exeunt, pallidiora ſeu hilariùs viridia quàm præcedentis, humi appreſſa, ad baſin lata, leviter mucronata, ad margines ſinuata, ſeu undulata & veluti criſpa ſeu ſerrata. *Radix* parva, oblonga. *Flos* pulcherrimus reliquis ferè minor, ſeriùs Autumno adulto, nec ferè ante Novembrem ſe aperit. Hyemes noſtras ægrè tolerat, ſed paulatim ferè languet, bulbo quotannis imminuto, donec tandem plane emoritur & evaneſcit.

9. *Colchicum montanum anguſtifolium* C. B. *mont. flore purpureo* J. B. *montanum Hiſpanicum* Cluſ. *mont. Hiſpanicum minus* Park. Ger.

Cluſ.

Terna aut quaterna huic ſunt *folia* digitalis longitudinis, carinata, firma, humi tamen ſparſa, ſaturatiùs virentia & ſplendentia, vix ſemunciam lata, acidi guſtûs, rufeſcentem colorem contrahentia dum tabeſcere incipiunt. *Flos* ſine foliis primùm exit Septembri, aliquando etiam Auguſto, ſex longis, anguſtis & ex purpura rubentibus foliis, totidem in medio *ſtaminibus* conſtans. Hunc ſtatim (præter aliorum Colchici generum morem) folia ſubſequuntur, & totam deinde hyemem perdurant, uſq; in menſem Maium vel etiam Junium. *Radix* bulboſa, non magna, multis ex rufo nigricantibus tunicis amicta, intus alba, ſolida & cum quadam adſtrictione dulcis, longiuſcula ſede, quali in cæteris generibus, & adnatis in lateribus ſe propagans.

Locus. Collibus Salmanticæ vicinis, ſolo valdè lapidoſo eruit Cluſius cum ſuo caule dodrantali firmo & triangulari capite, in quo ſemen ex rubro nigreſcens ſive fuſcum, læve exiguum ſubrotundum.

Datur hujus varietas in floris colore, cujus interiora petala tota alba, exteriora media ex parte viridia, altera carnei quodammodo coloris.

10. *Colchicum pratenſe Salmanticum* Cluſ. J. B.

Flore erat dilutiore & in nonnullis plantis lactei omnino candoris. Hoc vulgari minus eſt, ineunte vere folia duntaxat proferens.

11. *Colchicum vernum* Cluſ. J. B. Park. *vernum Hiſpanicum* C. B. *vernum* Ger. emac.

Novo vere cum Dente canino Crocóq; verno hoc Colchici genus prodire, & unum aut alterum florem unà cum foliis producere ſolet, primis quidem diebus antequam ſeſe explicare & pandere incipiat, coloris albi, ſed qui paullò poſt in purpureum dilutiorem mutetur, brevi pediculo ſubnixum, ſex petalis conſtantem minoribus & anguſtioribus quàm in vulgaris flore, & Croci verni albo flori formâ valdè ſimilem, ſingulis foliis ex infima ſede album *ſtamen* proferentibus cujus apex flavus: exteriorum trium foliorum ſtamina interiorum ſtaminibus ſunt breviora. E medio floris umbilico oblongiuſculus exilit ſtylus, ſtaminum longitudinem ſuperans, albus, in tres partes ſummo diviſus. Naſcebatur verò flos ille inter terna folia, carinata, ſeſe mutuò complectentia, Colchici vulgaris foliis longè anguſtiora, montani tamen Hiſpanici foliis paullò latiora. Flori ſuccedebat triangulare membranaceum capitulum, haud magnum, ſemen continens rotundum, ſubrufum. Radix Colchici vulgaris radici ſive bulbo, formâ quidem ſimilis erat & fuſca pelle obducta, ſed longè minor, multas candidas fibras ex infima ſede protuberante ſpargens.

Non convenit inter Botanicos an Colchici radix ſit Hermodactylus Officinarum, aliis id affirmantibus, aliis negantibus. Doctiores & peritiores diverſam faciunt, inter quos J. Bauhinus & J. Bodæus à Stapel. Hermodactylum non eſſe Colchici radicem probant, quòd Hermodactylus reſiccatus albus permaneat, neutiquam rugoſus, modicè durus tundíq; facilis ſit, pulverémq; habeat candidum, quæ omnia Colchici radix ſiccata non habet. Addit Jo. Bauhinus Colchici radicem venenatam eſſe, Hermodactylos præcipuè veteres innoxiè guſtari poſſe. Interim tamen, annuente Trago, admonet illos quorum intereſt pilulas pro podagricis deſcribere, ne ſuis confectionibus Colchicum ſeu Hermodactylum adhibere velint, quod, inquit, hactenus magno cum errore commiſſum fuit. *Vires.* Cæterùm Arthritide laborantibus Colchici radicem utilem eſſe Arabes ſcripſere, & nos aliqua ex parte experti ſumus, ſed tum cùm forinſecus imponitur.

12. *Colchicum pumilum Croci foliis* C. B. *minimum tenuifolium Gallæcium* Lob. Ad. part. 2. J. B.

Lob.

Pumilum hoc Colchici genus *foliis* eſt Croci montani minoris, humi ſparſis, uncias binas aut ſeſquiunciam longis (mihi folia duo ſolum dedit *J. B.*) *radice* Colchici, Avellanæ parvæ nucleum æquante, flore unà cum foliis prodeunte, ſenis conſtante petalis anguſtioribus, purpurantibus, totidémq; ſtaminulis, apiculis luteis præditis, è brevi pediculo, parum è terra emergente.

Ex Hiſpaniæ regione Gallæcia opera *Le Quelt* rhizotomi Lutetiani delatum eſt hoc genus. *Locus:*

CAP. XIV.

De Croco.

CRocus à Croco puero in hunc florem verſo dictum fabulantur Poetæ. Ovid. Metamorph. 4.

> *Et Crocon in parvos verſum cum Smilace flores.*

Potiùs κρόκος dicitur à κροκὶς vel κροκὴ trama, filum, villus, id quod ſtamini inſeritur, cujuſmodi ſunt Croci ſtamina ſeu villi, qui κροκίδες appellantur, qui plerunq; terni, nonnunquam etiam plures in floris medio conſpiciuntur, & cùm ſoli in uſum veniunt, per excellentiam Croci nomine donantur. Nec Croci tantùm ſed & aliorum etiam florum ſtamina κροκίδες appellantur, Nymphææ v. g. apud Dioſcoridem *l.* 3. *c.* 131. Liliorum apud Plinium *l.* 21. *c.* 5.

Croci notæ ſunt flores nudi, erecti ab ipſa ſtatim radice orti abſq; pediculis herbaceis, Folia anguſta, graminea, linea in medio alba ſecundùm longitudinem decurrente.

1. *Crocus vernus latifolius albo verſicolore flore* 1. Cluſ. J. B. *Cr. vernus minor albicans* C. B.

Cluſ.

Hujus *folia* Croci ſativi & legitimi folia ſatis referunt, niſi breviora eſſent: inter quæ bini aut terni prodeunt *flores.* Croci albi floribus majores, petalis mucronatis, quorum terna exteriora (quæ pallidula ſunt foris) tribus radiis ex atro purpuraſcentibus ab infima baſi ad extremum folium ductis ſtriata, internè alba ſunt, ut & tota interna tria petala, *ſtaminâq;* in meditullio habent Croco montano ſimilia, ſed magis pallentem *ſtilum.* Liberaliùs hæc ſemen præbet in triangulis capitibus rotundum, ex fuſco candicans. *Radix* aliis ſimilis, foris membranâ fuſcâ obducta, fibris infima ſede donata, & intus alba.

Reperitur hujus ſpecies per omnia minor, quæ Croc. vern. latif. albo verſicolore flore II. *Cluſ.* Crocus vern. minor purpuraſcens *C. B.*

Crocus vernus latifolius albus vel cinericeus *C. B.* An Crocus vernus flore cinereo ſtriato *Ger.*

2. *Crocus vernus latifolius albo flore* Cluſ. *vernus latifolius albus variegatus* C. B. *vern. latif. albo flore, interdum purpuraſcentibus venis vario* J. B. *vernus flore albo* Ger.

Quaterna plerunq; habet *folia* latiuſcula & brevia; venâ albâ ſupernè unâ, ſubtus duabus per eorum longitudinem excurrentibus prædita; inter quæ prodit è membrana *flos* unus aut alter, brevi pediculo nitens, ſex *foliis* conſtans albis, imâ parte cum pediculo (qui in hac ſpecie brevior ferè eſt quàm in aliis) purpuraſcentibus, tria *ſtamina* cum *apicibus* oblongis, luteis, *ſtylum* breviorem in tria folia fimbriata crocea diviſum circumſtantibus continens. *Flos* in hac ſpecie magis concavus eſt & ventricoſus quàm in flavo-vario, petalis latioribus, obtuſioribus, concavis, adeò ut vix unquam aperiantur, ad ungues purpurantibus lineis ſtriatis: interdum etiam tria folia interiora tribus lineis purpureis per totam longitudinem ductis ſtriata ſunt. *Radix* candida, tenui cortice amicta, plurimis fibris candidis infima ſede prædita.

3. *Crocus purpuraſcens ſaturatioribus lineis ſtriatus. Cr. vernus latif. purpureus verſicolore flore* Cluſ. J. B. *vern. latif. purpureus variegatus* C. B.

Folia quatuor aut quinq; brevia, viz. quatuor aut quinq; digitos longitudine vix excedentia, culmum lata, carinata, lineâ lacteâ medium percurrente, *Flos* è membranaceo involucro duplici folio conſtante exit, hexapetalos, *petalis* penè paribus, quorum exteriora tria pallidè admodum purpuraſcunt exteriùs, ſtriis tribus inſignioribus ſaturè purpureis ab ungue ad apicem per totam folii longitudinem ductis, quæ ad latera virgulas ſpargunt, tria interiora exterioribus nonnihil breviora latioraq; & colore exteriùs ſaturatiore tribus pariter lineis majuſculis purpureis ad latera ſtrias longas ceu radios ad margines uſq; foliorum extenſas emittentibus, inſignia. Lineæ hæ utrinq; conſpicuæ ſunt, *h. e.* tam interna quam externa foliorum ſuperficie. *Folia* exteriora interna ſuperficie intenſiùs purpurea ſunt quàm interiora, utraq; autem oblanga, concava, mucronata, ſcaphoidea. *Stylum* croceum ſeu rubentem, trifidum, non admodum longum, tria *Stamina* circumſtant, longis mucronatis apicibus erectis donata, flavis & multò pallidioribus quàm ſtylus, eo tamen nonnihil productioribus. *Radix* majuſcula, reliquorum ſimilis, numeroſa ſobole fœcunda.

Hujus bulbum Ferraria Italiæ ad Cluſium miſit Alphonſus Panſius.

4. *Crocus purpureus latifolius ſtriatus unguibus violaceis. Croco verno latif. purp. flo. minore Cluſii ſimilis ſi non idem.*

Folia huic longa & lata, lacteâ lineâ mediam longitudinem percurrente, terna plerunque ab eodem bulbo: inter quæ *flos* pediculo longo è membranaceo involucro exurgit, amplus, oblongus, petalis externis tribus internis longioribus, mucronibus acutioribus; utriſq; media ſui parte propè ungues, ut & ipſis unguibus, & caulis parte ſuperiore ſaturatiùs purpureis ſeu violaceis: [intus in unguibus petalorum hujuſce coloris nihil apparet] quin ungues interiùs albeſcunt. *Petala* externa ad margines interdum candicantibus lituris varia ſunt; interna ad margines tam exteriùs quàm interiùs è purpura albeſcunt, ſaturatioribus purpureis venis ſtriata ſeu virgata: internâ autem parte hæ venæ ſeu lineæ conſpectiores ſunt. *Stamina* longiora ſunt in hac quàm in quavis alia nobis deſcripta ſpecie, *apicibus* flavis ſatis etiam longis donata. *Stylus* ut in reliquis trifidus, ſtaminibus non multo altior, ejuſdem cum apicibus coloris, aut paulò etiam pallidioris. *Radix* grandiuſcula, latifolii albi perſimilis. Floris petalorum margines plerunq; inflectuntur aut introrſum convolvuntur, ut flos integre vix unquam explicetur.

5. *Crocus vernus latifolius purpureo flore minore* Cluſ. J. B. *vern. purp. minor* Park. *vern. latif. purpuro-violaceus* C. B.

Cluſ.

Foliis eſt Croco albo ſimilibus paullò tamen anguſtioribus: *florem* promens ejuſdem magnitudinis, brevi pediculo innitentem, violaceæ ad cœruleum tendentis purpuræ colore, unguibus & ſummo pediculo ſaturatâ purpurâ nitentibus. Radix prædicti ſimilis, & in edenda ſobole ſatis fœcunda interdum. Nonnunquam, ſed valdè raro, *ſemen* fert rotundum exalbidum in triangulari capitulo.

Locus. In agris & paſcuis Romæ vicinis Februarii initio florentem invenimus: necnon in paſcuis montoſis propè Curiam Rhætorum, & in ſummitate montis Juræ ſed multò ſeriùs florentem. Reperitur etiam & in monte Baldo, & Alpibus Helveticis & Burmii Rhætorum.

6. *Crocus vernus latifolius purpureus flore majore* Cluſ. J. B. *vern. purp. maximus* Park. *vern. latif. flore purpureo magno* C. B. *vern. latif. flo. purpureo* Ger. emac.

Cluſ.

Hujus *Flos* prioris formâ ſimilis, petalis multò amplioribus, licet colore non valdè diſparibus, nec injucundi odoris, quorum externa tria paullò longiora interna tria breviora amplectuntur. *Stamina* alba ſunt, magnis flavis *apicibus* prædita, inter quæ *ſtilus* exit paullò longior, extima parte in tres quaſi tubulos laxiores diviſus, aurei coloris. Cum flore exeunt terna aut quaterna folia præcedentis non diſſimilia, paullò tamen longiora. *Radix* ſuperiore major.

7. *Crocus vernus latifolius flavo-vario flore* 1. Cluſ. *Cr. vern. latif. flavo-varius* C. B. *vern. latif. flo. vario, ſtriis violaceis* Ger. *Huc refero Croc. vern. latif. flavo-vario flore duplici* C. B. Ger. emac.

Quinq; aut ſex habet *folia*, tenuia, inſtar ferè legitimi Croci, infima parte ex purpura nigricantia, è quorum medio unum aut alterum *florem* promit, aurei fere coloris, legitimi Croci odorem nonnihil referentem, petalis exterioribus paullò anguſtioribus & magis mucronatis, tribus craſſiuſculis radiis ex atro purpuraſcentibus ab imo ad ſummum ſecundùm petali longitudinem excurrentibus, & multas interdum venas in latera ſpargentibus inſignitis: ternis interioribus latioribus, & ungues foris etiam ex atro purpuraſcentes habentibus. Pediculus qui florem ſuſtinet totidem purpurei coloris ſaturi radiis notatur quot ſunt in flore folia. Umbilicum occupant tria flava *ſtamina*, inter quæ *ſtylus* eminet extrema parte trifidus, aurei coloris. Floribus ſuccedunt craſſiuſcula trigona *capita*, adeò ſaturo purpureo colore infecta, ut atra videantur & ſplendentia, quæ maturitate hiſcentia *ſemen* continere conſpiciuntur rufum. *Radix* præter aliorum morem multiplici reticulatoq; cortice obducta, & multis tenuibus fibris ſeſſili parte, per reticulati corticis maculas ſe exerentibus prædita, rarò adnatos bulbos proferens.

Crocus vern. latif. flavo-vario flore 2. *Cluſ.* A deſcripto ſolis florum radiis differt, qui adeò latè ſeſe ſpargunt, ut præter oras totum externorum trium foliorum dorſum inficiant; pediculus etiam florem ſuſtinens totus ex purpura nigricante ſplendet. Flore dodecapetalo & in uno caule gemello interdum ludit.

8. *Crocus vernus latifolius flavo-vario flore vulgaris. An Crocus vernus flavus ſtriatus* Park?

Flos flavus, aut potius pallidus, legitimi Croci odorem nonnihil referens: exterioribus tribus petalis paulò anguſtioribus, tribus craſſioribus radiis ex atro purpuraſcentibus externa parte ab imo ad ſummum ſecundùm folii longitudinem excurrentibus, & multas interdum venulas ſeu virgulas in latera ſpargentibus; ternis interioribus paulò latioribus, unguibus etiam foràs atro-purpureis. *Pediculus* qui florem ſuſtinet totidem atro-purpureis lineis pingitur quot ſunt in flore petala. Umbilicum occupant tria flava *ſtamina* brevia, apicibus pallentibus prædita, minoribus quàm in quavis alia ſpecie nobis hactenus viſa; inter quæ *ſtylus* eminet aliquanto productior, ſumma parte trifidus, reliquo flori concolor. *Folia* huic ſpeciei anguſta, longa, ante florem emergunt. *Radix* parva innumera ſobole brevi temporis ſpatio immenſùm ſe propagat præ omnibus nobis cognitis Croci ſpeciebus; adeò ut ob fœcunditatem ſuam hortulanis contempta ſit.

A Croco verno latif. flavo-vario flore Cluſii differt quòd nec bulbus reticulato cortice obductus ſit, nec raròadnatos bulbos proferat, ſed frequentiſſimè.

9. *Crocus vernus latifolius aureo flore* Cluſ. *vernus latifol. aureus* C. B.

Flores huic ſpeciei folia plerunque antevertunt breviores & ventricoſiores quàm flavo-varii proximè deſcripti, aureo colore inſignes: In nonnullis *petala* averſa parte linea viridis ſecundùm longitudinem media dividit, cui ad ungues duo minora parallela oppoſita, unde floris pediculus ſex ſtriis virentibus inſignis eſt. Intus *ſtylus* brevis trifidus, quem circumſtant *ſtamina* tria, apicibus donata ſtylo multo longioribus, è latiuſcula baſi in acutum mucronem exporrectis, ad modum floris divergentibus. Tum ſtylus, tum ſtamina petalis ſunt concoloria.

10. *Crocus vernus latifolius flavo flore* Cluſ. *vernus Mæſiacus flore flavo* J. B. *vernus latifolius flavus* C.B. *vernus flore luteo* Ger.

Cluſ.

Quaterna huic aut plura ſunt *folia*, ad Croci latif. purp. verſic. flore valdè accedentia, longiora tamen, & circa exortum latiora, binis candidis venis ſecundùm medium nervum per longitudinem excurrentibus, quæ emergere incipientia florem ſimul oſtendunt cum petalis exterioribus mucronatis, internis paululum orbiculatis, flavi coloris, utcunque odoratum, tria longiuſcula latiuſculáq; *ſtamina*, dilutius flaveſcentia intus continentem, & longiorem *ſtylum*, ſummo faſtigio in tria ſtamina diviſum, ſativi Croci ſtaminibus pænè concolorem; cui ſuccedit membranaceum triangulum *capitulum*, rotundo ruſóque *ſemine* plenum. *Radix* cum ſupradicti Croci radice convenit, vel etiam major eſt, ſolida, aliquot candicantibus fibris ſeſſili parte donata, & aliquot tunicis obvoluta. Binos plerunque, ternos, aut quaternos vel etiam plures profert flores: nulla enim Croci verni ſpecies hac liberalior in producendis floribus.

Crocus vernus latifolius pallido flore Cluſ. *vern. latifol. pallidus* C. B.

Florum petalis magis mucronatis, eorundem colore omnino pallido, viridibus venulis exteriorum trium ungues foris diſtinguentibus à deſcripto differt.

In Servia ſeu Mœſia ſuperiore ſub Bellogrado Martio menſe florentem eruit Steph. van Hauſen Noribergenſis. *Locus.*

11. *Crocus vernus anguſtifolius* 1. Cluſ. *vern. anguſtif. magno flore* C. B. *vern. anguſtif. floribus cæruleis ſive violaceis interdum candidis Hiſpanicus* J. B. *Crocus vernus* Ger.

Cluſ.

Terna, quaterna aut plura habet *folia*, longa, viridia, Crocinis longè anguſtiora gracilioráque, rotunda & capillacea ferè; inter quæ prodeunt bini aut terni *cauliculi*, unciales utplurimùm, anguloſi, ſuſtinentes *flores* cum petalis imâ parte flaveſcentibus, intus nonnihil candicantibus, reliquâ ad cœruleum tendentibus ſive violaceis, [inveniuntur & toti candidi] odoratos. His ſuccedunt *folliculi* ſive capitella trigona, exile *ſemen* fulveſcens continentia. *Radix* exiguæ Avellanæ magnitudine, duro ſpadiceóque cortice ſive putamine tecta; intus alba, firma, ſubadſtringente guſtu.

Frequens invenitur Gadibus, atque inter Aſindum (vulgò *Medina Sidonia*) & Calpen locis ſalebroſis & apricis. *Locus.*

12. *Crocus vernus anguſtifolius* 2. Cluſ. *vern. anguſtif. gemino bulbo* C. B.

Cluſ.

Foliis & *radicis* externo cortice præcedenti omnino ſimilis eſt, paullò minore *flore*, ex albo purpuraſcente, víxque è terra prominente. *Radix* gemina, candida, una ſuper alteram inſidens, quarum ſuperior firma, dulcis & edulis erat, inferior flaccida.

In Bæturiæ collibus Luſitaniæ finitimis obſervavit Cluſius. *Locus.*

13. *Crocus vernus anguſtifolius violaceo flore* Cluſ. *vern. anguſtif. parvo flore* C. B. *vernus minor* Ger.

Cluſ.

Uberioribus & craſſioribus eſt *foliis*, iiſque interdum ſurrectis: *Flos* duorum præcedentium flore longè minor, totúſque cœruleus, tribus exterioribus petalis exceptis, quæ foris vireſcente colore nonnihil aſperſa ſunt. Hujus *radix* priori formâ ſimilis, paullò tamen major eſt, *ſemen* etiam craſſiuſculum.

Gadibus duntaxat juxta primam ſpeciem invenit Cluſius Februarii initio. *Locus.*

14. *Crocus vernus* 4. *ſive violaceo flore* Cluſ. *vernus juncifolius purpureus* C. B. *vernus anguſtifolius flore violaceo* Ger.

Cluſ.

Terna habet aut quaterna juncea *folia*, primo anguſtifolio ſimilia; inter quæ uncialis tenuis *cauliculus* prodit, membranaceum *folliculum* ſuſtinens, ex quo *floſculus* emergit purpurei ſaturi coloris, petalorum unguibus albis venis diſtinctis: *ſtilus* è floris umbilico prodit. Fugax admodum eſt hic flos, utpote qui unico duntaxat die apertus manet. *Radix* primæ ſpeciei radici par, multis tunicis ſive corticibus duris tecta.

15. *Crocus vernus capillari folio* J. B. C. B. Cluſ.

Cluſ.

Exiguam habet *radicem*, bulboſam, duro ſpadiceo cortice tectam: è quâ prodeunt duo aut tria, anguſtiſſima & quaſi capillaria *folia*, viridia, ſurrecta: inter quæ *pediculus* veriùs quàm cauliculus, uncialis longitudinis aut paullò major, ab una parte planus, ſuſtinens ſemuncialis magnitudinis *florem*, petalis tribus exterioribus paulò longioribus & purpurei coloris, tribus venis ſaturatioribus ſecundùm longitudinem exteriùs diſtinctis, tribus interioribus brevioribus & dilutiore colore præditis, omnibus autem internè dilutè purpuraſcentibus, & ungues habentibus pallidos, ternis venis diſtinctos, prodeuntibus ex umbilico tribus *ſtaminulis* brevibus, longo *apice* flavo præditis, & medio *ſtylo* extrema parte diviſo.

Florem profert initio Maii, qui Sole ſplendente aperitur, ſub noctem clauditur, & paucos dies durat, nullius aut pertenuis odoris.

16. *Crocus vernus anguſtifolius variegatus* C. B. *vernus aureus variegatus* Eyſt.

17. *Crocus* J. B. Ger. *ſativus* C. B. *verus ſativus Autumnalis* Park. parad. **Saffron.**

J. Bod.

Conſtat hic *bulbo* dulci, Avellanæ, (interdum etiam Juglandis) magnitudine, tunicâ incanâ ſeu cinereâ in tenuia & oblonga capillamenta fiſſili foris obtecto, multis fibris capillato: *Folia* quinque aut octo, palmum aut etiam dodrantem longa, admodum anguſta, ſtriata. *Caulis* inter hæc oritur brevis ſub finem Auguſti aut Septembri menſe, florem ſuſtinens unicum, Colchici flori ſimilem, ſex petalis ex purpura rubente cœruleis conſtantem, in quorum medio *ſtamina* ſex, tria erecta *apicibus* flavis donata, inutilia, brevia & ſuperficie pulveracea ſunt; reliqua tria longitudine ipſa floris folia paulùm excedunt, cùm etiam ex clauſo convolutóque flore jam ex terra prodeunte exertis capitibus perficiant: eadem inferiùs anguſta, ſuperiùs verò latiuſcula exiſtunt, & ſubtiliſſimis crenis nonnullorum oculos ſubterfugientibus inciſa; color eſt in ruffo puniceus, [*J. B.* ſtamina hæc flammei ruboris ſunt] Ea collecta aroma celebre conficiunt, omnibus Crocus ſeu Crocum appellatum, guſtu amariuſculum, odore jucundo, acri, latè ſpirante, oculos aliquantum mordicante, lachrymas profundere cogente, & modicè cum ſuavitate non ingrata caput aggravante, ſomnúmque conciliante. Ejus tam triti, quàm integri parva portio magnum aquæ aut vini quantitatem luteo aut citrino colore ad puniceum inclinante tingit. Flores unum aut alterum tantùm diem poſtquam aperti fuerint durant. Cùm defloruit, vel cùm adhuc floret folia emergunt, quæ hyeme non flacceſcunt, ſed ſub ipſa nive virent. Radix Autumno cùm planta floret bulbo conſtat ſingulari, ſequenti autem vere & æſtate duplici, atque altero alteri ſuperiùs inſidente. Cum enim veris initio folia increſcunt ſuperior radicis pars è qua folia exeunt increſcit pariter, donec æſtate parentem ſub ſe retentam quantitate æquet. Hâc itaque vigentem, ſolidam ſuccoſámque conſtitutionem nactâ ipſa parens languida & flaccida redditur, atque Autumno tota evaneſcit. *Hoc omnibus Crocis commune eſſe puto.*

De loco natali ubi ſponte oritur nihil certi traditur: ſeritur autem in pleriſque provinciis, ut Sicilia, Italia, Pannonia, Gallia, Germania, Anglia. De ſemine altum apud Botanicos eſt ſilentium: Seritur autem depoſitis radicum bulbis. Semen apud nos quantùm audivi nunquam fert, nec alibi, ut puto, in frigidioribus: in locis autem ubi ſponte oritur ſemen perficere minime dubium eſt.

Croci electionem vide apud Caſp. Hofmannum. Qui vulgò venditur, fere eſt corruptus Cartamo ſeu Cnico, quem Crocum Sarracenicum vocant. Laudatur in Croco ſumma partium tenuitas, & trahitur in dubium (inquit Caſp. Hofmannus) annon illa vincat omnia alia ſimplicia.

Vires & Uſus. Moderatus ejus uſus cerebro prodeſt, ſenſus vegetiores reddit, ſomnum & torporem excutit. *Dod.* [copioſior vigilias inducit, & capitis dolorem] omnium conſenſu corroborat cor, & lætitiam gignit; quod experimento confirmat Amatus Luſitanus aſſerens ſe mercatorem vidiſſe, qui cum in ollam in qua carnes coquebantur multum Croci injeciſſet, poſt earum eſum, in tam profuſum riſum erupit, ut parùm abfuerit quin riſu nimio & cachinno è vita exceſſerit. Simile exemplum eſt apud Julium Alexandrinum in *Salubr.* Nos, ait, nobilem fœminam Tridenti vidimus horarum circiter trium ſpatio immodico riſu concuti, eliciendorum fortè menſium causâ. Juſto plus croco uſum Thoracis crudos humores ad concoctionem perducit, pulmones aperit, & ab obſtructione liberat, & ad hæc tam efficax eſt remedium, ut ſubinde phthiſicis in ſummo vitæ diſcrimine, & propemodum animam agentibus ſpiritum reducat, & vitam ad aliquot dies proroget, ſcriptuli dimidii, aut ad ſummum integri, cum Paſſo aut vino Prammio vel alio dulci exhibitus; quomodo etiam datus graviſſimas ſubitò irruentes citra febrem dyſpnœas ſtatim & momento temporis tollere non ſemel à nobis compertum eſt. Crapulam etiam arcere hoc modo ſumptum Dioſcorides refert. Laudatur ad hepatis & fellis obſtructiones, necnon ad regium morbum; atque hinc bonum colorem Crocum efficere Dioſcorides ſcribit. Additur eodem autore ad omnes quæ interaneorum cauſa temperantur potiones, ſed noſtra ætate ad eas potiſſimum quæ menſes, fœtus & ſecundas educunt. Urinam cit, Venerem excitat, ad Vulvæ & ſedis cataplaſmata additur, necnon ad emplaſtra & cerata veteres tumores & dolores diſcutientia, inflammationes eryſipelatodes mitigat; compoſitionibus auricularibus utiliter admiſcetur: oculos ab ecthymatis & exanthematis cum lacte aut Fœniculi Roſarúmve liquore præſervat illitus, & humorum in eos influxiones reprimit. Hæc è Dodonæo.

Nos efficaciam ejus in ictero, ſi tempeſtivè bibatur, ſæpius experti ſumus, ad quem morbum quæ partium tenuium ſunt & tingendo apta pleraque conducunt.

In partûs difficultatibus adeo viſus eſt fortiter egiſſe (inquit C. Hofmannus) ut totus infans apparuerit croceus. Hoc experimentum eſt à Rhaſi, quem Serapio laudat. Fuit mulier quædam, inquit, quæ aliquot diebus laborârat in partu & dedi illi in potu ʒij Croci, & peperit filium. Et expertus fui hoc poſtea ſtatim ſæpe, & ſemper fuit ita. *Veriſimile eſt librariorum errore pro ℈ ij. ʒij. ſcriptum.*

Apud noſtrates ad variolas expellendas in frequenti uſu eſt; item in ſacculis ſuſpenditur ſub men-o vel gutture, ad diſſipandam ſci. materiam putridam & venenatam, nè ibidem ſtagnans inflammationem excitet, ægrúmque ſtrangulet.

Crocus in nimia doſi noxius & lethalis cenſetur. Sed quæ tandem eſt illa doſis à qua periculum eſt? ʒ iij. vel ut Julius Alexandrinus ℥iij.

Crocum non dilatando eſſe ſolùm gravem ſed & obſtruendo & ſtrangulando C. Hofmanno videtur.

Idem Dodonæum erroris inſimulat quod Crocum vigilias facere ſcribat in nimia doſi, cùm è contra ſomnum faciat, & caput gravet. Nec probat quòd Dioſcorides & Plinius ἀκραίπαλον eſſe affirment; cùm Arabes & etiam experientia contrarium doceant.

Crocus paralyticis membris ac induratis nervis apprimè confert: quare Oxycroceum emplaſtrum ex Croco conficitur ad emolliendam nervorum duritiem accommodatiſſimum. *Trag.* In Apoplexia gutta una aut duæ tincturæ aſpergitur linguæ. *Schrod.* *Hertodius* integrum librum de Croco conſcripſit, quem conſulat Lector. Pro cultura Croci vide Philoſoph. Tranſact. N. 138.

18. *Crocus Alpinus Autumnalis* C. B. *montanus I.* Cluſ. *mont. Autumnalis* J. B. Park. Ger. *Cluſ.*

Flore eſt ſativi Croci, ſed minore & dilutiore, tribus intus croceis *ſtaminibus*, & *ſtilo* luteo ſumma parte in aliquot ſtaminula diviſo. *Folia* illi quatuor, Crociniis ſimilia, breviora tamen, interiore parte lineam quandam candicantem ſecundùm longitudinem, exteriore vero binas tanquam canaliculos ſeu ſulcos, utrinque ſecundùm nervum excurrentes habentia. *Radix* minor quam in ſativo, candida, plena, & velut internodiis diſtincta, denſo quodam cortice è multis villis contexto involuta & tecta, tenuibúſque fibris per corticem ſe exerentibus ſeſſili parte donata: ſubdulcis porro illa eſt initio, deinde ingrati ſaporis.

In nonnullis Luſitaniæ rupibus, præſertim iis quæ non procul à mari abſunt Novembri obſervavit, & cum ſuo flore eruit Cluſius. *Locus.*

19. *Crocus Autumnalis florem ſine foliis promens, odorus* C. B. *montanus* 2. Cluſ. *montanus* 2. *flore purp. foliis orbiculato mucrone* J. B.

Præcedenti ferè ſimile, *florem* ſine foliis promit Septembri, unciali aut longiori pediculo innitentem, ſatis odoratum, ſex æqualibus foliis orbiculato mucrone præditis ſaturatioris purpur. coloris pæneque violacei conſtantem, tribus ex umbilico prodeuntibus flavis *ſtaminibus* & ſtilo extremum mucronem multifidum craſſiuſculúmque habente. *Radix* prioris radici valdè ſimilis, cortice è multis villis contexto involuta, oblongus interdum nucleos ſatis procul à matre ſpargens.

20. *Crocus Autumnalis ſubcæruleus multiflorus* C. B. *montanus tertius* Cluſ. J. B. *Crocus Byzantinus argenteus* Park. *montanus Autumnalis flore majore albido cæruleo* Ger. *Cluſ.*

Flos inodorus eſt, vel tenuis admodum & evanidi odoris, petalis interioribus paullò brevioribus, omnibus autem orbiculato mucrone præditis, albicantis initio coloris, ſed in quo deinde temporis ſucceſſu dilutius quidpiam cœruleum perfuſum videatur. *Stamina* ex umbilico prodeunt terna, flava, & in medio *ſtilus* ſive penicillus in tria vel plura ſtaminula diviſus, flavi etiam coloris. Flacceſcente vel jam marcido flore quina, ſena, raròplura emergunt in ambitu *folia* ex tenui membrana quæ florem initio obvolverat, Croci verni latifolii foliis pænè ſimilia, h. e. paullò latiora quàm ſativi, albâ lineâ ſingula per longitudinem ſupinâ parte diſtinguente, & prona binis. *Radix* digitalis, vel etiam pollicaris eſt craſſitudinis, orbiculata ferè, alba, ſolida, tunicâ ſpadicei coloris obducta, multis albis fibris ſub ea naſcentibus prædita, quæ florum ſatis ferax eſt; nam & ternos, & quaternos, interdum etiam quinos profert flores.

Conſtantinopoli allatus eſt, eſtque proculdubio idem Croco ſyl. Byzant. ſerotino *Lob. Ad. part.* 2. quamvis Parkinſonus diſtinguat: qui florem plerunque unicum rariùs binos proferre ſcribit. *Locus.*

Octobri demum menſe floret. *Tempus.*

21. *Crocum Pyrenæum Autumnale* Cluſ. ap. 2. *montanum Pyrenæum Autumnale* J. B. *Crocus Autumnalis flore minore* C. B. *Cluſ.*

Florem fert Primi Croci montani flore ampliorem, coloríſque ſaturatioris, & quodammodo medii inter illum & ſecundum genus, cujus medius ſtilus multifidus ſumma parte perinde ac illius, magis tamen diluti coloris & prorſus flavi. Hujus item folia marceſcente flore non ſtatim prodeunt ut in primo.

E Pyrenæis montibus à quodam Rhizotomo erutum redemit Cluſius. *Locus.*

22. *Crocus montanus Autumnalis* Portæ. *Autumnalis, flore majore variegato.*

CAP. XV.

De Dente canino.

1. *Dens canis latiore rotundioréque folio* C. B. *Dens caninus* Ger. *Satyrium quorundam Erythronium bifolium flore unico radiato albo & purpureo* J. B. *Dens caninus flore purpuraſcente, & Dens caninus flore rubro* Park. parad. **Dogs Tooth-violet.**

J. B. Cluſ.

RAdice eſt duas uncias longa, alba, craſſiuſcula, & infima parte craſſiore, ſuperiore verò parte gracileſcente. *Folia* promit bina, raro terna inquit Cluſius, oppoſita, primò mutuò ſeſe complectentia, & florem occulentia, per terram fuſa, Lilii convallium aut Allii urſini formâ, craſſiora & magis carnoſa, ex anguſtiore principio in ventrem ſextantem latum dilatata, dein ſenſim in mucronem deſinentia, [aliquando ſubrotunda & latiora ſi, quod interdum fit, unicum habeat folium] longitudine palmari, maculis ex fuſco rubentibus, vel, ut ait Cluſius, ex albo purpuraſcentibus, latis, magnis variegata: teres, inter quæ ſurrigitur *coliculus* unicus, lævis enodíſque, ruber, palmaris, cui inſidet *flos* unus, deorſum nutans, ex ſex foliis oblongis, mucronatis, nonnunquam albis, nonnunquam purpureis cum unguibus intus albis compoſitus, qui ubi aeris [Solis radiis excalfacti] tepore ſe explicat, radiato poſitu foliorum viſendus ea ſurſum reflectit, Cyclamini inſtar: *Stamina* in medio ſena purpurea *ſtylum* circumſtant longiorem, album, tricuſpidem: nullâ odoris gratiâ (inquit Cluſius) placens, ſed ſolâ elegantiâ commendabilis. Succedit ſiliqua triangularis, nutans ut flos, in viridi ſpadicea. *Capitulum* ſive ſiliqua, teſte Cluſio, continet aliquot *ſemina* Leucoii bulboſi præcocis alterius ſeminibus ferè reſpondentia, ſed longiora gracilioráque flaveſcentis coloris. Quandiu nullum florem dat hæc planta unico duntaxat exit folio.

Flos ex purpura rubet, aut candore micat, aut purpura & candore confuſis pallet; qui flore rubro eſt maculis rubris; qui albo lacteis maculis variegatur: ſic folia aliquando maculata, aliquando maculis carent. *C. B.*

Locus. Nos flore purpureo inſignem copioſum obſervavimus propè Auguſtam Taurinorum ad laten montis quem tranſito Pado aſcendimus, eundo indè ad Aſtam urbem, Aprilis initio florentem: cun quæ flore albo eſt in Liguriæ montibus eundo à Nova oppido ad Genuam, Jo. Bauhinus copios propè Genevam florentem Martio in colle *la Baſtie*; alibi etiam in montoſis invenitur non raro; loca vide apud *J. B.*

Vires. Stiriacas mulierculas radicis exſiccatæ pollinem pultibus puerorum inſpergere ad enecandas eliciendâſque ventris tineas Cluſio relatum eſt. Ex vino autem hauſtum mirificè coli dolores mitigare expertum eſt, inſuper corporis vires reficere & nutrire, ex aqua verò pueros epilepticos juvare.

Ad excitandam, autore Lobelio, Venerem magnam vim habere oſtendit humida & calida ſubſtantia cum acrimoniæ paululo juncta. Hinc nonnullis Satyrium erythronium Dioſcoridis creditur, ſed erroneè Parkinſoni judicio, qui Tulipam pro Satyrio erythronio habet.

2. *Dens canis anguſtiore longiore folio* C. B. *Satyrii Etythronii aliud genus* J. B. *Dens caninus flore albo anguſtioribus foliis* Ger.

Cluſ.

Folia huic longiora quàm præcedenti, maculas albas diutiùs retinentia, initio dum exeunt *florem* etiam amplectentia, qui ſuperiore major plerunque eſt, vel lactei omnino candoris, vel miſtis purpuraſcente albóque coloribus conſtans, *ſtaminibus* albis, *apicibus* nigricantibus: Huic ſuccedit trigonum *caput*, *ſemina* alteri paria continens; *radix* etiam longa & ſuperiore craſſior.

3. *Dens caninus flore luteo* J. Rea.

A prima ſpecie differt foliis obſcuriùs virentibus & flore pallido ſeu dilutè luteo, cætera ſimilis.

LIBRI

LIBRI VICESIMI PRIMI PARS SECUNDA.

De Herbis bulboſis affinibus.

I. HERBAS bulboſis affines voco quæ cùm hujus generis ſint foliis, floribus, pericarpiis aut radicibus Bulboſas imitantur.

Herbæ foliis, floribus, pericarpiis ant radicibus Bulboſis affines diſtinguendæ ſunt vel ex

- *Numero Petalorum in flore,* in
  - *Enneapetalas,* folio gladii figuram referente cum acie cauli obverſa; **IRIS.**
  - *Hexapetalas,* radicibus
    - *Tuberoſis* aut craſſis,
      - *Maximæ,* foliis
        - *Craſſis* ſucculentis, ad margines aculeatis, radice ſuccum craſſum flavum inſigniter amarum fundente; **ALOE.**
        - *Tenuioribus* & aridioribus, concavis, marginibus æqualibus; **YUCCA.**
      - *Minores,* flore
        - *Majore* Lilii æmulo; **LILIASPHODELUS.**
        - *Minore* ſtellato, ſemine triquetro; **ASPHODELUS.**
    - *Fibroſis* foliis
      - *Iridis*; **PSEUDO-ASPHODELUS.**
      - *Graminis,* flore ſpecioſo; **PHALANGIUM.**
  - *Pentapetalas,* florum petalis reflexis ad ungues junctis, radice orbiculata; **CYCLAMEN.**
  - *Tripetalas*; **PHALANGIUM** *Virginianum.*
  - *Monopetalas,* flore ſedi fructûs cohærente, radice tuberoſa, piſtillo pro ſtylo in medio flore nudo, ſapore acri, foliis
    - *Laciniatis,* hujus generis maxima, caule pellis ſerpentini in modum maculato; **DRACONTIUM.**
    - *Integris,*
      - *Major*; **ARUM.**
      - *Minor*; **ARISARUM.**
- *Figurâ floris galeatâ* aut *labiatâ*: Hæ vel ſunt
  - *Aphyllæ,* nullis neq; à radice, neq; in caulibus foliis virentibus; radicibus
    - *Squamoſis*; **OROBANCHE.**
    - *Denticulatis*; **DENTARIA** *aphyllos, Anblatum Cordi.*
    - *Fibris multis majuſculis implexis* conſtantibus; **NIDUS AVIS.**
  - *Folioſis,* radicibus
    - *Tuberoſis,* gemino plerunque tubere adhærente; **ORCHIS.**
    - *Fibroſis,* foliis
      - *Nervoſis*
        - *Binis,* in caule oppoſitis; **BIFOLIUM.**
        - *Pluribus alternis*; **HELLEBORINE.**
      - *Planis* virentibus, perpetuis; **PYROLA.**

CAP. I.

De Iride tuberoſa & fibroſa.

NOminis rationem dedimus in capite de Iride bulboſa: Notæ characteriſticæ ſunt flores enneapetali, folia gladii figuram referentia, acie cauli obverſa.

1. *Iris vulgaris* Ger. *purpurea ſive vulgaris* Park. *Germanica* Fuch. *vulgaris Germanica ſive ſylveſtris* C. B. *vulgaris violacea ſive purpurea, hortenſis & ſylveſtris* J. B. **The moſt common purple Flower-de-luce.**

Cord.

Ab uno ceſpite plura & erecta erigit cubito longiora *folia*, duûm digitorum latitudine, rectivenia, inferiùs in radicum capitibus conjuncta, ceu ex omnibus unum fiat, & ſibi invicem inſerta, ſingulorum aperto & inciſo ventre ſeu carinâ alterius dorſum excipiente, ſuperiùs verò alæ modo in latitudinem explicita, & in mucronem gladii figurâ deſinentia: è quorum medio *caulis* aſſurgit ſeſquicubitalis, rectus, teres & glaber, veluti cinereo polline conſperſus, facile abſtergentibus cedente, quinque aut ſex geniculis interceptus, ex quibus ſingula exeunt ſine pediculo caulem amplectentia folia, inferioribus eò minora quò ſummitati propinquiora; in tres vel quatuor ramos diviſus. *Flores* in ſummitate poſt medium Veris per intervalla erumpunt, primùm convolutis in turbinem membranis paullatim ſe in novem folia explicantibus: ex his tria inferiora digitali ſunt longitudine, circa exortum anguſta, reliquâ ſui parte unciâ multò latiora, deorſum reflexa linguæ figurâ, foris lividi coloris in cinereo & circa principium viridia, intus verò purpurea, ſeu violacea, latis & lacteis venis propè exortum, à fimbria productis varia. Adhæret iis in interiori ſinu, mediâ folii parte, per longitudinem exporrecta lanugo, oblongis pilis inferiùs albis, ſummâ parte luteis compoſita, Lanuginem cujuſq; folii aliud parvum obtegit folium, in ſummitate in duas partes diſſectum, ab utroq; latere herbacei coloris [in nobis obſervato pallidè cœrulei ſeu cinerei] in medio livido extante dorſo: reliqua tria folia & ipſa linguæ aut cochlearis formam habent, primis tamen latiora & paullò breviora exiſtunt, & ſurſum reflexa junguntur: color his utrinq; in cinereo lividus [imo purpureus, paullò tamen dilutior quàm in propendentibus petalis] quà vero prioribus alterno poſitu adnectuntur purpureis & albis lineis à medio petalo ad latera utrinque productis ſtriata ſunt. Triduum vel quatriduum durat aut longiùs pro aeris conſtitutione, deinde contrahitur & decidit, inferiùs oblongum ac ſexangularem folliculum relinquens, intus in tria loculamenta interſeptum, in quibus rotunda ſunt & oblonga *ſemina*. *Radicibus* nititur multis, invicem in latitudinem ſibi adnatis, duûm digitorum craſſitudine, geniculatis, in tranſverſum ſtriatis, per ſuperficiem terræ ſparſis, foris modicè in flavo rubentibus, intus candidis, ex inferiori parte longas tenueſque fibras in terram agentibus. Graviter tota herba, ut Sambucus ferè, dum teritur ſpirat, præſertim radix, guſtu acri, conſumptóque ſuperfluo humore tandem odorata.

Sylveſtris ab hortenſi non videtur aliter differre quàm accidentibus à cultura ortis: foliis minoribus, & hyeme marceſcentibus, caule breviore, floribus præcocioribus & ſaturatiùs purpureis, &c.

Locus. Naſcitur editis & clivoſis locis inter arbuſta.

2. *Iris flore albo* J. B. *hortenſis alba Germanica* C. B. Park. *item alba Florentina eorundem, Iris alba, & Iris Florentina* Ger.

J. B.

Qui præcedentem rectè nôrit, & hanc noverit, nullam quippe in radicibus, foliorum florúmq; forma differentiam notabilem animadvertimus, in quibus tamen utriſque coloris non modicum eſt diſcrimen. *Folia* enim colore ad glaucum magis accedunt. *Flores* pauco, ſed eo tamen grato, odore prædit, lacteo candore perfuſi ſunt, extimorum coſtis non minus quàm purpureæ, extra virentibus, quibus intus lutea crocomata reſpondent, imorum autem foliorum margines luteæ ſtriæ percurrunt.

Nos Iridem albam Florentinam à vulgari flore albo ſpecie diverſam non facimus. Differentia ſola eſt in radicibus, quæ in Florentina majores, craſſiores, ſolidiores, candidiores, odoratiores, ut rectè J. B. Regioni forte calidiori diverſitas debetur. Sic Fœniculum dulce & Apium dulce in frigidiores regiones tranſlata paullatim in vulgaria degenerant. Fortè etiam Florentina dicta ſationi primam ſuam originem debuit, nam ab eodem ſemine proveniunt Irides flore odorato & inodoro, cur non & radicibus.

Non videtur J. B. propter colorem album particulatim vocanda Iris Florentina, cùm utrâque abundent Florentini, & utramque indiſcriminatim ſumant; à bonitate autem potiùs utramque Florentinam denominari, non propter colorem.

Iris Illyrica C. B. C. Bauhinus Iridem Illyricam à Florentina ſpecie diverſam facit. Differentia eſt in floris colore qui in Florentina candidiſſimus eſt, in Illyrica dilutè cœruleus palleſcens, & odore remiſſiore. Nobis, his non obſtantibus, eadem videtur.

Vires & Uſus. Iridis radix in vino aut cereviſia ſuſpenſa hanc dulcem conſervat, illud jucundo tum odore tum ſapore commendat, illius planè æmulo quem mora Rubi Idæi communicant, ut nos in vino rubro ſæpius experti ſumus. Sed & piſtoribus ad parandum fermentum triticei panis magnopere uſitata eſt. Hæc partim è Trag. hiſt. deſumpta, partim noſtræ ſunt obſervationis.

Plurimæ hujus plantæ radici virtutes à Veteribus & Neotericis attribuuntur. Sic breviter Schroderus. Uſus præcip. in mucilagine ſeu tartaro pulmonum, tuſſi, aſthmate, obſtructione menſium, torminibus ventris infantum. Extrinſecus abſtergit cutis maculas & lentigines (cum Helleboro & melle mixtus) Creberrimus uſus modernis eſt in pulveribus qui capillis inſperguntur.. Vulgus vocat pulveres de Cypro. Quin & Hydropi confert & Ictero.

In Hydrope ad ſerum in ſpecie purgandum commendatur radicis Ireos ſuccus ab ℥ ß. ad ℥i ß. dandus. Honeſta matrona mihi nota ſe plures hydropicos curâſſe affirmavit ſolo uſu hujuſce ſucci, exhibendo quotidie manè jejuno quatuor cochlearia in ſex cochlearibus vini albi.

In deſperata alvi obſtructione ſuccus radicis Ireos recens ad ℥j. propinatus expertus fuit, teſte Schenchio lib. 3. Obſervat. D. *Edv. Hulſe.* Purgat, autore Caſp. Hofmanno primariò pituitam & aquas, ſecundariò bilem, non contra. Hodie fere ſolus ſuccus frequentatur in hydropicis: in quibus cùm ſæpe ardores faciat, non in faucibus tantum, ſed & in toto corpore, quidam prorſus abhorrent ab illo. Sed diſtinctione opus eſt. In Germanica id fieri veriſimile eſt; in Florent. non eſt. Deinde verum eſt de ſucco crudo, per reſidentiam non depurato. Id autem fieri debet ſi modo tuto curare volumus. Succus crudus non ultra ʒ ij. exhibendus eſt, depuratus & imprimis Italicus in majore doſi ſumitur. Caſp. Hofmanno videtur ℥ iij. ſuperari non poſſe.

E Flandria advehitur ad nos in corticibus teſtíſve Tellinarum pulcherrimum quoddam pigmentum, quod vulgari eorum idiomate dicitur *Verdelis*; ipſum verò ità paratur. Iridis florum ſummitatem colligunt ante maturitatem perfectam, quam tundunt in mortario lapideo cum piſtillo ligneo: indè maſſam ſic tuſam recondunt in vitreo vaſe, & in cella vel alio loco humidiore collocant per dies quindecim, ut digeratur atque putreſcat: quibus elapſis eliciunt materiam è vaſe, & linteo veteri percolant; nam verſa erit ferè tota in liquorem, quem igni exponunt in ollulâ vitreâ ut ferveat, donec decreſcat tertia pars, cui tunc additur Aluminis Rochæ modicum plus minúſve donec diſſolvatur, magis clareſcat, & delectetur color, quem experiri poteris, ſi in ipſo liquore madefiat fruſtum albæ paginæ [chartæ] & conſpicietur pulcherrimus color, qui ſervari poteſt in Tellinarum teſtis juxta Flandrorum morem. *Canepar. de Atramentis Londini impreſſ.* p. 306. Ipſemet idem obſervavi quater vel quinquieis in locis Belgii Hiſpanici & Fœderati, ut in Diario meo invenio. Hoc pigmento uſos obſervavi Belgas ad chartas colorandas, & ad vaſa tum lignea, tum fictilia pingenda, cujus non meminit Caneparius. *D. Tancredus Robinſon.*

3. *Iris altiſſima bicolor, cæruleo obſoleto, cinereóve mixta* J. B. *hortenſis pallidè cærulea* C. B.

J. B.

Rarior hæc Iris, proceritate vulgarem ſuperans: *folia* non minùs lata: *floris* autem ſuaviter odorati & vulgari minoris non obvia amœnitas, cujus tria extima folia repanda ſummâ orâ ſaturâ purpurâ tincta ſunt; inde uſque ad fimbriam crocatam, humani ſupercilii æmulam ſaturis lineis purpureis longis, campum album percurrentibus, utrinque autem à fimbriæ lateribus obliquæ ferrugineæ lineæ luteos margines diſtinguunt: terna quoq; folia, ut in hoc genere fieri ſolet, introrſum curvata ſurriguntur, colore magna ex parte ferrugineo cinereo obſoleto, ima parte rigidiuſcula, lutea, ſatura ferrugine guttata: penitiſſima & ultima terna in coſta foris, intúſque leviculâ & ſordida purpurâ pallent, utrinque lateribus luteo lurido infectis.

Hæc nobis latifolia major vulgaris obſoleta Cluſii eſſe videtur, hortenſis pallidè cœrulea *C. B.*

4. *Iris Chalcedonica* Ger. *Chalcedonica ſive Suſiana major* Park. *Suſiana, flore maximo ex albo nigricante* C. B. *latifolia major Suſiana vel Chalcedonica, flore majore variegato, Cluſio* I. J. B.

Cluſ.

Sena aut octona habet *folia*, Iridis Luſitanicæ biſloræ foliis non abſimilia, mutuo ſeſe ut in aliis Iridum generibus amplectentia: è quorum medio *caulis* exit cubitalis aut amplior, rotundus, geniculatus, digitalis craſſitudinis, *florem* ſuſtinens omnium quos unquam in Iridibus conſpexerim maximum, novem ut reliquorum foliis conſtantem, colore tamen ab illis differentem: nam tria ad terram inclinata folia craſſa ſunt, interiore parte omnino nigra, niſi quædam venæ ex purpura candicantes intercurſarent, ab infima baſi ad medium uſque nigris villis latè obſita, maculâ nigrâ, ſericei villoſi nigri panni inſtar, medium folium occupante; foris multò dilutiora ſunt: terna illa minora eis incumbentia, quæ ligulas tegunt, fornicata & bifida ſunt, & ejuſdem ferè coloris paullò tamen dilutioris, licet ad obſcuram purpuream accedentis; tria ſurrecta palmaris ſunt amplitudinis, & membranaceæ pæne tenuitatis, plurimis lineis ab infima baſi ad extremum uſque folium excurrentibus, partim nigricantibus, partim ex cineraceo candicantibus, ut Americani Pavonis expanſam caudam ferè imitentur, internè circa unguem nonnihil hirſuta. Nullum odorem in hoc flore deprehendit Cluſius, ſed ſolâ coloris varietate & raritate commendabilis eſt. Illi ſuccedunt, ſed raròadmodum capita trigona, craſſa, uncias tres, quatuor, & quinque interdum longa, numeroſum *ſemen*, rugoſum, fuſcum, Piſi ferè inſtar magnum continentia.

Locus & Tempus. Conſtantinopoli delata eſt. Hyemis injurias difficiliùs fert in horto repoſita, reliquis Iridis generibus: Rariùs etiam cæteris floret, & unicum, ut plurimum, florem profert Maio: ſemen maturum Julii initio.

5. *Iris Aſiatica cærulea polyanthos* C. B. *Aſiatica cær. omnium Iridum ampliſſima, Dalmaticæ affinis* J. B.

Cluſ.

Sena, ſeptena, octonáque habet *folia*, omnium Iridum ampliſſima, & in latum expanſa, viridis cui ærugo permixta videatur, coloris, mutuò ſe amplectentia; è quorum medio *caulem* promit ſeſquicubitalem, interdum etiam bicubitalem vel ampliorem, firmum, craſſiorem ſuperiore, lævem, geniculatum, multíſque alis concavum, è quibus copioſi (nullam enim feraciorem conſpexi) vaginulíſque incluſi prodeunt *flores*, magni, petalis deorſum inflexis dilutè purpuraſcentis, & ad cœruleum tendentis coloris, multis purpuraſcentibus venis ab infima parte, & ſtamineâ fimbriâ flavâ in longitudinem & latera excurrentibus: bifida petala exalbeſcunt, gibbo tamen illorum dilutè purpuraſcente: tria ſurrecta, anguſtiore, & imâ parte quibuſdam purpureis brevibus venis diſtincta ſunt, ubi verò ſe in latum expandunt ſubcœruleum habent colorem, dilutiorem adhuc quàm inflexa, & florum Sambuci odorem, graviorem tamen, quodammodo æmulantur. Iis ſuccedunt rariores *ſiliquæ* ſive capita craſſa, magna, triangularia, & obtuſo mucrone prædita, quæ maturitate dehiſcentia *ſemen* continere deprehenduntur, craſſum, anguloſum, durum, flaveſcens, ſuperiori ferè par. *Radix* craſſa eſt, magna, nodoſa, multis longis craſsiſque fibris donata, lateribus ut reliquæ ſe propagans, & ſi repurgata ſiccetur odorata.

Hanc Conſtantinopoli accepit Cluſius.

Huic perſimilem in hortulo noſtro habemus, cujus tamen flores vulgaris Iridis floribus minores ſunt; petalis reflexis & dependentibus ima parte purpureis, lineis ex flavo albentibus ab ungue folii & jubâ villosâ in margines undique productis. Fimbria ſeu juba villoſa ab ungue per mediam petali cervicem aliquouſque producta magis flava eſt quàm in vulgari Iride: quæ huic incumbunt petala craſſiuſcula, bifida, ad margines luteſcunt, gibbo cinereo: tria erecta petala cinerea ſunt, ſeu albicant cum diluta cœrulei tinctura, versùs ungues tamen flavicant, & lineolis ferrugineis ſtriata ſunt.

6. *Iris Dalmatica major* C. B. Ger. *Dalmat. major, flore vulgari minus violaceo* J. B. *major latifolia tertia* Cluſ.

J. B.

Spectatæ pulchritudinis & magnitudinis eſt hæc Iris, *caule* bicubitali, tereti, minimi digiti craſſitudine, alis crebris donato: in quorum extremis *flores* multi, magni, toti cyanei, exceptis paucis in unguium alis ſtriis obliquis, verſicoloribus, alternorúmque foliorum fimbriâ croceâ, anguſtâ quidem, ſed elatâ: *folia* verò quàm in ulla alia [quam coluit *J. B.*] latiora, uncias tres lata interdum, explicatas Aquilæ alas referunt, ultimo proximum ſinu ſuo ſemper excipiente, ut in aliis, colore glauco.

Cluſius hanc à præcedente *floribus* in ſummo caulis faſtigio magis confertis, *ſemine* in breviore capite, minore, pallido, anguloſo, rugoſo, præcipuè differre ſcribit.

7. *Iris Dalmatica minor flore purpuræ dilutioris* J. B. *Iridi biſloræ affinis minor* C. B. *Iris Dalmatica minor* Ger.

J. B.

Iridi Luſitanicæ ſeu biſloræ ſimilis (inquit Cluſius in Hiſp.) quam Pancius ad nos miſit nomine Dalmaticæ minoris inſignitam, niſi quòd paullò anguſtiore *folio* videatur. *Flores* purpuræ dilutioris, & terni aut quaterni in ſingulis caulibus, oblongiori pediculo inhærentes: *ſemen* in breviore triangulâ *ſiliquâ* anguloſum, pallidum & rugoſum. Floret ſeriùs Vere.

8. *Iris major latifolia Byzantina Dalmaticæ à Pantio miſſæ, i. e. minori ſimilis* J. B. *Byzantina purpuro-cærulea* C. B. *major latif.* 18. Cluſ.

Cluſ.

Foliis eſt quinto generi [Aſiaticæ purpureæ] non diſſimilibus, ſed breviore aliquantulum *caule*, in aliquot ramos diviſo, qui ſuſtinent *flores* è vaginulis emergentes jam dictis paullò minores, quorum color medius inter ſecundi & quinti generis flores.

9. *Iris latifolia humilior purpurea* C. B. *major latif. anguſtioribus foliis, purpureis floribus minoribus, Cluſio* 19. J. B.

Cluſ.

Præcedenti magnitudine par eſt, anguſtioribus tamen *foliis*; *caule* gracili, pedem & ſemiſſem, interdum etiam cubitum alto, in ramulos diviſo, quibus inſident *flores*, omnibus prædictis minores, tribus petalis ad terram inclinatis dilutè purpureis, tribus verò erectis obſoleti purpurei coloris, qualis in vulgaris quodam genere conſpicitur. *Radix* non magna, nodoſa.

Ab hac non differt ſpecie quam Cluſius majorem 20. facit ſed floris colore tantùm qui in plantis hujus generis à ſemine ortis plurimùm variat.

Iris latifolia humilior verſicolor C. B. *major latif. ſurrectis floris foliis flavis & purpureis lineis diſtinctis* Cluſ. 20. J. B.

Cluſ.

A decima nonâ nec gracilitate *caulis*, qui in ramos etiam diviſus, nec anguſtiâ foliorum, nec radice differt: *flores* ſimiliter magnitudine pares habet, ſed diverſi coloris; nam terna ad terram inflexa diluti & quodammodo obſoleti purpurei ſunt coloris, multis ſaturatioris purpuræ venis à fimbria ad oras ſe ſpargentibus: fimbria flavis ſtaminibus conſtat: bifida folia illam tegentia obſoletè flaveſcunt: terna ſurrecta infernè anguſta: flava etiam ſed pupureis venis diſtincta, latiore autem parte palleſcentis coloris, quodammodo tamen ſuffuſi leviſſima & quæ vix apparet purpura. Sambucinum odorem refert, ſed paullò graviorem.

Nec magis à præcedentibus differt Iris major latifolia 21. Cluſio à ſemine deciduo ſponte orta, quam C. Bauhinus Iridem latifoliam Germanicam candido-purpuream vocat; J. Bauhinus Irid. maj. latif. purpuream, foliis repandis candicantibus, purpureis venis diſtinctis.

Quæ non minùs ampla habuit folia quam ſuperior, inter quæ *caulis* aſſurgit pedalis, teres, geniculatus, viridis, ſuſtinens membranaceas thecas virides, per oras leviter purpuraſcentes, è quibus emergunt bini aut terni *flores*, jam deſcriptæ paullo minores, petalis terram ſpectantibus ab imo anguſtioribus, candicantibus interiùs, ſaturæ purpuræ venis eleganter diſtinctis, latiore verò parte omnino purpureâ: Villoſa fimbria infernâ parte flaveſcit, ſupernâ purpuraſcit, bifida foliola ſub quibus latet floridi purpurei ſunt coloris, ut & terna folia ſurrecta. *Flos* tenuiter odoratus.

10. *Iris Damaſcena polyanthos* C. B. *major latifolia* 4. *ſive Damaſcena* Cluſ. *major latif. ſive Damaſcena cœrulea* J. B.

Cluſ.

Dalmaticæ majori non diſpar eſt *foliis* & *radice.* *Caule* cubitali aut paullò majore: floribus numero, magnitudine, colore Aſiaticæ cœruleæ reſpondentibus, petalis tamen ternis inflexis paullò dilutiùs purpuraſcentibus, & ad cœruleum tendentibus; ternis bifidis & gibbis anguſtioribus & cinerei quodammodo coloris; ternis verò ſurrectis cœrulei coloris, & latis interdum candicantibus venis externâ parte conſperſis, odore Aſiaticæ ſimili.

11. *Iris Aſiatica purpurea* C. B. *Aſiatica purpurea major latifolia* J. B. *major latif.* 5. *ſive Aſiatica purp.* Cluſ.

Cluſ.

Folia habet ſecundæ [Aſiaticæ cœruleæ] ſimilia, paullò tamen breviora & anguſtiora, inter quæ exit *caulis* rotundus, cubitalis, digitalis craſſitudinis, in aliquot ramos diviſus, qui promunt è membranaceis thecis *flores* ſuperiore minores, nonnihil odoratos, quorum labra ſive folia ad terram inflexa, ſaturatioris ſunt purpuræ; & infra circa unguem, quà videlicet hirſuta illa & palleſcens fimbria excurrit, variis venis diſtincta. His incumbunt tria alia latiuſcula bifida folia, quæ candicantes ligulas tegunt: deinde è lateribus ſurgunt terna etiam folia, eleganti purpureo colore prædita, flori Luſitanicæ biflora fere ſimilia, latiora tamen. Succedunt triangulares *ſiliquæ* obtuſo mucrone, in quibus *ſemen* inæquale. *Radix* tuberoſa, ſecundæ ſimilis.

Hæc etiam Conſtantinopoli miſſa fuit: Maio floret.

Huic congener fuit latifolia major 6. *Cluſ.* peregrina rubens inodora *C. B.* maj. latif. flo. purp. cum aliqua rubedine *J. B.*

Cui *Caulis* paullò major: *flores* ſimiles, aliquantulum majores, inodori, quorum terna ſurrecta folia aliquid rubedinis habere videbantur.

12. *Iris latifolia Germanica odore ſuavi* C. B. *latif. major. purp. quibuſdam Illyrica* J. B. *major latif.* 7. Cluſ.

Cluſ.

Longa latáq; *folia* habet, Dalmaticæ majori pænè paria: *caulem* non minùs grandem, nec rariores minoréſve *flores* proferentem, petalis inflexis & terram ſpectantibus planè purpurei ſive violacei, dilutioris tamen coloris, nullis niſi circa infimam partem venis diſtinctis, fimbriâ medium folii nervum occupante, albis ſtaminibus flavo apice præditis donatâ; ſurrectis ejuſdem ferè, ſed magis diluti coloris, ut & ternis bifidis ligulam tegentibus & fimbriæ incumbentibus; odore ſatis ſuavi.

In hortis Francofurtenſibus obſervavit Cluſius. *Locus.*

13. *Iris latifolia Germanica odore Sambuci* C. B. *major latif. cui in flore craſſæ venæ purpureæ* J. B. *major latif.* 8. Cluſ.

Cluſ.

Similia habet *folia,* ab exortu autem circa radicem purpuraſcentia: *caulem* cubitalem aut ampliorem, multos è vaginulis, purpuraſcentibus radiis inſignitis, proferentem *flores,* petalis ternis incurvis multis craſſis venis purpureis notatis, fimbriâ ad labrum inflexum protenſa, capillaribus ſtaminulis flavo apice præditis donatâ; ternis erectioribus plerunq; bifidis, coloremq; habentibus obſoletum in quo purpureum quidpiam magis vel minus ſaturum elucet; alata anguſta folia fimbriæ incumbentia ejuſdem cum ſurrectis ſunt coloris, præter nervum medium in longitudinem excurrentem, qui ex cœruleo purpuraſcit. Odor florum Sambuci. Breviter Iridi obſoletæ Belgicæ valdè ſimilis eſt.

14. *Iris latifolia Belgica odore Sambuci* C. B. *Iris Cluſii major latifolia* IX. *cum venis purpureis* J. B.

Cluſ.

Breviora quàm ſuperior habet *folia,* alioqui non diſſimilia, nec minùs circa radicem, quà invicem amplectuntur, purpuraſcentia: *caulem* cubitalem & ampliorem, in alas diviſum, in quibus multi *flores,* totidem quot præcedentes foliis præditi, quorum terna deorſum inflexa, per oras ſubcœrulea, circa ungues ex flavo candicant, deinde multis craſſiuſculis ſaturæ purpuræ venis ab imo in longitudinem excurrentibus ſunt prædita: ſtaminum fimbria ſuperiori ſimilis eſt: terna erecta petala candicantis ex cœruleo ſunt coloris; eorum oræ quodammodo flaveſcunt, ungues tenuioribus venis diſtinguuntur: bifida & alata petala fimbriam tegentia ferè ex flavo candicant. Odor præcedenti ſimilis.

Iconem eandem habet Lobelius pro Iride Luſitanica verna violacea.

15. *Iris latifolia Belgica verſicolor odore Sambuci* C. B. *latif. major, cui oræ ad flavum obſoletum accedunt* J. B. *latifolia major* 10. Cluſ.

Cluſ.

Paullò humilius eſt præcedente; nec ejus folia circa radicem purpuraſcunt: *Caulis* gracilior in alas finditur, *flores* geſtantes ſuperiori formâ quidem ſimiles, diverſi tamen coloris: nam terna inflexa *folia,* licet illius foliis non ſint diſparia, oras ad flavum obſoletum accedentes habent, venáſq; paullò dilutiores; terna ſurſum erecta obſoleti ſunt coloris, ex flaveſcente & purpuraſcente mixti, Verſicoloris, quam à Camerario accepit Cluſius, foliis non abſimilia, paulò tamen dilutiora, circa ungues etiam magis flaveſcentia, & tenuioribus purpureis venis notata; anguſta alatáq;

folia, ſimili colore prædita, præter medium nervum, qui magis purpuraſcit: Odor etiam florum Sambuci æmulus.

Præcedenti eadem videtur; nec diverſa.

16. *Iris latifolia Belgica odore Sambuci altera* C.B. *latif. major cum oris purpuraſcentibus* J.B. *latif. maj.* XI. Cluſ.

Cluſ.

Paria ſuperiori habet *folia*, inter quæ cubitalis ferè & ſuperiori æqualis aſſurgit *caulis*, ternos aut quaternos è vaginis viridibus, oras purpuraſcentes habentibus, ferens *flores*, quorum tria inflexa petala decimæ quartæ non valdè abſimilia, longiùs tamen protenſam habent fimbriam illam villis conſtantem, quàm ut à bifidis & gibboſis foliis tota tegi poſſit, quorum color obſcurior & ſaturatior, quemadmodum & ſeſe attollentium, quibus nonnunquam inſperſæ luridæ maculæ. Odor idem cum ſuperiore. Paullò tamen ſeriùs hæc floret.

Iris major latifolia flore verſicolore J.B. *latif. Belgica variegata* C.B. *major latif.* XII. Cluſ.

Cluſ.

Præcedenti colore ſatis reſpondet, & peculiare id habet, ut inflexa folia duobus diverſis coloribus ſecundùm longitudinem ſint diſcreta, altera videlicet parte reliquorum foliorum colori reſpondente, altera diverſo.

Hæc ex ſemine nata eſt, cum aliis Iridibus, quarum nonnulla unicum duntaxat folium variegatum habebant, quædam verſicolorem tantùm nervum medium folium ſecantem, eúmq; vel ampliorem & latiorem, vel anguſtiorem: ut mirum dictu ſit, quomodo natura in his floribus ludat.

Iris latifolia major verſicolor cærulea dilutior J.B. *Cluſii* 13. *Iris latifolia Belgica cærulea verſicolor* C.B.

Cluſ.

Hoc etiam genus ſemine natum, inſtar prædicti varietate colorum conſpicuum, non adeò tamen elegans, ſed coloris ex cineraceo palleſcentis, ut verſicolor cœrulea dilutior dici queat ea Iris.

Superioris varietas eſſe videtur, non ſpecies diſtincta.

17. *Iris exotica colore quaſi pallido, fuligine perfuſo Camerarii,* Cluſio 14. J.B. *Iris latifolia odore Oxyacanthæ* C.B. *Iris Camerarii* Ger.

Cluſ.

Ampla huic ſunt *folia*, & longiora latioráq; quàm in præcedentibus, viridia admodum, rugoſa, aliquantulum criſpa, mucrone nutante, è quorum medio emergit cubitalis aut major *caulis*, lævis, rotundus, viridis, in aliquot ramulos diviſus, qui è virentibus vaginulis ſatis amplos promunt *flores*, nonnihil odoratos, & ad vulgaris Oxyacanthæ floris odorem accedentes; quorum tria reflexa petala pallida, multis craſſis purpureis venis à folii infima ſede, & à fimbria ad extremas oras ſparſis prædita ſunt, labris etiam ſaturâ purpurâ nitentibus: tria illis incumbentia, ſub quibus occultantur ligulæ, coloris pallidi tanquam fuligine perfuſi, ut etiam ſunt tria erecta, ſed magis luridi. Nullum (inquit Cluſius) mihi hactenus ſemen tulit, tametſi multos annos illam jam aluerim. Maturiùs paullò floret ſecunda, & color floris aliquando ſaturatior, interdum dilutior.

Ex Iride varia Pannonica caulifera nata cenſetur. *Cluſ. pann.* qui eam à Joach. Camerario habuit.

18. *Iris latifolia Pannonica colore multiplici* C.B. *latif. major* 15. Cluſ. *Iris lutea foliis florum repandis variegatis* J.B.

Cluſ.

Rugoſa ſunt etiam iſti *folia*, minùs tamen lata, longa & viridia quàm in decima quarta, ſecundum radicem omnino interdum purpuraſcentia; è quorum medio *caulem* promit cubitalem, lævem, viridem, aliquot ramulis donatum, quibus inſident *flores* è vaginulis emergentes, magni, vel prorſus inodori, vel Oxyacanthæ vulgaris florum inſtar odorati, coloris varietate commendabiles: nam tria folia quæ ſurſum ſpectant & attolluntur, rarò ſe mutuò amplectuntur, aut cacumine nutant, ſed plerunq; (niſi marceſcere incipiant) recta ſunt, ut in Iride bulboſa, nonnihil tamen convexa, anguſtiora, lutei coloris, quemadmodum & illa quæ ligulas fimbriámq; contegunt tria ad terram inflexa circa baſin & exortum pallent, reliqua parte candicant, multis tamen purpureis radiis ab ipſa ſede ad extremas uſque folii (quod plerunq; ſaturatiùs purpuraſcit, in earum ſtirpium floribus quæ circa radicem nullâ purpurâ ſunt ſuffuſæ) pallidas oras eleganti picturâ decurrentibus: villoſa fimbria quâ parte integitur lutea eſt, extrema vero exalbida; pallentes ligulæ: magna, triangula & obtuſo aliquantulum mucrone *capita*: *ſemen* Orobi magnitudine, fuſcum, rugoſum continentia. *Radix* nodoſa, vulgaris Iridis inſtar, foris flaveſcens, multis utrinque naſcentibus fibris firmata, quæ repurgata & exſiccata odoratiſſima eſt, & cum Illyrica, quæ in Officinis habetur, odoris gratiâ contendere poſſe exiſtimo.

Locus. In montanis Ungariæ obſervavit Cluſius: Utrunque genus in Leytenberg monte ſupra Manderſtorf, & ſiccioribus pratis Soppronio vicinis, &c.

Tempus. Floret Maio, ſub Junii finem ſemen maturat.

Camerarius hanc Iridem florem ſuum in locis natalibus non promere ſcribit, in hortos verò tranſlatum, contra aliarum ſylveſtrium plantarum naturam altero anno florere, & quotannis poſtea, ac longè latéq; ſerpere.

Ab hac non differt ſpecie ſed foliis tantùm variegatis

Iris latifolia alba viridis C. B. *major foliis duobus coloribus diſtinctis albo & viridi,* Cluſ. 16. J.B.

Cluſ.

Præcedenti valdè ſimilis eſt, & ex ejus ſemine natam putat Cluſius; *folia* tamen illi breviora, & (quod rarum) magna ex parte duobus coloribus diſtincta albo & viridi, ſic quidem ut albus per longitudinem excurrat nonnunquam dimidiatum folium occupans, interdum ferè totum, aliquando ejus duntaxat partem: iiſdem etiam coloribus aliquando diſtinctæ vaginæ flores includentes, qui à præcedentis floribus non multum differunt, ſtaminea duntaxat fimbria in reflexis foliis tota flava eſt; & folia ſurrecta infima parte purpureis velut maculis internè aſperſa ſunt.

19. *Iris latifolia ex albo palleſcens ſtriata* C. B. *major latif. palleſcens ex albo cum purpureis venis* J. B. *maj. latif.* 17. Cluſ.

Cluſ.

Pedalem habuit *caulem*, rotundum, geniculatum, binos aut ternos ex membranaceis vaginis promens *flores*, quorum terna terram ſpectantia palleſcentis ex albo ſunt coloris, multis purpureis venis ab infima foliorum baſi, quæ anguſtior eſt, in latera, tum à fimbria, quæ flava eſt, ad extimas foliorum oras procurrentibus, quibus ſingulares, interdum binæ, purpureæ maculæ ſunt aſperſæ: bifida folia fimbriam tegentia ὠχρόλευκα ſunt coloris, cujus etiam terna ſurrecta (excepta eorum anguſta baſi quæ flaveſcens) multis purpureis venis in latera procurrentibus.

20. *Iris biflora Luſitanica flore violaceo, Cluſio* 22. J. B. *biflora flore minore, odore Lilii convallium* C. B. *Iris biflora* Ger.

Cluſ.

Folia ei vulgari breviora & anguſtiora, alioqui non valdè diſſimilia: in ſummo pedali caule *flos* è purpuraſcentibus vaginulis prominet violacei omnino ſive ſaturatioris purpuræ coloris, qui in inflexis & propendentibus foliis intenſius nitet; villoſa illa fimbria qua donata ſunt prorſus candida. Unicum autem ſingulares caules plerunq; florem ferunt, interdum ſed rarò alterum, rariſſimè tertium, ſingulari quemq; vaginulâ incluſum, jucundiſſimi odoris Lilii convallium. *Semen* anguloſum, rugoſum in triangulari capite ſatis craſſò, ſed rariùs fert. *Radix* illi ſubeſt nodoſa, geniculata, ſolida, pollicaris craſſitudinis, gibba, intus candida, ingrati ſaporis initio, & paullo pòſt fervidiſſimi guſtûs, multis fibris ſumma tellure hærens, & ſubinde in plures propagines, è lateribus naſcentes diviſa.

Locus & Tempus. Naſcitur multis Luſitaniæ locis ſupra Tagum, vel pingui ſolo & in arvis, vel ſalebroſis & lapidoſis locis. Vere floruit, & poſtea etiam Autumno in horto Car. Audomari, cujus rei gratiâ bifloram cognominavit Cluſius.

Hujus potiùs varietas videtur quàm ſpecies diſtincta

Iridi bifloræ affinis flore majore C. B. *Iris Illyrica bifloræ ſimilis, Cluſio* 23, *flore purpureo* J. B.

Cluſ.

Non multùm à præcedente differre videtur: Quina enim aut ſena ex ſingulis radicis capitibus promit *folia*, illius foliis ſimillima: *caulem* raro ampliorem, qui in ſummo è vaginulis purpuraſcentibus florem promebat, Luſitanicæ formâ perſimilem, paullò tamen minorem & teneriorem, nec ideò ſuavis odoris, licet ad eum ſatis accederet. *Radix* nodoſa & geniculata ut ſuperioris, odoris cùm virens eſt ingrati, exſiccata verò ſatis grati, & inſipidi initio guſtûs, poſtea tamen fervidi faucéſque urentis.

Nec diverſa ſpecie putanda eſt

21. *Iris major latifolia Romana cærulea, Cluſ.* 24. J. B. *Iris peregrina odore Oxyacanthæ* C. B.

Quæ proximè præcedenti cætera ſimilis, petalorum in flore trium ſurrectorum colore ad cæruleum magis tendente, fimbriâq; inferiorum magis flaveſcente, & odore vulgaris Oxyacanthæ differebat.

22. *Iris latifolia caule aphyllo* C. B. *maj. latif.* 25. Cluſ. *An Iris flore violaceo, folio virente* J. B?

Cluſ.

Lata habet *folia*, rugoſa, pedalis ferè longitudinis, circa radicem nonnihil purpuraſcentia: *caulem* non prodeuntem e medio foliorum, ut aliæ, ſed ſeorſim ſine foliis, pedalem, in quo tres aut quatuor flores è purpuraſcentibus vaginulis exeuntes, magni, purpurâ ſaturatiore nitentes, inodori, quorum tria folia ad terram inclinata ab ipſo exortu, uſq; ad fimbriæ (quæ tota candida eſt) extremum, albis radiis inſignita ſunt. His ſuccedunt triangulares *ſiliquæ* magnæ, obtuſo mucrone, magnum *ſemen* continentes aliarum Iridum modo. *Radix* craſſa, geniculata, intus candida, foris furvi coloris cortice tecta, ſatis odora, ad Phu ſive Valerianæ domeſticæ odorem accedens.

Peculiarem habet hæc præter cæteras Irides notam, ut nulla folia per hyemem retineat, ſed omnia flacceſcant & exſiccentur nudáq; conſpiciantur, deinde ineunte vere nova germina proferat.

Iris major latifolia 26. *Cluſ.* haud dubiè à prioris ſemine orta eſt, à quâ non aliter differre Cluſio ipſi viſa eſt quàm foliis circa radicem ſaturatiùs purpuraſcentibus.

Neque ab eadem diverſa cenſenda eſt

Iris latifolia candida purpureis venis diſtincta C. B. *major latif.* 27. Cluſ. *major latif. candida cum multis fibris purpureis* J. B.

Cluſ.

Foliis, radice caulis ſitu cum XXV. convenit: At flores in eodem caule ſingulares aut gemini è vaginulis ex pallido vireſcentibus prodeunt, forma præcedentibus ſimiles, ſed colore variantes: nam tria petala propendentia candicant, purpuræ exoletæ venis ab infima eorum ſede per latera excurrentibus uſq; ad extimam fimbriam ſubcœruleis villis conſtantem: tria autem incumbentia & ligulam ſive ſtamina tegentia alba ſunt, earum tamen gibbo ſubcœruleo: terna ſurrecta etiam candida, & ab infima ſede multis purpureis venis diſtincta, donec in latitudinem expandi incipiant. Flori ſuccedit triangulum caput binas pæne uncias longum, craſſiuſculúmque, quod maturitate dehiſcens Julio, ſemen oſtendit rugoſum, ſubfuſcum, ervi magnitudine. *Radix* hyeme folia non retinuit.

Hanc ex ſemine 25. deciduo natam fuiſſe minimè dubitat Cluſius, tametſi hujus flos odoris gratiâ commendabilis non fuerit, qui tamen in illa deprehendebatur. Mirum enim in modum variant, quæ ex ſemine naſcuntur Irides, non ſecus ac præcoces & dubiæ Tulipæ atq; Papavera, ut longâ experientiâ didici, inquit Cluſius.

23. *Iris latifolia Germanica ochroleucos* C. B. *major latifolia* 28. Cluſ. *Iris major latifolia ochroleucos* J. B.

Cluſ.

Multa habet folia invicem amplectentia, cæterarum Iridum inſtar, unciam lata: inter quæ pedalis, geniculatus, teres, viridis exilit *caulis*, ſummo faſtigio ſuſtinens binas membranaceas vaginas, ex viridi palleſcentes, è quibus emergit *flos* reliquis Iridum generibus formâ ſimilis, colore autem diverſus, nam ex albo palleſcit ſive ὠχρόλευκος eſt & terna repanda folia ab imo ad extimas oras flaveſcentibus venis ſunt diſtincta, fimbriâ albicante; ſed quatenus à bifidis foliis (quæ simili colore ſunt prædita, gibbo tamen dorſi nonnihil purpuraſcente) integitur, flaveſcente: ſurrecta *folia* ab imo gracilia, interna parte multis in latera ſparſis venis obſoletè purpuraſcentibus ſunt diſtincta, ubi verò ſeſe in latum expanderunt ὠχρολεύκου coloris. Nullum in hoc flore odorem deprehendit Cluſius.

A. 24. *Iris paluſtris lutea* Ger. *paluſtris lutea ſive Acorus adulterinus* J. B. *Acorus adulterinus* C. B. *paluſtris, ſive Pſeudo-iris & Iris lutea paluſtris* Park. **Yellow water Flower-de-luce.**

J. B.

In obliquum *radices* agit, complicatas & multùm fibratas, quæ propter foliorum veſtigia & venenoſas reliquias foris villoſæ, nigræque ſunt, intus vero rubentes, ſubſtantiâ poroſæ, & ceu fi quibuſdam venoſæ, ſapore ſtrenuè adſtringente novis quotannis oculis, inſtar Typhæ aquatic gemmæ. *Folia* Iridis, longa, mucronata, quorum ea quæ propè radicem ſita ſunt ſubrufa nonnunquam apparent. *Caulis* duos cubitos æquat, & interdum ſuperat, rectus, lævis, teres, ſpongioſus, & interdum aliquouſque inanis, in alas diviſus. *Flores* Iridum lutei, inodori; quorum tria folia reliquis ſex majora, extrorſum repanda, lutea, fimbriæ ſupercilium imitantis loco, & utrinque adjacentibus folii marginibus, lineis nigris variegatis: hæcce intercedunt terna alterno poſitu ſurrecta, valdè anguſta & brevia, tota lutea: ſicut & intima, quæ criſtâ bifidâ, reliquâq; formâ cum iride violacea vulgari conveniunt, ſolo colore luteo excepto, quibus à dorſo appreſſa *ſtamina*, ex luteolo albedine quadam prædita. Sapore eſt flos totus fervidiſſimo, non quidem primo occurſu verùm paullo poſt fauces omni pipere ardentiùs urit. Siliquæ longæ ut in Spatula ſemen continent ruffum. Odorem tota herba non ſpirat.

Locus. In pratis riguis, locis paluſtribus & ad margines & ripas fluviorum ubique fere oritur.

Vires. Calidáne an frigida ſit hujus plantæ radix inter Botanicos non bene convenit, quòd verò inſignem adſtringenti facultatem obtineat ferè omnes conſentiunt & guſtus abundè confirmat: unde ad dyſenteriam alióſq; fluxus alvi & uteri commendatur, ſanguinem etiam undecunq; manantem cohibet. Hinc extrinſecus ad dyſenteriam alióſq; ſanguinis fluxus præcavendos appenditur: unde patet quanto olim in errore verſati ſunt Pharmacopœi, cùm hujus pro Acori veri radicibus facultate planè contraria dotatis uſurparent.

Scribit J. Bauhinus, ſe Tiguri aliquando deguſtâſſe hujus flores, qui tantum ei ardorem & fervorem excitârunt in faucibus, ut ſummam ejus acrimoniam vix potuerit mitigare Oxycrato. Unde (inquit) nulli ſuaſerim cum Trago uſum tam acris floris ad inflammationem oculorum.

Scoti montani (*Highlanders* vocant) ex hujus plantæ radice, per viginti quatuor horas in aqua infuſa aut parùm cocta, perpetuò in illa aqua fricando calculum album aſperioris ſuperficiei ſuper cultellum aut purioris chalybis fruſtum per aliquot horas atramentum optimum conficiunt; ex relatione D. Georgii Mackenſii. Sibbald. Prodr. Hiſt. Nat. Scotiæ. Tranſact. Philoſoph. N. 117.

§. 2. *Irides humiles ſeu Chamæirides.*

1. *Chamæiris variegata* C. B. *Iris humilis latifolia colore violaceo* J. B. *Chamæiridis latifoliæ genus* 1. Cluſ. *Iris violacea* Ger.

J. B.

Puſilla plantula eſt, *radice* craſſâ, albâ, rugoſâ, acri, à qua *folia* exeunt aliquot Iridis vulgaris foliis ſimilia, ſemunciam lata, duas tréſve uncias longa: *Caules* breviſſimi, quadrantales: *Flos* violaceus & purpureus ut in Iride vulgari ſed per omnia minor, nec odore aliquo excellens.

Lobelius hanc natalitiis caule nullo eſſe ſcribit, flore, ſemine, ſiliquâ Xyridis fœtidæ: verum in Belgium aut Angliam tranſlatam, frigidóque & humenti ſolo exceptam caulem producere dodrantalem, nonnunquam pedalem, flores albidos, aut luteos, aut violaceos, dilutè rubentes, ſtriatos, &c.

Cluſius ſe in Luſitania, ſaxoſis & marinâ aurâ afflatis locis ſupra Olyſſipponem obſervaſſe ſcribit, foliis ejuſdem ferè cum Luſitanica biflora latitudinis ſed brevioribus; radice illi ſimili, geniculata & obliquâ, capitulis acuminatis in humili & vix ſupra terram aſſurgente cauliculo, triangularibus, magnis pro ſeminis proportione. De varietate colorum in floribus ex ſemine natæ in Belgio eadem habet quæ Lobelius.

Nos in rupibus maritimis prope Liburnum in Italia, & *aux Garrigues* propè Monſpelium in Gallia Narbonenſi obſervavimus. *Locus.*

2. *Chamæiris flore ſaturo violaceo* C. B. *Cham. humilis latifolia major acaulis Cluſio* J. B. *Cham. latifolia major* Cluſ.

Cluſ.

Foliis eſt brevibus, interdum tamen etiam pedalibus, Iridis vulgaris modo latis, & ſecundùm radicem magnâ ex parte purpuraſcentibus: inter quæ multi *flores* è vaginulis prodeunt, ſingulari pediculo dodrantaliq; fulti, vulgari paullo minores, Luſitanicæ biflore æmuli tum magnitudine, tum colore, qui ſaturatioris nigræ violæ eſt, præſertim tria folia terram ſpectantia, quæ villoſam fimbriam, uſq; ad bifida illa quæ ligulas tegunt folia, ex cœruleo purpuraſcentem habent, ſub ligulis verò ſive ſtaminibus luteam: omnia autem petala, tam quæ ſurſum attolluntur, quàm quæ repanda terram ſpectant, inferiore & ſeſſili parte albis quibuſdam radiis variata ſunt. Sunt autem ejus flores vel aliquantulum odorati, vel inodori: triangula *capita* magna, mucronata, in quibus *ſemen* Orobi magnitudine palleſcens, quod exſiccatum rugas contrahit & fulveſcit. *Radix* nodoſa eſt, reliquarum Iridum modo, & adnatis ſe propagat.

Semine nata interdum variat floris colore cœruleo.

3. *Chamæris ſaxatilis Gallica* C. B. *Iris perpuſilla ſaxatilis latifolia, acaulos fermè* Lob. Ad.

Ad. Lob.

Minima & rariſſima omnium eſt hæc, radicis plexu, ſubſtantiâ denſâ & colore Illyricæ non abſimilis: *caule* verò nullo, præſertim natalitiis; folio latiuſculo, rigido, mucronato, palmum alto, cujuſmodi Gladioli: flore, ſemine, ſiliquis Xyridis fœtidæ.

Plurima oritur in agro Narbonenſi locis aridis & ſaxoſis [Garrigues dictis] ſecus ſpecum illam ſeſquimilliare Monſpelio diſſitum viâ quâ Frontignanam itur; in cujus cautibus & rupium commiſſuris frequens adoleſcit prope Ferulam. *Locus.*

4. *Chamæiris latifolia minor* Cluſ. *Iris humilis latifolia minor* J. B. *Chamæiris minor flore purpureo* C. B. *latifolia flore rubello* Ger.

Cluſ.

Breviora huic anguſtioráq; paullò ſunt folia, qualia Chamæiridis primo in loco deſcriptæ: *flores* paullò minores; *capita* triangula & mucronata etiam minora: ſemen minus. In floribus ſumma varietas: licet ferè omnes fimbriæ villos ſupra ſtamina cœruleos obtineant, infra verò, ut in modo dicta, luteos. Ex his paucas duntaxat adnotavit Cluſius: nam omnes, inquit, valdè difficile.

1. Flore eſt ſaturatiùs purpureo & odorato; interdum tamen dilutiore & inodoro, ſurrectis petalis modò orbiculatis, modò longioribus & bifidis.

2. Odorato eſt flore, deorſum reflexis petalis nonnihil purpuraſcentibus, ſurrectis verò cœruleis.

3. Flos quodammodo rubet, interdum dilutiori & ſuavi quadam rubedine velutíque carneo colore, præſertim petalis ſurrectis: Villoſæ fimbriæ ſuperior pars albicat, inferior lutea eſt. Eſt autem aut odorutas aut inodorus. Harum omnium ſtamina cœrulea.

4. Flos major, palleſcens, nonnunquam exalbidus: petalis ſurrectis in utroq; ab ipſo ſtatim exortu purpuraſcentibus lineis notatis, deorſum inflexis in palleſcente exalbidis, in albicante viridibus: palleſcens item Oxyacanthæ vulgaris floris odorem prorſus æmulatur: alterius etiam odorus.

5. Solo floris colore flaveſcente, ſurrectis petalis purpuraſcentibus virgulis radiatis propendentibus vel nigricante vel dilutâ purpurâ in medio notatis, à quarta differt. Odoratus hujus etiam eſt flos. Stamina porro hujus & quartæ alba ſunt.

Naſcuntur omnes in nudis & apertis collibus Pannoniæ & Auſtriæ, V. Cluſ. Cæterùm tam inſignem varietatem ex ſemine deciduo ſponte gigni non eſt dubium, inquit Cluſius: infinitum ergo variare poſſunt, & novæ quotannis ex ſemine ſato varietates obtineri. Minùs rectè ergo à C. B. pro diſtinctis ſpeciebus ponuntur. Numerus enim ſpecierum, ſi has ſpecie diſtingui concederemus, omnino incertus & infinitus eſſet.

A præcedentibus nec radice, nec foliis, neq; floris figurâ differt, proinde nec ſpecie.

Chamæiris latifolia minor 6. Cluſ. *Iris humilis latifolia minor tenerrima* J. B. *Cham. flore obſoletè pallido* C. B.

Cluſ.

Cujus petala propendentia obſoletum colorem pallido permixtum habent, & ab eorum imâ parte uſq; ad extremam fimbriam, quæ pallida eſt, purpureæ excurrunt venæ: pinnata terna petala, quæ alba ſtamina tegunt ex pallido albeſcunt, ſurſum verò erecta pallida ſunt, circa imum tamen obſoletè purpuraſcentibus radiis aſperſa.

Circa Budam in Pannonia Mœſiæ finitima eruta fuit. Cluſio enutrita brevem admodum caulem, vix ternos digitos ſupra terram eminentem habuit, cui inſederunt bini flores.

Nec magis ſpecie differre cenſendæ reliquæ Chamæiridum varietates à ſemine ortæ, quas deſcribit Cluſius ſeptimo, octavo, nono, decimo, undecimo loco.

Chamæiris latifolia minor 7. Cluſ. *Ch. minor flore variè picto* C. B. *Iris humilis latifolia minor elegantiſſima, variè picta* J. B.

Hujus flori tria petala deorſum inflexa variis radiis ex pallido purpuraſcentibus, ab imo ſurſum & in latera ſparſis ſunt diſtincta, per oras etiam tenui quodam cœruleo colore aſperſa: fimbria medium folium ad inflexionem uſque occupans multis villis conſtat, quà bifido folio integuntur flavis, reliquâ parte dilutè cœruleis: petala gibba illam & ligulam tegentia coloris ſunt ex cœruleo candicantis, qui in coſta & oris paullò ſaturatior: terna ſeſe attollentia folia ex cœruleo flaveſcunt ab imo anguſta, & multis purpureis venis in latera excurrentibus prædita, quà verò in latum expanduntur purpuraſcentibus maculis aſperſa ſunt. Flori ſuccedebat longiuſculum triangulare caput.

Florem cum aliis Chamæiridibus dedit Aprili, nullâ odoris gratiâ commendabilem.

Chamæiris latif. minor 8. *Cluſ.* flore purpureo flaveſcente *C. B.* Iris humilis latif. minor, flore vario, ejus foliis valdè incurvis *J. B.*

Chamæiris latif. minor 9. *Cluſ.* Chamæiris flore pallidè luteo *C. B.* An Iris humilis latif. flore pallido, albicante & vario *J. B.*

Chamæiris latif. minor 10. *Cluſ.* Ch. minor flore purpureo *C. B.* Iris humilis latif. minor flore vario violaceo *J. B.*

Chamæiris latifolia minor 11. *Cluſ.* Ch. candicans venis variis diſtincta *C. B.* Iris humilis latif. minor flore vario, foliis ejus inflexis candicantibus *J. B.*

Harum deſcriptiones omiſimus, è Cluſii *hiſtor. plant. rarior.* ſi quis eas deſiderat, petendas. Cùm enim hujuſmodi varietatum numerus (novis quotannis è ſemine ſato ſubnaſcentibus) certus & definitus non ſit, infinitum eſſet ſingulas perſequi, & ſi id aggrederemur, plantarum hiſtoria in immenſum tandem excreſceret, nec Elephantinis voluminibus poſſet comprehendi. Verùm certus & definitus eſt, ut ſæpius diximus, in rerum natura ſpecierum numerus, à prima creatione ad hunc uſque diem, ut credi par eſt, conſtans & immutabilis.

6. *Chamæiris flore luteo* C. B. *Iris minor lutea* Dod. *Chamæiris lutea* Ger.

In ſterilibus *Garrigues* dictis, *Mommau, la Colombiere* & aliis prope Monſpelium abundat. *Botan. Monſp.*

§. 3. *Irides anguſtifoliæ.*

1. *Iris Tripolitana* Cluſ. *Tripolitana, foliis longiſſimis, flore aureo* J. B. *media longiſſimis foliis lutea* C. B.

E celſiorum aut altiùs aſſurgentium genere eſt hæc, folia habens reliquis quas conſpexerat Cluſius, multò longiora, bicubitalia videlicet, mediæ inter latifoliam & anguſtifoliam latitudinis, unciam ſcilicet lata, reliquarum Iridum foliis magis viridia, non tamen ſplendentia ut Xyridis: *Caulem* habebat inter folia prodeuntem, quinque pedes longum, vel etiam longiorem, rotundum, firmum, licet non valdè craſſum, nodoſum, & aliquot brevioribus foliis præditum, in cujus ſummo bini & terni *flores,* è vaginis prodeuntes, petalis ſinuoſis, Iridis bulboſæ flavo flore floribus formâ non diſſimiles, aurei coloris, quorum tria majora verſus terram valdè reflexa, & iis incumbentia tria alia minora, alata, ligulam flavam tegentia; tria reliqua è lateribus majorum prodeuntia, aſſurgebant inſtar illorum quæ in Iridibus bulboſis conſpiciuntur, bifidúmque mucronem habebant. Floribus ſucceſſerunt trigona *capita,* in ſingulis lateribus geminâ coſtâ ſive nervo ſecundùm longitudinem eminente, non diſſimilia capitibus Iridis anguſtifoliæ majoris, ſimilibus etiam *ſeminibus* plena. *Radix* digitalis craſſitudinis, nigricans & nodoſa, inſtar radicis anguſtifoliarum.

2. *Iris pratenſis anguſtifolia folio fœtido* C. B. *tenuifolia Michelfeldenſis ſpontanea* J. B. *anguſtifolia major ſive* 1. Cluſ.
Cluſ.

Multa profert *folia,* longa, rigida, anguſtiora & nigriora quàm Tripolitana, quæ compreſſa vel confracta ingratum tetrúmque odorem ſpirant, propemodum ut Spatulæ fœtidæ folia, minùs tamen graveolentem: inter quæ *Caules* teretes oblongi & cubitales, interdum etiam longiores exſurgunt, quatuor aut quinque *flores* ex vaginulis lateralibus promentes, Iridis bulboſæ verſicoloris floribus formâ non admodum diſſimiles, colore cœruleo ſaturatiore præditos: quibus ſuccedunt oblonga *capita* trigona, ſubrufa, multò firmiora, magíſque cartilaginoſa quàm latifoliarum Iridum, iis paria quæ in Tripolitana, angulis etiam eminentibus & quodammodo geminis, quæ dehiſcentes *ſemen* duplici ſerie digeſtum, aliquantulum compreſſum & anguloſum, oſſeæque duritiei, ſubrufeſcente membranâ tectum oſtendunt. *Radices* obliquæ, longæ, nodoſæ, graciliores quàm in latifolia, Tripolitanæ radicibus æqualis, foris nigricantes, intus candicantes aut palleſcentes, ſapore acri & fervido, multas longáſque fibras ſpargentes. Invenitur etiam foliis non graveolentibus.

Locus: In Germania & Hungaria in pratis invenitur.

3. *Iris pratenſis anguſtifolia non fœtida altior* C. B. *tenuifolia major flore cæruleo & ſtriato, anguſtifolia* 2. *Cluſio* J. B. *anguſtif. minor ſive Pannonica verſicolor Cluſii* Park. *Iris ſylveſtris Byzantina* Ger.

Cluſ.

Cubitalia, interdum etiam longiora *folia* habet, admodum anguſta, minimi digiti ſive ſemunciæ titudinem non excedentia, viridia, non tamen ſplendentia, ſummâ parte mucronata, infimâ verò, ià ſub terra latent, purpuraſcentia, nullo ingrato odore, [J. Bauhino oleraceum quid redolent.] *aules* habet ſeſquicubitales, nonnunquam bicubitales aut ampliores, rectos, teretes, firmos licet intus avos, geniculatos, virides, ſummo faſtigio in binos aut ternos ramulos diviſos, quorum ſingulis indent ſinguli *flores*, Iridis bulb. verſic. latif. floribus formâ ſimiles, odorati, quorum terna petalá eorſum inflexa, infimâ parte, & quatenus bifido alatóque folio ligulam occulente teguntur, furvo olore ſunt, reliquâ verò parte (quæ in nonnullis brevior & latior eſt) in aliis oblongior & anguſtior) nunc candicante, modò purpureo ſeu violaceo colore, venis ſaturatiore purpurâ nitentibus er folii longitudinem & latitudinem excurrentibus, & fimbriâ ſive ſupercilio carentia: tria ſurſum erecta anguſtiora ſunt, & cum bifidis illis exalbidas ligulas tegentibus, purpurei ſaturi ſive violacei ſunt coloris. Breves deinde ſuccedunt *ſiliquæ* ſive capita triangula, breviora quàm in præcedente, neque adeò mucronata, neque geminâ coſtâ eminente prædita, quæ per maturitatem nigricantem colorem contrahunt & dehiſcunt. *Semen* inæquale, anguloſum, nonnihil compreſſum & urum continentia. *Radix* nigra, tenuis, dura, nodoſa inſtar ſuperioris, fibris duris & tenuibus prædita.

Locus.

Cluſius in pratis nonnullis & locis pratenſibus Auſtriæ & Ungariæ eam invenit: Loca particularia apud ipſum vide.

Varietas.

Cluſius Iridis anguſtifoliæ ſecundæ ſpeciem alteram meminit, ejúſque iconem dat, ſed nullam addit deſcriptionem. Hanc C. Bauhinus. Iridem pratenſem anguſtifoliam humiliorem appellat, apud quem reliqua Synonyma vide.

Iris anguſtif. flore albo J.B.

Iris candidis floribus anguſtifolia *Lob.* ab hac non aliter quàm floris colore differre videtur.

4. *Iris anguſtifolia maritima major* C. B. *anguſtif.* 3. Cluſ. *An Iris tenuifolia flore violaceo* J. B? *Iris maritima Narbonenſis* Ger.

Cluſ.

Ex *radice* nodoſa multa producit *folia*, firma, longiora quàm præcedens, & prioris foliis magis anguſta, ſaturâque viriditate prædita, nonnihil etiam fœtida; inter quæ cubitalis aſſurgit *caulis*, firmus, aliquot flores proferens Secundæ floribus longiores, & Primæ pænè ſimiles, ſed longè ſaturatiore purpurâ & quaſi nigrâ præditos: quibus ſuccedunt *capita*, primæ capitibus pæne ſimilia, *ſemine* etiam ſimili plena. *Radix*, ut dictum, nodoſa, dura, foris nigra, minimi digiti craſſitudine, internâ parte ex albo flaveſcens, antrorſum & in latera progrediens, aliarum anguſtifoliarum Iridum inſtar, & tandem veluti in orbem ſeſe ſpargens, (quod omnibus Iridibus commune eſt) multis fibris donata gracilibus, duris, ſiccis, lentis tamen & fractu contumacibus, quarum anteriores & novellæ craſſiores, molliores & candidæ.

Ab hâc mihi non diverſa ſpecie videtur.

Iris anguſtifolia maritima minor C. B. *anguſtif. minor Cluſii quarta* J. B.

Cluſ.

Præcedente humilior eſt, *floribus* paullò minoribus & anguſtioribus, atque etiam dilutioribus, Primæ tamen floribus ſaturatioribus; cætera ſimilis. Naſcitur utrumque hoc genus Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis locis maritimis.

5. *Iris anguſtifolia hortenſis verſicolor* C. B. *anguſtif. flore violaceo, reflexis foliis lacteis & purpureis venis variis* J. B. *anguſtif.* 5. Cluſ.

Cluſ.

Nec foliorum formâ, nec radicibus multùm differt à majore marina, niſi quòd folia habere non videatur tam atra viriditate prædita: *flores* etiam plurimùm differunt; nam tria folia ſurrecta purpurei ſunt coloris & violacei; tria verò reflexa & terram ſpectantia paullò latiora ſunt, & multis lacteis purpureíſque venis, alternatim permixtis, ab ipſo folii ungue exorientibus, atque ſecundùm longitudinem & in latera ſe ſpargentibus gratiſſimam varietatem efficiunt.

Floret cum marina, ſeriùs primâ, Junio videlicet menſe: Semen maturitatem acquirit Septembris initio.

Hanc maritimæ varietatem fuiſſe ſuſpicor, à ſemine deciduo in hortis enatam.

6. *Iris graminea cui pereunt quotannis folia* J. B. *Iris anguſtif. prunum redolens major & minor* C. B. *anguſtif.* 6. Cluſ. *Chamæiris tenuifolia* Ger.

J. B.

E *radice* inodora, tenuiore & graciliore quàm cæterarum Iridum, nodoſâ, nigro cortice tectâ, obliquâ, brevi tempore magnum ceſpitem occupante, ut cum difficultate erui queat, *caules* palmares [uni pedales, alteri vix dodrantales *Cluſ.*] tenues ſurriguntur. *Flos* amœnus è ſubjecto *calice*, ſex profundis ſulcis totidémque acutis porcis exarato, emicat, novem petalis aliarum more conſtans, ſed multùm diverſis; nam tria extima repanda extremâ orâ albis violaceíſque ſtriis obliquis variata ſunt, indè contractius folium quaſi ex iſthmo eluctatum paulatim lateſcit, purpuraſcens in lateribus, nullâ in medio hirſutâ fimbriâ, cujus locum ſupplet linea lata lutea, ſtriis purpureis picta; cui extrinſecùs reſpondens coſta ex luteo vireſcit. Hiſce incumbunt ſimiliter repanda tria illa bifida folia, quæ in medio quidem è viola purpuraſcunt, à lateribus autem è diluto rubore ferè cinerea

rea ſunt, quibus averſa parte apprimuntur ſtamina latiuſcula, cultrata, coloris ferruginei: hiſce alterno poſitu interjecta ſunt tria reliquis minora duplo, colore violaceo, neutiquam in ſummo reliquarum more coeuntia, ſed apicibus convolutis à ſe invicem diſſita. Odor nobis gratus Prunorum, Cluſió Armeniaci mali. Succedunt capita ſublonga & turgida, valdè eminentibus coſtis prædita.

Varietates. Cluſius duas hujus differentias deprehendit: Unam pedali interdum altitudine, caule tereti, binos aut ternos plerunque flores geſtante: Alterum caule vix dodrantali, unicum magna ex parte florem proferentem.

Locus. Provenit in pratis Viennæ Auſtriæ vicinis, ad radices montium ſitis. Huic folia hyeme accreſcunt, ſúntque tenuia, anguſta valdè, non rigida, ſed mollia, & ſuperioribus dilutiùs virentia.

A. 7. *Xyris* Ger. *Xyris ſive Spatula fœtida* Park. *Spatula fœtida, pleriſque Xyris* J. B. *Xyris I. ſive Gladiolus fœtidus* C. B. **Stinking Gladdon, or Gladwyn.**

J. B.

Radix incurva Dod. in novellis plantis rotunda, & veluti bulbi aut cepæ alicujus caput, è qua fibræ dependent craſſiuſculæ, veteribus & multorum annorum plantis multæ, longæ, geniculatæ, ſibi invicem implicatæ, magnum veluti ceſpitem conſtituentes, denique ut formâ ità & acrimoniâ intenſa ad Iridem accedit. *Folia* multa cubitalia & ſeſquicubitalia, in cultratum mucronem deſinunt, anguſtiora quàm vulgaris Iridis, atro virore ſplendentia, fœtidum cimicum odorem attritu obolentia: inter hæc *caules* plures, glabri, craſſitie mediocri, per media folia recti aſſurgunt, quorum ſinguli canaliculato calici inſidentem ferunt florem Iridis, ſed minorem, novem foliis conſtantem, quorum tribus repandis ex purpura obſoleta albicantibus, virgatis, nulla fimbria villoſa donatis, terna modico intervallo impoſita, fuliginoſo colore, bifida, ligulas concolores occultantia: reliqua tria modicè erecta, ab exortu ad medium uſque circiter fuſca, deinde ex albido leviter purpuraſcentia. Floribus ſuccedunt *ſiliquæ* oblongæ, vel (ut ait Cordus) Iridis ſylv. ſimiles utriculi, ſed paullo majores & triquetri, quæ per maturitatem Pæoniæ inſtar dehiſcentes *ſemen* oſtendunt rotundum rubrum, minoris Piſi magnitudine, guſtu fervido.

Locus. Ad ſepes & in dumetis apud nos provenit, ſed rariús. Obſervavimus cum Lobelio & ad litoreos maris aggeres: Paſſim Monſpelii locis ſimilibus invenitur.

Vires. Ea vi & acrimonia prædita eſt radix; tametſi Cotulam aut cimices oleat, ut contra capitis vulnera Dioſc. teſte, faciat & fracturas, educat aculeos & omne telum extrahat citra dolorem: admixta floris æris tertia parte, radicis Centaurii quinta & melle ſanet tumores & inflammationes cum aceto impoſita. Radix cum paſſo contuſa bibetur ad convulſa, rupta, coxendicum dolores, urinæ ſtillicidia & alia profluvia. Semen ad ciendam urinam efficaciſſimum eſt trium obolorum pondere in vino potum: Idem & lienem abſumit cum aceto potum.

Lobel. Ad alvi profluvia bibitur non ſecus ac Rhabarbarum & Aſarum: ventris fluores materiam per urinam deducendo & avertendo ſupprimit. Cæterum opilionibus & ruſticorum plebi in præfectura Somerſeti Angliæ hujus radicis decoctum aut etiam infuſum purgationes Iridis modo molitur.

In omni alvi profluvio nolimus experiri hanc fervidam radicem, inquit J. Bauhinus; fortè poſſet tolerari uſus in profluvio alvi pituitoſo.

Hujus radices maximarum ſunt virium in Scrophulis intus ſumptæ. *D. Needham.*

Pulvis radicum exſiccatarum in hyſterica paſſione, orthopnœa & hypochondriacis affectibus utiliſſimus eſt. *D. Bowle.*

8. *Iris tuberoſa* C.B. Ger. Park. *tuberoſa Belgarum* J. B.

Folia illi tria aut quatuor, ſeſquipedalia & longiora, anguſta, ſtriata, quadrangula, cùm primò erumpunt rigida, verùm poſtquam in juſtam longitudinem excreverint, infirmiora & terram verſus reclinata, in acutos mucrones deſinentia, colore glauco, ad exortum gracilia, & duobus tribúſve foliolis ſeu ſquamis membranaceis obvoluta: inter quæ exurgit *caulis* pedalis aut altior, gracilis, teres, ſtriatus, duobus foliis arctè ei adnaſcentibus, & ſinubus ſuis eum amplexis & involventibus ab imo ad ſummum fere. In ſummo autem nodi duo obſervabiles ſunt ſibi invicem proximi, è quibus totidem folia membranacea acuta, carinata exeunt, alterum ſuperius & anguſtius, alterum inferius & latius, tum folium ſuperius, tum *florem* ipſum antequam aperitur includens & occultans. Floris petala extima tria verſus terram valdè reflexa, ſupina parte nigricant mollitie & ſplendore pannum nigrum holoſericeum referentia: iis incumbentia tria eriguntur magis quàm in aliis iridibus, & in duas acutas lacinias auriculas imitantes profundè diſſecantur: tria reliqua in aliis erigi & ſupra florem efferri ſolita, breviſſima ſunt & peranguſta, ut foliorum potiùs rudimenta quàm folia genuina cenſeri mereantur. Omnium, exceptis apicibus extimorum, color pallidus aut herbaceus, nigrore quodam diluto obiter tinctus. Flori ſubeſt vaſculum ſeminale oblongum teretiuſculum quod flore dilapſo grandeſcit, & ob gravitatem ſuam & pediculi infirmitatem deorſum dependet, ſemina continens rotunda, albicantia. *Radix* tuberoſa, variè depacta, quæ in plura interdum tubera, velut totidem digitos ab uno fruſtulo exeuntes, excreſcit.

Locus. Oritur in Orientalibus regionibus & in Arabia.

CAP.

Cap. II.

De Liliaſphodelo.

Liliaſphodelus dicta eſt hæc planta à flore Lilii & radice Aſphodeli.

1. *Liliaſphodelus luteus* Park. *Lilium luteum Aſphodeli radice* C. B. *Aſphodeli radice luteum, ſive Lilio-aſphodelus quorundam flore luteo* J. B. *Lilium non bulboſum* Ger. **The Day-Lily.**

J. B.

Ad unum vel duos cubitos excreſcit, *caule* tenui ſed rigido, tereti, cavo, lævi, abſque foliis, in ſummo in aliquot ramos diviſo; *radice* fibroſa, glandulis appenſis donata, Aſphodeli radicum æmulâ, [multæ, oblongæ, ab uno capite deſcendunt] foris buxea, intus alba, ſapore ſubdulci. E glandularum annexu fibræ quædam craſſiores ſerpunt, quibus in plures plantas multiplicantur. *Folia* ei ſunt numeroſa, Porri aut Aſphodeli, longa, carinata, ſtriolis per longum donata. *Flores* odore planè & formâ Lilii, ſed colore penitus luteo. Poſt flores (inquit Dodonæus) craſſæ, triangulares gignuntur ſiliquæ, in quibus *ſemen* nigrum & ſplendens. Pæoniæ paullò minus.

Floret cum Lilio purpureo majore, & paullò ante, Lilia candida præcedens. In Ungaria maximâ copiâ ſponte naſcentem, in multis uliginoſis pratis, non procul ab oppido munitiſſimo *Nemethwywar* invenit Cluſius.

2. *Liliaſphodelus phœniceus* Park. *Lilium radice Aſphodeli phœniceum, ſive Lirio-aſphodelus quibuſdam* J. B. *Lilium rubrum Aſphodeli radice* C. B. *Lilium non bulboſum phœniceum* Ger. **The red Day-Lily.**

J. B.

Non admodum abſimilis eſt hæc plantæ præcedenti, ſed in ſingulis partibus major. *Radix* quippe conſimiliter glandulis oblongis filo connexis ſtrumoſa, alba, guſtu propemodum fatuo: *Caulis* digiti craſſitudine, duos cubitos altus & major, fiſtuloſus, enodis, cujus faſtigium in aliquot alas dividitur: *folia* majora, carinata, latiora quàm lutei: *flores* in caulium ramis altero tanto majores, Liliaceis pares, colore triſtiore rubent intrinſecus, luteâ lineâ per medium decurrente ad ungues uſque totos luteos: extrinſecus folia ad luteum magis devergunt.

De loco ubi ſponte exit nihil invenio apud Botanicos qui de eo ſcripſerunt: Quòd ſemen apud ipſos non protulerit quotquot eum coluerunt conſentiunt; non dubito tamen quin loco ſuo natali producat. Radicibus adeò ſe multiplicat & propagat, ut ob id hortulanis minus acceptus & gratus ſit.

Ob flores unum duntaxat diem durantes non ineptè Hemerocallis dici poſſit.

Cap. III.

De Aſphodelo.

Aſphodelon dictum volunt quaſi σπόδελον, διὰ τὴν τῶν καιομένων νεκρῶν σποδὸν, *à mortuorum combuſtorum cinere.* Etenim in tumulis Veteres Aſphodelum ſerebant, ne deeſſet cibus mortuis, ut Porphyrius in quodam epigrammate ſcriptum reliquit, ubi tumulum his verbis inducit, Νώτῳ μὲν μαλάχην τε καὶ Ἀσφόδελον πολύῤῥιζον, κόλπῳ δὲ τὸν δεῖνα ἔχω. *Foris quidem Malvam Aſphodelumque habeo, intus verò mortuum claudo.*

Aſphodeli notæ ſunt radices multis tuberibus uno capite dependentibus conſtantes, flores ſtellati, ſemina triquetra.

1. *Aſphodelus major ramoſus flore albo* J. B. *major albus ramoſus* Park. *albus ramoſus mas* C. B. *ramoſus* Ger. **The great white branched Aſphodel.**

Cluſ.

Multa habet oblonga *folia*, anguſta, triangula & veluti carinata, fungoſa & lenta, mucronata: *caulem* rotundum, lævem, bicubitalem interdum, in ramulos ſupernè fiſſum, quem à medio ferè ſurſum vergendo exornant multi, ſtellati *flores*, coloris intus albi, foris verò nervo purpuraſcente ſingula folia ſecundùm longitudinem quaſi diſtinguente (ut Ornithogali flos vireſcente linea diſtinctus eſt) ſex ſtaminibus medium occupantibus. *Semen* durum, lignoſum, rugoſum, atrum & figurâ triquetrâ, capitulo orbiculari ferè, ſed tribus eminentioribus coſtis prædito, & ex viridi purpuraſcente continetur, quod illo per maturitatem dehiſcente cadit. Floret per partes, ut verè dicit Theophraſtus, & incipit ab imis. Radices ab uno capite numeroſæ exeunt, oblongæ, exiguis Napis ſimiles, ſed inferiori ſede craſſiores, atque in fibras deſinentes, ſucci plenæ candicantes, ingrati & acris guſtûs.

Iſtius (inquit Cluſius) radices videre memini, dum Olyſſippone Hiſpalim proficiſcerer, aratro erutas, quæ 200. aut plures, ab eodem capite pendentes, eóſque craſſos admodum napos haberent, ut 50. aut ampliùs libras totam plantam pendiſſe putem. Itaque nihil mirum ſi Plinius, 80. ſimul acervatis ſæpe bulbis referat.

Locus & Tempus. Nos in montibus Meſſanæ imminentibus atque etiam in collibus ſaxoſis agri Monſpelienſis obſervavimus. Floret Martio & Aprili. At nos Autumno etiam florentem invenimus: unde fortè Aſphodelus Autumnalis *Cam.*

2. *Aſphodelus albus non ramoſus* C. B. Park. *major albus non ramoſus* J. B. *non ramoſus* Ger. 2. Cluſ.

Cluſ.

Præcedenti omnino ſimilis eſt, exceptis *caule*, qui unicus eſt, neque ſurculoſus, & *flore*, qui omnino albus: Illius etiam *radix* non admodum numeroſa. In Sicilia circa Syracuſas & alibi obſervavimus.

Aſphodelus purpuraſcens foliis maculatis C. B. *major flore carneo* Park. *flore rubente* Ger.

Cum nullæ præter eas quas tituli exhibent notæ hujus tradantur, nos varietatem præcedentis accidentalem, non ſpeciem diverſam arbitramur.

3. *Aſphodelus minimus* Cluſ. hiſt. app. Ger. emac. *minimus albus* J. B. C. B. Park.

Cluſ.

Minor eſt tertio jam deſcripto [Phalangio Cretæ Salonenſis] & ab eo plurimum differt: nam glandulofas *radices* habet inſtar ſecundi generis, licet minores, è quarum capite prodeunt quinque aut ſex *folia* valdè anguſta & longiuſcula, inter quæ aſſurgit *cauliculus* rotundus, dodrantem aut pedem altus, ſingularis, nec ullis ramis præditus, in quo ſpicæ in modum naſcuntur multi *flores* albi, ſingulis petalis internè & externè venâ quadam ſecundùm longitudinem notatis, perinde ac tertii flores.

Tempus. Julii initio flores proferre incipit, quum reliqua genera ſuos abjecerunt. Hyeme folia amittit, & nova denuò acquirit circa Aprilis initium.

4. *Aſphodelus luteus* Ger. J. B. *luteus minor ſive Haſtula regia* Park. *luteus & flore & radice* C. B. **Yellow Aſphodel, or Kings-ſpear.**

J. B.

Radices ab uno capite multæ naſcuntur, longè tenuiores quàm Aſphod. albi majoris, colore luteo præditæ, exporrectis per tranſverſum fibris ſe propagantes. *Caulis* ſeſquicubitalis aut altior, ſingularis, à medio ad ſummum *floribus* Aſphodeli, ab imo incipiendo ſucceſſivè ſe aperientibus ornati, ſed luteis, quos excipiunt pericarpia rotunda, *ſemen* nigrum ferè triquetrum continentia. *Folia* porro anguſta, veluti anguloſa ut triquetra ferè videantur, fiſtuloſa, colore glauco prædita, à radice ſatis numeroſa oriuntur, & caulem etiam ad flores uſque crebra undique conveſtiunt. Radicibus undique diffuſis multùm ſe propagat.

Locus. In inſula ad promontorium Pachynum & alibi in Sicilia eum invenimus.

Aſphodelus luteus minor *Ger.* huic eadem ſpecies videtur.

5. *Aſphodelus Autumnalis* C. B. *Autumnalis ſive major* Cam.

CAP. IV.

De Phalangio.

Phalangium ſic dictum eſt Galeno 8. Simpl. facult. quòd demorſis à Phalangiis [Aranei genere] auxilietur: cui ut & Plinio *l.* 27. *c.* 12. Phalangites.

Ab Aſphodelo radicibus fibroſis differt.

1. *Phalangium flore Lilii* J. B. *Allobrogicum* Park. *Allobrogicum majus* Cluſ. *magno flore* C. B. *Phal. Antiquorum* Ger. emac. **Spider-wort.**

Cluſ.

Quina vel ſena producebat [Cluſio] *folia*, carinata, ſatis firma, ſurrecta, viridia, ſummâ parte mucronata, infernâ ſeſe invicem amplectentia inſtar aliorum Phalangiorum: inter quæ prodibat *caulis* pedalis aut amplior, viridis, teres, firmus, ſummo faſtigio inter ſingulares appendices denos aut plures geſtans *flores*, prorſus niveos, majores quàm in majore Phalangio vulgari, in anteriorem partem propendentes, (ternis interioribus petalis paullò latioribus & criſpis, exterioribus verò viridi mucrone præditis) florum parvi Lilii formam quodammodo referentes, odoratos, è quorum umbilico ſena gracilia prodibant *ſtamina* unciam longa, terna tamen aliis paullò longiora, extima parte curva, & flavis apicibus donata, oblongiore gracili in medio ſtylo, ut commodiùs mea opinione comparari poſſe non videantur quam parvo Lilio albo. Floribus ſuccedebant trigona capitula, fuſcum *ſemen* & inæquale continentia. *Radix* in multas, craſſas, candidas & longas fibras, aliorum Phalangiorum radicibus non diſſimiles dividebatur, & adnatis ſe propagabat.

Locus. In Alpibus Allobrogicis propè maximum Carthuſianorum cœnobium ſponte oritur. J. Bauhinus reperit florentem Junio in pratis montis Septimi Burmii Rhætorum prope Kafeſt: atque etiam, Genevæ cùm eſſet, in monte *Thuiri.*

2. *Phalangium pulchrius non ramoſum* J. B. *parvo flore non ramoſum* C. B. *non ramoſum vulgare* Park. parad. *non ramoſum* Ger.

J. B.

Foliis eſt Phalangio ramoſo pænè ſimilibus, latioribus paullò : *caule* eodem, ſed non ramoſo: *floribus* paullò majoribus, albis, multis, & ſpicam repræſentantibus: ſuccedunt *capitula* ſublonga, in quibus *ſemina* rotunda.

Duplicem hujus ſpeciem facit C. Bauhinus, majorem folio longiore & latiore, ſemine majore: & alteram in qua omnia minora : Cluſius adhuc alterius meminit, cujus folia longè ampliora, longiora & craſſiora quàm præcedentis, *caulis* etiam multò procerior, qui & flores longiore ſpatio ab invicem diſtantes proferebat. Fortè hæ omnes ſunt tantùm præcedentis varietates. Reperiuntur in montibus Pyrenæis. Nos in monte Saleva prope Genevam hîc deſcriptam obſervavimus.

3. *Phalangium parvo flore ramoſum* C. B. J. B. *Phalangium ramoſum* Park. Ger.

J. B.

E *radice* perenni fibris craſſiuſculis, candidis, ſubdulcibus, glutinoſis compoſitâ *caulis* ſurgit ſingularis, tenuis, lævis, teres, ſeſquicubitalis, cujus ſcapus in ramulos aliquot faceſſens, *flores* ſuſtinet frequentes, ſtellatos, emaculato candore Lilii conſpicuos, quibus pericarpia globoſa ſuccedunt, Lini capitulis æqualia, per maturitatem in tres partes dehiſcentia, *ſemine* (ut vult Dodonæus) nigro, veluti Melanthii, non perinde tamen anguloſo, referta: *Folia* graminea, porraceis tenuiora, anguſtiora, carinata, pede aliquando longiora, ac etiam cubitalia, ſtatim à radice exorta in terram repanda parùm attolluntur.

Circa Francofurtum ad Mœnum, Baſileam, Genevam & alibi in Germania, in collibus, paſcuis montoſis, & ericetis copioſè oritur. *Locus.*

4. *Phalangium Cretæ Salonenſis* Lob. Ger. *Aſphodelus foliis fiſtuloſis* C. B. *minor foliis fiſtuloſis* J. B. *albus minor ſive Fiſtuloſus* Park.

J. B. Cluſ.

Ex fibroſis Phalangii (cui tota planta ſatis ſimilis) *radicibus*, mediocriter craſſis, non nodoſis, ex uno capite numeroſis *folia* promit multa, anguſta, rotunda ferè, ſtriata, fiſtuloſa, tres aut quatuor uncias longa, [in culta planta etiam cubito longiora] in acumen deſinentia: è quorum medio ſex aut plures eadem radice aſſurgunt *caules*, cubitales, ramoſi, quos ſine ordine naſcentes ſtipant *flores*, ſuperioribus ſimiles, ſed minores, colore lacteo, lineâ ferrugineâ [Cluſio purpuraſcente] unumquodque petalum ſecundùm longitudinem percurrente, *ſtaminibus* in medio lacteis, *apices* ferrugineos ſuſtinentibus. *Vaſcula* ſuboriuntur triquetra ferè, *ſemen* nigrum, triangulum rugoſum claudentia.

In campo illo lapidoſo ſupra Arelatem versùs Maſſiliam, circa oppidum Salonam, *Cretam Salonenſem* vocat Lobelius, vulgò *le Craux*, copioſè provenit. Naſcitur etiam, referente Cluſio, pleriſq; regni Granatenſis locis. *Locus.*

CAP. V.

De Pſeudo-phalangio.

1. *Phalangium Virginianum Tradeſcanti* Ger. emac. *Ephemerum Virginianum Tradeſcanti* Park. parad. *Allium ſive Moly Virginianum* C. B. app. **Virginian Spider-wort.**

Park.

E *Radice* fibroſa, longè latèque ſub terra repente hic illic *folia* protrudit, ex cinereo viridia, bina aut terna ſimul, rariùs plura, imâ parte ſe mutuo complectentia, longa & quaſi graminea, anguſta, è latiore principio in acutum mucronem ſenſim deſinentia, per margines nonnihil aſpera, nervoſa, cauliculos ſuperantia. *Cauliculus* inter folia exſurgit palmaris, rigidiuſculus, geniculatus, foliis ad ſingula genicula ſingulis eum amplectentibus veſtitus, è quorum ſinubus ramuli interdum exeunt. Caulis faſtigium in duo plerunque folia diſcedit, Cyperi ferè in modum; inter quæ *flores* emergunt plurimi velut in umbella, ad viginti interdum, tripetali, ſatis ampli, purpuro-cœruleo ſaturo colore tincti, calice virente trifolio pariter antequam aperiantur incluſi, & ex tenuibus pedicellis penduli, qui flore ſe explicare incipiente productiores facti eriguntur. Medium florem occupat umbo ſive capitulum, ſtaminulis ſex rubentibus, plumoſis, apicibus luteis inſignibus, circumvallatum. *Flos* interdiu aperitur, ſub veſperam ſe claudit, deinde marceſcit, & contrahente ſe calice deorſum denuo nutat. Umbo medius, calice occultatus, in vaſculum ſeminale turgeſcit, *ſemina* parva, nigricantia, oblonga continens.

E Virginia ab amico quodam in Angliam illatam accepit Joan. Tradeſcantius ſenior.

Variat floris colore albo & rubro; & foliis etiam amplioribus.

2. *Phalangium ramoſum Virginianum foliis latis, repens* Jac. Zanoni.

Zan.

Radice nititur longa, reptante, tenaci, caule non craſſiore, nodoſa, è ſingulis nodis fibras emittente longè latèque ſub terra repentes teretes, pallide luteas, quæ facilè delibrantur, medullâ intus ſolidâ, ſucculenta, ſapore initio dulci tandem mordicante, Raphani æmulo. *Caulis* è radicis capite exilit glaber, cubito paulò altior, lentus & frangi contumax, medullâ denſâ, viridi, ſucculentâ repletus,

pletus, ſucco tamen minimè viſcoſo uti præcedentis, cortice, ſeu cuticulam mavis dicere, tenui, viridi aut purpurante, maximè verſus fundum, veſtitus, lanugine ſubtili albicante obductus, raris nodis interceptus, mediæ parte longioribus intervallis diſtantibus, ſumma & ima ſatis vicinis: E quorum ſingulis ſingula enaſcuntur *folia*, membranæ ad exortum latæ caulem aliquouſque obvolventi pediculo brevi lato adnexa, tactu mollia; nervo medium percurrente, infernè elevato ſeu extante, ſupernè in ſulcum tenuem depreſſo, cum aliis ſubtiliſſimis nervulis, per totum folium excurrentibus; tactu aſpera, ſubſtantiâ cartilaginea, ſupernè obſcurè viridia; inferiùs albicantia, nonnihil lanuginoſa, conſimilibus lineis viridibus ſtriata, quæ à baſi ad apicem uſque extenduntur, adeò exiles ut ægrè ſint viſibiles. Caulis in ramos ſatis crebros dividitur, & hi viciſſim in ramulos ſecundarios. In extremis ramulis naſcuntur pelliculæ [ſeu calyces] herbaceæ, ſubſtantiâ membranosâ ſeu cartilagineâ, quæ clauſæ hemiſphærii figuram repræſentant, quarum unaquæq; *florem* ſuſtinet tripetalon, Phalangii præcedentis, hilarè cœruleum, tribus in medio ſtaminibus apices flavos ſuſtinentibus: apertæ triangulum referunt. Flore delapſo reſtant calices ſupradicti herbacei, lineis arcuatis adeo eleganter ſtriati, ut luci oppoſiti velut reticulæ aut Aranearum telæ appareant. Hi undique clauſi ſunt excepta parte ſuperna, éque eorum centro interiùs exoritur pediculus teres, tenuis, nodoſus, in duos tréſve pedicellos tenuiores retortos diviſus, quorum unuſquiſq; conceptaculum ſuſtinet capitis ſerpentini ore hiante effigiem affabre mentiens, cum lingua intus palato adnexa, quæ poſtea *ſemen* efficitur, linguæ figurâ, colore obſcurè cinereo, ſubtus flaveſcente.

Planta hæc ob nimiam radicibus ſe propagandi aviditatem raró florem producit: nam ſi fictili coercetur quotannis plerunq; floret.

Phalangium Africanum Helleborines folio non deſcript. Hort. Lugd. Bat.

CAP. VI.

De Pſeudo-aſphodelis paluſtribus.

PSeudo-aſphodelorum hiſtoria, turbante Lobelio, magnâ confuſione & obſcuritate laborat. Turbante inquam Lobelio, qui primò ſibimetipſi parùm conſtare videtur, cùm in *Obſ.* & *Icon. Plant.* Dodonæi iconi hujuſmodi titulum impoſuit, *Aſphodelus minimus luteus Acorifolius paluſtris: Aſphod. luteus paluſtris* Dodon. *in agro Lancaſtriæ Angliæ*: & tamen in *Adv.* part. 2. Tabernamontanum reprehendit, quòd Lancaſtrienſem Britannicum paluſtrem Aſphodelum luteum cum Batavo aut Flandrico Aſphodelo paluſtri Dodonæi confunderet, quod ſcilicet ipſe fecerat. Deinde errore tenetur, noſtrâ ſententiâ, quòd Aſphodelum ſuum minimum Norvegicum luteum paluſtrem Scoticum & Lancaſtrienſem, quem Anglo-Britannæ mulieres, apud quas frequens naſcitur, à tingendis capillis Mayden-hair, i. e. virginum capillum, vocitant, à ſecundo Pſeudo-aſphodelo *Cluſ.* non diverſum putet, ſed variare parvitate & magnitudine ratione natalis ſoli.

Quamvis enim alicubi fortè in Anglia proveniat (quod non credimus) Pſeudo-aſphodelus ſecundus *Cluſ.* non tamen certo certiùs adeò frequens uſpiam oritur, ut ruſticis & mulierculis cognitus, & in vulgari uſu receptus ſit. Verùm Pſeudo-aſphodelus paluſtris noſtras [&, ut putamus, *Dodonæi*] magnâ copiâ tum in ſeptentrionali, tum in Occidentali Angliæ parte, locis paluſtribus & aquoſis oritur, ut nemini è medio vulgo incognitus eſſe poſſit. Adde quòd hic à floris colore flavo tingendis capillis aptus videtur, non autem Pſeudo-aſphodelus ſecundus Cluſii, cujus flos palleſcentis ex herbaceo coloris eſt. Lobelium ſecuti J. Bauhinus & Johnſonus Gerardi emaculator eodem errore tenentur. C. Bauhinus hos rectè diſtinguit; atq; inſuper Pſeudo-aſphodelum paluſtrem Anglicum à Pſeudo-aſphodelo paluſtri Scotico diverſum facit: Hoc etiam rectè, ſi Pſeudo-aſphodelus paluſtris Scoticus noſter ei cognitus fuerit, de quo eſt cur dubitem. Certè Lobelius Aſphodelum ſuum minimum Norvegicum paluſtrem Scoticum cum Lancaſtrenſi ſeu Anglico miſcet & confundit.

Reſtat adhuc ſcrupulus. An ſci. Pſeudo-aſphodelus luteus paluſtris noſtras idem ſit Aſphodelo luteo paluſtri *Dod?* Si enim hic caulem pedalem habeat, prout eam deſcribit Dodonæus, eúmque non nudum, ſed multis foliolis ſive vaginulis illum amplectentibus donatum, ut vult Cluſius, à noſtrate, qui humilior eſt plerunque, & caule foliis paucis eíſque exiguis induto diverſus videtur, ut & ab aliis nobis cognitis, adeóque quatuor erunt Pſeudo-aſphodeli ſpecies, quod non credo. Eſto ergo Pſeudo-aſphodelus *Dod.* cum noſtrate idem.

Nos equidem tres hactenus Pſeudo-aſphodeli ſpecies vidimus, inque locis ſuis natalibus collectas, ſiccas adhuc aſſervamus, nec plures agnoſcimus. Eæ ſunt

1. *Pſeudo-aſphodelus minor ſive pumilio folio Iridis ſive* 2. Cluſ. *Pſeudo-aſphodelus Alpinus* C.B. *minor folio Iridis* Park. *Aſphodelus Lancaſtriæ* Ger. deſcr.
Cluſ.

Numeroſa ſunt huic *folia*, ſeſe mutuò amplectentia, ut in Aſphodelo luteo paluſtri *Dod.* & Iride, anguſta, brevia, viridia, dura, amariuſculi & calidi ſaporis: è quorum medio *cauliculus* gracilis egreditur, pedalis interdum aut major, aliquot nonnunquam foliolis inhærentibus, ſpicam *floſculorum* ferens ſex foliolis conſtantium, alterius inſtar, ſed minorum, palleſcentis ex herbaceo coloris, & odoris expertium: quibus ſuccedunt trigona capitella, interdum tetragona aut pentagona, minutiſſimum ruffum ſemen continentia. *Radix* vix corpus habet, ſed tenuibus aliquot fibris duntaxat conſtat.

Hunc Cluſius Aſphodelo luteo paluſtri *Dod.* per omnia minorem facit, foliis ei valdè ſimilem.

Hanc ſpeciem in Anglia ſponte ortam nunquam invenimus, nec ab aliis fide dignis inventam audivimus: in tranſmarinis autem non ſemel, ut v. g. ad radices montis Salevæ propè Genevam in aquoſis, & alicubi in Germania J. B. *Pſeudo-aſphodelus quibuſdam* dicitur, Johnſono apud Gerar. emaculatum perperam *Aſphodelus Lancaſtriæ verus*, ſupra iconem inſcribitur.

A. 2. *Pſeudo-aſphodelus paluſtris vulgaris noſtras. Aſphodelus Lancaſtriæ verus* Ger. emac. *deſcr. Pſeudo-aſphodelus primus* Cluſ. *paluſtris Anglicus* C.B. *luteus acorifolius paluſtris Anglicus Lobelii* J. B. **Lancaſhire Aſphodel, or Baſtard-Aſphodel.**

Folia habet uncias duas cum dimidio, aut tres longa, ima parte latiora, in mucronem acutum ſenſim anguſtata. *Caulis* altitudinem pedalem rarò, aſſequitur, lævis & foliolis paucis donatus; cujus ſummam partem ſpica occupat *florum* elegantium, ſtellatorum, ſex foliolis conſtantium, colore flavo; quibus ſuccedunt *capſulæ* longiuſculæ, trigonæ, interdum etiam tetragonæ & pentagonæ, *ſemen* exile, ruffum, continentes.

In paluſtribus putridis & aquoſis, multis Angliæ in locis, copioſiſſimè oritur, & æſtate floret. *Locus.*

Hanc pro Aſphodelo luteo paluſtri *Dod.* habemus, quantumvis neq; deſcriptio, neq; figura Dodonæi ei per omnia reſpondeant. Differentia enim in magnitudine, & caule multis foliolis induto non tanti eſt, ut propterea ſpecies multiplicandas putem, præſertim cùm loco conveniant Dodonæi Aſphodelus paluſtris & noſtras.

Aſphodelum Lancaſtrienſem ad vulnera ſananda mire efficacem eſſe aiunt. Vid. *Philoſoph. Tranſact. N.* 117. *p.* 398. *Vires.*

Floribus lixivio maceratis puellæ crinem flavum inficiunt. *Lob.*

A. 3. *Pſeudo-aſphodelus paluſtris Scoticus minimus.* **The leaſt Scotiſh Aſphodel.**

Triplo aut quadruplo minor eſt Pſeudo-aſphodelo paluſtri Anglico; *foliis* Iridis, anguſtiſſimis, ſeſcunciam longis, in acumen deſinentibus: *caule* vix palmari, vel nudo, vel unico eóq; minimo foliolo donato: ſpicâ florum brevi; floſculis (quantum conjicio) albentibus; quibus ſuccedunt *capſulæ* breves & ſubrotundæ. Radices ſubſunt fibroſæ, ut in Pſeudo-aſphodelo 2. *Cluſ.*

Hanc ſpeciem juxta rivulum quendam non procul Bervico in Scotia invenimus.

Cap. VII.

De Aloe.

ALoen Græci & Latini pariter tum & Officinæ herbam ipſam ejuſq; ſuccum denſatum appellant. Aloe autem dicta videtur quia maritimis gaudet. A Recentioribus Sempervivum & Sempervivum marinum, quia Sempervivi modo diu durat appellatur. *C. B.*

Floribus hexapetalis, vaſculis ſeminalibus in terna loculamenta diviſis ſe ad hoc genus pertinere oſtendit. Foliis craſſis ſucculentis, ad margines aculeatis, radice ſuccum craſſum, flavum, inſigniter amarum fundente à reliquis congeneribus differt.

1. *Aloe vulgaris* C. B. J. B. *vulgaris ſive Sempervivum marinum* Ger. Park. **Common Aloes.**

Folia bene multa è radice emittit, in orbem diſpoſita, imâ parte ſe mutuo amplectentia, oblonga, ſucculenta, digitum craſſa, pallidè viridia, dentata dentibus rigidiuſculis, in acumen deſinentia, quorum exteriora apud nos plerunque in terram reclinata aliquantulùm, verùm in loco natali erecta, æterni viroris, adeò ut per hybernos menſes extra terram, in hypocauſtis ſuſpenſa non marceſcant; ſapore apud nos, (imò etiam loco natali autore Parkinſono) minimùm amaro, ſed potiùs refrigerante. *Caulis* è medio foliorum exurgit, craſſus, in duos tréſve ramulos diviſus, altitudine ſeſquipedali aut bipedali, à medio ad ſummum uſque plurimos floſculos, lagenulæ figurâ, deorſum reflexos ſeu dependentes, apud nos albicantes [in calidioribus flaveſcentes] oris in ſex lacinias diviſis, ſuſtinens; Quibus præteritis ſuccedit *ſemen* in capſulis Aſphodeli æmulis incluſum. *Radix* craſſa, pedem longa, in fibras tandem craſſiores ſpargitur, tenues & raras è lateribus emittens. Caulis foliorum delapſorum veſtigia retinet, ut in Braſſica.

In Sicilia & Melita inſulis, in muris & tectis frequentem obſervavimus. Cluſius in Hiſpania. *Locus.*

Aloes eliciendæ modus.

Succus ille inſpiſſatus, Aloes nomine vulgò notus ex hujus plantæ foliis elicitur in Socotora inſula, Perſiæ & Indiæ Orientalis provinciis nonnullis, unde ad nos defertur. In Italia, ubi etiam ſponte & ſata libenter provenit, ob cœli ſolíve varietatem Succum hujuſmodi non reddere olim creditum. Verùm ingenioſiſſimus F. Columna, Aloen etiam in Italia eliciendi modum à ſe inventum in Hiſtoria ſtirpium rariorum publicavit. Is autem hujuſmodi eſt. Suppoſito lato figulino vaſe vitriato, multa ſuprà illud ab radice ſtatim avulſa folia ſuſpendit, atque ex illis ſpontaneum ſuccum luteum (quem in venis tantum contineri animadverterat) deſcendere & guttatim deſtillare permiſit, manibus poſtremò etiam deorſum versùs comprimendo folia, atque quod imis foliorum oris concreverat radendo. Excepto itaque ex pluribus foliis copioſo ſucco, vas illud tribus diebus Soli expoſuit, ex circumferentia vaſis quotidie quod hærebat duriore (ſtatim enim quod paucum eſt concreſcit) abraſo & cum liquidiore commixto, idque pluries in die, noctúque repoſito vaſe, concretum poſtridie ſuccum omnem atque friabilem habuit. Color (inquit) ex citrino cum concreſcere incipit rufeſcit, atque concretus magis nigricat, atque obſcurè parùm rubentem acquirit colorem, ſanguinis concreti modo, vel potiùs Hepati ſimillimum, tranſlucidus, lævis, odore gravi aromatico, ſapore amaro admodum ac abhorrendo; & mirum quod manu tantùm attrectanti illius vapore inficiatur aer, atque guttur amarum reddatur. In pulverem (ut Dioſcorides notat) digitis confricatus ſuccus, qui probè fuerit arefactus, ad minimum uſque ramentum facilè reducitur, & aquâ infusâ ſtatim liqueſcit, diſſolvitur, atque citrino evadit colore, quo ante concretionem præditus fuit. Omnes habuit notas optimæ Aloes, & cum præſtantiſſima Officinarum Aloe Succotrina comparatus, eum excellere viſus eſt: eaſdem etiam vires obtinere, & ad eadem in medicina valere experientiâ didicit idem Columna. Hæc cùm ità ſint veriſimile nobis videtur in Orientalibus etiam regionibus Aloen hoc aut ſimili modo ex hujus plantæ foliis elici; non ex iis in fruſta diſſectis & contuſis exprimi, eo modo quem deſcribit J. Bauhinus. Sapor quippe foliorum minimè amarus eſt, ſed potiùs leviter refrigerans; diſſecto etiam plantæ folio atque radice concisâ (monente Columna) nihil ſucci, neq; amari, ſed mucoſum quid, ac potiùs inſipidum guſtu inveniebatur. Ex quo hæc ſcripſi hodiernum Aloes colligendæ modum è dictatis D. Hermanni nobis communicavit amiciſſimus vir *D. Joſua Palmer* M. D. is autem ſic ſe habet.

Ex foliis à radice avulſis manu vel inſtrumento leviter compreſſis ſuccus deſtillat in vas recipiens. Subſidere debent partes craſſæ per noctem [& poſtea inſolant] aliæ verò ſupernatant. Poſtero die in aliud vas infundunt & inſolant ut concreſcat & exſiccetur, in quo tempore fulvum acquirit colorem, quæ eſt Aloe Succotrina Officinis: craſſa verò pars remanens effunditur in aliud vas & inſolatur, ut colorem hepaticum contrahat, quæ Aloe hepatica dicitur: craſſiſſima pars Caballina appellatur. Succus ſponte ex foliis oblique inciſis emanans aureum habet colorem.

Hic modus conformis eſt ſuperiùs propoſito à Columna invento.

Muntingius florem hujus plantæ in quinq; particulas obtusè mucronatas non profunde dividi ſcribit. Verùm ſuſpicor illum vel errare, vel memoriâ lapſum eſſe, cum Cluſius in ſex lacinias eum dividi affirmet; cúmque veriſimile non ſit eum à reliquorum hujus generis normâ abludere. Notabile eſt quod ſcribit idem Muntingius hujus plantæ florem duabus internè tribúſve guttulis, ut in *Corona Imperiali*, limpidiſſimis ac melle dulcioribus, deorſúmq; vergentibus, nunquam tamen decidentibus præditum eſſe. Idem confirmat D. Hermannus Leydenſis, qui & ſemina Sedi ſemilia ei attribuit.

2. *Aloe vera minor* Munting.

Munting.

A præcedente differt *foliis* rectà magis ſurſum vergentibus, vix pedem, in Belgii oris, longitudine ſuperantibus, nec ultra digitum in medio latis, in anguſtum mucronem finientibus, colore non cinereo ſeu albeſcente, ut in illa; ſed viridi ſaturo, neq; tot tantíſq; maculis albis ab utraq; parte circundatis, ſed paucis duntaxat minoribus, iíſque in extremo mucrone juxta ſe poſitis condecoratis, non fulgentibus, ſpinulis verò à parte utraq; frequentiſſimis, exiguis, craſſiuſculis, lata baſi nitentibus, colore dilutè albeſcentibus vel è luteo candidis, parùm aut nihil pungentibus ſed molliuſculis, atque quàm in priori multò arctiùs diſpoſitis, cætera ſimilibus. Nondum floruerat Muntingio.

3. *Aloe vera coſtâ ſpinosâ* Munting.

Munting.

Differt ab Aloe vulgari foliis craſſioribus, neq; in mucronem adeò acutum, ſed paulò latiorem deſinentibus, ſupernè planis, infernè ex obtuſo triquetris, in dorſo eminente non minùs quàm in lateribus ſpinulis ejuſdem coloris, at magnitudine atq; craſſitie eadem ſuperantibus, præditis, albidis maculis latioribus ſimul & anguſtioribus undiq; conſpicuis; nervis internè ex albido luteſcentibus, raris, repletis. *Flores* in thyrſo rotundo, tres circiter pedes alto, digitum in imo, in ſuperficie verò haud ità craſſo, recto, ſolido, colore ex obſcuro luteo quaſi hepatico obſoletò fulgente, atq; ſuperius in tres æquales partes ſemipedes longitudine ſuperantes diviſo inhærentes; colore vulgaris Aloes florum diſſimiles: Hi enim albeſcentem non ingratum: Illi verò ex obſcuro luteſcentem: Alii verò luteum ſtriis diverſis albicantibus diſtinctum obtinent.

4. *Aloe vera major* Munting.

Munting.

Folia edit vulgaris Aloes in modum diſpoſita, eodémque ordine, ſimilíque formæ aſpectu ac colore donata, ſed longè majora; maxima enim ultra quatuor pedes Romanos longa ſunt: cætera tamen pro illorum ſerie paulò minora, atque magis ordinatè diſpoſita: in imo, ubi latiſſima, ſeptem aut octo digitos lata, tres verò plus minus craſſa: tantæ amaritudinis ſucco referta, ut eam deguſtatam Autor ferre non potuerit.

Vires & Uſus.

Harum plantarum ſuccus, in aluta, utribus aut veſicis concretus, Solíſque calore induratus hodie ut olim *Aloe* dicitur.

Hujus in Officinis genera reperiuntur tria, 1. *Succotorina* ſeu *Succotrina*. 2. *Hepatica*. 3. *Caballina*. His addit Schroderus *Lucidam*, quam alii à Succotrina non diſtinguunt.

1. *Succotrina* ab inſula *Succotora* denominatur (Eſt autem Succotora Indiæ inſula, ultra 128. m. p. à maris Erythræi freto diſtans) Hæc omnium præſtantiſſima eſt, 1. colore cum rubedine flaveſcens hepatis in modum, nitida etiam, h. e. pellucida ſeu tranſparens. 2. Odore aromatico, ad myrrham ferè accedente, unde odoramentis & ſuffumigiis olim adhibita erat. 3. Sapore amaro, aromatico & adſtringente, amarore fugaci nec diu morante in lingua. 4. Pondere levis, ſubſtantiâ tamen compacta. Tractando, in Sole etiam vel calore molleſcens, frigefacta friabilis; quæ Aloes optimæ notæ ſunt.

2. *Hepatica*, quòd hepati tum colore tum conſiſtentia ſimilior ſit vocitatur, præcedente impurior eſt, colore è citrino rufeſcente, non pellucida, odore graviore, amarore intenſiore, magíſque adſtringens.

3. *Caballina*, quæ eſt Aloes craſſamentum, ſeu pars impurior, arenoſa & ſordibus conſpurcata, ideóque caballis ſeu equis exhibenda.

Horum trium generum ex una eadémque planta, vel coadunatis earum ſpeciebus, parandi rationem poſt J.Bauhinum tradit Abrahamus Muntingius in *Aloid. hiſt.* ſequentem.

Folia ad unum omnia, radice in terra permanente, abſcindunt, in fruſta ſecant, atque planè contundunt, necnon per 30. horarum ſpatium in vaſe quodam fictili vitreato reponunt. Quo facto ſupremam ſucci partem, ad ejuſdem uſque evidentem omnino differentiam demunt, quam in alutam vel veſicam, Soliſque calore exſiccandam deponunt, eámque Aloen *Succotorinam* vocant tum Inſulæ Succotoræ tum Indiarum indigenæ omnes.

Deinde in medio conſiſtentem ſuccum, uterculis exſiccandi cauſa concredendum tollunt, quem *Hepaticam* dicunt.

Tandem ex ſola remanente illorum fæce *Caballina* vocitata, omnium ſci. impuriſſima, perficitur.

Nos potiùs ſuſpicamur Aloen è vulnere ſeu inciſione in foliis facta emanare: Aloe enim nobis videtur eſſe ſuccus plantæ eſſentialis & proprius, ſanguini analogus, in vaſis majoribus contentus, in quintam, ut vocant, eſſentiam coctione exaltatus, in quo tota vis plantæ quà talis nidulatur: non crudior ille, & limpidus, qui fibris & parenchymati foliorum ineſt. Calore autem Solis concreſcit. Quâ in opinione autoritas Plinii me confirmat.

Aloe vim præter purgantem obtinet & exſiccantem calefacientémque; obſtructiones aperit, meatus reſerat: Purgat autem bilioſos & pituitoſos humores.

Aloe pene ſola medicamentorum quæ alvum ſolvunt confirmat etiam ventriculum, adeò non labefactat vi aliqua contraria. *Galen. Plin.* &c. Hoc caſtigatione opus habere ſcribit C. Hofmannus in *De Medicam. Officin.* Eſt enim (inquit) purgans propriè dictum, quo ipſo affert ſecum aliquid naturæ adverſum, quod dum corrigere volumus Maſtice, Croco, Cinnamomo, tacitè fatemur culpam. Quinetiam Aloe lota magis roborat ventriculum, minùs purgat. Eluuntur enim ſimul cum ſordibus partes quædam igneæ acréſque, quæ alioqui ventriculum laceſſunt.

Quòd frequens Aloes uſus hæmorrhoidum venas aperiat, ego (inquit Fuchſius) millies obſervavi; & vos ex 100. eorum qui Aloe ad excernendas fæces utuntur, videbitis 99. hæmorrhoidum fluxum pati, omiſſo verò Aloes uſu venas illas claudi. Certe venarum orificia aperiendi vim habere in confeſſo eſt, ob id vitanda iis qui hæmorrhagiæ obnoxii ſunt ex ore, alvo, utero; hinc noxia prægnantibus. Et Tho. Bartholinus Act. Med. Ann. 1673. Obſ. 64. exemplum adducit urinæ cruentæ ex nimio Aloes uſu. Dices validum adſtringens eſſe. Imò externè applicatum, non intus ſumptum. Non autem quod medicamentum facit foris, id protinus etiam intus facit.

Aloe ventris tineas & lumbricos enecat & expellit: cum aceto & felle bovino mixta, atque umbilico impoſita idem efficit; icteritiam flavam depellit, omnémque putredinem arcet, necnon diu cadavera corruptionis vel putrefactionis immunia, cum Myrrha præſertim aliíſque miſta, conſervat. Quare nonnulli Mumiæ efficaciam omnino poſſidere contendunt, eámque præter Aloen humana pinguedine miſtam nihil aliud eſſe aſſeverant. Ejus verò pilulæ tres per aliquot dies exhibitæ menſium abundantiam excitant. Habui ancillam (inquit C. Hofmannus) cui nulla aliâ ratione promoveri poterant menſes quàm uſu pilularum de tribus.

Externè pulvis hæmorrhoidibus inſperſus ſiſtit. In vino diſſoluta Alopeciam curat. Collyriis indita viſum acuit: Cum melle miſta pudendorum ulceribus, necnon fiſtulis, oríſque putredinibus omnibus medetur, & halitum emendat. Ova venarum claudit, ſanguinem ſiſtit, denſat & ſiccat externè admota; in pulvere vulnera recentia & quæ ægrè ad cicatricem perduci poſſunt mirificè conglutinat. *Munting.*

In Aloe exhibenda cautiones quædam habendæ ſunt. 1. Nè detur iis qui ex nuda intemperie ſine materia laborant. Tales non indigent vacuatione, nedum medicamento tam fortiter ſiccante, quódque loco vacuationis tabem inducit. Contra datur cum magno commodo frigidis & humidis.

2. Nè ſenibus detur &, quicunq; quacunq; de cauſa ſiccati ſunt, niſi neceſſitas urgeat.

3. Nè ſit uſus ipſius nimis creber, adeóque quotidianus, ut quidam faciunt. *Evacuatio enim quæ ſit per purgantia valdè indigentibus & ex longo tempore utilis eſt*, Vide *C. Hofman.* l. 2.

4. Quemadmodum Agaricus prohibetur gravidis, ita Aloe & Aloetica. Hinc ratiocinatus Helid. in pertinaciſſimis menſium obſtructionibus dat Elect. de Hiera ℥j. cum Scrupulo Croci integro. *Hæc omnia Hofmannus.*

Tria ſunt (inquit Le Brun) in Aloe quæ correctione egent: 1. Quòd tardæ ſit operationis: quod corrigitur additis aromatibus eſſentiæ tenuioris & acribus, ut ſunt *Macis, Nux moſchata, Caryophylli, Cinnam. ſpica nardi, Calam. aromat. Cubeb. Schœnanth. Crocus.*

2. Quòd debilis ſit operationis: quod corrigitur à Ruffo addita Terebinthina vel alia reſina acriore. Alii abluunt eam in decocto Rhabarbari, vel infuſione Roſarum, & ſic reddunt robuſtiorem.

3. Quòd anaſtomotica ſit, & orificia venarum aperiat. Quod corrigitur commiſcendo Maſtichen, Tragacantham, Bdellium & ſimilia. Vel abluendo eam aqua Endiviæ vel Cichorii: ut ſuperiùs innuimus.

5. *Aloe Americana* Cluſ. Park. *Americana muricata* J. B. *Aloe folio mucronato* Ger. *folio in longum aculeum abeunte.* C. B.

Cluſ.

Multa ſunt illi *folia* humanam longitudinem attingentia, ſaturatè virentia quidem, ſed quibus inſperſus videatur ciueracei quidpiam coloris, ut in Tuliparum quarundam foliis, lævia, circa infimam ſedem trium aut quatuor digitorum tranſverſorum craſſitudine, quodammodo carinata, valdè lata, mutuo ſe amplectentia, inſtar foliorum Aloes vulgaris aut Aſphodeli, ſenſim in mucronem deſinentia, qui nihil aliud eſt quàm ſpina, fuſca, craſſa, unciam cum ſemiſſe interdum longa, & adeò firma ut Americani pro ſubula uti ſolerent, & cuſpidis ferreæ loco ad ſua tela adaptarent: foliorum latera tenuiora ſunt, & ſpinis ejuſdem coloris aſpera, ſed brevioribus, latâ baſi præditis, & deorſum incurvis ut in Rhamno tertio; interiore parte fibroſa ſunt hæc folia & ſucci plena, ſed non amari. Ex eorum medio *caulis* enaſcitur, brachiali craſſitudine, & brevioris lanceæ altitudine. *Radix*

dix eſt craſſa, longa, curva, veluti internodiis articulata, è quibus ad latera enaſcuntur aliæ plantæ alternis, ut in Arundinum nodis germina ſeu gemmæ ſunt diſpoſitæ.

Planta hæc brevi interdum temporis ſpatio, celerrimo auctu, miræ proceritatis caulem emittit.

* *Addit: ad Cluſii cur. poſt.*

Jacobus Fontanus in *Epiſtola ad D. Blaſium Capiſula Avenionenſem gubernatorem, de quadam Aloes planta Avenioni in horto *D. Doins* enutrita, quæ per 100 (ut credebatur) annos ibi manſerat, necdum floruerat hæc habet. Caulis ex ea oriri cœpit Sexto Nonas Maii 1599. quæ intra 45 dies crevit ad 32 palmos. A medio ferè hujus caulis ad ſummum uſque ramos ſive ſurculos emiſit 29 perinde efformatos ac brachia candelabrorum quæ illuminationis causâ in aulis Magnatum ſuſpenduntur, origine recti, tandem ſurſum recurvi, in quorum faſtigio ſummo valgæ enatæ ſunt plurimæ, Haſtulæ regiæ valgis non abſimiles, quibus ſuprema parte hærebant flores crocei, floribus Roſarum capillamentis inhærentium non diſpares.

Petrus Borellius Aloe plantæ caulem, cùm per longum tempus ſine eo remanſerit, tandem erumpere ſcribit cum fragore & ſtrepitu, ut impetu facto tota in truncum ferè convertatur; & coram mirantibus hominibus incrementum tantum ſuſcipere, ut etiam Quercum mediocrem æquet, & 30 circiter palmarum altitudinem, & femoris craſſitiem acquirat, floribúſque in ſummitate decoretur. Quódque magis mirandum intra paucos dies, [quatuor vel quinque] hanc molem attingere, adeò ut incrementum ejus etiam oculis percipi poſſit. Tale quid viſum nuper apud Monſpelienſes, &c. Credat Judæus Apella. Nos anno 1663. Aug. 20. Monachii Bavariæ, in horto Illuſtriſſ. Ducis octo aut decem hujus generis plantas vidimus quæ jam, caules produxerant haſtæ altitudine, brachii craſſitie, ſumma parte plurimis floribus onuſtos, eodem ferè modo è caule exeuntibus quo deſcribit Jacobus Fontanus, nondum tamen planè explicitis: de caulium eruptione & celeri auctu nihil prodigioſi nobis ab Hortulano relatum. Verum equidem eſt, intra unius æſtatis aut ſemeſtre ſpatium caulem erumpere inque eam altitudinem & craſſitiem excreſcere, ut arbor quædam videatur, quod quamvis mirum, non tamen ſi foliorum & reliquæ plantæ magnitudinem conſideres omnino portentoſum & incredibile apparebit. Proinde in ratione hujus phænomeni exquirenda fruſtra ſe fatigant ſupradicti autores. Flores hexapetali huic ſunt: *ſemina* tribus cellulis diſtincta.

Vires & Uſus.

Planta hæc unica (inquit Franc. Hernandez) quicquid vitæ eſſe poteſt neceſſarium præſtare facilè poſſet, ſi eſſet rebus humanis modus. Tota enim illa lignorum ſepiendorúmque agrorum uſum præſtat, caules tignorum, folia verò tecta tegendi, imbricum, lancium: eorundem nervuli & fibræ eundem uſum habent ad linteamina, calceos & veſtimenta conficienda quem apud nos Linum, Cannabis, Goſſipium, &c. E mucronibus fiunt clavi, aculei, ſubulæ, quibus perforandis auribus, macerandi corporis gratiâ Indis uti mos erat cùm Dæmonum vacarent cultui; item aciculæ, acus, tribuli militares, & raſtilla idonea pectendis ſubtegminibus. Præterea è ſucco manante, cujus evulſis germinibus internis foliíſve tenerioribus cultis [*Yztlinis*] in mediam cavitatem ſtillat planta unica ad 50. interdum amphoras (quod dictu eſt mirabile) Vina, Mel, Acetum ac Saccharum parantur. Succus namque deſtillatione fit dulcior & ſpiſſior donec tandem cogatur in ſaccharum. Vinum fit ex eodem ſucco diluto fontanâ aquâ, additis corticibus Malorum Medicorum Limonumque, & aliis. E ſaccharo dicto paratur acetum, nempe reſoluto in aqua, & novem diebus inſolato. Idem ſuccus menſes ciet, alvum lenit, urinam evocat, renes & veſicam emundat. E radice quoque reſtes fiunt firmiſſimæ. Craſſiores foliorum partes truncuſque decocta ſub terra edendo ſunt apta, ſapiúntque Citrea fruſta ſaccharo condita: quin & vulnera recentia mirè conglutinant. Fit enim ſuccus aſſatione glutinoſus, qui ſuapte naturâ frigidus ac humens eſt. Folia quoque aſſa & affecto loco impoſita convulſionem curant, ac dolores leniunt (præcipuè ſi ſuccus ipſe calens bibatur) quamvis ab Indica proficiſcantur lue, ſenſúmque hebetant atque torporem inducunt. *Radicis ſuccus luem Veneream curat apud Indos.* D. Palmer.

6. *Aloe Americana minor* Munting. *An Theometl ſive Maguei divinum* Hernandez? *Munting.*

Radice nititur digito interdum craſſiore, nodulis diverſis geniculatim diſtinctâ, colore planè albido præditâ, necnon innumeris fibroſis, primò albeſcentibus, poſtea verò ad helvum declinantibus radiculis ditatâ.

Folia protrudit ſeſe mutuò amplectentia, pedum Romanorum duorum longitudinem nunquam excedentia, pro illorum autem brevitate admodum lata, ſex nimirum octo aut novem digitos non rarò ſuperantia, cæteris obtuſiora, & in brevem mucronem deſinentia, reliquarum ſpecierum more craſſa, circa margines tenuiora, necnon frequentioribus ibidem atque exilibus planè ſpinulis exornata.

Ex Hiſpania nova allatam Muntingio obtulit nauclerus quidam, qui ab Indigenis Americæ *Theometl* vocitari retulit: eadem videtur *Theometl* ſive Maguei divino à Fran. Hernandez deſcripto & depicto *Rerum medic. Novæ Hiſp.* lib. 8. cap. 19. namque & nomen & vires conveniunt: ſiquidem ejus ſuccum optimo cum ſucceſſu trium quatuorve cochlearium menſurâ febricitantibus omnibus exhiberi prædictus nauclerus ab Hiſpana quadam muliere edoctus eſt.

7. *Aloe ſerrata major umbellifera* Munting. *Metl ſive Maguei* Hernandez. *Munting.*

* *Aloe Americana* Cluſ.

Radix huic brevis eſt, craſſa tamen, ſubfuſca, fibris frequentiſſimis undique obſita; Planta ipſa præcedente omnibus partibus major, * prima tamen ſpecie minor eſt, eíque effigie ac foliorum diſpoſitione perſimilis, niſi quòd folia paulò ſint latiora ac magis canaliculata, attamen breviora, viridiora, atq; ab utrâq; marginum parte ſpinulis craſſioribus horridioribus, & modicè longis, ac ſerræ in modum bellè admodum, non tamen adeò arctè diſpoſitis, necnon in apice ſeu horrido ac craſſo quodam mucrone è purpuræ colore obſcuro prædita, quatuor plus minùs pedes longa, vix unum lata. E quorum medio *Caulis* in adultâ plantâ brevi tempore, ad duodecim, quatuordecim, & non rarò ſedecim pedum proceritatem aſſurgit, unicus, ima ſui parte coxendicis humanæ craſſitie, pyramidalis, numeroſioribus quàm in *Mucronato folio majore* foliolis eum arctiùs amplectentibus cinctus. E quorum

rum ſinubus in ſuperiore parte ramuli undique enaſcuntur, non adeò multi, umbellæ in modum diſpoſiti, quorùm apicibus inſident *flores*, pediculis brevibus & tenellis nixi, vix plures conjunctim, ſed ſeparatim diſpoſiti omnes, ultra articulum longi, minimum digitum craſſi, in imo juxta pediculum viridi quadam coronula externè cincti, in ſupremo verò in ſex foliola diviſi, quorum interiora tria lutea, exteriora è pallido luteſcunt, culmum lata, mucronata, digitum plus minùs longa, necnon radiantem ſtellam pulchrè efformantia, circa ſtylum albidum ſex luteis ſtaminulis, ſæpius explicatis, interdum ſeſe contorquentibus, ſuiſque prominentibus apicibus onuſtis, emergentibus. Flores temporis progreſſu nullo ſuccedente ſemine in frigidioribus regionibus marceſcunt. Semen Aſphodelino ſimile. *Herman.*

Hæc planta eſſe videtur quam deſcribit Gomara, (referente Cluſio) nomine *Metl*, nonnullis *Maguei* aliis *Cardon.* Cui ut eadem nomina ita eaſdem fere virtutes aſcribit, quas Hernandez; eas autem ſuperius poſuimus ſub Aloe Americana *Cluſ.*

8. *Aloe purpurea lævis* Munting. *Pati, ſeu Metl leniſſimum* Hernandez.

Munt.

Radice nititur copioſâ, ſtramenti inſtar craſſa, longa, externè fuſca, internè candeſcente, fibris tenuioribus hinc inde emergentibus præditâ. *Folia* duo, treſve pedes pro ætate plantæ longa aut etiam longiora, tres, quatuórve digitos lata, ad baſin anguſtiora, in medio latiſſima, indéque in anguſtiorem ac modicè longum mucronem ſpinula quadam è fuſco nigricante vel purpuraſcente armatum finientia, marginibus tenuibus, lævibus ac planis, nulliſque omnino ſpinulis obſitis donata Yuccæ in modum carinata, externâ maximè ex parte è viridi purpuraſcentia, aut purpureis quibuſdam maculis hinc indè contaminata, internè verò ad albedinem quandam vergentia, ſolida, rectà ſemper ſurſum tendentia, necnon permultis filis internè albicantibus, cæteríſque Aloes ſpeciebus omnibus tenuioribus ac pretioſioribus repleta.

Caulis octo, decem, vel duodecim nonnunquam pedes altus, unicus, rarò plures, foliis minoribus, carinatis, crebris ab utraque parte eum arctè amplexantibus ſeptus ſupremo apice varios in ramulos umbellatim diſpoſitos ſparſos. Flores & ſemina non vidit Autor.

9. *Aloe Braſilienſis* Caraguata *dicta* Marggrav.

Marggr.

Radice cum Aloe Americana Dodonæi, *foliis* cum vulgari convenit: nimirum ex *radice* craſſa, brevi aſſurgunt *folia* viginti aut plura, craſſa, ſucculenta, acuminata, utroque latere dentata ſeu ſpinoſa, unum vel etiam duos pedes longa, pallidè viridia, atque hinc indè griſeo colore maculata. Inter folia prodit *caulis*, tres aut quatuor pedes altus, in duos ramos diviſus, quorum quilibet ſuſtinet ſpicam *florum* flavorum: eſt autem quilibet flos cavus, digitum longus, ad oram ſextupliciter ſciſſus, continens totidem *ſtaminula* flava *apicibus* flavis: inſidet quilibet flos ſuo petiolo brevi, & apertus propendet deorſum, adhuc autem clauſus directè ad latera: eſt inodorus.

Suſpicantur nonnulli (qui de rebus Indicis ſcripſerunt) Ambram-gryſeam Anglicè **Ambergreece** eſſe ſuccum concretum cujuſdam *Caraguatæ, Manguey*, ſeu *Metl* ſaxis & ſcopulis copioſe naſcentis, qui vi maris & piſcibus abreptus huc & illuc agitatur, coagulatur, & interdum in magnam molem conglomeratur variis partibus coaleſcentibus. *D. Tancred Robinſon*; qui ulterius addit *D. Traham* obſervaſſe in hâc ſucculentâ plantâ materiam quandam viſcoſam, craſſam, & bituminoſam, quâ folia turgent, Ambræ-gryſeæ valdè ſimilem.

10. *Caraguata ſecunda* Marggr. *lib.* 2. *cap.* 16. *primo in loco deſcripta.*

Marggr.

Ex *radice* filamentoſa, ſuper caudice & ramis arborum fundata, proveniunt novem, decem aut plura *folia*, ab uno ad quinque pedes longa, & craſſa ut folia *Nanæ*, tres aut quatuor dig. lata, & cava inſtar canalis, atque in ambitu dentata, aculeis brunnis, acutis, ſurſum erectis. In medio autem ho- m foliorum prodit *caulis* albicans, teres, minimum digitum craſſus, duos circiter pedes longus, lig- ſus & medulloſus, ad quem bina & bina capitula poſita, in ſummitate autem plerunque quinque, gurâ ut Cinaræ, magnitudine Nucis Juglandis, ex craſſis atque aculeatis foliolis conſtantia, elegan- coloris incarnati.

11. *Caraguata guacu* Marggrav.

Marggr.

Eſt major ſpecies, ex ſabuloſa *radice*, quæ magnitudine, figurâ & colore plane cepam æmulatur, que inferiùs multa habet filamenta, primò aſſurgunt tria, quatuor, aut quinque *folia*, craſſa, ſuccu- nta, viridia, cava; dein proveniunt plura, figuram habentia trianguli acutiſſimi, ſtántque erecta, orbem adnata, octo, decem, quindecim pedum longitudinem æquantia, pedem lata, in extremi- te acuminata, & in lateribus versùs inferiora acutis denticulis rufeſcentibus munita. Ex una ra- ce 30. aut 40. folia prodeunt. In medio foliorum, quando planta bonam ætatem habet, aſſurgit *ulis* ſeu truncus, ſuperioris tibiæ humanæ craſſitie, rectus, ſpongioſus ſeu mollis, hinc indè triangula- bus foliis, minoribus veſtitus, altitudine circiter octodecim aut viginti pedum; in ſummitate autem plicat tenerum & faſtigiatum truncum inſtar arboris cum ſuis ramis; & rami iterum ramulos ha- nt, & multa conica corpuſcula, pæne digitum longa, quæ ſeſe aperientia *florem* exhibent, quinq; pe- lis compoſitum, magnitudine florum *Ibabirabæ* ex viridi flaveſcentibus, ac aliquot ſtaminulis in me- o; refert flos figuram ſtellæ. Brevi tempore in ſummam altitudinem excreſcit.

Ex foliis hujus plantæ optimus pannus confici poteſt, qui præſtat bonitate panno lineo. Ex ſub- ntia conicorum corpuſculorum, antequam in flores abeant, alba filamenta, Goſſypii æmula extrahi ſſunt. Radix aut etiam folia hujus plantæ recentia trita ac aquæ injecta piſces ita exanimant, ut tim deſuper natent & manu prehendi poſſint. Lignum ſiccatum inſtar funiculi ſulphurati ardet; eo ignis elici poteſt duriore ligno applicato.

12. *Caraguata acanga* Marggr.

Marggr.

Folia è terra protrudit ſeptem aut novem pedes longa, ſeſquidigitum lata, inſtar canalis cava, læte viridia, & propè exortum ungues habentia miniatos, craſſa, in extremitate acuminata, duorum circiter digitorum intervallo per ambitum aculeis munita. E medio foliorum proximè ad terram multi *flores* juxta ſe in orbem poſiti proveniunt, ex cœruleo purpurei, & in medio alba ſtamina habentes: quilibet flos digitum longus conſtat tribus foliis. Fructum fert edulem, quinque digitos longum.

Hæc planta plurimùm accedere videtur ad *Mexocotl* ſeu *Maguei* prunorum Fr. Hernandez, ut eandem ſuſpicemur. Ad hoc genus minimè pertinet: verùm ob foliorum ſimilitudinem locum quem occupavit tenere permiſimus, donec certiùs conſtiterit quò referenda ſit.

13. *Aloe ferox* Munting. *An Mexcalmetl* Hernandez?

Munting.

Hujus *radiculæ* cinereo erant colore obſcuro, teneræ, modicè longæ, planè fibroſæ, è baſi craſſa, rotunda, retuſa, nonnihil ſtriata, atq; ex parte tuberculoſa pullulantes. *Folia* max. 2½ pedes longa erant, circa baſin latiora & craſſiora, indéque Cupreſſi modo, in pyramidalem anguſtiam ſenſim tenuata, ſemipedem plus minus lata, ab utroq; gracili latere ſpinis digiti unius tranſverſi longitudinem aut circiter poſſidentibus, admodum craſſis ac ferociſſimis, colore è nigro purpuraſcentibus horridè conſita, naturâ omnino atro-virentia, ínq; mucronem longitudine ſua, latitudine atq; craſſitie terribilem deſinentia, ore commanſa palato non ingrata, necnon filis quibuſdam albeſcentibus internè donata.

CAP. VIII.

Aloes Americanæ quædam ſpecies è Fr. Hernandez hiſtoriâ.

1. *Metl Coztli ſeu Metl luteum* Fr. Hernandez.

Hernand.

* Metl ſive Maguei. FOliis eſt modicis ſi cum * præcedentis foliis comparentur, ad margines luteis, ſpinis parvis & nigris: *caule* bicubitali, digitum lato & rubro, cum *flore* cœruleo palleſcenti cacumen ejus occupante, & *radice* ſurculoſa.

Locus. Campeſtribus locis Mexici naſcitur, quamvis ſola æſtate floreat. Seritur ex germinibus ortis juxta parentem.

Vires. Jus trium quatuorve foliorum, additis Siliquaſtris ternis, frigentes ac craſſos humores per ſeceſſum & urinam paullatim vacuat.

2. *Mexcal metl ſeu Maguei aptum ut aſſum comedatur* Fr. Hernandez.

Hernand.

Species eſt parva, valdè ſpinoſa, & virore admodum exaturato tincta; cujus *folia* eduntur aſſa, & ſunt præ cæteris guſtui grata.

Locus. Offenditur ea in montibus Tepoztlanenſibus.

3. *Mexocotl ſeu Maguei prunorum* Fr. Hernandez. *An Caraguata acanga* Marggrav?

Hernand.

Planta eſt ſpinoſa, fructu dulci, acido; Prunis ſimili, multiplici, & in orbem Indicæ Pineæ quadantenus parem compoſito, eduli ſucco pleno & grati ſaporis. *Folia* ſunt Metl, aut illis potiùs Pineæ Indicæ ſimilia, ſpinoſa, fulva ac veluti marcida. *Caulis* verò brevis, teres ac craſſus: *Radix* fibrata craſſáq;. Pruna ſunt oblonga, glandibus ſimilia, & ex candido palleſcentia, obducta membranâ, intra quam continetur callus candens, ac ut diximus dulcis & acidus, Pinearum Indicarum ſapore refertus; *ſemine* principio candido, ac poſtea nigro, obrotundo & duriuſculo.

Locus. Naſcitur in ſaxoſis regionum calidarum *Tepecuacuilci.*

Ad Nanas potiùs referenda videtur hæc planta ob fructum.

4. Nequametl *ſeu mellis potatrix* Hernandez. *J. de Laet depingitur & * deſcribitur.*

* Hiſt. Amer. Lib.17. c.7.

Hernand.

Rarâ eſt formâ, *folia* namq; digito tranſverſo paulò craſſiora profert, aſpera juxta latera, ac impensè acuminata circa cuſpidem: *caulem* brachii craſſitudine: cujus cacumen *fructus* occupat oblongus, Pyrorum parvorum formâ, undiq; ſepiens caulem. Naſcitur in calidis. V. J. de Laet Hiſt. Amer. lib. 17. c. 7.

Sunt & aliæ quamplurimæ ſpecies, quarum, quoniam facultate ſimiles ſunt, & formâ parùm differentes, nomina ac nonnullarum partium differentias ſubjiciam.

1. *Mexoxochtli* ſeu *Metle* viride.
2. *Nexmetl* à cinereo colore dictum.
3. *Quametl*, ſeu *Maguei* montanum, ſqualenti colore, fibrata radice, & longo craſſóque inſigni ſurculo.

4. ***Hoitzitzilmetl***, aculeis longis, purpureiſq; radicibus & ſpinis.
5. ***Tapayaxmetl*** ſeu *Maguei* tapayaczin præcedenti ſimile.
6. ***Acametl***, ſeu *Maguei* arundineum, albidioribus juxta radicem foliis & rubeſcentibus ſpinis atque radicibus.
7. ***Maguei*** nigrum, ob colorem atrum, quanquam ſpinæ radicéſq; ex nigro fulveſcant.
8. ***Xilometl***, ſeu *Metl* piloſum, rubeis ſpinis & radicibus.

5. Tepemexcalli *ſeu* Maguei *montanum aliud.* Hernand.

Formâ Metl conſtat ſed tenuibus ſpinulis.

Montoſis ſaxoſiſq; gaudet locis calidarum regionum qualis eſt *Tepoztlanica.* *Locus.*

Contuſa atque devorata, illitáve curat eos quorum artus motu privati ſunt ob nervorum convulſionem. *Vires.*

6. Tlacametl *ſeu* Maguei *luteum.* Hernand.

Eâdem pæne formâ & viribus eſt quibus cætera, & eiſdem quoq; uſibus, ſed inter reliquos vigorem ac robur addit fœminis ſyncope tentatis, aut imbecillibus. Nomen habet à magnitudine.

7. Theometl *ſeu* Maguei *divinum* Hernand. *v. Aloe Americana minor* Munting.

Eâdem pæne cum reliquis facultate eſt & formâ, longâ radice, fibratâq; & exilibus ſpinis: duas ſpithamas longa ſunt tantum folia: ſuccus verò epotus aut illitus febres extinguit.

Naſcitur in frigidis & calidis locis editis atque campeſtribus. Plenius & exactius deſcribitur à Muntingio, ſub titulo *Aloes Americanæ minoris.* *Locus.*

8. Pati *ſive* Metl *leniſſimum* Hernand. *Aloe Americana foliis anguſtioribus abſq; ſpinis.*

Foliis eſt anguſtioribus, minoribus & tenuioribus, magnâque ex parte purpuraſcentibus, è *radice* fibrata craſſâque. Parantur ex eo fila tenuiſſima, in magno habita pretio, panniſque lineis precioſis texendis aptiſſima.

9. Quetzalichtli *aliis* Metl Pita. Hernand.

Aſſurgit in arboream altitudinem; *radicem* fundit craſſam fibratámq; & ſenſim graciléſcentem; *folia* verò ſpinifera & Metle ſimilia. Fit ex eâ quicquid ex *Metl* fieri conſuevit.

Xolometl *ſeu* Maguei *ſervi.* Hernand.

Species eſt *Metl* tribus veluti orbiculis aggregatis; *radice* conſtat firmata & fibris auctâ rufeſcentibus, unde proferuntur folia coccineis horrida aculeis, raris, & à medio uſque ad mucronem procedentibus. Succus foliorum expreſſus ac bibitus decem unciarum pondere, univerſi corporis dolores & præcipuè articulorum tollit: verùm quo bibitur tempore corpus eſt magnâ curâ operiendum. *Vires.*

Naſcitur *Haexovinci* juxta fauces fluminum. *Locus.*

CAP. IX.

De Yucca.

Yucca ſive Yucca Peruana Ger. *Yucca nova glorioſè elata & opinata planta* Lob. Ad. part. alt. *Yucca ſive Jucca* Park. parad. *Yucca foliis Aloes* C. B. **Yucca, or Indian Bread.**

R*Adice* nititur craſſâ, tuberoſâ, grandi, ſucceſſu temporis in multa capita protuberante, intus
candida, foris rufa, Rapi ſubſtantiâ ſed duriore, ſucci plenâ, ſapore ſubdulci, *folia* emit-
tente plurima, in orbem ſe mutuo amplectentia, cubitum longa, dura, carinata, è cine-
o viridia, in acutum & fuſcum mucronem convoluto utrinq; cacumine deſinentia, æterno virore,
ta inſuper & fractu contumacia: in quorum medio, poſtquam planta adoleverit, at ne tunc qui-
n ſingulis annis, exurgit *caulis* tripedalis, teres, firmus, ſuperiore parte in ramos diviſus, quibus
naſcuntur *flores* plurimi, ſatis ampli, hexapetali, albi, deorſum dependentes, tribus exterioribus
alis venis multis dilutè rubentibus averſâ parte ſtriatis, è petalorum unguibus ad mediam eorum
rtem extenſis, non ad margines uſq;. Flores in Septentrionalibus & frigidioribus regionibus nullo
cedente *ſemine* aut pericarpio increſcunt & decidunt: verùm in locis natalibus, Indiæ ſci. Oc-
entalis provinciis plurimis triangulares capſulas in tria locumenta diſpertitas producere dicitur, ſe-
nibus rotundis aut quodammodo angularibus repleta.

Abrahamus Muntingius in Herbario Belgico aliam depingit & deſcribit Yuccæ ſpeciem quam
cat Jucam Americanam & Braſilianam ſtellatam eámq; folio mucronato & folio obtuſo.

Alteram Yuccæ ſpeciem exhibent Muntingius & Moriſonus quæ donatur foliis filamentoſis, ſeu potius foliis filamentis albis interſperſis.

Vires.

Nullius in medicina usûs, imo venenatus eſſe dicitur ſed perperam; cùm non ſolùm ad vitæ ſuſtentationem conducat, ſed etiam ex radice in farinam comminuta panis eſculentus conficiatur. Radix inſuper ſine omni injuria, imò cum commodo comeditur abſq; ulla ejus præparatione. *D. Palmer* ex dictatis D. Hermanni.

Non eſt autem hæc planta ex cujus radice panis in America uſitatiſſimus *Caſſavi* dictus ſit, ut nonnulli per errorem crediderunt.

CAP. X.

De Canna ſeu Arundine Indica florida.

1. *Canna ſive Arundo Indica, quibuſdam Flos Cancri* J.B. *Canna Indica flore rubro & flore luteo punctato* Park. *Arundo florida* Ger. *Arundo Indica latifolia* C. B. *Meeru Braſilianis* Marggr.

J. B.

INquilina orbi noſtro *caule* geniculato, cubitum & ſeſquicubitum alto ſurgit: *Foliis* quàm pro plantæ modo majoribus, cornicula chartacea convoluta primo pullulatu æmulantibus, quæ ubi explicantur inſigniter apparent ampla, duorum palmorum latitudine, trium quatuórve longitudine, tenera, membranea, modicè in acumen deſinentia, à nervo medio ſecundum longitudinem decurrente exporrectis in margines agmine prædenſo venulis obliquis. Caulem ſummum ornant *flores* minio ſaturatiore tincti, Gladioli haud ità abſimiles, capitello verrucoſo inſidentes, quod delapſo flore grandeſcit, triangulúmq; fit & veluti ſpinoſum (inquit Cluſius) ut Ricini fructus, in quo continetur *ſemen* per maturitatem fuſcum, atrum & rotundum, Fabæ Veterum dictæ magnitudine. *Radix* nodoſa & craſſioribus fibris ſtipata, alios radicis nodos adnaſcentes habens, qui ſtolones etiam matri ſimiles proferunt.

Frigidioris cœli impatiens hyemes noſtras non fert, niſi in fictili deponatur & in hypocauſtum recipiatur.

Marggravius plantam hanc in *Hiſtoria ſua rerum naturalium Braſiliæ* pleniùs deſcribit. Caules (inquiens) in octo aut decem pedum altitudinem aſſurgit ſucculentus, viridis, digitum craſſus, quem per intervalla ambiunt *folia* ſolitarie poſita. *Flores* tribus petalis linguæformibus conſtant, circiter duos digitos longis, erectis, quæ circundantur ab aliis foliis acuminatis & convolutis; in medio autem ſunt duo anguſta paululum contorta, & in horum medio adhuc unum, inſtar ligulæ, habens ad latus ſtamen fuſcum in quadam prominentia. *Flos* eſt inodorus. *Fructus* dividitur interiùs in tres cellulas, habens in qualibet utplurimum duodecim grana ſeminum, duriſſima, quæ malleo contuſa continent intus duriſſimam ſubſtantiam albam, quæ cavitatem intra ſe habet inſtar vitri vinarii, & in illa corpuſculum inſtar vermiculi caſei, ex quo progerminatio fit. *Radix* humanam craſſitudinem acquirit, longa, ſplendidè ex albo flaveſcens, inſtar Cepæ ſquamas habens ruffas, atq; ſucculenta: per intervalla autem hinc indè habet tubera ſeu prominentias faſtigiatas, undè novos profundit caules. Obſervat Cluſius è vetuſtis hujus ſtolonibus cùm marceſcentes in vaporario præſcinduntur lachrymam exſtillare albam, Tragacanthæ æmulam, ſubdulcem & lentam: atq; in ipſis etiam foliis ſeneſcentibus exiſtere tenue quoddam excrementum, nitri ſapore.

Marggravius eam quæ flore flavo eſt ſpecie diverſam facit, & ſic deſcribit.

Foliis eſt anguſtioribus, magis acuminatis, ac utplurimum circa imum caulis è vaginis erumpentibus: *Floribus* paullò majoribus, quorum unuſquiſq; tribus petalis cochleariformibus (puta Luſitanicis) conſtat, tres digitos longis, incurvatis, in quorum medio adhuc anguſtum foliolum, ſeſquidigitum longum, inſtar cuſpidis directè extenſum. In poſtica parte floris poſt tria illa majora folia itidem talia foliola duo mucronata extant, ità ut totus flos octo conſtet foliis, & adhuc in medio, more Gladioli, ſtaminulum flavum extremitate ſua fuſcum obtinet. Cætera cum præcedenti convenit.

2. *Canna Braſilienſis conifera* Paco Caatinga *dicta* Marggr.

Marggr.

Caulem habet arundinaceum digitalis craſſitudinis, rotundum, & intus continentem ſucculentam medullam ſubdulcis ſaporis, conſiſtentiæ ferè ut Canna Saccharifera. Hunc porro ambiunt ſine pediculis hinc inde *folia* ſolida, ſeptem, octo, vel novem dig. longa, circiter tres lata ubi latiſſima, interdum & majora, figurâ linguæ, nervo in medio ſecundùm longitudinem donata, nullis ſecundùm latitudinem venis, ſed ſubtiliſſimis lineis obliquè diſcurrentibus ut in foliis * *Meeru*; ſuntq; ſuperiùs glabra & dilutè viridia, inferiùs molli hirſutie prædita, & ſubalbicantia. In ſummitate caulis provenit *conus* (ut in Pinu) octo aut novem dig. longus, in faſtigio paulo acutior, ſquamis præditus ut conus Pinûs, quæ in prominentibus extremitatibus aurei ſunt coloris, in partibus ubi ſibi invicem incumbunt miniati. Succeſſu autem temporis ſquamæ illæ à ſe invicem dilatantur, & ſub quaq; apparet *floſculus* cavus, inſtar alveoli apiarii dilutè purpuraſcentis coloris; ſub floſculo verò cuticula eſt albeſcens, rotundum ſacculum præbens, & quælibet continens 24 aut plura grana ſeminis nigri ſplendentis, magnitudine ſeminis ceparum, multangularis, ſúntq; grana albis filamentis, quaſi lineis involuta & illis adhærent.

* *Cannæ Indicæ floridæ.*

Cauli

Caulis hujus plantæ maſticatus detrahit humorem è capite, calefacit inſuper & frangit calculos uſurpatus, éſtq; inſigne remedium contra Gonnorrhœam, quam frequenter de die maſticata, deglutito ſucco intra octiduum ferè curat nullo alio medicamento adhibito. Acore ſuo ventriculo infeſtus eſt, ideóque frequens ejus uſus vitetur. *Vires.*

Reperitur & alia hujus ſpecies, foliis inferiùs lævibus, floſculis rubris.

Item tertia, floribus cœruleis tetrapetalis.

Piſo radicem huic Arundini bulboſam attribuit, eámq; ſemper virere ſcribit.

3. *Paco-Seroca Braſilienſibus* Marggr. Piſo. *Canna Indica ad imum caulem racemifera.*

Marggr.

In ſex, ſeptemve pedum altitudinem aſſurgit, *caule* recto, ſpongioſo & viridi inſtar * *Meeru*; habétq; folia eodem modo alternatim diſpoſita, & ejuſdem magnitudinis, figuræ, coloris, ac ſimilibus lineis ſtriata, ſed in ſummitate folium convolutum ut in *Paco*. Ad exortum autem caulis propè folium provenit pediculus craſſus, verùm brevis, in aliquot ramulos ſuperiùs diviſus, qui multos habent *flores*, ſeſquidigitum aut circiter longos, cavos floribus *Paco* quidem ſimiles, ſed incarnatè rubentes. Flores hoſce ſequitur *fructus* in uvam congeſtus, Pruni magnitudine & figurâ, habens prominentem umbilicum, éſtque adhuc immaturus ſaturatè viridis, maturus verò ſubfuſcus, triangularis figuræ, & cortice Aurantii mali cortici pænè æquali cinctus, qui ſponte finditur in tres partes, atque facilè ſeparatur, intus verò habet paucam pulpam, filamentoſam, magnitudine nucis Avellanæ, in tres itidem partes diviſibilem per cuticulam flavam. Pulpa autem hæc Cinnabrii eſt coloris, odoris vinoſi ferè ut noſtras cydonium, in qua continentur ſupra 30. grana ſeminis triangularia, fuſca, cum macula cinnabria in acutiore parte, magnitudine ſeminis Cannabis, & albiſſimum nucleum habentia: Cortex exterior ſucculentus, qui cutem tingit colore brunno, ut Ceraſa noſtratia nigra vel Violæ Martiæ, atque ideo uſurpatur loco atramenti.

* *Cannæ Indicæ floridæ.*

Folia recentia, ut & *caulis* & fructus immaturus ſi fricentur odorem de ſe fundunt Zinziberis & ſuavem admodum; ac proinde defectum aromatum ſupplent. Balnea quoque calida ex iis conficiuntur.

4. *Bulbus Indicus ſquamoſo flore. Tamoatarana Braſilienſibus* Marggr.

Marggr.

Ex *bulbo* albo, ſplendente, triangulatis tunicis conſtante, figurâ & conſtitutione ut Tulipa, ovali vel etiam rotunda, magnitudine ovi Anſerini vel etiam minore, producit *caulem* duos aut tres pedes altum, inferiùs in longis pediculis duo vel tria folia habentem, ut & in ſummitate unum aut alterum, foliis *Coti trepooba* figurâ & aſpectu ſimilia, ſed paulò minora. Sub folia autem quod in ſummo caulis eſt pediculi duo, tres, quatuórve proveniunt, duos circiter digitos longi, qui quatuor ferunt *flores* ſplendidè albos, ſeſquidigitum longos, ex triangulatis obtuſis ſquamis more pineæ nucis compoſitos, inodoros. Bulbus coquitur, & more Battatæ comeditur, boni ſaporis.

CAP. XI.

Agutiguepo-obi Braſilienſibus Marggr.

Marggr.

EX *radice* ſuperiùs rotunda, ſubruffa & eſculenta, quæ inferiùs ſex, ſeptem, octóve dig. in terra obliquè diſtenditur, & multa craſſa habet filamenta; provenit *caulis*, tres, quatuor, quinque pedes longus, arundinaceus, rectus, digitum craſſus, hinc indè habens in pediculis duo, tres, vel etiam quinque aut ſex dig. longis, *folia* unum aut ſeſqui aut etiam duos pedes longa, quatuor dig. lata, acuminata, eleganter viridia, ſplendentia, ad tactum inſtar membranaceæ chartæ, aut foliorum *Paco-eira*, nervo ſecundum longitudinem, & ſubtiliſſimis lineis obliquis decorata, & in ambitu lineâ rubrâ fimbriata. In ſummitate caulis provenit *flos* inſtar Lilii, egregiè incarnati & ignei coloris, tribus vel quatuor petalis conſtans: apud quodlibet folium tria, quatuor, aut quinque *ſtamina* exſtant ejuſdem coloris, figurâ ut dens Apri.

Radix contuſa ulceribus medetur, mundat ea & implet carne: aſſatæ autem & coctæ comeduntur tempore famis. *Uſus.*

CAP. XII.

De Curcuma.

Crocus Indicus, Arabibus Curcum, Officinis Curcuma Bontii. *Crocus Indicus Garciæ* C. B. *Curcuma* Park. *Cyperus Indicus ſive Curcuma* Ger. **Turmerick.**

Bont.

F*Olia* lata habet hæc planta, non abſimilia foliis Hellebori albi, niſi quòd non tam ſtriata, ſed lævia ſunt. *Radicem* habet qualem ferme Gentiana. *Flore* eſt pulcherrimè purpureo. *Radix* porro colore flavo tingit non ſecus ac Crocum, unde Garcias ei nomen indidit Croci Indici. Fructus hujus Curcumæ qui floribus ſuccedunt echinati ſunt inſtar Caſtanearum in Europa: aperti *ſemen* ſuum oſtendunt, Piſorum formâ rotundum; quod etiam coctum in juſculo gallinarum vel carnium hœdinarum alimenti ſimul & medicamenti præſtantiſſimi vicem obtinet.

Vires & Uſus. Malaji radicem cum piſcibus & carnibus coquunt condimenti & ſanitatis gratiâ; quod & Batavos (ab iis ut credibile eſt edoctos) etiam factitare obſervavit *D. Tancredus Robinſon* cum in Belgio peregrinaretur: piſces præſertim eâ muriâ incoctâ condire, ſiquidem & ſaporem gratum eiſdem communicare & colorem flavum aſſerunt. Cæterùm excellentiſſimum eſt remedium in obſtructionibus viſcerum, Pulmonis nimirum, jecoris & lienis, tum in oppilatione venarum meſaraicarum, tum Nephriticis doloribus. Calculo renum & veſicæ efficaciter opitulatur, tum fœminis menſtrua promovet, difficultatem pariendi aufert: & quod in ea caput rei eſt peculiare & ſpecificum remedium eſt in ictero, quod multoties feliciter expertus ſum. Chinenſes quoque eam propter hunc uſum præcipuè Saccharo condiunt.

Hanc cum pulvere Santali & aliis floribus odoratis in marmore ſubigunt in unguenti conſiſtentiam; quò univerſum corpus tam Viri quàm Fœminæ inungunt. Quod quamvis inſolitis aſpectu fœdum ob flavum colorem ſit, tamen adverſus calores febriles & Solis ardores, tum moleſtiſſimos quoque culicum morſus ſummum eſt juvamen. Summâ hæc radix inter deobſtruentia medicamenta principem locum obtinet.

Nuperrimè obſervavi Chinenſes etiam in ſternutatoriis hac radice uti inſtar radicis Hellebori albi. *Bontius.*

CAP. XIII.

De Cardamomo.

1. *Cardamomum minus* Bontii. *Cardamomum ſimpliciter in Officinis dictum* C. B. *Card. cum ſiliquis ſive thecis longis & brevibus* J. B. *minus vulg.* Ger. Park.

Bont.

C*Aulem* habet Arundinis modo internodiis diſtinctum & certè *folia* non diſſimilia Arundinis foliis; & eodem quoque modo catervatim creſcit; primúmque intuenti vix differentia inter duas has ſtirpes videbitur, niſi quòd Cardamomum vix ultra duos, aut ad ſummum tres pedes in altitudinem aſſurgat; folia quoque contrita ſuaviſſimum odorem à ſe reddunt. Dum florentem eam primùm conſpexi Garciæ errorem animadverti, &c. Nam circa radices primùm emittit *ſpicam*, qualis in Spica Nardi conſpicitur, verùm longè craſſiorem, cujus calycibus ſupernaſcuntur *flores* pallidi potiùs in peripheria quàm albi, in calyce verò flavum colorem oſtendunt, ſúntque admodum ſimiles floribus Mali aurei. Floſculis hiſce decidentibus *ſiliquæ* eorum loco ſuccedunt, ſemen fragrans Cardamomi continentes, quale in Officinis noſtris conſpicitur: ſed colore ſunt flavo ſemina intus concluſa, quæ ariditate & tractu temporis ex puniceo atrum, quem in exſiccato Cardamomo colorem videmus, contrahunt.

Gloriatur autem Bontius ſe primum eſſe qui Cardamomum exactè deſcripſit, & ad vivum delineatum exhibuit.

Vires & Uſus. Calorem habet blandum, naturæ noſtræ amiciſſimum, nullum empyreuma in viſceribus relinquens, adeóque etiam ſolum abſque alio cibo maſticari & comedi poſſit ſecus ac Piper, Zingiber & reliqua aromata. Urinas porro commodè ciet, menſtrua fœminarum blandè movet, anhelitum commendat, tum obſtructionibus Hepatis, Lienis & præſertim Meſenterii ad miraculum uſque conducit, etiam in juſculis gallinarum, carnis hœdinæ & vitulorum.

In cibus porro condiendis, præſertim carnibus & piſcibus elixis, apud Malaios in ſummo uſu eſt, & certè fragrantem guſtum iis addit, concoctioníque adjuvandæ ſummè conducit.

2. *Cardamomum majus* Bontii, *majus vulg.* Ger. Park. *majus Officinarum* C. B.

Bont.

Copiosè creſcit in ſylvis Javanis flore Hyacinthi modo faſciculato. Differt à minori ſpecie. Primò, quòd ultra humanam altitudinem aſſurgat; quod folia quoque longè ampliora habeat, quod caule non ſit geniculato aut Arundinis inſtar nodoſo, ſed qui Ceparum more foliatim à ſe invicem ſeparetur: præterea flores non in ſpicis è radicibus, ſed Hyacinthi modo in faſtigio gerit. Semen denique ejus vel ſiliquæ oblongiores ſunt, digitali aliquando longitudine. Folia tamen odore conveniunt, ut & flores; niſi quòd folia majoris Cardamomi, præterquam quòd ſint majora citra comparationem, etiam averſa parte, inſtar Verbaſci ſunt mollia. Tota planta pulcherrimo eſt aſpectu, grato virore floribúſque albis cum purpureo limbo nitet.

Viribus cum minori ſpecie planè convenit.

C. Bauhinus in Pinace Cardamomi præter Meleguetam ſeu Grana paradiſi quatuor ſpecies nimirum prædictas duas & tres. Cardamomum medium, Cordo in hiſt. mediocre dictum, figurâ oblongum, triquetrum, utrinque acuminatum, colore in candido fuſcum, quantitate grandi Avellanæ nuci æquale, majore Cardamomo minus, minore verò majus, ideóque mediocre nominatum, intus denſe in ſe farctis majoríque Cardamomo ſimilibus granis repletum, cortice conſtans venoſo, ſed multo tenuiore quàm majoris, in tribus ſuis angulis quibus maturum dehiſcit, ſingulas commiſſuras habens. Guſtu Cardamomo majori grana ejus reſpondent.

4. Cardamomum minimum; de quo J. Bauhinus, Aliud aſſignant, quod ſola magnitudine videtur à minore differre, eſt enim ſiliqua omnium minima, cæterum quid differat præterea non video.

Cardamomum Officinarum an idem ſit Cardamomo Veterum Græcorum ambigitur, aliis id affirmantibus, aliis negantibus; nobis veriſimilius videtur idem eſſe.

Meleguetam Grana Paradiſi Officinis dictam non eſſe Cardamomi ſpeciem, ſed fructum plantæ genere diverſæ affirmat Garcias. Cordus quoque errare eos ait qui dicunt Melegetam majus Cardamomum eſſe. Cardamomis enim tenuis miniméque fervens, ſed gratus ac jucundus eſt ſapor, Melegetæ verò Piperis inſtar acerrimus.

Abrahamus Muntingius in Hiſtoria plantarum Belgica duas deſcribit & depingit Cardamomi arboreſcentis ſpecies, primam vocat

Cardamomum arboreſcens majus Africanum.
Secundam Cardamomum arboreſcens minus Africanum.

CAP. XIV.

De Cyclamine ſeu Cyclamino.

CYclamen dicitur ἀπὸ τοῦ κύκλου, ab orbe ſeu circulo, tum ob folii circinatum ambitum, tum ob orbiculatum radicis bulbum. Vulgus panem porcinum vocat à forma radicum compreſſa panibus ſimili, quódque gratum ſuibus pabulum ſint.

Cyclamini notæ ſunt, radix orbiculata, caules præter floris pediculum nulli, flos pentapetalos, petalis reflexis & ad ungues junctis, ut revera monopetalos ſit.

1. *Cyclaminum Orientale*, Katmer Bouhour *Turcarum* Cornut.
Corn.

Pro *radice* cortice nigro obductum tuber habet ampliſſimum, quod infra ſupráque mediocriter ſubſidit, ut Rapum. Hujus media fere parte vulgari ſimiles ſed longiores extant pediculi, teretes, carnei coloris, quorum alii foliis, floribus ornantur alii: eodem enim momento ambo pullulant. *Folium* ederaceum eſt, nec anguloſum, in ambitu tenuiſſimè ſerratur: illud atropurpuraſcit à terra, ſupernè pingitur diverſa viriditate, in qua etiam albicant maculæ. *Flos* è calyce quinque foliolis compoſito exit. Varietas in eo multiplex eſt; fere quadruplex apud nos obſervatur: nunc quippe foliis quinq; tantùm conſtat flos, (alias purè candidus, alias coloſſinus & ima parte elegantiſſimè purpuraſcens) nunc foliorum numerus duplicatur, (quorum duplex quoque eſt differentia, aut enim flos iſte totus albus eſt, aut hujus pars infima purpureo colore fimbriatur.) Folia hæc longiora ſunt multò & anguſtiora noſtratium: initio quidem dum è calyce erumpunt ſimul intorta deorſum nutant, nec multò poſt latiùs diffuſa ſurſum reflectuntur, ac veluti corollam formant cui cavum odoratiſſimum ſubeſt, à quo ſingula folia profluunt; nec enim unum ſeorſim decidere poteſt, quin & univerſa concidant. In eodem cavo quinque *apices* ſubatri æquali intervallo disjuncti apparent; eidem cavo ità agglutinantur, vix ut ab eo divelli queant. Statim atque flos decidit, pediculi in ſpiram ſerpentium more convolvuntur, & *ſemen* progignunt rotunda capſula incluſum.

Floret Aprili. Semina Julio matureſcunt, & ferè quod anni reliquum eſt foliis deſtituitur. *Tempus.*

2. *Cyclaminus folio rotundiore vulgatior* J. B. *Cyclamen orbiculato folio, infernè purpuraſcente* C. B. *orbiculato folio* Ger. *Autumnale vulgare folio rotundo* Park. **Round-leaved Autumnal Sowbread.**

E globulari *radice*, tenuibus nigricantibúſque fibris prædita multa circinatæ propemodum rotunditatis profert *folia*, palmaribus plus minus pediculis hærentia, Aſari foliis ferè reſpondentia, non adeò tamen craſſa, ſupernè atro-virentia, aſperſis ſubinde maculis lacteis, infernè purpuraſcentia, nonnihil per margines ſinuata. *Flores* in longis pediculis nutantes, unico folio, ſed in quinque profundas lacinias diviſo, ſic ut plura videantur conſtantes, quæ ſeſe explicare incipientes ſurſum reflectuntur, coloris vel dilutiùs, vel ſaturatiùs purpuraſcentis, odoris ſuaviſſimi: ii marceſcentes integri decidunt, capitulúmque ſubſequitur cum pediculo cui inſidet in multas ſpiras ſe convolvens, donec terram attigerit, cui incumbens paullatim augeſcit; donec Violæ Martiæ ſeminarium vaſculum magnitudine æquat, quod maturitate ab extremo mucrone aperitur, *ſeménque* oſtendit inæquale, ex fuſco fulveſcens, quod terræ commiſſum in germen non abit, ſed in tuberculum aut radiculam convertitur, præter reliquorum ſeminum naturam, unde poſtea foliola promit.

Tempus. Sub æſtatis finem aut Autumni initium flores promit, deinde folia, quæ poſtquam tota hyeme perſtiterunt, ſub Aprilis finem aut Maio amittit.

Locus. Nulli ſunt Pannoniæ & Auſtræ ſylvoſi montes, nulli ſaltus, aut interdum in montium acclivitatibus uda prata quæ iis non abundent.

Nos in montibus Stiriacis, inque Allobrogicis propè Genevam obſervavimus, ubi Junio & Julio floret.

Cyclamen oblonga radice C. B. Cyclamini hujus caput interdum in longitudinem excreſcit, & in duo velut cornua dividitur, ut nos cum J. Bauhino obſervavimus cùm in Alpibus Stiriacis ejus radices aliquoties erueremus, ideóque C. Bauhinus fruſtra multiplicat ſpecies, cùm Cyclaminum longiùs radicatum & radice inſtar capitis arietini *Geſn.* ſpeciem ab hac diſtinctam facit. Conſule, ſi tibi ſatisfactum non ſit, J. Bauhini hiſtoriam.

Variat interdum hæc ſpecies floris colore albo.

Cyclamen orbiculato folio infernè ex viridi pallente C. B. *Cyclaminus odorato flore* 2. Cluſ.

Cluſ.

Priori planè ſimilis eſt, pauciora tamen ſemper folia proferre conſpicitur, eáque non purpuraſcentis ſubtus coloris, ſed albicantis quodammodo aut palleſcentis cui viridis miſtus, ut in Aſari averſis foliis.

Nos hanc à præcedente non ſeparamus.

3. *Cyclamen Hederæ folio* C. B. Lob. Ger. *folio anguloſo* J. B. *Autumnale foliis Hederæ* Park.

Dod.

Foliis, deſcribente Dodonæo, viret latis, anguloſis, ac hederæ ſimilibus, ambitu leviter ſerratis, ſuperiore parte in virore nigricantibus, albicantibus tamen maculis variegatis, & umbilico ſive medio folii ſubalbido, inferiore verò ac pronâ parte purpureis, & ſubinde colore ſaturato, aliàs dilutiore. *Floſculi* è tenellis pendent pediculis, deorſum nutantibus, foliis eorum ſurſum reflexis, & purpureo Violæ nigræ colore, non tamen intenſo ſplendent; odoris exigui; ſuccedunt *capitula* ſeminifera, in ſpiras pediculis contractis. *Radix* bulbi aut Rapæ modo in orbem circumacta, & aliquantulum in latitudinem preſſa, foris nigricat, intus candida, rugas inareſcens contrahit.

Locus. In collibus ſylvoſis non longè à Roma abundat, Septembri menſe florens. Naſcitur & in Veromanduorum, Verocaſſum ac Atrebatum finibus autore Dodonæo.

Hæc eſt illa ſpecies, quæ paſſim in hortis noſtris in Anglia colitur, flore purpureo & albo, Autumno florens, cujus ſemen vix ante æſtatem ſequentem ad maturitatem pervenit.

J. Bauhinus, quem non inviti ſequimur, huc refert

Cyclamini odorati varietatem duplicem Cluſ. *Cyclamen odoratum, æſtivo Solſtitio florens, folio maculato* C. B.

Quarum priori folia albis maculis obſcurè notata, averſâ parte rubentia, aliquantulum anguloſa, flores ſaturatiùs purpuraſcentes.

Alteri folia averſa parte virentia, adverſa maculis albis, iiſque valdè conſpicuis aſperſa, rotundiora ſuperioribus; flores ſaturatiores; utroſque autem ſuaviſſimi odoris, nares etiam procul ferientis.

Item, *Cyclamen folio hederaceo* πολυανθὲς C. B. *Byzantinum polyanthes* Cluſ.

Magno & palmaris latitudinis tubere, quod flores tulit 20, 50, 200, ſingulis annis.

Non aliter quàm magnitudine omnium partium, & florum ab eadem radice multitudine, ab Hederaceo Cyclamino vulgari differre videtur, à quo nec præcedens aliter differt quàm tempore florendi, & odore floris. Nos in Italia cùm eſſemus totâ æſtate florentes Cyclaminos obſervavimus, quos tum non aliter à vulgari folio hederaceo quàm florendi tempore differre arbitrabamur. Imò neq; quos verno tempore, initio ſci. Aprilis, florentes copioſos obſervavimus in montoſis, itinere à Maſſa ad Lucam, vel flore, vel folio ab Autumnali vulgari folio hederaceo differre viſi ſunt, ſed florendi tempore tantùm. Verùm quia plantas ipſas inter ſe non diligenter contulimus, nihil certò definire audemus. Eſto ergo (ſi cui videtur) Cyclaminus radice Caſtaneæ magnitudinis *C. B.* i. e. Cyclaminum Byzantinum *Cluſ.* à Cyclamino Autumnali hederæ folio ſpecie diverſum. Ejus autem radices (deſcribente Cluſio) valdè terſum expolitúmque corticem habebant, quæ ſtatim ante hyemem folia producebant, Cyclamini verni foliis ferè ſimilia, pronâ parte pulcherrimè purpuraſcentia, & ſupinâ candicantibus maculis inſignita, paucioribus tamen angulis prædita: Martio ſequente flores tulit: Verùm quoniam ſubſequentibus annis non tantùm folia, ſed nonnunquam etiam flores, mitiore præſertim aurâ, protulit, plurimùm hæſit Cluſius, & an Autumnali Cyclamino an Vernali attribueret, dubitavit.

Cyclaminus Byzantinus Cluſ.

Locus. Pluribus in locis montis *Capouladou* ſub buxis inter rupes reperiri hunc ait *D. Magnol*, præcipuè à la côte de *Sauvebelle* & *à las Cambrettes* Martio menſe cum floribus purpuraſcentibus & albis. Verùm Cluſius (ut vidimus) dubius hæſit, an Vernus eſſet an Autumnalis, quem Byzantinum vocat, Cyclaminus.

Cyclaminus parva radice *C. B. J. B.* & aliorum quænam planta ſit nos latet, & an à præcedentibus ſpecie diſtincta. De ea certè confusè & obſcurè ſcribunt Botanici.

4. *Cyclamen vernum* Lob. Ger. *folio anguloſo* C. B. *Cyclaminus flore rubro graciliore vernus* J. B.

Cluſ. Flores profert odoratiſſimos & vulgari ſaturatiores, paullóque graciliores: *folia* aliis minora, in ambitu ferè criſpa, & foliorum Hederæ formam imitantia, teneriora tamen, ſupinâ parte candicantibus maculis aſperſa, angulorum etiam mucronibus albicantibus, pronâ omninò purpuraſcentia.

Variat floris colore albo; cui Cluſius folia attribuit circinatæ ferè rotunditatis.

Lobelius commilitones ſuos flores luteos ad ſe attuliſſe meminit in Adv. *p.* 264.

5. *Cyclamen Antiochenum Autumnale flore purpureo duplici* Park.

Folia huic ſubrotunda Cyclamini æſtivi, minùs anguloſa, maculis albis plena. *Flores* perampli, decapetali interdum aut dodecapetali, colore florum Perſicæ aut Cyclamini verni purpurei, ad ungues ſaturatiore.

Quòd flores tot petalis luxurient accidentarium eſt; nam inveniuntur hujus generis uſitato petalorum numero.

CAP. XV.

Ornithogalo affinis radice tuberoſâ, Cyclamini folio C. bonæ ſpei Breyn.

Breyn. RAdice nititur tuberoſa, craſſa, pugnum pænè æquante, coloris purpurei obſoleti, infra in tubera alia, ut futuros hæredes diviſa. Ex qua *folia* inter Cyclaminis & Dracunculi paluſtris mediam faciem obtinentia, petiolis longis ſuffulta prodeunt, atro-viridia: inter quæ *caulis* ſeſquipedalis, rotundus, viridis, gracilis & penitus nudus exſurgit: quem à medio uſque ad extremum apicem confuſo ordine ambiunt longi pedicelli, *floſculos* parvos, ab Ornithogali Hiſp. minoris *Cluſ.* haud multò diverſos, ſuſtinentes, ſenis è candidulo cœruleis & ſubviridibus foliolis obſoletis conſtantes. Fructus non vidit Autor.

CAP. XVI.

Flos Indicus è violaceo fuſcus radice tuberoſa Ferrar.

Ferrar. RAdicis tuber effigie rapuli, colore eſt intus albo, extra ſubrufo, corpore binos ternóſve digitos lato, ſuperno infernóque umbilico anguſto, & nonnihil introrſum acto.

Septembri menſe in fictili primùm depoſitum, germinavit Octobri, tum verno tempore turgere cœpit in florem. *Folia* exeunt è tubere longa & ſæpe cubitalia, lata, nervoſa, ſtriata, gladii modo in mucronem exacuta, diluto virore albicantia, propter humum candida, rubríſque guttis interſtincta. Medius deinde ſcapus exilit, denſe ramuloſus, & bulboſæ iridis more articulatus, at brevioribus mucronatis foliis articulatim armatus: ut licet Iridem non nemo vocitet, Gladiolo tamen propior hæc planta videatur. *Flores* ſimplici Narciſſo grandiuſculo prorſus albo ſuppares, in ſex folia decuſſantur, ſubter vireſcentia, ſupra è violaceo fuſca, nativo tanquam holoſerico villoſa, furvis & velut fuligine obſitis, per ambitum cirris ſeu fimbriis criſpata & corrugata, atris albidíſque unguibus maculoſa, prominula linea intermeante diſtincta. Medium præterea *ſtylum* ſurrigunt ianthinis atque albicantibus maculis notatum, *ſtaminibus* tenuiſſimis in imo violaceis in ſummo luteolis capillatum, quaternis quoque majuſculis bifidis crocis exteriorem in decuſſem demiſſiùs digeſtis coronatum. A medio caule ad cacumen uſque ſummis è ramulis atque ex ipſo foliorum complexu menſe Martio atque Aprili particulatim exiſtunt: Medicamenti cujuſdam aut mellis excocti inelegantem odorem expirant. Diem aut paulo diutiùs vivunt, deinde contrahuntur & decidunt.

Mira eſt hujus tuberis fœtura; ex imo enim umbilico fibra prodit, modò longior, modò brevior, narciſſinæ inſtar candida & modicè craſſa, cujus ſumma pars & tuberculum paullatim ſoboleſcit. Quare factum eſt non ſemel, ut ejus fibræ jam corruptæ ſoluto nexu procul à matre præter morem natus fœtus inobſervato adhuc miraculo inveniretur: interdum quoque brevioris fibræ ligamine adhuc integro ſoboles matri cohærens & contigua, vel etiam de more adnata deprehenditur.

CAP. XVII.

Iris uvaria Promontorii bonæ ſpei Bod. à Stapel.

FLorem habet coloris phœnicei qui uvulis deorſum dependentibus capitelli vel cunei formam habet. *Caulis* bicubitalis, rotundus, fuſci coloris. *Folia* longa, digitum lata, utroque latere acuta.

Nobis ad Hyacinthum botryoden accedere videtur, minimè ad Iridem: verùm ob imperfectionem deſcriptionis quò referenda ſit certo definire nequeo.

CAP. XVIII.

De Aro.

DE Ari Etymo ità Lobelius, Quin ſi è Græco non ſit Ἄρον ἱερον, quaſi Sacrum, ut in Iride factum; plebecula quæ Barbam Aronis vocitat, videtur agnoſcere ex Palæſtino vernaculo & ornamento Aaronis Pontificis ſumptum.

Notæ Ari genericæ ſunt piſtillus in medio flore pro ſtylo nudus, flos monopetalos ſedi fructuum cohærens, bacciferum eſſe, fructus enim pulpa humidâ ſemina ambiente conſtat. Foliis integris & minùs diſſectis à Dracontio differt.

Dracontium à caule Serpentini pellis inſtar maculato dicitur.

A. 1. *Arum* J. B. *vulgare* Ger. *vulgare maculatum & non maculatum* Park. *Arum* 2. *&* 3. *ſive maculatum maculis candidis vel nigris, & vulgare non maculatum* C. B. **Wake-Robin, Cuckow-pint.**

Radice eſt tuberoſa, teretiuſcula, oblonga, tranſverſa, fibras undiq; in terram demittente, intus candida, pollicem craſſa, tuberculis è lateribus egerminantibus ſe propagante: è cujus altero extremo folia unà cum caule tria vel quatuor, rariùs quinque exeunt, quibus hyeme marceſcentibus vere inſequente è contrario extremo nova folia germinant. Sunt autem *folia* oblonga, triangula, Sagittæ dictæ, ſed latio a, minúſque alata, lævia, ſupra infráque ſplendentia, ſed hinc minus, indè magis viridantia, maculis nigris interdum reſperſa, guſtu, ut & radix, acerrimo, & linguam acûs inſtar tranſadigente ídque per longum tempus poſtquam guſtaveris: inter quæ *caulis* exſurgit palmaris, teres, ſtriatus, in cujus faſtigio è membranea vaginâ, longâ prominet piſtillum nudum, oblongum, atro-purpureum, infima parte apicularum coronâ arctè cinctum, ſub qua racemus baccarum, per maturitatem miniato colore pictarum, denſo ſtipatu confertarum Vagina membranacea & piſtillus quum aliquandiu duraverint, marceſcunt & decidunt.

Locus. Ad ſepes & in umbroſis primo vere exit ubiq; ferè.

Vires. Ari cujuſcunq; ſed præcipuè maculati, radix inſigni acrimonia pollet, ita ut ſemel guſtata verno tempore cùm ſucco maxime turget, integro die linguam vellicet. Quantumvis autem acris ſit, ſi penitus exſiccata fuerit & aliquandiu aſſervata, acrimoniam omnem amittit & inſipida evadit.

Radices omnium dum teneræ ſunt lacteum ſuccum ſtillant inciſæ.

*7 *Hiſt.* 11. Ari radices & folia, teſtibus * Theophraſto & Dioſcoride, olim cibum præbuerunt ſatis gratum, ſed priùs in aceto coquebantur ad acrimoniam tollendam. *Non credo noſtratis Ari radicem, quæ propè cauſtica eſt, ulla in Aceto maceratione fieri poſſe eſculentam.*

* 2 *Aliment.* 63. Arum, quod * Galenus in Ægypto edule eſſe ait inſtar raporum, proculdubio erat genus illud quod Colocaſiam vulgò vocant: & tamen monuit me D. *Tancredus Robinſon*, ex obſervatione Helbigii ex Indiâ reducis, Radicem Ari coctam ab Indis quibuſdam loco panis haberi: maximam enim & craſſiſſimam ibi creſcere. Fortè intelligit Colocaſiam dictam, quæ revera Ari ſpecies eſt, & in India Orientali copioſè oritur, ex qua & Indi Javanenſes, Malaii, Chinenſes panem conficiunt; referente Bontio: qui hæc de ea ſcripſit. Alpinus Colocaſiam edulem eſſè ait, quod quidem verum eſt, ſed cum cautione eſt intelligendum, nè ignarus quidam vitæ periculum incurrat, cùm planta hæc naturâ ſuâ venenata ſit. Itaq; radices ejus craſſas & in taleolas diſciſſas Javani per triduum aut quatriduum in profluenti macerant, ut mucilaginoſa quæ in iis eſt ſubſtantia abluatur. Nam in hac mucilagine deleteria ejus vis conſiſtit. Tunc expreſſas torculari eaſdem radices Soli ſiccandas exponunt, & dein eas in pollinem terentes, placentas ex iis loco panis & oryzæ conficiunt. Prætere a dum hanc radicem coquunt, ejus decoctum abjiciunt, & additâ aquâ recenti recoquunt, & tam iis quoq; veſcuntur cum aceto & oleo nucis Indicæ & pipere: ut nos radicibus Betæ rubræ.

In Febre quotidiana continua loco digeſtivi palmam aliis præripit Fæcula radicis Ari. *D. Soame* è Dolæi Lib. 3. C. 14. S. 18.

Radix, ejus maximè quod maculata habet folia, ſive ſicca, ſive recens, tuſa, ac ad minus drachmæ pondere ſumpta, remedium eſt præſentiſſimum ac minimè fallax adversùs venenum & peſtem: quidam tantundem addunt Theriacæ. *Trag.* & paulo poſt, ad peſtem & Anthracem vix præſtantiorem ac ſalubriorem herbam novi quàm folia Ari recentia impoſita.

Decocta radix melle excepta medetur pectoris morbis omnibus pituitoſis; expectorat enim validiſſimè craſſas lentáſque exſcreationes, adeóque aſthmaticos maximè juvat: hernias curat, & urinas ciet.

Eadem ſiccata inſigne medicamentum eſt in Scorbuto; nec minùs efficax in affectibus lienis & uteri, frigidis; præſertim in flatibus. *D. Needham.*

Ad Arthritidem, ℞ fol. Ari, contundantur & cum ſtercore vaccino applicentur calidé. Valdè proſunt, inquit Matthiolus.

Noſtrates mulieres ex Ari radicibus ſtillatitias aquas ad fucum parant, quas ad faciem erugandum illuſtrandúmque magnis laudibus efferunt.

Id quod etiam efficacius præſtat inſolatus radicum ſuccus, ceruſſæ ſpeciem referens, quem *Gerſa* corrupto ut videtur à Ceruſſa nomine vulgò vocant: is ſiquidem mirum in modum cuti ſplendorem & nitorem conciliat. *Matth.*

Hujus herbâ & radicibus circa *Maidſton* Cantiani agri non ignobile oppidum ad linteamina mundanda ſaponis loco, aut certè eidem admixtis utuntur. *D. Phil. Skippon.*

Radices Ari cum floribus Sulphuris commixtas B. Beynon, miſericors ille Samaritanus tanquam ſummum remedium, dum adhuc viveret nobis in Phthiſi revelavit. Dolæus L. 1. C. 5. S. 16. D. *Soame.*

2. *Arum venis albis* C. B. *magnum rotundiore folio* Park. *majus Veronenſe* Lob.

Foliis eſt viridibus, venis albis diſtinctis, quàm Ari vulgaris duplo majoribus, & in hyemem uſq; durantibus, aliàs Aro vulgari ſimillimis. Acini, (obſervante Dodonæo) minùs ſaturato, ſed ad croci inclinante colore rubent. Cætera Aro vulgari reſpondent.

Primò in inſulis circa Venetias ſe nobis in conſpectum dedit, etiam Novembri menſe virens: poſtea in Lombardia peregrinantibus occurrebat. *Locus.*

3. *Arum Byzantinum* Cluſ. J. B. C. B. Park. *Dracontium minus* Ger. quoad icon.

Cluſ.

Hujus *folia*, referente Cluſio, primis duobus annis poſtquam tuber Conſtantinopoli acceperat, ad Ariſari latifolii folia ſatis accedebant, nec valdè mucronata erant, ſed potiùs orbicularem figuram referebant, nec radix valde diſſimilis. Verùm poſtquam ea augeri cœpit, digitalem longitudinem adquiſivit, multis tuberculis inæqualem, & uncialem aut ampliorem craſſitudinem, multáſque proles adnatas habuit: *folia* item protulit longè majora, ad Ari foliorum formam plurimùm accedentia, nec illis minùs ſplendentia ſupernè & infernè. Interdum ante brumam folia emittit. In vernis foliis quandam differentiam obſervavit Cluſius, quod ad formam & figuram attinet, ſunt enim illa prorſus ſimilis formæ, ſed inæqualis magnitudinis: & in quibuſdam plantis licet ex eadem matre abruptis folia erat nigris aliquot exilibus maculis diſtincta, alia minimè: tum etiam flos colore variat, nam plantæ maculis nigris notata folia habentes penicillum purpureum folliculo incluſum habuerunt, aliæ verò candicantem, atq; poſtremæ folia ante hyemem plerunq; germinare ſolebant, alterius novo vere duntaxat.

4. *Arum montanum* Alpin. exot.

Alpin.

Radices majores quàm in hactenus deſcriptis Ari ſpeciebus, radiculis fibroſis aliíſque prorſus parvis Colocaſiis ſtrongylorhizis perſimiles, ſex ſeptémve ad plus ſingulæ folia producunt ampla, longis pediculis prædita, ad Perſonatiæ quam Ari vulgaris magis accedentia, elegantioríſque viriditatis: inter quæ caulis exit rectus, dodrantalis, craſſitie ferè digiti minoris, cum involucro Ari vaginæ ſimili, ſed longiore & latiore cum flore Ari & fructibus, ſed longè minoribus. *Radix* rotunda, & in germen ad acutum declinans, exteriùs tenui cute tegitur ad obſcurum fulveſcente, intus candida, eximiæ acrimoniæ: exteriùs etiam quoſdam globulos parvos per totam ſuperficiem ſparſos habet, qui ſuo tempore germinant, non ſecus quàm in Colocaſiis.

5. *Arum maximum Ægyptiacum, quod vulgò Colocaſia* C. B. *Ar. Ægypt. rotunda & longa radice, vulgò Colocaſia dicta* Park. *Colocaſia* Cluſ. J. B. *Ægyptiacum* Ger.

Radix tuberoſa, craſſa, magna, Cluſio & J. Bauhino duplex, altera alteri impoſita, intercedente cervice ut lagenulam imitari videatur. [P. Alpinus radices duplicis figuræ obſervavit quaſdam longas, quaſdam rotundas, magnitudine mali Cotonei; hæ exteriùs rubeſcunt, intus candicant, & guſtu acres cum adſtrictione obſervantur.] Veſca, intus alba, fibris adnatis ſe propagans. *Folia* terna aut quaterna Nymphææ foliorum figura, & magnitudine, longis, utrinque ſubrotundis alis ſimiliter donata, craſſa, lævia, ſed averſa parte nervi obliqui in margines excurrunt craſſiuſculi, à nervo per longum diſcurſante producti, quos venulæ intercedunt undatim: pediculus autem craſſus non extremo folio, ſed aliquot digitos integro folio inſeritur.

Hæc in locis natalibus Ægypto, Creta & Cypro inſulis, ubi ſponte & copioſiſſimè provenit nunquam florere dicitur. Alpino, Bellonio aliíſque atteſtantibus ſe nunquam, licet ſedulo perquiſiverint in Ægypto florentem vidiſſe, nec ab aliis obſervatam audiviſſe, Ægyptiis eos deridentibus qui rogârunt ut flores fructuſque Colocaſiarum ipſis oſtenderent, quòd videlicet eam flore omni & fructu deſtitutam eſſe ſe compertum habere crederent. Verùm quòd in Italia interdum floreat, tum viri doctiſſimi Fer. Imperatus & Fab. Columna Alpinum monuerunt, tum experientia propria olim contra ſentientem convicit.

Huic plantæ in ſecretiori Alpini horto primùm *cauliculus* exiit rectus, rotundus, Aſparagi craſſitie, cum foliis ejuſdem concolor, in cujus apice vagina ſeu involucrum longum Ari involucris ſimillimum

mum cernebatur, minus quàm in Aro, in ſubtile admodum deſinens, undique clauſum, coloris aurei cui viride ſit permixtum. Quod biduo ſeſe per longum explicuit, florémq; excuſit digiti minoris longitudine, macropiperis craſſitie, colore candido, ac veluti ſerpentis caudam, quaſi ſerpentis linguam foris ex ore exortam ſimulantem. Quæ Columna habet de hujuſce plantæ floribus à ſe obſervatis cum Alpini relatione non bene conveniunt, ea ergo in medium proferemus: Proprium (inquit) habet hæc planta quod non profert caulem, ſed ejus vice emittit primo folium, quodam folliculi modo, quod à reliquis foliis diſtinguit petiolus in imo ab aliis, nam qui flores editurus eſt ima parte folliculoſius eſt: Proprium etiam habet quòd non unicum florem, ſed plures emittit, illóſq; ternos ex ſingulis foliorum imis folliculoſis petiolis, effigie vulgaris Ari noſtratis, cucullata, non ità cava, anguſtifolia Ariſaro proxima, medium habentes julum erectum, in tenuitatem abeuntem, ſemipedalem, & deinde in botrum acinoſum ut in Aro, ſed omnia oblongiora & anguſtiora & læviora, colore etiam dilutiore, ac odorata, grato odore inter Lilium & Narciſſum, triduóque marceſcunt, incipientes ab imo florere, paulatímque emergentes unus poſt alium. Fructum acinoſum pallentem in Italia nunquam ad perfectam maturitatem perduxiſſe audivit P. Alpinus.

Radicem Columna deſcribit bulboſam, magnam, Scillæ æmulam in vetuſtiore, foris rufeſcentem, intus candicantem, bulbulis ſe obliquè propagantem, non Arundinaceam, geniculis aſperis, ſed lævem & orbiculatam.

Alpinus radices formâ differre obſervavit: ac alteram quidem μακρόῤῥιζαν, alteram στρογγυλόῤῥιζαν, i. e. longâ & rotundâ radice præditam. Macrorrhizæ folia longè minora cernuntur, tenuiora & magis in acutum deſinentia, coloriſq; virentis dilutioris; pediculi itidem ſunt longè ſubtiliores, guſtûs multò acrioris acutioríſque. *Radix* verò longè gracilior, exteriùs obſcurior intus non ita alba ut alterius; ſaporis itidem acrioris: quin & recta in terram deſcendere videtur, veluti Betæ radix. Hanc ſpeciem non admodum frequentem eſſe tradit, nec unquam, quod audiverit, in Italia florem produxiſſe.

Rotundæ à prioribus differre viſæ ſunt, quod iis longè majores in latitudine quadantenus fuerint, & veluti compreſſæ & latæ, quæ id proprium habent, ut non omnes in apicis radicis medio germinent, at circumcirca, nihil germinis in apicis radicis medio producentes: [priùs dixerat quod germinent harum nonnullæ in apicis radicis medio, ut omnes aliæ bulboſæ faciunt: Columnæ quoq; radix hujus plantæ bulboſa eſt.]

Hujus radix & tota planta acris eſt, non alio quàm Ari modo, quamvis mitior, & ideo in cibo & aliis ejus uſus eſt. Differt ab Aro vulgari, quòd Julus medius eſt floſculis ornatus dimidia ima parte, & reliquâ in tenuitatem abit, in vulgato verò Julus in imo tenuis & in ſummo craſſior, piſtilli figurâ, abſque floſculis, ſed lævis. Hanc ergo plantam non eſſe Colocaſiam ſeu Fabam Ægyptiam Antiquorum manifeſtius eſt, quàm ut contrariæ opinioni refutandæ tempus inſumere operæ pretium ſit. Vide ſi placet F. Columnam de hac re. Nomen Ægyptiacum *Culcas* Recentiores ut ità ſentirent induxiſſe videtur.

Locus. Planta hæc in rivulis & aquoſis apud Ægyptios ſponte oritur, qui magnâ curâ & diligentiâ eam colunt. At neq; in Ægypto duntaxat ſpontanea eſt, ſed & in Creta, obſervante Bellonio, & in Syria, referente Rauwolfio: atq; etiam in Cypro, & Sicilia ut alii annotârunt; quin & in Italia, agro Salernitano frequentem invenit in quadam vallecula F. Donatus de Eremita, aquoſo loco declivi ſupra portam dictam *dell' Annunciata*, ut refert F. Columna.

Radix in Ægypto, Syria, aliiſque regionibus Orientalibus in cibis expetitur, eâq; coctâ frequenter veſcuntur incolæ, nec minor hominum numerus eâ ali dicitur quàm in Germania rapis, (licet illis & flavâ Paſtinacâ non careant) quibus tamen minùs grata ſit. Addit F. Columna radicem hanc Neapoli à Turcis & Africanis mancipiis expeti, atque in cibo celebrari. Bontius naturâ ſuâ venenatam eſſe ſcribit nec niſi aquâ per triduum maceretur, edulem eſſe.

6. *Dracunculus aquaticus* Ger. J. B. *noſter aquaticus* Park. *paluſtris ſive radice arundinacea Plinii* C. B.

J. B.

Non bulboſam, aliorum Dracunculorum Aríque more *radicem* habet, ſed digitalis craſſitudinis, prælongam, geniculatam, tranſverſo ſitu limoſo paluſtrium locorum ſolo incumbentem, cui figitur ex articulis demiſſa fibrarum ſobole numeroſa, boſtrychi ſeu cincinni inſtar. *Folia* ex eiſdem enaſcuntur, pediculis dodrantalibus hærentia, Hederaceis paria [imo majora] figurâ quoq; ſimilia, nullis per ambitum angulis, in acutum deſinentia, polita, venoſa. In folii ſinu quod ſummo cauli innaſcitur racemus comprehenditur ei ſimilis quem Aron profert. Dodonæo fructus initio quidem exiguis candidíſque ſtaminibus, quæ pro flore ſunt circundatus excreſcit, indè in racemum, primùm viridem, cùm maturuit rubentem. Naſcitur juxta rivulos & in foſſis paludoſis.

Locus. Nos in foſſis paluſtribus propè *Sevenbuys* Hollandiæ obſervavimus.

7. *Arum Orientale* Ardabar *dictum Zanon.* hiſt. bot. cap. 12.

Hæc herba (deſcribente P. Matthæo) facit radicem ſimilem Aro vulg. cum aliquibus parvis radicibus appenſis. Ex hac naſcitur virga aculeis viridibus circundata, quæ extollitur ad ſex palmos; In vertice gignit pyramidem, ex baccis viridibus compoſitam ad ſimilitudinem cupreſſi, quæ dum ſunt maturæ rubeſcunt cum palla in medio. *Folia* ſunt duo, & à radice unde habent originem, æqualiter extolluntur, unum in aliud inſitum, ex quorum medio exit virga vel caulis habens folia ad formam ſemicirculi, coloris qui in viridi rubeſcit, nigris maculis aſperſa, & ſunt pulcherrima viſu, Fructus & radix ſunt calidiſſima, quibus Indi utuntur contra morbos frigidos.

Pater Matthæus obſervavit hanc plantam in horto D. Salada in Artaſa, in urbe Balſora, quæ ad Euphratem ſita eſt.

Ob inſolitam & enormem foliorum figuram ſuſpecta eſt nobis hæc planta.

8. *Arum Indicum* Rumphal *dictum Zanoni* Hiſt. bot. cap. 92.

Rumphal vulgò dicitur Ignome; producit florem oblongum, unico folio, pictum ad modum Tuppe coloris flavi, ex rubro maculatum, odoris acuti, ex cujus medio exit lingua ad modum Serpentis, ſed non pictum, coloris ſubflavi: truncus altus, æqualiter maculatus, coloris ſupradicti: ſuccus ebibitus noxius eſt: utuntur radicibus ad ſanandos morſus ſerpentum, ſi vulnus eſt recens: quod *Vires.* ſi non ferro vulnus iterum aperiunt & ſic curant.

Eſt etiam remedium inſigne trita & impoſita ſupra partem morbo Gallico affectam: expurgat enim & ſanat.

9. *Ariſarum latifolium* Park. Ger. *latifolium quibuſdam* J. B. *latifolium alterum* C. B. *item latifolium majus* ejuſdem. **The broad leaved Friars Cowl.**

Cluſ.

Hederæ aut Smilacis ferè folia habet, tria aut quatuor, viridia, mollia, ſatis tamen carnoſa, acris ſaporis, oblongo pediculo innixa, anteriore parte quà pediculo adhærent, utrinq; pinnata, Ari foliorum æmula, ſed obtuſioribus & quaſi orbiculatis angulis: inter quæ pediculus duas uncias longus, multis rubris maculis diſtinctus emergit, cui oblongus *flos* inſidet, monachalis cuculli ſive Ariſtolochiæ floris modo efformatus, amplior tamen, extremâ parte fuſci coloris, qui deorſum radiatim tendit, in cæteris albus caninum olens, piſtillum obtuſum incurvum, & veluti ex cucullo proſpiciens continens. *Radix* rotunda, globoſa, Aro minor, foris nigricans intus alba, aliquando etiam tuberoſa & oblonga, initio dulcis, deinde acris, minùs tamen Ari radice (licet Veteres contra ſentiant) fibris aliquot ſupra eam expanſis, ut in Orchidibus.

Aliud etiam ejus genus invenitur paullò amplioribus foliis, & rotundioribus aliquantulum atque *Varietas.* mollioribus, pluribus tuberculis ſe propagans, oblongáſq; & craſſas radiculas ſæpiùs in latum obliquum ſpargens.

Fructum non deſcribit Cluſius, at neq; nos obſervavimus. In aggeribus ſepium & umbroſis, itinere à Maſſa ad Lucam copioſam vidimus, Aprilis initio florentem: poſtea etiam in Gallo-provincia, non longè à Tolona portu, ad montium latera. Cluſius in collibus Luſitaniæ frequens, ſalebroſo & lapidoſo ſolo, ad ſepes & juxta vias obſervavit, &c. Frigoris admodum impatiens eſt, neque in hortos noſtros tranſlatum floret.

10. *Ariſarum anguſtifolium* J. B. Ger. *longifolium* Park. *anguſtifolium, Dioſcoridis fortè* C. B.

Cluſ.

Folia longa ſunt & anguſta, inſtar ferè Plantaginis anguſtifoliæ foliorum, viridia, ſplendentia, quina aut ſena: poſt quæ *flos* ſeu cucullus longior & mucronatus, retrorſum inflexus & albicans prodit; è cujus rima oblongus veluti vermis exilit, ſpithamæ interdum longitudine, inflexus, coloris aut purpuraſcentis, aut ex purpura vireſcentis, non ille quidem obtuſus extima parte, ſed mucronatus: *Fructus*, racemi inſtar confertus, albus, vix terrâ emergens, ſuo tempore ſubſequitur. Vivax magis eſt quàm ſuperius, neq; tantâ curâ indiget.

In agro Romano inveniri aiunt ſpontaneum Cluſius ab Imperato accepit miſſum Neapoli: ipſe *Locus.* ſponte naſcens non vidit, uti neq; nos.

Fructum in horto noſtro vere tandem è terra protulit.

Cap. XIX.

De Dracontio.

DRacontium ſive Serpentaria à caule Serpentinæ pellis inſtar maculoſo nomen traxit. Foliis multifidis ſeu in plures lacinias diviſis, caule maculato, ſeu membranaceo folliculo maculoſe inferiùs veſtito, ab Aro diſtinguitur.

1. *Dracontium majus* Ger. *Dracunculus major vulgaris* J. B. Park. *polyphyllos* C. B. **Dragons.**

J. B.

Dracunculo majori profundè in terram depacta *radix* eſt, ferè orbiculata, volam implens, cujus lateribus parvi bulbi plures, quibus ſe propagat adnaſci conſueverunt, foris colore buxeo, intus candido, ſapore fervido. *Caulis* unicus, rectus, pollicaris & craſſior, cubitos duos altus, maculoſa colubri tergora affabrè mentiens, è tunicis convolutis conſtans: ipſa verò *folia* pediculis dodrantalibus fungoſis donata, in ſegmenta digitata finduntur, lævore & ſplendore Ari, craſſitie & colore pari: è quorum medio eluctatus caulis vix digiti minimi craſſitudinem æquat, è cujus ſcapo vagina pedalis exit, coloris foris herbacei, intus in purpura rubentis, è ſinu piſtillum promens nigrum, Ari piſtillo majus, in mucronem acutiorem deſinens: ſubſequitur fructus racemoſus, granis per maturitatem rubentibus. Odor floris valdè fœtidus.

2. *Dracontium polyphyllon caule non maculato N. D.* Hort. Lugd. Bat.

3. *Serpentaria major ſeu Dracunculus major polyphyllos Braſilienſis* Marggr.

Caulibus aſſurgit ad duorum pedum altitudinem, rotundis, digitum craſſis, ex viridi, flavo & albo variegatis inſtar Serpentis: quilibet folium gerit circumferentiâ folii Pæoniæ, in quatuor aut quinq; lacinias diſſectum, continetque quælibet lacinia nervum craſſum, & variè in ambitum exſectum eſt pluſquam Hieracii aut Chondrillæ folia; ſunt autem folia glabra & viridia. Inter folia exſurgit caulis florem ſuſtinens, ut in reliquis, è cujus ſummitate prodit vagina, pedem aut ampliùs longa, plus quinque digit. craſſa, in extremo acuminata, quæ ſe aperiens pediculum ſatis craſſum monſtrat, ad quem ſpicæ in modum, ut in Milio Indico, compoſita ſunt grana, Milii magnitudine, ſtriata, rotunda, ſucculenta, quinque aut ſex particulis compoſita, primò viridia, hinc flava, & punctulis rubris ſubtilibus variegata, ubi maturuerunt rubra. In his granis continetur *ſemen* figuræ ovalis, nuclei interioris Ceraſi magnitudine. *Radix* rotunda eſt, pomum majus æquans aut etiam ſuperans, cuticula ex albo rufeſcente tecta, ſuperiùs ubi caules erumpunt multa habens filamenta. Saporis eſt acris inſtar Ari.

4. *Serpentaria triphylla Braſiliana* C. B.

Imperfectè deſcribitur à C. Bauhino in Prodromo. Nos ergo deſcriptionem ejus è *D. Dodart* ſupplebimus.

Radix rotunda à capite ſeu ſumma parte multas tenues, albicantes fibras emittit. Caulis inferiùs membranâ laxâ maculoſâ tegitur, Folia Ari ſimilia. C. Bauhinus folia & florem ità deſcribit, Folii pediculus palmaris & lævis, in cujus ſummo folium tenue, albidè virens, fibroſum, ſubrotundum, trifidum, in exquiſitum apicem deſinens, duabus partibus inferioribus, & quidem infernè ſinum obtinens, quorum quodlibet uncias binas cum dimidia latum, longitudine verò uncias quatuor ſuperat. Flos Serpentariæ majoris formâ, ſimiliter pediculo triunciali donatus, longitudine unciarum quinque, latitudine ſeſcunciali, atro-rubens, ſtriatus, venis albicantibus per medium maximè extrinſecus excurrentibus, piſtillo nigricante, oblongo, ex rufo fuſco *D. Dodart* tres digitos longo, quod ſpicam tandem producit è parvis rubicundis granis compoſitam membranis longis foliaceis cinctis.

Radix inſipida eſt, reliquæ partes guſtanti initio dulcia, verùm aliquandiu maſticata acerrima. Umbrâ gaudet per hyemem reponenda: à Canada miſſa.

CAP. XX.

De Orchide in genere.

ORchis i. e. Teſticulus, cur dictum ſit hoc Plantæ genus, neminem qui ejus radices unquam eruerit latere poteſt: Quod ſi quem fortè lateat, Spigelium attendat in *Iſagoge ad rem herbariam* rationem reddentem his verbis. *Cunctæ herbæ quæ bulboſas binas* aut *ternas habent radices inſtar teſticulorum, ſemen humanum quodammodo redolentes, Orchides cenſentur.*

Satyrium à Satyris dicitur ob incendium libidinis, quòd Veneris incentivum, ut vocant, eſſet præ reliquis bulbis. Satyria dicuntur quibus unicus eſt bulbus, Orchides quibus geminæ, autore Dioſcoride. Spigelius, neſcio quo autore, *Satyrium propriè dici* ait *quod ternas habet radices, Orchidum radicibus ſimiles, unam quæ ſurſum erigitur virilis membri formâ, duas alias inferiùs, ex eodem initio teſticulorum modo dependentes.* Quod ſi verum ſit, nulla fortaſſe, certè pauciſſima, erunt Satyria.

Cæterum cùm Orchidum hiſtoria magna confuſione & obſcuritate laboret, partim ob multitudinem ſpecierum, & nonnullarum etiam ſimilitudinem, partim ob earum apud botanicos deſcriptiones, adeò breves interdum & generales ut & una pluribus, & plures uni alicui ſpeciei accommodari poſſint; unde perſpicaciſſimum quemque & in his ſtudiis verſatiſſimum perſæpe torqueant & perplexum reddant neceſſe eſt: At neque icones nos expediant, vel quia minus diligenter pictæ, vel quia notæ quibus cognatæ inter ſe diſtingui poſſent picturâ exprimi nequeant: Nos ut lucem ei aliquam fœneremur, certa & clara, nobiſque penitus perſpecta ab ambiguis & obſcuris, quæ Oedipo cuidam enodanda relinquimus, diſtinguemus.

§. I. *De Orchide teſticulata, quæ vel geminum, vel ſimplicem, vel interdum triplicem habet bulbum ſubrotundum in digitos minimè diviſum.*

A. 1. *Orchis barbata fœtida* J. B. *Tragorchis maximus & Trag. mas* Ger. *Tr. maxima & Tr. vulgaris* Park. *Orchis fœtida* 1. *ſeu barbata odore hirci, breviore latioreque folio* C. B. *item* 2. *ſeu odore hirci, longiore anguſtioreque folio* ejuſdem. **The Lizard-flower, or great Goats ſtones.** **J. B.**

Hujus *bulbi* & reliquæ plantæ partes, ſi cùm congeneribus conferantur, plerunque majores videntur, quippe cùm bulbos Juglandem unà cum ſuo callo carnoſo æquantes magnitudine obſervaverimus.

mus. ***Folia*** multa, magna, Liliacea, lævia, & à radice, & in caule ad ipſam uſque ſpicam ferè nata. ***Caulis*** craſſus ſpicam denſam ſuſtinet ***florum*** fœtidorum: quorum ſinguli pediculo viridi (cui appoſitum foliolum ſextante longius) intorto, ventricoſo inſident, calcari admodum brevi & viridi, galeâ & alis foris ex albo virentibus, intus purpuraſcentibus punctis & ſtriis notato. A labello exteriùs albido, interiùs purpurâ punctato aruncus demittitur, triplici cincinno viridanti compoſitus, quorum laterales criſpi brevioréſque & convoluti interdum, medius longior, bifidus propendet. Odor gravis & viroſus. ***Semen*** in valvulis oblongis ſtriatis perexiguum.

Solo pinguiſſimo naſcitur *Lobel.* Floret circa finem Maii, & ferè uſque ad medium Junii. Provenit in collibus muſcoſis, præſertim inter umbroſas convalles. *J. B.* In Cantio viâ quæ à *Crayford* ad *Derford* oppidum ducit invenit *D. Bowles.* Cur Jo. Bauhinus, quem ſequimur, non ſeparet Orchin fœtidam 1. & 2. *C. B.* apud ipſum vide. ***Tempus & Locus.***

2. *Tragorchis minor flore fuliginoſo* **J. B.** *Tr. minor & verior* **Park.** *Orchis odore hirci minor* **C. B.** *Tragorchis fœmina* Ger.

Geminum habet ***bulbum***, mediocrem, rotundum, alterum ſuperiùs, alterum inferiùs ſitum, ut in aliis ferè fit. ***Caulis*** plerunque pedalis, ab imo ad ſummum uſque ***foliis*** veſtitus, longis, anguſtis, acutis, carinatis, quæ ſinu ſuo ipſum amplectuntur: in nonnullis plantis decem vel duodecim folia numeravi. Summo cauli inſidet ſpica florum congeſta, duos digitos longa, obſoletâ purpurâ tincta. Singulis floſculis ad pediculi exortum apponitur folium ſatis longum. ***Floſculi*** ipſi parvi pediculis inſident brevibus, adeóque contortis, ut calcaria velut amplectantur. Galea, ut in aliis, quinque componitur foliolis adeò arctè conniventibus & velut agglutinatis, ut una & continua lamina videantur. Labellum breve eſt, retrorſum flexum, magis etiam quam in ulla alia quam hactenus viderim Orchidis ſpecie, in medio ſeu rictu ipſo punctulis purpureis aſperſum. Dividitur autem in tres lacinias ſatis latas, quarum media longiſſima eſt: Color laciniarum ex herbaceo nigricans ſeu fuliginoſus. Odor cimicum ingratus.

Florentem invenimus Maii 26. prope Genevam in paſcuis trans Rhodanum. ***Locus.***

Orchis illa quam Cluſius in pratis urbi Londinenſi proximis eruebat, ſpicâ florum purpureorum, teterrimi odoris, quænam fuerit ignoramus: nihil ejuſmodi nobis unquam occurrit, neque in pratis circa Londinum neque alibi in Anglia.

Orchin Batavicam vi. *Cluſ. hiſt.* quam ingrati odoris eſſe ſcribit, nec ineptè Tragorchin minorem nuncupari poſſe, caule dodrantali, tribus quatuorve anguſtis foliis cincto, ſpicam ſuſtinente florum elegantis exteriùs rubri coloris internè verò paulò dilutioris, trifido labro propendente, Orchidi noſtræ ſerotinæ purpureæ ſpica congeſta pyramidali eandem cenſeo. Nam & ipſe Cluſius hanc in hortos tranſlatam latiùs explicare florum comam, in metæ quaſi formam deſinentem ſcribit.

3. *Orchis ſtrateumatica* Ger. *ſtrat. major* **J. B.** *militaris ſive ſtrateumatica major* **Park.** *latifolia altera* Cluſ. *Cynoſo Orchis militaris major* **C. B.**

J. B.

Caule eſt eminenti, [pæne cubitali *Cluſ.*] folio ampliſſimo, i.e. longo ſimul & lato, & ſubrotundo inter initia. ***Flos*** intus candidus, maculis purpureis interſtinctus, foris velut fibris purpureis ac citrinis impenſiùs rubens. [Cluſius exalbidam Galeam Orchidi ſuæ latifoliæ alteri attribuit.]

Hujus (inquit J. Bauhinus) provenit uberior in ſylvula Floridæ vallis. Erumpit menſe Decembri, floret autem Maii auſpiciis ad finem uſque. In ſylvis *Nemethwywar* oppido vicinis & in Leytano ſaltu ſupra *Manderſtorf* obſervavit Cluſius.

Meritò quærit J. Bauhinus cur frater C. Bauhinus Orchidem latifoliam alteram *Cluſ.* bifoliam vocet, cùm Cluſius talem eſſe non ſcribat, quin iconem cui multa folia pro ea ponit, quæ à Lobelio ſtrateumatica dicitur. C. Bauhinus tamen Orchidem pſychodem diphyllam *Lob.* hujus ſynonymam facit, & ſtrateumaticam *Lob.* (cujus icon eadem eſt cum Cluſiana Orchidis latifoliæ alterius, ut diximus) Orchidis ſuæ militaris majoris ſynonymam facit. Nos certè hæc non intelligimus. C. Bauhinus per inadvertentiam Orchidem latifoliam alteram Cluſii bis ponit, primò pro ſynonymo Orchidis bifoliæ alterius erroneè; deinde pro Synonymo Cynoſorchidis militaris majoris.

4. *Orchis bifolia latiſſima* **C. B.** *Serapias bifol. latiſſima* **Park.** 1. *ampliſſimis foliis* Cluſ. *An Orchis altera pſychodes diphylla* Lob? *i. e. Hermaphroditica ſecunda* C. Gemmæ.

Cluſ.

Bina habet folia, Ellebori albi foliis magnitudine non cedentia, aliquot venis à pediculo ad extremum uſque folium productis ſimiliter inſignita, ſupernè virentia, infernè dilutiora, prorſus tamen ſplendentia. ***Caulem*** cubitalem, paucis foliis ſive involucris præditum, pentagonum; ***flores*** in ſummo ſpicatim cohærentes, cujus autem coloris, cujúſve formæ ignoro, cùm antequam aperirentur tantam duntaxat obſervaverim: ***Radices*** binas, craſſas, & parvi Napi modo oblongas, ſupra quas infimo cauli inhærent aliquot fibræ ſatis craſſæ.

In declivitate montis, cui inædificata eſt arx *Greben*, inter Savum & Dravum amnes, binis ultra Waraſdinum milliaribus, obſervavit Cluſius. Cùm hujus deſcriptio apud Cluſium imperfecta ſit, nec quiſquam præterea, quod ſcimus, eam deſcripſerit, quo referri debeat dubii ſumus. ***Locus.***

5. *Cynoſorchis prior Dodonæi* **J. B.** *latifolia hiante cucullo altera* **C. B.** *major latifolia altera* **Park.** *Cynoſorchis major* Ger.

Dod.

Folia habet lata, pinguia, Lilii foliis propemodum ſimilia: ***caulem*** pedalem aut altiorem, anguſtum, [Lobelio ſeſquipedalem, glabrum, nitidum, cavum in ſummo] & in eo ***flores*** copioſos, ſpicatim digeſtos, colore rubentis dilutæ purpuræ, cucullo aut galeæ patenti ſimiles, ex quibus parte inferiore laciniosum quiddam canis aut alterius animalis quadrupedis exuvio ſimile dependet, dilutè & ipſum purpuraſcens, punctulis magis purpureis reſperſum. Lobelius florem odoratum, purpureum, maculis albicantibus atque pullis variegatum ei attribuit. Quæ de bulbis & fibris habent, omnibus ferè Orchidibus communia ſunt.

Quamnam Orchidis ſpeciem deſcribant Dodonæus & Lobelius nos neſcimus, & an à quoquam præterea Botanico alio nomine deſcripta ſit: certè notæ quas tradunt generales ſunt, & nos incertos relinquunt. Quid quod Lobelius in pratis riguis frequentiſſimum ſcribit: Ubi quæſo terrarum? nobis in Anglia & regionibus tranſmarinis plantas ſedulo indagantibus nullibi conſpecta eſt.

C. Bauhinus huc refert Cynoſorchidem marem quartum Tragi: J. Bauhinus eam ſeparat, & ſub titulo Orchis alias purpureus, alias ex roſeo candidus ſive quartus Trago proponit. Hujus ſententia nobis magis probatur: inquirendum tamen proponit, annon Tragus fortè intellexerit Orchin majorem totum purpureum, cui revera deſcriptio Tragi convenit. Magna confuſio & obſcuritas.

6. *Orchis magna, latis foliis, galeâ fuſca vel nigricante* J. B.

J. B.

Folia habet quatuor aut quinque, magna, Liliacea, palmaria, & ſeſquipalmaria, uncias circiter tres lata, ſtriata, nitida, & præter hæc duorum foliorum in terra rudimenta. *Caulis* ſtriatus, ſeſquicubitalis, ſuperiora verſus purpuraſcens, in quo *florum* thyrſus majuſculorum, galeâ brevi, atropurpureâ, ſtriatâ, quibus apprimuntur binæ alæ concolores, calcari parvo ad pediculum longiuſculum contortum anguloſúmque appreſſo: Ex pediculo pendet labellum, exuvias Martis aut Zibellini expanſas egregiè exprimens unà cum cruſculis & caudâ; adverſa parte ex albo purpuraſcens. Intima floris penetralia rubro candidóque variata ſunt. Odor levis non ingratus: ſapor viſcidus non inſuavis.

Locus & Tempus. Ad latus ſylvoſi cujuſdam collis propè montem *Saleve* non longè à Geneva invenimus, Maio menſe florentem.

A. 7. *Orchis morio mas foliis maculatis* C. B. Park. *Cynoſorchis morio mas* Ger. emac. *Orchi major, tota purpurea, maculoſo folio* J. B. **The male Fool-ſtones.**

Radices geminæ, olivarum modo rotundæ; una nova & plena, altera fungoſa, rugoſa & flaccida. *Folia* ad radicem ſex ſeptemve, & interdum plura, modicè lata, lævia, Lilii foliis ſimilia, ſuperiùs maculis aliquot ex rubro nigricantibus ſignata, nonnunquam iis carentia, quorum unum & ſubinde alterum caulem quoque circumplectitur. *Caulis* dodrantalis aut pedalis, teres, ſtriatus. *Flores* in ſpica longâ purpurei, numeroſi, odorati & aſpectui grati, circa umbilicum albidiores, & punctis paucis purpureis ſaturatioribus picti, poſteriùs calcaneum habentes brevius & craſſius. Folia illa auguſta & acuta quæ à galeæ lateribus exurgunt, & in hoc genus floſculis alæ dici ſolent, nonnihil extant velut auriculæ quædam, & in acutum mucronem deſinunt. Ad pediculum floſculi uniuſcujuſque apponitur folium acuminatum, purpureum. Floſculi in ſpica non admodum arctè ſtipati ſunt.

Tempus. Floret circa finem Aprilis & initio Maii, éſtque frequens in dumetis & pratis; & vel indè à reliquis hujus generis dignoſci poteſt, quòd omnium quæ apud nos ſponte oriuntur prima floret.

Orchidem majorem totam purpuream non maculatam *J. B.* cùm ipſe conſiderandum proponat quâ in re, demptis maculis nigris in foliis, differat à deſcripta, non niſi accidentibus quibuſdam ab ea differre exiſtimamus, non aliter quàm Arum vulgare non maculatum à maculato: quamvis (ut verum fateamur) nonnullæ ſunt in deſcriptione notæ quæ diverſam arguere videntur: v. g. flores conferti, odore ferè nullo, calcari ſatis longo.

A. 8. *Orchis morio fœmina* Park. C. B. *Cynoſorchis morio fœmina* Ger. *Orchis minor purpurea & aliorum colorum cum alis virentibus* J. B. **The female Fool-ſtones.**

Radices geminæ, rotundæ, nucis myriſticæ parvæ magnitudinem æquant, altera ſuperior, altera inferior, cum fibris aliquot ſuperiùs adnatis, ut in hujus generis aliis. *Folia* quatuor aut plura ſumma tellure jacentia, non admodum longa, neque grandia, reflexa plurimùm & quodammodo intorta; minime maculoſa: in caule palmari duo plerunque exiſtunt eum amplexa. Spica *florum* brevior eſt quàm in Cynoſorchi morione mari; *flores* pauciores, purpurei, & interdum carnei aut albi, ſuaveolentes, labello latiore punctis purpureis ſaturatioribus notato. Alæ huic latiores, concavæ, minus quàm in * illo extantes, cujuſcunque demum coloris ſint virentibus lineis ſtriatæ, quâ notâ ab omnibus quas hactenus vidimus Orchidibus diſtinguitur. Floſculorum pediculis apponitur folium purpuraſcens. Floret circa finem Maii, & pro Veris conſtitutione interdum maturiùs. In paſcuis ubique ferè obvia eſt.

* *Cynorſorchi morione mori.*

Vires & Uſus. Orchis calf. & hum. ſaporis eſt dulcis. Uſus præcip. (ex ſignatura laſciva) ad virilem fortitudinem reſtaurandam: Sic & uterum confortare creditur & ad conceptionem diſponere. *Schrod.*

Ad conceptionem juvandam ℞ Sal. Satyrion. Scrup. ß. cum vino Malvatico aut Aq. vitæ Mulieri ſæpius poſt Menſtruorum fluxum. Multas fœminas hoc remedio curavit Hartmannus. *D. Hulſe.*

* 9. *Cynoſorchis latifolia ſpicâ compactâ* C. B. Park. *Orchis ſive Cynoſorchis tertius Dodonæi, Lobelio major alter* J. B. *Cynoſorchis paluſtris.*

Dod.

Folia edit anguſta, ſtriata, Plantaginis anguſtifoliæ foliis quodammodo ſimilia: caulem dodrantalem: *flores* in brevi denſâque ſpicâ copioſos, colore foris puniceo & obſcuriorem purpuram referente, intus verò albicante, ejuſdem cum * ſuperioris formæ ſed tamen minores; dependente quoque ex ipſis rudi & informi exiguo Quadrupedis veluti animantis rudimento. *Radices* ſubſunt aliorum Orchidum ſimiles.

* *Cynoſorchidis alter* Dodon.

Icon *Dod.* & *Lob.* tantam habet ſimilitudinem (inquit J. Bauhinus) cum Cynoſorchide majore Lobelii & priore Dodonæi, ut inſigne aliquod diſcrimen ſtatuere non poſſimus. Nobis idem videtur.

In herbidis locis Valenæ ſylvæ, viâ quà itur ad pagum *Viols*, Maio menſe copioſè florentem collegit *D. Magnol.* Utinam notam aliquam characteriſticam nobis dediſſet, quâ eam ab aliis omnibus certo diſtinguere poſſemus. Mirum Dodonæum in Hiſt. Gal. magna & lata folia, Liliorum foliis pæne ſimilia huic tribuere, adeóque ſibi ipſi contradicere. ***Locus & Tempus.***

* 10. *Orchidis genus parvum flore prorſus purpureo, odoris ſuaviſſimi* J. B. *Cynoſorchis montana, purpurea, odorata* C. B. *fortè etiam Cynoſorchis obſcurè purpurea, odorata* ejuſdem. *Cynoſorchis militaris purpurea odorata* Park.

Folio veſtita eſt, deſcribente Trago, Lilio ſimili: *Flore* emicans purpureo prorſus, (nec enim ullas oſtendit lituras) eóque inſtar frumentorum in ſpicatum deſinente cacumen, quod in hoc genere minimum exiſtit ſuaviſſimo commendatur odore, & ad Caryophylleam accedente.

Naſcitur plerunque in aſperis montibus inter Juniperos, terrâ forti & albâ gaudens. ***Locus.***

* 11. *Orchis Pannonica tertia* Cluſ. *obſcurè purpurea odorata* C. B.

Cluſ.

Hæc binis *bulbis* craſſis prædita eſt: *foliis* longis, anguſtis: *caule* interdum pedali: ſpicâ florum elegante, odorata, quorum galeola obſcurâ purpurâ nitet: hiatus cum propendente labro candicant, purpureíſque maculis inſigniuntur.

J. Bauhinus perpendendum proponit annon hæc præcedenti eadem ſit. Differentia eſt in floribus quorum labellum in illâ purum eſt ſine maculis, in hac maculis purpureis inſignitum; unde nos ſpecies diverſas verùm ſimillimas exiſtimamus.

A. 12. *Orchis Pannonica* 4. Cluſ. *Orchis parvis floribus multis punctis notatis, An Cluſio Orchis Pannonica* 4. J. B. *Cynoſorchis militaris pratenſis humilior* C. B. *militaris Pannonica* Park. *Cynoſorch. minor Pannonica* Ger. emac. **Little purple-flowered Orchis.**

Bulborum altero olivari, altero rotundiori fibræ adnaſcuntur ut in cæteris. *Caulis* ſeſquipalmaris & dodrantalis, cui circumjecta *folia* quina, ſeptenáque ſeſquiunciali latitudine, longitudine palmari, quorum aliqua repanda, alia caulem involvunt. *Flores* in ſpicam ſatis brevem confertim digeſti, ferrugineum conum in faſtigio caulis antequam explicentur æmulantes, odore melleo. *Flores* ſingulares exigui, calcari herbido breviſſimo, galeâ ferrugineâ, alis vel totis herbidis, vel ex dimidio purpurantibus, intus rubro punctatis. Labellum ſimile quodammodo Animalculo quadrupedi, tripartitum vel quadripartitum alatum, foris penitus albicans, intus creberrimis punctis ſaturatè purpureis notatum; apicibus in rictu luteis.

Cluſii deſcriptio meliùs congruit Orchidi apud nos in collibus ſiccioribus & ſterilioribus, præſertim cretaceis, frequentiſſimæ, quam militarem Pannonicam appellare ſolemus. *Foliis* eſt quinis aut ſenis: ſpicâ elegantium puſillorum florum, purpuraſcente galeâ tectorum, prominulo labro, & in quatuor lacinias diviſo, albo, purpureis punctis diſtincto, parvo calcari à tergo prominente, tenuis odoris. ***Locus.***

Hæc à præcedente (quantum ex deſcriptionibus colligere licet) magnitudine præcipuè differre videtur.

13. *Orchis parvo flore rubro ſive phœniceo* J. B. *An Cynoſorchis Militaris media* C. B? *militaris rubra* Park? *An Orchis* 2. *flore rubro elegantiſſimo* Cluſ?

J. B.

Palmo major eſt; *foliis* pluribus, non magnis, caulem multùm amplexantibus: floribus velut in ſpica ſeſcunciali longa, & pæne unciali latâ, parvis, rubris, & pæne unius coloris.

Circa Montbelgardum menſe Junio florentem vidit *J. B.*

Orchidi ſecundæ *Cluſ.* folia ſunt plura quàm latifoliæ alteri *ejuſdem*, anguſtiora; *caulis* gracilior, pedalis: flores rubri, pulcherrimi, quales ferè in Belgico illo Orchidis genere videre meminit, quod è pratis Lovanio vicinis eruebatur.

Hanc olim habui pro Orchide noſtra purpurea ſpicâ congeſta pyramidali; verùm in tanta deſcriptionum brevitate & imperfectione nihil audeo definire: ſuſpicor tamen me falſum fuiſſe, ſaltem quod ad Cluſium attinet, ni fortè bis eandem plantam tradiderit, ſiquidem Orcheos Batavicæ vi. *Cluſ.* deſcriptio meliùs videtur convenire Orchidi noſtræ ſpica pyramidali, quam ſecundæ flore pulcherrimo ſuperiùs poſita. J. Bauhino deſcripta à Cluſiana fortaſſe diverſa eſt, & noſtra ſpicâ pyramidali eadem.

A. 14. *Orchis purpurea ſpicâ congeſtâ pyramidali. An Orchis Batavica* vi. Cluſ? *An Or. parvo flore rubro ſive phœniceo* J. B? *An Cynoſorchis militaris ſpica rubente conglomerata* Park? **Purple late flowering Orchis.**

E gemino *bulbo* orbiculari, non palmato, *caulis* exoritur palmaris & major, erectus, *foliis* multis, anguſtis, pleriſque eum amplexantibus non maculatis, pallidiùs virentibus cinctus: cujus faſtigio inſidet ſpica *florum* brevis, denſa, pyramidalis, pulcherrimis floſculis purpureis vel ſuave-rubentibus nullis maculis notatis, cùm longis calcaribus retrorſum extenſis compoſita. Horum cuculli reliquorum more quinque foliis conſtant, quorum duo velut alæ nonnihil extant: labellum propendens inferiore parte in tres lacinias dividitur, ſuperiore duobus proceſſibus albeſcentibus huic Orchidi propriis donatur, qui proceſſus in ſinum exiguum ſeu cavernulam flexi auriculam quodammodo referunt. Variat interdum flore albo.

Tempus & Locus. Floret menſe Junio, omnium quæ apud nos ſponte oriuntur Orchidum, Triorche & Monorche exceptis, poſtrema: in paſcuis ſiccioribus & cretaceis ſatis frequens.

Cynoſorchis militaris montana ſpica rubente conglomeratâ C. Bauhino in prodr. deſcripta huic eadem videtur, magnitudine ſola differens. Orchis Batavica vi. *Cluſ.* huc referenda eſt, i. e. Orchis odore hirci minor ſpica purpuraſcente *C. B.*

15. *Orchis globoſo flore* C. B. *rotundus Dalechampii* J. B. *Cynoſorchis capitulo globoſo* Park.

Radice conſtat geminâ, exiguâ & oblongâ non exactè orbiculatâ: *caule* cubitali, rotundo, recto, gracili. *Folia*, ex noſtra obſervatione, longa ſunt, anguſta, carnoſa, ſubglauca, tria vel quatuor in caule, ad radicem nulla: *Flores* ſummo cauli inſident in capitula globoſa & aliquantulum compreſſa coacti, non aliorum generum modo in thyrſum longum & ſpicatum digeſti: [Thalio in umbellæ parvæ ferè modum explicati.] Deſcriptio Thalii plantæ à nobis in monte Jura inventæ & obſervatæ meliùs reſpondet quàm Lugdunenſis.

J. Bauhinus fratrem Caſparum reprehendit quòd in Phytopinace Orchidem rotundam Dalechampii luteam appellat, cùm is, inquit, non ſit flore luteo ſed puniceo. Verùm, quantum memini, luteus fuit in iis quas nos obſervavimus floris color: at memoriæ non multum fido, cùm in ſicca, quam obſervavimus, color purpuraſcens & quaſi carneus appareat, & C. Bauhinus in Pinace luteæ epitheton omiſit; & inter notas de ea noſtras hæc verba invenio: Labella floſculorum ſaturatioribus punctis purpureis notantur.

Locus. Clivoſis pratis montium frigidorum gaudet, ut rectè Lugdunenſis.

* 16. *Cynoſorchis anguſtifolia hiante cucullo* C. B. prod. Park.

C. B. prod.

Huic *radices* ſubſunt duæ globoſæ: *caulis* cavus ſtriatus, cubito minor, *foliis* aliquot pallidè virentibus, lævibus, ſtriatis, uncias ſex longis, ſemunciam latis infernè, & uno alteróve ſupernè, amplexantibus: ſpicam habet oblongam ex *floribus* raris, candore purpuraſcentibus, ex oblongiuſculis pediculis dependentibus hiantem cucullum referentibus.

Locus. Hanc in pratis Patavinis legit C. Bauhinus.

* 17. *Cynoſorchis militaris pratenſis elatior floribus variegatis* C. B. prod. Park.

C. B.

Hæc priore [Orchide ſpica pyramidali] *teſticulis* eſt minoribus; *caule* breviore; *foliis* latioribus, uncias duas longis, etiam caulis ſummum tubi inſtar cingentibus: ſpicâ breviore, ex *floribus* priore longè minoribus, iiſque ex albo & rubro eleganter variegatis.

Locus. In pratis humidis Michelfeldenſibus & trans Rhenum reperitur.

* 18. *Chamæorchis Alpina folio gramineo* C. B. prod. *Alpina flore viridi* Park.

C. B.

Planta palmaris eſt, ex cujus *radice* gemina globoſa, oblonga, *folia* anguſtiſſima, utrinque quaterna, *cauliculum* nudum, triuncialem, qui inter ea fertur, ſuperantia exurgunt: ſpicâ unciali, cui utrinque foliolum breviſſimum ſubjicitur. *Floſculi* virides, galericulati ſunt.

Locus. In monte Helvetiorum Gothardo copioſè & acervatim Junio florens reperitur.

* 19. *Monorchis Ophioglossoides unifolia* Mentzel.

Mentzel.

Ex *radicula* bulboſa, globoſa, parva *cauliculum* protendit tenuem, uncias duas longum, & unam cum dimidia latum, Ophiogloſſi folio perſimile. *Cauliculus* in ſpicam florum deſinit, foliolis florum minutiſſimis, capillaceis, figuram (ſi per microſcopium florem intuearis) Orchidum exactè præſentantibus, coloris herbacei. Spica hæc cum ſuo folio adnato eminus intuenti Ophiogloſſum mentitur.

Locus. In udis & paludoſis Boruſſiæ circa pagum *Schreiclaken* in ditione Samlandiæ menſe Auguſto; item circa Gedanum urbem reperta.

Invenitur interdum cum altero foliolo radici adnato.

* 20. *Monorchis bifolia floribus viridibus Moſchum olentibus* Mentzel.

Hæc unico radicis teſticulo *caule* aſſurgit biunciali, quem inferiùs duo inveſtiunt *folia*, unciam excedentia, ſtriata & in rotunditatem acuminata. Superiùs eminent floſculi Orchidum virides, odorem Moſchi ſuaviter ſpirantes.

Locus. In Alpibus inter Treviſanum & *Inſpruck* ſecùs vias in ſcopulis nemoroſis & umbroſis. *Non video quid differat ab Orchide vulgari odorata moſchata, excepta parvitate.*

Reperitur hæc foliis ſimilibus, floribus pallidè virentibus: item floribus luteis prioris ſimilibus, ſuave-olentibus, citra tamen Moſchi odorem.

21. *Monorchis foliis pluribus anguſtis, floribus luteis ceram olentibus* Mentzel.

Copioſè circa Berolinum ſedem Electoralem Brandeburgenſem in pratis provenit. *Locus.*

A. 22. *Orchis odorata moſchata ſive Monorchis* C. B. *puſillâ odorata* Park. *parva autumnalis lutea* J. B. **The yellow, ſweet, or muſk Orchis.**

J. B.

Duobus aut tribus *foliis*, Plantaginis quinquenerviæ ſimilibus, venoſis, glabris, imum *caulem* complexis donata eſt: ipſe verò *caulis* junceus pedalis, [nunquam vidi apud nos ea altitudine, ſed plerunque palmarem aut ſeſquipalmarem] thyrſum gerit longum *floſculorum* puſillorum, tribus apiculis conſtantium, ex herbido colore in luteum vergentium, ſuavi Moſchi ferè odore fragrantium. Floſculi ut in reliquis Orchidibus ſummis vaſculis ſeminalibus inſident, quæ eis marceſcentibus augentur, & longiuſcula evadunt, breviora tamen pro plantulæ parvitate quàm in pleriſque congeneribus, in ſinu folioli è quo exeunt nullo pediculo, ſeſſilia, cauli appreſſa, conferta. *Bulbus* cauli imo adhæret unicus exiguus; ſupra quem longæ propagines exporriguntur, craſſæ, quibus unicus aut alter bulbulus pendulus adhæreſcit. Bulbus quotannis marceſcit & novus producitur.

In paſcuis ſterilioribus, maxime cretaceo ſolo, ſed non ità frequens naſcitur. *Locus.*

* 23. *Orchis Friſia hirſuta* J. B. *lutea hirſuto folio* C. B. *Friſia literalis* Park. *Friſia lutea* Ger.

Duo habet folia Bifolio ſimilia, paulò minora quàm Plantago anguſtifolia, aſpera & hirſuta tactu: *caulis* palmum altus: Floſculi multi, ex luteo virides, ut in Hyacintho majore: *Radices* duæ, parvæ, rotundæ.

Orchis ſive Triorchis lutea altera, nonnihil hirſuta J. B. *lutea altera C. Gemmæ* Lob. Park.

Lobelio ipſo autore videtur eadem aut congener cum præcedente. *Folio* eſt rotundiore & latiore: quàm ſuperior [Orchis ſpiralis alba odorata] virentiore & nonnihil hirſuta.

* 24. *Triorchis lutea folio glabro* C. B. *Orchis minor Leodienſis, Triorchis lutea, flore luteo C. Gemmæ, ſive Baſilica minor* Lob. *Orchis Leodienſis* Ger.

Lob.

Terna folia anguſtiora Quinquenerviæ Plantaginis æmula promit, lævore & viriditate Auriculæ urſinæ. *Flos* itidem in cauliculo exili Teſticuli odorati pari. Radix ternis & quaternis puſillis pendulis teſticulis ſubeſt.

C. Bauhinus ex hac planta duas facere videtur; Alteram Triorchin luteam folio glabro, alteram Triorchin luteam alteram.

* 25. *Triorchis lutea tertia C. Gemmæ* Lob. *lutea radice oblonga* C. B. *Orchis ſive Triorchis lutea tertia oblongioribus radicibus* J. B.

Oblongioribus eſt radicis olivaribus bulbis, nec plura habet Lobelius.

Nobis ſuſpectæ ſunt tot Triorchidis luteæ ſpecies, præſertim cùm nemo hactenus Botanicus præter Gemmam & Lobelium eas accuratiùs deſcripſerit, aut à ſe viſas meminerit. Utinam eximerent nobis hunc ſcrupulum herbarii Friſii & Leodienſes.

A. 26. *Orchis ſpiralis alba odorata* J. B. *Triorchis* Ger. *Triorchis alba odorata minor atque etiam major* C. B. Park. **Triple Ladies traces.**

J. B.

Duplici *radice* nititur bulboſâ, oblongâ, villoſâ, ima verſus acuminatâ, aliquot fibris donatâ, [imò perſæpe triplici & interdum etiam quadruplici.] E cujus ſummo folia vaginato pediculo unciali ſurgunt, viridia, pinguia, ſemunciam lata, unciam aut amplius longa, dorſo craſſo averſa parte, quà ex atro virentes venulæ ab imo ad ſummum conſpiciuntur. Juxta hæc *coliculus* quoque erigitur dodrantalis aut pedalis, teres, foliolis acuminatis, ceu vaginis, veſtitus, iiſdem tamen vix ac nè vix quidem prominentibus. Floſculorum odoratorum thyrſus, albidorum, claviculatímque hærentium ità nutat, ut ſpirarum inſtar ſumma verſus circumagatur. Hi internâ parte ex luteo virent, ad latus verò duo foliola candida veluti alæ hærent. Utriculi ſuccedunt ut in reliquis ferè Orchidibus, parvi, pulverulento ſemine referti. Thyrſus florum amaricat, & jucundi odoris eſt.

Autumno floret, & in paſcuis ſiccioribus, arenoſis & cretaceis, interdum etiam in humidioribus reperitur. *Locus & Tempus.*

27. *Orchis anthropophora oreades* Col. *anthropophora oreades fœmina* Park. *flore nudi hominis effigiem repræſentans, fœmina* C. B.

Col.

Hæc nudi hominis aut potiùs mulieris effigiem integram veluti umbram imitari videtur, floribus caput habentibus tegumento quinquepartito tectum, [duabus laciniis anguſtis, nec niſi manibus aperiantur conſpiciendis] vireſcente, purpureis oris circundato, è quo dependet labellum, in quo non ſolum omnis humana proportio circumſcribitur, ſed & faciei ferè. *Flores* autem pallido colore & veluti arenulis aureis impreſſi micant, eodémque quo in cæteris modo in ſpicam per caulis faſtigium diſpoſiti circum dependent. *Caulis* ſeſquipedalis, lævis, rotundus, duobus foliis interceptus, cavis, illum amplexantibus: Reliqua ima folia quinq; oblonga, ſemipedalia ferè, atq; unciam vel minùs lata, virentia, ſupra humum elata & convexa, ex longa cervice propendent: cujus imo fibræ exoriuntur, quadrantales, craſſæ, variè & obliquè ſparſæ, quibus ſubſunt duo teſtes, quorum alter durus, lævis, albicans, juſtâ olivæ magnitudine, alter verò rugoſus, pullus, vetuſtior, ut in omnibus obſervatur.

Locus. Maio floret in montibus ſylvoſis Æquicolorum.

Hanc eſſe puto quam nos circa Genevam invenimus, & Orchidis anthropophoræ flore ferrugineo titulo hunc in modum deſcripſimus.

Geminos habet ut reliquæ *bulbos*, ſatis grandes: *Folia* ad radicem quatuor vel quinq;, nervoſa, pallida, quatuor uncias longa, unam lata: in ima caulis parte duo vel tria, quæ ipſum complectuntur. *Caulis* cætera nudus ad ſpicam uſq;, quæ prælonga eſt, numeroſis *floſculis* exiguis, herbaceis, obiter tamen obſoletâ & quaſi ferrugineâ purpurâ tinctis, compoſita. *Galea* quinq; foliolis conſtat, in tantum conniventibus ut unum & indiviſum videantur. *Labellum* propendens prælongum eſt, & in quatuor lacinias longas diviſum, quarum ſuperiores duæ utrinque ad commiſſuram galeæ & labelli brachiorum, reliquæ in extremo labello crurum modo dependent. Flos ipſe calcar non habet: pediculi floſculorum, ut in aliis ferè fit, contorquentur, cochleæ in modum, habentq; ſinguli ad exortum ſuum foliolum perexiguum.

Facie exteriore planta hæc Orchidem palmatam flore viridi nobis dictam imitatur: nec aſſurgit ad eam altitudinem, quam Columna Orchidi ſuæ anthropophoræ oreadi tribuit.

* 28. *Orchis anthropophora altera* Col. *anthropophora oreades mas* Park. *flore nudi hominis effigiem repræſentans, mas* C. B.

Col.

Huic *folia* ex pallido virent, ex *radice*, ut in congeneribus, teſticulata, primùm bina, quorum alterum majus & ſeſquiunciæ longitudine, duplo latitudinem ſuperante; deinde alia quinque paulatim fert majora, longiora, latiora & unciali latitudine, palmum longa, per ambitum undoſa, primis exceptis, & quæ veluti folliculi caulem ambiunt, tria iterum decreſcentia. *Caulis* eſt pedalis, tener, lenis & vireſcens, in ſummo *flores* denſos in craſſam ſpicam & obeſam, & florum ab imo dehiſcentium plenam congeſtos habens, colore antequam dehiſcant rubente, deinde aperti floridam carnem humanam æmulantes, ſuave-rubentes, ac ſicuti colore ita etiam effigie nudi hominis figuram exprimentes, brachiis incurvis velut amplexari cupientis, reliquâ figurâ corpus, femora, crura, ſexumq; imitantes. Caput inter floris foliola ſuperna includitur, ut in congeneribus.

Tempus & Locus. Sata germinat Autumno. Aprili menſe Columnæ floruit ex Aſprenſibus allata. Oritur etiam ad radices Veſuvii montis. In Aſprenſium collibus herboſis reperit Columna.

A. 29. *Orchis galeâ & alis ferè cinereis* J. B. *Cynoſorchis latifolia hiante cucullo minor* C. B. *latifolia minor* Park. *major altera* Ger. *Cynoſorchis altera* Dod. de floribus. The Man Orchis.

Huic *bulbi* fibræque appenſæ haud aliis abſimiles: *folia* duas uncias lata, quatuor aut ſex longa, [in collibus apricis & ſterilioribus, ex noſtra obſervatione, dimidium iſtius longitudinis latitudiniſq; non attingunt.] quaterna aut quina. *Caulis* dodrantalis, flores ſuſtinet in ſpicam congeſtos, odoratos, quorum ſinguli pediculis ſemuncialibus inſidentes, calcar breve exprimunt, galeâ aliſq; foris cinereis, intus rubentibus, & ſaturatioribus puniceis lineis ſtriatis; quibus interjecta bina foliola oblonga, valdè anguſta, rubentia: labellum oblongum, in bis binas alas rubentes diſſectum, intus albidum, punctis rubris pictum, foris ex albo ad purpuram declinans: in rictu apices herbidi. Dodonæus dependere ait ex ſingulis floribus veluti animalculi quadrupedis vel homunculi extenſis brachiis & divaricatis cruribus abſque capite corpuſculum.

Locus & Tempus. Circa Monbelgardum abundat in collinis pratis florens Maio, inquit J. B. Genevæ itidem, & ſatis copioſam, obſervavimus. Reperitur & in Anglia in collibus propè Thameſin fl. ad pontem *Cauſham* non longè Redinga oppido, ubi eam indicante D. D. *Brown* obſervavimus. In hoc genere brachia etiam incurva ferè ſunt.

Nos cùm Genevæ Orchidem hanc primùm invenimus, eam *Cynoſorchin militarem ſpicâ purpuraſcente conglomeratâ* denominavimus, & hoc modo deſcripſimus.

Ad pedalem ferè altitudinem aſſurgit. *Folia* edit viridia, ſtriata ſeu nervoſa, non maculata, quatuor vel quinque digitos longa, ſeſcunciam lata, in acumen deſinentia, in caule duo aut tria, quæ eum tubi inſtar circumcingunt. Florum ſpica ſummo cauli inſidens denſa, brevis, ex floſculis pallidiore purpurâ obiter dilutis compoſita: Singuli autem ſex partibus ſeu foliolis conſtant, quorum quinque galeam conficiunt, in tantum conniventia ac ſi unum duntaxat forent, in tres lacinias fiſſum, duo nempe quæ inter ſupremum & alas media ſunt penitus occultantur. Labellum in quinq; parvas barbulas dividitur. Primum barbularum par ad ipſum angulum quem faciunt galea & labellum exoritur: deinde labelli corpus aliquouſque productum in aliud tandem barbularum par deſinit; inter quæ & quinta brevis & exigua barbula ſeu lacinia cernitur. Tum labellum, tum alæ interiùs maculis purpureis perexiguis aſperguntur. Barbulæ autem ſaturatiore purpurâ quàm reliquus flos tinguntur. Calcar ſubeſt breve & in extremo velut geminum. Quod ad exortum floſculorum apponitur folium vix perceptibile eſt.

Tempus & Locus. Maii menſis initio florentem invenimus juxta Rhodani fluvii ripas & alibi propè Genevam.

Huic, ſi magnitudo obſtaret, eandem dicerem Orchidem Zoophoram Cercopithecum exprimentem oreadem *Columnæ*, cujus idcirco deſcriptionem ſubjiciemus.

30. *Orchis Zoophora Cercopithecum exprimens, oreades* Col. Park. *Orchis flore Simiam referens* C. B.

Col.

Hæc ſuperiori accedit, quâ tamen omnibus ſui partibus major eſt; qui niſi faciei magnitudine & oculorum deterreret animalis Cercopitheci caudâ detruncatâ, quod referre videtur, maris hominis effigiem repræſentaret. At quia curva brachia admodum atque tibias habet, erectam Cercopitheci animalis iconem magis refert, ſicut etiam monſtroſa facies. Eodem modo caput tegitur quo ſuperioris. Huic teſticulus vegetus rotundus eſt, digitali diametro pollicis, fiſſuram Armeniaci mali modo habens, alter verò oblongior rugoſus, ut in congeneribus. *Folia* huic in imo tria palmaria, duplo ſuperioris [anthropophoræ oreadis *Col.*] latiora verùm breviora, reliqua tria minora caulem diſtinguunt ferè bipedalem, [fortè bipalmarem] circa ſummum rubeſcentem. Florum laciniæ in totum purpuraſcunt: at media pars, Animalis corpus referens, atque etiam tegumentum guttis eodem colore inſperguntur, nam dilutiora ſunt multúm.

Maio in Æquicolorum montibus obſervavit F. Columna. *Locus.*

Ab hac etiam non video quid differat

Orchis Cercopithecum exprimens Luſitanica prima Breynii, *quam ſic deſcribit.*

Hujus teſticuli Orchidis Anthropophoræ alterius *Col.* planè ſimiles, ſupra quos, ut in aliis, fibræ aliquot expanduntur, foliolis adhærentes perbrevibus, caulis imum velut folliculi complectentibus. Ex foliolis dictis *folia* enaſcuntur Liliacea, nervoſa, per ambitum undoſa, Orchidis modò dictæ foliis admodum reſpondentia, inter quæ *caulis* effertur pedalis, minoribus foliis ſeptus, cujus ſummum innumeri *flores*, ex purpureo rubentes, in ſpicam denſam diſpoſiti exornant. Horum ſinguli è pediculo ſubviridi, toroſo, contortóq;, foliolum ſub ſede acuminatum habente, pendent; & ex galea è purpureo rubente, foliolis tribus acuminatis, nervoſis, majoribus, quibus interjecta bina minora, conſtant, in qua ponè calcar cernitur, infra verò foliolum ſive labellum oblongum, galeæ inſtar coloratum, punctulis purpureis inſperſum, quod brachiis, cruribus, caudâ, & in ſuperiore inſuper parte per extuberationem ſubviridem, carnoſam, tanquam capite monſtroſo ità inſtructum, ut Cercopitheci effigiem veluti umbra repræſentet. Floribus exarefactis pediculi eorum tandem intumeſcentes, in *ſiliquas* maturitate ſecundùm longitudinem rimis Helleborines in modùm dehiſcentes, & ſemine exiguo Scobis inſtar ſe exonerantes, excreſcunt.

Differt ab Anthropophoræ alteriùs *Col.* flore quà corpus anguſtiore, cruribus latioribus & minùs expanſis, ac caudâ etiam longiore.

Aliam hujus ſpeciem obſervavit Autor in horto Beverningiano, Floris labello breviore, brachiis brevioribus, brevioribus itidem, anguſtioribus atque expanſis magis cruribus, cætera ſimilem.

Orchis ſtrateumatica minor J. B. Lob. *militaris minor* C. B. Park.

Cùm hæc ſpecies Orchidi galeâ & alis cinereis perſimilis ſit, proximum ei locum dedimus. Differt ab Orchide dicta, quod alæ interiùs purpureis lineolis ſint ſtriatæ, quódq; labellum latius ſit, ſuperioribus laciniis brevioribus, inferioribus autem non brevioribus duntaxat ſed multis etiam numeris latioribus. Adde quòd ſeriùs floreat, circa finem videlicet Maii.

In monte Saleva obſervavimus. *Locus.*

* 31. *Orchis Apem referens Luſitanica* Breynii. A

Breyn.

Ex *bulbo* geminato Serapiadis ſecundæ *Dod.* ſapore ſubdulci & viſcoſo, *Folia* quædam anguſta, ſtriatáque, Teſticuli vulpini ſecundi ſphegodis à Lobelio deſcripti foliis ſimillima emittit, atque *caulem* ſeſquipalmarem longioremve, binis vel ternis minoribus foliis circumjectum: cujus ſummo *flores* tres, quatuor, quinquéve inſunt, calcaribus Orchidum plerárunq; Serapiadum de more omnino deſtituti, galeam habentes è foliolis tribus grandioribus & duobus anguſtioribus brevioribúſque, albicantibus vel carneis, imo & purpuraſcentibus conſtructam ſub qua extuberatio quædam craſſa, carnoſa, ſubviridis, formâ ex ovo prorepentis aviculæ, oculis eminentibus & roſtro craſſo adunco, curioſè adeò & lepidè ſe oſtentat, ut illa contemplatione non modò digna, ſed ſola etiam ad pretium & admirationem huic flori conciliandam ſufficere videatur, niſi gloria ejus maxima in dependente veluti holoſerico leniter & breviter villoſo, ferrugineo (aut ex cinereo ferrugineo obſoleto) ac ventrioſo conſtaret labio, quod Apis, mellificantis cadaverculum magnitudine & figurâ tam exactè, támque repræſentat venuſtè, ut propter beſtiolæ dulciſſimæ ſpiculum flores attingere verearis.

A. 32. *Orchis myodes galea & alis herbidis* J. B. *muſcæ corpus referens minor, vel galeâ & alis herbidis* C. B. *myodes* Ger. *myodes minor* Park. **The common Fly-Orchis.**

J. B.

Folia tria, quatuor, aut quinque obtinet, unciam lata, interdum anguſtiora, longitudine circiter palmari: *Caulis* tenuis palmaris, ſeſquipalmaris & major, flores ſuſtinet ex pediculo ſurrecto, ventrioſo, cui oppoſitum folium ad ipſius floris cacumen uſq; pertingens, raros, nullo calcari, galea & alis colore herbaceo, reliqua parte muſcæ corpuſculum affabrè exprimente, pronâ parte albida, oris ferrugineis, ſupinâ verò colore fuliginoſo, zonâ ſubcœruleâ ſeptum cingente: in rictu geminis corniculis ſtipato *apices* lutei occuluntur.

In Anglia invenitur ſed ſparſim & rariús. Nos in Cantabrigienſi agro, Suffolcia & Eſſexia obſervavimus, v. g. in aggere foſſæ iſtius famoſæ vernaculè, *The Devils ditch* dictæ, inq; pratulo quo- *Locus.*

dam paludi illi ſeu mariſco *Teverſham-moor* dicto adjacente, &c. Monbelgardi, autore J. Bauhino, abundat, florens Maio.

33. *Orchis myodes flore grandiuſculo* J. B. *muſcam referens major* C. B. *myodes altera* C. *Gemmæ*, *folio læviore & flore grandiuſculo* Lob. *myodes major* Park.

Locus. An & quid differat à præcedente neſcimus. D. Magnol in pratis inter pontem Caſtri novi & lucum Grammuntium ſitis, & in aliis plurimis herbidis locis oriri & Maio florere ſcribit, in *Botan. Monſpel.*

34. *Orchis muſcam majorem cæruleam repræſentans* Breynii.

Radice, *caule* & *foliis* à priore Apem referente nihil aut parùm differt. *Flos* verò diſcrepat multùm: namq; ejus galea foliis ſubviridibus, anguſtioribus conſtat; extuberatio quæ galeæ ſubeſt carnoſa non adeò diſtinctè aviculam exprimit, & labium hirſutum, ſaturè cœruleum, perbellè ſplendens, pilis circum margines fimbriatum ſubruffis Muſcam majorem tam accuratè repræſentat cœruleam, ut non tantùm in admirationem ſummam rapi ſpectator; ſed facilè etiam decipi queat, quò putatitiam hanc ſordidam muſcam à planta abigere allaboret.

35. *Orchis myodes lutea* J. B. *muſcam referens lutea* C. B. *myodes lutea Narbonenſis* Lob. Park. *myodes lutea* Ger.

Hujus color, inquit Lobelius, luteus totus, nec alias notas addit. In æſtuoſis & aridis ſterilibus, declivibus inter Ciſtum marem & Ilicem cocciferam propè ſpecum quæ redeunti Frontiniana Monſpelium ad lævam eſt, etiámque in herbidis aridis Gramuntiæ ſylvæ vicinis obſervavit Lobelius. Variis in locis circa Salenovam, *lou Tarral* & pontem Caſtri novi invenit *D. Magnol.* Utinam hanc accuratiùs nobis deſcriptam & depictam exhibuiſſent.

36. *Orchis myodes lutea Luſitanica* Breynii.

Breyn.

Flores hujus præcedentis floribus non malè reſpondent, excepto quòd eorum labellum Fucum majorem luteum repræſentans, latius, brevioribus atque obtuſioribus quàm illius laciniis præditum, intenſioréq; aureo colore tinctum, ac maculâ in medio holoſericâ, villoſâ, majore, magíſque purpurea, & ſpectabiliore eſt donatum: extuberatio galeæ ex flavo viridi ſubnata aviculam longè craſſiorem ac Teſticuli apud Lobelium vulpini majoris refert.

37. *Orchys myodes fuſca Luſitanica* Breynii.

Breyn.

Thyrſum hæc emittit aliquanto altiorem, colore obſcuriùs vireſcenti, *foliis* nonnunquam latioribus interceptis; cujus ſummo *flores* inſunt nonnihil ſubinde majorés, cæterum ab Orchidis myodis luteæ florum figurâ pænè nihil aut parùm recedentes, præter foliolum holoſericum demiſſum, quod pulli ſeu fuliginoſi coloris, Scarabæum meliùs quàm Fucum exprimere videtur.

In Phytologia Britannica duas adhuc invenio Orchidis myodis ſpecies, Altera

A. *Orchis myodes elegans purpuraſcens denominatur, & in ſylva Brodworth à* D. Stonehouſe *inventa fuiſſe dicitur.*

Altera

A. *Orchis myodes flore coccineo elegans inſcribitur & in ſylva* Swanſcombe *ſponte oriri traditur.*

Neutra nobis hactenus in conſpectum venit: poſterior tamen hæc amico cuidam noſtro oſtenſa eſt.

A. 38. *Orchis fuciflora galeâ & alis purpuraſcentibus* J. B. *ſphegodes ſive fucum referens* Park. *Orchis ſive Teſticulus vulpinus* 2. *ſphegodes* Ger. *Or. fucum referens major, foliolis ſuperioribus candidis & purpuraſcentibus* C. B. **The common Humble-Bee Satyrion, The Bee-flower**, *i. e. Orchis melittias noſtratibus vulgo dicta.*

J. B.

Foliorum hujus, quæ Plantaginis anguſtifoliæ foliis reſpondent, alia reflectuntur, alia caulem ambientia ſurriguntur. In *caule* palmari & dodrantali *flores* rari, calcaris expertes, galeâ & alis purpuraſcentibus, linea vireſcente à ſummo ad imum decurrente: quod labelli loco eſt amplum exſtit & pingue folium, fucum pulchrè exprimens, colore fuliginoſo, & ad objectum lucis hilariori vel triſtiori, eleganti luteolarum linearum diſcurſu variatum, ſic ut areolæ tres circulos, medio ferrugineo deſcribant: rictu concavo, viridi, ſupra quem in roſtello latent apices lutei; ima labelli ora luteola, ceu cauda, ſurſum reflexa: averſa parte albet, in ambitu ad ferrugineum declinans; pediculus incurvus, ventrioſus, cui appoſitum *folium* ſurrectum, ſeſquiunciam circiter longum, anguſtum. *Radix* ſubeſt gemina, ſatis magna, dulcis, ſucculenta.

Locus. In paſcuis ſiccioribus frequens reperitur. Junio menſe floret.

A. 39. *Orchis*

A. 39. *Orchis ſive Teſticulus ſphegodes hirſuto flore* J. B. *Orchis fucum referens colore rubiginoſo* C. B. *Orchis ſphegodes altera* Park. *Teſticulus vulpinus major ſphegodes* Ger? **Humble-Bee Satyrion with green wings.**

J. B.

Galeam aláſq; expandit virentes, triſtioríq; & obſoletiore fuliginoſo colore fucum potiùs quàm apem præfert: folium infimum hirſutum, quod pro labello eſt, in quo non lutearum linearum, ut in illa, diſcurſus ullus conſpicitur, ſed ſolummodo lividæ duæ reliquo folio læviores depreſſioréſq; tranſversâ lineolâ conjunctæ H majuſculam Romanorum efformant; alias verò duobus locis coeuntes inſulam ovali figura hirſutam circumſcribunt.

In Anglia ſed rariùs invenitur, ſolò ſicco, in locis ubi ſabulum ſeu glarea effoſſa fuerit, ut v. g. in ſabuleto quodam propè *Shelford* vicum non longè à Cantabrigia. Floret ante præcedentem, integro menſe. *Locus.*

Hanc eſſe ſuſpicor quam Orchin Arachnitem Herbarii noſtrates vocitare ſolent.

40. *Orchis alba calcari oblongo* J. B. *cujus deſcriptionem omnibus numeris abſolutam mutuati ſumus. Or. Serapias bifolia vel trifolia minor* Park. *alba bifolia minor calcare oblongo* C. B. *hermaphroditica* Ger. **Butterfly Satyrion.**

J. B.

Hermaphroditicam Orchidem hanc haud temerè dicas, ut quæ Cynoſorcheis inter & Serapiades dictas medium quiddam obtineat, quod quidem ad formam radicum attinet: Radix enim duplici conſtat bulbo ſublongo, pyriformi, productiore demiſsâ fibrâ, quæ in capite alias plures æquè craſſas quaquaverſum exſerit: A qua in imo ſtatim folia inſignia prodeunt duo vel tria [rariùs tria] lata, plantaginea [vel liliacea] minùs tamen nervis inſignita ſuperna parte, lævia, pallidiùs virentia: Reliqua verò octuplo vel decuplo minora anguſtioráq; caulem nullo ordine decorant pedalem interdum aut altiorem, anguloſum, ſtriatum: Cujus ſumma flores ſpicatim occupant, odoratiſſimi, albi, [rariùs diſpoſiti] Papilionem expanſis alis æmulantes; quorum foliorum ſupremum leviter erectum obtuſo mucrone ſub ſe bina in ſummo, inclinatione quadam coeuntia, colore ex luteo herbaceo prædita comprehendit: lateralia duo alarum inſtar expanduntur; propendet autem longum folium, anguſtius reliquis, album, ima parte ex luteo herbidum. Stylus obtuſus galea occultatus, ut in aliis Orchidibus, medium florem occupat. Averſa floris parte prominet calcar longiſſimum, propè floris baſin album, cætera ex luteo viride: Unicuique autem pediculo intorto herbidóq; appoſitum eſt folium acuminatum. Sapor foliorum amarus; Radicum aqueus inſipidus.

In dumetis, non rarò & in paſcuis occurrit. Menſe Junio apud nos floret. *Locus & Tempus.*

Orchidem Serapiada trifoliam majorem C. B.

Ipſo non diſſentiente Orchidi præcedenti eandem ſtatuimus.

Orchis Hermaphroditica bifolia J. B. *Hermaphroditica ſecunda C. Gemmæ, ſive Orchis pſychodes diphylla* Lob. Ob. *Orchis bifolia altera* C. B.

Lob.

Oblongis cruribus, ſolo gaudens paluſtri, cujus flos erumpit menſe Julio, omnino candidus, tener, qualis Oreadum; quantum & in quibus differat à præcedente perquirendum proponit J. Bauhinus. Nos antea ad Orchidem 1. ampliſſimis foliis *Cluſii* dubitanter eam retulimus. Certè C. Bauhinus eam perperam confundit cum Orchide latifolia altera *Cluſ.* ut ſuperiùs monuimus. Ego jam cum J. Bauhino à præcedenti non differre ſuſpicor.

Orchis pſychodes *Ger.* ſphegodes ſive Teſticulus vulpinus 1. *Park.* dicitur.

41. *Orchis montana Italica, flore ferrugineo, linguâ oblongâ* C. B. *Orchis ſive Teſticulus maximo flore* J. B.

C. B.

Teſticulos habet parvos, rugoſos. *Caulis* cavus, nonnunquam pede altior, quem *folia* anguſta, paucáque, uncias tres vel quatuor longa baſi ſua veſtiunt: at cuilibet flori folium breve quidem, ſed latiùs & in apicem deſinens, ſubjicitur. *Flores* quini, ſeni, alternatim in caulis ſummo diſpoſiti, coloris ferruginei, obliqui tubuli formâ, quorum lingua propendens oblonga eſt, & ex baſi latiore in apicem abit, cui tegumentum pallidioris coloris, veſicæ inſtar, impoſitum, etiam in apicem & communiter bifidum finit. Floribus utriculi *ſemine* pulverulento repleti, ut in cæteris, ſuccedunt.

In paſcuis, variis Italiæ in locis obſervavimus. *Locus.*

42. *Orchis macrophylla* Col. *montana Italica linguâ oblongâ altera* C. B. *Orchis macrophyllos Columnæ* Park.

Col.

Hujus *radix* unico bulbulo ſeu teſticulo nobis inventa eſt, (nec meliùs an unico vel gemino bulbulo conſtet obſervare licuit) colore fulveſcente, parùm rugoſo, ſupra quem fibræ eodem colore, atq; etiam per cervicem aliæ dependent, quod in aliis non obſervatur, [& forſan ibi bulbus novellus concipitur.] *Folia* in imo duo, ſed nec paria; plura per caulem diſpoſita, quorum longiora ſeſquipedalem ferè longitudinem aſſequuntur; reliqua minora pedalia, ac deinceps decreſcentia, verùm latiora. *Caulis* longus admodum, tripedalis ab radice, in cujus ſummo *flores* inſunt obliqui veluti tubuli, longam atque latam barbam habentes, ſuave-rubentes; at circa tegumentum

tum veluti folliculum magis purpuraſcentes, per caulem in longam ſpicam pedalem diſponuntur: quibus utriculi magni ſuccedunt, aliis ſimiles, *ſemine* ſupervacuo pulverulento repletæ.

43. *Orchis Ornithophora folio maculoſo* Lob. ico. Ger. Park. *Orchis papilionem referens foliis maculatis* C. B.

Hujus, teſte Lobelio, differentiæ accidentales plurimæ ſunt. *Floribus*; purpureis, purpuraſcentibus, albis: *Foliis*; prægrandibus, parvis, ovalis figuræ, ex lato in acutum deſinentibus, ex acuto in amplum & rotundum.

Tabernæmontano folia lata ſunt cum nervis apparentibus, multis maculis aſperſa: flores avi volanti ſimiles purpurei. Suſpicor eum ex icone deſcripſiſſe.

44. *Orchis Ornithophora floris colore herbaceo* J. B. *Or. papilionem expanſum herbacei coloris referens* C. B. *Ornithophora* Ger. *pſychodes herbacei coloris* Park.

In hujus deſcriptione nihil invenio quo ab aliis omnibus Orchidum ſpeciebus certò queat diſtingui, quod non ex titulo & icone ſtatim poſſit colligi. Si tamen detur aliqua Orchis *caule* multis foliis ei velut appreſſis cincto, *flore* herbaceo, papilionem alis expanſis referens, diſtincta omnino ſpecies eſt, nobis tamen incognita.

* 45. *Orchis Ornithophora candida* J. B. Lob. Ger. *Orchis papilionem referens anguſtifolia alba* C. B.

De hac præter iconem & titulum nihil invenio.

* 46. *Cynoſorchis Delphinia maculoſis foliis, flore purpuro-violaceo* J. B. *Orchis morio foliis ſeſſilibus maculatis* C. B.

Seſſilibus eſt & maculoſis obtuſioribúſq; *foliis*; *flore* purpuro-violaceo; *Caule* ſeſquicubitali, majuſculo olivari gemino *bulbo*.

* 47. *Orchis morio minor foliis maculatis* C. B. *Cynoſorchis minimis ſecundùm caulem* [*pedalem & cubitalem*] *maculoſis foliis, floribus purpureis* J. B. Lob. ico.

Plura non invenimus.

* 48. *Orchis minor anguſtifolius in ſuprema parte longis foliis* J. B. *Orchis Serapias* 13. *ſive anguſtifolia* C. B. Ger. emac. *myodes anguſtifolia* Park.

Hæc non ſatis valido tibicine Tabernæmontani autoritate nititur, qui, ut ait J. B. more ſolito nullam exhibet deſcriptionem. Si icon ad plantam facta, notabile eſt Orchidis genus, in eo differens à cæteris, quòd folia ſuperiora juxta flores ſint longa, cùm aliis ſint brevia.

* *Orchis melittias* J. B. *melittias ſive Apis cadaverulam exprimens* Lob. *fucum referens, flore ſubvirente* C. B. *Serapias ſecundus minor* Dod. *melittias ſive apifera* Park. *melitias* Ger.

Hujus deſcriptionem videſis apud Dodonæum. Nobis ab Orchidibus fucifloris ſuperiùs deſcriptis non diverſa videtur.

Orchis Araneum referens C. B. *Arachnitis* Park. *Andrachnitis* Lob. ico. Ger. **Spider-Orchis.**

In Ephemer. German. Ann. 2. Obſerv. 41. Orchidis Serapiadis ſeu Arachnitis iconem invenio, nulla addita deſcriptione, niſi quòd ejus flores Araneum purpurei coloris affabrè exprimebant, quódq; in ſylvis apud Patres Camaldulenſes propè Warſoviam Poloniæ eam invenerit Martinus Bernhardus à Bernitz; qui iconem Dodonæi ſecundam Orchidis Serapiadis Fucum referentis ab Arachnite ſua parum declinare, imo eandem ſe credere ſcribit. C. Bauhinus tamen ad Orchidem Melittiam eam iconem refert, ut ſuperiùs vidimus. Cùm ergo Dodonæus ad fucifloram eam retulerit, C. B. ad Melittiam, Autor hic noſter, ut & noſtrates Botanici ad Arachnitem: nobis equidem veriſimile videtur, unam & eandem Orchidis ſpeciem eſſe Melittiam, Fucifloram, Arachnitem dictas.

* 49. *Orchis trifolia minor* C. B. Ger. emac. *Orchides, culices minores triphyllæ* J. B. Lob. ico. *Orchis minor culicem exprimens* Park.

Vide deſcriptionem in hiſt. Belgica Lobelii.

* 50. *Orchis Hermaphroditica* C. B. *batrachites* J. B. Lob. Park. *Serapias batrachites* Ger.

Ranula à floris figura dicitur. Ex eorum genere eſt quæ ſexûs ambigui ſunt, ut & Hermaphroditicum teſticulum non male appelles. Sunt enim media inter Serapiadas & Cynoſorcheis, maximè quoad formam radicum. *Lob.*

51. *Orchis caſtrata* C. B. Park. *Serapias caſtrata* Ger. *Satyrion caſtratum ſeu Eunuchum Bernhardi à* Bernitz. *Orchidis genus, quibuſdam Satyrion caſtratum* J. B.

Martinus Bernhardus à Bernitz ſic eam breviter deſcribit. Planta eſt elegans, coloris purpuraſcentis, aliquando violacei, & punctulis ornata. In noſtris partibus in pratis menſe Junii conſpicitur. Bulbum habet diviſum in duas, aliquando in tres partes. Unde veriſimile eſt alind illud genus *J.B.* caule palmari & pedali, cum quatuor radicibus craſſis, uncialibus & ſeſquiuncialibus, &c. ab hoc non diverſum eſſe. *Ephem. Germ.*

§. 2. *De Orchide palmata, quæ geminum habet bulbum, velut in digitos diviſum.*

A. 1. *Orchis palmata non maculata* J. B. *palmata major mas, ſive Palma Chriſti mas* Park. *Palma Chriſti mas* Ger. *palmata pratenſis latifolia longis calcaribus* C. B. **The male-handed Orchis, or male Satyrion Royal.**

Radix gemino bulbo, in quatuor ferè digitos diviſo conſtat, ſapore fatuo. *Caulis* dodrantalis aut pedalis, ab imo ad ſpicam ferè foliis veſtitus oblongis ſeſcunciam latis, mucronibus acutis, nullis maculis notatis, pallidiùs virentibus. *Flores* in ſpicas nec admodum denſas, nec valdè productas congeſti, purpuraſcentes, alas utrinque erigunt purpureas; Folium quoque ſupremum erigitur, quæ autem ei ſubſunt coeuntia galeam æmulantur: labellum latum, tripartitum, lineis & punctis purpureis ſaturatioribus ſtriatum ſeu guttatum: calcar retro extenditur ſemunciale. Ad ſingulos florum pediculos apponitur folium latum & oblongum, purpuraſcens. Sapor foliorum amarus. Pediculus floris intortus, ut in hujus generis omnibus, in vaſculum ſeminale turgeſcit & retorquetur, longitudine ſemunciali.

In pratis humidis, & locis paluſtribus putridis, & ad aquarum rivos oritur. Menſe Maio floret. *Locus.*

Variat floris colore purpureo ſaturatiore & dilutiore, carneo, & interdum albo. Variat etiam magnitudine & ſpicæ longitudine inſigniter.

Hæc eſt proculdubio quam * obſervavit Cluſius in pratis urbi Londinenſi proximis: quin & Orchidis V. deſcriptio huic egregiè convenit, niſi quòd bulbos ſeu teſticulos rotundos, non palmatos ipſi appingat: quid intelligat per illam aliam grandiore paulò florum purp. ſpica, teterrimi odoris, quam in iiſdem pratis eruit, nos neſcimus. ** Hiſt. lib. 2. cap. 61. p. 268.*

A 2. *Orchis palmata ſpecioſiore thyrſo, folio maculato* J. B. *palmata pratenſis maculata* C. B. *palmata mas ſive Palma Chriſti mas* Park. *Palma Chriſti mas* Ger. **The female-handed Orchis, or female Satyrion Royal.**

J. B.
Caulem pedalem & interdum cubitalem aut altiorem erigit, viridem aut ſubpurpureum; in cujus faſtigio ſpicatim diſpoſiti flores rubentes vel dilutè purpurei, calcari trientem pollicis circiter longo, criſtis duabus erectis, galeâ è duobus foliis quibus tertium oppreſſum incumbit compoſitâ, labello in tres lacinias diviſo, purpuræ ſaturatioris lineolis & punctis guttato, pediculo purpuraſcente aut viridi, cui ſemper appoſitum acuminatum folium viride aut purpuraſcens. Hujus flores obſervantur & intenſius purpurei & penitus quoque albi. Folia plura, & à radice orta caulem ambientia, & è caule ipſo nata, inferna ſublonga, ſatis lata, ſuperna anguſtiora & breviora, alterno ſitu poſita, crebris maculis nigris notata. Radix ex gemino bulbo lato, utroque in digitos ferè quatuor abeunte, compoſita, ad quorum conjunctionem propagantur fibræ. Sapor radicis aqueus viſcidus cum nonnulla amaritudine: folia multo amariora. Deſcriptio eſt J. Bauhini.

Spica florum in hac planta plerunque denſa eſt floribus confertis, interdum rarior. Statura & ſpicæ longitudine inſigniter variat: nam in ſylvis & pratis pinguibus maximo & vel palmum longo thyrſo prodit, in paſcuis ſterilioribus (nam utrobique oritur) ſpicâ eſt dimidio minore & breviore.

Menſe Junio plerunque floret. *Tempus.*

Palmata maculata J. B.

In paucis à præcedente differt, altitudine minore, foliis evidentiùs maculoſis, foliolis acuminatis ad flores appoſitis ſaturatiùs purpureis. Hæ autem differentiæ non tanti ſunt ut ſpeciem diverſam exiſtimem.

Palmata alba J. B. *Serapias candido flore montana, maculatis foliis* Lob.

Hanc quoque ſolo floris colore à præcedente (quam flore albo interdum variare obſervavimus) differre cum J. Bauhino ſuſpicamur, ideóque nec ejus tanquam ſpeciei diſtinctæ rationem habebimus.

Hanc C. Bauhinus Orchidem palmatam viceſimam facit, titulo Orchidis palmatæ montanæ maculatæ.

3. *Orchis Pannonica VIII* Cluſ. *Or. palmata Sambuci odore* C. B. *palmata, ſive Orchis Pannonica floribus exalbidis* J. B. *palmata Pannonica* 8. *Cluſii* Ger. emac. *palmata Pannonica Cluſii* Park.

Cluſ.

Lilii primùm enaſcentia folia tria aut quatuor habet, dilutioris & quaſi pallentis viriditatis, nullâque macularum aſpergine notatis, ingrati ſaporis. Palmarem caulem amplectuntur aliquot *foliola*, in cujus ſummo faſtigio flores ſpicatim digeſti naſcuntur, exalbidi & quaſi palleſcentis coloris, nullis punctis diſtincti, anteriùs morionum hiantibus cucullis ſimiles, utrinque auriti, & latiuſculo pallido labro propendente, poſteriore verò parte corniculum habentes, ut Conſolida regalis aut Linaria, ſed latius & obtuſum, graviter odorati, florum Sambuci odorem referentes: ad horum exortum ſingula foliola naſcuntur, pallentia, & floribus colore reſpondentia. Radices geminæ velut palmæ in binos aut plures digitos diſtributæ ſunt: * quarum vetuſtior fungoſa, nigrior & flaccidior eſt, altera candida vegetior & ſolida, paucis ſupra earum exortum naſcentibus fibris.

** Hoc omnibus Orchidum ſpeciebus commune eſt.*

Variat floris colore purpureo.

Locus & Tempus. In Leytano ſaltu ſupra Manderſtorf, aliiſque Auſtriæ inferioris ſylvis, ínque editioribus quibuſdam pratis Viennenſi ſaltui proximis invenitur. Floret autem Aprili & nonnunquam etiam Maio.

4. *Orchis palmata montana maxima* C. B. Park.

C. B. prod.

Radices habet geminas, inſtar palmarum duarum ſibi invicem junctarum, & velut in plures digitos diviſarum. *Caulis* eſt bicubitalis, ſtriatus, vacuus, quem *folia* pedalia primùm, mox palmaria ſeſquiunciam lata, nervis diſtincta complectuntur: in cujus ſummo *flores* in ſpica palmari digeſti, coloris dilutè purpurei, qui parvi ſunt, galeolâ tecti, labro exiguo propendente, in anguſtiſſimas barbulas diviſo, & à tergo oblongo, capillaceo calcari donati: ad quorum exortum foliola ſingula, quaſi in filamentum abeuntia, obſervantur: his capitulum oblongum, ſtriatum, *ſemen* exiguum ſcobis inſtar continens ſuccedit.

Locus. In montibus vicinis [Baſileæ] potiſſimum Muleto, copioſè Maio menſe florens provenit.

5. *Palmata anguſtifolia maculata purpurea* J. B. *An palmata anguſtifolia minor* C. B? Park? *quam tamen ad ſequentem refert J. Bauhinus.*

Foliis eſt anguſtis, maculatis & non maculatis, quinque vel ſex alternatim per caulem provenientibus: inferiora latiuſcula, unciâ tamen multò anguſtiora, retroflexa, quatuor aut quinque uncias longa, ſuperiora breviora & valdè anguſta: *caule* cubitali, aliàs majore, interdum etiam minore. *Flores* multi, ſpicam breviorem exprimentes, purpurei. *Radices* pluribus digitis conſtant.

Locus: In valle Griesbachiana, acidorum fontium florentem Junii principio obſervavit J. Bauhinus.

A. 6. *Orchis palmata rubella cum longis calcaribus rubellis* J. B. *palmata minor calcaribus oblongis* C. B. *cui & eandem ſuſpicatur* J. Bauhinus *Palmatam anguſtifoliam minorem* C. B. *Serapias nitente flore* Ger. **Red handed Orchis, with long ſpurs.**

J. B.

Duplici nititur *radice* palmata, vigore viciſſitudinario annuatim in iis pulcherrima obſervatione ſe exerente: nam ea quæ cauli pabulum pariter & fulcrum ſubminiſtrat, tota flaccida apparet effœtaque, quæ verò ſequenti anno caulem productura, plena ſucculentáque, ſapore viſcido: plurimis alioquin digitis uncias longis præditæ ſunt: Obſervati ſane nobis in utrâque ad 24. [Rarum hoc nec niſi ſolo lætiſſimo] Supra palmatas radices (ut in reliquis Orchidibus) aliæ craſſitudinis fibrarum Hellebori. *Folia* prodeunt palmum longa, caulem complectentia, anguſta, pallidè viridia, non maculoſa. *Caulis* pedalis aut cubitalis, quem parva & anguſta quædam foliola ſtipant: ſuprema verò thyrſus occupat peramœnus, palmaris aut ſemipedalis floſculorum rubellorum, *nec alis nec labello lineolis ullis aut punctis ſaturatioribus notatis*, calcari prælongo, tenui & unguiculis avium ſimili, recurvo, præditorum, quibus ſuccedunt utriculi ſtriati, ſeminio pulverulento ferrugineóque repleti. Odor non vehemens, nec ingratus. Foliorum ſapor amarus; radicis viſcidus, neſcio quid hircinum reſipiens.

Hæc ſpecies ſpicæ longitudine, floſculorum rubellorum unicolorum parvitate, foliis non maculatis, calcaribus floſculorum longis & tenuibus à reliquis palmatis facilè diſtinguitur.

Locus & Tempus. Junio menſe apud nos floret in pratis & paſcuis humidioribus.

A. 7. *Orchis palmata flore luteo-viridi.* *An Or. palm. flore viridi* Park. C. B? *An Or. palmata batrachites vel myodes* Lob. Park? *Serapias batrachites altera* Ger. emac? **The Frog-Orchis. Handed Orchis with a green flower.**

Ex *radicis* duobus teſticulis palmatis, in duos, [interdum quatuor] digitos diviſis *caulis* exurgit palmaris, & nonnunquam ſemipedalis aut etiam dodrantalis, ſuperiore parte ſtriatus, foliis veſtitus dilutè virentibus, oblongis, modicè latis, non maculatis; *ſpicam* in cacumine ſuſtinens mediocrem pro plantulæ modo, *floſculis* rariùs diſpoſitis, pediculis intortis, quæ in vaſcula ſeminalia turgeſcunt, inſidentibus. Ad exortum uniuſcujuſque pediculi apponitur foliolum oblongum, acuminatum, ut in aliis Orchidibus ferè fit. *Flores* ipſi (qui, ut & tota planta digitis compreſſa, odorem ſpirant graviorem) pro calcaribus veſiculas obtinent pellucidas, in duas partes impreſsâ lineâ diviſas, adeò ut vinacea non male æmulentur. Galea ſive cucullus, ut in pleriſque aliis, è quinque foliis conficitur, quæ æqualis ferè ſunt longitudinis: bina interiora quæ ſupremo adſtant exterioribus multò ſunt anguſtiora. Pro ſtylo occultat galea quoddam quaſi corpus inſecti. Color galeæ viridis, marginibus nervis ex fuſco purpuraſcentibus. Subeſt labellum longiuſculum retrorſum flexum, coloris ex fuſco rpurei & interdum luteo-viridis (nam ſæpe variat) in tres lacinias diviſum, quarum media longè evissima. Univerſa floris facies Bifolii ſimilis, niſi quod flores Bifolii veſiculis illis quæ calcarium co ſunt omnino careant, & in iis labium propendens in duas tantùm barbulas dividatur.

Floret circa finem Maii & Junii initio, in paſcuis ſiccioribus. ***Locus.***

Deſcriptio *C. B.* in pleriſque huic noſtræ convenit: differt, quòd floſculos in ſpica paucos habere cit, labro in duas duntaxat barbulas diviſo.

Orchin batrachiten ab Herbariis noſtratibus dici ſolitam intelligo, unde & Lobelianæ Serapiadi trachiti eandem exiſtimo.

8. *Orchis palmata minor odoratiſſima purpurea ſive nigra* J. B. *palmata anguſtifolia Alpina* Park. *palm. anguſtif. Alp. nigro flore* C. B.

Foliis conſtat Croci: *caule* dodrantali, junceo lævíque: in cujus eacumine *flos* emicat purpureus, Amaranthi æmulus, qui recens odorem quàm ſuaviſſimum reddit.

In paſcuiis montoſis Juræ & Salevæ montium propè Genevam copioſam obſervavimus. ***Locus.***

* 9. *Orchis palmata pratenſis anguſtifolia major* C. B. prod. Park.

C. B.

Radices habet parvas, veluti palmas geminas, in binos digitos diſtributas, fibris paucis annexis: *folia* liliacea, anguſta, lævia & palmaria, per quæ veluti tubum caulis cubitalis cavus effertur, cui ſpica ferè palmaris, anguſta, ex floribus dilutè purpureis, brevi calcare donatis compoſita, quibus ſingulis foliola oblonga, acuminata ſubjiciuntur, & capitulum oblongum, ſemen aliarum inſtar continens ſuccedit.

Hæc in pratis udis Michelfeldenſibus ipſa æſtate reperitur. ***Locus.***

* 10. *Orchis palmata anguſtifolia minor odoratiſſima* C. B. Park.

C. B. prod.

Radice eſt geminâ, oblongâ, anguſtâ, palmæ ſimili, in tres, quatuorve fibras craſſiſſimas diviſa, ſupra quas ex imo caule fibræ aliquot ortæ expanduntur. Ex radice *folia* quinque aut ſex, oblonga, graminea prodeunt; inter quæ *caulis* unicus, palmaris, pauciſſimis & exiguis foliolis donatus, qui velut in *ſpicam* biuncialem abit, cui *flores* dilutè purpurei, odoratiſſimi inſident, qui galeâ tecti, labro prominulo, in quatuor barbulas diviſi ſunt, & parvo calcari à tergo prominente donati.

In pratis humidis Michelfeldæ provenit & Autumno floret.

11. *Orchis palmata caryophyllata* J. B. C. B. Park. *Serapias caryophyllata* Lob. Ger.

Vide Lob. Hiſt. Belg.

A. 12. *Orchis puſilla alba odorata, radice palmata.* **White handed musk Orchis.**

Ad latus montis *Snowdon* dicti in Wallia, ſecus viam quæ à *Llanberris* ad Carnarviam oppidum ducit, hanc obſervavimus; non tamen, (quod dolet) deſcripſimus.

3. *Orchides quædam palmatæ vel breviter & obſcurè deſcriptæ, vel quarum nudi duntaxat tituli aut icones traduntur abſque deſcriptionibus: ut nobis incertum ſit an à ſuperiùs propoſitis & deſcriptis ſpecie differant nécne.*

1. *Orchis palmata paluſtris latifolia* C. B. Park. *palmata ſive Serapias paluſtris latifolia flore albo ſubpurpuraſcente* C. B.

Lobelius præter notas in titulo poſitas non alias habet, quàm quòd ſit folio lævi latóque, violaceâ præcocior. Ego equidem hanc non differre ſuſpicor à vulgari Orchide palmata non maculata, quæ non alibi apud nos quàm in pratis humidis & locis paluſtribus oritur.

2. *Orchis palmata paluſtris altera* C. B. *palmata Serapias paluſtris leptophylla, violacea maculata & non maculata* J. B.

Lob.

Seriùs floret, comâ violaceâ, foliis interdum lævibus, interdum maculoſis.

3. *Orchis palmata paluſtris tertia* C. B. *palmata anguſto folio viliſſima paluſtris* J. B. *Cynoſorchis paluſtris lævi folio, ſeu leptophylla omnium viliſſima C. Gemmæ* Lob.

Icon Lobelii, obſervante J. Bauhino, non demonſtrat folia anguſta.

4. *Orchis palmata paluſtris tota rubra* C. B. *palmata floribus impensè rubris* J. B. *Cynoſor. Dracontias foliis & floribus impensè rubris C. Gemmæ* Lob.

Tempus. Floret circa finem Aprilis & initio Maii. Naſcitur in humidis & uliginoſis pratis, præſertim ubi nigrior terra eſt. *Lob.*

Hanc etiam à vulgari Palmata non maculata ſpecie non differre conjicio.

5. *Orchis palmata paluſtris maculata* C. B. *palmata paluſtris nephelodes* J. B. *Cynoſor. paluſtris lophodes vel nephelodes C. Gemmæ* Lob.

Flos illi communis ferè cum cæteris maculoſis. Orchidi palmatæ fœminæ in paluſtribus naſcenti eandem ſuſpicamur.

6. *Orchis palmata Serapias montana folio lævi* J. B. *palmata montana altera* C. B. *palmata montana Lobelii* Park. *Serapias montana* Ger.

7. *Orchis palmata pratenſis maxima* C. B. *palmata, ſive Cynoſorchis macrocaulos galericulata* C. Gemmæ J. B. *Cynoſorchis macrocaulos, vel conopſæa, vel galericulata C. Gemmæ* Lob. *Orchis palm. prat. maxima, Conopſæa dicta* Park. *Palma Chriſti maxima* Ger.

Tempus. Floret circa medium finémque menſis Maii uſque ad Junii ferè medium.

Flores in hujus icone, obſervante J. Bauhino, multum habent ſimilitudinis cum Orchide palmata rubella cum longis calcaribus.

CAP. XXI.

De Pſeudo-Orchide.

FOliis & floribus cum Orchide convenit, radice non tuberoſa ſed repente aut fibrata ab eadem differt.

1. *Pſeudo-Orchis* C. B. *Orchis radice repente* J. B. *minor radice repente* Cam. Park. *Palma Chriſti radice repente* Ger.

Hanc ſic deſcribit Camer. in hort. Orchis minor floſculis albis, *foliis* craſſis nigris: radice repente geniculata; & ubi folia emergunt apparent puſilla rudimenta, tanquam naturæ teſticulos effingere conantis.

Naſcitur ſponte in opacis ſylvis in ramentis arborum quæ longa vetuſtate emarcuerunt. Ad hortos tranſlatus durat, ſed colorem acquirit magis pallidum, nec tam craſſa manent folia.

2. *Pſeudo-Orchis rad. repente, foliis maculis nigris aſperſis* Mentzel.

Folia Cyclamini aut Fritillariæ inſtar eleganter ſunt maculata.

Locus. Hæc raro in nemoribus temperatis circa Furſtenwaldiam, Berolinum & alibi in Marchia Brand crеſcit.

A. ſ 3. *Pſeudo-Orchis bifolia paluſtris. Orchis bifolius minor ſabuletorum Zelandiæ & Batavi* J. B. Lob. Ad. in append. p. 506. *Chamæorchis lilifolia* C. B. *latifolia Zelandi* Park. **Dwarf-Orchis of Zealand and Holland.**

Radicem habet bulboſam, è ſquamis compactam, intus ſi diſſecetur viridem, & Orchidum plantis diſſimilem; nam fibræ è bulbo prodeunt infra, non ſupra & juxta bulbum è caule, & præterea reptando ſe propagat, fibris in novos intumeſcentibus bulbos. *Folia* profert bina, pallidè virentia, inter quæ *caulis* palmaris & major exurgit, anguloſus, in ſummitate floſculos tres vel quatuor & interdum plures ſuſtinens, dilutè virides ſeu herbaceos, ſex petalis compoſitos, cum *ſtylo* in medio viridi, albâ maculâ in apice notato, & paululum incurvo, ac ſi cuculli vicem ſuppleret. E petalis quod dependet labelli loco cæteris multò latius eſt, è reliquis quinque tria ejuſdem ferè ſunt longitudinis, duo longè anguſtiora alarum loco ſunt. Vaſcula ſeminalia in Lobelii icone optime pinguntur.

Locus. In aquoſis paluſtribus propè *Hinton* & *Teverſham* vicos, non procul Cantabrigiâ.

Pſeudo-Orchis *μονόφυλλος Cluſ.* huic perſimilis eſt, eandem dicerem niſi obſtaret monophylli epitheton. Forte tamen Cluſius non integram vidit.

Cap. XXII.

De Orobanche.

ORobanche dicta eſt ἀπὸ τοῦ ἄγχειν τοὺς ὀρόβους, quia Vicias ſtrangulat.

Florum figura ad Orchidem accedit, foliorum, viridium & herbaceorum carentia differt tum ab Orchide tum ab aliis plantis. Eſt autem vel radice ſimplici non repente ſquamoſa, *Orobanche* ſimpliciter dicta; vel radice denticulata repente, *Dentaria*; vel radice multis fibris craſſiuſculis implexis compoſita, *Nidus avis.*

A. 1. *Orobanche ſive Rapum geniſtæ* Ger. Park. *Orob. flore majore* J. B. *major, garyophyllum olens* C. B. **Broom-Rape.**

J. B.

Cubitali altitudine exſurgit & majore, *caule* recto, tereti, hirſuto, pallido aut luteolo, aut ſubruffo, concavo: in quo non tam *folia*, quàm foliorum rudimenta, anguſta, longiuſcula, ſeu ligulæ celerrimè marceſcentes, raræ, quorum etiam ſingula ſingulis floribus ſunt ſubjecta. *Flores* in thyrſo Orchidum more, ſed ex longioribus intervallis, Meliſſæ *Fuch.* magni, impensè hirſuti, colore ex purpureo obſoleto pallido, rictum effigiantes, è quo prominent *apices* nigricantes ſtaminum albidorum: labrum autem quod demittunt in tres lacinias eſt diviſum, ipſéque floris fundus melleo ſucco viſcido madet. *Radix* bulboſa, è ſquamis compactilis, non admodum altè demergitur: ſapor ejus admodum amarus. Flores odorem ſpirant haud ità ingratum.

Geniſtæ radicibus frequenter adnaſcitur unde & Rapum geniſtæ vulgò dicitur: invenimus & inter ſegetes. *Locus.*

Herba condita aut ejus ſyrupus ad ſplenicos & hypocondriacos affectus uſus eſt eximii; unguentum ex eodem cum Axungiâ ad tumores duros & ſcirrhoſos. *D. Bowle.* *Vires.*

Orobanche flore minore *J. B.* adeò parùm differt à præcedente, ut ſpecie diverſum eſſe mihi perſuadere vix poſſum.

2. *Orobanche magna, purpurea Monſpeſſulana* J. B. *major Monſpeſſulana* Park. *major Monſpeliaca floribus oblongis* C. B. Ger. emac.

Huic digitalis craſſitudinis, altitudinis autem bicubitalis *caulis* adoleſcit, totus purpuraſcens, cui ſerie quadam ſurſum verſum apprimuntur *folia* ſatis brevia, amplexicaulia. Scapum obſident *flores* purpurei, Orchidis floribus ſimiles, calcaribus brevibus, ſinguli foliolo intecti. *Radix* ſuperiorem refert partem radicum Orchidis, nullis teſticulis tamen aut bulbis donata. Sapor amarus, teterrimus.

Propè Monſpelium in ſylva *Gramont* menſe Aprili florentem obſervavit J. Bauhinus. *Locus.*

Cluſius hujus meminit ſub titulo Pſeudolimodori Monſpeliani.

Hanc loco prædicto ſe ſæpius collegiſſe ſcribit D. Magnol Aprili & Maio menſibus: verum figuras ejus quæ habentur apud Cluſium & J. Bauhinum non probat: nam in figura *Cluſ.* labrum inferiùs bifurcatur, quod (inquit) in noſtra non fit: in figura *J. B.* nulla eſt proportio caulis cum floribus. *Tempus.*

3. *Orobanche majore flore* C. B. Ger. emac. *Orobanche ſubcæruleo flore ſive* 2. Cluſ.

Cardui vulgaris, inter ſegetes naſcentis radicibus inhærentem olim eruere meminit Cluſius cum Mompelii viveret.

D. Magnol in herbidis maritimis ſæpius collegit. *Locus.*

4. *Orobanche flore majore & cæruleo purpuraſcente* C. B. *flore majore purpuraſcente* Park.

C. B. prod.

Radice eſt craſſa, longa, fibroſa: *caule* ſemipalmari, *foliolis* paucis, breviſſimis, craſſis & acutis cincto, qui in quinque, ſex, etiam plures pediculos, nudos, triunciales abſumitur, quamvis etiam ex foliorum alis pediculi prodeant, quorum ſummo *calix* uncialis, ſinuatus inſidet, & ex quolibet *flos* unicus, cœruleo-purpuraſcens, longo pediculo donatus exit, qui magnus, uncias duas longus, formâ galericulatus, & veluti roſtratus, ut in Alectorolopho, ex quo filamentum oblongum reflexum prodit: quod flori ſuccedat non conſtat.

In Pyrenæis montibus collegit Burſerus. *Locus.*

5. *Orobanche ramoſa* Ger. Park. C. B. *minor purpureis floribus, ſive ramoſa* J. B.

J. B.

Ramoſo eſt *caule*: ſæpe etiam plures, dodrantales aut breviores emittit *caules*, multo tenuiores quàm Orobanches vulgaris, rigidioréſque, duros, rufeſcentes, hirſutos, in ramos ſubinde diviſos, foliorum duntaxat veſtigiis quibuſdam ornatos. *Flores* ſpicati, minores, purpurei, oblongi, hiantes, è multifido calice emergunt, cui ſingulo ſingulum appoſitum foliolum acutum. Sequuntur *capitula* turgida, pulviſculo plena. *Radix* tuberoſa Avellanæ magnitudine, fibrarum propaginibus donata. Sapor plantæ aliquantulum amarus.

In arvis demeſſa ſegete primò circa Ratiſponam Germaniæ urbem obſervavimus, poſtea etiam in Italia & Gallia Narbonenſi. *Locus.*

6. *Orobanche parva radice coralloide ruberrima* Mentzel.

Corallia rubra & colore & ſpecie externa magno naturæ miraculo in hujus plantulæ radice efformata ad vivum exemplar conſpiciuntur.

Locus. In ſcopulo Mittenwaldenſi reperta eſt.

7. *Orobanche hypopitys lutea* Mentzel.

Locus. In Pinaſtretis ſub altiſſimis Marchiæ Brandtædis naſcitur. Cùm menſibus Maio & Junio erumpit corpuſculum luteum in ſe contortum, tanquam eſſet fungulus orbicularis luteus, oſtendit. Ac deinceps ultra ſpithamam longa exſurgit. *Radix* ſæpiùs ultra longitudinem ulnæ in terram demiſſa radici arboris inhæret. Planta cùm marceſcit nigrum colorem acquirit, ſaporémque Ulmariæ habet. Aliarum etiam plurimarum arborum radicibus infixam obſervavit Autor.

8. *Orobanche quæ Hypopitys dici poteſt* C. B. prod. *Hypopitys* Park.

C. B.

Vulgari ſimilis eſt, ſed humilior & nigricans, caule unciarum quatuor, quaſi ſquamis contecto. *Flores* in ſummo velut in parvam ſpicam congeſti, Nido avis ſimiles, albidiores rariores ac duriores. Sub piceis, Abietibus & Pinaſtris provenit. Sapore eſt aliquantulum adſtringente.

9. *Orobanche quæ Hypociſtis dicitur*. *Hypociſtis* Ger. Park. J. B. C. B. & aliorum. **Rape of Ciſtus.**

Hypociſtis è variorum Ciſti generum radicibus excreſcit. Orobanches ſeu Limodori quoddam genus videtur; craſſum eſt, pingue, carnoſum, ſucci plenum, ex multis veluti Hyoſcyami utriculis, aut Mali Punicæ cytinis totum conſtans. Hæc *Bodæus à Stapel.* Multis, deſcribente Parkinſono, exſurgit caulibus erectis, foliis parvis crebris undique obſitis, vix pedem altis, multos in ſummitate flores confertos geſtantibus craſſos & ſucculentos, albentes, Mali Punicæ cytinis ſimiles, relinquentes poſt ſe ſemina in capitulis duris pulveris inſtar tenuiſſima.

Cluſius ſub Ciſto mare primo hypociſtidem naſci refert elegantiſſimam omnium quas unquam viderit. Nam quando primùm è terra emergit, purpureum ſive Kermeſinum ſericum eſſe diceres, deinde paulatim aſſurgens & ſeſe explicans multum de priſtini coloris elegantia remittit, & cytinos ſuos profert candicantes, turgidos & lento ſucco plenos.

Idem ad radices Ciſti Halimi folio Hypociſtin obſervavit omnino luteo ſeu ochræ colore ipſius plantæ florem referentem.

Idem ad Ledi Narbonenſis radicis adnatam inveniebat, multis veluti ſquamis, ut quod in aliorum Ciſti generum radicibus creſcit, compactum, palleſcentis coloris, quibuſdam tamen lineis purpuraſcentibus & nonnihil vireſcentibus diſtincti, cytinos ſuos ſumma parte proferens, lento & glutinoſo ſucco totum prægnans.

Quin & aliarum etiam Ciſti ſpecierum radicibus adnaſci hypociſtidem in calidis regionibus veriſimile eſt.

Vires. Admodum efficax remedium eſt ad omnes fluxiones putà ſanguinis rejectiones, profluvia muliebria, cœliacos dyſentericóſque affectus. Quin ſiquam partem roborare conſilium ſit, quæ viz. pluſculo humore exoluta fuerit, robur & firmitatem illi non inſtrenuè addit. Sic ſanè ſtomachicis epithematis, hepaticíſque commiſcetur, & ex viperis confecto Antidoto inditur. *J. B. è Galeno.*

Hodie ad hunc ferè præparatur modum, Cytinum contundunt recentem, ex eodem eliciunt ſuccum, qui ſubinde inſolatur ac denſatur ſervaturque ad uſum. *Bod. à Stapel.*

CAP. XXIII.

De Nido avis.

A. 1. *Orobanche affinis nidus avis* J. B. *Orchis abortiva ruffa ſive Nidus avis* Park. *Satyrion abortivum ſive Nidus avis* Ger. *Orchis abortiva fuſca* C. B. **Miſhapen Orchis, or Birds-neſt.**

J. B.

C*Aulem* ſurrigit modò ſingularem, modo duos vel tres, pedales aut cubitales, albicantes; *foliis* veſtitos concavis, pellucidis, ſtriatis, neutiquam acutis, ſed obtuſis, supernâ parte quodammodò cordis formam exprimentibus: quorum ſumma *florum thyrſus* Orchidum modo & formâ occupat coloris helvi aut pallidi, qualis & foliorum tabidorum; ac occluſi quidem è brevibus pediculis, ad quorum exortum foliola parva, ſingula ſeſe exerunt: ubi verò ſe aperiunt, Orchidum modo hiant. Galea exigua ſub qua piſtillum breve cum apiculis albicantibus, quod utrinque ad latus bina foliola cingunt: *Labellum* magnum, ima floris occupans, cavum intus: nullus odor notabilis. Dehiſcentibus floribus *utriculi* pulviſculorum ſuccedunt ſtriati, anguloſi, reſiduis florum petalis marcidis inſigniti. *Radix* craſſis fibris, ſucculentis, fragilibus tota perplexa, nidorum avium ſtructuram imitans, quorum extrema obtuſâ obſervavimus. Sapor radicis ac totius plantæ amarus horridus.

Locus. In ſylvis & opacis invenimus in Cantio prope *Maidſton* oppidum, ínque Suffolcia non longè ab Aldeburgo. In tranſmarinis etiam in montibus & ſylvis opacis reperitur.

A. 2. *Orobanche Verbaſculi odore* D. Plot.

D. Plot.

Radix hujus plantæ obtuſa eſt & ſquamoſa, cui appenditur glomus aut velut faſciculus fibrarum complicatarum *Nidi avis* dicti ſimilium. *Caulem* exſerit tenerum, teretem, valdè fragilem, vix octo digitos altum, *foliolis* parvis, brevibus, ſquamoſis, tenuibus & ferè membranaceis, proximè admotis ſeu appreſſis obſitum. Propè faſtigium caulis *flores* exeunt parvi octo aut decem interdum, ab Orobanches vulgaris floribus longè diverſi, petalis ſci. quatuor majuſculis exterioribus, quæ totidem interiùs minora continent, compoſiti. Vaſculum ſeminale fundo globoſo, collo anguſto cum foramine in apice, ambiunt ſtamina tenuia purpureis apiculis inſignia.

Tota planta caules, folia, flores cùm florere incipit colore eſt pallidè luteo ſeu ſtramineo; & fracta ſeu compreſſa odorem exhalat Primulæ radicis æmulam.

Ad radices arborum in ſylvis propè *Stoken* templum oritur, in Comitatu Oxonienſi. *Locus.*

A. 3. *Orobanche & Nido Avis affine Pſeudo-limodoron Auſtriacum violaceum* J. B. *Orchis abortiva violacea* C. B. *Nidus avis purpureus* Park. *Nidus avis flore & caule purpureo-violaceo, an Pſeudo-limodoron Cluſii* Ger. emac. **Purple Birds-neſt.**

Cluſ.

Pedali aſſurgit *caule*, frequentibus ſecundùm radicem foliolis tanquam vaginulis involuto, ſpicam geſtans *florum* tetrapetalωn, ſuperiore petalo in corniculum deſinente, & promuſcide quadam inter media folia prominente, cui adnatæ ſunt duæ tenues barbulæ. Floribus ſtriata & longa ſubſunt *capitula*, ſemine exili & Orchidum ſimili plena. Subrotundam *radicem* non habet, ſed craſſas longas & obliquas *fibras* quemadmodum Helleborine. Tota ſtirps ſaturè purpura & planè violaceo colore prædita eſt.

In montanis ſupra Badenſes thermas obſervavit Cluſius. In Southamptoniæ comitatu propè *Alton* oppidum invenit *D. Goodyer.* *Locus.*

Cap. XXIV.

De Dentaria aphyllo.

A. 1. *Orobanche radice dentata major* C. B. *Dentaria major Matthiolo* Ger. *Orob. radice dentata ſive dentaria major Matthiolo* Park. *Anblatum Cordi ſive Aphyllon* J. B. **The greater Tooth-wort.**

J. B.

Ex *radice* multiplici, mira ſquamarum denticulatarum congerie ſtipata, alba, molli & ſuccoſa, *caulem* erigit minimi digiti fere craſſitudine, dodrantalem aut altiorem, teretem, ſucculentum, fragilem, tenui membranâ veſtitum, aqueâ pulpâ abundantem. Juxta quem ex longis intervallis auriculæ quædam membranaceæ, foliorum æmulæ prodeunt, adverſæ quidem, ſed alterâ tantillum eminentiore. Tertiam & ſupremam cauliculi partem *flores* occupant plures, hiantes, eodémque modo nutantes & antrorſum ſpectantes omnes, brevi pediculo appenſi, à quorum tergo pediculorum quoque exortum foliola muniunt. Floris color ex ruffo vel purpura candicans. Illis ſuccedunt vaſcula Avellanæ ferè magnitudine, à pediculo ad medium calice foliaceo, ſubhirſuto, tenello, ſuccoſo & quadripartito veſtita, lineis quibuſdam ac canaliculis quadripartita, ſemine rotundo, ova piſcium minima æmulante denſiſſimè farcta, quod maturum totum nigrum eſt, papaverinum, ſed ſextuplo majus. Tota cæterum planta guſtu eſt aquoſo, acerbiuſculo, non ſine aliquo amaritudinis ſapore, quæ tamen in ſemine magis conſpicua.

In umbroſis ſepium aggeribus & ſub arboribus ſolo friabili in Anglia invenitur, ſed rariús. *Locus.*

2. *Orobanche radice dentata minor* C. B. Park. *Dentaria aphyllos altera* Cluſ.

Cluſ.

Tota tenella eſt, *radicémque* habet candidam, è multis veluti denticulis congeſtam, *cauliculum* ſeu potiùs pediculum proferentem dodrantalem aut paullò majorem, ſucci plenum, & quaſi tranſparentem, candicantem, foliorum expertem, quibuſdam tantùm velut articulis diſtinctum: qui *flores* ſummo faſtigio gerebat binos aut ternos, alternatim diſpoſitos, ex albo purpuraſcentes, nigræ Violæ aut veriùs Orchidis ſeu Limodori florum æmulos & valdè tenellos.

Florentem Auguſto menſe invenit Cluſius ad radices Etſcheri jugi ſub Abietibus aliiſque hujus generis arboribus, quo Sol vix unquam penetrat, nullæque aliæ ſtirpes naſcuntur: Ampliorem & pluribus floribus onuſtum in ſylvula Francofurto ad Mœnum vicina Junio menſe. *Tempus & Locus.*

3. *Orobanche radice coralloide* C. B. *Dentata aphyllos minor Tabernamontani* J. B. *Dentaria coralloide radice ſive aphyllos* 3. Cluſ. *Dentaria minor* Ger.

Cluſ.

Huic *flores* ſunt quinque aut ſex, minores, Orchidis pumilæ floribus pares, ſimiliter ex herbaceo palleſcentes (labro tamen propendente exalbido, & circa umbilicum purpureis venis inſignito) inodori, ſpicæ in ſpeciem in palmari pediculo enaſcentes, foliis carente & ſubfuſcis veluti vaginulis recondito. *Radix* illi ramoſa Corallii inſtar, prorſus alba, ſucci plena, nullis fibris contexta, amariuſculi ſaporis.

Hanc duntaxat obſervavit Cluſius Maio menſe florentem in ſylva recens cæſa paullò ſupra *Entzeſtorf im Langhethal.*

4. *Orobanche radice dentata, altiùs radicata, foliis & floribus purpureis* Mentzel.

Mentzel.

In Boruſſia & Marchia frequens terrâ erumpit fertili, ſub Fagis umbroſis, primò inſtar criſtæ ad terram retortæ, poſtea maturior erigitur, ſpithamam exſuperans. *Radix* ſquamata & altiſſimè radicata, ſuperius ſurculos emittit, qui intra terram emorantur, medio & ſupremo ſurculo extra terram tantùm ſe erigente.

5. *Dentaria aphyllos flore purpureo.*

Denſo ceſpite terram operit Sempervivi majoris in modum. Ex ſingulis ſquamis ſingulos promit *flores*, pediculis ſemuncialibus inſidentes, è calyce amplo, ſtriato, turgidulo, quinquepartito, galeatos, magnos, purpuraſcentes, cum ſtaminulis intus plurimis.

Locus. In Italia locis humidis & umbroſis ſecus fluvium quendam medio circiter itinere inter Maſſam & Lucam obſervavimus. Plurimum differt à reliquis Dentariis. Nos ob feſtinationem in ea obſervanda & deſcribenda minùs diligentes fuimus.

CAP. XXV.

De Helleborine.

A Foliis nervoſis Hellebori albi quadantenus ſimilibus nomen ſortita eſt.

Radice fibroſa, foliis nervoſis ab Orchide differt, cui quoad flores & vaſcula ſeminalia ſimilis eſt.

A. 1. *Helleborine latifolia montana* C. B. *Helleborine* Dod. Ger. *Elleborine Dodonæi* J. B. *An Elleborine flore viridante* Park. **The moſt common baſtard Hellebore.**

J. B.

Numeroſis fibris radicatur, albidis, quàm Ellebori habitioribus, & ad Ruſci radices accedentibus, ſapore amaricante: *caulis* modò unicus, modò plures, pedales aut etiam cubito altiores, nullis ramis donati, teretes, & farinâ quadam aſperſi, quibus ſine pediculo adnaſcuntur *folia*, Hellebori albi inſtar nervoſa, ſed multis numeris minora, & vix ad foliorum Polygonati magnitudinem pertingentia, ſapore itidem amaro. Caulis à medio ferè ad ſummum uſq; faſtigium, per intervalla alternatim floribus ornatur, Orchidum floribus non multùm diſſimilibus, quos conſtituunt folia bina albida, terna herbacea, utraq; expanſa, quorum medio ceu exenteratum muſcæ cadaverulum ex albo purpuraſcens conſpicitur. Flori ſubeſt canaliculatum capitulum, pediculo inhærens brevi, quo aucto *ſemen* clauditur minutiſſimum & pulviſculi inſtar.

Locus. In ſylvis cæduis, lucis & opacis ſæpiùs occurrit. Æſtate floret. Variat floris colore hæc ſpecies: nobis obſervata flore erat herbaceo, * D. *Plott* & Oxonienſibus botanicis, flore purpureo, etiam ſaturatiore quàm Helleborines flore atro-rubente dictæ. Hinc nonnunquam dubitavimus an Elleborine quam nos invenimus ſæpiùs tum in Anglia, tum in regionibus tranſmarinis ſit Helleborine *Dod.* necne, & non potiùs Damaſonium flore herbaceo, intus nonnihil candicante *J. B.* necdum nobis plane conſtat; Hujus idcirco Synonyma & deſcriptionem proximo in loco dabimus.

* *Hiſt. Nat. Com. Oxonienſis.*

2. *Damaſonium flore herbaceo, intus nonnihil candicante* J. B. *Elleborine recentiorum* 3. Cluſ. *Helleborine anguſtifolia paluſtris ſive pratenſis* C. B. *Helleb. flore viridante* Park.

Cluſ.

Pari eſt cum præcedente magnitudine, paullò latioribus *foliis*, minoribus *floribus*, qui etiam quinque petalis conſtant, & galeolam cum prominente labro amplectuntur, coloríſque ſunt herbacei, interiùs nonnihil candicantis, nullius odoris: quibus toroſa contortaq; *capita* ſubſunt. *Radix* nominatæ ſimilis.

Locus. Invenitur in quibuſdam Auſtriæ & Pannoniæ ſiccioribus pratis, & in Norimbergenſi ſylva urbi vicina ad latomias.

Miror cur C. Bauhinus hanc anguſtifoliam appellet, cùm Cluſius folia illi latiora tribuat quàm ſint Helleborines *Dod.* quam tamen idem *C. B.* latifoliam vocat.

Suſpicamur hanc non differre ſpecie ab Helleborine *Dod.* uti neç ſequentem.

3. *Elleborine flore carneo* J. B. C. B. *Elleb. flore purpurante* Park. *forté.* 4. Cluſ.

Cluſ.

Huic minor eſt altitudo, ſimilia nonnunquam *folia*, interdum multò latiora; *flores* aut omnino purpuraſcentes, aut propè carnei, Helleborines *Dod.* floribus prorſus ſimiles, nec *radix* differt.

Locus. Creſcit in montanis pratis in cæduis ſylvis Auſtriæ.

4. *Elleborine montana anguſtifolia ſpicata* C. B. J. B. *Elleborine* 5. Cluſ.

Cluſ.

Cubitalem altitudinem ſuperat, & ampliſſima omnium ſunt illi folia, atq; oblonga purpuraſcentium florum ſpica.

Naſcitur

aſcitur in multis Pannoniæ & Auſtriæ ſylvis, & ad montanorum pratorum margines, &c. *Locus.*
anc non differre ſpecie ſuſpicamur à ſequente.

A. 5. *Helleborine altera atro-rubente flore* C. B. *Elleborine flore atro-rubente* Park. *Elleborine botryodes ſive Aliſma racemoſum* J. B. **Wild, or Baſtard white Hellebore.**

Seſqui-dodrantalis eſt planta: *caule* geniculis diſcreto: ex quibus continuo ordine folia ſua exſe- Plantaginem majorem fere imitantia, ſeſcunciam lata: *flores* verò racematim quaſi in longo urvóq; ſcapo dependent plurimi rubicundi.

Species illa Helleborines quam nos pro Hellebor. flore atro-rubente habemus, quámq; ſæpius in ntoſis Angliæ & regionum tranſmarinarum obſervavimus, ab Elleborine Dodonæi nobis credita fert, foliis anguſtioribus, in caule crebrioribus, florum colore atro-rubente, quamvis hoc non ſit perpetuum, & tempore etiam florendi, menſtruo minimùm ſpatio ſerius quàm illa, ut nos monuit D. Plott.

A. 6. *Helleborine flore albo* C. B. Ger. *vel Damaſonium montanum latifolium. Damaſonium Alpinum ſive Elleborine floribus albis* J. B. *Elleb. minor flore albo* Park.

J. B.

Radices ei fibroſæ, tenues: *Caulis* modò dodrantalis, modò major, modò minor, gracilis foliis, alternatim amictus, Plantaginis lanceolatæ, anguſtis, aliàs etiam unciâ latioribus, ſed Hellebori albi modo ſtriatis, nitidis. *Flores* per caulis ſumma ſpicatim & velut Orchidum modo diſpoſiti, è ſinu foliorum exiguorum, ſingulares, majuſculi, lactei, longi calyces capitulo impoſiti, tribus in ambitu foliis præditi, intrà quæ duo alia minora, his verò oppoſitum tertium hians & labellum luteum velut alis quibuſdam munitum; ex hujus hiatu piſtillus albus, nitidus, brevis, capitulum ſuſtinet nitidiſſimum, tenerrimum, oblongum, ſummâ parte per longum hili impreſſione notatum.

In ſylvoſis prope ſummitatem montis Salevæ Genevæ vicini invenimus. J. B. in montibus ad S. Urſinum florentem Maio, item prope Tigurum urbem. Reperitur etiam in Anglia, viz. in ſylvis propè templum Stokenſe agri Oxonienſis, non procul viâ quæ Londino Oxonium ducit. *Locus.*

7. *Helleborine anguſtifolia montana purpuraſcens* C. B. *Damaſonium purpureum dilutum ſive Elleborine* 6. *Cluſii* J. B. *Helleborine anguſtifolia* 6. *Cluſii* Ger. *Elleborine anguſtifolia ſpicata verſicolor* Park.

Cluſ.

Cubitali *caule*, tenui, rotundo, geniculato, quem in ſingulis geniculis alternatim ambiunt anguſta *folia*, Elleborines *Dod.* foliis non diſſimilia, eruere meminit Cluſius: cujus ſummus caulis deſinebat in ſpicam ſex, octo, aut plurium interdum florum, quinis foliis, elegantiſſimi dilutique purpuræ coloris conſtantium; inter quæ latebat quædam veluti galeola, muſcarum proboſcidi ſimilis, labrum inferiore parte adnexum habens, æqualis ferè cum foliis longitudinis, candicans, intus ſtriatum. Suſtinebantur ii flores anguloſo, tortili, hirſutóq; nonnihil capitulo. *Radix* illi fibroſa, ſparſa, ſubrufeſcentis coloris.

Ad radices montis Salevæ versùs Genevam copioſè oritur. Floret Junio nonnunquam etiam Julio. In Ungaria ſylvis Zollonock vicinis obſervavit Cluſius. *Locus & Tempus.*

8. *Elleborine ex albo ſublutea* J. B.

J. B.

Caule ſurgit recto, ſeſquicubitali plus minùs. *Foliis* veſtitur pluribus, alterno ſitu poſitis, perfoliatis, latioribus quàm Elleborine, flore albo, venoſis & ſtriatis ut Ellebori albi, ſed multis numeris minoribus, ſaturè virentibus. Caulis ſumma thyrſus occupat *florum* ex albo luteorum, galeâ albâ, labello luteo & ſubcroceo præditorum: è quorum ſinu piſtillus firmus, craſſus cum apiculis farinaceis. Ad quorum pediculos ſemunciam longos ſingula extrorſum conſpiciuntur foliola parva, anguſta acuminata. *Radix* fibrata, ad Elleborum accedens, valdè profundè radicata. Sapor amarus admodum in foliis & floribus.

In ſylvula quadam monti Salevæ versùs Genevam vicina invenimus. J. Bauhinus obſervavit florentem menſe Maio in limitibus Montbelgardenſis ditionis verſus *Mathai* arcem in vepribus & in monte dicto *Montbar*. Floret omnium quas novimus hujus generis prima. *Locus & Tempus.*

Hæc & præcedens pauciores proferunt *flores* quàm reliquæ pleræque Helleborinæ, eóſq; (quantum meminimus) majores & ſummos caules occupantes: nec multùm à ſe mutuò differunt præterquam floris colore.

9. *Elleborine tenella, tribus in caule foliis prædita* J. B. *Helleborine* 7. *Cluſii* C. B.

Cluſ.

Hanc ſiccam tantùm vidit Cluſius. Erat autem pedalis ferè altitudinis, gracili *caule*, tribus foliis prædito, Elleborines vulgaris foliis formâ ſimilibus, & quinq; nervis per longitudinem eorum excurrentibus, ſed longè minoribus, ut quæ circiter unciam longa ſint duntaxat, ſemunciam lata. Summus caulis in ſpicam *florum* deſinit, Orchidis & Elleborines vulgaris flores imitantium, ſed minorum. *Radix* ſumma quaſi tellure ſparſa craſſiuſculas ſucculentáſq; fibras egerat.

A. 10. *Helleborine paluſtris noſtras.* **Marſh Hellebore.**

Radix obliquè ſub terra reptat, fibras albas craſſas ſubinde emittens. *Caules* dodrantalem & interdum pedalem altitudinem aſſequuntur, teretes, non ramoſi, ſumma parte purpuraſcentes. *Folia* ſex ſeptémve in caule, ad ſingula genicula ſingula, baſi ſua caulèm amplexa, glabra, nervoſa, quàm Helleborines *Dod.* anguſtiora & acutiora. *Flores* in ſummis caulibus in ſpicas laxas diſpoſiti, infirmis pediculis ferè penduli, è quinq; partibus ſeu foliolis componuntur, quæ quoddam quaſi cadaverulum muſcæ exenteratum ambiunt. Horum exteriora tria exteriùs purpurâ obſoletâ tinguntur tantillo viridis & albi coloris admixto: interiora ex utraq; parte interna & externa albicantia, purpureis lineis ſeu ſtriis notantur. *Stylus* ille, quem muſcæ corpuſculo comparavimus, capite eſt luteo, pectore albo, purpureis ſtriis intus ſulcato, ventre albo tenui commiſſura pectori adnexo. *Labellum* propendens amplum eſt, album, & veluti fimbriatum in margine. Singulis florum pediculis ſingula adnaſcuntur folia exigua, acuta, & in ſupremo caulis faſtigio tria quatuórve minutiora, apicem quendam conſtituentia. Superior pars caulis ubi flores ei appenduntur, utì etiam florum calices ſeu tria externa folia, farina quadam albicante aſperſa ſunt.

Locus & Tempus. Nuſquam apud nos quàm in paluſtribus (quod unquam viderim) occurrit. Menſe Julio floret.

11. *Damaſonium Alpinum floribus luteis* J. B.

Lugd.

Radice eſt nigra, modicè fibratâ, altiùs deſcendente: *foliis* oblongis, anguſtis nervoſis, lanceolatæ ſive Plantagini minori ſimilibus, aliquanto longioribus, acuminatis: *caulibus* pedalibus: *flore* luteo, *ſeminibus* oblongis anguloſis, quaternis ſimul ſic junctis, ut hiante medio ſpatio, feneſtrata quædam meta appareat, apice nigro ſupereminente, eleganti ſanè figurâ, laternæ, quæ nondum cornu chartâve obducta eſt, clauſaq; ſimili & huic plantæ peculiari.

Locus. In Alpium umbroſis convallibus gignitur.

A. 12. *Helleborine flore rotundo ſive Calceolus* C. B. *Elleborine major ſive Calceolus* Park. *Damaſonii ſpecies quibuſdam ſive Calceolus D. Mariæ* J. B. *Calceolus Mariæ* Ger. **Our Ladies ſlipper.**

Folia huic venoſa, ſubhirſuta, Hellebori albi, alternatim per *caulem* pedalem, firmum, aliquantulum lanuginoſum diſpoſita, quatuor aut quinque, ſapore amaricante. E folioli quod extremo cauli inſidet, nonnunquam & ex proximi ſinu prodit *flos* unicus, longo pediculo nixus, quatuor petalis atro-purpureis, decuſſatis, oblongis, acuminatis, ſupero & infero majuſculis, lateralibus anguſtis & interiore parte lanuginoſis, conſtans. Ex horum umbilico emergit membranaceus quidam, tumens concavúſque utriculus, columbinum ovum pæne æquans magnitudine, ſuperiore parte ſecundùm umbilicum apertus & hians, lignipedum Franciſcanorum calopodia imitatus, cui color aut luteus, aut pallidus, internè nonnihil villoſus, infernè autem purpureis quibuſdam venis ſecundùm longitudinem diſtinctus: hiatum tegit duplex anſula, quarum ſuperior alba, tenerior, purpureis maculis conſperſa, inferior verò denſa, herbidi coloris, & veluti Cancrorum ocellos in lateribus habens: ipſe flos non penitus odoris expers. *Capitulum* illi ſuccedit oblongum, minimi digiti magnitudinem æquans, triangulum, tenue & veluti pulvereum ſemen continens. *Radix* nigra, non valdè craſſa, in longitudinem & latitudinem obliquè ſumma tellure ſe ſpargens, multíſq; fibris donata, ſuperiorum annorum caulis veſtigia impreſſa retinens, extremitatibus ſemper in novum germen extuberantibus, amariuſculi guſtûs.

Locus. Reperiri aiunt flore albo, & utriculo purpureo: Habetur in Anglia ſed rariùs: v. g. in ſylva quadam prope montem *Ingleborough, Helkswood* dicta. In montibus Helveticis ſatis frequens eſt: Nos in ſylvoſis ad latera montis Salevæ propè Genevam invenimus. Cluſius in ſylvis & ſylvoſis locis Pannonicis eam obſervavit, quem conſule.

13. *Calceolus Marianus Canadenſis* Cornuti.

Corn.

Figurâ nullo modo ſed magnitudine & colore differt à vulgari: *Folia* ſiquidem longè majora ſunt, & ferè tantùm gemina naſcuntur. Floris verò utriculus candidus eſt, lineis rubentibus hinc indè diſtinctus. *Radicem* quoq; tranſverſam habet & Ellebori modo fibroſam.

Tempus. Floret Maio. Flore elapſo apud nos ſemine vidua tota planta præter radicem hyeme tabeſcit.

CAP. XXV.

De Bifolio.

NOtam hujus characteriſticam nomen Bifolium indicat.

A. 1. *Bifolium majus ſive Ophrys major quibuſdam* J. B. *Bifolium ſylveſtre vulgare* Park. *Ophrys bifolia* Ger. C. B. **Common Tway-blade.**

J. B.

Quin ex Orchidum ſit familia Bifolium ambigi vix poſſet, niſi *radices* multiplices fibroſæq; obſtarent; ſiquidem *flores* eleganti thyrſo diſpoſiti, quàm proxime accedunt, herbacei, culicum ferè formam exprimentes, ſex foliolis compoſiti, nimirum labello longo bifido, galeâ ei adverſâ, alis duabus, auriculis duabus, quibus galea incumbit. Calcare carent: Utriculis inſident hexagonis, brevioribus & tumidioribus quàm in Orchidibus pleríſque, in ſex partes per maturitatem dehiſcentibus, pulviſculo ſeminali Orchidum ſimili. Ad florum pediculos ligulæ minutiſſimæ, & non quales Orchidibus. *Caulis* ſingularis, teres, modo vix ſeſquipalmum altus, aliàs pedalis aut etiam cubitalis, hirſutus. *Folia* verò duo ſolummodo habet nervoſa, plantaginis latifoliæ circa medium caulem, altero ex alterius ſinu prodeunte. Sapor radicis ſubamarus cum aliqua acrimonia non ſine viſciditate: Caulis verò & foliorum ſapor viſcidus.

In ſylvis & dumetis, non raró etiam in pratis & paſcuis udis occurrit. Junio menſe floret. ***Locus & Tempus.***

Ophrin trifoliam *Ger.* & aliorum pro ſpecie Ophryos degenere habeo. Ophris bulboſa *Dod.* ſi detur ejuſmodi, radice ſola bulboſa à deſcripta differt.

A. 2. *Bifolium minimum* J. B. *Ophris minima* C. B. **The leaſt Tway-blade.**

A *radice* ſubflaveſcente, fibroſa & Orchides redolente cauliculus ſimplex trium quatuórve unciarum ſub foliolis prodit, cui *foliola* duo Ophrios vulgaris modo apponuntur, quæ parva ſunt, glabra, ſplendentia, coloris Unifolii, & nonnihil in cordatam effigiem è rotundiuſcula figura diſcedentia, quibus cauliculi altera pars, ſimiliter trium quatuórve unciarum ſupereminet, cujus ſummo *floſculi* parvi, herbacei inſident, ab Ophris vulgaris floribus exilitate ſola recedentes, quibus *vaſcula* exigua ſuccedunt.

Julio menſe potiſſimum floret loco natali, ſed in hortos cum gleba ſoli natalis citiús.

In ericetis udis, in opacis inter Ericas obſervavimus in Anglia, ſed rariùs, & in Septentrionali parte inſulæ duntaxat, ut v. g. propè *Almondbury* vicum in comitatu Eboracenſi, in monte *Pendle* dicto Lancaſtrenſi, &c. In opacis muſcoſiſq; ſylvis Broccio & Offmannino vertici dicto intervenientibus naſcitur *C. B.* ***Locus.***

3. *Ophris minima floribus purpureo-croceis.* Mentzel.

In ſcopulo Alpeſtri Mittenwaldenſi, mediâ viâ inter *Inſprück* & *Munchen.*

A. 4. *Bifolium paluſtre* Park. **Marſh Tway-blade.**

Park.

A Bifolio vulgari differt parvitate ſua & quòd interdum etiam trifolium ſit, virore inſuper & glabritie foliorum; florum ſpicâ multo minore, floſculis ſingulis aliàs ſimilibus & concoloribus: tandem radicibus ſub terra reptatricibus.

In paluſtribus oritur. Hæc planta à *D. Dent* hoc anno 1684. in paluſtribus propè *Gamlingay* in agro Cantabrigienſi inventa ad nos delata eſt à *D. Dale*, ſtirpium indagatore diligentiſſimo. Parkinſonus non in udis & humidis locis propè S. Albani oppidum & *Hatfield* in agro Hartfordienſi inventam ſcribit ſed in paluſtribus Romanenſibus in Cantio plurimam. ***Locus.***

CAP. XXVI.

De Pyrola.

A Foliorum cum Pyri foliis ſimilitudine nomen ſumpſit.

Florum ſpicâ & ſemine pulviſculi inſtar minutiſſimo cum hoc genere convenit, radicibus fibroſis & foliis ſemper-virentibus à reliquis ſpeciebus differt.

A. 1. *Pyrola* Ger. J. B. *noſtras vulgaris* Park. *rotundifolia major* C. B. **Common Winter-green.**

J. B.

Quinque aut ſex *folia* humi ſpargit, ſubrotunda, Pyraceis paria, craſſa, atro-virentia, glabra, nitidáq; facie ſuperna, pediculis palmaribus ferè inhærentia: inter quæ *caulis* naſcitur dodrantalis, anguloſus, parvis & acutis foliis aliquot donatus, nullam ramorum diviſionem agnoſcens, thyrſum gerens amœnorum *florum*, pentapetalon, albidorum, Orchidum fermè modo, ſupernis duobus [petalis] galeam, imo verò labellum bifidum referentium, multis umbilicum obſidentibus *apicibus* croceis, ex quibus piſtillus recurvus prodit, & ima verſus reflexus, & quandam veluti proboſcidem referens. Flores *capitula* ſequuntur anguloſa, pulviſculo minuto plena. Sapor totius plantæ amarus, non ſine inſigni aſtrictione.

Hæc, obſervante Cluſio, flore eſt vel ampliore mollíque, vel minore & duriore. Nos etiam in flore differentiam obſervavimus.

In Septentrionalibus Angliæ variis in locis invenitur. Propè *Halifax* oppidum copioſè oritur. In montoſis propè Genevam collegimus; ínq; ſylvis montoſis, plurimis Germaniæ in locis, Apud nos in ericetis muſcoſis inter Ericas ſæpius occurrit quàm in ſylvis. ***Locus.***

Vulneraria eſt uſu interno & externo celeberrima. Vide Chirurgiæ ſcriptores. ***Vires.***

A. 2. *Pyrola folio ſerrato* J. B. *folio mucronato ſerrato* C. B. *tenerior* Park. *ſecunda tenerior Cluſii* Ger.

J. B.

Tenerior eſt altera, *radice* repente, caule breviore, infirmiore, *foliis* circa imum ornato, dimidio minoribus, tenuioribus, oblongis, acuminatis, tantillum in ambitu crenatis. *Flores* per caulem thyrſoides, præcedenti ſimiles, minores, *capitula* relinquunt anguloſa, ſtylum ex umbilico proferentia.

In montibus Genevæ vicinis, íniq; ſylvis montoſis non longè à Conſtantia urbe Scaphuſiam versùs nobis inventa & obſervata eſt. ***Locus.***

Hanc eſſe ſuſpicor quam in ſylva *Haſelwood* in Comitatu Eboracenſi naſcentem obſervavit nobíſq; oſtendit D. Witham: nam & folia minora erant quàm in Pyrola vulgari, & mucronata & circum oras leviter crenata, & in umbroſis oriebatur.

3. *Pyrola fruticans* J. B. Park. Cluſ. *fruteſcens, Arbuti folio* C. B. 3. *fruticans Cluſii* Ger. emac.

Cluſ.

Elegantiſſimum eſt hoc genus, interdum quodammodo fruticans: nam novelli brevéſq; ramuli, ſingulis annis ſuccreſcentes, aliquot annos firmi viridéſq; permanent, & ſupra tellurem eminent, donec tandem pondere ſuo depreſſi humi procumbant & muſco ſe condant, fibráſq; interdum agant. *Folia*, utplurimum ad ſingula internodia, ubi novi ramuli ſuccreſcunt, bina, terna aut quaterna habet, carnoſa, ſupernè ſaturatiùs virentia & ſplendentia, Laureolæ foliis formâ & magnitudine propè ſimilia, in ambitu tamen ſerrata, guſtu admodum exſiccante, deinde amaricante, ut reliquarum. Ex horum medio ſolent Aprili nova germina prodire, quæ foliolis veluti ſquamulis prædita, in virgulas tandem deſinunt, quibus terni, quaterni, interdum etiam quini inſident *flores*, vulgaris Pyrolæ floribus ſimiles, paulò tamen majores, ex albo purpuraſcentes; quibus excuſſis ſuccedunt pentagona capitula, tenui ſemine inſtar ſcobis plena, quæ cum ſuis virgulis hyeme exareſcunt. *Radix* ſive potius cauliculi ſub muſco latentes longè latéq; ſumma tellure ſparguntur, & ſubinde fibras agunt.

Locus. Abunde provenit in ſylvis Entzeſtorf arci vicinis, vulgari interdum permixtum.

HISTORIÆ

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.

QUI EST

De Herbis Graminifoliis flore imperfecto culmiferis & non culmiferis.

FLOREM imperfectum voco qui merè ſtamineus eſt, hoc eſt, ſolo calyce & ſtaminibus conſtat, foliis illis fugacibus coloratis, quæ petala dicimus, caret. Calycis nomen hic latè accipio pro glumis etiam acerosis, è quorum ſinubus ſtamina exeunt, quæque ſemen aliqua ſaltem ex parte tegunt.

Cùm autem Graminifoliæ flore imperfecto duorum ſint generum, culmiferæ ſcilicet & non culmiferæ, Librum hunc in duas partes dividemus, quarum Prior aget de culmiferis, Poſterior de non culmiferis.

Herbæ Culmiferæ ſunt quæ caulem teretem geniculatum & plerunque concavum edunt, foliis cinctum ad ſingula genicula ſingulis.

Hæ vel ſunt grano *majore*, vel grano *minore.*

Culmiferæ *grano majore*, frumentaceæ & Cereales *dictæ, ſint vel grano homini*

- *Eſculento*, quæ propriè Frumenta, ſúntque vel
  - *Spicatæ*, grano itidem vel
    - *Majore & oblongo*
      - *Nudo*, glumis vel
        - *Triturando facilè abſcedentibus*, ſeu quæ grano eſt
          - *Turgidiore & lucidiore, ſulcato*, farinâ candidiore & leviore, nutrimenti optimi; TRITICUM.
          - *Strigoſiore & fuſco*, farinâ craſſiore nigriore & viſcidiore; SECALE.
        - *Arctiùs adhærentibus*, ut eas triturando non deponat; ZEA.
      - *Cortice craſſiore tecto*, Spicâ
        - *Compactâ* ſimplici; HORDEUM.
        - *Laxâ* & ex pluribus compoſitâ, ORYZA.
    - *Minore* & rotundiore; PANICUM.
  - *Paniculatæ* ſeu jubatæ, grano
    - *Oblongo*, ſeu nudo ſeu gluma craſſiore tecto; AVENA.
    - *Subrotundo*
      - *Majore*, nigro plerunque aut fuſco, culmo arundineo ſex ſeptémve pedes alto; SORGUM.
      - *Minore* & ſplendente; MILIUM.
  - Paniculatæ ſimul & ſpicatæ, Paniculâ in cacumine caſſâ, ſpicis maximis è geniculis ad culmi latera exeuntibus; MAIZIUM, *Frumentum Indicum.*
- *Non eſculento,*

Spicatæ; Spicâ

Longâ compreſsâ, ſtrigosâ, ſemine caput tentante & vertiginem inducente; LOLIUM.
Breviore & habitiore è ſquamis compactili; PHALARIS.

Paniculatæ, glumis caſſis, ſeminibus à glumis aliquantum remotis, perforatis, maximis, politi lævoris & invictæ duritiei, culmo & foliis arundineis; LACHRYMA JOBI.

Herbæ culmiferæ grano minore ſunt vel

Majores & elatiores; ARUNDINES.
Minores & humiliores; GRAMINA: quæ vel

Spicata; quæ in plura adhuc genera ſubdividi ſolent, à ſimilitudine denominata, nimirum Triticeum, Secalinum, Hordeaceum, Phalaroides, Loliaceum, Paniceum, Typhinum, Alopecuroides, *&c.*
Paniculata; quæ pari modo vel à ſimilitudine cum frumentis vel à loco natali aliiſve accidentibus, in plura adhuc genera ſubdividuntur, nimirum, Pratenſe, Miliaceum, Avenaceum, nemoroſum, aquaticum, *&c.*

PARS PRIMA.

De Herbis Culmiferis.

CUlmiferas vocamus herbas quæ caulem teretem, geniculatum, & plerunque concavum edunt, foliis cinctum ad ſingula genicula ſingulis, longis, anguſtis, acuminatis, quarum etiam ſemina glumis aceroſis tecta ſunt.

Culmiferæ ſunt vel grano majore, vel grano minore.

Culmiferæ grano majore Frumentaceæ & Cereales dicuntur, quia earum grana hominibus in cibum veniunt, ſi non omnium certæ plurimarum, cujuſmodi ſunt *Triticum*, *Secale*, *Hordeum*, &c.

SECTIO PRIMA.

De Culmiferis grano majore, ſeu Frumentaceis & Cerealibus.

CAP. I.

De Tritico.

TRiticum inde dictum creditur quod ex ſpicis triturando facilè excutiatur, Græcis πυρὸς quaſi σπυρὸς à σπορὸς ſemen. Pro qua Etymologia facit, quòd Herodianus ſcribit, à Syracuſanis τοὺς πυροὺς dictos fuiſſe σπυροὺς quaſi σπορούς. Quibuſdam πυρὸς dicitur ab acutie & pyramidali ſpicæ figura.

Eſt autem Triticum frumenti genus, grano majore in hoc genere, oblongo, nudo, hoc eſt glumis non arctè adhærentibus, ſed triturando facilè abſcedentibus tecto, turgido, lucido & flaveſcente, ab uno latere ſulcato, farina candidiore & leviore, nutrimenti optimi.

A. 1. *Triticum ſpicâ muticâ* Ger. Park. *Triticum hybernum ariſtis carens* C. B. *vulgare, glumas triturando deponens* J. B. **White or Red Wheat without awns.**

Ex *radicibus* multis, tenuibus, *culmi* plures, geniculati aſſurgunt proceri, trium cubitorum & non rarò humana altitudine, quatuor plerunque geniculis nodoſi, ſatis craſſi, intus concavi. Summo culmo *ſpica* inſidet palmaris circiter, ariſtis carens, aut brevibus admodum cincta; circa feſtum S. Joan. Baptiſtæ florens. Ubi defloruit *grana* ſubrotunda ſuccedunt, per quorum longitudinem rimula diſcurrit, ſuperiore parte hirſuta, quæ aliis candida, aliis ſubrufa, figurâ etiam & magnitudine pro genio loci nonnihil variant, triplici glumarum, quas tribulorum verbere deponit, vallo clauſa, ità ut gibbus duabus, ſulcus unâ muniatur.

Provenit in omnibus ferè orbis culti regionibus, ſolum lætum & pingue amans idq; apricum ma- & ſiccum quam humidum: pro terræ enim bonitate & diligenti cultura mirè luxuriat.

Tritici mutici ſeu ariſtis carentis duæ apud nos in Anglia ſpecies ſeruntur, nimirum

A. 1. *Triticum ſpica & granis rubentibus.*

Quod & ponderoſius eſt, & fariná cùm furfures excuſſi ſunt candidiore.

A. 2. *Triticum ſpica & granis albis.*

Quod levius eſt præcedente, & grano plerunque turgidiore: fortè Triticum ſiligineum *C. B.* cui anum mollius, levius, extrinſecùs nitidum, medulla laxiore & candida, farinam omnium candi- ſſimam & levem faciens. Noſtrum quoq; farinam omnium candidiſſimam reddit, dum recens à mola; verùm poſtquam furfures diligenter ſecreti fuerint præcedentis farina ſeu potiùs farinæ s candidior habetur.

Has duas ſpecies in ſe invicem nonnunquam tranſmutari non inficias iverim.

Utraq; autem ſpicam ariſtatam interdum, ſed rariùs, producit; quod quidam, (*C. B.* verba ſunt) gis proprietati, quidam agri conditioni tribuunt, ità ut in pingui & ſtercorato agro ariſtis care- t, in macro & non ſtercorato iiſdem horreant. Addunt & cœli ſtatum, quo ſeges adoleſcit, hu- midiore ariſtis carere, ſicciore ariſtis muniri. Sunt qui ſegetis denſitatem raritatemq; ad id facere lint, denſiore ſegete ſpicis muticis, rariore verò cum ariſtis prodire.

Nos in iis quæ ordinariè & naturaliter ſpicas ſeu muticas ſeu ariſtatas producunt, id frugis pro- rietati aſcribendum eſſe, non agri conditioni, non culturæ, affirmamus. Quòd verò quæ natura- ter ſpicis ſunt vel muticis, vel ariſtatis, nonnunquam varient & diverſas producant, ſoli ubertati aut luxuriei imputandum cenſemus, aut alii cuidam nondum nobis cognitæ & compertæ cauſæ aut ccidenti.

Alias præterea Tritici rubri varietates obſervavimus, alteram nimirum ſpica mutica albicante, aliam ſpica ariſtata albicante.

Not. Nos in Anglia Triticum Autumno ſemper ſerimus, nunquam Vere; niſi quis animi aut xperiundi causâ aliter faciat. Minimè autem dubium cenſemus, quin Triticum quodcunq; Vere atum tum proveniret, tum ſemen perficeret antè Autumnum; verùm id Autumnali infirmius eſſet. Quodcunq; enim frumentum hyemem tolerat Autumno ſatum multò lætius & uberius, grano quoq; firmiore & copioſiore evadit quàm ſi Vere ſereretur.

Nos cum Columella & Bapt. Porta Triticum æſtivum ſeu trimeſtre proprium genus non eſſe opi- namur: verùm agricolas ſi quando Autumnus malè ceſſit, hanc ſationem pro ſubſidio commentos eſſe. Et apud Samnitas, aliaſque gentes Alpinas, quia Triticum hyemis rigores & imbres neuti- quam perferre poſſit, ſationem in vernum tempus differri; non quòd exiſtiment, ſi alibi ubi cœlum indulgens ſit ſeratur non provenire, vel quod proprium genus ſit. Et alibi, Genus trimeſtre Theophraſti vel Italiæ incognitum eſt, vel Triticum pluribus annis Vere ſatum quoddam genus con- ſiſtit. Nam continuatio unius rei ejus naturam mutat; unde non ſpecie, ſed imbecilliore quadam conſtitutione hoc trimeſtre Triticum à vernaculo differt.

2. *Triticum rufum grano maximo* C. B. *rufum grano maximo, Far ſive Adoreum Veterum puta- tum* J. B.

Spicam fert muticam, granum maximum & ampliſſimum, ſed ad conficiendum panem minùs le, ex quo decorticato cum lacte puls fit, in cibo ruſticis gratiſſima, quare ad eas delicias lunt.

Haud procul Lugduno in pagis monti alto ſeu aureo propinquis colitur, & ob incolis *Blé rune,* *Gros blé* vocatur. *Lugd.* Locus.

Cùm non alium habeat autorem præter Lugdunenſem, nobis ſuſpectum eſt: fortè ob ubertatem ſoli & cœli mperiem iis in locis Triticum vulgare grano majore & turgidiore proveniat.

3. *Triticum rufum hexaſtichon* C. B. J. B.

Ex eadem eſt Officina: Spicâ eſt rigidiſſimâ & firmiſſimâ, ſex ordinibus diſtincta, cùm in aliis uatuor tantùm reperiantur.

Circa pagum Erium in Allobrogibus habetur, ubi *Blé reguet,* id eſt frumentum rigidum dicitur; lii *froumentà ſix quarrès,* i.e. ſexangulum vocant.

Notatu dignum eſt, Triticum quamvis omnium frugum præſtantiſſimum ſit, & in cibo tum ſa- idiſſimum tum ſaluberrimum, utriuſque extremi frigoris & caloris patientiſſimum eſſe, nec in re- ionibus tantùm temperatis provenire, ſed hinc in frigidis & Septentrioni ſubjectis, Scotia v. g. Dania, &c.

Indè in fervidis & Meridionalibus, ut *Ægypto, Barbaria, Mauritania, Indiæ Orientalis provinciis, Guinea, Madagaſcar,* &c.

Nec minùs obſervabile eſt, & cum Divinæ Benignitatis agnitione commemorandum. Tritico ut rectè *Plinius) nihil fertilius eſſe, quod ei natura, [rectius Naturæ Parens] tribuit, quoniam eo maximè hominem alit: utpote cùm è modio, ſi & aptum ſolum, quale in Byzacio Africæ campo, centeni quinquaginta modii reddantur. Miſit ex eo loco Divo Auguſto procurator ejus ex uno grano (vix credibile dictu) 400 paucis minus germina: miſit & Neroni ſimiliter 360 ſtipulas ex uno grano. Verum de Tritici fertilitate libro primo, dixi, ad quem locum Lectorem re- mitto.

* *Lib.* 10. *c.* 10.

Notandum præterea ſolum pinguiſſimum & opulentiſſimum Tritico aliíſque frumentaceis perficiendis non convenire, uti nec pauperrimum & gracillimum: ejuſmodi enim in folia & ſtipulas vim ſuam totam effundit, quæ mirè luxuriant & excreſcunt, ſpicis interim gracilibus & ferè vacuis paucis intus granis, iiſque malè nutritis & ſtrigoſis. Herba ſcilicet & culmi alimentum præripiunt & ſpicas defraudant, forte etiam propitios Solis radios arcent, qui ſucco nutritio excoquendo & in materiam ſemini idoneam evehendo neceſſarii ſunt. Hujus rei experimentum habuere noſtrates, cùm Triticum vulgare in Americæ ubere gleba ubi & cœlum favebat, primo ſererent, in haſtæ enim altitudinem ſurrexit, ſpicas tamen fermè vacuas & ſemine caſſas produxit. Quocirca Agricolæ tam Veteres quàm moderni ſata lætiora pecudibus immiſſis depaſcere & coercere ſolent. *Luxuria ſegetum caſtigatur dente pecoris, in herba duntaxat, & depaſta quidem vel ſæpiùs nullam in ſpica injuriam ſentiunt.* Plin. l. 18. c. 7.

Notandum denique humorem nimium frumento nocivum eſſe apud nos in Anglia, non æſtum & ſiccitatem: unde diverbio jactatum eſt, Siccitates in Anglia annonæ caritatem nunquam efficere: quod experientia nupera confirmavit, cùm Anno 1664. æſtate omnium memoria noſtra ſiccissima, Triticum aliáque frumenta ſatis feliciter adoleverant, & granum protulerant plenum, & ponderoſiſſimum.

4. *Triticum multiplici ſpica* C. B. Ger. Park. *Trit. cum multiplici ſpica, glumas facilè de*
nens J. B.

J. B.

Radicem fibroſam, *culmum* geniculatum, *foliáque* cum vulgati uſûs Tritico habet communia: ſpicæ facillimum diſcrimen, quæ in hoc præter quatuor illos verſus ariſtatos, qui in ſumma ſpica fol tarii, circa medium complures undique ſibi adjungit, multiplicíque congeſtione in ventrem cresc granum etiam multò candidius & delicatius. C. Bauhinus Tritici rufi ſpeciem facit. Hoc Neapol tani, quibus familiare eſt, ut cætera genera ſerunt & colunt, referente Portâ.

5. *Triticum ſpecioſum grano longo* J. B. *An Triticum oblongo ſemine* C. B?

In ſpicam exit ſpicâ Tritici vulgati longè majorem, ſex, aut ſeptem unciarum, ariſtis dodrantalibus, pedalibúſve plus minus. Glumæ unciales ferè granum oblongum, unciæ triente, & quàm vulgati duplo ferè longius continent, è glumis facilè ſeparabile, in quo cum vulgato & cinereo convenit.

Locus. Ex horto Stutgardiano habuit J. Bauhinus.

A. 6. *Triticum ariſtis munitum, rubentibus granis & ſpica, glumis lævibus & ſplendentib*
Red-eared bearded Wheat. *An Trit. ariſtis circumvallatum* Ger. & Park.

Hæc ſpecies apud nos in Anglia ſeritur, eſt ſpicis minoribus quàm Triticum cinericeum, glumis lævibus & ſplendentibus, caſtanei quodammodo per maturitatem coloris ſeu rufi, granis etiam r feſcentibus. Hæc ſpecies ariſtas ſponte non deponit etiam poſtquam maturuit, verùm eæ pertinaciùs adhæreſcunt quàm in Tritico cinericeo.

7. *Triticum cinericeum maximis ariſtis donatum, glumas triturando deponens* J. B. *An Triticum typhinum ſimplici folliculo* C. B? *Triticum typhinum* Ger? *Typha Dodonæi* Park?

Specioſum viſendæque magnitudinis eſt, *calamis* proceris geniculatis, folioſis, ſpicâ maximâ, ferè ſeſquipalmari, duobus granorum ordinibus compactâ, glumis hirſutis, cinericeis, in longiſſimas aſperrimaſque ariſtas deſinentibus, quibus tribuli verbere in area facilè excutiuntur ſemina. Huic nobis idem videtur

A. *Triticum ariſtatum, ſpicâ maximâ cinericeâ, glumis hirſutis, noſtras.* **Gray Pollard, in some places Duck-bill wheat.**

Hoc genus apud nos in Anglia frequens ſeritur: Tritico ſpica muticâ majus eſt & elatius, ſpicis majoribus habitioribus ariſtis longis circumvallatis, quas tamen non raro ante maturitatem amittunt, glumis cinereis hirſutis.

Noſtrum hoc non ſimplicem habet folliculum, qualem Tritico ſuo typhino tribuit C. Bauhinus; ideóque ſi detur ejuſmodi Triticum typhinum quale deſcribit C. Bauhinus noſtrum hoc eſſe non poteſt. Verùm Hiſtoriæ plantarum Ebrodunenſis Auctores C. Bauhinum erroris inſimulant multiplicis in ſynonymis hujus aliorúmque Tritici generum, quos conſule.

Triticum longioribus ariſtis, ſpicâ cæruleâ C. B. *Triticum lucidum* Ger. Park.

Spica eſt eleganti & magna, & cum maturuit ariſtis denſis longis horret, cœrulei aliquando coloris ſecus quàm in aliis frugum generibus, quarum ſpicæ flaveſcunt: grana ſunt magna, dura, atropurpureo colore nitentia, cujus coloris & farina.

Tragum frumenti genus ſpicâ cœruleâ *Lugd.* quod hujus ſynonymum facit C. Bauhinus ad præcedentem ſpeciem refert Hiſtor. Ebrodunenſis: quod & nobis etiam placet.

Triticum longioribus ariſtis, ſpicâ albâ C. B.

Priori ſimile eſt grano excepto, quod pulchrius eſt & album, ex quo farina alba & delicata fit.

Triticum quo ponderoſius cæteris paribus eo melius. Hinc apud nos Londinenſes inſtitores pondere Triticum emunt: habet aliquid lentoris & obſtruentis naturæ.

Notæ optimi Tritici ſunt quòd recens, & perfectè maturum ſit, quòd colore luteum, quòd denſiſſimum & ponderoſiſſimum, quòd aquâ maceratum citiſſimè & maximè intumeſcat, quòd copioſiſſimam farinam præbeat, quòd ab omni vitio immune, ut Lolio, Melampyro, uſtilagine, &c.

Triticum inter omnia Cerealia tanquam præſtantiſſimum commendatur, non ſolum ob inſignem nutriendi vim, ſed quòd etiam adverſus multos morbos & intrinſecùs & extrinſecùs utiliter uſurpetur. *C. B.*

Vires & Uſus.

E Tritici farina probè fermentata optimus conficitur panis. Verùm & Amylum ex ea fieri Plinius aſſerit. Pultes quoque infantibus commodiſſimæ ex ea in aquâ aut lacte decocta fiunt, quæ & optimè nutriunt, & in canina appetentia & Veneris defectu commendantur. Eædem in faucium & pectoris affectibus, Renum & Veſicæ exulceratione, fluxionibus alvi, præſertim dyſenteria, perutiles ſunt, vel ex juſculis cum butyro confectæ. Crudi Tritici eſu alvus inflatur; nec facilè conficitur. Galenus Tritici elixati in cibis uſum damnat; verùm nos ab ejus butyro conditi, & Saccharo edulcorati, uſu frequenti nullum damnum aut noxam ſenſimus.

Graneæ Triticeæ confectio apud Catonem, (ſic vocat ptiſanam triticeam pultémve ex ea paratam) parùm differt à præparatione pultis triticeæ apud nos in Anglia uſitatæ, **Frumenty** dictæ. *Selibram tritici puri in mortarium purum indat, lavet bene, corticémque detrahat bene, eluátque bene, poſtea in ollam indat & aquam puram, coquátque, ubi coctum erit, lac addat paulatim uſque adeò donec cremor craſſus erit factus.*

Extrinſecùs ad viſum & debilem & obſcurum & ad maculas tollendas collyrium quod Triticum ingreditur vide apud *C. B. in Theat.* Ad maculas tollendas ſuccus è Tritico expreſſus valet. Faciem erugat farina Tritici, ſi cum aqua Fabarum calida ſolvatur.

Ad lichenas recentes in mento aut alia faciei parte Criſpi apud Galenum è Tritico medicamentum.

Tritici grana multa in incudem imponito, deinde laminam æris [aut ferri perinde enim eſt] igne calefactum Tritico ſuperponito, & reſolutum ab eo liquorem calidum adhuc afferto ac ſuper lichenas linito. Hoc ſolo multos curatos ſcimus, nec ſolum ad lichenas faciei, ſed experientiâ noſtrâ ad omne genus herpetas & impetigines valet. Idem ad ulcerum ſinus, pedum & manuum rimas à frigore, & cutem aſperam lævigandam facit.

Farina cum oleo mixta & in forma cataplaſmatis impoſita, ſed meliùs in aqua cocta, oleo addito, mammarum duritiem emollit. Eadem Apoſtemata hepatis, lienis, aliarúmque partium maturat.

Nervorum contractionibus & mammis dependentibus ex aceto cocta & impoſita prodeſt.

Triticum crudum commanducatum & impoſitum commorſis à Cane rabido auxiliari dicitur. Idem oculorum apoſtemata maturat.

Ad alvum irritandam, è farinæ partibus duabus & unâ ſalis cum albumine ovi paſta conficitur, in formam ſuppoſitorii reducitur, oleo vel butyro inungitur & ano inditur. Podagræ conferre dicitur pedes ad genua uſque in Triticum mergere, quo levatus eſt inopinatò Sextus Pomponius referente * Plinio: meliùs ſuccedit curatio, ſi Triticum conquaſſatum in vaſe ad ignem caleſcat.

* *Lib.* 22. *cap.* 25.

Ad omnes quorumcunque artuum dolores mitigandos valet cataplaſma ex farinæ Triticeæ & Hordeaceæ, florum Chamæmeli & Roſarum, ſingulorum unciis duabus, in aqua decoctis, dein olei Chamæmelini & Roſacei ſingulorum uncia una additis, ac in modum cataplaſmatis calidè parti impoſitum.

Fermentum ex farina triticea calefaciendi, extrahendi & maturandi vi præditum eſt, privatim callos in plantis pedum extenuat, & cùm alia tubercula tum etiam furunculos ex ſale maturat atq; aperit.

Furfurum multiplex uſus eſt. Inſerviunt manibus purgandis ſaponis vice, ſi aquæ in qua abluuntur immiſceantur, quin & manus molles albáſque reddunt.

Furfuribus purgandis inſervit aqua in qua calefacta per diem & noctem infuſa fuerint. Gargariſma ex decocto faucium aſperitatem & dolorem lenit.

In aqua decocti & ſacculo inditi omni humore expreſſo ſi calidè applicentur, Pleuriticorum punctiones mitigant, modò ſacculus refrigeratus in eadem aqua calefactus & expreſſus ſæpiùs applicetur.

Alia præterea multa juvamenta præſtant quæ ſi placet apud * C. Bauhinum vide.

* *Theatr. lib.* 1. *Sect.* 4. *cap.* 2.

De Pane.

Panis multiplex Etymon adfertur. Vel enim deducitur à *Panus*, i. e. Τολύπη ſive fili glomus ad cujus ſimilitudinem panes fingi ſolent. *Varro.* Vel dicitur Panis quaſi paſcinis à paſcendo. Vel eſt panis à Deo Pane, quòd Pan primus conſparſas fruges coxiſſe perhibetur. *Caſſiodor.* Vel ab Adjectivo πᾶν, quaſi ὃ ζῶα πάντα ἐφίενται. Panis dictus quòd cùm omni cibo apponatur, vel quod omne animal eum appetat Iſidor. Vel quòd inſtar omnis cibi ſit.

Sed omnium (inquit Voſſius in Etymolog.) horumce ſententias diluit Athenæus, ex quo diſcere eſt Romanis panem vocari quod Dores dicunt πανόν. Vel ἡδέως panem à ἥδομαι deducere licebit.

Panis, definiente C. Bauhino, eſt cibus ex frumentaceis molitis, aquâ maceratis, pinſitis ac coctis apparatus.

Quatuor panis genera apud antiquos à tritico fiebant.

1. *Siligineus* panis, σιλιγνίτης, ex ſiligine, id eſt, flore farinæ, ſive puriſſima, molliſſima & tenuiſſima parte, ab omnibus furfuribus exactiſſime repurgata.

Tener & niveus mollique ſiligine factus. Juvenal.

2. *Similagineus*, σεμιδαλίτης, ex ſimila ſeu ſimilagine, id eſt, farinæ parte tenui quidem, ſed ſiligine impuriore, utpote ex quo non omnes excuſſi ſunt furfures, ſed craſſiores tantùm.

3. *Confuſaneus*, αὐτόπυρος & συγκόμιστος, ex farina omnes frumenti partes in ſe continente, cui nihil vel floris, vel furfurum deceſſit.

4. *Cibarius*, gregarius, ſordidus, ἀγελαῖος, ῥυπαρὸς, è furfuracea farina coactus, ex quo molliſſima puriſſimáque farina excuſſa eſt. Nonnulli his addunt quintum genus, quod furfuraceum vocant, πιτυρίαν ſeu πιτυρίτην Athenæo, qui Canicaceus panis dicebatur, quòd in Canum fere gratia confici ſolebat: Et hic ex Tritici extis conſtat, quæ Latini furfures, canicas & apludas vocant.

Fiebat & olim (Marcello fides) è polline frumenti tenuiſſimo, ad molæ parietem adhæreſcente indéque multis cum ſordibus deterſo.

Optimus ac ſaluberrimus panis eſt qui concoctu facillimus; talis autem eſt, monente Galeno, qui plurimùm eſt fermentatus, & pulcherrimè ſubactus, quique in clibano igne moderato fuerit aſſatus.

In ſumma (inquit C. Bauhinus) panis optima commendatio conſtat Tritici bonitate, juſtâque ejus molitura ac piſtura, cribri tenuitate, miſtione plurima, fermenti, ſaliſque modico; dein apparatu ſubactionéque exacta, & proba coctura, de quibus copioſè diſſerere noſtri non eſt inſtituti.

Notandum tamen in Anglia ſpumam Cereviſiæ concretam uſitatiſſimum fermentum eſſe, nec noſtrates alio ferè uti, niſi in hujus inopia. Hoc autem fermenti genus (teſte Plinio) apud Septentrionales olim in uſu fuit. *Galliæ & Hiſpaniæ frumento in potum reſoluto, quibus diximus generibus, ſpumâ ità concretâ pro fermento utuntur. Qua de cauſa levior illis quam cæteris panis eſt.* Plin. hiſt. lib. 18. cap. 7. Eſt ergò, Plinii teſtimonio, laudatiſſimum hoc fermenti genus.

Certum eſt furfur vires abſterſorias obtinere, quibus inteſtina, ſi intus ſumatur, ad dejectionem ſtimulantur. Hinc panis qui fit ex farina cui furfures omnes excuſſi non ſunt, modò probe fermentatus ſit ſalubrior nobis videtur, ſapidiorque etiam quàm qui ex mero flore ſeu ſiligine. Extrinſecùs mica panis ad eadem fere utilis eſt ad quæ farina triticea. Galenus ſcribit cataplaſma ex pane factum magis digerere, quàm quod ex Tritico fit, eò quòd Panis ſalem & fermentum adjuncta habeat, cujus ſententia rationi conſentanea videtur, & experientia etiam eam confirmat.

Chondrus & *Alica* quid ſint diximus in explicatione terminorum quantum ſufficere videtur: cùm enim jam in deſuetudinem abierint, non eſt cur de eorum præparatione aut uſibus in cibo & medicina admodum ſoliciti ſimus. Qui pleniorem eorum explicationem deſiderat C. Bauhini Theatrum & J. Bauhini hiſtoriam petat.

Amylum etiam quid ſit ibidem dictum eſt: cujus vires & uſus vide apud Bauhinum utrumque. *Amylum.*

Far duplex eſt, naturale & factitium: naturale eſt certum quoddam frumenti genus: factitium Plinius pro Farris farina, ſive pulte, ſive grano decorticato ſumpſiſſe videtur, cùm ex Verrii ſententia ſcribit Populum Romanum farre tantùm è frumento trecentis annis uſum fuiſſe. Far ex Aetio oſtenditur eſſe quodvis frumenti genus, decorticatum, & ab utriculis repurgatum ac deinde in partes aliquot confractum & ſiccatum.

Athera, puls & gluten conſiſtentia tantum differunt, Athera enim pulticula liquida eſt, infantibus conveniens quæ ex farina tenuiore cum cereviſia tenui alióve liquore coquitur.

Atherâ craſſius & ſolidius eſt gluten, Græcis κόλλα, ex ſimilagine & farina Tritici, quo chartæ glutinantur: quod propter eam quam habet glutinandi vim ſanguinis excreationibus prodeſt.

In utriuſque medio πόλτος ſive puls eſt, ſolidior quidem ac ſpiſſior Atherâ, liquidior verò Glutine, proinde minùs glutine, plus autem quàm Athera viſcera obſtruens. Atheræ aut potiùs pultis genus eſt, edulium quod Galenus ex multa Tritici farina lacti permixta fieri ſcribit, quo hac ætate univerſa inferior Germania frequentiſſimè utitur. [Pultem puto intelligit quam nos **Haſty-pudding** vocamus] Cibus boni ſucci & multi alimenti, ſed eos qui eo aſſiduè utuntur offendens. Nam in hepate obſtructiones parit, & calculos in renibus gignit, autore Galeno. *J. B.*

Tragus eſt res factitia. Fiebat autem ex diverſis Frumentorum generibus, ut ex Dioſcoridis, Galeni, Plinii locis ubi de eo agunt inter ſe collatis patet. A Chondro & Alica præparatione potiſſimum differt. Chondrum ſiquidem gypſum & arena perficiunt: Halicam creta emundat, Tragus ſolâ aquâ maceratus excorticatur.

* 8. *Triticum Creticum* Park. *ſylveſtre Creticum* C. B.

Herba eſt Tritico ſimilis, folia & caules Tritici ferens, ſpicáſque aliquantulum aſperas, nigriores & ariſtas breviores, cujus grana Tritico ſativo minora ſunt & altera parte obtuſa, ità ut Secales grana potiùs quàm Tritici, æmulentur.

Locus. Frequentiſſimè in Creta invenitur, & negligitur unde Honorius Belli ejus ſemina ad Cluſium miſit *Agrioſtari*, quod Triticum ſylveſtre ſignificat, nomine. Quare non abſque ratione Cretenſes, Diodoro Siculo referente, ſibi perſuaſerunt Triticum primò à Cerere in Creta inventum fuiſſe.

* 9. *Triticum Tripolitanum* Park. *Zea Theophraſti fortè.*

E ſemine Tripoli allato in Anglia ſatum culmo ſurrexit bicubitali, foliis quàm Tritici noſtratis latioribus cincto, ſpicis palmum longis, ariſtis prælongis circumvallatis, granis Secales inſtar nigricantibus.

Cap. II.

De Secali.

Secale à ſecando dicitur. Nam cùm duo ſint genera frugum, *Frumentum* & *Legumen*; legumina quidem manu leguntur velluntúrque: *Secale* ac frumenta alia ſecantur. *Voſſ. Etymolog.*

Secale à Tritico differt grano ſtrigoſiore, tenuiore & nigriore, glumis non operto ſed nudo: culmo elatiore.

A. 1. *Secale* Ger. J. B. *vulgatius* Park. *hybernum vel majus* C. B. **Rie.**

C. B.

Radicibus eſt multis, tenuibus, fibroſis: *foliis* cùm primùm prodeunt rubeſcentibus, dein ut reliquorum frumentorum virentibus, Tritici tenuioribus, longioribus; *culmis* numeroſis, ſenis, ſeptenis, etiam pluribus (ſi enim ante hyemem à pluvioſa tempeſtate illæſum radices egerit, & in ceſpitem quaſi evaſerit, magni proventus ſpem facere ſolet: quæ plerunque adeò non fallit ut ex uno grano duodeni & plures quandoque ſpicati culmi exeant) qui Triticeis graciliores, at firmiores, longiores, & ex vagina aſpera graminea Arundinaceâve, quaternis utplurimum, nonnunquam quinis internodiis diſtincti prodeunt, ſpicis in verſus digeſtis, ariſtis brevibus, nequaquam innocentibus cinctis, & aliquot quaſi hamulis ſerratis (caveat ergo quis nè ori ſpicam indat) quod & in reliquorum frugum ariſtis notavimus. *Flore* eſt luteolo, qualis in pleriſque frumentis obſervatur; & diu floret, adeò ut quadrageſimo tantùm die à flore matureſcat, poſtquam enim defloruit ſeptimanis quinque maturatur. At ſpica cùm floret erecta eſt, quare rubigini cùm imbres retinuerit opportuna: Semine verò prægnans procumbit & deorſum propendet quia longior. Granum eſt oblongum, ſtrigoſius, tenuius & nigrius Tritico, glumis non opertum ſed nudum, ideò caducum & ſæpenumero ſponte exiliens.

Species ſeu Varietates.

Duas hujus ſpecies conſtituit C. Bauhinus, *hybernum* ſci. ſeu *majus*, & *vernum* ſeu æſtivum & minus: quas ſationis duntaxat tempore, & accidentibus indè ortis differre putamus.

Locus.

In Germania, Gallia, Anglia, aliíſque regionibus, potiſſimùm Septentrioni ſubjectis naſcitur qualicunque ſolo, etiam gracili, macro & arido (arenoſo ſabuloſo & levi] in fœcundiore tamen & lætiore meliùs & præſtantius.

Apud Anglos ſeritur Autumno, nunquam (quod ſciam) Vere, etiam ante æquinoctium; quo maturiùs eo melius & uberius evadit.

Vires & Uſus.

Proximum inter frumenta à Tritico locum vendicat. Panis ex eo factus ater & ponderoſus eſt, lentoris atque obſtruentis naturæ nonnihil habens, concoctu difficilis & ventriculo gravis, præſertim ſi furfurum expers fuerit; quin iis qui non aſſueti ſunt alvum plerunque movet non ſine torminibus. Agricolis perſuaſum eſt hujus panis uſu corpora validiora fieri. Bruyerinus aſſerit in Lugdunenſi tractu & vicinia mulieres quæ pane Secalino utuntur validas, & bene curatas, formâque egregias conſpici, qui tamen admodum ſpernendum alimentum hominibus præſtare cenſet.

Panis ſecalinus ob humiditatem ſuam à nonnullis præfertur ei qui vel ex Tritico vel ex Zea conficitur, cùm non ità facilè & ſubito ab aere exſuccus & aridus reddatur.

Solent noſtri tantundem Triticeæ vel ex Zea confectæ farinæ admiſcere, ut panis teneritudinem ſuam diutiùs retineat, leviórque & gratior evadat: ſícque paratus etiam medicorum conſilio ad alvum emolliendam etiam Magnatibus in uſu eſt, maximè æſtate. *C. B.*

Apud nos in Anglia, & ut Ruellius refert, apud Gallos etiam, Secale non tantùm ſolum & ſimplex ſeritur, ſed cum Tritico mixtum, æquis fere partibus. Miſcellaneam hanc ſegetem Latino nomine *Miſcellane* appellamus, & alicubi **Mung-corn.**

Quæ de Secalis ejúſque partium viribus & uſibus in medicina traduntur vide apud C. Bauhinum Theat. Botan. Lib. 1. Sect. 4. cap. 17. Quibus adde è Sim. Pauli Quadripartit. 1. Illud veriſſimum & experientiâ confirmatum, quòd farina Secalina confuſanea diuturniores capitis dolores leniat, in linteo capiti circumligata; quæ etiam delirantibus profuiſſe obſervatum eſt, præſertim ſi ei remiſti fuerint abſinthii corymbi. *Sim. Paullus.*

Vulgus doctum eſt ubi Eryſipelate infeſtatur ſiccam farinam Secalinam indere mundo linteo, ac loco affecto applicare, ídque ſucceſſu ſatis felici diſcutere. *Idem.* Habui ex excerptis *D. Hulſe.*

Per frequentes pluvias grana ſpicarum inferiora in Secali per maturitatem in grana atro-purpurea excreſcunt [C. Bauhino ſemina quædam longiùs ex utriculis ſuis ſeu glumis protruduntur, ac in mediocrem etiam craſſitiem excreſcunt, quorum quædam in corniculi modum curvantur, quæ omnia nigrum colorem foris contrahunt, intus verò candida farina denſioris materiæ continent,] quæ ſubſtantiæ farinaceæ, ſaporis Malti, Noricis **Mutterkorn,** i. e. Secalis mater dicuntur, & ſingulare præſidium ad compeſcendum lochiorum fluxum habentur. Secale hoc modo degenerans Secale luxurians C. Bauhino appellatur, Clavi Siliginis Lonicero. Annon inſecti alicujus puncturæ originem debeant hujuſmodi excreſcentiæ inquirendum.

2. *Secale latifolia peregrina* C. Bauhini J. B. *Secale latifolium* Park.

C. B.

Culmis exurgit candicantibus, rotundis, ſtriatis, quibus *ſpica* palmum longa, craſſa, ariſtis longiſſimis, & ut in vulgari, tenuiſſimis denticulis aſperis armata, inſidet: *Folia* habet cubitum longa, unciam lata, & per marginem leviter exaſperata: grana non vidit, ſpicam & folia habuit è Contareni Veneti Sen. horto.

Uſtilago Segetum ſive frugum, præſertim ſpicatarum, Secales, Tritici, Hordei, atque etiam Avenæ vitium eſt. Ipſis autem accidere ſolet, antequam è gramineis vaginis penitus ſeſe explicent ac in culmum attollunt, idque cœli conſtitutione crebro inconſtante. Quando enim Aprili & Maio menſibus, poſt Solem ardentem ſubitæ pluviæ ſuccedunt, & ſol continuo ardentes radios ſpargit, ſpicæ adhuc teneræ ac latentes, humore madidæ à Solis fervore correptæ, ſic aduruntur, ut quamprimùm è vagina prodeunt, nigræ & veluti pulvere fuſco aut atro obſitæ appareant.

Locis cavis (docentibus Theophraſto & Plinio) & à flatu ſilentibus præcipuè ſegetes ærugine ἐρυσίϐῃ infeſtantur: motu enim excutitur & decidit humiditas æruginis cauſa. Aufugiunt hoc vitium quæ ſtant non erecto ſed prono cacumine. Quamobrem ſpicam inclinari utile eſt, ut imbres decidant, nec rores excipi poſſint. Hinc ærugo, quamvis frumentorum omnium commune vitium ſit, magis tamen infeſtat Triticum, quòd tunicis integatur pluribus, & folium ſpicæ gerat proximiùs, unde frugem ſuam effundit: reſidet enim in eo humor putrefactus qui æruginem creat. Adde quòd ſpicam geret erectam denſiorémque unde humor minùs poteſt defluere. Hæ forte cauſæ procatarcticæ & externæ uſtilaginis eſſe poſſunt: quòd ſi non adſit interna diſpoſitio in grano ipſo ſeu ſemine, cauſæ externæ effectum ſuum non ſortiuntur. Hinc agricolæ noſtri maxime cavent à ſemine ſegetis uſtilagine infectæ, & præterea ad præcavendum hoc malum ſemen antequam terræ committunt lixivio ex cinere per 24. horas infuſum calce viva aſpergunt, adeóque firmum efficiunt adversùs hujus vitii cauſas.

CAP. III.

De Zea.

ZEa Tritici quoddam genus eſt, glumis adeò arctè adhærentibus ut eas rriturando non deponat. Ζείαν aut ζέαν ἀπὸ τοῦ ζῆν dictam volunt, quòd eâ ante inventum frumentum homines vitam tolerabant. Antiquiſſimis autem Romanis (teſte Dionyſio Halicarnaſſenſi) Zea Far dicebatur. Farris tamen vox ambigua & æquivoca.

1. *Zea ſive Spelta* J. B. *Zea dicoccos ſive Spelta vulgo* Park. *Zea dicoccos vel Zea major* C. B. *Zea ſive Spelta* Ger. **Spelt.**

J. B. C. B.

Tritico haud abſimilis eſt, *radice* multiplici *culmis* tenuioribus, numeroſis, geniculatis, firmis, Hordei altioribus, at Tritico brevioribus. *Spica*, quæ circa feſtum S. Joannis Bapt. floret, palmaris aut ſeſquipalmaris, incondita, compreſſa, plerunque mutica, interdum ariſtis circumvallata, longioribus brevioribúſve, gemino granorum verſu, vel ità diſpoſitis granis ut alternatim unius principio medium alterius reſpondeat, multiplici folliculo arctè incluſis, & geminis utriculis geminis granis junctis, quæ Tritici ſemine longiora, dorſo acuto, colore ruffo, pertinaciter hærentia, nec tribuli ictu ſemen relinquentia, quo nomine (inquit J. Bauhinus) à Tritico vulgari diſtinguas licet, alioqui glumis & tunicis exuta grana vix internoſcas.

Locus. In multis Italiæ, Galliæ & Germaniæ locis provenit, qualicunque ſolo etiam humidiore, læto tamen pinguique meliùs proficit.

Eodem cum Tritico tempore ſeritur, floret & demetitur. Zea, ſi piſta ac purgata ſeratur anno tertio in Triticum mutatur, * Theophraſto autore. Et Plinius, *Tradunt* inquit, *Zeam ac Tiphen, cùm ſint degeneres, redire ad frumentum, ſi piſtæ ſerantur, nec protinus, ſed tertio anno.* Nos non negamus accidere interdum poſſe ut Zea in frumentum tranſeat, verùm ut hoc ſemper eveniat ſi piſta ſeratur nobis non videtur veriſimile; penes autorem fides eſto.

* 2 *hiſt. c.* 5.

3. *Zea monococcos, Briza quibuſdam* J. B. *Zea Briza dicta ſeu monococcos Germanica* C. B. *Zea monococcos, ſive ſimplex, ſive Briza* Park. *Briza monococcos* Ger. **St. Peters Corn.**

C. B.

Culmis eſt & ſpicis dicocco brevioribus, anguſtioribus, tenuioribus & depreſſis: ſpicis duplici ordine Hordei modo digeſtis, ariſtis ſubaſperis armatis: ſeminibus duplo minoribus, ſingulis utriculis (qui læves, candicantes & modicè depreſſi) incluſis, à quibus in mola, non in area exuuntur. *Folia* anguſta ſunt: radix fibroſa.

Locus & Tempus. Naſcitur aſperis & montoſis pleriſque Germaniæ locis, ſolum tenue & aridum amans. Autumno cum reliquis frugibus ſeritur, ſeriùs tamen, ac ſubinde Septembri demum menſe matureſcit.

Uſus. Panes ex Zea Germani conficiunt, non minùs albos quàm ex Tritico, leviores tamen, minúſque nutrientes. Recens ſuavis eſt & concoctu facilis, antiquus non ità gratus & concoctu difficilis.

Ex eadem pultes cum lacte, vel Amygdalato, vel vino, vel cereviſia & ſaccharo fiunt & ſanis & ægris utiles. Pulticulæ ex farina adſtringunt, unde ad eadem valent ad quæ pultes ex Oryza, hæmoptyſin, dyſenteriam, diarrhœam, &c. præcipuè cum pedibus vervecinis & vitulinis decoctæ: exteriùs quoque ad eadem utilis eſt.

Not. Veteres úno quaſi ore panem ex Zea damnare. Quare manifeſtè (inquit C. Bauhinus) patet Zeam illam aliam eſſe ab ea, quam Plinius ſemen Romanis vocari tradidit, ex quo tam præclarus cibus Alicæ fiebat.

Cap. IV.

1. *Zea verna* J. B. *Zea Amylæa ſeu Olyra* C. B. theatr. *Olyra* Park. *Triticum Amylæum* Ger.

J. B.

C*Alamos* habet tres cubitos altos, quatuor, quinque aut ſex geniculis donatos, & planè triticeos. *Folia* pluſquam ſemunciam lata. Spica duorum eſt verſuum, ſibi mutuò æqualiter reſpondentium, ariſtis multis vallata, ut eatenus ad Hordeum accedat: in ſingulis autem verſibus ordines duo ſeminum majuſculorum, quæ glumæ involvunt validæ, aliàs albicantes, aliàs quaſi ferrugine infectæ vel rubentes, binæ quidem undique, extima verò externa tantùm parte. Grana glumis exuta Tritici granis ſimilia ſunt, unde nobis ſemen ejus Londino miſſum eſt ſub titulo *Tritici ſpicâ Hordei.* Seminis nondum planè maturi aviculæ appetentiſſimæ ſunt, ut difficile ſit illud ab earum rapinis defendere.

In Germania locis aliquibus ſeritur, & quidem verno tempore circa feſtum S. Georgii. Tardè metitur ſcilicet primùm Septembri. *Locus.*

Hæc planta inter Hordeum & Triticum quodammodo ambigit, ſpicam enim habeat Hordei, granum Tritici.

2. *Zeocrithon ſive Oryza Germanica* C. B.

C. B.

Cum Oryza nihil affinitatis habet, ſed potiùs mediæ inter Zeam & Hordeum naturæ eſt: radicibus, foliis, culmis geniculatis Zeæ ſimilibus: ſpicis Hordei modo aſperis & acutis ariſtis armatis, ſingulis tamen majoribus: grano candidiore, utriculis ut Amylæum incluſo, quod Zeæ modò à cortice in mola repurgari poſtulat.

Eſt ex æſtivarum frugum genere; quare apud Mediomatrices cum aliis trimeſtribus ſeminibus in optimis agris ſeritur.

Si hæc planta à C. B. rectè deſcribatur noſtrum **Sprat-Barley** eſſe non poteſt.

Cap. V.

De Hordeo.

HOrdeum Velio teſte, priùs fuit *Fordeum,* unde per adſpirationem ſcribendum liquet. Videri poſſit Hordeum dictum ab *horreo,* eſt enim horridum ob ariſtas hiſpidas & mordaces. Sed malim ſtatuere *fordeum* & forbea *ejuſdem* eſſe originis, nempe à φέρβω *alo, nutrio,* unde φορβὴ alimentum à quo *forbea,* ſed in *fordeum b* in *d* convertitur. *Voſſius Etymolog.* ubi plura vide.

Hordeum à reliquis culmiferis ſpicatis grano, cortice craſſiore undique arctè adhærente, nec ullis præterea glumis, tacto differt; ab Oryza ſpicâ ſimplici compactiore.

A. 1. *Hordeum diſtichum* Ger. J. B. Park. C. B. **Common Barley.**

Breviore *culmo* eſt quàm vel Triticum, vel Secale, ſeſquicubitali tamen interdum, & in lætiori ſolo bicubitali, quinque plurimùm, interdum ſex geniculis intercepto, ad quæ ſingula *folia* culmum aliquouſque obvolventia, ima Triticeis anguſtiora, ſuperiora nonnunquam, æquè lata, & quouſque culmos obveſtiunt glauco quodam polline plerunque obducta. *Spica* longis aſperíſque horret ariſtis, quæ ſingulæ è ſingulorum granorum capitibus exeruntur: grana vero glumâ tenui, ſimplici clauduntur, quam nullâ triturâ deponunt, niſi vel molarium confrictu, aut ſacculi aſperioris, calidâ prius macerata, aut denique pila. Diſtichon nominatur hoc genus quòd duos habeat granorum ordines, quibus tamen interjecta & aliorum rudimenta, ſed quæ nihil aliud ſint quam inutiles glumæ.

Stipulæ per maturitatem molliores ſunt, minúſque fragiles quàm triticeæ, unde & ſucculentiores ſunt, & pabulum bobus & vaccis alendis commodius & pinguius ſuppeditant. Spicæ ob longitudinem & gravitatem plerunque nutant & deorſum incurvantur, & vel viginti interdum grana in ſingulis verſibus continent. Radices ut in reliquis culmiferis fibroſæ. Ab eodem grano plures ſtipulæ exeunt.

Seritur hoc genus Vere, nec enim hyemes noſtras aſperiores tolerat. *Tempus.*

A. 2. *Hordeum diſtichum ſpica breviore & latiore, granis confertis. An Hord. diſtichum minus* Park. *Hord. dictum Germanis Oryza* J. B? *Zeocrithon ſive Oryza Germanica* C. B?
Sprat-Barley, or Battle-door Barley.

Hoc à præcedente differt ſtaturâ plerunque breviore; ſpicâ breviore latioréque, granis magis confertis, & à ſcapo medio extantibus, ariſtis quoque brevioribus nonnihil: quin & ab avium injuriis tutius eſſe creditur, quia grana ejus ante perfectam maturitatem à ſpica difficiliùs avelluntur.

Hæc duo genera apud nos in Anglia hyemem non ferunt, ideóque ſeruntur Vere. *Tempus.*

Inter geminos granorum verſus duo alii utrinque, i. e. quater gemini intercedunt, paleacei, nullum granum continentes, mollicellis & brevibus ariſtis donati. *J. B. Hi & in Hordeo vulgari habentur, ſed conſpectiores ſunt in hoc genere.*

A. 3. *Hordeum polyſtichon* J. B. *& ut mihi videtur hexaſtichum pulchrum* ejuſdem. *polyſtichum hybernum* C. B. *fortè etiam vernum* ejuſdem. *polyſtichum vel hybernum* Park. **Winter or ſquare Barley, or Bear-Barley,** *& in montoſis ſeptentrionalibus Angliæ* **Big.**

Hujus ſpica plerunque tetraſtichos eſt, aliquando plures granorum ordines obtinet, unde Hordeum hexaſtichum pulchrum *J. B.* ab hoc non differre putamus. Quin & polyſtichon vernum & hybernum ſolo ſationis tempore & accidentibus indè ortis diſtare.

Hanc ſpeciem, quia frigoris patiens eſt, & aſperiores hyemes tolerat, in Septentrionalibus Angliæ montoſis regionibus ſerunt; ubi Hordeum diſtichum ad frugem non perveniret.

Notandum hic Veteres eóſque ſecutos Recentiores nonnullos erràſſe plurimùm cum Hordeum & reliqua frumenta extremo utroque pullulare ſcriberent, ex altera grani parte deorſum germinante radicibus exeuntibus, ex altera ſurſum tendente herbâ: Ab eadem enim grani extremitate, tam in Hordeo quàm in aliis frumentis, tum culmus ſeu folia, tum radices exeunt, ut in Tritico manifeſtum eſt: in Hordeo & Avena, quæ glumas non exeunt, folium ſub gluma craſſiore reptans è ſummitate grani egreditur; quòd errori occaſionem præbuit: Quam rem ità ſe habere facilè animadvertes, ſi granum poſtquam germinaverit cortice exuas.

Vires & Uſus.

Hordeo quomodocunque parato eo utaris nunquam corpus calefacit, ſed variè pro modo præparationis tum humectat, tum ſiccat, coctum veluti in Ptiſana humectat, toſtum veluti in polenta ſiccat. Differt à Tritico quòd ſuccum mitem & deterſoriam generet, cùm Triticum craſſum ac lentum ſit, & nonnihil obſtruentis naturæ obtineat.

Ex Hordei farina olim apud potentiſſimos populos ut v. gr. Athenienſes, panes fiebant & hoc etiam ſeculo fiunt, verùm in annonæ caritate & ad ſublevandam tritici inopiam à tenuioribus præcipuè. Apud nos certè, non minùs quàm apud * Romanos olim, nullam habet autoritatem, ad panificia intellige, nam ad conficiendam cereviſiam valde expetitur, & quotidiano uſu frequentatur; æque neceſſarium populis Septentrionalibus pro potu præparando, ac Triticum pro pane.

* *Panem ex Hordeo Antiquis uſitatum vita damnarit, quadrupedum tradidit refectibus.* Plin,

Variis modis Hordea parantur vel ut Alimentum ſint, vel ut alimentum medicamentoſum, quos videſis apud C. Bauhinum Theat. lib. 1. Sect. 4. cap. 18.

Anodynum eſt contra omnis generis dolores cataplaſma è farina Hordei & butyro paratum.

Si Polenta Hordei decoquatur in aceto, ac id percoletur per linteum, eóque os proluatur, aut potiùs aliquandiu in ore retineatur, ſæpe id intolerabiles dolores dentium mitigat. *Sim. Paullus.*

Affinis quidam meus vehementiſſimis calculi doloribus, & intolerabili iſchuriâ laborans, poſt uſitata remedia incaſſum uſurpata, ei quod ſequitur applicui; Recipiebam arbitrariam quantitatem probè contuſæ polentæ, ex aheno calidæ, & tantundem Lupuli, quæ frigebam addita bene magna quantitate butyri (commendare quoq; eum in finem oleum poſſumus) ex quibus parabam cataplaſma, quod tam calidè pectini & perinæo applicabat implicatam linteo quàm ferre poſſet: & vir hic intra quadrantem horæ ad votum familiæ à recenſitis ſymptomatis liberatur; cui ſimile catapiaſma poſt pluribus dein ægris calculo & dyſuriâ laborantibus felici ſucceſſu imperavi. *Idem.*

Pleuritides populariter graſſantes ſolo decocto Hordei ſanavit Th. Bartholinus, Ephemer. German. An. 2. Oſerv. 2.

Ptiſſana Πτισάνη, dicta eſt ἀπὸ τοῦ πτίσσειν tundendo deglubere ſeu decorticare, quod quamvis omnium frugum decorticatarum generale nomen ſit, tamen cùm ſimpliciter & ſine adjectione ponitur, ptiſſanam Hordeaceam ſignificat, quæ κατ' ἐξοχὴν Ptiſſana dicitur: nam cùm pro aliorum frumentorum Ptiſſanis accipitur, frumenti nomen ſemper adjicitur, ut Ptiſſana Tritici, Zeæ, &c. Ptiſſana Veterum decantatiſſima, variis in locis deſcribente Galeno, hoc modo parabatur. Hordeum in aqua maceratum dum extumeſcat in Sole ſiccatur; mox in pila piſtillo ligneo tantiſper tunditur donec corticem exuat. Hoc in aqua lento igne decoquitur donec ſucculentum reddatur. [Aliqui decorticatam molebant & farinam in ſacculo coactam diutiſſimè diſcoquebant atque reſiccatam & in offas convolutam ad ſorbitionum uſum ſervabant, & cùm uſus exigeret decoquebant] Uni parti Hordei decem partes aquæ admiſcet Oribaſius, 15 Paulus. Quæ inter coquendum citiſſimè ampliſſiméque intumeſcit optima cenſetur. Cùm in chylum ſeu cremorem redacta eſt Aceti momentum infundendum, dein olei (vel butyri) exiguum, quod tamen etiam per initia injici poteſt. Poſtquam ad exactam coctionem ventum eſt, ſub edendi tempus ſal friatus inſpergendus.

Egregiè humectat, refrigerat, & deterget, eduliúmque eſt in acutis morbis omnibus frumentaceis præferendum. Datur etiam commodiſſimè tabidis & hecticâ aut maraſmo laborantibus.

Antiquorum Ptiſſanâ hodie non utuntur Medici, ſed ejus vice Hordeum ſuſpenſâ molâ decorticatum, quod mundum vocant, tantiſper in aqua decoquunt donec pultis ſpeciem referat, deinde tundunt & tenui incerniculo percolant, ſaccharum addentes, aliáque deinde admiſcent pro varia medentis intentione aut ſcopo.

Fit & hodie à Pharmacopœis, Gallicis præcipuè potio, quam Ptiſſanam καταχρηστικῶς vocant, cùm nec Ptiſana ſit, nec Ptiſanæ cremor, ſed tantum Hordei tenuius decoctum, ipſius ſubſtantiæ parùm aut nihil retinens. Fit enim ex Hordeo mundato, Glycyrrhiza raſa, & uvis paſſis, quandoque Pruna & dactyli & jujubæ aliáque ſimilia adduntur. Hæc potio in Gallia frequentiſſima eſt æſtivo tempore, ubi in omnibus fere pharmacopoliis venalis proſtat, vix biduum ſervari poteſt antequam aceſcat & corrumpatur. Uſus ejus eſt ad refrigerandum & humectandum. Iis qui inflammatione pulmonis partiúmque reſpirationi inſervientium vel renum veſicæque exulceratione aut inflammatione laborant proficuus cenſetur.

Polenta, Græcis Ἄλφιτον, Hordei toſti ſeu frixi farina eſt. Præparandi plures modos docuit Plinius *lib.* 18. *cap.* 7. Græci perfuſum aquâ Hordeum nocte unâ ſiccant, ac poſtero die frigunt, dein molis frangunt, reliqua apud ipſum vide. Euſtathius è Pherecrate præparandi modum brevibus abſolvit. Τὰς κριθὰς δεῖ πτίσσειν, φρύγειν, ἀποβρέττειν, ἀνεῖν, ἀλέσαι, μάζαν παραθεῖναι. Oportet Hordeum pinſere, frigere,

gere, torrere, in cerniculo cribrare, aſpergere, molere, manu ſubigere, mandendum appo- re.

Ruſticos pro pane alicubi eâ uſos olim legimus. Veteres etiam Græci militibus polentam præbe- nt. Romani tamen milites ipſius imbecillitatem damnârunt. Maza eſt Polenta cum aqua ſola, cum aqua & oleo permixta.

Βύνη Aetio Hordeum eſt madefactum, quod germen emiſit, & deinde unà cum enatis ligulis to- m eſt. Maltum recentiorum ex quo fit Cereviſia deſcribere videtur.

Maltum apud nos in Anglia ex Hordeo diſticho potiſſimùm conficitur, quanquam apud Septen- nales, ubi diſtichum non provenit, è polyſticho fiat. Modum conficiendi breviter deſcribit Lo- us, cujus idcirco verba adferemus.

Hordeum biduo & tribus noctibus aquâ maceratur, deinde effuſâ aquâ in horreum acervatur, loco tis minùs pervio, quoad perpuſillos radicum cirros & pullulationes (hyeme quidem tardiùs, vere em & æſtate biduo aut triduo) emiſerit. Mox priuſquam nimium incaleſcat in area complanata catim diſperſum ſeſquipalmari denſitate, ter quatérve die ac nocte aperto aere ſubvertitur: octo vel decem [imò plures] dies continuos verſando perficitur. Tandem in tabulato pertuſo igne ſubdito, vel calatho vimineo acuminato texto fornaci aptato, & Hordeo ſuperſtrato, igne lento è palea, cremiis vel arido ligno, [palea ſeu ſtramen huic uſui aptior eſt, nam lignum odorem & ſa- porem fuligineum Malto & Cereviſiæ inde confectæ communicat] fornacis oſtiolo admoto, ſeſqui- palmari intervallo ab imo interpoſito, exſiccatur quoad molis frangi queat. Hyeme & Vere lauda- tiſſimum efficitur. Qui vero Malti faciendi modum accuratum ſcire deſiderat rei ruſticæ ſcriptores conſulat. Nam de his prolixiùs agere inſtituti noſtri ratio non permittit; & conſulat Tranſact. Philoſophicas N. 142. p. 1069.

Biera ſive Cereviſia ex Malto & Lupuli Salictarii floribus ſeu potiùs fructibus, modo proportionéque certis aqua dulci permixtis coquitur. Et ſimpliciſſima quidem ac propriiſſima talis eſt: Proxima quæ Triticum, Zeam aliáſque fruges unà cum Malto hordeaceo admittit. Quæ verò præter fruges, herbas, ſemina, flores, aromata aut alia hujuſmodi permixta habent, compoſitæ quædam Beræ ſunt ac medicatæ ab Hordeacea Triticeâve & ſapore & qualitate diſſidentes. *J. B.*

Veteres ex hordeo potum variis nominibus appellârunt, Quidam, ut Herodotus, οἶνον κρίθινον: Ariſtoteles, Athenæo teſte πῖνον dixit: alii βρῦτον: Ægyptii apud quos olim in uſu fuit, hordeaceam potionem ζῦθον appellarunt, Theophraſto & Plinio teſtibus: Hiſpani, autore Plinio, *cæliam* & *ceriam*, Galli *cereviſiam*. *Ex iiſdem* [frugibus] *fiunt & potus, zythum in Ægypto, cælia & ceria in Hiſpania, cereviſia & plura genera in Gallia aliiſque provinciis, l. 22. c. 25.* Dioſcorides unum Hordeacei potûs genus *Zythum*, alterum *Curmi* nominat.

Hæc autem omnia, inquit J. Bauhinus, ſive ſimilia ſint genera diverſis appellata nominibus, ſive proprietate aliqua diſcrepantia, cum Bera ſive Cereviſia noſtra in eo convenire poſſunt, quòd ex hordeo & frugibus componantur, præparationis tamen modo, vel alia qualitate aliqua ab ea fortaſſe differunt.

Dioſcorides & Galenus Zythum Antiquorum multis nominibus damnant & improbant: verùm ſuſpicamur non ſatis perſpectum illis fuiſſe zythi præparandi modum. Quicquid ſit de zytho, nos fidenter affirmamus non dari potum ſalubriorem Biera ſive Cereviſiâ hodiernâ, ſi modò ex bonis frugibus ritè præparata, & probè decocta tandémque idoneè fermentata fuerit: Copioſum bonique ſucci alimentum præbet. Nos verò generoſiorem fortiorémque Cereviſiam in quotidiano uſu improbamus; ut & nimis tenuem & aqueam, mediam inter has eligimus, & ſaluberrimam exiſtimamus.

Modum conficiendi Bieram ſeu Cereviſiam breviter deſcribit Lobelius in Adv. part. ult. his erbis.

℞ Malthi mollis, leviter contriti modios Britannicos octo: cui ſuperfunde aquæ fluvialis limpi- oris ferventis, in qua aliquot manipuli furfuris triticei incocti fuerint, quantum ſatis ſit implendo olio Aureliano aut Aquitanico & ſemiſſi. Exactè mixta, infuſa calidè perſtent tres horas; deinde raminulo paleâ operto aut duplicato fundo apto ſubterfluant. Id quod tranſmiſſum eſt [Belgis Anglis **Wort** vocatum] recoquitur ſemihoram, ſeſquihoram, aut aliquot horas ut meliùs conſer- etur, adjectis unc. duodecim florum Lupuli Salictarii: mox longo latóque lacu, depreſſis labris vix pedem alto perfrigerantur. Et hujus decocti frigefacti libris octo vel decem, fermenti ſive fæcis Bieræ vel Alæ potentioris libra aut ſeſquilibra adduntur exactè agitando, loco tepidiore permiſcentur, ſtrangulis operiendo, ſenſímque reliquum liquorem affundendo, ut commodiùs fermenteſcant. Quibus abſolutis tranſcolantur; vaſa adimplentur, demúmque fermentatione abſoluta, ex- ctiſſimè occluduntur, eidem Malto novam affundunt fervidam, tranſcolant, eóque tenuem Cereviſiam concinnant. N. Quo diutiùs liquor Malto impregnatus, **Wort** dictus decoquitur, eò dura- ilior eſt Cereviſia, & ætatem meliùs fert, cæteris paribus.

2. Quò Maltum magis exſiccando toſtum & aduſtum fuerit eò Cereviſia indè confecta coloratior rubicundior evadit, particulæ enim aduſtæ hunc colorem communicant, Cereviſia è Malto lento gne exſiccato pallidior eſt ſeu candidior.

3. Lupulus Cereviſiæ incoctus eidem diutiùs aſſervandus & ab aciditate tuendæ inſervit, quod fficit amarore inſigni quâ pollet, quin & eandem ſapidiorem ſalubriorémque reddit, nimium Alæ entorem attenuando, aperiendo, abſtergendóque; Ala, præſertim ſi generoſior ſit, corpus nimis beſum & pigrum reddit, Cereviſia lupulata calore ſuo diſſipat pinguedinem, corpuſque vegetius & ad motum aptius efficit.

4. Lobelius, quamvis natione Belga, fatetur Cereviſias Britannicas quaſlibet Septentrionales bonitate longe ſuperare: idoneus teſtis, qui in pleraſque regiones ubi in uſu eſt Cereviſia, peregrinatus fuerat.

4. *Hordeum exoticum cauſticum* C. B. *Cevadilla ſive Hordeum cauſticum Americanum* Park.

Planta eſt à Nicolao Monarde propoſitæ, quæ in Hiſpania nova *Cevadilla*, id eſt, Hordeolum vocatur, à ſimilitudine quam cum noſtro Hordeo habet, in ſpica & vaginulis quibus ſemen includitur, ſed eo minus & Lini ſemine neutiquam majus; & longè aliis facultatibus præditum.

Vires.

Hujus ſemen adeò urente vi præditum eſt, ut in gangrænis, putridis & impuris ulceribus eoſdem quos ſublimatum & cauterium ignitum effectus præbeat: pulvis ſenſim inſperſus vermes in ulceribus necat, ulcera putrida expurgat, pro ulceris magnitudine, majori minoréve quantitate inſperſus, modò præſervativa, quæ in horum remediorum uſu uſurpari ſolent, adhibeantur. Ad hujus facultatem infringendam pulverem aquâ roſarum aut Plantaginis excipiunt, & Linum intinctum ulceribus & gangrænis imponunt, dein medicamenta ſarcotica adhibent. Hæc omnia Monardes.

CAP. VI.

De Oryza.

ORyzæ ut ſemen ex India primùm fuit allatum, ſic & indidem nomen Lobelio aſcitum videtur.

Oryza gluma ſeu cortice craſſiore arctè adhærente granis, ſpica laxa, è pluribus compoſita a reliquis frumentaceis diſtinguitur.

Oryza J. B. C. B. Ger. Park. *& aliorum omnium.* **Rice.**

C. B.

Radicibus eſt triticeis, *culmis* bicubitalibus & tricubitalibus, ſtriatis, triticeis & hordeaceis, craſſioribus ac robuſtioribuss, geniculatis: *foliis* longis, arundinaceis, carnoſis, Porraceis haud abſimilibus: in culmi cacumine non ſpica ſed *juba*, Milii aut Panici modo, in ramulos diviſa, in quibus ſemen utrinque impari ortu & alternatim provenit, cortice ſubflavo, aſpero, & anguloſis ſtriis in longitudinem donato, ſupernè villoſo, ovi figurâ, tectum, & aſperâ ariſtâ armatum eſt, quo exuto granum quovis præſtantiſſimo Tritico candidius, pellucidum, durum, Avenâ brevius & craſſius conſpicitur. Flores ut in Milio purpureos eſſe, & eodem tempore flores & ſemen proferre dicunt.

Locus.

Oryza præcipua omnium Indiæ Orientalis regionum annona eſt, indéque primùm allata in Græciam & Italiam. Hoc etiam ſeculo in univerſa India frequentiſſimus ejus uſus eſt, ut in omnibus fere ejus regnis, provinciis, inſulis copioſiſſimè ſeratur & colatur, ut *Bengala*, *Pegu*, *Cambaia*, *Ceylon*, &c. Quinetiam in Ægypto magno proventu ſeritur, alicubi etiam in Syria, & Fortunatis inſulis: ínque Hiſpania & Italia, ubi nos in Ferrarienſis ditionis locis paluſtribus ſatam obſervavimus.

Humidis locis delectatur, & in ipſis aquis creſcit. In inſula *Zeilan* aquas in ſtagnis reſervant ad Oryzæ ſata irriganda: & ibidem, (aiunt) terra pinguis perpetuis exundationibus ità molleſcit, ut Oryzæ meſſem facturi ad dimidium genu in aqua verſentur. Sic, auctore Porta, in Salernitano agro, ubi patenti, uda planitie maximo proventu ſeritur, euripis & ilicibus & fluviis ductis quoties opus eſt rigant, aliàs nullam aut caſſam ſegetem laturam: ità ut mirum ſit tam ſiccum & exſuccum granum tam humidum requirere ſolum; terrámque humidam & uliginoſam tam præſtantis ſaporis & ſalubris nutrimenti tamq; ſiccum frumentum procreare.

Tempus.

Matureſcit æſtivis Solibus, ejúſque meſſis ſerotina eſt circa æquinoctium Autumnale: quare Septentrionales regiones, licet humentes magis, tamen ut alſioſas reſpicit, nec ibi ad frugem pervenit.

Vires & Uſus.

In cibis Oryza admodum eſt familiaris, apud omnes nationes Orientales præcipuæ apud Indos; concoctúque facilior evadit & ori gratior, ubi ex lacte bubulo aut Amygdalarum cremore, aut carnium pingui jure decocta fuerit. Datur utiliter in cibis dyſentericis, cœliacis & diarrhœâ affectis, præſertim ubi priùs torrefacta, in lacte, in quo igniti calculi fuerint extincti, decoquatur. *Matth.*

Oryza Indis panis loco eſt, variis modis præparata; Præparandi modos vide apud C. Bauhinum *Theat. Bot. lib.* 1. *Sect.* 4. *cap.* 29. Potum quoque in multis Indiæ locis ex Oryza conficiunt. Vide *C. B. loco cit.* Turcæ quoque ex Oryza pultes efficiunt, & multa ex ea fercula parant. Varios Oryzam ad cibum præparandi modos in Europa, ubi Triticum in panem venit, vide apud prædictum autorem loco laudato.

Vulgi animos opinio pervaſit Oryzâ frequenter veſcentes obeſiores reddi; quare in quibuſdam locis fœminæ graciliores & macilentiores eâ frequentiùs utuntur ex lacte & largiore ſaccharo aſſumentes. Sed Veterum medicorum ſententia contradicit: ut qui inter ὀλιγότροφα ſeu leviter alentia, & δύσπεπτα ſive quæ difficulter conficiuntur eam retulere. *Nobis aliter videtur, & vulgi potiùs opinioni accedimus, nec audemus damnare edulium tot gentium, tot ſeculorum uſu approbatum: Alvum modicè aſtringere concedimus: unde & in hepatico fluore & mictione ſanguinea, inque tuſſi utile eſſe aliis adſtringentibus additis non abnuimus.* Farina etiam cataplaſmatis repellentibus admiſcetur, & iis quæ mammarum incipientem inflammationem arcent floribus Chamæmeli & roſarum additis. In hæmoptyſi laudat Helmontius Oryzam Aq. vel Lacte chalybeato coctam. Dol. l. 3. C. 8. S. 16. *D. Soame.*

Oryzæ tenuius decoctum, in aqua, uſitatiſſimum eſt apud Indos multorum medicamentorum vehiculum.

Liquorem vinoſum ex Oryzâ extractum *Arak* aliqui vocant.

Cap. VII.

De Panico.

Panicum, Græcis Ἔλυμος καὶ Μελίνη, Etymon Plinius adfert, lib. 18. cap. 7. *Panicum,* inquit, *à paniculis dictum.* Ac paulo poſt ait, *quoddam Panici genus eſſe à pano parvis racematum paniculis.* At Panicum non ἀμέσως à panicula dicitur; Ἀναλογία enim repugnat, ſed à *panus* cujus diminutivum *panicula,* ut *panicum* & panicula ejuſdem ſint originis. Panus autem à πῆνος pro quo Dores & Æoles πᾶνος: à πῆνος autem πηνίκη ἡ θρὶξ καὶ κόμη. *Voſſ. Etymolog.*

Panicum ſpicâ laxiore, & velut è racemis compoſita, granis minoribus à reliquis frumentis ſpicatis differt.

1. *Panicum Germanicum ſive panicula minore* C. B. *Panicum vulgare* J. B. Ger. *Panicum album vulgare* Park. **Panick.** *In Gerardo emaculat. icones duæ ultimæ ſunt tranſpoſitæ.*

C.B.

Radice nititur valida & fibroſa, è qua plures erigit *culmos,* Arundinaceos, duorum plerunque cubitorum (ſolo tamen fœcundo proceriores) rotundos, ſolidos, geniculis tumentibus, decem nonnunquam, præcinctos, ac ſenſim extenuatos, cacumine languido & nutante: quibus adnata *folia* arundinacea, Milii aſperiora & acutiora, tritici latiora, uncialiq; latitudine, Arundinaceis non multùm diſſimilia, è geniculis exeuntia, plerunq; cubitalia. In caulis ſummo *ſpica* oblonga, dodrantalis, rariùs pedalis, teres, craſſa, non ut in Milio divulſa, ſed racemi inſtar compacta, ex granis Milio numeroſioribus & minoribus, rotundioribus, ſplendentibus, folliculis quibuſdam ſubluteis obvolutos. In eo differentia quòd quoddam flavis, alterum purpureis aut nigris ſpicarum faſtigiis emicat, & hoc quoque avicularum injuriis obnoxium eſt.

Increſcente ſpica à duobus geniculis inferioribus culmi undiq; in orbem excreſcunt, & in terram fibræ deſcendunt, quibus culmus fulcitur nè pondere ſpicæ nutantis ſternatur & humi procumbat.

Seritur in agris in Germania, Gallia, Italia. Solum & terram qualem Milium deſiderat, nimirum levem ſolutámq;, arenoſam item & ſabuloſam, modò humentem. J. Bauhinus hujus varietates duas deſcribit & depingit: nimirum *Locus.*

[1. *Panicum puniceum vel rubrum*

Quod, uti provenit in horto, *radices* habet fibroſas, ſed validas, ſubrubentes; *caules* verò duûm aut trium cubitorum altitudine loco fœcundo, firmos, ex viridi rubeſcentes, crebris geniculis interceptos, ramoſos & læves præterquam ſub ſpica, quæ ſeſquipalmum longa, ſpiculis compluribus densè congeſtis componitur [in minoribus plantis ſpica non apparet ità ex ſpiculis compoſita] in quibus ſemen Panici vulgaris copioſum; gluma etiam non alia, ſed ariſtis quæ inter grana plurima emicant purpuraſcentibus. Folia Arundinacea, frequentia, vaginis longis caulem involvunt, adeóque & inferior vagina ſuperiorem excipit, tactu aſpera.

2. *Panicum ſpicâ inſigniter divulſâ.*]

2. *Panicum Indicum paniculâ villoſâ* Park. *Panicum Indicum* Ger. *Panicum Italicum ſive panicula majore* C. B. **Indian Panick.**

Hoc radice, culmis, foliis priori, ut & Milio per omnia ſimile, ſed omnibus ſui partibus fœcundius exiſtit, maximéq; paniculâ differt, ſiquidem in hoc pedalis longitudinis eſt, & duorum digitorum craſſa, ad terram verſa, granis numeroſis hirſutiſq;: color paniculæ etiam variat, in quibuſdam candicat, in aliis rufeſcit, in pluribus verò flaveſcit: ſic & ſeminis color variat.

Ego hanc ſpeciem potiùs Indicam quàm Italicam dicendam puto; ſiquidem à quodam chirurgo Briſtolium Angliæ, cùm Lobelius ibi commoraretur, ex novo orbe delatum eſt; & ipſe eam in horto colui è ſemine pro Panico Indico miſſo ortam.

3. *Panicum cœruleum* Ger. *cœruleum vel Indicum* J. B. *Indicum cœruleum* Park. *Indicum, ſpicâ obtusâ cœruleâ* C. B.

C. B.

Radicibus eſt validis, fibroſis, amplioribus quàm ſint vulgaris: *culmis* harundinaceis, rectis, crebrò geniculatis, & veluti articulis præditis, lanugine obſitis, vulgari Panico longe & quidem digito craſſioribus, firmioribus, altioribus, humanam altitudinem ſæpe ſuperantibus, & juxta radicem cœruleo eleganti & nitido purpuraſcentibus, medullâ fungoſâ, pallente farctis, & velut in ramos diviſis: ſiquidem inter folia è geniculis alii breviores culmi prodeunt: *foliis* veſtiuntur arundinaceis, ex ſingulis geniculis prodeuntibus, magnis, longis, latis ac duris, medio nervo diviſis, & per ambitum leviſſimè inſtar Milii Indici (iis non valdè diſſimilibus) dentatis: cuilibet culmo ſpica craſſa inſidet, quæ æqualis ubiq; propemodum craſſitudinis, inſtar clavæ Typhinæ densè compacta, aliquantulum hirſuta, nonnunquam digitalis, interdum ſolùm pollicaris longitudinis, ſpecie cylindri ſeu coni, faſtigio retuſo ad effigiem Mayzii, ſubcœrulei coloris, & in regionibus calidioribus ſaturatioris, ſiquidem ſtamina florum ex cœruleo diluto nitent: *Semina* petiolis oblongiuſculis & gracilibus innixa, capillaceis utriculis, quæ ipſam ſpicam hirſutam efficiunt, incluſa, quæ extima parte è glumis prominente vulgaris craſſiora magíſq; rotunda, lævia & ſubcœrulea ſunt. *Locus.*

E Peruvia in Europam pridem fuit allatum.

4. *Panicum Indicum ſpicâ longiſſimâ* C. B. *Americanum ſpicâ longiſſimâ* Ger. emac. *Americanum ſeſquipedali ſpicâ* J. B.

Spicam habet ſeſquipede longiorem, craſſam, firmam & compactam, non ut in priore æqualem, ſed paulatim ex ima parte gracileſcentem: ſemina præcedentis Panici ſimilia, nec multùm majora, ſed plura ſimul juncta, & glumâ hiſpidâ incluſa, brevíq; pediculo innixa.

Locus. Londino à Jacobo Gareto primùm accepit Cluſius, poſtea ſimiles ex Guinea.

Tres Panici Indici ſpecies depingit Parkinſonus, quorum iconas apud ipſum vide.

Vires. Guſtu, qualitate & viribus Milio reſpondet, quare in cibo, pane & medicina ut Milium uſurpari poteſt; unde magni per univerſam Germaniam, Ungariam & Bohemiam, perhibente Cluſio, usûs eſt: etenim in alimentum cedit ac pultes ex ejus ſemine deglumato fiunt non ingrati ſaporis. At, inquit C. Bauhinus ex Veterum ſententia, mali ſucci eſt, difficulter in ventre conficitur, flatus parit, alvum aſtringit, ſiccat atque refrigerat: ideóque Milium Panico ad omnia præſtantius. Lac ei admiſcere [in pulte] ſalutare inventum fuit, tollit enim aut ſaltem minuit prædicta mala.

Puls cum lacte in capitis doloribus à bile cauſatis, hæmoptoicis & pollutione nocturna commendatur. Ventris fluxus, ceu ipſum etiam Milium, nonnihil ſiſtit Galeno; in lacte caprino coctum & bis die hauſtum, Plinio, cui & ſic prodeſt ad tormina. Foris in cataplaſmate illitum exſiccat & refrigerat.

Apud Italos ad Gallinarum, columbarúmq; ſaginam potiùs quàm ad hominum alimentum ſeritur. Nos etiam non dico cum C. Bauhino, illud ruſticis foſſoribus & meſſoribus, ſed jumentis & avibus cortalibus comedendum relinquamus, & melioribus frugibus Dei gratiâ repertis utamur.

CAP. VIII.

De Phalaride.

SPica è ſquamis compactili, culmo tenui, granis lucidis à reliquis frumentis ſpicatis differt.

Phalaridis nomen accepit ἀπὸ τοῦ φαληριᾷν, quod ſemen ſplendidum candidúmque reddat. Spicam ſpumâ alba obductam eſſe non ſemel obſervavi. *Bod. à Stapel.* in Theophr. hiſt. lib. 8. cap. 3.

1. *Phalaris* J. B. Ger. *vulgaris* Park. *major ſemine albo* C. B. **Canary-graſs**, *i. e. Gramen Canarienſe, quia ex inſulis Canarienſibus delatum eſt, & Paſſeribus Canarienſibus alendis inſervit.* J. B.

Culmo adoleſcit ſeſquicubitali, Hordeaceo [C. B. Zeæ non diſſimili, graciliore tamen] quatuor aut quinque geniculis nodoſo: *foliis* Hordeaceis, [parvæ Arundini aut Tritico ſimilibus C. B.] radice habitiore [parva, multifida & fibrata *C. B.*] Unicuique culmo (qui ex una radice plures pronaſcuntur) *ſpicæ* ſingulæ inſident, ſeſquiunciam aut unciam longæ, turbinatæ, foliaceis glumis ſtriatis ſquamatim ſcandularum ritu compactiles, è quarum ſinu tremula floſculorum pallidorum filamenta promuntur, iiſdémq; poſtea loculis *ſemen* reconditur lubrico nitore Milii, candidum, forma Lini, ſed magnitudine ſuppar.

Locus. Sponte oritur non in Canariis tantùm inſulis, Fortunatis olim dictis, ſed & in Hetruria, autore Anguillara, inter ſegetes, & in Hiſpania, & in Gallia Narbonenſi circa Monſpelium.

Vires. Phalaridis ſemen, & herbæ ſuccum, & folia pota ad veſicæ dolores & cruciatus commendant Veteres.

Alimento eſſe & nonnullos panes ex eo pinſendos curare, eſitaréque ad calculum farctúſque veſicæ perhibet Lobelius.

2. *Phalaris major ſemine nigro* C. B. J. B. *Phalaris ſemine nigro* Park. **Canary-graſs, with black ſeed.**

E radicibus fibroſis, majuſculis, fibellis tenuibus rubentibus cirratis, tres quatuórve aut plures pro ratione ſoli *culmos* erigit, bicubitales, quinq; vel ſex geniculis interceptos, ad quorum ſingula ſingula *folia*, ſemunciam lata oblonga, Triticeis ferè paria, nec folia tantùm, ſed ex inferioribus articulis rami ſeu culmi ſecundarii exeunt. Spicæ quàm præcedenti longiores & graciliores nonnihil, viridiores, è ſquamis lineis virentibus & albidis ſtriatis compactiles: *floſculi* albidi, è tenuibus filamentis penduli: *Semina* minora, per maturitatem fuſca, ſeu nigricantia, imâ parte albicantem quandam hirſutiem habere videntur.

Locus. Circa Meſſanam in Sicilia, Baias & Neapolin in Italia, & Monſpelium in Gallia Narbonenſi ſpontaneam obſervavimus.

3. *Gramen Phalaroides Luſitanicum.*

Ex ſemine Londino miſſo ſuccrevit nobis hoc genus Graminis, annui & ſupini, culmis vix dodrantalibus, ad terram reclinatis; cui *Spicæ* breves, craſſæ, Phalaridis, è folliculo vix exeuntes.

4. *Gramen*

4. *Gramen Phalaroides minus* C. B.

Foliis eſt oblongis, anguſtis, viridibus, quorum unum vel alterum culmos cubitales tenues tubi inſtar cingit: In culmorum ſummo *ſpica* Phalaridi ſimilis, ſed anguſtior, trium unciarum inſidet. Nec radicem nec ſemen vidit deſcriptionis autor C. Bauhinus.

5. *Phalaris bulboſa ſemine albo* Park.

Park.

Creſcendi modo Phalaridi vulgari ſimilis eſt, *culmis* tamen tenuioribus tenerioribus, elatioribus. *Folia* tum quæ ad culmorum genicula, tum quæ ad radicem molliora lenioráque: *Spicæ* minores ſunt & nonnihil longiores, nec perinde compactæ, ad tactum etiam molliores, *ſemina minora* ſed candidiora producentes. Pro radicibus bulbuli ſubſunt multi, coacervati, fibras longas in terram profundè demittentes, quibus firmiter ei inhærent, nec quotannis aliarum ſpecierum modo emoriuntur, ſed in multos annos durant in magnos denſóſq; ceſpites excreſcentes.

Locus. In Hiſpania inventam attulit Boelius.

6. *Gramen phalaroides ſpicâ Paniceâ Siculum.*

Culmo eſt procero, firmo: *foliis* longis & modicè latis, ſpica palmari Panicea, hoc eſt, è multis brevibus & confertis ſpicis coagmentata, glumis aceroſis è viridi albicantibus, nullis omnino ariſtis donatis. Semen nondum maturum erat, cùm obſervavimus: In Sicilia.

CAP. IX.

De Frumento Indico Mayz dicto.

HÆc planta inſignibus notis ab aliis omnibus frumentaceis differt: Eſt enim paniculata ſimul & ſpicata. Panicula ſcilicet caſſa, aceroſa ſummo culmo inſidet, ſpicæ craſſæ tres quatuórve è foliorum ſinubus exeunt.

1. *Triticum Indicum* J. B. *Frumentum Indicum* Mays *dictum* C. B. *Item Frumentum Indicum* Mays *dictum alterum* ejuſdem. *Milium Indicum maximum* Mays *dictum, ſeu Frumentum Indicum* Park. *Frumentum Turcicum & Indicum* Ger. **Indian Wheat.**

C. B.

Radicibus nititur numeroſis, duris, fibroſis, ſed minimè craſſis, & albis: quibus ab imo caulis ge- culo fulcra quædam in terram demittuntur, quibus culmi à vento agitati ſuſtineantur, qui A- ndinei, ſeptem vel octo pedes alti, rotundi, pollicem craſſi, rigidi, multis geniculis articulati, in- rna parte purpuraſcentes, qui paulatim extenuantur, ſolidi, denſâ & albâ medullâ, inſtar Arun- nis Saccharinæ, farcti, qui dum adhuc virides & ſucculenti ſunt, dulcedine ſunt Sacchari. *Fo- s* eſt Arundineis, cubito plerunq; longioribus, tres aut quatuor uncias latis, venoſis, marginibus liquantum aſperis: *paniculis* ſummo caule dodrantalibus, gracilibus, raris, jubæ modo multiplicibus, liquando in 15, 20, & etiam 30 ſpicas procumbentes diviſis, ariſtis carentibus, & flori tantùm mittendo natis. Etenim flores ſummo culmo nutant, non fœturæ deſtinati, non umbræ, ſed or- atu ſpectatores oblectantes, naturæq; luxum oſtentantes, quod raro in aliis conſpicitur: nam cùm efloruerint exareſcunt, & nullum ſemen producunt. Floret autem Secales inſtar, flore nunc andidi, nunc lutei, nunc purpurei coloris, prout videlicet fructus ſive frugiferæ ſpicæ coloratæ runt. Et quod ſingulare huic plantæ videtur eſſe, quòd alia parte florem, aliâ fructum ferat, & non reliquarum frugum more in panicula ſemen fructúmve proferat, ſed à latere ex culmorum eniculis, medio foliorum & geniculorum ſinu ſpicæ ariſtis carentes, longæ, craſſæ, rotundæ, cy- ndracea effigie, fructum ferentes, & ab uno culmo tres quatuórve alterno ordine exeunt; at à ingulis nodis ſingulæ, quæ multis foliaceis tunicis vaginæ inſtar obvolvuntur, in ſummo tam arctè onvolutæ ut nè aquam quidem tranſmittant, quæ ſpicas corrumpere poſſit: & ſpicæ cùm ad juſtam agnitudinem pervenerint Piceæ arboris conos tum longitudine, tum craſſitudine æquant, & è va- nularum verticibus filamenta capillacea eodem cum granis colore dependent, quo ab avium & ermium injuriis tutæ eſſe poſſint. Vaginis cùm exaruerint denudatis grana apparent Piſi mag- itudine, omnino nuda, nullóq; folliculo incluſa, lævia, ſubrotunda, & quæ mediaſtino fuliginoſo ndiq; hærent; propter compreſſionem anguloſa, frequentia, quæ ſæpe in uno racemo apud In- os 700 (apud quos ſæpe ex uno grano 300 modia colliguntur) coacervata, at arctiſſimè juncta, in octo, aut decem, rariùs duodecim ordines, in longitudinem rectis lineis digeſta: quæ ratione loris variant, modò candida, interdum lutea, modò purpurea, nonnunquam fuſca aut rubra, edullâ tamen candidâ, & ſapore cæteris frumentaceis dulciori ac ſuaviori.

Interdum paniculæ, Camerario monente, etiam grana adnaſcuntur, ubi nondum plenè ſeſe ex- icavit, potiſſimum circa imam partem, quà tunicis veſtitur, quaſi fœcunditas nuditate evaneſcens reat, eadémq; à tempeſtatum injuriis operimentis integra conſervetur.

Quòd paniculas floriferas infœcundas à ſemine ſeu fructu remotas gerit non huic frumento proprium eſt, & Lachrymæ Jobi dictæ commune.

Quòd verò paniculæ hæ omninò ad generationem inutiles ſint, & ad ſpectaculum ſeu luxûs naturæ oſten-

tationem duntaxat comparatæ, Bauhino non aſſentior: Veriſimile enim eſt apices floridos ſpermatis maſculini vicem præſtare, & ſemen fæcundum reddere, ut in Parte Generali docuimus.

Fruſtra Gerardus noſtras, Tabernamontanum ſecutus, pro granorum colore ſpecies multiplicat, cùm ex eodem ſemine pleræq; hæ varietates haberi poſſint.

Frumentum hoc Indiæ Occidentalis indigenam eſſe (in cujus omnibus ferè regionibus reperitur) indéq; in Africam, Aſiam, & Europam delatam, Matthiolo conſentimus; quicquid contradicendi ſtudio repugnant Adverſariorum autores: Milium autem Indicum Plinii, quod Neronis principatu in Italiam fuit convectum, Melicam ſeu Sorgum eſſe minimè dubitamus.

Tempus & Locus. Seritur Martio, in ſingulas ſcrobes, inter ſe paſſum unum diſtantes, quaternis quiníſve granis conjectis. Naſcitur paucis diebus, & quarto in India menſe demetitur. Apud Germanos ſeri in agris obſervavimus; ubi terram probè ſtercoratam, pinguem & humidam expetit. Frigoris & pruinarum impatiens eſt. Tempus ſerendi pro regionis qualitate & temperamento variat: alibi ſeriùs, alibi citiùs ſerendum. Alibi etiam breviori temporis ſpatio ſemen perficit & ad maturitatem perducit, alibi longius requirit. Eſt genus trimeſtre; eſt quod duobus tantùm menſibus & ſeritur & metitur. Quinetiam aliud eſt quod 40 tantùm diebus à ſatione matureſcit; ſi Autoribus fides. Quòd in altitudinem excreſcat, & plures ſpicas producat, vel ſoli fertilitati, vel cœli temperiei debetur.

Vires & Uſus. Quidnam hoc frumentum in Medicina poſſit nondum ſatis conſtat (inquit J. Bauhinus) quia autem dulcedinem & lentorem quendam grana præ ſe ferunt, haud dubiè idem cum Tritico habebit temperamentum, ac proinde eaſdem etiam facultates obtineat neceſſe eſt. Grana itaq; teruntur in candidiſſimam farinam, quæ in panificia ſubinde cogitur. Panis tamen ille lentoris quiddam & obſtruentis naturæ habet. Hinc eſt, quòd in Aſia & Turcia illius nullum in cibo uſum eſſe, niſi cum annonæ premit inopia, dicunt. Panis ex eo paratus (autore Dodonæo) mediocriter quidem candidus eſt, abſq; furfuribus concinnatus, ſed durus ac ſiccus, veluti biſcoctus, nihílq; lentoris habens; concoctu eas ob cauſas difficilis, corporíq; nullum aut omnino exiguum alimentum præbens, tardè deſcendens ac alvum conſtringens, veluti ex Milio aut Panico factus.

Franciſcus Hernandez frumentum hoc valdè celebrat: Temperatum eſt (inquit) aut ad caliditatem humiditatémq; pauliſper declive, ſubſtantiâ mediocri, concoctu facile, præcipuè his qui eo victu uti conſuevere, non craſſa, aut, veluti quidam opinantur, obſtruenti & viſcoſa, quod vel Indis ipſis, qui ex eo pane in placentulas formato vivunt, nec tamen obſtructi, aut decolores conſpiciuntur, periclitari licet: iiſdem affirmantibus, nullam in ventriculo gravitatem ſentire poſt epulas, imò poſt paucas horas rurſus ac ſi nihil ingeſſiſſent eſurire, & magna aviditate, ſi adſit copia, repetere nutrimentum, nec vel de nomine ſolo ad adventum uſque Hiſpanorum lithiaſin noviſſe; quin quòd nullus eſt apud Mexicanos celebrior ægritudinum acutarum & commodior victus, qui etiam Ptiſanæ præfertur, quod mille experimentis comprobatum confirmatumq; eſt: Celeriter utique (aiunt) coctum deſcendere, corpora quantum ſat eſt nutrire, nullum inferre gravitatis ſenſum, mollire ventrem & pectus, calorem ſubtilem demulcere, (præſertim ſi pulvis ejus ex aqua permittatur brumali tempore gelare) urinam evocare, viáſq; omnes extergere. Reliqua apud ipſum vide, ut & varios modos illius parandi tum ſanis, tum morbo aliquo affectis.

C. Bauhinus, neſcio à quo edoctus, ſcribit Indos ſi nimiùm utantur hoc frumento in cibis, tumidos & ſcabioſos reddi. Imò (inquit) pueri Guineenſium, qui hoc frumento ſæpe panis loco utuntur, videlicet granis è ſpicis excuſſis, iiſque nonnihil toſtis & præuſtis, ſi paulò frequentius utuntur, à ſcabie ſeſe vindicare non poſſunt, cùm ſanguinem nimis calidum & quaſi aduſtum gignat.

Panis & Vini ex hoc frumento conficiendi apud Indos modum vide in Hiſtor. *C. B.* lib. 1. Sect. 4. cap. 31.

Farinæ uſus eſt ad cataplaſmata mollientia & ſuppurantia, nam ſuo lentore meatus obſtruens apoſtematibus ſuppurandis peridonea eſt. Foliorum item recentium ſuccus refrigerandi facultatem obtinet, & Eryſipelatibus, ſi panni intincti applicentur, conducit.

2. *Frumentum Indicum Mays dictum minus* C. B. *Indicum alterum ſive minus* Park.

Quod mediam præcedentis altitudinem vix attingat, cujuſque ſpicæ frugiferæ non ad culmorum latera prodeunt, ſed paniculis cùm defloruerint ſuccedunt cætera ei ſimilis, cùm invalido tibicine ſolius Tabernamontani fide & autoritate nitatur, nobis quidem dubium & ſuſpectum eſt.

Pro culturâ & uſu frumenti Indici *Mays* dicti conſulantur Tranſact. Philoſoph. N. 142. p. 1065.

CAP. X.

De Milio.

Milium, Græcis κέγχρος, ut Varroni placet à Græco derivatum eſt, nam illud priùs μίλιν, poſt μέλιν dicebatur ſeu μελίνη communi cum Panico nomenclaturâ. Verùm probat Voſſius μελίνην vocem apud Dioſcoridem, Galenum alióſque veteres pro Panico duntaxat accipi. Probabilior ergo quibuſdam videtur Feſti opinio, Milium dictum à copia ſeminum, quaſi milleſimum ferat granum.

Milium autem effuſâ jubâ, granis minoribus, ſubrotundis, lucidis ab aliis frumentis paniculatis diſtinguitur.

1. *Milium* J. B. Ger. *Milium ſemine luteo* C. B. *Milium vulgare album* Park. **Millet with yellow ſeed.**

J. B.

Radices crebræ, fibroſæ, validæ, albicantes. Pluribus *culmis*, craſſiuſculis ſeſquicubitalibus, brevibus internodiis geniculatis ſurgit. *Folia* Arundinacea, unciâ latiora, hirſuta, præſertim qua parte culmum obvolvunt denſa lanugine obſita ſunt, & evidentiùs ſtriata, poſtquam à culmo abſceſſerint lævia & glabra paulatim evadunt. In ſummis ſtipulis juba explicatur ampla, atro-purpurea, deorſum reflexa, ad longa tenuiáq; ſtamina inermibus glumis comprehenſa grana, lubrico lævore lucida, parva, colore fulvo aureóve appenſa obtinens.

Levem ſolutámque terram deſiderat, nec in ſabuloſo ſolùm, ſed in arenoſo quoque provenit, *Locus.* modò vel humido ſolo, vel riguo, nam ſiccum cretoſúmque reformidat. Ante ver commodè ſeri non poteſt, quoniam teporibus maximè lætatur. Ultima parte menſis Martii commodiſſimè terræ committitur. Nec impenſa gravi ſationem cultoris onerat, quippe Sextariis ferè quatuor (quinque Palladio) jugerum implet Columellæ. Si denſiùs ſeminetur nocebit. Tertio poſt ſationem menſe perficitur: eſt autem ad annonæ caritatem & famem remedium permaximum. Contra tempeſtates enim univerſas aeríſque malignitates reſiſtit, & nullo tempore deficere poteſt, licet frugum cæterarum ſterilitas invaleſcat.

Habuimus aliquando hujus varietatem ſemine aureo.

2. *Milium ſemine albo.*

Hoc quamvis ab omnibus Botanicis cum præcedente ad idem caput reducatur, ejúſque tantùm varietas habeatur, eſt tamen reverà ſpecies diſtincta: ſiquidem non tantùm granorum colore ab eo differt, ſed ſtaturâ & magnitudine, & florendi tempore, & jubâ ſeu paniculâ: illo etenim multò elatius eſt, ut quod ad bicubitalem aut tricubitalem altitudinem aſſurgat, culmo craſſiore, geniculis pluribus intercepto, *foliis* latioribus longioribúſq; multò, pallidiùs virentibus, comâ magis inflexa, albicante.

Seriùs deniq; paniculam explicat, nec ferè in hortis noſtris ante exitum Julii.

Hæc ſpecies eſſe videtur quam deſcribunt Joan. & Caſpar Bauhini.

3. *Milium ſemine nigro* C. B. *ſemine nigro ſpadiceóve* J. B. *Milium nigrum* Ger. Park. **Black Millet.**

C. B.

Caule eſt altiore, tenuiore, non hirſuto ſed glabro; jubâ latiore; *ſemine* nigro oblongiore, medullâ quàm in priore albiore, illóque deteriùs, non minùs tamen aviculis, ut columbis & gallinis nutriendis, expetitum.

In Argovia Helvetiorum frequenter ſeritur Milium nigrum, quod foliis eſt vulgari latioribus, caule non adeò alto, jubâ ſparsâ & minore, ſemine aliquantum majore & rotundiore, & ad pultes conficiendas altero longè utiliore. An à præcedente diverſum?

Milium refrigerare & ſiccare Veteres & Recentiores conſentiunt. Mali ſucci eſt, difficulter concoquitur, alvum cohibet, & flatus generat. *Vires & Uſus.* Attamen hoc multis gentibus in cibis gratiſſimum fuiſſe, & hodie quoque eſſe, inter omnes conſtat. Meliorum frugum inopiâ in panificia olim cogebatur, uti teſtantur Galenus, Plinius, Dioſcorides aliíque è Veteribus. Apud Italos (inquit C. Bauhinus) vidimus frequenter panes ex Milio confici, qui flavent, quiq; calidi devorati ſua dulcedine placent, & à multis, etiam non urgente neceſſitate, expetuntur. Cùm verò panis ex Milio obduruit planè nigratus eſt. Ex farina quoq; ejus & lacte Itali lagana & placentas parant: quæ niſi mox cùm coctæ fuerint edantur, in mandendo glutinoſæ & ingratæ ſunt. Pultem candidam ex Milio olim factam fuiſſe teſtatur Plinius. Sarmatarum quoq; gentes hac maximè pulte aluntur, & crudâ etiam farinâ equino lacte, vel ſanguine è cruris venis, admixto. Hæc puls etiam Germanis hodie in uſu eſt, cum lacte cocta, butyro addito, & ſaccharo plerunq; aſperſo: Hujuſmodi etiam pultes in Angliam pridem introductæ & in uſum receptæ ſunt.

Cæterum Milii farinæ olim uſus fuit in fomentis ad tormina, capitis quoq; & nervorum dolores. Foris impoſitum fuit in ſacculis; nam in cataplaſmatis ob friabilitatem difficilis ejus uſus eſt. Qui plura de ejus facultatibus & uſibus deſiderat, C. Bauhini theatrum Botan. & J. B. hiſtoriam adeat.

Si membrana cerebri fuerit vulnerata, egregiè ipſam conglutinat (inquit Archigenes) Calaminthæ ſuccus infuſus, & farina Milii arida inſperſa.

Ad ſudorem provocandum, ℞ Decoct. Milii cum paſſulis & ficubus. Nobile ſudorificum & diureticum vocat Otho Heurnius. Vel ℞ Decoct. Milii ad crepaturam cocti ℥iiij. Vini albi ℥ij. Exhibe calidè ægrotanti. Vocatur ſyrupus S. Ambroſii. *Cheſneau.*

4. *Milium Sabæum* C. B. *An Milium exiguum argenteum ex Cayro* J. B?

C. B.

Granum eſt parvum, rotundum, Milio ut nomine, ità & formâ non abſimile, ſed guſtu dulcius.

Hoc in Guinea, in regno Sabo *Millo* vocitant, & hoc frumento incolæ præcipuè veſcuntur, ex hoc panem conficientes: granum probe maceratum lapidi plano ſeu lateri imponunt, hócque lio lapide manibus ſuis aſſiduè terunt, non ſecus ac pictores coloramenta ſua comminuere ſolent, comminutum aquâ ſubigunt, & ex eo rotunda liba aut globos conficiunt, quos linteis aliíſve ſcrutis, panníſve involutos coquunt, quantum ipſis ſufficere videtur. Panis hic ingrati guſtûs non eſt. Ex eodem grano potum efficiunt coquendo aut aliter miſcendo, guſtui gratiſſimum & ſaluberrimum. *Addit. ad Cluſii cur. poſt.*

Milium ſuum argenteum ex Cayro J. B. ſic deſcribit, Vulgari Milio magnitudine cedit, magiſque rotundum in acutum umbilicum terminatur: tenui, argenteo, valdéq; lucido cortice & à Medulla levi attactu ſeparabili. Medulla Milii vulgaris, alba, inſipida ferè, dentibus friabilis. Româ ab amico acceptam attulit Cherlerus, nomine Milii ex Cayro.

CAP. XI.

Milium arundinaceum, multis Lachryma Jobi J. B. *Lachryma Jobi* Ger. Park. *Lithoſpermum arundinaceum* C. B. **Job's tears, or Reed-millet.**

J. B.

C*Ulmis* donata eſt cubitum unum aut alterum altis, geniculatis: *folia* autem habet Turcici frumenti, cubito ſubinde longiora, uncias duas lata, quibus minora ſunt illa quæ in ramis naſcuntur, ex quorum alis petioli emicant, quibus tranſadiguntur ſingulis grana utplurimum ſingula, rariùs bina, lævoris politiſſimi, nitida, ante maturitatem flaveſcentia, matura ex nitido rubeſcentia, duritie lapidea, Cicer æquantia, ſuperiore parte turbinata, unde exit inanium glumarum ſpica mutica.

Locus. In hortis colitur. Parkinſonus in Creta inſula, Rhodo, Syria aliiſq; Orientalibus regionibus ſponte provenire ait. In Anglia & frigidioribus ſemen ægrè maturat.

Semine maturo & aqua ferventi intincto globulos parant quibus funiculo trajectis utuntur ad numerandas preces.

Vires. Eſt etiamnum, ſi expertus hæc ſcribat Lobelius, ad calculum renum & veſicæ ſaburram pollime & decocto præſidium vulgatum.

CAP. XII.

De Sorgo ſeu Milio Indico.

HOc genus Italis *Sorgo* vel *Surga* dicitur (auctore C. Bauhino) à proceritate, qua inter ſuas cognatas fruges, Milium ſci. & Panicum, ſurgit: Inſubribus *Melegua*, Melica dicitur.

Culmi craſſitie & altitudine, granorúmque magnitudine inter frumenta paniculata eminet. Deſcriptio Milii Indici Pliniana notas ejus characteriſticas continet. *Milium* (inquit) *intra hos decem annos ex India in Italiam invectum eſt, nigrum colore, amplum grano, Arundinaceum culmo: adoleſcit ad pedes altitudine ſeptem, prægrandibus culmis, lobas vocant, omnium frugum fertiliſſimum.*

1. *Sorghum* Ger. J. B. *Melica ſive Sorghum* Park. *Milium Arundinaceum ſive Indicum ſemine ſubrotundo* C. B. **Indian Millet.**

C. B.

Tota planta Arundinem tam formâ, quàm proceritate refert, ità ut agri in quibus ad maturitatem uſque adolevit procul diſtantibus Arundineta eſſe videantur. *Matth.* Hoc radicibus fibroſis multis ac validis nititur: culmis eſt quatuor, quinque, aut pluribus ex uno grano aſſurgentibus, octo, decem, nonnunquam tredecim pedes altis, digitum craſſis, fuſcis, utplurimùm novem geniculis tuberoſis interceptis, medullâ candida, ſubdulci, Sambuci modo, farctis, & matureſcente ſemine rubentibus, foliis Arundinaceis è ſingulis geniculis cubito longioribus, tres, quatuorve digitis latis, ſuperioribus mucronatis, per ambitum minutiſſimis ſed acutis dentibus armatis, ità ut ſi deorſum mulceantur, teneros etiam digitos vulnerent. In ſummitate juba erecta dodrante plerunq; longior, latitudine quatuor aut quinque unciarum, plurimis paniculis conſtans; quæ Junio Julióve menſe è gramineâ vaginâ emergens flores luteos, exiguos, oblongos & pendulos profert, quibus defluentibus ſpicæ rubeſcere incipiunt. Succedunt grana numeroſa, Milii aut Cannabis ſemine duplo majora, oblongæ rotunditatis, colore utplurimum ſubrubra, vel in rufo nigricantia, rariùs ſubalbicantia & lutea, duplici tunicâ involuta, quibus excuſſis petioli, quaſi craſſa filamenta, ex quibus ſcopas concinnant, remanent. At increſcentibus caulibus & ſpicis turgentibus, radix ex inferioribus geniculis undiq; quaſi fulcra demittit, quæ in terram figuntur fibráſq; agunt, quò culmos ſuſtineant, ut faciliùs vento reſiſtant.

Locus. Solum amat pingue & humidum, unde à nonnullis in ejuſmodi ſolo ad agrorum luxuriam caſtigandam ſeritur. Ex India primùm adductum eſt in Hiſpaniam, Italiam, aliáſque calidiores regiones. Nos in Foro Julii Italiæ copioſè ſatum obſervavimus. Ex æſtivis ſementibus eſt. Autumno matureſcit.

Semen Panico ſapore & temperamento ſimile eſt. Italiæ infima plebs & Patavini ruſtici ex granis in farinam molitis panes conficiunt, qui friabiles ſunt, & parum alimenti ſubminiſtrant, nigri, duræ concoctionis & alvum conſtringentes: ex farina cum lacte pultes conficiunt frequentiùs. At in Hetruria gallinarum, columbarúmq; ſagina ſeritur potiùs quàm ad hominum alimentum. Suum &

boum & equorum pabulo etiam ſervit. Si boves, autore Cæſalpino, herbam virentem depaſcantur, intumeſcunt & pereunt, ſi culmos exſiccatos proficiunt.

Vires.

Ex culmorum medulla medicamentum ad ſtrumas præſtantiſſimum fit: cujus conficiendi modum vide apud *Matth. J. B.* & *C. B.* Idem Matthiolus flores ad fluorem muliebrem & dyſenteriam commendat. Vide locum.

Ex ſummis Sorghi viticulis rigidioribus arefactis ſcopas Itali conficiunt, veſtibus & capiti detergendis, quibus in variis Galliæ & Italiæ, nunc & Germaniæ, locis utuntur *C. B.* Hujuſmodi ſcopas Venetiis venales obſervavimus cùm in Italia peregrinaremur.

2. *Milium arundinaceum ſemine plano & albo* C. B. *Sorghi album, Milium Indicum, Dora* J. B.

C. B.

Hoc *radices* fibroſas & duras habet, terram à ſummo petentes, eique infixas, quo plantæ moles firmiùs contra ventorum impetum firmetur: quare quindenis diebus ſingulas radices è geniculis profert, è terræ proximioribus incipiendo gradatim ſurſum ad quartum tendens: *culmis* Mayzio vel potius Cannæ Saccharinæ ſimilibus, (qui ſex vel octo cubitorum) medullâ albâ, dulci, Arundinum Sacchariferarum modo, farctis: quorum ſummitati *panicula* ſpecioſa, Milio prædicto major, alba, ſemipedalis longitudinis inſidet: ex qua poſt flores delapſos è filamentis capillaceis exiguis & rigidis *grana* dependent, folliculo albo incluſa, candidiſſima, Lentis modo compreſſa, (Orobi magnitudine in Arabia) fractu duriſſima, nigro puncto, quo ſpicæ vel petiolo, è quo ægrè divelluntur, hærent.

Locus.

In Arabia circa urbem Anam, cum Babyloniam veterem flumine peteret, utrinq; ad fluminis ripas agros conſitos Rauwolfius obſervavit; & quidem ſolo arenoſo, tenui & ſatis profundo, quod Octobri menſe jam maturum & partim collectum erat. Et Bellonius in Cilicia & Epiro, ubi ruſtici magnos ſuccos refertos Corcyram in forum devehunt, notavit.

Uſus.

Hæc planta *Dora* Arabum cenſetur; quæ ſicca eſt, parùm nutrit, & ventrem ſtringit. Grana candidiſſima farinam panificiis aptam promunt, ex qua, ut Rauwolfius habet, panem bene ſapidum cinericeum conficiunt, placentarum formâ, circa digitos quatuor tranſverſos latos, ſex longos, & duos craſſos: & ut Bellonius, molas habent domi, quibus grana conterunt, & ex farinâ maſſam duram pinſunt, quam tenuiter admodum complanatam radiis Solaribus coquunt: aut veteri Romanorum militum more, qui tegulæ ab igne calefactæ, & lapidibus utrinque ſuſtentatæ, maſſam piſtam complanatam imponentes coquebant: eadem ratione ruſtici panem coquunt; at urbani in clibano. Incolæ ex culmis, eo quo ex Cannis Saccharinis modo, maſticatis, ſuccum ſuavem & dulcem eliciunt, qui in his magis in ſuperiore parte, in Saccharinis autem in inferiore continetur. Corcyræ inſulæ incolæ hoc columbas alunt: in Cilicia ob lignorum penuriam ſerunt, cujus calamos pollicari craſſitudine incolæ diligenter colligunt, & ex illis ignem ſervant.

CAP. XIII.

De Avena, ſeu Bromo.

UT ab habeo eſt habena, ſic ab *aveo* (inquit Voſſius) videtur eſſe *Avena*, ſive ab occupandi aviditate, quod Agrætius ſcripſit: ſive potiùs quod aveant illud edere pecudes ac equi.

Avena paniculâ ſparſâ, ſemine anguſto oblongo nunc nudo, nunc gluma craſſiore tecto, in locuſtis bifidis, à reliquis frumentaceis diſtinguitur.

A. 1. *Avena alba* J. B. *vulgaris ſeu alba* C. B. *veſca* Lob. Ger. Park. **White Oats.**

C. B.

Radicibus copioſis nititur: ex quibus culmi aliquot ex gramineis vaginis prorumpentes aſſurgunt, geniculis diſtincti, ac triticeis nodoſiores [quatuor aut quinq; articulis in eodem culmo:] *foliis* Tritici aut Zeæ. In cacumine panicula ſe explicat ceu juba Arundinis, ex qua folliculi veluti parvæ locuſtæ bipedes, longis ac tenuibus pediculis dependent, flore candicante, in quibus *ſemen* Hordeo longius, tenuiúſque, acutum & ſubalbicans continetur, quod geminum (altero tamen ſemper grandiore) & ſuperiori parte exiguis capillis hirſutum eſt, glumis craſſis ac duris involutum, & incluſum: at in maturitate membranæ dehiſcentes maximè nudum ſemen oſtendunt: medullâ eſt molli, candidâ & dulci. Ariſtas habent grana laterales, interdum tamen iis carent.

Quæ ſata naſcitur (inquit C. Bauhinus) culmo eſt craſſiore & proceriore: quæ ſponte tenui ſtipula & ſpicâ jejunâ ſterilis eſt.

Locus & Tempus.

In omnibus regionibus tam calidis quàm frigidis ſeritur: apud Germanos [& etiam Anglos] communiter initio Martii, aut etiam Februario exeunte. Virgilius Avenæ ſegetem campum urere & emaciare adnotavit.

Urit enim Linī campum ſeges, urit Avena.

A. 2. *Avena nigra* J.B. C. B. **Black Oats.**

Hæc ipſa (inquit C. Bauhinus) albâ aſpectu ſylveſtrior eſt, ſtipulâ quinetiam craſſiore & folio nigriore: granum huic ſtrigoſius, longius & piloſius eſt quàm præcedenti, glumâ piloſâ & nigrâ tectum, è cujus dorſo ariſta intorta naſcitur.

Parkinſonus & Gerardus vel hujus non meminere, vel cum præcedente miſcent: à quâ J. etiam Bauhinus eam ſpecie diverſam non facit. In Anglia multo frequentiùs & copioſiùs ſeritur quàm Avena alba.

A. 3. *Avena nuda* J. B. C. B. Ger. Park. **Naked Oats**, *& in Cornubia, ubi copiosè ſeritur.* **Pillis & Pill-corn.**

Hujus ſemen durum corticem non habet ut Avenæ vulgaris, ſed plures glumas tunicáſve tenues, paleaceas; porro autem granum ipſum habitius eſt & ex albo fulveſcens, quodammodo ſimile Avenæ.

Quod J. Bauhinus Avenæ nudæ granum minùs pertinaciter glumis hærere affirmat nobis non probatur, quin potiùs contrarium videtur.

Locus. In extrema Cornubia prope Belerium promontorium copiosè ſeritur ubi non minori pretio venditur quàm Triticum ipſum.

A. 4. *Ægilops quibuſdam ariſtis recurvis ſive Avena piloſa* J. B. *Feſtuca utriculis lanugine flaveſcentibus* C. B. *Ægilops bromoides* Ger. emac. *Æg. bromoides Belgarum* Park. **Bearded wild Oats, or Haver.**

J. B.

Folia ſunt Avenæ foliis æmula, *ſpica* verò ſiquæ alia ejus generis Cerealium, admodum ſpecioſa, pedalis, rariùs tamen, glumis ſtipata: hæ quippe aliàs binæ, aliàs ternæ, longis & trium unciarum pediculis hærent perquam elegantes, glumis utrinq; munitæ oblongis, lucentibus, ſtriatis, pallidè partim virentibus, partim vireſcentibus, latioribus quàm in vulgari Avena, cui ſimilia grana, intus bina communiter, rariùs ſingularia, fulvo ac pænè ruffo colore prædita, pilis flaveſcentibus, ac pulchre Byſſi inſtar lucentibus, obſepta, quæ ferè Avenæ granis longiora ſunt: ſecus quas ariſtæ exeunt gemellæ, longæ, duarum aut trium unciarum, atque incurvæ, uti crura Locuſtarum ſylveſtrium, rigidiuſculæ. Spica Avenæ ſpicam pulchrè æmulatur; nam ad ejus modum, ex granorum, uti conjicere eſt, pondere, pedicillorúmq; ſubtilitate ità pendulæ atque tremulæ hærent glumæ, ut nec pendulas nec ſurrectas quis ſimpliciter dicere queat.

Locus. Inter ſegetes nimis frequens eſt; nec agri qui eâ ſemel infecti ſunt facilè hac peſte liberantur: etenim ante meſſem matureſcens, ſemen in terram effundit, quod per hyemem ibidem reſtans, aut per integrum annum ſi ſatio intermittatur, cum ſegete denuo ſuccreſcit.

Vires & Uſus. Avena in qualitatibus primis temperata eſt; deſiccat, mediocriter digerit, & adſtringit nonnihil: in uſu frequentiſſimo eſt apud nos tum in cibo, tum in medicina. Seritur quidem pro equorum pabulo, quin & anſeres ea ſaginantur, & gallinæ aluntur: Ex ea tamen non ſolùm pro ruſticis, ſed etiam pro magnatibus farinâ optimæ & variæ pultes & ſorbitiones conficiuntur: Ex ejus farina, (granis decorticatis) interdum ſola cum ſale & paſſulis aquæ incoctâ, ſed frequentiſſimè unà cum carnibus, juſcula & ſorbitiones paramus: nec alia ferè juſcula apud nos in Anglia in uſu ſunt quam avenata tam apud nobiles quàm plebeios, quæ ſanè tam ægrotis quàm ſanis ſaluberrima ſunt, facilè concoquuntur, & optimum alimentum corpori ſubminiſtrant. In annonæ caritate tenuioris conditionis homines hiſce juſculis præcipuè victitant: & tamen meliore valetudine fruuntur, quàm qui delicatiſſimis variâque arte confectis cibis utuntur: bene nutriunt, floridúmque ſatis colorem infantibus efficiunt. Oribaſio quoque Avena maximè omnium leguminum ad concoquendum accommodata eſt, & ejus optima eſt ſorbitio. Rectè ergo Plinius (inquit C. Bauhinus) Germaniæ populos Avenam ſerere ſcribit, quibus frumenti inſtar ſit, cujus etiam pulte vivunt.

Solent & Saxones farinam Avenæ craſſiorem, quam ipſi *Grote* vocant omnibus ferè obſoniis unà cum ſale aſpergere & ſic ſimul coquere. Nos quoque in Anglia Avenæ grana deglubita integra **Grotes** vocamus, iiſque utimur ad farcimina & botulos cruore diſtentos parandos.

In montoſis Septentrionalibus Angliæ, inque Cambria, ex Avena decorticata & molita panes & placentas varii generis conficiunt, nec alio pane utuntur ruſtici, & tamen optima valetudine fruuntur, & maximè ſunt longævi. Et ſanè minimè dubium eſt, quin panes hi ſaluberrimi ſint, quamvis non aſſuetis ob amarorem minùs grati.

Cereviſiam quoque ex Avena non ſecus quàm ex aliis frugibus Angli non minùs quàm Lithuani conficiunt: quæ hordeaceæ bonitate non multum cedit, aliquo etiam reſpectu ei præfertur.

Walli ex Amylo Avenæ in aqua ad gelatinæ craſſitiem decocto ferculum parant *LLummery* eorum lingua dictam, quod magno, non in Wallia tantùm, ſed per totam Angliam in pretio eſt. Gelatinam hanc Amyleam Avenaceam ſeu *Flummery*, calidam in taleolas diſſectam cum lacte, vel cum cereviſia aut vino albo ſaccharo edulcorato mixtam comedunt.

Cremor Avenæ non minùs utilis eſt ægrotantibus quàm Ptiſanæ ex hordeo. Medici noſtrates in morbis acutis non aliis ferè ſorbitionibus ægrotos alunt quàm Avenatis. Farina Avenæ extrinſecùs ad cataplaſmata non minùs utilis eſt quàm Hordei, deſiccat & digerit mediocriter, ac ſine morſu.

Avenâ, dum colica nos affligit, ceu medicamento potiſſimùm utimur, quæ conſperſa pugillis aliquot Salis communis torretur in ſartagine, toſta verò ſacco tenuioris telæ indita abdomini ægrotantis applicatur, & plerunque niſi colon & inteſtinum rectum excrementis ſint referta, ingens levamen ab illius uſu percipi ſolet. *S. Pauli.*

Qui calculo renum laborant iis commendandum balneum ex polenta trita, Lupulo & Avenæ ſtramine, quod inſigniter mitigat dolores nephriticos, calculum & urinam ità pellens lumbis, ſtramine calente & probè percocto circumdato, in vanno conſidentes micturiant: & ſæpiculè ſine dolore calculum excernunt. Quod Euporiſton lubens publici juris facio, quod jam per 30. & amplius annos compluribus commendavi ægris, multis aliis remediis incaſſum adhibitis. *Simon Paulus.*

SECTIO SECUNDA.

De Culmiferis Grano minore ſeu De Graminibus.

GRamen à gradiendo ſeu progrediendo, ſerpendóve, quòd geniculatis viticulis per terram mirificè repat, nomen habet: vel à gignendi fœcunditate, ſiquidem crebro à ſe novas radices ſpargat, idque non tam ut terram amœno virore ornet, quàm ut ejus perenni proventu bobus & jumentis pabulum ſuppeditet. *C. B.* Verùm non omne gramen viticulis ſerpit, ſed caninum præcipuè, quod ob id Gramen ſimpliciter & κατ᾽ ἐξοχὴν dictum.

Græcis Ἄγρωστις dicitur quaſi Agreſtis παρὰ τῶν ἀγρῶν, eò quod in agris ubique ſponte, quovis cœlo, & ſolo etiam non ſatum, nec cultum luxuriet.

Gramina in duo genera dividemus, ſpicata nimirum & paniculata.

Primum Genus

Gramina ſpicata continens.

Hæc à ſimilitudine cum Frumentis aliiſque rebus à Botanicis in plura ſubalterna genera dividuntur. Nos à Graminibus caninis dictis partim ob ſpicam Triticeæ ſimilem, partim quia Graminis nomen à gradiendo ſeu rependo dictum iis præcipue & maxime proprie competit, incipiemus.

CAP. I.

De Gramine canino.

A. 1. *Gramen repens, Officinarum fortè, ſpicæ Triticeæ aliquatenus ſimile* J. B. *An Gramen caninum* Ger? *caninum vulgatius* Park? *caninum arvenſe, ſeu Gramen Dioſcoridis* C. B. **Common Dogs-graſs, or Quich-graſs, or Couch-graſs.**

J. B.

PRocerum eſt gramen, interdum tribus cubitis altius; *Folius* è longa vagina, plerunque aſperis, rariùs glabris, quatuor vel quinque in eodem culmo, è totidem geniculis exeuntibus. *Spica* ſummo culmo inſidet duorum verſuum, eodem cum Triticeis ſitu, ſed omnibus modis ſtrigoſior, cum ariſtis perbrevibus ſubrubens, ſemine oblongo fuſco. *Radices* pro Graminum ratione craſſiuſculæ, longe latéque reptantes, extremis germinibus acutis, duris & pungentibus, ſapore dulci præditæ ſunt.

In agris & hortis reptatu ſuo & importuna luxurie odioſum, moleſtum, & extirpatu difficile eſt. *Locus.*

Hujus aliam ſeu ſpeciem, ſeu varietatem obſervavimus cum ariſtis multò longioribus, circa *Settle* *Varietas.*
oppidulum in agro Eboracenſi, & alibi in Septentrionalibus Angliæ.

Si C. Bauhinus eandem nobiſcum plantam intelligat, ſpica minùs rectè picta & deſcripta eſt.

Gramen viride, non tantùm κατ᾽ ἐξοχὴν Officinis dictum, ſed quodcunque, diſſolvit calculos præ- *Vires.*
ſertim bilioſos: Oves & boves calculis vexati in hyemè Verno tempore liberantur à Gramine recenti, ex Obſerv. *Fran. de la Boe Sylvii*, p. 300. Idem jampridem obſervavit D. Gliſſonius in libro de Anatomia hepatis.

A. 2. *Gramen caninum marinum* Ger. *caninum maritimum ſpicatum* C.B. *caninum geniculatum maritimum ſpicatum* Park. *Gram. repens marinum ſpicâ exiguâ* J.B. **Sea Quich-graſs.**

C. B.

Ex *radicibus* oblongis, tenuibus, albicantibus, lignoſis, leviſſimè capillatis *viticelli* plures, repentes, rotundi, læves, pedales, cubito etiam longiores, frequenter geniculati, unde ramuli plures *foliolis* arundinaceis, brevibus & anguſtis cincti, prodeunt, quorum ſuperioribus ſpica triuncialis, ex cinereo nigricans inſidet.

In toto litore propè Monſpelium frequens invenit *D. Magnol.*

Hæc deſcriptio minimè convenit Gramini noſtro canino maritimo ſpicâ triticeâ, ideóque alte- *Locus.*
rius, & nobis inobſervatæ plantæ ſit oportet: nihil tamen fidenter affirmo. Nam Johnſonus Gerardi amaculator Gramen geniculatum caninum marinum *Lob.* i. e. Gramen caninum maritimum ſpicatum ſeu 8. *C. B.* idem eſſe conjectatur Gramini noſtro canino maritimo ſpicâ triticeâ, quamvis icon minùs proba ſit.

A. 3. *Gramen caninum longiùs radicatum marinum alterum* Lob. *Gr. can. maritimum ſpica foliaceâ* C. B. *can. marin. alterum* Ger. *can. marit. alt. longius radicatum* Park.

Ex ſingulis radicibus oblongis capillatis, priori ſimilibus culmus unus & alter tenuis breviſque inter folia ſemipalmaria aſſurgit, qui in ſpicam craſſam, foliaceam, velut ſquamoſam & duram abit, & ſapore cum priore convenit. [C. Bauhinus in Theat. Botan. cap. 2. duas habet ſpecies Graminis canini eodem titulo *Graminis canini maritimi ſpicati* donatas, nimirum VIII, & XI. Octavam ſpeciem (ut diximus) Johnſonus pro Gramine noſtro canino maritimo ſpica Triticea habet; cujus opinionem Botanicorum peritiorum judicio relinquimus.]

Locus. Hanc ſpeciem in maritimis Merſeiæ inſulæ propè Colceſtriam nuper invenit nobíſque oſtendit *D. Dale.*

4. *Gramen caninum maritimum ſpicâ echinatâ* C. B. *caninum marinum aſperum* Park. *parvum echinatum* J. B. **Rough-eared Sea Dogs-graſs.**

J. B.

Longis, albicantibus fibris radicatur, *culmis* pluſculis donatum palmaribus aut paulò longioribus [dodrantalibus C. B.] duris, rubentibus, crebro nodorum interceptu diſtinctis, quos folia ferè totos obvolvunt, vix unciam ab iis recedentia, hirtis per margines pilis donata, alioqui glabra. *Spicæ* unciales & longiores [interdum eam longitudinem minimè attingunt] denſo glumarum pulchris denticulis muricatarum ſtipatu contextæ, *ſemen* echinuli meditullio continentium puſillum, oblongum, ruffum.

Locus. In arenoſis circa Monſpelium copioſè provenit. Vidimus etiam Florentiæ in Arni fluminis alveo. C. Bauhinus in litore Veneto & maritimis circa Anconam.

Tempus. Seriùs & poſt Solſtitium æſtivum ſpicam producit.

A. 5. *Gramen caninum maritimum ſpicâ triticeâ noſtras. An Gr. can.* 8. *ſeu maritimum ſpicatum* C. B?

Fibris plurimis ex imis foliorum agminulis emiſſis *radicatur*, obliquis etiam ſeu tranſverſis geniculatis germinibus Graminis canini in modum ſub terra reptans. *Folia* modicè lata, ſtriata, glauca, lateribus coeuntibus per vetuſtatem convoluta. *Culmi* ſeſquicubitales, bicubitales & altiores, tenues, tribus quatuórve geniculis intercepti, & totidem foliis amicti, *ſpicam* in ſummo geſtant Tritici mutici ſimilem longitudine etiam pari, verùm minus compactum & ſtrigoſiorem.

Locus. In foſſis paluſtribus maritimis frequentiſſimum eſt.

* 6. *Gramen hirſutum repens ſpica ſimplici molli* J. B. **Creeping rough graſs, with a single ſoft ſpike.** *An. Gr. caninum vineale* C. B?

J. B.

Importuna luxuries eſt *radicum* albentium, nitidarum, geniculatarum, ſapore ſubdulci, quibus in immenſum ſe propagat. *Folia* longa, hirſuta, mollia, vaginâ longiſſimâ *culmum* nodoſum, tenuem, cubitalem obvolvunt: panicula mollis, contractior, palmum circiter longa, ex viridi purpuraſcens.

Locus. Abundat in vineis Montbelgardi florens Junio & Julio. Nos habemus in arvis præcipue Graminis canini ſpeciem Gramini lanato Dalechampii adeò ſimile ut pro eo fallat, quod huic idem eſſe ſuſpicamur.

* 7. *Gramen canarium longius radicatum latiore panicula majus* Lob. Adv. part. alt.

Nobis nondum innotuit. Alii Botanici quæ de eo habent è Lobelio mutuantur. Vide ſi placet hiſtoriam ejus apud ipſum: ut &

* 8. *Graminis canarii latiore panicula minoris* ejuſdem eodem in loco.

Quod C. Bauhinus *Gram. caninum longiùs radicatum minus* vocat, uti præcedens *Gram. can. long. radic. majus.*

Gramen caninum ſupinum paniculatum dulce *C. B.* Idem videtur Gramini noſtro Miliaceo aquatico ſuavis ſaporis. Color albus paniculæ non reſpondet.

9. *Gramen caninum ſupinum* Lob. Ger. *caninum ſupinum minus* C. B. *caninum ſupinum arvenſe* Park.

Nobis nondum obſervatum eſt. Quæ de eo habent, ſi placet apud Lobelium & C. Bauhinum vide.

10. *Gramen caninum ſupinum paniculatum folio varians* C. B.

Thalii eſt, apud quem deſcriptio ejus requirenda, vel apud C. B. in Theatro.

Vires. Graminis radices præcipuæ Officinis in uſu ſunt, rariùs folia, rariſſimè ſemen. Refrigerant & ſiccant moderate, aperiunt (partium enim tenuium ſunt) & ſubaſtringunt. Hinc egregiè conducunt in obſtructionibus viſcerum, ictero, calculis renum & veſicæ,&c. partim quòd ſine calefactione agant hoc opus ſuum, quod profectò rariſſimum eſt, nam diuretica & lithontriptica medicamenta pleraque calida ſunt, partim quòd ob adſtrictionem ſuam tonum reddant partibus. *C. Hofm.* Ad lumbricos infantum necandos & expellendos commendantur: necnon ad expuitionem ſanguinis.

Non minùs faciunt contra febres malignas vi ſuâ exſiccatoriâ, ut & contra fluxus alvinos, præſertim puerorum. In hos fines utimur ferè aquâ ex tota planta deſtillatâ, (inquit C. Hofmannus) non quidem noſtratis, ſed *nodoſi* ſeu tuberoſi.

Extrinſecùs in dolore capitis leniendo, in oculorum inflammationibus ac defluxionibus compeſcendis, in naribus purulentis, in odontalgia, in tumoribus podagricis diſcutiendis uſus earum eſt.

Adhibetur autem vel aqua ſtillatitia ex radicibus Maio vel Septembri collectis diligenter mundatis & conciſis *NB.* elicita; vel decoctum earum in vino: vel Infuſum in muſto. Reliquos ad uſum præparandi modos vide apud C. Bauhinum in Theat. Bot.

Radices Graminis ad obſtructiones hepatis, lienis, maximè ſi febres ex iis ſcaturiunt, item ad calculos renum pellendos valent, & ubi eſt inſignis dyſcraſia viſcerum calida, cum eorundem obſtructione, vix exoptatius medicamen quàm radices Graminis ars noſtra nobis ſuppeditat, atq; ut Hofmannus obſervat ſine calefactione opus ſuum perficiunt, quod profecto rariſſimum eſt, & ſimul cum adſtrictione tonum addunt partibus. *Simon Paulus.* Ex excerptis *D. Hulſe.*

Aqua radicum Graminis ſtillatitia commodiſſima omnium eſt aquarum quâ pulveres contra lumbricos verminantibus pueris diluimus, præſertim ſi una vel altera gutta ſp. Vitrioli cum tantillo ſyrupi acetoſ. citri inſtilletur.

Gramina quædam Triticea è C. Bauhini Theatro Botanico.

1. *Gramen latifolium ſpicâ Triticeâ compactâ* C. B. Park. *An Gramen caninum primum noſtrum?*

C. B.

Culmo eſt ſeſquicubitali, uno alteróve geniculo diſtincto: *foliis* frumentaceis, pedalibus; *ſpicâ* Triticeâ palmari, lata, glumis ariſtis carentibus.

Baſileæ ad agrorum margines: Norimbergæ verò ſpicâ occurrit anguſtiore, magis ſparſa, & utriculis ariſtatis. *Locus.*

Nihil invenio in hac deſcriptione quod non conveniat Gramini noſtro canino repenti vulgari ſpicâ Triticeâ, primo in loco deſcripto.

2. *Gramen latifolium ſpicâ Triticeâ divulsâ* C. B. Park.

C. B.

Hoc à priore ſpicâ potiſſimùm differt; quæ in ſpicas diſtinctas & anguſtas divulſa eſt. Hæ ſibi invicem in culmo alternatim ſubſequuntur, earúmque utriculi breviſſimis ariſtis armantur.

In Italia ad agrorum margines. *Locus.*

3. *Gramen anguſtifolium ſpica Triticeâ compactâ* C. B. Park.

C. B.

Hoc *foliis* eſt anguſtioribus, ſeſquipalmaribus, rigidis, acuminatis & albicantibus: culmo lævi, rotundo, ſtriato, ſeſquicubitali: ſpicis palmaribus, compactis, utriculis rigidis & acuminatis.

Baſileæ ad ſepes, locis aridioribus extra portum Blaſianam. *Locus.*

4. *Gramen anguſtifolium ſpica Tritici mutici ſimili.* C. B. Park.

C. B.

Radicibus oblongis, geniculatis, nodoſis, candidis ſerpit: *culmis* eſt ſeſquicubitalibus, rotundis, *foliis* junceis, oblongis, duris, in acumen faſtigiatis: *ſpicâ* oblonga, triticea, glumis paucis, oblongis, ariſtis carentibus.

Arenoſis circa Baſileam, ut ad Cliben provenit. *Locus.*

CAP. II.

De Gramine cum ſpica Brizæ.

BRiza Germanis dicta Zeæ ſpecies eſt.

1. *Gramen ſpicæ Brizæ majus* C. B. J. B. Ger. emac. Park.

C. B.

Radicibus & culmis eſt frumentaceis, *foliis* anguſtis, *ſpicis* palmaribus, multiplicibus, utriculis ariſtis brevibus armatis, floſculis ut in Tritico luteolis. Tota planta ad viri altitudinem aſſurgit, & apud nos locis acclivibus ad Rheni ripam & ad montis Grentzacenſis aſcenſum provenit.

In ſatorum marginibus circa Salenovam Monſpelio non longè invenit *P. Magnol.* *Locus.*

2. *Gramen ſpicâ Brizæ minus* C. B. J. B. Park.

J. B.

Tota planta palmo minor eſt, *radice* exili, fibroſa; *foliolis* ad radicem brevibus, mollibus, caneſcentibus; *ſpicâ* unciali, quæ modò ſimplex, modo gemina & terna, utriculis ariſtis armatis.

In agris Monſpelienſibus invenitur.

CAP. III.

De Gramine Secalino.

SUb hoc titulo comprehendimus Gramen illud, Hordeum ſpurium dici ſolitum, cujus ſpica Secalis non Hordei ſpicam refert.

A. 1. *Gramen Secalinum & Secale ſylveſtre* Johnſoni *apud Gerardum. Hordeum ſpurium vulgare* Park. *murinum* J. B. *Gramen hordeaceum minus & vulgare* C. B. *An Herba Phœnicea Græcorum* Plinio lib. 22. cap. 25? **Wild Rie, or Rie-graſs. Wall-Barley.** *Verùm ſpica propiùs accedit ad Secale quàm ad Hordeum.* **Way-Bennet.**

C. B.

Radice eſt capillata, parva, candida: *foliis* gramineis, & quidem primis palmaribus, anguſtis, nonnunquam articulatis: *culmis* frequentibus, ſeſquipalmaribus, & interdum cubitalibus, geniculatis: *ſpicis* longis, Hordeo ſimilibus, [aut potiùs Secali] at tenuioribus, mollioribus, frequentibus ariſtis horridis, glumíſque inanibus.

Locus. Ad muros, macerias & ſemitas plerunque oritur.

Hæc ſpecies differt à proximè ſequente brevitate ſua, ut quæ dodrantalem altitudinem raró excedat: ſpicarum ariſtarúmque longitudine, quæ in hac multùm ſuperant: loco denique nimirum in ſiccioribus ad muros, macerias & ſemitas, cum illa in pratis & paſcuis plerunque humidioribus duntaxat proveniat.

A. 2. *Gramen Secalinum* Ger. emac. lib. 1. cap. 22. n. 4. *Gr. Secalinum majus an minus* Park? **Rie-graſs.** *An Gr. ſpicâ Secalinâ* C. B.

Culmo aſſurgit tenui, bicubitali, tribus quatuorve nodis diſtincto ad quos ſingula *folia*, culmum ut in aliis ima ſui parte involventia, à quo ubi recedunt, in palmarem longitudinem, extenduntur. Caulis faſtigium *ſpica* occupat ſeſcuncialis, Secalini æmula, ariſtis paulo brevioribus quàm in præcedente, purpuraſcentibus, circumvallata.

Floſculos exſerit oblongos, luteos.

Locus. In pratis frequens oritur. A præcedente proceritate ſuâ & ſpicarum ariſtarúmque brevitate præcipuè differt.

A. 3. *Gramen Secalinum paluſtre & maritimum.*

A vulgari Gramine Secalino ſeu Hordeo ſpurio differt *ſpicis* brevioribus, pyramidalibus, è latiore ſci. baſi in anguſtum apicem ſenſim tenuatis, ſquamis crebrioribus & magis confertis compoſitis, iiſdem & *ariſtis* magis extantibus, imis longioribus, ſuperioribus ordine brevioribus omnibus purpuraſcentibus. *Radices* quinetiam vel quòd minùs firmiter terram apprehendant, vel quòd in laxo & ſpongioſo ſolo plerunque oritur, faciliores extirpatu ſunt.

Locus. In paluſtribus frequentiſſimum eſt.

---

4. *Gramen bulboſum ex Alepo* J. B. C. B.

J. B.

Ex olivaribus, multis laceris tunicis veſtitis, *bulbis* pendent fibræ robuſtæ. *Culmi* pedales, craſſiuſculi, *foliis* inſignes anguſtis, palmaribus. Summo ſcapo gerit *ſpicam* Hordeo murino ſimilem, palmari minorem, glumis denſis, longis, calamo appreſſis, ſurſum ſpectantibus, in brevem ariſtam ſingulis deſinentibus.

CAP. IV.

De Sparto & Gramine Sparteo.

QUoniam horum pleraque ſpicam habent Secalinæ ſimilem, ideóque proximum Secalinis graminibus illis locum dedimus.

Spartum à verbo σπείρειν dicitur, quòd non tantùm terræ ſemen mandare, ſed & texere aliquid vel inter ſe nectere ſignificat. Σπάρτα & σπάρτια funiculi vel lineæ ſunt, ſic dicta non quòd ex herbis ſativis nectantur, ſed quod ad vinciendum idonea ſint à σπείρειν nectere, complicare. Hinc herbas quæ funiculis, retibus, ſtoreis, aliíſque rebus texendis aliquem uſum exhibent, inter quas principem locum obtinet de qua nunc agimus, hoc nomine donârunt Veteres.

1. *Gramen ſparteum Plinii, ſive ſportularum ficuum* J. B. *ſparteum primum paniculâ comoſâ* C. B. *Spartum herba Plinii* Cluſ. *Spartum Plinii Cluſio* Ger. *Spartum Plinii, ſive Juncus Hiſpanicus* Park. **The true Matweed of** Pliny.

Cluſ.

Numeroſa, tenuia, viridia, junceáque habet *folia*, cubitalis longitudinis, ex eadem radice prodeuntia, quæ dum novella ſunt latiuſcula conſpiciuntur, & interiore parte caneſcentia, ſucceſſu verò temporis contrahuntur & convolvuntur, fiúntque juncea, dura, flexibilia tamen, & marginibus ita conjunctis ut vix rima appareat, niſi diligentiùs obſerves. Inter hæc *culmi* exiliunt, ipſis foliis paullò longiores, qui vere & æſtate parvam, Arundinaceam paniculam ferunt, ſimili propemodum cum illa ratione florentem: deinde oblongum *ſemen*, ut nonnulla Graminis genera. *Radicibus* nititur fibroſis & perennibus, è quibus multæ ſimul enaſcuntur plantæ contiguæ, Junci modo, ut interdum una planta, ſive multarum ſimul congeſtarum cumulus, duorum pedum ſpatium, vel illo etiam amplius, in ambitu occupet.

Frequens naſcitur collibus arenoſis inter *Vaena* & *Alcala-real*, atque aliis Bæticæ locis, ſed omnium *Locus.* abundantiſſimè ab initio Granatenſis regni ſive Bæticæ limitibus uſque ad Murgin urbem, vulgò *Murcia* dictam, ut non ſine cauſa totus ille tractus Veteribus appellatus ſit *Spartarius campus*; quo etiam Nova Carthago, vulgo *Cartagena*, urbs maritima continetur: hæc etiam à nonnullis Spartaria cognominata eſt, ob Sparti (ut credibile eſt) eo agro naſcentis abundantiam. Naſcitur & Valentino regno, atque illud quidem ſuperiore longè uberiùs & lætius.

Eſt verò Spartum hoc, quod Hiſpanis, apud quos naſcitur, etiam nunc *Sparto* dicitur, illud ipſum quod *Plinius*, lib. 19. cap. 11. deſcribit. Eodem enim in uſu nunc eſt apud Hiſpanos, quo fuit *Uſus.* Plinii tempore. Nam ex crudo & exſiccato tapetes ſeu aulæa, ſtoreas, corbes, rudentes alióſque funes conficiunt: Corbes etiam illi in quibus ficus & Uvæ paſſæ advehuntur, ex Sparto contexti ſunt. Sed ex illo aquâ inſtar Lini macerato, deinde ſiccato & tuſo calceamenti genus, quod ipſi *Alpergates* appellant, paratur, funes etiam & alia ſubtiliora opera. Præfertur autem id quod Valentino regno creſcit.

2. *Gramen ſparteum 2. Cluſio* J. B. *Gr. ſparteum ſecundum, paniculâ brevi folliculo incluſâ* C. B. *Spartum alterum Plinii* Ger. *Spartum Plinii alterum mollius* Park. **Hooded Matweed.**

Cluſ.

Superiore tenerius, ejúſque valdè rarus eſt uſus, ut quod ſtoreis aut hujuſmodi operibus conficiendis minùs ſit idoneum, plurimus autem ejus uſus eſt Murciano regno ubi naſcitur, ad lineos ſaccos, quos lectis ſubſternunt, implendos, ut nos ſtramine uti ſolemus, quoniam molliore tenuioréque ſit junco quàm primum genus, paniculam fert brevem, & pericarpio quodam, ſive membranaceo folliculo incluſam, ut Narciſſorum & ſimilium ferè flores.

Naſcitur eodem quo ſuperius modo, paullò tamen maturiùs flores producit: nam Martio ſuis floribus onuſtum conſpiciebam.

A. 3. *Gramen ſparteum ſpicatum foliis mucronatis, vel ſpicâ Secalinâ* C. B. *Spartum ſpicatum pungens Oceanicum* J. B. *marinum noſtras* Park. *Anglicanum* Ger. **English Sea-Matweed, or Marram.** Flandris *Halm.*

Culmis aſſurgit cubitalibus & altioribus, duobus tribúſve geniculis interceptis, totidémque foliis veſtitis, quæ eos aliorum Graminum in modum aliquouſque involvunt. *Spica* in ſummo teretiuſcula quatuor aut quinque uncias longa, craſſitie in medio digiti minimi ferè utraque extremitate minore, ſeu tenuiore. Semen Canarino non majus, verum teres, altera extremitate acutiuſcula. Secalinam quadantenus refert, è glumis tamen non ariſtatis componitur. *Folia* non raro culmos ipſos longitudine æquant vel excedunt, naturâ quidem plana & graminea, verùm ob ſiccitatem contractis lateribus adeò convoluta ut juncea videantur, in mucrones acutos & pungentes deſinentia, colore glauca.

In arenoſis tumulis & aggeribus ad maris litus copioſiſſimè oritur, ubi latè ſerpit Graminis modo, *Locus.* cruribus eorum, quibus per eos aggeres ſine ocreis iter eſt permoleſtum, pungunt enim & cutim penetrant ejus folia.

Uſus ejus eſt, ut latis ſuis ceſpitibus & valdè confertis, atq; obliquè ſpargentibus ſeſe radicibus arenam *Uſus.* firmiorem reddat & colliget in aggeribus, nè tam facilè marinis undis & fluctibus eluatur, & ut faciliùs reſiſtant tempeſtatibus, quæ Oceano crebræ; ut rectè Cluſius.

Hæc ſpecies eſſe videtur de qua loquitur J. Cargillus apud J. Bauhinum, Tom. 2. p. 47. Gramen maritimum pungens vulgò **Bent** vocatur, & copioſè in arenoſo maris litore naſcitur, eóq; Angli conclavibus ſtratis æſtate quidem virenti conciliant frigus, hyeme ſiccato calorem fovent. Alia res eſt quæ apud nos **Bent-graſs** nunc vulgò vocatur, nimirum Gramen capillatum *J. Bauhini.*

* 4. *Gramen ſparteum ſpicatum foliis mucronatis brevioribus* C. B. *Gr. ſparteum primum Tabernæmontani* J. B.

Radice nititur fibroſa, longa: *folia* rigida, tenuia, pedalia, nervo medium percurrente. *Culmi* cubitales & altiores, teretes, leves, foliis multis amicti. Spicæ digitali longitudine, interdum longiores, colore fuſco obſcuriore.

Uberi proventu, Tabern. annotante, naſcitur in ſqualidis locis circa *Hertogenboſch* in ſabuletis, va- *Locus.* riiſque aliis Brabantiæ locis.

Mirum nec nobis per loca illa peregrinantibus, nec alii cuiquam præter Tabern. hoc genus Sparti obſervatum fuiſſe.

5. *Gramen Sparteum ſpicatum latifolium* C. B. *Spartum maritimum ſive Oceanicum latifolium* J. B. *Spartum marinum noſtras alterum* Park. *Spartum herba* 4. *Batavicum* Cluſ. *Spartum* 4. *ſive Anglicanum alterum* Ger. emac.
Cluſ.

A Sparto loco penultimo deſcripto minimè differt totâ plantæ formâ, radicéſq; ſub terra condendi latéq; ſpargendi licentiâ; ejus tamen ſpicæ breviores videntur, & Phalaridis potiùs quàm Secalis paniculas imitatæ.

Id Batavis, quibus valdè familiare, iiſdemq; uſibus ſervit quibus jam dictum, etiam **Halm** appellatur.

J. Bauhinus Spartum noſtras alterum *Lob. ico.* huic idem putat, quod in ſabuloſis collibus Wallachriæ & Hollandiæ reperitur, ſpicâ, radice, magnitudine, ſemine aceroſo ad Spartum 3. *Cluſ.* proximè accedens, foliis ſolis differens, quæ pulchra, Frumentaceis & Graminis ſtriati ſulcati foliis latiora, coloris glauci.

Quamvis Parkinſonus hoc genus Sparti noſtras, & Gerardus Anglicanum vocat, nos tamen nondum adeò felices fuimus, ut in litoribus Angliæ plantas indagantes in illud incideremus, at nec ab alio quoquam fide digno inventum vidimus aut audivimus.

6. *Spartum maximum maritimum Hollandicum ſpicâ Secalinâ.* **The greateſt** Holland **Matweed.**

Hoc duplo majus eſt & elatius Sparto maritimo Anglico ſpicâ Secalinâ vulgari. Spica laxior eſt, & glumis minùs confertis.

Locus. In arenoſis ad vicum Schevelingam uno ab Hagâ Comitum milliari invenimus, & quoniam tum ab aliis proditum putavimus, deſcribere negleximus.

7. *Gramen pennatum, aliis ſparteum* J. B. *Spartum Auſtriacum pennatum* Cluſ. *Spartum Auſtriacum* Ger. *Gramen ſparteum pennatum* C. B. **Feather-graſs.** *Gramen plumarium* Park.
Cluſ.

Folia obtinet pedalis longitudinis, gracilia, viridia, numeroſa, plana initio, ſed quorum limbi tandem coeunt, unde Junci modo lævia, teretiáque fiunt, Sparti Hiſpanici foliorum inſtar, quibus non multùm abſimilia ſunt, ſed minora & graciliora. Inter ea *culmi* exeunt graciles, foliorum faſtigium non ſuperantes, qui ſpicam ferunt aliis diſſimilem, ſed tribus aut quatuor oblongiuſculis granis, longâ contortâque caudâ inſignitis duntaxat conſtantem, quæ in dodrantalem, imò pedalem interdum veluti pennulam, tenuioribus alarum Avis illius *Manucodiatæ* ſive *Paradiſi* vulgò nuncupatæ pennulis fermè reſpondentem deſinit. *Radix* ſubeſt è multis capillamentis gramineíſque fibris compoſita: Hiſpanici Sparti radicis inſtar.

Tempus. *Semen* maturum Junio vel leviſſimo auræ flatu excutitur, atq; cum ſua pennula, paululum volans, ubi decidit, ſtatim per gramen arrepit & terrâ ſe condit.

Locus. Abundè provenit in monte Badenſibus thermis imminente totâque illâ catenâ montium, qui inde uſque ad Danubium procurrunt, præterea ad ſylvulam *Lachs*, aliíſque apertis & gramineis locis Auſtriæ & Ungariæ, ſed omnium uberrimè in vivario illo Neapoli Auſtriacæ urbi contiguo, in quo uberiùs lætiúſque provenit. *Cluſ.*

Habetur & in Italia apud Taurinenſes & Goritienſes luteo colore. Inter Viterbum & montem Fiaſconem albo colore reperitur. *C. B.* hiſt.

A. 8. *Gramen ſparteum juncifolium* C. B. *Spartum parvum Lobelio* J. B. *Spartum noſtras parvum Lobelii* Ger. emac. App. *Spartum parvum Batavicum & Anglicum* Park. **Small Matweed.**

Duras craſſáſq; fibras demittit (inquit J. Bauhinus, qui ex ſicco deſcripſit) [Jonſonus tenues, fibroſas repentes radices ei attribuit.] *Culmi* numero plures, imâ parte foliorum circumjectorum voluminibus craſſeſcunt, alioqui fili inſtar, tenues, enodes, dodrantales, quos à medio ad ſummum uſque conſcendunt, altera duntaxat parte erumpentes, eodémq; vergentes glumæ, duræ, tenues, longiuſculæ. *Folia* ubi ſtipulam non ampliùs involvunt admodum tenuia & ferè rotunda, trium quatuórve unciarum longitudine.

Folia (annotante Johnſono in Append. ad Gerard. emac.) è radice erumpunt, tria quatuórve ſimul membranulâ albicante involuta, inferiùs craſſiora, & ſurſum versùs paulatim gracileſcentia, ut in Schœnantho, donec altitudinem ſemuncialem adepta è membranula involvente emergant, & in terram reclinentur: Sunt autem viridia, juncea, eorúmq; longiſſima vix duas uncias excedunt, inter quæ *culmus* gracilis, palmaris aut altior exſurgit, ſumma parte reflexus, duplicem ſeriem glumarum aceroſarum ſuſtinens. Circa initium Auguſti perficitur.

Locus. In paluſtribus præſertim montoſis frequens eſt.

Parkinſonus aliam ſpeciem producit, *quam Spartum minimum Anglicum* vocat, Entia (ut mihi videtur) ſine neceſſitate multiplicans.

Gramen ſparteum Baſileenſe, ſive capillaceo folio C. B. *Spartum Baſil. cap. folio* Park.

Cùm imperfectè deſcribatur, nulla nec *culmi* nec ſpicæ facta mentione, omittimus.

* 9. *Gramen ſparteum Monſpeliacum, ſive capillaceo folio minimum* C. B. *Spartum Narbonenſe* Park.

C. B.

Radicem habet ex fibris albis, oblongis, capillaceis compoſitam, *folia* capillacea, uncialia: *culmos* tenuiſſimos nudos, trium quatuorve unciarum, *paniculas* parvas, è locuſtis minimis compoſitas, & per maturitatem ruſeſcentes.

Monſpeſſuli in agris æſtivo tempore reperitur. Frequens eſt (inquit P. Magnol) in ſiccioribus ſatorum marginibus. *Locus.*

Gramen ſparteum Hollandicum capillaceo folio minus C. B.

Suſpicor & hoc non differre à Sparto noſtrate parvo ſuperiùs deſcripto. Videſis deſcriptionem ejus apud C. Bauhinum.

Gramen ſparteum variegatum C. B. *Spartum variegatum* Park.

Cui pars una folii viret, altera rubet alternatim, cùm nec paniculum nec culmum deſcribat omittimus.

* 10. *Gramen ſparteum ſetas equinas referens* C. B. J. B.

C. B.

Hoc album eſt, & ex radice alba, ſetarum inſtar, folia cubitorum quatuor longa producit, quæ formâ, & tenuitate & robore caudam equinam ejúſq; ſetas referunt, ex quibus Javæ iuſulæ incolæ tapetia texunt. Hujus videtur facta mentio apud Cluſium, ex deſcriptione navigationis Stephani *van der Hagen* versùs Guineam his verbis. Ambonenſes funium genus torquere ſolent ex herba quadam Sparto Hiſpanico non abſimili, quam alioqui ſetas equinas quis eſſe judicaret: qui funes multò meliores ſunt quàm quos ex Cocci ſive Nucum Indicarum cortice conficiunt, & meliùs aquæ injuriis & putrefactioni reſiſtunt.

Cap. V.

De Gramine Paniceo.

A. 1. *Gramen paniceum ſpica ſimplici lævi. An Gramen paniceum ſpica ſimpliei* C. B. Ger. emac. *Panicum ſylveſtre ſpicâ ſimplici* Park? **Panick-graſs, with a ſimple ſpike.**

Fibris non admodum multis, tenuibus & brevibus capillamentis cirratis radicatur. *Culmi* indè exeunt, nunc ſinguli, nunc bini ternive aut plures pro ſoli fœcunditate, ſeſquicubitales aut altiores, pluribus geniculis, ad ſex uſque, intercepti, ramoſi, ramulis ex inferiorum foliorum ſinubus egreſſis, in ſpicas terminatis; tres quatuórve in eodem culmo ramulos ſpicatos ſeu culmos ſecundarios obſervavimus. Sunt autem culmi graciles, ad nodos inferiores nonnihil reflexi. *Folia*, ut in aliis culmiferis, ad genicula ſingularia, culmum aliquouſque obvolventia, à quo poſtquam abceſſerint ad ſeſquipalmarem aut bipalmarem longitudinem porriguntur, latitudine dimidii digiti aut majore, hilarè viridia, in longum & anguſtum mucronem ſenſim coarctata, ſi deorſum ſtringantur ad tactum aſpera. Culmus tandem in ſpicam exit anguſtam, tres uncias longam, eodem modo è ſeminum racemulis ſquamatim incumbentibus compoſitam quo in Panico vulgari ſativo, ariſtis brevibus purpuraſcentibus undique circumvallatam, quin & ſpica ipſa in apricis & ſoli expoſitis purpuraſcit nonnihil, aliàs viridis eſt. Grana Panici ſativi ſimilia ſed minora, per maturitatem è viridi albentia, interdum etiam purpuraſcunt ab extremo ſoli expoſito, minimè autem flavent. Spica compactior eſt quàm in ſativo Panico. Nulla in ariſtis aut glumis nobis tractantibus ſentitur aſperitas, at neque veſtibus adhæreſcunt; proinde diverſum eſt à Gramine paniceo ſpica ſimplici *C. B.*

In exteris regionibus frequentiſſimum eſt: in Anglia rariùs invenitur, in arvis demeſſa ſegete. *Locus.*

A. 2. *Gramen paniceum ſpicâ diviſâ* C. B. *Graminis genus quibuſdam, Gallis Dens canis ſecundus, ſive Panicum ſylveſtre ſpicâ divulsâ* J. B. *Panicum vulgare* Ger. *ſylveſtre Herbariorum* Park. **Panick-graſs, with a divided ſpike.**

J. B.

Calamos è *radice* fibris compluribus craſſiuſculis conſtante locis humidis emittit duos tréſve cubitos altitudine æquantes. *Folia* Arundinacea in acutum mucronem deſinunt: *Jubam* explicat palmarem & ſeſquipalmarem, ſubrubentem aut è rubro nigricantem, crebris ſpicis compoſitam, denſo granulorum Paniceorum, glumis mucronatis ſubhirſutis, nunc muticis, nunc ariſtatis, idque interdum in eadem planta, incluſorum ſtipatu confertis, libero tamen coſtæ dorſo ut in Gramine Mannæ.

Variat interdum ludente natura, ſpicâ nudâ & ariſtis carente, aut ariſtis longis armata, ut in deſcriptione innuimus; unde C. Bauhinus duas ſpecies non neceſſariò facit.

Locis paluſtribus delectatur, inq; Germania, Italia & Gallia paſſim provenit. In Anglia rariùs invenitur. In eiſdem cum ſubſequente locis obſervavit *D. Newton.* *Locus.*

A. 3. *Gramen paniceum ſpica aſpera* C. B. **Rough-eared Panick-graſs.** *J. B.*

Radices habet tenues, frequentiſſimas, eoq; nomine evulſu difficiles: *Culmi* plures, palmares atq; etiam dodrantales, geniculis paucis articulati, obliquè eriguntur, aut per terram repandi reclinantur, denuóq; actis radiculis attolluntur. Singulis calamis ſingulæ inſident *ſpicæ*, Panici minores, aſperæ, veſtibus adhærentes, per maturitatem ruffeſcentes, brevibus, pungentibus ariſtis obſeptæ; inter quas ſemina parva Panico minora. *Folia* graminea, albicantia, hirſuta, aſpera, partem culmi ceu vaginâ amplectentia.

Tempus. Inviſa olitoribus herba, annua quidem: oritur æſtate; ſemen maturat Auguſto, perit Autumno.

Locus. In agro quodam inter Rapas ultra Putneiam vicum, ad ſemitam quæ indè *Rowhampton* ducit; item ultra ædificia *Neathouſes*, id eſt, boum ſtabula dicta, juxta Tameſin fluvium eundo à Trajecto equorum ultra Weſtmonaſterium ad Chelſeiam pagum copioſum obſervavit *D. Newton.*

C. Bauhinus hujus ſynonymum facit Gramen geniculatum Tabernamontani, & Gerardi. Parkinſonus Panicum ſylveſtre Dalechampii vocat. J. Bauhinus deſcribit ſub titulo Panici ſylveſtris & Dentis canis 1. dicti: verùm Gramen geniculatum *Tab.* ab hoc diſtinctum facit, & Graminis panicei vulgaris lævis ſynonyma huic accommodat: erroneè noſtro judicio: deſcriptio enim (quam adhibet) non convenit Gramini paniceo vulgari ſpica lævi: ſed ſpeciei illi quam intellectum volumus, quæ eſt ſpica aſpera, veſtibus pertinaciter adhæreſcente: pro qua ergo nos eam uſurpavimus.

CAP. VI.

A. 1. *Gramen Avenaceum dumetorum ſpicatum. An Feſtuca graminea nemoralis latifolia mollis* J. B? C. B? **Spiked Hedge-Oat-graſs.**

RAdix huic fibroſa: *Culmus* cubitalis & altior, gracilis, geniculatus, inferiùs nonnihil piloſus, ſuperiùs lævis. *Folia* lata, pallidè viridia, ſtriata, piloſa, tractantibus aſpera & aridiuſcula. Spica trium quatuórve digitorum, ex pluribus ſpicis partialibus alternatim ſine pediculo medio ſcapo adnatis conſtans. Sunt autem hæ partiales quas dixi ſpicæ tótalem componentes oblongæ, ſtrigoſæ, è plurimis glumis ſquamatim incumbentibus, & in ariſtam longiuſculam deſinentibus coagmentatæ.

Tempus & Locus. Tardiùs & poſt Solſtitium ferè æſtivum ſpicam producit & ſemen pérficit: éſtque in ſepium aggeribus inter vepres & in dumetis frequentiſſimum.

Huic non multum diſſimile eſt

2. *Feſtuca dumetorum* C. B. Theat.

C. B.

Radice eſt fibris capillaceis nigricantibus compoſitâ, ex qua *culmi* plures, geniculis diſtincti, pauciſſimis pilis aſperſis, duorum, triúmve cubitorum, foliis oblongis anguſtis cincti exſurgunt; in quorum ſummo *ſpica* oblonga, locuſtis raris oblongis, cauli proximis & ariſtis armatis conſtans.

Locus. Baſileæ circa Birſam in dumetis Julio menſe reperitur: verùm etiam in vepribus locis ſiccioribus provenit.

In omnibus ferè, exceptâ foliorum anguſtiâ, cum noſtro gramine Avenaceo dumetorum convenit.

CAP. VII.

De Lolio.

LOlium Αἶρα Græcis, quaſi δόλιον, hoc eſt, adulterinum. Fieri enim creditur è corruptis Tritici & Hordei ſeminibus. *D* autem in *L* abit, ut ab Æolico Ὀλύσσευς *Ulyſſes*, à δάκρυα *Lacryma*, vel dicitur ἀπὸ τȣ̃ λᾶιον ὀλεῖν, id eſt, *ſegetem perdere*; ſive quaſi λᾶιον ὄλοον, id eſt, *ſeges noxia*. Ita *Martinius* & ex eo *Voſſius*.

Lolium autem ſpicâ ſtrigoſâ, compreſſâ, granis cum glumis utrinq; ad ſcapum in eodem plano ſitis à reliquis graminum generibus diſtinguitur.

A. 1. *Lolium album* Ger. Park. *Lolium gramineum ſpicatum caput tentans* J. B. *Gramen loliaceum ſpica longiore* C. B. **Darnel**, Ivray *Gallis, quoniam inebriat.*

Radicibus eſt fibroſis, tenuiſſimis capillamentis cirratis, *ſtipulas* habet cubitum unum, duos, tréſve altas, Triticeis pares aut paulò minores, quatuor vel quinque nodis diſtinctas, ad quorum ſingulos, ut in reliquis culmiferis, ſingula *folia*, Triticeis anguſtiora & viridiora, nitentia, glabra, pinguia, ſtriata, culmum ad proximum ferè geniculum obvolventia, à quo poſtquam receſſerint in ſeſquipalmarem aut bipalmarem longitudinem producuntur. Culmus in *ſpicam* deſinit pedalem, figurâ peculiari, ſiquidem ex culmi lateribus alternatim grana terna aut quaterna & quina, imò non rarò ſena aut ſeptena, puſillæ ſpicæ formâ pediculis nullis exeunt. Singulis ſpicis foliolum oblongum eas ſinu ſuo excipiens, exteriùs adjungitur. Grana Triticeis minora ſunt, glumis ſeu cortice fuſco & ſimplici incluſa, quæ in acutam & tenuem ariſtam, quâ tamen aliquando deſtituuntur, deſinunt.

Inter ſegetes, præſertim Triticeas nimis frequens habetur. Quæ de degeneratione ſeu tranſmutatione Tritici in Lolium, aliorúmq; frumentorum & leguminum in ſua vitia, à Veteribus & Recentioribus dicta ſunt, ſuperiùs in Parte Generali conſideravimus. *Locus.*

2. *Gramen loliaceum latifolium ſpica anguſtiore* C. B.

C. B.

Ex *radice* alba; arundinacea, fibroſa *culmi* aliquot cubitales exſurgunt, *foliis* paucis, latiuſculis, oblongis cincti, quorum ſummo *ſpica* anguſta, uncias quatuor vel quinq; longa, Phœnici vel Hordeo marino ſimilis inſidet.

Baſileæ circa Cliben, ubi longioribus & brevioribus foliis variat.

Lolium calefacit & exſiccat, attenuat, reſolvit, abſterget. Frugibus ex quibus Cereviſia paratur permixtum ebrietatem promovet. Quod ſi pani copioſiùs addatur ſtuporem & veluti temulentiam eſitantibus parit. Hinc nonnullis Triticum temulentum, Gallis *Ivray* quaſi ebrioſa dicitur. *Vires.*

Triticum in Lolium degenerare Veteribus pleriſq; & Recentiorum multis videtur: quod tamen à curioſioribus & naturali ſcientia penitiùs imbutis meritò in dubium vocatur: qua de re ſuperius lib. primo, cap. de ſpecierum tranſmutatione egimus.

Quamvis autem Lolium intro aſſumptum celerrimè vertiginem inducat, foris tamen cum axungia (adipe anſerino Plinio) admotum idem incommodum tollit. *Theoph.*

Oculis officit, caliginem adferendo propter Vapores acres in cerebrum elevatos: unde Lolio victitare dicuntur proverbio, qui viſu ſunt imbecillo, ut luſcioſi & Myopes.

Lolii farina aliis medicamentis idoneis admixta, ad ulcera putreſcentia, impetigines, lepras, ſtrumas, gangrænas, dolorem iſchiadicum, &c. à Veteribus commendatur. Conſule Dioſcoridem & Plinium.

A. 3. *Gramen loliaceum anguſtiòre folio & ſpica* C. B. *Lolium rubrum* Ger. *Lolium rubrum ſive Phœnix* Park. *Phœnix Lolio ſimilis* J. B. **Red Darnel-graſs.**

Planta eſt perennis, *radicibus* geniculatis è geniculis fibras demittentibus ſe propagans: *culmis* cubitum aut ſeſquicubitum interdum altis, perquam tenuibus, raríſq; geniculis, [duobus tribúſve & etiam quatuor] donatis *foliis* anguſtis, oblongis, ſtriatis, pinguibus, obſcurè virentibus cinctis. Ex inferioribus geniculis ramulos non rarò emittit hæc ſpecies. Spicæ loliaceæ, ſpithamam longæ, aliquando puniceo colore rubentes, non rarò tamen albæ, minores & tenuiores quàm Lolii albi, eodem modo ex ſpicis partialibus, ſtrigoſioribus, pluribus tamen glumis conſtantibus compoſitæ.

Duplicem hujus varietatem obſervavimus; alteri ſpicæ partiales (ſi ita loqui liceat) totalem componentes crebriores ſeu denſiores ſunt aut propiùs ad ſe invicem admotæ, paucioribus glumis compoſitæ, & ſcapo medio appreſſæ: alteri rariùs & à ſe invicem remotiùs ſitæ, pluribus glumis contextæ, è latiore baſi in mucronem acutum faſtigiatæ, & à ſcapo medio extantes. *Varietates.*

Ad vias & ſemitas inque paſcuis pinguioribus frequentiſſimum eſt hoc genus. Locis nonnullis pro jumentorum pabulo ſeritur, eſt enim pingue & ponderoſum adeóque jumentis ſaginandis aptiſſimum. *Locus.*

4. *Gramen phœnicoides foliis convolutis junceis ac pungentibus* J. B.

J. B.

Cubito altiorem *calamum* attollit, internodiis longis geniculatum, *foliis* amictum ſeſquipalmaribus circiter, duris, rigidis, acutis, mediocriter latis: ſummo culmo *ſpica* inſidet, ſeſquipalmum longa, alternante glumarum muricatarum ſquammatim compactarum poſitu, ad eum ferè modum quem in Phœnice animadvertimus, ſed majorem multo, colore ex viridi in flavum vergente: *radicem* apparet eſſe perennem, obliquè actam, fibroſam, duram, albam. Ita ex ſicca planta.

In maritimis Narbonenſibus obſervavit Cherlerus. Duplicem differentiam notat *P. Magnol*, alteram foliis viridibus, alteram quaſi argenteis. *Locus.*

A. 5. *Gramen parvum marinum ſpicâ loliaceâ* Ger. emac. lib. 1. cap. 22. n. 8. *An Gramen loliaceum minus ſpica ſimplici* C. B? **Dwarf Sea-Darnel-graſs.** *An Phœnix aceroſa aculeata* Park?

Fibris plurimis, ſubluteis, tenuibus *radicatur*, unde exeunt *cauliculi* numeroſi [plures viginti in una planta numeravimus] ſeſquipalmares interdum, plerunq; breviores, & quod notabile eſt in hoc genere, & ferè ſingulare, valdè ramoſi, tribus quatuórve geniculis nodoſi; totidémq; *foliis* veſtiti, quæ cùm à caule abſceſſerint, vix producuntur in longitudinem uncialem. Cauliculi autem ſumma parte in *ſpicas* deſinunt, duas treſve uncias longas, teretes, nec ipſo caule craſſiores ut ægrè diſtingui poſſint, articulatas, recurvas: ad ſingulos ſcapi articulos alternatim nunc ex hac, nunc ex illa parte, binæ glumæ cauliculi ſcapo ita coaptati & appreſſi, ut niſi cùm eleventur inter florendum, rotunditati ejus nihil officiant, ſemen continent.

Ad maris ſitus, & in paluſtribus maritimis plurimum oritur, ut loca indicare non ſit opus. *Locus.*

6. *Gramen Loliaceum minus ſpica ſimplici* C. B.

C. B.

Ex *radice* capillacea *cauliculi* plures rotundi, duri, duarum unciarum & etiam ſemipalmares, *foliis* paucis, anguſtis & brevibus cincti, exſurgunt, quibus ſpica duarum unciarum, anguſta, Lolio ſimilis inſidet.

Locus. In agris Monſpelienſibus frequens eſt.

7. *Gramen loliaceum minus ſupinum ſpica multiplici* C. B. *Phœnix multiplici ſpicatâ paniculâ* Park.

C. B.

Cauliculis eſt multis, majori parte reclinatis, unciarum quatuor: *foliis* paucis & *ſpica* multiplici, cujus utriculis *ſemen* parvum oblongiuſculum includitur.

Apud Monſpelienſes reperitur; ubi in maritimis herbidis ſe ſæpius legiſſe refert *P. Magnol.* qui

Gramen maritimum paniculâ loliaceâ, ramoſâ ejuſdem.

Quod in litore propè *Perauls* non longè Monſpelio legit, aliorum tantùm varietatem eſſe conjectatur.

8. *Gramen phalaroides exile, humi ſparſum Danicum* Lobelii *Gr. loliaceum ſupinum* C. B. *Loliaceum ſupinum Lobelii Caſp. Bauhini* J. B. *phalaroides minus ſupinum Danicum Lobelii* Park.

Ad Gramina Loliacea refert C. Bauhinus, Puſillum eſt, humile, humíque ſparſum, *radice* fuſca, cirroſa, culmis quamplurimis, duarum triúmve unciarum, torulis ſpicatis, affuſè faſtigiatis, & exilibus apiculis præditis: *foliolis* latiuſculis & uncialis longitudinis: Tota herba per fœniſecium albet.

CAP. VIII.

De Gramine Alopecuroide.

A Spica caudam vulpinam referente nomen accepit.

A. 1. *Gramen Alopecuro ſimile glabrum, cum pilis longiuſculis in ſpica, Onocordon mihi denominatum* J. B. *Alopecuroides majus* Ger. *Phalaroides majus* Park. *Gr. Phalaroides majus, ſive Italicum* C. B. *& fortè etiam Phalaroides ſpica molli, ſive Germanicum* C. B. Park. **The moſt common Fox-tail graſs.**

Radix huic fibroſa: *calamus* cubito altior, non rarò bicubitalis, internodiis longis diſtinctus, quem inoffenſè ſúſque deq; contrectes licet, duobus tribúſve foliis donatus, *ſpicam* ſuſtinens ſeſcuncialem aut duarum unciarum, mollem, cinericeo colore ſplendentem, brevibus & mollicellis piloſis glumis compactilem, ariſtis mollibus longiuſculis cinericeis ſingularibus donatis. *Folia* non admodum longa, glabra, glauco quodam polline, averſa præcipuè parte obducta, quæ facilè detergi poteſt.

In icone Gerardi & Lobelii ſpica juſto brevior & craſſior pingitur.

Locus. Miror Gerardum & Parkinſonum noſtrates de planta adeóq; ubiq; obvia & vulgari, in pratis & paſcuis per totam Angliam frequentiſſimâ, tam obſcurè & confuſè ſcripſiſſe, ut eam neſciviſſe videantur.

Inter prima menſe Aprili, aut ineunte Maio ſpicam producit.

A. 2. *Gramen aquaticum geniculatum ſpicatum* C. B. *fluviatile ſpicatum* Ger. *aquat. ſpicatum* Park. **Spiked Flote-graſs.**

Spica perſimilis eſt præcedentis ſpicæ, mollis pariter, unico ex ſingulis ſquamis eam componentibus exeunte pilo ſeu ariſta brevi; nec bicornes ſunt ſquamulæ ut in typhino dicto. Spica duntaxat gracilior eſt & minùs lanuginoſa quàm in præcedente. *Caules* infirmi ſunt, crebrò geniculati, & ad genicula ſurſum reflexi, procumbentes, & ad nodos, ubi terram attigerint, radices agentes, quibus locum idoneum nactum immensùm ſe propagat: è geniculis ramulos emittens. *Folia* modicè lata, palmaria aut ſeſquipalmaria, lævia, ſuperiora glauca.

Locus. In aquoſis frequens oritur.

Hiſtoriæ Ebrodunenſis auctores Gramen cum parva cauda muris, radice nodoſa [malè imprimitur non nodoſa] repens *J. B.* huic idem faciunt, & C. Bauhinum notant, quaſi ex una ſpecie duas feciſſet, quòd hoc ab illo ſeparaverat, ipſi potiùs reprehendendi, cùm Gramen aquaticum geniculatum ſpicatum, revera ſpecie diſtinctum ſit à Gramine cum parva cauda maris radice nodoſa repente *J. B.* ut rectè illa diſtinguit C. Bauhinus.

A. 3. *Gramini caudæ muris purpuraſcenti aliquatenus ſimile* J. B.

J. B.

Obliquè *radicem* agit craſſam ſatis, tenuibus fibris donatam, veteri præteritorum foliorum cæſpite amictam; ex quâ è terra ſtatim pluſcula prodeunt *folia*, graminea, vix triuncialia, raris pilis ad latera obſita, ſtriata. *Culmi* ſurriguntur aliquot pedales, cubitales aut etiam altiores, teretes, rigidiuſculi, paucis internodiis, versùs ima potiſſimum, donati: quorum ſingulos oblongo intervallo ſejuncta amiciunt foliola ſeſcuncialia, aut ad ſummum duas uncias longa, infernis alioqui ſimilia. Summitati inhærent *ſpicæ*, quæ primulùm prorumpentes Caudæ muris purpuraſcentis ſpicam aliquatenus æmulantur, tum figura, tum colore, præterquam quòd ariſtis nullis ſit ſepta. Mox divulſa & aperta elegantem glumarum purpurearum aut xerampelinarum & pulchrè ſplendentium thyrſum exhibet. Ex quibus *floſculi* vel potiùs apiculi utrinque bifidi (dum nimirum floret) dependent, pulchelli, obſcurè purpuraſcentes, tremuli: glumæ cæterum caſſæ, inutiles. Sapor Graminis vulgaris.

Sicco gaudet ceſpite, arenoſis item, ſqualidis & ſaxoſis viarum marginibus arvorúmque oris incultis. Junio floret. *Locus:*

A. 4. *Gramen Alopecurinum minus* Ger. *Alopecuroides ſpicâ longâ majus & minus* Park. *typhoides* V. *ſeu ſpica anguſtiore* C. B. *cum cauda muris purpuraſcente* J. B. **The leſſer baſtard Fox-tail graſs.**

J. B.

Ex denſo foliorum gramineorum, glabrorum agmine aliquot emergunt *culmi*, quorum alii pedales, alii cubitales aut ſeſquicubitales, interdum purpurei, *foliis* infernis latioribus veſtiti, paucis atque exiguis articulis diſtincti: in ſummo *ſpicam* geſtant purpuraſcentem, palmarem aut breviorem, teretem, caudæ muris formâ, ſed confuſo glumarum ſterilium ordine refertam, ex quibus breves & tenellæ proſiliunt ariſtæ. *Floſculi* ejus ſunt *apices* luteoli pallidi, ex tenuiſſimis filamentis penduli. *Radix* meræ ſunt fibræ.

Inter ſegetes plerunque apud nos provenit. *Locus.*

A. 5. *Gramen pumilum hirſutum ſpicâ purpuro-argenteâ molli, noſtras.*

Hoc genus graminis obſervavit nobíſque communicavit *D. Dale.* *Radices* ei pro more fibroſæ. *Folia* ad radicem longitudine digitum aut duos digitos longitudine raro ſuperant, ſúntque peranguſta & hirſuta. *Culmi* tenues, erecti, uno alteróve folio cincti & geniculo nodoſi, altitudine ſeſquipalmari interdum ſemipedali aut majore, colore purpuraſcente, in ſummo *ſpicam* geſtantes uncialem aut ſeſcuncialem & longiorem, è purpura argenteam, mollem, & laxiorem, nullis ariſtis donatam.

In montoſis & campeſtribus ſed rarius. *Locus.*

6. *Gramen Alopecuros ſpica brevi* J. B. *Gr. Alopecuroides ſpicâ rotundiore* C. B. *Alopecuros* Ger. *Alopec. genuina* Park. **Short-eared Fox-tail graſs.**

J. B.

Herba molliſſima eſt, brevi *ſpica*, utpote duûm plus minùs unciarum, ſed rotundiore, propiùs ad vulpinam caudam accedente, coloris albi & rari, glumis tomentoſis vix apparentibus propter tomenti denſitatem, ariſtis longiuſculis, mollicellis circumcirca radiatis. *Culmus* geniculatus cubitalis & ſeſquicubitalis, *foliis* amictus gramineis, parvis molliſſimis pilis albis hirſutis. *Radix* parva, alba, capillaris.

In Sicilia, Italia v. g. circa Baias, & Gallia Narbonenſi propè Frontinianam oppidum, præſertim in arenoſis obſervavimus, verùm & ſpica brevior erat, & culmus humilior, nec pedalem altitudinem excedens, quam ei rectè attribuit C. Bauhinus; erat etiam ſumma parte prætenuis. *Locus.*

7. *Gramen Alopecuroides ſpicâ aſperâ* C. B. *Alop. ſpicâ aſp. brevi* Park. *Gra. cum cauda leporis aſpera, ſive ſpicâ murinâ* J. B. **Rough-eared Fox-tail graſs.** *Alopecuroides ſpica aſpera Bauhini* Ger. emac.

J. B.

Pluſculos ſurrigit *calamos*, graciles, rigidulos, pedales aut ſeſquipedales, in quorum ſummitate *ſpicæ* ſunt breves, magnitudine & figurâ caudæ vulpinæ haud diſſimiles, ſed criſtis aſperis, utrinque quoque muricatis cum ariſtis longiuſculis & leviter recurvis, & quæ ex brevi reflexu in ſummitate culmi nutant: in quarum ſinu glumæ latent parvæ, inutiles. *Folia* mediocris longitudinis, rigidiuſcula, glabra. *Radix* denſa ſatis numeroſam hirſutarum fibrarum prolem demittit.

Circa Monſpelium in marginibus ſiccis ſatorum copioſè provenit. *Locus.*

C. Bauhinus hoc genus rectiùs deſcribit caule palmari ſummum pedali; nec enim altiores nobis viſi.

8. *Gramen Alopecuros ſpicâ longâ tomentoſâ candicante* J. B. *Alopecuros major ſpica longiore* C. B. *Gr. Alopecuroides alterum radice repente, ſeu Pſeudo-ſchœnanthum Monſpelienſium* Park. *Schœnanthum adulterinum* Ger. **Great long-eared Fox-tail graſs.**

Culmo eſt bicubitali ferè, gracili, geniculato; *foliis* gramineis, glabris, ad tactum non aſperis, ſqualida Schœnanthi folia quodammodo imitantibus; *Spica* palmari, mollicella, tomentoſis, candicantibus cum nitore velleris holoſericei glumis emicantibus tremulis; *radice* fibroſa infirma.

In maritimis Monſpelio vicinis obſervavimus & collegimus. Pro Schœnantho à Pharmacopœis Venetis & Monſpelienſibus ſibi obtruſum fuiſſe Pena ſcribit. *Locus.*

A. 9. *Alopecuros maxima Anglica* Park. *altera maxima Anglica padulosa* Ger. emac. *Altera maxima Anglica paludoſa, ſive Gramen Alopecuroides maximum* J. B. Lob. Adv. part. alt. **Great Engliſh March Fox-tail graſs.**

Lob.

Culmus cubitalis, ſeſquicubitalis, bipedalis & quandoque procerior, geniculatus, & folia illi Graminis aut Tritici; ſed quinque uncialis ſæpe ſpecioſiſſima, habitior, ſericea, ſpicata, caudatáque panicula Monſpelienſium Pſeudo-ſchœnanthi.

Locus. In riguis herbidis Comitatûs Southamptoniæ proximè ſalinas & antiquas ædes *Drayton* vocatas, cis mare, duobus mill. Anglicis à *Portſmouth*, ex adverſo Vectis inſulæ plurima: itémque in udis foſſis lacuſtribus Eſſexienſis Comitatûs, juxta Thameſis amœniſſima fluenta.

* 10. *Gramen Alopecuroidi accedens ac Phalaridi, ſpicâ longiuſculâ, folio lanuginoſo* J. B. *typhoides molle* C. B. *Alopecuroides minus* Ger.

J. B.

Duras & frequentes ſatis ab infimo culmo pendentes habet *fibras*, eáſque candicantes. *Culmus* autem cubitalis, propter terram rubeſcens, foliis pro geniculorum numero obſeptus, palmo longioribus, Hordeaceorum latitudine totis molli canâque lanugine tectis. *Spica* ſingularis, uncialis aut etiam ſextantalis, argenteo nitore micans, turbinata, glumis aceroſis, gracilibus, mollibus, tomentoſis, denſo ſtipatu coacervatis conſtans.

Locus. C. Bauhinus aut potiùs Lobelius, paſſim ad ſemitas reperiri ait. Si differat à Gramine Onocordo, nobis incognitum eſt. Et figura & deſcriptio C. Bauhini Onocordo gramini conveniunt, præterquam quòd folia anguſta ei attribuat. J. Bauhinus tamen, qui & hoc vidit à fratre Caſp. circa Monſpelium collectum & allatum, diverſum facit, cui ſubſcribimus.

* 11. *Gramen cum cauda muris foliis hirſutis* J. B. *typhoides culmo reclinato* C. B. *Alopecurinum majus* Ger.

J. B.

Culmi aliquot cubitum excedentes, internodiis circa imum nonnihil rubeſcentes, denſis; rarioribus & ferè nullis ſuperiùs, foliorum vaginâ multùm involutis, quæ ubi à culmis receſſerunt brevia ſatis ſunt, & anguſta, hirſuta. *Spica* trium unciarum, nitida, denſiſſimis tenuibus glumis compacta, luteola ferè; ſingulæ glumæ planæ, anguſtæ, in acumen unicum deſinunt; tota autem ſpica nonnihil divulſa conſpicitur. *Radix* capillaris, alba, tenuis, ex capite craſſiuſculo; an repat non obſervavimus Monſpelii.

Locus. C. Bauhinus in cultis ſecus vias reperiri aſſerit.

* 12. *Gramen Alopecuros altera, Lobelii* J. B. *C. Bauhinus idem hoc facit Gramini Alopecuro ſpica rotundiore, ſeu Gram. Alopecuro ſpica brevi* J. B. *Locus tamen diverſum eſſe ſuadet.*

Aliud (inquit Lobelius) genus quoddam eſt caudæ vulpinæ Theophraſti, ſpicis tamen minoribus ac brevioribus, nec ita lanuginoſis ut Monſpelienſis. Culmos quoque multò ſurrigit altiores, bicubitales: *Folia* graminea; *radix* fibroſa.

Locus. Seſquimiliari Brugis diſtantibus campeſtribus juxta *Merkirch* copioſè provenire ait Lobelius. C. Bauhinus hîc nomina confundere videtur; aut fortè Chabræus apud J. Bauhinum.

* 13. *Gramen Alopecuros minor ſpica longiore* C. B. *Cauda vulpina Monſpelienſium* Ad. Lob.

Lob. C. B.

Tota planta pedem alta eſt, *radice* fibroſa, *culmis* multis, geniculatis, recurvis: foliis quàm Alopecuri ſpica rotundiore longioribus, anguſtioribus: ſpicâ trium unciarum, rariùs minore, albida, Graminis panicei effigie, ſed lanuginoſa, quæ compacta eſt ità ut ſimplex videatur, cùm tamen ex multis ſpicis ſit compoſita, qua in re potiſſimùm à prædicta differt, & quòd eâ minùs ſpecioſâ & molli ſit.

Frequens eſt locis maritimis Monſpelio vicinis ad Magallonam & Aquas Marianas. Copioſè oritur, inquit P. Magnol, in foſſis circa ſtagnum, quæ æſtate calore ſolis ſiccantur. Nos in Sicilia circa Meſſanam invenimus. Spicarum ariſtæ quæ molles ſunt & numeroſiſſimæ flavicant.

14. *Gramen typhoides maximum ſpicâ longiſſima* C. B. *typhoides maximum* Park. *typhinum tertium* Ger. emac.

C. B.

Ex *radice* parva, nodoſa, cui fibræ exiguæ & plurimæ adnatæ, *culmus* rectus, ſeſquicubitalis, internodiis rarioribus diſtinctus exſurgit: qui in *ſpicam* rectam, teretem, palmarem, vireſcentem, in maturitate albicantem, tactu mollem deſinit: cujus utriculi copioſis & oblongiuſculis ariſtis armantur. *Foliis* eſt gramineis, paucis oblongiſque majori etiam parte caulem veſtientibus.

Locus. Hoc copioſè inter fruteta ad acidulas Gapingenſes Wirtembergici ducatûs Julio menſe primum obſervavit C. Bauhinus: dein non longè Baſilea in ſepibus agrorum, & in ſalicetis Michelfeldæ legit.

Non multùm differt à prima ſpecie ſeu Gramine Onocordo, viz. ſpicæ longitudine & loco inter fruteta, ut ego idem eſſe ſuſpicer, non tamen aſſerere auſim idem eſſe.

Cap. IX.

De Gramine typhino.

GRamen Typhinum dictum ab Alopecuroide differt ſpicis aſperioribus, ſquamulis ſpicas componentibus bicornibus.

1. *Gramen cum parva cauda muris, radice nodoſa repens* J. B. *Gr. nodoſum ſpica parva* C. B.

E *radice* fibroſa & veluti bulbulis nodoſa aliquot emergunt *culmuli*, cubitales aut ſeſquicubitales, tenues, læves, & ab internodiis reflexi, quos ab imo ſtatim pluſcula comitantur *folia*, glabra, brevia, anguſta. Ex ſingulo cæterùm internodio ſingulum prominet foliolum; ſummitati *ſpica* inſidet parva, hiſpidula, Lobelii Typhini graminis figurâ, bicornibus ſquamulis denſiſſimè farcta.

In dumetis propè Beffordiam diei intinere à Baſilea diſtantem reperit J. Bauhinus Auguſto cum ſuis ſpicis. *Locus.*

Huic ſynonymum faciunt Hiſtoriæ Ebrodunenſis auctores, ſed erroneè, Gramen aquaticum ſpicatum *Lob.* ut ſuperiùs monuimus.

A. 2. *Gramen typhinum majus ſeu primum* Ger. emac. *medium ſive vulgatiſſimum* Park. *cum cauda muris majoris longa majus* J. B. *typhoides aſperum primum* C. B. *ex ſententia* J. B. **The greateſt Cats-tail-graſs.**

J. B.

Radices tenues; *culmi* habent principium bulbo oblongo ſimile, cubitales altioreſque interdum, quatuor aut quinque geniculis intercepti; ad quos folia aſpera [aſperitas vix ſenſibilis eſt] latiuſcula, caneſcentia, palmaria, [quæ è radice exeunt longiora ſunt] vaginâ longiore ſtipulam circumplexa. Summum cacumen palmarem, ſæpe etiam longiorem *ſpicam* ſuſtinet, teretem, caudæ magni Muris ſimilem, mollem ſi ſurſum verſus manu demulceas, aſperam ſi contra, coloris cinericei, innumeris ſquamulis in binas breves ariſtas deſinentibus, dimidiatos ſolenas, aut lateritias cannulatas ſcandulas imitatis, conſtantem.

In paſcuis frequens eſt & agrorum marginibus, ad ſemitas item & ſepes, ſolo præſertim humidiore. *Locus.*

A. 3. *Gramen typhinum minus* Ger. Park. *Gramen cum cauda muris minus* J. B. *typhoides aſperum alterum* C. B. **The leſſer Cats-tail-graſs.**

Varietas potiùs præcedentis eſſe videtur quàm ſpecies diſtincta. Differt ab eo ſtaturâ minore, & ſpica breviore, anguſtioreque. Deſcriptionem ejus videſis apud J. Bauhinum tom. 2. pag. 471. C. Bauhinus fibras quaſi ex bulbiculis promanantes ei adſcribit & appingit.

In ſabuloſis reperitur, inquit C. Bauhinus, quod potiùs ſequenti ſpeciei convenit. *Locus.*

A. 4. *Gramen typhinum maritimum minus. An Gr. typhinum Danicum minus* Park? **Sea Cats-tail-graſs.**

Hæc ſpecies eſſe videtur quam Lobelius ſabuletis & maritimis natalibus gaudere ſcribit. Verùm noſtrum pedalem quam illi attribuit altitudinem rarò aſſequitur, ſed palmare ferè eſt aut ſeſquipalmare. Spica uncialis turgidula, ima parte plerumque anguſtior.

In ſabuloſis maritimis frequentiſſimum eſt. *Locus.*

Gramen typhoides ſpica multiplici C. B.

Graminis cyperoidis ſpecies nobis videtur. Parkinſonus Cyperum typhinum hoc genus appellat.

5. *Gramen ſupinum aculeatum* J. B. *aculeatum Italicum* Park. *album capitulis aculeatis Italicum* C. B.

J. B.

Brevibus fibris *radicatur*: *ramos* verò terræ apprimit in orbem, multos, palmares & ſeſquipalmares, aliquando pedales, aliquos verò duntaxat unciales, rigidulos. Ad quorum genicula utriculi inſtar *folium* ſtriatum glumas numeroſas, conglomeratas ſquamarum foliacearum complexu comprehenſas claudit, deinceps in mucronem rigidum & acutum, uncialem & breviorem, rectà in latus protenſum deſinit. Extremo verò cauli hujus generis * plura folia, & utriculi glumis gravidi echinati aliquid oſtentant.

* *C. Bauhino tria folia aculeata.*

Itinere inter Liburnum & Piſas, deinde circa Monſpelium copioſum obſervavimus. Graminis typhini ſpecies videtur.

CAP. X.

De Gramine echinato.

Gramen ſpicâ ſubrotundâ echinatâ C. B. *Gr. perpuſillum capitulo rotundo ſpinoſo Cherleri* J. B. *Gr. echinato capitulo* Park. *echinatum* 4. Ger. emac.

C. B.

R*Adice* eſt geniculis nodoſa, capillacea, alba: *foliis* paucis, anguſtis, primis duplo minoribus iis quæ mediâ ſuâ parte feſtucam cingunt, quæ tamen vix uncias tres ſuperant, & per quæ lineæ ſecundùm longitudinem excurrunt, eámque ſubaſperam reddunt; inter hæc culmi feſtucarum inſtar tenues, læves, geniculati, uno alteróve folio è geniculi nodo incipiente cincti, & quidem tres vel quatuor, altitudine inæquales, duarum, trium, quatuor, etiam ſex unciarum efferuntur; quibus ſingulis *capitulum* unicum, ſubrotundum (quod ſiccatum pallet) inſtar Tribuli echinatum, ſpinoſum ac pungens inſidet, quod fructibus denſis compoſitum, quorum corpus in ſtellam ſpinoſam inæqualem, radiis quinque vel ſeptem præditum deſinit, quorum medius ſuperior oblongus, laterales minores ſunt. *Flores* ut in aliis ſtaminibus pallentibus tremulis dependentibus Maio menſe emittit. *Semen* parvum, diaphanum, triticeum Melampyri vulg. concolor.

Locus. Locus ſterilibus circa Monſpelium creſcit: inque Æquicolorum collibus: Wemauſi etiam ad molendina.

Gramen tenue duriuſculum & pænè junceum J. B. *Gramen foliolis junceis brevibus minus* C. B. *minus duriuſculum* Ger. *exile durius* Lob.

J. B.

In rupibus & muris hæret itâ firmiter *radicibus* tenuibus, capillaribus, nigricantibus, ut vix evelli poſſit; cohærentibus ſimul multis plantis. Foliorum marcidorum veſtigia demonſtrant non annuam plantam. Folia alioqui vegeta ſunt, longitudinis quinque vel ſex unciarum, quædam etiam breviora, convolutionis ergo Junci inſtar teretia, nonnihil rigida, cinerei ferè coloris, reſtantibus Octobris fine calamis valdè tenuibus, dodrantalibus & pedalibus, cum veſtigiis parvæ *ſpicæ*. Montbelgardi idem aut valdè ſimile obſervavit, cui *folia* virentia, tenuia, compreſſa, viridia, glabra; *culmi* plurimi, tenues, pedales vel cubitales, læves, in quibus unum geniculum, præter illud quod ad radicem, & foliolum ex longa vaginula: juba uncialis, ſpicæ ferè ſimilis, virens, vel nonnihil purpuraſcens, in qua quædam partes ad phœnicem nonnihil accedunt, & in parvas ariſtas deſinunt: in iis *floſculi* vel apices minimi, albi, toti plantæ ſapor ſubdulcis; in cæteris ſimilis præcedenti.

Lobelius Gramen ſuum exile durius oriri ſabuletis & ſquallido aridioréque agro Galliæ, Angliæ, Germaniæ & Belgii aſſerit. Quam plantam intelligat nobis nondum ſatis conſtat.

CAP. XI.

Gramina ſpicata miſcellanea complectens.

A. 1. *Gramen vernum, ſpica brevi laxa, an anthoxanthon? Gramen anthoxanthon ſpicatum* J. B? *Gr. ſpicatum pratenſe* 3. *ſeu ſpica flaveſcente* C. B?

R*Adix* tenuibus, albis fibris conſtat. *Folia* brevia, modicè lata, hirſuta, præſertim ſupinâ parte. *Caulis* dodrantalis, interdum pedalis, tenuis, geniculatus, quem folia amplectuntur averſa parte nonnunquam purpuraſcentia. *Spica* brevis, digitum aut ſummum ſeſquidigitum longa, ſubrotunda, rarioribus glumis nonnihil extantibus, in acutos apices faſtigiatis, non ariſtatis compoſita. *Floſculi* ſeu apiculi purpuraſcentes è tenuibus filamentis tremuli dependent, bifidi utrinq;

Locus. Floret vere inter prima ſui generis, & in pratis ac paſcuis ubique frequens oritur.

Icon Graminis Anthoxanthi ſpicati huic bene convenit. Nomen etiam *C. B.* in pin. nimirum Gramen ſpicatum pratenſe III. ſive ſpica flaveſcente.

Hoc genus pro Gramine cum cauda muris purpuraſcente aliquatenus ſimili *J. Bauhini* aliquando habuimus: verum deſcriptio ei non bene convenire videtur, ideóque nunc mutatâ ſententiâ diverſum opinamur.

2. *Gramen pratenſe ſpicâ purpurea, ex utriculo prodeunte, vel Gr. folio ſpicam amplexante* C. B. *Gr. ſpicam folio amplectens* J. B.

C. B.

Radiculis eſt prioris ſimilibus, *culmis* multis, dodrantalibus, etiam pedalibus, pediculis nigricantibus diſtinctis: foliis multo quam in illo anguſtioribus & viridioribus: *ſpicâ* quinetiam breviore & craſſiore, purpureis floribus ornata; folio quod ex ultimo geniculo prodit, ſic caulem obvolvente ut non aperiatur (quod in priore non fit) & veſicæ ſpeciem oſtendat. Sapor dulcis eſt & aquoſus.

Locus. In humidis pratis non longe Monſpelio & Lugduno, & circa Matiſconam provenit.

A. 3. *Gramen criſtatum* J. B. *criſtatum Anglicum* Park. *criſtatum Bauhini* Ger. emac. *p.* 29. *pratenſe criſtatum, ſeu Gram. ſpicâ criſtatâ læve* C. B. **Smooth creſted graſs.**

J. Bauhinus ità deſcribit, Seſquicubitalibus aſſurgit *calamis*, perquam tenuibus, geniculatis, non ſine *foliis*, quæ vaginæ inſtar ſatis longo intervallo culmum complexa, palmum longa ab eo recedunt, anguſta. *Spica* quadrantalis aut paulò longior, duobus verſibus in unam partem vergentibus, glumarum pallidarum, criſtatarum fimbriatarúmve, *floſculorum* luteorum fuſcorúmve tremulas fibrillas explicat, dorſo ſpicæ glumis vacuo. *Radices* tenues & cirratæ. C. Bauhino Radicum capillamentis plurimis oblongis albicantibus, abundat, quæ in unum veluti ceſpitem coeuntia deorſum repunt.

Parkinſonus Gramen criſtatum Anglicum à criſtato *C. B.* diverſum facit. Verùm deſcriptio *J. B.* Gramini criſtato Anglico bene convenit, excepta longitudine ſpicæ: icon equidem ſpicam nimis laxam repræſentat, & quæ de radicibus habet C. Bauhinus criſtato noſtro Anglico non reſpondent. Verùm cùm quod deſcribit C. Bauhinus, idem ſit quod Lobelius miſit, quodque in pratis circa Hackneum propè Londinum provenire ſcribit *Adv. part. alt.* minimè dubium eſt, Gramen criſtatum *C. B.* & criſtatum Anglicum *Park.* unam & eandem ſpecie plantam eſſe. Nec enim aliud genus circa Hackneum frequens eſt.

In pratis & paſcuis ubiq; per totam Angliam abundat, & circa Solſtitium æſtivum ſpicas promit. *Locus.*

Hujus aliam ſeu ſpeciem, ſeu varietatem proponit C. Bauhinus titulo *Graminis ſpicâ criſtatâ ſubhirſuti*, radicum capillamentis rufeſcentibus, culmis tenuioribus, parte inferiori levi lanugine aſperſis & humilioribus; foliis longioribus, ſpica candicante, minùs compacta, nec ita eleganter criſtam exprimente, à præcedenti differt. *Species altera.*

4. *Gramen geniculatum Tabernæmontani* J. B. *Paniceum ſpicâ aſpera* C. B.

Radix ex pluribus fibris compoſita multos protrudit nodoſos ſeu articulatos *culmos*, in alios ſubinde diviſos; *folia* longa, anguſta, acuminata, nervo per medium elevato; *ſpicam* longam, tenuem, villoſam, glumis albis conſtantem, in quibus *ſemen* parvum.

C. Bauhinus hoc genus ad Gramen paniceum ſpicâ aſperâ refert. V. ſupra in capite de Gramine paniceo.

5. *Gramen Avenaceum montanum lanuginoſum* C. B. *montanum Avenaceum Cluſii* Park. *Gramen cum locuſtis parvis candidis, ſemine Avenaceo* J. B. *montanum Avenaceum* Ger. emac.

C. B.

Radice eſt ex multis fibris duris, rufeſcentibus compoſita, ſingulis annis anteriùs ſerpente: unde *culmi* cubitales, tenues, læves, geniculati exſurgunt: quos *folia* oblonga, anguſta, palmaria & acuminata cingunt. In culmorum faſtigio *ſpica* oblonga & nutans, ex glumis breviſſimo filamento inſidentibus compoſita, quæ exteriùs candicant, nec lanuginoſæ: at interiores utriculi lanuginoſi ſunt, grana nudæ Avenæ ſimilia continentes.

Monſpeſſuli ſponte provenit. Cluſius ſecundùm vias, in montanis umbroſiſque, ſylvis Pannoniæ, Auſtriæ & Bohemiæ naſci ſcribit, & ſemen Julio menſe maturum obſervavit. *Locus & Tempus.*

J. Bauhinus ſemen nitida lanugine obſitum ſcribit, quali Carduorum ſemina ſunt prædita.

6. *Gramen Avenaceum lanuginoſum glumis rarioribus* C. B.

C. B.

Ex *radice* fibroſa *folia* juncea, oblonga, *culmíque* juncei plures, cubitum ſuperantes, paucis *foliis* iiſque brevibus, culmum circa geniculum veſtientibus exſurgunt, in quorum ſummo glumæ rariores, albæ, lanuginoſæ, utriculum continentes, cui *ſemen* nigrum ſplendénſque incluſum eſt.

In aſperis circa Monſpelium provenit, & cum Cluſiano confundi non debet. In incultis viâ montis Lupi ſæpiùs vidit *D. Magnol.* *Locus.*

7. *Gramen Avenaceum lanuginoſum ramoſum* C. B.

C. B. theat.

Radicem habet fibroſam, unde *caulis* unus vel alter, cubitalis, geniculis multis diſtinctus prodit: *foliis* eſt multò quàm in prioribus latioribus: *ſpicâ* palmari albâ, nonnunquam flaveſcente, ramoſa, glumis Avenaceis compactis & lanuginoſis; cujus utriculis *ſemen* parvum oblongum, utrinque acuminatum, ſplendens, pulicis ſeu ſeminis Pſyllii colore & formâ, ſed minus, includitur.

Circa Monſpelium ad radicem montis Calcaris legit C. Bauhinus. *Locus.*

A. 8. *Gramen ſpica gracili, ariſtis brevibus recurvis.*

In viis publicis, locis udis provenit, nec ante Autumnum aut Æſtatis finem ſpicam producit. *Culmus* tenuis, dodrantem altus, uno alteróve articulo interceptus, & folio inde enaſcente cinctus. *Spica* parva, uncialis aut major, teretiuſcula, glumis rubentibus in ariſtas prætenues, breves, recurvas exeuntibus compoſita. *Folia* ad radicem pauca, anguſta, brevia.

Invenit & ad nos attulit D. Dale, à quo pleniorem ejus deſcriptionem expectamus.

9. *Gramen arvenſe paniculâ criſpa* C. B. Park. *minimum rubrum ſive xerampelinum* Ger. *Gramen cum panicula molli rubente* J. B.

J. B.

Confibratis capillaribus radiculis ſub ceſpite foliorum ima prodeunt, tuniceis involucris compacta; inter quæ *bulbuli* oblongi capitulum efformant, quæ à radicibus ſtatim multa pronaſcuntur, quadrantalia & trientalia, perangusta, mollia, glabra, in culmis pauciora, minora, in ſingulis tamen geniculis ſingula. *Culmus* pedalis, minor interdum, ſubinde major, tenuis paniculam gerit uncialem & ſeſcuncialem, divulſam ex viridi purpuraſcentem, glumis crebris exilibus, in breves interdum tortiles ariſtas, molles & quaſi ſericeas deſinentibus; [potiùs virides & foliaceas ſeu gramineas.]

Locus. Genevæ inter ſegetes copioſè provenit, quin & in muris ipſius urbis, alibi etiam in Germania & Gallia. Simile eſt hoc Gramen Gramini noſtro montano ſpicâ foliaceâ gramineâ, niſi quòd panicula craſſior & magis conferta ſit.

10. *Gramen montanum ſpicâ foliaceâ gramineâ* P. B.

Hæc ſpecies ſpicam præcedenti ſimilem habet ſed laxiorem.

Locus. In ſummis altiſſimorum Cambriæ montium *Snowdon, Caderidris*, &c. verticibus inter ſaxa, ubi nulla fere alia planta præter muſcum provenit copioſum obſervavimus.

* 11. *Gramen Camerarii repens* J. B.

J. B.

Radicem adipiſcitur longam, tuberoſam, ſed æqualem, articulis præcinctam, & hinc indè reflexis, non tamen profundiùs radicatam, filamentis conſtantem pluribus. Suum protrudit hæc ab unoquoque articulo *culmum*, continuò ſe innovans & multiplicans. *Folia* longa, acuminata, dura, Arundinis inſtar parvæ lata. *Culmus* duarum ferè ſpithamarum altus, admodum anguſtus, & tenuis more ſtaminis, tribus quatuórve nonnunquam articulis præditus, ſpicam ſuperiori parte profert patulam, quæ parvum continet *ſemen*. Folia cum radicibus ſaporem habent dulcem, cum adſtrictione quadam & acredine.

* 12. *Graminis primi Dioſcoridis ſpecies minima Thalii* J. B. *Gramen caninum ſupinum paniculatum folio varians* C. B.

Nobis incognitum, nec alii præter Thalium Botanico deſcriptum, nec icone illuſtratum cùm ſit, Lectorem qui plura de eo velit ad Thalium remittimus.

13. *Gramen verſicolor* J. B. *Avenaceum glumis variis* C. B.

J. B.

Reptantibus graminibus accenſendum, *radices* duras, geniculatas, longè latéq; ſpargit, fibris profundè demiſſis, ſatis craſſis, vix evelli poteſt è rupium rimis: *Culmi foliis* crebris veſtiti, dodrantales, *ſpicam* ſinguli geſtant graminis anthoxanthi, paulò breviorem, modò purpuream, quæ colore ad objectum lucis variante placet: parvum, *ſemen* longiuſculum, ad ſemen Graminis Mannæ accedens, rufeſcens externè, internè albeſcens, involutum parvis glumis.

Adde ex C. Bauhino radicem albâ rugoſâ membranâ integi, *culmum* fragilem & levem eſſe.

Locus. Genevæ in collo *la Baſtie*, & circa S. Hippolytum Burgundiæ. Solet inter rupes provenire loco ſoli expoſito.

14. *Gramen paniculâ aureâ* J. B. *Gr. paniculâ pendulâ aureâ* C. B. *i. e. paniculatum arvenſe* 2.

Tenuem ſurrigit dodrante majorem culmum, per cujus faſtigium conſcendunt quinque vel ſex auricolores *paniculæ* ſplendidæ, ſemunciales, graciles, teretes, aceroſis glumis contextæ. *Folia* perangusta vix culmo cedunt longitudine.

Locus. Argentinæ habuit J. Bauhinus: in ſiccioribus & ſqualidis locis provenit, ut teſtatur Hiſt. Lugdunenſis.

15. *Gramen minimum Dalechampii* J. B. *minimum paniculis elegantiſſimis* C. B.

J. B.

Eſt veluti gleba ampliuſcula, rotunda, *radiculis* plurimis brevibus, candidis: foliis digito non longioribus, teretibus, ſpicâ valdè gracili, parva: floſculis rubris.

Tempus. Februario ſtatim ad primam aeris temperiem exorientibus, ſapore initio dulci, deinde amaro.

Locus. Naſcitur in arvis, circa Monſpelium frequens.

C. Bauhino *Radix* plurimis cirris oblongis albicantibus componitur: *Folia* unciam, rariùs duas uncias longa, capillaria, cæſia, teretia copioſa: *Culmi* multi, uno alteróve nodo diſtincti, duarum, trium, etiam quatuor unciarum.

16. *Gramen minimum* J. B.

J. B.

Capillorum inſtar tenues radiculæ cæſpitem mordicus obſident: *culmi* numeroſi, plus minùs unciales, enodes, molles, tenuiſſimi in ſpicam deſinunt, alternis glumis graminis pratenſis obſitam. *Foliola* ſtipulas à radice aliquouſq; comitantur, tenella, perpuſilla.

Locus. Propè fontem illum magnum templi Dianæ propè Nemauſum collegit Cherlerus, nec alibi uſpiam obſervavit.

A. 17. ***Gramen minimum ſpicâ brevi habitiore, noſtrum.***

Fibellis plurimis capillaceis terræ adhæreſcit, è quorum capite plures emergunt *cauliculi*, ſeſcunciales aut duarum unciarum, tenues, rigidi tamen, duobus plurimùm geniculis, (interdum tribus) intercepti, & foliolis è ſingulis ortis ſingulis aliquouſq; obvoluti, ſpicam in faſtigio ſuſtinentes perbrevem habitiorem, è locuſtellis, laxiùs ſitis, glumis caneſcentibus breviſſimis ariſtis donatis compoſitam. *Folia* non admodum numeroſa è radice exeunt, anguſta, vix trientem unciæ longa. Imi culmi plerunq; purpuraſcunt.

Secundum Genus.

Gramina paniculata.

Cap. I.

De Gramine Dactyloide ſeu Iſchæmo.

HOc genus graminis inter ſpicata & paniculata ambigere videtur: panicula enim è pluribus ſpicis compoſita eſt, unde & Gramen multiplici ſeu compoſitâ ſpica, ſeu polyſtachyon dici poteſt.

Dactylon appellatur eo quòd panicula in quaternas, quinas, ſenas & plures partes diviſa, quaſi digitos manûs expanſos referat. Ἴσχαιμον verò à ſiſtendo ſanguine nomen invenit.

A. 1. *Gramen repens cum panicula Graminis Mannæ* J. B. *dactyloides radice repente* Ger. *canarium iſchæmi paniculis* Park. *dactylon folio arundinaceo majus* C. B. *quod nomen huic noſtro utpote minori & ſupino minimè convenit.* **Creeping Cocks-foot graſs.**

J. B.

Duûm generum folia & culmos profert. Primùm enim lentis longíſque ad cubitum unum aut alterum *coliculis*, ſolidis, crebrò geniculatis, lævibus, caducis naſcitur, qui ubi terram attigerint, ſtatim per fibras è nodis demiſſas comprehendit, radicatúrque; atque ex eiſdem geniculis *folia* mutuo amplexu ſtipata ſurgunt, brevia, anguſta, hirſuta: deinceps adultius culmos producit erectiores, veluti ſuperiorum ramos, pedales, tenuiores, *foliis* amictos longioribus, hirſutis, & rarioribus geniculis interceptos, quorum ſummitas in ſpicas finditur, quatuor, quinq;, ſex, ſpicis Graminis Mannæ ſimiles, ſed minores, concinniores, imbricatos, non tamen circumcirca, perinde ut jam dicto Gramine, cui pars ſpicæ interior nuda, hoc diſcrimine interim, quòd ea pars Graminis Mannæ ſulcata ſit, in hoc verò in criſtam elata. *Floſculos* fert atro-rubentes. *Radice* nititur geniculata, reptante, ſubdulci, alba.

Locus. Hoc Gramine (quod legitimum vocat Cluſius) nihil vulgatius tota Hiſpaniâ & Galliâ [adde etiam Italiâ] in arvis, vinetis, atq; etiam in maritimis, in quibus multò lætiùs & uberiùs creſcit: nam ejus radices interdum digiti craſſitudinem æquantes eruere meminit Cluſius. C. Bauhinus etiam hoc Theophraſti Gramen eſſe credit.

Hujus minor ſpecies ſeu potiùs præcedentis varietas habetur apud C. Bauhinum cujus deſcriptionem in Theat. Botan. p. 113. vide. Hæc varietas eadem videtur nobis viſæ in Gallia & Italia.

2. *Gramen dactylon Siculum multiplici panicula, ſpicis ab eodem exortu geminis. An Gramen bicorne, ſeu diſtachyophoron* Bocc? *An Gramen diſtachyophoron* Col? **Two-eared Cocks-foot-graſs.** *An Feſtuca junceo folio, ſpicâ geminâ* C. B?

Radix huic eſt perennis, innumeris fibris quaſi reticulato textu implicitis compacta. *Calamus* pedalis, longiórq;, geniculatis, paucis foliis cinctus, ex quo ad inſtar juli recti triuncialis longitudinis exit è folliculo *ſpica*, rubente colore prædita, quæ per maturitatem Graminis dactyli modo, in furcam dividitur. Ejuſdem ſpicæ glumæ in ariſtas tenuiſſimas & longas abeunt.

Tempus. Floret vere, & uſque ad finem æſtatis.

Hæc eſt deſcriptio Graminis bicornis Bocconiani, quæ noſtro Gramini dactylo Siculo diſtachyophoro non convenit, ut noſtrum ab illo ſpecie diverſum arbitremur; nam in noſtro ſpicæ vix unciales ſunt, & hirſutæ. Quin & noſtrum multa in eodem culmo habet ſpicarum paria è foliorum alis peculiari modo exeuntia. Nam è foliorum ſupremorum ſinubus exeunt pediculi ſeu ramuli, tenues, longi, nunc unus, nunc duo tréſve ſimul, quorum unuſquiſque media aut inferiore parte geniculum ſeu articulum habet, è quo exit folium pediculum obvolvens ad ſpicam uſque. Atque hoc modo duplici vel triplici gradu panicula aſſurgit.

Feſtuca junceo folio ſpicâ geminâ *C. B.* culmo eſt ſeſquicubitali, rotundo, geniculato & ramoſo: cujus ſummitati *ſpicæ* vix unciam longæ, molles, rufeſcentes, ariſtis oblongis armatæ. Iſchæmo gramini villoſo ſimiles, inſident; ſemper duæ ſimul uni oblongiori tenui pediculo adhærentes junguntur. *Folia* habet juncea, longa, inordinatè poſita.

Hæc deſcriptio in omnibus præterquam foliis junceis plantæ noſtræ convenit.

3. *Gramen crucis ſive Neiem-el-ſalib Alpini* J.B. Bontii. *Gram. dactylon Ægyptiacum* C. B. Park. Ægyptian **Cocks-foot-graſs.**

Alpin.

Gramen quoddam naſcitur exile, *radicibus* repentibus, albis, geniculatis, dulcibus cum aliquâ acrimonia, communi Gramini proximis, digiti altitudine, geniculatis ramulis aſſurgens, foliis communi Gramini ſimilibus, ſed minoribus: Ramuli habent quatuor ſpicas, Iſchæmi vel Graminis ſanguinarii ſimiles, perfectam crucem figurantes, quam æquè omnes uno modo formant: ex quo ipſum Ægyptii *Neiem el ſalib* vocant, quaſi dixerint Gramen crucis, in quibus fiunt *ſemina* minutiſſima, ſeminibus communis Graminis ſimilia.

Vires & Uſus. Maximum uſum ſemina apud omnes habent, Ad eos ſci. qui tum renum, tum veſicæ calculis laborant, atque ad frangendos lapides in veſica concretos: quod genus morbi ibi eſt familiariſſimum & quaſi endemium. Mulieres radicis decoctum tum ad pueros variolis atque morbillis correptos maximè ſequuntur, tum ad ſeipſas, ubi cupiunt interceptas menſtruas purgationes rurſum evocare. Sunt aliqui qui pro ſecreto auxilio habent decoctum ex ſeminibus modicè contuſis paratum ad juvanda exanthemata in febribus peſtilentibus, quas peticulas noſtri appellant. Ad uſum quoq; vulnerum & ulcerum non parvum apud eos tota herba, præcipuè radices habent uſum. Aiunt radicem frigidam atque ſiccam eſſe, tenuiſſimarúmq; partium: Quamobrem non deſunt multi, qui ad movendum ſudorem ejus decocto familiariſſimè utuntur.

Locus. Abundantiſſimè in inſula Java creſcit non ſecus ac in Ægypto, Jac. Bontio autore, ubi & ſequens ſtellatum Veſlingii reperitur.

4. *Gramen ſtellatum Ægyptium* Veſlingii. *Dactylon Ægyptiacum* Park. *qui in deſcriptione præcedentis hujus meminit.*

Veſling.

Aſſurgit altitudine pedali, *culmo* rotundo, geniculorum aliquot internodiis diſtincto, circa quæ anguſta ſatis, & in acumen attenuata *folia* producit. Fulcitur *radice* firma, candicante, & ipſa geniculis aliquot nodoſa; ſubdulci quadam acrimonia guſtum perſtringit. Calami in quinas ſenáſque paniculas dirimuntur, longitudine diſpares, Iſchæmo gramine breviores quidem, ſed longè deniores: Averſa facie in longum excurrente validâ carinâ, & porrectis à latere ſtaminibus muniuntur, quibus ſquamatim compactilis ſpicea florum congeries, virore flaveſcente renidens, ſuperiùs inſtrata eſt. Congenera itaque hæc gramina ſunt. Nec mirum ullum in ſtellas aliquid abire poſſe quum crucem tulit.

Vires. Uſum item medicum eundem obtinent, quamvis calculis intra veſicam duratis frangendis vires pares non poſſideant. Qui lapidoſum aliàs veſicæ ſynagma citra ſectionem eduxerit, ut alibi Proſp. Alpinus ſcripſit in magna Ægyptiorum Memphi, quamvis curioſè inquiſiverim, neminem deprehendi. Hominem tamen religioſum à monte Sinai, calculos extra veſicam in urethra ſubſiſtentes, compreſsâ ſuppoſito digito veſicâ, & meatu urinario per immiſſum pennæ Anſerinæ tubulum validè inflato, eoſdem extrorſum propuliſſe, ab ægris ipſis acceptum ſatis & cognitum habeo.

Locus. Circa Heracleam oppidum ſive Roſſetum primùm conſpexit Veſlingius.

Gramen dactylon Africanum Park.

Præcedente paulo altiùs exurgit, paniculis tantillo longioribus & craſſioribus, granis ordinate diſpoſitis, cætera ſimile.

5. *Gramen* διϛαχυόφορον *Col. Gram. ſpicâ geminæ Millepedæ ſimili* C. B. *ſpicâ gemina Columnæ* Park.

Col.

Radice admodum tenui, æqualiter fibroſa, capillari, ex albo pallente nititur: ex qua plures culmi exeunt, ſupini, denſè geniculati, *foliis* gramineis parvis, in ſummo binas ſemper proferentes ſpicas, ex una parte dorſo per medium diſcurrente utrinque pinnatas, ex alia verò quatuor angulis per longum, & in medio canaliculus tribus aut quatuor foliaceis fructuum ordinibus emicantibus conſtructis, in quibus parvum *ſemen*, fulvum, anguloſum, minus anagallide ſingulis continetur. Spicæ verò è dorſi parte Millepedam ſeu Scolopendram ferè æmulari videtur.

Locus. Campeſtris eſt; διϛαχυοφόρον appellavimus, quia binas ſemper in culmine ſpicas ſpecioſas profert.

6. *Gramen dactylon latiore folio* C. B. *Graminis genus, Dens Caninus* 3. *ſive Gramen primum vel Galli crus* J. B. *Iſchæmon vulgare* Ger. *Iſch. ſylveſtre latiore folio* Park. **Cocks-foot-Graſs.**

J. B.

Culmos ex radice fibroſa plures promit, tribus quatuórve articulis nodoſos, ſubinde etiam ramoſos, ſubrubentes. *Folia* Triticeis breviora, latiora, hirſuta, culmos longiuſculâ vaginâ involvunt. *Juba* ſingulis inſidet culmis, palmum aut ſeſquipalmum longa, quatuor, quinque aut pluribus ſetis comata, quorum alteri parti ſecundum longitudinem è bifori gluma *floſculi* purpuraſcentes adnati, averſa parte nuda, ſulcata: *ſemen* iiſdem glumis concluſum, Panici granis longius.

Annua eſt planta, etiam hortis valdè odioſa Dens caninus ſylveſtris tertius, qui Julio apparere incipit. Ab hoc ſativum, quod privatim *gramen Mannæ* vocant, non niſi culturâ differre videtur, inquit J. Bauhinus. Quocirca ad hoc caput ſub uno & eodem titulo refert Gramen echinatum & aculeatum 3, ſive album capitulis aculeatis Italicum *C. B.* quàm rectè viderit ipſe. Gramen dactylon folio latiore *ejuſdem*, itémque Gramen dactylon eſculentum *ejuſdem C. B.*

Uſus. Cacumina pueri naribus inſerunt, extrahúntque, ut ſanguinem eliciant, & hinc ab effectu Hetruſci *Sanguinellum* vocant. In Germaniæ locis ſeri ac coli audio (inquit Matthiolus) non minore cura quàm cætera frugum & leguminum genera, ſiquidem ejus ſemine frequenter veſcuntur in cibis, quod in jure carnium pinguium decoctum non minorem cum palato ineat gratiam quàm Oryza, cui ego facilè præpoſuerim. In pila autem ipſum tundere oportet ut à ſuo reſiliat putamine.

A. 7. *Gramen digitatum hirſutum* J. B. *dactylon anguſtifolium ſpicis villoſis* C. B. *Iſchæmon ſylveſtre ſpicis villoſis* Park. **Hairy perennial Cocks-foot-graſs.**

J. B.

Perenni *radice* & firmâ nititur, ex qua culmos emittit cubitales & bicubitales, tenues, rubentibus geniculis nodoſos, frequentiùs ſingulares, aliàs ramoſos: *folia* tres quatuórve uncias longa, anguſta, & raris longis pilis hirſuta, ſubinde rubeſcentia, ſtatim à radice partim, partim ſed minora (exceptâ vaginâ) ex culmis oriuntur, paniculâ jubatâ, quatuor aut quinque ſpicis comata, Gramini Mannæ ſimilibus, minoribus, purpuraſcentibus, molli lanugine villoſis, ex glumarum mucrone ariſta molli ruffâ prominente. Floſculorum ſtaminula ſaturatiore purpurâ tinguntur.

In exteris regionibus frequens eſt locis ſiccis & ſqualidis. *Locus.*

Ab hoc non diverſum ſpecie eſſe ſuſpicamur Gramen Iſchæmi paniculis Gallicum *Lobelii*, cujus deſcriptionem ſubjiciemus.

Gramen dactylon ſcoparium C. B. *ſcoparium Iſchæmi paniculis* Park. *ſcoparium Iſchæmi paniculis Gallicum* Ger. emac.

Lob.

Figura ei graminea Iſchæmi vulgaris; gracilis *culmus*, rigidus, geniculatus, cubitalis, in quaternas, quinas, interdum ſenas & plures elegantiſſimas, lucidas ſpicatas caudicellas Iſchæmo gramini ſimiles, faſtigiatus: Foliis item non diſſimilibus, guſtu Graminis, dulcioribus.

Copioſè provenit in Galliæ ſabuloſis vicinis caſtri Inſulani locis vocitati (vulgò *Chaſteau de l'Iſle*) propè Aureliam. *Locus.*

Uſus. Ex hujus prælongis, prætenuibus rigidíſque cubitalibus & longioribus radicum cirris concinnantur ſcopulæ illæ vulgatiſſimæ, nitentis comæ conciliatrices, frictionibus capitis accommodatiſſimæ & uſitatiſſimæ. Cremæ in Lombardia Italiæ hujuſmodi ſcopulæ laudatiſſimæ fiunt. Gramen ex cujus radicibus ſcopulas faciunt ibidem *Capriolam* vocant, quo nomine in Hetruria Gramen Mannæ vocitari ſcribit Matthiolus. Fortè *Capriola* nomen commune eſt omnibus hujus generis Graminibus; vulgus enim non diſtinguit. Gramen autem quod nobis pro *Capriola* oſtenderunt non videbatur differre à Gramine digitato hirſuto: idem tamen prorſus eſſe non audemus fidenter aſſerere.

A. 8. *Gramen exile durius Norvegicum aut Danicum, Gramini ſcopario cognatum* J. B. *Gram foliolis junceis, radice jubata* C. B.

Lob. Adv. p. 2.

Saxorum interveniis, levi terra, ſterilis petrææ Norvegiæ, imíſque marcidis rimoſis caudicibus, ſylvarum Daniæ hoc gramen viget, denſiſſimo, ſparſóque rigidorum, junceorum, ſeſquiuncialis altitudinis, tenuiſſimorum foliorum ſtipatu, ſeſquipalmaribus, numeroſis, cirratis, geniculatis, ſtamineis *calamulis*, quorum ſumma folia latiuſcula vaginulæ inſtar ſpicatas, unciales paniculas claudunt aut amplectuntur. Jubata cincinnatáque dodrantalis *radix* buxei pallidi coloris, totâque prolixior plantâ, uti Graminis ſcoparii, cujus cognata videtur.

9. *Gramen dactylon aquaticum* C. B. *aquaticum geniculatum* Tabern. *digitatum, atro-purpureum* J. B. *geniculatum aquaticum* Ger. *geniculatum majus* Park.

Tab.

Radice eſt fibroſa, ex qua pluſculi naſcùntur teretes, geniculati, ſeſquipedales circiter calami, *foliis* ad articulos gramineis, brevibus, latis, acuminatis amicti, calamorum faſtigiis ſpicæ innaſcuntur longæ, tenues, digitalis Iſchæmi ſpicis ſimiles, breviores, atro-purpureæ Tabern.

Paſſim in lacuſtribus & paluſtribus naſcitur. Quòd ſi ità ſit, mirum alios Botanicos hactenus latere, qui quicquid de eo habent Tabernamontano debent. *Locus.*

Ab hoc non diverſum, aut ſaltem ei valde ſimile eſſe ſuſpicatur J. Bauhinus,

10. *Gramen paniceum ſpicis nigris* C. B. *Panici effigie Gramen* 3. Lob. *Graminis Dentis canini ſpica divulſa tenuiorem nigram ſpeciem* J. B. *Gr. paniceum* 3. Tab.

Deſcriptio (inquit) mihi convenire videtur, nec figura multùm diſcrepat. Culmis eſt tenuioribus [Gramine Dentis canis primo & ſecundo] geniculatis; foliis minoribus: ſpicis Iſchæmo vulgari ſimilibus, nigris; ſemine glumis exuto albo.

CAP. II.

De Gramine tremulo.

HUjus ſpicæ è quibus panicula componitur pulcherrimè, ſquamoſæ, è filamentis tenuibus dependent, ut vel leviſſimo flatu agitatæ tremiſcant.

1. *Gramen tremulum minus* J. B. *tremulum minus, paniculâ parva* C. B. Park.

J. B.

Ex *radice* rufeſcente & quaquaverſùm reptante *culmos* ſurrigit pedales plus minùs, graciles, vix uno vel altero diſtinctos articulis, *jubas* ſuſtinentes parvas è folio vaginaceo, ſuperna parte acuto, & jubam ipſam ſæpe ſuperante, media parte ſui prominentes, quæ ex ſquamulis delicatulis, rotundis, pallidis aut flaveſcentibus & ſplendentibus, ex brevibus pediculis pendulis, tremulis, ſed in unum tantùm latus plurimùm nutantibus conſtant. *Folia* cæterùm inferna graminea, pallidè virentia, anguſta, acuminata.

Locus. In pratis montoſis Baſilienſibus provenit; & vulgò *Pes leporinus* dicitur.

2. *Gramen tremulum minus paniculâ magnâ* C. B. J. B. *Gr. Amourettes alterum* Cluſ. cur. poſt. *tremulum minus alterum* Park.

In cacumine aliquando tres aut quatuor ramulos exiles fundit, ſeménque triangulum habet.

In luco Grammuntio frequens naſcitur, autore *P. Magnol*, quod minor figura Graminis tremuli majoris *C. B.* optimè repræſentat.

C. Bauhinus in Theat. Bot. ità deſcribit:

Hoc radice eſt minori [quàm proximè ſequens] *culmo* palmari, tenuiſſimo, uno alteróve geniculo diſtincto: *foliis* tribus vel quatuor anguſtiſſimis: in culmi faſtigio duo triáve filamenta, quorum ſingula paniculam ſquamatam ſuſtinent, ſquamis inferioribus atro-rubentibus, reliquis pallidis, quintuplo quàm præcedentis majoribus.

A. 3. *Gramen tremulum* J. B. *tremulum majus* C. B. *Phalaris pratenſis* Ger. *Gr. tremulum ſeu Phalaris media Anglica, prima an ſecunda* Park. **Quaking graſs, Cow-quakes, and in ſome places, Ladies hair.**

J. B.

Radix fibris tenuibus, non valdè numeroſis, obſcurè cinereis, aut fuſcis terram apprehendit: non multum ſe diffundit, ſed uno alteróve præter culmum germine emiſſo perennem plantam ſe eſſe prodit. *Culmus* autem tenuis, cubitalis, duobus plerunque geniculis interceptus. *Folia* magnâ ſui parte culmum ceu vaginâ complectuntur, reliquam ſurrigunt breviorem, rigidam: à ſummo culmo multi, tenuiſſimíque rubentes petioli glumas ſuſtinent rubeſcentes, è ſquamulis pulchro ordine digeſtis compactiles, leviſſimo attactu tremulos, minores quàm tremuli majoris, formâ conoide, compreſſâ. Folia quæ ad radicem modicè lata, & palmum interdum longa, plerunque tamen breviora.

Locus. Hoc genus in paſcuis per totam Angliam vulgatiſſimum eſt, nec aliud (quod ſciam) apud nos invenitur. Maio menſe paniculam explicat. In omnibus quas unquam luſtravit Cluſius regionibus prata multis locis veſtit.

In horto Medico Leydenſi habetur quoddam Gramen tremulum perenne n. d.

4. *Gramen tremulum maximum* J. B. C. B. *trem. maximum Hiſpanicum* Park. *Phalaris pratenſis altera* Ger. emac. **The greateſt quaking graſs.**

Radices ut in pleriſque graminibus fibroſæ, fibris albis. *Folia* quæ à radice exeunt, ſemunciam lata, palmum & dimidium, vel duos palmos longa, glabra, glauca, & plerunque intorta. *Culmi* cubitales aut ſeſquicubitales, non admodum tenues, quatuor vel quinque geniculis nodoſi, totidémque foliis eos aliquouſque obvolventibus amicti, in ſummo paniculam geſtant ſparſam, è pulcherrimis aliquot *ſpicis* ſquamoſis compreſſis, pendulis, è bino ſquamarum ordine compoſitis, dimidium digitum longis aut etiam longioribus, latitudine ſubdupla, contextam. Squamæ ad baſin ſpicarum ſpadicea, reliquæ à viridi albicant, ſaturatioribus lineis viridibus ſtriatæ, per ſiccitatem albicant aut rufeſcunt.

In hortis noſtris Vere ſatum non ante Auguſtum menſem paniculam ſuam explicuit. At quod Autumno exiit Vere floruit.

Locus. Prope Meſſanam Siciliæ in paſcuis ſpontaneum invenimus.

5. *Gramen paniculatum elegans* Ger. *Gramen amoris dictum* J. B. *Gr. paniculis elegantiſſimis, ſive Eragroſtis major* C. B. *Phalaris pratenſis major, ſive Gramen tremulum maximum* Park. **Love-graſs.**

J. B.

Fibræ numeroſæ, ſatis craſſæ in unum caput coeunt: è quo ſurgunt pedales *culmi*, graciles, lævibus veſtiti *foliis*, Calamorum faſtigia occupant *paniculæ* longè pulcherrimæ, albicantes, è ſpicis plurimis uncialibus circiter, culmi latitudine, compreſſis, gemino verſu ſquamularum contextis, ariſtâ omni pilóque carentibus, non tamen pendulis, quantum nos obſervare potuimus.

Primo nobis obviam ſuit Francofurti ad Mœnum, deinde paſſim per Germaniam, Italiam & Galliam Narbonenſem. *Locus.*

Hujus varietatem circa Florentiam & Monſpelium obſervavimus paniculis multò minoribus magíſque ſparſis. Gramen tremulum propriè dictum non eſt, nec enim ſpicæ filamentis tenuibus appenſæ lævi flatu agitantur, cùm potiùs erectæ ſint, & pediculis rigidis inſideant; Verùm ob ſpicas ſquamoſas elegantes non diſſimiles, ei non immerito ſubjungitur.

Cap. III.

De Arundine.

Arundo, Græcis Κάλαμος, ab *areo* dicta eſt, eo quòd citò areſcat, ut volunt Grammatici.
Arundo planta eſt inter culmiferas maxima, paniculâ lanuginosâ, aquoſis gaudens.
His adjungimus plantas nonnullas Indicas, à Botanicis Arundines dictas ob ſimilitudinem aliquam, quibus an notæ prædictæ conveniant neſcimus.

A. 1. *Arundo vallatoria* Lob. Ger. *vulgaris paluſtris* J. B. *vulgaris ſive phragmites Dioſcoridis, κάλαμος χαρακίας Theophraſti* C. B. *Harundo vulgaris ſive vallatoria* Park. **Common Reed.**

J. B.

Obliquè geniculatam agit *radicem*, novos ſubinde ſurculos oculóſque continuo auctu protrudens, ex quibus *culmi* ſurgunt, hominis altitudinem æquantes, aut altero tanto majores, minimo digito tenuiores, geniculati, inanes: ex quorum nodis ſingulis ferè culmum involventia *folia* exeunt, rigida & aſpera nonnihil, uncias duas lata circiter, cubito longiora, venoſa. Scapus ſummus in comatam, mollem, purpuraſcentem *jubam*, tandem villoſiorem, mollioremque, coloris cinericei redditam, nutabundam effunditur; quæ ventis ludibrium debens ſine ſeminis ſpe abripitur, glumis videlicet caſſis contexta. [Rectiùs C. Bauhinus ſemina non conſpicua dixit.]

Naſcitur in aquis reſedibus, veluti in foſſis, piſcinis circa fluminum laxiorum & lacuum ripas, ubivis regionum notiſſima. *Locus.*

In omnibus anno primo fiſtula latior, corpus gracilius, contra ſequentibus annis: nam increſcente corpore anguſtior fiſtula redditur. *C. B.*

Utilis eſt ad tuguriorum tecta, itémque ad valla & ſepimenta, unde & vallatoria dicitur. *Vſus.*

De Arundinis uſibus eleganter Marcellus, cujus idcirco * verba adferemus, Si Arundo juxta uſus bonorúmque ſuorum æſtimationem etiam maximis arboribus comparetur, nullibi quàm in ea natura liberalior fuiſſe videbitur: nec aliunde major illi meritò laus erit, quàm verò hoc fragili & inani frutice omnes ferè toto orbe gentes ad omnem fortunam & vitam inſtruxiſſe: quando una hæc ſacrificiis, epulis, theatris, funeribúſque tibias multiplices dederit: Una hæc ſubinde humanas voces pereuntes retinet, & ad alios conſilia & cogitationes noſtrás transfert: hæc una ad propulſandas injurias, & longè arcendos hoſtes militem etiam nunc in Oriente armat: & in ruſtico opere invenitur, in quo modò tuguria tegit, modò ſtoreis materiam præbet, modò vitem fulcit, modò hortum clauſum à pecore tuetur, & nè voluptati etiam deſit, aucupio per hyemem inſervit. Quæ omnes parentis omnium naturæ in frutice hoc non contemnendæ laudes ſunt. Rectè ergo Plinius, Arundines belli paciſque experimentis neceſſarias atque etiam deliciis gratas ſcripſit.

* *Lib. 1. in Dioſcor. cap. 99.*

Arundines etiam fiſſæ & folia earundem vinculorum quoque vicem ſubeunt. Utuntur & textores cannis, ex illis inſtrumenta fuſóſque conficientes pro filis glomerandis: & chirurgi oſſibus fractis colligandis adhibent.

Urinam menſéſque movere & iſchuriæ ſuccurrere radicis tam ſylveſtris quàm ſativi in vino vel aqua decoctum propinatum ſcribit Matthiolus. Ejuſdem in vino decoctum furfures aufert, ſi eo caput abluatur. Eryſipelati aliíſque inflammationibus (etiam teſtium) folia virentia tuſa & impoſita medentur. Æſtivo tempore hæc per febricitantis conclave refrigerandi gratiâ ſparguntur. Maculas ex variolis relictas ſuccus radicis cum ſero hircino & melle pari doſi delet. Sudores potenter movet medulla contuſa ſyncipiti & pedibus adpoſita ſiquis in lectum ſe componat & cooperiat. Spicula aculeóſque corpore extrahit radix contrita tum per ſe, tum cum bulbis impoſita. Quæ præterea habent Veteres de Arundinis viribus apud ipſos vide. *Vires.*

2. *Arundo ſativa ſeu Donax Dioſcoridis* C. B. *Harundo Donax* Park. *Ar. maxima & hortenſis* J. B. *Arundo Cypria.* Ger. **The great Spaniſh, or Cyprus Reed, or Cane.**

Radice nititur durâ, longâ, craſsâ, contortâ, nodosâ, geniculis multis, radicis Chinæ æmulâ, quâ tamen albior, latè huc & illuc ſubtus humum porrectâ, fibríſque auctâ, quæ quotannis nova germina protrudit, cujúſque teneri turiones cum grata dulcedine eſitari poſſint. *Calamis* eſt duris, firmis, vacuis, decem cubitorum, militaris haſtæ craſſitudine, & non raro etiam proceritate, denſis nodis diſtinctis, cortice ſquamoſo, qui facilè detrahitur, aſpero & flaveſcente veſtitis: circa quos *folia* longa, lata, craſſa, ſuperficie ob fibras copioſas aſpera, & circumferentiâ acuta, quæ membraneo cortice uſque ad medium internodium calamum veſtiunt. *Paniculam* ſeu jubam elegantem habet, denſam, Milii modo ſparſam, mollem, & lanoſa cæſarie nutantem, & purpuraſcentem, quæ hyeme ſine ullo ſeminum veſtigio in auras abit. [*In frigidioribus fortaſſe regionibus, aut loco incommodo ſata, Nam loco natali proprio, ubi ſponte oritur, quin ſemen producat & etiam perficiat minimè dubium eſt.*] Calami quotannis humo tenus ſecantur, ſed illico regerminat è radicum geniculis.

Locus. Hiſpanica dicitur quia ex Hiſpania ad nos primùm delata ſit. Seritur in Italia ad colos mulierum, & Vinearum ridicas: in Gallia ad ſepes. Noſtrates ejus calamis utuntur pro baculis &c. virgis piſcatoriis.

Uſus. Ex uſta hujus radice Arabes ſpodium parant, tametſi ut non neceſſario, ità non magno incommodo.

Arundinem Anglicam foliis in ſummitate diſſectis C. B. *multifidam* Park.

Pro primæ ſpeciei varietate & luſu naturæ habeo, non pro ſpecie diſtincta.

3. *Arundo ſcriptoria* J. B. Ger. *ſcriptoria atro-rubens* C. B. *Harundo minor ſive Elegia* Park.

C. B.

Radicibus & foliis eſt Donaci non abſimilibus: *calamis* concavis, craſſitie indicem digitum, vel potiùs calamum Cygni æquantibus, octo ſeu decem pedes altis, lævibus, ſplendentibus, præduris, colore foris atro-rubente, intus albo, geniculis diſtinctis, altero ab altero plus dodrante diſtantibus, quibus circuli albi faſciolis ſimiles circumjiciuntur; in aſſulas fiſſiles ubi rumpuntur.

Locus. Provenit (autore C. Bauhino) locis humidis & pinguibus in Provincia Galliæ; in Corcyra inſula & Græcia. Reperitur etiam, monente Amato, apud Hiſpanos & Italos, præcipuè apud Faventinos, circa eam vallem quam Ammonis appellant, quibus literati pro calamis characteribus pingendis, & adhuc hodie Arabes, Perſæ, Armeni, Græci & Turcæ (quibus pennæ Anſerinæ in uſu non ſunt) utuntur, unde & calami noſtri ex pennis Anſerinis aut Olorinis facti nomen obtinuerunt.

4. *Arundo farcta Rheni Bononienſis Plinii* Zanoni.

Zanoni.

Radicibus longè latèque ſub terra reptat, flavicantibus, calami ipſius craſſitie, foramine ſeu cavitate in medio admodum parvâ pertuſis, frequentioribus tamen nodis interceptis, (è quibus fibras demittunt tenues, longas, lignoſas, Hellebori albi ſimiles) dulcibus & ſucculentis. E prædictis nodis gemmas protrudit, figurâ conicas, è multis ſquamis compactiles, quæ exſurgente calamo in folia abeunt. *Calami* multi, teretes, graciles, lenti & plicatiles viminum modo (Propè terram, tamen, ubi magis farcti & pleni ſunt, facilè rumpuntur) crebris nodis diſtincti: è quorum unoquoque oriuntur *folia*, ab imo ad ſummum totum ſcapum contegentia, eleganter ſulcata, nervis ſubtilibus elevatis, quæ ea reddunt viſu pulchra, tactu aſpera; interiore parte glabra, colore argenteo ut aliarum Arundinum, multò tamen illis anguſtiora, duos circiter palmos longa. Calami iſti cavitatem intus habent anguſtam, ima parte ſtrictiorem, ſummâ ampliorem, ſúntque intus candidi, cortice, qui facilè à lignoſa parte abſcedit, tecti, qui poſtquam delibratur omnino viridis manet. Summi calami Menſe Auguſto in jubam ſeu paniculam terminatur ex multis parvis & plumoſis ſpicis compoſitam, dodrantalis longitudinis, coloris varii, h. e. viridis, albi & purpurei.

Locum titulus indicat.

5. *Arundo farcta vallium Ravennæ* Zanoni. *An Arundo farcta geniculata ſive ſagittalis* C. B.?

Zanoni.

E radicis capite magnum *foliorum* ceſpitem emittit, duas circiter ulnas [*braccie*] longorum, anguſtorum, ut vix duos digitos tranſverſos latitudine adæquent, nervo medium percurrente albo, inferiùs elevato, ſupernè ſulcato, reliquo folio lætè viridi. *Calami* in quatuor, quinque, imò ſex interdum aut plurium ulnarum altitudinem aſſurgunt, recti, teretes, ſolidi, & medullâ intus albâ, ſpongioſâ repleti, flexi aut complicati neque rumpuntur, neque finduntur: nodis prope terram ima parte crebrioribus, ſumma rarioribus & longiùs diſtantibus, ad dimidiam uſque ulnam: Ad quorum unumquemque *folium* ſcapum circundans, non tamen eouſque ut margines coeant aut uniantur, parte interna læve, nervoſum, viride, in cervinum poſtea colorem tranſiens: reliqua pars folii à ſcapo disjuncta, ubi nodo adjungitur lanuginem multam argenteam obtinet: Externa ejus facies aſpera eſt, notulis rubentibus punctata; nervo craſſo, infernè viridi, longitudinem ad apicem uſque percurrente. Sunt autem hujus folia longiora & anguſtiora multò quàm reliquarum Arundinum vulgarium. Summum calamum occupat *Juba* aliarum Arundinum ſimilis, plumis albis cum purpuraſcentibus mixtis, & in ſummitate, pro floribus apices flavicantes obtinens. *Radix* craſſiuſcula eſt, tuberoſa, cortice exteriore aſpero, tenui tecta, lignoſa, dura, è qua oriuntur multæ aliæ radiculæ craſſiuſculæ, longæ, undulatæ, fibellis ſubtiliſſimis capillatæ.

Locus. In ſylvis & vallibus Ravennenſibus invenit Jacobus Zanoni.

6. *Arundo farcta maxima atro-rubens* C. B. *Ar. naſtos ſive farcta, craſſa & major* J. B. *Arundo naſtos Cluſii* Ger.

C. B.

Calamo eſt recto, craſſo & robuſto, enodi, lævi, ſplendente, atrorubente & ſolido.

Ex India & Syria adfertur.

Uſus. Uſus ejus eſt pro ſcipionibus & baculis: quos Architriclini etiam in aulis Principum argento circundatis cibis præferunt.

7. *Arundo farcta geniculata ſive ſagittalis* C. B. *Ar. naſtos ſive farcta, toxica, figurata* J. B.

C. Bauhino prioris ſpecies eſt, culmis exilioribus & crebris geniculis cincta, aliàs ſimilis: ex quibus Scythæ, Aſiatici & Syrii tela conficiunt, aliqui & pro Scipione utuntur.

Hoc genus in Italia, etiam in Rheno Bononienſi provenire autor eſt Plinius: ibidem & Amatus obſervavit. Cæterùm ſi hæc præcedentis ſpecies ſeu varietas eſt, ab Arundine Rheni Bononienſis ſuperiùs è Zanoni hiſtoria deſcripta, toto genere differt: quamvis utraq; eidem uſui inſervire potuit.

Arundinis farctæ, toxicæ, figuratæ bacillus quem vidit J. Bauhinus enodis erat, craſſitudine vitis ſurculi mediocris, ſerratis impreſſionibus eleganter donatus, quæ ſerræ eminentiores reliqua parte, ſaturatiores ac ferè ſpadiceæ, læves, ſuperficie tenus lucentes: reliqua pars pallidior eſt; tota quoq; zonulis nigris denſo ordine poſitis cincta eſt. Lignoſa alioqui ejus eſt ſubſtantia, circa medullia ſecundùm longitudinem poroſâ. Odorem nullum in ſicco & evanido fruſto deprehendimus.

Quæ Rauwolfius habet de quartâ ſpecie Arundinum vide apud * C. Bauhinum.

* In Theat. Botan.

8. *Arundo farcta flava* C. B. *Ar. naſtos ſeu farcta, ſeu toxica, gracilis & plicatilis* J. B. *Arundo farcta* Ger.

C. B.

Culmis eſt lævibus, ſplendentibus, flavis, medullâ farctis, qui ſi parvi & graciles ſint, flecti & plicari poſſunt.

Adde è Lobelio, rectis, lignoſis, duris, farctis, craſſitudine calami aromatici, aut Arundinis ſcriptoriæ, [imò multo craſſiores vidimus] genicula duodenis, terdenis & quaterdenis pollicibus invicem diſtant. Superficies ſquamata ſerpentium dorſum æmulatur. Nec odorem, nec ſaporem habet ullum.

Quid Lobelius intelligat per ſquamatam ſuperficiem neſcimus: necdum vidimus ejuſmodi cannas. Rectiùs Rauwolfius Cannas Indicas apud nos frequentiſſimas deſcribit. Arundo (inquit) à mercatoribus ex India affertur, valdè longa, flexilis, intus farcta, foris lævis & flaveſcens, ejuſdem per totum pæne craſſitiei, paucis geniculis, longè diſtantibus & vix conſpicuis, cujus duæ potiſſimùm ſpecies, major & minor. Ex majoribus robuſtiores in ſenum & imbecillium fulcra cedunt: minoribus, quæ tamen aliis formâ planè ſimiles pro telis utuntur, quæ Turcæ Serico variorum colorum involvunt.

Ex India Orientali defertur. *Locus.*

Minoris ſpeciei nunc dierum frequens uſus eſt ad cathedrarum ſedes texendas. *Uſus.*

9. *Arundo Indica verſicolor flexilis* C. B. J. B.

C. B.

Gracilius eſt & ſuccinctius Arundine Indica verſicolore ſimpliciter dicta ſeu ſequente, ad modum viminis flexile, ex quo calathi & alia multa pulcherrima conficiuntur.

In Bengala reperitur, ubi *Rota* vocant. *Locus.*

10. *Arundo Indica verſicolor* J. B. C. B. Park.

C. B.

Hæc Arundinibus Hiſpanicis craſſitie ſimiles, paulò tamen tenuior, medullâ plena, foris punctis verſicoloribus notata, haud ſecus ac ſi arte ità picta foret, quæ adhuc viridis ad ſtanni modum aut Salicis inſtar lentè inflecti poteſt.

In regno Bengalæ creſcit, & vetulis pro ſcipione inſervit.

11. *Arundo repens vel Chamæcalamus* C. B. *Arundo humilis, rara ac inuſitata* J. B. *Harundo ramoſa ſive epigeios Lugdunenſis* Park.

Lugd.

Calamus eſt, autore Lugdunenſi, humi ſparſus Graminis modo, cortice fulvo contectus, lineis ſquamatim cingentibus diſtinctus, cauliculos alios multos utrinque producens, denſa congerie ſtipatos, ſimili cortice, ſimiliterq; ſquamoſo virgatos, qui rurſum & alios gignunt, prominentium veluti nodorum, aut oculorum modo exertos, plures ſuperiore parte, quâ terram non attingit, pauciores inferiore quâ terræ inſternitur, aſpectu pulcherrima denſiſſima illa tenuium cauliculorum, ſurculórumq; congerie, cum cæteræ arundines folia tantùm hinc indè mittant, nullos autem præterea vel ſurculos, vel calamos: folium noſtræ Arundini ſimile à nodis exoritur, ſed numeroſius magiſq; multiplex, & plures complexu involucrorum per ambitum tunicas inducit.

Hæc Arundo pumila in ſaccis magnis Coſto Arabico & Zingibere plenis aliquando reperta eſt.

12. *Arundo Indica punicea mollis* C. B. J. B.

C. B.

Arundo, vel Scirpi potiùs genus, punicei coloris & mollis, quam parumper contortam arcui pro nervo adaptant, in regno Congiano & in regno Bengalæ ad Gangem fluvium naſcitur.

13. *Arundo Indica fluitans* C. B. J. B.

C. B.

Arundineta fluitantia ſive *Trombas* in *Bali* inſula Linſchottus obſervavit: & figura ab eodem exhibetur, ut videre eſt in Ind. Orient. hiſtoria lib. 12. cap. 8.

14. *Arundo Indica volubilis* C. B. J. B.

Arundinis Indicæ admodum mirabile genus, variè ſe circum arbores vinciens & contorquens in inſula Sumatra reperitur, centum, ducentûm imò trecentûm & plurium orgyiarum longitudine, ità ut ejus origo ac finis vix deprehendi poſſit; quod circulis vaſariis conficiendis valdè accommodum eſt.

Hæc ad Cluſii curas poſteriores addita ſunt.

15. *Arundo Saccharina* J. B. Ger. *Arundo Saccharifera* C. B. *Harundo Saccharifera* Park. **The Sugar-cane.**

Medius inter Miliaceas atque Arundinaceas plantas videtur Saccharatus calamus. In quinque, ſex, ſeptemve pedum altitudinem aſſurgit ordinariè, exceptis foliis (quamvis viderim decem pedes longam, & ſex ſupra quinquaginta juncturis conſtantem *Marg.*) craſſitie quatuor digitorum utplurimum; multas habet juncturas ſeu nodos, quorum quilibet circiter quatuor digitorum interſtitio diſtat ab altero: & quo magis diſtant nodi, ſeu internodia longiora ſunt, eo melior judicatur Arundo. *Folia* ſuperiùs multa gerit, longa, acuminata [bicubitalia ac interdum longiora, ſurſum erecta, Arundinis ſativæ anguſtiora, paluſtri Typhæ tam figurâ, quàm poſitu ſimilia, ſcabra & ſecundùm longitudinem ſtriata, ſtolones amplectentia *C. B.*] Paniculam producit, poſtquam longo tempore ſtetit, aliquo modo Melicæ ſimilem [Marggravio inſtar *Vubæ*, i. e. Arundinis ſagittariæ] Color Arundinis ex viridi vergit ad flavedinem: ad nodos ex una parte albeſcit, ex altera flaveſcit, quaſi duo annuli, alter flavus, alter albus circundarent nodum, qui ipſe elevatus eſt, & caneſcit vel nigreſcit. Medulla Arundinis ſolida, ſucculenta, dulcis, alba. *Radix* craſſa, geniculata, obliqua, & per tranſverſum ſe propagans, ad Donacis radicem accedens, ſed dulcior, ſucculentior, minuſq; lignoſa.

Locus. Arundo Saccharina ſponte oritur in utraq; India, tam Orientali quàm Occidentali. Seritur etiam alibi multis in locis, ut in inſulis Canariis, Luſitania, Hiſpania, Sicilia, Creta, Cypro.

Solum amat pingue & humidum: cujuſmodi obtinent plani campi ad fluviorum majorum ripas, qui hyeme inundantur.

Optimum tempus plantandi [in Braſilia] eſt menſe Januario vel Auguſto, aut circiter. Plantatur autem hoc modo, In terra elaborata ſulci fiunt paralleli operâ ligonis; in hos ſulcos ordine recto ponuntur Arundines, ità ut initium ſequentis attingat finem antecedentis; hoc facto taleæ hæ inhumantur. Ad ſingula internodia germina ſua protrudit hæc canna plantata, ità ut quodvis internodium det novam Arundinem.

Poſtquam ſic progerminaverit Arundo, ſingulis tribus vel quatuor menſibus, pro ratione ſoli, ab herba luxuriante purganda eſt, nè illa plus incrementi capiat quàm canna ipſa; iſq; labor tandiu repetendus donec Arundo in aliquam magnitudinem adoleverit.

Spatio octo, decem vel duodecim menſium à plantatione Arundo hæc juſtam adquirit magnitudinem, pro ratione ſoli, ita ut tunc apta ſit ad ſaccharum ex illa conficiendum.

Sacchari conficiendi modum Piſo ſic deſcribit.

Sacchari conficiendi modus. Cannæ maturæ factæ circa fundum, ac in ipſo geniculo abſcinduntur, quòd in eo aqueus quidam humor contineatur. Mox amputatæ, frondibúſque quibus maximam partem veſtiuntur reſectis, in faſciculos coguntur, & currui imponuntur.

Molendina tribus graviſſimis axibus, [erectis] ex ſolidiſſimo ligno confectis, circulíſq; ferreis obductis nituntur; inter quos arundo continenter inſerta, & Axium ſe contingentium anguſtiâ compreſſa, liquorem fundit dulciſſimum. Molæ vel aquâ, vel jumentis verſantur. Illæ aquæ longiſſimo canale deductæ, lapſu impetuoſo ex alto in ſupernos eximiæ magnitudinis lintres decidentis vi circumaguntur, hæ boum aut equorum operâ, quorum contentione exactiùs & fideliùs Canna exprimitur.

Cæterùm liquor hic, qui in Saccharum ipſum poſtea abit, ad 24 duntaxat horas durat, móxq; aceſcit, & ad conficiendum Saccharum prorſus fit inidoneus, ſed ſi diutiùs ſervetur bonum inde naſcitur acetum.

Axes aſſeréſq; per quos ſuccus fluit, tum & alveus per quem decidit bis ſpatio 24 horarum, vel una Tareſſa (Tareſſa eſt ſpatium terræ cujus quadra viginti circiter eſt paſſuum, & tot cannas profert quot per diem naturalem meti poſſunt) lavari debent.

Canna primò à tergo axium excepta vicino denuo immittitur, ut ſiquid ſucci in ea ſit reliquum penitus exprimatur, tunc *Bagaſſo* vocatum, quod tanquam inutile excrementum igne abſumitur.

Succus, quem *Caldo* vocant Hiſpani, per canales & ductus ligneos in ampliſſimos æreos cacabos derivatur, in quibus continenter, nunc vehementiùs, nunc leniùs, toto quo molæ agitantur tempore ferveſcit, frigidæque aſperſione intenſior ebullitio coercetur, ut ſubſtantia minùs conſumatur. Ab hoc ſucco in primo aheno conſiſtente, modicóque ſubſtructo igne, paulò fæculentior & copioſior ſpuma aufertur, vocaturq; *Cagaſſa*, quæ ſolis pecoribus eſcam potúmq; ſuppeditat.

Sublatâ *Cagaſſa* liquor ſeu *Caldo* in proximum ahenum, *Caldera de mellar* Luſitanis, effunditur, in quo coquitur & prægrandi cochleari, crebris foraminibus pertuſo à ſordibus liberatur. Ut exquiſitiùs immundities ſecernatur, forte quoddam lixivium affunditur. Hinc per linteum percolatur, ac tandem ſuccus eo pacto noviſſimum excrementum, ſiquod habet, deponit. Hæ fæces mancipiis victum ſufficiunt. Vinum quoq; exinde, vulgò *Garapa* dictum, conficiunt, intermiſcendo aquam, quod avidiſſime appetunt incolæ. *Rum* aliqui vocant.

orro minores qui ſubſequuntur Cacabi, *Tachas* appellant, alii ſunt ad concutiendum, alii ad endum parati: in quibus ſuccus jam dictus tantiſper condenſatur, donec Serapii, & mox hari conſiſtentiam acquirat. Adhæc vehementi & aſſiduo labore, primùm in majoribus, tum oribus ahenis inter coquendum capaciſſimis cochlearibus agitatur quatiturq;, & ad altitudinem ti plus minus pedum attollitur, unde rurſus in vaſa prolabatur.

cacabis minoribus ob ignem intenſiſſimum vehementioris ebullitionis habenda eſt ratio, ſta- q; temporibus olei modicum guttatim inſtillatur, nè ignis vehementiâ Saccharum aliquid detri- ti capiat.

bſervatu dignum eſt, Si oleum majoribus inderetur ahenis, in quibus liquor, primo *Caldo* di- , purificatur, Saccharo conficiendo planè foret ineptus. Viciſſim ſi minoribus lixivium ſicut oribus infundatur, æquè impoſſibile Saccharum conficere. Si deniq; momentum ſucci Limo- vel acidi quid injiciatur, Sacchari conſiſtentiam nunquam acquiret.

ormæ porro fictiles innumeræ, quando ſuccum fluidum acceperunt, ordine aſſeribus perfora- amplisſimis ædibus (*Caſa do purgar* vulgo) imponuntur, mox ſuperimpoſita luto humefacto, vaſa à melle, quod ſubfuſco antea colore Saccharum tingebat, repurgantur. E formis excuſ- candidum à nigricante, *Maſcovado* dicto, ſeparatur, & in fruſta redactum Soli ſereno exponi- probéq; exſiccatur donec ciſtis recondatur.

arggravius Sacchari conficiendi methodum & proceſſum fuſiùs quidem ſed & confuſiùs de- t, quem ſi placet conſule, ut & Franc. Hernandez qui non minùs confuſus eſt. Videatur *D. Hugeſii* Angli tractatus Anglicè conſcriptus *Medicus Americanus* dictus, & *D. Ligoni* Hiſto- ſulæ *Barbado's* dictæ.

um, quo utuntur in Anglia ad Mel Saccharinum *Melaſſos* dictum præcipitandum, vel idem eſt ei quo ad fiſtulas Nicotianæ fumo hauriendo deſtinatas conficiendas utuntur, vel ſimillimum. Lutum aquâ temperatum Saccharo in formas infuſo ſuperimponitur operculi modo. Aqua è luto defluens & per maſſam tranſiens Saccharum in granula cogit & condenſat, mel unà ſecum devehens eluit & expurgat, ut in Saccharo coquendo & purgando exercitati quidam opinantur. Recténe hi an ſecus ſentiant mihi non conſtat: illud autem experientiâ certum affirmat Marggravius, nec aquam ſolam, nec limum ſeu lutum ſolum Saccharum purgare, ſed utramque junctam: nam ſeorſim quælibet materia illud corrumperet. Cæterum Lutum ad Saccharum dealbandum utile eſſe Gallinarum indicio compertum aiunt, quæ cùm lutoſis pedibus fortè Saccharum calcâſſent, & argillâ infeciſſent, deprehenſum fuit partes illas lætiùs candicare quas contigerat argilla.

Vires & Uſus.

Sacchari facultates & uſus in cibo & medicina, quin & præparationum modi adeo numeroſi ſunt ut ſingulos recenſere & accuratiùs expendere vel juſtum volumen requireret. Sic breviter C. Bauhinus,

Uſus ejus ad condimenta, obſonia, & alimentorum ſapores edulcorandos, ingratos, etiam inſipidos ſuaviores reddendos; imò nullum nunc epulum magnificum, vix quotidianus victus, ſine Saccharo placet. Acria ſiquidem lenit, acida retundit, auſtera palato gratiora efficit, & ſaporibus omnibus majorem gratiam conciliat. Equidem cum aliis cibis moderatè ſumptum ſatis laudabile alimentum ſubminiſtrat: colorem floridum reddit, urinam provocat, & alvum movet & ſua dulcedine ac lentore præſtat: in nonnullis concoctionem promovet, ſi poſt largiùs aſſumptum cibum parum ejus in fine comedant: ſed ſi largiùs ſumatur, capitis dolorem excitat, quia difficulter, & quidem melle difficiliùs concoquitur. Verùm & piſtores & coqui in frequentiſſimo uſu habent: placentas inde & maſſas panis (ut vocant) effingunt ac torrent: omnis generis animalia & aves & piſces & quadrupedes ex eo ſcitè efformant, vel integra, vel eorum partes, ità coloribus fucantes, ut vera eſſe videantur: ſic & fructus omnis generis, naturalibus ſimiles & formâ & colore concinnant: in ſummo Saccharum non aliter quàm farinam in omnem formam componunt.

Sic & Aromatarii ipſa aromata ut Cinnamomum, fructus ſeu nucleos Pineos, Amygdalas, Avel- nas, Piſtacia; ſeminum varia genera, Coriandrum, Aniſum, Fœniculum, Carum, Papaver al- m, illo, modò corticis craſſitudine, modò cutis tenuitate, contegunt & includunt.

Quin & innumera bellaria, dulciaria, ſcitamenta ad menſas ſecundas inſtruendas ex omne genus uctibus cum Saccharo conditis liquidâ & ſiccâ formâ parari ſolent.

Nec minùs frequens eſt Sacchari uſus in Officinis, ad Syruporum, Conſervarum, Conditorum, Electuariorum, Tabellarum & aliorum confectionem.

Eſt autem Sacchari in medicamentis componendis ut & Mellis triplex uſus, 1. ſiccitate & lentore o conſervare; imò Saccharum Salis quoddam genus eſt, unde à nonnullis Sal Indicus dicitur, eodémque modo quo Sal corpora conſervat: 2. ſiccitate eadem abſtergere: 3. ſapore dulci condire: & hoc cùm ſuavius ſit melle, condimenti gratia ſæpe additur: nonnunquam quibuſdam medicamentis præter Saccharum, & Mel, ut magis abſtergat, admiſcetur.

Notandum, rectè à multis fieri dum Saccharum melli in medicamentis quæ mulieribus exhibentur, ſubſtituunt; ſiquidem mel utero valdè inimicum eſt.

Tandem è Saccharo cum aqua fontana, cum pulpa variorum fructuum, Prunorum, Ceraſorum, Citriorum, Groſſularum, Ribium, &c. varia potuum genera parantur, quibus enumerandis & deſcribendis immorari operæ pretium non ducimus.

Antiquiores medici qui ſuperiore ſeculo vixerunt unanimi fere conſenſu Saccharum ad pectoris & pulmoum vitia, raucedinem, tuſſim, gutturis aſperitatem, lateris & thoracis ulcera commendant. Cæterum apud nos in Anglia non ità pridem in crimen adduci, & magnâ infamiâ laborare cœpit, medicis tum * noſtratibus, tum extraneis Scorbuti & Tabis popularium morborum præter ſolitum graſſantium nuperas furias, immoderato in cibis & potu Sacchari uſui imputantibus. Et nè quis hu- midiori potiùs aëris conſtitutioni eas peſtes deberi ſuſpicetur; in Luſitania (aiunt) regione calida

* Williſius & Simon Paulli.

ob eandem rationem, Tabes epidemica facta eſt. Luſitani enim plus Sacchari conſumunt quàm quævis alia gens præter Anglos.

De Scorbuto autem iidem antiquiores quos diximus medici cum recentioribus conſentiunt, eum à Sacchari nimio uſu produci, cùm dentibus valdè nocuum, nec eos nigros duntaxat reddere, ſed & putreſcere & vacillare & excidere facere Saccharum ſcribant, quæ certa Scorbuti ſigna & ſymptomata ſunt. Saccharum enim ſalem acidum & maximè corroſivum continere ex deſtillatione patet. Scorbutus autem Sali fixo in ſanguine redundanti debetur, proinde iis quæ Sale volatili abundant ſanatur.

16. *Arundo graminea aculeata* Alpin. exot. Park.

In Creta inſula, locis præſertim humidis, naſcitur, ſupra terram ſerpens, miræ longitudinis, [plus quinque cubitis] multis *ramis* calamos æmulantibus, ab una radice exeuntibus, digiti craſſitie, rotundis, arundinaceis, geniculatis, inter quos medius, cæteris tanquam *caudex*, craſſior eſt & longior, qui hinc indè utrinque longis intervallis à ſingulis geniculis *caules* producit longos, graciles, geniculatos, quorum majores ex una parte à ſingulis trinis geniculis cauliculos parvos, graciles, quatuor numero, vel etiam ad ſummum ſex, itidem promunt, qui à ſingulis geniculis *folia* utrinque emittunt, inferiùs lata (quâ latitudine undique calamum à geniculo ad geniculum veſtiendo occulunt) & ſuperiùs gracilia, parva, graminea, dura, ſpinarum modo in duros aculeos deſinentia; ex quo hæc planta tota aculeis multis inſtar ſpinarum horret. Caules etiam alii omnes à radice proſilientes eodem modo & ſurculos producunt, & ad folia ſe habent. Planta ſterilis ex toto eſt, neque florem, neque fructum, neque ſemina producens. *Hoc mihi vix perſuaſerit Alpinus.* Nititur brevi radice, digiti pollicis craſſitie, à qua pauculæ radiculæ, itidem breves, fibroſæ, exeunt.

Calamis duris ad Arundinaceam potiùs ſubſtantiam quàm ad Gramineam accedit hæc planta: foliis è contra magis ad Gramen quàm ad Arundinem.

CAP. IV.

De Gramine paniculato arundinaceo aliiſque aquaticis.

A. 1. *Gramen harundinaceum aquaticum* Park. *aquaticum majus* Ger. emac. *paniculatum aquaticum latifolium* C. B. *Item Gr. paluſtre paniculatum altiſſimum* ejuſdem. *majus aquaticum Lobelii* J. B. **Great water Reed-graſs.**

Lob.

INter gramina vulgaris notitiæ eſt iſtud (inquit Lobelius) copioſéque reperitur ad aquas & rivos in Gallia, Anglia, Germania, Italia & Belgio, potiſſimùm verò in Batavia, ubi etiam ſecatur optimo pabulo vaccarum. *Folia* habet pollicem lata, ſeſquicubitum aut cubitos duos longa: culmis quatuor aut quinque pedum altitudine eſt: *panicula* miliacea: *radix* fibroſa. Ex inferioribus culmi geniculis intra aquas fibras frequentes emittere animadvertimus.

Locus. Verè ſcribit Lobelius, in Anglia copioſè reperiri ad aquas & rivos.

Huic idem eſſe ſuſpicatur J. Bauhinus Gramen aquaticum harundinaceum paniculatum *Tab.* i. e. Gramen paluſtre paniculatum altiſſimum *C. B.* cum quo & nos ſentimus.

2. *Gramen arundinaceum ramoſum, plumoſum album* C. Bauhini *J. B.*

J. B.

Radice & *foliis* eſt arundinaceis, & in arundinis altitudinem excreſcit: *caule* anguloſo, albo *paniculam* arundinaceam, ramoſam, palmarem, albam, mollem, ſplendentem inſtar Serici albi ſuſtinet.

Locus. Non longè Monſpelio circa *Perault* & Magalonam reperitur (inquit C. Bauhinus) ubi & nos quoque illud obſervavimus.

A. 3. *Gramen arundinaceum acerosâ glumâ noſtras* Park. **Great Reed-graſs, with chaffy heads.**

Radicibus geniculatis, è geniculis fibras albas, innumeris fibrillis capillatas emittentibus, in limo reptat & ſe propagat. *Culmis* exſurgit Arundinaceis, humanam altitudinem non raro ſuperantibus, crebris geniculis, [ſex ſeptémve] interceptis, ad quos *folia*, poſtquam à culmo, quem ima ſui parte involvunt, receſſerint unciam aut ſeſcunciam lata, dodrantem longa, glauca, ſupina parte glabra & plana, pronâ ſi deorſum digitos ducas aſperitatem aliquam ſenties, ſummâ Arundineorum planè æmula. Faſtigium occupat *Spica* ſeu potiùs panicula non multùm ſparſa, plerunque purpuraſcens, interdum albicans, ſeſquipalmaris aut longior, glumis aceroſis Graminis aſperi ferè ſimilibus conſtans.

Locus. Ad fluviorum ripas nullibi non obvium eſt, foſſis paluſtribus frequens.

4. *Gramen arundinaceum Calamogroſtis dictum, ſpica multiplici* C. B. *Gramen Calamogroſtis Lobelii* J. B. *Calamogroſtis ſive gramen harundinaceum majus* Park. *harundinaceum paniculatum* Ger. **Reed-graſs, with a manifold ſpike.**

Lob.

abylonio apprimè reſpondet, ac quàm caninum Gramen altero tanto majus eſt, *calamis* & rigidioribus, ſcabris, quibus ad harundinem vallatoriam non parùm accedit; *radice* geniculata, promiſſiore & longo reptatu vagatâ, compreſſiore tamen & craſſiore, Canario gramini ſimili, vallatoriam æquante: ſpicata Panici aut Sorghi comoſâ lanugine.

con Lobelii (ut rectè J. Bauhinus) non reſpondet deſcriptioni: at optimè plantæ à nobis obſer- *Locus.* e, in arenoſis maris litoribus, circa Magallonam, non longe à Monſpelio copioſè naſcenti.

Pabulo haud cedit (inquit Lobelius) niſi multùm eſuriant, & penuriâ melioris admodum labo- *Vires.* veterina, nec eo greges veſcuntur, quippe quibus non modò ingratiſſimum, verùm etiam ma- n, ſitim & tabem conciliare creditur, linguam & œſophagum vulnerare & arctare, ſanguinem ventriculum elicere unde tumefactio & inflammatio & mors plerunque ſubſequitur. Quòd Babylone fuit natum, ubi id maleficium adferre proditur, ſiccius & rigidius, grex verò imbecil- & alvo duriore, minùs mirum illius eſu jumenta illic enectum iri.

C. Bauhinus huc refert Gramen harundinaceum majus *Tab. Ger.* J. Bauhinus fatetur deſcripti- s ambas convenire, quamvis figuræ ſint diverſæ, Lobelii autem icon non reſpondet deſcriptioni, modò diximus.

Gramen Arundinaceum ſpicatum *C. B.* harundin. minus *Tab. Ger.* non aliter à præcedente dif- *Gr. Arundinaceum minus.* fert quàm quod per omnia minus ſit & ſpica ſimplici oblonga.

5. *Gramen harundinaceum enode* J. B. *arundinaceum enode majus montanum* C. B. *Scirpi primum genus* Trag. *Calamagroſtis montana enodis, ſive Scirpus primus Tragi* Park.

J. B.

Inter *folia* bicubitalia, ſemunciâ anguſtiora, rigida, ex *radice* fibris validis craſsiſque, fundata *culmus* ſurgit teres, homine procerior, cavus, enodis, nudus: In faſtigio ſummo *paniculæ* palmo longiores, in tenues *ſpicas* deſinentes, rubentes à ſe invicem interdum longè diſſitas.

Copioſè provenit propè pagum *Colombier ſavoureux* & in ſylvis inter *Lure* & *Laumont*: item *Locus.* in monte propè *Krentzach* & *Leurach*, ac in monte Salevæ, in dumetis & humidis. *J. B.* In altiſſimis aſperis & humectis ſylvis, necnon ſub Juniperorum fruticibus apud Mediomatrices naſcitur.

Trag.

Junio menſe caules emittit, qui Auguſto flacceſcere incipiunt, ac firmi planè & rugoſi evadunt. *Tempus.* Quâ de cauſa à ruſticis mulierculis leguntur, quibus caſeos recentes & præhumidos in aere ſiccandos imponunt: ſed & ex iis naſſæ piſcatorum conficiuntur.

6. *Gramen harundinaceum enode minus* J. B. *arundinaceum enode minus Sylvaticum* C. B. *Calamagroſtis montana enodis ſive Scirpi alterum genus Tragi* Park.

Multo tenuius, brevius & magis exiguum eſt præcedente. Thalio Junci Lychnanthemi ſpecies media, Juncus λυχνάνθεμος tenuis major dicenda, ſtylos continens multo tenuiores teretéſque, ſed non ita perpendiculari rectitudine ſe ſuſtollentes, palmo longiores, brevem & vix uncialem ſpadicei coloris ſpicam exhibentes. Broccenbergo familiaris eſt.

Ex hoc nonnulli pileos quibus æſtate adverſus Solis radios & calorem utuntur, conficere ſolent. *Uſus.*

A. 7. *Gramen aquaticum cum longiſſima panicula* J. B. *fluviatile* Ger. emac. Park. *aquaticum fluitans multiplici ſpica* C. B. **Flote-graſs.**

J. B.

Calami craſſiuſculi, bicubitales, fibris è geniculis demiſſis radicantur, crebris geniculis nodoſi, & ad nodos foliis amicti latiuſculis, dodrantalibus & longioribus, mollibus, vaginâ longâ calamum complexis; à medio verò ſummo tenus gracileſcunt culmi, paniculam cubitalem & minores numeroſas proferentes, quarum ſingulares unciam aut ſeſcunciam æquant graciles, alterno glumarum non ariſtatarum ſitu contextæ: ſingulæ glumæ circa margines cinereæ ſunt aut potiùs argenteæ, ut ſpicæ verſicolores ex viridi & incano colore appareant. Radix plurimis fibris albis conſtat.

Ubique in rivulis & foſſis aquoſis cernitur. *Locus.*

A. 8. *Gramen paniculatum aquaticum minus. Gr. Miliaceum fluitans ſuavis ſaporis* D. Merret. **The leſſer Water-graſs, with fine panicles.** *An Gramen caninum ſupinum paniculatum dulce* C. B. J. B?

C. Bauhinus ſic deſcribit, Ex *radice* oblonga, capillata & nigra, *folia* pauca, lævia, viridia, anguſta, unciarum trium vel quatuor longa, prodeunt: inter quæ *calamus* tenuis, internodiis diſtinctus, foliis paucis, oblongis cinctus, parte inferiore ſupinus, mox palmum longus, erigitur, & paniculam tenuem, albam, glumis exiguis donatam ſuſtinet.

Agris Londinenſibus udis gaudet, unde Lobelius ad C. Bauhinum Graminis dulcis nomine miſit. *Locus.*

9. *Gramen ſtriatum* Ger. Park. *ſtriis pictum* J. B. *paniculatum folio variegato* C. B. **Striped graſs, Ladies ribband.**

In hortos ut deduceretur fecit foliorum grata varietas, quæ Arundinaceis minora, rigore tamen non cedentia, ſtriis albis & è viridi glaucis alternatim virgata ſunt. *Paniculas* ſummo culmo ſuſtinet palmares, candicantes, aceroſas, mediocriter divulſas. Pro radice fibris nititur. In foliis hujuſc plantæ triplex interdum color cernitur, albus, viridis & purpureus.

10. *Gramen Arundinaceum maritimum acutiſſimum* C. B.

Hoc radice eſt fibris capillata, *caule* cubitali, Arundinis modo viridi, geniculato & ſtriato: *foli* alternatim ut in Arundine prodeuntibus, uncias quinque ſuperantibus, arundineis, in aculeatum & atrociter pungentem apicem finientibus: Caulem non vidimus.

Locus. In maritimis Monſpelii provenit.

11. *Calamogroſtis altera Norwegica* Park.

Præcedentis [Graminis Arundinacei majoris] magnitudinem non aſſequitur, durius tamen & aſperius eſt tum culmo, tum foliis. Juba in ſummo amplior eſt magiſque ſparſa, tactu etiam aſpe rior. Radix ſimiliter plurimis oblongis fibris ſeu filamentis conſtat.

12. *Calamogroſtis noſtras ſylvæ S. Joannis* Park.

Caule & foliis Gramen tomentoſum nonnihil refert: *culmi* tamen duobus tribúſve articulis inte cepti ſunt, duos tréſve cubitos alti; *foliis* anguſtioribus, acutioribus, duos propemodum cubitos longi & nonnihil etiam ſtriatis. *Panicula* pedem aut amplius longa, in multas oblongas ſpicas diviſa, rici inſtar molles, & purpureo obſoleto colore ſplendentes. *Radix* alba, fibris craſſis, ſub terra inte dum reptans.

13. *Calamogroſtis toroſâ panicula* Park.

Folia emittit longa, anguſta, præcedentibus nonnihil leniora & tactu molliora, quæ tamen jumen non attingunt. Panicula rotundior, toroſior brevioribus & denſioribus magíſve compactis & co ſtipatis capitulis ſeu ſpicis compoſita, ab uno tamen latere nonnihil compreſſa, floſculis ſeu apici ex luteo purpureis. *Radices* ſubſunt parvæ, fibroſæ. Paniculæ interdum longiores & anguſtiores ob ſervantur.

14. *Gramen Arundinaceum maximum Bayonenſe* Park.

Culmis craſſis, robuſtis ad humanam altitudinem aſſurgit, ad ſummum uſque articulatis, *foliis* ci ctis longis, latiuſculis, duris, aſperis, ſtriatis, inferioribus tamen minoribus. Versùs ſummos caules uni cum foliis ſeu ex eorundem ſinubus exeunt paniculæ aceroſæ multæ, longis & tenuibus pedicul inſidentes: Panicula tota pedem & ampliùs longa eſt. Radix in paluſtribus & foſſis aquoſis long latéque reptat circa *S. Joannem de Luce*, ubi ſponte oritur.

15. *Gramen Arundinaceum ſericea molliore ſpica* Park.

Præcedenti [Gr. Arund. aceroſâ glumâ noſtrati] nonnihil ſimile eſt, ſed minus, anguſtioribus & brevioribus *foliis*; culmis humilioribus, articulis & foliis paucis donatis. Paniculæ Schœnanthi adulterini nonnihil ſimile, in pappum abeunt, qui venti arbitrio fertur. *Radices* fibris multis, tenuibus, longis, ad caput junctis conſtant.

CAP. V.

De Gramine Miliaceo.

A. 1. *Gramen miliaceum* Lob. Ger. J. B. *ſylvaticum, paniculâ miliaceâ ſparsâ* C. B. *Gr. miliaceum vulgare* Park. **Millet-graſs.**

AGrorum venti ſpicæ ſimile eſt admodum culmo & radice (inquit Lobelius) ſed paniculâ miliaceâ.

C. Bauhinus ità deſcribit, *Radice* eſt ſatis craſſa, rufeſcente, multis fibris longis capillata: ex qua *calami* plures rotundi, læves, ſtriati, geniculati, bicubitales, cum foliis viridibus, oblongis, ſtriatis exurgunt: paniculam habet Miliaceam, pedalem, rariorem, glumis exiguis donatam.

Oſtendit nobis D. *Tancr. Robinſon* Graminis miliacei ſpeciem à D. *Doody*, peritiſſimo Botanico & Pharmacopœo Londinenſi obſervatam in ſylvoſis ad latera montium circa Londinum, quæ huic forte eadem eſt: Aſſurgit ad altitudinem tricubitalem, *culmo* ſatis gracili, quatuor vel quinq; geniculis intercepto, longis internodiis. Ad ſingula genicula, ut in omnibus ferè graminibus, ſingula *folia* culmum aliquouſq; obvolvunt, à quo poſtquam receſſerint ad ſeſquipalmarem & majorem longitudinem extenduntur, latitudine ſemunciali. *Panicula* in ſummo ſeſquipalmaris, ſparſa, è locuſtellis plurimis minimè ſquamoſis compoſita. *Semina* ad Milii ſeu Phalaridis accedunt, longiuſcula, è viridi albicantia, lucida, Miliaceis minora.

. *Gramen montanum paniculâ miliaceâ ſparsâ* C. B. prod. & theat. *Miliaceum alterum* Park.

C. B. prod.
radice fibroſa, rufeſcente *folia* pauca, anguſta, uncias quatuor vel quinq; longa, una cum *culmo* ſſimo cubitali, uno alteróve folio veſtito exurgunt, in cujus ſummo panicula ſparſa, ex locuſtis tiſſimis compoſita.
monte Crentzacenſi provenit.

3. *Gramen arundinaceum paniculâ miliaceâ C. Bauhini* J. B. Park.

C. B.
radicibus fibroſis albis unus & alter culmus cubitalis exurgit, quem parte inferiore *folia* Arun-cea unciarum trium cingunt, ad partem ſupernam, duobus nodis diſtinctam, folia duo angu- longioráq; veſtiunt: in cujus ſummo *panicula* trium unciarum, Milii paniculæ ſimilis.
agro Patavino reperitur, & à Gramine miliaceo à Lobelio propoſito planè diverſum eſt. *Locus.*

Cap. VI.

De Gramine Sorghino.

1. *Gramen Sorghi effigie Lobelii* J. B. *Gr. Sorghinum* Ger. Park. *Gr. Sorghi paniculâ erectum* C. B.

C. B. Theat.
AD ſeſquipedalem ſurgit altitudinem, *foliis* parvis, latis. Semen & ſpicæ Sorghi ſimiles. Lobelius Gramen ſonorum Flandrorum appellat, quia pueri ex ejus calamis fiſtulas efficiunt.
C. Bauhinus ſic deſcribit, Ex *radice* parva fibroſa *culmus* exſurgit cubitalis, geniculatus, *foliis* paucis, acutiſſimis veſtitus: *paniculam* habet Sorghi effigie, ex utriculis pluribus, aliquibus in ariſtam finientibus, compoſitam, quibus *ſemen* album, ſplendénſq; includitur.
In agris ſiccioribus & incultis reperitur. *Locus.*

2. *Gramen arundinaceum Sorghi paniculâ ſparſa* C. B. Theat. *Gr. Sorghinum alterum* Park.

C. B. Theat.
Hoc *culmis* eſt cavis, magna parte inclinatis, itâ ut capillaribus radicibus terræ affigantur, qui per folia (quæ longiora & anguſtiora quàm in priore) veluti per tubum tranſeunt, & in ſummo *paniculam* ferè palmarem, ſparſam, parvis utriculis donatam ſuſtinent.

Cap. VII.

A. *Gramen ſegetum paniculâ ſpecioſâ* Park. *ſegetum altiſſimum paniculâ ſparsâ* C. B. *Gramen capillatum* J. B. *ſegetale* Ger. The fair panicled Corn-graſs, or Bent-graſs.

PLures ex fibroſis radiculis tollit *culmos* cubitales, bicubitales & altiores, aliàs ex viridi in luteum languentes, aliàs rubentes, duobus plerunq;, interdum tribus, geniculis interceptos, ad quos *folia* longiſſimâ vaginâ ſtipulam involventia, & poſtquam à culmo abſceſſerunt in do-rantalem aut pedalem longitudinem producta. Summum cacumen in *jubam* explicatur pedalem irciter, atque Arundinaceam: paniculæ ex intervallis radiatim diſponuntur, nunc flaveſcentes, nunc viridantes, ſæpius rubentes, ſerici inſtar ſplendentes; in tenuium pedicellorum ſtaminulis, theculis puſillis ſemen claudentes minutum, ſubfulvum, acere molli, capillari & obtutum ferè giente donatum. Locuſtellæ paniculas componentes perexiguæ ſunt, *floſculi* purpurei utrinq; bi-di. *Folia* è radice denſis ceſpitibus oriuntur, ſúntq; in lætiore ſolo cubitum longa, anguſta, obcurè viridia, pulchrè ſtriata ſtriis plurimis, tenuibus, ſecundùm longitudinem decurrentibus, aſpe-ora quàm quodvis aliud gramen nobis obſervatum, quod facilè percipitur, ſi digiti deorſum du-antur.
Inter ſegetes, locis præſertim humidioribus invenitur, nec rarò in ſylvis & paſcuis locis aquoſis. *Locus.*
Ex hujus culmis cum paniculis ſeriatim funiculo vel junco connexis ruſtici craticulas quaſdam onficiunt, Anglicè Bents dictas, quibus æſtivo tempore caminos ornare ſolent. Huic uſui ad-ibetur etiam Gramen agrorum venti ſpicâ *Lob.* teſte Johnſono apud Gerardum, & Gram. criſtatum, ſte Lobelio in *Adv. part. alt.* *Uſus.*

CAP. VIII.

De Gramine nodoſo.

A. 1. *Gramen caninum nodoſum* Ger. *nodoſum* J. B. *can. nodoſum bulboſum vulgare* Park.
ſum 1. *ſeu Avenaceâ paniculâ* C. B. **Knotty-rooted Dogs-graſs.**

FOlia huic lata, pilis deſtituta, nonnihil tamen aſpera ſentiuntur, ſi in contrariam parte ſeu deorſum à ſummo ad imum digiti ducantur. Quæ ad caulis nodos oriuntur, culmum alterum ferè nodum involvunt, deinde dilatata abſcedunt, ſeſcunciam ferè lata, palm longa. *Culmi* bicubitales & altiores *paniculam* in ſummo geſtant bipalmarem, nonnihil ſparſan non raro etiam deorſum nutantem, vel ſaltem ad unum latus flexam, locuſtis avenaceis mi culis compoſitam, glumis argenteo nitore ſplendentibus cum mixtura quadam purpuræ. Singul autem locuſtæ ſingulis ariſtis purpureis, brevibus, mollicellis prædicæ ſunt. *Radices* bulbis catena tis tuberoſæ, creberrimis fibris longis capillatæ, ſapore parùm ſubacido.

Locus. Naſcitur in ſegetibus, non raro etiam in agrorum marginibus ad ſepes; in dumetis quoque f quens.

Vires. Saporis amari & acerbi ſunt radices, quare valentiùs obſtructiones expedire, & urinam ciere ai quàm vulgare. Herba, inquit Marcellus, quæ Gramen dicitur, nodorum 27, ex vino ad me decocta & expreſſa, atque colata, potuíque ſtrangurioſo ex vini cyatho uno mixta data, adeò p tenter ſuccurrit, ut ubi ſine tormento urinam facere cœperit, dari non oporteat: ſed febricita bus ex aqua ſola dabitur. Ex quibus verbis apparet nodoſum iſtud Gramen apud Veteres pro G mine propriè dicto ſeu Agroſti habitum, & adversùs calculum & Veſicæ morbos commenda quoq; fuiſſe. *J. B.*

2. *Gramen gemmeum ſeu nodoſum alterum* C. B. J. B. *Perlara vulgi* Cæſalp.

C. B.

Prædicti ſpecies eſt, radicibus gemmeæ rotunditatis, unionum inſtar candidis, quatuor aut qui ſimul, ac ſi ſtylo eſſent transfixæ, junctis: *culmus* cubitalibus, geniculatis, *foliis* Tritici, panicula l jubâ Milii, ſeminibus Avenæ, ſed brevioribus & tenuioribus ariſtis ut Oryzæ. Graminis modo dice propagatur.

Locus. Circa Patavium in montibus Euganeis legit C. Bauhinus.

CAP. IX.

De Gramine paniculato pratenſi & arvenſi.

1. *Gramen Avenaceum pratenſe elatius, paniculâ flaveſcente, locuſtis parvis.* **Meadow-graſs with a yellowiſh panicle.**

DUorum nonnunquam pedum altitudinem aſſequitur. *Culmi* graciles, geniculati, ſubhirſuti: *Folia* anguſta, ex utraque parte hirſuta. *Panicula* in ſummo caule ſparſa, non tamen de orſum nutans, trium digitorum longitudine, pallidè viridis ſeu flavicans è locuſtis parv compoſita. Singulæ autem locuſtæ duas habent ariſtas, ità ut bifurcæ appareant.

Locus. In pratis & paſcuis ſatis frequens occurrit, & æſtate paniculam explicat. An deſcriptum ſit ab aliis mihi non conſtat.

A. 2. *Gramen agrorum Lobelii* J. B. *agrorum venti ſpicâ* Park. *Arundinaceum* Ger. *ſegetum pa niculâ Arundinaceâ* C. B. **Corn-Reed-graſs, or Bent.**

Lob.

Agrorum venti ſpicam diximus (inquit Lobelius) quòd *ſpicam* habeat latam, comoſam, panſam & à ventis communiter in alterum agitatam latus. *Foliis* alioqui & radice magnitudine fere æquale eſt ſegetum gramini. Juba cæterum Miliacei graminis jubæ haud abſimilis eſt.

Locus. Inter ſegetes aliquoties obſervavimus, v. g. in agris prope Notinghamiam eundo ab *Aſhbeia* oppido, necnon propè *Barton-mills* in Suffolcia. Attulit Th. Williſellus collectum circa Londinum.

A. 3. *Gramen pratenſe minus ſeu vulgatiſſimum. An Gram. paniculatum minus album & rubrum* J. B? *Gr. pratenſe paniculatum minus* C. B? *prat. minimum album & rubrum* Park? **The moſt common Meadow-graſs.**

Fibris albentibus, tenuibus, innumeris terram firmiter apprehendit, & novas aſſiduè in ambitu aggenerans, germináq; emittens paullatim ſe dilatat, & denſo ceſpite ſolum occupat. *Folia* ei palmum longa, anguſta, hilarè viridia, glabra, tenera & ſucculenta. *Culmi* ſemipedales aut dodrantales, tenues, tribus aut quatuor geniculis intercepti, non erecti & firmi, ſed plerunq; terram versùs paululum reclinati, & ad genicula recurvi, paniculam in ſummo geſtant ſparſam, non tamen propendentem, unam præcipuè partem ſpectantem, cujus portiunculæ ſeu paniculæ ſingulares è duplici glumarum

lumarum ſquamatim incumbentium, non ariſtatarum verſu compoſitæ, non multùm diſſimiles int paniculis Graminis tremuli minoris. Tenerum & ſucculentum eſt hoc genus, gratiſſimúmq; obus & jumentis pabulum, quo impensè delectantur & pingueſcunt.

Pingue ſolum amat, nec quamvis conculcatum aſpernatur, ideóque ad ſemitas & agrorum limi- es perſæpe reperitur. Vere in culmum abit, & paniculam explicat, & deinceps per totam ſtatem. *Locus.*

A. 4. *Gramen pratenſe paniculatum majus* C. B. *pratenſe* Ger. *pratenſe vulgatius* Park. **The greater Meadow-graſs.**

Fibris innumeris, tenuiſſimis filamentis capillatis, & variè implexis *radicatur.* *Culmi* pedales aut ſquipedales, tenues, quatuor vel quinque geniculis intercepti, *foliiſq;* totidem veſtiti, anguſtis & ctu nonnihil aſperis, in ſummo paniculam geſtant ſparſam & in omnem partem extenſam, ere- am tamen nec nutantem aut dependentem. Nimirum in ima ex uno caulis latere quinq; vel x ſimul pediculi locuſtas ſeu ſpicas ſuſtinentes exeunt, deinde paulò ſuperiùs ex adverſa ſeu oppoſita api parte totidem vel pauciores, adeóque pari modo ex hac & illa parte alternatim oriuntur, ſed uciores ſemper donec ad ſummam paniculam ventum eſt, quæ in ſpicam ſimplicem terminatur. cto interdum pediculorum gradibus ſeu ordinibus panicula aſſurgit. Locuſtellæ ſeu ſpicæ minimæ nt, breviores quàm in præcedente, ſquamoſæ tamen pariter, non ariſtatæ.

In paſcuis ubiq; frequentiſſimum occurrit. *Locus.*

5. *Gramen pratenſe paniculatum majus anguſtiore folio C. Bauhini* J. B.

Ex *radice* capillacea rufeſcente *folia* capillacea, quædam brevia, quædam palmum ſuperantia, rodeunt: inter quæ *culmi* tenues, geniculati, cubitum ſuperantes, uno alteróve folio brevi cincti, quorum ſummo panicula leviter expanſa, uncias quatuor longa, quæ ratione loci ſtrigoſior vel atior.

In pratis & dumetis ad ripam Wieſæ fluminis Baſileæ reperitur. *Locus.*

6. *Gramen pratenſe paniculatum medium* C. B.

Ex *radicibus* albis, fibroſis, duas uncias longis *culmos* profert plures, internodiis aliquot diſtinctos, dodrantem vix ſuperantes: *foliis* eſt oblongis, anguſtis, nervo elato per medium diviſis, utrinque acutis. Culmorum ſummis *ſpicæ* plures, binis ſibi reſpondentibus, inſident, in quibus ſemen.

Variat foliis anguſtioribus & latioribus.

In aridioribus pratis, collibus item ſicciori bus provenit. *Locus.*

A. 7. *Gramen pratenſe paniculatum molle* C. B. Park. *lanatum Dalechampii* Lugd. J. B. *Gramen 6. capitis* 22. *lib.* 1. Ger. emac. **Soft tufted Meadow-graſs.**

Totum mollicellum eſt, tomentóq; obſita non tantùm folia longiuſcula, ſed & calami eorúmq; nicula: *paniculæ* mediocriter divulſæ ſpicam mentiuntur ſeſcuncialem [cùm primò è thecis pro- unt] ſæpe palmarem & longiorem, colore plerumq; purpuraſcente vel ex purpuraſcente & ci- reo mixto, interdum cinericeo, vix ullis donatæ pilis, molles tamen non minùs quàm folia, umis laxioribus, brevibus, ariſtarum expertibus, plurimùm ſtriâ unicâ obſcuriore donatis, florum iculis luteis.

Culmo eſt pedali aut altiore, quatuor plerunque geniculis intercepto, totidémque foliis cinereis ſtito.

Circa finem Maii aut Junii initium apud nos paniculam promit, inque paſcuis abunde oritur. *Tempus & Locus.*

A. 8. *Gramen Caninum paniculatum molle.* **Soft tufted Dogs-graſs.**

Hoc præcedenti adeò ſimile eſt ut diu pro eodem habuerim, verùm in multis manifeſtè differt, quidem longè majus eſt & elatius; *culmi* quatuor aut quinque geniculis intercepti; *panicula* mi- nùs pulchrè colorata: ſed præcipua, & maximè conſpicua differentia eſt in glumis, quæ & huic ajores multò, & in breves ariſtas terminatæ. Quin & è radicibus Autumnali præcipuè tempore rmina emittit, & ſub terra reptans Graminis canini vulgaris modo infinitum ſe propagat, & ex- rpatu perdifficile eſt.

In arvis inter ſegetes nimis frequens Junio menſe paniculam promit. *Locus.*

A. 9. *Gramen pratenſe, paniculâ duriore, laxâ, unam partem ſpectante.* **Meadow-graſs, with harder ſparſed panicles.**

Radix fibris nigricantibus conſtat. *Folia* ad radicem, ſaltem in ſterilioribus, anguſta & ferè ca- llacea, vix palmum longa. *Culmi* dodrantales & pedales, tenues, duobus ferè geniculis intercepti, *iis* obvoluti latioribus iis quæ ad radicem, paniculas in ſummo geſtant laxas, unam partem ſpe- ntes, è ſpicis oblongis, ſquamoſis ſquamis in ariſtas breviſſimas deſinentibus compoſitas; colore rumq; obſcurè purpuraſcente, interdum è viridi albicante.

In paſcuis frequentiſſimum eſt, & ſub finem Maii paniculam explicat. *Locus & Tempus.*

Hoc genus cùm in ſepibus vel frutetis oritur folia edit longiſſima, (pedalia aut cubitalia) anguſtiſ- na & ferè capillacea, ſaturatiùs viridia.

A. 10. *Gramen paniculatum elatius ſpicis oblongis, muticis ſquamoſis.* **Paniculate Meadow-graſs, with oblong ſpikes without awns.**

Præcedenti ſimile eſt, ſed majus & elatius multò, ſpicæ etiam ſquamoſæ ex quibus panicula conflatur longiores ſunt, ſquamis non ariſtatis, circa margines cineraſcentibus ſeu incanis, reliqua fere purpurantibus, compoſitæ. *Panicula* interdum palmaris, non multùm ſparſa, versùs unum latus plerunque flexa, leviter etiam nutans. *Culmus* pedalis & non rarò cubitalis aut altior, tribus ferè geniculis interceptus, gracilis: *folia* etiam anguſta, glabra. *Radix* fibris tenuibus capillata.

Locus. In paſcuis locis humidioribus plerunque oritur.

A. 11. *Gramen caninum maritimum paniculatum.* **Panicled Sea-Dogs-graſs.**

In arenoſis maris litoribus denſis ceſpitibus naſcitur. Fibræ quibus terram apprehendit & alimentum exugit, breves cinereæ: præter quas emittit etiam germina ſeu flagella ſub terra, quibus longè latéque reptat & ſe propagat, quorúmque ut in Gramine officinarum extrema dura ſunt & pungentia. *Folia* pro magnitudine & altitudine culmi ſatis lata, obſcurè viridia, ſemipalmaria & longiora, * carinata, duriuſcula & rigida, in acutos apices deſinentia, imâ parte ſe mutuò amplectentia, ut totum germen ad exortum planum & compreſſum ſit. *Culmi* ſeſquipalmares aut ſemipedales, in culto altiores una alteróve nodo intercepti, *paniculam* in ſummo geſtant brevem, nec multùm plerunque ſparſam, è locuſtis parvis ſquamoſis, muticis non nihil interdum purpuraſcentibus Graminis pratenſis ſimilibus compoſitam.

** In hortis culti Semipedalia.*

A. 12. *Gramen paniculatum maritimum vulgatiſſimum.* **The moſt common panicled Sea-graſs.**

Radix fibris albis tenuibus conſtat, unde plura exeunt germina. *Folia* brevia longitudine vix palmari, peranguſta, carinata, lateribus ità adductis & quaſi complicatis ut teretia, ſeu juncea videantur. *Culmi* ſatis firmi, pedales, duobus tribúſve geniculis intercepti in ſummo *paniculam* geſtant palmarem, non multùm diffuſam, purpuraſcentem, è locuſtis ſeu ſpicis oblongis anguſtis, ſquamoſis, non ariſtatis compoſitam.

Locus. In paluſtribus maritimis ubique frequentiſſimum eſt.

Altera ſpecies. Hujus alia ſpecies occurrit major & elatior multò, ad bicubitalem altitudinem aſſurgens, ſtipulis craſſis etiam triticeis majoribus, quam nobis oſtendit *D. Newton.*

A. 13. *Gramen pratenſe paniculâ ferè arundinaceâ* J. B. **Meadow-graſs, with a Reed-like panicle.** *An Gram. montanum paniculâ ſpadiceâ delicatiore* C. B?

E *radicibus* fibroſis, albis plurimæ & confertæ, ut in aliis graminibus exeunt *ſtipulæ*, pedales & interdum cubitales, tenues, in terram plerunque reclinatæ, tribus quatuórve geniculis interceptæ, & ad nodos ſurſum incurvatæ. *Folia* anguſta, pro tenuitate tamen ſtipulæ ſatis lata, longitudine poſtquam à caule abſceſſerint, (quem ut in cæteris graminibus aliquouſque involvunt) vix palmari. *Panicula* palmaris aut ſeſquipalmaris, purpurea, cùm primò egreditur minùs ſparſa, ſummitate inflexâ Arundinaceam æmulatur, poſtquam explicatur, non ampliùs nutat, ſed erigitur, & in omnem partem diffunditur, numeroſiſſimis & creberrimis locuſtellis non ſquamoſis, ſed duabus duntaxat glumis compoſitis conſtans.

Locus. In paſcuis ubique vulgatiſſimum Junii initio paniculam promit.

Neſcio an huc referendum ſit

Gramen parvum repens purpureâ ſpicâ J. B. *Gramen caninum ſupinum* Lob. *ſupinum minus* C. B.

Deſcriptio ſatis convenit niſi quòd radicem ſub terra huc illuc vagari ſcribat.

A. 14. *Gramen paniculatum locuſtis parvis purpuro-argenteis annuum.* **Small annual paniculate graſs.**

Fibræ *radicis* albæ ſunt: *Folia* peranguſta & ferè capillacea. *Caulis* ſemipedalis aut dodrantalis, interdum altior, geniculatus, gracilis: *Panicula* ſparſa locuſtis parvis, purpuro-argenteis bina ſemina totidem ariſtis perexiguis & brevibus armata continentibus. Summitates caulium & locuſtarum pediculi per maturitatem purpuraſcunt. Scapus culmi ubi primus paniculas emittit non rectà deinceps aſſurgit ſed reflectitur nonnihil. Evulſu facile eſt hoc genus, & annuum.

Locus. In ſterilioribus plerunque occurrit.

A. 15. *Gramen murorum ſpicâ longiſſimâ* Ger. emac. *ſpica nutante longiſſima* Park. p. 1162. **Capons-tail-graſs,** i. e. *Gramen* 'Αλεκτρυόνιος.

Radix paucis fibris, tenuibus, rubentibus conſtat, unde exeunt *folia* brevia, anguſta, inter quæ *cauliculi* plures tenues & infirmi, duobus plerunque, rarius tribus, geniculis intercepti, totidémq; foliis, aliorum Graminum in modum, obvoluti, *ſpicam* in ſummo ſuſtinent ſeſquipalmarem aut ſemipedalem, ſtrigoſam, anguſtam nutantem, è ſpicis prætenuibus ſquamoſis, glumis in oblongas, tenues, purpuraſcentes, ariſtas deſinentibus compoſitam. Planta videtur eſſe annua & ſemine ad maturitatem perducto radicitus exareſcere.

Locus. In muris & ſterilioribus provenit Junii initio ſpicam producens, cujus ariſtæ versùs unum plerunque latus flectuntur.

A. 16. Gram

A. 16. *Gramen paniculatum bromoides minus, paniculis ariſtatis unam partem ſpectantibus.* **Small panicled Oat-graſs, with awns.**

Hæc ſpecies cum præcedente in multis convenit, nimirum *radicibus* fibroſis, *culmis* tenuibus, paniculâ ariſtatâ unam partem ſpectante, *foliis* anguſtis, altitudine pari. Differt *ſpica* ſeu panicula viore latioréque, locuſtis ſquamoſis eam componentibus multo majoribus & latioribus; caule ribus geniculis, tribus nimirum aut quatuor, intercepto.
Iiſdem cum ſuperiore in locis invenitur: & interdum altius lætiori ſolo aſſurgit.

A. 17. *Gramen exile duriuſculum, in muris & aridis proveniens, minus duriuſculum* Ger. *minimum Monſpelienſe* J. B. *quod Monſpelii Gr. exile durius appellari ſcribit. Gr. pratenſe panicula multiplici* C. B. Park. **Small hard graſs.**

J. B.

Duræ radicum fibræ, *culmi* paucis geniculis diſtincti, palmares & ſeſquipalmares *foliis* ſtipati prætenuibus, culmo altioribus. Paniculæ in metam faſtigiantur, & verſus unum duntaxat latus fle- tur.
In muris & aridioribus provenit. *Radicum* fibræ tenues, albentes, *culmi* tenues, duobus ferè geniculis nodoſi. *Spicæ* paniculam componentes anguſtæ, oblongæ, ſquamoſæ, pediculis inſidentes, quo ſcapo medio aliquantulum extant. *Locus.*

A. 18. *Gramen exile duriuſculum maritimum.* **Small Sea hard graſs.**

Plurimis prælongis *fibellis*, tenuiſſimis filamentis capillatis, & variè implexis radicatur: è quibus multi exeunt *culmi* ſeſquipalmares aut majores, craſſi ſatis & rigidi, uno alteróve *folio* anguſto cincti, & geniculo intercepti, ſinguli in faſtigio *ſpicam* ſuſtinentes duas uncias longam, è plurimis elegantibus ſquamoſis, oblongis, non ariſtatis paniculis, hinc inde alternatim, duabus tribúſve ſimul, nullo ferè pediculo ſcapo adnaſcentibus compoſitam. *Folia* anguſta, modicè longa. Planta eſt annua.
In arenoſis maris litoribus provenit. *Locus.*

A. 19. *Gramen aſperum* J. B. *ſpicatum folio aſpero* C. B. *pratenſe, ſpica multiplici rubra* Park. **Rough Graſs.**

Culmo eſt ſeſquicubitali, interdum etiam bicubitali & altiore; tribus ferè geniculis intercepto, aſpero, potiſſimum ſub nodis, & in faſtigio. *Folia* longâ vaginâ culmum involvunt, (ut aliis Graminibus) in acutum pungentémque mucronem deſinentia, à quo deorſum ſi digitis ſtringas aſpera ſentiuntur: *Panicula* itidem aſpera, rigida & craſſa, albicans vel rubens, ſæpe minùs ſparſa, aliàs etiam magis, cum parvis paniculis, è pediculis longis aſperis, antrorſum duntaxat vergit, ex latiuſculis ceu muſcariis compoſita, floſculos luteos vibrantibus. Aliorum Graminum modo denſis ceſpitibus terram occupat, & innumeris fibris tenuibus oblongis radicatur. Folia quæ ad radicem (non multum latiora ſunt foliis graminis pratenſis, longitudinis palmaris, ſemipedalis, aut dodrantalis.
In pratis & paſcuis ſub finem Maii & Julii initium floret. *Locus.*

A. 20. *Gramen ſpicatum montanum aſperum.* **Spiked mountain rough graſs.**

E rupium fiſſuris in monte *Ingleborough* exit denſis ceſpitibus. Folia ei longa, modicè lata, carinata, marginibus aſperis ſi deorſum digiti ducantur. *Caulis* tenuis, cubitalis, ſpicam in cacumine gerens brevem, *ſemina* longa, nigra.

A. 21. *Gramen dumetorum paniculâ aceroſâ, ſemine papposo. An Gramen plumoſum* Lob? *arundinaceum paniculâ ſpadiceâ molli majus* C. B? *ſpicâ candida, & ſerici modo lucens* J. B? *Gr. tomentoſum arundinaceum* Ger. *Calamagroſtis ſive Gramen tomentoſum* Park. **Buſh-graſs, with a pappoſe panicle.**

Lob.

Foliis eſt duris, rigidis & aridis, ad Schœnanthi folia non parùm accedentibus; *culmi* ſimiliter rigidi, ſeſquicubitum aut duos cubitos alti, *ſpicæ* longæ, denſæ, ex purpureo rubentes, paleaceæ, per maturitatem candidæ, & ſerici inſtar micantes.
Locis naſcitur ſenticoſis ſylvarum quarundam Flandriæ & Angliæ, jumentis inutile. *Locus.*
Huic ſimile, ſi non idem, collegimus in dumetis quibuſdam agri Northamptonienſis & Eſſexienſis: Ad baſin ſeminis lanugo pappoſa in circuitu adnaſcitur.

A. 22. *Gramen Mariæ* J. B. *paniculatum montanum* 2. *ſeu paniculatum odoratum* C. B. *Gramen paniculatum Germanicum odoratum* Park.

C. B.

Radicibus candidis, geniculatis, fibris craſſis demiſſis ſerpit: *culmo* eſt bicubitali, geniculis paucis diſtincto; *foliis* anguſtis, longiſſimis, paniculam ſuperantibus [coeuntibus marginibus ità convolutis, ut teretem junceum culmum imitentur, rigidis, firmis, pungentibus *J. B.*] ſuavem odorem ſpirantibus, cujus culmo *panicula* parva, levitérque ſparſa inſidet.
A Regiomontanis (unde è Boruſſia miſſum) *Gramen Mariæ* dicitur, quod in faſciculos collectum propter odoris fragrantiam veſtibus adjiciant.

A. 23. *Gramens capillaceum locuſtellis pennatis, non ariſtatis.*

Denſis ceſpitibus agglomeratis ſolum occupat, pro radicibus fibras tenuiſſimas in terram demittens. *Folia* creberrima, capillacea, ſeſcunciam aut duas uncias longa. *Culmi* tenues ſeſquipalmares aut bipalmares, unico articulo, eóque non longè à radice, diſtincti, & folio indè enaſcente obvoluti, *paniculam* in faſtigio geſtantes parvam non multùm ſparſam, purpuraſcentem, è locuſtellis pennatis, hoc eſt, è glumis ad modum pennæ villorum diſpoſitis, non ariſtatis compoſitam.

Obſervavit & ad me attulit *D. Dale*, in ſiccioribus collectum.

24. *Gramen longiſſimum* J. B. *ſylvaticum paniculatum altiſſimum* C. B.
J. B.

Duorum triúmve cubitorum altitudinem nonnunquam ſuperat, *foliis* & *caulibus* tenuibus, triangularibus, pluribus, ex *radice* craſſiuſcula, perenni, nigricante, fibroſa: paniculæ parvæ, vix unciales, in aliquot veluti parvas ſpicas diviſæ. Floſculi ex apicibus luteolis: ſapor nullus inſignis.

Locus. In montibus circa Genevam cubitum excedit: Montbelgardi in ſylvis duos & tres cubitos.

Montbelgardi utuntur hoc Gramine ruſtici ad equorum torques, quibus aratra trahunt. Effi untur etiam ex eo Chlamydes paſtorales, quibus opiliones adversùs pluviam utuntur.

A. 25. *Gramen ſerotinum arvenſe ſpica laxa pyramidali.*

Radix fibris non admodum multis è caſtaneo albentibus, conſtat, unde *culmi* emergunt plures a ſex ſeptémve, dodrantales, rariùs pedales, tribus quatuórve geniculis diſtincti, graciles, *foliis* veſtiti l tiuſculis, brevibus, pallidiùs virentibus, ad tactum aſperis ſi deorſum ſtringas. Faſtigium occupat p *nicula* mollis, anguſta, pyramidalis, tres quatuórve uncias longa, non multum ſparſa ſeu explica antequam floret, poſtquam maturuit adeo contracta, ut ſpica potiùs quàm panicula videatur, & conum valdè acutum repræſentet, in quam formam Cupreſſi ab Hortulanis compingi & detonde ſolent. Locuſtæ ſingulares minimè ſquamoſæ ſunt, verùm ſingula granula continent, glumis in mol lem ceu ariſtam exeuntibus.

Locus & Tempus. Inter ſegetes multis in locis copioſè provenit, Julio menſe paniculam promens. Annua videtur eſſe planta.

A. 26. *Gramen pratenſe ſerotinum panicula longa purpuraſcente. Gr. pratenſe ſpicâ Lavendul* *D. Merrett.* **Late-flowring Meadow-graſs, with a long purple panicle.**

Radicis fibræ craſſiores ſunt, albæ, ſapore fatuo. *Folia* modicè lata, raris pilis prædita. Caules pedales aut cubitales, unicum tantùm geniculum habent à radice non longè, ad quod duo aut tri folia oriuntur; caulem aliquouſque amplectentia, quod huic ſpeciei peculiare eſſe videtur. Ex his autem foliis exterius & caulem & reliqua folia ad ſeſquidigitum ferè amplectitur, medium (ſi adſit) interius ad alterum ſeſquidigitum, & interius caulem ad idem ſpatium. Panicula in ſummo non multùm ſparſa, tres aut quatuor digitos longa, purpuraſcens. Floſculi utrinque bifidi purpurei.

Locus & Tempus. In pratis humidioribus frequens Julio menſe floret. Monſpelii ſub finem Auguſti obſervavi.

CAP. X.

De Gramine Avenaceo.

A. 1. *Gramen Avenaceum parvum procumbens paniculis non ariſtatis.* **Small ſupine Oat-graſs, without awns.**

Folia ei piloſa, maximè inferiora & propè terram: *Caules* tenues, non ſurrecti, ſed terram verſùs reclinati, dodrantales & pedales, in cacumine paniculam geſtant parvam, è locuſtis turgidulis, nullis ariſtis donatis compoſitam. Locuſtæ ſi curioſè examinentur tria quatuórve grana duabus glumis obvelata continere deprehendentur.

Locus. In paſcuis non rarò occurrit.

A. 2. *Gramen avenaceum capillaceum minoribus glumis* C. B. *Anglo-Britannicum avenaceum, Danico nemorali ſimile* Lob. *an Gr. aven. rariore grano nemorenſe Danicum* ejuſdem? *nemorale avenaceum alterum, ex fuſco xerampelinum, & lucidum Danicum* J. B. *avenaceum xerampelinum Danicum* Park. **Red Oat-graſs of the Woods.**
Lob.

In ſylvigeris Daniæ collibus & montibus (inquit Lob. Adv. p. 2.) perelegans exiléque Gramen oriundum foliolis creberrimis, rigidis cirratiſque uncialis & binarum unciarum altitudinis radicibus. Pedales & ſeſquipedales, exiles, lucidi & nitidi, aſpectu jucundi *culmi* ex fuſco xerampelini, in quibus è longiuſculis *paniculis* Avenacea ſemina. In Angliæ locis umbroſis, ſylvoſis, præſertim petræis.

Gramen hoc à Lobelio deſcriptum diverſum videtur à Gramine noſtro avenaceo nemorenſi glumis rarioribus ex fuſco xerampelinis, quod propiùs accedit ad Gramen montanum avenaceum locuſtis rubris *C. B. prod.* Suſpicamur tamen omnia hæc Gramina unam & eandem ſpeciem eſſe.

Gramen avenaceum rariore gluma nemorenſe Danicum in ſylvis non procul Croneburgo caſtro egio Selandiæ Danorum collegit Lobelius, arido ſolo.

3. *Gramen montanum avenaceum locuſtis rubris* C. B.

C. B. prod.

Ex *radice* tenui, repente, alba, fibris capillaribus utrinque donata, *culmus* ſimplex, lævis, pæne cu- talis, (rariùs ex una radice plures exſurgunt) circa radicem purpuraſcens, qui quaſi in ſpicam te- em deſinit, cujus glumi utplurimum ab una parte ſiti ſunt, & foris ex nigro purpuraſcunt, in- ſque albi ſunt; in quorum medio *utriculus* parvus, candidus, pedicello donatus *ſemen* minutum con- net: *foliis* donatus paucis, anguſtis, acuminatis, circa radicem brevibus, at circa culmum, quem o triáve cingunt, longioribus, communiter ſpicam ſuperantibus.

Julio & Auguſto hinc inde in montoſis & umbroſis, ut circa arcem *Richenſtein*, in monte Muteto Baſilienſium, & monte Crentzacenſi, reperitur. *Locus & Tempus.*

A. 4. *Gramen avenaceum nemorenſe, glumis rarioribus ex fuſco xerampelinis, noſtras.*

Culmi ſemipedales aut dodrantales, tenues, duobus tribúſve *foliis*, ſemunciam propemodum latis, dimidium pedem aut ſpithamam interdum longis, tactu aridis, aſperis, & Graminis Avenacei dumetorum ſimilibus, ſpicam ipſam longitudine æquantibus; *Paniculam* in ſummo geſtant raram, ſeſquipalmarem & longiorem, è locuſtis raris compoſitam. Singulæ autem locuſtæ glumis duabus, exteriùs ex rubro nigricantibus ſeu ex fuſco xerampelinis (ut cum Lobelio loquar) interiùs ſinu ſuo utriculum unum continentibus, in quo *ſemen*, non ariſtatis conſtant. Radice eſt reptatrice.

Invenitur hoc genus in aggeribus ſepium umbroſis juxta ſylvas, verum non ità frequens apud nos. *Locus.*

A. 5. *Feſtuca Avenacea ſterilis elatior* C. B. *Bromos herba ſive Avena ſterilis* Park. *Bromos ſterilis* Ger. *Ægilops Matthiolo fortè* J. B. **Great wild Oat-graſs, or Drank.**

Radices fibroſæ, implexæ: *Culmi* plures, cubitales aut longiores, geniculati pluribus geniculis [quinque non raro] tenues; *paniculam* ferunt ſinguli multifariàm diviſam, cujus portiunculæ è longis & tenuibus velut filamentis pendulæ, ſquamatim è pluribus glumis compactiles ſpicam parvam mentiuntur, locuſtis Avenæ non multùm diſſimiles, ariſtis donatæ mollibus longis, interdum purpuraſcentibus. *Folia* modicè lata, hirſuta, & ad margines piloſa. Cùm planta in culmum abit quæ ad radicem ſunt exareſcunt.

Maio menſe ad ſepes, ſecus vias & in agrorum marginibus reperitur. *Locus.*

Adversùs infantum vermes tanquam ſingulare auxilium radicis in vino albo decoctum diebus aliquot continuis potum commendat Tragus. *Vires.*

Feſtuca Avenacca ſterilis humilior C. B.

A priore differt, quòd humilior ſit, culmis ſtriatis, molli lanugine incanis, foliis brevibus, anguſtis, lanuginoſis: juba minore, molliore minúſque ſparſa, ſic & ariſtas non multis nec aſperis armata: An ſpecie diverſa ſit aliis judicandum relinquimus.

A. 6. *Feſtuca Avenacea hirſuta paniculis minùs ſparſis. Gramini murali Dalechampii ſimile ſi non idem* J. B.

Radicibus fibroſis terram apprehendit: è quibus *culmi* multi, cubitales & altiores, pro ratione ſoli in quo creſcit, geniculis plurimùm quinque intercepti, *foliis* hirſutis & ferè caneſcentibus veſtiti. *Juba* diſtichon habet partium texturam, ſpicas breves imitatam, imâ parte latiores, in acutum deſinentes, ariſtis mollibus brevibus glumas etiam molles, ſtriatas, plurimùm hirſutas [non raro tamen leves] armantibus. Ariſtæ purpureæ ſunt, glumæ circum oras caneſcunt aut cineraſcunt.

Spicæ partiales in hac ſpecie erectæ plerunque ſunt, non pendulæ aut nutantes, ut in Gramine *du Gros* Montbelgardenſi *J. B.* cum quo plerique Botanici hoc genus confundere videntur.

In muris & aggeribus ínque agrorum marginibus & tumulis ſiccioribus paſſim provenit, & circa finem Aprilis aut initium Maii paniculam producit. *Locus.*

A. 7. *Feſtuca graminea ſpicis habitioribus, glumis glabris. Gramen Gros Montbelgardenſe* J. B. *Feſtuca graminea glumis glabris varians* C. B.

A præcedente differt culmis elatioribus, ſpicis habitioribus & latioribus, magis ſparſis & dependen- us glumis glabris: loco etiam inter ſegetes: cætera ſimilis. Deſcriptiones C. Bauhini huic non ptè quadrant, quos ſi placet conſule.

A. 8. *Gramen Avenaceum dumetorum paniculâ ſparſâ. An Feſtuca graminea nemoralis latifolia mollis* J. B. C. B? **Buſh, or Wood-Oat-graſs, with a ſparſed Panicle.**

Pluribus *fibris* craſſiuſculis, albentibus radicatur. *Culmi* ſeſquicubitales aut bicubitales, tribus ple- que nodis articulati, totidémque *foliis* ima internodia aliquouſque obvolventibus veſtiti; quæ tenus ſtipulas obvolvunt longiuſculis pilis crebris hirſuta, & ſtriata, ſunt, poſtquam à culmo ab- ſerint, in longitudinem ſemipedalem extenduntur, latitudine ſemunciali, è viridi flavicantia, ata, rarioribus & brevioribus pilis, iiſque ad margines & mediam coſtam præcipuè, donata, ut ſummæ foliorum partes glabræ ſint. Summum caulem occupat *panicula* ſparſa, inflexa raris ſpicis, tenuibus pedicellis appenſis, compoſita. Singulæ ſpicæ longiuſculæ ſunt & ſtrigoſæ, è pluribus glumis ſquammatim incumbentibus, & in breves purpuraſcentes ariſtas deſinentibus conſtantes.

Locus. In ſylvoſis & dumetis ubique frequens eſt. Perſimile eſt Gramini Avenaceo dumetorum ſpicato, niſi quòd ſtipulis ſit majoribus & elatioribus, paniculâ ſparsâ.

* 9. *Feſtuca graminea glumis vacuis* C. B. J. B.

C. B.

Ex *radicibus* fibroſis ſimul junctis *culmi* aliquot, geniculati, pedales, ad radicem lanugine pubeſcentes, *foliis* anguſtis, paucis donati exſurgunt, qui glumos plurimos, læves & vacuos, filamentis tenuiſſimis adpendentes, partim virides, partim ſpadiceos, ariſtis oblongis donatos ſuſtinet.

Hæc apud nos in tectis & muris creſcit (inquit C. Bauhinus) & cùm glumi longiſſimis filamentis appenſi ſint, facilè à quovis vento agitati tremunt. Hinc Monſpelienſibus Gramen tremulum dicitur.

Locus. In hortorum muris & juxta ſepes paſſim reperitur (inquit P. Magnol.) Nobis incognita eſt.

10. *Feſtuca graminea effusâ jubâ* C. B. J. B.

C. B.

Altiùs exurgit *caule* viridi & rotundo, qui in *jubam* pedalis longitudinis èffunditur, cujus glumi anguſtiores & longiores, brevibus ariſtis cincti, pediculis capillaceis oblongis inſident qui per maturitatem albicant. Inter ſegetes reperitur.

Deſcriptio hæc bene convenit Feſtucæ cuidam à nobis obſervatæ Genevæ inter ſegetes, niſi quòd juba non adeò longa erat in plantis à nobis viſis. Fortè in lætiori ſolo longiorem paniculam producit.

Locus. In noſtro locuſtæ ſeu ſpicæ partiales ex quibus juba componitur, oblongæ ſquamoſæ, ſquamis in breves ariſtas deſinentibus, ſeriùs paniculam promit.

A. 11. *Gramen Avenaceum montanum, ſpica ſimplici, ariſtis recurvis.*

Radix obliquè acta fibras crebras demittit; *Folia* vix palmaria [in lætiore ſolo eam longitudinem excedunt] non admodum anguſta, carinata, ſatis dura & rigida. *Culmus* ſemipedalis, tenuis, purpuraſcens, uno duntaxat nodo in iis quas obſervavi plantis propè terram interceptus, unóque folio eum aliquouſque obvolvente donatus, cætera nudus; ſpicam in ſummo ſuſtinet duas tréſve uncias longam, raris glumis alternatim ſitis duo vel tria grana ariſtis recurvis purpuraſcentibus donata obtegentibus.

Locus. In ſummis tumulis ſeu colliculis Bartlovienſibus manu quondam aggeſtis, in ipſo limite agri Eſſexienſis verſus Cantabrigiam inventum ad nos attulit D. *Dale* medicus & pharmacopœus Brantrienſis: idem inter Novum Mercatum dictum oppidum & *Exning* vicum, in agrorum limitibus, invenit.

Hinc transferendum eſt ad Gramina ſpicata.

12. *Gramen Avenaceum maximum utriculis cum lanugine alba, & ariſtis longiſſimis* Botan. Monſp.

Botan. Monſp.

Radices fibroſæ ſunt, è quibus plures *culmi* bicubitales, nodis diſtincti oriuntur, *foliis* anguſtis veſtiti: *Spica* Avenacea eſt, cujus utriculi oblongis pediculis inſidentes lanuginem albam habent, & longiſſimis ariſtis donantur, quæ ſeſquipalmares ſunt & dum ſiccantur in modum ſpiræ convolvuntur.

Locus. Maio menſe invenit cum ſpicis in ſylvæ Valenæ locis herbidis *D. Magnol*, præcipuè circa *Caravettes.* Huic non longè diſſimilis eſt

13. *Feſtuca longiſſimis ariſtis* C. B. *Ægilops bromoides* Tab. Ger.

Quæ ex *radice* pluribus tenuibus cirris prædita multa parva, anguſta & oblonga *folia* promit: inter quæ tres quatuórve *culmi*, tenues, cubitales, quibus *ſpicæ* Avenaceæ inſident, glumis vacuis, ſpadicei coloris, ariſtis longiſſimis armata, quæ ex folliculo foliaceo prodeuntes in unum latus reclinantur.

Locus. Nos in Germania hanc obſervavimus non ſemel. Tabernamontanus inter Wormatiam & Franckenthalium notavit. Ariſtæ tenues cincinnorum in modum non raró intorquentur.

A. 14. *Ægilops Narbonenſis* Lob. *Feſtuca ſive Ægilops Narbonenſis* Park. *Feſtuca* Italica Ger. *Gramen Feſtuca XIV. ſive Feſtuca altera capitulis duris* C. B.

C. B.

Radice eſt fibroſa, alba, puſilla: *culmos* tenues, breves, communiter pedales profert; *foliis* paucis Tritici & Hordei æmulis, ſed mollioribus mitioribúſque per latera piloſis. In culmorum faſtigio *ſpicæ* parvæ ex duobus vel tribus capitibus duris, utriculíſque ſtriatis compoſitæ, quibus *ſemina* Hordei ſimilia ſed paulò minora at latiora, eáque terna, glumo tenuiorira includuntur. Ab utriculis, (non autem à ſeminibus) tenues, oblongæ, & acutæ ariſtæ candidæ eminent.

Locus. In Sicilia, Italia & Gallia Narbonenſi vulgatiſſima eſt, æſtuoſis & glareoſis locis [in agris inter ſegetes triticeas & hordeaceas *Lob. C. B.*] In hortis culta elatior & major evadit, ſpicis ex quinis ſeníſve capitibus compoſitis. In Sicilia aliud genus candidum, aliud nigrum, & ariſtis magis ſurrectis habetur. *Cæſ. Nobis ibidem non obſervata eſt talis differentia.*

Ægilopi morbo potiùs fieri cœpto quàm jam longiùs progreſſo, non ſemel periclitati ſumus pro- iſſe. Exſiccat enim adſtringendo citra calefactionem multam. Potui Cereali etiam addita ſe- ina cerebrum temulentum faciunt. *Lob.* *Vires.*

15. *Feſtuca junceo folio* C. B.

C. B.

Ex *radice* parva, fibroſa, alba *folia* pauca, juncea, ſemicubitum longa, & *culmus* rotundus, cubi- lis exſurgit, qui in *paniculam* avenaceam, ſed anguſtiorem, albam deſinit; quæ ex oblongo folli- lo (à folio conſtituto) paniculam longè ſuperante prodit, cujus glumi rari ariſtis longiſſimis & genteis donantur.

In Valleſia ad urbis Sedunenſis paludem copioſè provenit. *Locus:*

* 16. *Feſtuca graminea arvenſis minor* C. B.

C. B.

Cauliculis eſt tenuibus, ſtriatis, *foliis* brevioribus: in cauliculorum ſummo *utriculi* quidam parvi, membranacei & paleacei, palmi longitudine, racematim dependent ex tenuiſſimis & vix viſu perceptibilibus pediculis, quorum exteriores membranulæ rubent, quibus dehiſcentibus *flos* candidulus emicat.

Paſſim in agris Harcyniæ Saxono-Thuringicæ provenit. *Thal.* *Locus.*

* 17. *Feſtuca pratenſis lanuginoſa* C. B.

C. B.

Ex *radice* capillacea, rufeſcente *folia* multa, anguſta, pedalia, unà cum *culmis* tenuibus, bipedalibus, foliaceis, molli & pauca lanugine (culmis potiſſimum) aſperſis exſurgunt. *Spica* eſt oblonga, anguſta, ex glumis oblongis ariſtis donatis compoſita, & quaſi in paniculam parvam expanſa.

Baſileæ paſſim in pratis. *Locus.*

* 18. *Feſtuca dumetorum anguſtiſſimis & piloſis foliis* C. B.

C. B.

Radix eſt albicans, ex durioribus fibris compoſita: ex qua *calami* aliquot tenues, uno alteróve geniculo diſtincti, & pæne nudi, exſurgunt. *Folia* ſunt brevia, anguſtiſſima, lævi mollíque lanugine hirſuta. Culmorum ſummitati *panicula*, ex ſpicis plurimis compoſita, quarum quælibet capillaceo pediculo inſidet, multis glumis ariſtatis & candicantibus conſtans.

Baſileæ in dumetis circa Clybèn reperitur. *Locus.*

19. *Gramen Avenaceum panicula longiſſima.*

In Sicilia obſervavimus hoc genus. Panicula erat longiſſima, bipalmari nimirum aut dodrantali, modicè ſparſa, è plurimis locuſtis tribus quatuórve glumis oblongis, acutis, non ariſtatis conſtantibus compoſita, colore rubente: nec folia nec radicem obſervavimus.

CAP. XI.

De Gramine nemoroſo hirſuto.

AMbigere videtur hoc genus inter Culmiferas, & Graminifolias non Culmiferas: culmo enim terete, geniculato cum illis convenit, verùm flore ſeu potius calyce hexaphyllo, ſeminibus anguloſis, paniculâ junceâ ad has accedit.

A. 1. *Gramen exile hirſutum* Ger. *nemoroſum hirſutum minus anguſtifolium* Park. *hirſutum capitulis Pſyllii* C. B. *Gramen Luzulæ minus* J. B. **Small hairy Wood-graſs.**

C. B.

Radice eſt rufâ, oblongâ, repente, pluribus fibris capillatâ: ex qua *folia* plura, ſemidodrantalia, modò latiora, modò anguſtiora, acuta, villoſa prodeunt: inter quæ *cauliculus* palmaris, lævis, tenuis, viridis exſurgit: *paniculam* brevem ex pluribus floribus compactam, rufeſcentem ſuſtinens. *Flores* quando aperiuntur in foliola ſex atro-rubentia lateribus pallidis expanduntur, è quorum medio ſtamina flava ſex, & tria filamenta pallida prodeunt.

J. Bauhinus calamum duobus articulis ditatum ſcribit, ex quibus folia duo, uncias duas longa emergunt, alterum in medio, alterum in ſupremitate, ubi coma in tres vel quatuor (ceu capitula) dividitur partes.

Floret ſub finem Aprilis & initio Maii in pratis & paſcuis frequens. *Tempus & Locus.*

A. 2. *Gramen hirſutum elatius paniculâ junceâ compactâ. An nemoroſum hirſutum* V. *ſeu hirſutum anguſtifolium majus* C. B? *nemorum hirſutum majus anguſtifolium* Park? **Hairy-graſs the greater, with a more compact Ruſh-like panicle.**

Duplo elatius eſt quàm præcedens: *foliis* duplo triplóve longioribus, duobus etiam tribúſve in caule: *paniculâ* multò majore, magíſq; compacta, ex plurimis veluti globulis coacervatis. In paluſtribus provenit. Suſpicabar aliquando hoc non differre ſpecie à præcedente, ſed ratione loci duntaxat variare: verùm nunc aliter ſentio.

A. 3. *Gramen*

A. 3. *Gramen nemoroſum hirſutum vulgare. An Gramen nemoroſum hirſutum* Lob? Ger? *nemoroſum hirſutum latifolium majus* Park? *nemoroſum hirſutum majus latifolium* C. B? **Common hairy Wood-graſs.** *Si hoc intelligant perperam majus dicitur.*

Dodrantali eſt altitudine. *Radix* è fibrarum tenuium cæſpite conſtat. *Folia* pedem dimidium longa, pallidè viridia, latiuſcula, ad margines piloſa. *Cauliculi* ſeu *culmi* ex eadem radice plures, geniculis tribus pluribúſve intercepti, ad quos *folia* brevia, culmum aliquouſque amplectentia; in faſtigio paniculam geſtat ſparſam, in eo à Gramine exili hirſuto diverſam, quòd floſculi eíſque ſuccedentia vaſcula ſeminalia non plura ſimul congeſta unicum capitulum ſeu globulum componant, ſed ſingula ſeorſum naſcantur, alia ſeſſilia, alia pediculis longis tenuibus appenſa, qui non raro deorſum reflectantur. *Flos* ex illis ſex foliolis, quæ calycis loco vaſculum ſeminale amplectuntur, & totidem intus apicibus conſtat.

Locus. In ſylvis admodum frequens eſt, præſertim montoſis.

4. *Gramen rore lucidum nemorenſe ſive Luzulæ* J. B. *nem. hirſutum majus latifolium* C. B. *item nem. hirſ. latif. minus* ejuſdem, *magnitudine potiſſimum differens, ex ſententia Chabræi.*

Differt à deſcripto, 1. *Radice* magna, fibroſa, geniculata ruffa *J. B.* quamvis *C. Bauhinus* ex pluribus fibris nigricantibus compoſitam ei attribuat. 2. *Culmis* ſeſquicubitalis *C. B.* cùm J. Bauhinus dodrantalem altitudinem eis attribuat. 3. Foliis cubitalibus *C. B.* J. Bauhiuo quadrantalia aut palmaria, rigidiuſcula, acuta, ſurrecta, extrorſum ſtriata, glabra, at in lateribus longâ, canâ, teneráque lanugine, in folium etiam totum utrinque incurrente, obſita: Iſta lanugo vel pili, qui facilè decidunt tacti colligunt rorem, qui ſplendet noctu, irradiantibus ſtellis vel Luna, ità ut ſit admirationi videntibus. Herbam perquirentes decidente rore invenire non poſſunt. Deſcriptio Graminis hirſuti latifolii majoris apud *C. B.* in *Hiſt.* in omnibus ferè excepta magnitudine, quâ excellit, Gramini noſtro hirſuto nemorenſi vulgari convenit.

Gramen *ejuſdem* hirſutum latifolium minus convenit meliùs deſcriptioni Graminis rore lucidi nemorenſi apud J. Bauhinum. Hæc autem duo Gramina (nemorenſe hirſutum *I.* & *II. C. B.* intelligo) ſpecie convenire, ſeu unum & idem ſpecie Gramen eſſe Chabræus vix mihi perſuaſerit: nec enim magnitudine ſolâ differunt, ſed & foliis, & culmo, & paniculis, ut deſcriptiones conferenti patebit. Minor ſpecies *foliis* rigidiuſculis, acutis, ſurrectis, ex radice inſtar ceſpitis prodeuntibus cum gramine hirſuto maximo noſtrate convenit.

A. 5. *Gramen nemoroſum hirſutum latifolium maximum. An Gr. nemoroſum hirſutum latifolium minus junceâ paniculâ* Park? *ſi hoc intelligit, malè minus appellat. An Gr. hirſutum latifolium minus* C. B? *An Gr. Luzulæ maximum* J. B? *Panicula convenit: folia nimis longa pinguntur.* **The greateſt broad-leaved hairy Wood-graſs.**

Folia huic gramini qualia Gramini rore lucido nemorenſi attribuit J. Bauhinus, nimirum palmaria aut ſeſquipalmaria, rigidiuſcula, acuta, ſurrecta, ſemunciam lata, extrorſum ſtriata, glabra, at in lateribus pilis longis, canis mollicellis donata. Juba ampliſſima & latè diffuſa, qualem Gramini Luzulæ maximo appingit Jo. Bauhinus, juncea: Semina ut in aliis generibus ſpadicea, triquetra.

In Gram. Luzulæ maximo *J. B.* folia unciam latitudine ferè æquant, longitudine cubitali: noſtro, quantum hactenus obſervavimus, folia breviora ſunt, perinde tamen interdum lata.

Locus. In umbroſis ſaxoſis ſæpius obſervavimus. Reperitur etiam Hampſtedii non longe à Londino propè ſylvam.

Gramini Luzulæ maximo *J. B.* Radix craſſa, obliqua, nigra, numeroſis fibris capillata.

6. *Gramen nemoroſum hirſutum anguſtifolium minus paniculis albis* C. B. *nem. hirſutum minimum* Park. *malè. Gramini Luzulæ affine flore albo* J. B. **White-panicled Wood-graſs.** *J. B.*

Perennis vitæ gramen *foliis* eſt ad Graminis Luzulæ ſive nemoroſi folia accedentibus, conſimiliter piloſis: at *culmi* majores, cubitales: florum manifeſtum diſcrimen: Ii ſiquidem in ſummo faſtigio albi ſunt, feſtucacei, cùm in altero non in feſtucas, ſed in capitula deſinant, ſeu parvos calyces ſemina claudentes, eóſque nigricantes, cùm hujus feſtucæ albeſcant. Luzulæ modo quoſdam habet pilos, qui etiam facilè decidunt.

Locus. Plantam hanc quam deſcribit J. Bauhinus, ad latera montis Salevæ & in colle *la Baſtie* propè Genevam obſervavimus. An idem ſit quod C. Bauhino deſcribitur ſub titulo allato dubitamus, cùm ille floſculos ſingulos expanſos ſenis donatos foliolis ſuo attribuat, unde totidem ſtaminula prodeunt.

PARS SECUNDA.

De Herbis graminifoliis non culmiferis flore ſtamineo.

Cap. I.

De Gramine cyperoide & Cypero.

Hujus notæ ſunt præter folia graminea & ſtamineos flores toti generi communes, caules triquetri in omnibus, & in pleriſq; etiam ſemina.

Horum ſpicæ ſeu paniculæ in nonnullis aliæ ſupra alias è foliorum ſinubus exeunt, quæ Gramina cyperoidea polyſtachia dicimus; in aliis ſummos caules terminant, quæ vel ſpicata, vel paniculata. In utroque genere maxima, modò radicibus tuberoſis donata ſint, Cyperi ſimpliciter dicuntur.

Cæterùm Cyperus Κύπειρος à radicis effigie pyxidulam aut vaſculum puſillum imitata dicitur.

§. 1. *Gramen cyperoides polyſtachyon.*

A. 1. *Gramen cyperoides cum paniculis nigris* J. B. *cyperoides majus latifolium* Park. *cyperoides* Ger. *Cyp. latifolium ſpicâ ruffâ, ſive caule triangulo* C. B. **Great vernal Cyperus-graſs.**

J. B.

Geniculatim incedunt & prorſum *radices* craſſiuſculæ, Cyperi longi radicibus ſimiles, à quibus pendent fibræ craſſiuſculæ. *Folia* cubitalia & ſeſquicubitalia, lata, carinata & ſtriata, Cyperi paria. *Caulis* duobus cubitis interdum altior, concinnè triquetrus, ſolidus, imâ parte uno vel altero folio ceu vaginâ cinctus, cæteroqui nudus, per faſtigia foliis aliquot, ipſius cacumen haud multùm ſuperantibus donatur; è quorum ſinu *ſpicæ* quædam emicant, duûm triúmve unciarum, ex obſcurâ purpurâ initio nigricantes; deinde è ſquamarum ſingularum ſinubus ſinguli exeunt utriculi, è viridi flavicantes, acuminati, ſingula intus ſemina triquetra nitida per maturitatem nigra, continentes. Summum caulis faſtigium occupant tres, quatuórve ſpicæ, è ſpadiceo nigricantes, contiguæ ferè, habitiores, ſemine caſſæ, è mollibus glumis contextæ. Quin & ſpicarum ſeminiferarum ſumma pars non rarò paleacea eſt & ſemine vidua ad modum ſupremarum mox dictarum. Caulis cætera enodis, ad exortum foliorum è quorum ſinubus ſpicæ exeunt nodoſus eſt.

In aquoſis, ínque aquis ipſis ad fluviorum ripas non rarò oritur, & Maio menſe, aut etiam Aprili floret & ſpicas producit, inque multos annos durat. Per totam Angliam frequentiſſimum eſt. *Locus.*

A. 2. *Gramen cyperoides majus anguſtifolium* Park. *Graminis nigro-lutei verni varietas major* J. B. **Great narrow-leaved vernal Cyperus-graſs.**

Hoc genus præcedenti perſimile eſt, ſed per omnia minus, in parem tamen altitudinem aſſurgit, *caule* concinnè triquetro, ſolido, imâ parte *foliis* aliquot cincto anguſtioribus, brevioribus & minùs ſtriatis, cætera & nudo, & enodi ad faſtigium fere, ubi ad intervalla duo triáve folia, è quorum ſinubus *ſpicæ* exeunt anguſtiores & graciliores multo quam in illo: utriculi etiam ſemina continentes minùs turgidi erant, verùm compreſſi in plantis nobis deſcriptis, (forte eæ maturæ non erant.) Summum caulem terminant ſpicæ ſimiles paleaceæ & ſemine caſſæ, verum pauciores & ſtrigoſiores multo.

Hanc plantam iiſdem cum præcedente locis unà naſcentem obſervavimus multoties, unde ſpecie diſtinctam eſſe minimè dubitamus. *Locus.*

A. 3. *Gramen cyperoides foliis Caryophylleis vulgatiſſimum. Graminis nigro-lutei verni minor varietas* J. B. **Many-ſpiked Cyperus-graſs, with July-flower leaves.**

Radix fibris magnis rubentibus conſtat, aliis etiam minoribus rubentibus intermixtis. Caules indè attolluntur locis humidis & lætiori ſolo non dico dodrantales, ſed pedales & ſeſquipedales, triquetri quidem non tamen adeò concinnè & manifeſtè, foliis circa infimum duobus tribúſve ceu totidem vaginis, altera alteram excipiente, obvoluti, deinde nudi ad faſtigium ferè, ubi duo aut tria habentur, è quorum ſinubus totidem ſpicæ ſpadiceo-virides exeunt, pediculis longiuſculis tenuibus appenſæ, primi generis ſimiles ſed minores. Summum caulem terminant ſpicæ graciles, elegantes è ſquamis obtuſis, è ſquamis ſeu glumis cœruleo ſpadiceis, flavâ per mediam longitudinem lineâ ſtriatis marginulis cineraſcentibus, compactæ. Folia Caryophylleis latitudine & colore glauco paria & ſimilia, longiora, retrorſum flexa. N. Spicæ ſemine caſſæ in ſummo caule in prima ſpecie minùs concinnæ ſunt, è ſquamis in acutos cuſpides exeuntibus compoſitæ.

In pratis humidis verno tempore & ad rivulos copioſè oritur, & ſpicas producit. *Locus.*

A. 4. *Gra-*

A. 4. *Gramen cyperoides polyſtachyon lanuginoſum.* **Many-ſpiked hoary Cyperus-graſs.** An
Gr. cyp. Norwegicum parùm lanoſum Park? *pag.* 1172.

Hujus tum folia, tum caules, tum etiam ſpicæ in apricis lanuginoſa ſunt: Nonnunquam tamen *folia* ad genicula duntaxat quà caulem amplectuntur lanuginoſa ſunt. Magnitudo ei Graminis Caryophyllei.

In ſummo caule duas aut tres ſpicas habitiores geſtat ſemine caſſas; & inferiùs ad magnam diſtantiam è foliorum ſinubus duas aut tres alias, in quibus ſemen. His duabus notis ab aliis congeneribus abundè diſtinguitur.

Locus. In paſcuis locis humidioribus oritur.

Figura Graminis cyperoidis Norwegici parùm lanoſi apud Parkinſonum aliam plantam demonſtrare videtur, quam Botanicis Londinenſibus circa altam Portam inquirendam relinquo. Ut & Gramen cyperoides Norwegicum alterum *ejuſdem* in udis Sylvis apud nos naſcens.

A. 5. *Gramen cyperoides polyſtachyon flavicans, ſpicis brevibus propè ſummitatem caulis.* **Yellowiſh Cyperus-graſs, with ſhort ſpikes.**

Altitudine eſt dodrantali & interdum pedali: *Radice* alba, fibroſa; *foliis* anguſtis, ſubtus interdum piloſis, caule brevioribus: *caule* triquetro, duobus tribuſve foliis inferiùs cincto, deinde aliquouſque nudo, propè ſummitatem duas treſve ſpicas promente, ex ſingulis ſci. foliorum alis ſingulas, breves, habitiores, flavicantes, è pluribus granis rigidiuſculis, non exeuntibus in acutum mucronem ut in Gramine paluſtri echinato, compoſitas, unica in ſupremo majuſcula, aceroſa, flavicante ſpica.

Locus. In pratis & paſcuis frequens oritur per totam Angliam.

A. 6. *Gramen cyperoides ſpicis teretibus erectis. Cyp. anguſtifolium ſpicis longis erectis* C. B. **Cyperus-graſs, with many erect ſpikes.**

Seſquicubitalem altitudinem aſſequitur. *Folia* anguſta, concava, glauca, caulem aliquouſque amplectuntur, longitudine ſuperant. *Caulis* triquetrus quidem, ſed ità ut vix poſſit diſcerni; in cacumine ſpicas gerit tres vel quatuor, aliquouſq; disjunctas, tenues, longiuſculas, ſemine caſſas, ad quarum infimam apponitur foliolum. Inferiùs è foliorum ſinubus exeunt duæ aut tres ſpicæ, habitiores, teretes, erectæ, duas uncias longæ, è membranaceis ſubrotundis utriculis, pallidè virentibus, mucrone donatis compoſitæ.

Locus. In aquoſis & ſtagnis vadoſis obſervavimus in agro Warwicenſi.

A. 7. *Gramen cyperoides ſpicatum* Ger. emac. *ſpicatum foliis Caryophylleis* Park. *Caryophyllata foliis, ſpicâ divulſâ* C. B. *Gramen cyperoides vernum minimum.* **The leaſt vernal Cyperus-graſs.**

Radix ei longa, fibroſa: *Folia* anguſta, glabra, viridia: *Caules* trianguli, foliis nudi, palmum & dimidium non excedunt, in ſummitate ſpicas tres quatuórve geſtantes, breviuſculas, juxtim poſitas & ferè contiguas, non è foliorum alis egreſſas ut in præcedentibus, (quamvis interdum obſervaverim unam è folii inferioris ſinu exeuntem) ſuperiorem aceroſam & ſemine vacuam, reliquas ſeminibus fœtas.

Locus. Spicam producit & floret primo vere, ante reliqua genera, in paſcuis ſterilioribus paſſim.

A. 8. *Gramen cyperoides ſpicâ pendulâ breviore* C. B. *Cyperus ſive Pſeudo cyperus ſpicâ brevi pendulâ* Park. *Graminis cyperoidis genus, Pſeudo-cyperus Lobelio, ſpicis vel paniculis pendentibus ex longis pediculis* J. B. *Pſeudo-cyperus* Ger. **Baſtard Cyperus with ſhort pendulous ſpikes.**

C. B.

Radice eſt candida, nonnunquam nigricante, craſſa, frequentibus fibris capillaceis obſeptâ, & verum Cyperum geniculis æmulante, ſapore herbaceo, inodora: *foliis* Cyperi: *caule* cubitali, in cujus ſummo ſpicæ plures oblongæ [cylindraceæ] ſingulæ ex ſingularibus pediculis oblongis dependentes, quæ ſquamoſæ & flaveſcentes.

Locus. In paluſtribus & aquaticis, ſtagnis vadoſis, rivorúmque marginibus reperitur, non tamen ità frequens apud nos.

Hujus ſpicæ non exeunt omnes ex eodem caulis puncto, ſed ex ſingulis foliorum ſinubus ſingulæ; caule in ſpicam ſtrigoſam, aceroſam, ſemine caſſam terminato, ut in aliis hujus generis.

A. 9. *Gramen cyperoides ſpicâ pendulâ longiore* Park. *ſpicâ pendulâ longiore & anguſtiore* J.B. C.B. **Many-ſpiked Cyperus-graſs, with long pendulous ſpikes.**

Magnitudine & ſtatura æquat vel etiam ſuperat Gramen cyperoides cum paniculis nigris. Spica in ſummo caule ſemine caſſa ſingularis & habitior. Quæ ſecundùm caulis longitudinem è ſinubus foliorum ſingulis ſingulæ exeunt longæ ſunt, anguſtæ, pendulæ, flavicantes: quinq; plurimùm in eodem caule ſemine prægnantes præter eam quæ in faſtigio eſt aceroſam & vacuam. Spicæ hæ pendulæ ſunt non tam ob longitudinem & tenuitatem pediculorum quàm ob ipſarum ſpicarum longitudinem & gracilitatem & ſummam partem ob craſſitiem ſuam ponderoſiorem; ex innumeris autem veſiculis ſeminalibus exiguis, acuminatis compoſitæ. Caulis infra ſpicifera folia, quatuor vel

quinq;

inq; non ſpiciferis eum obvolventibus veſtitur, ut exigua admodum pars caulis à foliis inferioribus ſuperiora nuda ſit.

In foſſis Notleiæ propè Brantriam in Eſſexiâ copioſè. *Locus.*

A. 10. *Gramen cyperoides ſpicis parvis, longiſſimè diſtantibus.*

Caule eſt bipedali & longiore, & pro longitudine tenuiſſimo. E foliorum alis ad longiſſima in rvalla ſpicæ exeunt, ut in hujus generis reliquis, ſingulares, pediculis tenuiſſimis uncialibus aut ngioribus appenſæ, ipſæ graciles, [interdum habitiores] unciales aut longiores. Spica paleacea mine vacua, ſingularis caulis faſtigium occupat. Folia ad radicem multa caules ſingulos circum ant, modicè lata, carinata ſeſquipalmaria aut ſemipedalia, quorum duo triáve imum caulem ceu gina amplectuntur, deinde ad longitudinem pedalem caulis fere nudus eſt, Spicas plerunq; tres ræter ſummam ſtrigoſam & ſemine caſſam in ſingulis cauliculis producit.

Hanc ſpeciem primus mihi oſtendit D. Martinus Liſter, poſtea ipſe obſervavi loco putrido paluſtri propè molendinum *Machins mill* dictum ſeſquimilliari à Witham oppido verſus Cama odunum.

A. 11. *Gramen cyperoides ſylvarum tenuiùs ſpicatum* Park. Lob. *in Illuſtr. ſtirpium p.* 60. **Slender-eared wood Cyperus-graſs.**

Radix ſatis craſſa obliquè incedit demiſſis fibris albentibus terram firmiter apprehendens, germina obiter protrudens multa, unde planta ſe dilatat, & commodum locum nacta denſis ceſpitibus rræ ſuperficiem occupat. *Folia* quæ è radice exeunt ſemipedalia, modicè lata, glabra, pallidè vi dia, in medio carinata, & utrinq; lateribus ſecundùm longitudinem reflexis, duobus infernè ſulcis, ſupernè eminentibus porcis exarata, ut in Cypero Officinarum. *Caules* cubitales & longiores, verſus rram plerumque reclinati, tenues, triquetri, ima parte uno alteróve folio cincti, deinde longis in rvallis duobus tribúſve aliis, è quorum ſinubus ſingulis ſingulæ exeunt ſpicæ longiuſculæ, graciles ſtrigoſæ, è viridi luteſcentes, prætenuibus (& inferiores etiam prælongis) pediculis pendulæ, ſu emo caule in ſimplicem, tenuem ſemine caſſam xerampelinam ſpicam exeunte.

In ſylvis copioſiſſimè oritur. *Locus.*

12. *Gramen cyperoides polyſtachyon minimum, ſpicis per maturitatem albicantibus.*

Radix obliquè incedit, fibris ſubinde demiſſis, per ſiccitatem rubentibus. *Folia* ad radicem plurima conferta, palmaris longitudinis, anguſtiſſima, & in ſicco ob convolutionem ferè juncea. *Cau- li* plurimi, ſemipedales, tenues, recurvi, ima parte velut vaginâ quâdam cincti, cætera nudi, ad faſtigium ferè, ubi è foliolorum ſeu vaginularum quarundam ſinubus binæ utplurimum ſpicæ (h.e. ſingulis ſingulæ) perbreves, ex utriculis aliquot turgidis & ſubrotundis ſemina triquetra conti entibus compoſitæ exeunt, ſummo caule in ſpicam tenuem aceroſam, ſemine caſſam, ſemuncialem, bicantem deſinente.

Sub monte Salevæ propè Genevam invenimus. *Locus.*

A. 13. *Gramen cyperoides paluſtre leucanthemum, junceum leucanthemum* Ger. emac. *lib.* 1. *cap.* 22. *n.* 7. *Johnſ.*

In paluſtribus putridis & cœnoſis, **Bogs** dictis, in Occidentalibus præſertim Angliæ ſæpiùs occurrit ſub finem Julii paniculam promens, pedali altitudine aut paulò majore; caule duro, rigido, junceo, [D. Newton obſervante triquetro] tribus circiter articulis diſtincto, ad quorum unumquemq; t in aliis graminibus apponitur folium. E ſuperiorum autem duorum foliorum ſinubus exit ſurcuus ſeu pediculus tenuis, duas tréſve uncias longus, cujus ſummitati innaſcitur quædam veluti umbellula, è floſculis ſeu potiùs glumis aceroſis, elegantulis, albis compoſita: in ſummo autem cauliculo aut propè eum exiſtunt duæ tréſve ſimul ejuſmodi umbellulæ confertæ, brevibus & tenuibus pediculis inſidentes.

Affinitatem quandam habere videtur cum Gramine junceo aquatico *Ger.* junceo polyſtachyo *C.B.* inferiùs inter Gramina juncea deſcripto.

A. 14. *Gramen cyperoides anguſtifolium ſpicis ſeſſilibus in foliorum alis.* **Narrow-leaved Cyperus-graſs, with ſhort ſeſsile ſpikes.**

Fibris albentibus tenuibus radicatur, & in denſis plerunque ceſpitibus naſcitur. *Cauliculi* tenues, pedales interdum & altiores, triquetri, inferiore parte foliis tribus quatuórve anguſtis, longis, caulem ipſum longitudine non raró æquantibus, reliquorum hujus generis in modum, obvoluti; deinde aliquouſque nudi, ſuperiore parte foliis iterum veſtiti tribus quatuorve, infima caulem excedente, in quorum alis *ſpicæ* parvæ, ſquamoſæ, cujuſmodi etiam nullis adnaſcentibus foliolis ſummum caulem occupant duæ tréſve, proximè, admotæ, & velut ſpicam compoſitam efficientes.

In aggeribus foſſarum plerunque oritur, præſertim umbroſis. *Locus.*

A. 15. *Gramen paluſtre echinatum* J. B. Ger. emac. *paluſtre aculeatum vel minus Germanicum* C. B. *aculeatum Germanicum* Park. **Marſh Hedge-hog graſs.**

Palmari & interdum ſeſquipalmari eſt altitudine. *Cauliculi* ima parte propè terram tribus quatuórve foliis non admodum anguſtis, breviuſculis, obſcurè virentibus, reliquorum hujus generis in modum, obvoluti, deinde ad faſtigium propè nudi, ſumma iterum parte duobus tribuſve foliis veſtiti, quorum ſinus occupant ſpicæ ſeſſiles, teretes, echinatæ, ſemunciâ breviores, è triangularibus loculis minoribus, ſemen quoq; triquetrum continentibus compoſitæ, quibus ſupereminet ſummum caulem finiens imperfecta ſpica rufeſcens, longior ferè duplo, vix quartam craſſitudinis partem æquans, mollis, meris ſquamulis contexta. *Radices* prorſum agit nigricantes.

Parvitate ſua & ſpicis compactis habitioribus muricatis in foliorum alis ſeſſilibus à congeneribus facilè diſtinguitur.

Locus. In paludoſis frequens occurrit.

§. 2. *Gramen Cyperoides cum ſpicis aut paniculis in ſummitate caulis.*

A. 1. *Gramen cyperoides paluſtre paniculâ ſparsâ* Park. *cyperoides paniculâ ſparsâ majus* C. B *cyperoides vulgatius aquaticum* Ger. J. B. **Water, or Marſh Cyperus-graſs, with ſparſed heads.**

Ex radice longa, nigra, digitum craſſa, Cyperi longi formâ, geniculata, huc illuc ſe diffundente, multùm fibrata *caulis* ſeſquicubitalis, tribus angulis aſper exſurgit; quem folia Cyperi vel Arundin ex radice prodeuntia veſtiunt. Caulium ſummis ſpicæ cirris brevibus villoſæ, ex aliquot panicul compoſitæ, ſubluteæ, & per maturitatem rufeſcentes, inſident, quibus folia terna aut quaterna ſubjiciuntur; quorum quædam lata & palmum longa, quædam brevia & anguſta.

Locus. In foſſis paluſtribus Elienſibus, inq; fluviis majoribus, ut Thameſi: J. Bauhino ubiq; in aquoſis paluſtribus & ſtagnantibus reperitur. Verùm non adeò frequens habetur in Anglia.

A. 2. *Gramen cyperoides paluſtre ſpicâ longiore laxâ,* **Marſh Cyperus-graſs with loo ſpikes.**

Caulis huic ſeſquicubitalis, triquetrus, angulis ad tactum aſperis, ſi deorſum digiti ducantur, infirmus, nudus, enodis, in cacumine ſpicam laxam ſeu potiùs paniculam longam minùs ſparſam, lucidam geſtans, è pluribus ſpicis ſecundariis compoſitam, quæ ex aliis adhuc exiguis, ſubrotundis, ſquamoſis conſtant. Denſis, firmis & arctè compactis ceſpitibus naſcitur hoc genus, radicibus adeò implexis Juncorum in modum, ut eiſdem tutò inſiſtere poſſis. Ad initium ſpicæ aut nullum apponitur folium, aut perexiguum. Quæ è radice exeunt folia non admodum lata ſunt, caule tamen nonnunquam longiora.

Locus. In paluſtribus putridis & aquoſis oritur.

Hujus aliam ſpeciem per omnia ſimilem ſed minorem, ſpicis anguſtioribus & gracilioribus, ſparſim naſcentem, non in ejuſmodi denſis ceſpitibus, iiſdem in locis obſervavimus.

A. 3. *Gramen cyperoides ſpicâ è pluribus ſpicis mollibus compoſitâ.* **Cyperus-graſs, with a ſoft compound ſpike.**

Cauliculi huic dodrantales aut pedales atque etiam altiores, triquetri, concavi, enodes, imâ parte quatuor vel quinque foliis, eos vaginæ inſtar aliquouſque obvolventibus cincti, cætera nudi, ſpicam in faſtigio geſtantes quatuor, quinque, vel ſex ſpicis brevibus ſubrotundis, ad tactum mollibus, ex utriculis compreſſis ſquammatim incumbentibus compoſitis coagmentatam. *Folia* brevia vix quartam caulis partem longitudine æquant, latitudine Graminis pratenſis minoris.

Locus. In paſcuis locis humidis copioſè provenit.

An hoc idem ſit Gramini cyp. ex monte Ballon J. B. dubitamus, ob altitudinem minorem, folia nimis brevia, nullum ſpicæ ſubjectum folium. Verùm hujus generis plantæ pro loci genio multùm variant.

Ex quo hæc ſcripſimus oſtendit nobis D. *Jacobus Newton* amicus noſter, rei Botanicæ peritiſſimus ipſiſſimum.

A. 4. *Gramen cyperoides ex monte Ballon ſpicâ divulsâ* J. B. *cyper. paluſtre majus ſpica diviſa* C. B. *cyp. paluſtre minus* Park. *cyp. parvum* Ger. ico.

Quod à præcedente differt altitudine majori, cubitali ſci. aut ſeſquicubitali; caulibus tamen gracilioribus, neq; adeò manifeſtè concavis; ſpicis partialibus minoribus, non tamen minùs crebris & confertis; corrigiato foliolo oblongo ſpicæ ſubjecto, quo interdum rectà ſupra paniculam aſſurgente caulis Junci ſpeciem refert; foliis longioribus, anguſtioribus.

Locu; In pratis propè Hitham Colceſtrenſem in Eſſexia. Alibi etiam ſæpiùs idem obſervavit D. Newton.

A. 5. *Gra.*

A. 5. *Gramini cyperoidi ex monte Ballon ſimile, ſpica totali è pluribus ſpicis compoſitâ. An Gr. cyp. elegans multifera ſpica* Park. **Cyperus-graſs, with a ſoft more compound ſpike.**

Præcedente majus eſt & elatius, ut quod cubitalem altitudinem aſſequatur. Spicam habet è ſpicis multò pluribus & denſiùs ſtipatis compoſitam, nec ejuſdem magnitudinis omnibus, ut in illo ferè, ſed ſurſum versùs cacumen minoribus, donec tandem in unam ſimplicem majuſculam ſpicam terminentur.

In paluſtribus & aquoſis Maio floret. *Locus.*

Spica in hac ſpecie coloris eſt ferruginei, & initio ad tactum mollis. Caulis concavus eſt, minùs tamen quàm in præcedente.

A. 6. *Gramini cyperoidi ex monte Ballon ſimile, humilius, in maritimis & arenoſis naſcens.* **Sea Cyperus-graſs, with a compound ſpike.**

Radices craſſæ, crebris geniculis articulatæ, éq; geniculis fibras tenues capillatas emittentes, huc illuc vagantur. *Folia* anguſta, ſemipedalia, carinata, ima parte, ſeu vaginâ *caulem* amplectuntur, aliorum hujus generis in modum, ſemipedalem, tenuem, nudum, enodem, triquetrum, in ſummo ſpicam ſuſtinentem è multis ſpicis compoſitam, paucioribus tamen quàm in ſuperiore. Singulis ſeminibus (quæ velut totidem ſquamæ ſpicas partiales componunt) duos plerunq; tenues & contortos pilos emittunt, unde tota ſpica velut ferrugineo quodam capillitio hirſuta videtur. Ob tenuitatem caulis, & gravitatem ſeminum ſpica plerunq; deorſum nutat.

In arenoſis maritimis frequens occurrit. *Locus.*

A. 7. *Gramen cyperoides elegans ſpica compoſita aſperiore.* **Elegant Cyperus-graſs, with a rough compound ſpike.**

Radices huic albæ, fibroſæ: *Folia* anguſta & vix ¼ digiti partem lata, pallidè viridia, caulem aliquouſq; amplectentia, dodrantem longa. *Caulis* pedalis, triquetrus, nudus, enodis, in cacumine *ſpicam* geſtans colore herbaceo ſeu ex viridi flavicante, è ſpicis parvis quinque vel ſex, vel pluribus paucioribúſve, compoſitam, brevibus, teretibus, ſquamoſis, ſquamis (quæ nihil aliud ſunt quàm utriculi ſemina continentes) compreſſis & acuminatis. Ad ſpicam autem nullum apponitur folium.

In ſtagno quodam non longè à *Middleton* vico versùs *Coles-hill*, in agro Warwicenſi, propè *Wrexham* in Wallia, & alibi variis in locis obſervavimus. *Locus.*

A. 8. *Gramen cyperoides paluſtre majus ſpicâ compactâ* C. B. *paluſtre cyperoides aquaticum ſpicâ integrâ* J. B. *paluſtre cyperoides* Ger. *cyp. paluſtre majus* Park. **The greater ſpiked Cyperus-graſs.**

Triquetrum Cyperi tollit *caulem*, cubitalem & ſeſquicubitalem, ſolidum, enodem, ima parte quatuor aut quinq; foliis, eum vaginæ inſtar includentibus, cinctum, cætera nudum; cujus faſtigium ornat ſpica, [Panici quodammodo ſimilis J. B.] ſeſcuncialis & major, è ſquamis compreſſis, acuminatis & quodammodo aculeatis compoſita: Sunt autem ſquamæ hæ nihil aliud quàm loculi triangulares, *ſemen* continentes, Milio ferè æquale, compreſſius. *Radices* fibroſæ, ex deciduorum foliorum fibris comoſæ, *Folia* mediocriter lata caulem ferè longitudine æquant. Ad baſin ſpicæ plerunq; apponitur foliolum anguſtum oblongum, aliáq; etiam ſed breviora ad baſes ſpicarum particularium totalem componentium.

In aquoſis frequens naſcitur. *Locus.*

A. 9. *Gramen cyperoides ſpicatum minus. Gr. cyp. ſpicis minus compactis* Park. *cyp. parvum* Ger. deſcr. *cyp. ſpicis minoribus minúſq; compactis* C. B. J. B. **The leſſer ſpiked Cyperus-graſs.**

Præcedenti ſimillimum eſt hoc genus, ſed multis numeris minus. *Radix* obliqua, fibris craſſiuſculis rufeſcentibus donata. *Cauliculi* pedales, terram versùs plerunq; reclinati, ima parte foliis aliquot [ſex, ſeptemve] eum vaginæ inſtar obvolventibus aliquouſq; cincti, cætera nudi ad ſpicam uſq; quæ minùs compacta eſt quàm in præcedenti, è ſpicis minùs arctè ſtipatis compoſita. Utriculi & *ſemina* illius ſimilia. *Folia* anguſta, carinata, modicè longa, multò tamen caulibus breviora.

Extra aquas plerunq; oritur, in paſcuis humidioribus. *Locus.*

A. 10. *Gramen cyperoides ſpicatum minus, ſpicâ longâ, divulsâ ſeu interruptâ.* **The leſſer ſpiked Cyperus-graſs, with a long interrupted ſpike.**

Radix obliqua fibris craſſiuſculis demiſſis terræ firmiter adhæreſcit. *Cauliculi* dodrantales aut pedales, tenues, triquetri & ſtriati, terram versùs plerunq; reclinati, ima parte ſex ſeptémve *foliis* anguſtis, carinatis cincti, enodes tamen. Folia etenim omnia caulem ad tertiam ferè longitudinis partem ceu theca obvolvunt & includunt, & inferiora etiam ſuperiora, omniáque è radice unà cum caule exeunt, adeò ut ima pars caulis ſex ſeptémve velut vaginis integatur: quod & aliis etiam hujus generis Graminibus commune eſt. Spica in ſummo cauliculo longa, divulſa ſeu interrupta, è ſex nimirum ſeptémve ſpicis parvis, ſquamoſis, ſeſſilibus, ex utriculis aculeatis compoſitis, longiùs diſtantibus [inferiores intellige] coagmentata. *Folia* interdum ſeſquipalmaria ſunt & longiora, caules ipſos longitudine vel æquantia, vel etiam excedentia, quo à reliquis hujus generis ſpicatis differt. Spicæ inferiores ad exortum folium viride, anguſtiſſimum capillaceum obtinent.

Uſus. In paſcuis locis humidioribus naſci amat.

A. 11. *Gramen cyperoides ſpicatum minimum, ſpicâ divulſâ aculeatâ. Gr. ſylvaticum* 3. Tab. *parvum tenuifolium cum ſpica aculeata* J. B. *nemoroſum glabrum* 4. *ſive ſpicis parvis aſperu* C. B. **The leaſt prickly ſpiked Cyperus-graſs.** *An Gr. cyperoides echinatum montanum* Park.

Radicum fibræ craſſiuſculæ, pro plantulæ modulo, nova in ambitu germina emittentes herbam propagant. *Folia* anguſta, brevia, imos cauliculos ut in præcedentibus cingunt, ſunt autem ii palmares & interdum ſeſquipalmares, tenues, triquetri, ſpicam in ſummo ſuſtinentes tribus plerunq; glomerulis folliculorum aculeatorum ſemina includentium compoſitam. Utriculi per maturitatem extrorſum magis reflectuntur quàm in præcedentibus, unde & ſpicæ magis aculeatæ ſentiuntur.

Locus. In locis paluſtribus, ſolo putrido & ſpongioſo plerunq; oritur.

A. 12. *Gramen cyperoides ſeminibus deorſum reflexis puliciformibus.* **Flea-graſs.**

Hujus cauliculus palmaris in ſummo ſpicam geſtat brevem, raram è ſeminibus paucis, puliciformibus deorſum reflexis, ſpadiceis compoſitam.

Locus: In paluſtribus putridis oritur. Parvitate ſua, figura, colore & ſitu ſeminum à reliquis hujus generis facilè diſtinguitur. Semina quantum memini triquetra ſunt: Plantulam accuratè deſcribere quando ejus copia facta erat neglximus; in paluſtribus tamen non valdè infrequens eſt.

* 13. *Gramen typhinum* Tab. *ſpica multiplici nigra* J. B.

Nobis cum J. B. ad Gramen cyperoides accedere videtur, verùm quodnam genus ſit nondum conſtat. Conſule ſi placet J. Bauhinum lib. 16. cap. 181. & C. Bauhinum Theat. l. 1. ſ. 1. c. 12. n. 7. cui Gramen typhoides ſpica multiplici dicitur.

* 14. *Gramen cyperoides latifolium ſpica ſpadiceo-viridi majus* C. B.

Quod in humidis ad Sellam novam Monſpeſſuli primùm vidit, quódq; *P. Magnol* abundare juxta Ladum amnem ſcribit, an nova ſpecies ſit & ab omnibus ſuperiùs à nobis deſcriptis diverſa neſcimus. Si *D. Magnol* accuratiùs deſcriptum nobis dediſſet, hunc ſcrupulum exemiſſet. Nec minùs incerti ſumus de

* 15. *Gramine cyperoide anguſtifolio ſpica ſpadiceo-viridi minore* ejuſdem.

* 16. *Gramen cyperinum nemoroſum* Tab. J. B. *nemoroſum ſpicâ ſublongâ recurvâ* C. B.

Radicibus fibroſis, *foliis* anguſtis, dodrantalibus, acuminatis, *caulibus* rotundis, pedalibus ſpicas duas tréſve ex luteo purpuraſcentes, trium unciarum ſuſtinentibus, nobis incognitum, circa Monſpelium pratorum & ſatorum margines ornare ait *P. Magnol.*

Præter has & alias adhuc quatuor Graminis cyperoidis ſpecies novas, & à nemine ante ſe proditas proponit & deſcribit Parkinſonus in Theatro ſuo Botanico. Eæ ſunt

1. Gramen cyperoides Danicum glabrum foliis caryophylleis.
2. Gramen cyperoides ſpicatâ fuſcâ elegantiſſimâ paniculâ Bayonenſe.
3. Gramen cyperoides paluſtre Bayonenſe.
4. Gramen cyperoides Bayonenſe Iſchæmi paniculis fuſcis.

Quod ad ſingula genicula è foliorum ſinubus duas tréſve plerunque ſpicas promit: quod ſi verum ſit, huic generi peculiare eſſe videtur, quantum hactenus obſervavimus.

Horum deſcriptiones è Parkinſoni hiſtoria petas: nam quia nobis incognitæ & ſuſpectæ ſunt piget eas huc transferre.

1. Gramen caryophyllatum nemoroſum ſpicâ multiplici C. B.

Item,

2. Gramen caryophyllatum montanum ſpicâ varia, *ejuſdem:*

Item,

3. Gramen ſpicatum anguſtifolium montanum *ejuſdem,*

Graminis cyperoidis ſpecies eſſe videntur: quorum deſcriptiones in C. B. prodromo habentur.

17. *Gramen marinum cyperoides* J. B. *cyperoides maritimum* C. B. *Juncus cyperoides maritimus* Lob. *maritimus Narbonenſis* Park.

C. B. *Radice* nititur lignoſa, longâ, rufâ, nigrâve, geniculatâ, prolixiùs ſerpente, fibríſq; capillata, multis villoſis cirris additis, ſapore grato: *foliis* longis, pallidis, craſſis, porraceis, lentis, ſparſis & inflexis *caulem* pedalem, rotundum, lævem nudum ſuperantibus, cujus ſummitati caput globoſum, Ampeloprasi magnitudine & figura inſidet, corticoſum, ſquamíſque farctum, ex luteo ruffeſcens [J. Bauhino rectiùs ex nigro rubeſcens] ſplendénſque: cui folia plerunque terna, [duo utrinque Dalechampio] aliquando quaterna, triuncialia & veluti cornua prominente ſubjiciuntur. *Seminibus* eſt rufeſcentibus, triangulis, mediocribus.

In arenoſis litoribus propè Neapolin copioſè provenit. Habetur etiam ad mare Monſpelii. *Locus.*

§. *Cyperi Botanicis dicta.*

Hi majores ſunt pleriſque aliis hujus generis, radicibus tuberoſis. His tamen ob convenientiam in paniculis ſquamatis ſpecies nonnullas è minoribus accenſemus.

A. 1. *Cyperus longus* Ger. *longus odoratus* Park. *odoratus radice longa, ſive Cyperus Officinarum* C. B. *paniculâ ſparsâ ſpeciosâ* J. B. **The ordinary ſweet Cyperus, or Engliſh Galingale.**

Radicibus eſt oblongis, geniculatis, multis internodiis, ſibi implicitis, ut ſunt radices Arundinum, & Graminis modo ſummo ceſpite ſerpentibus, fibris multis capillatis, è puniceo nigricantibus, ſucculentis, carne vero in ſubluteo albicante, odoratis, ſubamaris, cùm ob nimiam locorum humiditatem amaritudo non rectè perſentiatur, vel ſubacribus cum quadam adſtrictione. Radiculæ quinetiam in Olivares portiones extuberant atque ità continuatæ ſunt ut in Filipendula. *Folia* habet Arundinacea, porraceis longiora, graciliora, duriora, dorſo eminente & acuto, ut tanquam acies manus evellentum ſcindat. *Caule* eſt cubitali, nonnunquam etiam altiore, erecto, enodi, glabro, ſtriato, triquetro, medullâ albâ, ut in Junco, referto: In cujus cacumine folia minora, quadantenus ſtellatim diſpoſita, comæ, quam etiam ſuperant, ſubjecta. *Panicula* ſeu juba (Junio, Julio, & Auguſto ſubrufſa, & dum floret Agallochum ferè olente) lata laxáque ex cacumine dependet; in cujus glumis exiguum *ſemen* durum, cortice nigro veſtitum & triangulum includitur. Quod ſemen (ait Fallopius) infeſtiſſimum in noſtra Oriza, in noſtris regionibus, & ſi comedatur inebriat ut Lolium.

In pratis circa Monſpelium, inque Sicilia & Italia obſervavimus locis cultis & paluſtribus. D. Newton in inſula *Purbeck* dicta Dorceſtriæ Angliæ eum invenit prope Sacellum quoddam, à latere Portlandiam inſulam ſpectante. *Locus.*

Stomachica eſt, & uterina hujus radix: Uſûs præcip. in urina & menſibus ciendis, cruditate ventriculi conſumenda, hydrope inchoato præſervando, colica ac vertigine diſcutienda, intellectu roborando: maſticata oris fœtorem emendat. Cocta vel macerata in oleo, contuſa & impoſita renibus ac pectini calculum depellit & urinam proritat. *Vires & Uſus.*

Si radicibus pulveriſatis ſaccharum & mel addatur, & cum pauco vino ſimul coquantur, dein in taleolas diſſecentur, & juſculum affundatur Gingiber conditum æmulabitur.

Stipites cum radicibus ſole exſiccatos & aceto conſperſos fruſtatim tundunt, & veſtibus interponunt ut ſuâ odoris gratiâ commendent Galli. *Ruell.* Sic & Hiſpaniæ & Italiæ mulierculæ radices aceto paratas pro odoramento ac ſuavi ſuffitu recondunt: aliquæ etiam exinde pulveres conficiunt.

Radix pulveriſata ad ʒ j. cum ſpica Lavendulæ optimè fœtum expellit, ut & ſecundinas. *D. Palmer* ex dictatis D. Hermanni.

2. *Cyperus panicula craſſiore minùs ſparſâ* J. B. *An Cyperus rotundus inodorus Germanicus* C. B? *Cyp. rot. littoreus inodorus Anglicus alter* Park?

Culmum tollit triangularem ad cubiti & ſeſquicubiti altitudinem, quem ſtipant *folia* graminea, ſtriata, carinata, acuto dorſo, gibba: in culmi ſummitate *folia* duo aut tria breviora, anguſtiora oriuntur, quorum ſinu paniculæ ſe explicant fuſcæ, floſculis pallentibus. *Radix* è pluribus olivaribus glandibus conſtat, colore foris fuſco, intus albo, ſubſtantiâ durâ, dulci. Hiſce adnata complura filamenta, glandiúmque inter ſe connexus per filamenta fit culmum craſſitudine æquantia. Virens odore deſtituitur.

Floret Junio & Julio ſuo nimio reptatu moleſta. *Tempus.*

Plantam cujus deſcriptionem è J. Bauhini hiſtoria mutuatam dedimus eandem eſſe quam C. Bauhinus *Cyperum rotundum inodorum Germanicum* appellat, minimè dubitamus. Nam & deſcriptiones per omnia conveniunt, & C. Bauhinus ſe eam vidiſſe ait copioſè in horto Montbelgardenſi à Joanne fratre cultam: cui etiam idem eſt cum eo qui in ſcrobibus & rivulis ad Scaldæ amœniſſima fluenta provenit, Lobelio monente, cui Cyperus aquaticus Septentrionalis: at Camerario Cyperus rotundus, nigras inodoras radices habens dicitur.

Chabræus apud J. B. hunc Cyperum rotundum odoratum vulgarem *C. B.* facit. Verùm ſi rectè pictus ſit, nec panicula, nec radices conveniunt. Notandum tamen *P. Magnol* obſervare in Planta propè Monſpelium naſcente, quam pro Cypero rotundo vulgari *C. B.* habet, caules ex radicibus rotundis exire, ut in icone Cyperi rotundi inodori Germanici ejuſdem *C. B.* pinguntur, non autem radicibus fibroſis appendi rotundas, ut in icone Cyperi rotundi odorati vulgaris. Nos certè in plantis noſtris ſiccis Monſpelii collectis invenimus Cyperi paniculâ craſſiore minùs ſparſa culmum & paniculam. Fortè igitur Cyperus rotundus odoratus vulgaris *C. B.* & Cyperus rotundus inodorus Germanicus una & eadem planta ſunt; de quo tamen ob iconas tantopere diverſas dubitamus.

* 3. *Cyperus rotundus Orientalis major* C. B. *Cyp. Syriaca & Cretica rotundior* J. B. *Cyp. rotundus odoratus Syriacus* Park. *rotundus Syriacus* Ger. emac. *Alpin.*

Radicibus eſt rotundis, Olivæ craſſitie, multis, mediâ quadam fibrâ tanquam filo, Filipendulæ modo, connexis, variis ſtriis aſperſis, foris ſubrufis, aliquando rubentibus, aliquando etiam nigris, intùs albidis, aromatici odoris, & acuti ſaporis. *Foliis* eſt porraceis, longioribus tamen atque anguſtioribus; *caule* cubitali, anguloſo, in cujus cacumine folia aliquot, ſtellæ in modum diſpoſita, è quibus ſpicæ aliquot herbacei coloris, ſemina continentes, prodeunt.

Locus. In Ægypto circa urbem *Bagadet* in muſcoſis humidis copioſè Rauwolfius vidit: in Nilo flumine & pluribus Ægypti lacubus vel locis paluſtribus copioſiſſimè provenit Alpino monente.

* 4. *Cyperus rotundus Orientalis minor* C. B. *Cyp. rotundus minor* Adv. *rot. odoratus Syriacus minor* Park. *minor Creticus* Ger. emac.

C. B.

Hic illo duplo minor eſt; cortice fuſco, villoſo, priori ſapore & odore ſimilis, qui non modò à Syriæ montoſis udis, ſed etiam Illyriæ & Apuliæ, ubi ſponte provenit in Italiam defertur.

Huic ſimilis Cretica, radice Olivæ minoris rugoſa, foris nigra aut fuſca, odorata, aromatica & amara.

5. *Cyperus rotundus minimus Hiſpanicus* C. B. *rot. odoratus alter humilis Hiſpanicus* Park. *Cyperus rotundus pumilus elegantiſſimus pede humilior* Cluſ. cur. poſt. *quem in ſportulis Gulielmi Boelii vidit.*

A. 6. *Cyperus rotundus littoreus inodorus* Lob. J. B. *rotundus inodorus Anglicus* C. B. *rotundus littoreus* Ger. *rot. littoreus inodorus Anglicus* Park.

In Angliæ Borealis & Belgii fluminum littoreis, lenéque fluentium rivulorum, & maris alluvionibus Cyperi genus non inelegans, radicum longè latéque ſparſa ſobole, multis & bicubitalibus implexarum filamentis Cypero rotundo parium oritur. *Folia* anguloſa, *caulis* cubitalis & ſeſquicubitalis, nitidus, triquetrus, in quo racemoſa juba congeſta. Guſtu ſubaſtringit. *Radix* frigida & ſicca, odoris & ſaporis expers. *Lobel.*

Felicior nobis fuit Lobelius qui hujuſmodi Cyperum in Angliæ Borealis litoreis invenerit. Nobis enim plantas ibi indagantibus non comparuit, ab aliis tamen obſervatum audivimus.

Alias adhuc hujus generis plantas deſcribit & depingit Parkinſonus; nimirum

1. Cyperum rotundum litoreum inodorum Anglicum alterum. A ſuperiore capitulis aliquot ſquamoſis nigricantibus, tribus vel quatuor ſimul junctis differt, cætera ſimilis.

2. Cyperum rotundum inodorum aquaticum. Radicibus nigricantibus, rotundis, fibras inter reptandum emittentibus; paniculis oblongis ſeu ſpicis è ſummitate caulium una cum foliis exeuntibus à reliquis diſtinguitur.

3. Cyperum rotundum inodorum aquaticum alterum. Radicibus oblongis Olivaribus fibras multas emittentibus cum præcedente convenit; foliis multò longioribus, caulibus elatioribus, capitulis brevioribus eminentioribus foliis longis intermiſtis, ab eodem differt.

A. 7. *Cyperus longus inodorus ſylveſtris* Ger. *longus inodorus vulgaris* Park. *longus inodorus ſylveſtris Lobelio* J. B. *longus, inodorus Germanicus* C. B. *Gramen cyperoides altiſſimum, foliis & carina ſerratis* P. Boccone. **Long-rooted baſtard Cyperus.**

Bocc.

Calamus hujus arundinaceus,, rotundus, geniculatus, hominis quandoque proceritatem æquans. *Folia* in ſingulis geniculis *Cyperi* vulgaris more carinata, pede longiora, ſemiunciam lata, ſupernè anguſtiora, utroque margine & media coſta Serratulæ foliorum modo exaſperata & ſerrata: In cacumine & foliorum alis Jubæ Milii vel Junci paniculâ ſparsâ contractiores, ſuccedentibus etiam ſeminibus minoribus & nigricantibus. *Radix* ſubeſt longa, fibrata, perennis, Graminis canini ſeu dactyli modo ſerpens.

In paluſtribus provenit v. g. ad pagum *Hinton* propè Cantabrigiam; in loco quodam paludoſo ad maris litus inter Penſantiam & *Marketieu* oppida in Cornubia; & in locis paluſtribus ad fluvium *Tame* ſub *Dorſthill* vico non longè à *Tamworth* oppido agri Warwicenſis. Obſervavimus etiam in Lado amne juxta Monſpelium. Monſpelienſes pro non deſcripto habent: nobis deſcriptus videtur & depictus ſub titulo allato quamvis imperfectè.

Cyperum longum inodorum ſylvaticum C. B. Park.

Cum à C. Bauhino in Prodromo imperfectè deſcriptus ſit, ut qui caulem & paniculam non viderat, omitto.

8. *Gramen cyperoides panicula nigricante* Park. *cyp. minus, paniculâ ſparſa nigricante* C. B. *Gr. parvum pulchrum paniculâ compreſſa nigricante* J. B.

J. B.

Proximè deſcribendæ ſpeciei paulò major eſt, dodrantem interdum excedens, tota habitior; *folia* latiora, longiora; *culmi* trianguli craſſiores, ſimiliter enodes; paniculæ haud ſecus diſtichæ, ſquamatæ, ut numero ferè ſuperiores ità magnitudine inferiores, colore nigricante. Folia paniculis ſubjecta eundem habent poſitum, eandémque inter ſe proportionem, ſed majora quàm alterius.

Locus. In paluſtribus non procul Monſpelio collegimus, item in Italia ad ipſos Florentiæ muros in foſſis.

9. *Gramen cyperoides paniculâ ſparsâ ſubflaveſcente* Park. *cyp. minus panicula ſparſa ſubflaveſcente* C. B. *Gr. pulchrum parvum paniculâ latâ compoſitâ* J. B.

J. B.

Pulcelli hujus graminis radices capillares ſunt, colore ruffæ, palmum longæ: *Folia* parva, unciam unam, duas tréſve longa, tenuia: *Culmi* triquetri, enodes, frequentes, palmares & ſeſquipalmares: quorum extremis ſeſſiles, ſinéque pediculis utplurimum (licet etiam interdum è medio productus pediculus brevis plures alias ſuſtineat paniculas) impoſitæ *paniculæ*, umbellam quodammodo mentientes, ſpecioſæ, Graminis amoris dicti non ità diſſimiles, compreſſæ, ſemunciam circiter longæ, culmum latæ, binis verſibus ſquamatis compactæ, colore ex viridi ruſeſcente nitido: *Semen* minutum, nigrum. Subjecta ſunt terna folia graminea, quorum unum reliquis multò brevius ſemper conſpicitur.

Locus. In humidioribus & ubi per hyemem aquæ ſtagnârant per Germaniam, Italiam & Galliam Narbonenſem abunde provenit.

A. 10. *Cyperus gramineus* J. B. *gramineus Miliaceus* Ger. *Pſeudo-cyperus miliaceus* Park. *Gramen cyperoides miliaceum* C. B. **Millet-Cyperus-graſs.**

J. B.

Triquetrum cubitalis altitudinis *caulem* ſurrigit, quem *folia* comitantur, ejus imum medio tenus ferè complexa, ubi à caule receſſerint ejus cacumen ſuperantia, carinata, duplo Gramineis latiora, alioqui non ità diſſimilia. Summo caulis faſtigio Miliaceæ in latum diffunduntur paniculæ, granis confertis Junci gravidæ, quorum exortui folia ſubjiciuntur, inferioribus niſi minora eſſent ſimilia. *Radix* fibroſa.

Locus. Variis in locis obſervavimus: v. g. ad ripas fluvii *Tame* prope *Tamworth* oppidum in agro Warwicenſi, in amne non longè ab *Haverford-Weſt* in Penbrochia Walliæ; in fluvio *Blackwater* ad molendinum paulo infra *Bocking* vicum, in Eſſexia à *D. Dale* oſtenſum, & alibi. J. Bauhino Genevæ, Baſileæ & Montbelgardi frequenter & copioſè Maio Menſe florentem obſervavit.

Gramen cyperoides ſparſa panicula Altæ Portæ Park.

Quænam planta ſit Botanicis Londinenſibus inquirendum relinquo: an Cyperus ſupra deſcriptus, An Cyperus VII. ſeu longus inodorus ſylveſtris. An fortè Graminis juncei quoddam genus. An nova & non deſcripta Cyperi ſpecies: quæ tot curioſos veſtigatores hactenus effugit, & ſoli Parkinſono ſe conſpiciendam præbuit?

11. *Cyperus eſculentus* C. B. *Traſi* J. B. *Cyperus dulcis rotundus eſculentus Traſi dulce vocatus* Park. *Cyperus eſculentus ſive Traſi Italorum* Ger. emac. **Sweet Cyperus, or Ruſh-nut.**

C. B. Col.

Radicibus eſt tenuibus, fibroſis, à quibus globuli rotundi, velut exigui bulbuli, ut in Cypero, dependent, qui ex aliqua parte magis extuberant, extremum diviſum habentes, ut Mali Punici fructus, Meſpili coronam æmulantes, paucis lineis per obliquum circumductis ac ſi pluribus partibus conjunctis conſtarent: aliquando cicerum, aliquando fabarum magnitudine: vel ut Columna, magnitudine & formâ ad fructum minoris Meſpili, ex genere Setaneæ accedentes, cortice ſcabro & rugoſo, cùm exſiccatur per tranſverſum ut Arundinum radices ſtriato, exteriùs ruſeſcente, qui excoriari nequit, ideo ſine cortice dici poſſunt: carne candida, ſolida, nec odora, nec medicata, ſed ſapore grato, alimentoſo, dulcíque & Caſtaneis proximo: foliis Cypero æmulis, arundinaceis, oblongis, dorſo eminente triangulis & acuminatis caulibus cubitalibus, anguloſis, in quorum cacumine alia folia minora, ſtellarum modo diſpoſita: inter quæ flores Julio exeunt ſpicati, ſive panicula Cyperi ſubflaveſcens. Omnia verò quàm in Cypero rotundo breviora ac minora.

Locus. Naſcitur in agro Veronenſi; & alibi etiam, quicquid dicat J. Pona: in Siciliæ extremis arenoſiſque oris Auſtro expoſitis, autore Columna. Nos etiam in Sicilia collegimus & aſſervamus hujus ut ſuſpicamur caulem cum panicula, quæ bene reſpondet iconi à Columna exhibitæ, differt autem à panicula Cyperi longi Monſpeſſulani quòd minùs ſparſa ſit, quòd ſpicæ ſquamoſæ eam componentes multo latiores ſunt, & plus duplo longiores, quodque magis confertæ & plures ſimul in uno pediculo communi: colore tamen non diſtant. Radices ob feſtinationem non eruimus.

Hanc ſpeciem caulem nunquam proferre aut florere nec Jo. Pona, neque Geſnerus ipſe mihi perſuaſerint: alicubi fortè, ut in Veronenſi agro, rariùs profert. Nullum plantam perfectam flore & ſemine carere conceſſerim.

* 12. *Cyperus Indicus* Bontii.

Bont.

Vires. Herba hæc in ſumma quantitate circa fluenta Javæ creſcit. Radices ejus tuberoſæ ſunt non ſecus ac Chamæbalani, odoris plane aromatici & Caryophyllos referentis. Unde earum decocta per aliquot dies ſumpta nervorum frigidis affectibus ſummè conducunt, inprimis multum adferunt levaminis in tremoris ſeu Paralyſeos iſto genere quòd *Beriberii* Indis dicitur. Indæ mulieres hanc plantam etiam ciendis menſibus adhibent, nam diuretica admodum eſt. Ideo hydropicis quoque convenit.

Sal ex cineribus utile eſt conſumendis excreſcentiis in ulceribus præſertim tibiarum & pedum. Cyperi cineres pernionibus etiam inſpergi ſolent.

An & quid differat à ſupraſcriptis Cyperis neque ex deſcriptione, neque ex figura certò colligere poſſumus.

CAP. II.

De Papyro.

PApyrus niſi nomen peculiare ſortita eſſet, ob caulem triquetrum Cypero potuiſſet accenſeri.

Papyrus Nilotica Ger. J. B. *Antiquorum Nilotica* Park. *Nilotica ſive Ægyptiaca* C. B. *Item Papyrus Syriaca vel Siciliana* ejuſdem *&* Park. *Nos enim non diſtinguimus.* **The Paper-Reed.**

Hanc ità deſcribit eruditiſſ. Veſlingius: Aſſurgit ab Arundineis fibroſiſque *radicibus* [Cæſalpinus radices lignoſas, craſſas, Harundinis modo geniculatas, numeroſa ſobole in obliquum tendentes, ſapore & odore Cyperum æmulantes, ſed infirmiùs, ſubrufas Papyro Sicilianæ attribuit] circa Nili ſtagnantis ripas *caule* numeroſo, triquetro, non raro ſeptem cubitorum menſuram ſpecioſa proceritate cùm æquante, tum ſuperante. *Folia* circa utrumque ſcapi extremum, inferiùs ampliora Sparganii Cyperíve inſtar repanda, ſupernè minora, quæ radiatum veluti calycem innaſcenti jubæ ſubjiciunt. Denſo ſtaminum ordine ſtipatum caulis faſtigium cæſariem exprimit, & circa ſummum hujus prominuli florei apices obligatum circumplicatâ hederâ thyrſum effingunt. J. Bauhinus ſic floream comam deſcribit. Floribus eſt perquam ſpecioſis & luculentam in ambitu cæſariem effigiantibus, numeroſis gracilibus thyrſulis, denſo & æquabili comarum ſtipatu, & apicibus prominentibus, Ferulæ in modum collectis, non ut Cyperi ſparſis: nimis ornatè & minùs clarè. Cæſalpinus comam latam, ex numeroſis parvis juncis triangulis conſtantem, in quorum ſummo flocci ruffi, ei aſcribit; *magis perſpicuè.*

Papyrus, quam Cæſalpinus in horto Piſano aluit, ex Siciliæ paluſtribus delatam, quam, eodem autore, in Sicilia vulgò Piperum vocant; quam J. Bauhinus in horto dicto Cæſalpini benevolentia vidit, nobis non aliter differre videtur à Papyro Nilotica Veterum quàm magnitudine aliíſque accidentibus à loci diverſitate ortis: neque J. Bauhinus aut etiam Cæſalpinus ipſe diſtinguunt; aliter quam magnitudine.

Vires & Uſus. Ex Papyro olim chartæ fiebant ad ſcribendi uſum, conficiendi modum vide apud Plinium *lib.* 13. *cap.* 11, 12. Hæc ante repertas fruges Ægyptiis alimentum [omnes enim Ægypti incolæ & crudam & elixam & aſſam manducabant, & ſuccum devorabant, manducamentum autem expuebant] ſtragulas, navium contextum, vaſorum utenſilia, florem ad coronandos Deos, & calceos horum ſacerdotibus præbebat. Radix in uſum ligni cedebat. Chirurgi, referente Alpino, foliorum medullâ utuntur ad ulcerum ora dilatanda. Ex ſcapíque combuſto cinere recentia ulcera curant, qui etiam maligna augeri (ſi ſæpe aſpergatur) non ſinit. Ex ſcapis recentibus aquam deſtillant ad oculorum ſuffuſiones, caligines ac obſcuritates maximè proficuam.

Chartæ ex Papyro in deſuetudinem obierunt; novo chartarum artificio circa Annum 1470. (quo tempore ex Gallicia duo viri Antonius & Michael in Germaniam & Baſileam venerunt, & ſecum artem illam antea Germanis ignotam attulerunt) invento; Lintea ſcilicet uſu detrita & flaccida tandiu tundunt machinis aquâ motis donec in ſuccum diſſolvantur: hunc optimè aquâ diſſolutum, non ſine glutine, & conturbatum, cribris excipiunt, qui ſucci craſſitiem retinentes, paginam reddunt ſuper ſtramenta ad uſum parata, quæ ad prioris imitationem Papyrus quoque nominatur, eò quòd eundem nobis uſum præſtet quem olim Ægyptiis Papyrus præſtabat.

CAP. III.

De Junco & Gramine junceo.

JUncus caulibus teretibus, fungoſis, panicula vel in ſummo caule exiſtente, vel ex ejus latere inferiùs exeunte, & multis ſeminibus majuſculis compoſitâ à reliquis graminifoliis diſtinguitur. Gramina juncea à Juncis diſtinguuntur caulibus folioſis articulatis. Folia etiam in his non ſemper teretia ſunt, ſed in nonnullis ſpeciebus compreſſa, in omnibus tamen fungoſa.

Notandum etiam nos communem Botanicorum ſententiam ſecutos nonnullas ſpecies Juncis admiſcuiſſe, quæ ad hoc genus propriè non pertinent, ut v. g. Juncum acutum maritimum Cambrobritannicum, Gramen tomentoſum, &c.

Juncus autem à jungendo dicitur, quòd cùm flexilis ſit, res eo jungi poſſint.

§. 1. *Junci.*

A. 1. *Juncus acutus capitulis Sorghi* C. B. *maritimus capitulis Sorghi* Park. *pungens, ſeu Juncus acutus capitulis Sorghi* J. B. **Pricking large Sea-Ruſh.**

J. B.

Denſè ſtipatos tollit *culmos*, ſeſquicubitales, craſſiuſculos, rigidos, cortice ſpiſſo, medullâ ſolidiuſculâ, albâ, quos ſtatim à radice, craſſis fibris contextâ, involvunt *foliaceæ* vaginæ, rubentes, dodrantem circiter longæ, comitantibus pinnatis criſtis, Sparti Auſtriaci formâ non autem colorem, qui

hic

ic ruffus, æmulantibus. Infra mucronem autem culmorum pungentem tribus quatuórve pollicibus exiliunt florum ſeminúmque glomerata *capitula*, [ſubrotunda, ſplendentia, fuſca, Sorghi æmula, *ſemen* minutiſſimum, oblongum, & ſubfuſcum continentia] quorum exortui ſubjectum eſt folium, indidem erumpens, ex latiore principio vaginam imitata, in acumen deſinens.

Locus. In arenoſis cumulis ad Occidentale Cambriæ litus Merionethenſe copioſiſſimè oritur. C. Bauhinus circa thermas Aponianas frequens eſſe ait, ut & non longè Monſpelio ad pagum *Perauls*, imò in tota illa ora maritima paſſim provenit.

A. 2. *Juncus acutus maritimus capitulis rotundis* C. B. *acutus maritimus alter* Park.

C. B.

Hic multò procerior eſt [præcedente] inquit C. Bauhinus, [imò nobis obſervantibus nihilo procerior:] *radice* craſſa, lignoſa & nodoſa, fibris capillata, ruffo cortice obducta: *calamis* ſive ſcirpis permultis, duos cubitos ſuperantibus, ad exortum rufâ tunicâ opertis, fungoſâ medullâ farctis, in vertice mucrone pungente duplici, altero ſæpe unciis quatuor capitula ſuperante, altero breviore, deorſum reflexo: inter quos ſcapus diſſilit, pediculi prodeunt, foris læves ac teretes, intus veluti canaliculati: *capitula* parva, rotunda, aſpera, Sparganii formâ ſuſtinentes: nonnunquam verò *capitula* plura, aſpera, conglobata ſine pediculo proximè caulem amplectuntur; quibus menſe Junio *flos* capillaceus & candicans inſidet, ſeu lanugo mollis, nivea & tomentoſa inſtar barbulæ propendet.

Locus. In Sicilia, Italia & Gallia Narbonenſi ad maris litus valdè frequens eſt. Nuper etiam in Anglia detexit, in comitatu Somerſeti D. Stephens.

Uſus. Ex medulla & ellychnia & alia à circulatoribus fiunt, unde columbas commentitias volitantes, atque aere ſeſe librantes conflatas vidit Lobelius. *Adv.*

A. 3. *Juncus acutus maritimus caule triangulo* C. B. Park. J. B.

C. B.

Radice eſt repente, fibroſa: à qua aliæ radiculæ prioribus exſiccatis naſcuntur: hinc *culmi*, quos ad radicem brevia *folia* cingunt, pedales, trianguli exſurgunt, & in extremitatem pungentem deſinunt, & paulò infra faſtigium à latere floccus racemoſus ruſeſcens, ex granulis tribus lateribus donatis conſtans, exit.

Locus. In maritimis propè *Frontignanam* & *Perauls* oritur. Apud nos ad ripas Thameſis fluvii tam ſupra, quàm infra Londinum, ut à fide dignis mihi relatum eſt: quamvis ipſe nec ibi, nec alibi eum hactenus viderim.

A. 4. *Juncus acutus maritimus Anglicus* Park. **Engliſh Sea hard Ruſh.**

Eodem modo radicibus ſe propagat quo alii Junci. Sunt autem ſcapi ſeu calami ſeſquicubitales aut altiores, teretes, læves obſcuriùs virides, duriores & ſolidiores multo quàm Junci lævis vulgaris, medullâ denſâ & ſolidâ farcti, alioqui magnitudine illis non multùm cedunt; ad imum tribus quatuórve thecis ſquamoſis ex rubro nigricantibus cincti. E ſcapo in ſinum excavato, & in duo cornua, altero admodum brevi, diducto, ſeſquipalmari aut dodrantali ab apice diſtantia, erumpit *panicula* ampla, in plures partiales paniculas diviſa, unâ præ aliis longo pediculo inſidente & ſupra reliquas eminente ac ſi ſeparata eſſet. Panicula in latitudinem minus diffuſa eſt quàm Junci lævis vulg. colore albi ſpadicei tantillo intermixto, vaſculis triangularibus compoſita.

Locus. In maritimis paluſtribus copioſe oritur, ut, v. g. circa Camalodunum in Eſſexia & ad Occidentale Cambriæ latus.

A. 5. *Juncus acutus* Ger. *acutus vulgaris* Park. *acutus paniculâ ſparſâ* C. B. *An Juncus foliaceus* J. B? **Common hard Ruſh.**

Radix propè terram ſuperficiem obliquè incedit, fibris frequentibus fuſcis demiſſis firmiter depacta; Plurimi inde conferti junci è capitulis ſeu gemmis craſſis & velut bulboſis ſquamis membraneis ſpadiceis ſplendentibus obvoluti exeunt. Hujuſmodi membranoſi folliculi, ſpadiceo colore ſplendentes, ac ſi politi eſſent, intimo reliquis multò longiore, imum juncum ad palmi & amplius longitudinem involvunt & obveſtiunt. *Junci* ſeſquicubitales ſunt & altiores, graciles, teretes, ſtriati, cortice craſſo, medullâ intus paucâ, non tamen inanes, è radicibus omnes oriundi, nulli (quantum nos obſervare potuimus) ex aliorum ſinubus, ut ſcribit Dodonæus, eúmque ſecuti alii plerique Botanici. Forte alium & à noſtrate vulgari Junco acuto ſeu duro diverſum deſcribit: in acutos mucrones exeunt; infra quos ad dimidii plus minus pedis diſtantiam erumpit panicula ſparſa, ruſeſcens, ſemen in vaſculis.

Locus. In paſcuis & ad vias publicas ſolo humidiore paſſim provenit.

Junci panicula arundinacea deſcriptio apud J. Bauhinum in multis ad Juncum nobis deſcriptum accedit.

A. 6. *Juncus montanus paluſtris. An Oxyſchœnos ſive Juncus acutus Alpinus Cambrobritannicus* Park? **Mole-Ruſh, Gooſe-corn.**

Fibris majuſculis rubentibus radicatur. *Folia* numeroſa, non erecta, ſed plerunque ſupra terram expanſa ſtellæ in modum, brevia, dura, acuminata, non exactè rotunda, ſed ſuperna parte canaliculata, unde rectiùs fortaſſe ad Gramina quàm ad Juncos referendum eſt hoc genus. E medio foliorum exurgit *caulis* dodrantalis aut pedalis, firmus, medullâ farctus, uno tantùm folio propè terram cinctus, cætera nudus, junceam in ſummo *paniculam* geſtans, è pluribus particulis compoſitam, quæ ſingulæ è ſinu foliis, quod in caule ad earum baſin conſiſtit emergunt. *Flos* graminis hirſuti exilis, hexapetalos, cum totidem in medio ſtaminulis fimbriatis luteis. Succedunt capſulæ majuſculæ, ſubrotundæ, ſemen continentes.

Locus. In montoſis paluſtribus ſolo ſpongioſo & putrido per totam Angliam copioſè naſcitur: ut loca indicare non ſit opus. Propè Londinum in ericeto Hampſtedienſi.

Figura & deſcriptio Graminis juncei maritimi majoris apud Parkinſonum huic noſtro convenit.

Parkinſonus ſpeciem hujus minorem habet, quam vocat Oxyſchœnum ſive Juncum acutum minorem, *p.* 1192.

A. 7. *Juncus aquaticus maximus* Ger. *lævis maximus* Park. *max. holoſchænos* J. B. *Juncus maximus ſeu Scirpus* C. B. **Bul-ruſh, or great Water-ruſh.**

C. B.

Hic magnitudine & craſſitie reliquos ſuperat, & proceritate Typhæ æqualis eſt: ex *radice* craſſitudine ferè cubitali, geniculata, hinc indè per terram repente, cortice atro-rubente intecta, intus candida ſcirpi ſeu junci hominis altitudinem ſuperantes, minimi digiti craſſitie, virides (qui exſiccati albeſcunt) rotundi, enodes, medullâ candidâ, molli & fungosâ farcti attolluntur: quorum cacuminibus ſcirpis recluſis petioli intus canaliculati, foris teretes extenduntur, qui ſummo apice floccos ſeu paniculas ruffas, inæquales, ſquamatim compactas metæ figurâ, infernè latiores, ſupernè acuminatiores ſuſtinent. *Semen* Milii magnitudine, triangulum, alterâ parte compreſſum, altera dorſo elato ſuccedit.

Hic ob fungoſam & foraminulentam medullam leviſſimo vento facile hinc indè, inſtar Arundinis vulgaris agitatur.

Locus. In fluminibus, piſcinis & ſtagnis majoribus, aquas ſemper habentibus invenitur.

Uſus. Juncorum multiplex uſus eſt, ad tegetes, ſcabella pedum, ad cathedrarum ſedes, ſportas, &c. Inter Indos ad tapeta, ſtragula, pileos, &c.

Juncus ſeu Scirpus medius C. B. Park. *ſylvaticus Tabernæmontani* J. B.

A præcedente magnitudine potiſſimum differt, & in ſylvis ſed locis aquoſis provenit; unde Juncus ſylvaticus Tabernæmontano dicitur. Pleniorem deſcriptionem videſis apud J. Bauhinum.

A. 8. *Juncus lævis vulgaris paniculâ ſparſa noſtras. An Juncus paniculâ arundinaceâ* J. B? *Jun. lævis paniculâ ſparsâ major* C. B? Park? *Juncus lævis* Ger? **Common ſoft Ruſh.**

Ad bicubitalem aut majorem altitudinem aſſurgit, ſcapis teretibus, erectis, minimè nodoſis, culmo craſſioribus, viridibus, glabris & nitentibus, medulla ſolidiore & denſiore quàm in ſequenti ſpecie, unde ad ellychnia aptiores ſunt, in mucrones acutos deſinentibus. Dodrantali cis apicem ſpatio erumpit panicula ſparſa & latè diffuſa, ſaltem in locis ubi humor abundat, aliàs enim paulò compactior eſt: in petiolis tenuibus vaſcula propendent, multò quàm in ſequenti Junco minora, pallidiora, quamvis planta ipſa major ſit.

Locus. In aquis ipſis aut juxta aquas.

Hujus medullæ uſus eſt ad ellychnia. Ex cortice texunt funes in agro Staffordienſi, vide *D. Plot.*

A. 9. *Juncus lævis vulgaris panicula compactiore. An Juncus lævis vulgaris* Park? *An Junc. læv. glomerato flore* ejuſdem? *Juncus lævis paniculâ non ſparſa* C. B. **Round headed Ruſh.**

Hic à præcedente differt caulibus ſtriatis, medullâ rariore & ſpongioſiore, unde ad ellychnia inutilis eſt, paniculâ compactiore & vaſculis ſeminalibus majoribus, ſuperiùs ſeu cacumini propiùs erumpentibus, tempore denique florendi maturiore.

Locus. In paſcuis & ſylvis locis humidioribus copioſè non raró oritur, cùm ſuperior plerunque in aquis tantùm aut juxta aquas: locis certè humidioribus quam hoc loco deſcriptus.

Junco Matthioli figura apud J. Bauhinum huic convenit, non item deſcriptio.

* 10. *Junci genus medullâ prorſus niveâ* Hiſt. Lugd. J. B. *Juncus lævis alter* C. B.

Parum differt à Junco lævi vulgari paniculâ ſparſa: ut neſciam an planè diſtinctus ſit.

* 11. *Juncus cacumine reflexo major* C. B. J. B. Park.

C. B.

Radice nititur capitata, & quâ parte alia aliis adhærent & incumbunt, leviter compreſsâ, cortice nigro obductâ, fibris plurimis deorſum & ad latera emiſſis, & in unum ceſpitem coacervatis: *Scirpis* eſt ſeſquicubitalibus, ad exortum tunicâ atro-rubente & ſplendente tectis, qui infra cacumen incurvatum, pedis ferè ſpatio, ad latus ſcirpo fiſſo, plures pediculos emittit, qui foliacea, membranoſa & oblonga vaſcula, in quinque apices fiſſa ſuſtinent: quæ fructum anguloſum, nigrum minuto *ſemine*, eóque flavo, refertum continent. Vel, ut Ruellius, Melancranis ſeu Atriceps dicitur: fructum gerit uvarum cohærentium modo, in quibus cuſpidatum ſemen clauditur. Aquei & ſubauſteri ſaporis.

Locus. Naſcitur in aquoſis & pinguibus locis, ſed pura & præterlabente aqua ferè madentibus.

* 12.

* 12. *Juncus acumine reflexo alter* C. B. J. B. Park.

Caule eſt ſeſquicubitali, rotundo, lævi, aphyllo: paniculâ umbellæ ſimili, atroſplendente, pediculo carente, filamentis cœruleis, (ut in Aphyllante cœrulea) donata: quam *caulis* duarum triúmve unciarum, acutus ſed mollis, parúmque reflexus ſuperat.

In Provincia Galliæ provenit. *Locus.*

A. 13. *Juncus trifidus* J. B. *acumine reflexo trifidus* C. B. Park.

J. B.

Ex *radice* nigra, geniculata & fibroſa, longiuſcula ſcirpi producuntur plures, dodrantales, valdè tenues, quorum ſinguli per extrema in tres ſtylos palmares tenuiſſimos, acutos finduntur: intérque hos ad exortum ſedentes paniculæ paucæ, exiguæ, ex rufo fuſcæ.

In monte Fracto Lucernatum, ínque Pyrenæis & montibus Moraviæ provenit. *Locus.*

A. 14. *Juncellus omnium minimus, Chamæſchœnos* Ad. Lob. *Juncellus Lobelii* Park. *An Juncus humilis* J. B? *An Juncellus inutilis ſive Chamæſchœnos* C. B? **The leaſt Ruſh.**

Tranſverſam agit radicem, in ſuperficie terræ repentem, è qua obiter hinc fibræ albentes demittuntur, inde ſurriguntur Junci crebri, qui paniculas producunt, tres uncias aut interdum palmum alti, enodes, unico vel altero ad baſin foliolo cincti, ſetæ equinæ craſſitudine aut etiam tenuiores, erumpentibus, propè apicem ad latus, ut in aliis juncis, paniculis brevibus compactis habitioribus (ut mihi videbatur) ſquamoſis, abſque pediculis, plerunque duabus, interdum unico, rariùs tribus, colore primùm virentibus, tandem nigricantibus in cinereo. Imi junci & tranſverſa radix ſpadiceæ ſunt.

In arenoſis & glareoſis humidioribus oritur. *Locus.*

15. *Juncus exiguus montanus, mucrone carens* C. B. Park. J. B. *An Juncus lychnanthemo tenuis* Thalii?

Radice eſt puſilla, nigra, capillacea: *cauliculo* quatuor vel quinque unciarum, cujus ſummo *capitulum* parvum, ex fuſco purpuraſcens, quadrifidum, in exiguum, rigidiuſculum filamentum abiens inſidet: *foliola* ad cauliculi principium tria, juncea, unciam longa.

In Taurero Raſtadienſi Auſtriæ monte provenit. *Locus.*

A. 16. *Juncus lævis paniculâ glomerata nigricante* C. B. *lithoſpermi ſemine* Hort. reg. Blæſ. & Pariſ. Botan. Monſp. **Round black-headed Marſh-Ruſh, or Bog-Ruſh.**

Magn.

Radicem habet ex multis fibris nigricantibus, in unum ceſpitem coacervatis, compoſitam, unde plurima *folia* palmaria, triangularia producuntur, inter quæ plures oriuntur ſcirpi cubitales, quorum unuſquiſque capitulum ſpadiceum producit, ſcirpo adhærens, ex variis folliculis compoſitum, in quibus ſemina alba, ſplendentia, Lithoſpermi majoris ſeminibus minora continentur. Folia & ſcirpi verſus radicem colorem habent atro-rubentem.

Provenit apud nos locis paluſtribus, putrido & ſpongioſo ſolo ut v. g. Hintoniæ & Teverſham mariſcis propè Cantabrigiam. Reperitur etiam circa Monſpelium: unde à *P. Magnol* pro nondum edito depingitur & deſcribitur. *Locus.*

A. 17. *Juncus parvus calamo ſupra paniculam compactam longiùs producto.*

Semipedali altitudine aſſurgit, *ſcirpo* tenui, gracili, paniculâ compactâ, tertia circiter totius longitudinis parte à ſummo ſcapi mucrone erumpente.

Tribus hiſce notis, 1. parvitate ſua; 2. paniculâ compactâ; 3. ſcapo ſupra paniculam longiſſimè producto, ab aliis Juncis facilè diſcernitur.

In Weſtmorlandia non procul ab oppido *Ambleſide* dicto invenit *D. Newton.* *Locus.*

A. 18. *Juncus capitulis Equiſeti* C. B. *aquaticus minor capitulis Equiſeti* Ger. Park. *capitulis longis, ſive clavatus* J. B. **Club-ruſh, or Aglet-headed Ruſh.**

C. B.

Radice eſt geniculata, Graminis aut Arundinis modo ſerpente, & innumeris fibris implexa: ſcirpis cubitalibus, aliquibus tamen ad radicem duarum & trium unciarum, ad exortum ſubrubro cortice tectis, tenui & fungoſâ medullâ planis, quorum verticibus capitula exigua, rufeſcentia, aliquando rotunda, aliquando oblonga, Aſparagorum Equiſeti vel clavæ inſtar inſident: *flores* candicantes & villoſos, in latus exporrectos Maio & Junio menſibus emittit. Septembri menſe in hoc, quemadmodum in Secali luxuriante grana, oblonga, nigricantia, dura, intrinſecus alba vidimus.

Varietas obſervatur in ſtylis vel ſcirpis, alteri enim triplo latiores, alteri anguſtiores ſunt.

In rivulis frequentiſſimus eſt: reperitur etiam in aquis ſtagnantibus. *Locus.*

A. 19. *Juncus capitulis Equiſeti minor & fluitans* C. Bauhini. J. B. *Juncellus capitulis Equiſeti fluitans* C. B. Park. **Floting Club-ruſh.**

C. B.

Ex *radiculis* capillaceis juncus tenuiſſimus recurvus prodit, qui in pures Juncellos duarum triúmve unciarum ſubdividitur, quorum aliqui erecti, aliqui reflexi capitulum minimum ſuſtinent, & Juncellis ſingulis foliolum tenue, capillaceum adponitur.

In Angliæ aquoſis fluitat autore Gillenio.

Hanc ſpeciem nos nondum vidimus: ſed aliam à D. *Rob. Plot.* in hiſtoria naturali Oxonienſi titulo

A. 20. *Juncelli omnium minimi capitulis Equiſeti.*

Qui è radicibus capillorum inſtar tenuibus exurgit ſetæ equinæ craſſitie, altitudine tres uncias non excedens, clavam in apice parvam aliorum hujus generis in modum, ſuſtinens. Notandum autem Juncum hunc non ramoſum eſſe in modum præcedentis, ſed ſimplicibus ſcapis è radice exſurgere.

Locus. In paſcuis communis Binſeii humidis foſſis propè Iſidem fluvium. Hunc nobis communicavit amiciſſimus vir reíque herbariæ peritiſſimus *D. Dodſworth.*

A. 21. *Juncus Alpinus cum cauda leporina* J. B. *Alpinus capitulo lanuginoſo ſive Schœnolaguros* C. B. *à capitulo haud multum leporum caudæ diſſimili. Gramen juncoides lanatum alterum Danicum* Park. **Hares-tail-ruſh.**

J. B.

Crebros ex parvis radicibus ſurrigit *culmos*, dodrantales, interdum cubitales, ſtriatos, *foliis* propter terram ſtipatos, quæ & ipſos culmos aliquouſque involvunt, alioqui juncea *folia* in ſtylum exeunt acutum, paulóque ſupra radicem rufeſcentia ſæpe in fibras comoſas fatiſcunt. Cæterum ſinguli *culmi* in echinatam caudam, caneſcentibus, tomentoſis ſquamis compactilem faſtigiantur, mollitie holoſericum provocantem. Radicatur denique fibris aliquammultis fragilibus.

Locus. In paluſtribus putridis & cœnoſis quas **Moſſes** vocamus, ut v. g. in **Pillin-moſs** in Lancaſtria, **Elleſmere meers** in Salopia, provenit. Inque montibus ſolo ſpongioſo, aquæ bibulo & cœnoſo.

A. 22. *Juncus parvus paluſtris cum parvis capitulis Equiſeti. An Juncus montanus parvus cum parvis capitulis luteis* J. B? **Dwarf Ruſh, with ſmall Aglet heads.**

Plurimis fibris craſciuſculis ſubluteis, altè in terram demiſſis, criſpis & velut undulatis radicatur. Imam juncorum partem ſquamæ crebræ pellucidæ, nigricantes obvolvunt, ut in aliis fit. Styli palmares tenues, ſatis firmi & rigidi in ipſa ſummitate capitulum exiguum geſtant ex ſpadiceo nigricans, unde ſtamina ſeu filamenta numeroſa ſordidè flavicantia exeunt. Folium in ſingulis caulibus unicum perbreve.

Tempus. Maio menſe floret.

* 23. *Juncus Alpinus bombycinus* C. B.

C. B.

Ex *radice* aliorum Juncorum ſimili *folia* juncea exurgunt inter quæ *culmi* plures tenuiſſimi, palmo minores, qui capitulum parvum lanugine albâ ornatum ſuſtinent.

Locus. In montibus Moraviæ: & in locis udis vallis *Grindelwald* Bernatum.

A. 24. *Juncus parvus paluſtris cum parvis capitulis Equiſeti. Juncus parvus montanus cum parvis capitulis luteis* J. B. **Dwarf-Ruſh, with ſmall heads.**

Longiſſimis fibris Juncus hic montanus iíſque crebris demiſſis radicatur. *Stylos* emittit palmares aut dodrantales, tenues, multis foliorum propter terram involucris obſitos, qui cætera æquabiles enodéſq; in ſummo faſtigio *capitulum* geſtant duplo triplóve brevius quàm Juncus clavatus, inter ſquamas longiores emicantibus floſculis luteis.

Deſcriptio hæ & figura J. Bauhini ſatis aptè reſpondet Junco à nobis ſæpius obſervato in pratis udis & locis paluſtribus circa *Middleton* in agro Warwicenſi, & alibi in Anglia. Fibræ duntaxat radicum vetuſtiores non rectæ ſunt, ſed huc illuc reflexæ, & veluti undulatæ. Imam Juncorum partem ſquamæ crebræ, pellucidæ, nigricantes obvolvunt.

Juncus foliatus minimus J. B.

Cùm mihi dubium ſit quo referri debeat, omitto ejus deſcriptionem apud J. Bauhinum requirendam.

§. 2. *Gramina juncea.*

A. 1. *Gramen pratenſe tomentoſum paniculâ ſparsâ* C. B. *tomentarium* Ger. *Gnaphalium Tragi, ſive Juncus bombycinus* J. B. *Gr. junceum lanatum, vel Juncus bombycinus vulgaris* Park. **Cotten-graſs.**

C. B.

Radice nititur craſſa, fibroſa, rufa: *foliis* eſt gramineis, inter quæ *caulis* teres, enodis, junciformis cubitalis & bicubitalis exurgit. [Eam altitudinem apud nos in Anglia nunquam quòd ego viderim aſſequitur, at nè dimidiam quidem] ex cujus ſummitate panicula tomentoſa, Goſſipio mollior & tenerior, niveo candore lucens ex pediculis, aliquando brevibus, aliquando oblongis, qui ex pericarpio quodam ſive membraneo folliculo, ex rufo nigricante, eóq; bifido vel trifido prodeunt, Junio & Julio menſibus dependent. Inter tomentum ad pediculum *ſemina* oblonga, triangula, acuta, rufa habentur.

Locus. In paludoſis inque humidis & uliginoſis pratis oritur, & lanugine tomentoſa à longè conſpicua ſe prodit.

i pollet adſtringente & condenſante, quare in vino nonnulli decoquunt propinántq; alvi pro-io ac colica ab eadem cauſa exorto laborantibus. Lanuginis copia ſi haberi poſſet, textorio ri fortè non incommoda foret. *Vires & Uſus.*

ſlandi lanuginem pappúmve nere aut in ellychnia contorquere nôrunt, ſuper quod dum lique-um ſebum concreſcat, aut id ſebetur, conficiunt ſibi domeſticos in uſus candelas præcipuæ cla-is, quæ ellychniis goſſipinis & candelis cereis anteferendæ ſunt: imò tomentum hujus graminis llychnium contortum hoc peculiare habet præ Goſſipino, ut cùm quis bipartito aut tripartito delas Iſlandicas cum ſocio partiri geſtat, non opus eſt cultro ad illas in fruſta ſcindendas, quippe inſtar fumo induratarum Lucanicarum Lubecenſium aut Brunſwicenſium ſapidiorum aliis vul-bus, vel caulis aut raparum Burtfeldenſium in modum facile diffringi aut decerpi queant. auli Q. Botan. Claſ. 3. p. 325.

A. 2. *Gramen junceum folio articulato aquaticum* C. B. *junceum aquaticum Bauhini* Park. *aquaticum* Tab. Ger. *Juncus foliaceus capſulis triangulis* J.B. **The leſſer Ruſh-graſs, with jointed leaves.**

J. B.

agnitudine non parùm variat, aliàs palmaribus, aliàs pluſquam cubitalibus *culmis*, nodoſis, preſſis aliquantulum, fungoſis, ramoſis, ſtriatis. *Folia* & à radice ſtatim, & ad genicula culmos uouſq; amplectentia graminea, acuta, articulata: ſurculis, è culmo diviſo exactis, & ad divari-onem inſident capſellæ quinque, ſex, plures paucioréſve ſimul junctæ, triquetræ, oblongæ, mu-natæ, ex rufo nigricantes, nitidæ, *ſemina* claudentes perpuſilla, ruffa. Sed & culmulis aliàs per-vibus, oblongis aliàs ſpicæ quædam velut excrementitiæ, & ex foliaceo quodam genere ſquamatæ entéſq; inſident: udis præſertim & apricis hoc crebrò evenit locis, ut circa Montbelgardium & leam in paluſtribus Michelfeldenſibus: [apud nos etiam circa Cantabrigiam & alibi] *Radix* lis Juncis, fibris admodum capillata, iiſque longis & juxta terræ faciem coeuntibus ſerpit, óque ſi culmi terram attigerint ex articulis fibras demittunt terram denuò comprehendentes.

n udis & paluſtribus ubiq; ferè reperitur. *Locus.*

A. 3. *Gramen junceum capſulis triangulis minimum. Graminis juncei varietas minor* Ger. emac. **The leaſt Ruſh-graſs, with triangular Seed-Veſſels.**

Præcedenti ſimilis eſt paniculâ pariter ſparsâ, capſulis triangulis ſpadiceis, ſed multis numeris mi-nus, ut quod palmarem altitudinem vix aſſequitur. *Folia* juncea, capillaria, an vero articulata n tanta parvitate diſcernere non potui. Fibris pro plantulæ modulo majuſculis albentibus ra-catur.

n locis paluſtribus udis, & ad rivulos frequens reperitur, ut in aquoſis Ericeti Hamſtediani opè Londinum. *Locus.*

A. 4. *Gramen junceum aquaticum magis ſparsâ paniculâ* Park. *An Gr. junceum ſylvaticum* Ger? *junceum folio articulato ſylvaticum* C. B? **Water-Ruſh-graſs, with a ſparſed panicle and jointed leaves, the greateſt.**

E radice tranſverſa, in ſumma tellure jacente & repente, tum deorſum multas emittit fibras alias ſſiores, alias tenuiores; tum ſurſum multos erigit caules, ſeſquicubitales, ſolidos, tribus plerunq; niculis interceptos, totidémq; foliis cinctos, quæ infima parte vaginæ inſtar eum includunt, de-le cum ab eo abſcedunt ad ſemipedalem longitudinem extenduntur, ſúntque intus concavi, & bris articulis intercepti. E caule paulo cis apicem erumpit panicula, cùm planta in aquoſis & hu-dioribus naſcitur magis ſparſa & pluribus capſularum agminibus compoſita quàm in præcedente. amvis autem planta ipſa major elatior & ſit quàm illa, capſulæ tamen ſeminales minores ſunt, c adeò obſcurè nigricant.

In aquoſis provenit, non raro etiam in ſylvis humidis. *Locus.*

A. 5. *Gramen junceum capſulis triangulis cauliculis tenuibus, foliis ad nodos & panicularum divaricationes prælongis.*

Radicibus eſt tenuibus fibris capillatis, obliquè actis. *Folia* & *cauliculi* non adeò denſa & con-rta oriuntur ut in pleriſq; juncis. *Cauliculi* tenues & infirmi, longitudine ſemipedali, ad nodos periores folia prælonga emittunt. Panicula variè ſparſa, capitulis longius à ſe invicem remotis: mediis paniculis ſeu capſulis egerminant foliola multa capillacea, alia ſimplicia, alia capſulas ſemi-ales ſuſtinentia ſeu ſingulares, ſeu multas ſimul, è quorum medio, iterum erumpit alia foliolorum con-eries, pari modo ſe habens. Capſulæ ſeminales, quantum in tanta parvitate diſcernere potui, tri-uetra ſunt. An foliola articulata ſint nécne me fugit.

Obſervavit D. Dale loco paludoſo propè Braxted magnam in Ericeto de *Tiptre* in Eſſexia; item co conſimili in ericeto prope *Burntwood* oppidum. *Locus.*

A. 6. *Gramen junceum maritimum* Lob. Ger. ico. *Gramen junceum foliis & ſpicâ Junci* C. B. *junceum maritimum majus* Park. *Juncus parvus cum pericarpiis rotundis* J.B. **Ruſh-graſs, with round ſeed-veſſels.**

J. B.

Palmares ſæpe, aliquando cubito nequaquàm minores, profert *culmos* junceos, foliis circa imum multis gramineis, ſtatim è *radice* obliqua, juncea, fibrata exortis donatos: quorum ſcapus in umbellam inconditam Filipendulæ modo explicatur, cujus capitula ſingularia polita, rotunda folliculis nigricantibus *ſemen* obvolutum geſtant, tandémq; in tres exiles carinas dehiſcunt.

Locus. In pratis humidioribus & paluſtribus provenit, non maritimis tantùm, quamvis ibi copioſiſſimè, ſed etiam à mari procul remotis.

A. 7. *Gramen junceum ſpicatum ſeu triglochin* C.B. *triglochin* J. B. *triglochin Dalechampii* Park. *marinum ſpicatum* Ger. emac. *perperam, cùm procul à mari reperiatur.* **Arrow-headed graſs.**

J. B.

Ex capite pendulis fibroſis tenuibus complicatis *radicibus* nititur, *culmos* tollens nudos, enodes, junceos, cubitales & ſeſquicubitales [rectiùs C. Bauhinus pedales, rariùs cubitales, quin potiùs apud nos dodrantales] interdum in locis ſqualidis palmares ferè; ſpicam à medio gerunt ſummo tenuis longa ſerie *floſculi* turbinati, formâ ferè capitulorum Pyrolæ delapſis primulum floribus, non item magnitudine, [ex albo ſublutei *C. B.*] quos excipit ſeries mucronatorum fructuum, qui acumine continui, inferiùs in triplicem barbulam alati, inſtar tridentis ſagittæve diſſiliunt. *Folia* ab radice orta culmos comitantur palmaria & dodrantalia, perangusta, plana.

Locus. In paluſtribus frequens habetur.

A. 8. *Hyacinthi parvi facie Gramen triglochin* J. B.

J. B.

Oblongum habet comatúmq; bulbum Allii Alpini in morem, ſimplicem aliàs, alias multiplicem, à cujus imo demiſſis fibris radicatur. *Folia* tenuiſſima, glabra, palmaria, interdum majora, tria aut quinque ſtatim à radice oriuntur. Cauliculus duriuſculus, teres, gracilis, nudus, enodis inter folia ſurgit, palmaris & ſeſquipalmaris, longam gerens ſpicam, floſculorum luteorum (niſi fallit in ſicca planta color) exiguorum, è quorum medio protruditur ſtylus longiuſculus, ità ut cum eo flos referat rudimentum capituli Pyrolæ delapſis floribus: Hinc ſtylus ille ſatis longo nixus pediculo triangulus apparet; ínque tria ſpicula ſuperiùs cohærentia ſubtus dehiſcit, ut in præcedente gramine.

Ego nihil ferè video in hac deſcriptione quod non conveniat gramini triglochini.

Locus. In ſqualidis maritimis Galliæ Narbonenſis.

A. 9. *Gramen marinum ſpicatum* Cluſ. *aquaticum ſpicatum* Ger. *ſpicatum alterum* C. B. *marinum ſpicatum alterum* Park. **Sea-ſpiked graſs.**

Fibris plurimis majuſculis, cùm primò erumpunt albentibus deinde luteis radicatur. *Folia* ut in reliquis graminibus agminatim naſcuntur, juncea, ſupernè plana, infernè rotunda, ſeſquipalmaria & longiora. Inter folia exeunt ſpicæ palmares interdum & longiores, floſculis crebris purpuraſcentibus compoſitæ, ſinguli brevibus pediculis fulti; quibus ſuccedunt capitula brevia, ſtriata, per maturitatem in ſex partes ſeu ſemina diſſilientia. Cauliculus ſpicam ſuſtinens duriuſculus, teres, gracilis, nudus, enodis, palmaris, & ſeſquipalmaris.

Locus. In ſalſis maritimis ubique ferè invenitur.

Malè inſcribitur hoc Gramen à J. Bauhino Gramen ſpicatum cum pericarpiis parvis rotundis. Pericarpia enim non exactè rotunda ſunt, ſed oblongiuſcula & ſtriata.

* 10. *Gramen montanum Avenaceum ſpicatum* C. B. *montanum ſpicatum Cluſii* Park. *marinum ſpicatum alterum* Ger.

Cluſ.

Ex *radice* digitali, bifida, interdum trifida, multis tenuibus fibris ſupernè donata capita multa prodeunt, quorum ſingula *folia* ſex, aliquando decem & plura, oblonga, craſſa & nonnihil carinata, infima ſede ſeſe invicem complectentia, guſtu amariuſculo & calidiuſculo proferunt: Ex quorum medio *cauliculus* palmaris, aliquando pedalis, firmus, rotundus, lævis, nudus & enodis prodit: qui in ſummo faſtigio multos floſculos, ordine ab una caulis parte diſpoſitos, herbaceo colore præditos, & in capitula conglobatos profert.

Locus. In pratis montoſis Auſtriæ & Harcyniæ reperitur. Similem autem in Flandriæ maritimis frequenter legiſſe ſe meminit Cluſius. *Ego maritimum ab hic deſcripto diverſum fuiſſe ſuſpicor.*

A. * 11. *Gramen junceum montanum ſubcæruleâ ſpicâ Cambrobritannicum* Park.

Nobile hoc Graminis genus plurima tenuia, delicata, juncea folia, cubitum paulo minùs longa emittit: inter quæ duo tréſve *cauliculi* graciles dodrantem circiter longi, foliis multò humiliores, exſurgunt, in faſtigiis geſtantes paniculam ſeu capitulum parvum ſpicatum, ſquamoſum, pulchrè cœruleſcens, in ſinu ſeu medio duorum foliolorum membranaceorum, ima parte latorum, verſus apices tenuium, uno tamen ſemper altero longiore, ſitum.

Locus. In altiſſimo quodam monte Cambriæ *Berwin* dicta, qui caput inter nubila condit, imbribus ferè perpetuis riguus, etiam cum valles & depreſſiora in circuitu ſereno fruuntur cœlo, Sole illuceſcente, à Lobelio obſervatum, qui (ut refert Parkinſonus) Nardi Gangiti ſpuriæ ſimilis capillaris plantæ nomen ei imponere in animo habuit.

* 12. *Gramen*

* 12. *Gramen junceum ſpecioſum minus* Park.

Præcedenti perſimile eſt, verùm foliis multò minoribus, tres quatuórve uncias longitudine non ſuperantibus, è duro leucophæo folliculo ſeu vagina radicis capiti innaſcente exeuntibus; inter quæ *cauliculi* aliquot exſurgunt, articulati, conſimilibus foliis veſtiti, capitulum parvum, Caſtanei coloris lucidi, quàm præcedentis minus, pro modo plantæ, duobus, etiam ei ut in illo appoſitis foliis, geſtantes. An Juncus ſemine Lithoſpermi?

Gramen junceum ſylvarum minus articulato folio Park.
Item,
Gramen juncoides Junci ſparſa paniculâ ejuſdem.

Et alias quas habet varietates Graminis Juncei ſeu Holoſtei Matthioli apud ipſum requirendas omitto. Cum enim ſylvas & prata circa *Altam Portam* pleraſque eas varietates alere ſcribat; alii autem periti Botanici & curioſi Plantarum indagatores Londinenſes iis in locis Graminis juncei nullas præter ſuperiùs à nobis deſcriptas ſpecies invenerunt; Parkinſonum deceptum puto, & pro novis graminibus habuiſſe quæ jamjam ab aliis deſcripta fuerant.

A. 13. *Gramen junceum parvum ſive Holoſteum Matthioli, & Gr. bufonium Flandrorum* Park. *Gr. junceum* Ger. *Gr. nemoroſum calyculis paleaceis* C. B. *Holoſteum Matthioli junceum* J. B. **Toad-graſs.**

J. B.
Matthiolus Holoſteum vocavit plantulam, in paluſtribus obviam, palmum aut ſeſquipalmum altam, *coliculis* frequentibus, tenuibus, nonnihil rubentibus, & in ramulos plurimos diviſis. *Folia* acuta, duas aut tres uncias longa, anguſta, floribus ſecundùm ramulos adeóq; & in extremitatibus crebris. Succedunt vaſcula puſillum *ſemen* ruffum, pellucidum claudentia. *Radices* ſubſunt capillaceæ.

Anglicè **Toad-graſs**, i. e. Gramen bufonium dicitur, quia provenit in locis ubi bufones ſtabulantur.

* 14. *Gramen foliis junceis oblongis, radice albâ* C. B. *Gr. junceum Dalechampii* Park.

C. B.
Radice eſt ex pluribus tenuiſſimis fibris albicantibus contextâ: ex qua *folia* multa virentia, Junci modo rotunda, longa, etiam ſeſquipalmaria prodeunt: ut & *culmi* tenues geniculati: Juba arundinacea, è parvis utriculis conflata.

In frigidis & aridis reperitur, nonnunquam inter ſaxa ad mœnia Baſileenſia. Simile eſt gramini junceo Dalechampii, qui ſuo florem Arundinaceum in paniculis purpuraſcentibus, guſtúmq; ſubdulcem tribuit. *Locus.*

* 15. *Gramen foliis junceis brevibus majus, radice nigra* C. B.

Cùm deſcriptio hujus brevis ſit, nec icone illuſtretur, nec planta aliunde nobis cognita, quæ C. Bauhinus de eo habet apud ipſum Lector curioſus videat.

16. *Gramen junceum polyſtachion* C. B. *junceum minimum aquaticum capitulo ſquamoſo* Park. *junceum aquaticum* Ger.

C. B.
Radicem habet digitalis craſſitiei, per tranſverſum latam, multis fibris capillatam: *culmos* tenues, cubitales, quatuor aut quinq; *foliis* oblongis, anguſtis, ex internodiis prodeuntibus veſtitos: Inter caulem & folium ſpicæ parvæ, ex atro flaveſcentes, quaternæ, quinæ & plures, ſibi invicem ſuccedentes, prodeunt.

Humidis & paludibus gaudet. Forte Gr. cyperoides leucanthem, ſuperiùs deſcript. *Locus.*

* 17. *Gramen junceum marinum denſè ſtipatum* J. B. Park. Lob. *junceum, foliis & ſpica Junci minus* C. B. *junceum marinum* Ger.

Lob.
Radice & foliis eſt Graminis marini ſpicati Zelandici ſimilibus, duris & rigidis, cujus *culmi* ſpicas gerunt Junci aquatici: alioqui maritimo Gramine haud melius eſt aut utilius.

C. Bauhino *Radice* cum Gramine Junceo pericarpiis rotundis convenit: *Culmis* eſt pedalibus, foliolis anguſtiſſimis, junceis, duris, firmis, quatuor unciarum. Culmorum ſummis ſpicæ parvæ ut in Juncis inſident.

Ad littus Middelburgicum reperiri refert Lobelius. *Locus.*

* 18. *Gramen junceum montanum capite ſquamoſo* C.B. Park. *junceum ex monte Baldo* J. B.

C. B.
Imum culmum amiciunt folia pauca, dura, cæteroqui nudum, enodem, dodrantalem, glomeratum è glumis candidis *capitulum* ſummo cacumine geſtantem; cui ad baſin ſubjecta bina *foliola* acuta, adverſa, alterum altero longius, parùm tamen ſemunciam ſuperans. Hæc J. Bauhinus ex ſicca. Caſpar frater ſic deſcribit,

Radice eſt parva, fibroſa, circa quam *folia* bina ternave, ſemipalmaria: *culmus* junceus, lævis, enodis, nudus, pedem ſuperans; cujus ſummo capitulum inſtar Phalaridis ſquamoſum, in apicem deſinens, ex albo leviter ruſeſcens inſidet: cui utrinque folium rigidum ſubjicitur quorum longius unciam ſuperans deorſum vergit; alterum (quod triplo brevius) recta effertur.

Locus. Provenit in montis Baldi ſummitatibus.

Gramen junceum minimum capitulo ſquamoſo C. B. J. B.
Item, *Gramen junceum minimum alterum* ejuſdem J. B.
Item, *Gramen junceum minimum maritimum* ejuſdem J. B.

Cùm nec nobis, nec alii cuiquam Botanico quod ſcimus poſt C. Bauhinum innotuere, omittimus. Eorum hiſtorias ſiquis curioſior ſcire deſiderat, C. Bauhini Prodromum, Hiſtoriámve adeat.

Gramen junceum maritimum exile Plimoſtii Park.
Item, *Gramen junceum magis exile, paucifolium* ejuſdem.
Item, *Gramen junceum minimum Holoſteo Matthioli congener* ejuſdem.

Horum icones & deſcriptiones apud Parkinſonum videantur.

A. 19. *Gramen junceum clavatum minimum, ſeu Holoſteum paluſtre repens foliis, capitulis & ſeminibus Pſyllii.*

Cauliculis tenuibus, infirmis, in terram reſupinis, crebris articulis interceptis, indéq; ramulos emittentibus ulteriùs adhuc diviſos & ſubdiviſos, ſe propagat. Ad articulos foliola frequentia, Pſyllii ſemper virentis foliorum æmula, ſed breviora, ut quæ ſeſcunciam aut duas uncias vix excedant. Unà cum foliis exeunt etiam pediculi nudi pari cum foliis longitudine vel etiam majore, ſpicam ſeu capitulum parvum, ſquamoſum, Pſyllii æmulum ſuſtinentes. Radices numeroſæ capillaceæ tenuitatis è geniculis demittuntur.

Ad nos tranſmiſit *D. Dodſworth*: Invenio etiam inter Gramina ſicca D. Philippi Skippon hujus ſpecimina, à nobis collecta in Cambria propè *Madern* & alibi, quamvis per oblivionem in Catalogo Plantarum Angliæ illud omiſi.

A. 20. *Gramen junceum, ſive Holoſteum minimum paluſtre capitulis longiſſimis filamentis donatis.* **The ſmalleſt Marſh-Plantain.**

Fibris albis majoribus & pluribus quàm pro plantulæ modulo radicatur. *Folia* in orbem ſpargit craſſa, ſucculenta, anguſta, in terram reclinata, duos vel tres digitos longa. *Caules* ex eadem radice plures vix digitum alti capitulum ſeu floſculum in ſummo geſtant exiguum, compreſſum, unde exeunt quatuor longiſſima filamenta apicibus donata.

Locus. In paluſtribus & uliginoſis ſæpiùs inveni, propè Cantabrigiam, Glaſconiam, Penſantiam, &c.

CAP. IV.

De Schœnantho.

Schœnanthos ſive Juncus odoratus J. B. *Schœnanthum* Ger. *Juncus odoratus aromaticus* C. B. *Juncus odoratus tenuior* Park. **The ſweet-ſmelling Ruſh, or Camels-hay.**

RAdicibus nititur albicantibus, parvis, lentis, duris, lignoſis, multis fibris exilibus ſummo ceſpite ſparſis [interdum adſunt radices paulò craſſiores, denſæ, geniculatæ, guſtu valentiore reliquis] *Foliis* eſt palmum excedentibus, triticeis, robuſtis, craſſis, ad radicem latis, convolutis, & ſquamatim interſitis, quæ in tenuem rotunditatem, mucronatam, firmámq; deſinunt, colore ad radicem albidiore vel ſubflavo, propè verticem viridi, aut purpuraſcente, quæ culmos ut in Arundine multis veluti tunicis arctè cingunt. *Culmi* multi ex uno radicum ceſpite, rotundi, nodis longè ab invicem diſtantibus diſtincti, aliquando lignoſi; non cavi intus, ſed medullâ fungosâ junceâ farcti, & in ſummo graciles aſſurgunt; quibus ſecundùm caulem gemina ſerie Lolii modo *flores* ſpicatim hærent, decidui, in quorum glumis aut caliculis foris rubellis papposi tenuéſq; *floſculi* odore & ſapore eodem cum foliis inſident. His ſemina (è quibus ſæpe apud Germanos planta excrevit) ſuccedunt.

Ubi recens eſt hæc planta, manibus confricata, jucundi eſt odoris & ſaporis non ingrati, licet videatur aliqua adeſſe amaritudo cum acrimonia, luculenter linguam mordicante; quæ tamen ſolet efficacior eſſe in quibuſdam foliis remiſtis Gramineis, valdè tenuibus & carinatis. *J. B.* Parkinſonus etiam obſervavit folia illa tenuia, juncea, quæ in Officinis nunc paſſim habentur, multò acriora eſſe magíſq; aromatica, quàm caules, flores, aut radices: proinde, cùm in deſuetudinem abierunt hæc apud practicos, à mercatoribus rarius adferri.

Qui apud nos ex ſemine ſuccrevit multos protulit velut ceſpites ſeu capita è longis junceis foliis denſè ſtipatis, ſe mutuò ima parte amplectentibus, compoſita, exterioribus majoribus & craſſioribus, interioribus pedalibus, tenuibus, rotundis, duris, rigidis, paulò ſupra radicem quovis apud nos naſcente Junco gracilioribus, ſapore acri & aromatico non injucundo, odore ſuavi leni & delicato. *Park.*

Locus.

Naſcitur, autore Dioſcoride, in Libya & Arabia, laudatiſſimus ex Nabathæa, proximus Arabicus. Adfertur & ex Ægypto. In Campania & Apulia reperiri aiunt.

** Cordus in Dioſc.*

** Hinc noſtratibus & aliis* **Camels-hay,** i. e. *Fœnum Camelorum dicitur.*

** Garcias.*

In Arabiæ provinciis, referente Garzia, *Mazcate* & *Calayate* tantâ copiâ naſcitur, quantâ in Hiſpania Gramen vulgare quo Animalia paſcuntur. * Sic ii qui terræ Sanctæ viſendæ gratiâ in Orientem proficiſcuntur teſtantur negotiatores ex Syria Alexandriam ducere Camelorum greges, quos *Caravannas* vocant, merces impoſitas ferentes: cùm autem in ſolitudines inter Syriam & Ægyptum ad Arabiam ſitas pervenerint, neq; pabuli, neq; aquæ copiam invenire: attamen ſecus vias ubiq; aridas veluti ſtipulas, eáſque numeroſas, denſas & ſtipatas, ex uno radicum ceſpite admodum odoratas naſci, quas inter eundum aut aliàs quieſcendum * Cameli depaſcant: eo etiam pabulo camelos onerare, nè in ſterilioribus locis jumenta deficiant: quod verò ſuperſit Alexandriæ & Alcairi vili admodum vendere. * Apud incolas licet in nullo ſit pretio, cùm gens ſit rudis & ſylveſtris, quam ut eo & ſe & ſua jumenta lavent, attamen à nautis in Indiam defertur: hi enim aliquot faſciculos ſecum devehentes ibi in uſum Medicum vendunt, cum eo Medici Arabes & Perſæ qui in India degunt utantur, *Adcher* vocantes. Sic & mercatores equarii maximâ copiâ in faſciculos colligunt, & in naves aſſumunt, ut equis ſubſternant, nè ſtercoris & urinæ fœtore offendantur: nam ſimul atq; maduerit in mare abjiciunt, & recentem ſubſternunt.

Monachi in Meſuen & Anguillara Squinanthum officinarum non eſſe Veterum Schœnanthum ſeu Juncum odoratum contendunt: quorum rationibus reſpondent tum Joannes, tum Caſpar Bauhini; quos adi.

Vires.

Tenuium eſt partium: calfacit, ſubaſtringit, diſcutit. Uſus præcip. in obſtructis menſibus, epate, liene; in Ventriculi inflatione, vomitu ac ſingultu; in urinæ difficultate, Renum, Veſicæ ac Uteri dolore. Extrinſecùs corrigit fœtorem oris, roborat caput (lotione) diſcutit uvulæ tumorem, roborat ventriculum, &c. *Schrod.* Exhibetur autem vel pulveriſatus ʒj. pondere in vino calido; vel in aqua decoctus aut jure Gallinaceo. Vini Squinanthini ad prædicta utilis; duplicem præparationem vide apud C. Bauhinum in hiſtoria: ibidem & aquæ ſtillatitiæ.

Memini (inquit Sim. Paul. in Quadrip. Bot.) Henricum Meibomium, ceu ſpecificum ad veſicæ ulcera, Schœnanthum herbam & Cyperi radices adhibere; à quorum uſu tophus nucis Juglandis ferè magnitudine ex honeſtiſſimæ matronæ naturalibus locis per urinas fuit excretus, qui diu ſatis ægram ulcere veſicæ vicinarúmq; partium confectam lecto affixerat.

Cap. V.

De Sparganio.

SParganium ἀπὸ τῶν σπαργάνων, i. e. faſciis dicitur, quòd foliis ejus latis & vitilium modo lentis pro faſciis nutrices utebantur *C. B.* potiùs quod faſcias latitudine ſua & flexibilitate referrent: unde à Ruſticis ad ſtoreas & tegetes texendas in uſu fuiſſe aiunt.

Pilulis ſuis echinatis, ſphæricis, Platani pilulas æmulantibus à reliquis hujus generis abundè diſtinguitur.

A. 1. *Sparganium ramoſum* Park. Ger. C. B. *Sparganium quibuſdam* J. B. *Butomos diſſectâ paniculâ vulgò Platanaria, quia pilulas habet Platani pilulis ſimiles.* Jo. Bod. in Theophr. hiſt. **Branched Bur-reed.**

C.B. J.B.

Radicibus eſt nigricantibus, fibroſis, adnatis radiculis ſerpendo longè lateq; ſe diffundentibus: *foliis* à radice ſurrectis, utrinq; gladii inſtar acuminatis, Cyperi latioribus, cubitum ſuperantibus, dorſo ſic prominente & alato ut triangula videantur, ſtringentis manum infeſto vulnere ſcindente: at quæ in caule alternatim diſpoſita, pauca, multò ſunt anguſtiora & reflexa. *Caules* è foliorum medio prodeunt, læves, ſubrotundi, aliquando obtuſis angulis præditi, pallidè virentes, albâ medullâ, quæ in tenuiſſima filamenta deduci poteſt, farcti, bicubitales, aliquando altiores, tortuoſi, in ramulos, quorum ſingulis folium ſubjicitur diviſi. *Flores* tuberculis ramorum nullo pediculo adnaſcuntur, aſpergillum imitati, radiatis in orbem ſtaminulis albidis apiculos fuſcos, ſuſtinentibus conſtantes, nullo relicto fructu ſeminéve caducis; alibi enim naſcuntur pilulæ echinatæ Platani, ex conulis ſingulis ſingulos acinos continentibus glomeratæ.

Locus.

Ubique ferè in aquis ad fluviorum ripas, & in paluſtribus naſcitur.

Gramen bulboſum aquaticum *C. B.* nihil aliud eſſe quam hujus plantæ radicem & folia, antequam in caulem abeat eruta & depicta, nos docuit *D. Dale*; & plantam ipſam in hoc evulſam oſtendit C. Bauhini iconi perſimilem.

A. 2. *Sparganium non ramoſum* C. B. Park. *non ramoſum, ſive latifolium* Ger. *Spargan. alterum* J. B. **Bur-reed, not branched.**

Radice eſt priori ſimili, *foliis* paucioribus, caule ſimpliciore non ramoſo, minori. Non tantùm paniculis hærentes pilulas fert, ſed & caulis alias earum rotatim circumpoſitas tranſadigit, quibus mollities mitium barbularum contrectabilior muricatis Sparganii primi echinis: à quibus & illud diſpeſcit, quòd in orbem acti *flores* glomerati ſubſequentibus capitulis æquales, tremulas ſtaminum luteorum fibras vibrant; eo in ſummo ſcapo ordine, ut verticillorum ſeries appareat.

Iiſdem cum priore locis reperitur, non tamen perinde frequens.

A. 3. *Sparganium minimum* C. B. J. B. Park.

Plantula eſt unciarum quatuor: è *radicula* ex fibellis oblongis compoſita cauliculus unciarum duarum effertur, qui in *capitulum* exiguum ſubrotundum, cui aliud minus inſidet, herbacei coloris ac formæ, ut in Sparganio minore deſinit: circa quem folia utrinq; quaterna vel quina, anguſta, cauliculum ſuperantia.

Locus. Northuſii in lacunis quibuſdam cœnoſis, quarum partes ſuperiores per æſtatem exſiccantur.

Sparganium guſtu eſt adſtringente & exſiccante.

Quæ de viribus ejus habent Veteres & Recentiores, quoniam nobis ſuſpecta ſunt, omittimus. Conſule ſi placet C. Bauhini hiſtoriam.

Uſus. Ex hujus foliis tegetes & ſtoreas olim ruſtici texebant, quò & Ruellius reſpexit & Geſnerus, dum Butomum herbariis & Officinis hodiè Juncum cabacinum vocari tradunt: namq; corbulas quibus ficus & uvas paſſas recondunt *cabas* appellare ſolent.

CAP. VI.

De Typha.

TYphæ florum effigies turbinata & in clavam compoſita (quæ & plantæ nota characteriſtica eſt) quaſi Typhonis ſeſe gyrantis turbinem, aut gigantis ſtaturam minacem ſignaret, nomen dediſſe videtur. *C. B.*

A. 1. *Typha* Ger. *paluſtris major* J. B. C. B. *paluſtris maxima* Park. **Great Cats-tail, or Reed-mace.**

J. B.

Altitudine procerum hominem æquat vel etiam ſuperat, *caule* ſæpe ſingulari, eſt ubi pluribus, rectis, rigidis, teretibus, lævibus & velut perpolitis, æqualibus, ſolidis, longis geniculis articulatis. *Folia* cubitos aliquot longa, unciam lata, ancipiti acie ſtringentem vulnerant, triangula, craſſiuſcula, ſubſtantiâ ſpongioſa, longiſſimâ vaginâ caulem involventia, ſapore ſubdulci, quorum alia ſtatim à radice oriuntur, alia è caulium geniculis. Cæterùm caulis faſtigium tomento in cylindri formam rufeſcente, in pappos tandem abeunte obvolvitur, morionis clavam imitatus, mucrone palmari aut longiore præpilatus [caulis cacumini ſpica primùm tenuis, muſcoſos flores proferens, inſidet, quâ arida & decidente Julio & Auguſto panicula clavæ ſimilis, ex denſa lanugine compacta, punicei & obſcuri coloris, pollicis craſſitudine, palmari aliquando & pedali longitudine ſuccedit, quæ tandem in pappum cinereum ventis abrepta evaneſcit *C. B.*] *Radix* obliquo actu ſerpit, novo ſobolis pullulatu ſe propagans, ex albo rufeſcens extrinſecùs, intus vero nivei candoris, veluti ex funiculis multis compacta, à qua frequentes dependent fibræ concolores, ſapore deniq; fatuo eſt. Oculi verò ex radice primulum emergentes ſubdulces & teneriuſculæ ſunt.

Locus. In ſtagnis & piſcinis majoribus, inque urbium foſſis & ad fluviorum lentè fluentium ripas oritur.

A. 2. *Typha paluſtris media* J. B. *paluſtris clavâ gracili* C. B. *Typha minor* Park. Ger. **The leſſer, or middle ſort of Cats-tail.**

Cluſ.

Foliis eſt multo anguſtioribus quàm Typhæ vulgaris & graciliore clava. Alioqui à majore non differt pullo illo tomento in clavam compacto, & florum oblongâ ſpica, tenui flavo polline reſperſa, ſupra clavam enaſcente.

Locus. Cum priore nec minus frequens oritur. Utramque ſpeciem ſimul creſcentem vidi in rivulo quodam juxta ædes nobiliſſ. Comitis Warwicenſis *Leez houſe* dictas in Eſſexia. Priori folia latiora, glauca, ſpica major, nigrior; ſeriùs etiam floret. Poſteriori huic folia anguſtiora, pallidiùs virentia; *ſpica* gracilior, minúſque colorata, maturiùs quoque exeunt ſpicæ ſeu clavæ: Altitudine tamen ei non cedit.

Supra clavam Junio menſe (obſervante C. Bauhino) florum ſpica oblonga, clava paulò brevior tenui flavo polline reſperſa enaſcitur.

Gerardus hujus meminit in loco Typhæ.

3. *Typha paluſtris minor* C. B. *Typha minor* J. B. *minima* Park. **Little Cats-tail, or Reed-mace.**

E *radice* obliqua, geniculatim incedente *folia* promit graminea, longa, ſtriata, anguſta, acuminata, aliquantulum rigida; & inter hæc *caulem* ſeſquicubiti aut duorum cubitorum altitudine, lævem, junceum, rigidum, enodem, cujus ſummus ſcapus *clavam* parvam, anguſtam, ſæpe duplicem, modicâ inter ſe diſtantes intercapedine ſuſtinet, quarum inferior minor, rotundior (contrarium

Adverſaria

dverſaria obſervârunt) ſuperior verò major, duabus unciis ab inferiore diſtans & longior, cui fo-um Triticeum, aliquantùm intortum ſubjicitur.

Hanc nos eodem in loco ubi olim Lobelius & J. Bauhinus obſervavimus, nimirum ad fluvium *rve* quà Rhodano confluit, propè Genevam. Cùm eam primum vidimus perexigua fuit, clava racili & ſtrigoſa, ut non dubitaverimus diſtinctam ſpeciem eſſe: poſtea verò caput cylindraceum avatum in tantam intumuit craſſitiem ut ſuſpicari cœperimus parvitatem loco potiùs (ſiquidem tra aquas crevit) quàm plantæ naturæ deberi. Quod vero clavas geminas in eodem ſcapo pro-erat perpetuum non eſt, & accidentarium eſſe videtur: nec minus quòd clava ſuperior inferiórve ajor ſit, vel minor.

Cap. VII.

De Acoro.

ACorus quia ἀ κόρης, id eſt, pupillis ſive aciei oculorum caliginoſæ medeatur, dicitur.

Spica quam profert ſimplicem, elegantem Iuli ſpecie, eam ab omnibus aliis hujus generis ſatis diſcriminat, ſi aliæ notæ deeſſent.

A. *Acorus verus ſive Calamus Officinarum* Park. *verus ſive Calamus aromaticus Officinarum* C. B. *verus, Officinis falsò Calamus* Ger. *Calamus aromaticus vulgaris, multis Acorum* J. B. **The ſweet-ſmelling Flag, or Calamus.**

Radix longa [quincuncialis *C. B.*] multis geniculis inæqualis, ſummâ terrâ obliqua ſeu tranſverſa hærens; externâ parte candicans cùm ſub terra latet, ſupra terram extans vireſcens, interna arte candidiſſima, firma atque amara, innumeris inferna parte adnatis fibris craſſis & albicantius, etiam odoratis donata. Serpit autem & ſumma tellure ſeſe diffundit, è lateribus & ſingulis erè articulis ſeu geniculis propagines alternatim in obliquum ſpargens, ut brevi tempore magnum ſpatium occupent: *folia* ſurgunt cubitalia & ſeſquicubitalia aliquatenus Spatulæ fœtidæ, anguſtiora, colore herbaceo, margine ſubinde rubente, & propter terram penitus rubentia, mediâ coſta elatiore [Cluſio Iridis tenuifoliæ majoris ferè, ſed multò longiora, ſapore ſubamaro, acri & aromatico, tritaque jucundo & aromatico ſpirant odore, quem etiam reſiccata & exſucca vel poſt multos annos etinent.] Sub hyemis initium marceſcunt & ſiccantur, ineunte autem vere nova germinant, ut in ride anguſtifolia. Pro flore iulum ſeu nucamentum profert, rigidum, & obliquè ſurrectum, teres, enſim in acumen deſinens, ſquamulis imbricatis virentibus compactile, apicibus exertis multis luteis: rodiens è ſinu medii folii, ſtatim à radice cum aliis exorti, ut reliquis anguſtioris brevioriſque a & craſſioris. Iulus unicus, (aliquando teſte Cluſio) ſed rariſſimè geminus: floſculis dum ſe xplicat pallidis, muſcoſis inodoris quadrifoliis plenus: is paulatim deinde incrementum ſumit, donec humani ferè digiti longitudinem craſſitudinémque acquirat, frequentibus tuberculis virentibus am eleganti ſerie diſpoſitis ut recentem Pinaſtri conum æmulari videatur.

Plantam hanc non eſſe verum Calamum aromaticum ſeu odoratum Antiquorum Botanici erudiiores conſentiunt, ſed Acorum verum Dioſcoridis, quibuſcum & nos ſentimus. Eorum argumenta, & reſponſiones ad rationes contra ſentientium vide apud J. Bauhinum Hiſt. plant. lib. 19. cap. 18.

In fluvio Hiera ſive *Yare* Nordvicum urbem alluente, non longè ab ipſa urbe, à Clariſſ. Viro *Locus.* D. *Thoma Brown* Equite aurato & M. D. obſervatus, nobíſque ante viginti annos oſtenſus eſt. Alibi etiam in Anglia ſponte oritur, nimirum circa *Hedly* vicum in Surreia, à D. Brown S. T. B. Collegii Magdalenenſis, in Academia Oxonienſi ſocio inventus. Quin & *D. Needham* M. D. in gro Ceſtrienſi eum copioſè provenire nobis retulit: ut non opus ſit nobis eum à Mæotide, Tararia, Lituania, Ruſſia, Bithynia arceſſere: Humidis locis gaudet & ſecundùm fluenta longè feliiùs provenit. Junio, Julio & Auguſto Iulum, producit. Sui generis planta eſt, nec operoſa deſcriptione indiget cùm ab aliis omnibus nobis cognitis duabus ſtatum notis diſtinguatur foliis Iridis ſeu Xiphii & nucamento ſeu Iulo Pinaſtri coni recentis æmulo.

Vim habet Acori radix excalefactoriam & ſiccantem, partium eſt tenuium. Uſus præcip. in obſtru- *Vires & Uſus.* ctione menſium, in dolore colico, in ruptis & contuſis. Ad urinæ deductionem commendat Fallopius in vino tenui decoctam radicem cum ſucco Boraginis. *Schrod.*

Radices conditæ guſtui ſunt jucundæ & ventriculo gratæ, eáſque Turcæ manè jejuni adversùs corrupti aeris contagia manducare ſolent. Quin & radices Acori Antidotis utiliter admiſceri ſcribit Dioſcorides. Tartaros quoque eas circumferre ſolitos, & aquam non bibere quin priùs Acori radix in ea fuerit macerata Cluſio referebat Bernhardus Paludanus.

Radices ſiccatæ gratiorem ſpirant odorem; nam (ut rectè Plinius) recentium virus majus.

In catarrhis exſiccandis, præcipuè convulſivis, ínque Apoplexia ipſa magnam habet laudem condita radix.

Ad anorexiam, Radix Acori quo acrior eo melior, ſive recens uſurpetur minutim inciſa cum cochleari Juniperi, vel eadem in loco umbroſo ſiccata, ſed non præparata in pulverem redigitur, ſeligendo ſubſtantiam intermediam acrem, & cum dimidio extracti Tormentillæ miſcendo egregium ſuggerit pulverem ſtomachalem contra anorexiam. *D. Hulſe* ex Etmulmeri praxi. Aliquoties (inquit) obſervavi cùm in declinatione morborum occaſione ſalivæ viſcidæ ac glutinoſæ [malè haberent ægri] quod ex infuſione radicis Acori & Helenii recentium in vino optimè brevi habuerint, dum ſic ſaliva correcta & appetitus egregiè provocatus fuerit.

CAP. VIII.

De Zingibere.

Zingiber, ζιγγίβερις Græcis dictum, nomen accepit ab Indorum vocabulo *Zengebil*. Omnibus Botanicis eodem nomine dicitur. C. Bauhinus ſic deſcribit: *Radice* eſt ad ternos vel quaternos palmos, Arundinum modo, in profundum acta, inæquali, modicè plana, frequentibus geniculis in laterales partes diviſa, quoquoverſum reptante, longitudine ſeſquiunciali, nonnunquam majore, pollicis craſſitudine ac minore foris albicante aut in candido ſubfuſca, carne alba, friabili, tenerâ, per cujus longitudinem venæ nervoſæ feruntur, guſtu Piperis modo, fervida, acerrima, odore aromatico, quæ teſte Acoſta, etiamnum viridis leviter adurit, minúſque quàm cùm ſicca eſt mordicat, & quo loca in quibus naſcitur magis humida ſunt, eò minùs acrimoniæ retinet.

Foliis eſt, (ut Garcias ſcribit) ſimilibus Iridi aquaticæ aut Gladiolo [non Arundini] At Acoſta folia Lachrymæ Jobi foliis ſimilia ei attribuit; alii Arundinacea, ut Linſchotanus & Ruellius quod nobis veriſimilius videtur; cùm Lobelius & Jo. Bodæus à Stapel, qui plantam ipſam virentem viderunt, foliis & calamo novellam ſive nuper enatam arundinem præ ſe ferre dicant: & G. Piſo folia admodum ſimilia eſſe foliis Arundinum teſtetur, ut qui nunquam viderit creſcentem hanc plantam, Arundinetum verè dixerit quod primum è terra ſurgit. Unde cùm Marggravius & Fr. Hernandez folia Iridi aut Gladiolo ſimilia faciant, minùs exacta comparatione uſi videntur. Caulis ei haud craſſus in pedalem aut etiam ſeſquipedalem altitudinem aſſurgit, Arundini ſimilis, in faſtigio capitulum Stœchadi quadantenus ſimile geſtans. *Hernand.*

Duplex eſt, fœmina, quam deſcripſimus, & mas, *Anchoas* Mexicanis dicta: cui, deſcribente Piſone, folia non ultra tres pedes in altitudinem excreſcunt, aſperiora ſunt & craſſiora vulgari Zingibere, unico nervo recto in longitudinem excurrente conſpicua, caulibus hinc inde ſine pediculo, inferius ſolitariè, ſuperiùs frequentiori coma, adnata Radice majore & craſſiore, ſapore acriore cum quadam amaritudine. *Hernand.* Radices diverſi ſunt ponderis & amplitudinis, omnes tamen imbelles & tuberoſæ, atque in ſuperficie terræ ſicut Arundineta expanſæ.

Naſcitur in omnibus Indiæ provinciis, excultum ſatúmque ſemine aut radice: nam quod ſponte provenit flocci penditur. Americæ non videtur naturalis, ſed ex India Orientali aut inſulis Philippinis in Braſiliam & Novam Hiſpaniam tranſlata. Malabaricum autem habetur laudatiſſimum: Pingui ſolo, ſtercoratóque & probè exculto ſeritur (radice cui ſuperſit unum alterúmve internodium in ſcrobem depacta) & ſtatim à ſatu aqua dulci plus minus pro terræ ſiccitate rigatur. Proximo anno à ſatu radix eruitur denuo, ipſum ſci. Gingiber. Vindemia ejus fit areſcentibus foliis, quod juxta initium Januarii accidere ſolet. Paulò exſiccatæ limo obducuntur, nè evaneſcente nativa humiditate teredine, cui aliàs maximè obnoxiæ ſunt, afficiantur. At Linſchotus aſſerit evulſarum radicum certam molem argillâ figulina tegi, & tumulum exquiſitè contra omnem aeris & ventorum vim obliniri: ſic enim & recentiores radices ſervari, & à vermium eroſione promptiùs defendi. Apud Aromatarios radices reperiuntur albæ & rubentes; ſed diverſa genera non ſunt: rubricâ infectæ ſunt rubentes, cretâ albæ, quo à teredinibus præſerventur. *Stapel.*

Siliqua à Lobelio depicta & deſcripta non videtur eſſe Zingiberis, ſaltem illius ſpeciei, quæ à Franc. Hernandez pro fœmina deſcribitur, cui capitulum ſeu ſpica Stœchadi ſimilis.

Ut condiantur radices, priùs decorticantur, móxque in muriam vel acetum conjiciuntur, & macerantur per horam unam atque alteram, dein æquali fere temporis momento ſub dio probe inſolantur, ac denuo ſtragula ſub tecto cooperiuntur, donec omnis humiditas exhalaverit. Si aliunde transferendæ ſint radices, tunc thecis incluſæ & aquâ irrigatæ noctu terra operiuntur, interdiu cœlo patent. His omnibus ritè inſtitutis ab exercitato agricola, poſtea Saccharo non ſolùm, ſed muria vel aceto condiuntur, nullóque tunc inſigni calore palatum afficiunt, nec filamenta ulla ingrata in ore relinquunt. Si nimio tamen mangonio, nimiiſque lotionibus fatigentur, pars quoque aromaticæ ejus acrimoniæ evaneſcit.

Vires & Uſus. Viride conditum ſaccharo ex India affertur, ſenibus & pituitoſis ac frigidis & malè concoquentibus ſtomachis accommodatum, præſertim quod recens conditum fuerit: valet etiam ad lentam in pulmonibus pituitam.

Indi foliis Zingiberis in juſculis & coquinario uſu atque acetario utuntur. Radices etiam virides cum aliis herbis minutim conciſæ ex oleo, ſale & aceto acetarii loco illis ſunt. Præterea Zingiber recens etiam remedio illis eſt præſtantiſſimo ad Colicos dolores, Cœliacam & Lientericam paſſionem, Diarrhœas diuturnas è frigore natas, flatus ventríſque tormina, & gravia his ſimilia accidentia, ut multoties in India ſe feliciter comprobâſſe teſtatur Bontius. Ea tamen perpetuò adhibenda cautela, ut qui ſanguine ſunt fervidiore, ſive ſani, ſive ægri, parciſſimè eo utantur, quia Zingiber ferè omne ſanguinem accendit & orificia venarum aperit. *Piſo.*

Zingiberis ut & Piperis major in culinis quàm in medicina uſus eſt, cùm hæc duo inter omnia aromata plurimum acrimoniæ & parum aromaticæ qualitatis habeant. *C. B.* Galenus Zingiber minus tenuium eſſe partium quàm Piper indè colligit, quòd calor ejus, quamvis æquè fortis, non primo ſtatim occurſu ſentitur. Caliditas autem quæ proficiſcitur à Zingibere diutiùs perſeverat, quàm quæ à Pipere, unde infert ſubſtantiam ejus & craſſiorem eſſe & humidam ſeu aqueam. Nam ut ab aridis calamis flamma celeberrimè accenditur, atque etiam undequaque diſpergitur; quæ autem ab humidioribus, ceu ligna ſunt viridia, & tardiùs accenditur & durat diutiùs; ità etiam in medicamentis fit.

Dioſcorides Gingiber alvum leniter emollire ſcribit, ſed intelligendum, ſi teneræ & adhuc recentes radices edantur, multa in eis adhuc humiditate alvum lubricante & emolliente reſidua: ut videmus in Iride, nam vetuſtiores ſiccant potiùs & ſiſtunt alvum, factâ ſci. proba concoctione.

Addi ſolent interdum hæ radices medicamentis catharticis ad eorum vim augendam. Datæ autem cum purgantibus vehementioribus eorum malitiam corrigunt. Zingiber Ventriculi & pulmonum farctus abſtergit & diſſipat, ſupervacuo humore abſumpto, cerebrum & memoriam roborando juvat. Hebetudini etiam viſûs quæ ab humiditate provenit prodeſt. Venerem ſtimulat & flatus diſcutit. Quocunque modo ſumptum, ſive recens, ſive ſiccum, ventriculum roborat, & concoctionem promovet; Antidotis admiſcetur.

Zingiber fuſcum C. B. *Zingiberis ſpecies* Mechinum *dicta* J. B.

A vulgari Zingibere differt non tantùm quòd immaturius aut improbius ſit, ſed quòd conſiſtentiâ ſit compactiore, duriore & paucioribus fibris intertexta, colore ex cinereo nigricante, acriore guſtu, nec teredine exedi ſolita, quod etiam conditur & in quibuſdam Officinis proſtat.

Zingiberi affinis cortice ſquamato C. B. *Zingiberis Mechini rara varietas* J. B.

Radix eſt Zingiber vulgatum aut Mechinum referens ſed elegantiore aſpectu, multis nodis diſtincta, & ferè veluti Doronicum articulata. Corticem habet Gingiberi ſimilem, coloris ſubcitrini, pollicari craſſitie, fibríſque caret: gravis eſt ac ſolida, fracta venas albas oſtendit: ſapore eſt acri, aromatica, & ſi carie non exeſa ſit, guſtu Zingibere multò acriore & ſicciore.

Pona Doronicum Arabum nominat, & pro Doronico legitimo agnoſcit, ſiquidem notæ à Serapione & Arabibus Doronico adſcriptæ conveniant, quo etiam pro Doronico utendum cenſet: cujus loco multi hactenus Aconito Pardalianche minore, quod facultatibus Doronico planè contrariis ſit, uſi ſunt.

CAP. IX.

Arundines quædam omiſſæ, ſuis locis diſponendæ.

1. *Arundo Mambu* Piſoni. *Arundo arbor in qua humor lacteus gignitur, qui Tabaxir Avie & Arabibus dicitur.* C. B. *Tabaxir ſive Mambu arbor* J. B. *Canna ingens Mambu vel Bambu dicta* Park. *Ily* H. M. *P.* 1. *T.* 16. **The Bambou-Cane.**

H. M.

RAdices geniculatæ è geniculis fibras agentes, & præterea germinibus multis emiſſis reptantes & ſubinde ſurculos erigentes, hanc plantam ad Arundines referri debere demonſtrant. Rectiùs autem Arundo arboreſcens quàm Arundo arbor dicitur.

Caules in excelſam altitudinem attolluntur, ipſam *Tenga* ſuperantes, ſunt autem teretes, cortice viridi, durius geniculati, è geniculis novos ramos ſurculóſque emittentes, & ad geniculos ſpinis oblongis rigidis, unâ, duobus, pluribúſve muniti, intus fiſtuloſi fiſtulis ſubtilibus, ad duorum triúmve hominum altitudinem aſſurgunt priuſquam ramos emittunt; cùm teneri ac novelli ſunt, fermè ſolidi, & uno tantum anguſto tubulo pervii, vetuſtiores intus cavi, & ad geniculos interſepimento lignoſo clauſi, & interiùs membranâ tenui albicante obducti, conſtántque lignoſis, duris, albicantibus filamentis. Cùm teneriores ex fuſco virides ſunt, nullo cortice à lignoſis filamentis diſtincto veſtiti, cùm vetuſtiores ex albo flavi & nitentis coloris; intus quodam calcis genere in cavitate obducuntur, quæ uſui medico reſervatur.

Piſo Arundines adoleſcentes medullâ levi, ſpongioſa & liquida (non adeò farcta ut vulgares cannæ Sacchariferæ) refertas eſſe ſcribit, quam vulgus, grati ſaporis gratiâ avidè exugit. Noviſſimi autem ſtolones qui maximè ſucculenti ſunt & ſaporoſi, magni fiunt in Indiis, apud Advenas æquè ac Indigenas, quòd baſes ſint celebris iſtius compoſitionis **Achar** *dictæ, quæ in Europam invecta in deliciis habetur palatum doctis, & à me quoque non ſemel cum voluptate guſtata eſt. At verò ubi hæ Arundines proceræ & annoſæ factæ fuerint, liquoris contenti ſubſtantia, color, ſapor & efficacia mutantur, atque paulatim protruditur foras, & juxta internodium vi Solis coagulatur, ac inſtar pumicis albi indureſcit, mox nativæ ſuavitatis expers facta, peculiarem ſaporem cum parva adſtrictione, eboris uſti æmulum acquirit, vocatúrque apud indigenas* Sacar Mambu * *qui quo levior, albicantior ac glabrior eo præſtantior: quò magis inæqualis atque cinerei coloris evadit, deterior habetur.*

* *Tabaxir Garciæ & Acoſtæ.*

Folia ad genicula breviſſimis petiolis inſident, ſpithamam longa, latitudine ad petiolum digitali, verſus apicem ſenſim ſtrictiora, venis in longum ſtriata, nervo inferiùs conſpicuo medium percurrente; oris ſi inferiora verſùs ſtringantur, aſpera, viridia.

Flores in ſpicis ſquamoſis, tritici ſimilibus, niſi quod minores ſunt, quæ nodulis caulium congregatim inſident, ſtaminei filamentis tenuiſſimis, dependent. Sexageſimo à ſatione anno (ut ferunt) flores fert per unum fermè menſem. Proximè ante florum exortum primum omnibus foliis ſpoliatur, & poſtquam defloruit emoritur. Hæc nobis minùs veriſimilia videntur.

His adde è Garcia, ramos erectos eſſe, niſi quòd pulcherrimos quoſque interdum incurvant ad pergulas & deambulacra, apud Indos frequentia, conficienda.

Piſoni Ligni ſeu materiæ craſſities trientem unciæ ſæpe ſuperat, circumferentia ſexdecim, diameter aliquando quinque eſt unciarum. *E Cluſio hauſit*; qui aliud fragmentum deſcribit 27½ pedes longum, cujus craſſitudo infima parte viginti uncias ambitu comprehendebat; ſingulorum internodiorum longitudo circumferentiæ partis inferioris utplurimum reſpondebat.

Dum adhuc tenellæ & virides ſunt Arundines ab Indis inflecti & incurvari ſolent, ut magis aptæ evadant geſtandis lecticis penſilibus, *Palankins* ipſis dictis, quibus inſident tum viri, tum fœminæ dum aliquo transferri cupiunt.

E truncis cymbas faciunt Indi, quæ binos viros capere poſſunt, non quidem illas excavantes, ſed relictis ſolum duobus utrinque internodiis per medium ſecantes, quas conſcendunt bini nudi, ſedentes ſinguli in earum extremitatibus junctis cruribus, tenentéſque ſingulis manibus remos, tres aut quatuor palmos longos, quibus eas cymbas impellunt tanta dexteritate, ut etiam adverſo rapidóque flumine ſumma celeritate navigare poſſint. Atque in his vectos ſe ſecuros eſſe arbitrantur à Crocodilis. *Acoſta:* apud quem reliqua vide.

Quin & ex hiſce Arundinibus Indi nonnullis in locis domos ſuas ædificant, ut in *Terenate*, quas findunt & ſingulari induſtria intorquent.

Tabaxir Perſis *lac lapideſcens* ſignificat. Gerardus Cremonenſis in Rhaſi *Tabaxir* Arabum erroneè per Spodium reddit, cùm Spodium ſit Tutia Arabum, cujus in externis remediis ſolùm uſus eſt: Tabaxir verò in Arabum compoſitionibus intra corpus ſumatur. *C. B.* Verùm J. Bauhinus * Gerardum excuſat, nam ille, inquit, reliquit nomen Perſicum, & Bellunenſis ſpodium vertit: Sed quid alteruter aut ambo peccârunt ſi ſpodium eſſe putârunt, cùm Avicenna ipſe dicat ſpodium eſſe cinerem cannarum, vi venti inter ſe confricatarum, & ignem ex eo concipientium, & proinde ex illo igne exuſtarum.

* *Vel potiùs Auctor notarum in Garciæ hiſt. apud* Cluſ. *in Exot.*

Uſus. Tabaxir ad uſus medicinæ aptiſſima, ab Arabibus & Perſis ſummo ſtudio quæſita,, auro & argento ponderatur. Indi ad vulnera teſticulorum & virgæ utuntur. Valere etiam dicitur contra cholericas paſſiones & dyſenterias; Garcias internis & externis ardoribus convenire ſcribit, eóque etiam in bilioſis febribus & dyſenteriis, præſertim autem in bilioſis fluxionibus utuntur: ínque ſtranguria & urina cruenta. Corticis & foliorum decoctum epotum ſervit ad ſanguinem in corpore ex vulnere retentum expurgandum, confértque etiam puerperis, ad materiæ ſanguinolentæ poſt partum retentæ excretionem. *H. M.* Arundines hæ amputatæ & igne crematæ fertiliſſimum præbent cinerem; cùm autem cremantur ingentem edunt ſonitum, & fragore centum aliquot ſclopetorum exploſiones æmulantur. Aer enim intra cancellos internodiorum ope concluſus, dum rarefit ampliúſque ſpatium deſiderat, parietes quaquaverſum diſrumpit, & vi ſibi exitum quærit. *D. Arn. Syen.*

Locus. Naſcitur in arenoſis maris litoribus.

2. *Beeſha* H. M. *part.* 5. *Tab.* 60. *Bambu ſpecies altera.*

Arbuſcula humilis eſt, ſeu potiùs frutex arboreſcens, ſedecim circiter pedes altus, ramulíſque teretibus, glabris, nodoſis medullâ farctis donatus.

Folia arundinacea, *Ily* foliis ſimilia, at glabra. Ad ramulorum nodos interdum ſpicæ proveniunt coniformes, acuminatæ, quibus inſident floſculi albicantes, ſtaminei, medium occupante globulo oblongo, è quo ſtilus exit viridiuſculus.

Floſculis ſuccedunt *Fructus* oblongo-plano-rotundi, acuminati, carne intus denſa, albicante referti. Provenit variis Regni Malabarici in locis ſylveſtribus, præſertim in *Betsjour*, *Corremaloer*, & *Teckenkour*.

Vires & Uſus. Ex hoc frutice Indigenæ ſagittas conficiunt & corbes. Ex ramulis arundinaceis calami fiunt ſcriptorii. Folia ſi in aqua decoquantur, eáque decoctio exhibeatur menſtrua obſtructa provocat: eodem decocto ſi os colluatur eroſas gingivas ſanat, & odontalgiam tollit.

3. *Nola-Ily* H. M. *Arundo Indica Bambu dicta tertia.*

Eſt inſuper tertia *Bambu* ſeu *Ily* ſpecies, Malabarenſibus *Nola-Ily* dicta, præcedentibus perſimilis, præterquam quòd internodia tenuiora ſunt & longiora.

Locus. Creſcit in *Calicolan* & *Teckenkour*.

4. *Arundo Rotang dicta* Piſon.

Hujus ſtolones, grato ut *Mambu* ſucco turgidi, vel crudi manducantur, vel condimento Achar induntur. Hæ minùs concavæ ſunt quàm *Mambu*, ſed ſubſtantiâ ſpongioſâ inſtar herbæ ferulaceæ farctæ. Baculi exſiccati attritu mutuo ſeu colliſione multas fundunt igneas ſcintillas. Fructum fert hæc Arundo edulem & ſaporificum, cum aciditate quadam grata, rotundum, parvæ pilæ magnitudine, tectum ſpadicei coloris putamine, duriuſculo, fragili, ſtriis perpetuis cancellatim ornatum. Ex ſingulis Arundinis nodis ad ſummitatem uſque ſarmenta funium modo intorta & tenacia, foliorum quaſi loco, emergunt, híſque fructus globulares, raró ſolitariè, ſæpe copulatim adnaſcuntur. Nucleum porro intus ferunt durum, ex quo contuſo exprimitur oleum, non edule ſolùm, ſed in medicamentis topicis, præſertim in ungendis nervis, utiliſſimum.

Locus: Creſcit paſſim, in ſylvis circa fluenta hæc ſpecies, in omnem partem flexilis, eóque ad omnia liganda utilis. Nam incolæ [*Indiæ*] funium loco eâ utuntur, & ædes ſuas ex magnis Arundinibus conſtructas clavorum ferreorum loco ligant; & mireris tenacitatem hujus Arundinis, quæ craſſitie digiti humani fermè cùm ſit, tamen in quatuor partes diſſecatur, unde & corbes, & cunæ infantium ex ea conſarciuntur; anchorarum etiam pro navibus funes in Javanis; & ſane longiùs durant in aqua ſalſa quam funes, imò deficientibus funibus nos iis anchoras quantumlibet graves ligamus.

5. *Tubuli Arundinacei ad Aſthma* C. B. *Tabaci Haytinorum, quos Mexicani vocant* Pocyelt. Fr. Hernandez.

Tabacos vocant Arundinum cava perforatáque fragmenta, ſeſquidodrantem longa, pulvere car- onum extrinſecus illita, intrinſecùs vero *Yelt*, i. e. Tabaco, Liquidumbra, *Xochicozotl*, & inter- um aliis quibuſdam calentibus plantis atque odoribus referta. Horum incenſorum ea parte qua eni ſunt fumo ex altera tracto devoratóque, velut quodam ſuffimento, ſomnus inducitur, & om- is laboris atque laſſitudinis hebetatur ſenſus. Quinetiam dolores omnes, ac præcipuè capitis, ſe- antur, pituita fluens ad pectus expuitur, juvantur aſthmatici, & corroboratur ventriculus. Caven- us autem eſt nimius eorum uſus, alioqui jecur intemperiem calidam contrahet: índque cachexiam alios affectus inciditur incurabiles. *Vires.*

Quæ de tubulis hiſce habet Monardes cap. 15. eadem ferè ſunt, eorum tamen compoſitionem gnoravit.

6. *Arundo Japonia flava, internodiis breviſſimis, ſurculis nodos ſtellatim cingentibus.*

E minorum genere ſunt, craſſitie pollicari aut paulo majore, colore flavo, internodiis brevibus palmaribus aut ſeſquipalmaribus, in medio gracilibus ad nodos craſſis & protuberantibus. Unumquemq; autem nodum virgæ ſeu ſurculi multi ſtellatim ambiunt.

CAP. X.

Gramina quædam Braſilienſia à Marcgravio deſcripta, & per oblivionem omiſſa, ſuis Locis inſerenda.

1. *Gramen parvum, ad Cyperoides accedens, granulis Avenaceis. An Gram. nemoroſi hirſuti ſpecies?*

EX radicula capillata multi prodeunt caules, teretes, tenues, ſpithamam alti, ad terram uno foliolo acuto veſtiti, è quo tanquam vagina prodit caulis. Summitatem autem caulis in orbem circumſtant ſeptem foliola anguſta, acuta, duos circiter digitos longa, viridia quidem, ſed ad partem ab exortu interius albiſſima. In horum foliolorum medio aliquot granula inſtar Avenæ, ſibi invicem ſunt appoſita, in queis ſemen latet. Caulis & folia pilis albis & mollibus veſtiuntur.

Foliis multis ſimul in ſummitate caulis unde panicula exit cum Cyperis convenit, caulis rotunditate & foliorum pilis ab iiſdem differt, & ad Gr. nemoroſum hirſutum accedit.

2. *Gramen cyperoides Braſilienſe capitulo quadrangulo. Graminis ſecunda ſpecies Marcgravio.*

Caulem habet triangularem, 15, 16, aut 20 quoq; digit. longum, ſupra terram longis, anguſtis & venoſis foliis præditum. In ſummitate caulis capitulum eſt quadrangulare, quaſi è quinq; glandibus compoſitum, magnitudine paſſulæ majoris, ad cujus latera quatuor foliola graminea extenduntur. Ipſum capitulum odorem habet quaſi Chamæmeli.

3. *Gramen cyperoides Braſilienſe multis capitulis albis. Graminis tertia ſpecies Marcgrav.*

Itidem caulem habet triangularem, circiter pedalem, atq; juxta humum duobus aut tribus foliis gramineis veſtitum. In ſummitate autem in brevibus petiolis proveniunt ſex, ſeptem, aut octo capitula alba, juxta ſe poſita; quorum quodlibet circumſtant ſex foliola viridia, acuta.

4. *Gramen cyperoides Braſilienſe, panicula umbellata, granulis aculeatis. Graminis quinta ſpecies* Marcgrav.

Inferiùs triangularem habet caulem, qui ad quatuor circiter pedum altitudinem aſſurgit: Folia autem quatuor aut quinq; ſeſquidigitum ferè longa, Arundinacea: ſuperiùs umbellas multis acutis granulis, quaſi Echinorum aculeis onuſtas.

5. *Gramen Braſilienſe cyperoides paniculis ſquamoſis in umbellam compoſitis.*

Exiles radiculæ, ſeu rectiùs filamenta, emittunt quatuor aut quinq; caules gramineos, anguſtos, circiter tres aut quatuor pedes altos. Quilibet autem caulis ſuperiùs dividitur in umbellam, ut Gramen cyperoides capitula ſquamata continentem.

6. *Gramen junceum Braſilienſe* Jacapè *dictum. Graminis decimatertia ſpecies* Marcgrav.

E radicula geniculata, juncea, alba, longè latéque ſub terra ſerpente exſurgit caulis ad trium pedum altitudinem, primùm ſimplex, inſtar culmi ſiliginis, teres, qui poſtea in aliquot folia finditur graminea, anguſta, in medio album nervum ſecundùm longitudinem habentia. Nullius eſt odoris, nec florem gerit nec ſemen [rectiùs dixiſſet neutrum ſibi obſervatum.] Solo utplurimum effœto naſcitur.

Vires. Valere dicitur contra ſerpentum morſus, ſi membra eo ligentur ſupra vulnus inflictum. Piſo experientiâ ſuâ commendat radicum juncearum decocta ad venena.

7. *Gramen digitatum plumoſum Braſilienſe.*

Caulis teres, tenuis, cavus, gramineus in 18 aut 20 digit. altitudinem aſſurgit, in medio habens nodum, & inferiùs tres, ſuperiùs autem ſupra nodum unum folium acutum, gramineum: in ſummitate caulis quinque aut ſex ſpicas tenues, duos circiter digit. longos, craſſo filo haud craſſiores, coloris argentei, à quibus parvuli è cinereo ad purpuro-cœruleum colorem vergentes flocculi dependent, tremuli, & qui vento abripiuntur.

8. *Gramen elegans plicatum Paniceum aut Miliaceum.*

In trium, quatuor, aut etiam quinq; pedum altitudinem aſſurgit, ex radiculis filamentoſis Arundinis modo. Folia circiter unum pedem longa, eleganter plicata, viridia, figurâ pæne ut Palmæ nuciferæ majoris, in caule plura. Caulis ſuperiùs fert ſpicam, ſeſquipedem longam Milii ſpicæ vel Panici ſylv. figurâ & magnitudine.

Vires. Emolliendi vim obtinet internè & externè, malvæq; vices ſupplet: in fomentis etiam teneſmo conducit. *Piſo:* qui Gramen hoc *Amongeabæ* nomine pingit.

9. *Gramen florens capitulo ſquamoſo,* Jupicai *Braſilienſibus* Piſon.

E piloſis radiculis caules protrudit perquam multos, tenues, junceos, pedem aut ſeſquipedem longos, qui inferiore parte gramineis foliis veſtiuntur. Quilibet caulis gaudet capitulo ovali, ſquamoſo, ſplendenti, coloris ſubluteſcentis & ex pallido variegati: his ſuperiùs floſculus inſidet tribus quatuórve foliis compoſitus. *Si hoc ſit verum, plane anomalum eſt hoc genus Graminis.*

Locus. In paſcuis riguis, menſibus præſertim pluviis luxuriat.

Vires. Ad curandam impetiginem ſimileſq; cutaneos affectus, à colore & acrimonia natos ſucco refrigerante quo ſcatet, parti affrictum conducit; multúmq; ſolatii & levaminis adfert pruritum intolerabilem mitigando. *Piſon.*

10. *Gramen ſtriatum Braſilienſe.*

Ex una radice quatuor aut quinque folia enaſcuntur, & aſſurgunt in ſex pedum altitudinem, ſimilia Gramini Hiſpanico ſtriato, præterquam quòd in unico folio una tantùm ſtria ſit alba.

11. *Gramen dactylon plumeum,* Capuupeba *Braſilienſibus, Luſitanis Pes Gallinaceus dictum.*

Ad duorum aut trium pedum altitudinem aſſurgit, caule tereti, geniculato, foliis ad genicula plus ſeſquiped. longis: qui in ſummitate in 20, 24, & interdum 30 tenuiores caules dividitur, quorum quilibet versùs ſummitatem, ad duorum, trium quatuórve digitorum longitudinem argenteâ veſtitur paniculâ, quæ in medio ſemen gramineum continent. Caules egregiè ruſeſcunt.

Vires. Radicem ad quodvis venenum in quovis convenienti liquore propinatam commendant Braſilienſes. *Piſo.*

12. *Gramen dactylon altiſſimum Braſilienſe.*

Bicubitalem vel tricubitalem ſortitur altitudinem, caule & foliis gramineis. Panicula ſuperiùs in duodecim, quindecim aut plures diviſa, quorum quilibet octo aut novem digitos longa, coloris obſcurè ruſeſcentis.

Duodecima Graminis ſpecies *Marcgrav.* hujus varietas eſſe videtur, panicula longiore & pænè pedali ſubtiliúſque compoſita, atque coloris viridis.

HISTORIÆ

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER VIGESIMUS TERTIUS,

QUI EST

De Herbis anomalis & incertæ ſedis.

HERBAS *anomalas* voco quæ ob ſingularem partium ſtructuram ſeu conformationem ab aliarum norma abludunt, nec notis characteriſticis cum præcedentium Generum aliquo conveniunt. Incertæ ſedis ſunt quarum notæ Characteriſticæ adeóque Genera quo referenda ſunt ob imperfectionem deſcriptionum ignorantur.

Has ad confuſionem vitandam, & memoriæ juvandæ causâ, in quatuor Sectiones diſtribuemus, nimirum in 1. Anomalas aquaticas. 2. Anom. ſiliquoſas. 3. Anom. quæ ob convenientiam aliquam in partibus præcipuis ad ſuperi rum generum aliquod reduci poſſunt. 4. Anom. incertæ ſedis.

SECTIO PRIMA.

Herbæ Anomalæ aquaticæ.

CAP. I.

De Nymphæa.

A Nymphis dicta putatur. Δοκεῖ δὲ ὠνομάσθαι Νυμφαία διὰ τὸ ἔνυδρον φιλεῖν τόπον, *quia aquoſa amat loca.* Plinius deducit à Nympha zelotypa erga Herculem mortua, *quæ in eam transformata fuit*; unde inquit Heraclion vocant aliqui, alii Ropalon à radice clavæ ſimili; ideóque eos qui iberint eam duodecim dies coitu genituráque privari, lib. 25. cap. 7.

A. 1. *Nymphæa lutea* Ger. J. B. *major lutea* C. B. Park. *Nenuphar luteum* Brunſ. **Water-Lily, with a yellow flower.**

J. B.

Haud temere herbam aquaticam invenias, quæ majore radice nitatur quàm Nymphæa, quippe uæ humani cruris craſſitudinem nonnunquam aſſequatur. Harum quæ lutea eſt *radicem* habet fo is virentem, intus albam, fungoſam & poroſam, ſapore ſubamaro præditam cum quadam adſtri tione, cui multa appenſa adnata, craſſitudine digitali, foris nigricantia, fibríſq; multis capillata: *Folia* aquæ innatant, ſpithamam aut ſeſquipalmum longa, latitudine palmari, formâ ſoleæ equinæ, propemodum rotunda, paullò oblongiora quàm candidæ, pinguia, lentóq; virore ſplendentia, ſuperiore parte glabra & lævia, inferiore verò fibris aliquot diſtincta, pediculis digitali craſſitudine, cubitos duos aut tres longis, aut etiam longioribus, teretibus, medullâ fungoſâ, creberrimis rectis canaliculis perviâ: quibus ad exortum interdum concurrentibus pluribus pediculis lanugo candidiſſima, quæ & folia nondum explicata, haſtæ mucronem æmulantia exteriore parte obveſtit. *Flores* pediculis conſimilibus inſident, ſapore cum dulcedine aliqua ſtrenuè adſtringente, odore Siſymbrii Cardamines, quinq; foliis craſſiuſculis conſtantes, colore luteo præditi, exceptis unguibus, qui externa parte vireſcunt: intra verò ſeptum foliorum quinq; duplex eſt corona, prior minutiſſimorum foliorum, quæ externis appreſſa rugoſa conſpiciuntur, & ſimiliter lutea, quo etiam colore prædita eſt interior, ſed dilutiore, ex compluribus ligulis retroactis, & apicibus priorem coronam contingentibus; medium occupat pericarpii rudimentum ex luteo viride; quod delapſis coronis, foliíſque florum, totis jam viridantibus, ſaturo virore ſed nitente tingitur, papaveracei capitis magnitudine, ſed formâ urceum affabrè exprimens, turgido ventre in anguſtam cervicem deſinente, quæ ſenſim dilatata margines urcei effingit, ſtriis extantibus aſperatos, & orificii loco aliquouſque pertuſos; in his *ſemen* continetur, ſplendens, majus quàm albæ, Triticeo grano minus.

Flos hujus ſpiritum illum ardentem ſeu liquorem deſtillatum, quem *Aquam vitæ* vulgò vocant, odore referre nobis viſus eſt.

Locus. In fluviis & foſſis paluſtribus majoribus, inque aquis ſtagnantibus majoribus crebrò reperitur.

A. 2. *Nymphæa lutea minor flore fimbriato* J. B. C. B. **The leſſer yellow Water-Lily with a fringed flower.**

Radiculis multis uliginoſo cœno infixa eſt, capillaceis, è caulium nodis prodeuntibus; *foliis* multis, longo rotundóque pediculo nixis, guſtu amaris, aquæ innatantibus, denſis, *caulibus* teretibus geniculatis; floribus luteis flori Cucurbitæ perquam ſimilibus, quinque tantùm foliolis conſtantibus, non ut in lutea majore numeroſo ſtipatu congeſtis, aut multos apices intus gignentibus, per ambitum venuſtiſſimè fimbriatis: calyculo oblongo, lato & compreſſo, ſeminibus pleno oblongis, latis, in ambitu piloſis. Atriplicis ferè modo, guſtûs quoque amari.

Locus. In fluviis & ſtagnis majoribus naſcitur, non tamen admodum frequens. In Inſulâ Elienſi abundat.

A. 3. *Nymphæa alba* Ger. J. B. *alba major* C. B. **White Water-Lily.**

J. B.

Luteæ ante floris productionem ſimillima eſt, rotundioribus tamen foliis, [*Dod.* & foliorum & florum pediculis rotundis.] *Radix* craſſiſſima, cortice tegitur nigriore, intus candida & fungoſa, unde plurimæ exeunt fibræ, quibus in fundo hæret: *flores* autem longiſſimis, aquas trajicientibus pediculis hærentes, candoris emaculati, nonnihil odorati, Liliaceis floribus ſimiles, multiplici foliorum agmine ſtipati; verùm extima folia exteriore parte ex albo vireſcunt, ut Ornithogali: medium occupant *ſtamina* numeroſa. Dodon. autore poſt florem *capitulum* prodit rotundum, in quo *ſemen* nigricans, ſplendens, Milio majus.

Nymphæa Braſilienſis flore albo, *Aguape* indigenis dicta, non videtur ſpecie diverſa. *Flos* (obſervante Marggravio) duodecim conſtat foliis, oblongis acutis, anguſtis, albis, & quatuor foliis viridibus ſubtus, ſuavis odoris.

Locus. In fluviis oritur ſed rariùs apud nos in Anglia.

A. 4. *Nymphæa alba minima* C. B. *alba minima ſive Morſus ranæ* Park. *Nymphæa minor ſive Morſus ranæ* J. B. **The leaſt white Water-Lily, or Frog-bit.**

In aqua fluitans multiplicat ſe flagellis ſuis tenuibus, in quibus veluti parva capita, unde foliorum exortus, & radices tenuiſſimæ, fundum versùs tendentes. *Foliis* circinatæ rotunditatis, teneris, uncialibus, interdum duplo majoribus, Aſari foliis ferè ſimilibus, ſed minoribus, pediculis nixis palmaribus. *Flores* veluti è veſica prodeunt, majuſculi foliolis ternis albis conſtantes, Dod. mediolutei.

Locus. In aquis pigrioribus & cœnoſis tardè fluentibus.

Varietas. Hujus varietatem flore pleno odoratiſſimo obſervavimus in foſſa quadam paluſtri ad latus aggeris ſeu calceti *Audrey cauſſey* dicti, propè pontem ligneum, in inſula Elienſi.

His addit Lobelius, & ex eo Gerardus, Parkinſonus, & Bauhinus uterq; *Nymphæam luteam minorem*, quam juxta amœniſſima Thameſis fluenta in udis ſcrobibus frequentem ſcribit: Item *Nymphæam albam minorem*, quam in Anglia, viâ quæ Londino, Oxonium, ac Briſtoliam ducit ſecus & trans aquas viarum pigriores minúſq; profundas reperiri aſſerit. Ego & amici diu utramq; quæſivimus, necdum invenimus in Anglia, aut ab aliis fide dignis inventas audivimus, tantum abeſt ut frequentes ſint apud nos. Ego certè Lobelio non multùm fido: nam & alias aliquot plantas ſponte in Anglia oriri tradit, quas poſt ipſum nemo quiſquam hactenus invenire potuit, nec puto inventurus eſt. Nymphæa lutea minor flore fimbriato in Anglia ſatis frequens eſt; fortè hanc intelligit Lobelius, *Nymphææ luteæ minoris Septentrionalium* titulo. *Nymphæa alba minor* nobis hactenus incognita eſt. D. Magnol Monſpelienſis in ſtagnantibus aquis circa Lateram eam æſtate ſæpiùs occurrere ſcribit: utinam accuratiùs deſcriptam nobis dediſſet.

Vires. Nymphææ utriuſq; albæ & luteæ radix, folia, flores, ſemen in uſu ſunt adversùs fluxus, præcipuè verò gonorrhœam & pollutiones nocturnas, ſeminis acrimoniam, ſanguinis æſtum & tenuitatem. Extrinſecùs ſæpe adhibentur folia & flores ad febriles æſtus & vigilias ſopiendas [in lotionibus pedum, in impoſitione foliorum ſcil. lumbis, temporibus, plantis pedum.] *Schrod.*

Multi ab hujus plantæ uſu cavent, eo timore nè iis coeundi tum vires, tum deſiderium minuantur: compertum enim aiunt uſum ſeminis atque radicis homines reddere ad Venerem valdè frigidos & tardos. *Plin.* lib. 25. c. 7. coitu genituráque privari ſcribit qui biberint eam duodecim diebus.

Radix Nymphææ candidæ vino nigro decocta & pota menſium muliebrium abundantiam ſiſtit efficaci remedio, etiam iis qui de omni auxilio deſperârunt. Idem de Semine intellige. *Trag.*

Henricus Petræus radicem Nymphææ albæ vino coctam & potam commendat in nimio menſium fluxu, è Dolæi lib. 5. c. 4. ſect. 18.

Turcas perhibent per noctem flores Nymphææ in aqua macerare, qua ſi nares inungant, vel eandem bibant, putant ſe à multis graviſſimis morbis immunes futuros, & ſe ab iis præſervari poſſe. Nos ex floribus albis conſervam & ſyrupum conficimus quæ ſomnum conciliant, ſegniùs tamen quàm Papaver. Simon Paul. Quadrip. Botan. Claſſ. 2. p. 94, 95.

Experientiâ ſcio in excoriatione palati vel Uvulæ & Linguæ à materia calida aduſta Aq. Nenupharis cum Caſura conducere, ex obſervationibus Marcelli Cumani ab Hieronymo Velſchio editis.

* 5. *Nymphæa alba major Ægyptiaca ſive Lotus Ægyptia* Park. *Lotus Ægyptia* Alpin. exot.

Foliis conſtat numeroſis, magnitudine colore atque figurâ Nymphææ albæ foliis proximis, undiq; crenatis, pluribus lineis ſeu nervulis per folii ſuperficiem variè diſcurrentibus, pediculis è radice exeuntibus nixis ut in illa. Ac nec folia tantùm Nymphææ ſimilia habet, ſed & *capita*, & *radicem*, & *flores* etiam magnitudine, figurâ, & colore albis Nymphææ floribus ſimiles, ſingulis ſingulos pediculis ſeu caulibus viridibus, rotundis inſidentes, aliquantum odoris leviſſimi, ad Violæ odorem inclinantis reſpirantes. Floribus ſuccedunt *capita* rotunda, Meſpilo magno magnóq; fructui Nymphææ albæ ſimilia, cortice viridi contecta, intus veluti longos parvóſq; folliculos habentia, quæ *ſemen* continent minutum Braſſicæ ſemini ſimile. Pediculi tum florum tum foliorum longi ſunt, digitum minimum circiter craſſi, teretes, cavi, decem ferè alterutrorum ab eadem radice. Radix rotunda in oblongum, magnitudine & figura ut Pyrus parva, exteriùs nigra, intus flaveſcens, pulpa ſanè carnoſa & dura, guſtu adſtringens & ſubdulcis. Prorsùs verò aucta non ſuperat magnitudinem ovi gallinacei. Indigenæ ex jure coctam libenter comedunt. Videtur coctu intus colore ovi rubrum imitari. Ab hac radice craſſa & toroſa innumeræ fere fibroſæ, tenues, colore albicantes radiculæ procedunt.

Locus.

In locis nonnullis aquâ Nili fluminis, æſtate de more ſolito aucti, inundatis, ac velut lacunis effectis (quos locos *Birchas* Ægyptii vocant) adeò abundat, ut tota aquæ ſuperficies foliis contecta occultetur, plantæque tandiu vivens ſupra terram cernitur, quoad tota aqua terrâ fuerit abſorpta, atq; ſiccata; quod fieri ſolet Novembri menſe, quo tempore Loti plantæ ſub terra occultantur, marceſcentibus tum foliis, tum floribus, tum fructibus, cum totis ſuis plantis: quo conſtat Lotum annuam eſſe plantam.

* Id proprii hæc planta (inquit Alpinus) habere videtur, quòd quantacunq; ſit aquæ altitudo uſq; ad illius ſuperficiem creſcat, floréſq; nunquam intra aquam aperiat ſed ſemper ſupra ſuperficiem ejus, non multùm tamen, attollat.

Quæ Theophraſtus & Plinius habent de mirabili hujus plantæ ad Solem converſione, quòd ſcil. flores ejus ſole occidente ſe comprimant, capútq; integant, ad ortum aperiantur & ſupra aquam aſſurgant, ſe in Nymphæa alba obſervâſſe affirmat Proſper Alpinus, Ipſam nempe occidente Sole florem claudere, deinde ſe totum cum foliis ſub aqua occultare, eóq; oriente florem primùm extra aquam promere, aperire, atque paulo poſt cum omnibus foliis ſupra ipſam aſſurgere: Nobis certè incredibilia videntur.

Cap. II.

De Tribulo aquatico.

TRibulus dicitur παρὰ τὸ τρεῖς βάλλειν, quòd fructu ſuo tria vulnuſcula infligat, vel quòd cuſpidatum trifariam feriat. *Bod. à Stapel.*

Tribulus aquaticus J. B. C. B. Ger. *aquaticus major* Park. **Water Caltrops.**

J. B.

Ex uno capite ῥομβοειδῆ *folia* multa, ſeſcuncialia, duobus quadrantibus ſuperioribus ſerrata, ſupra glabra; ſubtus rugoſa, Populneis quodammodo ſimilia, pediculo palmari & ſeſquipalmari, fungoſo & paullò infra inſertionem tuberoſo hærentia. *Flores* parvos albos ſequuntur muricati *fructus*, * ſpinulis armati, nigricantes, Caſtaneis pares, pulpâ nucleóve non diſſimiles, candido, eduli, guſtu haud ingrato, qui, autore Dod. & recens mandi, & arefactus, molâque contritus in panem cogi poſſe fertur. *Radices* longiſſimæ ex intervallis, veluti ad genicula ſtaminum utrinque cæſariem promunt, partim in aqua natantes, partim limo hærentes.

* *Imo ſpinis craſſis & robuſtis.*

Locus.

Naſcitur variis in locis, ac ferè ſtagnantibus fluviorum partibus, lutoſis lacubus, & urbium foſſis, quibus limoſus ſit fundus. Inter Montbelgardum & Baſileam obſervavit J. Bauhinus, ubi floret menſe Junio. Matthiolus in plerisque Italiæ fluminibus & lacubus provenire ait, præſertim in agro Mantuano & Ferrarienſi: neque ſolùm in dulcibus aquis gigni, ſed etiam in mari, quod non credimus. Nos fructus Venetiis venales vidimus.

Pleniorem hujus plantæ deſcriptionem videſis apud Jo. Bod. à Stapel, Comment. in Theophr. hiſt. lib. 4. cap. 11.

Cap. III.

De Faba Ægyptia.

HÆC planta à nonnullis Nymphææ ſpecies cenſetur ob conformitatem in foliis caule & radice. Flos etiam cætera Nymphææ ſimilis ſolo colore purpureo differt. Præcipua differentia eſt in fructu.

Faba Ægyptia Bod. à Stapel. *Faba Ægyptia Dioſcoridis & Theophraſti, cujus radix* Colocaſia *dicebatur* Park. *Fabæ Ægyptiacæ Dioſcoridis affinis* C. B. *Fructus valdè elegans, Faba fortè Ægyptia Dioſcoridis* J. B.

Hujus fructum ſic deſcribit Cluſius, Prægrande Papaveris caput, cujus ſummum faſtigium tranſverſim fuiſſet præciſum, referebat; membranaceâ enim & rugosâ conſtabat ſubſtantiâ, ſubfuſci coloris, levi admodum, licet ejus circumferentia supremâ parte novem eſſet unciarum, ſenſim tamen decreſcens, uſque ad pediculum qui *florem* cui fructus ſucceſſerat ſuſtinuiſſe videbatur; apparebant enim quædam ubi flos inhæſiſſet veſtigia: ſuperior porro fructûs pars prorſus erat plana, 24 lacunis ſive cellulis ſerie quadam diſpoſitis prædita, inſtar favi Veſparum; in quarum ſingulis ſingularia *ſemina*, ſive parvæ nuces, inſtar pumilarum glandium continebantur, pænè unciam longæ, unciam in ambitu craſſæ, quarum ſuprema pars fuſca erat & in mucronem deſinebat illi ſimilem qui extimam glandis partem occupat. Infima pars exiguam lacunam habebat, veſtigium videlicet ubi pediculus illam in cellula retinens inhæſiſſe videbatur: nucleum autem continebat rancidum & ſitu obductum.

Hanc ipſam plantam in inſula Java invenit Juſtus Heurnius M. D. & verbi Divini miniſter in India Orientali, qui eam Nymphææ glandiferæ Batavicæ Javorum nomine deſcripſit his ferè verbis. Ejus [fructûs] fungoſus rugoſus calyx eſt, globum dimidium referens, viridis coloris, qui duodecim, vel ſeptendecim loculis diſtinctus eſt; loculorum quivis glandi ſimilem fructum continet, ex violaceo nigricantem intus albiſſimum, corculo viridi, adſtringentis ſaporis & ſubamari ut Glandium, ſiccatum ut Avellanarum. *Caulis* bicubitalis ſæpe, rotundus, aſper, fungoſus. *Folia* ingentia, Batavicæ Nymphææ planè ſimilia. Flos etiam noſtratium ſimilis, odoris validi ut olei Aniſi.

Locus. Naſcitur in paludoſis & ad ripas fluviorum. Hæc è Jo. Bodæi à Stapel notis in Theophr. hiſt. & Parkinſoni Theat. ubi plura vide. Hanc plantam veram & genuinam Antiquorum Fabam Ægyptiacam eſſe nemini dubium eſſe poteſt qui deſcriptiones inter ſe contulerit.

Jac. * Bontius plantam hanc titulo *Nymphææ Indicæ flore purpureo* ſic deſcribit,

Noſtrati Nymphææ in omnibus tam in latis, quàm rotundis foliis, caule & radice planè convenit: flore verò differt, qui in noſtrate vel albus, vel flavus eſt, hic autem pulchrè purpureus, odore gratiſſimo nullo modo noſtrati cedens. Fructu quoque & calyce longè à noſtrate Nymphæa differt; qui in ſuperficie hic planus conſpicitur, tanquam ſi per medium cultro diſſectus eſſet: verrucas parvas, in orbem diſtinctas ſuper oſtendens circiter 30. numero, quæ paulatim grandeſcentes calycem ſibi unaquæque effingit, donec matureſcens nucem Avellanam dempto putamine cùm forma, cum nucleo valdè referunt; ſaporem quoque ejus non malè æmulatur, qui tamen fatuus aliquo modo & aqueus eſt, naturam redolens elementi in quo creſcit.

Viribus cum Nymphæa noſtrate convenit, ideóque decocto hujus plantæ, à Malaiis edocti, utimur in calidis morbis, Febribus ardentibus, Phrenitide, Cholera, & in mortifera dyſenteria. Hactenus Bontius.

* *Hiſt. Nat. & Med. Ind. Orient.*

CAP. IV.

De Millefolio aquatico.

A. 1. *Millefolium aquaticum minus* Park. J. B. *aquaticum floſculis ad foliorum nodos* C. B. *Myriophyllum aquaticum minus Cluſii* Ger. **Small Water-Milfoil.**

Cluſ.

LAtè ſe fundentibus ſcapis præditum eſt, qui rotundi, virides, frequentibúſque nodis intercepti ſunt; è quibus tenues, capillaceáſque fibras ſpargit, quibus telluri inhæret: ſuperior ſcaporum pars palmum ſupra aquas eminet, quam ad ſingulos nodos quinæ tenuium, parvíſque foliolis præditorum foliorum alæ ambiunt, vix unciam longæ, virides admodum, quæ ſenſim circa ſcaporum ſummitatem minuuntur, ſic ut in pyramidalem quaſi formam ſcapi deſinant, qui ſummo faſtigio totidem floſculos quot foliorum alas in ſingulis nodis ferunt, puſillos valdè, octonis candidis foliolis ſimul junctis, nec ſeſe explicantibus, præditos, qui deinde in quædam tubercula, quatuor radiolos in capite habentia tranſeunt.

Locus. In lacunis ſecundùm rivos ſitis, nec profundis, obſervavit Cluſius, Flore & ſemine menſe Junio onuſtum: nos in rivulis circa Cantabrigiam copioſum ſatis invenimus.

A. 2. *Millefolium paluſtre galericulatum* Ger. emac. *aquaticum flore luteo galericulato* J. B. Park. *aquaticum lenticulatum* C. B. **Hooded Water-Milfoil.**

J. B.

Tenuiſſimis filamentis totum eſt contextum, iiſque ferè indigeſtis; appenſis hinc inde crebris emblematis orbicularibus, Lenticulam aquaticam æmulantibus. Caulis tenuis, dodrantalis, nudus, in ramulos aliquot parte ſuperiore diviſus, *flores* gerit luteos, majuſculos, cucullum referentes.

Locus. In foſſis paluſtribus Lincolnienſibus & Elienſibus reperitur. Duas ſpecies obſervavit *D. Dent*, majorem & minorem.

Vocavi (inquit C. Bauhinus) lenticulatum, quia veſiculæ parvæ Lenticulares non tantùm ultimæ foliorum parti adhærent, ſed infinitæ omnibus foliorum partibus ſubjiciuntur.

Hanc plantam quoniam aliis imperfectè deſcriptam obſervavimus, ipſi pleniùs accuratius & deſcribere conati ſumus. E radice limo inhærente *cauliculos* emittit infirmos, teretes, creberrimis geniculis diſtinctos, in aquis fluitantes, in ramulos rariores diviſos. Ad ſingula genicula ſingula exeunt *folia*, ramoſa, ſa,ramo ad exortum hinc inde inſigniori: Tum folium reliquum,tum rami dicti ramulos alternatim b hoc & illo latere emittunt,in tenuia & capillacea ſegmenta ſubdiviſos,quibus accreſcunt veſiculæ, ellucidæ aquâ plenæ,quæ cùm vetuſtiores ſunt nigricant & fragiles evadunt velut turbinatorum teſtæ: as *lenticulares* appellat C. Bauhinus. E centris divaricationum ramorum exeunt ſubinde *cauliculi* raſſiuſculi ſatis, firmi, dodrantales interdum, aut longiores brevioréſve pro aquarum profunditate, oliis nudi, [verſùs ſummitates tamen quædam foliorum rudimenta apparent] in faſtigio *flores* geſtantes quinque, ſex, ſeptémve, pediculis ſeſcuncialibus aut longioribus, purpurantibus inſidentes, ucceſſivè ſe aperientes, è calyce bifolio ſeu bivalvi, monopetali, in duo ſegmenta diviſi, quorum ſuperius galeæ figuram obtinet, inferius labelli lati, in medio velut fimbriam habentis denſam. Sub abello latitat calcar ſeu corniculum breve, incurvum. In medio flore tertia interdum lacinia occluditur. *Vaſculum* ſeminale parvum, ſubrotundum, figurâ ſeminis Lithoſpermi, unicum intus includens ſemen, rotundum, fuſcum. Folia juniora vireſcunt. In extremis ramulis, nunc [Julio menſe] gemmæ inſignes cernuntur, ad tactum admodum viſcidi.

Floret Julio & Auguſto, & ſemen brevi maturat. *Tempus.*

In piſcinis, ínque foſſis paluſtribus occurrit, ſed rarius. *Locus.*

Cap. V.

De Cotyledone aquatica.

A. 1. *Cotyledon aquatica* J. B. *aquat. acris Septentrionalium* Lob. *paluſtris* Ger. Park. *Ranunculus aquaticus Cotyledonis folio* C. B. **Marſh Pennywort, White Rot.**

Viticulis rotundis, crebris geniculis interceptis, vel ſub terra, vel in ſuperficie terræ reptando ſe propagat. E geniculis tum fibrillæ ſeu radiculæ albæ creberrimæ, tum folia, tum etiam pediculi flores ſuſtinentes exeunt. *Folia* circinatæ ferè rotunditatis, craſſa, digitum lata, er margines leviter crenata, glabra,pediculis ſemipalmaribus aut majoribus ſumma parte hirſutis, eorum centra occupantibus inſident, fibris indè in foliorum margines velut tot radiis ductis. Ex alis foliorum exeunt cauliculi ſeu potiùs pediculi digitales, tenues, infirmi, in ſummitate flores aliquot glomeratos [octo interdum aut plures] ſuſtinentes. Singuli autem flores quinque perexiguis, acutis, dilutè rubentibus foliis componuntur, & ſummitati ſeminum ſingulorum, ſeu fortè binorum, conjunctorum, nudorum inſident, velut Thlaſpeos cujuſdam compreſſorum. Interdum in eodem caule bini habentur, alius ſuper alium, florum & ſeminum glomeres: bini quoque non raró ex ejuſdem folii ſinu exeunt pediculi floriferi. Sapor plantæ mihi potiùs amarus quàm acris viſus eſt.

In paluſtribus frequentiſſima eſt hæc planta: poſt mediam æſtatem floret. *Locus.*

Panta eſt ſingularis & ſui generis: folio quidem Cotyledonem veram exactè refert, verùm caule, flore & ſemine immane quantum ab eadem differt.

* 2. *Cotyledon repens Braſilienſis*, Erva do Capitaon *Luſitanis* Marggr.

Marggr.

Radix recta, teres, geniculata, alba, ſub terra ſerpit, & ad genicula unius aut duorum digitorum intervallo diſtantia, multa agit filamenta tenuia, & ibidem caulem [rectiùs pediculum] duo aut tres, etiam octo aut decem digit. altum protrudit, exilem, teretem, fiſtuloſum, ex albo purpureum, inferiùs in medio filum lentum habentem: quilibet autem caulis fert ſuperiùs unicum folium rotundum, lætè viride ut Nymphææ, non ità ſolidum, in ambitu crenatum more folii Umbilici Veneris: caulis in centro folii aut circiter inſeritur, & ex centro inſertionis tenues venæ ad circumferentiam diſperguntur. Radix contrita odorem & ſaporem habet radicis Petroſelini.

Cap. VI.

De Stellaria aquatica.

A. *Stellaria aquatica* Park. *Millefolium aquat.* 13. *ſive Stellaria aquatica* C. B. *Alſine aquis innatans folius longiuſculis* J. B. **Water Starwort, or Star-headed Water Chick-weed.**

J. B.

Lenticulæ modo aquis innatat, longis, tenuibus, teretibus, infirmis *cauliculis*, pedalibus & cubitalibus ac etiam longioribus, in ramulos ſubinde abeuntibus: è quorum geniculis non tantùm demittuntur fibræ tenuiſſimæ & albidæ quibus radicatur, verùm etiam bina folia per geniculos oriuntur, Alſines, ſemunciam ferè longa, ex anguſtiore principio ſenſim parùm dilatata: extrema autem ramulorum ſupra aquam coronant folia multa, alia aliis impoſita, latiora radiatimque digeſta, decreſcentibus ſemper interioribus. Ad ſingulos caulis articulos *floſculi* bini oppoſiti, hinc inde unus, è foliorum ſinubus exeunt, duobus foliolis albis, ad ſe invicem flexis compoſiti, cum ſtylo albo pro floſculi proportione longiſſimo, luteo apice inſigni. Floſculos excipiunt *vaſcula* ſeminalia ex rotundo paululum compreſſa, quatuor lineolis altiùs impreſſis in quatuor partes diſtincta. In vaſculorum ſummitatibus emergunt pili aliquot nigri velut apicem conſtituentes.

CAP. VII.

A. *Militaris Aizoides* Ger. *Stratiotes ſive Militaris Aizoides* Park. *Aloe paluſtris* C.B. *Aloe ſive Aizoon paluſtre* J.B. **Water-Sengreen, or Freſh-water-Souldier.**

J. B.

F*Olia* habet Aloes herbæ ſimilia, ſed breviora & minora, per ambitum duris quibuſdam, brevibus aculeis ſpinoſa; inter quæ *vaginæ* quædam erumpunt, cancrorum forcipulis ſimiles, quibus dehiſcentibus *flores* exeunt candidi, trium foliorum, Ranæ morſûs perſimiles, luteola exigua *ſtamina* in medio gerentes. Pro radicibus fibræ longæ ſunt, rotundæ, candidæ, craſſioribus lyrarum fidibus, aut longis lumbricis perſimiles, quæ ab ipſo folia promente brevi capite deſcendentes aquæ fundum petunt, quem tamen rariùs aſſequuntur. Exeunt ab eodem & aliæ obliquæ fibræ, quibus uti Ranæ morſus multiplicatur.

Locus. In fluentis pigrioribus, ſtagnantium aquarum lacubus, & foſſis paluſtribus majoribus non raró invenitur, maxima foliorum parte unà cum floribus aquas ſuperante; reliquis ſtirpis partibus ſub aquis conditis. Junio, Julio & ſubinde Auguſto floret in Inſula Elienſi.

Cæterum fibras, quas pro radicibus habet, ſcelerati Agyrtæ, in aquæ plena phiala, quò majores appareant, mulierculis oſtentatas impudenter mentiuntur vermes eſſe, quos medicamentis ſuis ex inteſtinis eduxerint, teſte Dodonæo.

CAP. VIII.

Stratiotes Ægyptia J. B. *Strat. aquatica vera Dioſcoridis & Ægyptiaca* Park. *Lenticula paluſtri Ægyptiaca ſive Stratiotes aquatica foliis Sedo majore latioribus.*

Alp.

PRopè Peluſium, nunc Damiatam dictum, Ægypti urbem, in foſſis aquâ Nili decurrente plenis copioſè provenit hæc herba, aquæ Lenticulæ paluſtris modo ſupernatans, ſine caule, foliis Cynogloſſæ, brevioribus, latioribus, denſioribus, durioribus, hirſutioribúſque ac albidioribus, à quibus pro *radicibus* exigua & rara quædam lanugo pendet. Sedo majori ſimilis eſt; Nullo odore prædita, eo excepto quem ab aqua accipit; ſapore tamen adſtringente ac ſicco linguam ferit, non ſecus quàm Acacia.

** Lib. 4. cap. 102.* Hanc plantam Antiquorum Stratiotem eſſe minimè dubium videtur. Stratiotes enim, teſte * Dioſcoride, fluviatilis cognomen ex eo traxit, quòd in aquis naſcatur, ínque iis ſupernatans ſine radice vivat, quamvis folium habent Aizoo ſimile, ac majus. Plinius verò tradit eam in Ægypto tantùm ex inundatione Nili naſci; Aizoo etiam ſimilem eſſe, ni majora haberet folia.

Stratiotes Ægyptia Dioſcoridis Veſlingii.

Cùm in eodem loco, nempe in Nilo propè Peluſium obſervata ſit ab Autore Cl. Veſlingio à præcedente non diverſam eſſe ſuſpicor, quamvis nec deſcriptiones nec icones per omnia conveniant.

Folia hujus, deſcribente Veſlingio, Aizoo quidem, ſed majori illi & arboreſcenti ſimilia diceres, ni majora multò forent paritérque latiora. Surrecta pleraque videntur, roſeóque conceſſu ſtipata, & citra malæ ætatis diſpendium plicis in longitudinem rugíſque non ineleganter criſpata. Circa exortum, ut ſolet, anguſtiora folia paulatim deinceps dilatantur: extremorum altero non in acumen exeuntia, ſed reflexis leviter oris paulatim diducta ſunt: cætera dilutiùs vireſcentia, Verbaſci inſtar molliter utrinque hirſuta. *Flores* non obſervavit. Planta tota ſeſſili baſe Nilo incubat aquis innatans citra radicem, quamvis radicum vicem demiſſa terram verſus tenuiſſima fibrarum veluti filamenta ſuſtineant.

CAP. IX.

Lens paluſtris latifolia punctata Park. *Lenticula paluſtris latifolia punctata* C.B. *Lens paluſtris Patavina* J. B.

J. B.

AD unam coſtam longiuſculam adnaſcuntur utrinq; in alæ modum *folia* denſo agmine mutuò ſe plurimùm tangentia, ex oblongo rotunda, ſemuncialia ſuperiùs punctis minutiſſimis notata, inferius muſco obducta. His infernè copioſæ Lenticulæ, aliquando ſingulæ, aliquando terniæ & quaternæ, rugoſo prætenui cortice donatæ adhærent, quibus ſemen copioſiſſimum minutiſſimum & flaveſcens includitur. Sapore eſt aqueo.

Locus. Hanc in foſſis Patavinis aquis ſupernatantem vidit *C. B.* & in Sileſia circa Vratiſlaviam reperitur.

Hæc planta rectiùs fortaſſe ad Capillares refertur.

Cap. X.

A. *Graminifolia paluſtris repens vaſculis granorum piperis æmulis.* **Pepper-graſs.**

PErexigua hæc planta per terram repit foliis tenuiſſimis; in alis foliorum globulos ſeſſiles profert granorum piperis magnitudine ferè, ſeminibus albis refertos.

Cap. XI.

Gramen Oſſifragum Norwegicum & Cimbricum.

HÆc planta impropriè Gramen nominatur à S. Paulo & Bartholino, quia non eſt flore ſtamineo. Radix ejus craſſa, nodoſa, inſtar radicum ſeu raparum Rothfeldianarum folia longa, acuta inſtar Iridis, flos flavus colore ſaturato. Locis paludoſis & humidis creſcit inter alia dumeta prope omnes villas colonorum; primum gramen eſt quod vere prodit, unde avida ſunt pecora ad decerpendum; ex eſu hujus pecora male ſe habent, macie confecta, ſpinâ dorſi extrà protuberante (undè ruſtici dicunt quod dorſum ſit fractum) pedibus oſſibuſq; debilibus, ut ægerrimè incedere queant. Pro Antidoto Ruſtici ſemper habent oſſa exiccata in promptu, in parva fruſta confracta, quæ quotannis magnâ copiâ colligunt, & conſervant ad hunc uſum; hæc avidè devorantur ab arthriticis bovibus, vaccis, ovibus, equis, porcis, &c. & in minima dentibus comminuuntur, & deglutiuntur unde ſalivatio ſubſequitur, & pecora convaleſcunt: aliqui pro remedio utuntur radice Tormentillæ, omnes ferè tamen oſſibus acquieſcunt.

An hæc phænomena producuntur à fodinis mercurialibus vel plumbeis, eorumq; effluviis, vel à ſuperfluâ humiditate vernalis plantæ, contendant Philoſophi.

Notandum eſt variare plantas pro diverſitate ſoli, loci, & Climatis, in quibuſdam enim regionibus hæc herba innoxiè à beſtiis conſumitur (adnotante Bartholino) & à Chirurgis uſurpatur pro Centaurio minore; in aliis verò tam pernicioſa pecoribus & odioſa ruſticis, ut iſta loca circumſepiunt in quibus copioſè luxuriat. Vide D. Joh. Frid. Treubleri Obſerv.

Suſpicatur *D. Tancredus Robinſon*, (qui omnes has obſervationes de gramine Oſſifrago collegit) hanc plantam eſſe vel Centaurium paluſtre luteum minimum noſtrum Catalog. plant. Angl. vel Ranunculi graminei aut potiùs Aſphodeli ſpeciem.

Cap. XII.

A. *Gladiolus lacuſtris Dortmanni* Cluſ. cur. poſt. *p.* 40. *Leucoium paluſtre flore ſubcæruleo* C. B. *Glad. lacuſtris Cluſii, ſive Leucoium paluſtre flore cæruleo Bauhini* Park. **Water-Gladiole.**

Cluſ.

HUjus folia dodrantalem longitudinem rarò excedunt, craſſiuſcula & concava ſunt, interſtitióq; diſcreta inſtar ſiliquarum albæ Violæ & ſimilium, viridia alioquin, & dulcis ſaporis, anatibus urinantibus gratum pabulum; nam ad aliquot ulnarum altitudinem ſub aqua latent, quam tamen caulis inter illa emergens ſuperare conſpicitur, floribus albis onuſtus, Leucoii flore amplioribus, cava illa & infima parte, petiolo à quo dependent proxima ſubcœrulei coloris, formam pænè referentes Gladioli, non prorſus tamen ſimiles, quinque foliis conſtantes, quorum duo ſuperiora ad pediculum reflectuntur, tria reliqua, quæ latiora, propendent. Floribus ſuccedunt turbinata vaſcula, rufo ſemine plena.

Naſcitur in ſtagnis quorum fundus puro ſabulo ſubſternitur, nullam alioqui plantam præter hanc alente. Sub extremum Julium florentem ſe obſervâſſe ſcribebat Dortmannus apud pagum *Norch* & *Weſterveld* in Drentia, nuſquam alibi. Nos in lacu parvo aut ſtagno *Hulſwater* dicto non longè à *Pereth* Cumberlandiæ oppido copioſum obſervavimus.

SECTIO II.

Anomalæ Siliquoſæ.

Cap. I.

De Acantho.

ACanthi pueri in florem ſui nominis verſi fabula nobilis quem Pæderota à puerili, uti ſuſpicatur Kyberus amore Græci vocant. Melamphyllon etiam non ineptè à Græcis dicitur hæc herba, quòd folium ſaturato virore nigreſcat. Planta eſt ſingularis & anomala, quam Botanici vulgò ob folia in Sylveſtri genere ſpinoſa Carduis annumerant.

Dicitur verò Branca urſina à ſimilitudine quam folia habent cum anterioribus urſi pedibus.

Acanthi folia veteres Architecti ob figuræ venuſtatem & elegantiam epiſtyliis ſeu columnarum capitulis inſculpere ſolebant. Frondibus Acanthi (inquit Vitruvius) columnas Corinthias veteres Architecti coronabant, quarum effigies adhuc hodie noſtris frequenter oculis offerunt. Veſtibus etiam pretioſis figuram Acanthi foliorum circumtexebant: unde Virgilius,

Et circumtextum croceo velamen Acantho.

Verùm an Branca urſina vulgaris ſit verus Antiquorum Acanthus merito dubitatur, quia Plinius Acanthum topiariam herbam facit, Branca autem urſina operibus topiariis omninò inidonea eſt, nec enim ductilis & ſequax, & in Animalium aliarúmve rerum formas & effigies fingi apta. Ex altera tamen parte Acanthi deſcriptio apud Dioſcoridem Brancæ urſinæ perbellè quadrat. Conſule ſi placet Jo. Bod. à Stapel. Comment. in Theophr. hiſt. lib. 4. cap. 3. p. 308.

1. *Acanthus ſativus* Lob. Ger. Park. *Sativus vel mollis Virgilii* C.B. *Carduus Acanthus ſive Branca urſina* J. B. **Brank-urſine, or Bears-breech.**

J. B.

Acanthi *folia* humi fuſa, pedalia, profundè laciniata, mollia, intenſo virore ſplendentia, piloſa. Inter hæc ſurgit *caulis* duûm triúmve pedum, rectus, firmus, foliis nudus, minimè ramoſus, qui à medio ad ſummum uſque faſtigium thyrſum gerit florum candidorum, quorum folia rictum imitata, oblonga, foliis coercentur viridibus, per extremum laciniatis nonnihil & ſpinoſis, medium occupantibus *ſtaminibus* craſſiuſculis. *Semen* in oblongis continetur pericarpiis, latum, planum, rotundum, craſſum, ſordidè luteum. *Radices* longè, lateq; vagantur, foris nigræ, intus albæ, ſapore glutinoſo & viſcido, ut & folia: adeò vivaces ut vel minima particula in terra relicta germinabit; frigoris tamen minùs patiens eſt.

Locus. In Italiæ meridionalibus circa Baias & Neapolin, inque Sicilia inſula copioſè provenit.

Vires. Eſt è quinq; herbis emollientibus. Uſus potiſſimùm externus eſt in clyſteribus aliiſque paregoricis, quarumcumque formularum & utplurimum in cataplaſmatis. Radices, autore Dioſcoride, ambuſtis & luxatis commodant in cataplaſmate impoſitæ. Potæ urinam ducunt & alvum ſiſtunt. Podagris calidis tritæ & calefactæ utiliter illinuntur. *Plin.* Proſunt etiam tabidis, ſanguinem ſpuentibus, ex alto delapſis, ictu aliquo aut conatu ſupra vires læſis [ruptis atque convulſis Dioſc.] non minus quàm Symphyti majoris radices, quas ſubſtantiâ, lento ſucco & qualitate proximè refert. *Dod.*

2. *Acanthus aculeatus* C. B. *ſylveſtris* Park. *Carduus acanthus ſive Branca urſina ſpinoſa* J. B.

Dod.

Sylveſtris Acanthus caule, faſtigio acuminato, floribúſque cincto, florum colore ac ſpecie, tum & ſemine ſativum refert, ſed tamen brevior ac humilior: *folia* ſimiliter ampla, multis inciſuris laciniosa, ſed haudquaquam lævia, verùm frequentibus, aſperis, duris ſpinis circa marginum crepidines horrentia.

CAP. II.

1. *Leontopetalon* Ger. Park. C.B. *Leontop. quorundam* J. B.

R*Adix* pugnum implet, rotunda, tuberibus multis inæqualis, cortice cinereo, pulpa virente in luteo, ſapore amaro. Hinc exeunt pediculi pedales, trifariam diviſi, quorum ſingulæ diviſiones bina aut terna gerunt *folia*, circinatæ ferè rotunditatis alia integra, alia laciniata & veluti criſpa, colore ex glauco flaveſcente, venoſa. Inter folia *caulis* exurgit, lineis pallidè purpureis ſtriatus, in multos ramos diviſus, foliis minoribus minúſque inciſis ad genicula donatus. *Flores* in uncialibus pediculis foliis oblongis interjectis, in caulibus ſpicatim congeſti, lutei, Ranunculi florum magnitudine, quinq; ſtellatis oblongis foliis conſtant, *apicibus* luteolis umbilicum circumſtantibus; quibus marceſcentibus prolongantur pediculi in palmarem longitudinem, in extremo utriculum venoſum Halicacabi ſuſtinentes. *Semen* nigrum, Cannæ Indicæ ſemini perſimile. Parkinſonus ſiliquas parvas floribus ſuccedere ſcribit, craſſiores & breviores quàm Fumariæ bulboſæ, alioquin nonnihil ſimiles, *ſemina* parva, rotunda continentes: quin & totam plantam Fumariam bulboſam quodammodo æmulari.

Locus. Circa Halepum Rauwolfius reperit. Matthiolus in Hetruriæ arvis aliiſq; Italiæ locis ſe vidiſſe ait, naſcíque frequentem in Apulia.

Radix uſurpatur in Halepo ad detergendas veſtium maculas.

2. *Chryſogonum* Park. *Chryſogonum Dioſcoridis quibuſdam* J. B. *Leontopetalo affinis foliis quernis* C.B.

J. B. Rauwolf.

Altitudinem Leontopetali adſequitur, éſtque huic caule, floribus, radicéque rotunda (quæ interna parte rubra eſt) haud abſimilis. Cauliculi tamen graciliores, in terram repandi, & ab origine fili modo tenues, in varios ramulos diviſi, quorum extremis *floſculi* adhærent conſpicui, lutei, denſioréq; ſtipatu poſiti, quatuor communiter foliolis conſtantes. *Folia* coliculorum dorſo adhærent gemina utrinq; & ità ſibi invicem oppoſita ut crucis figuram poſitu ſuo efficiant; atro-virentia, in extremo latiora, diſſecta ad inſtar foliorum Quercûs.

CAP.

Cap. III.

De Seſamo.

Seſami nomen inditum videtur ἀπὸ τοῦ σείω, quod quandoque σείω denotat *concutio, impello*, & ἀμάω meto, quod ſubito & quaſi impetu ad meſſem propelleretur. Potiùs nomen exoticum eſt, ab Ægyptiis ſumptum, quibus *Sempſem* dicitur. *J. Bod.*

Seſamum J. B. C. B. Park. *& aliorum Luſitanis* Girgelim. *An Gangila ſive Seſamum Africanum* Piſoni & Marcgrav? **Oily purging Grain.**

J. B. Veſling.

Per *caulem* cubitalem, rectum, firmum, craſſum & pinguem *folia* habet ſemuncialibus pediculis hærentia, craſſiuſcula, ex atro virore nonnihil rubentia, oblonga, acuminata [inferiora latiora & profundioribus inciſuris ſerrata, ſuperiora integris oris anguſtiùs patentia *Veſling.*] è quorum alis *flores* emicant calathi formâ, oblongi, magnitudine eximia, monopetali, reflexis labellis, intus albidi, exteriùs Violæ colorem induti, tenuíq; reſperſi lanugine. *Siliquæ* rectâ ſecundùm caulem aſcendentes, non quaternis tantùm ſed etiam quinis ſeníſq; lateribus anguloſæ, ſtellatum occupant *calicem*, oblongum illud, compreſſum, pingue, flaveſcénſq; *ſemen* incluſum cuſtodientes.

Ægyptiis tum in cibo, tum in medicamentis uſitatiſſimum eſt, quod cum reliquis frugibus, poſtquam arentes campos ſcatebris ſuis temperavit Nilus, celeri proventu ſurgens ſiliquâ minimè fallaci cultorem ſuum locupletat. Parkinſonus, neſcio quo Autore, Seſamum in India Orientali ſponte naſci ait, in Ægypto, Syria, Græcia, Creta, Sicilia, in agris duntaxat, ſeri & coli. *Vires & Uſus.*

Oleum ſeminibus expreſſum زيت طيب *Zeid taib*, i. e. Oleum bonum Arabes nuncupant, quod ad cibos in frequentiſſimo uſu eſt, majoríque pretio quàm Olivarum oleum in Ægypto venditur.

Marggravius *radicem* teneram, rectam, multis filamentis præditam, exteriùs ruffam, interiùs albam huic plantæ attribuit, ſi modo eandem plantam deſcribit.

Plantam hanc non eſſe verum Antiquorum Seſamum nobis cum J. Bauhino & Stapelio videtur, ideóque an vires à Dioſcoride Seſamo adſcriptæ ei conveniant dubium eſt. Iis ergo omiſſis, quas proponit in libro de Plantis Ægyptiacis Proſper Aſpinus, adferemus. Plantæ (inquit ille) decocto utuntur in fotu ad ophthalmias; ad tuſſes, anhelitûſq; difficultatem, pleuritidem, peripneumoniam, & tumores duros ſcirrhoſos: Mulieres pro uteri duritie inſeſſiones faciunt, & utuntur ad capitis furfures livoréſq; faciei: planta & ſeminibus coctis cum melle ad exſiccatos nervos, ad combuſtas partes, ad calidas inflammationes: Decocto in clyſteribus ad colicos dolores, & ad emolliendam alvum: Ad movendas menſtruas purgationes. Oleum fæcémq; ejus bibere ut impinguеſcant mulieres in balneis familiariſſimum habent. Oleo etiam ad multa alii Ægyptii uti conſueverunt, viz. ad cutis puſtulas, aſperitatem, atq; omnem defœdationem ex humore melancholico tum epoto, tum in cibis frequentato, vel ipſis affectis partibus inunctis. *Secretum* apud quoſdam ad cutis pruritus, ejus quatuor uncias multis diebus bibendas exhiberi, ad anhelitûs difficultatem, pleuritim deſperatam, peripneumoniam, ad movendos menſes, atq; ad vehementes ſtomachi, inteſtinorum, uteríq; dolorum cruciatus demulcendos intus & extra.

Cap. IV.

Balſamina fœmina C. B. Ger. Park. *fœmina Perſicifolia* J. B. **The female Balſam Apple.**

J. B.

Radice fibroſa & candida nititur: *Caulem* autem habet enormis craſſitiei, cùm altitudo cubitum ſæpe vix æquet, raro autem & parùm ſuperet: eſt is verò cortice aut ruffo, aut rubeſcente aut herbido tectus, ad genicula nodoſus, ſucco fatuo prægnans, glaber fere, cum interim rami, quos nullo ordine emittit tomento levi veſtiantur, *foliis* densè ſtipati Salignis aut Perſicæ, acuminatis, per ambitum ſerratis, ſucculentis, ſapore amaricante præditis; è quorum alis *flores* ſimul plures Perſicariæ ſiliquoſæ proſiliunt, calcari longo, ex carneo colore herbaceo, reliquus vero flos rubeſcit, pediculis brevibus inſidentes. [Eſt autem flos hexapetalos, folio ſupremo lato, infimo huic oppoſito concavo & in corniculum incurvum producto, binis lateralibus inferioribus oblongis, latis & propendentibus, latóque appendice velut geminis; ſuperioribus duabus brevibus, parvis.] *Fructus* figurâ ferè Balſaminæ maris, acuminatus, verrucoſus, in plures partes ſe contorquentes ſi digitis leviter prematur dehiſcens, *ſemina* ejaculatur parva rotunda ex ruffo fuſca ſeu pulla.

De loco natali nihil certi traditum invenio. Tenella eſt planta: ſemen rariùs apud nos perficit, niſi diligens cura & cultura accedat; quotannis ſerenda.

CAP. V.

A. *Perſicaria ſiliquoſa* Ger. *Noli me tangere* J. B. *Mercurialis ſylveſtris Noli me tangere dicta, ſive Perſicaria ſiliquoſa* Park. *Balſamina lutea, ſive Noli me tangere* C. B. **Codded Arſmart, Quick-in-hand, Touch-me-not.**

Col. J. B.

SUmmo cæſpite *radices* agit fibroſas, à quibus *Caulis* ſurrigitur cubitalis, tenerior, dilutiſſime virens, etſi in imo purpuraſcat, lævis, inanis, tranſlucidus, copioſum ſuccum inſipidum preſſu remittens, per intervalla geniculis, ad quæ tophorum podagricorum æmula ſunt tubera, interceptus. *Folia* alternatim poſita, Mercuriali hortenſi ſimilia, majora parum, latiora, & circa petiolum longioribus acutioribus dentibus ſerrata, magíſq; lunata, baſi latiore. Ex ſingulis foliorum alis petioli exeunt longi, tenues, in terram inclinati, tribus vel quatuor ramis diviſi, ex quibus *flores*, cùm parvi & inexplicati virides, & Balſaminæ floribus ſimiliores dependent, per dorſum binis foliolis viridibus colligati, maritimum monſtrum magno hians ore repræſentantes, parvo corpore, & caudâ tenui, brevi, recurva, & acutâ, bubulino cornu ſimili, ad Fumariæ bulboſæ flores accedentes, quadruplo majores & magis ſanguineis guttis reſperſi, cavi, inanes, hiantes, diviſuris ſive barbulis ſex diſtincti, ſed inferioribus longioribus J. Bauhino Naſturtii Indici floribus aſſimiles, minores, ex flavo rubentes, punctulis rubris ſaturatioribus guttati, in quorum medio exalbida ſtamina. His ſuccedunt *ſiliquæ* duas uncias longæ, tenues, nodoſæ, ex albo vireſcentes, lineis virentibus ſtriatæ, in terram nutantes, quæ cùm perfici incipiunt, diſrumpuntur, etiam ante maturitatem, vel vento impulſæ, vel manu tactæ, & *ſemina* ejaculantur etiam imperfecta, quæ oblonga, compreſſa, virentia primùm, deinde cinereo & fuſco colore evadunt. Autumni initio floret, & illius fine perficitur. Annua eſt planta.

Locus. Umbroſis, humentibus, uliginoſis locis oritur. In Anglia rariùs occurrit, ad ripas lacûs *Winandermere* dicti propè *Ambleſide* oppidulum in Weſtmorlandia obſervavimus: in tranſmarinis ſylvoſis & umbroſis udis ad latera montium ſecus Rhenum in Germania ſæpius invenimus.

Vires. Miram hujus herbæ vim in cienda urina pluribus experimentis confirmat Geſnerus. Aqua deſtillata in hac parte adeò efficax eſt, ut ſi copioſiùs bibatur diabetem inducat. Hanc Vratiſlaviæ in calculo renum mirificè prædicant. Nonnulli herbam hanc per vomitum & ſeceſſum purgare aiunt. Cuti impoſita eam φοινίσσει. Facultate fertur pernicioſâ, ac inter deleteria habenda. *Dod.*

CAP. VI.

1. *Hypecoon legitimum Cluſii* Park. *Hypecoon* C. B. *Hypecoon ſiliquoſum* J. B. *Cyminum corniculatum ſive Hypecoon Cluſii* Ger.

RAdix ei ſimplex, interdum bifida, longa, annua tamen, exteriùs fuſca [Cluſio ſubfluva] paucioribus fibrillis capillata. *Folia* multis inciſuris diviſa, Fumariæ ferè, pallidè viridia & nonnihil glauca [Cluſio figurâ, colore & aſpectu Rutæ foliis valdè ſimilia, molliora tamen & interdum longiora. *Nobis figurâ & ſegmentis Rutæ folia non admodum referre videntur, niſi Rutæ nomine Peganium Narbonenſium* Lob. *intelligat*] *Cauliculi* complures, nonnihil compreſſi, aliquouſque foliis deſtituti, ubi flores emergunt folioſi. *Flores* pediculis inſident, parvi, lutei, (& quantum memini) bifolii, aut ſaltem foliis duobus adverſis, triangulis, grandioribus & conniventibus donati. Cluſius *flores* puſillos, flavos, ſatis odoratos, hexapetalos ei attribuit, ſed mirandâ figurâ, nam duo petala habent reliquis majora, nervo viridi foris extrema parte (quæ obtuſior eſt & veluti compreſſa) prædita, quatuor alia perexigua ſunt, & vix niſi flore expanſo conſpicua. *Cornicula* ſuccedunt in ſingulis ramulis quaterna aut plura, longa, plana, articulis diſtincta, & falcis inſtar incurva: *Semen* in ſingulis internodiis nigricans, longiuſculum, quod difficulter admodum eximi poteſt, continentia.

Locus. Reperitur in Gallia Narbonenſi, v. g. non procul Monſpelio, ad ripam ſtagni, non longè à thermis Ballerucanis ante ſacellum, & alibi: in Hiſpania copioſè agro Salmanticenſi, Granatenſi, &c. Nos eam in lingula illa inter portum Meſſanenſem & fretum Siculum invenimus.

2. *Hypecoum alterum* Park. *Hypecoi altera ſpecies* C.B. *Hyp. alterum Dioſcoridis ſiliquoſum* Ad. Lob. *Cuminum ſiliquoſum* Ger.

Lob. Ad.

Hæc minùs cognita, exigua & pulchra, non procul Aquis Sextiis oriunda, complura gerit *cornicula*, ſiliquoſa, adunca, Scorpioidis dictæ modo, ſed craſſiora, *ſemine* intus præſepiolis diſtincto colore flavo, oblongo: *cauliculi* graciles, teneriuſculi, & *folia* parva Carui aut Scandicis. Pectinis Venerei Fumariæve inciſuris profundis: exigua *radix*: lutei *flores*, Maio menſe Chelidonii majoris aut Ericæ, ſed minores.

Dioſcoridi, Plinio, Galeno natura Hypecoi eadem quæ Papaveris ſucco. Ejus ſuccus inſtar Opii ſomnum inducit ex obſervatione D. Hermans. *D. Palmer.*

CAP. VII.

Clematis tetraphylla Americana Zanoni, Bocconi, Moriſ.

Bocc. RAra hæc & peregrinæ elegantiæ planta à *Radice* perenni, lignoſa *Caules* promit plurimos, quorum qui vetuſtiores lignoſi quoq; ſunt, novelli verò teneriores, prolixi, geniculati, rotundi, graciles, juncis, lyrarum fidiúmve chordis pares, quibus tanquam capreolis & viticulis uſa (leguminum & bacciferarum ſcandentium more) pergulas aut pedamenta proximè ſtantia, hortenséſq; ſcenas ſcandit, quibus facili negotio innectitur eáſq; conveſtit: Foliis quippe uxuriat, quum è ſingulis geniculis bini pediculi contra ſe poſiti naſcantur, bináq; ſinguli *folia* ſuffi- eant longa, pulchrè virentia, ad Mali Perſicæ ſive Hemionitidis vulgò exiſtimatæ faciem colore uo accedentia, inter quæ medius exit *capreblus* intortus, quo adminiculo quæque propè aſſiſtentia pprehendit. *Flores* ſecundùm cauliculos ad foliorum exortum è pediculo unciali pendent, de- enter incurvi, oblongi, cavi, rotundi, formâ atq; magnitudine florum Digitalis luteæ minoris, per ras ſimiliter inciſuris quinq; variè diviſi, colore qualis in Avellanæ nucis cortice, vel Cannella aut Cinnamomo vulgò dicto conſpicitur, quatuor intus *ſtaminibus*, ſingulis *apices* binos gerentibus folia- eos, nigricantibus maculis notatos. Subſequuntur *ſiliquæ* figurâ Smilacis hortenſis, quibus *ſemen* ncluditur.

Hyeme ſupereſt, frigoris (ni acerrimum fuerit) patientiſſima. Florentiæ videtur in hortis ultum.

CAP. VIII.

Caa-ataya Braſilienſibus Marggr. *Euphraſiæ affinis Braſilienſis ſiliquoſa.*

Marggr. ETenui *radicula*, alba in pedalem aſſurgit altitudinem, *caule* quadrangulari, pallidè viridi, geniculato, tenui, qui partim terræ incumbit, partim erectus ſtat, ad genicula quæ terram attingunt iterum radices agens. Ad quodlibet geniculum duo foliola ſibi opponuntur, Nummulariæ magnitudine & figurâ, ſeu rectiùs Veronicæ aut Chamædryos, in ambitu ſerrata & pallidè viridia. Ad quodlibet par foliolorum *floſculus* minimus provenit, quaſi galeatus, albus. Poſt hunc naſcitur ſiliqua grani Avenæ magnitudine & figurâ, quæ ſponte ſe aperiens ſemen effundit minimum, rotundum, obſcurè flavum, minus ſemine papaveris minimi. Nullius odoris eſt planta, ſed ſaporis amari.

Hæc planta contuſa, cocta in aqua ac pota purgat egregiè per ſuperiora ac inferiora.

Foliis in caule oppoſitis, ſerratis, floribus galeatis, ſemine vaſculis incluſo cum Euphraſia convenit, quo etiam poterat referri.

CAP. IX.

Micambe Angolenſibus Marggr. *ſiliquis incurvis. Pentaphyllum ſiliquis incurvis Angolenſe.*

Marggr. IN pedalem circiter altitudinem aſſurgit *caule* tereti, contorto, quem circundant *foliola* parvula, & hinc inde ramuli circiter duos digitos longi, quorum ſinguli ſuſtinent *floſculos* ex albo ſubluteos. Sequuntur dein *ſiliquæ* incurvatæ, obrotundæ, teneræ, in quibus multum *ſeminis* nigri, rotundi, majoris quàm Papaveris. Uſurpatur à Nigritis in cibis.

Hujus plantæ, ſemen è Braſilia aliquoties miſſum nomine Moſambes d'Angola *J. de Laet* felici- ter pullulavit, nec tantùm folia & caulem produxit, ſed & floruit liberaliter, & ſemen tulit, quod tamen à leviſſimo frigore, initio Octobris, cum ipſa planta corruptum fuit. Eſt autem (inquit) elegantiſſima planta, foliis ſimilibus Pentaphyllo, floſculis ſingularis conformationis, ſed minutis admodum; ſiliquis contortis.

Ex Africa in Braſiliam tranſlata putatur. *Locus.*

CAP. X.

Trifolium ſiliquoſum Barſilienſe, ſemine cochleato Marcgrav. *Caapomonga* III. Piſonis..

HErba hæc, quæ copioſè naſcitur in *ſinu omnium Sanctorum* ex *radice* recta, paucis filamentis prædita, arbuſculæ pænè figurâ ad unius aut duorum pedum, altitudinem aſſurgit, in multos ramulos expanſa: Suntque caulis ramuli lignoſi, atq; hinc indè acutis ſpinis muniti. In pediculis propriis in quolibet ramulo tria *foliola* ſibi invicem ſunt oppoſita, more Trifolii. Hinc indè proveniunt in pediculis digitum longis, *floſculi* ex viridi albi, magnitudine florum Anagallidis, ſubtilia ſtaminula in medio habentes. Floſculos ſequuntur *ſiliquulæ* teretes, circiter duos digitos longæ, in quibus ſemen rotundum, referens Limacis concham, coloris opaci. Quando ſemen eſt maturum ſiliquulæ ſponte diſſiliunt & effundunt ſemen. Herba odorem habet inſtar Fœnugræci.

Suſpicor Trifolium hoc congener eſſe Trifolio ſiliquoſo flore tetrapetalo, lib. 17. cap. 3. deſcripto.

CAP. XI.

De Epimedio.

EPimedium Dioſcoridis & Plinii quænam herba ſit inter Botanicos non convenit: Diſcrepantes ſententias vide apud J. Bodæum à Stapel Comment. in Theoph. hiſt. & Parkinſonum. Cur ità dictum ſit proditum non invenio.

Epimedium Ger. Park. C. B. *quorundam* J. B. **Barrenwort.**

Radix obliquè agitur, nec altè demerſa, gracilis ſatis, longè latéque ſub terra reptans & ſe propagans. Hinc ſurgunt pediculi dodrantales, atque etiam cubito altiores, tenues, politi, rigiduli, in ternos ſurculos diviſi, quorum ſinguli rurſum in alios ternos dividuntur, ità ut unicuique folium hæreat unum, hæderaceum, ex rotundo oblongum, rigidulum, acuminatum, nervoſum, averſa parte glaucum, ſuperiùs ex viridi palleſcens, juxta pediculum pinnis duabus ſubrotundis, quarum altera, alterâ longior donatum, circumcirca mitibus denticellis crenatum, tenue & velut membranaceum. Peculiaris quidam ramus paullò infra primam ramorum diviſionem exit, palmaris aut dodrantalis, in ramulos diviſus, quorum unuſquiſque plures, [tres *Park.*] gerit *flores*, privatis petiolis hirſutis nixos, ſtructuræ ſingularis quadripartitos ità ut tetrapetali tantùm videantur, cum revera octapetali ſint. Petalis enim exterioribus quæ latiora ſunt & rubicunda, exterius tamen ex luteo rubentia, & lineis albis ſtriata, interiora minora & lutea arctè ſuperincumbunt, unde inferiorum petalorum marginibus circumcirca ſe oſtendentibus, flos negligentiùs intuenti tetrapetalos videtur, medio flavo marginibus luteis. Medium florem occupant apices etiam lutei, Floribus ſuccedunt *ſiliquæ* tenues, oblongæ, [cornutæ] ſemina compreſſa, rubentia continentes. Florum deſcriptio Parkinſoni eſt, verùm ii adhuc curioſiùs obſervari deſiderant, nec enim de interioribus petalis flavis mihi ſatisfactum eſt, an revera petala dicenda ſint, & an quaterna; quantum enim memini, mihi conſpecta ſingularis cujuſdam ſubſtantiæ erant, & unicum corpus conſtituebant, in quatuor tantùm obtuſas lacinias diviſum.

Locus. Cæſalpinus in montibus Liguriæ provenire ait. Camerarius propè Vicentiam in Italia. Bauhinus uterque in montibus Euganeis inter Balneum Aponenſe & Arqua, in Romania, locis humentibus & umbroſis. Nos in Alpibus non longe à *Ponteba* oppido, quod territorium Venetum & Imperiale diſterminat obſervavimus, unde montium incolam eſſe apparet. Floret Aprili aut etiam ſeriùs in regionibus frigidioribus. In hortos tranſlatum ob importunum radicum reptatum coerceri requirit.

De viribus nihil traditum invenio, nam quæ Veteres de Epimedio habent an huic herbæ conveniunt non magis certum eſſe poteſt, quàm quòd hæc eorundem Epimedium ſit.

CAP. XII.

Guaiana Timbo Piſon.

NOmine & noxia qualitate reliquis *Timbo* ſpeciebus ſimilis, cæterùm diſſimilima apparens, quæ ſola in Medicos uſus recepta eſt, nec frondibus deſtituta ſicut pleræque *Timbo*; ſed floribus, foliis magnis, glabris, acuminatis hinc indè vagatur, atque in caulis extremitate tenuibus *ſiliquis*, lævibus, cubitum longis copulatíſque ornatur, quæ meritò à Luſitanis *Faiſaons d' Impige*, ſive Fabæ impetiginis appellantur, quòd earum cortex ſuccum piſcibus quidem infeſtum, ſicut & aliæ *Vires.* *Timbo*, ſed impetigini & puerorum ſcabiei, cæteríſque hujus generis affectibus cutaneis, proficuum continet. Menſibus enim pluviis immaturæ, ſiliquæ & virides ſucco turgent præſtantiſſimo, eóque frigido & acri, quo ſi fricetur qui impetigine laborat curabitur, modò aliquoties iteretur remedium.

Quando maturaverunt ſiliquæ tempore æſtivo, mox exſiccantur, túncque non ſolùm tunicam externam, ſed & ſuccum atque ſemina quibus ſcatent paulatim nigreſcere & aromaticum odorem ſpirare comperies: verùm tunc prædictis malis minùs aptæ judicantur.

CAP. XIII.

Volubilis ſiliquoſa Mexicana foliis Plantagineis. Aracus aromaticus, Tlilxochitl, *ſeu Flos niger Mexicanis dictus* Hernandez. *p.* 38. *Vaynillas Hiſpanis à vaginarum ſimilitudine*, Piſo, Mantiſ. Arom. *p.* 200. *Lathyri Mexicani ſpecies* Amman. **The Vanilla's, or Vanilles.** *Hern.*

VOlubilis herba eſt, arbores conſcendens & amplectens *Hernand. Foliis* undecim uncias longis, ſex latis, figurâ Plantaginis ſed pinguioribus & longioribus, viroréque infectis ſaturato: ſingulis ex utraq; parte caulis alternatim exorientibus: *floribus* nigricantibus: *ſiliquis* longis, anguſtis & pæne teretibus, nigris, olentibus muſcum aut Balſamum indigenam.

Calidis regionibus, humentibus locis provenit, & ſiliquas verno tempore profert. *Locus.*

iliquæ binæ aquâ reſolutæ & potæ urinam cient, menſtrua evocant, cum *Mecaxochitl* partum acrant, ac ſecundas mortuúmque fœtum expellunt: ventriculum calefaciunt & roborant, flatus tiunt; humores crudos concoquunt, cerebrum confortant; & ad ictus venenatos utiles eſſe ditur. Hinc *Chocolatæ* compoſitionem ingrediuntur. Elegantes Icones, foliorum, ſiliquarum, & inum microſcopio conſpectorum extant in D. *Franciſci Redi* Experiment. circa res naturales. *Vires.*

SECTIO III.

Herbæ anomalæ ob convenientiam aliquam in partibus præcipuis ad ſuperiora genera referendæ.

CAP. I.

Trifolii ſpica Crithmum marit. non ſpinoſum Braſilienſe. Caaponga I. Piſon. *Perexyl Luſitanis* Marcgrav.

Semipedales aut paulò longiores *caules* adipiſcitur, teretes, nodoſos, rufeſcentes, partim humo incumbentes, partim nonnihil ſe exigentes. Ad ſingulos nodos duo aut quatuor *folia* habet, Hyſſopi æmula, ſed craſſiora & nonnihil carinata, oppoſita: ſuperiùs autem *capitulum* oblongum ſive ovale eſt, album ut in Trifolio ferè pro flore, habens in ſe aliquot *ſtaminula* parva crocei coloris.

Folia & breves ramuli decerpti ac parùm cocti ſuperfuſo aceto condiuntur, & eduntur cum caribus aut piſcibus pro acetariis: excitant enim appetitum, movent urinam, & aperiunt viſcerum ppilationes.

Hæc planta, quantum conjicio, ad Corymbiferis affines, Scabioſam, Eryngium, &c. pertinet.

Anonymos Braſiliana Limonio congener. Marggr. *Ad Lib. 9. cap. 5.*

Marggr.

In ſeſquipedalem aut paulò majorem altitudinem aſſurgunt *caules* multi, ſtriati, pluribus ramis onuſti, quorum quilibet eo loco quo è caule oritur nodum habet: rami inordinatè poſiti; *folia* ad exortum ſolitaria, oblonga, faſtigiata, venoſa, ad tactum mollia, foliis Oxylapathi ſimilia; interdum majuſculo folio minutulum junctum, diſtat unum ab altero circiter ſeſquidigitum. In ſummitate caulis & ramorum extremitate naſcuntur multæ ſpicæ, parvulæ, virides, quatuor aut quinque g. longæ, quæ ſeſe aperientes *floſculos* promunt minimos, flavos, tantæ parvitatis, ut foliolum quodvis floris non ſit majus cuſpide acûs. *Radix* albicat, lignoſa, nullo manifeſto ſapore. Perennis eſt planta & novos producit caules.

CAP. II.

Caapeba Braſilienſibus, Luſitanis Erva de Noſſa Sennora, *aut* Cipo de Cobras Marggr. Piſon. *Lib. nono adjicienda. Convolvulus Braſilianus flore octapetalo, monococcos.*

Marggr.

Scanſilis eſt planta, *caulibus* teneris, rotundis, viridibus, admodum lentis. *Folium* quodlibet ſeorſum poſitum in caule, in ſuo pediculo rufeſcenti, duos digitos longo, & in exortu paululum incurvato, orbiculare, vel cordis latioris, uti pingitur, figurâ, conſiſtentiâ folio Perfoliatæ mile, ſuperiùs dilutè virens, inferiùs albeſcens (in quibuſdam plantis folia pæne omnia ſunt ronda) Pediculus autem folii cujuſque non inſeritur in fimbriam ſeu extremitatem folii, ſed plus imidio digito ab ora versùs medium folii, ut fit in Naſturtio Peruviano. Ad pediculos foliorum tiam pediculus provenit ſeſquidigitum longus, *floſculum* ſuſtinens pallidè flaveſcentem, octo petalis onſtantem hoc modo: Quatuor ſuperiùs adpoſita ſunt parva, obrotunda, his ſubeſt amplum, obrondum, adhuc magis inferiùs tria parva alternatim poſita. In ſummitate pediculi inter quatuor periora folia granum provenit, magnitudine parvi Piſi, figuræ ovalis, interiùs viride, hinc rubrum. *Radix* longa, quaſi contorta.

Planta hæc nullum habet odorem præter herbaceum. Folia contuſa & impoſita contra morſus enenatorum animalium ſingulare ſunt remedium. *Radix* contra calculum excellentiſſima eſt.

CAP.

CAP. III.

Dipetalos Braſiliana foliis Gentianæ aut Plantaginis. Lib. 9. capiti decimo ſubnectenda. Marcgr.

IN pedalem aut etiam majorem excreſcit altitudinem, *caule* nodoſo, partim incumbente terræ, partim ſe ſurrigente; pars quæ terræ incumbit crebras agit radiculas. Diſtant nodi circiter trium digitorum intervallo, ex quibus prodeunt *folia*, unum aut duo minimum digit. longa, nervo & quinque aut ſex venulis ſecundùm longitudinem ut in Plantagine, ſuperiùs viridia, inferiùs parùm cinereſcentia. In ſummitate caulis duo *folia* parva ſibi applicata inveniuntur, figura conchulæ quam miſellam vocant, ex quorum medio *flos* enaſcitur, eleganter cœruleus, foliis tantùm duobus obrotundis conſtans, aliquot *ſtaminula* habens cœrulea flavis apicibus. Tota planta Gentianam aliquo modo repræſentat. *Radix* teres, tenuis, longa, ſine fibris, hepatici coloris.

CAP. IV.

Erva Cidreira Luſitanis Marcgr. : *Citrago ſeu Meliſſa citrata Braſilienſis. Ad Lib.* 11. *cap.* 23.

IN quatuor aut quinque pedum altitudinem aſſurgit, *caule* ſtriato, geniculato. Ad quodlibet geniculum duo rami ſibi oppoſiti naſcuntur, & itidem duo folia oppoſita, tam in caule quàm in ramulis. Folium quodlibet duo aut tres dig. longum, acuminatum & in ambitu ſerratum, brevi inſidens pediculo. In ſummitate caulis & ramorum *ſpica* provenit duos aut tres digitos longa habens *floſculos* minimos, dilutè cœruleos multo albo mixtos. Tota planta maximi odoris, nec ante annum quamvis ſiccæ odor minuitur, gratior quàm Meliſſæ cum Citro mixtæ.

CAP. V.

De Myoſuro.

MYoſuros ad Ranunculum accedit, idcirco Lib. 12. cap. 10. ſubnectenda.

A. *Myoſuros* J. B. *Cauda muris* Ger. *Holoſteo affinis Cauda muris* C. B. *Holoſteum Loniceri, Cauda muris vocatum* Park. **Mouſe-tail.**

J. B.

Fibras numeroſas pro *radicibus* habet: unde folia germinant multa, graminea, ſpiſſa, anguſta admodum, versùs extremum latiora, tres quatuórve uncias longa. *Cauliculi* ex eadem radice plures altitudine folia excedunt, enodes, teretes, nudi, non ramoſi, *floſculos* in cacumine geſtantes ſingulos ſingulos, muſcoſos, quinque foliolis compoſitos, herbacei coloris, pluribus intus ſtaminulis cum apicibus ſubluteis, ſuccedente *clavâ* unius duarúmve unciarum, tereti, mucronata, *granulis* multis compactili, caudam marinam affabrè mentiente. Ranunculis cognata eſt hæc plantula, ſapore acri. Aprili menſe floret, Maio ſemen maturat & exareſcit radicitus.

Locus. In arvis, hortis, ad vias, & inter ſegetes ſponte oritur, ſed rarior.

CAP. VI.

De Ananas ſeu Pinea Indica ad Herbas Pomiferas referenda, Lib. 13. *part.* 1.

1. *Nana Braſilienſibus, Ananas Luſitanis* Marggr. *Nana ſive Strobilus Peruvianus & Anana* J. B. *Carduus Braſilianus foliis Aloes* C. B. *Anana ſeu Pina* Park. *Matzatli ſeu Pinea Indica* Hernandez. *Pinea Inda Hiſpanis* J. B. *t.*1. *l.*9. *c.*7. **The Pine-Apple.**

Marggr.

EX radice Carduo eduli perquam ſimili proveniunt quindecim aut plura *folia*, Aloes foliis æmula [Aloes aquaticæ foliis non valdè diſſimilia, minùs tamen craſſa *Cluſ.*] duos atq; etaim tres digitos longa, unum aut ſeſquidigitum lata ubi latiſſima, versùs extremitates anguſtiora & acuminata, craſſa, ſaturatè viridia, in ambitu denticulis prædita inſtar dentium Lucii: in medio horum capitulum provenit inſtar Cinaræ fructûs, ejuſmodi foliolis acutis compoſitum, inſignis Cinnabrii coloris, quod ſucceſſu temporis augetur, figurâ inſtar Strobili, unde Pineæ nuces & Pini apud omnes ferè gentes dicuntur hi fructus: & dum augetur inter foliola ejus prodeunt floſculi cœrulei, tribus foliolis ſinguli conſtantes. Fructus quando maturuit magnitudinem obtinet majoris Melonis vulgaris [Alii autores minorem faciunt] figuræ ovalis, exteriùs eminentiis conſtans, quaſi umbilicis humanis, quæ in totum flaveſcentis coloris, per oras autem incarnati, quælibet autem in medio foliolum habet triangulatum, ſerratum, griſeum. Fructus * odoris eſt ſuaviſſimi [adeo ut prætereuntes dignoſcere queant ædes in quibus ſit] ſaporis ferè inſtar Fragorum gratiſſimi [Linſchotano qualis Mali Perſici bene maturi, Parkinſono vini cum aqua roſacea & ſaccharo permixti unanimi omnium

* *Oviedus Cotonei odorem ſed gratiorem ei attribuit; vel Melo cotonei.*

um conſenſu delicatiſſimo ſapore reliquos omnes fructus longiſſimè ſuperat] apprimè ſucculentus. ortex ille abſcinditur, & fructus ſecundùm longitudinem in partes ſecatur, & comeditur. Medium ius quod relinquitur inter ſecandum, inſtar pilæ quadratæ, etiam ambeditur, & pro optima parte betur; in ſui medio habet medullam duram & lentam inſtar Paſtinacæ, quæ abjicitur. Continet uctus in ſe granula ſeminis. Fructus maturus ſuperiùs plantam juniorem habet, quæ decerpitur, ità ſine radice (nullam enim habet) terræ imponitur, quæ ſequenti anno fructum fert. Una- æque planta ſemel & unicum fructum profert annuo ſpatio, & fructus novam ſimul plantam, quæ m plantatur vetus eradicatur & abjicitur utpote inutilis.

Ex fructu hoc ſuccus exprimitur & cum aqua miſcetur, datúrque in ægritudinibus à Braſilienſibus, ut nos Hydromel damus.

Ex provincia S. Crucis in Braſilia primùm in Occidentalem Indiam, deinde etiam in Orientalem latus eſt, autore Acoſta. *Locus.*

Exhibetur fructus (inquit Fr. Hernandez) febrientibus refrigerii causâ, & ad excitandum appe- um, retinetúrque ore, ut ſitim mitiget, & linguam humectet. Piſo febricitantibus, tum vulneri- s aut ulceribus infeſtatis prorſus abſtinendum ab hoc fructu monet; adeò enim inquit humores ac- ndit, ut non ſolùm impediat reſtitutionem ægrorum, ſed & in pejus eos diſponat. Ego potiùs cum ernandez ſenſerim etiam in febribus moderatè ſumptum non inutilem eſſe. *Vires.*

Jac. Bontius fructum hunc in taleolas diſſectum aquâ aut vino paululum macerare neceſſe eſſe ait, erodens vis ipſi inſita extrahatur, aliàs calore ſuo palatum & linguam exulcerat, bulláſque in iis citat. Quapropter omnibus & ſingulis ſuaſerim, ut his fructibus moderatè utantur, nè decepti gratiſſimo ſapore incurabilem dyſenteriam incurrant.

Mirum eſt quod de hoc fructu referunt Acoſta & Linſchotanus, nimirum cultellum ei inſertum, ſi unius diei aut noctis ſpatio [horæ mediæ Linſchot.] relinquatur, ferè conſumptum iri totam ſcilicet partem quæ in vulnere hæſit. Hoc ſi verum ſit ſuccum hujus fructûs valde acrem & erodentem eſſe convincit; atque idcirco non ſine cauſa Bontius ab immoderato ejus uſu cavendum monet; nec Linſchotano aſſentiendum, qui fructus hoſce communi uſu hominibus vix nocere ſcribit, niſi ſupra modum ſumantur uſque ad gulam.

Aizoi majoris ortu perſimilis exotica planta *Lobel. J. B.* nihil aliud eſt quàm Ananæ germina.

Adde ex Piſone, , quòd tum recens fructûs liquor, tum vinum inde expreſſum urinæ ſuppreſſioni doloribus nephriticis ſuccurrat, tum quoque venenis, in primis ſucco *Mandibocæ* adverſatur; quod em illius radix fructu deficiente præſtat.

Omnia hæc efficaciùs operatur liquor ſtillatitius è fructu vi ignis extractus, ſi modica quantitate exhibeatur, largiùs ſumpta nocet ob corroſivam qualitatem.

2. *Ananas ſylveſtris, folio Aloes, fructu Cupreſſino* J. B. *Carduus Braſilianus ſylveſtris* C. B.
Nana brava, i. e. ſylveſtris Braſilienſibus Marggr. **The wild Pine-Apple.**
Acoſta.

Altiùs aſſurgit quàm præcedens, námque *truncum* habet haſtæ magnitudine, lævem admodum, rotundum, & Mali aureæ craſſitie, ſpinis horridum. *Folia* ſpinoſis cuſpidibus prædita, & per ambi- m mollibus ſpinis ſepta. Singulæ arbores ſecundùm radicem ſumma tellure magnam foliorum mam fundunt; majorum quàm quæ in arbore ſunt, quæque procul intuentibus Aloes foliis ſimil- ma videantur, tenuiorum tamen, pluribus ſpinis horridorum & dilutè virentium: Adnatis ſe propagat, iæque ſtirpes ex aliis enaſcuntur, præſertim in ſepibus & hortorum ambitu quos egregiè muniunt. ami foliorum ſimul glomeratorum capita proferunt, flaventium admodum & tenerorum, ſuaviſ- mi odoris, quæ nihil aliud ſunt quàm flos ipſe: Ex horum ſingulis ſpica prodit, Arundinis ſpicæ on abſimilis, ſed craſſior, compactior & elegantior, odore Cedri. E ramis dependent fructus, *A- nas brava*, i. e. ſylveſtres dicti, quia cum domeſticis nonnullam habent ſimilitudinem, Melonis agnitudine; coloris rubri elegantis, toti in partes diviſi quemadmodum Cupreſſini ſtrobili ſeu uces exſiccatæ, ſed tuberculis foris obſiti, ut procul ſpectantibus magni Pinei ſtrobili appa- ant.

Marggravius hoc modo fructum deſcribit. Ovalis eſt figuræ, Citrulli magnitudine, compoſitus è uadrangularibus cylindris, in extremitate quadratè pyramidalibus, per maturitatem flaveſcen- bus, qui ſeparari ab invicem poſſunt. Cavi hi ſunt, continentes granula ovalia innumera pallidè aventia, papaveris majoris ſemine majora, ſuavia & dulciſſimo rore imbuta inſtar mellis. Quod- bet corpus cylindricum ſeparatum exprimitur digitis in os, & granula illa rore melleo imbuta abſor- entur. Fructus etiam tranſverſim diſcinditur in taleas.

Succus Ananæ ferrum corrodere dicitur non ſecus ac Aqua fortis. *Vires.*

CAP. VII.

Herba lanuginoſa Braſilienſis Piſo:

HErbam hanc aſpectu egregiam Lanuginoſam appellare placuit, quòd caulem & folia, eáque exigua, pulchra, longa, & molli lanugine obducta habuit. Fructum fert rotundum & viridem, lanuginoſum, fatuum. Radicem habet parvum & tenuem, non ingrati, ſed ſuba- ari ſaporis, cum quadam adſtrictione, in qua ſola parte plantæ qualitatem medicam latere com- ertum eſt.

Contra fluxus ventris à frigore natos, apud mediterraneos Braſilienſes familiare eſt remedium. *Vires.*

CAP. VIII.

Ambuyaembo Braſilienſibus Marcgrav. Piſon. *Convolvulus Braſilianus, flore ventriculo humano ſimili. Ad Lib.* 15. *cap.* 4.

PLantis & fruticibus vicinis ſe circumvolvit *caule* ſuo ſarmentoſo inſtar Clematidis. Hinc inde ad caulem enaſcuntur *folia* unum atque alterum, in quorum medio pediculus longus, continens folium ſolitariè poſitum. Sunt autem folia figurâ cordis, lata, nervo craſſo in medio, & venis obliquis decorata, dilutè ſeu ferè pallidè viridia (quaſi paululum albedinis viriditati eſſet admixtum) Hinc indè quoque fert florem egregiæ & pæne mirabilis ſtructuræ; habet enim figuram ventriculi humani, & eſt magnus, quippe longus abſque proceſſu & caule ſex digitos ferè: pediculus floris curvatus eſt, ſpithamam longus, viridis & ſtrioſus, repræſentans dextrum ſeu inferius orificium ventriculi humani Pylorum dictum; ab alia extremitate proceſſum habet quatuor dig. longum, figurâ colli Cygni elevati, ſed in extremitate retrorſum inclinatum, repræſentans orificium ſiniſtrum ventriculi ſeu ſuperius, Cardiam dictum. Secundùm longitudinem autem proceſſus ille ſuperiùs apertus ſeu fiſſus eſt. Ventriculo huic annectitur ſeu deſuper incumbit tenuis membrana obrotunda duplæ latitudinis quàm Imperialis, innumeris venulis rubris variè intertexta, haud malè referens hepar humanum, ventriculo incumbens. Totus flos coloris eſt ex albo flaveſcentis venis rubro-purpureis, majoribus ſecundùm longitudinem, minoribus ſecundùm latitudinem intertextus, & inter venas quaſi rubro purpureo punctulatus: nullius tamen eſt odoris manifeſti.

Fructum non deſcribit; proinde quo referenda ſit planta neſcimus.

CAP. IX.

Rapunculus Braſilienſis tuberoſus, ſeu Battata Tajaoba Braſilienſibus Marggr. Piſon. *Lib.* 15. *Cap.* 5.

PRima ſpecies, ut & ſecunda, *folio* eſt lacteſcente, *radice* orbiculari, non tamen bulboſa, exteriùs incarnati coloris, interiùs flavi, cepæ magnitudine aut porri, multa filamenta inferiùs obtinente, tres vel quatuor dig. longa: *Caulem* habet brunnum ſeu fuſcum, *folia* pæne orbicularia, & nervos foliorum rufeſcentes.

Ex ſecundæ *radice* prodeunt *caules* quatuor, quinque, ſex, & interdum plures, rotundi, ſpongioſi, ſucculenti, virides, craſſi, novem aut etiam duodecim dig. longi. Cuilibet autem cauli inſidet folium unicum, Sagittariæ figurâ & magnitudine, quando junior adhuc eſt planta, aliàs triplo aut quadruplo majus, & Petaſitidis herbæ foliorum magnitudine, nervos habens conſpicuos, viride & ad tactum molle ut Braſſica, ac in ambitu cinctum duabus venis.

Radix cocta vulgò comeditur ut Battata, éſtque dulcis, ſingularíſque, quaſi moſchati aut floris violacei ſaporis. Utriuſque ſpeciei folia cum caulibus craſſiſſimis etiam inciduntur, & pro olere in aqua coquuntur; molleſcunt ſtatim & optimè ſapiunt.

Tertia *folio* eſt non lacteſcente. *Caule* cum prima ſpecie convenit ut & Radice: *Folia* habet Sagittariæ ut ſecunda, ſed anguſtiora, pedalis circiter longitudinis, ſuperiùs ſaturatè viridia, inferiùs albicantia, nervo & venis ex viridi flaveſcentibus, & in centro folii purpuraſcentibus. In caule longo (qualem quodque folium habet) *florem* habebat unicum [quæ Marggr. floruit] longum ſeu latum quinque digit. monopetalon, cujus ſuperior medietas alba inſtar corporis elliptici per medium ſecundùm longitudinem ſecti, & veluti in ſcapham excavati: inferior medietas inſtar vulvæ, viridis coloris, magnitudine Jnglandis & ejuſdem figuræ, aperturam habens. Uno verbo totus flos figurâ eſt Cucurbitæ in medio vinctæ dum creſceret; per albam autem medietatem floris multæ diſcurrunt albæ regulæ, quarum pars circa extremum folii quodammodo purpuraſcit. In medio floris ſtamen eſt craſſitie pennæ anſerinæ, cylindraceum, in extremitate faſtigiatum, longitudinis paullo majoris 2½ dig. conſtans corpuſculis clypeiformibus ac veſtitum brevibus villis luteolis, qui facilè abſterguntur. Ita autem compoſita ſunt hæc corpuſcula (quæ ſemen ſunt) ut columna ſeu ſtamen læve & teres appareat. Flos caret odore aliquo perceptibili; clauſus adhuc totus vireſcit.

CAP. X.

Caapomonga Braſilienſibus dicta, Luſitanis Erva do vina Marggr. *Campanula Braſiliana floribus minimis. Ad Lib.* 15. *cap.* 5.

RAdicem habet ſemipedem pænè longam, lentam, tenuem, rectam, aliis radiculis interdum præditam, exteriùs croceam (cùm primò eruitur) ſed poſtea diluti umbræ coloris evadit, interiùs candidiſſimam, ſubdulcis ſaporis: è qua prodeunt caules tres vel quatuor; octo aut novem digitos longi, rotundi, nodoſi, virides, ex parte ruffi, partim humi ſerpentes, partim ſurrecti. Ad nodos autem prodeunt ramuli; in quibus itidem ad genicula duo, tria vel quatuor folia ſibi apponuntur, aut opponuntur, digitum longa, mollia, ſuperiùs ſaturatè viridia, inferiùs incana; quodlibet inſidet ſuo pediculo, ſemidigitum longo, nervis conſpicuis præditum. In ſummitate caulium rami ſunt, continentes *floſculos* parvos, umbellatim poſitos, dilutè rubro-purpureos, quorum conformatio ob exilitatem conſpici ci non poteſt; ſed adhibito Megaſcopio apparet hos floſculos eſſe inſtar florum Campanulæ ſu-riùs dentatos, habéntque in medio duo *ſtaminula*, rubro-purpurea, figurâ ut Campanula habere t, paulum extra floſculum prominentia duobus apicibus. Erumpunt è conico cylindraceo cor-ſculo viridi, quod antequam ſe aperiat hiſpidum eſt & pingue, ità ut veſtibus facilè adhæreſcat.

CAP. XI.

Roſmarinum Stœchadis facie Alpin. exot. *potiùs Euphraſia Stœchadis facie. Ad Lib.* 15. *cap.* 7. *referend.*

Alpin.

E Radice lignoſa, tenui, multifida *caulem* emittit propè radicem in tres aut plures ſurculos diviſum, longos, ſurſum obliquè actos, qui hinc indè inferiùs ramulis ex adverſo poſitis ambiuntur, à quibus eodem modo alii ſurculi parvi recti exeunt; ſuperiùs verò caules primarii utrinq; ipſi & ſurculis aliis, veluti teneris germinibus ex oppoſito ordinatim poſitis, & *foliis* veſtiuntur, uibus, in acutum deſinentibus, ſurculis abſque petiolis hærentibus, crebris utrinque, oppoſitis, in ſcurum albicantibus, odoratis, Stœchadis maximè ſimilibus: totáque planta Stœchadi ità conſpectu ilis videtur, ut omnes Stœchadem eſſe dicerent. *Flores* verò in ſummitatibus inter folia emicant, guli ex foliis ſingulis exeuntes, parvi, & magnitudine, & figura, & colore floribus Roriſmarini co- narii ſimilibus, à ſuis petiolis pendentes. Quibus deſfloreſcentibus ſuccedunt ſingulis thecæ ſingulæ, parvæ, rotundæ, Piperis magnitudine & etiam minores, ex viridi albicantes, intus minuta ſemina continentes. Tota hæc planta obſcurum reſpirat odorem, foliorum Stœchadis proximum, ſapore verò aſtringit, aliquantulum amareſcens cum obſcura caliditate. Perpetua eſt planta.

Ex ſeminibus è Creta miſſis Alpino orta eſt. *Locus.*

CAP. XII.

De Polygala Ad calcem Libri XVI. *adjiciend.*

POlygalon dicitur à copia & ubertate lactis quam vaccis & pecudibus depaſcentibus facere creditur. Eſt autem herba planè anomala, vaſculo ſeminali cum Thlaſpi conveniens, cui idcirco ſubjicienda, flore ſingulari & ſui generis.

A. 1. *Polygala* Ger. *minor* Park. *vulgaris* C. B. *Polygalon multis* J. B. **Milk-wort.**

J. B.

Perenni *radice* ſemipalmum aut palmum, interdum unciam longa, lignoſâ, albâ, vel nonnihil viridi, purpurante, guſtu ſubamaro, nonnihil aromatico, *caules* profert multos, alios ſurrectos, alios repandos, tenues, palmares & ſpithamæos, in viridi nonnihil rubeſcentes, *foliis* alternatim adnatis, crebris veſtitos; ſpicam ſuſtinentes *floſculorum* minutorum, non una vice ſeſe pandentium, colore eruleo, [aliàs carneo, albo aut vario] labello exiguo,& in fibras tenuiſſimas digitato, galeâ è duobus foliolis, alternatim ſubeuntibus & incumbentibus, latera claudunt alæ geminæ, paſſæ, latiuſculæ, in obtuſum mucronem deſinentes vireſcente lineola per longum ſignatæ; in rictu latent apices minuti crocei: baſin floris excipiunt [ad pediculorum exortum, (qui breves ſunt) in ipſo caule] foliola terna minutiſſima, unum galeæ incumbens, duo labello ſubdita, quæ delapſo flore defluunt. ores excipiunt *vaſcula ſeminalia* Thlaſpeos, compreſſa, obtuſa, bifida, in duo loculamenta diviſa, *ina* bina continentia. *Folia* humi ſparſa & in caulibus numeroſa, illa ſubrotunda, hæc oblonga acuta. N. quòd alæ florum non defluant, ſed paulatim auctæ in colorem viridem degenerent, & ſculum ſeminale utrinque obtegant.

Polygala lutea ſeu vulgaris flore luteo non aliter quàm floris colore differre videtur à vulgari Polygala.

In paſcuis, præſertim ſiccioribus, ubique frequentiſſima eſt; maximè montoſis. *Locus.*

Si manipulus ejus per noctem in vino maceretur, idq; bibatur, bilem per alvum mirè dejicit nullo periculo; experientiâ Geſneri. *Vires.*

2. *Polygala fruticeſcens Capitis bonæ ſpei* Breynii.

Breyn.

Radicem poſſidet contortam, & pro plantæ proportione craſſam, extrinſecus cineream vel albam, tus candidiſſimam: exinde *virgulta* aſſurgunt dodrantalia, juncea & viridia, Spartii Hiſpanici *uſ.* virgulis non abſimilia; *Foliis* raris, anguſtis & acuminatis, vix unciam attingentibus, nullo or- ne poſitis veſtita. *Floſculos* fert ſpicatos, Polygalæ vulgaris planè ſimiles, quorum color ex viridi- e ſuave-purpuraſcit. Nec fructum, nec ſemen vidi, haud tamen à vulgari differre exiſtimo, in- it Breynius.

3. *Polygala vulgaris major* J. B. *Cluſ. major* Park. C. B.

Ex eadem interdum *radice* prodeunt quinq; aut ſex virgulæ duriuſculæ, pedales, graciles, lentæ & ſequioſæ, foliis nullo ordine diſpoſitis obſitæ, anguſtis floris tinctorii, aut vulgaris Hyſſopi angu- folii & minoris foliorum æmula. *Flores* conferti & ſpicatim naſcentes ſummas virgulas occupant, mariæ floribus non multum diſſimiles, longiores tamen & dilutioris purpurei coloris elegantiſſimi, e dilutiore rubore pulcherrimo nitentes: his ſuccedunt penduli loculi plani, Burſæ paſtoris val- lis pæne ſimiles, quos membranaceæ quædam veluti alæ integunt, *ſemina* bina plerunque conti- ntes, nigricantia, hirſuta, longiuſcula, quæ aperientibus ſeſe ad latera maturitate burſulis decidunt.

dunt. *Radix* craſſiuſcula, brevis, dura, lignoſa, vivax, aliquot fibris donata eſt. Tota planta amaricat.

Locus & Tempus. In montoſis Auſtriæ & per Pannoniam inter amnem nuſquam non occurrit. Floret Maio & Junio.

4. *Polygala vulgaris coloris obſoleti, foliis anguſtiſſimis* J. B. *An Polygala acutioribus foliis Monſpeliaca* C. B.

Paucis aliquot adſurgit coliculis, aliquando etiam ſingularibus, pedalibus, altioribus, magna parte nudis; circa ima ferè foliolis veſtitis quàm in reliquis Polygalæ ſpeciebus anguſtioribus, acuminatis, prope terram tamen exiſtentibus latiuſculis & brevioribus. Ramorum extremis quoq; *floſculi* coloris obſoleti, & poſt hos vaſcula membranea, binis foliis lucentibus obducta, lineiſque virentibus notata hærent, ſed rariore ſtipata, eâque ſerie ut alterum poſt alterum ritè poſitum eſſe videatur. Tota ſpica palmum ferè adæquat. *Radicula* ſimplex duriuſcula, alba, nullis pænè fibris prædita. Facies plantulæ, h. e. partium figura & color facile eam à reliquis Polygali ſpeciebus diſtinguit.

Locus. In Galliæ Narbonenſis locis ſaxoſis, collibus præſertim ſterilibus propè Monſpelium, æſtate prorumpentem obſervavit Cherlerus: ſat alioqui frequens loco ſuo natalitio, qui tamen rariùs occurrit. *D. Magnol* in Indice ſuo plantarum circa Monſpelium naſcentium Polygalam annuam, erectam, anguſtifoliam floribus coloris obſoleti, carneis lineis virgatis eam appellat; rarúmque eſſe ſcribit & paucis Botanicis notam.

CAP. XIII.

Verbenæ facie planta Braſilienſis Marggr. *Tetrapetalis anomalis ad finem lib.* 17. *adjicienda.*

Marggr.

EX *radice* recta, haud craſſa, multis radiculis prædita ad latera, alba, guſtu amaricante, adſurgit *caulis* anguloſus ac nodoſus in ſeſquipedalem altitudinem; ad ſingulos autem nodos duo naſcuntur *folia* ſibi oppoſita, ſeſquidigitum longa, per latera in medietate exteriore ſerrata, & ad eoſdem quoq; ramuli duo exeunt, ſibi oppoſiti, cum ſimilibus foliis ad nodos oppoſitis, ſed non ſolùm duobus, ſed tribus aut quatuor foliis minoribus ſemper junctis: & in hiſce ramulis ad nodos etiam multi pediculi, breves, quatuor utplurimum ad quemlibet nodum; quorum quilibet habet *capitulum* rotundum, cum parva prominentia inſtar cuſpidis aciculæ, quod ſe aperiens protrudit *floſculum* lacteſcentis coloris, tetrapetalon, habétq; in medio multa parva *ſtaminula*, erectè ſtantia, quæ repræſentant plumam, ità ut floſculus quaſi plumatus appareat.

CAP. XIV.

Spica trifolia Alpin. exot. *Spica trifolia feſtucacea mirabilis* Park. *Ad lib.* 18. *cap.* 8.

Alpin.

MIrabilis hæc planta non una quidem, ſed duæ diverſi generis plantæ ſimul eſſe videntur. Prima eſt planta feſtucacea, ſpicis multis ramorum inſtar ab *radice* exeuntibus, colore ſubruffo; *flores* oblongos, magnitudine atque figurâ Hyacinthi floribus ſimiles, albos, interſeptos ferentibus, dum recentes ſunt ſuaviter olentes; à quibus fiunt *ſemina* alba, rotunda, minima. Ab radice verò ex ſpicarum feſtucis capillamenta Cuſcutæ ſimilia, ſubtiliora tamen, albicantiáq; ità innumera ferè exeunt, ſpicas ex toto occulentia, deſinentiáq; in folia parva, elegantiſſimi Trifolii pratenſis foliis ſimilia, minora tamen, & circumcirca perpulchrè crenata. Tota hæc planta lata eſt, in orbem veluti acta, exteriùs Trifolium ſimulat, interiùs, nimirum in parte convexa terram ſpectante, feſtucacea tota eſſe videtur; & floreſcens multam elegantiam præ ſe ferre.

Locus. In Creta inſula naſcitur.

CAP. XV.

Verbena Indica lanuginoſa Bod. à Stapel. *Ad fin. Lib.* 19.

FOlia habet oblonga, ambitu inciſa, in extremo obtusè mucronata, lanuginoſa, inodora, propè radicem crebriora; *caulem* rotundum, ſemicubitalem. Cauli aſſurgunt *floſculi* parvi, coloris obſcurè phœnicei, quinque foliorum, racematim ex calyculis ſubluteis protruſi, inodori. Radix fibroſa.

Floret Aprili, id eſt, Autumni in illis regionibus initio.

Juſtus Heurnius, qui ex India Orientali miſit plantam deſcripſit.

C A P. XVI.

Caa ponga II. Piſon. *Portulaca Braſilienſis repens.*

C*Aule* Portulacæ, tereti, geniculato humi ſerpit & quibuſdam fibris ſe firmat in terra, atque circa maritima luxuriat in infinitum. Ad quodlibet autem geniculum quinq; aut ſex *folia* appoſita, figurâ foliorum Lavendulæ, verùm craſſa & ſucculenta ut Portulacæ. Inter folia singulari pediculo fert *floſculum*, dilutè purpureum, quinq; foliolis conſtantem, deorſum incurva- s, & multis ejuſdem coloris ſtaminulis in orbem diſpoſitis, quæ in medio adhuc ſtamen viride ovale ontinent. *Radices* hinc indè unicas agit, pennam anſerinam craſſas, innumerabilibus ſubtiliſſi- is filamentis circundatas, & caule ſerpente fibræ ex illo variis locis prodeuntes ſe terræ in- gunt.

Folia muria & aceto condiuntur, & in acetariis uſurpantur, ſicut Crithmum marinum & ſi- ilia. *Uſus.*

C A P. XVII.

Viola ſpicata Braſiliana.

Aguara ponda Braſilianis Marggravii. **Rattenſteert** *Belgis, i. e. Myoſuros. Ad Lib.* 19. *Sect.* 2. *cap.* 5.

Marggr.

IN ſeſquipedalem aut majorem quoq; altitudinem aſſurgit, *caule* geniculato, tereti, viridi. Ad ſingula autem internodia folia habet quatuor, quinq;, aut plura, anguſta, ſerrata & faſtigiata, viridia, inæqualis magnitudinis. In ſummitate caulis ſpicam unum pedem longam, teretem, floſculis undique eleganter cœruleo-violaceis plenam, colore Violæ Martiæ noſtratis, quinq; petalis ſubrotundis compoſitis. Integer floſculus non malè refert Violam Martiam, & paululum etiam ejus odorem. *Radix* illius recta, mediocriter craſſa, & multas parvas radiculas adjunctas habens, adhæc filamentoſa.

Reperitur & alia præcedenti planè ſimilis, niſi quòd ſpica florum lata eſt, cubicis foveis inſignita, loricam repræſentans, viridis: ex foveis autem illis prodeunt floſculi cœrulei ut in præcedente.

C A P. XVIII.

Acetoſa Bulboſa Bod. à Stapel.

SPithamæ altitudinem habet; Folia dilutè viridis coloris duriuſcula & complicata, longa, & anguſta, quæ quinq;, vel ſex, vel vario numero ex ſummo cauliculo exoriuntur, caule cæterùm foliis orbo. Radix bulboſa, exteriùs lutea.

C A P. XIX.

De Galanga, quæ ad Iridis genus pertinere videtur.

GAlanga, recentioribus Græcis Γαλάγγα, Vocem Arabicæ originis eſſe minimè dubium eſt; ſed corruptam mirificè, ut ſudandum fuerit illi qui legitimam eruere velit. *C. Hofman.*

Quidam radicem Schœnanthi eſſe volunt; alii Acorum Dioſcoridis; alii Cyperum ejuſdem: Nè deſit (inquit C. Hofmannus) quod effutiant diſtinguunt etiam majorem à minore: ego nihil video quò minùs ab eadem planta ſit utraq;, quæ Iridis forte ſit. At peritiſſimi Botanici diſtinguunt, & pro diverſis habent. Iridis tamen cujuſdam radices eſſe nos etiam cum Hofmanno & Cluſio opinamur, quod pari modo foliorum veſtigiis, ceu zonulis circularibus cinctæ ſint.

Utramq; Galangam Veteribus ignotam fuiſſe, & Arabibus non ſatis perſpectam Botanici pleriq; ſentiunt.

1. *Galanga minor* Ger. J. B. C. B. Park.

C. B.

Radice eſt geniculata, & in quoſdam nodos craſſiores, (& juxta nodulos ex intervallis) nonnihil intorta, inæquali, lævi, & adnatis in tranſverſum & in obliquum tendentibus brachiata, craſſitudine minimum digitum æquante [unde junceæ craſſitudinis apophyſes pronaſcuntur, eâ ferè formâ quâ Cyperi radices conſpiciuntur *J. B.*] foliorum veſtigiis ex intervallo ceu zonis circularibus cincta, foris ruffa & ſubfuſca, intus autem flava, [imò tam intus, quàm foris rubens] dura, ſolida, venoſa cùm frangitur tritu difficilis, [matrice parva ſolida, ſapore & odore longè vegetiore generoſioréq; quàm major, & fervore aromatico totas fauces abunde implente,] odore valde acri, aromatum modo jucundo, & Cyperum quadantenus tum formâ, tum odore imitante: Foliis, autore Garcia, Myrti. Duarum palmarum altitudine fruticat.

Sponte naſci aiunt in China, unde in Indiam defertur. *Locus.*

2. *Galanga major* J. B. C. B. Ger. Park.

Radice eſt pollicem, & duos interdum pollices craſſa aut majore, crebris pollicaribus apophyſibus ſubinde donata [nodoſa, inæquali, quaſi ramis brachiata *C. B.*] cortice ſatis extenſo, circularibus zonis (quæ foliorum veſtigia ſunt) cincto, fuſco aut rubente, ſubſtantia ſolidiuſcula cinerea albicanteve, punctulis (quæ extrema ſunt fibrarum) notata, venoſa, Zingiberi ſimili, matrice magis fuſca, fungoſáque: odore acri (non tamen æquè ut prior odorata & fragrante) ſternutamenta provocante; ſapore acerrimo, ingrato, ventriculum ſubvertente. Caules Arundinacei ad Zingiberis fere altitudinem aſſurgunt [Garciæ binum cubitorum, Javanenſis verò quinq; ſpithamarum] *Folia* longa, mucronata, ſuperius ſaturè, inferius dilutè viridia [Iridis aut Xyridis, nigricantia, anguſtiora tamen Penæ.] Flores albicantes, inodori. [* Folia & flores florem Iridis æmulantur] ſemen fatuum.

IV. part. Ind. Oriental.

Acoſta folia Orchidis ei attribuit & appingit, caulem è foliorum involucris conſtantem.

Locus. In Java & Malabar ſponte oritur; ſed in Java copioſiſſimé. Seritur radice in terram defoſſa, ut Zingiber.

Neque Acoſtæ, neque Garcias ab Hort. Cluſio ſatisfaciunt in Galangæ majoris deſcriptione, præſertim ſi ea quâ Europæ officinæ utuntur legitima ſit Galanga major: etenim ejus radices multò majorem habent ſimilitudinem cum Iridis quàm cum Aſphodeli aut Zingiberis radicibus. Et certè omninò ſibi perſuadet Galangam noſtram majorem Iridis genus eſſe. Jo. etiam Bauhinus cùm Patavii eſſet in horto Cortuſii Galangæ majoris nomine plantam vidit Iridi valdè ſimilem foliis & radice.

Vires. Radix Galangæ majoris ad omnia utilis eſt ad quæ Zingiber, atq; eodem modo quoq; condiri ſolet: in uſu etiam eſt ad orexin excitandam, non ſecus ac cappares & Oleæ fructus apud Europæos. Recens quoq; utriuſq; Galangæ radix in taleolas diſſecta cum carnibus piſcibúſq; coquitur in eundem finem. Sic quoq; cruda ſale & aceto & oleo inſperſa cum piſcibus & carnibus aſſis commodè editur ad juvandam concoctionem. Malabarenſes & Javani non ſolum contra hominum ſed & jumentorum mala frigida magni faciunt. Polentas ſeu panes è farina radicis confectas in frequenti uſu habent, quas cum ſucco nucum *Cocos* præparant contra uteri & veſicæ mala exhibent. Vide Bontium & Acoſtam.

Galanga medicamentum eſt cephalicum, cardiacum & ſtomachicum, ad frigidos affectus magni uſus. Ventriculum roborat & concoctionem promovet. Acidis ructibus commanducata ſubvenit, flatus diſcutit, halitum oris emendat. Colicæ opitulatur. Renes calfacit & Venerem excitat. Sacchаro condita ad frigidos cerebri & nervorum affectus, Cephaleam, & artuum dolores conducit.

Cordis palpitationi cum ſucco Plantaginis utilis eſt, & ad lipothymias ſi à frigore cauſentur pulvis cum vino generoſo aut aqua Meliſſæ, vel ſucco Boraginis: quare conſuevere Germani iis quibus vena ſecta maſticandam præbere.

CAP. XX.

Radix Ninzin *Piſonis* Mantiſ. Arom. *Quibuſdam* Ginſeng *&* Genſing.

FOlia Paſtinacæ ſativæ *Geel-peen* Belgis dictæ ſimilia ſunt. Radix magnitudine Paſtinacis multùm cedit, ut quæ digitalis tantùm ſit longitudinis & craſſitiei, in fine filamentoſa: colore ex flavo albeſcente, ſapore ſubdulci, non ingrato, pingui.

Locus. Nullibi quàm in Regno Coreæ creſcit, inq; mediterraneis ejus partibus, 200 plus leucis à mari remotis.

Vires. Hujus decantatæ Panaceæ uſus eſt non ſolùm apud incolas Regni *Coreæ*, ſed & *Tankinde Chinæ & Japoniæ*, adeóque ad illam tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, quâ tamen non ſemper ſolâ & ſimplici utuntur, ſed utcunque aliis remediis nativis mixtâ, manente *Ninzin* Compoſitionis baſi. Illa autem medicamenta quæ adduntur *Coreæ* incolæ celant & tanquam arcanum ſibi reſervant. Quando autem animus eſt expugnare magnos aliquos naturæ hoſtes, ut motus Epilepticos, Vertigines, Spaſmos, Hydropes, Lipothymias, Choleras, &c. tunc medici robur addunt huic radici ex valido aliquo additamento pro vehiculo. At verò nulli alteri mixta omnibus languidioribus & cachecticis non ſolùm in uſu eſt, ſed eam tanquam præſervans contra malignos & venenatos affectus domi foríſque perpetuò ad manus habent, atq; bis térve de die exiguam particulam recentis radicis maſticant: unde mirificè virium reſtaurationem, cordíſq; refectionem omnes ſe experiri teſtantur. *Hactenus Piſo.* Ob Similitudinem ad Paſtinacam referri poteſt, lib. 9. cap. 19.

Cap. XXI.

Radix S. Helenæ Park. Rad. S. Helenæ, Galangæ ſpecies J. B. *Cyperus rotundus inodorus ex Florida* C. B. Apoyomatli *ſeu* Phatziſiranda, *Cyperus Americanus* Hernandez.

J. B.

EX portu S. Helenæ quæ eſt in Florida radices quædam ad nos importantur teretes, oblongæ, nodis diſtinctæ, quibus diſſectis perforatíſque fiunt ſphærulæ precatoriæ, quæ ſiccatæ rugantur, oſſeámque acquirunt duritiem: extrinſecus nigræ, intus candidæ. Cortex adeò adhæret medullæ ut unum fiat continuum. Sapor ejus aromaticus eſt & gratus, ut Galangæ quædam ſpecies eſſe videatur: Pollicari ſunt craſſitie aut circiter. Herba verò parùm habet caulis, & humi ſpargit ramos. Folia fert ampla admodum & viridia. Locis humidis naſcitur.

Si Folia rectè deſcripta & depicta ſunt Cyperi ſpecies eſſe nequit, ut ex deſcriptione & facultatibus colligi poſſe putat Cluſius. At Icon & deſcriptio Hernandez Cyperum eſſe convincunt.

Uſus. Herbam Indi lapidibus terunt, eâq; univerſum corpus balneaturi fricant: aiunt enim aſtringere, membráque roborare odoris gratiâ: Hócq; ſæpius faciunt ob inſignem utilitatem quæ indè ipſis reſultat. Pulverem tenuiſſimum ejus tam Indi quàm Hiſpani in vino infuſum ad ventriculi dolores fœlici cum ſucceſſu hauriunt.

Cap. XXII.

Drakena radix Ger. *Contrayerva Hiſpanorum ſive Drakena radix Cluſii* Park. *Drakena radix* J. B. *item Contrayervæ radix* ejuſdem. *Cyperus longus inodorus Peruanus* C. B. *item Cyperus longus odorus Peruanus* ejuſdem.

RAdicem Hiſpanico Contrayervæ nomine in Officinis notam periti Botanici Thomas Johnſonus & Joannes Parkinſonus eandem eſſe affirmant cum radice Drakena Cluſii; ſiquidem radicis Drakenæ deſcriptio Cluſiana radicibus ex Hiſpania ad nos allatis Contrayervæ nomine examuſſim convenit. Ea autem eſt hujuſmodi:

Semunciali magna ex parte erat craſſitudine & prælonga, ſubinde in nodos & inæqualia capita extuberans, atque in ſummis capitibus velut è craſſis ſquamis contexta, Dentariæ ἐννεαφύλλου ferè inſtar, foris nigricans, rugoſa & dura, quia reſiccata, interiore parte alba: tenues fibras hinc inde adnaſcentes habebat, quaſdam craſſiuſculas & majuſculas, duras & lentas, è quibus alii nodi dependebant. Nullo manifeſto odore præditam eſſe obſervabam, ſed ſaporem habere deprehendebam nonnihil adſtringentem, diutiùs verò manducatam tenuem ſuavémq; acrimoniam relinquere. J. Bauhinus in radicibus Drakenis diutiùs manducatis acredinem moleſtam adhuc ſentiebat; unde non deeſt radicibus hiſce caloris gradus quem Cluſius deſiderabat, quò minùs eſſe poſſent radices veneno reſiſtentes ſeu *Contrayervæ* Monardi, quibuſcum facultatum ratione valdè convenirent.

Monardus quidem radices haſce Iridis radicibus valdè ſimiles eſſe ſcribit ſed minores & Ficulnei folii odore. At Parkinſonus nullam cum radicibus Iridis in forma convenientiam obſervare potuit in radicibus pro *Contrayerva* ex Hiſpania huc allatis, imò in multis differre oſtendit. Petrus de Oſma Folia Plantaginis quinquenerviæ Plantæ attribuit. Deeſt etiam Aromaticus ſapor in Contrayerva Officinarum cujus meminit Monardus. Quicquid autem ſit de Contrayerva Monardi, Officinarum Contrayervam nihil aliud eſſe quàm Drakenam radicem Cluſii certum eſt; qui id nominis ei indidit in gratiam D. Franciſci Draci, qui ei illam donavit.

Vires. Contrayerva, quaſi dicas Alexipharmacum, appellant Hiſpani, quoniam earum pulvis ex albo vino ſumptus adverſus omne venenum, cujuſcunq; tandem ſit generis præſentiſſimum eſt remedium, uno ſublimato excepto, quod ſola lactis potione extinguitur, vomitione illud rejicere faciens, aut per ſudores evacuans; ſed & amatoria pocula eo pulvere hauſto educi ferunt. Ventris etiam animalia pellit. Febrium etiam quotidianæ, tertianæ & quartanæ ante acceſſionem ſumpta paroxyſmum minuit, ejuſque uſu continuato planè tollit. Plura de ejus viribus videſis apud Parkinſonum.

Drakenæ affinis radix J. B. Cluſ. *Cyperus longus inodorus Orientalis* C. B.

Cluſ.

Radices hæ tuberoſæ erant, & quantum ex earum forma colligere licebat ſumma terræ ſuperficie repentes, multíſq; villis & fibris obſitæ, fuliginoſo colore præditæ, nonnihil tamen ad flavum tendente, ſalivam dum manducabantur inficientes & amaræ, foliorum quidem aliquos particulas adhuc retinentes; qualia verò illa fuerint nemo facilè dixerit. Cæterùm magni uſus apud Indos fuiſſe veriſimile erat, quandoquidem Prorex Hiſpanus eas referret cum nobilibus aliis medicamentis in India Orientali natis.

Cap. XXIII.

De Zedoaria, quæ fortè ad Arundinis, fortè ad Cyperi genus pertinet.

ZEdoaria Græcis Veteribus incognita; rccentioribus, ut Aetio & Actuario ζαδοὺρ, ζαδὴρ, & ζαδὴρ dicta eſt, ab Arabibus mutuato nomine.

Foliis eſt Zingiberis, ſed majoribus, longioribus & latioribus, ut & radice; ſapore etiam Zingiber æmulatur, unde in *Calecut* Zingiber ſylveſtre, Garcia autore, vocitatur.

Hujus tres ſpecies faciunt, quas tamen omnes unius & ejuſdem plantæ radices eſſe peritiores Botanici exiſtimant.

Zedoaria longa C. B.

Radicem habet longitudine ſextantali, trientali aut quadrantali, craſſitudine minimi digiti, quæ utrinque in obtuſum mucronem deſinit: foris candida, intus ex cinereo in fuſcum colorem vergente: cujus ſubſtantia denſa, ſolida, pinguis & ponderoſa: guſtu atque odore tenui, ſubamaro, mediocriter acri cum gravitate quadam, ac valdè aromatica ſuavitate, dum tunditur aut manducatur ſpirante, minima portione halitum commendante & in caput penetrante.

Eligenda eſt magna, denſa, plena, non rugoſa; ſubſtantiâ veluti pingui, lenta, dentibus propter ſoliditatem aliquantulum repugnante, odoratiſſima, nullis foraminibus pervia.

Ut diutiùs ſervetur loco ſicco reponenda eſt.

Locus. Sponte naſcitur in ſylvoſis *Calecut* & *Cananor* Regni Malabarici.

Zerumbet Arabum eſſe putatur; Anguillaræ Coſtus Arabicus.

Zedoaria rotunda C. B.

C. B.

Subſtantia pondere, ſoliditate, colore, ſapore & odore longæ Zedoariæ omnino ſimilis eſt, ſolâque figurâ differt, quæ globoſa, unciali magnitudine; ſuperficie aliquantulum inæquali, ac præciſarum fibrarum veſtigiis tuberoſa, Ari bulbo ſimilis, nonnunquam in brevem mucronem deſinens, quo terræ adhuc hærens germen fundere conſuevit.

Locus. In Java & Sunda copioſè naſcitur.

A priore non videtur aliter differre, quàm quòd radicis partes ſint diverſæ. Rotundam autem partem Zedoariam; longam vero appendicem Zerumbeth, veluti res eſſent diverſæ nominâſſe Avicennam exiſtimat C. Bauhinus, ignorantem, viz. ex qualinam planta, aut qua regione ejuſmodi radix proveniret; ſed cum vidiſſet in fruſta rotunda, interdum verò in oblonga conciſam ad Sinum Perſicum vehi, duo genera exiſtimâſſe. Reliqua vide. Radix reſecta & ſiccata ſaccharo conditur: cujus uſus præſtantior & commodior quàm Zingiberis exiſtit. *C. B.*

Zedoaria tuberoſa foris nigricans C.B.

Rotundum hoc genus inſtar Ariſtolochiæ rotundæ, foris nigricans, interdum cinerei coloris, intus candicans, guſtu uſualis Zedoariæ apud quoſdam Aromatarios Antverpiæ inveniri ſcribit Cluſius, *Block Zeduar* ipſis dictum. Lobelius cum vulgari rotunda junxit.

Zedoaria Geidwar Avicennæ Garciæ C. B.

C. B.

Radix eſt magnitudine glandis, ejuſdémque ferè formæ, colore ſublucido. At dicimus rectius Anthoræ, vel Aſphodeli bulbo minori ſimilem eſſe, foris cinericei, interiùs verò flaveſcentis coloris, duram & ſolidam, guſtu acrem & excalefacientem.

Hanc Garcias in regionibus Sinenſium provinciæ vicinis, magno emi, nec facile inveniri ſcribit, niſi apud circumforaneos quoſdam & circulatores quos Indi *Jogues* appellant. Idem Zedoariæ vocabulum corruptum eſſe putat, & Geiduar dicendum.

C. Bauhinus Arabes triplicem plantam Zerumbeth nomine propoſuiſſe putat. 1. Zedoariam Officinarum longam, quæ Zerumbeth Avicennæ, ut ex ejus deſcriptione patet. 2. Zedoariam rotundam dictam, quæ Zerumbeth primum Serapionis, & Zedoaria Avicennæ. 3. Egregiam illam arborem in Libano foliis Salicis, odore Citri, quæ Zarnabo Avicennæ, hodie incognitam niſi fortè ſit Saſſaf Syrorum Rauwolfii.

Vires. Zedoariæ radix calida & ſicca cenſetur, corpus impinguat & imbecillum reficit, ut volunt Arabes, flatus diſcutit, Odorem ſumptorum Alliorum, Ceparum & Vini aufert; morſui venenoſorum confert, alvum ſiſtit, uteri apoſtemata reſolvit, vomitum reprimit & Colicæ ventoſæ confert. Noſtræ ætatis Medici contra peſtilentis cœli contagia utuntur, & permultis medicamentorum compoſitionibus miſcent. Ventriculo utilis eſt concoctionem juvando, eúmq; & reliqua viſcera calefaciendo. Germani ex ea Vinum Zedoriatum conficiunt ad uſus prædictos, Zedoariam contuſam & ſacculo inditam in doliolo muſti cocti pleno ſuſpendendo.

SECTIO IV.

Herbæ anomalæ incertæ ſedis.

CAP. I.

De Pipere.

EArum quæ ambiguæ ſunt & incertæ ſedis principem locum ſibi vendicat famigeratiſſimum Aromaticum Piper, omnibus ſeculis, omnibus terris ad cibaria condienda expetitum. Cùm enim qui plantam deſcripſerunt de floribus ejus altùm ſileant, incerti ſumus an eos imperfectos & mineos, an verò perfectos & petalodes obtineat, adeóque an ad genus earum quæ flore ſunt imperfecto, an potiùs ad earum quæ flore perfecto, ſemine nudo ſolitario, referenda ſit.

Πέπερι vocem ἀπὸ τοῦ πέπτειν, i. e. *concoquere* Etymologus deducit. Veriſimilius tamen eſt πέπερι peregrinum & barbarum vocabulum eſſe, ut χόμμι & κῦφι & pleraq; in ι deſinentia: à Perſis profectum docet Galenus, qui proculdubio ab Indis hauſerunt, quibus (teſte Garcia) Piper longum *Pimpilim* dicitur.

Quæ de Pipere ejúſque ſpeciebus habent Veteres Græci & Latini manifeſtè oſtendunt Plantas piperiferas iis prorſus incognitas fuiſſe, eóſque rumores incertos & vulgi fidem ſecutos in ejus deſcriptione Ruellius pro Piperis ſpecie Smilacem aſperam proponit, ut exiſtimat J. Bauhinus; Matthiolus Ribes nigrum. Nos incertis & ſuſpectis omiſſis deſcriptionem Piperis è Cl. Car. Cluſii Exoticis mutuatam dabimus.

Piper longum à rotundo genere diverſum videtur: verùm quia viribus conveniunt, & Botanici ad idem caput utrumq; reducunt; nos etiam de illis unà agemus.

1. *Piper rotundum nigrum* C. B. *Piper nigrum* J. B. Park. **Round black Pepper.**

Cluſ.

Valdè ſarmentoſa eſt Piperis nigri planta, & adeò imbecillis atque caduca, ut niſi pedamentis fulciatur, aut juxta arborem aliquam, circa quam ſe convolvere poſſit, pangatur, humi procumbat ac ſpargatur, perinde ac Lupus ſalictarius: lenta verò ac flexibilia ſunt ei ſarmenta, frequentibúſq; nodis ſive geniculis diſtincta, & quæ humi ſparſa multas fibras ad ſingula internodia agunt, quibus ſe humi figunt, quemadmodum Clematidis aut Periclymeni flagella, ut in illorum nonnullis obſervabatur quæ fibras adhuc retinebant. Sarmenta porro ad ſingulos nodos ſingulare folium proferunt alternatim, Hederaceâ quodammodo formâ, vel ejus Cyclaminis quod hederaceo conſtat folio; cui tamen anguli deſint, neq; adeò craſſum, verùm multò tenuius, quatuor interdum uncias latum, formæ quaſi orbicularis, niſi quòd in mucronem deſinat; plerunq; tamen binas duntaxat uncias latum, quatuor longum, *Tambul* ſive *Betle* folio adeò ſimile, ut alterum ab altero vix diſcerni queat, niſi Piperis folium paulo durius, & nervos illos per folii longitudinem excurrentes craſſiores habere videretur: nec illud in ambitu ſerratum eſt, ut quidam pinxere, ſed prorſus æquale, & nihil ſimilitudinis habens cum Mali Aſſyrii folio. Omnia verò folia quinq; nervis ſunt prædita, quorum medius & craſſior medium foliorum per longitudinem ſecat, reliqui quatuor minùs craſſi ab illo oriundi, utrinque bini, in latera ſecundùm folii pænè longitudinem expanſi, & illi quidem in nonnullis foliis æqualiter ex oppoſito naſcentes, in aliis verò inæqualiter oriuntur, neq; iſtam proportionem ſervant. Cæterùm folia omnia prona parte dilutiora ſunt quàm ſupina, atque per univerſum folium venulæ obliquæ tranſverſim evagantur. Uvæ porro ad ramorum internodia naſcuntur teretes & oblongæ, multis granis orbicularibus, nunc majoribus, modò minoribus, ipſi ſcapo ſine petiolo adnexis conſtantes, & illæ quidem non è foliorum ſinubus, ſed ex altera ſarmenti parte, folii pediculo viz. oppoſita. Non modò folia ſicca acrimoniam retinent, ſed etiam ipſa ſarmenta, atque (quod magis mirum) ipſa radix quæ ſub terra latuit.

Piperis folia à Betle foliis effigie aliiſque non parùm differunt. Piperis enim folia, quæ non tribus tantùm ſed quinq; nervis per longum folii ferè Plantagineis diſtinguuntur, carnoſiora & ſolidiora ſunt foliis *Betle*, magíſque ad ovalem figuram accedentia, & indè in acutum deſinentia: Betle verò iiſdem nervis tenuioribus molliora & delicatiora ſunt admodum, & circa petiolum latiora, neq; in ſummo ſinuoſa, ut ipſius Coni potiùs quàm ullam ővi effigiem exprimere videantur. Piperis folium majus quod habuimus (inquit Columna) latum in medio erat uncias quatuor, & dupla longitudine, quamvis aliqua oblongiora ac etiam obeſiora reperiantur, nec tamen in imo ità lata ut Cluſii figura, ſed acutior circa pediculum, qui non lignoſus, ſed nervoſus eſt, dimidii folii longitudine, Piperíſque ſapore. Hæc Columna *notis in Recch.* pag. 876.

Naſcitur in pleriſque Indiæ provinciis: verùm in quibuſdam regionibus vix tantum redundat ex cultura quantum ipſis incolis ſufficiat: aliis autem in locis, præcipuè in Malaca, Java & Sumetra, adeò luxuriat Piper hoc Aromaticum, ut indè per totum orbem diſtrahatur. Seritur non procul à mari, ad radices arborum, præſertim quæ *Fauſel* appellantur, vel appoſitis perticis quibus adnititur more Vitis. Altitudo ei par cum ea arbore aut pedamento cui advolvitur. Sæpe cùm veteraſcit & cineribus fimóque ſtercoratur, excedit altitudinem fulcrorum ſuorum, ut Lupuli inſtar cùm ſcandere altius non poteſt, ſe demittat. *Piſo.*

Fructus ſeu uvæ leguntur ante plenam maturitatem, in colorem praſinum adhuc inclinantes [aliis cùm jam plenè maturuerint] & in tegetibus palmeis expanſos Soli exponunt, cujus calore intra triduum nigreſcunt & corrugantur.

Reperitur etiamnum in genere nigri Piper quoddam, nutrimento defectum, caſſum ſeu inane ac leve quod Braſma Dioſcorides vocat. Hoc non dubitamus nos aſſerere Piper eſſe immaturum. *J. B.*

2. *Piper rotundum album* C. B. *album* J.B. Park. **White round Pepper.**

J. B.

Magnitudine videtur nigro cedere, utrinque umbilicello tantillum prominente exiguo, albido ſive cinericeo. Subſtantia ejus interior bicolor eſt, quemadmodum Piperis nigri, & cava in meditullio (præter albam pelliculam quam habet) apparet; cortex quo grana integuntur nigricans facilè detrahitur, quod non fieret ſi eſſet immaturum, ut Galenus & nonnulli alii volunt. Sapore non minùs fervido præditum eſt quàm nigrum; imo eo calidius & odoratius eſt, Lobelio teſte.

Inter plantam quæ Piper nigrum fert & eam quæ candidum tam exigua eſt differentia (inquit Garcias ab Orta) ut à ſolis incolis diſcerni poſſint, *imò nulla omnino, cùm Piper nigrum & album una eadémque res ſint*; quemadmodum Vitem quæ uvam fert nigram ab ea quæ candidam fert, non dignoſcimus niſi dum uvas habent & illas quidam maturas. Candidi autem plantæ rariores ſunt, nec niſi certis Malavar & Malacæ locis raræ naſcuntur.

Gulielmus Piſo in mantiſſa Aromatica Piper album nihil aliud eſſe quàm nigrum ante inſolationem decorticatum affirmat. Decorticatio autem illa fit bene maturo Pipere ex marina macerato. Maceratione enim cortex exterior niger dehiſcit tumeſcendo, atque ità facillimo negotio, granum quod intra illum includitur album eximitur, & ad modum Piperis nigri exſiccatur. Quem laborem laboris impatiens natio niſi fugeret, non tanta eſſet Piperis albi ſi cum nigro compares inopia.

Vires. Piper Dioſcoridi vim habet in univerſum calefaciendi, urinam ciendi, concoquendi, attrahendi, diſcutiendi, exterendi ea quæ pupillis tenebras offundunt. Commodum etiam eſt ad rigores per circuitum in febribus repetentes, tum ſi bibatur, tum ſi illinatur; & commorſis à beſtiis venenatis auxiliatur. Educit etiam fœtus. Putatur & conceptionem impedire ſi poſt coitum apponatur: Tuſſi quoq; & omnibus circa thoracem affectibus commodum eſt tum ſi delingatur, tum ſi in potu accipiatur, Anginis item convenit illitum cum melle: Tormina quoq; diſſolvit cum teneris Lauri foliis potum. Pituitam à capite detrahit cum uva paſſa manducatum. Dolores ſedat, & in ſanorum uſu multum eſt, ac appetentiam movet, & ad intinctus admixtum concoctionem adjuvat. At pice exceptum ſtrumas diſcutit. Deterget & vitiligines cum nitro.

Piperis radix coſto ſimilis eſt, calefacítq; guſtum & humores provocat. Eadem ſi cum aceto bibatur ſplenem minuit; Pituitam vero à capite detrahit cum Staphide agreſti commanducata. Hactenus *Dioſcor.*

Uſus ejus præcipuus eſt in frigiditate & cruditate ventriculi. Magna differentia in eo eſt, ſi vel integrum ſumatur, vel in pulvere. Pulvis in ventriculo ſingultum facit, hepar autem & reliqua viſcera valde inflammat. Qui ergò ventriculo conſulere volunt deglutiunt integra grana, ut rectè monet C. Hofmannus. Præſtat etiam carnes elixas & in furno coctas in artocreis, &c. integro Pipere condire quàm trito & comminuto, cum cibis enim coctum & maceratum ſatis acrimoniæ in communicat, quod & facit integrum deglutitum, nec tamen ventriculo noxam aliquam aut moleſtiam: cum pulvis interiori ventriculi tunicæ muco oblitæ adhæreſcens aut in ejus rugas ſe inſinuans, vel cardialgiam, vel ſingultum in nonnullis conſtitutionibus excitet.

Extrinſecùs in apophlegmatiſmis, gargariſmis, ſternutatoriis uſurpatur; ſedat odontalgiam, columellam tumidam imminuit, nervorum affectibus frigidis conducit. *Schrod.*

Vis piperis (eodem adnotante, & ante eum Galeno) volatilis valdè eſt. Vitentur ergo, inquit, præparationes in quibus volatile evaneſcit. e. g. Extractorum.

Piper ejúſque oleum egregiè decantatur in febribus quartanis à Zacut. Luſitano, Langio, Kunrad. aliíſque.

Oleum Piperis extrinſecùs in Paralyſi egregium eſt medicamentum. *C. Hofman.*

Vulgus Piper longum in paroxyſmo febrium exhibere ſolet: id quod non niſi in principio locum habere poteſt. *Schrod.*

Non baccæ ſolùm, quod propriè dicitur Piper, acrimoniâ præditæ igneâ ſunt, ſed & tota etiam planta. Nam & folia virentia, ſarmenta & radix, ſi maſticentur, prorſus linguam faucéſque urunt ac ſalivam, haud ſecus quàm Coſti Pyrethrive radices, movent.

Piper longum Indi linimentis addunt, quibus adversùs dolores artuum à frigore utuntur, & ita ut baſis hoc Piper ſit, corpúſque addat Santalum rubrum. Utuntur & contra venena, vertigines, catarrhos, oculorúmque nebulas & cum ſucceſſu.

Indorum plebs adversùs diuturnam ſtomachi languiditatem bibunt aquam cui infuſa eſt ſatis bona Piperis copia: In eundem uſum quoque eliciunt ex Pipere recenti ſpiritum mirè igneum. Utrumque cùm adhuc viret, Piper, longum æquè ac rotundum, condiri muria aut aceto ſolet, & condi in penum ad uſum familiarem menſæque delicias. Ejus uſus frequentior menſibus pluvioſis & in phlegmatica corporis conſtitutione.

3. *Piper caudatum* J. B. *caudatum racemoſum* Park. *racemoſum caudatum ex Guinea* C. B. **Pepper, with a cluster'd tail.**

J. B.

Nomen partim à ſapore, partim à forma invenit: grana ſunt Pipere & albo & nigro plerunque minora, quædam æqualia, ex rotundo oblonga, & pediculum versùs turbinata, &, ut vulgare nomen præfert, caudata, coloris nigricantis vel fuſci, inter Piper album & nigrum medii, cortice craſſiuſculo, extenſo, interdum nonnihil vel rugoſo vel criſpo, medullam comprehendente Piperis vulgaris modo bicolorem, duriuſculam, in cujus tamen medio non conſpicitur vacuus ille ſcrobiculus.

Sapor

por idem qui Piperi vulgato, magis aromaticus. Grana hæc racematim cohærent Uvæ modo. væ hæ aliæ breves & unciales ſunt, nonnullæ tres uncias longæ, tenui ſtylo inhærentes, longiuſcu- petiolo grana rotunda, vel minora, vel craſſiuſcula continentes, vicena, tricena, interdum plura, gitimo quidem Pipere minora, non minus tamen fervidi ſaporis, duráve & ſolida, ejuſdem etiam ne coloris. An porro ipſa planta perinde arbores ac perticas ſcandat, ut ejus quod ex Orientali dia adfertur hactenus Cluſio intelligere non licuit.

4. *Piper caudatum ſeu Nhandu* Marcgr. Piſon.

Suffrutex eſt inſtar arbuſculæ, excreſcens ad trium, quatuor, quinque & interdum ſex pedum altitudinem. Caulis illius lignoſus, teres, viridis, nodoſus, ad aſpectum fere ut caulis Solani. Folia ſin- latim ſunt poſita, quorum quodlibet ſuum habet pediculum qui ad nodos oritur: Sunt aut illa a, figurâ cordis ut pingitur, vel vomeris, multis venis arcuatim ſecundùm longitudinem elegantiſ- nè notata. Ad nodos itidem proveniunt multi Juli, quatuor, quinque, aut ſex digit. longi, incur- ti, figurâ ferè ut muris cauda, virides, qui menſe Octobri aut Novembri decerpuntur, & in Sole cati nigreſcunt, continéntque granula rotunda, nigra, magnitudine ſeminum Papaveris, arctè juxta in uvam compoſita, acris ſaporis, inſtar Piperis optimi Orientalis. *Radix* in alias plures tenues ditur, fuſcas, inſignis odoris inſtar Thymi & ſaporis qui linguam vellicat.

Aliud habetur genus à *Piſone & Marcgrav.* deſcriptum foliis anguſtioribus & oblongis, fructu andiore & meliore, cauda Piperina longiore, in ſylvis Braſiliæ mediterraneis frequentiſſimum.

Folia hujus plantæ medentur ulceribus tibiarum: radix valet adversùs apoſtemata. Utraque, cùm mmè ſint fortia, etiam exſiccata & diu repoſita ad balnea calida contra mala frigida uſurpantur. Decoctum radicis & ſtolonum diſcutit atque incidit craſſos & viſcoſos corporis humores; ſanat hydropem pedum. *Vires.*

Aquaxina Piſonis.

Foliis præcipuè à præcedente differre videtur, quæ Tiliæ ſimilia ſunt, paulò tamen grandiora.
Deſcriptiones harum plantarum miſcent & confundunt vel Piſo vel Marcgravius.
Cæterùm Piper caudatum dicitur hæc planta à figura Juli caudam muris referente.
Radix calida eſt & acris, atque inter Antidotales habita; reliqua vide apud Piſonem. *Vires.*

5. *Piper longum* J. B. *longum Orientale* C. B. **Long Oriental Pepper.**

J. B.

Piper longum nucamenta Betulacea æmulatur, unciam aut ſeſcunciam longum, teres, aliquando planum, coloris fuſci vel cinerei reticulato vermiculatur plexu, in ſuperficie aſperum, cujus pro numero grana, pelliculis ſeorſim privatis incluſa, Sinapi granis paria, foris nigricantia, intus ſubalbida, guſtu non cedente nigro vel albo, quanquam non ſtatim apparente: pendent autem hi juli ex pediculo gracili, unciali, alteri fini inſerto.

Plantæ è Java allatæ ramulos cum fructu ſic deſcribit Cluſius. Botrorum maxima pars duarum ciarum longitudinem rarò excedit; nullus vero minimi digiti craſſitudinem æquat, ſed gracilior & æqualis pæne ubique craſſitiei, plurimis granis Milii repurgati granorum inſtar obliquè ſecundùm longitudinem diſpoſitis conſtans, cineracei quodammodo externa parte coloris, internâ albi, fervidi ſaporis. Planta ipſa non longè diſſimilis videtur Piper nigrum proferenti plantæ: folia à Piperis nigri foliis non multum differre Cluſio viſa ſunt, niſi quòd paulò teneriora, dilutioréque viriditate prædita eſſent, tum etiam breviore pediculo ſubnixa, atque etiam pluribus nervis inſignita: am à medio illo nervo folium à pediculo per longitudinem ſecante non modo quaterni alii nervi oriebantur, ſed utrinque quini & ſeni, interdum etiam & plures pro foliorum videlicet amplitu- ne, illi tamen minùs eminentes quàm in nigri foliis, & inæquali ortu nati, multis etiam obliquis nulis per folium tranſverſum evagantibus; & licet reſiccata eſſent folia, ac per multos menſes in- r chartas adſervata, non levi tamen acrimoniâ erant adhuc prædita. Fructus qui Juli quodammodo rmam æmulantur, ad ſingula internodia oriuntur non in folii ala, ſed quemadmodum in Pipere gro ex ipſius folii oppoſita parte, in altero videlicet ramuli latere, atq; etiam alternis, perinde atq; Pipere nigro.

Piper longum intenſa mordacitate præditum eſt, & ſubamarum quoniam immaturum, antidotis m & theriacis medicaminibus opportunum. *Dioſc.* Nonnulli ſtatim ab initio curationis uvulæ laxatæ ab inflammatione pulvere Piperis longi auxiliari conantur; quod quidem periculo non va- t. *J. B.* *Vires.*

6. *Piper longum* Monardi. *longum Occidentale, dimidii pedis longitudine* C. B. *An Piper ex Florida* J. B? *An Tlatlancuay* Fr. Hernand.? *Buyo buyo Philippinarum incolis.*

Toto Continentis tractu, in quo Nata, Carthago, atque etiam in novo regno magnus eſt uſus iperis cujuſdam oblongi, quod majori acrimoniâ præditum eſt Orientali, magiſque aromaticum & cundiorem odorem ſpirat quam Axi ſive Capſicum, quinetiam præfertur Piperi nigro cùm ſaporis m ſuavitatis causâ.

Altæ cujuſdam plantæ fructus eſt oblongus, craſſitudine quidem funiculi, ad dimidii pedis longi- dinem, conſtans veluti multis granulis circa pediculum oblongum conjuncto & continuo ordine di- poſitis ſeminis Plantaginis modo, quibus ademptis pediculus nudus conſpicitur. Recens viridis eſt: le matureſcit & nigreſcit.

J. Bauhini Piper ſtylis erat palmum plus minùs longis Myoſuri ſpicis non abſimilibus, craſſitudine ri, fuſcis, verùm pulvere criſpatis, nudis tamen & politis circa imum, obſequioſis, ſapore acriſculo ad Piper accedente.

C. Bauhinus Piper longum anguſtiſſimum ex Florida à Pipere longo Monardis diverſum facit & Piperi longo ſeu Felfel Alpini eandem, ut & Plantulæ peregrinæ Cluſii, quam deſcribit Cauliculo uncialis longitudinis aut amplioris, valdè gracili, ſuſtinente utplurimum binas oblongas graciles quincuncialéſque veluti ſpicas, longo pediculo ſubnixas, adeò obliquè quaquaverſum ſtriatas & rugoſas, ut exilium Lumbricorum ſiccatorum, aut tenuium limularum formam quodammodo referant, coloris fuſci & fuliginoſi, ſubacris & calidi ſaporis, odore autem Melilotum pæne referentes.

Filfel Alpini Junci foliis eſt ſed craſſioribus, è quibus ſectis ſuccus quidam flavus, valdè acris ac exurens, totáque Planta eſt calida in quarto gradu, magis quàm Piper exurens. Eâ utuntur emplaſtri modo impoſita ad coxendicis dolorem, necnon ad frigidos articulorum dolores. Calorem ejus oleo Roſaceo vel Myrtino temperant.

Ex particulis hiſce plantarum mutilis & imperfectis vix quicquam certi colligi poteſt, de ipſarum genere & formâ.

7. *Piper inane* C. B. *Canarinum à Canara loco natali dictum.*

Noſtrati Fegopyro ſimile eſt, coloris cinericei, intus cavum & repletum granulis aliquot exiguis. Manducatum pari pænè acrimonia cum prioribus deprehenditur, ſed minùs aromaticum. Ejus niſi apud infimam plebem nullus eſt in Indiis uſus. Hæc etiam diverſi generis planta eſt à Pipere vulgari, nec ſcio quo referenda.

CAP. II.

Limonio congener Cluſ. *congener Cluſii* Ger. emac. Park. *Limon. peregrinum foliis formâ florum Ariſtolochiæ* C. B. *Incertæ ſedis eſt.*

Cluſ.

HAnc plantam ſiccam & mutilam Ulyſſippone accepit Claudius *Conier* pharmacopœus Lutetianus, à quo iconem ejus & folium reſiccatum habuit Cluſius.

Sunt verò, inquit, ei (Claudio teſte) *folia* novem, decem, aut plura, à ſummo radicis capite prodeuntia, formâ florum Ariſtolochiæ, tumente alvo & velut paleari prædito, gibbo dorſo, infimâ parte anguſto, ſenſímq; in laxitatem creſcente, ſupremâ parte laxiore & aperto, quaſique in hemicyclum formatâ: totum folium durum eſt, & tanquam cutaceum; ſuprema folii pars aperta, internè multis craſſis venis, ex atro purpureis diſtincta. *Radix* non valdè magna, & in quoſdam ramos diviſa. De loco & tempore florendi, deq; flore ipſo nihil perſcriptum.

Ipſiſſimam hanc plantam, referente Parkinſono, Joannes Tradeſcantius junior in Virginia inventam cum caule & flore, domum [in Angliam] detulit, & in horto ſuo Lambhithano plantavit. *Folia* longiora ſunt & anguſtiora, minúſque extumeſcentia ſeu ventricoſa quàm in icone Cluſiana. Flores ſummo fructui ſeu vaſculo ſeminali ſubrotundo inſident; quod tamen Parkinſoni icon (qui flores appinxit) non exhibet. Flos tetrapetalos aut pentapetalos pingitur.

CAP. III.

Tribulus terreſtris J. B. Ger. Park. *terreſt. Ciceris folio, fructu aculeato* C. B.

R*Adicem* agit prolixam, albam, ſimplicem, paucis fibris capillatam. *Coliculos* emittit plures, humi ſtratos, teretes, hirſutos, geniculatos, rubentes, palmares aut etiam dodrantales, ramis multis diviſos. *Folia* pinnata Lenticulæ aut Ciceris, ad ſingulos geniculos ſingula, alternatim poſita, in ſummitatibus tamen ramulorum bina ex adverſo, Papaveris erratici in modum piloſa. *Flores* pediculis ſatis longis è foliorum ſinubus ortis inſident, lutei, pentapetali. Succedunt muricata *capitula*, ſpinis majuſculis hærentia, ad Spinachiæ accedentia (inquit J. Bauhinus) Nobis capitula ex quinque velut triangulis conflata videbantur, quorum omnium cuſpides in centro concurrunt, reliqui anguli in longam & acutam ſpinam exeunt. Sunt & aliæ ſpinulæ breviores quæ pediculum amplectuntur.

Tempus & Locus. Sub Maii finem exit, Julióque & Auguſto cum flore & ſemine in calidioribus regionibus, Italia & Gallia Narbonenſi, paſſim conſpicitur.

Cuſcuta ſive Caſſuta J. B. C. B. Ger. Park. **Dodder.**

Hanc plantam ad Appendicem referemus.

CAP. IV.

Melanthium odoratum Alpin. exot. *Nigella Cretica odorata, foliis Lini, ſeminibus biformibus* Park.

Alpin.

A *Radice* parva, tenui, fibris tenuibus multis prædita *cauliculos* plures producit, graciles, teneros, rotundos, palmum altos, foliis Lini ex oppoſito veſtitos. In caulium ſummitatibus *flores* fert cœruleos, Papaveris ſimiles, à quibus *ſiliquis* quinquepartitis *ſemina* nigra, minuta, co- ata continentur. At in cauliculis etiam alia *ſemina* minuta, rotunda, racemorum modo, albi- tia pendent. Quibus hanc plantam naturæ ſummopere curæ fuiſſe conſtabit, quod eam ne defi- et duplici ſeminis genere donavit.

CAP. V.

Jaborandi prima ſpecies Marggr. *Incertæ ſedis: Si flos perfectus ſit ad Lib.* 9. *partem primam pertinet.*

Marggr.

AD duorum pedum altitudinem aſſurgit; *caule* lignoſo, tereti, per certa intervalla nodoſo, tortuoſo & inæquali, coloris griſei, quorum unus, duo vel etiam tres ex una radice prodeunt, & in ramos ſe pandunt. *Radix* autem haud craſſa eſt, ſed in multas radiculas & filamenta diditur, exteriùs ex albo flaveſcens, interiùs albicans, odoris acriuſculi, ſaporis acris ut Pyrethrum. In gulis ramulis ab internodiis pediculus prodiens, digitum longus tria habet *folia* ſibi crucis modo oppoſita, ad tactum ut Tiliæ folia mollia, parùm piloſa, nervo conſpicuo & venis obliquis, ab uno ad quinq; digitos longa, totidémq; lata ubi latiſſima, inæqualis quippe magnitudinis, pallidè virentia, nferne paulum candicantia. In extremitate ramulorum multa foliola parva venabuli figurâ ſibi invicem confertim ſunt oppoſita, in duos ramulos quaſi cornua diducta, in quibus *floſculi* albi, tetrapetali, quos ſequitur *ſemen* duplici paleâ tectum ut in Cannabi, fuſcum, compreſſum, parvulum cordis figurâ, cui ab uno latere pars abſciſſa videtur.

Radix valet contra venena. *Vires.*

CAP. VI.

Capreolata Bryoniæ nigræ folio Braſilienſis tricocca Marggr.

C*Aule* haud lento ſerpit, & aliis plantis ſe implicat: *folia* fert in pediculis, duo, tres aut quatuor digitos longis, cordis ut pingitur figurâ, mollia, dilutè viridia. In pediculis autem duos aut tres digitos longis, & ſuperiùs in quatuor aut quinq; diviſis naſcuntur totidem *flores*, Smilacis florum æmuli, albi, & ad medietatem extremam dilutâ purpurâ mixti; in medio floris extat ſtamen album purpuraſcens: in ambitu verò interiori *flos* egregiam ſtellam quinquangularem repræſentat, quaſi in illum impreſſa eſſet, albi coloris uti flos. Poſt flores enaſcitur *triquetrum corpus*, fuſcum, ſubrotundum, in tres capſulas diviſum, in quorum qualibet granum ſeminis eſt fuſcum magnitudine & figurâ medii Piſi inæqualiter diſſecti. Flos inodorus ut & planta, ſine ſapore manifeſto.

CAP. VII.

Trifolio affinis Indiæ Orientalis Xanthii facie Breyn.

Breyn.

FRuticis cujuſdam (ut credit) ex India miſſi, qui Indis *Daon Lacat Lacat* appellari perhibetur, ramum deſcribit Autor. Is pedalis ferè erat longitudinis, lignoſus, ſed valdè tenuis; cortice incano, ſubviridi, & quibuſdam in locis obſoletè purpurei coloris, tectus. Huic alterna ſerie dnata ſunt *folia* novem, pediculis longis appenſa, tenera, lata, anguloſa, leniter crenata & prærtim ſubtus incana, Xanthii quodammodo æmula, vel mediam quandam figuram inter pampineam Roſæ Sinenſis *Ferr.* folia obtinentia; in quorum ſingulis ab ipſo ſtatim pediculo coſtæ ſubvirides allidæque ſeptem expanduntur, & ex illis cunctis alii quidam nervi, venas plurimas cum tenerrinis fibris, in foliorum carne latentibus, fundentes. Cæterùm è ſingulis pænè foliorum alis *Fructus* micat, è petiolo parvo prodiens, qui baſin plurimorum foliorum ſtellatam habet, conſtátq; è quinq; onceptaculis lappaceis, *Trifolii floſculis longis albus* ſeminum involucris fermè æmulis, niſi quòd dulo majora eſſent, dura, ac pilis rigidis quaſi aculeata: Horum quodlibet perfectum à ſummo finditur, & *ſemen* unicum Anonis montanæ præcocis purp. fruteſcentis *Moriſoni* magnitudine, formâ, olore & brevi incanâque lanugine perſimile continet.

CAP. VIII.

Dentariæ affinis Echii flore, capſula Anagallidis Hort. Reg. Pariſ. *&* Hort. Lugd. Bat. *capſulâ rotundâ* Moriſ. præl.

Moriſ.

HÆc planta ineunte vere *folia* promit, ſub exortum Aſtrantiæ aut Diapenſiæ ſimilia, tandem Dentariæ folia referentia: inter quæ exit *caulis* palmaris [imò ſemipedalis] *flores* ſuſtinens quinos ſenóſve aut etiam plures, Echii floribus ſimiles [è quibus exeunt *ſtamina* longa, tenuia, apicibus donata, cum ſtylo tenui, bicorni, qui flore delapſo in longum excreſcit.] Floribus ſuccedunt *capſulæ* rotundæ, Anagallidis capſularum æmulæ, *ſemina* ſolida in ſe continentes, Aſperulæ odoratæ ſeminibus quaſi paria.

Locus. Plantam hanc vivam mihi nondum videre contigit; ſiccam curioſè aſſervatam, in horto Regio Pariſienſi collectam ad me miſit ſæpius in hac hiſtoriâ memoratus *D. Hanſ. Sloane.*

CAP. IX.

Caacica Braſilianis, Herba Colubrina Luſitanis Marggr.

EX *radice* parvula, filamentoſa multi proveniunt *caules* juxta ſe, ſemipedem aut etiam pedem longi, ex viridi rufeſcentes, paulum hirſuti, & unius digiti intervallo habentes nodos, & ad ſingulos bina *folia* appoſita, ſubtiliter ſerrata, magnitudine & figurâ Veronicæ foliis æmula, aliquantulum hirſuta, ſupernè viridia, infernè albicantia. Inter folia ad nodos multi prodeunt *floſculi,* viridis coloris cum aliquantillo rubore mixti, in umbellam compoſiti. Tota planta fundit lacteum ſuccum.

Vires. Præſentiſſimum eſt remedium contra ſerpentum morſus herba hæc contuſa & impoſita. Valet etiam ad alia vulnera.

CAP. X.

Embyayembo Braſilienſibus Marggr. *Lingua cervina caulifera Braſilienſis* Marggrav.

Marggr.

RAdicem habet digitum craſſam, interiùs medullam lentiſſimam continentem, variè contortam, exteriùs fuſcam, interiùs albicantem: E qua producit *caulem* lignoſum, teretem, viridem, ſeſqui aut etiam duos digitos longum, *foliis* hinc indè onuſtum, quæ inſident pediculis digitum longis, tenuia, tenera, duos aut tres dig. longa, læta viriditate ſplendentia, nervo & venis prædita, quibus inferiore latere adhæret pulvis fuſcus, quemadmodum in linguâ cervina. Sapor radicis eſt acris.

CAP. XI.

Nhambi Braſilienſibus Marggr. *Videtur eſſe Herba corymbifera acris flore nudo.*

Marggr.

CAule eſt ſatis craſſo, lignoſo, tereti, geniculato, qui Portulacæ more ſerpit, & hinc inde fibras in terram demittens radices agit, partim quoq; ſe erigit. Expanditur variè in multos *ramulos,* geniculatos, binos ſibi ubiq; oppoſitos, in iiſque habet ad ſingula genicula bina *folia* oppoſita, interdum etiam plura, inæqualis magnitudinis: in extremitate autem ramulorum quinq; ſex, ſeptem folia ſibi invicem appoſita, oblonga, figurâ cordis, in ambitu leviter ſerrata, interdum & laciniata, dilutè viridia. In extremitate quoq; ramulorum enaſcuntur *flores* ſolitarii, magnitudine Ceraſi majoris aut minoris, conſtantes ſolo umbilico rotundo & craſſo, flavo, ſine foliis. *Semen* in umbilico fuſco per maturitatem, ovalis figuræ, planè compreſſum, ex fuſco gryſei coloris ſplendentis. *Radix* deniq; filamentoſa, tenera, alba. Folia maſticata linguam pungunt inſtar Sinapi aut Naſturtii.

Vires. Folia vel ſemen affrictum Bubonis dorſo quantociùs illum enecat. Præſtantiſſimum eſt remedium contra quæcunq; animalia venenata ℥ſs. pondere è vino pota, vel ſi decoctum illius ſumatur cum media parte vini. Solet hæc herba cum piſcibus coqui & optimè convenit.

CAP. XII.

Herba lanuginoſa Dictamni æmula Piſon. *Nobis potiùs Gnaphalii æmula videtur.*

IN ſylveſtribus terris ſiccioribus luxuriat tenella herba ex *radice* exili, filamentoſa. Ad pedis circiter altitudinem aſſurgit caule uno aut altero, tereti, ex viridi albicante, adeò lanuginoſo, ut totus goſſipio aſperſus videatur. Pro vario naturæ luſu ramuli longi hinc indè à terra ſurgu & ſurſum expanduntur. *Folia* ſolitariè poſita, inæqualis magnitudinis, quædam tres, duos, etiam tantùm unum digitum longa, in ambitu criſpata, figurâ ferè folii Senecionis; quæ omnia cum ra

muſculi

muſculis more Dictamni Cretici, lanuginoſa inſtar mollis ſerici ad tactum apparent. In extremitatibus caulis & ramorum *flores* proveniunt, ſpicatim congeſti, parvuli, ſplendentes, ex argenteo ſubflavi, figurâ ferè florum Abſinthii; quibus decidentibus ſtellulæ ſplendentes argenteæ remanent. Folia odoris ſunt ſingularis proximè ad Dictamnum Creticum accedentis ſi vel leviſſimè confricentur.

Succus recenter expreſſus & leniter aſperſus culicum & muſcarum non ſolùm puncturis, ſed & aliorum inſectorum ictibus malignis medetur virus extrahendo. *Vires.*

Cùm nec flores nec ſemina hujus plantæ accuratè deſcribantur, ad quod genus propriè pertineat certò definire nequimus.

CAP. XIII.

Cururu Ape Braſilienſibus Marggrav. Piſo. *Leguminoſa Braſilienſis fructu ovato coſta folii appendicibus aucta.*

C*aule* eſt ſarmentoſo ac lento, qui ſe arboribus ac fruticibus implicat, habens multos ramulos, & in quolibet quinq; folia, bina & bina ſibi oppoſita, & quintum in extremitate: ſuperiùs viride ſplendentia, ſex inciſuras habentia ut Serræ majoris dentes, éſtque inter hæc folia ramulus utrinq; alatus, ſive ambitus cordiali folio ut in *Inga* arbore. In extremis ramulis proveniunt longæ ſpicæ, onuſtæ *floſculis* ex albo & viridi luteſcentibus; poſt quos ſequuntur *capſulæ*, triangulatæ in ſummitate, propè exortum cylindraceæ, & ubi maturiores ovalis figuræ, exteriùs rubicundæ, quæ ſponte in tres partes dehiſcunt: cortex autem exterior rubicundus, par craſſitie cortici Mali; interiùs eximiè eſt ruber, continétq; quilibet *fructus* duas fabas Hiſpanicis albis magnitudine pares, ſtque quælibet involuta materie molli, albâ, nuci conſiſtentiâ ſimili, ad tactum frigidâ: ex illo lbo involucro Faba ſecundùm longitudinem eminet, nigerrima macula ſplendens, ſeu potiùs ſemicirculo tali ſecundùm longitudinem notata, reliqua pars Fabæ fuſci coloris. Continet deniq; Faba nteriùs carnem Fabaceam flavam.

Aquis injecta necat piſces. Folia viridia, contuſa vulnera primâ, ut vocant, intentione ſanant. *Vires.*

CAP. XIV.

Utricaria Cap. bon. ſpei, Bod. à Stapel.

Huic *folia* quæ bina habet utribus inflatis ſimilia ſunt & nervoſa: *radix* bulboſa, ex duobus bulbulis compacta [icon Stapelii unum tantùm exhibet] ex ſingulis uno prodeunte folliculo. A Juſto Heurnio habuit.

CAP. XV.

Camara miri Piſonis.

Piſo.

Cubitum longa eſt, caule tenui & lignoſo, flore unico, exiguo, lutei coloris, qui (quod mirandum) quovis anni tempore ſe aperit, de die horâ undecimâ, manetq; expanſus ad ſecundam pomeridianam; atq; omnes ſimul tunc eadem horâ clauduntur uſq; in poſterum iem; quod ſicut veriſſimum, ità & raro oblectamento exiſtit; mihique per deſerta peregrinanti orologii defectum ex parte ſupplebat.

CAP. XVI.

De Coſto.

Coſtus, Κόστος Græcis, nomine, ut volunt, ab Arabibus mutuato, quibus *Coſt* aut *Caſt* dicitur. Veteribus, ut Dioſcoridi triplex erat, 1. *Arabicus*, candidus & lævis, eximio ſuavíque odore præditus. 2. *Indus*, craſſus, levis ac niger ceu Ferula. 3. *Syriacus*, gravis, colore buxeus, dore feriens. Arabes etiam plures ſpecies faciunt. Hinc magna diſputatio orta eſt, an Coſtus letimus habeatur.

Seplaſiæ, Arabes ſecutæ, Coſtum in dulcem & amarum diviſere, quæ tamen hactenus nihil fere abuere, quod veri legitimíque Coſti faciem ſine controverſia referat. Nec mirum, cùm nullæ obis ferè ſint plantæ peregrinæ delineationes: imò tanta rerum eſt confuſio, ut is quem dulcem vocant amarus, & quem amarum nominant dulcior guſtui ſentiatur. His rationibus plerique moti Coſtum legitimum nobis eſſe negârunt, & ſolùm radices vel in Hiſpania, vel in Italia ortas pro Coſto legitimo in Officinis oſtendi. Deniq; Garcias & Acoſta unum duntaxat Coſti genus eſſe creunt, & recentem incorruptúmque dulce eſſe & candidius; ubi autem corrumpi incipiat vetuſtate maritudinem contrahere fieríque nigricans. Hæc omnia C. Bauhinus.

Coſtus Arabicus C. B. *Zingiberis effigie, Coſtus Syriacus & Arabicus* Ad.

C. B. hiſt.

Radice eſt Zingiberi cognata, ſubſtantia & figura candida, lævi, pollicem craſſa, unciam &

ſeſquiunciam longa, hinc indè tuberibus oblongis donata, intus fibroſa, ſed palleſcente, etiam ad luteum inclinante, odore intenſo ac jucundo, ad Cupreſſi aut Cedri Libani odorem accedente, guſtu acri, interdum & buxea viſitur, uti vulgata, odore & ſapore ſimilis, ſubamara (eximiæ amaritudinis utraq; Cluſio) cætera ſimiles. Teredines etiam ut Zingiber ſentit.

E Syria & Ægypto Venetias maximâ copia advehitur, quæ Zedoariæ aut Zingiberis eſt effigie.

Coſtus Iridem redolens C. B.

C. B.

Hujus radix facie & concretione Centaureæ majoris vel Gentianæ radici ſimilis eſt, gravis, ſolida, cortice pullo ſeu cinereo tecta, ſubſtantiæ candicantis, interdum ex cinereo flaveſcentis coloris, quæ violæ ſeu radicis Iridis odorem, præſertim dum manditur, ſpirat, tantilla hirci graveolentia mixta, guſtu peramara (ſcilicet ſeneſcens) parte qua extra terram eminet caulis fragmentum inhæret, quod Ferulaceum quiddam refert, & medullam fungoſam continet.

Convenire videtur cum Coſto à Garcia propoſito, Sambuci effigie, & Arbuti aut Azimbri magnitudine, flore odorato. Præcellit, inquit, is qui intus candidus eſt, cortice cinereo, invenitur etiam odore buxi, cortice palleſcente, tantâ odoris fragrantiâ præditus, ut pleriſque nares feriat, & capitis dolorem excitet; guſtu minimè amaro, nec etiam dulci, tametſi jam ſeneſcens interdum amareſcat, nam recens acri guſtu eſt, ut reliqua Aromata, (& ut Camerarius, ſubſtantiâ intus albâ, laxâ, rarâ & friabili: facilè in pulverem abeunte Acoſtæ) caule foris ſtriato, intus multâ medullâ alba infarcto.

Locus. Naſcitur in Guzarate aliiſq; Indiæ Orientalis provinciis. Indiæ medici eo in multis medicamentis utuntur. Indè in Perſiam, Arabiam & Turciam quin & Chinarum regionem tranſfertur quibus in locis ejus uſus permagnus eſt. Exigua admodum ejus quantitas in Luſitaniam defertur.

Nobis cum Cluſio videtur Coſtum hunc non eſſe Veterum Coſtum, cum ille, ut ex Dioſcoridis deſcriptione facilè colligitur radix fuerit, quod Plinius confirmat eam radicem diſerte appellans: at hic [Garciæ Coſtus] radicis minimum habet, & ferè nihil eſt niſi lignum ſuo cortice contectum.

Coſtus Moluccenſis corticoſus C. B. Ad.

Hic major eſt, & arboris majuſculæ cortex videtur: figurâ Sambuci adultioris & ciner acei, rugis & plicis frequens, ſapore & odore vehementi.

Coſtus Moluccenſis lignoſus C. B. Ad.

Præcedente minor eſt, radici Solani ſylveſtris valdè ſimilis, colore diluto pullo, guſtu urente ut vix ardorem lingua ferre queat.

Locus. A Lunaio Medico Rupellenſi utrumque accepere Adverſariorum Auctores, qui à naucleris è Moluccis reducibus habuit.

Coſtus amarus Officinarum C. B. *Helenii facie Officinarum* J. B.

C. B.

Radix eſt noſtro Helenio per omnia ſimilis, denſior tamen & ſolidior, & ob cœli calorem magis percocta, quapropter diſſecta minùs in exſiccando flaveſcit, minúſq; in rugas noſtrâ contrahitur, quæ in concocta humoris plus habet, quo inter exſiccandum exhalante flaveſcit, & in rugas contrahitur. Colore candicat recens; antiqua, vel intempeſtivè effoſſa, aut negligenter ſiccata livet au fuſca eſt: lineis in cortice tranſverſis, medullâ albâ & magna, ſapore amariuſculo, ut & noſtra, non tamen adeo acri: inveterata ingrato admodum & viroſo eſt ſapore, medicato tamen.

Locus. E Comagena Orientis regione advehitur, & pro candido, i.e. Arabico Coſto uſurpatur.

Coſtus dulcis Officinarum C. B. *dulcis Officinarum Centaurio magno cognatus* J. B.

C. B.

Hic *radice* eſt craſſa, ſolida, ponderoſa, lineis multis à centro radicis ad ſuperficiem ductis, qui Centaurii majoris ſpecies videtur, etſi ejus odorem non habeat, & ſapore ſit ſubdulci.

Coſtus adulterinus inſipidus C. B.

Hujus deſcriptionem videat qui volet apud Camerarium, aut C. Bauhinum in *Theat.*

Coſtus Officinarum ingratus ſive Thapſiæ ſpecies C. B. J. B.

Radix per tranſverſum in taleolas ſecta craſſitudine plerunque manum complet, foris fuſco, intus candicante colore: cortice craſſo, ſubſtantiâ rara & levi, quæ cùm teritur rancidam aliquam pinguedinem olet, guſtu ſupra modum acri, nauſeoſa, rancida, ſalivam ciens, & ſtrangulationem comminans. Eſt autem Thapſiæ majoris ſpecies, in monte Gargano effoſſa, quam Agyrtæ communi nomine cum Italis *Coſtones*, quaſi Coſtum amarum vocant. *Cord. in Dioſc.*

Vires. Coſtus Dioſcoridi vim habet excalfaciendi, [adeò ut etiam exulceret *Galen.*] urinam ciendi, menſes ducendi, & ad uteri affectiones auxiliarem, & in peſſis & in perfuſionibus ac fomentis. A vipera morſis ſuccurrit ſemunciæ pondere potus, convulſis inflammationibúſq; cum vino & Abſinthio. Sed & Venerem ſtimulat ex vino mulſo. Pellit etiam lumbricum latum cum aqua, ob amaritudinem quæ illi ineſt. Illinitur quoque cum oleo in rigoribus ante febrium acceſſiones itémq; reſolutis. Vitia cutis (ut contractas ex Sole maculas) aquâ vel melle illitus emendat. Additur etiam in malagmata & Antidotos.

DENDROLOGIA, SIVE HISTORIA Arborum & Fruticum.

PRÆFATIO.

CUM Arbores ob inſignem magnitudinem & ſtaturam conſpicuæ, cujuſvis etiam ex itinerantium vulgo oculis occurrerent: nonnullarum etiam flores inimitabili colorum varietate & nitore artifici naturæ penicillo depicti, aliarum fructus in elegantiſſimos ſchematiſmos ejuſdem digito γεωμετρικωτάτῳ efformati, intuentium viſibus adblandientes, manus etiam ad ſe decerpendos invitarent: hinc factum eſt, ut quamvis herbarum ad arbores, non in Europa tantùm ſed (ut veriſimile eſt) per totum terrarum orbem decupla fere proportio ſit, Indicarum tamen & exoticarum arborum plures etiam quàm Herbarum ſpecies Cluſii & Bauhinorum temporibus obſervatæ nobiſque traditæ fuerint.

Verùm cùm earundem obſervatores & deſcriptores pleriq; Botanices minùs gnari, nec in plantis deſcribendis ſatis verſati eſſent, breves, obſcuras & ambiguas ſpecierum hiſtorias reliquerunt; unde maximam in iis diſtinguendis, reducendis & ritè ordinandis perſæpe difficultatem experimur. In tanta enim rerum & nominum varietate, brevitatéq; & ambiguitate deſcriptionum exercitatiſſimus quiſque non raró hæreat, ſuſpenſúſque & incertus fluctuet neceſſe eſt, & vel nihil omittendi ſtudio ſpecierum numerum ſupra modum augeat, vel entia multiplicandi metu eundem nimis contrahat & decurtet.

Hiſce difficultatibus ſuperandis, rectúmque inter extrema curſum tenendo me omnino imparem fateor: ideoque ſicubi in Arboribus exoticis Indicis & Americanis diſponendis erravero, ſæpius autem erraturum vereor, Lectoris veniam imploro, quam me facilè impetraturum confido apud æquos rerum judices, qui rei difficultatem perpendant.

De ARBORE.

ARbor prout eam Lib. 1. cap. 28. Jo. Bodæi à Stapel verbis deſcripſimus, eſt *Planta lignoſa, altitudine & craſſitudine inter omnes maxima, cui caudex pro ſuperficie eſt perennis & naturâ ſimplex, qui in multos ramos majores, & deinde ramuſculos multiplices finditur.*

Hæc definitio nimis ſtricta eſt nec omnibus Arboribus convenit. Datur enim genus Arborum & ramis & ſurculis carens, nimirum Palmæ iiſq; affines.

Frutex eſt *ſtirps inter lignoſas altitudine & craſſitudine mediocris, cui pro ſuperficie ſtipes perennis, naturâ multiplex, quiq; facilè in naturam arborum ſtolonum abſciſſione tranſcendit.*

Verùm quoniam difficile eſt certum aliquem magnitudinis limitem inter Arborem & Fruticem conſtituere, qui hunc ab illa diſterminet; cùm ejuſmodi limes non naturâ, ſed arbitrio humano conſtet: cúmq; Arbores & Frutices præcipuis notis conveniant, quòd utræque ſcilicet gemmiparæ ſunt & ſubſtantiâ ligneâ conſtant. At neq; ſimplici caudice aſſurgere omnibus Arboribus, neque multiplici omnibus Fruticibus conveniat, ut alias rationes, Lib. 1. cap. 28. adductas omittam, hos ab illis minimè ſeparandos duxi, ſed omnes unà tradendas.

Methodum autem illam quâ in Arboribus & Fruticibus diſponendis alibi uſus ſum, cùm minùs proba & naturæ conſentanea, in nonnullis etiam vitioſa & erronea videretur, rejeci, aliámque ejus loco, & meliorem, ni fallor, ſubſtitui.

um, ſub quo nomine impræſentiarum & Frutices complectimur, bula Generalis.

Arbores ſunt vel Caudice

i, non ramoſo, μονοστελεχεῖς & μονοφυεῖς Theophraſto, quæ etiam μονόκλωνοι dici poſſunt, ea- pleræque & μονόβλαστοι hoc eſt, unicam tantùm una vice in ſummo faſtigio gemmam imam producentes, ſúntque vel folio

rundinaceo ſeu *irino,* hoc eſt, ſtriato & nervoſo, nervis ſecundùm longitudinem productis, flore tripetalo, & pleræque etiam Spathiferæ; PALMA. Lib. XXIV.

to, nervis à media coſta vel à pediculo ad latera excurrentibus, ſeu

Circumſcriptione ſubrotundo & in lacinias ſecto; PEPO ARBORESCENS, *Papaya* & *Mammoera.* Ibidem.

Longiſſimo & *maximo,* caudice annuo; MUSA. Ibidem.

; Hæ autem ſunt vel fructu

flore ſejuncto ſeu *remoto*; quæ vel

Nuciferæ; Nuces autem voco fructus majores putamine duriore nucleum claudentes, eóque vel

Oſſeo & *fragili*; JUGLANS & AVELLANA. Lib. XXV. Sect. 1.

Coriaceo & *molliore,* exteriùs vel

Tegumento echinato undique incluſo; CASTANEA & FAGUS. Lib. XXV. Sect. 1.

Calyce ſeu *cupulâ* excepto, ſuperiore parte nuda; QUERCUS & ILEX. Hæ Glandiferæ dicuntur. Lib. XXV. Sect. 1.

Coniferæ, Conos voco fructus ſquammoſos duros & ſiccos, polyſpermos, in coni ſeu metæ formam plerumque turbinatos: Hoc etiam nomine comprehendo fructus pluribus partibus cruſtaceis aut lignoſis per harmoniam coaptatis & maturitate dehiſcentibus conſtantes, quamvis Conoides non ſint: vide Tabulam ſequentem. Lib. XXV. Sect. 2.

Lanigeræ, quarum Semina lanugine involvuntur eíſve lanugo adhæret; ut SALIX & POPULUS. Lib. XXV. Sect. 4.

Vaſculis membranaceis aut membranis auctis ſemina claudentes; BETULUS, *Carpinus.* Lib. XXV. Sect. 5.

ri contiguo, quæ vel

Flore fructúve aggregato, ſeu ex pluribus in unum coeuntibus compoſito, ut FICUS, &c. Lib. XXVI. Part. 1.

Flore ſimplici, nec è pluribus floſculis confecto: in quibus Flos vel

Summo fructui inſidet, unde fructus à calyce floris plerunque reſiduo velut umbilicatus eſt, qui vel

Humidus; pericarpio ſeu pulpâ humidâ Semina vel univerſa ſimul, vel ſingula ſeorſim ambiente, éſtque vel

Major,

Polypyrenus ſeu plures nucleos continens. Arbores autem ejuſmodi fructu donatæ POMIFERÆ *umbilicatæ* nobis dicuntur, v.g. PYRUS, MALUS, &c. Lib. XXVI. Part. 2. Sect. 2.

Monopyrenus, ſeu unicum nucleum claudens; cujuſmodi fructum producunt Indicæ nonnullæ arbores, quæ exinde *Pruniferæ umbilicatæ* dici poſſunt. Lib. XXVI. Part. 2. Sect. 2.

Minor, qui itidem vel *Polypyrenus,* vel *Monopyrenus*; Horum omnium matres productrices arbores *Bacciferarum umbilicatarum* nomine comprehendimus, Lib. XXVI. Part. 2. Sect. 3.

Siccus, ut in *Pipere Tavaſci* & *Caryophyllo aromatico* Lib. XXVI. Sect. 4.

Imo medibve fructui adhæret; Hæ vel ſunt fructu

- *Subrotundo breviore*, eóque vel per maturitatem
  - *Humido*,
    - *Majore*,
      - *Monopyreno*, ſeu unicum intus nucleum aut oſſiculum includ
        PRUNIFERÆ dictæ. Lib. XXVII.
      - *Polypyreno*, ſeu plures nucleos continente,
        - *Cute membranacea ſeu tenuiore tecto.* Lib. XXIX. Sect. 1
          fructu conoide ſquamoſo. Lib. XXIX. Sect. 2.
        - *Corticoſo* ſeu cortice craſſiore non tamen duro obducto,
          juſmodi ſunt *Malus Citria, Arantia, Limonia*, &c. Po
          FERÆ dici ſolitæ. Lib. XXIX. Sect. 3.
        - *Cortice per maturitatem duro & cruſtaceo* munito, cucurbit
          melonis formâ, unde hujuſmodi arbores CUCURBITIF
          appello.
    - *Minore*, vel nudo, vel calyce excepto, vel monopyreno vel poly
      no; BACCIFERÆ. Lib. XXVIII.
  - *Sicco*, quæ vel *nuciferæ*, vel *bacciferæ*, vel *lanigeræ*, vel fructu ala
    membranulis aucto, vel *multiſiliquæ*. Lib. XXX.
- *In longitudinem producto*, vaſculo plerunque bivalvi & ſeminibus rachi ſeu
  adnaſcentibus; quæ SILIQUOSÆ appellantur. Lib. XXXI.

His addimus Arbores & Frutices vel anomalas, vel minùs cognitas & imperfectè desc
Lib. XXXII.

Item Partes Stirpium minùs cognitarum, *Cortices, Ligna, Folia, Flores, Fructus*, Succos &
chrymas. Ibidem.

Arborum Coniferarum Tabula.

Arbores Coniferæ ſunt vel

- *Reſiniferæ*, fructu
  - *Squamoſo*, binis ſub ſingulis ſquamis ſeminibus, foliis
    - Perpetuis,
      - Anguſtis,
        - *Sparſim undique è ſurculis exeuntibus*, iíſque vel
          - *Longioribus* & binis ex eadem theca ſeu tubulo exeuntibus; PINU
          - *Brevioribus* & ſingulatim enaſcentibus; ABIES, quæ duplex, *mas* &
          - *Breviſſimis*, & Tamariſci vel Cupreſſi ſimilibus
            - *Duris & pungentibus*, conis minimis; SABINA *vulgaris*.
            - *Mollioribus*, ramulis compreſſis, conis paulò majoribus è pau
              mis compactis; ARBOR VITÆ, Thyia.
        - *Agminatim* in tuberculis, in penicillos velut coaggeſtis, conis magnis
          ſpectantibus; CEDRUS *Libani*.
      - *Latioribus*, ſalignis ſimilibus; *Arbor Conifera è Carolina.*
    - *Deciduis*, Cedrinorum in modum naſcentibus, conis parvis, LARIX.
  - E clavatis tuberibus per harmoniam coaptatis compoſito, foliis brevibus in ſquamas
    rantibus; CUPRESSUS.
- *Succo aqueo præditæ*,
  - *Foliis minoribus Populi*, virgis tenuibus lentis rubentibus, ramis adultioribus & candice
    tibus, cuticulas annuatim exuentibus, conis minimis; BETULA.
  - *Foliis majoribus Coryli*, in aquoſis naſcens, conis aliquanto majoribus; ALNUS.

Myrtum Brabanticam dictam ad hunc etiam locum pertinere ſuſpicor. Examinent cu
bus plantam florentem & fructu onuſtam videre contigerit.

Inter pag. 1350. & 1351.

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER VIGESIMUS QUARTUS,

QUI EST

De Arboribus caudice ſimplici non ramoſo.

HOC genus Arbores à Theophraſto μονοστελεχεῖς & μονοφυεῖς appellantur. Poſſent etiam pleræq;, ſi non omnes, μονόβλαστοι dici, quia unicam tantùm unâ vice in ſummo faſtigio gemmam, eam tamen maximam producunt; quæ in Palmis ἐγκέφαλος ſeu Cerebrum dicitur, quâque decisâ arbor interit.

Hujus autem generis præter Palmas pauciſſimæ arbores ſunt, nimirum Peponiferæ quædam, Mamoeiræ dictæ.

Muſam arborem dictam, quamvis revera & propriè loquendo nec Arbor ſit neq; Frutex, Botanicos ſecuti, & quòd caulem habet pariter ſimplicem non ramoſum, his ſubjunximus.

CAP. I.

De Palmis in genere.

CUm in Methodo Plantarum à me non ità pridem editâ Palmas arbores congeneres à ſe invicem diſtrahi, & ad diverſa genera, Pruniferarum ſcilicet & Nuciferarum, relegari animadverterem; abſurdum illud & à ratione alienum ratus, methodum illam ad examen denuo vocandam, & certiores Generum notas inveſtigandas ſtatui. Et imprimis Palmas dictas inter ſe nferenti, quibúſque in rebus & inter ſe convenirent & ab aliis arboribus differrent conſideranti currit illico, id genus omnibus commune, & ſolis ferè proprium eſſe, caudice ſimplici & indivio ſeu non ramoſo aſſurgere, & gemmam una vice unicam, eam tamen ingentem, concipere. Quorca proprietatem hanc pro Palmæ characteriſtica, natura ipſa dictante, adhibendam cenſui.

At inquies, Botanici uno ore Palmas ramoſas eſſe pronunciant. Agnoſco: verùm eorum Auritas me non multum movet, cùm re non ſatis perpenſa, vera & genuina folia pro ramis ab iis bita fuiſſe noverim. Ramos autem illos quos vocant revera folia compoſita eſſe, non difficile eſt monſtrare.

1. Nam primò, Deciduum eſſe folio non ramo convenit. Ramus enim utpote ipſius trunci di quædam productio, pars eſt ſtabilis & perpetua; Rami autem illi dicti, ſeu ramaſtri in pleq; ſaltem ſi non omnibus Palmis ſtatis temporibus decidunt: proinde rami genuini eſſe non poſſunt; mera folia ſunt.

2. Secundò, Partem pronam à ſupina diverſam obtinere folii nota eſt, non trunci. Ramus enim es & undiq; uniformis eſt. At in Palmarum frondibus coſtæ mediæ ſupinæ canaliculatæ ſunt aut næ, pronæ convexæ.

3. Tertiò, Nunquam germinare ſeu gemmas protrudere folium arguit, non ramum. Ramus enim otannis ſemel aut ſæpiùs germinat, & ſurculos producit. At ramaſtri illi Palmarum cùm ſemel pliciti ſunt nunquam gemmas edunt, aut partes aliquas aggenerant.

4. Quartò, In folium deſinere ſeu terminari folii compoſiti proprium eſt, à rami natura alienum. ramaſtros palmarum in folia terminari notum eſt.

5. Quinto, Accedit levitas inſignis, quæ ramaſtros hoſce ligneæ naturæ, (quæ plerunque ſolidior & ponderoſior) minimè participes eſſe arguit.

Nec quem ab hac ſententia deterreat ingens illa & ramorum æmula magnitudo: Nam in lma folio flabelliformi, quæ folia & ſunt & ab omnibus vulgo habentur, nihilo minora repentur.

Objicies, Palmas nonnullas (id tradente Theophraſto) bifidas exire, ut in Ægypto, ſtaréq; ità urcatas. Tradunt & Cretenſium plures bifidas eſſe, quaſdam & trifidas: in Lapæa verò genus oddam quinqueceps naſci. Obſervatum etiam eſt ab Horti Malabarici Auctoribus in Palma Janenſi *Todda Panna* dicta, ex uno trunco quatuor aut quinq; vertices interdum enaſci.

Reſpondeo, Rarum illud & inſolitum eſſe, & ſingulis arboribus ſimplicem plerunque eſſe vertim: unde non datur genus hujuſmodi Palmæ bifidæ aut trifidæ, quæ ſemine ſata ſpeciem ſuam connti naturæ lege propagat. Sed ut Palma multiceps ſit, præter ordinem & inſtitutum naturæ acit, & quodammodo monſtroſum eſt.

Notandum tamen folia decidua obtinere Palmis omnibus commune non eſſe, Si Theophraſto & J. Bauhino fides. Nam Dactylifera vulgaris inter ἀείφυλλα à Theophraſto recenſetur, & Jo. Bauhino obſervante, in nonnullis arboribus in Gallia Narbonenſi à ſe conſpectis, folia ſponte non decidunt, ſed præcidenda ea ſunt à cultoribus ut arbor ad ſcandendum opportuna ſit; alioqui ſi derelinquantur impenetrabili vallo ſcandentibus aditum intercludunt.

Palmam dictam eſſe quòd ramis ſit expanſis in modum palmæ hominis tradit Iſidorus, l. 17. c. 7. Palmæ humili id nominis initio impoſitum videtur, cujus folia palmam humanam cum digitis extenſis referunt. Φοίνικα Græci & arborem & fructum ſimul dixerunt, à colore pomi facto utroque nomine; φοινικοῦν enim & φοινίσσεσθαι puniceo colore rubere eſt, quo maturi in hac arbore fructus videntur. Phœniciæ autem regioni à Palmarum multitudine & præſtantia nomen inditum volunt. Palma apud Latinos ſæpe etiam victoriam ſignificat. Cicero Orat. pro Roſcio Amerino *Alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur.* Cauſſa locutionis eſt, quòd victori certaminis daretur corona ex Palma. Rationem ejus moris aperit ex Plutarcho Gellius, *lib.* 3. *cap.* 6. *Propterea in certaminibus Palmam ſignum eſſe placuit victoriæ, quoniam ingenium ejuſmodi ligni eſt, ut urgentibus opprimentibúſq; non cedat.*

Palmæ fructus Antiquis Latinis Palmulæ dicti ſunt: poſterior ætas Dactylos appellavit, quoniam eorum nonnulli oblongâ gracilitate curvati humanis digitis ſimiles eſſent.

Vagina flores & fructus obvolvens & protegens adverſus cœli injurias Ἐλάτη & Σπάθη dicitur.

Dioſcoridi Palmula ſeu Dactylus immaturus πόμα ſeu πῶμα dicitur, maturus recens φοινικοβάλανος, ſiccatus τράγημα.

Palmæ fructûs reſpectu dividi poſſent in eas quarum fructus pericarpio ſeu pulpa molli oſſiculum ambiente conſtat, & eas quarum fructus materia ſicciore nucem includente componitur. Nos potiùs foliorum reſpectu dividemus in eas quæ folio ſunt compoſito, eóq; vel pinnato, vel ramoſo; & eas quæ folio ſunt ſimplici plicatili & flabelliformi.

Palmarum autem notæ præter caudicem ſimplicem non ramoſum reliquis hujus generis communem, ſunt Folia habere ſtriata & velut Arundinacea, flores tripetalos. Spathiferas etiam eſſe omnibus convenit, ni forte Codda panna excipias.

CAP. II.

De Palmis folio compoſito.

1. *Palma* Ger. C. B. *vulgaris* Park. *major* C. B. *dactylifera major vulgaris* Johnſt. **The common Palm-Tree, or Date-Tree.**

ARbor eſt ſimplici *caudice* in rectum ſe attollens, viginti paſſuum & amplius altitudine, ima & humo proxima parte gracilior debiliórque quam ſuperiore: *cortice* denſis gradatiſque pollicibus, quæ nihil aliud ſunt quàm foliorum abſcedentium veſtigia extantia, ſcabro & inæquali, unde arbor ad ſcandendam facilis: ſola inter arbores nullis ramis conſtans, autore Theophraſto, at poſterior ætas alias præter Palmam non ramoſas quamvis pauciſſimas obſervavit. Rami autem Botanicis dicti ſunt reverà folia maxima compoſita. Ramus (ſeu potiùs folium) J. Bauhino deſcriptus tricubitali erat longitudine, minimi digiti craſſitudine & ampliore, præſertim circa infimum, ſenſim ad ſumma uſq; tenuatur, ut multum de craſſitudine decedat, ſoláq; fere latitudo priſtina ſit notabilis, tandem in folia aliquot arcto ortu cohærentia degenerat, triangularis, ſtriatus, intus nonnihil fungoſus, & quaſi ex longis filamentis, quorum ſpatia farcit medulla quædam, compactus. Huic *folia* complura utrinq; adnaſcuntur, arundinacea, rigida, ſemunciam lata, (imprimis ſuperiora, infima enim dimidio ſunt anguſtiora) in acutiſſimum mucronem deſinentia. Adhæſus ad ramum [rectiùs folii coſtam] eſt obliquus, ita quidem ut bina propinquo exortu, circa ramum infimum ſint conjuncta, relicto inter conjugationes duorum triúmve digitorum intervallo, at ſuperiora agminatim pari ferè paſſu pinnatímq; exſurgunt. Id autem quod ſpathâ involutum fructus ſuſtinet, non malè ſcopis comparaveris, à manubrio ſiquidem compreſſo, ſeſquiunciam lato, ſenſim gracileſcente, materie cum ramis perſimili, in fila ſolubili, bacilli ſcoparum formâ cubitales & ampliores exeunt quamplurimi, gradatim ex intervallis modicis, ut totidem è vimine naſſarum rudimenta mentiantur: ſinguli autem bacilli parte inferiore, quæ nuda eſt, quadrati, tanquam cultro præciſi apparent: ſuperiùs paulo inæqualiter torqueri, & crebris tuberculis, quibus fructus adhæret, aſperari occipiunt.

Dactyli figurâ oblongâ mediante calyculo ſeſſili bacillis adhærent, cortice externo per maturitatem fulvo, cui ſubeſt pulpa pinguis & dulcis, huic verò ſubtenditur membrana alba, in tenuia filamenta dividua, proximè oſſiculum contegit ejuſdem ut videtur portio, colore cinereo albido aut fulvo. Ipſum oſſiculum oblongum, modò tenue bruchi inſtar, modò craſſum benéque habitum, rugoſum, altera parte ſecundum longitudinem ſulco profundo exaratum, adverſa parte ſuſpenſâ lineolâ notatum, in cujus medio impreſſus umbilicus, cui intrinſecùs reſpondet antrum exiguum, conceptaculum germinis albicantis & mollis. Detractâ ultimâ membranâ ſubſtantia apparet rubra, uvarum acinis concolor, ſuperficialis, niſi quòd ex ſulco penitus ſe inſinuat in intimam oſſiculi ſeu nuclei ſubſtantiam, albam, duram ut cornu, adeóque verè oſſeam, ut marmoris fragmenta fractu imitetur; ejuſdem duritiam & colorem cum duritia & colore cornuum miſtam gerens, ſapore ſubdulci, & haud inſtrenuè adſtringente, in cujus viſceribus medulla latet, quæ pænè cartilaginis refert naturam. Mirum quòd ſatum in terra ità emolliatur, ut decorticari queat pars exterior oſſea & lapidea & auferri ab interiore medulla.

Plinius ſuccinctè & eleganter more ſuo oſſiculum, quod lignum vocat, ita deſcribit, *Eſt illud oblongum, non ut olivis orbiculatum: præterea cæſum à dorſo pulvinatâ fiſſurâ, & in alvo media pleriſq; umbilicatum, unde primum ſpargitur radix. Multis candidiſq; lignum hoc à carnibus diſcernitur tunicis, aliis corpori adhærentibus, laxéq; diſtans tantùm cacumini filo adhæret. Flores* numeroſi, tenuibus quibuſdam villis appenſi hærent, in magni racemi modum, facie Crocinis ſimiles, ſed multis numeris minores, colore albi.

Ipſa verò vagina, Elate & Spatha priſcis ſcriptoribus dicta, flores & fructuum rudimenta primò claudens, mox hians, divitias reconditas oſtendens, qualem J. Bauhinus habuit pedale quiddam erat, tres uncias latum, modicè compreſſum, ſed in medio nihilominus protuberans, utroq; extremo anguſtius, intus cavum, ſubſtantiâ corticoſâ, Arundinaceam diceres. Hæc novo accedente vere, cùm novi in hac arbore fructus appetunt, tumet velut in frugibus ſpicarum vagina, aut in Aro ſeminis corticoſum involucrum, tenerâ primùm, mox lignoſâ materiâ, quæ uſq; dum flores prodeunt cum latitudine aliqua in longum procedit, prolatis deinde floribus, & poſt flores racemoſo Palmularum fructu, areſcit.

Inſervit hæc vagina ad flores & fructus dum adhuc tenelli ſunt fovendos & ab aeris externi injuriis defendendos.

Palmæ quandam imaginem refert Braſſica capitata, tum caule, ima parte propè terram graciliore multò quam ſuperiore quæ ſenſim craſſeſcit, necnon veſtigia foliorum delapſorum exſtantia oſtendente, tum capite, complicatis foliis fructus germen foventibus, Palmæ ἐγκέφαλον dictum, imitante. Hinc Palmæ quædam ſpecies noſtratibus **The Cabbage-tree**, id eſt, Braſſica capitata arbor, dicitur. Quò altiùs aſſurgit Palma eò minùs ramulorum abſcedentium nodis horret, annoſior eos penitus obliterat.

Radicibus brevibus Palmæ omnes donatæ ſunt, iis tamen denſis & valde implexis intricatíſq; inter ſe, ut mirum ſit Palmarum altiſſimos vaſtiſſimóſq; caudices poſſe ſic brevibus, tenuibus, paucíſq; radicibus in aere ſubſiſtere, neq; ſua multa gravitate, ventíſq; etiam vehementibus ſæpe ipſas quatientibus humi concidere. *Alpin.*

Pars illa in vertice Palmæ tenera & medulloſa, ἐγκέφαλος, i. e. Cerebrum Theophraſto dicta, Dioſcoridi impropriè ἐγκάρδιον πρέμνου, id eſt, medulla trunci, nihil aliud eſt quàm gemma grandis, indè enim, Theophraſto ipſo docente, & folia & fructus exeunt, eámque ſiquis auferat ſterileſcit arbor & brevi penitus interit. * Galenus quoque ἐγκέφαλον tenerum germen appellat, quod è ſumma ipſa planta producitur. Hanc partem eſculentam eſſe multis Veterum teſtimoniis conſtat. Xenophon lib. 2. expedit. de Cyri, *Milites eo primum in loco Palmarum cerebrum eſitârunt, omnibus cui detractum id fuiſſet exareſcentibus.* * Galenus etiam eam citra famem à nonnullis eſitari commemorat: & Nicander in Georgic. νέοις ἄσπαστον ἔδεσμα ἐγκέφαλον illum vocat. Diphilus Siphnius apud Athenæum plenitudinem corporis efficere, largiùs nutrire, ventriculum gravare, vix diſtribui, ſitim inducere, alvum coercere narrat.

** Lib. de atten. vict. rat.*

** Lib. 2. de alim. fac.*

C. Bauhinus etiam in Alexandria eâ veſci Ægyptios ait, & quidem crudâ, Cinaræ etenim ſaporem referre: ſolere etiam Ægyptios ruſticos Palmas abortivas requirere, quarum cacuminibus exciſis medullam eximunt & venalem proponunt.

Veteres Palmas ſexu diſtinguunt. Theophraſtus mares flores tantùm ſine fructu proferre, fœminas fructus ſine flore ſcribit, inquit J. Bauhinus. Verùm Theophraſtus utramq; tam marem quàm fœminam fructiferam facere nobis videtur, cùm inquit, Τῶν καρπίμων οἱ μὲν ἄῤῥενες, αἱ δὲ θήλειαι, διαφέρουσι δὲ ἀλλήλων καθὸ μὲν ὁ ἄῤῥην ἄνθος πρῶτον φέρει ἐπὶ τῆς σπάθης, ἡ δὲ θήλεια καρπὸν εὐθὺς μικρόν. Quæ & Plinius ita accepit, cùm reddidit, *Mas in Palmite floret, fœmina citra florem germinat tantùm: Utriuſq; autem prima gignitur Pomi caro.* Nihilominus tamen nobis veriſimilius videtur Marem flores tantùm proferre, fœminam fructum.

Tradit præterea Theophraſtus pulverem florum maris fœminæ aſperſum eam fœcundiorem reddere, nec fructificare ipſas fœminas, niſi juxta ipſas mas conſitus ſit. Et Hiſt. lib. 2. cap. 9. Dum maſcula, inquit, floret, ſpathâ abſciſsâ quâ flores emergunt, protinus ut lanuginem, & pulverem & florem continet, ſuper fructum fœminæ decutiunt. Illa ſic ea aſperſione afficitur, ut ſuos fructus nullo modo amittat, ſed cunctos conſervet. Et in ſecundo de cauſis, ad hoc illuſtrandum & probandum appoſuit exemplum in natura piſcium, in quibus Ova edita à fœmella ſequutus mas aſpergit ſuo ſemine, atq; ità demum fœcunda fiunt ac vitalia.

Idem confirmant Plinius, S. Ambroſius, Caſſianus Baſſus, Ammianus Marcellinus, alíiq; è Veteribus: Quibus aſtipulantur è Recentioribus Guilandinus & Proſper Alpinus, quorum ille aſſerit Palmarios etiamnum in Ægypto, Syria, &c. ad cavendum nè fœminæ ſterileſcant aut fructus ante maturitatem amittant, ità ordinare utriuſque ſexûs Palmas, ut mares eo ſaltem intervallo à fœminis diſtent, quo pulvis ventorum flatibus à foliis [rectiùs floribus] maſcularum ſublatus, in fœminarum folia, ſeu potiùs fructus incidant: idque ſatis ad fœcunditatem & fructûs maturationem facere compertum eſſe: Hic [Alpinus] Ægyptias hodie ut fœminas fœcundent, pulverem intra maris involucrum inventum ſupra fœminarum ramos atque cor ſpargere tradit, & ni hoc fecerint ſine dubio fœminas vel nullos fructus laturas, vel quos ferent non retinebunt, neque hi matureſcent. Et ad objectionem, quòd in Arabiæ deſertis ſylveſtrium Palmarum ſylvæ reperiantur, quæ ſine hominum cultu aut ejuſmodi obſervatione optimos fructus ac copioſos producunt, retinent ac maturant, reſpondet, Palmarum fœcunditatem in Arabiæ deſertis, licet arte non fiat, adjuvare ventos, marium è floribus pulveres ad ramos fœminarum aſportantes.

Atque hæc ſanè nobis veriſimillima videntur, nec audemus tot graviſſimis autoribus fidem derogare. Nam ex ſententia noſtra, primo in libro propoſita, *Apices* in floribus ſtaminibus incumbentes ſpermatis maſculi in Plantis vicem præſtant, & ſeminibus fœcundandis inſerviunt. Unde quamvis Plinio illiſque quos diligentiſſimos naturæ vocat non conſentimus, Arboribus herbíſque etiam omnibus ſexum eſſe [individuis diſcretum] omnes tamen plantas in eadem ſpecie, vel ſexu differre, vel ſaltem androgynas eſſe ſeu utriuſque ſexûs participes ſuſpicamur. Nec tamen hinc ſequitur earum quæ ſexu differunt fœminas fructum omnino non proferre niſi mas adſit, ſed quem proferunt infœcundum eſſe. In avium enim genere fœminæ nonnullæ ova abſque maris interventu aut coitu aliquo non tantùm concipiunt ſed & pariunt, verùm ea ſubventanea, ut vocant, & irrita; in piſcibus autem pleriſque coitus nullus obſervatur, ſed fœminæ ova primùm edunt, deinde mas ſuperveniens lac vitale iis inſpergit.

Verùm quæ prædicti Autores habent de Veneris intellectu in palmis, quòd fœminæ in mares nutent blandioribus comis, quodque vehementi ſe mutuò proſequuntur amore, quem variis modis teſtantur, ut fabuloſa & falſa rejicimus, & Lectorem qui ejuſmodi ſcire deſiderat ad J. Bauhini hiſtoriam remittimus.

Locus. Quod ad locum attinet. Nulla eſt, autore Plinio, in Italia ſpontè genita Palma, nec in alia parte terrarum niſi in calida: frugifera verò nuſquam niſi in fervida. Et Theophraſto ipſâque experientia teſte, caloris eſt avida, & frigidum ferre nequit; unde nè in Græcia quidem fructum maturat.

In Ægypto naſcitur, ubi largè ſuavitérque fructum progenerat, atque etiam magis circa Babylonem ac Syriam fructu præcellit *Theoph.* Provenit etiam in Arabia ad oram maris rubri; in Æthiopia Ægypto contermina, in Judæa, ut circa Hiericho copiosè, quæ idcirco in ſacris literis *urbs palmarum* dicitur. Idumæa à Palmarum copia poetis celebratur: Syria quoq; & Perſia Palmis fructiferis abundant.

Vidimus & nos Monſpelii inſignem illam Palmam quam J. Bauhinus, & florere & dactylos ferre ſcribit; & ſe etiam ex arbore decerptos habuiſſe tam flores, quàm dactylos ſatis magnos refert; unde & reliquas Palmas quæ Nemauſi, Arelatæ, & alibi in Provincia & Gallia Narbonenſi viſuntur haud dubiè fructus laturas ubi ad ætatem pervenerint affirmat: Nam & Monſpelienſis illa centeſimum annum ſuperare creditur: Et vulgò ibi perſuaſum, ante grandem ætatem fructum non proferre, & vix ante quinquageſimum annum.

Amat loca ſalſa, argumento quod ubi Palmarum copia eſt ſolum tale ſpectatur, ut in Africa, Syria, &c. quo fit ut ubi ſalſugo non ſit ope proxima ſalis ſubveniant. *Theophr.* Idem & Plinius confirmat inquiens, *Gignuntur* levi ſabuloſâque terra, majore in parte & nitroſa. Ergo ubi ſolum non eſt tale, ſalem aſpergunt, non radicibus, ſed longiùs pauló.

Garcias memoriæ prodidit Palmas tota India nuſquam reperiri, & fructus earum deferri ex Arabia in Indiam, ubi magna quantitate ſiccas edi, ſimiliter & in maſſas compactas, abjectis nucleis.

Palmarum differentias non perſequar, cùm eas inter ſe non ſpecie, ſed accidentibus duntaxat, quemadmodum Pyros & Pomos, diſtare exiſtimem, proinde & infinitæ eſſe poſſunt. Conſule de his Theophraſtum & Plinium. Libet tamen de differentia colorum reſpectu adnotare, quod Proſper Alpinus cum Theophraſto conſentit dari palmites alios candidos, alios flavos, alios rubros, alios virides. At Veſlingius flavos tantùm & obſcuriùs purpuraſcentes meminit à ſe obſervatos in Ægypto.

Palmarum excelſam ſylvam in Arabiæ deſerto Rauwolfius tranſivit, referente C. Bauhino, & tres Dactylorum ſpecies obſervavit. 1. Quales ad nos adferuntur. 2. Penitus rubros. 3. Flavos, primis minores, ſed ſapidiores.

Palmam medullâ omnino carere autor eſt Theophraſtus: Arborem maximè longævam eſſe conſentiunt Botanici quotquot de eâ ſcripſerunt.

Palmam prævalidam eſſe ad ſuſtinenda pondera ſcribit Theophraſtus: non enim flectitur deorſum ut cætera ligna, ſed ponderi retinendo ſurſum incurvatur: At non tantùm Theophraſtus ſed & reliqui Veteres magno conſenſu id tradunt. Verùm Veterum auctoritati, in re quæ rationi & naturæ analogiæ repugnat, Amati Luſitani & Antonii Muſæ Braſſavolæ experientiam oppono, qui ſe falſum comperiſſe teſtantur Palmæ lignum contra pondera inniti aut recurvari, imo experientiam indicare lignum hoc debile eſſe. Nec me movet, quòd Hiſtoriæ Ebrodunenſis Auctores tot Claſſicorum Autorum conſenſum unius experimenti putati ſpecie rejicere, prudentis non eſſe dicant. Fortè enim Amatum rem non ritè expertum, vel in ligno non ſatis adulto, aut non ritè ſecto, vel non adhibita mora temporis competente. Hæc inquam me non movent, cùm ratio etiam experientiæ Amati ſuffragetur; & vis ſurſum tendendi, ſiqua ligno ei ineſſet, majori vi & pondere proculdubio poſſit ſuperari.

Hæc autem & alia multa à Veteribus tradita, incerto primùm autore prolata, & in vulgus paradoxorum credulum ſparſa, avida aure ab eo hauſta, & pro veris libenter admiſſa crediderim; quæ poſtea eruditi, partim experiundi tædio, partim quòd paſſim cognitis & confeſſis fidem derogare nefas ducerent ſine ulteriore examine ſcriptis ſuis inſeruerunt, aliíque alios ſecuti, non quà eundum eſſet, ſed quà iretur, magna ſententiarum phalange veritate oppreſſa errorem confirmarunt.

Palmæ ligna ad ædificia & architecturam nihil valere ſcribit Bellonius: verùm Alpinus Ægyptios ex truncis domorum trabes facere ait. Utri potiùs fidendum? Alpino favet Theophraſtus.

Uſus. Palmæ folia, Plinii ſeculo, cùm primùm novellas demonſtravere gemmas, ad funes vitiliúmque nexus, & capitum levia umbracula findebantur. Ad ſtorearum & ſportarum texturam ut alba & idonea fiant viridia adhuc à ramis avellenda ſunt, & ſub tecto deponenda ad quatriduum, & poſtea rurſus roribus expoſita, ad quatriduum complui ſinenda, & à Sole reſiccari donec alba evadant.

Fiunt & è Palmæ foliis ſcopæ; quæ verò ad nos ex Hiſpania adferuntur, & in præcipua æſtimatione ſunt, è Palmæ humilis non è Dactyliferæ foliis fiunt, quæ tamen fortè non minùs commoda ad hunc uſum forent, ſi haberi poſſunt. Flabella etiam & ſportæ ex iis texuntur; E caudicis autem cortice funes pro navibus.

Palmulæ bene maturæ non nimium pingues ventriculo gratæ ſunt, plurimùm nutriunt & corpus pinguefaciunt verum concoctu difficiles eſſe, & capitis dolorem inferre medici veteres pleriq; omnes conſentiunt. Unicus Aretæus omnia bellaria caput dolore infeſtare ſcribit præter Palmulas, ficus & uvas.

Veteres vinum è Palmulis aquæ infuſis faciebant; cujus præparandi modum vide apud Dioſcoridem.

Vires. Palmæ fructus, eodem tradente, acerbus eſt atque adſtringens & contra alvi profluvia fluxúmque muliebrem in vino auſtero bibitur: Hæmorrhoidas quoque ſiſtit, & vulnera illitu conglutinat, re-

centes autem plus ſiccis aſtringunt, ſed capitis dolorem afferunt, & copioſiores in cibo ſumptæ ine-
briant. Siccæ autem ſanguinem excreantes, ſtomachicos ac dyſentericos eſitatæ juvant; necnon &
ritæ cum Cydonio & cerato œnanthino veſicæ vitiis utiliter illinuntur. Maximè verò caryotæ ſi
omedantur faucium aſperitati medentur. Thebaicarum decoctum potum cauſonem ſedat, & cum
ydromelite vetuſto ſumptum vires recreat: Quin & ipſæ cibo idem præſtant. Fit etiam ex iis vi-
um ejuſdem cum fructu facultatis. Decoctum earum per ſe potum & gargariſatum vehementer ad-
tringit & cohibet.

Palmarum nuclei cæterorum omnium more in fictili novo cremantur, deinde reſtincti vino la-
antur, & tanquam ſpodii vicem ſupplentes ad ornandas decorandáſve palpebras conducunt. Vim
abent adſtringentem, & ſpiracula cutis obſtruentem, ad oculorum puſtulas, ſtaphylomata, cilio-
ímque defluvia addit Nardo efficacem. Supercreſcentem carnem cum vino reprimunt, & ulcera
l cicatricem perducunt, &c.

Palmæ ſpathâ unguentarii in unguentorum ſpiſſamenta utuntur. Optima habetur odorata, ad-
ringens, ponderoſa, præcluſa, interna parte pinguis. Vis ei adſtrictoria, quæ ulcera depaſcentia
ſtit, laxatóſque articulos committit, ſi trita malagmatis & cataplaſmatis admiſceatur. Prodeſt &
æcordiis, & ſtomacho imbecilli, necnon & jecinoris affectibus convenientibus miſta cataplaſmatis.
Ejus decoctum ſubinde affrictum capillos denigrat: Potui verò datum renum, veſicæ, aliorúmque
ſcerum vitiis confert; alvi uterique fluxiones ſiſtit: ipſa verò ſcabiem ſanat, diebus viginti, ſi ad-
ıc tenera cum reſina & cera decocta imponatur. Ad eadem etiam valet fructus intus contentus
ate & Boraſſus dictus præterquam quòd ad unguenta non ſit utilis.

Quæ de viribus & uſibus Palmæ ejúſque partium habent Plinius, Galenus aliíque Veteres apud
os vide, aut etiam apud J. Bauhinum, Hiſt. lib. 3. cap. 159.

E Recentioribus Alpinus fructuum in medicina apud Ægyptios uſum enarrat his verbis. Ex fru-
ibus tria ſunt præcipuè quibus ſanitatis gratiâ utuntur, quippe ſpatha, pulvis ſpatha contentus, atq;
ctyli. Spathæ igitur membranâ tum pulvis factâ utuntur, tum ex ea parato decocto. Pulvis ma-
mum uſum habet per os ſumpta ad diarrhœam, lienteriam, atque dyſenteriam; nec minùs ad
nes alias vel ſanguinis, vel alterius humoris non naturales rejectiones ſiſtendas; præcipuè verò ad
paticum fluxum, hæmorrhoidum atque uteri cruentam vacuationem, atque ad ſputum ſanguinis.
oc pulvere quoque utuntur ad firmanda ulcera depaſcentia, ad uvæ relaxationem, atque ad den-
m commotionem. Decocto ad omnia prædicta quoque utuntur, ſed ſæpe cum eo miſto prædicto
lvere. Articulos debiles aptóſque fluxionibus mirum in modum ipſum juvat, eos firmando & robo-
ndo. Pulvere verò albo in involucro veris tempore invento, quando ſci. palmæ florere incipiunt
ıntur familiariſſimè ad faucium raucedinem, tuſſim & ophthalmias cum ſaccharo miſto; éſtque
ſe dulcis, ſubaſtringens: mulieres eum habent familiariſſimum ad firmandos menſes retinendúmq;
tum.

Eundem quoq; uſum habent Dactyli immaturi, tum in cibum uſitati, tum eorum decoctum, ad
tum ſanguinis & quamcunq; ſanguinis vacuationem cohibendam, & ad lienterias, diarrhœas &
ſenterias, ad vomitum ſanguinis, hæmorrhoidas exſiccandas atque ad ulcera vulneráque ſimplicia
ſananda: in frequentiſſimo uſu ad nuper dictos affectus habent ſyrupum è dactylis immaturis
nfectum. Iiſdem dactylis utuntur probè maturis, qui tunc admodum dulces exiſtunt, cum ob-
ra adſtrictione; ideóque eas frequentant ad faucium raucedinem, tuſſim, dyſpnœam, pleuritin
peripneumoniam; nec minùs ipſorum decoctum frequentant ad adjuvandas variolarum in pueris
cretiones. *Hactenus Alpinus.*

Cæterùm Palma oſſiculo ſeritur. Seruntur autem, docente Theophraſto, oſſicula plura [Plinio
a juxta ſe compoſita, & ſupernè totidem] juxta ſe in eodem foramine depoſita, bina ſuperiùs
idémque inferne colligata, quoniam infirma ſingulis planta eſt. Horum radices mutuo am-
xu connectuntur, & ſtatim primæ germinationes ita coaleſcunt, ut unus ex omnibus ſtipes gig-
ur.

Oſſicula ſata etiam apud nos in Anglia facilè germinant, foliúmque emittunt unicum, nervoſum
arundinaceum; quod hyemes etiam noſtras non raro tolerat, & ſequenti anno alterum vel etiam
tium edunt, non tamen multum proficit, nec diu durat enata planta, ſed poſt duos, tréſve annos
eſcit & interit.

Notandum autem quòd non ex fiſſura, ſed ex oppoſita ſeu gibba parte ubi ocellus ſeu umbilicus
nitur germen emittat; quódque unico & ſingulari prodeat folio, cùm aliæ pleræque plantæ (non
nen omnes ut perperam exiſtimavit Jo. Bodæus à Stapel) bina primo ortu folia è ſemine pro-
cant.

Plinius in Palmæ foliis olim ſcriptitatum tradit. Verùm Palmæ vulgaris Dactyliferæ folia ob
eritatem duritiem & nervos crebros huic uſui inepta videntur. Hoc ergo vel de Palma Indica
ccifera, vel de Palma *Lantor* dicta accipienda ſunt, in quorum foliis etiamnum hodie ſcriptitari
tantur Rerum Indicarum ſcriptores.

Annotavit Plinius Elephantes Palmas excelſiores fronte proſternere, ac ita jacentium fructus abſumere.

2. *Palma Guineæ* J. B. *Palma coccifera ex Guinea* C. B. *Nucula Indica altera* Park.
Cluſ.

Altitudine & craſſitudine ſunt hæ Arbores navalis Mali, ſummo faſtigio geſtantes *folia*, deorſum
exa, duodecim aut quindecim pedes longa, Arundinum ritu inciſa. Sub his foliis naſcuntur,
ibus pediculis inhærentes uvæ humani capitis magnitudine, in quibus congeſti fructus Prunis
jores, coloris aurei, quorum nucleos incolæ eximentes contundunt: Ex his exit liquor olei lim-
inſtar, oleum de Palma ab inquilinis appellatus, quem eduliis miſcent ad odoris coloríſque
tiam conciliandam. Is liquor huc delatus frigore concrevit butyri inſtar, colorémque aureum
traxit. Eum liquorem ſive oleum qui retulerunt, recentibus vulneribus & artubus contorſione
s vel afflictis allitu levamen attuliſſe deprehenderunt. Incolæ terebrâ perfoſſis arboribus ligneum

paxillum indunt: ex eo foramine profluit liquor dulcis ſeri lactis inſtar, quo cum melle ſylveſtri commixto potionem conficiunt, vini de Palma appellatione, quo liberaliùs hauſto etiam temulenti fiunt. Arboris materia rubeſcens flavis venis diſtincta, ad fabricas inutilis, quia fiſſa tenuibus & gracilibus ſegmentis diſſilit.

In Guinea circa metallicas auri venas abundè creſcit. A Fr. Penino habuit Cluſius.

Hujus Arboris ſynonymam facit C. Bauhinus Palmam *Ady* Roelſio in Epiſt. ad Cluſium; quam J. Bauhinus diverſam ſtatuit & ſeorſim proponit ſub titulo Palmæ *Ady*, inſulæ S. Thomæ, &c. cujus idcirco deſcriptionem ſubjiciemus.

Arbor eſt valdè celſa & procera, Pinum altitudine ſuperans, trunco craſſo, nudo, erecto, ἀμάσχαλος, materie rara, ſucco prægnans, foliis Palmæ cocciferæ ſimilibus. In vertice plurima excreſcunt germina, quibus præciſis vel cæſim læſis vas aliquod idoneum appendunt, in quo lacrymantem colligunt ſuccum, qui vini vicem apud Indos tenet, & facilè inebriat. Dulce hoc vinum eſt, verùm poſt paucos dies aceſcit: nec idcirco fructus ſuos facere deſinunt ejuſdem arboris reliqua germina, quæ à ferro intacta manſerunt. Hujus autem Palmæ germen non edunt incolæ * iſtius inſulæ; quemadmodum Indi Palmæ cocciferæ.

* S. Thomæ.

Integer fructus Luſitanis dicitur *Caryoces* & *Caryoſſo*, indigenis nigris *Abanga*. Cortex ejus exterior luteus eſt; huic ſubeſt pulpa ſeu caro fulveſcens, quam pullum putamen oſſeum ſequitur: hoc vero intus nigrum continet nucleum eſui aptum, qui ademptâ pelliculâ candidus eſt. Fructus integer forma & magnitudine eſt Mali Limonii. Edunt ipſi hos fructus inaſſatos, frequenter etiam crudos. Nucleos integros inter edendum miſcent Mandiocæ farinæ. Hos credunt ipſi mirum in modum reparare languentes ex morbo vires: adeò ut ſuis ægris bis térve in die confortandi causâ tres quatuórve Abangæ nucleos exhibeant. Præterea ex hoc fructu oleum conficiunt: nempe ut carni à nucleis avulſæ adjiciant aquæ ferventis bonam partem; deinde jubent ut pulpa in lebete diu agitetur commiſceaturq; exacte ſuper ignem, deinde remotum ab igne lebetem tandiu ſtare ſinunt, donec amurca omnis in fundum ſubſederit; tandem oleum aquæ ſupernatans cochleari excipiunt: quo exhauſto aqua fervente iterum affuſâ operationem repetunt. Olei color croceus eſt; frigore concreſcit, aliàs liquidum eſt, eſculentum etiam, & ad eoſdem uſus ab incolis adhibetur ad quos apud nos oleum olivarum vel butyrum, quibus tamen & odore & ſapore inferior eſt.

Vires. Olei hujus uſus apud incolas vulgaris eſt ad inungendas partes corporis rigidas atque contractas, imprimiſq; nervos diſtentos relaxare dicunt. Exercitatos etiam & quovis labore feſſos toto corpore inungunt: nempe quòd exercitiis ſimilares corporis partes exhalant & exſiccantur, quod ipſum humectatione ſua impedit hujus olei perfunctoria ac lubrica frictio. Hoc ipſorum acopon eſt & inſigne laſſitudinis remedium eſſe prædicant.

3. *Palma vinifera Theveti* J. B. C. B.

Arbor eſt ſpecioſa & procera, perpetuò virens. Fert parvos dactylos auſteros & acidos, ut non facile edi poſſint. Caudicem ima parte duorum pedum altitudine à terra perforant ſylveſtres Æthiopes indéque exſtillat liquor guſtu ſuaviſſimo, colore vini albi Andegavenſis; quem vaſis terreis exceptum ad uſum reſervant, & *Mignol* vocant, & ut faciliùs à corruptione præſervetur ſale aliquantùm condiunt, alioqui facilè aceſcit. Aptiſſimum eſt ad odorem & ſitim. Ægyptios olim mortuorum cadavera antequam Balſamo condirent hoc ſucco ter quatérve abluebant, ità tutiora futura exiſtimantes à putrefactione: quod unde hauſit neſcimus.

Abundat Promontorium viride hoc genus Palmis, quod annon idem poſſit eſſe præcedenti cogitandum proponit J. Bauhinus.

De Palma Indica nucifera Coccus dicta.

Coccus ſive Cocus dicta eſt hæc arbor à vocabulo Luſitanico *Coquos*, quod Simiam aut Cercop thecum ſignificat, à tribus fructui impreſſis foraminibus Cercopitheci faciem aut larvæ alicujus e figiem æmulantibus nomine indito.

Nos in ejus hiſtoria deſcribenda optimos autores, Gulielmum Piſonem, Georgium Marggravium, ſed præcipuè accuratiſſimos Horti Malabarici conditores ſequimur; omiſſis iis quæ vel ſuperflua v incerta putavimus. Lectorem etiam ad Hortum prædictum aliquoties amandamus, quoniam omni transcribere tædio nobis fuiſſet.

4. *Palma Indica coccifera anguloſa* C. B. *Palma Indica nucifera* J. B. *Palma ſive* Nux Indic *vulgo, ferens* Coccos Park. *Inaia guacuiba, vulgò Cocos* Piſoni *&* Marcgravio. Nux In *dica & Cocciq. Coyolli Mexicanis* Hernandez. *Tenga* Hort. Malab. **The Coco, or Coke nut Tree.**

Marggr. H. M.

Caudice eſt raro, recto, ſed plerunque incurvato, quatuor, quinq; ſex, aut etiam ſeptem pedes craſ ſo, 30, 40 & interdum 50 alto [*Hortus Malab. pedalem tantùm craſſitiem ei attribuit, & in ima parte, ubi maxima, fermè bipedalem: at Piſo affirmat partem caudicis humo proximam non craſſiorem aut firm orem eſſe quàm quæ in ſummitate exiſtat.*] *Cortex* cinereus eſt inſtar Juglandis, & quaſi vibicibu hinc inde tranſverſim per ambitum notatus. [*Hort. Mal. cortex nigricans quæ deglubi nequit, ſemi nularibus circulis ac notis, quibus pedes foliorum inſederunt, ſtriatus*] *Lignum* ejus non multi eſt uſ conſtat enim ex meris filamentis, & eſt dulce, quaſi lacteo ſucco turgens, unde arbore cæſa à fo micis appetitur [*intus mollius, ad corticem durius, per vetuſtatem arboris etiam multò durius & ma nigricans; aeri expoſitum intra duos tréſve annos corrumpitur, in aquis durabilius eſt.*]

Caret ramis, ſed in ſummitate quindecim, octodecim, viginti aut plura habet *folia*, magna, alat in orbem diſperſa, partim ſurrecta, partim protenſa, partim dependentia, grato aſpectu. In exord ſuo hæc folia alata quadam textura veſtita ſunt naturali, obſcurè griſei coloris, quaſi crudum textum cannabinum eſſet, & ſucceſſu temporis hæc textura ſe ſolvit, ſubſequente altera, & à vento circumagitur. Quodlibet folium alatum longum eſt circiter ſedecim pedes, ac in exortu pedem circiter craſſum, diſſectum in folia ſive alas ordine juxta ſe poſitas aut oppoſitas. Quodlibet tale folium tres aut amplius pedes longum eſt, duos digitos latum, & versùs extremitatem anguſtius, acuminatum, habens in medio ſecundùm longitudinem nervum oſſeum, flaveſcentem, ac tranſverſim ordine ſubtiliſſimas ſtrias virides (ut & ipſum eſt) ac totum carinatum cavitate ſurſum versùs, ſubſtantiâ inſtar folii Gladioli, lætè viride ac ſplendens.

Folia hæc Hort. Mal. ramos foliaceos appellat, minùs rectè, ſiquidem, ut affirmat, decidunt alter poſt alterum temporibus ordinatis dum alii ex ſummitate caudicis de novo erumpunt ; quod folio non ramo convenit.

Inter folia alata ex ſummitate arboris oritur * ſiliqua ſeu vagina 2½ circiter pedes longa, craſſa in medio novem aut decem digitos, faſtigiata, viridis, ſtriata, quæ ſucceſſu temporis fuſceſcit, ac ſponte rumpitur. Antequam autem rumpatur, eleganter intus compoſitus reperitur caulis, pedem longus, tres aut quatuor digitos craſſus, in plures ramos pedales aut ſeſquipedales diſtinctus, qui ità ptè à natura in theca complicati magnam ſpicam repræſentant. Rami hi onuſti ſunt triangularibus corpuſculis magnitudine Amygdalarum albis, quæ rudimenta ſunt florum, & hinc nucum: nam uptâ vaginâ rami hi ſe explicant inſtar arbuſculæ, & floſculos exhibent luteos. Hinc ſuccreſcunt ructus, quilibet inſidens ſuo pediculo, pennam anſerinam craſſo, & cupulæ ſquamis conſtanti ex uffo flaveſcentibus.

* *In arbore ordinarie ſunt duodecim faſciæ* [*intelligo capſæ ſeu vaginæ*] *Coccorum.* H. M.

Hort. Mal. fructus à floribus disjungere & removere videtur : nam in hiſce ſurculis in capſis flores & ructus eo ordine provenire aſſerit ; ut fructus in inferioribus partibus prodeant quàm gemmæ florum, & urculis arctè inſideant. Flores autem parvis & flavo-albicantibus calycibus, trifoliatis excepti, ipſi tripetali unt, petalis ad imam oram rotundioribus, & in vertice cuſpidatis, duriolis, rigidis & craſſiolis, habéntque medio ſex ſtamina flava, quæ oblongis, craſſiolis, primùm ſurrectis, dein decumbentibus apicibus dotata unt, ac ex unguiculis petalorum prodeunt, ac cum iis ſtylum brevem, craſſiolum & albicantem, ſupernè rifidum, ſúntque odore grato velut Lilia, licet debili, qui poſtquam è capſis eruperunt confeſtim è ſurculis ecidunt. Tertio à ſatione anno folia incipiunt defluere, nec enim antea juſtam magnitudinem adipiſcuntur. In arbore grandi ordinariè 28 plus minus conſpiciuntur folia.

Conſtat *fructus* totus primùm exteriore tegumento, ſecundò cortice, tertiò nucleo, & quartò aquâ. Exterius tegumentum externè glabrum, in totum conſtat è filamentis craſſiuſculis, longis oloris rufeſcentis inſtar Lini, referens ſtupam cannabinam, craſſam ac crudam, eſtque in ea parte uà nux pediculo adhæret ſupra duos digitos craſſum, in reliquis lateribus circiter unum. *Cortex* eſt raſſus inſtar cranii humani, & ea extremitate qua adhæret ramo tria habet foramina nucleum Ceraſi capientia. In cavitate hujus corticis ſeu in interiore ambitu ejus adhæret nucleus, qui & ipſe ſuâ uticulâ veſtitur, in ſna convexitate (inter corticem ac ſe) ruffi coloris, ad viſum ut nux moſchata. ucleus nuce maturâ craſſus eſt ⅔ digiti, albiſſimis, lacteo ſucco turgens, ſapore inſtar optimarum vellanarum: denique in illa cavitate nuclei continetur aqua ; pauca quidem quando plenè maturuit nux, nec ad potandum grata, ſed quando mediæ ætatis eſt, nimirum quando tegumentum flaveſcere incipit, cavitas illa eſt plena aquâ ſuaviſſimâ, continet enim pintam Hollandicam aut amlius, pro magnitudine. Aqua hæc tum gratiſſima eſt ad potandum, dulcis, frigida ac clara. At inc cùm aqua abundat, nucleus adhuc mollis, nec ità gratus eſt. Ergo pro aqua haurienda eliuntur mediæ maturitatis, pro nucleo edendo planè maturæ. Ex nucleo maturo exprimitur lac, cui ncoquitur Oryza pro pulmento.

Notat H. M. Fructus cùm teneri adhuc ſunt, & ex capſa cum ſpicis erumpunt calyce flavo-albicante, ui ex rotundis foliis mutuò circumvolutis conſtat arcte & in totum obduci. Interna cavitas in fructu quoodo augetur hîc vide. Nucleus ſeu medulla fructûs cùm vetuſtiſſima eſt maximè oleoſa evadit, ac ex oleo ruleſcens, odorem fortem oleoſum, qui ingratus eſt, ſpirans. Pro diverſa medullæ conſiſtentia fructus ariis nominibus ſunt donati, quæ hîc vide ; & quæ habent de mutatione guſtûs & conſiſtentiæ in liquore. qua in fructu nonnihil duro id proprium habet, quòd ut liquor dictus Suri, fermentatione ad oculum notaili cietur : cùm medulla dura eſt, ac fructus exſiccari incipit, in ollam infuſa & aeri expoſita ſaporem lcem illico amittit & ſubacida redditur, ídque ocyus ſi vento moveatur, ſine ulla tamen fermentane.

Magnitudo fructûs interdum capitis humani, forma externa oblongo-rotunda & Peponis æmula, ibus angulis obtuſis, ad partes ſuturarum, quæ in interiore cortice ſunt, coeuntibus.

In Coccis vetuſtis ad partem eorum inferiorem intra medullam ſeu nucleum oculus oblongo-rondus albicans, qui poſtea flaveſcit ſe prodit, éſtque tenerum germen fructûs [plantula ſemina] qui eo terræ mandato ex ſuperiore parte per oculum operimenti minus durum ſeu latius ſurcum novellum extrudit, atque ex inferna parte pirum dictum Luſitanis *Pingo*, quod magis & magis creſcens dum aqua interea exſiccatur totam cavitatem adimplet. Surculus autem novellus ex ulo prodiens extra operimentum emicans, paulò reflexus corticem exteriorem perterebrat, ac inriori parte emittit radiculas, quæ per corticem exteriorem primùm obliquè decurrendo, tandem perrupto ſe terræ hinc indè affigunt. Pirum quod in cavitate naſcitur albicat & in ſtrictiore parte, uà ex oculo prodiit ſufflavum, exteriùs rugis in longum ſtriatum, & granulatum, ac oleo inunctum, tus fungoſum, humidum, molle & albicans, eſculentum, ſapore multò dulciori quàm medulla, rùm nonnihil faſtidioſo.

Radix craſſa, cortice rufeſcente ae nigricante, interiùs ligno molliori, fibras latè tranſverſim difndens. At Piſo mirum eſſe ait truncos adeò proceros poſſe ſic brevibus & tenuibus & vix terra opertis radicibus in aere ſubſiſtere, neque ſuo multo pondere & fructuum mole, ventíſque etiam hementioribus eos ſæpe quatientibus humi concidere.

Cacumen arboris, quod à teneris ramis circundatur, cum altior ac vetuſtior eſt in conum faſtiatur, ac molli & albicante pulpa ſeu corculo, dicta Luſitanis *Palmita*, Piſoni *Palma*, quod exteriùs

riùs è variis tunicis ſibi mutuo ſuperinjectis conflatur, ac intus denſum eſt, conſtat: hoc cùm tenerior eſt *Tenga*, & altitudine unius cubiti, eſt dulcis ac grati ſaporis; cùm majoris ætatis ſaporis minùs grati ac adſtringentis; cùm vetuſtior eſt ſaporis dulcioris & gratiſſimi, æmulans juglandes noſtrates, quæ non cruda ſolùm ſed & cocta inter epulas apponitur, & cum Braſſica Cyprina certat: ab elephantibus maximè expetitur qui ut eâ fruantur arbores haſce eradicant. Ea ablatâ arbor moritur; quò fit ut qui ejuſmodi germen edit non immeritò *Palmam vorare* dicatur. Arbor toto anno ſimul flores, fructus immaturos & maturos continet.

Locus.

Amat autem loca maritima & arenoſa propè ſepes & macerias: in mediterraneis non, aut rarò, reperitur, aut ſi plantetur infructuoſus eſt, nec ibi juſtam magnitudinem aſſequitur. A 25 ad 30 ætatis annum in ſummo eſt vigore: 100 circiter annos durat.

Vires & Uſus.

Ex hac arbore elicitur liquor *Suri* dictus, qui potus ut vinum inebriandi vim obtinet, ſaporis grati, ſubdulcis, ſubſalſi & ſubacidi, cùm primum exceptus eſt majori dulcedine, cùm vetuſtior acidior, coloris ex albicante ſubcœrulei & pallidi, &c. Ex eo deſtillatur aqua ardens ſeu ſpiritus: Acetum etiam & Saccharum quod *Jagra* vocant ex eo fit. Modum educendi hunc liquorem accuratè deſcribunt Horti Malabarici Auctores; Capſæ floriferæ ſeu fructiferæ, quam Mammam arboris vocant, cuſpidem incidunt, eiq; ollam appendent, atq; infra cuſpidem intervallo quatuor digitorum corticem capſæ obliquè ſecant, ſectúmq; versùs cuſpidem elevant, barbam, ut aiunt, efficientes, ut liquor ex cuſpide inciſo per corticem capſæ dimanans, ex barba in ollam appenſam infundatur, cuſpidem autem inciſum, &c. Reliqua quia nimis longa ſunt, omitto, apud Auctores ipſos requirenda.

Bis de die, manè & veſperi, ollas cum *Suri* detrahunt, interdum etiam meridie. Qui medio die detrahitur in ollis manè appenſis dulcis eſt, qui veſperi ſubacidus, altero die aceſcens, tertio autem die liquor acidus redditur, ſuum dulcedinem prorſus amittens. Ut acetum ex hoc liquore conficiatur, ollas in quibus exceptus eſt in calce per 15 dies imponunt, quo ad fermentationem vehementiorem excitatus, multam ſpumam ebulliendo, ac in fundum ollæ materiam albicantem ſeu cinereum demittendo, mutatur in acetum.

Saccharum *Jagra* dictum hoc modo conficiunt: Ollis induunt momentum calcis, quantum ſufficit ad liquorem inſtillatum rubedine tingendum, nec plus, nec minus debito ob rationes ab Autoribus dictas; dein hunc liquorem coquunt continuè eum cochleari movendo donec inſpiſſetur, habetúrq; tum Saccharum rubrum, quod album iterata ſolutione ac coctione reddunt: modum vide. E villoſa materia tegumenti hujus nucis exterioris rudentes & funes navibus neceſſarii fiunt, autore Garcia, qui incorrupti manent in aqua marina. Sed & ex iis villis fiunt nodoſa cingula magni usûs inter omnes ferè tenuioris fortunæ mulierculas Ulyſſipponenſes.

Exterior hic cortex circa initia edulis eſſe dicitur, & Cinaræ ſpiniferos reſipere aculeos, verùm dulciorem eſſe, aptiſſimumque cohibendis diarrhœis, ſatietati curandæ, & ventriculo inſtaurando.

Ex eadem materia ſtupæ loco nares obturantur ac ſtipantur, ipsíſque adeò ſtupis præſtat quòd putredini minùs ſit obnoxia, & aquâ marinâ imbuta infletur denſeturque. Oſſeus cortex diligenter politus, & argento decoratus apud plurimos hodie ſpecioſi poculi vice in convivia venit; ſed vim antiparalyticam ei denegat Garcias.

Liquorem ſeu vinum Suri phthiſicis mire conferre aiunt & valdè opportunum eſſe urinæ, renúmque vitiis laborantibus. E nucleis contuſis atque expreſſis lac extorquetur citra ignis operam, lumbricis enecandis utiliſſimum ad ℥viij, addito ſale, manè potum, præſertim in pueris.

Quin ex ramentis nuclei (additâ aquæ opportuna menſurâ) fervefactis ac multùm agitatis oleum ſupereminere ſolet, dulce, liquidum, ſplendidum, & oleo Amygdalarum dulcium non diſſimile guſtu, quod ſex aut octo unciarum menſurâ potum, additâ aquâ in qua Tamarindi aliquandiu maduerint, ventriculum inteſtináque leviter purgat, humores præcipuè melancholicos & pituitoſos evacuans, cum tamen nucleus dicatur alvum coercere; at recens extractum ſit oportet; vulneribus mirè opitulatur, nam & ſanguinem ſiſtit & ſaniem exterget, coercétque dolorem, & tandem cicatricem inducit. Quin ex fruſtulis exſiccatis nuclei, quæ in longinquas regiones transferri ſolent, extrahitur oleum utile lucernis, Oryzæ parandæ, nervis contractis laxandis, & necandis lumbricis.

Liquor nucleo contentus ſiti febribúſque extinguendis, caloríque contemperando idoneus eſt, medendis extergendíſque oculis & emundandæ mulierum cuti. Emundat ſanguinem, ventriculum & vias urinæ purgat, medetur pectori, ac pergrato conſtat guſtu, plurimum præbet nutrimenti, & adversùs bilioſas febres eſt potio mirabilis. *Hernandez.*

Multæ præterea vires & uſus in medicina aliarum hujus arboris partium habentur in Horto Malabarico, ad quem Lectorem remitto.

At non reticendum quod de medulla hujus arboris habet Jo. Linſchotanus, nimirum eam [*Palmito* vocant] magno in pretio loco muneris ad opulentiores potentioréſque mitti. Chartæ autem tenuitate ac candore formâ plicatili creſcit, ut ſubinde 50 aut 60 plicas habeat togæ muliebris inſtar. Ex hac Indi chartam & libros inſtaurant; ex ea etenim charta tenuis ducitur. Virentibus inſcribunt plicis, quæ tum ſiccatæ literas indelebiles habent, ſtilo ferreo ante notatas.

Indis *Ollam* vocari refert ſupradictam chartam; conſtantque ex eadem materiâ omnes gentis Annales, libri & volumina, quam & ſignare nôrunt in epiſtolarum uſus. Idem tradit & confirmat *D. Mandelſlo* in relatione peregrinationis ſuæ in India Orientali.

Maffeus Folia tum Librariis pro Papyro eſſe ait, (de quo tamen dubito, eúmque per errorem folia *Lantor* pro hujus foliis habuiſſe ſuſpicor) tum etiam in veſtes formâ facili ſimul ac ſpiſſo contextu necti.

Idem unam hanc arborem omnia prorſus ad rem nauticam inſtrumenta ac materiem præbere ſcribit: quippe truncum & ramos in malum, aſſamenta, clavóſq;: comam in vela; * Cuyrum in funes omnium optimos, filáque ad laterum ſuturas; poſtremò Cocum ipſum, quæq; ex eo conficiuntur in onera.

* *Corticem nucis exteriorem.*

Quibus ſi addamus, præbere eam & vinum, & lac, & oleum, & ſaccharum, & acetum, & ci-
m ſolidiorem, & filum, & acus, & lintea, & veſtimenta, & pocula, & cochlearia, aliáque vaſa,
ſtoreas, & ſportas, & umbellas, & chartam; omnino fatendum eſt arborem eſſe πολύχρηστον, cui-
e ſimilem & æquiparandam vix in toto terrarum orbe reperias.

5. *Palma Javanenſis longiſſimo folio* C. B. *Palmæ Indicæ genus* Lantor *dictum* J. B.

Fructum fert exiguum, magnitudine Ceraſi, colore qualis Aurantiorum, nucleum intus continen-
m quem *Coccos* nuncupant. Ex hoc fructu perelegans fit oleum, colore Aurantii, eſui jucundum,
dmodúmq; ſalubre aſſuetis. Sunt qui hanc ſpeciem Palmæ præcedentis fœminam faciunt.

Hujus folia quàm reliquarum Palmarum ad ſcripturam aptiora commendabilioráq; ſunt, unde Indi
s utuntur chartæ loco. Folia autem viri longitudinem æquant.

Similia folia, cùm integra, tum per medium ſecundum longitudinem ſecta, Malacenſibúſq; cha-
cteribus inſcripta, ab Hollandis ex Java ſunt relata. Ex his habuit Cluſius cubitum longa, ex-
emitatibus tamen reciſis [nam integra bicubitalia aut longiora ſunt] ſecundùm medium nervum
r longitudinem excurrentem complicata, & binas ferè uncias lata, utroque latere exteriore ſe-
ndùm longitudinem tribus verſibus inſcripta: videbat & quæ quatuor verſus inſcriptos haberent,
æterea librum 76 foliis conſtantem, non integris quidem, ſed quæ extremitatibus reciſis, per me-
um folium ſecundùm nervi longitudinem ſecta, utrinque quatuor verſibus ſtylo ferreo exarata
ant, ut apud illos moris eſt tribus locis pertuſo, in medio videlicet & duabus extremitatibus funi-
lo trajecta, aptatis utrinque binis aſſerculis, quibus contracto funiculo tegerentur. Sed & ea folia
æ nanciſcebar, & aliquot alia quæ apud diverſos conſpiciebam, ab una extremitate pertuſa erant,
charactere quopiam in capite notata, ut funiculo connexorum ſeries dignoſci poſſet. Intel-
gebam porro ex ipſis Indis hos characteres noſtro more exarari, hoc eſt à ſiniſtra ad dextram
cto ſtylo, &c. Ea autem folia Palmæ cocciferæ non erant. Sed peculiaris illius generis Pal-
æ, quæ Javæ incolis *Lantor* appellatur.

6. *Palma coccifera figura ovali* C. B. *Coccus de Maldiva* Park. *Nux Indica ad venena celebris, ſive Coccus de Maldiva* J. B. *Quibuſdam Tavarcaré.*

Garc.

Niger eſt Coco de Maldiva cortex, & nitidior vulgari Coco ſeu Nuce Indica, figurâ ovali magna
parte, nec ità rotunda ut vulgaris. Medulla ſive pulpa interior, quæ ſiccata dura admodum eſt
candida, nonnihil tamen ad pallorem inclinans, in ſuperficie rimoſa eſt & valde poroſa, nullo
pore excellenti. J. Bauhino fungoſa, conſiſtentiâ quam videmus in fungis nucum, colore
ris in luteo cinereo, intus pallido, fibris variatum ſubinde ferrugineis & croceis, guſtu in-
pido.]

Integræ quas vidit nuces J. Bauhinus pedem longæ fuere, rotunditate quantam vix ambabus ma-
bus amplecti potuit: pars compreſſa erat ſex uncias lata, in qua amplum foramen apparebat ab
io fructu ſeparatum, ità ut gemellus fuerat fructus: conjunctorum fructuum * ingentem fuiſſe
agnitudinem apparebat; utriuſq; capacitas erat inſignis: cortex durus & ſpiſſus qualis aliis nucibus, ** Capite humano multò majorem.*
xternè ſtriis obliquis longis excavatus, colore nigro, pulſatus ollæ modo reſonans. Sic corticem
iam villoſum habet ut aliæ Nuces Indicæ.

Vulgari famâ accepimus (inquit Garcias) inſulas Maldivas aliquando continentem fuiſſe, ſed
undatione maris ſubmerſum has inſulas effeciſſe: in quo obrutæ Palmæ fuerint quæ hos Coccos
rotuliſſent, qui terrâ indurati in hunc modum conſpiciuntur. Suntne verò ejuſdem generis cum
oſtris facilè judicari non poteſt, cùm hactenus nemo folia aut arboris truncum videre potuerit; ſed
li Cocci in litus ejiciantur, nunc bini conjunctim, interdum verò ſinguli ſeparatim. Sed has ne-
ini colligere licet niſi cum capitis periculo, quoniam Regis eſſe aſſerunt, quicquid de mari in
tus ejicitur, quæ res majorem autoritatem huic Nuci conciliavit.

Eximitur autem ex his Coccis pulpa ſive medulla, deinde exſiccatur atque indureſcit eo quo ven-
itur modo.

Commendatur ab ipſis incolis & à Malabarenſibus (ut teſtatur Acoſta) non modò à plebe, ſed
regibus & principibus viris, ut in omni fere morborum genere ad eam confugiant tanquam ad *Vires.*
cram anchoram: verùm præcipuè adversùs venena valere creditur: Fiunt & in eam gratiam ex
lo pocula, quæ auro vel argento excipiuntur ad aquam bibendam, in quam ex catenula medullæ
ſius Cocci fragmentum pendere ſinunt, ſibíq; certò perſuadent illis qui aquam ex his poculis hau-
unt nullum venenum nocere poſſe, futuróſq; immunes à multis morbis. Verùm cùm hæc aliáque
uæ de nucis hujus viribus traduntur vulgi potiùs perſuaſione quàm certis experimentis conſtant: &
edici nonnulli ſe nullo ſucceſſu ad prædictos affectus iis uſos eſſe affirment: alii noxam potius cor-
ori inferre, quàm juvamen aliquod aut emolumentum conferre ſe experientiâ didiciſſe dicant; iis
ecenſendis & expendendis non immorabimur.

Quod attinet ad ſpecificam qualitatem promovendi partum difficilem, & reſiſtendi inſultibus Epilepticis ejus non unam experientiam habent ſpectatiſſimi aliquot apud nos Medicinæ Coryphæi, & teſtari de feliciſſimis ſucceſſibus queunt, inquit Gul. Piſo: apud quem plura vide in Mantiſſæ Aromat. cap. 19.

7. *Todda panna H. M. Palma Indica caudice in annulos protuberantes diſtincto, fructu Pruniformi.*

H. M.

In arborem excreſcit juſtæ magnitudinis, 40 circiter pedes altam, caudice craſſo uti *Tengæ*, qui circularibus & extuberantibus * annulis undiq; circundatus, & cortice craſſo, cinereo, ſquamoſo, intus purpureo obductus eſt; lignum albicans, molle, cujus matrix flaveſcens. Cùm verò arbor hæc primùm è terra erumpit, nullum caudicis fundamentum ſub dio obtinet, ſed Conus prodit foliaceis tegminibus coopertus, qui cùm undiq; ſeſe aperit, ac novelli foliorum ſurculi [folia compoſita] tribus ſemper inſequentibus ordinibus (in inferiore ſexdecim, in medio novem, in ſuperiore ferè octo) ex eo prodeunt, pedetentim foliacea illa tegmina ſublevantur, ut qui primò, fermè planus erat coni apex, acutius ſenſim, tandémq; rotundum acquirat cacumen, uſquedum obtegentia illa foliola tranſitum concedere cogantur folioſis ſurculis, qui, quo magis adoleſcunt eo magis explicantur, foliorúmque illa operimenta versùs latera diducunt, atq; ità folioſi ſurculi majori ſpatio indigentes magis reclinant & ad latera vergunt, donec tandem ipſam caudicis peripheriam circumveſtiant, languidis tunc & marceſcentibus eorum primis tegminibus, quæ dein decidunt & ſui ſtigmata relinquendo circularibus prominentibúſq; angulis eam cingunt. Poſt hæc inter ipſas arboris frondes novus oritur conus, priori planè ſimilis, è quo novelli foliorum alatorum rami [potiùs nova folia pinnata] denuò prodeunt, quæ foliorum productio toties renovatur, quoad fructibus enitendis apta fit arbor: quo tempore conus in humani capitis magnitudinem augetur, ac undique ſeſe aperiendo plures ramuſculos reflexos fructibus ornatos exhibet, & ſimul ac aperitur novus ex ejus cavitate emergit foliigerus conus, qui cum denuò augetur aperitur, ac novellos foliorum ramos undiq; emittit, ecce novus intus adeſt fructipromus conus: quæ foliipromi & fructigeri Coni viciſſitudines toties fiunt quouſq; viget arbor. Contingit quoq; nonnunquam ut ex uno trunco quatuor aut quinq; vertices enaſcantur, quum caudice ad viginti circiter pedum altitudinem aucto fructipromus conus non unum ſed plures includit novellos conos, è quibus totidem prodeunt arboris vertices; id tamen rarò obſervatur, & ſingulis arboribus ſimplex plerunq; adeſt vertex.

* *Duos tréſve digitos latis trium quatuórve digitorum intervallo à ſe mutuo diſtantibus.*

12.

Quoties folia cum foliaceis coni tegminibus marceſcentibus decidunt (quod ſemel intra annum aut ſeſquiannum contingit) toties circulari prominentíque annulo caudex cingitur & augetur.

Conus conſtat è plurimis, oblongo-teretibus, craſſis coriaceis, denſâque lanugine veſtitis foliis, lanugine verò detrita viridi-fuſcis; quæ aperto cono erumpentibus foliis pinnatis (ut diximus) decidunt.

Folium pinnatum integrum octo pedum menſuram longitudine haud rarò ſuperat, ejus pediculus ſaturatè viridis eſt, ac in ſuperiore limbo exiguis ſpinis munita: pinnæ autem ſeu foliola mediæ coſtæ adnexa atro-vireſcentia ſupernè ſplendent, infernè nequaquam.

Fructipromus conus è multis linguiformibus involucris, veris fructuum loculis componitur, foliaceis tegminibus involutus.

Sunt autem fructus oblongo-rotundi, prunis majoribus haud abſimiles, quos tegit cortex glaber, viridis ac nitens, poſtea ſubflavus, & dein rubeſcens, grati dulcíſq; ſaporis, cui ſubjectus cortex rufus ac lignoſus, nucleum continens candidum, ſapore caſtaneis haud abſimilem.

Ubi tranſverſim diſſecatur caudex guttas expromit pellucidas, quæ radiis Solaribus incandicans cryſtallinúmq; gummi inſpiſſantur.

Locus. Creſcit hæc arbor locis montanis, petroſis & arenoſis, in *Tirſt ſiour* & *Couronuada Provinciis Malabar*, necnon in Japoniæ inſulis *Roukiou* & *Lequas*. Indifferenter quocunq; anni tempore viciſſitudines ſuas patitur, & foliipromos fructipromóſque profert conos, atq; à quinto ſextóve circiter ſationis anno ad centeſimum & ultra frugifera eſt.

Cæterùm arboris hujus tanta eſt fertilitas, ut reciſus ejuſdem ramus terræ vel leviùs commiſſus in novam arborem progerminet: quinimo experimento compertum dicitur, rejectum trunci fruſtum novas radices emittere & in arborem denuo renaſci; quódq; magis adhuc mirandum, ſi vel per annum, vel per plures annos è terra evulſa ſervetur ſicca arbor, & poſtea terræ committatur reviroſcere. Quæ de ſympathia hujus arboris cum ferro habent apud me certè fidem non inveniunt.

Vires. Fructibus veſcuntur Malabarenſes cum ſaccharo Thomæo, alioquin alvum relinquunt aſtrictam. Succus è novellis foliis expreſſus atq; exhibitus inteſtinorum cruciatus compeſcit, ſtomachi ardorem ſedat, & vomitui cruento medetur. Fructigerus conus contuſus, & in cataplaſmatis formam redactus, lumbíſque applicatus dolorem nephriticum tollit, & involuntarium ſeminis in gonorrhœa effluxum mitigat. At verò è fructibus tenerioribus in aqua decoctis medicamentum paratur, quod vomitum ciendo ventriculum egregiè expurgat. Ipſius arboris gummi aſſumptum quibuſcunq; venenis reſiſtit, atq; cum gallinæ ſtercore mixtum & locis applicatum viperarum morſus mirificè ſanat. Ex arboris trunco Japonenſes farinam, ex eâque panem conficiunt *Sagou* ipſis dictum. Deniq; ii Malabarenſes qui à D. Thoma ſe converſos profitentur, templa ſua diebus feſtis foliis hujus arboris exornant atq; hanc ab cauſam arbor hæc *Palma d' Igreſia*, ſive *Armatoria das igrezias* à Luſitanis appellatur.

Cùm Auctores noſtri è farina trunci hujus Arboris Japonenſes panem conficere affirment, *Sagou* ipſis dictum, non video quid obſtet quo minùs arbor ipſa poſſit eſſe *Palmam referens arbor farinifera C. B.* ſeu *Sagu* Amboenſium: nihil tamen affirmo; forte enim è variis Palmarum ſpeciebus diverſis in locis fiat farina *Sagou* ſeu *Zagou* dicta. Variant etiam peregrinationum conſcriptores in hiſtoria *Zagou*. Alii enim farinam eam fieri aiunt è medulla capitis cujuſdam Palmæ in Ternate inſula naſcentis, cujus ſummum faſtigium in orbiculatum caput inſtar Braſſicæ capitatæ extuberat: alii ex ipſo trunci ligno, malleis Arundinaceis contuſo. De hac farina plura vide in capite de Palma folio ſimplici plicatili flabelliformi.

8. *Pindoba Braſilienſibus* Marggr. *Pindova* Piſon. *Inaia Braſilianis.* *Palma Braſilienſis caudice glabro, fructu ovi gallinacei magnitudine, & figurâ.*

Palmæ nuciferæ ſpecies eſt, caudice utplurimum craſſiore quàm Palma coccifera, proceritate æ-
uali vel etiam longè majore. Caudex enim craſſus ad quatuor, quinque, aut ſex pedes, corticè
gryſeo ſeu cinereo, glabro, in quo vibices vix apparent, ſecus quàm in *Coqueiro.* *Folia* fert ut illa
lata, ſed quæ non ità in orbem dependent, ſed maximam partem ſtant ſurrecta. Propè foliorum
xortum etiam rami proveniunt dependentes, qui proferunt racemos, quatuor aut quinq; pedes
ongos, plenos floſculis: poſt quos etiam racematim proveniunt *fructus*, vel centum in uno racemo,
vi gallinacei figura & magnitudine, aut paulo etiam majore, faſtigium habentes acuminatum, altera
xtremitate inſident calyci vel cupulæ, foliis triangularibus conſtanti. Maturus exteriùs è viridi flaveſcit,
el etiam brunneſcit. Cortex exterior filamentoſus eſt ut in *Coco*, verùm haud craſſus, ſed duplam tan-
ùm craſſitiem teſtæ ovi gallinacei habens, qui inciſus detrahi poteſt: illo detracto apparet pauca
ro crocei coloris, nullo manifeſto ſapore, quæ ab Æthiopibus cum farina comeditur: hæc ambit
ucem duriſſimam, ovalem, ejuſdem ferme craſſitudinis cum Coco, verùm caret tribus illis forami-
ibus: hâc diſcuſsâ apparet intus in cavo, per interſtitium more juglandis diſtincto nucleus magni-
dine Juglandis, candidus, duriuſculus, ſaporis ut *Coco*, ſed paulò ſiccior, neq; tam ſuavis. Colli-
ntur per totum annum.

Ex carne crocea fit oleum croceum, quod in lucernis uſurpatur, è nucleo limpidiſſimum per ex- *Uſus.*
eſſionem ad condiendos cibos quandiu recens eſt, & itidem ad lucernas quando vetus. Utrumque
alitate frigidum, & illud è nucleo expreſſum loco Roſacei olei uſurpatur.

E foliis arboris fiunt tecta domorum, ſtoreæ, corbes & alia.

E faſtigio arboris gummi pellucidum, odoratum & pulcherrimum fluit, quod in locum Arabici non-
nquam venit.

Poſtremò medulla coloris albicantis, & recentem Juglandem reſipiens in vertice ligni contine-
, optimum alimentum ſi cum ſale & pane comedatur.

Lignum albicans & ſcabroſum corticis loco habet hæc arbor, ligni autem loco fungoſam & intus
ſam medullam, facilè combuſtibilem, è qua ſane & fortiſſima lixivia norunt conficere.

9. *Palma Braſilienſis quinta ſeu Tucùm* Piſoni. *Pal. Braſil. aculeata, fructu Pruni Damaſceni magnitudine & figurâ.*

Arbor eſt mediocris altitudinis: ſi frondes ſpectes Pindovam, ſi cætera, Palmam dactyliferam re-
præſentat. Truncum, ramos, atq; folia habet aculeata: lignum verò nigrum & duriſſimum, quo in-
genæ ſagittas exaſperant. Fructus producit rotundos racematim, Pruni Damaſceni magnitudine &
ura, 200, 300, & plures aliquando uno eodémque racemo. Sues & Simiæ iis ſaginantur. Oleum
nde limpidiſſimum exprimitur, iiſdem uſibus quibus nuces Pindovæ dicatum, magníque fit apud
nes paſſim incolas. Fructus hi exteriùs nigricant: nucleo ſunt albo non inſuavi, præſertim re-
ti. Ex filis Braſiliani filum deducunt tenuiſſimum & fortiſſimum, rubicundo Serico perſimile.

10. *Palma Braſilienſis Septima. ſeu* Aquè Piſonis. *Palma Braſil. vinifera, foliis cinereis.*

Arbor eſt mediocris, *foliis* cinereis. *Fructus* fert racematim Pruni magnitudine, flavos ubi matu-
rint, dulciſſimi ſaporis, nucleo albo ac pergrato, ex quo incolæ vinum conficiunt. Nigritæ illam
ellant proprio idiomate *Catolè.* Familiaris eſt hæc arbor Braſiliæ Septentrionali non Au-
li.

11. *Palma Braſilienſis octava* Iraibà *dicta* Piſonis. *Pal. Braſ. farinifera. An Yri* Lerii? *id eſt, Palma Americana fructu racemoſo* C. B.

Præcedentibus major eſt, familiaris in *Piratiningæ* ſylvis. Ad ſummitatem illius circa ramos me-
a continetur candidiſſima, quæ cruda vel etiam cocta cum carne vel oleo inter bonos cibos nu-
atur: Subſtantia verò durior, candida, quæ contuſa cogitur in maſſam farinæ ſimilem, unde
entulæ non ingratæ fiunt; ex ſucco verò illius pulmentum admodum dulce & ſuave. Fructus
q; producit ſapidos & dulces: remedium contra famem illis qui per ſylvas eas & vaſtas ſolitudines
grinantur.

Lerius *Yri* fructum rotundum tribuit, Prunellorum ſpecie, ſed in racemum congeſtum tantæ mag-
dinis ac ponderis, quantum homo vix unâ manu attollere queat. Sed meri ſunt nuclei, & qui-
n Ceraſi nucleis minores, quorum quidem ſit uſus. Sed & teneram quandam gerit ſummitatem
r folia [juniorum arborum] quam in cibum cædebat cum Sociis.

ructus racemis præcedentem Palmam refert.

12. *Palma nobilis ſeu Regalis Jamaicenſis & Barbadenſis.* Palmiſte Franc. *D. Rochefort.* **The Cabbage-tree, or Palmeeto royal.**

Rochefort.

rbor eſt grandis, recta, altitudinis * immenſæ. *Radices* ſupra terram attollit in circuitu caudicis
uorum triúmve pedum altitudinem; ſunt quidem eæ parvæ reſpectu proceritatis arboris quam
nent, verùm adeò confusè & densè inter ſe implicitæ & intertextæ, ut ei firmandæ & ſtabi-
dæ ſufficiant. Hoc inſuper peculiare habet hæc arbor, quòd craſſior ſit plerunq; ſupernè quàm
riùs. Cùm junior adhuc eſt corticem habet tenerum, caneſcentem, ad ſingulos circiter pedes
lis diſtinctum, unde ætas arboris innoteſcit, novum enim quotannis acquirit circulum. Verùm

* *Ad* 250. *pedum altitudinem excreſcere aiunt, imò ad* 300. *pedes.*

cùm adolevit & ad ſtatum pervenit, adeò ſolida & compacta evadit, ut non ampliùs id obſervari poſſit.

* [*foliorum compoſitorum cauliculos ramos vocat.*]

Summitas ſeu faſtigium multis * ramis pulchellis, cannulatis & politis exornatur, qui utrinq; foliis innumeris viridibus, oblongis, anguſtis delicatis inſtructi mirabilem arbori gratiam & decorem conciliant. Ramuli teneriores, necdum planè expanſi, in medio arboris rectà attolluntur, dum interim reliqui qui circumcirca incurvati dependent pulcherrimæ coronæ ſpecie erectos cingunt.

Singulis ferè menſibus unum aliquem è ramulis [rectiùs foliis] abjicit hæc arbor, & corticem quendam exuit, qui ab infra primò abſcedit, éſtque quatuor vel quinq; pedes longus, duos circiter latus, craſſitie corii præparati; Indigenæ *Tache* vocant, eúmq; ad culinas integendas adhibent, aliaq; ſuarum ædium conclavia, quemadmodum & folia ad domus operiendas.

Vſus.

In ſummitate trunci medullam quandam continet, albam, tenerrimam & ſapidiſſimam, guſtu nucis ſi cruda comedatur, verùm cocta & condita cum foliis multis tenellis & albis, quæ eam undiq; contegunt & obvolvunt, inter delicatiora Antillarum fercula locum non poſtremum ſibi vendicat. Galli, & noſtrates etiam, ſubſtantiam hanc medulloſam cum foliis eam involventibus *Chou de Palmiſte*, id eſt, *Caulem* [Braſſicam] Palmæ vocant, quoniam eam juſculis incoquunt *Caulis* & aliarum herbarum loco.

Siquis hujus arboris truncum bifariam in longum findat, eximátque (quod factu facile eſt) ſubſtantiam interiorem filamentoſam & molliuſculam, quod reſtat lignum ità excavatum, pollicem craſſum, canales longos, aquæ deducendæ commodiſſimos & ad durandum firmos præſtat. Ex eodem nigricante colore naturaliter imbuto, quodq; polituram facilè admittat, multa & rara vaſcula aliaq; utenſilia detornantur.

E ſummo ſcapi cacumine eminet florum & fructuum involucrum, Spatham vocant, exteriùs canescens, intus è rubro deauratum *floſculos* innumeros flavos arbuſculæ ceu ſcopæ cujuſdam virgulis adnaſcentes continens: quibus decidentibus ſuccedunt *fructus* rotundi, ovi gallinacei magnitudine. Spatha ſeu vagina ad florum & fructuum dum adhuc tenelli ſunt tutelam comparata utraq; extremitate acuta eſt, medio craſſa, ab uno latere rimâ in longum fiſſa, è qua, cùm matureſcere incipiunt flores & expandi requirunt, ramulus ſeu arbuſcula cui accreſcunt foràs egreditur *in dias luminis auras*. Arbor hæc circulis annularibus caudicis cum Todda panna convenit, ſummitate eſculenta cum præcedente ſpecie. Capite detruncato arborem perire affirmant nonnulli, negant alii.

13. *Urucuri-iba* Marggr. & Piſ. *Palma Braſilienſis farinifera, fructu Pruni, cupulæ inſidente.*

Palmæ ſpecies eſt, dactyliferæ per omnia ſimilis, excepta magnitudine minore, & quòd folia non ſint ſpinoſa. Flos ut *Giocaræ*. Fructus (qui & *Urucuri* vocatur) fert racematim ut *Pindoba*: quilibet autem habet magnitudinem Pruni, & cupulæ ſquamoſæ inſidet, cuticula griſea, pulpâ luteâ filamentoſâ, paucâ, dulci conſtans, intus continet lapidem durum, in quo nucleus candidus, edulis.

Vſus.

E cortice nuclei applicato tubo fit inſtrumentum ad hauriendum petum. E ligno hujus arboris (quod filamentoſum plane eſt) cæſo & contuſo, ſine alia opera fit farina, Luſitanis *Farinha de pao* dicta, Braſilienſibus *Urucuri*, coloris rufeſcentis, quâ utuntur in defectu farinæ de *Mandiocu* ad panem conficiendum.

Rami hujus arboris, ſeu potius folia lentiſſima ſunt, unde ſerviunt ad tegendas caſas, & ad vinciendum, ideóq; magni uſûs ſunt itinerantibus.

E fructu fit oleum ut è fructu Pindobæ, valdè medicinale, imprimis adversùs Raiarum puncturas venenatas; nec puto præſtantius remedium dari contra illud malum.

In ipſa arbore naſcitur Polypodium *Caraguata*, quæ aquam præbet ad bibendum.

14. *Palma Braſilienſis nona* Miriti *dicta* Piſonis.

Familiaris eſt præfecturis *Cearæ* & *Maranhan*. Fructum fert unicum, edulem atq; dulcem, oval etiam magnitudine. Cortice eſt rubicundo nigris maculis; intus verò rubro. Folia illius magn fiunt ab indigenis, ut illis tegularum vice utantur.

15. *Palma Braſilienſis decima, Miraiaiba dicta* Piſon.

Familiaris eſt præfecturæ S. Vincentii, cortice ſpinis armato: materie duriſſima, ex qua fiun arcus nigri coloris. Fructus fert ovi columbini magnitudine, edules & ſatis gratos.

Nimis brevis eſt Piſo in harum arborum deſcriptione.

16. *Jocara & Jucoara Braſilienſibus* Marcgrav. *Giocarà* Piſon. *Palma coccifera minor Bra ſilienſis.*

Caudice tenui, recto, glabro, gryſeo exſurgit, more Palmæ cocciferæ, ſed vix dimidiæ altitudinis. *Floſculi* parvuli, tripetali, ex albo ſubflaveſcentes, in ramo duos circiter pedes longo, in multos ramulos tripedales plus minùs expanſo, è ſiliqua flaveſcente egreſſo numeroſiſſimi, in medio aliquo ſtaminula flava habentes. Flori ſuccedit parvulus *fructus* figurâ *Coco* [Piſoni parvuli fructus, rac moſi, inſtar Palmarum] Supra ſiliquam (quæ ambit ſuo exortu, ceu vaginâ, arboris quaſi caud cem) folia in ſummitate proveniunt alata ut in Palma coccifera, ſed breviora, nec alæ ità longæ a latæ. In ſummitate arboris plerunq; folium convolvitur, ſtans erectum inſtar fiſtulæ. Admodu lentus eſt floris ramus, & pro ſcopis, imò flagellis poteſt uſurpari.

17. Palm

17. *Palma Americana ſpinoſa* C. B. *Palma Hayri* Park. *Palmæ facie Hairi* J. B. *Palma Braſilienſis ſexta ſeu Ayri* Piſon. **The prickly Palm.**

Arbor eſt ingens, *trunco* multis ſpinis armato tenuibus & pungentibus inſtar acuum, Rochefortio is ſeu planis, digitum longis, dentiſcalpii figurâ, politis, colore è rubro nigricante: *foliis* Palmæ longioribus, ligno marmori nigro ſimili, quod ferri modo in aqua ſidit: quare Barbari ex eo es conficiunt atque monilia, adeóque durum ac validum eſt, ut ex eo ſagittæ quaſvis ferreas loricas etrare poſſint. Fructum edit pilæ luſoriæ magnitudine, altero extremo quodammodo acutum, ſoni rotundum ut cæteræ Palmæ, ſed non adeò racemoſum] nucleo intus albicante, pingui, ſed n eduli.

Rochefortius arborem totam echinatam eſſe ait, per trunci ramulos & folia rigidis & acutiſſimis nis, nec impunè tractandis obſitam, quæ ſi quem compungant periculoſum nec facilè medicae vulnus infligunt ni remediis idoneis tempeſtivè ſuccurratur. Quocirca Nigritæ antequam eam ingant igne in circuitu accenſo aculeos amburunt. Fructum griſeum durum, rotundum, nuum eſculentum claudere. Facta ſub ramis inciſione vinum quoddam inde ejiciunt Nigritæ.

18. *Areca ſive Fauſel, ſive Avellana Indiana verſicolor* Park. *Fauſel ſive Areca Palmæ foliis* J.B *Palma cujus fructus ſeſſilis Fauſel dicitur* C. B. *Areca ſive Fauſel* Ger. *Caunga* H. M.

H. M.

Arbor eſt procera, altitudine *Tengæ ſeu Cocci*, *radice* nigricante, oblonga, ſpithamam craſſa, ralas albicantes & rufas, quæ intus lignoſo filamento ſunt, ex ſe diffundens, *caudice* ad radicem hamam craſſo, in ſummitate paulo minore, *cortice* obducto viridi-claro.

Rami [veriùs folia] ex caudice decuſſatim bini ordine prodeunt, ex ſe mutuò emergentes, cum e ſummitatem caudicis inſtar vaginæ ſeu capſæ rotundæ ac clauſæ circumplectentes, exterios interiores circundantibus, ac ſimul caput oblongum in ſummitate arboris quod craſſius eſt corpore caudicis inferiore, conſtituentibus: rami exteriores pede fiſſo ac rupto pòſt ſucivè ſuo tempore decidunt. Sunt autem rami hi ſeu folia pinnata pectinatáve, coſtâ mediâ pinnæ ſeu folia adnectuntur ſuperiùs nonnihil cavâ, inferiùs rotundâ, colore utrinq; viridi: næ ſeu folia bina ordine oppoſita, tres quatuórve pedes longa, quatuor plus minùs pollices lata, inſtar flabellorum in duas tréſve, etiam quatuor aut quinq;, plicas complicata, & cum plicis ex ramorum producta, in parte interiore in plicarum angulis eminentibus coſtis viridi-claris obſita, intus venis in longum ſtriata, contexturâ rigidâ, ſuperficie plana, viridi-fuſca & nitentia rinque.

In ſumma arbore è foliorum ſinubus exeunt vaginiformes *capſæ*, quatuor plus minùs ſpithamas gæ, è ſingulis foliis ſingulæ, ſurculos floribus & fructibus onuſtos includentes, interiore latere cavæ, exteriore convexæ, ſuperficie glabra & æquali, in medio partis cavæ ſtriâ lacunoſâ ſulcatæ, ndum quam rumpuntur ſeu aperiuntur, exteriùs primùm è viridi albicantes, pòſt ætate eſcentes, exteriùs candidæ. Excreſcente theca folium è cujus ſinu exit vi detruditur. Ramuli Surculi capſis incluſi, ima & craſſiore parte fructibus teneris dotati ſunt, & in ſurculis tenuibus is ſolis ſeu gemmis *florum* in duabus oppoſitis partibus obducti; ſunt autem gemmæ iſtæ parvæ, uloſæ, albicantes, in tria folia rigida, cuſpidata ac craſſiola ſe aperientes, continéntq; in medio mina novem, albicantia, tenuia, ſine ullis apicibus, tria longiora ex flavo albicantia, quæ à ſex noribus magis flavis cinguntur.

Fructus juſtam magnitudinem adepti oblongo-rotundi ſunt, in ima & ſuperiori parte ſtrictiores, tice craſſo tecti, pulpa rufo-rubeſcente, intus in medio medullam albicantem [nucleum ſeu en] continente. Cùm autem teneri ſunt hi fructus candidi ſunt ac nitentes, albicantibus ſurs appenſi, formâ non rotunda ſed angulata, maxima parte foliis calycis oblongo-rotundiolis & tuo circumvolutis comprehenſi. *Quomodo fructus paulatim mutantur pro variis maturitatis gradibic vide.* Cùm teneri ſunt humorem multum & clarum, ſaporis adſtringentis, in medio pulpæ tinent, pulpâ paulatim auctâ humor minuitur donec nulla ſuperſit, dein medulla albicans naſcipulpa indureſcente, & cortex tandem aureo-flavus fit. Eſt verò pulpa cùm tenera & humida colore albicante ſubflavo, formâ oblongâ, anguſtâ & ad ſummitatem cuſpidatâ, dura, colore ufo rubeſcente, formâ minùs oblongâ, craſſiore ac magis ad conum accedente cujus baſis eſt in parte fructûs. *Pulpa* ſeu dura, ſeu mollis cum *Betel* addito momento calcis manditur, maximè em mollis.

Cortex pulpam circundans corticula exteriore denſiori & duriori, quæ ſuperficie plana & glabra ac primùm albicans, dein viridis, poſt cùm pulpa ac medulla dura eſt aureo-flavi coloris, obtus eſt: reliquam corticis deſcriptionem, vide in *H. M.*

Quatuor plus minus capſæ in ejuſdem arboris capitulo ſimul reperiuntur. Septimo à ſatione o arbor hæc fructum edit, aut ſi terra ferax ſit quinto: vivit 50 annos, 30 in vigore durat, poſt gueſcit. *Fructus* poſt unum menſem quo è capſá erupere aquam recipiunt, poſt tres menſes ctus omni aqua repleti ſunt; poſt ſex menſes pulpâ durâ.

Cluſius ſcribit arborem hanc cortice adeò lævi integi, ut nullum aſcenſum præbeat, niſi aptaad pedes compedibus ac laqueis, aut cincto per intervalla caudice vinculis quibuſdam, ex ſparto ve materia confectis.

Mirum autores noſtros non meminiſſe interiorem nuclei ſubſtantiam candidis rubentibúſq; venis perſam eſſe Nucis moſchatæ in modum.

Linſchotanus ad captum rudiorem bene deſcribit ramum floriferum & fructiferum vaginâ inſum, Fructus, inquiens, ex longo craſſóque ramo in petiolos ſcopæ inſtar diviſo dependent, magudine haud pari.

Locus. In arenoſis & maritimis tantùm locis naſcitur, mediterranea reſpuit.

Maximam hujus arboris fructui famam conciliavit quotidianus ejus apud Indos magnates uſus, qui eum cum foliis *Betle* aſſidue maſticant.

Vires & Uſus. Areccæ ac Betelæ libum ex ligno ſive arbore quam *Kaatam* vocant etiam admiſcent, ipſáque Betelæ folia calce ungunt ex oſtrearum teſtis aduſtis confecta, quæ tamen ob exiguitatem corpori nocere nequit. Hanc confectionem pariter deglutiunt, ſuccum nempe, nam cætera exſpuunt. Valet (ut aiunt) adversùs fœdum oris halitum, firmat dentes ac gingivas, oſcedinem, ſive (ut vulgò vocant) Scorbutum avertit, atq; ideò experimentis conſtat, Indis os nunquam malè olere, nulli dentium dolorem eſſe, aut ſtomacacces fœditatem, vel hujuſmodi alia vitia, ad ſummam ſenectutem uſque inviolato dentium ordine, cùm interim os velut cruore delibutum fœdo aſpectu ſqualeat.

Ejus eſu ventriculum roborari, nauſeam arceri, appetentiam excitari aiunt.

Siccatum fructum (Garcia teſte) ſic parant, Contuſam nucem *Fauſel* in tenuiſſimas partes cum Lycio & folio Betel cui exemptus ſit nervus maſticant.

Multæ ſunt hujus fructûs varietates; tria genera è Linſchotano proponit C. Bauhinus. 1. Latere uno preſſius, altero latius ac majus. 2. Minus, nigricantius, durius, *Checanyn* dictum. 3. A cujus maſticatione homo æquè ac à vino inebriatur. At ſcribit Garcias immaturum fructum ſtupefacere & inebriare.

Fructum quem formâ oblongâ Arecæ ſubjungit Cluſius, Palma-pini ſuæ nucleo idem exiſtimat Lobelius, affirmat *D. Syen* commentar. in *H. M.*

Palma *Babei Coyolli* dicta Franc. Hernandez, lib. 3. cap. 42. huic eadem nobis videtur.

* *Hiſt. lib.* 3. *cap.* 189. 1. Deſcribit *Jo. Bauhinus Nucleum quendam nuci Moſchatæ & Fauſel ſimilem his verbis, Formâ erat & magnitudine Nucis Moſchatæ, non ſeſſili & turbinata ut plerunq; eſt Fauſel, unciam longus, durus, ſectioni reſiſtens qui injectus in aquam ſidit: in una parte pulcher umbilicus, in medio nonnihil protuberans: ab umbilico exoriebantur nervi nonnihil elati, albi, qui per nucem fuſcam ſeu nigricantem obliqui & reticulatim perveniunt ad oppoſitam partem.

* *Hiſt. lib.* 3. *cap.* 190. 2. Alium fructum *deſcribit idem ſub titulo *Fructus una parte ſeſſilis, velut ſulcis diſtincti inſtar nucis Fauſel.* Magnitudine erat Juglandis cum ſuis tunicis, ponderoſus, in aqua tamen non ſidit, durus, ſectioni reſiſtens, colore fuſco, globoſus ferè niſi una parte nonnihil ſeſſilis eſſet, non tamen Fauſel modo, ſed ſuo particulari, cui alioqui ferè ſimiles habet ſulcos pænè reticulatim diſtinctos: corticem duplicem, unum tenuem, nigrum, lucentem; externum fuſcum cum aliquo rubore, ſimilem cortici Nucis Moſchatæ, durum fragilem tamen habet magnum umbilicum album.

Hunc fructum à Cluſio traditum putat Exot. lib. 2. cap. 22. primo in loco.

3. Fauſel accedens nux J. B. Exot. lib. 2. cap. 23. ſecundo in loco à Cluſio deſcriptus, ſeſcuncialis erat longitudinis, uncialis craſſitudinis, cutaceo putamine præditus, cineracei foris coloris, internè multis fibris conſtans, pænè inſtar involucri nucis Fauſel, inferna parte gemino & veluti duplicato calyce munitus, extimâ ſive ſupremâ mucronatâ: nucleum, ſive veriùs nucem, continebat nigram, valdè rugoſam duram, Fauſel non diſſimilem; ad cujus genus non ineptè referri poſſe arbitratur Cluſ. Similem deinde accipiebat, cujus oſſiculum erat durum, nigrum, multis villis obſitum, nucleum continens rugoſum, durum, inſipidum.

4. Nucleus pyramidalis Indicus, ad Fauſel accedens venis. Pyramidalis erat, unciam longus, externa parte nigricantibus venis pictus, ad Fauſel accedentibus, pulpa alba, dura; in medio aliqua cavitas, eodem modo quo in Nuce Indica magna: ſaporem manifeſtum in eo non experiebatur J. Bauhinus.

Siri gata Gamber Indis ſunt Paſtilli ex Fauſel, Lycio, Caphura, ligno Aloes & Ambari momento compoſiti, quos potentiores apud Indos eſitant. Sunt autem circinatæ prorſus rotunditatis, plani, Nucis Vomicæ magnitudine & pæne forma.

19. *Katou-Indel* H. M. *Palma ſylveſtris Malabarica, folio acuto, fructu Pruni facie* D. Commelin.

Quatuordecim circiter pedes alta eſt, cortice nullo, ſed cruſtâ cincreâ ſolummodo obducta, ligno albicanti præduro arctiſſimè unitâ.

Radix albicans, fibrata, odoris ſylveſtris, ſaporis unctuoſi.

Folia pinnata ordine decuſſato è caudice erumpunt, è vertice ſolum prodeuntia, novellis autem erumpentibus vetuſtiora decidunt. Horum pediculi ſeu coſtæ mediæ virides ſunt, glabræ & nitentes, intus planæ, extus convexæ, necnon inferiùs ſpinis oblongis & rigidis obſitæ. Pinnæ brevibus petiolis ex adverſo coſtæ adhærent, numeroſæ, oblongo-teretes, acuminatæ, denſæ, glabræ, virore nitenti, ad exortum interiora versùs clauſæ, necnon nervulis ſubtilioribus in longum ſtriatæ.

Flores rigidis, viridibus ac coriaceis capſis primò occultantur, è quibus deinde apertis emergunt exigui, plurimi uni pediculo inhærentes, tribus rotundis è viridi albicantibus foliolis, tribus albicantibus lanuginoſis ſtaminulis dotatis conſtantes; odore nullo, ſapore auſtero.

Fructus oblongo-rotundi, exigui, prunellorum ſylveſtrium ad inſtar, cuſpide duro ac lignoſo in vertice dotati, ad baſin verò calyce viridi, in tres lacinias ſecto excepti, primùm virides, dein rubicundi, maturiores verò rubro-fuſci, nigricantes & nitentes, cortice tenui & fractu facili obducti, ac carne albicante, dulci, farinacea referti; intra quam oſſiculum continetur oblongum, rufum, ſulco profundo in longum ſtriatum, nucleum continens albicantem & amarum. Hi verò fructus ramis proveniunt viridibus, glabris & nitentibus, duos fermè cubitos longis, duóſq; digitos latis, planis, rigidis ac lignoſis, nullóque cortice veſtitis, quorum tenerioribus abſciſſis liquor effluit pellucidus, auſterus.

Provenit hæc arbor locis montanis, petroſis & arenoſis ubiq; in Malabar, imprimis circa *Waripouli* & *Trevancoor*: quovis anni tempore floret fructúſque fert, éſtq; non raròad ſexageſimum annum frugifera.

Vires & Uſus.

Fructus hujus arboris, quemadmodum fructus *Faufel* ſeu *Areka* cum folio *Betel* & calce viva à peribus manducantur: avidè quoque ab Elephantibus expetuntur ob *Palmito*, hoc eſt, medul- n ſuaviſſimam ramulis quibus fructus adhærent incluſam. Cæterum folia, fructus, aliæq; arboris tes validiſſimè aſtringunt, & fluxus quoſcunq; potentiſſimè ſiſtunt. Inſuper è foliis pileos con- unt indigenæ.

20. *Palmæ facie cuciofera* J. B. *Palma cujus fructus Cuci* C. B.

Κυκιοφόρον Theophraſto Palmæ ſimilis eſt; ſimilitudinem habens in caudice & foliis. Sed differt ea: Nam Palma individua ſimpléxq; aſſurgit, hæc autem ubi pluſculum adoleverit dividitur & fit ida, atq; uterq; ramus rurſum ſubdividitur. Virgas breves, nec multas profert: Fructum fert mag- udine qua manum impleat, rotundum & oblongum, colore flavicante, ſucco dulcem & gra- imum, non congeſtum ut Palmæ, ſed per ſingula diſcretum, nucleo magno vehementérque ro, &c.

Ex hac Theophraſti deſcriptione conſtat arborem cuciophoram Palmæ ſpeciem non eſſe: Ve- n quia Botanici omnes ad Palmam eam referunt, & pro Cuciophoræ fructum deſcribant, qui for- ſe Palmæ cujuſdam ſit. Nos quoq; eos ſecuti eam Palmis ſubjungemus.

Fructus quem Cucioferum vocant, deſcribente Jo. Bauhino, pugillari eſt magnitudine, coloris e melini, altera parte latiore, altera magis turbinata, Cydonium malum aliquatenus referens; ortice polito, punctis notato, duro, cui fungoſa ſubeſt ſubſtantia, medium digitum fere craſſa. cleus minor quàm figura Cluſii [ſub nomine Bdellii fructûs] exprimit, Piri parvi formâ turbi- tâ, nonnihil rugoſus, ſeſcunciam ferè longus, unciam latus, cortice undiquaq; obtectus, nonnihil rugoſo, rufo, tenui, pelliculæ interiori Avellanarum aliquatenus ſimili, ſub quo immediatè ſub- antia candida, cornu inſtar dura [in ſicca noſtra] guſtu ſapido & ſuavi, ut Nucis Indicæ pulpa, t Amygdalarum dulcium nucleus, ſemunciam craſſa. Cavitates duas habet; alteram in totius uctûs medio oblongam, fructûs formæ reſpondentem, inæqualiter tuberoſam, pultis ex Oryza fa- e, ſed cornea duritie, cæteroquin inanem; alteram in parte turbinata, paulò ſupra priorem in- pientem, & ad corticem deſinentem, oblongam, exiguam, quam exactè complet corpuſculum oddam, ruffum, molle, dulce, quod germen exiſtimamus, à quo per majorem cavernam filum mittitur, duritie, colore & ſapore cum nucleo conveniens.

Cordi Nux Indica minor, Theophraſti Cuci in omnibus præterquam magnitudine & figura, cum uce Cocos dicta convenire nobis videtur.

Arboris Cuciophoræ deſcriptionem apud Recentiores non invenio. Fructus tamen Palmæ Indicæ ſpeciem eſſe arguit, & quidem cocciferæ anguloſæ *C. B.* De loco nihil certi traditur.

CAP. III.

Palma Indica folio bicompoſito, fructu racemoſo, Schunda pana H. M.

H. M.

ARbor eſt procera, naſcens in arenoſis, *radice* ex rufo obſcuro cortice tecta, medio ligno molliore, fibris hinc indè veſtita.

Caudex duorum hominum amplexum implet, cortice ſeu potiùs cruſtâ cinereâ obductus quæ deglubi nequit, ligno exteriore ad corticemd uriore, intimo ſeu medio molli.

Folia (ramos vocant) bina ordine decuſſato è caudice prodeunt, * pedibus ſuis eum ambientia uemadmodum folia *Tengæ*, & reticulato cortice, cujus filamenta ex oris pedum originem ſumunt ircumveſtientia, ſúntq; ad pedem ſeu baſes ſuas pediculi hi tenues ac cavi, tomentoſâ rufa lanugine exteriùs obſiti, ac tactu velut coriacei, interiori ſuperficie albicantes ſeu ruffi; inferiùs latiores, arte ſuperiori, quà à caudice reflectuntur, rotundiores ſunt, & duabus lacunis latis interiùs utrin- ue in longum ſtriati, ex quibus versùs oppoſitas partes ſurculos foliaceos emittunt, qui angulati, & nteriùs ſtriati ſunt [*ſurculos hujuſmodi in foliis compoſitis ramaſtros appellat Jungius*] ad exortum ex- berantes, exteriùs virides ac piloſa lanugine, quæ facilè deteri poteſt, obſiti, intus filamentis lignoſis xè pertexti, ob lignum paucum leves.

* *h. e. pediculorum baſibus:*

His versùs ſuperiorem partem adnaſcuntur *folia*, bina ordine oppoſita, oblonga & velut triangula, xteriore latere longiore, interiore ad ſcapum ſeu coſtam breviore, quæ concurſu ſuo ad exortum olii angulum acutum efficiunt: tertium latus folium anterius terminans, & prædicta duo latera onnectens, cum interiori & breviori angulum obtuſum, cum exteriori & longiori acutum efficit. Folia iſthæc cuſpidibus acutis eminent, ſúntq; contexturæ rigidæ, venis ex angulo exortûs prode- ntibus, quæ certis intervallis velut nervi eminentes, in averſa parte extuberant, ſuperficie utraq; glabra ac viridi-fuſca, & valdè nitentia.

Flores & *fructus* in capſis oblongis, quæ ex caudice ſupra originem ſurculorum foliaceorum ex- unt, ac unum brachium longæ ſunt, & quatuor vel quinque viridibus, ſcutellatis corticibus conſtant, ſimul proveniunt ſurculis numeroſis, qui capſis apertis ex iis erumpunt ac ramo medio craſſiori coronatim circumpoſiti, octo plus minus cubitos longi evadunt, & graves faſcias conſtituunt, denſo ordine arctè inſidentes.

Flores ſpicei, bini ex adverſo, dipetali aut ſummum tripetali, petalis ſurrectis, cuſpidatis, duris, rigidis, craſſis, nullis venulis ſtriatis, intus concavis, colore primùm viridi, poſt rubeſcente, dein flaveſcente, alii aperti, alii clauſi, atque adeò diverſi coloris, alii rubri, alii cœruleo-rubri dilutiùs aut intenſiùs, alii flavi.

E medio horum ſpiceorum foliorum emicat penicillus anguſtorum, flavorum, ſurrectorum ac ſtriatorum foliorum, quæ inſtar ſtaminum ſunt.

Gemmæ fructuum juxta ſpiceos flores ſitæ ſunt, minores quam flores, rotundæ ac in ventre cuſpidatæ, & cum cuſpide anteriora versùs reflexæ, quæ floribus deciduis remanent ac in fructus excreſcunt; ingenti numero cùm jam adulti ſunt ramum onerantes, plano-rotundos ſurculis ſtriatis ſine petiolis adnatos, dum immaturi ſunt duros ac virides, dein flavos, rubicundos & per maturitatem rubicundo-obſcuros & nitentes, conſtantes cortice tenui, & carne intus molli & rubra, linguam acerrimè pungente ac lancinante.

Intus *ſemina* ſeu nuclei duri duo ſunt, totam fermè capacitatem fructus replentes, formâ oblongi, una parte gibbi, altera qua ſibi mutuò accumbunt plani, ſtriis lacunoſi, colore exteriùs rubro, ac carne intus cœrulea, albicante & rubra.

Chamærhiphen peregrinam *Cluſ.* D. Syen nihil aliud eſſe ſuſpicatur quàm faſciam ſeu racemum cui adhæſerunt hujus arboris fructus; cui opinioni ut probabili nos etiam conſentimus.

Palma vinifera fructu ex arboris trunco ſpinoſo C. B.

Hujus arboris fructus ex ſtipite pendent, Pineæ Nuci ſeu Ananas non diſſimiles. Ad me ſcripſit *D. Tancredus Robinſon* Arborem iſtam, cujus elegans Icon ex Indiâ Orientali ad Regiam Societatem Londinenſem tranſmiſſa fuit ſub nomine arboris *Sageweer*, eſſe hanc palmam, vel ei valdè ſimilem, quòd fructus ex arboris trunco pendent, ut in Arbore *Jaca* dictâ, & folia ſunt pinnata, ex adverſo bina. A flore vulnerato extillat Vinum: me monuit idem Amicus hanc Arborem eſſe veram Palmam ob ramaſtros Arundinaceos, folia acuta, pinnata, palmacea; & ab hiſce notis facillimè diſtingui à *Jacâ*, & Arbore Indica *Mamei*, *Momin*, & *Toddy* dictâ.

Hæc Arbor à genuinis Palmis differt ſitu fructus, qui in hâc è trunco nudus, in illis è capite ſeu gemmâ prodit vaginâ Spathâ dictâ incluſus.

CAP. IV.

De Palma folio plicatili flabelliformi majore.

1 *Palma coccifera, folio plicatili flabelliformi fœmina, Carimpana* H. M. *Palmeira brava femina* Luſitanis.

R*Adice* eſt ſupernè fibris capillatâ, rectâ deſcendente, ac ramos tranſverſos obiter emittente, cortice ac ligno nigricante.

Caudex ligno ex rufo nigricante conſtat, corculo in medio molli, exteriùs cortice ſeu cruſta nigricante, quæ deglubi nequit, ut *Tenga*, obductus, ligno ad cruſtam duriore.

Folia (ramos vocant) decuſſato ordine ſummum caudicem coronant, pediculo quatuor fermè cubitos longo, ſupernè plano & nonnihil cavo, inferiùs rotundo, ac in oris ob cuſpides eminentes aſpero & incidente, ima parte ſpithamam fermè lato, ſummâ ſtrictiore nec palmum latitudine excedente, prægrandia, in latum expanſa, ac veluti flabellum plicata, in plicarum oris eminentibus coſtis aſperis obducta, in anteriore parte inciſa, ac in plures cuſpides ſtricta, texturâ denſâ ac craſſâ, in longum venis denſis ſtriata.

Fructus externâ formâ ſimiles ſunt fructibus *Tengæ*, ſed minores ac rotundiores, & in vertice nonnihil plani, calyce arcto & majori, & foliis arctè circumvolutis excepti, prodeuntes ex capſis quæ tribus foliis arctè circumvolutis conſtant, ac ſupra ex exortu foliorum erumpunt. Fructus hi exteriùs cortice craſſo conſtant, cui corticula denſa obducta eſt, in fructibus immaturis viridi-fuſca, nitens ac glabra, in maturis inferiùs ſupra calycem nigricans & nitens, ſulcis & fiſſuris in longum ſtriata, ſuperiùs in vertice ex viridi flaveſcens ſeu prorſus flava; ipſe autem intus pulpam habet denſam, quæ primùm mollis & alba eſt, dein cùm fructus probè maturi ſunt, filamentis lignoſis, tenuioribus ac mollibus, densè pertexta, ac ſucculenta, ſaporis ſubdulcis & non ingrati, odoris fortis ac ejuſdem cum carne fructûs dicti *Schacca*. In medio hujus pulpæ duæ tréſve nuces, oblongo-rotundæ, & planæ, pulpa intermedia à ſe mutuò ſejunctæ conſitæ ſunt, conſtántq; exteriùs operimento craſſo ac lignoſo, cùm vetuſtiores ſunt poroſo, ac nonnihil duro, quod in exteriori ſuperficie filamentis lignoſis albicantibus arctiſſimè obductum eſt, adeò ut minus glabrum ſit quàm operimentum lignoſum in fructu *Cocos*. In hiſce cùm teneriores ſunt intus medulla eſt cœrulea & tranſparens, craſſa, mollis, gelatinæ conſiſtentiâ, ac eſculenta, ſaporis dulcis haud ingrati, quæ tempore valdè indureſcit, adeò ut mandi nequeat.

Non eſt hæc arbor *Talagaha* ſeu *Talipot*, i. e. Arbor umbroſa Cingalenſium, ut opinatus eſt *D. Syen*.

Locus. Naſcitur in arenoſis.

2. *Palma coccifera folio flabelliformi mas*, *Ampana* H. M. *Luſitanis* Palmeiro bravo macho.

A præcedente in eo tantùm differt, quòd loco fructuum, capitula teretia & florifera proferat, quæ ex capſis præcedentis ſimilibus exeunt è foliorum ſinubus pariter emicantibus, duas ſpithamas plus minus longa, & nonnihil incurva, primùm cum caulibus albicantia, dein vireſcentia & fractu facilia, in ſuperficie plurimis ſquamulis, quæ ex intortione aperta ſummitatem eorum reſpiciunt, obducta.

Flores quos ferunt inter ſquamas ex ſuis oculis emicant in tractibus ſpiralibus at non ſignatis ac ſibi mutuò parallelis conſiti: ſúntque ſtellulæ, conſtantes tribus parvis, interiùs cochleato-cavis ac rigidiuſculis foliolis, quæ primùm cum capitulo albicantes, deinde virideſcunt, conſtantes; continéntque in medio quinque vel ſex tenuia ſtamina, quæ apicibus albicantibus, ſubflavis & grandiuſculis ac ſtriatis dotata ſunt.

In hiſce capitulis floriferis intra carnem proximè ex adverſo oculorum florum *Gemmæ* oblongo-rotundæ, ad ſuperficiem erectæ, quæ glabro loculamento occluſæ ſunt, continentur, quorum oculis flores inſerti ſunt.

Capitula iſthæc & figurâ & texturâ ſuâ ſe genuinos julos ſeu nucamenta eſſe produnt: unde arborem hanc à præcedente ſpecie diſtinctam eſſe non concedimus. Stantibus ergo naturæ legibus à Moriſono xhibitis non neceſſe eſt ut hæ arbores disjungantur, cùm altera florifera tantùm ſit, altera fructifera; ſexu liſtinctæ, non ſpecie: quod idem & Salici & Palmæ dactyliferæ, & aliis præterea arboribus accidit. At verò ſi fructum reſpicias ſecundùm leges iſtas Palmæ ad diverſa genera reducendæ ſunt. Aliæ ſcilicet ad Pruniferas, quarum fructus pulpâ humidâ molli oſſiculum ambiente conſtat; Aliæ ad Nuciferas, quarum fructus pro exteriore etiam tegumento materiam habet ſicciorem. At neq; figurâ conveni-nt Palmarum fructus, ut earum deſcriptiones attendenti manifeſtum fiet, neq; oſſiculorum ſeu ſeminum numero: Alii, enim & quidem pleraq; ſimplex oſſiculum habent, alii, geminum aut etiam plura.

3. *Palma montana folio plicatili flabelliformi maximo, ſemel tantùm frugifera. Codda-Panna, ſive Palma montana Malabarica* H. M. *Cingalenſibus* Talagas *&* Talagaiia, *&* Talipot. *An Palmam referens arbor farinifera* C. B?

Panna Malabarenſibus generale nomen eſt, quod cuiq; Palmæ ſpeciei attribuitur.

Magnam habet quoad folia ſimilitudinem cum *Carimpana* & *Ampana.* Folia autem, cùm arbor in ſummo vigore eſt, latitudine quatuordecim, & excepto ſpinoſo pediculo longitudine octodecim pedes ſuperant.

Poſtquam arbor hæc intra annos triginta quinq; aut ſex ad 60 vel 70 pedum altitudinem excrevit, nullis interea floribus aut fructibus prolatis, è medio ejus apice novum quaſi caudicem emittit, qui trium quatuórve menſium ſpatio ad 30 circiter pedum menſuram aſſurgit, quo tempore folia pleraque decidunt, ac arbor altiſſimo ac lævigato malo planè ſimilis eſt. Dein novus hic caudex, duodecim aut tredecim circiter hebdomadum decurſu, undiq; longos, rotundos ac læves ramos, nullis foliis aut ramulis lateralibus ornatos emittit, quorum inferiores viginti pedum longitudinem obtinent. Atq; ex his ramis demum plurimi ramuli prodeunt, qui copioſiſſimis ac exiguis albicantibus floſculis, in faſciculos quaſi collectis, ternis quaterníſve contiguis, tribus foliolis ſéxque ſtaminibus dotatis, inſtructi, jucundum exhibent ſpectaculum. His autem floſculis poſt tres quatuórve ſeptimanas decidentibus exiguæ ſuccedunt baccæ, quæ indies augentur, & ſex circiter menſium ſpatio perfectos ac maturos exhibent fructus: quibus delabentibus novus hic caudex emarceſcit, totáque arbor emoritur. Sunt autem fructus exactè ſphærici, cortice glabro, viridi, carnoſo, aqueo, ſucculento, ſubpingui ac ſubamaro veſtiti; nucleus verò qui hoc fructu continetur, ſatis magnus, rotundus, albicans ac eburneus, carne dura & oſſea infercitur: medullare autem corculum nunquam induratur, ſed tempore conſumitur, & cavitatem relinquit.

Hujus arboris ejúſque partium omnium in initio & prima germinatione, in incremento, in ſtatu & vigore, ínque declinatione delineationes accuratiſſimas, duodecim tabulis æneis comprehenſas, exhibent Horti Malabarici auctores.

Naſcitur hæc arbor locis montanis & petroſis in Malabar, nimirum *Mangatti, Tintsjour, Katour,* & pluribus aliis locis. Creſcit quoq; in inſulæ *Zeilan* provinciis *Menda Corla, Agras &* juxta *Bhou-ou-Malec,* ſeu *Adams pico.* Floret indifferenter quocunque anni tempore, quanquam in Auguſto non rarò hi floſculi obſerventur, qui intra quatuordecim menſes vix maturos exhibent fructus. Una autem arbor pluſquam viginti millia fructuum producit. *Locus.*

Foliorum hujus arboris apud indigenas frequentiſſimus uſus eſt ad homines inumbrandos: interum autem folium iſtius magnitudinis eſt ut decem pluribúſve hominibus umbraculi loco inſervire queat: quem in finem incolæ extremas folii lacinias conſuunt, ut rotunditatem quandam acquirat quo faciliùs ſub ejus tegmine aliquot homines ab imbribus radiiſque Solaribus defendi poſſunt. Inſuper folia ædium tectis inſerviunt; necnon pro chartaceis philyris Malabarenſes iis utuntur, adeò eorum libri non ex libris, hoc eſt, arborum corticibus interioribus, ipſi ligno adhærentibus, ſed ex hujus arboris foliis conflentur, admodum durabiles, & ſi bene aſſerventur pæne perennes: quibus ferreo ſtylo ſuos characteres imprimunt, unde ſuperiore cuticula dehiſcente literæ inſignatæ remanent. E fructibus autem globuli ad armillas, brachialia, moniliáque pro Domicellis [virginibus & matronis] tornantur, iíque lævigati & rubro colore tincti, pro genuino rubro corallo imperitis facilè obtruduntur. *Uſus.*

Cæterùm arbor hæc in Medicina vix ullum habet uſum: nihilominus tamen ſuccus è ſurculis fructiferis expreſſus vomitum excitando conducit ex morſu ſerpentis vertiginoſis ac delirantibus. Fructuum theca tenella adhuc ſi diſcindatur liquor exſtillat, qui radiis ſolaribus in ſubſtantiam du-orem condenſatus, ac mulieri gravidæ exhibitus fœtum necat & potenter expellit.

Arbor hæc à *Roberto Knox* Navarcho, qui viginti annos in inſula *Ceylon* captivus detinebatur, in Hiſtoria quam publicavit iſtius inſulæ ſatis accurate deſcripta eſt. Hujus arboris (inquit) folium admodum tenax eſt & molle pergameni inſtar, & ut commodè circumferatur ab itinerantibus mirabiliter conformatum. Quamvis enim cùm extenditur tantæ latitudinis ſit ut vel viginti homines protegat & inumbret, eſt tamen flabelli in modum plicatile, uſque adeò ut in magnitudinem brachio humano non majorem contrahi poſſit, & præterea leviſſimum eſt, ut in partes diſſectum in manibus facilè geſtetur. Integrum folium expanſum circulum propemodum implet; verùm partes quas ſecum circumferunt triangulares ſunt, eas autem capitibus ſuperimponunt, acutiore angulo antrorſum directo, quò faciliùs arborum & fruticum denſorum ramos obvios penetrent & viam aperiant. Milites ea perpetuo ſecum circumgeſtant tum ad pluvias defendendas, tum ad tentoria ſub quibus internoctu quieſcant. Flores graviter admodum olent, & propterea Cingalenſibus adeò ingrati ſunt & odioſi, ut ſiqua arbor eorum domiciliis vicina creſcat, florendi tempore eam exſcindunt, nulla fructuum ratione habita.

Medulla arboris antequam floret, (eſt autem tota ferè medulla pauco ad corticem ligno) eſculenta eſt. Pinſunt eam in mortario, ut veteres frumentum ſolebant, & è farina panes ſeu placentulas conficiunt, quæ in clibano aut ſub cineribus coctæ, panem ſimilagineum ſapore referunt. In inopia Oryzæ ante meſſem frumenti vicem indigenis ſupplet.

Hinc forte Arbor hæc *Palmam referens arbor farinifera C. B.* fuerit à Cluſio deſcripta exot. *lib.* 1. *cap.* 3. quæ in Ternate inſula Æquatori proxima provenit, cujus ſummum faſtigium in caput orbiculatum inſtar Braſſicæ capitatæ extuberat, in cujus meditullio farina, è qua panes fiunt, ſicut etiam apud Amboenſes & panes & alia cum lacte fercula conficiuntur: Quamvis deſcriptio hæc minimè quadret noſtræ huic arbori, ſed potiùs Palmæ nobili ſeu Regali Barbadenſi, de cujus medulla farina non fit. De eadem arbore farinifera *C. B.* accipienda eſſe quæ Cluſius habet Exot. *lib.* 1. *cap.* 16. vel locus indicat. Arborem quandam in inſula Ternate naſci, quam reciſam in multas partes findunt, quas malleis ex craſſa arundine factis contundunt, atque indè eliciunt velut farinam quandam, ipſis *Sagge* appellatam, ſcobi lignorum quæ ſerrâ reſecta ſunt ſimilem, ex qua panis ſatis albi placentas quadrangulas conficiunt Palmi magnitudine, quibus non modò veſcuntur, ſed magna ferè ex parte mercimonia ſua exercent.

De farina *Sagu* facta ex medulla Arboris Palmam referentis, ex qua panem Amboenſes conficiunt guſtui gratum, & boni nutrimenti. Vide Additamenta ad curas Cluſii poſteriores. Ditiores depſunt hanc farinam cum lacte ex ipſa arbore hauſto madefactam, quod pani multum gratiæ addit.

Arbor adeò mollis eſt materiæ & corticis ut eam cultello menſario pæne tranſcindere potuerunt nautæ. Huc referendam putat Cluſius arborem eam cujus meminit M. Dolus Venetus *lib.* 4. ſui Itinerarii, de regno *Fauſur* agens, his verbis.

In ea (inquit) provincia vaſtarum arborum genus eſt, quas duorum virorum ulnæ vix amplecti queant. Harum adempto cortice, qui tenuis eſt, ſuccedit ligni materies, tres digitos per totum arboris ambitum craſſa, medullam in ſe continens farinaceam, ſimilem cariei lignorum. Hæc in figulinum vas aquâ plenum injecta baculo agitatur, ut furfures & reliquæ ſordes ſupernatet, puráque farina ſubſidat. Effuſa deinde aquâ fit è repurgata farina maſſa, ad varii generis edulia conficienda idonea, pani hordeaceo colore & ſapore ſimilia. Illius arboris lignum ferro conferri poteſt, nam in aquam injectum illico ſidit & mergitur, directéque ut Arundo Donax finditur. Ex eo incolæ lanceas ſibi parant, &c.

Cæterùm & Palmarum Braſilienſium Iraiba Piſonis & Urucuri-iba *Marcgrav.* medullæ farinam ſuppeditant.

Cùm ergo tot ſint Palmæ fariniferæ ſpecies, an Amboenſis illa ſit Todda panna Malabarenſium, an Codda Panna eorundem ſeu Talipot Cingalenſium, an verò Arbor ab utraq; ſpecie diverſa nobis nondum conſtat: non video autem cur non eadem poſſit eſſe cum *Codda Panna* dicta.

Ex quo hæc ſcripſi me monuit *D. Tancredus Robinſon*, Arborem iſtam, cujus elegans Icon ex Indiâ orientali ad Regiam Societatem Londinenſem tranſmiſſa fuit ſub nomine Arboris Sagou ſeu *Zagu*, non eſſe *Coddam pannam* folio plicatili flabelliformi Hort. Malab. ſed potiùs *Toddam pannam* H. Mal. foliis pinnatis, fructipromo cono è multis linguiformibus involucris (veris fructuum loculis) compoſito; & caudice in protuberantes annulos diſtincto.

4. *Palma Braſilienſis prunifera folio plicatili ſeu flabelliformi, caudice ſquamato.* Caranaiba & Ananachicarivi *Braſilianis* Marcgrav. Piſon.

Arbor eſt Palmæ dactyliferæ magnitudine & altitudine, *ligno* duro, rufo ſeu brunno, craſſis nervis intus conſtante, nullius usûs; *cortice* exteriùs gryſeo, & cartilagine à terra ad quoddam ſpatium ſquamato, ſquamis ordine cochleatim poſitis, quæ primò longiores, ſucceſſu breviores fiunt, imò tandem decidunt, ſupernè initio facto; nam arbores adultiores caudicis medietatem ſuperiorem habent glabram ut *Cocociro*, inferiorem ſolùm ſquamatam, ſquamæ autem nihil aliud ſunt quàm reliquiæ ramulorum [foliorum veriùs] qui decidunt arbore in altum aſſurgente enaſcentibus aliis. Ramus quilibet [rectiùs pediculus folii] duos vel tres pedes longus, compreſſus, in utroque latere acuto duris ſpinis nigris armatus, figurâ dentiſcalpium referentibus: unum in uniuſcujuſq; rami [folii pediculi] extremitate folium rotundum figurâ, & ità plicis donatum ut manuarium fœminarum flabellum referat, viridis coloris, ab extremitate ad medietatem ferè introrſum ſectum in multa carinata ſegmenta, foliis Palmæ dactyliferæ ſimilia: quodlibet ex his ſectis foliis circa duos pedes longum eſt. Arbor in ſummitate ramos ſuos, [rectiùs folia] quaquaverſum in orbem expandit, ſurſum, deorſum & ad latus, ut Palma dactylifera.

Inter ramaſtros ſeu folia ramuli prodeunt longiores, quatuor, quinque, aut ſex pedes alti, in multos ſurculos, lanugine albeſcente obductos expanſi alternatim, & quaſi è vaginula prodeuntes, in his exiſtunt *floſculi* pallidè flavi ſine pediculis, tribus foliis conſtantes. Poſt hos proveniunt *fructus*, figurâ & magnitudine Olivæ, dum virides amari, nec edules, nec ullius usûs; at maturi nigreſcunt, & indigenis eſculenti evadunt. Secta hæc arbor nunquam renaſcitur è caudice; tardè quinetiam creſcit & longo tempore opus habet ut grandeſcat.

Uſus. Folia ſerviunt ad tegendas caſas & corbes faciendos.

Piſo duas ſpecies pingit, & ſibi notas ſcribit, ſibi invicem multùm ſimiles, niſi quòd mira foliorum & corticis conformatione diſcrepent.

Utriuſque arboris ſcapus interior egregiè flammam concipit, & inſtar facis diu fovet, ità ut mihi (inquit) per deſerta peregrinanti ſolatio fuerit, non ſolùm ad illuminandum, ſed ad abigenda quævis inſecta, & ſerpentes nocte vagantes.

Huic valdè ſimilis eſt ſi non eadem Palmæ tertia ſpecies, *Latanier* dicta *Rochefortii*. Folia expanſa ad pediculum rotunda ſunt, extremo plicatilia flabelli in modum, pediculis magnis adnexa, qui è filamentis quibuſdam trunci caput cingentibus exeunt. Hæc in faſciculos colligata caſis integendis ſerviunt: membranæ ſeu cuticulæ pedunculis detractæ, cribris, caniſtris ſeu ſportulis, aliiſque vaſculis curioſis texendis idoneæ ſunt, quæ Indi inter rariora ſua & pretioſiora ſupellectilia habent. E ligno ipſius arboris, ut & *Palmæ Francæ* dictæ, arcus efficiunt, & clavas quibus enſium loco in conflictibus utuntur, *Zagayas* etiam, quæ ſunt lanceolæ quædam, quas in hoſtes ſuos manibus projiciunt; quin & ſagittarum acies eo muniunt, quo non minus penetrantes evadunt quàm ſi chalybe cuſpidatæ eſſent. *Uſus.*

CAP. V.

De Palma Humili.

1. *Palma humilis Hiſpanica ſpinoſa & non ſpinoſa* J. B. *Palma minor* C. B. *Palmites ſive Chamærrhiphes* Ger. *Palma humilis ſive Chamærrhiphes vel Palmites* Park. *Palma folio plicatili ſeu flabelliformi humilis.* **The Dwarf-Palm.**

FRuctus Chamærhiphes quos habuit J. Bauhinus magnitudine erant & figurâ olivari, triplici cortice obtecti: extimus colore caſtaneæ, in ruffo nigricans tenuis eſt: huic alter ſubjacet craſſior, colore cinereo, in fila ductilis: tertius ad nucis moſchatæ colorem accedit, nucleum obveſtiens duritie cornea, ſapore dulcem, album, quem percurrunt lineæ ruffæ breves, ex iiſque una cæteris longior ad centrum pertingit.

Folia, quæ ſicca adſervavit, ità erant digeſta ut muſcarii inſtar ex pediculo uno ſeu manubrio triangulari, non multùm craſſo foliorum densè ſtipatum agmen aſſurgat, quorum ſingula ſemunciam lata, ſtriata, bifida aliquando, longitudine cubitali in cultratum mucronem deſinebant.

Folia nobis obſervata in locis natalibus, & è ſcopis vulgò venalibus exempta cuivis obſervatu facilia, ad pediculum palmi unius ſpatio integra ſunt, deinde finduntur in folia qualia deſcribit J. Bauhinus; ubi autem tela folii integra eſt ad pediculum, flabelli in modum in plicas componuntur, plicæque foliorum diverſorum ſpeciem exhibent.

Hoc & J. Bauhinus alibi expreſſit, Quædam inquiens folia dividuntur, ſed aliqua tantùm ex parte, non ex toto, ut relinquat Palmæ manûs latitudinem præter digitos, ut in humili genere apparet.

Planta ipſa ad cubiti altitudinem & ampliùs aſſurgit, inferiore parte (ut aiunt) craſſior, ſuperiore tenuior. Flores edit ex obliquo è capillacea quadam coma emergentes, & racematim cohærentes, quibus fructus ſuccedunt Palmulis vulgatis minores. Pars radici propinquior in globum exuberans internum germen quoddam, quod Cerebrum vocant, innumeris ferè involucris circumſeptum habet, tenerrimum, ſapidum, ſuavi Carduorum guſtu, proinde ſecundis menſis pro bellariis editur cum Pipere & Salis momento, & ad Venerem excitandam haud parum præſtare creditur. Bellonius Alexandriæ in Ægypto crudam mandi ait.

In inſula parva ad Promontorium Siciliæ Pachynum, ínque maritimis Etruriæ obſervavimus non hanc ſpeciem ſed quæ foliorum pediculis ſpinoſis eſt: eandem etiam eſſe puto quæ in Hiſpaniæ maritimis oritur: nam foliorum ex quibus ſcopæ illinc ad nos allatæ fiunt, pediculi ſpinoſi ſunt.

Bellonius duas diſtinguit ſpecies nimirum, 1. Hiſpanicam non ſpinoſam, quam à J. Bauhino deſcriptam dedimus; 2. Creticam ſpinoſam. C. Bauhinus unam tantùm agnoſcit ſpeciem: Et revera quotquot nos obſervavimus vel in Italia, vel in Sicilia, vel ex Hiſpania allata folia pediculis erant ſpinoſis. Scopæ tamen Hiſpanicæ è duum generum foliis, aliis majoribus & mollioribus, aliis minoribus & durioribus compoſitæ videntur, ambobus tamen pediculis ſpinoſis inſidentibus. Verùm hoc curioſiùs obſervandum propono.

Folia ad ſportulas, tegetes & ſcopas parandas inciſa ſunt: ſunt enim ad verrendas domos non ſolùm peridonea, ſed etiam utilia, quòd non confringantur, neque deterantur niſi tempore longo. *Uſus.*

Baccæ ſua adſtringente vi dantur contra omnes corporis fluxiones.

Chamærhiphe peregrina *Cluſ.* vide Palmam Indicam folio bicompoſito, fructu racemoſo ſive Schunda pana *H. M.*

2. *Palma humilis ſpinoſa,* Atitara *Braſilienſibus dicta* Marcgrav.

Marcgr.

Foliis eſt Sigilli Solomonis. In ſeptem, octo aut novem pedum altitudinem aſſurgit, caudice ſatis craſſo & acutiſſimis ſpinis ubique munito, unum etiam atque alterum de ſe ſpargens ramum majorem: Per intervalla autem ambiunt ramuli fruticem, duos, tres aut quatuor pedes longi, aduncis & deorſum verſis ſpinis viridibus cum cuſpidibus brunnis ſplendentibus: In his ramulis *folia* ſunt, interdum bina oppoſita, interdum unum ſolitarium, inodora, ſeſquipedem longa, duos & ſemis circiter digitos lata ubi latiſſima, foliis Sigilli Solomonis aut Lilii convallium conſiſtentiâ & colore planè ſimilia, & in medio nervum ſecundùm longitudinem habentia: tres aut quatuor etiam acutiſſimæ ſpinæ rectæ muniunt folium inferiùs. Extremitas autem ramulorum ad unius circiter pedis longitudinem caret foliis, itidem ſpinoſa, & in modum ſagittæ tripliciter figurata.

Folia hujus plantæ antequam ſe pandunt arctè ſunt complicata in modum foliorum Palmæ, ramulo adhærentia, deinde ſe explicant. Hinc inde in hoc frutice provenit ſiliqua, pedem aut quindecim digitos longa, teres, duos aut tres digitos craſſa, & in utraque extremitate acuminata, paulúmq;

incurvata, ubique per ambitum acutiſſimis ſpinulis obſita, primò viridis, dein nigreſcit, & ſponte ſe aperiens promit ramum ex ſe, more & modo Palmæ nuciferæ in multos ramulos diſtributum coloris ex flavo albeſcentis, cui *floſculi* multi, hinc copioſi globuli fiunt, qui in fructus abeunt, *quorum formam & conſiſtentiam Auctor non deſcripſit.*

Vera & genuina Palmæ ſpecies eſſe videtur: nec obſtat quod unum aut alterum ramum majorem de ſe ſpargat: hoc enim Palmæ etiam dactyliferæ interdum accidit, éſtque inſolitum & merè accidentarium, naturæ aut laſcivientis aut deerrantis effectum: ut aliquoties etiam monuimus.

Alias adhuc Palmarum ſpecies partim è Jo. de Laet Indiæ Occidentalis Deſcriptione; partim è Purchaſii noſtri Navigationibus producit Johnſtonus Dendrol. *lib.* 2. Verùm quoniam imperfectè admodum deſcriptæ ſunt, ut neſciam an à præcedentibus diſtinctæ ſint nécne, omittendas cenſui. Earum quas meminit J. de Laet in inſula Maragnana naſcentium nomina barbara ſunt, 1. *Meuruty-uve.* 2. *Ynaia.* 3. *Carana-uve.* 4. *Ovacurii.*

Palma Manicam Hippocraticam referens C. B. *Palma ſaccifera* Cluſ.

An hæc planta in Americæ Inſulis naſci dicta ſit genuina palma, multùm dubito; cum nulla pars deſcribitur ab autoribus præter folliculum ſeu fructus thecam.

CAP. VI.

De Arbore melonifera Mamoerâ & Papaia dictâ.

1. *Mamoera mas & fœmina* Ger. Park. Marggr. *Arbor Platani folio, fructu Peponis magnitudine* C. B. *Item Ficuum ſpecie fructus Peruanus* ejuſdem. *Papaia Peruanis* J. B. *Papaia* H. M. *Pino guaeu* Piſoni. *Papaya Orientalis, ſive Pepo arboreſcens* Col. Annot. in Recchum. *Mamoeira mas* Marggr. *Ambapaia* H. M. **The male Papa Tree.**

Marggr. H. M.

Radix rectà in terram deſcendit, conſtans cortice & carne albicante, humida, pingui, ſine ligno, ſaporis & odoris oleoſi, gravis & ingrati.

Caudex aſſurgit ad altitudinem viginti & plurium pedum, pedem circiter craſſus. Cortex cinereus eſt, ſatis lævis & Juglandis æmulus, in ſummitate autem, ubi folia circumſtant, aliquantulum ruffus: *denſus, viridis* H. M.

Folia pediculis inſident rotundis, cavis, rufeſcentibus, ſatis craſſis, ferè directè à caudice extenſis, ſurſum interdum & deorſum vergentibus 1, 2, aut etiam 2½ pedes longis, ambitu orbicularia, pedem lata, in ſex aut ſeptem lacinias inciſa, quæ ſingulæ anteriùs cuſpidatæ ſunt, & ſeptem iterum inciſuras habent, texturâ tenuia, mollia ac tenuia, & lætè viridia.

Folia nova è ſummitate caudicis ſemper erumpunt, vetuſtioribus quæ in inferiore parte ſtirpis ſunt deciduis, & notas albicantes in ejus cortice viridi relinquentibus, ut inferior trunci medietas nuda ſit, ſuperior foliis veſtita.

Flores petiolis tenuioribus teretibus, tres ſpithamas longis, dilutè viridibus, in medio tubulo pertuſis, ex alis foliorum ortis inſident, multi, conferti, pedicellis brevibus, albicantes, odoris grati, quinque petalis oblongo-rotundis, in ſtellæ formam expanſis compoſiti, calyce parvo, arcto & è viridi fuſco excepti. Marggravius colorem pallidè flavum, ceræ æmulum flori attribuit. E medio flore emicant *ſtaminula* decem breviſſima, ad unguiculos petalorum in duplici ſerie affixa apicibus totidem, oblongis, pallidè flavis inſignes.

Tempus. Floret toto anno, fructus fert nullos. At Marggravius falſum eſſe ſcribit fructum ferre nullum, uti & fœminam non ferre fructum niſi mas adſtet. Contrarium enim, inquit, me multiplex experientia docuit.

At nos utrumque verum credimus: poſſunt tamen fortaſſe nonnullæ arbores androgynæ dari, quæ & flores & fructus proferant; quomodo urticis accidit, quarum nonnullæ mares flores ſine fructu, aliæ fœminæ fructus ſine flore, aliæ androgynæ tum flores tum fructus ſed à ſe invicem ſejunctos & remotos proferunt.

Locus. Naſcitur in arenoſis; *H. M.* ubique in ſylvis obvia eſt; *Marggr.*

2. *Mamoeira fœmina* Marggrav. *Papajamaram* H. M. *Arbor Melonifera* Bontii. **The female Papa Tree.**

Mari ſimilis eſt caudice & foliis, [minùs excelſa & caudice graciliore *H. M.*] foliis plurimùm majoribus. *Flores* fert non in pediculis longis, ſed ad ipſum caudicem ex alis foliorum egreſſos, magnitudine florum Gladioli, quinque petalis oblongis, flavis [albicantibus H. M.] ligulæ inſtar anguſtis, in cuſpidem contractis, extrorſum & deorſum cum cuſpide reflexis & contortis conſtantes, odoris jucundiſſimi. In medio ſtamen ovale eſt, pallidè flavum, magnitudine nuclei Pruni, cui inſidet corona egregia flava.

Calyx quo continentur quinque brevium cuſpidum eſt, qui petalis deciſis fructum inferiùs complectitur.

E medio cujuſlibet floris naſcitur fructus, nec petala decidunt antequam fructus Juglandis magnitudinem conſecutus eſt, manente quoq; ad tempus ſtamine floris in umbilico fructûs.

Fructus ita caudici adnati referunt mammas, unde & nomen meruerunt apud Luſitanos. Magni-inem acquirit Mali cotonei aut vulgaris Melonis, & ejuſdem figuræ: immaturus eſt viridis, & iſus exſudat lac, maturus ex viridi flavus, carne lutea inſtar Melonum, denſa & ſolida. Cortex lem modo ſeparatur & fructus dividitur, grandi intus cavitate.

Semina in interiori ſuperficie inter fungoſam carnem numeroſa, in quinque ſeries diſpoſita, ad , 130, aut plura in uno fructu, ovalis figuræ, magnitudine Coriandri, ſuperficie rugoſa ſeu aſpera, ca, nucleo intus albo, ſingula involuta in membrana albicante, tranſparente & nitente, quæ de-henda eſt ſiquis ſemina velit ſervare. Saporis ſunt ejuſdem cum Naſturtio aquatico noſtrate.

Pulpa eadem eſt quæ Melonum tum colore, tum ſapore, ſed inferior. Fructus crudus edi poteſt, utplurimum ſolus, aut cum carnibus coquitur, ſed non magni fit ob abundantiam.

Arbor toto anno fructibus onuſta cernitur, & ſemper etiam floret.

Ex quolibet ſemine annuo ſpatio habetur Arbor fructifera, nulla autem durat ultra quatuor annos. num mortis eſt quòd cacumen ſponte corrumpatur.

Raró reperitur arbor habens plus quàm unum aut alterum ramum, maxima pars ramis caret, atq; ſpecioſiores ſunt.

Arbor cucurbitifera Ficus Nigritarum Theveti *J. B.* huic eadem videtur.

Papayæ Orientalis fructum Petrus de la Valle ità deſcribit. *Columm. Annot. ad Recchum.*

Vulgari noſtro Melopeponi ſimilis eſt, ſed minor, ovali effigie, lævi & virente cortice, nullis aut apparentibus ſtriis. Interna parte carnem habet Aurantii colore ſaturo, ſapore dulci, noſtrati-ſimili, ſed quid amplius aromatici præ ſe ferente. Fructifera etiam ſatis eſt arbor, & ſemen co-re nigreſcente dum recens, & poſtea ad caſtaneum dilutum inclinans colorem, quod Coriandri men æquat craſſitie, verùm oblongius & denſè aſperum; medulla candicante, ſapore dulci, ad oleoſum accedente.

Rochefortius duplicem *Papayer* diſtinguit, unam quindecim aut viginti pedes altam & pro altitu-ine ſatis craſſam, minimè ramoſam foliis tripartito diviſis Ficûs ferè in modum, pediculis longis ap-penſis, qui digiti craſſitudine ſunt & intus concavi: Fructu mali Cydonii magnitudine, è ſummo runco in circuitu enaſcente.

Alteram huic ſimilem in inſula S. Crucis naſcentem pulchriorem, foliis crebrioribus onuſtam, uctu Melonis magnitudine, nec minùs delicato guſtu, cortice exteriore flavo, lineis quibuſdam vi-rentibus diſtincto, innumeris granulis rotundis glutinoſis & molliuſculis, ſapore acri & aromatico us repleto.

Nonnulli fructibus crudis veſcuntur, verum delicatiores cum Saccharo præparatis. Ventriculum *Vires.* borant & concoctionem promovent.

CAP. VII.

Varias arbores Meloniferas ſeu Cucurbitiferas continens.

1. *Guanabanus Scaligeri* J. B. Park. *Baobab* Alpini. *Baobab ſive Abavi Cluſii* J. B. *Abavo arbor radice tuberoſa* C. B.

HAnc arborem Scaliger ſtipite proceram eſſe ait, folio magno, oblongo: fructum ferre Melonis magnitudine, cortice coloris viridis, ſplendore Cydonii, digitalis craſſitudinis: carne intus candida, dulcedine lactis coacti: ſemina continere faſeolacea. J. Bauhinus fructum Bern. Paludano miſſum pro Guanabano Scalig. ſic deſcribit.

Fructus eſt Cucurbitæ formâ, cubitalis ferè longitudinis, pugillaris craſſitudinis, cujus cortice cu-curbitino minimùm duro detracto medulla in conſpectum ſe dat, ex albo tantillum palleſcens, non ngrata aciditate prædita, in pulviſculum vetuſtate fatiſcens, cui *ſemina* immerguntur, pertinaciter ærentia, turgidula, renum figuram imitata, cortice ſi ungue radatur obducta nitidiſſimo, coloris ni-ri, quibus nuclei inſunt candidi, calloſi, ſaporis ſtrobili dulcis, tenui pelliculâ obvoluti. Cæterùm rana adhuc medullâ involuta filis appenduntur tenuibus, quanquam ſemina ſola nequaquam obſer-avimus filis illis annexa.

Alpinus arborem quæ fructus *Baobab* dictos fert, foliis eſſe ait magnitudine ac figurâ Arantiis val-è ſimilibus: in Æthopiæ inflammatis locis naſci.

Fructus recenter ab arbore exciſus guſtui admodum gratus eſt, acido ſapore, quem contemperant ivites ſaccharo: ſitim valenter extinguit, multúmque refrigerat. Ibi eo utuntur ad omnes calidos ffectus, febréſque putridas, præcipuè peſtilentes, tum ejus pulpam cum ſaccharo comedentes, tum uccum expreſſum cum ſaccharo potantes, vel ex eo paratum ſyrupum accipientes. Cayri pulpâ in ulverem redactâ utuntur ad prædictos affectus & ad Lienteriam, dyſenteriam, alióſque fluxus alvi x uteri. *Vires & Uſus.*

Huic cum C. Bauhino eandem ſpecie eſſe opinor

Abavum Æthiopicum fructum Bello J. B. *quæ Abavo arbor radice tuberoſa* C. B. *Baobab ſive Abavi* Cluſ. J. B.

Pulpa friabilis in pollinem facilè reſolubilis, acida ori grata, ſemina renibus animalium ſimilia conveniunt: differt corticis duritie cucurbitina, quæ ab ætate eſſe poteſt, & pulpæ colore ſubrubro, qui etiam fortè vetuſtate mutatur. Locus utrique Æthiopia. *Abavi* fructus pediculo craſſo & firmo arbori adhæret, ad quem ſulcorum rudimentum cernitur, in quibus lanugo quædam ineſt, ut in co-toneis malis; reliquo corpore, in quo nulli excurrunt ſulci, lævi.

Planta

Plantæ è ſemine natæ Bello prima folia habuerunt mali quidem Citrii foliis ſimilia, nullo pe culo ſubnixa. At ubi caudex pedalem altitudinem acquiſiviſſet in ramos ſpargi cœpiſſe ait, folia protuliſſe longiore pediculo prædita, & illa non ſingularia, ſed initio bina, deinde terna, quaterna & tandem quina ex eodem pediculo prodeuntia, quemadmodum in Pentaphylli, Lupini, Ca neæ equinæ foliis videre licet, quorum medium reliquis majus eſt, deinde illi utrinque proxima. H *inſolens non eſt in aliis plantis foliis compoſitis donatis, ut prima quæ exeunt folia ſimplicia ſint & ſingula deinde paulatim foliorum partialium numerus in eodem pediculo augeatur, donec ad juſtam ſummam pe veniat.*

Radice firmabantur ſingulari in arborum genere, nimirum rotundâ, tuberoſâ, ovi magnitudine appendicibus paucis & tenuibus utrinque exeuntibus, cortice tenui veſtita, quem tenuiſſima pelli cula fuliginei coloris tegebat, qui facilè digiti attritu detergitur, ut tunc radix alba appareat, carnoſa ſubſtantia Rhaphano ſimili, ſed tenerior, in qua per tranſverſum ſecta multæ lineæ à centro ad cir cumferentiam ductæ conſpiciuntur, ut in Rhaphani radice. Præmanſa tota ferè in aqueum ſuccum vertitur, ſubdulcem, terrei odoris, quíque in ore aſtrictionem quandam relinquit, non ſine exiguo caloris ſenſu, ſalivámque copioſè elicit. Ligni materies ſatis infirma eſſe videtur, quapropter inter eas arbores hanc recenſendam judico quæ brevi incrementum ſumunt, & fortaſſe etiam brevi ſeneſcunt.

Baobab ſive *Abavi* Cluſii, (quæ huic proculdubio eadem arbor eſt) deſcriptionem vide apud ipſum in exoticis, *lib.* 2. *cap.* 1.

Hæc arbor congener eſt & valdè ſimilis Mamoeræ dictæ ſeu Papayæ Orientali *Columnæ* notis in Recchum, ſpecie tamen diverſa; nam & pulpæ colore differt, & pediculi longitudine. Fructus etiam *Baobab* ſive *Abavi* Cluſii brevi quadam lanugine ſeu flore vireſcente obſitus erat; cujus in Mamoeræ fructûs deſcriptione nulla mentio.

2. *Higuero Oviedi* J. B. *Arbor Indica fructu Cucurbitæ forma & ſapore.* C. B. **The Calibas Tree.**

Arbor eſt prægrandis veluti Morus nigra, fructum ferens Cucurbitæ rotundæ, interdum oblongæ, ſimilem. Ex eo pateras & alterius generis vaſa conficiunt Indi. Materie eſt robuſta atque apta ſedibus, ſubſelliis Ephippiis, aliíſque operibus fabricandis, Mali etenim Medicæ aut Punicæ materiam eſſe diceres. Cortice facilè delibratur. Folio eſt longo, anguſto per extremum latiore, à quo ad pediculum uſque paulatim anguſtius fit. Indi in aliorum fructuum penuria interdum hujus carne veſcuntur, quæ Cucurbitæ carni cùm adhuc viret ſimilis eſt, Corticis etiam color & forma Cucurbitæ. Maximus ejus fructus libram aquæ continere poteſt, minimus pugnum non excedit magnitudine.

Locus. Vulgaris eſt in Hiſpaniola, reliquíſque inſulis & Americæ continente.

3. *Chivef Theveti* J. B. *Ficui Nigritarum ſimilis fructu magno Meloni pari* C. B.

Si modo recte deſcribatur folio eximiè viridi, exquiſitè rotundo, aureo nummo Gallico *pari: fructu* magno Meloni pari, ſuaviſſimo, cùm manditur Mannæ modo in ore liqueſcenti, ſeminibus Cucumeris noſtratis, cortice cùm maturuit croceo; à prædictis arboribus Cucurbitiferis ſpecie diſtincta eſt.

4. *Choyne Americana* J. B. *Laurifolia Americana pomis capitis magnitudine* C. B.

Fructum fert magnitudine mediocris Citrulli, qui quamvis elegans non tamen edulis eſt, figurâ ovi ſtruthio-cameli, ex quo Indi pocula conficiunt, & inſtrumentum *Maraca* dictum quo in ſuperſtitione ſua utuntur. Folia Laurinis ſimilia.

Frequens eſt in regione Americanorum quam Morpionem vocant.

Cluſius hujus fructûs hiſtoriam non malè Guanabano convenire videri tradit.

5. *Arbor folio Lauri, fructu Cucurbitæ ex Guinea* J. B. *Laurifolia Guinenſis* C. B. *Cluſ.*

Juglandis arboris celſitudinem æquare, nec diſſimili cortice tectum eſſe ferunt: Folia Laurinis habere ſimilia; ad quorum exortum fructus in ramis naſceretur, initio quidem viridis, per maturitatem ex flavo ſpadicei coloris interdum etiam nigris maculis conſperſi, interna parte fuliginoſi, & nihil continens præter nigrum quendam pollinem. Mali magni ſimilis erat, & orbicularis pæne formæ, craſſo ſatíſque firmo cortice præditus; levis admodum pro ſua magnitudine.

Hæc Arbor & præcedentes an ad hunc locum pertineant necne, non ſatis ſcio: ſuſpicor potiùs non pertinere. Verum cùm fructus Melonum aut Cucurbitarum figurâ & magnitudine æmulas proferant Mammoeræ dictæ impræſentiarum ſubjungendas duxi. Ad Arbores pomiferas fortè reduci poſſunt.

Cap. VIII.

Ambaiba Braſilienſibus Marggrav. Piſon.

ARbor hæc elegantem nanciſcitur altitudinem, & ferè rectam, utplurimùm & ſine ramis; quædam tamen & ramos habent, ſed in ſummitate tantùm.

Cortex exterior ſimilis ficui, conſtans primùm cuticula tenui & cinerea, & ſub ea craſſo, to, ac viridi cortice. Lignum album eſt inſtar Betulæ, verùm molle, & quod facilè poteſt ndi.

Caudex mediocris craſſitiei, & totus intus cavus à radice ad ſummum uſque, & cavitas illa per erſtitia ſemidigiti ubique diſtincta eſt tranſverſali membrana, in cujus medio foramen rotundum gnitudine Piſi. In hac cavitate reperiuntur ſemper formicæ rubræ; ipſa coloris eſt hepatici. rsùs ſummitatem *folia* circumpoſita ut in *Mamoeira*, quodlibet innitens ſuo pediculo, ſatis craſſo, m, duos & plures pedes longo, exteriùs ruſo, interiùs ſpongioſo. Ipſum folium latum, rotun- n, magnitudine integri folii chartæ expanſi, aut etiam majus, in novem aut decem lacinias ſectum, rum centro infixus pediculus, à quo per ſingulas lacinias nervus rufus tendit per longitudinem, venæ eminentes per obliquum; ſuperiùs ſunt ſaturatè viridia, & inferiùs cinerea, & videntur colo- in toto habere qualem ſanguis cum aqua mixtus, hiſpida ut folia Ficûs, in extremitate laciniarum â cinereâ ſunt fimbriata. In ſummitate arboris cavitas continet medullam albam, ſucculentam inguem, quâ Nigritæ vulnera ſua feliciter curant.

ncrementum autem ſumit arbor hoc modo: in ſummitate arboris exiſtit theca oblonga, folia- incana, quæ continet in ſe unum folium, & duas, tres, vel quatuor minores thecas. Exteriore a ſe aperiente arbor folio augetur, & ſenſim fit altior; folium autem hoc in theca adhuc ab- ditum orbis menſalis magnitudinem habet; cùm theca naturâ ſuâ aperitur, egregiè complica- ac reconditum jacet, & quod jucundiſſimum ſpectaculum novum illud folium planè incanum eſt riùs, ac dilutè viride, ſuperius planè rubrum, ut aluta Prutenica, & eo modo ſplendens. In ro autem folii, ubi pediculus inſeritur, in ſuperiori ſuperficie ceu ſtella rubra, è viridi ſubflava ſpicitur, nimirum quaſi centrum omnium nervorum dilutè virentium & ſubflaveſcentium, qui omnes lacinias ſecundùm longitudinem extenduntur. Exteriore theca operta reliquæ minores eſſivè ſe aperiunt, & ſimilia folia exhibent.

lores prodeunt hoc modo; in brevi pediculo ex caudice ſuperiori, ubi folia ſtant, enaſcuntur uatuor aut quinque, juxta ſe pendentia, farciminum inſtar, cylindracea corpora, ſex, ſeptem aut ovem digitos longa, pollicem humanum craſſa, intus cava, & conſtantia goſſipio, mollia, exteriùs em acinis brunni coloris, ut flores ſiliginis noſtratis: his decidentibus acini illi augentur, den- s detrahuntur ac comeduntur. Cito admodum hæ arbores in eximiam altitudinem aſcen- nt.

gnem ſine pyrite & chalybe ità eliciunt Braſilienſes: Fructum ligni aut potiùs radicis hujus arbo- umunt exſiccatum, in eo faciunt foraminulum, huic immittunt bacillum faſtigiatum ex duro ali- ligno, & quaſi terebrando circumagunt, pedibus fruſtum illud immotum tenentes, ac applican- folia ſicca arborum ſeu goſſypium, ſic eliciunt ignem.

n ſylvis raro reperitur, ſed in arvis quondam excultis. *Locus.*

Pinguis è ſummitatibus hujus arboris expreſſus ſuccus non ſolùm recentibus ſed & inveteratis ul- bus medetur. Folium quoque tenerum & recens, aut levior hujus arboris cortex ſi apponatur *Vires.* perat & mundificat partem affectam.

Succus è gemmis expreſſus, qui facultate refrigerandi atque adſtringendi pollet, pulti de *Tipioca* tus calidam ventris proluviem ſiſtit: menſes denique nimium fluentes tum & virulentum geni- m profluvium compeſcit. Idem puerperis nimio menſtruorum profluvio laborantibus, in mo- n cataplaſmatis umbilico impoſitum inſigniter prodeſſe experientiâ ſuâ confirmat Piſo.

Ambaitinga Piſoni & Marggrav.

Ramo eſt rubicundo & ligno minùs cavo, foliis verò ſuperiùs ſaturatè, inferiùs dilutè viridibus, oque aſperis, ut loco limæ quædam cum iis poſſint lævigari. Liquorem continet oleoſum ejuſdem ſucco Ambaibæ usûs & efficaciæ. Fructus fert magnos, tenues, palmæ longitudinis: mature- tes dulceſcunt & edules ſunt.

Cap. IX.

De Muſa ſeu Muza arbore.

MUſa Arabibus dicitur, *Pala*, ut putamus, Plinio à voce *Bala*, quâ hodiernum, ut olim, Malabaribus innoteſcit.

Cæterùm quamvis ab omnibus Botanicis arboribus accenſeatur, vix tamen frutex, ne- arbor, cenſenda eſt, cùm caule annuo ſit.

os quoniam Planta hæc ad modum Palmæ μονόκλωνος eſt & non ramoſa, ei ſubjungendum duxi- quamvis revera ab eadem genere differat.

Oviedo aliiſque Platanus dicitur; à quo fonte nomen noſtrum Anglicum, **The Plantain-tree** profluxiſſe videtur: ni potiùs à Plantagine ob folia nervoſa Plantagineis ſimilia ità dicta fuerit.

Cur Pacoeiram Marcgravii & Piſonis à Muſa Cluſii, Alpini & aliorum ſeparem rationem non video. Malè etiam, noſtro judicio, C. Bauhinus ſeparat Ficum Indicam fructu racemoſo, folio oblongo à Muſa, quam Palmam Indicam humilem latis longiſq; foliis vocat: quamvis Bonanam à Muſa ſpecie diſtinctam faciant Piſo, Marcgravius, Rochefortius, Hugheſius, vulgus ipſum, inter quas magna tamen intercedit ſimilitudo.

1. *Muſa arbor* J. B. Park. *Muſa Serapionis* Ger. *Palma humilis longis latiſq; foliis* C. B. Pacoeira Piſon. Marggr. *Bala* H. M. **The Plantain-tree.**

Hujus *radicem* Horti Malabarici auctores ſic deſcribunt; craſſa eſt, duas aut tres ſpithamas longa, ambitu rotundo, pluribus fibris intus lignoſis capillata, exteriùs nigricans, carne intus albicante, quæ ſaporis aquei, ſubdulcis & ſubaſtringentis eſt, & inciſa humorem albicantem nonnihil unctuoſum, ſubdulcem & valdè aſtringentem extillat, brevi in ſubrubrum ſeu Perſicum colorem abeuntem. Intervallo fermè pollicari ab ambitu annulo ſeu circulo tenui & parum lignoſo ac etiam molli in orbem pertexta conſpicitur, ex quo fibræ radicis filamenta accipiunt, ac plurima filamenta lignoſa, tenuiſſima verſûs corticem hinc indè deducuntur, rariſſima autem ac brevia verſùs interiores annuli partes.

Reliquam deſcriptionem è Marggravii hiſtoria mutuabimur.

Ex radice propagatur: hoc modo, Primò erumpunt *folia* duo aut tria, in fiſtulam convoluta, (ad modum foliorum Cannæ Indicæ, quibus ſimilia ſunt) paulò poſt ſecundò ſe produnt ad quodlibet latus unum, in medio eſt fiſtula foliacea, & ſic ſenſim planta trium aut quatuor Menſium ſpatio in quinq;, ſex, ſeptem pedum altitudinem adoleſcit, caudice tibiam humanam craſſo aut paulò craſſiore, ſpongioſo, foliis convolutis ſimilis, & uno ictu facilè diſcindi poteſt, ſuperiùs octo, novem, etiam duodecim folia expandit, quodlibet quatuor, quinq;, interdum & octo pedes longum, quatuordecim aut quindecim digitos latum; in utraq; extremitate paulò anguſtius, nervo ſecundum longitudinem digitum humanum craſſo, qui etiam ſex aut ſeptem dig. craſſus per ſex aut ſeptem digitorum longitudinem ſe exſerens è folio pediculi vice fungitur. Nervus hic in ſuperiori ſuperficie tanquam canalis excavatur, & tranſverſim lineæ ſubtiles à nervo ad latera extenduntur: ſuntque folia eleganter viridia, ad tactum lævia & ſolida, inſtar chartæ membranaceæ, & eodem modo crepitant: ideò non diu integra manent, ſed à vento agitatæ dilacerantur ſecundùm ductum ſtriarum, & ſtrepitum excitant commota.

Ex ſummitate caudicis hujus ſpongioſi ſeu è medio foliorum prodit ramus ſeu brachium, qui primò cùm quaſi ſemipedem longus eſt, tener & pollicem humanum craſſus, in extremitate ſua continet corpus turbinatæ figuræ, magnitudine ſtrobili majoris, circa quinq; digitos longum, conſtans è foliis latis ellipticæ figuræ, brunnei coloris obſcuri, ſtriatis, quibus quaſi pulvis cinereus aſperſus: hæc complicata invicem conſtituunt illud corpus turbinatum: ſingulis autem diebus unum: duo aut tria folia ſe pandunt, ſurſum verſùs ſe convolvendo. Subter foliis hiſce expanſis *apparent* ſex, ſeptem aut octo *flores*, ordine juxta ſe poſiti, ex albo flaveſcentes, quilibet duos circiter digitos longus, ſcapus autem ſimilis parvæ ſcaphæ, cujus pars quæ inſidet exortui ſuo ſit prora, altera extremitas puppis, ex qua prominent quinq; foliola anguſta, figuram habentia illius inſtrumenti quo utuntur nautæ in humectandis velis: eminent autem è puppi floris digiti longitudine, ex albo flaveſcentia, & in ambitu lateritio colore fimbriata: in medio porro eorum ſtamen luteum craſſiuſculum inſidet, figurâ baculi cum nodo in extremitate, quali incedunt Nigritæ: Dimidia autem parte ſcapha tegmine ſubtenditur à prora incipiendo, ut in ſcaphis noſtris luſoriis: ſub hoc tegmine intus in ſcapha manna ſeu lentus humor continetur, ad tactum frigidus, ſaporis mellei, conſiſtentia & colore ſimilis albumini ovi recentis: in hoc humore ortum ſumunt quinque illa foliola cum ſtamine: delectantur admodum formicæ illo nectare.

Flores hoſce ſequuntur fructus, ordine in quibuſdam quaſi verticillis, arctè inter ſe poſiti, quilibet brevi pediculo nitens, & oſtentans primò in umbilico ſuo florem, qui poſtea decidit, fructus autem indies augetur. Continentur plerunq; in uno ramo 10, 12, 14 aut 16 numero, (imò 18 aut 20) ita ut una planta proferat 70 aut 80, (imò 100, 150, aut 200.) Fructus autem juſtum magnitudinem nactus Cucumerem noſtratem æquat, oblongus & trilaterus quaſi, ſcaphoides, corio craſſiore tectus, quod facillimè in tres partes ſe dividi ſinit deorſum caulem verſus nutans. Pulpa mollis eſt inſtar butyri, medullam quaſi Cucumeris per mediam longitudinem habens. Boni eſt ſaporis, & frequentiſſimè comeditur vel ſolus, vel cum farina Mandiocæ, vel coctus & frixus in oleo aut butyro.

Ramus autem ille fructibus onuſtus interea dum illi matureſcunt augetur, & ad duorum pedum aut majorem longitudinem excreſcit, floréſque ſemper extrudit ex corpore illo foliaceo, ſed qui decidunt ſine ſpe fructûs: Nam una planta non facit plus fructuum quàm nutrire & ad augmentum perducere poteſt.

Maturis porro fructibus ramus cum illis abſcinditur, ut & tota planta, nam unum tantùm vivi annum, & ſemel tantùm facit fructum. Sæpiſſimè autem accidit ut antequam fructus maturi fiu planta cadat ac pereat ni fulcris ſuſtentetur; ſive autem cadat, ſive præcidatur perinde eſt; nam antequam ſeneſcat plantæ filius unus aut alter ex radice natus eſt, & adſtat parenti, morienti ſuccedit, & ſic in infinitum propagatur. Toto anno fructus habetur venalis.

Ità Marggravius, & quidem prolixè ſatis, hanc plantam deſcribit, & tamen Horti Malab. auc res in ea deſcribenda multò ſunt prolixiores, quos conſulat cui nondum ſatisfactum eſt.

Uſus. Fructus hi in deliciis habentur, nec ad ſatietatem comeſos ullam unquam noxam cuiquam intuliſſe aiunt. Linſchotanus eos guſtu farinam & butyrum dulci mixtione repræſentare ait, ideò pa ac lacticinii loco ſerviunt, ſimplici victu, quo corpus hominis abſq; alio cibo facilè poſſit ſuſtenta Varios modos eos præparandi ad eſum vide apud Garciam.

D

De viribus ſic Alpinus, Fructûs ſubſtantia mollis, lenta, pinguis, dulcis, atque apprimè ſuavis eam omedere aſſuetis, multum nutrit, ſed ſtomachum gravat, difficulter concoquitur, ſuccum generat raſſum ac lentum quo viſcera obſtruuntur, præſertim hepar. Opitulatur tamen tuſſientibus & ſuſpiriosis ex calore factis. Ejus decocto utiliter utuntur Ægyptii ad tuſſim ex calidiorum humorum eſtillatione genitum, atq; ad pleuræ & pulmonum inflammationem, atq; ad inflammatos renes, & urinæ difficultatem: aiunt & commanducatum vel decoctum Venerem accendere. Vires.

Horti Malabarici Auctores hæc habent, *Radix* contrita ac epota in lacte vertiginem ſedat; ejus qua cum Saccharo mixta proficuè bibitur pro ardore renum; quin & eadem aqua ſimpliciter epo pro doloribus ex urina obortis confert, datúrq; proficuè iis quorum corpus argento vivo infectum t. Corculum arboris ſeu medulla albicans qui fructum fert, tritum & cum melle intus ſumptum alis oculorum convenit, ad quod etiam ſervit butyrum, in quo fructus ſeu fici in fruſta ſecti toſti nt epotum.

Pro diverſitate fructuum varias dari hujus arboris ſpecies aiunt: verùm has varietates non ſuffice- putamus ad diverſitatem ſpecierum inferendam, non magis quàm in Pyris & Pomis, quorum uctus figurâ, magnitudine, colore, ſapore, florendi & matureſcendi tempore immenſum variant, c tamen ob id ſpecie differre concedimus.

Omnibus Indiæ Orientalis ut & Occidentalis provinciis inveniuntur, necnon in Africa.

Ficum Indicam Linſchotani Muſæ varietatem eſſe opinamur, non ſpeciem arboris diſtinctam. andem certè eſſe quam Horti Malabarici auctores deſcribunt ex Synonymis colligitur, ut & à cis natalibus Malabarenſibus enim *Palan*, Bengalenſibus Quelli dictam ſcribit, quæ nomina ad la *H. M.* & *Keli* accedunt: inter ſpecies etiam ſeu varietates tum in Hort. Malab. tum apud Lin- otanum unam invenio *Cadalin* dictam.

Folia hujus quæ ulnam longa, tres ſpithamas lata (Lapathi aquatici, ſex pedes longa, duos lata io) in variam ſupellectilem Indis in Goa cedunt, quibus & Turcæ papyri loco utuntur. Sur- us ſæpe 100 ficubus prægnans eſt, uvarum modo in ſe compreſſis: Acini ex quibus dependent e in tantam molem grandeſcunt, ut à binis bajulis tranſverſâ perticâ vix geſtari poſſint. Toto no fructifera eſt, & Indis commeatum quotidianum largitur.

2. *Banana* Marggr. *Bananiera* Piſonis & Hiſt. des Antilles. *Arbor foliis ampliſſimis, fructu Cucumeris formâ* C. B. **The Banana-tree.**

Marggr.

Tota planta eſt ut *Pacoeira*; at turbinatum illud floriferum corpus paulo minus eſt: & flores pa- n differunt, ſunt enim duos circiter digitos longi, & albo-lutei coloris, & dulcis odoris, eſtque is ſcapus non inſtar ſcaphæ, ſed rectus, attamen cavus, repræſentans Canoam Braſilienſium: ſex oliola anguſta prominent è puppi, figuræ ut in præcedenti & ejuſdem coloris, ſed ſtamen in medio eſt: medietas anterior Canoæ etiam tegitur cavo tegmine albo-flaveſcente.

Fructus ut in *Pacoeira*, octo, novem, aut decem digitos longi, plerunq; tamen non ita craſſi, & ſunt vi ſive lunati; ſubſtantiâ quoq; ſicciores & meliores ad concoquendum.

Hiſtoria Antillarum Bananieram à Muſa in his differre tradit. 1. Quòd fructus ejus duodecim tredecim uncias longus ſit, verſùs extremitatem paululum recurvus, brachii propemodum craſſi- ; cùm *Muſæ* dimidio minor ſit, ſex pollices tantùm longus. 2. Quòd in faſcia ſeu ſcapo non ra 25 aut ſummum 30 fructus producat, qui non ſunt ideo denſè inter ſe ſtipati, cùm Muſa ali- oties 100 aut 120 edat, adeò confertos & arctè ſtipatos, ut ægre à ſe invicem ſeparentur. 3. Quòd ctus carnem habeant firmam & ſolidam, aptam ut ſub cineribus aut in olla coquatur, aut ut ſic- ur in ſole aut ad ignem, quo meliùs conſervari queat: cùm Muſæ fructus ſubſtantiâ conſtet olliore quàm ut his uſibus inſerviat.

In calidis Regionibus, & Inſulis Americæ frequens reperitur. Locus.

Pacoveram Theveti huic eandem eſſe exiſtimo, nam folia Pacoveræ quam Muſæ (quam in Ægy- vidit) duplo longiora eſſe ſcribit, fructum maximum pedalem, craſſitudine Cucumeris, ad quem am figurâ ſatis bene accedit. Creſcunt autem 30 vel 40 ſimul, in glomerem ſeu racemum con- ti, & ſibi invicem proximè juncti.

Fructus magnitudo Cucumeri reſpondens, & nomen commune *Pacoera* aliquem facile inducere it ad credendum Pacoeiram Marcgrav. & Pacoveram Theveti unam & eandem arborem eſſe: inde & Pacoeiram Marcgrav. non eſſe ipſiſſimam Muſam, ſed arborem ſpecie diſtinctam, & for- e Bananieram *Rochefort*.

Repugnat tamen nomen & deſcriptio Bananæ apud Marcgravium, ut arboris à Pacoeira di- ctæ.

Arborem Manicongo nuciferam apud J. Bauhinum, lib. 3. cap. 181. figmentum eſſe ſuſpicor.

Muſæ affinis in regno Catay *C. B.* Photel, nonnullis Ficus Pharaonis *Thevet*. quænam arbor ſit nos t, nec minùs

Muſæ affinis altera *C. B.* i. e. Banam fructus in regno Congiano, formâ & guſtu Muſæ Ægypti- , part. 1. Ind. Or. lib. 2. cap. 1. Nomen ad Bananam accedit & etiam forma, proinde eandem orem eſſe veriſimile eſt.

Arbor pomifera Ægyptia *Giraudeti* à J. Bauhino propoſita, Hiſt. lib. 1. cap. 75. Nos cum J. Bau- o ſuſpicamur à Muſa non differre, vide *J. B.* loc. cit.

Eloxochitl Recchi, quam Jo. Terrentius deſcribit ex imagine picta, Foliis Muzæ, ex una parte rati, ex altera valdè diluti coloris, quemadmodum Oleæ folia; Ramo nodoſo ubi folia deci- e, venis frequentibus in inferiore foliorum parte, foliis in ſummitate rami valdè conglobatis; à ſa diverſa fortaſſe eſt, ſed imperfectè deſcripta, ut nihil certi de ea ſtatuere poſſimus.

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER VIGESIMUS QUINTUS,

QUI EST

De Arboribus quarum fructus à floribus remoti vel ſejuncti ſunt.

HÆ in quatuor genera dividi poſſunt. Sunt enim vel,

1. *Nuciferæ*; Nuces autem voco fructus majores putamine duriuſculo nucleum claudentes. Hæ vel ſunt nuce duro & fragili putamine tectâ, *Juglans* v. g. & *Avellana*, vel nuce molliore & coriaceo tegmine obductâ: quæ itidem in duplici ſunt differentia, nimirum vel 1. nuce tegumento exteriore echinato undiq; inclusâ, eóq; vel ſpinis minùs rigidis hiſpido, nuce triquetra; ut in *Fago*, vel ſpinis rigidioribus magiſq; pungentibus munito; ut in *Caſtanea*: vel 2. nuce calyce ſeu cupula exceptâ; ut in *Quercu*, *Subere*, *Ilice*, quod genus arbores *glandiferæ* appellantur, & dividi poſſunt in eas quæ folio ſunt leniore & molliore ut *Quercuum* variæ ſpecies; & eas quæ folio ſunt aculeato, eóque vel ſemper virente ut in *Ilice*; vel deciduo, ut in *Subere*.
2. *Coniferæ*; de quibus vide Sectionem ſecundam, his adjungimus quaſdam bacciferas ob notas illis convenientes.
3. *Lanigeræ*; vid. Sect. tertiam.
4. Seminibus vaſculis membranaceis, vel membranis extantibus auctis incluſis, vide Sect. quartam.

Librum enim hunc pro hac diviſione in quatuor Sectiones partiemur.

SECTIO PRIMA.

Arbores fructu à flore ſejuncto Nuciferæ.

CAP. I.

De Juglande.

Juglans quibuſdam dici videtur à juvando & glande, ut Macrobius refert; tamen non dubitandum quin ſic vocetur quaſi *Jovis glans*. Nempe eâ ratione à *Joviglans* eſt *Juglans*, quâ à *Jovipater Jupiter*. Nam ut dicitur *Marſpiter* & *Dieſpiter*, ſic & *Jovipater* ſeu *Joviſpa*, ubi Jovis eſt antiquus nominativus.

Non eſt tamen Juglans Διὸς βάλανος Theophraſti, cùm ea potiùs Caſtanea ſit, ſed ut nonnullis videtur, Nux Perſica ejuſdem, ut aliis, Nux Euboica. Nux Baſilica ſeu Regia Dioſcoridi & Galeno dicitur: Perſica etiam & Baſilica Plinio. Nucem Caryon (inquit Plinius) à capitis gravedine, propter odoris gravitatem convenit dictum.

A. *Nux Juglans* J. B. Ger. *Juglans vulgaris* Park. *Juglans ſive regia vulgaris* C. B. Th
Walnut-tree.

J. B.

Procera arbor eſt, multis prælongíſq; nixa radicibus, trunco ad binûm ternûmve cubitorum complexus ſæpius craſſeſcente, materie ampla, ruffa vel ſubfuſca, multis exiguis ſegmentis ſcarifica, quibuſdam partibus undulatim criſpa, robuſtâ: firmis vaſtíſq; ramis brachiata, cortice cineraceo, craſſo, lævi, per ſenium hiulco, & in rimas altas dehiſcente. *Folia* pinnatim diſponuntur, conjugationes claudente folio impari, quorum ſingularia ampla, ſeſquipalmum longa, palmum ferè lata, principio & mucrone anguſtiora, venis obliquis à medio nervo deductis, cùm tenera adhuc ſunt rubicantia, ſuavitérq; olentia, cùm adoleverint pulchrè viridantia, odore jucundo, ferè Laureo, ſed gravior aviori & vehementi, ſapore adſtringente. *Julum* profert longum, multiplici callo compactilem, jus flaveſcentes paniculæ brevi decidunt: tum flos emergit herbaceus, [ego pro vero & genuino re Julum habeo, ut qui è ſtaminibus & apicibus componitur] totidémq; calyculacea tegumenta ot flores petiolo contrahuntur, quibus ſingulis ſingulæ includuntur nuces. *Nucem* ſive fructum, ales ſimul multi confertim ex eodem pendent pediculo jam perfectiorem tegit pulvinatus calyx, erbi & amari ſaporis, nec ſine acrimonia, nigro colore manus inficiens, cui ſubjectus cortex ru- ſus, lignoſus, in duas carinas apertilis *nucleum* continens in binas partes ad medium ferè fiſſum, pæne quadripartitum, revolutionibus cerebri ſimiliter inæqualem, primò mucoſum ac inſipidum è; deinde per maturitatem calloſum, candidum, dulcem, cuticulâ pallidâ tectum, exortum tra- ns ex candida, & exacido-amaricante quadam ſubſtantia pulpoſa, cujus terreſtrior portio in lig- a, vel ex ligno membranacea quædam nucleorum diſſepimenta abit, qualibus tenerioribus interior is cavitas magna ex parte obducta eſt. Integri & maturi magnitudine minoris aut mediocris rſici, & pulpa viridi, ſeu integumento externo pulvinato [quem Feſtus vocat *culeolum* quaſi exi- um culeum] atq; carnoſo dempto, unciâ ferè latiores, & hac ipſa latitudine longiores, ex rotundo oblongum ſubtumeſcentes, ſed delumbata utrinq; quà valvularum commiſſura eſt circinatione ro- ndi. *Nucleus duplici cuticula ſeu membrana tegitur, exteriore flavicante & ſubamara, quæ dum x adhuc recens eſt facilè deglubitur, cum areſcit arctè adhæret nec poteſt ſeparari; interiore tenuiore & lucida.*

Juglandium ſpecies.

Nuces Juglandes magnitudine, figura, duritie, ſapore multimodis differunt. Recentiores ſex po- ſimum differentias adnotârunt. 1. *Nux juglans*, ſive *Regia vulgaris*. Hanc à duro cortice & ngendi mora *Moraciam* & *Moracillam* vocari tradit Hermolaus. Non facile à putamine purgari eſt. Surdam nominat Cæſalpinus. 2. N. J. *fructu maximo*. Caballinam Dalechampius vocat. ſtrates **The French Walnut**, i. e. Juglandem Gallicam. Bonitate & pondere ad proportionem liquis cedunt: non enim intus oppletæ, ſed magna ex parte vacuæ ſunt, minùs ſapidæ, Malis gnitudine ferè æquales, è quarum cuppis ſeu valvis marſupia pueris geſtanda fiunt. 3. N. J. ctu tenero & fragili putamine, à Dalechampio *molluſca* dicta, quòd cæteris generibus mollior ſit; ſque putamen vel digitis facilè rumpatur. Tarentinæ vel eadem eſt, vel ſimilis. 4. N. J. *bifera*: us generis Hermolaus in Silvatiano Patavini agri viculo provenire ſatis conſtare tradit. Et Pli- s nuper (inquit) Conſularem virum audivi biferas & Juglandes nuces ſe habere profitentem. N. J. *fructu ſerotino*. Nuces S. Joannis dictæ, quia ante diem S. Joanni ſacrum neq; folia, neq; ces oſtendunt; cùm verò id tempus adeſt, pares reliquis nucibus quoad fructum & folia exiſtunt; ales Tragus Vaſoniæ ad Rhenum, binas etiam Giengenbachii extare refert; J. Bauhinus circa gurum aliquando vidit; Dalechampius circa Lugdunum obſervavit. Has ego non peculiare ge- s fuiſſe exiſtimo, ſed differentiam quandam ſeu varietatem accidentalem & præternaturalem. 6. N. J. folio ſerrato. Hujus nuces teneritudine & longiori forma à vulgaribus diverſæ ab Hoge- ndo ſatæ non modo germinarunt, ſed etiam folia protulerunt, vulgaris quidem Juglandis ſimilia, longè magis tenella, atq; in ambitu ſerrata. *Cluſ.*

His adde Virginianarum Juglandium duo genera: Unum forma & ſapore parum ab Anglicis dif- t, putamine craſſiore & duriore: alterum majus, cortice ſcabro & duro, nucleo magno, dulci oleaginoſo, ex quibus contuſis lac conficiunt cum ſuis cibis miſcentes. Harum arborum nonnullæ pedes longæ. Parkinſonus duas Juglandium Virginenſium ſpecies deſcribit, quæ ab his viden- diverſæ 1. Prior, *Nux Juglans alba Virginenſis* eidem dicta, arbor eſt erectior & minùs patula, ce rotundiore, minore, putamine multo craſſiore magiſque albicante quàm cujuſvis ex prædictis, ucleo etiam multò minore, æquè tamen candido & dulci. 2. Poſterior *N. J. nigra Virginenſis* de- nominata fructu potiſſimùm à præcedente differt: qui niger eſt & rotundus, aſper ſeu rimoſus, pu- mine adeò craſſo & duro ut validis mallei ictibus vix poſſit confringi, nucleum intus minimum laudens.

Locus.

Ubi ſponte proveniat Nux Juglans neſcimus: in Italia, Gallia, Germania, atque etiam Anglia viridariis & agrorum marginibus paſſim plantatam obſervavimus. Amat loca montana, humida frigida, plerunq; lapidoſa, Autore Palladio. Quod in Italia & calidis regionibus fortaſſe ve- n eſt, at in frigidioribus, ut Anglia & Germania, ſummitates ejus ſæpiùs gelu peruruntur, ſi ecociùs germinaverit: In Germania juniores arbores interdum perduntur, præſertim ſi loco midiore plantatæ fuerint, teſte J. Bauhino, quod in Anglia nunquam obſervavi evenire.

Tempus.

Julos gemmáſq; protrudit Martio, aut initio Aprilis. Fructum ante initium Septembris apud nos n perficit. Differunt tamen arbores hoc reſpectu, aliæ enim præcociores ſunt, aliæ ſerotinæ, ante Octobrem menſem maturantur. Diu eſt antequam fructum ferat hæc arbor; viginti runq; anni prætereunt à prima ſatione ſeu germinatione è ſemine ad fructificationem. Multos nos ſupervivit, ac mirum in modum grandeſcit. Cariem (ut annotat Tragus) vetuſtatémque n ſentit. Teneram eſſe arborem, & in calidioribus regionibus locíſque apricis feliciter provenire bit J. Bauhinus, quod ut verum ſit, frigidiora tamen non averſatur.

De ſatione & inſitione hujus arboris conſule geoponicos. Nucibus ſeritur Juglans, nec inſeri t ut aliæ arbores. *Trag. Ruell.* quòd ſanè nobis veriſimile videtur, quamvis Palladius aliíq; contra- m affirment. Utut res ſit, nos cum J. Bauhino inſitionis multâ curâ non opus eſſe judicamus, ſi- idem nucum ſatu facilè ac feliciter proveniant.

Ut nuces in proximum annum copioſiùs proveniant, mos eſt hodie apud ruſticos quoſdam, ut ces perticis decutiantur. Hinc non inconcinnè quidam alludendo cecinit,

Nux, aſinus, mulier ſimili ſunt lege ligata:
Hæc tria nil fructûs faciunt ſi verbera ceſſant.

Verùm hic mos, quantumvis apud noſtrates etiam inolevit qui & ſuum rhythmum habent,

A Spaniel, a Woman, and a Walnut-tree,
The more they are beaten, the better still they be.

rationi repugnare videtur. Quid enim aliud ab hujuſmodi verberatione ſperandum eſt, quàm u gemmæ futuri inſequenti anno proventûs ſpes decuterentur?

Umbram Juglandis noxiam eſſe pleriq; affirmant & capiti inimicam: Johan. Muis in Podaliri redivivo, p. 57, 58. Decubitum ſub hac arbore dolorem capitis inducere experientiâ D. Boyle probat. Hic autem dolor (inquit) non provenit ab umbra (ut vulgus arbitratur) ſed à vaporibus ex foliis arboris egredientibus, qui quàm infeſti ſint muſcis etiam unicuiq; notum eſt: nam æſtivo tempore ad muſcas abigendas valde familiare eſt, ramulum Juglandis ab arbore avellere; verùm quicquid eſt de muſcis, haud facile id mihi perſuaſerint, imò cum *D. Evelyno* non tantùm innocuam, ſed & amœnam, & ſalubrem exiſtimo ob odorem gratum quem folia expirant, & deceptos ſuſpicor qui ſe contrarium expertos affirmant.

Vires. De viribus Dioſcorides & Plinius hæc habent. Nuces Regiæ in cibo ſumptæ concoctu ſunt difficiles, ſtomacho nocent, [bilem gignunt] capitis dolorem inferunt, ſúntq; tuſſientibus inimicæ; [Plinius de ſiccis, quæ unguinoſiores ſunt, hæc tradit; Recentes enim (inquit) jucundiores ſunt,] utiles verò in cibis jejunis ad vomitiones concitandas. [Pro his Plinius habet inimicas eſſe vomituris jejunis, atq; addit, aptæ in Teneſmo ſolo; trahunt enim pituitam.] Venenis quoque reſiſtunt cum ficubus & Ruta præſumptæ, ac etiam poſt ipſa Venena hauſta comeſtæ, addit Plinius anginæ prodeſſe cum Ruta & oleo. Largiùs eſitatæ latos lumbricos pellunt. Imponuntur & mammarum inflammationibus, abſceſſibus, luxatiſq; cum mellis exiguo & Ruta. Cum Cæpa autem melle & ſale contra canis hominíſque morſus proficiunt. Eædem cum calyce ſuo peruſtæ & umbilico admotæ tormina ſedant: Putamen verò combuſtum tritúmque in vino & oleo puerorum capite perunct capillos condecorat, & Alopecias replet. At qui intra ipſum eſt nucleus tritus & cum vino appoſitus menſes ſiſtit. Perveterum autem nucum nuclei commanducati & impoſiti gangrænis, carbunculis, Ægilopibus & Alopeciis præſenti ſunt remedio. Aliis miſcentur ad acrimoniam ipſorum emendam: Plin. Cæpis.

Cortex Juglandium lichenum vitio & dyſentericis prodeſt: Folia trita cum aceto aurium dolori *Plin.* Antidotum Mithridatis ipſius manu deſcriptum conſtabat ex duabus nucibus ſiccis item Ficis totidem, & Rutæ foliis 20 ſimul tritis, addito Salis grano: qui hoc jejunus ſumat nullum venenum nociturum illo die.

Coquitur hæc nux, autore Galeno, faciliùs quàm Pontica, i. e. Avellana, ſtomachóque eſt gratior, & multò magis quando cum Caricis manditur. De recenti nuce hæc accipe, nam ſicca in ſuccum pinguem tranſmutatur ut cibo prorſus ſit inepta.

Corticis nucum exterioris ſuccus expreſſus vel crudus, vel cum melle decoctus ad dandam conſiſtentiam, in ore gargariſatus, ad uvulæ relaxationem, tonſillarúmque & gutturis inflammationes vi ſua adſtrictoria cum tenuitate partium conjuncta utiliſſimus eſt Galeni experimento.

Virides ſeu recentes Juglandes ventrem cient. *Galen. Aet.* Veteres & ſiccæ potiùs aſtringunt. Concoquuntur probè in Ventriculis frigidis, in calidis in bilem vertuntur.

Cortex interior arboris ſiccatus vomitum ciet valide; Juli ſive nucamenta lenius.

Tinguntur cortice illarum [nucum] lanæ, & rufatur capillus primùm prodeuntibus nuculis, *Plin. hiſt. lib.* 15. *c.* 22.

Ineſt quoq; Juglandibus nucibus propria quædam ac peculiaris facultas ad remoratos menſes ciendos, aliis medicamentis nihil proficientibus. Macerantur in aqua donec nuclei membranis poſſint nudari; deinde nuclei ita expoliati macerentur in Aqua vitæ per biduum, eorúmque duo vel tres quotidie manè jejunæ exhibeantur per decem dies ante tempus menſtruæ fluxionis.

Succus radicis violenter purgare dicitur nonniſi ruſticis exhibendus.

Aqua etiam Juglandium immaturarum deſtillata ad multa commendatur, v. g. ad diſſolvendos thrombos concreti ſanguinis, ad vulnera & ulcera calida, ad anthracem peſtilentem foris impoſita. Ad eadem valet & foliorum Juglandis aqua. An verò aqua Juglandium refrigeret, adeóq; Anthraci conveniat meritò dubitat J. Bauhinus.

Nuces Juglandes poſt piſces ſumptæ eorum coctionem adjuvare creduntur, unde illud Scholæ Salernitanæ,

Poſt piſces nux ſit, poſt carnes caſeus eſto.

Certum eſt etiam eas venenis repugnare præſumptas in cibis unde ſæviente peſtilentia Proceres pariter ac plebs infima, quinetiam rura toſtas jejuni mandunt.

In tranſmarinis regionibus Juglandes teneras & immaturas, cortice exteriore acuto cultello deciſo atque etiam putamine duriore, in aqua frigida maceratas aliquandiu & deinde ad mollitiem coctas in ſyrupo è ſaccharo præparato leviter bullitas & in eundem demerſas reſervant pro Bellariis.

Juglandes virides decerptæ Maio vel Junio appetente, antequam earum putamina obduruerint, ſaccharo adſervatæ ſtomacho utiles evadunt. Imò ex noſtra obſervatione Juglandes, dum virides adhuc & immaturæ ſunt integræ unà cum corticibus & putaminibus ſaccharo conditæ, ſive (ut moris eſt) in aqua ſaccharata decoctæ donec tenereſcant, deinde eidem aquæ ad ſyrupi conſiſtentiam coctæ immiſſæ ut ſerventur, ſi duæ vel tres ſumantur ſub veſperam à cibo ſumpto, alvum leniter ſubducunt.

Decoctum corticum exteriorum nucum Juglandium terræ ſuperfuſum lumbricos è foraminibus ſuis vel elicit, vel exigit.

Tragu

Tragus ſcribit quoſdam exteriorem corticem nucum Juglandium arefacere, ínque pulverem re- lactum Piperis loco in condiendis cibis uſurpare: cui ad ſaporem commendandum nonnulli pul- erem foliorum Salviæ adjiciunt.

Juglandis materies menſis & utenſilibus laudatis dicatur, & operi tectorio. In Gallia plurimi fit oc lignum pro menſis, ſcamnis, lectis, cathedris, ſcrinii abacis & aliis ejuſmodi, quæ tela cerea fri- ant ſæpe; ſic egregiè poliuntur, & nitidum ſplendorem acquirunt. D. Evelynus fabros noſtros leo ſuo calido affricto lignum hoc expolire ſolere ait. Maximè autem æſtimatur ob colorem ſuum arium, venas undulatas aut criſpas, & materiæ ſoliditatem.

E nucibus tuſis, calefactis & expreſſis elicitur oleum, quo nonnulli ad gangrænas, carbunculos, gilopas & nervorum ulcera utuntur. Infuſum auribus ſurditati prodeſt, & idem utile calidis dolo- ibus illitum. Matthiolus nullius in Medicina usûs eſſe ſcribit, ſed ad lucernas & lampadas præci- uè experi, quod durabilius ſit oleo olivarum. Præfertur etiam pictoribus ei quod è Lini ſemine ex- rimitur; ſiquidem hoc ceruſſæ admixtum tractu temporis colorem immutat, illud verò incorrup- um perpetuò aſſervat. At alibi flatus potenter diſſipare, & in coli affectibus à flatu genitis pluri- num afferre auxilii tradit. Aetius eandem ei vim tribuit quam oleo Amygdalino, inſupérque hoc rivatim habere tradit, quòd inaurantibus aut inurentibus conducit. Siccat enim & ad multum tem- us inaurationes & inuſtiones continet & adſervat.

Iſcæ [ἴσκαι] Paulo ſunt ſpongioſa quædam corpora in Quercubus & Nucum Regiarum arbori- us naſcentes, [Fungos, puto, intelligit] quæ Barbari magis in uſu habent. His inter cætera cau- riorum genera uſos fuiſſe Antiquos idem Paulus teſtatur, in longis ſtomachi defluxionibus, inque ydropicis. Quomodo autem iſcis ad uſtionem uterentur ſic demonſtrat Cælius Aurelianus. Fungos gneos inferiùs ac ſuperiùs anguſtos formantes [convenientiùs inferiùs latos efficerent, quo meliùs ti inſiſterent] patientibus apponunt locis, quos ſummitate accenſos ſinunt concremari donec cine- ſcant atq; ſponte decidant. Id hodie imitantes Turcæ ſarmentum vitis bene aridum parti malè affectæ pplicant & ſummitatem ejus accendunt. Hoc modo *Moxâ* dicta utuntur nunc dierum, ad Poda- ram & alios morbos. Cæterùm creber eſt uſus Fungorum Juglandium ſclopetariis ad ignem conſer- ndum: modum præparandi fungos ad hunc uſum vide apud J. Bauhinum in hiſtoria hujus arboris.

Arbor vulnerata initio veris antequam folia emittit liquorem effundit copioſum, minus tamen dul- em quàm ſit Betulæ ſuccus.

Cap. II.

De Corylo ſive Avellana Nuce.

COryli vocis Etymon non invenio. Avellanam ab Avellano Campaniæ oppido ubi abundat dictam putat Servius. At Plinius Avellanas antea Abellinas patrio nomine dictas ſcribit, *lib.* 15. *cap.* 22. Abella igitur oppido nomen. Ponticæ dictæ ſunt hæ nuces, quoniam in Aſiam ræciámque è Ponto venêre. Auctor Plinius *loco citato.* Potiùs, crediderim, quia in Ponto abun- nt; niſi de Sativis ſeu barbatis intelligat, quibus fortè Pontus patria; nam ſylveſtres paſſim ſpon- neæ ſunt. Theophraſto Heracleoticæ ad Heraclea Ponti urbe, cui & κάρυα ſimpliciter, uti pro- t J. Bauhinus; Aliis Præneſtinæ dicuntur ab Agro Præneſtino, ubi affatim proveniunt; vel quia ræneſtini olim à Pœnis obſeſſi iis famem toleraverint. Hippocrati de Diæta κάρυα πλατία, teſte aſp. Hofmanno, dicuntur.

A. 1. *Corylus ſativa* J. B. *item ſylveſtris.* **The Filberd, and the Haſel-Nut.**

J. B.

Folio eſt Alni, ſed acutiore, nec eum in modum viſcido, hirſuto, modicè ſerrato, rugoſo, ſuaviter dorato. *Flos* è gemmula erumpit coccineis filamentis compoſitus; ſimúlque Juli longi, tenuiores uàm Nucis Juglandis, qui priuſquam decidant flavi fiunt. [Ego Julos pro genuinis & legitimis flo- bus habeo, non filamenta illa coccinea] *Fructus* ſimul aliquot juncti, involucris calloſis, ſuccoſis, rbaceis, barbatis, hirſutis, adſtringentibus & acidis obſepti, magnitudine dimidio minores utplurimum glande, oblongi vel globoſi, putamine umbilicato, per maturitatem flaveſcente aut ruffo, lævi, gnoſo aut duro ſatis: cui ſubeſt pellicula, in domeſticis quibuſdam coccinea, in aliis ſubruffa, nu- eum obveſtiens albidum, firmiuſculum ſicut Amygdali nucleus, ejuſdémque ſapore dulci, lacteum emittentem ſuccum. In Avellanis nucibus antequam nucleus formetur aut perficiatur ambiens pul- a eſt candicans, fungoſa, ſaporis acidi. Ipſi verò nuclei plurimùm obnoxii ſunt vermibus, qui omni tus nutrimento conſumpto ipſum etiam putamen pertundunt ac prorepunt. Ipſa Corylus arbor ſt ex radice craſſa latè ſe diffundente, nodoſa atque criſpa caudices magna ex parte aliquot emit- ens, in multos ac robuſtos ſubdiviſos ſtolones, virgáſque lentas & obſequioſas quales quotannis emit- t novas, nec ramoſa; materie candida, molli. Caudex ubi annoſus fuerit cortice obducitur incano, evi, & viſcum nonnunquam producit, ut nos etiam obſervavimus.

Nuces Avellanæ primaria diviſione diſtingui poſſunt in ſativas ſeu barbatas, noſtratibus **Filberds** ictas, & ſylveſtres ſeu calvas, Anglis **Haſel-nuts.**

1. Sativæ ſeu barbatæ dictæ, quia membrana exterior calloſa, totam nucem contegit, ultráq; eam imbrioſa in barbæ modum protrahitur. A vulgaribus ſeu calvis diſtinguuntur quòd majores ſunt & ongiores, umbilico majore & elatiore, oppoſita parte acutiore, putamine minùs craſſo, fractu fa- ciliore, guſtu nuclei gratiore. Harum duas ſeu ſpecies ſeu varietates obſervavimus, Alteram nucleo ubrâ vel purpurante tunica contecto, quæ ſativa rubra *J. B.* Sativa fructu oblongo rubente *C. B.* Sativa fructu longo *Park.* Alteram nucleo albâ pelliculâ tecto, cujus meminere etiam C. Bauhinus

&

& Parkinſonus, qui præcedentis nucleum guſtu gratiorem & delicatiorem eſſe ait quàm hujus, quod & nobis probatur, unde & illud genus præ aliis lautiorum menſis adhiberi ſolet.

2. Nuces ſylveſtres ſeu calvæ dictæ, quod putamen exterius totam nucem non contegat, ſed ſuperiorem ejus partem nudam relinquat. Harum innumeræ fere in figura, magnitudine, putaminum craſſitie, nucleorum ſapore, matureſcendi tempore differentiæ ſunt. Duæ præ aliis maximè obſervabiles: 1. Sylveſtres vulgares, quæ in ſylvis & ſepibus paſſim proveniunt & minores ferè ſunt, **Haſel-nuts** Anglis dictæ. 2. *Maximè Hiſpanicæ* nobis dictæ quia ex Hiſpania ad nos advehuntur. Hæ nuces Avellanæ ſativæ albæ maximo fructu *Park.* & ſativæ fructu rotundo maximo *C. B.* aliis Lugdunenſes & Italicæ dictæ, unciali amplitudine, rotundæ, putamine ligneo cæteris omnibus duriore. Latiores ferè ſunt quam aliæ, umbilico ſeſſili, leviter compreſſo, nucleo duriore cæteris, guſtûs ſuavitate facilè cum ſativis certantes.

E ſylveſtrum genere ſunt vulgatæ illæ [in Germania] quas paſſim in hortos & viridaria tranſlatos colunt, ſylveſtribus arboris & fructûs facie ſimiles, ſed duplo ferè majores ſpecioſioréſque, utrinq; ferè obtuſiores, nucleo habitiori ſuavioríque, pellicula albicante tectæ. Arbor hæc C. Bauhino Corylus ſativa fructu albo minore ſive vulgaris dicitur.

Alterius adhuc elegantis Nucis ſylveſtris varietatis meminit J. Bauhinus, in hortis etiam cultæ, cujus nuces graciles admodum ſunt, & quædam calamum ſcriptorium craſſiorem craſſitudine, præſertim circa umbilicum, non ſuperant, Cylindriacâ atq; toroſâ ferè figurâ, niſi parte inferna modicè dilatarentur.

At ſpecie fortè à vulgari Corylo differt genus illud quod in Macedonia naſcitur, Arbore non quemadmodum apud nos multiplici caudice fruticoſo, ſed ſingulari, procero, & juſtam arborem æquante, foliis latis, Nucibus in grandem racemum pugni magnitudine congeſtis, cujus Paulus Rubigallus è Buda ad Conſtantinopolin legatus hiſtoriam Cordo retulit.

Corylus Virginenſis Park. Specie etiam differre videntur Nuces quæ è Virginia ad nos adferuntur noſtratibus minores, acutiori vertice, putamine ſcabriore ſeu minùs æquali, duriore etiam & minùs fragili, nucleo non perinde dulci & grato. Arbor quæ has nuces fert Corylus Virginenſis Parkinſono dicitur.

2. *Avellana Byzantina* J. B. *pumila Byzantina* Cluſ. Ger. emac. *peregrina humilis* C. B. *Nux Avellana Macedonica ſive Byzantina* Park. **The Filberd of Conſtantinople.**

Supra cubitalem altitudinem raró accreſcit, ſed pumilam ſemper perſiſtere referunt. Craſſos verò admodum magnóſque fert tenuibus pediculis calyces, extrema parte in multas, craſſas, longáſque lacinias diviſos, ſede etiam multis laciniatis appendicibus obſita. Sunt autem ii calyces foris valdè durâ aſperâque lanugine hirſuti, interiore parte læves, continéntq; fructum Avellanæ ſylveſtri & ſponte naſcenti fere ſimilem, breviorem tamen, duróque putamine ut illa conſtantem. *Folia* quàm vulgari Corylo oblongiora paulò, perinde tamen rugoſa nullo ordine virgis adnexa.

Locus. Corylus in ſylvis & ſepibus per totam ferè Europam frequentiſſima eſt: At ſativæ illæ barbatæ apud nos ſponte non oriuntur, nec ſcio unde primùm accerſitæ. J. Bauhinus in Alſatia non infrequentes eſſe ſcribit. *Tempus.* Juli primo quoque tempore erumpunt nondum ſoluta hyeme: deinde Martio atq; Aprili ſuccreſcentibus foliis flaveſcentes abſcedunt. Fructus Auguſto menſe matureſcunt, nonnulli tamen ſeriùs.

Vires & Uſus. Nuces Avellanas ſtomacho infeſtas eſſe & difficulter concoqui, necnon caput gravare præſertim largiùs ſumptas Medicorum Veterum & Recentiorum communis eſt ſententia. At Lacuna id experientiæ & communi opinioni reclamare ſcribit: bonæ quippe matronæ Hiſpanicæ toſtis vulgariter utuntur ad gratificandum ſtomacho, cerebrúmq; confortandum non ſine ſucceſſu. Ego cum Bruyerini matronis apud J. Bauhinum toſtas inſalubriores eſſe exiſtimo quàm crudas. Recentes & maturitatem exactam non adeptas vetuſtis & ſiccis tum gratiores tum ſalubriores cum iiſdem cenſeo.

Quòd alvum ſiſtant & dyſentericis proſint nonnulli ſcribunt: Alii & veriùs Dyſenteriæ aut Diarrhœæ obeſſe potiùs quàm prodeſſe tradunt, ideóque in ejuſmodi morbis ab iis omnino abſtinendum. Inteſtinis infeſtas eſſe experientiâ docere conatur Tragus. Pueri namq; (infit) ſi Auguſto menſe Avellanas nuces avide devorant facilè in dyſentericum morbum incidunt. Ad dyſenteriam etiam peſtilentialem nocuas eſſe vulgo perſuaſum eſt.

Quòd Avellanæ Juli, & cortices aſtringant & ventris fluores ſiſtant affirmant qui de iis ſcripſerunt. In Plinii ſententiam quòd nuces Avellanæ pinguedini corporis conferant, etiam plus quàm ſit veriſimile, non ſolùm poſterior medicina ſed & vulgus ipſum manibus pedibúſque deſcendit: Anheloſos tamen & aſthmaticos efficere ad ſatietatem eis veſcentes vulgò perſuaſum eſt. Dioſcordes tamen tritas & in aqua mulſa potas veteri tuſſi mederi tradit. Quod Dioſcorides putaminibus uſtis ac cum oleo tritis, glaucas in pueris oculorum pupillas denigrari prodidit, hoc illuſtri experimento facto aliquoties ſe cognoviſſe & veriſſimum eſſe comperiſſe gloriatur Cornarius. Credat qui volet.

Oleum nucum Avellanarum efficaciſſimum eſſe ad tuſſim veterem & deſtillationes ſcribit Tragus.

Cur Avellanæ tantopere obnoxiæ ſint vermibus, Juglandes verò rariſſimè iis infeſtentur rationem duplicem reddit J. Bauhinus. 1. Ob nimiam earum, præſertim cùm recentes ſunt, humiditatem: humor enim Ariſtoteli putredinis mater. 2. Quia parùm olei habent, quo Juglandes abundant. Verùm ego potiùs exiſtimo vermes in Juglandes non penetrare, præcipuè ob amarorem corticis externi. Vermiculos enim extrinſecus irrepere non autem intus ſponte naſci affirmo, cùm nec generationem ullam ſpontaneam è putri materia in animalibus agnoſco: in nucibus autem illud patet, quoniam cortex fructûs illius in quo vermiculus latitat ſemper perforatur, & in putamine exteriùs veſtigium aliquod ſeu cicatricula foraminis apparet.

Vulgus Metallicorum ad Virgulam Divinam ſeu Divinatoriam (ut vocant) quâ venas metallorum inquirit, præ cæteris furcam eligit colurnam. Verùm cùm ex impuris fontibus incantatorum

primò

imò in metalla defluxerit; Metallicus (utpote vir bonus ac naturæ peritus) eâ non utitur, ſed alia turalia venarum ſigna obſervat. *Schwenckfeld. Agricola.* Qui plura de ea velit, J. Bauhini Hiſto- am petat. E ſtolonibus ſeu ſurculis hujus arboris fiunt virgæ piſcatoriæ, & ad equos pigriores inci- ndos flagellorum vice. Ex iiſdem intortis faſcium vincula: Mirum autem (ut facetè Plinius) ntuſo ligno alicui majores ad vincula eſſe vires. Ex iiſdem, cùm ſatis excreverunt per medium longum fiſſis circuli doliares efficiuntur. E contextis crates vimineæ, **Hurdles** noſtratibus dictæ, varios uſus parantur, ut v. g. ad ſepta quibus internoctu ovium greges includant efficienda. Viru

Ex ligno etiam carbones parant pictores, ſculptores & aurifabri ad delineationes & præludia figu- rum ducenda commodos. Ex hujus etiam ligni carbonibus pyrius pulvis confici ſolebat, antequam lni carbones ad eum uſum commodiores eſſe comperti fuerant.

Ex radice nodoſa & undulatim criſpa vaſa & ſupellectilia varia formantur, quæ ad longos anno rant, nec facilè corrumpuntur.

3. *Avellana purgatrix* C. B. Park. *purgatrix Novi Orbis* J. B. *Nuces purgentes* Ger.

Monardes has colore & formâ noſtratibus ſimiles eſſe ſcribit, putamine tenui, coloris ſpadicei, angulares, medullâ interiore alba & dulci, ſic ut multi dulcedine illecti decepti ſunt. At quam xit Cluſ. lentus & mollis contegebat cortex, partim ex cinereo candicans, partim nigricans: nc ſequitur putamen minùs ſolidum quàm in vulgaribus Avellanis: id nucleum continet Avel- æ magnitudine candidum, ſolidum, Avellanæ vulgaris aut Iligneæ ſapore, tenui membrana ob- ctum. Integra Nux altera parte ſeſſilis eſt, & conjunctim binæ naſci videntur, ut interdum Ca- neæ.

In Hiſpaniola inſula naſcitur. *Locus.*

Pituitam & bilem infernè & ſupernè purgant. Earum vehementiam aſſatione infringunt. Coli *Vires.* loribus præſens ſunt remedium, flatus diſcutiunt, & clyſteribus injectæ mediocriter evacuant. Doſis à ʒ ß. ad ʒ j. ſed aſſandæ.

Quamvis mihi non conſtat, an Nuces hæ ſint genuinæ Avellanæ necne, quoniam tamen ab om- us qui de iis ſcripſerunt hoc nomine appellantur, huc referendas cenſui.

CAP. III.

De Fago.

FAgus à Dorico φαγὸς pro φηγὸς à φήγω, id eſt, *edo*: ſive quia ejus fructu homines veſcebantur ante fruges inventas, ut Euſtathius ait, ſive quòd vulgò ſaltem hoc cibo uterentur, quia exiguo labore pararetur, contra quàm fruges, ut is rudioribus ſeculis ditiorum tantùm cibus fuiſſe eatur. Cave autem credas Latinorum Fagum eandem eſſe arborem cùm Græcorum φηγῷ. Hæc m Quercûs ſpecies eſt.

A. *Fagus* C. B. Ger. Park. *Fagus Latinorum, Oxya Græcorum* J. B. **The Beech-Tree.**

J. B.

Arbor eſt magna, patula, ramis diffuſa, caudice craſſo, & procero; materie firma, alba, maculata, rtice lævi, ſubcinereo, mediocriter craſſo. Senio confecta cavatur, ſicut & Quercus nonnullæ. nte omnia notatu digni in Fago oculi, ſeu longæ & ſquamatæ illæ gemmæ, quibus facilè vel me- hyeme omni nudata fronde, à cæteris omnibus arboribus diſtingui poteſt. Eæ unciam circiter s minus longæ, anguſtæ, exacutæ & pungentes, ut & dentiſcalpiorum vicem viatoribus non in- mmodè præbere poſſint, involutæ tunicis craſſis ac lucidis, continentes foliorum primordia, quibus ergentibus intumeſcunt gemmæ, & tunicæ illæ fatiſcentes decidunt. *Folia* ad Populnea, ut ple- ue volunt, potiùs ad Ulmea quodammodo accedunt, firmiora, lævia, & nonnihil lucida, integra xceptis nonnullis in quibus aliquæ ſerraturæ, ſeu eminentiæ longè à ſe invicem diſtantes apparent) lanugine interdum, præſertim in ambitu obſita; ſapore acido præſertim novella: quæ colore ab ex luteo viridia ſunt, notante Trago, mox ſaturatæ viriditatis. Quo tempore folia erumpunt parent *Juli*, ex longis pediculis pendentes, rotundi, ac multis apicibus luteis conſtantes, caduci Nucis Juglandis. Hos cum Trago veros & genuinos flores eſſe affirmamus, quicquid contradicat Bauhinus. Sequuntur *calyces* echinati, anguloſi, hiſpidi, ſed non rigidis ſpinis, interna parte lanu- oſi, carnoſi ſatis & ſucculenti, guſtu acido, qui adaperti quatuor æquis portionibus dividuntur; quibus nuclei triangulares, lævi & ſpadiceo cortice, qualis ferè in Caſtaneis, intra quem præter uem cuticulam medulla alba, ſubdulcis, pinguis, cum exigua tamen adſtrictione, eſui tamen gra- Hic fructus, ubi maturuerit ex calyce echinato ſua ſponte decidit, qui ſi porcorum & murium lam effugerit, vere appetente germinans è terra erumpit binis per exortum latis & pinguibus fo- , ut quivis facilè obſervare poteſt. Radices nec multas, nec altas agit, pro arboris proportione, d ſummæ terræ obhærentes.

Arborem hanc Oxyam Græcorum eſſe, non φηγὸν, Bellonius, Dalechampius, J. Bauhinus abundè obant, quos conſulat Lector. Ex collatione deſcriptionum Oxyæ apud Theophraſtum, & Fagi ud Plinium, quæ in multis conveniunt, (ut hunc ex illo deſcripſiſſe minimè dubium ſit) id colli- nt: cui accedit, quod Bellonius etiamnum hodie in monte Atho Fagum vocari *Oxya*, & in Mace- nia *Oxyas* adnotaverit.

Amat montes ſed præcipuè humentes, nec aſpernatur plana, Solo gaudet cretaceo aut petroſo: on minùs in Anglia quàm in Germania multis locis provenit, præſertim in Meridionalibus; unde iramur Cæſarem in Comment. fagum Britanniæ denegaſſe.

Vires. Folia Fagi recentia tuſa & impoſita calidis tumoribus proſunt, eoſque diſcutiunt, & torpentia membra corroborant, teſte Matthiolo, qui & eſitata labiorum gingivarumq; vitiis mirificè opitulari aſſerit.

Aqua quæ in cavis Fagis & annoſis Quercubus quandoque reperitur ſingulari remedio ad omnis generis ſcabiem & impetigines, Lichenaſque facit, quod ſeipſum in pecoribus & hominibus expertum ſcribit Tragus. Et ſanè ob vim adſtrictoriam vehementem ad hoc utile eſſe veriſimile videtur.

Fagineas glandes uſtas & admixtas cum exungia porcina calidè applicatas lumbis conferre calculoſis nonnulli affirmant. *Trag. Matth.* Glires Fagina glande maximè delectantur ac pingueſcunt: quamobrem cùm ejus advenit maturitas, teſte Matthiolo, innumeri capiuntur in Carniolæ, Stiriæ & Carinthiæ ſylvis; ut incolas manè videas ſaccos plenos una nocte captos ferentes. Nec Glires tantùm eam appetunt, ſed & mures, & ſciuri, & turdi, & merulæ aliaq; multa Volatilia. Sues etiam in Germania & Anglia iis ſaginantur. At nobis ſane (inquit J. Bauhinus) Fagineam glandem, potiſſimùm virentem & nondum exſiccatam, ſi paulò copioſius comedatur Lolii inſtar caput turbare obſervatum, ac ipſos etiam ſues aſſerunt ejus eſu turbulentos reddi, & tandem obdormiſcere. Fertur etiam pinguedo ſuum ejuſmodi glandibus ſaginatorum mollior, quæque dum coquitur magis liqueſcat; quod idem de Querna glande vulgo traditur. Averſæ foliorum parti rubicantes, concavæ & acuminatæ pilulæ ſingulis pænè annis ſubnaſcuntur, verrucarum modo extuberantes, in quibus vermiculi procreantur.

Uſus. Facilis & in opere Fagus, quanquam fragilis ac tenera. Eadem & ſectilibus laminis in tenuia flexilis, capsiſq; ac ſcriniis ſola utilis. Apud Antiquos & inde vaſis honos. *Plin.* Miramur ſanè (inquit J. B.) Fagum olim in tam nobiles uſus vocatam, maximè ejus materiem, quam ſcimus facilè putreſcere, niſi ſit perpetuò tecta, aut in aqua ſemper merſa, quòd ſæpe nobis obſervatum in lignis ad urendum ſectis. Si enim ſub dio maneant non tecta & madeſcant, facilè corrumpuntur, & ad ignem inutilia redduntur: alioquin inter nobis nota ligna ad focum & carbones utiliſſima, & præ aliis expetita. Nec concedimus Plinio capſis & ſcriniis ſolam utilem. Multa alia hodie præferuntur. Quanquam ad craſſiora opera ſatis firma videtur, ut ad plauſtra & ſimilia: noſtrates ad follium majorum quibus in fornacibus ferrariis utuntur valvas tabulas Fagineas adhibent, quia vix aliæ ſatis latæ haberi poſſunt: Navium etiam carinas ex ea ædificant, quia in aquis perpetuò merſa incorrupta durat, ut & Theophraſtus olim obſervavit. Multa quoque utenſilia è Fago fieri conſueverunt, & pleraque inſtrumenta agriculturæ; non quia materies aliis præſtat, ſed quia copia ejus ſuppetit.

Sed non poſtremus ejus uſus eſt quòd in tenuiſſimas laminas flexiles diſſecta enſium vaginis firmandis interſeritur, unde & cultrariis bene nota; Quin & pyxides chartæ ſuperinductæ ad linteamina tenuiora recondenda, & Galerorum capſæ, aliáq; ſimilia ex ea fiunt.

CAP. IV.

De Caſtanea.

Lib. 15. c. 23. CAſtanea, Theophraſto Διὸς βάλανος, non à caſtitate dicta eſt, ut quidam opinantur, ut à * Plinio jejuniis ferè dicatas dicente innui volunt: ſed à Caſtanide terra nomen habet. Nicand. in Alexipharm.

Τὸ Καϛανὶς ἔτρεφεν αἶα.

Plures autem fuerunt hujus nominis urbes, ut videre eſt apud Bodæum à Stapel. in cap. 10. lib. Theophr. hiſt. A quanam harum dicta ſit Caſtanea non multum intereſt, propoſito noſtro ſuffic quòd ab aliqua. Nuces etiam Ἄμωτα, & λόπιμα Græcis dictæ ſunt, & (ut nonnullis placet) Euboic At Theophraſtus diverſis in locis κάρυα Εὐβοϊκὰ, & Διὸς βάλανον nominat.

Caſtanea corticoſo ſeu coriaceo putamine cum glande convenit, echinato calyce, totam nuce tegente, ab eadem differt.

A. 1. *Caſtanea* J. B. Ger. *ſativa* C. B. *vulgaris* Park. **The Cheſnut-tree.**

Arbor eſt procera & magna, Quercuum annoſarum craſſitudine, tantæ nonnunquam amplitudinis viſa, ut truncum ejus tres homines vix complecti potuerint. *Ramos* extendit plurimos: ſurculos fert tenues phœnicei coloris. Cortice veſtitur lævi, maculoſo, ſubnigro. Eſt ubi & in cinereum vergat, ſed potiſſimum in ramorum extremis & junioribus arbuſculis. Materies robuſta, non ſentiens putredinem, quæ tamen ab onere incurvatur, in igne multum crepitat: cujus carbones ſtatim extinguuntur, proinde fabris ferrariis expetiti. *Folia* gerit ampla, uncias duas plus minùs lata, quatuor aut quinq; longa, tenuia, ſerræ inſtar inciſa, nonnihil rugoſa, tranſverſis multis venis, in dorſo eminentibus, à media inſigni coſta extenſis. Fructum præcedunt *nucamenta* dependentia, inſignis longitudinis, luteolis apicibus conſtantia, & Juglandis julis quàm ſimillima. Fert calyces echinatos pungentes, erinaceis ſimiles, qui intus villoſi ſerici inſtar tactu molles ſunt, in quo continentur binæ aut terniæ nuces, aliàs unica, ex lata baſi in acumen deſinentes, compreſſæ, altitudine unciali plus minus, ab uno latere planæ, ab altero plerunq; in ventrem extuberantes, cordis formam quodammodo, ut vulgò pingi ſolet, æmulantes: cortice exteriùs obductæ non craſſo ſed veluti coriaceo, duro, ac lento, exteriùs ſpadiceo ac lævi, excepta baſi ſcabriore & ſubcinereo (qua parte adhæſ interna

nè incana lanugine molli pubeſcente: cui ſubjacet alia tenuior cortex ſive membrana, ruffa,
a, & fiſſuris glandis ſeſe inſinuans; fragilis, amaricans & aſtringens, nucleum ſive glandem
inens albam, calloſam, ſolidam ac duram ſatis, qualis glandium fere Quercûs, ſed dulcem & gra-
palato, præſertim ſi cocta fuerit.

aſtaneæ in triplici ſunt differentia fructuum reſpectu, qui magni, mediocres & parvi. Caſtaneæ
n magnæ & mediocres (obſervante J. Bauhino) revera non differunt, ſed illæ ab his quæſtûs causâ
angonibus duntaxat ſeliguntur. Minores vix ungues digitorum & raro pollicis æquant aut ſu-
nt, quarum vix decem aut duodecim unam magnam pendeant. Videntur & callo eſſe ſolutiore,
ûq; prædictis longè inferiores. Hujuſmodi fructus producunt caſtaneæ vel ſylveſtres, vel etiam
apud nos in Anglia; unde cultum vel locum potiùs (hanc nucum differentiam) facere opina-
, quàm eas ſpecie inter ſe differre.

audent in genere montibus & acclivibus; Septentrionali clivo (ut tradunt Veteres) regionum *Locis.*
n non frigidiorum, nam cœlum Aquilonium non ferunt. In Italia abundant, ubi plebs mon-
magna ex parte iis victitat. Habentur etiam in Gallia, Germania, atque etiam Anglia noſtra
ſtres. Ineunte Vere germinant, nec multo poſt florent. Fructum circa finem Septembris ma-
nt. Maturo fructu echinati calyces rumpuntur & hiant, caſtaneæque decidunt. Nonnulli
o antequam plenè maturuerint prælongis perticis, ſicut nuces Juglandes, arboribus decutiunt.
rnis ferè annis agricolam uberi meſſe exhilarant. Aquas odiſſe dicuntur. Integrarum nucum
atio eſt ut in frigidam mittantur; ſiquidem bonæ & incorruptæ merguntur, vitioſæ ſuper-
nt.

e ſatione caſtanearum Columella & Palladius fusè, Plinius ſuo more ſuccinctè & eleganter
ipit. Quæ radicibus exempta & depoſita eſt Caſtanea biennio reformidat: propter quod com-
m eſt, commodiùs nucibus quàm viviradicibus ejuſmodi ſylvas inſtitui. *Columel.* Idem aliis
s tradunt Plinius & Palladius. Quod non provenire aiunt niſi quinis acervatim ſatis, experien-
alſi convincit.

aſtanea, teſte Ruellio, Juglandi, Fago & Robori inſita comprehendit. Ego Juglandi inſitam
comprehenſurum crediderim ob fructuum diſſimilitudinem, at Quercui facilè, ob convenientiam
ndem. Fructum inde meliorem evaſurum promittunt; quod veriſimiſe eſt.

ateries arboris ædificiis, atq; aliis domeſticis utenſilibus admodum apta eſt: ſiquidem ex ea non *Vires & Uſus.*
ò trabes, tigna, aſſeres & pedamenta, ſed & cadorum coſtæ, & eorum cinctus fiunt; verùm
ariis inepta, teſtibus Matthiolo & Lacuna. Apud nos ſpondæ, cathedræ, menſæ, ciſtæ, aliáq; ſu-
ctilia è Caſtanea fiunt.

aſtaneæ in cibos veniunt: aliquibus in locis ubi abundant molitarum farinâ ad panificium & ad
utuntur, ut Bononiæ in Italia obſervavimus. Verùm ejuſmodi pultes palato noſtro non
t: & rectè Plinius, præſtant jejunis quandam imaginem panis, potiùs quàm panem.

ntegræ vel in aqua coquuntur, vel igne torrentur, idq; duobus modis, vel in ſartagine aut perfo-
patina ad ignis flammam, vel ſub prunis & cineribus candentibus. Prius tamen quàm cineri-
aut igni credantur, cultello obiter vulnerari debent, ut è plagæ hiatu flatus igne citatus evadat;
qui ubi flagrantes incaluerint, concepto intus ſpiritu magno cum crepitu proſilient, non ſine
antium periculo: conſumitur etiam meliùs flatuoſa illa humiditas quæ iis ineſſe putatur, & æqua-
torrentur. Præfertur poſterior coquendi modus: nam in ſartagine toſtæ vel patella ferrea,
cauponis fieri conſuevit, partim comburuntur, aut certè aliquid fuliginoſi empyreumatis con-
nt.

n Italia urbani & lautiores Caſtaneas ſub cineribus toſtas & decorticatas cum ſucco Arantio-
aut Limonum & tantillo Sacchari menſis ſecundis inferunt, & ſic præparatas *Piſtacias Italicas*
tant. Pro plebeiis vidimus aliquoties in plateis urbium publicè, in ſartagine fornaculæ portatili
erimpoſita frixas venales. Verùm quomodocunq; paratæ flatulentæ ſunt, ventriculo & capiti
icæ, viſcerum infarctibus opportunæ, colico dolori obnoxiis, & iis qui ad calculum proclives
minùs commodæ, imò noxiæ.

aſtaneæ glandes aſtringunt ſimiléſq; præbent effectus cum cæteris glandibus, ſiſtunt utiq; vehe-
nter ſtomachi & ventris fluxiones & ſanguinem excreantibus proſunt, unde & aqua in qua in-
æ decoctæ ſunt bibita cœliacis, dyſentericis & ſanguinem excreantibus utilis cenſetur. Coctæ
us diximus modis & cum melle jejunis datæ tuſſientibus prodeſſe dicuntur: ut & Electuarium
earum farina ex melle paratum.

nterior membrana rubens quæ corticem & fructum diſcernit præcipuè commendatur ad omnes
fluores & ſanguinis rejectiones ſeu in aqua ad tertias decocta & pota; ſeu in vino auſtero ℥ij
dere: quinetiam cum pari pondere ramentorum eboris alba fœminarum profluvia cohibet ex
a albæ Nymphææ hauſta. *Dod.*

mulſio Caſtanearum cum decocto Glycyrrhizæ extracta, addito pauxillo ſeminum Papaveris,
fert iis qui ardore urinæ laborant. Camerario communicavit Crato.

2. *Caſtanea humilis* Park. *humilis racemoſa* J. B. C. B.

Matura [nux] nucis Avellanæ eſt magnitudine, echinato calyculo, corio, membranâque
itur. Sola nunquam ſuo calyculo includitur. Multæ ſimul racematim cohærent. Guſtu eſt
uavi.

Humilem hanc Caſtaneæ ſpeciem non longè à Pilatino monte invenit Jo. du Choul, ante eum *Locus.*
ini notam, at neq; poſt eum, quod noverim à quoquam obſervatam.

3. *Caſtanella peregrina, an Gor arbor?* J. B. *Fructus peregrinus Caſtaneæ ſimilis* C. B.

Figurâ & facie Caſtaneam non malè repræſentat, niſi quòd eâ parte quà ſeſſilis eſt Caſtanea, hæc in gibbum elata ſit, & concolor, conſimili corio univerſam integente, cortice ſpadiceo, Caſtaneæ ſimili integitur, niſi quòd paulò ſaturatior ſit, & pluſculis ſtriis inæquali: à cujus ſummo ad imum mucronem hyli facie linea latiuſcula cinerea, ſtriarum itidem eminentiis aſperata protenditur. Superna parte (ſive infernam dicere lubeat) linea coronali cingitur, intra quam pars clauſa nigrior, nulliſque ſtriis donata. Impreſſio arguit alteri cuidam adhæſiſſe. Sapor pulpæ, ex albo in fuſcum inclinantis (fortè ob vetuſtatem) ac firmæ, amaricans ac ingratus. Cæterum oleaginoſa, ut impreſſa aciculæ acies prodidit: juxta enim oleaginoſum quid exſudabat haud ſecus ac Nuci moſchatæ ab acu punctatæ.

* *Exercit.* 181. *part.* 20.

Gor arbor * Scaligero juxta fluvium Nigir oritur, cujus fructus Caſtaneæ ſimilis ſed amarus. Jo. Leo tradit has arbores mirandæ eſſe proceritatis, ſatis procul à mari in continente.

4. *Caſtanea Peruana* Cluſ. Park. *Peruviana* J. B. *leporino reni ſimilis* C. B. *Caſtaneæ Peruanæ fructus* Ger.

Cluſ.

Sphæricæ pene eſt figuræ, niſi haberet latera paulò depreſſiora, præſertim ubi pediculo inhæſit, cortice ſatis craſſo, fragili tamen & velut fungoſo, obducta, coloris ex fuſco aliquantulum flaveſcentis. Huic ſubſunt innumeræ, tenues quidem, ſed firmæ ſpinæ, putamini quod nucleum includit tenaciter inhærentes. Ipſum putamen fuſcum eſt, non denſum, ſed lentum & fractu contumax, interiore parte læve & ſplendidum, quo continetur nucleus Amygdalæ [ſuo putamine liberæ] magnitudine ac colore, forma autem Leporino reni ſimilis, intus albus, ſapore dulcis ferè ut Amygdala aut Caſtanea vulgaris.

5. *Caſtaneæ purgatrices* J. B. *Caſtanea purgatrix* C. B. *Americana cathartica* Park.

Fructus eſt arboris cujuſdam vaſtæ, Caſtaneæ ſimilis, ſed calyce lævi, non ut earum echinato. Eo calyce fructus continetur Caſtaneæ non admodum abſimilis, ſed ſine cortice & ferè quadratus, in duas partes diviſus, medium intercurſante, & totum deinde ambiente pellicula.

Ex maritimis Nicaraguæ invehitur in Novam Hiſpaniam. Editur hic fructus viridis, aut contuſus vino exceptus: ſi ſiccus, ejus pulvis ex vino aut gallinæ juſculo ſumitur. Datur etiam toſtus, ut minùs purget. Quocunq; tandem modo ſumptus ſine moleſtia purgat, corpore ritè præparato, debito modo exhibita. Pellicula illa exterior interno ſolicitè detrahenda & abjicienda eſt, aliàs nimis violenter purgat & gravia ſymptomata inducit.

* P. 3. T. 32. p. 25.

6. *Caſtanea* * *Malabarica Angelina dicta. Anſjeli* H. M. *Angelina* Zanoni Acoſtæ. *An Angelina arbor* C. B?

Arbor eſt vaſtæ magnitudinis, ſedecim pedum menſuram craſſitie non raro ſuperans, multiſque ramis, rotundis, geniculatis, hirſutis, ſubaſperis & ſpadiceis donata. *Lignum* ſolidum, prædurum, albicans, intus ſubrufum, craſſo, viridi, ac intus albicante cortice tectum, qui inſuper cinerea & auſteri ſaporis cruſtâ ſquamoſa obductus eſt.

Radix craſſa, albicans, fibrata, cortice craſſo, candido, cuticulâ rubicundâ & ſquamoſâ obducto tecta, odoris & ſaporis ſylveſtris & ingrati.

Folia brevibus rotundis ac hirſutis pediculis ramorum geniculis ordine decuſſato inhærent, oblongo-rotunda, denſa, glabra, longitudine ſpithamam, latitudine palmum æquantia, ſupernè colore ex atrovireſcente nitentia, infernè viridi dilutiore, necnon brevibus ac lanuginoſis pilis obſita, adeóq; aſpera, & manui tangentis adhærentia. At vero tenella folia è vertice ramorum prodeunt, ſpadiceo-viridi, villoſo involucro incluſa, ut in Tilia cernitur: ipſa verò arbor cùm tenerior eſt, in tres plerunq; lacinias inciſa ſunt folia.

Florum loco ſupremis ramis julos arbor hæc producit virides, intus albicantes, teretes ac lanuginoſos, longitudine ſpithamam, craſſitie digitum æquantes, iíque ſiccati candelarum inſtar à pueris in ludis accenduntur.

Fructus *Angelicæ* dicti rotundis, craſſis, ſpadiceis ac lanuginoſis pendent petiolis oblongo-rotundi, cortice craſſo, aculeato, ſeu potiùs echinato viridi & dein flaveſcente obducti, fructibus Daturæ haud abſimiles, at pugni magnitudinem ſuperantes: intus verò, uti in *Jaca* cernitur, alii minores fructus, oblongo-rotundi, ac ſulcati intra corticem & medullam occultantur, fabarum aut caſtanearum ad inſtar, ſaporis acido-dulcis & vinoſi, odoríſque fragrantis: necnon integro fructu diſciſſo lacteus ſuccus exſtillat.

Locus. Creſcit locis petroſis & arenoſis ubique in Malabar, imprimis in ſylvis *Kalycolan*. Singulis annis menſe viz. Decembri fructus profert maturos, ac integrum ſeculum fructifera manet.

Vires. Folia exſiccata calefactáque artubus impoſita eorum dolorem ac rigiditatem demulcent. Eadem teſticulorum intumeſcentiam ex contuſione vel quavis externa vi ortam, ut & ὑδροκήλην ϗ σαρκοκήλην diſcutiunt, at in pulverem redacta, & cum unguento albo caphurato forinſecùs applicita Bubones venereos curant, vel cum radice curcumæ trita, atq; indies parti affectæ affricta, vi ſua aſtringente vaſorum orificia conſolidando inveteratum hæmorrhoidum fluxum planè reprimunt. Fructus verò immaturi avidiùs comeſti diarrhœam facilè excitant, quam arboris radices & cortices pari facilitate ſedant. At oleum è fructibus coctis expreſſum, vel intus ſumptum, vel fóris applicitum appetitum excitat ac alimentorum in ventriculo fermentationem juvat: Idem cum aſſato & trito Allio, necnon coagulato lacte frixum & podici admotum hæmorrhoidum dolores potenter ſedat.

Ex ligno ingentes ciſtæ & naves fabricantur, & ex hujuſmodi arboribus excavatis naviculas Indi conficiunt quas *Manſjous* appellant, quarum nonnullæ longitudine 80, latitudine novem pedes ſuperant. At verò naves ex ligno hujus arboris, quamvis duro, conſtructæ vermium putredini obnoxiæ ſunt in aquis fluminum minimè ſalſis.

Cap. V.

De Quercu.

Δρῦς Græcis generale nomen eſt, omnes arbores glandiferas complectens, quas una voce comprehendi poſſe Latino ſermone negat Plinius. Quercus enim inter δρυὸς differentias ab eodem recenſetur. Verùm quoniam Quercus nomen à vulgo extenditur ad omnes glandiferarum ſpecies ſignificandas, nos non inviti, cum J. Bauhino, (nè quid novi ſapere velle videamur) Quercum loco genericæ vocis uſurpabimus. Quercus Jovi ſacra erat, quòd vitæ cauſa in hac primùm arbore mortalibus fuit, qui primùm glande veſcerentur.

> *Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.*
>
> Ovid.

Hujus enim fructu ſuos populos primùm aluiſſe dicitur, ante fruges inventas.

Civica corona, militum apud Romanos virtutis inſigne clariſſimam, è Querna fronde fiebat, de qua diſſerentem lege Plinium. Civica dicta eſt quoniam dabatur ob civem ſervatum.

Quercus vox vel primitiva eſt, vel ignotæ originis. Voſſius fortè à καρχαλέος, quod valet *durus, aſper*, dictam putat. Eſt enim ligni duri & corticis aſperi: quòd non veriſimile nobis.

1. 2. *Quercus vulgaris brevibus ac longis pediculis* J. B. *vulgaris* Ger. *latifolia mas, quæ brevi pediculo eſt* C. B. *item Quercus cum longis pediculis* ejuſdem. **The Common Oak.**

J. B.

Vix ulli genti Europææ (inquit J. Bauhinus) incognitam putamus Quercum vulgarem, recto, craſſiſſimo, vaſto, ac valido *caudice*, nec minùs firma materie; craſſo, intus ruſo, rimoſo, ſcabróque cortice [in caudice & ramis majoribus, nam in ſurculis & ramis minoribus lævis eſt & nigricans aut cinereus] brachiis longè latéque luxuriantibus magnam innoxiámque umbram loco inducentibus: *foliis* longis, ſumma parte obtuſis, ad latera profundis anfractibus & crebris ſinuatis, præſertim in vetuſtiore arbore, minùs in ea quæ cæſa novam frondem emittit, glabris, nitidis, obſcurè virentibus, pediculis brevibus nixis, coſtâ mediâ utrinque elatâ & eminente, ſed magis averſa parte, ſingulatim naſcentibus. In hac arbore nucamenta ſeu *juli* obſervantur, in quadrantalibus tenuibus pediculis ex certis intervallis muſcoſi, ex apiculis ſeſſilibus herbidis, eodem puncto pluribus exortis compoſiti, ſic ut interdum verticillatim ligulam cui adhærent coronent. Obſervantur quoq; & glandium rudimenta, tanquam globuli minimi purpurantes & hirſuti (qui mihi J. Bauhino * floſculus) privatis pediculis inſidentia. *Glandes* in calycibus ſuis ſeu *cupulis* ſeſſiles, vel ſurculo proximè adhærent, vel longis tenuibúſque pediculis appenduntur. Atque etſi magnitudine varient, unciam tamen communiter longæ ſunt, corticoſâ membranâ tectæ puniceâ, [potiùs leucophæa ſeu Bætica] nucleo calloſo, acerbo & auſtero, quemadmodum & cupula exteriùs aſperiuſcula, interiùs lævis, prædicto cortice multò denſior, vix tertiam glandis partem capiens. Aculeus in ſummo glandis faſtigio eminet, brevior & minùs pungens. Sæpe ternæ glandes ſimul cohærent, aut binæ, rarò unica prodit: pediculus s ſuſtinens inde naſcitur ubi ramo folium adhæret.

* Non julos pro floribus habemus.

Arbor hæc in * Angliæ ſylvis & ſepibus ubique vulgatiſſima & nemini non nota; nec in Anglia ntùm ſed per totam etiam Europam: nec ullum fere ſolum refugit. Ejus aliquot ſeu ſpecies ſeu va- etates obſervantur. Dalechampius in Hiſt. Lugd. duplicis meminit, nimirum *maris*, quam deſcri- imus, & *fœminæ*, in ſaxoſis & aſperis locis ferè naſcentis, mare humilioris, cortice in tenellis ſur- lis rubeſcente, non ut in illa albeſcente, folio minore, breviore, anguſtiore, antrorſum magis acu- nato, tam denſis laciniis ſinuoſo lateribus, ut eminus criſpum videatur; lætiùs & nitidiùs virente, nde puſilla & ſtrigoſa: quin & fœminæ varietatis in aliis quercetis provenientis, folio quàm aris breviore, antrorſum latiore & magis obtuſo, infernè pallido, cortice ramorum nigriore; glan- ous minimis, in ramorum & ſurculorum vertice prodeuntibus, interdum ſenis aut quinis, ſæpe ter- aut quaternis, rarò binis, rariſſimè ſingularibus, quaſi digito retuſis, aculeo minimo, parum è ca- e prodeuntibus, ſed ei firmiter annexis. Verùm non ſpecies diverſæ, ſed varietates potiùs acci- ntales à loco aut ſemine ortum ducentes nobis videntur hæ differentiæ; ut & aliæ ab aliis Bota- is propoſitæ. At Quercum cum longis pediculis *J. B.* ab ea quæ glandem cum brevibus fert pe- ulis reverâ ſpecie differre exiſtimamus. Hæc enim glandem non brevibus tantùm pediculis hæ- tem fert, ſed nullis, ipſis calycibus earum ramis immediatè adnaſcentibus. Harum gemina con- citur varietas, una cum majoribus glandibus, binis aut ternis; altera cum minoribus, ternis aut aternis. Iſtarum Quercuum differentiam vix ponere poſſumus; niſi quis earum quæ brevi aut nul- pediculo ſunt folia inſpicere velit ſplendidiora & paulò firmiora.

* Species ea quæ longis eſt pediculis.

uatuor primas Quercûs ſpecies in Pinace *C. B.* hoc capite comprehendo. Eæ ſunt,

I. Quercus latifolia mas, quæ brevi eſt pediculo.

II. Quercus latifolia fœmina, i. e. platyphyllos fœmina *Lugd.* ſuperiùs deſcripta.

III. Quercus latifolia perpetuò virens, qualis in Thurino agro ubi Sybaris fluit, Theophr. & Pli- s meminere: qualem etiam Cluſius in montibus Calpi fretóque Herculeo vicinis virere ſemper ait. Lugdunenſis quoq; Hiſt. in Appennino & Andium Gallicæ gentis agris reperiri refert. Nec enim has arbores à reliquis latifoliis Quercubus ſpecie diſtingui exiſtimo.

IV. Quercus cum longo pediculo; quæ eſt noſtra vulgaris Anglica; quæque ſola, quod ſciam, è Quercûs ſpeciebus in Anglia ſponte nata reperitur. Nam quas D. *Evelynus* in Sylva proponit pro varietatibus potiùs quàm pro diſtinctis Quercûs ſpeciebus habeo. Glandium autem reſpectu innumeræ ſunt Quercuum differentiæ. Nomina & deſcriptiones variarum Quercûs ſpecierum à Veteribus, Theophraſto & Plinio, propoſita, Quercubus hodie notis accommodare difficillimum judicamus, quod vel inde patet, quòd doctiſſimi Botanici, qui id tentarunt inter ſe minimè conſentiant. Quocirca cùm nec nos quicquam certi habemus quod adferamus, de iis omnino tacere malumus quàm nihil dicere, & Lectorem adhuc incertiorem dimittere.

Quercûs latifoliæ ampliſſimæ circa Viennam Cluſius meminit, cujus omnes glandes oblongis pediculis dependentes quaſi viridi quadam excreſcentiâ, multis inæqualibus angulis prædita & ſcabra incluſæ erant, quæ reſiccata gallarum modò dura & firma erat. *Hæ excreſcentiæ proculdubio accidentariæ erant, & inſectis originem ſuam debebant*; & proinde in enumeratione ſpecierum Quercûs nulla earum ratio habenda eſt.

3. *Quercus parva, ſive Phegus Græcorum & Eſculus Plinii* C. B. *Phegus vel Eſculus* J. B. *Phagus ſive Eſculus* Park.

Lugd.

Fagus Theophraſto dicta, vocis argumento Latinis Eſculus, quòd glans ejus eſculenta & dulciſſima eſſet: Brevis eſt arbor, in orbem comoſa, non erecta, caudice craſſiſſimo: folio quàm Hemeris anguſtiore & breviore, obſcuriùs virente, infernè candicante, glande dulciſſima, terete, longa, è brevi craſſóque pediculo ſubrecta, calyce multum ejus complectente, tenaciùs hærente in ramorum ſurculis, ad exortum ſingulorum propemodum foliorum unica, rarò gemina, graciliore quàm in Latifolia & magis acuminata, aculeo ſuo magis pungente.

Reperitur & in hoc genere arbor, quæ glandem fert ſuperiori omnino figurâ ſimilem, ſed craſſiorem, altiorem, pleniorem, ob molis ſuæ pondus è calice facilè deciduum.

Eſculus, ſi Virgilio credimus,

—— —— quantum vertice ad auras
Ætherias tantum radice in Tartara tendit.

Bellonius Quercûs cujuſdam meminit in Trachonitide provenientis, quam Eſculum vocat, & Græcis antiquis, erroneè, platyphyllon ſtatuit, qui fert glandem, magnitudine ovi columbini, quâ poſſent victitare homines tempore famis, ad guſtum enim (inquit) Caſtaneæ accedit. Hæc Scaligeri Quercus peregrina ſeu Mauritanica videtur quæ grandem fert glandem, oblongam, ſapore longè dulciore & delicatiore quàm Caſtanea. Nam Hiſpani, qui arborem *Euzinam* vocant, glandes verò *Vellotas* has ob ſuavitatem ſub cineribus toſtas menſis ſecundis apponunt.

Arbor hæc diverſa videtur ab Eſculo Dalechampii, cujus deſcriptionem dedimus. Veleniæ nomen, & quòd glandium calyces pro coriis præparandis uſurpantur, Cerri ſpeciem eſſe arguit.

Aliam præterea Quercûs ſpeciem memorat Bellonius à noſtris diverſam, quam Veteribus ignotam arbitratur, cujus glandes minoribus Fabis haud ſunt majores.

Nos cum C. Bauhino ſentimus Robur primum Cluſii Phagum ſeu Eſculum eſſe Dalech.

De hujus potiſſimum glande intelligendus eſt Plinius, cum ait, *Glandes opes eſſe nunc quoque multarum gentium, etiam pace gaudentium, conſtat: nec modò inopia frugum arefactis molitur farina, ſpiſſaturque in panis uſum; quin & hodie per Hiſpanias ſecundis menſis glans inſeritur. Dulcior eadem in cinere cocta.* Eſculi tamen glande, vel ſub prunis cocta, vel in aqua elixa, cùm veſcuntur ruſtici gravitate capitis tentantur & velut inebriantur, non aliter quàm qui Lolium pani commixtum ederint, ut teſtatur Dalechampius.

Ego equidem ſuſpicor Eſculum *Dalech.* non differre ſpecie à Quercu latifolia vulgari. Bellonii Eſculum pro ſpecie diſtincta habeo.

4. *Robur II. Cluſii* J. B. *Quercûs foliis molli lanugine pubeſcentibus altera ſpecies* C. B.

Cluſ.

Quercûs ferè magnitudine in Auſtria, Stiria & Pannonia creſcens, ſtrigoſius eſt Quercu, ligno duriore, folio minùs amplo, altera parte nonnihil incano; exiguam glandem fert.

Conſiderandum proponit J. Bauhinus, quantum hoc Robur differat à Quercu vulgari cum glandibus ſine longis pediculis minoribus. Ego libenter eundem ſenſerim, nè ſpecies temere multiplicentur.

5. *Robur III. Cluſii* J. B. *Quercus gallam exiguæ nucis magnitudine ferens* C. B.

Cluſ.

Humilior eſt, & interdum humanam altitudinem non excedens, alioqui priori omnino ſimilis, tum facie, tum foliorum formâ canitiéque, ut videatur illius pumilum genus eſſe. Fert hæc prægrandem gallam, exigui Mali magnitudine, copioſiſſimam ramo ferè contiguam, &c.

Locus. In multis Caſtellæ veteris montibus frequens eſt, & plerunque numeroſis ab eadem radice ſtolonibus fruticat. Harum ramis contortis, deinde fiſſis & exſiccatis tædarum loco ruſtici alicubi utuntur.

6. *Robur IV. Cluſii* J. B. *Quercus foliis muricatis non ſpinoſis, glande ſuperiori ſimili* C. B.

Cluſ.
In arborem excreſcit puſillum: ejus item folia minora ſunt, duriora, anguſtioráque, nec adeò ofundè inciſa & ſinuata, ſed veluti aculeatis denticulis tantùm ſerrata, infernè quidem candican, ſed nulla molli lanugine aſperſa.

Frequenter etiam iſta alit gallam ſuperiori ſimilem, & tuberculis acutis ornatam, pallidiore tamen ore.

7. *Robur V. Cluſii* J. B. *Quercus foliis muricatis minor* C. B.

Cluſ.
Priori ferè ſimilis eſt, ſed ſtolonibus brevioribus, & magis contortis, rugoſioréque cortice: gallæ m extremis ramulis naſcuntur, aliis minores, læves & ſine tuberculis, colore ex rufo nigricante.

Naſcitur utrumq; hoc genus in Luſitaniæ ſolitudinibus, itinere Ulyſſipponenſi, non procul *Ebora*, ab incolis *Carvalla* nuncupatur. *Locus.*

8. *Robur VII. Cluſii* J. B. *Quercus pedem vix ſuperans* C. B.

Cluſ.
Adeò humile eſt hoc genus, ut raró pedem magnitudine ſuperet: *ramuli* tenues & flexibiles, vulris Quercûs virgultis ſimillimi. *Folia* ad proximè deſcriptas accedunt, ſed aliquantum majora & olliora. Hoc fert glandem Quernæ vulgari brevi minorem interdum etiam craſſiorem, calyce niore, admodum amaram. In reliquis generibus nullas obſervavit glandes Cluſius, præterquam in ſecundo.

Inter *Riofrio* & *Aldea Galega* ſolo arenoſo, non procul Ulyſſippone invenit Cluſius frequentiſſimum. *Locus.*

9. *Robur VI. Cluſii* J. B. *Quercus humilis gallis binis, ternis aut pluribus ſimul junctis* C. B.

Humile eſt, nec humanam altitudinem excedit, fruticis potiùs quàm arboris nomine donandum, uibus & lentis ramis; foliis ſecundo ferè ſimilibus, ſed minoribus, nec adeò ſinuoſis, minorum llarum, quæ plerunq; binæ, ternæ vel plures ſimul naſcuntur, admodum ferax.

Naſcitur in Auſtria & Pannonia, ubi Ruſtici cum ſecundo confundunt. *Locus.*

Mirum Cluſio tot Roboris ſpecies obſervatas cùm nobis in Germania & Italia peregrinantibus nè quidem occurreret. An ex diverſitate Gallarum certo colligi poſſit ſpecierum diverſitas dubito.

10. *Ægilops ſive Cerrus mas majore glande* Park. *Quercus calyce echinato, glande majore* C. B. 'Αιγίλωψ *Idæorum, Aſpris Maurorum, Latinorum Cerrus* ejuſdem, *Cerrus Ægilops, Aſpris Theophraſti putata* J. B.

Hujus glandium calyces Venetiis vidimus, ubi *Vallonia* dicuntur, ab Apollonia Dalmatiæ urbe e *Vallonia* dicta unde adferuntur, nomine accepto. Eorum uſus idem eſt qui corticis Querni d nos, nimirum ad coria denſanda.

Glandis hujus calycem à Valerando Dourez Juſtinopoli allatum ſic deſcribit J. Bauhinus: avitas ejus ſeſcunciam in diametro habuit, paulo minùs alta, quem undiq; craſſa, rigidáque creima ſpicula obvallant, præruptæ rupis fragmenti æmulum, non minus ternis unciis in diametro ntem, internè hirſutum: ſquamæ latæ ſunt, in cinereo candicantes. An arbor ipſa à quoquam ripta ſit neſcio: nam quæ viſuntur itinere à Peſaro ad Romam, quas deſcribit Lobelius, eaſdem puto cum nobis viſis circa lacum Volſinienſem, hæ autem Cerri minore & mitiore minúſq; nato calyce erant.

Nec alia videtur cujus rami ad J. Bauhinum miſſi à Dalechampio. Folia habuit vulgaris Quer- ſed ut longiora, ità in tenuiores altioréſq; lacinias diviſa, ſupernè lucida, ſubtus autem cinerea. erum proximè ligno adhærent fructus, calycibus hiſpidis & ſenticoſis, unciam latis, glande ta- nondum matura, ſimilibus planè calycibus Quercûs Burgundicæ echinato calyce.

olia Cerri nobis obſervatæ circa lacum Volſinienſem in Etruria omnino talia erant qualia hìc ribit J. Bauhinus, ſed glandium calyces diverſi à calycibus Cerri *Vallonia* dictis.

ſus calycum eſt ad inficiendos atro colore pannos Gallarum vice: Sed illis tinctura dilutior, cior, vilióra; eſt. *J. B.* *Uſus.*

11. *Glandis magnus calyx* Cluſ. exot. J. B.

uem ex *Wingandecaow* Virginiæ delatum habuit Cluſius parùm admodum differt à ſupra deſcri- *Valloniæ* calyce; non tamen eundem affirmare audemus ob loci natalis diſtantiam. C. Bauhi- Glandem Virgineam vocat.

12. *Haliphlæos ſive Cerrus fœmina minore glande* Park. *Haliphlæos putata, & Cerrus fœmina Dalechampii* J. B. *Quercus calyce hiſpido, glande minore* C. B.

luſius ſic deſcribit, Eadem altitudine qua vulgaris Quercus, atq; etiam celſiore aſſurgit, caudice iore, corticéque craſſiore & magis ſcabro; *Folia* frequentioribus inciſuris, ſed minus altis diviſa quàm Quercus [at à nobis obſervata in Etruria Cerrus folia habuit profundiùs ſinuata ſeu s laciniata, quàm vulgaris Quercus] longioribus tenuioribúſq; pediculis inhærentia; ramulos iores frequentibúſque nodis obſitos, gemmas minores, & aliquot gracilibus foliolis, ceu ſtamis aut villis, ſeptas: *Calyces* brevi craſſóque pediculo annotinis ramulis adnatos, non in foliorum alis, omnino hiſpidos & molliter echinatos, in quibus glans eſt querna, paulò brevior & obtuſiore mucrone prædita, quæ Autumno maturitatem conſequitur. Adhærent interdum inter folia multis ſquamis conſtantia capita. [Hæc excreſcentiæ quædam ſunt, quales in Salicibus frequenter cernuntur, Roſæ dictæ] Materies ejus candidior, laxiórque & ad opera minùs apta à Ruſticis cenſetur.

Locus. Non modò in Viennenſi ſaltu, ſed etiam in pleriſq; Pannoniæ ſylvis frequens eſt.

Quod habet de fragmentis hujus arboris in lapidem commutatis, non naturæ ligni ſed ingenio ſoli in quo ſepulta erant, aut vapori cuidam petrificanti qui in ejus poros ſe inſinuans totum lignum permeavit, tribuendum arbitror. Nam & alia etiam ligna præter Quercinum alicubi lapideſcere deprehenduntur.

Quercus Burgundica calyce hiſpido J. B. C. B.

Quam uterque Bauhinus præcedenti eandem eſſe ſuſpicatur *J. B.* ſic deſcribit,

Glandes non multo vulgaribus majores erant, aut certè pares: Calyx paulò major, interim echinatis ſpiculis, non rigidis tamen, ſatiſq; longis horret, atq; ternas & quaternas proximè junctas, non tantùm ſingulares extremitati ramulorum adhærentes. *Folia* verò parùm nobis à vulgaribus differre apparet, niſi quòd accedere videantur ad colorem foliorum Quercûs pediculo brevi vel ſine pediculo.

Locus. Copioſè naſcitur in Apennino, & in Burgundia, quà itur Veſuntio Dolam.

Hemeridis cujuſdam ſeu Quercus pumilæ in Nova Anglia naſcentis.

Mentionem factam invenio in D. Evelyni Sylva, inq; Actis Philoſophicis Londinenſibus.

Vires & Uſus. Δρυὸς materies, autore Theophraſto, ſpiſſa, dura, adeóq; flexum nullum recipit, tam navibus, quàm domibus commoda; necnon in terra obruta durat.

Hujus foliis præ reliquis omnibus conſervatum debemus melleum liquorem rorémve ex aere deſcendentem, ex quo apes mella conficiunt. *Butler. Tract. de Apibus, cap.* 6. *n.* 40. *& Theophr. lib. de melle.* Plinius etiam *lib.*16.*c.*8. Conſtat, inquit, rores melleos è cœlo cadentes non aliis magis inſidere frondibus.

Aliquando idem præſtant Acer minus & Corylus, ſed parcè. Idem *Butler. ibid.* Mirum ſane melleum rorem harum tantùm arborum non aliarum foliis inſidere. An quòd harum folia denſiora ſunt, adeóque rorem faciliùs reflectunt & condenſant, qui in aliarum arborum folia, (quæ rariora & ſpongioſiora ſunt) facilè penetrat & ſe inſinuat? Adde quòd ſuperficies horumce foliorum glabra & velut polita eſt, adeóque conducit ad humorem incidentem ſiſtendum & congelandum: quemadmodum videmus ſpeculi ſuperficiem afflantis halitum ilico denſare, & in guttulas brevi cogere. An fortè ſimilitudo quædam & quaſi cognatio intercedat inter particulas foliorum hujus arboris, eorúmve poros & roris mellei, quo hic iis faciliùs & promptiùs adhæreſcat.

Mirum etiam nobis videtur quod apud Cordum legitur, Conſtare omnibus, qui uſq; ad extremam ſenectutem apum naturam ſcrutati ſunt ruſticis, apes ipſas mellificaturas tantùm è floribus collectum liquorem in favis reponere, rorem verò melleum cùm decidit haudquaquam ad favos convehere, quod ipſi quoq; (inquit) verum eſſe deprehendimus. Hinc quamvis mellito rore delapſo ad eum frequentes convolant apes, minimè tamen ut eum in alvearia convehant, ſed tanquam ad cibum & paſtum, quo adeò ſe replent, ut prorſus inertes & ignavæ reddantur, multæque moriantur. Itaq; ruſtici dicere ſolent, mellitos rores bonum quidem paſtum apibus præbere, ſed ad mellificandum minimè conducere. Hæc Cordus. Nobis tamen planè contrarium videtur, iiſq; qui apum naturam, actiones, totámq; œconomiam diligenter & curioſe obſervârunt ingenioſis & eruditis, quibus plus fidendum quàm ruſticorum vulgo, qui receptas majorum traditiones ſine examine ſequi & amplecti, iiſque mordicus adhæreſcere ſolent. Obſervavimus enim rore melleo delapſo integra fere apum examina, pauciſſimis domi relictis, evolare, mirâq; induſtria & maximâ feſtinatione ſeſe melle onerare, & ad alvearia convehere, multoties eundo redeundóq; donec calor ſolaris rorem vel diſſipaverat vel condenſaverat.

Folia Quercuum naſcentium circa ripam rivuli percelebris ad oppidum Smolnicium in provincia Hungariæ Zepuſienſi, non procul à monte Carpatho ſiti, Autumni tempore delabuntur in rivum, & ſic metamorphoſi quadam in æs mutantur, ſicut ferrum in hac aqua infuſum in cuprum tranſmutatur: Ex obſervatione Wolfangi Wedelii Ephem. German. Ann. 6, & 7. & Itinerar. D. Brown. Communicavit D. *T. R.*

Quod ad vires attinet, Quercus omnis (poſſis & dicere omnibus ſuis partibus) autore Dioſcoride, adſtrictoriam vim habet; maximè verò aſtringit membranacea tunica quæ corticem & caudicem ipſum interjacet, ſimiliter & ea quæ circa glandem eſt ſub putamine. Harum autem decoctum datur cœliacis, dyſentericis & ſanguinem exſcreantibus: Eædem tritæ fluxione laborantibus fœminis in peſſis ſubduntur. Sed & glandes eoſdem effectus habent, urinam quoq; cient [miratur J. Bauhinus qua id facultate præſtant. Reſpondeo adſtrictoriâ, quâ ſanguinem velut coagulando ſerum ab eo ſeparant, adeóq; illud copioſius per renes excernitur. Non alia ferè ratione quàm alumen aliáve adſtringentia pituitam ex ore eliciunt, nàm partes ſolidiores conſtringendo & comprimendo humorem in iis contentum exprimunt.]

Si comedantur capitis dolorem inducunt, & flatus gignunt. Difficilis ſunt concoctionis, tardiùs deſcendunt & crudos humores gignunt: propterea eas porcis ſaginandis relinquimus: hoc enim pecus diffuſum & grandiſſimum faciunt, ut Varro ſcribit, & teſtatur experientia.

Glandium & corticis decoctum contra toxica prodeſt ex lacte vaccino potum. Non probat hoc J. Bauhinus contra toxica aſſumpta, potiſſimùm in principio: Si tamen vomitus vel alvi fluxus mi m vexent, rejecto toxico per vomitum vel alvum, prodeſſe tunc poſſe exiſtimat. Crudæ ac in- itæ inflammationes illitu leniunt; vulneribus etiam recentibus utiliter imponuntur Galeni experi- ento.

Aqua è foliis Quercus juvenis deſtillata præſcribitur ad album mulierum profluvium, ad dyſente- ampeſtilentem, &c.

Quidam glandes aridas adversùs calculum exhibent, neſcio quo ſucceſſu, inquit J. Bauhinus.

Bartholinus de Medicin. Danorum domeſtic. refert Norwegos alioſq; Septentrionales in inopiâ umenti conficere panem è glandibus quercinis.

Folia tenera & rubicunda, vino decocta colluta ac gargariſata dentium dolorem ſedant à fluxio- ibus ortam, ſed ſæpe hoc decocto calido os colluendum; quo experimento nos ſæpe feliciſſimè os fuiſſe teſtamur, etiam in inveteratis dentium doloribus. J. B.

Ut verbo dicam, Quercûs partes omnes, cortex, folia, cupulæ, glandes, ac etiam lignum ipſum, fluxum omnem alvi, uteri, ſeminis, ſanguinis ſiſtendum utiles ſunt, & ad omnia quibuſcunq; ad- ictione opus eſt.

Lithotomi ad vulnus urethræ inflictum ſanandum & conſolidandum utuntur balneo è cortice uercûs in aqua decocto.

Corticis in ſcobem commoliti inſignis & frequentiſſimus uſus eſt coriariis ad coria præparanda: ad hunc uſum aliis omnibus adſtringentibus antecellere nobis videtur. Coria enim Anglica, æ eo denſantur, reliquis Europæis ſoliditatis & durationis reſpectu palmam præripiunt.

Carbones optimos è Quercu, tanquam materia ſpiſſiſſima fieri auctor Theophraſtus, ſolidiſſimos am eſſe ait & firmiores cæteris.

Ligni uſum nemo facilè declaraverit. Vix enim aliud habeas in hoc noſtro orbe perennius, odq; ad plures uſus neceſſarios accommodari poſſit ac ſoleat, ut ad ædificia, naves, & inſtrumen- tam ea quæ in terra, quam aquis uſui eſſe poſſunt. Fiunt ex eo dolia vinaria cæteris omnibus æſtantiora & ſola ferè bona. Hactenus J. Bauhinus.

In ædificiis immensùm durat, modò ab humore nimio defendatur, imo vetuſtate ita indureſcit, chalybis aciem retundat, imò ipſius propemodum ferri ſoliditatem & renitentiam acquirat. At aliud lignum adversùs viciſſitudines humoris & ſiccitatis magis firma & pertinax, & ab iiſdem ciliùs corruptibilis.

Navigiis extruendis præ alia quacunq; materie idonea eſt, quòd tenax & flexuræ patiens, quòd fir- nec tamen nimis ponderoſa, quòd aquam difficulter admittat, quòd percuſſa aut globis tormen- is trajecta non facilè findatur aut rimas agat.

Quercus autem Anglica ad naves fabricandas præcipuæ æſtimationis eſt, aliiſq; omnibus præſtare ſetur.

Quamvis autem alia nonnulla ligna, ut v. g. *Buxus, Cornus, Ebenus, Lignum Braſilianum,* aliáque dica, duriora, ſolidiora & ponderoſiora ſint, pleraq; tamen fragiliora, nec ponderibus incumbenti- ſuſtinendis adeò apta & commoda obſervantur.

Nulla eſt arbor quæ præter genuinum tot ſpurios & excrementitios producit fructus ac Quercus. à Theophraſto enumerantur, Hiſt. Plant. lib. 3. cap. 8. item à Plinio. Vide Verulamii Nat.Hiſt. nt. 7. exper. 635. Hi fructus arboris non ſunt, ſed excreſcentiæ quædam & tumores præter natu- n inſectorum morſibus, lancinationibus aut afflatibus venenatis originem ſuam debentes. Inſecta n hujus arboris gemmas, folia, ſurculos teneriores pungentes, humorem aliquem venenoſum per nus inſtillant, qui tumorem præter naturam excitat. Fortè etiam ova duntaxat venenato & fer- ntativo humore delibuta, nullo vulnere inflicto ibidem deponunt, qui ſufficit contagio ſolo ſucco tritio alterando & in motus irregulares compellendo. Hi autem tumores & excreſcentiæ quam- arboris reſpectu præternaturales ſunt; à natura tamen deſtinantur ut ſint velut matrices & uteri, ctorum eorundem ovis excipiendis, tuendis, fovendis, fœtibus excludendis, editiſq; alendis inſer- ntes.

Horum autem excrementorum notiſſima & utiliſſima ſunt Gallæ, Græcis κηκῖδες dictæ. Harum ltæ ſunt ſpecies, magnitudine, colore, lævitate aut aſperitate ſuperficiei, pondere, figurâ diffe- ntes de quibus prolixiùs agere magis curioſum eſſet quàm utile. Placet tamen Gallæ Officinarum criptionem è J. Bauhini hiſtoria petitam ſubjungere.

Gallæ Officinarum vulgatiſſimæ rotundæ ſunt, leves, foraminulis pertuſæ, læves, paucis interdum erculis aſperatæ, interdum multis & anguloſæ, magnitudine variæ, unciam amplæ, quamvis gna ex parte infra ſubſiſtant; ſunt etiam majores, rotundæ, interdum turbinatæ ac pyriformes, ore ruffo, levi mallei ictu fragiles, intus ungue friabiles, cavernoſæ, fungoſæ, guſtu adſtringente acerbo.

C. Bauhinus has ſpecies recenſet. 1. Gallam maximam orbiculatam, quæ duplex *Orientalis* quæ alle Galla maxima exotica *J. B.* ovi gallinacei magnitudine, & Provincialis aut Illyrica. 2. Gal. longam. 3. Gallam minorem. 4. Gal. galericulatam. 5. Gal. anguloſam. 6. Gal. umbilica- n. 7. Gal. Braſilianam quinquangulam. Alias adhuc varietates habet J. Bauhinus, quas apud um vide. Variant enim hoc genus excreſcentiæ pro natura arborum è quibus oriuntur, inſe- rum quorum matrices ſunt, & fortè etiam locorum in quibus inveniuntur.

Quòd Theophraſtus & Plinius ſcribunt Gallam confertim & ſubito noctu oriri, unâque die au- ri nobis non videtur veriſimile.

Quæ glandem ferunt (inquit Plinius) omnes & gallam. Alii Robori duntaxat proprium eſſe vo- t, gallam proferre; Nos potiùs Plinio aſſentimur Quercum nimirum omnem gallam producere, non omnibus in locis: in Anglia enim nullus unquam auditus eſt gallarum proventus: quòd in- cta illa quibus ortum debent in Anglia non inveniantur, ut nobis quidem videtur. Gallas enim uercui latifoliæ noſtrati ſimili, & ſpecie (ut putamus) eidem in exteris regionibus adnaſcentes vi- mus.

Gallæ tinctoribus magni uſûs ſunt ad pannos atro colore inficiendos: Ex iis etiam cum calchantho, gummi, & vino atramentum ſcriptorium optimum paratur hoc modo,

℞ Gallarum ℥iiij.
Calcanthi ℥ij.
Gummi Arabici ʒj.

Gallas craſſiuſculè contritas in vini Gallici rubri, (quod Claretum noſtrates vocant) Sextariis duobus [**a quart**] infundas per novem dies, vas prope ignem collocando, & liquorem quotidie rudiculâ agitando aut commovendo. Deinde Calcanthum & Gummi immittas; & cùm unum ampliùs diem ſteterit, atramentum uſui idoneum erit. Literæ hoc atramento exaratæ in charta diuturnitate temporis colorem non mutabunt.

Gallæ vehementer adſtringunt: Tritæ, autore Dioſcoride, gingivarum & Columellæ fluxiones inſuperq; oris ulcuſcula cohibent. Quod verò in earum medio eſt, dentium cavernis inditum dolores ſedat. Cœliacis & dyſentericis in aqua aut vino tritæ, ſeu illitæ, ſeu bibitæ, conveniunt, necnon obſoniis additæ; Item crematæ & in vino aut aceto extinctæ, quomodo & menſes ſiſtunt & vulvæ procidentiam. In ſumma, ubi quid adſtringere, ſiſtere aut ſiccare opus eſt, uſurpandæ ſunt. Tritarum pulvis intus aſſumptus in vino auſtero alióve conveniente vehiculo certo experimento diarrhœam ſiſtit.

Ad bubonocelen, epiplocelen & enterocelen quidam pharmacopœus utebatur liquore ſtillato ex Gallis Orientalibus, & multos licet ætate provectos ſanabat. Liquor non eſt oleum, ſed aqua cum qua Sal quoddam volatile aſcendit. *D. Hulſe è Cheſneau.*

Præter Gallas alia etiam multa excrementa ſeu tumores præter naturam in Quercubus obſervantur, ut v. g.

1. Pilulæ foliorum Quercus *J. B.* aquoſæ *C. B.* quæ averſæ ſeu terram ſpectanti foliorum parti plerunq; adnaſcuntur, læves, fungoſæ, pallidæ aut parte Soli oppoſita rubentes, ſapore ſubacido & adſtringente molles, exquiſitè plurimùm rotundæ, piſo non multò majores, & exiguam gallam raro æquantes, vetuſtateq; corrugantur. Vermiculum intus alunt, qui in muſcam figuratur, de quo conſulendus D. * *Malpighius.*

* *Anatom. Plant. p.* 2.

Hæ in foliis Quercuum frequentiſſimæ inveniuntur in Anglia.

Ex adſtrictionis argumento iiſdem viribus quibus Gallæ præditas eſſe non malè quis dixerit. *J. B.*

2. Excrementum Quercuum fungoſum *J. B.* **Oak-Apples.** J. Bauhinus ſic deſcribit,

Quercuum vulgarium frondibus verno tempore etiam ſine pediculo adnaſcuntur excrementa fungoſa, rara, laxa, ſucculenta, acida, inſigniter adſtringentia. Magnitudo nucis Juglandis aut circiter, ſuperficie inæquali, tuberoſa, pulcherrimo rubore plurimùm ornata, reliqua parte albida, aut Pomorum inſtar luteola. In quibus vermiculi hoſpitantur, qui in iis multas cellulas calloſas ſibi pro domiciliis effingunt.

Inveniuntur Maio in Quercubus glandes cum longis pediculis ferentibus. In Anglia frequentiſſima ſunt & nemini è vulgo non nota, nec minus copioſa in arboribus nonnullis quàm fructus ipſi: Botanicis tamen noſtratibus, ut Parkinſono, ignota fuiſſe videntur, adeò confuſè de illis ſcribunt, & cum pilulis foliorum confundunt; quod & C. Bauhinus etiam facit. An Pilulæ in alis ramorum natæ Plinio?

3. Uva Quercina, quam J. Bauhinus ſic deſcribit,

Radicum Quercûs fibris ſub terra adnaſcitur, & circumnaſcitur, Juglandis magnitudine, ex pluribus velut acinis racematim cohærentibus (unde & Uvæ nomen) compacta, ſubſtantiâ durâ, intus rubentis ſeu ferruginei coloris, meditullio nonnihil albo, ſapore inſigniter acerbo & adſtringente.

Hujus pulvere nullum præſentius remedium in dyſenteria, & in omni alvi fluxu.

Præter has à nobis obſervatas, & à quoquam facilè obſervabiles Quercuum excreſcentias aliæ adhuc enumerantur à J. Bauhino & Caſparo fratre, v. g. Coccus Quercuum *Dioſc.* 2. Nuculæ facie album Quercus excrementum, *J. Bauhino* obſervatum & deſcriptum. 3. Excrementum lanatum Quercuum *J. B.* Pilulæ lanatæ *C. B.* 4. Quercuum capitula ſquamoſa *J. B.* Pilulæ è foliis convolutis *C. B.* 5. Quercuum ſquamæ candidæ, caducæ *ejuſdem.* 6. Excrementum Quercûs tuberoſum *ejuſdem.* 7. Foliorum Quercûs gemmæ foraminulentæ *J. B. C. B.* 8. Nodi ſeu Verrucæ Quercuum *J. B. C. B.* 9. Quercûs albumen *eorundem.* Excrementum tauri caput referens *C. B.* Joannes frater Gallis annumerat. His adde è *C. B.* pinace, 1. Excrementum moro ſimile, ſed durum admodum, & fractu difficile, è *Theoph.* & *Plin.* 2. Excrem. pudendi virilis effigie è *Theophr.* 3. Pilulæ capillatæ, ex *iiſdem.* 4. Pumex quercinus, ex *iiſdem.* Hoc etiam in loco agunt de muſco Quercuum & aliarum arborum, quem Quercûs excrementum villoſum appellat *C. B.* de quo nos libro ſecundo inter alios muſcos egimus. Hîc etiam de Agarico Quercuum aliiſque fungis tractant; de quibus nos inter reliquos congeneres: Hîc denique de viſco Quercûs & aliarum arborum, de quo nos inter Bacciferas.

CAP. VI.

De Ilice.

ILex Iſidoro viſum ab illiciendo deducere, quòd mortales eam nondum repertis frugibus in victum elegerint. Sed hoc φορτικώτερον. Magis veriſimile fit eſſe ab Hebræo אלה quæ à robore nomen habet, nempe ab אל robuſtus. *Voſſ.*

1. *Ilex arborea* J. B. *major glandifera* Ger. *major aculeata & non aculeata* Park. *IV. ſeu folio rotundiore, molli modicéq; ſinuato* C. B. *necnon I. ſeu folio oblongo ſerrato* C. B. **The Holm-Oak.**

Cluſ.

Arbor eſt Mali aut Pyri magnitudine, multò frequentioribus brevioribúſque ramis prædita quàm ber, quos latè ſpargit. *Folia* perpetua, ſupernè viridia, infernè candicantia, guſtu adſtringente, liis Suberis minora, & magis orbiculata, in adultis arboribus plerunq; ſine aculeis, præter novella nunc primùm enata, quæ aliquantulum inciſa & aculeata ſunt: certè in tenellis arboribus, ante- am glandem ferre inciperent omnia folia aculeata obſervabam. Multos in extremis ramulis fert longos *julos*, qui in flavos & muſcoſos floſculos, polline & tenui pulvere perfuſos explicantur. *ndes* è floribus non oriuntur (nam ſunt inutiles) verùm in aliis quibuſdam ſeparatis pediculis: autem Quernis glandibus ſunt ſimiles; nunc majores longioréſq;, modò minores & breviores, nonnunquam ante maturitatem nigreſcunt, & gummi quoddam reddunt, guſtu calidum, ſa- ris tamen non ingrati. Maturarum cortex ſive putamen nigricat; nucleus candidus, firmus & lcis eſt, præſertim majorum: utræq; tamen à nonnullis maximè expetuntur, illíſque non minùs idè veſcuntur quàm nos Caſtaneis & Avellanis. Hanc ob cauſam in foro Salmanticenſi, aliiſq; Hiſpaniæ locis venales menſibus Octobri & Novembri proponuntur; ut non immerito dixerit Plinius, Hiſpanias glandem menſis ſecundis inferri.

J. Bauhinus brachia ramulóſque Ilici incana lanugine obductos eſſe obſervavit: inque foliis & ra- is excrementum per vernum tempus nigrum & rotundum adnotavit. Theophraſtus præter glandem anum quoddam puniceum ferre ſcripſit.

Differentiæ Ilicum mihi accidentariæ potiùs eſſe videntur, quàm (ut cum Philoſophis loquar) ſpe- ficæ. Nam in arbuſculis junioribus folia ſinuata, aculeata, lata & Agrifolii æmula obſervavi, in etuſtioribus oblonga, aliàs aculeata per margines, aliàs æqualia, neque ſerrata neque ſinuata, & Oleagineis ſimilia, prout ea rectè deſcribit Matthiolus, quicquid alii contradicant.

Locus. In Hetruria aliíſq; Italiæ provinciis, præſertim ad mare inferum, ínq; Gallia Narbonenſi & Hi- nia, in ſylvis, collibus, & campeſtribus maritimis paſſim & copioſè provenit. In Anglia vidi- s arbores annoſas & grandes quatuor aut quinque in Horto *D. Franciſci Willughby*, Wollertoni opè Notinghamiam, quæ tamen glandes ſuas ad maturitatem non perducunt: quoniam hoc genus bores, etiam locis natalibus, fructum ſuum tardiùs perficiunt.

Phellodryn Theophraſti (quam & alio nomine Ariam eidem dictam probat J. Bauhinus) Plinius detur eandem exiſtimaſſe cum Subere, quod & Phellos dicitur, ſiquidem ea omnia Suberi tribuat Theophraſtus Phellodryi.

Phellodrys ſive *Cerro-ſugaro* Matthioli, cùm nec ab eodem deſcripta ſit, neque Cluſio, neq; J. Bau- no, neque nobis in Italia peregrinantibus uſquam conſpecta, an ab Ilice ſpecie diſtincta ſit me- ò dubitamus. Si liceat ſuſpicari ex icone (inquit J. Bauhinus) ea accedit ad Smilacem Dale- ampii.

Phellodryos quinque ſpecies proponit & deſcribit Hiſtoria Lugdunenſis: verùm cùm in collibus hodano vicinis, aut non procul ab eo diſſitis, eas provenire dicat: nos autem ibi loci Ilicis dun- xat varietates quaſdam, non ſpecies diſtinctas, obſervavimus, Phellodryas illas non arbores vel à invicem, vel ab Ilicibus ſpecie diverſas eſſe ſuſpicamur; ſed Ilices majores foliis ludentes. Fortè men Phellodrys nigra J. B. ſpecies diſtincta fuerit, quam ſic deſcribit,

Phellodrys. Phellodrys nigra id nominis à ramis nigricante cortice veſtitis & glabris adepta eſt. *Folia* ab gnis differunt, quòd rotundiora multò & latiora, à Smilacis foliis quòd longè breviora pro latitu- ne, minúſque candida inferiùs; à Suberis nobis traditi, quòd duriora, ſpinis mordacioribus magis rrida. Calyx glandis, tradente Dalechampio lævis eſt. Forte hæc eſt Ilex folio Agrifolii *D. agnol*, quæ folia habet ſpinoſa Agrifolii, obſcurè virentia; quam tamen ipſam à vulgari Ilice arbo- a ſpecie diverſam eſſe ſe nolle ſtatuere ait, quouſq; culturâ innotuerit.

At neq; Smilaces Dalechampii apud hiſtoriam Lugd. ab Ilice arborea differre putamus: cùm pri- um genus in agro Monſpelienſi frequentem provenire aſſerit, ubi nulla præter Ilicem ejus generis bor, neq; à nobis neq; à *D. Magnol* obſervata: alterum in collibus Rhodanum reſpicientibus, to- que eo tractu qui à Vienna Allobrobogum Arelaten uſque ducit, (ubi nihil aliud præter Ilicem bis occurrit) obſervavit.

Aria. Aria & Phylica Bellonii quomodo ab Ilice differant, cùm eas non deſcribat, neſcimus, quæ de iis abet collegit in unum Jo. Bauhinus lib. 7. cap. 3. Hiſt. Plant.

Uſus. Ilicis tum folia, tum glandes cum Quernis viribus conveniunt. Hæ autem ſuibus ſaginandis utilio- es habentur. Uſum in cibis in deſcriptione attigimus.

E ligno fiunt carbones ad metalla fundenda utiliſſimi. Matthiolus Hetruſcis in pretio eſſe tradit, on modò quòd ignem diu foveant, ſed etiam quòd (ut aiunt) caput minimè tentent. Arborum runci ad molarum fabricas & alia opera ſervantur ob materiæ firmitudinem & durabilitatem, teſte Cluſio: Plinius rotarum axibus Iliceam duritiâ ſuâ utilem eſſe ait, ut & malleis majoribus.

2. *Ilex coccigera* J. B. Ger. *aquifolia ſive coccigera* Park. *aculeata cocciglandifera* C. B. **The Scarlet Oak.**

J. B.

Magnitudine multùm cedit aliis Ilicibus, ut quæ non temere ſtolones duobus cubitis altiores proferat, eóſque non admodum craſſos: *Folia* Aquifoliæ proxima, minora, muricata, utrinq; glabra, verùm non ità hilari virore nitida. *Flores* vel potiùs Julos copioſè fert, muſcoſos: glandem verò maximam, quod in pumila arbuſcula mireris, etiam Iligna altera majorem, calyce aſperiore. At præter hæc omnia triplicia excrementa in eis obſervantur.

1. Unum Maio & Aprili apparet, quod nihil aliud eſt quàm grana in foliis rubra, parva, rotunda, parùm oblonga, ex ipſa foliorum ſubſtantia nata, Piſis parvis ſimilia, ſubſtantiâ intus albâ, non ità abſimili ſubſtantiæ fructuum Oxyacanthæ *Matth.* guſtu nonnihil acido, grato, in quibus tandem vermiculus naſcitur.

2. Alterum huic cum Ilice majore commune, Maio menſe apparens, ramis adhæreſcit, ſed ſatis bleviter, copioſum, rotundum, nigrum, lævi nitidâque ſuperficie, ſatis durum, intus liquore albido plenum, cui vermiculi innatant, tandémque inareſcit, circa quod fervent ſæpe formicarum operæ.

3. Tertium deniq; eodem cum jam dicto tempore conſpicitur in foliis, reliquis notius & celebratius, Coccum putà infectorium: grana ſunt rubra, ſaltem pulviſculo albo quo reſperguntur abſterſo, liquore ſanguineo plena cum concoloribus vermiculis.

Cluſius puſillam & valdè amaram glandem Hiſpanicæ ſuæ Ilici tribuit; cùm ex J. Bauhini obſervatione Ilex pumila Narbonenſis glandem etiam quàm arborea majorem proferat: quod & nos verum eſſe comperimus.

Locus. Arbuſcula hæc in collibus ſaxoſis circa Monſpelium, Nemauſum, Avenionem, & alibi in Gallia Narbonenſi oritur, ubi præcipuus cocci proventus: necnon in Provincia, &, Lobelio teſte, etiam in Italia, præſertim in Hetruſco, Romano & Senenſi finitimo agro, locis montoſis, glareoſis, ſterilibus, inter varias Ilices, Smilaces aſperas, Terebinthos, Lentiſcos, &c. Attamen, obſervante Cluſio, non ubique coccum gerit. Nam iis ſolùm regionibus quæ Mediterraneo mari vicinæ ſunt, & magno Solis ardore torrentur oriri animadvertit. Sed neq; iſtic perpetuò fert; cùm enim frutex adeò adolevit ut glandem alere incipiat, coccum non gignit: ideóque ſolent incolæ quadriennes aut adultiores frutices urere, ut proximo anno novelli reſurgant, qui deinde ſingulis annis aliquot ſubſequentibus coccum ramulis inhærentem inſtar exiguorum Piſorum coloris cinerei gignit.

* Lib. de laudibus Provinciæ.

Quomodo gignatur coccus * Quinqueranus declarat, Vere (inquit) medio rorati imbribus frutices Coccum hoc modo ordiuntur. Ubi imus ſcirpus ſe in duo brachia partitur, in horum medio primùm omnium increſcit rotundum quiddam magnitudine & colore Piſi; hoc Matrem vocant, quòd ex eo cætera grana producuntur. Matres ineunte æſtate æſtúque minutiſſimorum vermiculorum catervam profundunt, fatiſcúntq; in ſummitate. In animalia prorepit nova ſoboles, colore candida, pro ſe quiſq; in ſublime. At ubicunq; vermiculi geminantis ſurculi axillis occurrerint, deſident & incrementis aucti milii magnitudine fiunt. Inde liberiùs adoleſcentibus albus color in cinericeum tranſit, jámq; non animal ſed piſum rurſus apparet. Túmq; ea grana maturitatem adepta colliguntur, jam coloratis vermiculis fœta.

Alii grana non in divaricatione duntaxat ramulorum naſci perhibent ſed etiam in foliis ipſis.

Grana hæc à Philoſophis & Botanicis ſpurii quidam ſeu excrementitii fructus Ilicis pumilæ, & quidem ſolius proprii habita ſunt. Verùm eruditiſſimus & ingenioſiſſimus Vir D. *Martinus Liſter*, amicus noſter ſummus, ejuſmodi grana etiam in Anglia Ceraſorum aliarúmq; arborum ſurculis tenellis adnaſcentia obſervavit, eáque non excreſcentia eſſe judicavit, ſed inſecti cujuſdam opus, fœtibus ſuis excipiendis & fovendis domicilium ſeu nidum efformantis, ab eodémque virgulis affixa: quod & nobis etiam (quibus Eboraci grana arboribus adhærentia oſtendit) videtur, cùm inſectis adultis & egreſſis à ſurculis facilè abſcedant & dilabantur. Adeò autem ſimilia ſunt hæc grana coccis baphicis, ut ægrè queant diſcerni, eiſdem etiam in locis, eodémque modo ſurculis adnaſcuntur, unde ab eodem inſecti genere efficta eſſe veriſimillimum eſt, quamvis ſuccus tingendo minùs idoneus ſit ob diverſitatem alimenti. Quæ è Quinquerano attulimus huic noſtræ opinioni de ortu horum granorum, quòd ſcilicet inſecti opus ſunt, non arboris excreſcentiæ, favent. Putamus tamen inſectum iſtud ibi loci ubi granum effingit & ſurculo agglutinat, ejuſdem corticem pertundere, & ſuccum inde exugere quo cuſculium repletur, quiq; vermiculis in cibum ſufficiat. Verùm hæc est conjectura.

Matthiolus ſe coccum in Bohemia in Quercubus copioſè naſcentem obſervâſſe ſcribit. Quod quamvis nonnulli carpant & videant, verum tamen eſſe potuiſſe quæ à *D. Liſter* obſervata protulimus declarant: imò verum eſſe non dubitamus.

Omiſſis iis quæ Quinqueranus aliíque habent de modo colligendi & præparandi coccum ad uſum tinctorum, ea producemus quæ *D. Verchand* Monſpelienſis Botanicus & Pharmacopœus inſignis ex propria obſervatione nobis communicavit.

Uſus. Coccus baphica, inquit, duobus uſibus inſervit, nimirum medicinæ, & lanis tingendis. Pro medicinæ uſu oportet ut in mortario marmoreo tundatur, & deinde per cribrum trajiciatur, ut pulpa inde ſeparetur, æquali Sacchari quantitati permiſcenda. Mixturam hanc Conſervam appellant, è qua addito Saccharo, Serico crudo, pomorum ſucco & aquâ roſaceâ fit ſyrupus *de Kermes*, qui inſervit pro baſi confectioni illi tantopere celebratæ de *Alkermes* Meſuæ dictæ.

Pro tinctorum uſu granum maturitatem adeptum colligitur, deinde in area complanata, linteis ſubſtratis, Soli exponitur. Initio, quandiu humore abundat, bis térve in die verſant, ne incaleſcat nimium. Cum pulvis rubicundus in ſuperficie apparet eum cribri ope ſeparant, & grana denuo linteis inſternunt, uſque dum ſimilis pulvis iterum percipiatur, quem ſecunda vice per cribrum tranſmittunt, atque hanc operationem toties repetunt donec grana nihil amplius pulveris reddant.

Notandum autem quod primus pulvis è foramine illo exit quo pertunditur granum ab ea parte ua plantæ adhæſit: Poſtremus autem qui ſub finem undique in grani ſuperficie apparet, conſtet vermiculis intra folliculum animatis eúmque penetrantibus, quoniam foramen dictum plerunque bturatum eſt.

Quamprimum autem granula illa pulveris rubentia ſe incipiunt movere, aceto acerrimo irroranda ſunt, & manibus confricanda, deinde in pilulas formanda, quæ Soli expoſitæ ſiccentur.

Si quis pulverem hunc rubicundum reſtare ſinat, nec aceto alióve acido liquore perfundat, & ut à dicam, extinguat, è quovis ejus granulo efformabitur muſca quædam minima, quæ per unum el alterum diem huc illuc ſaltantes volantéſve tandem colore mutato mortuæ decident, amarore lo quem antea habuerunt omnino privatæ.

Granum evacuatum ſeu pulvere penitus exhauſtum vino lavant, dein Soli exponunt: Siccatum ſacco confricant, ut lucidum reddatur. Quo facto ſaccis infundunt, jam venalem pulvere inde greſſo uniuſcujuſque Sacci in medium immiſſo, ut innoteſcat ſcilicet pulveris ad grana propor- o. Eo autem tingitur nobilis ille color quem *Eſcarlatinum* vocant. Coccus baphica vim habet lſtringentem, cujus ratione vulneribus nervíſque ſauciatis trita ex aceto convenienter imponitur.

ioſc. Plin.

Eximie conferre hoc granum mulieribus abortientibus cum pari thuris pondere in potu ſumptum uchſius & Matth. teſtantur. Noſtro tempore mulierculas Monſpelienſes & Nemauſenſes in difficili partu & collapſis viribus ejus pulveris ſcobem ex vino, aut ipſam etiam confectionem *Alker- es* non ſine fructu ſumpſiſſe ſcimus. Medicis Monſpelienſibus in quovis caſu præcipiti, & morbis utiſſimis, Apoplexia, Paralyſi & ſimilibus, nihil præſentius eſſe ſcimus. *J. B.* Meſues eam ad rdis palpitationem, ſyncopen, mentis alienationem ſeu deſipientiam, & mœrorem ſine cauſa manifeſta celebrat. Quomodo autem Coccus baphica cor corroboret & exhilaret, cùm præter ad- ictionem & amaritudinem nulla qualitas manifeſta in ea percipiatur nos fugit. Odorem quem ſerunt fragrantiſſimum in vermiculis & granis ipſis inter præparandum Lacuna & Quinquera- us, mirum cur alii aut non deprehenderint, aut non meminerint.

CAP. VII.

De Subere.

SUber Voſſius à *Suo* dictum putat, quod calceamentis inſueretur, fœminæ enim non tantùm hyberno tempore valetudinis causâ eo utebantur ſed etiam æſtivo, ut viderentur grandiores.

Suber latifolium J. B. Ger. Park. *latifolium perpetuò virens* C. B. **The Cork-Tree.**

Suber quod in Hiſpaniis naſcitur, perpetuò viret, ut Ilex, cui adeò ſimile eſt, ut primo aſpectu ple- nque fallat, niſi cortex craſſus & diſrumpi ſolitus errorem detegeret. Majus eſt Ilice plerunque *candice* ubi adolevit longè craſſiore, cortice item denſo, carnoſo, ſcabro & rimoſo, qui niſi ſuo tem- pore detrahatur dehiſcit, alióque ſubnaſcente expellitur: eo detracto qui ſubeſt novellus ità rubet, ut rocul aſpicientibus arbores rubricâ aut minio pictæ videantur. Suberis rami Ilignis firmiores ſunt; *ia* majora, longiora, molliora, & ſupernè magis virentia, interdum nonnihil dentata, aliquando nimè, ut in Ilice. *Glans* magna, ubi maturuit nigricans, Iligna longior & obtuſiore cuſpide, lyce etiam majore, magis hiſpido, & per oras molliter echinato. Glans admodum adſtringentis exſiccantis guſtûs, Ilignâ multò ingratior: magna ex parte conjunctim naſcitur ut Pontica nux, craſſo brevíque petiolo, & firmiore quam Iligna. Ramulis nonnunquam adnaſcuntur dura & noſa quædam cinerei coloris tubercula, adeò firmiter inhærentia, ut niſi fracto ramo eximi non ſſit.

Cluſius Suber in extrema Aquitania Pyrenæis proxima naſcens folia non retinere ſed hyeme abji- re obſervavit; ut menſe Aprili foliis prorſus viduatæ erant quatuor Suberis arbores circa *Bayonam.* uare (inquit) Theophraſtus non immeritò tribuit Suberi deciduum folium.

Matthioli Suber alterum oblongis anguſtiſque foliis, quod Piſano agro naſci tradit, ſibi nunquam ſum fatetur idem Cluſius. At quis alius præter Matthiolum fide dignus illud conſpexit?

Pleriſque Caſtellæ novæ Bæticæque locis, & totâ Luſitaniâ naſci Cluſius tradit. Circa *Fundos* & *am Appiam* copiosè naſcentem ſimul cum Siliquâ Arbore ſeu Ceratiâ obſervavit *D. Tancredus Robin-* , qui affirmat folia Suberum raro eſſe decidua. Uberrimè etiam in Olbienſi orâ provenire auctor eſt uinqueranus in libello *de laudibus Provinciæ*. Quæ de triplici cortice habet Quinquer. nobis non obantur. Detrahendis corticibus hæc eſt ratio. Quà ſtipes telluri committitur circumſcinditur ad gnoſam uſq; materiam, pariterq; in ſummis humeris antequam in brachia dividat ſeſe, mox à ſummo ad imum finditur, detrahitur triplex cortex: Non explanantur aqua ſed igni, nec demuntur ſi tertio mox anno. Quod ſi paucis diebus à tonſura largi imbres ſupervenerint, arbor interit; quod rò accidit, nimirum regione calida & ſicca, & temporum obſervatione raro fallente. *Cluſ. è uinquer.* Alii ut Lobelius, & quidem rectiùs. Cortex geminus ſtipitem amicit; alter interior, qui rpetuò hæret; alter craſſior ad duos pollices, rugoſus, perquàm levis, qui deglubitur & quolibet ntium defertur.

Cortex tritus ex aqua calida potus ſanguinis fluxum ſiſtit; ejuſdem cinis ad idem valere dicitur. *Vires & Uſus.* Uſus ejus eſt ad anchoralia navium, piſcantium tragulas, cadorum aliorumq; vaſorum anguſti oris, mpullarum vitrearum obturamenta, fœminarum [*] calceatum hybernum, alvearia, & in Eſtremaura Hiſpaniæ ad tuguriorum tecta, referente Cluſio.

[*] *Plin. l.16. c. 8.*

SECTIO

SECTIO II.

De Arboribus flore à fructu disjuncto Coniferis.

CONOS voco fructus ſquamoſos, polyſpermos in coni ſeu metæ formam plerunque turbinatos; hoc etiam nomine comprehendo fructus pluribus partibus cruſtaceis aut lignoſis per maturitatem dehiſcentibus compoſitos, quamvis neq; ſquamoſi ſint neq; conoides.

Coniferæ arbores ſunt vel Reſiniferæ, vel ſucco aqueo ſcatentes. Reſiniferæ ſunt vel fructu ſquamoſo, vel fr. è clavatis tuberibus per harmoniam coaptatis compoſito, foliolis brevibus, acutis, in ſquamas degenerantibus, ut *Cupreſſus*. *Reſiniferæ* fructu ſquamoſo ſunt vel foliis perpetuis, vel foliis deciduis. Reſiniferæ foliis perpetuis, ſunt vel eiſdem ſparſim & ſingulatim undique è ſurculis exeuntibus; vel agminatim pluribus ſimul velut in penicillos quoſdam coaggeſtis, cujuſmodi eſt *Cedrus Libani conifera*.

Quæ foliis ſunt ſparſim è ſurculis undique exeuntibus, ſunt iiſdem vel brevioribus & ſingulatim naſcentibus, cujus generis eſt *Abies*, vel longioribus, binis ex eadem theca ſeu tubulo egreſſis, ut *Pinus*.

Reſinifera foliis deciduis eſt *Larix*.

Coniferæ ſucco aqueo præditæ ſunt vel foliis latis, majoribus Coryli Alnus, vel fol. minoribus Populi: *Betula*.

CAP. I.

De Abiete.

ABies ab *abeo* Grammaticis dicta, putatur, ut à *facio facies*, à *ſpecio ſpecies*, quod in altitudinem tendat: Ἐλάτη pariter Græcis dicitur παρὰ τὸ ἐλᾶν, ὃ ἐστιν εἰς ὕψος ἀναπέτασθαι, teſte Etymologo. Notandum autem, vocem ἐλάτην æquivocam eſſe, & pro involucro fructûs palmæ arboris interdum accipi, aut etiam pro fructu ipſo.

Notæ Abietis characteriſticæ in genere, prout Piceam Latinis dictam complectitur, ſunt folia ſingularia ramulos undique cingentia, ſeu non ex lateribus tantùm ſed etiam ex ſuperna & inferna eorundem parte naſcentia, brevia & anguſta, proceritas eximia.

Jo. Bodæus à Stapel multis probat falli Botanicos qui *Sapinum* arboris ſpeciem eſſe negant, ſtatuúntque Sappinum, Plinii autoritate decepti, inferiorem ac enodem partem caudicis Abiegni, oſtenditque Plinium diſtinguere *Sapinum* & *Sappinum*. *Sappinus* Piceæ Sativæ ſpecies eſt, *Sapinus* autem ſpecies Pini quæ cæſa regerminat. Pars autem inferior Abietis enodis *Sapinea* dicitur non *Sapinus*. Sic autem vocabatur pars hæc Abietis, quòd enodis eſſet ut Sapinus. Recte ergo (inquit) Bellonius *Sappinum* arborem dixit. Vide Comment. ipſius in Theophr. hiſt. lib. 3. cap. 10.

A. 1. *Abies* Park. *Abies fœmina ſive* Ἐλάτη θήλεια J. B. *Abies mas conis ſurſum ſpectantibus* C. B. **The Yew-leaved Firre-tree.** *Abies Taxi folius.*

Deſcriptionem hujus accuratam * Joannes Conradus Axtius nobis ſuppeditat.

Eſt (inquit) arbor procera & excelſa, Pinum altitudine ſuperans. *Caudex* ejus rectus eſt, inferiùs enodis, æqualem ferè craſſitiem habens uſque ad ramos. Hæc pars vocatur à * Plinio, & Vitruvio *l. 2. c. 21.* *Sapinus*; ſuperior autem pars nodoſa *Fuſterna*. Errant itaque * Bellonius & alii, qui ex Sapino peculiare genus faciunt. *Cortex* ejus eſt albicans & fragilis. Rami in circuitu circa truncum creſcunt, interdum quatuor, interdum quinq;, interdum ſex aut plures, & hoc continuant uſque ad cacumen, ſingulis enim annis novam congeriem ità arbor protrudit, ut facilè inde colligere liceat, quot annorum ſit [*Hoc non peculiare eſt huic ſpeciei, ſed pleriſque arboribus coniferis commune*] Quidam ramorum ſunt in terram reflexi, quidam non, ſed prius fieri puto à pondere muſci albidioris, qui ſæpius copioſiſſimè in ramis Abietum provenit. Utrinque ſurculos utplurimum habent inſtar crucis, interdum tamen unus tantùm ſurculus ab uno latere erumpit, nullus ex adverſo.

* *Tract. de Arboribus coniferis*, &c.
* *Lib. 16. cap. 33.*
* *Bellonium defendit Stapelius. v. ſupra.*

Scribunt autores quòd *folia* utrinque ex lateribus ramorum emergant, quod tamen falſi αὐτοψία convincit: proveniunt enim non ſolùm in lateribus, ſed etiam in ſuperiore & inferiore ramulorum parte, ſed illa ità ad latera ſe deflectunt, ut intuentibus tantùm è lateribus emerſa videantur. Sunt autem folia, non ut alii volunt dilutæ, ſed ſaturæ viriditatis in ſuperiore parte, in averſa autem paululum candicantia [*lineâ viridi diſtincta J. B.*] quæ ex ſuperiore parte erumpunt breviora ſunt quàm quæ ex lateribus & inferiore parte. Plinius ſcribit *folia eſſe inſecta pectinum modo Piceæ & Abieti*. Quid vocabulo illo *inſecta* vult equidem neſcio. Sunt tamen folia ità ferè diſpoſita, ut dentes in pectine, foliis Taxi ſimilia, minimè pungentia, in acumine enim in minutiſſimam furculam dividuntur, partes tamen illæ non ità acutæ ſunt ut pungant, in medio lineâ ſecundùm longitudinem notata. Lignum habet album, molle, & læve.

Radices non altè deſcendunt, ità ut facilè à ventis validioribus radice tenus è terra eruantur.

Coni quadruplo minores ſunt quàm Piceæ, ſquamis conſtant in ſuperiore parte latis, ſub quibus latet *ſemen* ſubalbum, ſuperiùs alatum, plenum acri & pingui humore.

Mat-

tthiolus & Bellonius rectè negant Abietem ferre florem: Thophraſtum autem, & Plinium, &
qui Abieti tribuunt flores fefellerunt primùm prorumpentes piceæ coni, qui ante Solſtitium pro-
nt, & aſpectu ſunt jucundiſſimi. Alii enim Fabæ magnitudine, alii etiam minores aut majores
ent, tantâ rubedine præditi ut nihil ſupra: ſinguli ſquamis ſuis ſunt veſtiti, & progreſſu temporis
im fiunt virides. Ego potiùs illis accedo qui flores Abieti tribuunt: nam ex ſententia noſtra
n ſtamina, ſeu apices potiùs, pulviſculum ſeu ſemen minutiſſimum ſuppeditant ſemini maſculo
imalibus analogum. Deinde J. Bauhinus aliíque autores fide digniſſimi diſertis verbis Abietem
e affirmant. Tandem autorem noſtrum de Pinu, cui flores etiam fidenter negat, deceptum
cùm & ipſe flores obſervaverim in eo genere copioſos, quidni ergo & de Abiete falſus ſit?
auhinus conos pleniùs deſcribit: Conos (inquit) fert oblongos, ovatos ferè, Piceæ vulgaris
breviores & craſſiores; Squamæ verò latiores multò, brevioréſque, & velut hirſutæ, vel levi ex-
ione caducæ, ut in Pinu *Cembro* dicta: neque enim hærent, ut in Pinu, Picea atque Pinaſtro.
onorum medii, ſquamis delapſis, diu interdum in arbore reſtant nudi, Clavos noſtrates vocant, à
udine.

donæus, eúmque ſecutus Gerardus, de Abiete & Picea confusè ſcribunt, unde concludimus
J. Bauhino, Abietem & Piceam non bene notas fuiſſe arbores Dodonæo.

in & C. Bauhinum ex una ſpecie duas feciſſe opinamur, & ſynonyma confudiſſe. Abietem
I. ſeu conis ſurſum ſpectantibus, ſive marem *C. B.* & II. ſeu albam, ſive fœminam *ejuſdem*
adem arbore habemus. Certum enim eſt Abietem Plinii, & fœminam Theophraſti *Cluſ. hiſt.*
Abietis ſuæ ſecundæ, i. e. albæ ſeu fœminæ ſynonymam facit C. Bauhinus, ipſiſſimam eſſe ar-
n quam jam deſcripſimus. Abietem autem conis ſurſum ſpectantibus, aliam ab ea quam de-
am dedi, vellem quis mihi oſtendat. Ego duas tantùm Abietis ſpecies agnoſco, alteram conis
oribus, ſurſum ſpectantibus, foliis pectinatim Taxi modo diſpoſitis, ſubtus albentibus, quam ſci.
deſcripſi, quámque Abietem fœminam Theophraſti peritiores Botanici, Cluſius & Joan. Bauhinus
t: alteram conis longioribus, deorſum dependentibus, foliis nec pectinatim diſpoſitis nec ſub-
nereis, quam iidem Latinorum *Piceam*, Theophraſti Abietem marem eſſe ſtatuunt.

erim hîc monere convenit *D. Plot* in Hiſtoria naturali Comitatûs Staffordienſis non rectè ce-
mentem meam, cùm arbores illas in *Worton* naſcentes, ſeu mavis ſtantes, Piceæ generi à me
iptas dicat. Mihi enim optimè notæ fuerunt illæ arbores, quas non ſemel vidi & luſtravi, ea-
que ſemina collegi in horto noſtro ſerenda. Nota ergo tertia ad Abietem in *Catalogo noſtro*
rum Angliæ ad Abietem cujus ſynonyma dedi referenda eſt, [non ad Piceam ut opinatur D.
] nimirum Abietem *Park.* Abietem fœminam ſive Ἐλάτην θήλειαν *J. B.* cui etiam, (ut ſu-
s dixi) eandem puto Abietem II. i. e. albam ſive fœminam C. B. ut patet, tum ex epitheto al-
tùm ex nonnullis ſynonymis; quanquam fateor *C. Bauhinum* ſynonyma confudiſſe, ab Autori-
quibus Abietis & Piceæ differentiæ minùs perſpectæ eſſent ſeductum.

Nos in Sueviæ & Bavariæ ſylvis, ſed copioſiùs in Alpibus Helveticis & Rhæticis Abietem obſerva- **Locus.**
s. Axtius in Germaniæ & Bohemiæ ſylvis frequentiſſimam eſſe ſcribit: alibi etiam variis locis
montibus reperitur: Coni, teſte Cluſio, virent Autumni initio, & multam reſinam fundunt: ſub
mni verò finem, & hyemis initium maturitatem conſequuntur.

ateries ad multa utilis eſt, præcipue ad navium malos ob levitatem & altitudinem ſuam: nam in *Uſus.*
bus Helveticis inveniri nonnunquam 130 pedum altitudine aſſerit, ità ut uſui adaptentur longi-
e 110 pedum. Aſſeres & tabulæ abiegnæ multi apud nos uſûs ſunt in Anglia ad tabulata domo-
& conclavium. Ex ligno etiam Abiegno in Germania (teſte Axtio) fiunt dolia quæ pican-
cupæ, capedines, truæ, capulæ, aliáque quamplurima vaſa cereviſiaria, aquaria, culinaria: in
uentiſſimo uſu eſt in Anglia ad pyxides, thecas, ciſtas, loculos, &c. Pondus ſuſtinent validè A-
& Pinus, renituntur enim, nec temere rumpuntur. *J. B.*

Hujus reſina duplex in uſu eſt, 1. *Liquida*, quæ colligitur è tuberculis Abietum novellarum ſed
ca. Hanc Officinæ *Terebinthinam Venetam* (at noſtrates Argentoratenſem,) falsò vocant [In-
corticem & corticem arborum juniorum oriuntur quædam tubercula, (*Danblattern* Germani vo-
) ex quibus ſi vulneretur fluit præſtantiſſima illa reſina, Lariceæ conſiſtentiâ ſimilis, ſed magis
ſparens, amaricans, valdè fragrans, & ſapore Citrii mali corticem proximè referens.] 2. *Sicca*, quæ
Thus figurâ ementitur, ità uſum ejus æmulatur. Modum colligendi reſinam liquidam vide apud
lonium.

eſina hæc à Matthiolo aliíſque magnopere commendatur ad recentia vulnera, præcipuè capitis, *Vires.*
nda; ad calculum renum & arenulas, ad urinam ciendam (unciæ pondere pota) ad arthriti-
& iſchiadicum dolorem. Ad gonorrhœam etiam virulentam confert, ſi aliquot diebus continuis
tutino tempore ſumatur.

Abietem Angliæ indigenam eſſe ſtatuit *D. Plot*, nec ego ſanè abnuerim, ſiquidem Abietes illæ
eriùs memoratæ in vico *Worton* creſcentes ibidem ſponte ortæ videntur; eaſque reliquias eſſe plu-
arum in vicinia olim naſcentium oſtendit idem doctiſſimus Vir: unde Cæſarem in utroque ge-
e deceptum patet, cùm ſcribit *in Britanniâ Materiem omnis generis reperiri præter Fagum & Abie-*
Fagum enim plurimis in locis provenire apud nos certum eſt; Abietem aliquibus.

Abies, autore Theophraſto, provenit tantùm ſemine, radix nullam penitus ſobolem profert: de-
cacumine radicitus mareſcit eodem anno. Nos verò quamvis hæc variis in locis iteret & inculcet
eophraſtus, experientiâ docti affirmamus, ramulos Abietis deciſos & terræ implantatos, non ger-
inare tantùm, ſed & radices agere, & fortè etiam in arbores tandem adoleſcere poſſe: Siquidem
tendit nobis D. *Franciſcus Willughby* arbuſculas Piceæ ſeu Abietis maris lætas & vegetas, ex ramu-
à ſeipſo ante quadriennium depactis.

Hermannus in Catalogo Leydenſi diſtinguit Abietem marem conis ſurſùm ſpectantibus ſive
axi foliis ab Abiete fœminâ Theophraſti *J. B.*

A. 2. *Abies mas* Theophr. *Picea Latinorum, ſive Abies mas Theophraſti* J. B. *Picea* Park. *Picea major* Ger. *Picea major prima ſive Abies rubra* C. B. **The common Firr-Tree, or Pitch-Tree.** *Abies conis deorſum ſpectantibus.*

Axtius.

Procera eſt arbor, caudice recto uti Abies, cortice rubeſcente, nullo modo fragili, ut in Abiete, ſed lento & flexili. Ramos habet Abietis ramis ſimiles, & ità ordinatos, [decuſſatim poſitos] non quidem in terram deflexos, ſed ad cœlum ſpectantes: [è contrario ex J. Bauhini & noſtra obſervatione plerunq; in terram reflexos] *Folia* ſunt dilutæ viriditatis, nec ità ut in Abiete pectinum modo diſpoſita, ſed ex duobus ſurculorum lateribus, & ex ſuperiori parte prorumpunt, nec inferior prorſus eſt nuda, ſed illa ad latera flectuntur, ut intuentibus inferior pars nuda videatur, quæ autem in ſuperiore parte creſcunt, non ità ad latera flectuntur ut inferiora, Abiegnis anguſtiora ſunt, breviora, curviora, acuta & pungentia. Surculi ramorum Piceæ plura habent folia quàm Abietis: In *L. 16. c. 25.* ſiccis ramulis folia admodum caduca ſunt, ut inter exſiccandum experti ſumus. Rectè negat * Plinius Piceam exhilarari flore, & immeritò hanc ob cauſam à Dalechampio notatur, qui ſcribit; Piceæ florem oblongum ac rubentem quivis obſervare poteſt. Fefellit illum ſine dubio color, putavítque conos tanta rubedine non eſſe præditos: ſed ſi diligentiùs inſpexiſſet, ſanè aliter ſcripſiſſet; ſunt enim nihil aliud quàm conuli prorumpentes & rubentes, & nihil omnino floribus ſimile præter colorem repræſentantes. *Nos potiùs aſſentimur J. Bauhino, Cluſio, Dalechampio, gravibus imprimis & ἀξιοπιστοτάτοις Auctoribus affirmantibus extrema ramorum hujus arboris ineunte æſtate julos protrudere ſingulares, palleſcente quâdam farinâ refertos, quàm Axtio id neganti: præſertim cùm & ipſi ejuſmodi julos in Pinu, cui ille pariter flores denegat, obſervaverimus.* Præterea nullam omnino in rerum natura plantam dari contendimus cui nec flos ſit, nec aliquid flori analogum; nec enim ſine ſemine maſculo qui in apicibus florum continetur plantæ ullius ſemen prolificum eſſe poſſe putamus.

Picea conos fert teretes ſpithamæ longitudine, extremitatibus ramulorum annexos, & deorſum pendentes, quod propter pondus ipſorum fieri autumo, ex meris ſquamis coalitos; in medio ſcapum habent longum, cui ſquamæ ſunt adnatæ, quæ in medio latæ ſunt, in ſuperiore parte acuminatæ ac tenues, in inferiore autem parte, ubi ſcapo annectuntur, anguſtiores, craſſiores tamen; mediæ majores ſunt, infimæ & ſupremæ paulò minores: Etſi dehiſcunt ſquamæ non tamen excidunt, ut in Abiete fœmina. Singulis in latere exteriore annectitur longum & latiuſculum foliolum, ſuperiùs paululum inciſum, in interiore parte annectitur illis geminum *ſemen*, magnitudine ſeminis Cnici, ſuperiùs alatum, colore fuſco. Semen plenum eſt olei cujuſdam fragrantiſſimi, linguámque acrimoniâ ſuâ ferientis. Totus conus, ſi recens ex arbore venit, plenus eſt reſinâ, & gratiſſimum ſpirat odorem.

Locus. Naſcitur in montibus & ſylvis. Nos in Sueviæ & Bavariæ ſylvis inque Alpibus Rhæticis & Helveticis obſervavimus & quidem multò copioſiorem quàm Abietem fœminam. Hanc arborem eſſe conjicio quæ in Suecia, Norvegia aliiſque Septentrionalibus regionibus copioſe oritur. Menſe Septembri fructus ſunt maturi.

Uſus Ligni. Materies ligno quidem facilis fabris, ſed in opere deterior, ut quæ pro aeris conſtitutione intumeſcit, detumeſcítve, ſubinde in ædificiis crepitans. Ad omnia illa adhibetur, ad quæ Abies fœmina, non tamen ità frequenter. Lignum accenſum, imprimis reſinoſum, fumum edit atrum, & omnia ad quæ pertingit nigrore afficientem. Quando cortex vulneratur magna copia effluit reſina, ex qua noſtrates [Thuringi] picem deſtillant. *Axtius & J. B.*

Quæ de viribus Piceæ Veteres habent apud ipſos requirenda omitto.

Cereviſia diætetica dicta, in qua infuſi fuere ramuli aut ſummitates hujus arboris, in affectibus Scorbuticis bono cum ſucceſſu ſæpenumero uſus ſum. *D. Needham.* Idem affirmat Mollenbrocius de Arthrit. vag. ſcorbut. Bartholinus de Medicin. Danorum domeſt. refert Norwegos alioſq; ſeptentrionales maſticare corticem Abietis in inopiâ frumenti.

Hæ arbores (ut diximus) copioſam reſinam præbent, cujus eliciendæ modum apud Germanos his verbis deſcribit * Jo. Conradus Axtius.

** Tractatu de Arboribus coniferis, &c.*

Menſe Maio, decreſcente Luna, corticem Piceis detrahunt noſtrates hoc modo. Incipiunt in parte ſuperna quâ aſciâ pertingere poſſunt, & detrahunt corticem latitudine trium digitorum uſq; in partem imam, ità tamen ut pedibus duobus à terra plaga abſit. Deinde ſinunt corticem in arbore latitudine unius circiter palmæ, & iterum talem plagam inſerunt, & ſic pergunt donec tota arbor ità ſit ſauciata. Duobus aut tribus elapſis annis plagæ illæ ità ſunt repletæ reſinâ, ut deradere poſſunt. Accingunt itaq; operatores ſeſe operi, & induunt tunicas lineas breves, ampliores tamen, ubique conſutas præterquam in inferiore & ſuperiore parte, hæ pertingunt ad umbilicum, & reſinam in raſura excipiunt, nè induſia operariorum ab illa maculentur. Faciunt deniq; vaſcula quædam, ſeu ſportulas è cortice Sorbi ſylveſtris, figurâ coni inverſi: has in terra ad latus arboris ponunt; quo facto deradunt reſinam cultris ſive radulis incurvis, ancipitibus, longis infixis baculis, quam excipiunt ſportulis illis, & in acervum congerunt, donec in caſas, in quibus pix deſtillatur, convehatur. Picem è Reſina picea hoc modo conficiunt Germani; Faciunt in Officinis ſuis furnum quadratum, oblongum, in quo duobus ferè pedibus à terra ponunt duos canales ligneos, in poſteriori furni parte tantùm prominentes, unicuiq; canali imponunt tres ollas oblongas in fundo foramen digiti latitudine habentes, juxta ollas illas tria relinquunt foramina, in anteriore parte pedem unum circiter alta, & plus dimidio lata, in poſteriore furni parte minora ſunt, quæ loco fumariorum ſunt, ut eo meliùs ignis è foraminibus anterioribus flammam emittat. Furno ità perfecto implent ollas illas reſinâ, & unamquamq; tegunt operculo: deinde accendunt ignem in foraminibus anterioribus. Cùm itaq; reſina calorem ignis percipit, liqueſcit in ollis, & per foramina ollarum pix deſtillat in canales ſubditos, per quos in poſteriore parte furni effluit. Canalibus ibi ſupponunt vaſa abiegna, aut etiam alia vaſcula è cortice Piceæ fabrefacta; hiſce effluentem picem excipiunt & divendunt. Si nihil amplius fluat, reſiduum eximunt ex ollis, & implent eas iterum reſinâ, ſicque pergunt donec omnis reſina

ina facta ſit pix. Reſiduum ſeu caput mortuum reſinæ in fruſta magna quadrata cogunt, ex quibus
einde fuliginem urunt.
Alius eſt modus excoquendi picem liquidam ex ipſo Piceæ ligno, perſimilis illi quem deſcribit
Theophraſtus hiſtor. lib. 9. cap. 3. Piceæ in Tædam converſæ ſtipites aſſulatim cæſos ſuper area ſeu
avimento è luto uſto aut lapidibus antea præparato, & à centro undique ad circumferentiam pau-
atim declivi in ſtruem aut acervum componunt, ei ſimilem quem extruunt qui carbones faciunt.
truem hanc frondibus faginis pineíſve undique contegunt & deinde pulvere aut luto comminuto
nſperſo curioſè loricant, ne quà fumus aut flamma eluctari poſſit. Ignem poſtea, foramine ad id
elicto, deſuper accendunt, quemadmodum Carbonarii ſolent, qui liquorem ligni oleoſum ſeu reſi-
aceum ad ima ſubſidere compellit: Is autem ob pavimenti declivitatem in canalem (qui acervum
ndique coronæ inſtar cingit) ad id factum promptè delabitur, indéque per alios ductus in lacus aut
aſa ei recipiendo deſtinata derivatur. Ex hoc in cortinas injecto, & tandiu decocto donec omnis
umor abſumatur, fit *Pix arida* & *raſilis*, Græcis Παλίμπισσα dicta, Noſtrates Picem liquidam **Tar**
ocant, ſiccam ſeu aridam **Pitch**. Hinc patet Picem à Plinio recte definiri Reſinæ combuſtæ
uxum.

De Reſinæ & Picis uſibus in Medicina & Mechanicis dicemus in hiſtoria Pinûs.

In Nova Anglia pavimentum, in quo pineas taleas componunt ad excoquendam picem, non à
entro ad circumferentiam, ſed è contra à circumferentia ad centrum devexum faciunt, & canalem
ndè ad circumferentiam, ad picem defluentem derivandam, ducunt. Ibidem etiam lignorum
ruem luto undique illito obducunt, & foramen in ſumma parte relinquunt per quod igne deſuper
mmiſſo ligna accendunt; quibus jam penitus ignitis foramen illud obſtruunt, & per foraminula a-
quot circumcirca in lorica lutea ſeu tectoria relicta aerem admittunt quantus ſatis ſit ad ignem fo-
endum, cauto interim ne in flammam erumpat. Foraminula quibus ignem moderantur, & vel
ccludunt vel aperiunt prout res poſtulat, Regiſtros vocant.

3. *Picea pumila* J. B. Park. *pumila Cluſii* Ger. emac. *minor* C. B.

Cluſ.

Nunquam valdè aſſurgit, ſed pumila manet, fertque quædam nucamenta Nucis Ponticæ mag-
tudine, è ſquamulis imbricatim compoſitis, ſed in pungens foliolum deſinentibus compacta, quæ
aturitate dehiſcentia concavas inanitates & veluti cellulas oſtendunt; à ſummis verò & extremis
ucamentis ramuli nonnunquam enaſcuntur, frequentibus, brevibus & pungentibus foliolis obſiti:
l tota arbuſcula brevioribus & pallidioribus foliis quàm ſuperior prædita eſt.
Neque florem, neque fructum obſervavit Cluſius.
Pinum tubulum ſive tibulum Plinii Dalechampius vocare videtur.

4. *Abies Mexicana Fr. Hernandez. Avevetl & Ahoehoetl indigenis.*

Hanc arborem Hiſpani Sabinam & Cedrum ob materiei rubrum colorem vocare ſoliti ſunt: ve-
n ad Abietum genus omnino referendam eſſe præter fructum omnémque faciem, materia
det, quæ mollis ac lenta eſt, corruptionique & vitio abundè obnoxia, maximè ſi terræ de-
atur.
Sunt autem (inquit) quatuor, quod adhuc intellexerim, hujus arboris differentiæ, inter ſe magni-
line, colore & fructu diſtantes.
1. Quædam ſiquidem illarum altiſſimas Pinus longitudine atq; amplitudine ſuperant, & candidæ
e reperiuntur. Earum nonnullæ 24 aut amplius pedes craſſitudine æquant.
2. Aliæ, quarum materia quoq; candens eſt, & rubrum cor, ſine medulla his cedunt, & nuces
neas reſinâ refertas producunt, ſed quæ vulgares Oleas minimè magnitudine vincant.
3. Aliæ his quoq; inferiores ſpectantur, ſed rubra materie, & orbiculatiore coma.
4. Poſtremæ & quæ omnium minimæ ſunt, vix Malos Medicas vulgares vincunt magnitudine,
ibus materies rubra eſt & candens medulla.
Cortice omnes teguntur rubeo, foliáq; ferunt Abietina, etſi minora & exiliora: Ex omnibúſque
ina, ſi non ſponte, at flammis liquata fluit. Forma eſſet eadem quæ noſtrati Abieti, ni folia, ut
imus, tenuiora, rami depreſſiores & faſtigia acuminatiora aſſurgerent.
Aſſulæ in vaſa fictilia conjectæ opertæque igne ſuppoſito reſinam fundunt: ea tamen ſponte non
anat.
Quibuſvis regionibus proveniunt circa fluenta, ſtagnantéſve aut lentè fluentes aquas uliginoſáve *Locus.*
a: etſi omnium minima longe ab aquis & naſci & ſervari ſoleat. Nullo tempore aut loco in-
niuntur florere. *Nimis temere hoc pronunciavit Hernandez, niſi forte julos pro floribus non habendos*
uit.
Reſina hujus Abiegna vulgari longè acrior & calidior eſt & viribus vehementior.
Corticis, Foliorum, Reſinæ vires & uſus, vide apud Hernandez, lib. 3. cap. 66.

CAP. II.

De Pinu arbore.

PInus arbor Latinorum quo nomine Veteribus Græcis dicta ſit non levis eſt inter eruditos controverſia.

Πεύκην Veteres Græcos pro Pinu uſurpâſſe J. Bauhino dubium non eſt. Idem videtur Caſparo fratri, Carolo Cluſio, Bodæo à Stapel. aliiſq; doctioribus. Mihi Turneri noſtri ſententia probatur, nimirum Theophraſtum πεύκην appellâſſe quam Latini *Pinum*: Plinium autem πίτυν Græcorum pro Pinu accepiſſe, quòd Plinius Pityocampas Pinorum erucas vertat, non Piceæ. Galeno etiam Pityn Pinum eſſe, ait enim Pityn maximos ferre conos: Veriſimile etiam putat Galeni tempore Græcos & qui eum ſecuti ſunt ſemper Pityn pro Pinu uſurpâſſe.

Πίτυς Theophraſto quæ arbor ſit nobis non conſtat, J. Bauhino Pinaſtrum ſeu Pinum ſylveſtrem eſſe veriſimile videtur.

Nominum mutationis, & errandi anſam præbuiſſe videntur Arcades, qui (ut ſcribit Theophraſtus) quod cæteri πίτυν, πεύκην, contra quod πεύκην πίτυν vocârunt.

1. *Pinus ſativa* C. B. *ſativa ſive domeſtica* Ger. *urbana ſive domeſtica* Park. *oſſiculis duris, folii longis* J. B. **The manured Pine-tree.**

Excelſa eſt arbor, *caudice* recto aſſurgens, cortice ſcabro & ſubrubenti; materie robuſta, ſubflava, odorata, pingui. Rami per intervalla eo ordine rotatim prodeunt quo in cæteris arboribus coniferis. Ex tuberculis paſſim in rugoſo ramorum cortice extantibus *folia* enaſcuntur, bina ferè, circa imum connata, mox ab invicem abſcedentia, quà ſe mutuò ſpectant canaliculata, Junci marini æmula & æqualia, duorum triúmve palmorum longitudine, mucrone acuto & rigido. Coni magni, craſſi, turbinati, arctiſſimo ſquamarum contextu compactiles, quarum craſſa, lignoſa, lucida capita extantia tuberculorum agmine inæquales reddunt conos: ſingulares ſquamæ unciam latæ, duplo longiores, à capite reſinam albam, odoratam ſubinde fundentes, lineíſq; ex umbilico devexis donatæ, paulatim haſtam versùs extenuantur, craſſæ, ſinu ſuo complexæ naturâ binæ unam aut alteram pityidem, oblongam, ferè uncialem, toroſam, pulviſculo atro-purpureo reſperſam, oſſe craſſo, duro; nucleo candido, pingui, dulci, pelliculâ rutilâ obvoluto.

Copioſiſſimè in Italia propè Ravennam provenit, quo in loco ſylvam ex ſe facit ampliſſimam in

Locus. longitudinem extenſam ad maris litus: alibi etiam in Italia obſervavimus ſpontaneam. In Gallia Narbonenſi ad aquas Marianas ſpontaneam perhibet Lobelius, & circa Maſſiliam; Incolæ *Provinciæ* eam terebrant pro reſinâ eliciendâ.

Radix nullam ex ſe penitus ſobolem emittit, ideóque trunco reciſo prorſus emoritur, & ſemine tantùm provenit. Proprium eſſe aiunt huic arbori ut ſalſo ſolo lætiſſimè fructificet, quemadmodum apparet ex amœniſſimo Pineto prope Ravennam.

Vires & Uſus. Pini cujuſcunq; cortices & folia refrigerant & aſtringunt, unde in dyſenteria & fluore menſium proſunt. Decoctum aut infuſum ſummitatum Pinûs in Cereviſia alióve idoneo liquore ad calculum renum & veſicæ plurimùm valere creditur, necnon ad Scorbutum alióſque thoracis affectus. A turionibus Pini mille hominum liberatos à Scorbuticis affectibus refert Hofmannus in Method. medendi.

Nuclei Pinei ſaporis ſunt delicatiſſimi, ipſis etiam Amygdalis præferendi, ideóque in Italia menſi ſecundis adjiciuntur. Caliditate temperati ſunt & humidi; maturant, leniunt, impinguant. Uſu præcip. in *Phthiſi* & *tabe*, quia nutriunt bene, quamvis non omnino facilè concoqui vult Dodonæus; *in tuſſi* & *diuturnis pectoris vitiis* per ſe aut cum melle alióve eclegmate, quoniam exaſperata leniunt in *nephriticis affectibus*, ſtranguria, acrimonia urinæ, &c. quos mitigant & dolores ſedant. Auge item & lac & ſemen genitale, ideóque Venerem languentem excitant & naturam calefaciunt, pr ſertim Saccharo conditi. Totus Conus ſeu Strobilus cum Marrubio recenti decoctus (inquit Galenu ſi poſtea addito melle modico iterum coquatur, donec ipſum decoctum mellis accipiat craſſitu nem medicamentum eſt ad thoracis pulmoníſq; exſcreationes conveniens, veteri tuſſi & tabitudi conferens, ut Dioſcorides etiam teſtatur. Aqua Strobilorum aſtringit, ideóq; utilis eſt ad faci rugas delendas, mammarum incrementum impediendum, in procidentia matricis, &c.

Notatu dignum eſt quod obſervavit Cæſalpinus, & nos etiam ipſi, nucleos hoſce non bipar tos eſſe ut aliis plurimis, ſed velut in alveo novellum Pinum continere, cujus radix inferi ſpectat.

2. *Pinus cui oſſicula fragili putamine ſive Cembro* J. B. *Pinus ſylveſtris montana tertia* C. B. Pi *ſylv. altera fructifera, Tæda arbor fortè* Park. *Pin. ſylv.* 2. Ger. deſcr.

J. B.

Pini foliis breviora ſunt Cembri folia, palmaria, itidem bina è tuberculo uno prognata, cann latâq;, videntur acutiora tamen. Conus minor quàm Pini, hoc commune habet cum cono Abie quòd ſquamæ facilè à pediculo divellantur, in cæteris differt. Squammis compactus eſt minùs mult extantibus & compreſſis, rugoſis, non lucidis ut Pini ſativi, nec firmiter compactis, extremam ſi gularum marginem [non meditullium] occupante umbilico. Pityides binæ ſingulis ſquamis occu tantur, dimidio minores quàm Pini domeſticæ, oſſe triquetro, turbinato, rubente, tenui & fragi adeò ut digitorum preſſu haud ità violento diſſiliat, nucleo craſſiore, breviore, ſapore & ſubſtan cum Pityidibus domeſticis eadem.

In Rhætia copioſiſſimè naſcitur, ubi ruſtici ejus fructu veſcuntur, qui quamvis, Bellonio judice, *Locus.* minùs duro ſapidioréq; ſit nucleo quam Pini vulgaris, adeò tamen vili venit, ut vecturâ dignus non cenſeatur. Quinetiam in convallibus montis Juniperorum dicti & montis Seneſii, per quos è Gallia Mediolanum iter eſt, nullus eſt pagus qui eam ſub *Elvi* nomine non agnoſcat. Geſnerus in altis montibus Rhætorum & Valleſiorum naſci ſcribit, nec ullam arborem altiùs. Plinii Pinum Tarentinum eſſe volunt nonnulli.

Bellonius hoc genus Theophraſto incognitum eſſe ait, in Græciæ enim aut Aſiæ montibus non naſci. Dalechampius Tædam arborem Plinii eſſe vult, Theophraſto ignotam.

3. *Pinus ſylveſtris* C. B. *Pinus ſylv. vulgaris Genevenſis, & Tæda* J. B. *An Pinaſter Auſtriacus major, albus & niger* ejuſdem? *Item Pinaſter, ſive Pinus ſylv. Hiſpanicus major* Cluſ? J. B? *i. e. Pinus maritima altera* C. B? *Pinus ſylv. Mugo* Ger. ico. **The Mountain Pine.**

Axtius.

Caudicem habet * interdum diſtortum, ſæpiſſimè tamen rectum: cortex in inferiore arboris parte plenus eſt rimarum atq; ſcaber, colore quodammodo cineraceus, in ſuperiore tamen parte plenus ſquamarum & rubicundus, in ramis tenerioribus Lauri modo liveſcit. Surculos ramorum habet fragiles, qui ſi frangantur apparent inter corticem & corticem minuti pori, ex quibus reſina exſudat. Adultæ arbores ramos habent minimè rectos ſed ſinuoſos. *Folia* habent tenuia, rigida, multò longiora foliis Abietis & Piceæ, ſemper gemina ab uno veluti tubulo exeuntia, in ipſo exortu connexa, in interiore parte, quà ſeſe conſpiciunt, concava, acuta, pungentia, guſtu adſtringentia, undiquaq; ramos veſtientia.

** Imo plerumque ſi eandem nobiſcum arborem intelligat.*

Coni ex compactili ſquamarum acervo ſunt turbinati; ramulis pediculo brevi, in nonnullis recto, in aliis adunco, ad latera ità firmiter adhærent, ut cùm novi erumpunt anniculi adhuc in ramis hæreant; quamprimum inaruerint dehiſcunt. Squamæ ſunt oblongæ, ſub quibus ſemen latet nigricans, magnitudine Aniſi, alatum, plenum albâ medullâ.

Arbor hæc optimam fundit reſinam.

Deſcriptio hæc in reliquis bene convenit Pinui ſylveſtri à nobis in Suevia, Bavaria, Auſtria, & alibi in Germania paſſim obſervata, ſola ſeminis parvitate differt. Noſtra folia habet longa, in viriditate nigricantia, conos ſatis grandes, minores tamen quàm Pini ſativi, oblongos, turbinatos, ramorum alas ſpectantes & reflexos, nucleis parvis, nec Mali vulgaris nucleis multò majoribus, quibus & figurâ ſuâ accedunt.

Habetur in viridariis noſtris frequens in Anglia, & ab Hortulanis vulgò, **The Mountain Pine,** id eſt, Pinus Montana, dicitur; excreſcit autem in magnitudinem & proceritatem eximiam, quamvis cùm ſylveſtris & ſuæ ſpontis ſit, plerunq; pumila manet in Germania.

Hæc proculdubio eſt quam Bellonius libro Coniferarum deſcribit ſub *Piceæ* nomine, caudice, cùm in arborem excrevit, contorto, rubro cortice veſtito, rimis hiulco, ſinuoſis ramis, fragilibus, coma in latum expanſâ, mediocri magnitudine, &c. vide. Pinaſter Auſtriacus major *Cluſ.* duorum eſt generum, adeò inter ſe ſimilium, ut pauci niſi materiæ cæſores diſcernere queant. Alterum tamen genus lætiore & erectiore eſt caudice, læviore cortice, majore cono. Alterum verò craſſiore plerunque eſt caudice, ſcabriore cortice, foliis paulò craſſioribus ac minore cono.

Pinaſter ſive Pinus ſylv. Hiſpanica major Cluſio, in Aquitania, ínq; Pyrenæis & pleriſq; aliis Hiſpaniæ locis frequentiſſima, quæ ipſo monente, à Pinaſtro 1. Auſtriaco albo parum & ſolis fortè natalibus differt, in Pini ſativi altitudinem excreſcit, interdum etiam ſuperat. Nobis obſervatæ quamvis ſatis grandes & proceræ, minores tamen erant ſativis.

Sunt ergo noſtrâ ſententiâ Pinus ſylveſtris vulgaris Genevenſis *J. B.* Pinaſter ſive Pinus ſylveſtris Hiſpanica major *ejuſdem.* Item Pinaſter Auſtriacus major albus, & niger, una eadémque Pini ſpecies, ut & ipſe Jo. Bauhinus ſuſpicatur. Quamvis, ut verum fatear, deſcriptio Pini ſylveſtris Genevenſis *J. B.* huic arbori non bene conveniat: nec enim coni in hac parvi & breves & non turbinati ſunt, ſed rotundiores, fragili & brevi pediculo adhærentes ramis, verùm è contrario magni, & longi, & turbinati; ut ſuperiùs diximus.

Ex hujus arboris inferiore parte, radicibus viciniore fiunt aſſulæ illæ pingues ad ignem accendendum *Uſus.* & lumen præbendum idoneæ, magni per multas Germaniæ provincias uſûs. Strangulat enim humor ad radices deſcendens ipſas arbores ſic ut in Tædam vertantur, de qua aſſulæ.

De Tæda.

Tranſeunt in Tædam quandoq; Picea & Larix, ſed rarò admodum: Pini enim ſylveſtris proprius ac peculiaris morbus eſt. In Tædam autem arbor converſa dicitur, cùm non modò cor ejus ſed & reliqua ſubſtantia in pinguedinem mutata eſt. Hinc (inquit J. Bauhinus) Plinius non abſq; errore Tædam ſui generis arborem eſſe exiſtimavit, & ſextum Coniferarum genus ſtatuit. Plinium pariter erroris inſimulant Matthiolus, Bellonius, Caſp. Hofmannus, Bodæus à Stapel, aliíque. Ego potius cum Dalechampio, Cluſio, Parkinſono ſentio, Tædæ vocabulum ὁμώνυμον eſſe, & nunc Pini reſinoſum & pingue lignum [τὴν δᾷδα] ſignificare, quod lucernæ candelæve loco uratur, nunc arborem ſui generis Theophraſto ignotam.

Quoniam aſſularum Tædæ ad lucernas uſus eſt, hinc tæda pro face quacunque, præſertim nuptiali, accipitur.

> *At tibi ego ignarus thalamos tædáſq; parabam.*
>
> Ovid. Metamorph. 1.

Ex hoc genere in Aquitania, apud Cantabros & aliis Hiſpaniæ locis, indigenas reſinam colligere obſervavit Cluſius, & nos etiam, nec in Aquitania ſolùm ſed etiam in Gallia Narbonenſi, ubi arbores vulnerantur ejus rei causâ, ſingulis annis novo vulnere ſupra annotinum inflicto, donec ad decem aut duodecim pedum altitudinem pervenerint, & humor ab ea parte manare deſierit; tum demum ſimili modo ex alia parte, ac deinde alia aperitur.

Pinaſter latifolius julis vireſcentibus aut palleſcentibus C. B. *niger, latiore folio, julis palleſcentibus* Park.

Cluſ.

Pinaſtri nigri genus interdum invenitur, triſtiore arbore, contorto caudice, & in latum ſparſis ramis, minore adhuc quàm præcedens cono.

Eſt tantum varietas Pinaſtri Auſtriaci ſecundi ſeu nigri Cluſii: quæ noſtrâ ſententiâ non differt à ſecunda ſpecie ſeu Pinu ſylveſtri *C. B.*

4. *Pinaſter Auſtriacus tenuifolius* J. B. *Pinaſter tenuifolius julo purpuraſcente* C. B. Park. *Tæda ſive Pſeudo-pinus* Ger. *Pinaſter* 3. *Auſtriacus* Cluſ.

Cluſ.

Creſcit ad nonnullorum Auſtriæ montium radices in ſcopulis, & ſupra Badenſes thermas, quatuor ſupra Viennam mill. in montium crepidine tenui gramine obſita, aliud quoddam genus, contorto admodum caudice, divaricatis ramis, quorum ſurculi multò graciliores tenuioréſq; ſunt quàm in ſuperioribus duobus generibus: *folia* item habet illis longè tenuiora & breviora, tametſi bina ſemper conjunctim ex eodem tubulo in virgarum ambitu naſcentia. Extremis virgis botrus ſive Uva exiguorum julorum veluti nucamento tenuiorum ſquamarum incluſa adnaſcitur, qui non vireſcunt aut flavent, ut in antedictis, ſed purpuraſcunt, deinde in tenuiſſimum pulverem abeunt, ſuccreſcente ex eorum medio novo germine ſuis novellis foliis, membranâ vel veſiculâ incluſis, onuſtò. Hujus conus etiam minor eſt, & obtuſo plerunq; mucrone.

Hujus arboris ramos ſolent noſtrates Oenopolæ ante ædes ſuas proponere, ut Viennenſes Abietis tenuiores ramos, & aliarum regionum incolæ Hederam *C. B.*

5. *Pinaſter conis erectis* C. B. *Pinaſter Auſtriacus* Ger. emac. *pumilio montanus* Park. *An Pinus ſylveſtris Mugho ſive Krein* J. B? *Pinus tibulus ſeu tubulus* Plin? *ſylv. Mugo* Matth.

Cluſ.

Humanam non ſuperat altitudinem, ſed ſtatim à radice in lentos & obſequentes, tametſi craſſos, rugoſóque & denſo cortice tectos, ramos dividitur, atq; in latitudinem diffunditur: hos per ſingulas ſquamas bina ſemper ex eodem tubulo ſimul prodeuntia & juncta *folia* ambiunt, quemadmodum in Pinu & vulgari Pinaſtro, magis tamen carnoſa ſunt, craſſiora, breviora, & obtuſiore mucrone prædita, coloréq; ſaturatiùs virente. Strobili unciales, ſquamatim compacti, Lariceis conis haud majores, ſed magis turbinati rectiq;, pediculo introrſum non inflexo ut in præcedentibus generibus, nucleus alatus ut reliquorum, & inter compactiles ſquamas latens. *Radix* craſſa, lignoſa, in diverſa tendens.

Locus. Naſcitur in ſummis Auſtriæ & Stiriæ Alpium ſuperciliis inter ſaxa & ſcopulos, ut plurimum ubi nullæ aliæ arbores proveniunt.

Pinus ſylveſtris Mugo & Krein *dictus.* Pinum ſylveſtrem Mugho ſive Crein ſic deſcribit J. Bauhinus, Parva & pumila arbor *eſt reſpectu* aliarum reſiniferarum, & Pini ſylv. *Taier* dicti, ramis bipartitis Folia prodeunt ex tubulo bina, tres digitos longa unâ parte rotunda & carinata, alterâ plana, ſimilia Pino ſylv. Tædæ, ſed colore magis viridi, pungentia Coni deorſum nutantes, paulò longiores quàm Tædæ aut Pini ſylv. Genevenſis, ut & nigriores. Squamæ craſſæ & extuberantes ut in illâ, ſed manifeſtè differentes, quia eminentiæ pulchrè ſurſum vergunt, cum dorſo evidenti, immediatéque hærent ramulis, à quibus facilè divelli poſſunt: ubi folia decidunt ſunt tubercula crebra. Arboris cortex nigrior, odoratior etiam videtur arbor. Ramuli rectiores pluribus foliis ornati. Reſina alba, ſicca. Matthiolus & Cæſalpinus hanc ſpeciem deſcribunt ramis procumbentibus humi, ſpatio cubitorum decem, quindecimq;, utilibus ad cingenda vaſa vinaria.

Dubitat J. Bauhinus annon hæc ſit Picea nigra Corcyrenſis Bellonii.

Pinum ſylv. Mugo *Matth.* C. Bauhinus à Pinaſtro pumilione Auſtriaco *Cluſ.* diverſam facit.

6. *Pinaſter tertius Hiſpanicus humilis* J. B. *Pinus maritima minor* C. B. Park. *Pinaſter marit. mino* Ger. emac.

Cluſ.

Ejuſdem ferè eſt cum ſuperiore ſeu Auſtriaco quarto altitudinis, licet in lentos & obſequentes ramos diviſus ſit, non ſunt tamen adeò craſſo rugoſóque cortice tecti, neq; ità in latitudinem diffuſi: virgæ etiam graciliores, *folia* exilia, Laricis foliis non diſſimilia, non adeò tamen mollia, neq; ut illa decidua, ſed immortali viriditate prædita, ut ſuperiorum folia: *Strobili* exigui & graciles, nucleus etiam puſillus & nigricans, alatus ut reliquorum.

Locus. Solo Murciano regno hoc genus, idq; rariſſimè, conſpexit Cluſius.

Opinatur Lobelius hunc non differre à Pinaſtro humili Gallo-provinciæ & Narbonenſis collibus ad Lupum montem oriundo. Nobis Pinaſter ibidem frequens idem videbatur Pinaſtro Auſtriaco primo Cluſii, tertio in loco deſcripto.

7. *Pinus ſylv. maritima conis firmiter ramis adhærentibus* J. B. *ſylv. altera maritima* Lob. obſ. *Pinaſter* 2. *Hiſpanicus* Cluſ?

Coni ex adverſo bini, deorſum nutantes, craſſo, lignoſo pediculo firmiter hærent (quo nom ab aliis differt Pini & Pinaſtri ſpeciebus) trium digitorum tranſverſorum longitudine, in acutum m diocriter mucronem deſinentes, quatuor in ambitu uncias ad baſin colligentes, ſquamis non m tum extantibus compactiles, ad Pini domeſticæ conos accedentes, niſi multò eſſent minores. Lig materies alba, cui reſina vehementis odoris ſublutea.

In collibus versùs montem Lupi plures ſunt ſylvulæ ex Pinis hujuſmodi compoſitæ, quarum aliæ arboreſcunt, aliæ verò pumilæ reperiuntur, inquit *D. Magnol.* *Locus.*

Dubitat J. Bauhinus an hæc arbor eadem ſit cum Pinaſtro altero Hiſpanico ſeu minore Hiſpanico *Cluſ.*

Pinaſter nobis obſervatus circa montem Lupi non videbatur differre à Pinu noſtra tertia ſeu ſylveſtri *C.B.*

Pinus maritima major C.B. *maritima major fructifera* Park. *ſylveſtris montana* Ger. *Pinus maritima Theophraſti Lobelio* J. B.

Stipite, ramorum & foliorum facie perſimilis videtur Pinaſtro montano, ſed ramis glabris, caudice nigrioribus. Conus phœniceus, brevior & ſupernè latior.

Huc refert C. Bauhinus

Pinaſtrum alterum Hiſpanicum vel minorem Hiſpanicum Cluſ. *Pinum maritimam majorem fructiferam alteram* Park. *marit. majorem* Ger.

Quem Cluſius duorum hominum altitudinem rarò ſuperare ait, inflexo & contorto caudice, utplurimum ab imo ramoſo. Folia illi majori Hiſpanico ſimilia, ſed breviora, dilutiùs virentia; coni etiam minores, oblongi tamen, turbinati & candicantes, multa plerunq; reſinâ infecti, non admodum iis diſſimiles qui Auſtriaco albo cognominato innaſcuntur; nuclei quales in majore, nigrâ membranâ contecti.

Murciano & Valentino regno frequens. *Locus.*

A. 8. *Pinus ſylv. foliis brevibus glaucis, conis parvis albentibus, hortulanis noſtris,* **The Scotch Fir,** i. e. *Abies Scotica perperam dicta.*

Hæc in proceram ſatis arborem adoleſcit, caudice recto, firmo & minimè contorto, cortice minùs ſcabro quàm Pinaſtri vulgaris, cinereo ſeu albicante, foliis brevioribus, latioribus, glaucis, conis parvis turbinatis, & acutis, albentibus, ſeminibus intus minimis.

Hanc aliquando habui pro Pinaſtro altero Hiſpanico *Cluſ.* Verùm non convenit caudex inflexus & contortus: coni etiam majores pinguntur.

In Alpibus Stiriacis ſpontaneam obſervavimus. D. Evelynus in *Sylva,* hujus ſemina è Scotia à D. Marchione Argatheliæ ad ſe miſſa ſcribit, ubi propè lacum *Loughbrun* dictum inter lacum & montem vicinum ſponte proveniunt eâ copia, ut ex iis caſu delapſis aut ſubverſis, & ibidem jacentibus aliis ſupra alias ad hominis uſque altitudinem interſtitiis paulatim tractu temporis oppletis collis mediocris aggeſtus & elatus eſt. Ob elegantiam ſuam & pulcherrimum aſpectum, nunc dierum in hortis & viridariis noſtris frequens colitur. *Locus.*

Deſcriptio Piceæ, quæ in Olympi Phrygiæ montis jugo naſcitur apud Bellonium in pleriſq; huic arbori convenit. Ea Abietis rectitudine conſtat, cortice, ſi ad alia comparetur glabro & ſubalbido: cætera omitto apud ipſum videnda.

9. *Pinus ſylveſtris, ſive ut Bellonius, Picea. Sylveſtris Idæ Troadis, cujus coni facilè decidunt* J. B.

Piceam, quæ in Ida Troadis naſcitur, plurimum ab aliis diſcrepare comperit Bellonius [Arb.conif.] Siquidem in Ida Martio menſe breves julos ut Corylus promit; quo tempore coni à montis Olympi Piceis decidunt, quod aliarum regionum Piceis non accidit. Pediculus quo coni ramis adhærent gracillimus eſt, quare cùm maturuerint levi ventorum flatu deturbantur decutiunturq; ab arbore, aliorum fructuum modo, cùm tamen in aliis ferè omnibus anniculi cum nuper naſcentibus in arbore permanere comperiantur.

De Reſina Pini, Abietis, &c.

Reſina liquor eſt pinguis ac oleaginoſus ex arbore ſæpius ſponte, interdum eâ vulneratâ defluens.

Reſina propriè dicta in oleo promptè ſolvitur, in liquoribus aqueis nullo modo.

Reſina reſpectu conſiſtentiæ vel *liquida* eſt, ſubalbida & odorata, è Pinorum ſylveſtrium præcipuè generibus, vel ſponte vel vulneratis effluens: vel *arida* è corticis rimis vel circa abſciſſos ramos, & quidem Piceæ vel Abietis exiens.

Strobilinæ reſinæ nomen accepit, quæ circa conos ſeu ſtrobilos concreta reperitur.

E. Reſina liquida colo prius defæcata ut ſordes ſecernantur in duplo aquæ decocta, quouſque omni lentore conſumpto odorem amittat & friabilis reddatur, támque arida ut tundi, teri, cribraíque poſſit, fit candidiſſima ac fere nivea etiamſi antea oleoſa aut mellei coloris fuerit. *J. B: Dioſcor.*

Spiſſatur etiam reſina cocta ſine aqua in cortinis æneis ſubjecto primùm lento igne, deinde ubi oire cœpit, carbonibus liberaliùs aggeſtis, & aucto igne, ut quicquid ſeroſi eſt exhalet: quod re- uirit trium dierum & noctium continuam cocturam. *Idem.*

Haud abſimilis eſt coquendi modus Chymiſtis uſitatus, oleum è Terebinthina elicientibus. Phia- m ingentem luto oblitam, & reſinâ ad dimidium uſque repletam furno imponunt, & vas recipiens daptant. Dein eâ cautione qua dictum eſt ignem accendunt. Fluit primùm liquidus ſudor, Re- næ aquam vocant, Piſſelæo veterum reſpondens, qui tanquam inutilis abjicitur, tametſi ad ea va- at ad quæ Piſſelæum commendatur. Sequitur oleoſus liquor, qui cùm totus exſtillaverit arida &

friabilis in Phialæ fundo reſina ſupereſt, Colophoniam hodie nominant, magni, ut & olim, in medicina uſus. *Idem.*

Cæterum Colophonia variæ ſignificationis eſt: vel enim Reſinam crudam ex Picea Pinóve ſiccam, denotabat, Chiæ Maſtiche perſimilem, è Colophonia advehi ſolitam, vel reſinam liquidam ex iiſdem arboribus ab eodem loco miſſam. J. B. è Galeno. Pix Burgon. ſeu Burgundiaca videtur eſſe reſina Piceæ ſecundùm Parkinſonum.

Reſina omnis confert præcipuè tuſſi aliiſque pulmonum affectibus (cum melle) urinæ ac alvo ciendæ. Calculum pellit, Arthriticos affectus juvat, gonorrhœam ſiſtit.

Extrinſecùs Chirurgis uſitatiſſima eſt in Emplaſtris, movet enim pus, maturat, & ſcabiei medetur.

Sunt qui Terebinthinam vulgarem (eſt autem ea Laricis reſina) in Cereviſia infundunt, atque ſimul deſervere ſinunt pro potu ordinario in præſervatione calculi, viſcerúmque obſtructionibus. *Schrod.*

Reſina Abietina calefacit & humectat, conſumit & ſeparat, articulos roborat, tumores duros diſſolvit, dolores podagricos & iſchiadicos ſedat, emplaſtris juncta pus promovet: mundificat & incarnat renes, eoſque à calculo purgat: ſpecificum eſt in vulneribus capitis: Inprimis emplaſtri modo clavis pedum aut manuum applicata dolores lenit, & partim ejuſmodi tumores eradicat. Wagnerus, p. 297, 298. *D. Hulſe.*

De Pice.

Pix non tantùm ex Abietis, ſed ex Pinûs, & aliarum etiam arborum reſiniferarum lignis aſſulatim cæſis & in ſtruem compoſitis, eo quem * ſupra explicuimus modo, rudi quadam per deſcenſum deſtillatione, vi ignis excoquitur.

** Cap. De Abiete.*

Nonnulli ad uſus ſubitaneos è Pice liquida, ſiccam faciunt hoc modo; Liquidam in cacabum ferreum infuſam ſuppoſito igne fervefaciunt eouſque ut flammæ concipiendæ apta ſit, deinde accenſam tandiu deflagrare ſinunt, donec abſumpto humore ſicca evadat, cujus cùm in parva quantitate experimentum fecerunt, impoſito operculo flammam extinguunt.

J. Bauhinus Picis aridæ duo genera facit. Vel enim, 1. Liquida eouſque tantùm coquitur dum ad viſci craſſitudinem coacta ſit; atque hæc Βοσκὰς nominatur, fortaſſis quòd in pellibus [τῶν Κωρυκίδων] pecudum conderetur ac venderetur: aut quòd pecudum ſcabiem ſanaret, aut quòd illitu greges privatim ſignaret. Officinis *pix navalis*, quòd hac naves picantur: Hæc ipſa cùm pulveriſata injicitur aquæ ferventi, & trahitur, ſive (ut loquuntur) malaxatur manibus ſevo inunctis fit ſutorum illa quâ fila cannabina inungunt. Vel 2. igne tam valido & tamdiu continuato coquitur, ut abſumpto prorſus humore (per quem aliàs tenax eſt) fragilis ac raſilis fiat: Hæc Græcis ξηρὰ πίσσα, Latinis Pix ſicca & arida, aut raſilis, dicitur.

Πισσέλαιον Dioſcoridi fit è Pice ſeparato quod in ea aquoſum eſt, quódque eidem velut ſerum lacti ſupernatat. Excipitur porrò interea dum Pix coquitur expanſis ſupra eam mundis velleribus, quæ poſtquam halitu ex ea ſublato permaduerint in vas aliquod exprimuntur, iteratúrque *illud tantiſper* dum Pix coquitur. Unde patet Piſſelæum nihil aliud eſſe quàm ſerum picis ſeu *aquam picis* deſtillatam. Hoc Galenus Piſſanthos florem Picis vocat, Piſſelæum autem picem liquidam cum oleo permixtam. Ad eadem facit ad quæ Pix liquida.

Zopiſſa eſt *Pix navalis*, ex cera & reſina conflata, deraſa ſcil. ex navibus, quæ diu in mari verſatæ eſſent, ac (ut vult Plinius) velut vitam illuc peregiſſent: Eáque per intenſionem *Zopiſſa*, quaſi efficacior dicta, & quòd abjecto ſalis marini callo ſtimulata ſit, Ἀπόχυμα appellata fuit. Multum digerentis habet facultatis. Doſ. in unguentis & emplaſtris ab ℥ß ad ℥j. & plures.

Picis uſum apud Veteres duplicem fuiſſe Rei ruſticæ ſcriptores tradunt: Unum ad dolia & ſerias cæteráq; vaſa ante quadrageſimum vindemiæ diem picanda: cujus uſus erat ad duratricem firmitatem vino præſtandam (inquit Plinius) nè corrumpatur, & ſicubi rimoſum vas ſit nè transfluat. Verùm cùm hic mos dudum apud nos exolevit in vaſis ſaltem majoribus; qui modum ſcire deſiderat quo vaſa picabant, hunc ad eoſdem RR. ſcriptores remitto.

Picis alter uſus erat ad condituras, ut vina infirma durare poſſent. Picis autem odor ſapórque Romanis olim fuit gratiſſimus in vinis, quæ ob id Picata appellabant. De modo condiendi vina cum pice opportunior erit dicendi locus cùm de vinis agemus. At neq; ad vina condienda nunc dierum ullus, quod ſciam, Picis uſus eſt, unde nec de condituræ modis opus eſt ut admodum ſolliciti ſimus.

Pice illita olim pilos avellere ſolebant è corporis partibus quas natura iis veſtitas eſſe voluit, quod πιττοῦν & καταπιττοῦν Græci dicunt; qui mollium & effœminatorum mos erat.

Quin & pice corpora hominum torquebantur: unde καταπιττοῦν inter alia cruciatu & ſupplicio afficere ſignificat.

Facit Pix liquida, tradente Dioſcor. ad lethalia medicamenta [venena *Lugd.*] phthiſicos, puru lenta exſcreantes, tuſſes, anhelationes, & humores intra pectus contentos ægrè exſcreabiles, ſi cya thi menſura cum melle delingatur. Peruncta valet ad tonſillarum & uvæ inflammationes, & an ginas, itémq; ad aures purulentas cum roſaceo [Galeno concoquit duros & crudos tumores om cataplaſmatis indita] necnon & ad ſerpentium morſus cum trito ſale adhibita: pari verò ce admiſta ſcabros ungues detrahit [& impetigines *Gal.*] vulvæ tubercula * ſediſque duritias diſcu Cum farina hordeacea urináque pueri decocta ſtrumas circumquaq; rumpit. Cum ſulphure, Pin cortice, aut furfuribus illita quæ ſerpunt ulcera cohibet. Mannæ Thuris ac cerato permixta ſinu ſa ulcera agglutinat. Pedum ſediſve rhagadibus commodè illinitur, ulcera replet & cum mel purgat. Quin & cum uva paſſa ac melle carbunculos putreſcentiáq; ulcera emarginat. Septicis qu ſeu erodentibus emplaſtris utiliter admiſcetur.

** Alii penis legunt.*

Calefactoriam vim habet Pix arida, mollit, pus movet, tubercula panóſq; diſcutit, ulcera replet, ac utiliter vulnerariis medicamentis admiſcetur.

Pix liquida jumentorum & pecudum ulcera ſcabiémq; illita ſanat. Noſtrates certe ovium & jumentorum ulceribus & vulneribus Picem liquidam illinere ſolent; verùm ad ea potiſſimum contra muſcarum injurias tuenda quæ locis crudis & ulceribus, ubicunq; cutis deteritur & caro denudatur perpetuò inſidentes admodum moleſtæ eſſe ſolent, ovíſque ibi depoſitis vermiculorum catervam ingenerare.

Norwegici Picem liquidam Abiegnam cum cereviſia mixtam in febribus malignis magno ſucceſſu bibunt: Iis etiam Pix arida podagræ præſentaneum habetur remedium. Th. Bartholin. Act. Med. An. 1671. Obſ. 131.

Pulverem inſuper & muſcum Abietis vulneribus periculoſis inſpergunt. In affectibus Scorbuticis medicamenta è Pice præparata valdè celebrantur à Claudero de Balſamandis corporibus p. 88. Habui à D. *T. R.*

Oleum Templinum dictum fit ex conis viridibus Piceaſtri per deſcenſum igne leni deſtillat. Oleum hoc cum olei Roſacei partibus duabus mixtum ſolamen eſt in omnibus vulneribus, præcipuè capitis cum fractura oſſis: impetiginem quinetiam ſanat, verrucas conſumit. Wagnerus Hiſt. Nat. Helvet. p. 298. Tranſmiſit D. Hulſe.

Verùm præcipuus picis uſus, in quem ingens ejus copia quotannis abſumitur, eſt ad naves picandas earumque rimas & commiſſuras omnes obturandas & communiendas nequa ſe inſinuare poſſit aqua marina.

Cæterùm Reſina liquida quadruplex. Terebinthinæ nomine dicta Officinis noſtris in uſus eſt.

1. Primò, *Terebinthina Cypria, Cyprus Turpentine,* quæ genuina Terebinthi arboris lachryma ſeu Reſina eſt, quam in capite de Terebintho deſcripſimus. *Terebinthina è Chio ex eadem arbore.*

2. Secundò, *Terebinthina Veneta,* **Venice Turpentine,** quæ Laricis arboris ad medullam terebratæ latex eſt.

3. Tertiò, *Terebinthina Argentoratenſis,* **Straſburgh Turpentine,** quæ ex tuberculis Abietum novellarum colligitur. Vide cap. de Abiete fœmina. Hæc à multis Terebinthinæ Venetæ præfertur nec immerito, certè triplo pluris venit. In quibus à Veneta ſeu Larigna differt Caſp. Hofmannus nos docet. 1. *Abiegna* longè pellucidior eſt Larignâ; Ideò quidam (ait Matthiolus) Larignam colatam & ad ultimam claritatem perductam vendunt pro Abiegna. 2. *Abiegna* non tam lenta eſt & contumax, ſed ſubitò abrumpitur ſi digito immiſſo attollatur. 3. *Abiegna* eſt odoratior non Larignâ tantùm ſed ipſa etiam verâ Terebinthinâ. Eſt autem odor Thuris. 4. *Abiegna* eſt amarior, & quodammodo refert ſaporem corticis Mali Citrii. 5. Poſt annum incipit flaveſcere.

4. Quartò, *Terebinthina communis* ſeu vulgaris, **Common Turpentine.** Hæc minus liquida & craſſior eſt reliquis, nec pellucida, albicans, conſiſtentia fere Olei frigore nonnihil denſati; Hanc Pinus montanæ ſeu ſylveſtris *C. B.* liquorem eſſe exiſtimo; ſiquidem à Maſſilia ad nos defertur; ipſe autem obſervavi non procul ab ea urbe montes hoc genus arborum ſylvis veſtitos, earumq; plurimas deciſo non longe à radice cortice vulneratas ut reſinam funderent, eiq; excipiendæ fictilia truncis appenſa aut ſubjecta.

Thus vulgare Officin. noſtrarum, **Common Frankincenſe, or Parroſin** Pineam reſinam eſſe affirmat Parkinſonus in terram defluentem & brevi indureſcentem; cui & nos facile aſſentimur, quia ab eodem loco ad nos adfertur, nec aliæ ſint in vicinia arbores reſiniferæ.

Picem Burgundicam noſtratibus dictam, **Burgundy, or Burgony Pitch,** idem Parkinſonus Piceæ arboris Reſinam eſſe exiſtimat, cùm primò effluit liquidam, tempore indureſcentem, ut tandem friabilis reddatur; quod an verum ſit neſcio, necdum enim certi quicquam de ea comperi.

Suſpicatur *D. Tancredus Robinſon,* Thus vulgare Officinarum non ſolum è Pinu, ſed è Piceâ, alíiſque arboribus reſiniferis effluere in terram, & ſaxa, ibiq; in micas indureſcere parte magis oleosâ evaporata; unde candida illa gemma cum reſinis ſæpenumerò mixta, & à Plinio annotata inter Mercatorum fraudes. Olibanum pretioſius, & rarius, hoc igitur ſit Arabicum, Thus vulgare Euro- æum. Atramentum illud fuliginoſum noſtratibus **Lamp-black** dictum, nil aliud eſt quam fuligo eſinæ vel picis concrematæ; propter quod Officinas ædificant fumum eum non emittentes, olim d atramentum ſcriptorium in uſu erat, & ad colorandum. Adulteratur fornacum, balinearumq; uligine. Vid. Plin. lib. 35. cap. 6.

CAP. III.

De Cedro conifera.

CEdrus, κέδρος παρὰ τὸ κάρτερον, καρτερώδης γάρ ἐστι, ἢ παρὰ τὸ καίεσθαι ῥαδίως, quòd facilè accendatur uratúrque. Prius Etymon minori Cedro magis convenit, poſterius majori: hæc enim facilè ardet ob reſinam Cedriam dictam.

Cedri nomine duæ diverſorum generum arbores donantur: altera *baccifera* eſt folio ſpinoſo ſeu ngente Oxycedrus inde dicta, quæ revera nihil aliud eſt quàm Juniperi ſpecies major: Notanm autem, Lignum quod ad nos ex America defertur *Cedrini* appellatione, Juniperi cujuſdam ibi centis caudice craſſo & procero lignum eſſe: altera *conifera,* de qua hoc in loco.

Differt autem Cedrus à Larice (cui aliàs ſimillima eſt) trunco majore, foliis perpetuis, conis plus quintuplo majoribus.

Arborem hanc eſſe Cedrum Libani, in Sacris literis tantopere celebratum, cujus uſus erat ad templum Salomonis ædificandum, minimè dubium eſt.

Cedrus conifera foliis Laricis C. B. *magna, ſive Libani conifera* J. B. *magna conifera Libani* Park.

The Cedar of Libanus.

Arbor eſt perpetuò virens, robuſtis ramis brachiata, orgyias aliquot craſſa, ad ſummam Abietum noſtratium proceritatem aſſurgens; quanto autem majores accreverint rami, quorum pondere gravatus caudex ſe inclinat, tantùm de arboris rectitudine decedit. Rami (ut & coni, magni, rotundi) ſurſum ſpectant, longi, tam pulchro ordine diſpoſiti, ac ſi artificis manus reſectos æquatóſq; appoſuiſſet: ſic ut eminùs etiam circinatus æqualiter diſpoſitorum orbis egregiè appareat: ex quo etiam antequam cominus contempleris, facilè inter hanc aliáſque reſiniferas arbores diſcrimen notes licet: cæteroqui magna huic cum Larice ſimilitudo, potiſſimum in foliolis, quæ parva, anguſta, conferta, in exerto fulcello fuſco clavis muſci terreſtris longitudine & craſſitie ſimili, quæ (ut ait Bellonius) ab uno ſurculo exorſa, 40 vel 50 ſimul, ſerie quadam in ordinem diſpoſita, ſurculum radiantia pictoris penicillum referre videntur, odorata, ſubacida & cum levi amaritudine adſtringentia. Sola inter arbores, dempta Abiete, conos in cœlum tendentes mittit; hos ſic deſcribit J. Bauhinus. Quatuor pollicibus altiores, octonos in ambitu circa baſin colligunt (quos nimirum ille habuit) paulatim in obtuſum turbinem faſtigiati, ſquamis compacti ſeſcunciam circiter latis, unciam altis, mediocriter craſſis, rufis, per extrema extantia planis, alia alius ſinum ità ſubeunte, ut quot ſint earum circumcirca agmina, totidem zonis præcincti videantur: inferior autem uniuſcujuſq; ex his ſquamis pars lambdoides mucrone ſuo haſtæ adnaſcitur, jugo elato medium percurrente, in valles laterales declivi, totidem conſimilibus ex adverſo valleculis reſpondentibus, quæ totidem recipiunt nuculas, pomaceis aut pyraceis granis duplo triplóve majores, formâ non abſimili, rutilante quadam reſina, dura ſed fragili, vehementer odoratâ, evidenter acri farctas; quarum unicuiq; uncialis, triquetra, tenuíſque membrana affigitur, papilionis alam egregiè referens, ità quidem ut duæ membranæ uni ſquamæ majori averſo incubitu reſpondeant. Cæterùm pediculus coni validus exiſtit, uncialis & ſextantalis longitudinis, craſſitudine ferè extremi articuli minimi digiti, obliquus aut incurvus, cortice rugoſo, & ſquamulis exiguis (ut in Pinaſtro) ſubinde loricatus, tam firmiter ramo adhærens, ut divelli non poſſit niſi avulſa arboris parte. Coni porro hiantes ſe pandunt, ac paulatim diffiſſi roribus ac pluviis decidunt, relicto in ramo pediculo ſeu ſtylo medio, cui ſquamæ adnaſcuntur, firmo & tereti, quod & in Abiete fœmina obſervavimus. Pediculus autem ſquamas non priùs exuit quàm duos annos exceſſerit.

Ramus quem habuit J. Bauhinus pollice craſſior, cortice erat craſſo, rugoſo, foris fuſco, intus ruffo, materie dura, alba, in ramulos ſatis crebros diviſa.

Lignum colore erat undequaq; ruffo, (qualem in Pyri ligno ſubinde conſpicimus) pectinibus rectis fiſſile, ſolidum ſatis, media tamen inter fibras ſpatia inania, ut lignum Quernum, oſtendens, nullam cariem, nullam teredinem ſentiens.

Theophraſtus eam Cedri trunco craſſitudinem attribuit, ut eam ulnæ hominum quatuor vel etiam plures nequeant amplecti. Melchior *Luſſy* apud J. Bauhinum Cedros montis Libani tam craſſas fuiſſe ait, ut ſex vel ſeptem homines vix poſſent amplecti truncos.

Dodonæus corticem inferioris partis trunci, quæ à terra ad primos porrigitur ramos, aſperiorem eſſe ſcribit; reliquum vero lævem ac glabrum, inter ramos conſpicuum.

Duas profert reſinas, quemadmodum & Abies, alteram in tuberculis albam, nihil prorſus amarulentam, nec gravis odoris: alteram ſua ſponte exſudantem, quæ cùm retorrida ſit, naribus admota, fraga redolet, odoratáque guſtatu percipitur, ſed ità pertinaciter dentibus inhæret, ut nonniſi cum difficultate auferatur.

Locus. In monte Libani, ubi ſponte oritur tantùm 24 ſupputavit Rauwolfius; nec plures *Melchior Luſſy* prædictus: Bellonius circiter 28: qui & in Amano & Tauro montibus ſe Cedros vidiſſe refert.

An Cedrus Libani Recentioribus dicta Veteribus cognita fuerit non levis eſt controverſia. Hinc enim, Theophraſto, Plinio, Galeno, Dioſcoride auctoribus, Cedrus etiam major, baccas, Cedridas dictas, fert, non Conos; proinde Cedrus montis Libani eſſe non poteſt, quæ conifera eſt. Ex altera autem parte, magnitudo inſignis quam Plinius & Theophraſtus Cedro majori attribuunt Oxycedro, (quæ reverà nihil aliud eſt quàm Juniperi ſpecies) nullo modo convenit: uti nec nomen Cedrelates, quod quidam, autore Plinio, Cedro majori attribuunt. At neque, ſi Bellonio credimus, Cedrus minor in Syria reperitur, ubi Theophraſtus miræ magnitudinis Cedros naſci ſcribit.

Cedros autem Libani Larices non eſſe, ut Guilandinus & alii voluere, inde conſtat, quòd Larici folia decidant, Cedrus magna perpetuò vireat: Rami Laricis deorſum dependeant, Cedri magnæ ſurſum ſpectent; tandem quòd Larix in Syria non reperiatur.

Magnam tamen ſimilitudinem cum Larice obtinere Cedrum non eſt diffitendum, ut meritò congeneres cenſeantur arbores.

Cedriam antiquorum Cedri lachrymam ſeu reſinam eſſe, non Picem, ut nonnulli volunt probat * Bodæus à Stapel. quem conſule.

Bellonius lib. de *arb. conif.* non Cedrum tantùm Cedriam fundere, ſed etiam Pinum, Piceam, Laricem, Juniperum, Cupreſſum, quarum omnium reſinas defunctorum corpora ſervare ſcribit: quem hac de cauſa Matthiolus non immeritò reprehendit.

Vires. Cedriæ autem hæ facultates à Veteribus tribuuntur, Defuncta corpora incorrupta ævis ſervat, viventia corrumpit, mirâ differentiâ, cùm vitam auferat ſpirantibus defunctis pro vita eſt. Veſt quoq; & pelles corrumpit, & animalia necat. Galenus 7. *Simpl.* ſepticam eſſe tradit, ob calidita tem cum ſubſtantiæ tenuitate conjunctam. Commoda eſt ad ocularia medicamenta, ut quæ illi

viſu

** Comment. in Theoph. hiſt. l. 9. c. 1. p. 973.*

viſum acuat, & albugines ac cicatrices deleat; cum aceto verò inſtillata vermes aurium necat, & cum Hyſſopi decocto infuſa ſonitus ac ſibila ſedat. At Plinius, timuerim (inquit) vel gravitati aut vermibus aurium inſtillare [ob ſepticam vim ſuperiùs tactam.] In cava dentium indita dentem frangit, & dolorem ſedat: idem facit etiam ſi cum aceto colluatur. Plinius dentes quoq; eo colluere timuerit. In anginis illinitur, & tonſillarum inflammationibus opitulatur. Hoc etiam, nec præter rationem, improbat Plinius. Phthiriaſes eo inungere non dubitârit idem, & contra porrigines. Ceraſte ſerpentis morſibus, cum ſale impoſita auxiliatur, & contra marini Leporis venenum bibitur in paſſo. Prodeſt & Elephantiaſi laborantibus ſi oblinatur. Purgat quoq; ulcera in Pulmone eáque ſanat, ſi cyathi menſura ſorbeatur. Mirum hoc non reprehendere Plinium. Vermes & Aſcaridas perdit per clyſterem infuſum. Ulcera ſordida & excreſcentias in eis autores quidam inungunt eo. Fit & oleum ex eo, quod Piſſelæum vocant, vehementioris ad eadem omnia uſus. Privatim verò Quadrupedum, & canum ac boum ſcabiem curat, Ricinos etiam in iis perdit, & ulcerationes quæ ex tonſura ipſorum oboriuntur ad cicatricem perducit.

Ex Cedro oleum naſci ſcribit Vitruvius quo libri aliæve res perunctæ à tineis & carie non læduntur. Ad quod pertinere videtur illud Perſii, Satyrâ primâ

———— *Et cedro digna locutus.*

Item illud Ovidii Triſt. 1.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Ego potiùs colorem aliquem cedri oleo temperatum poetam intelligere puto ob verbum *notari* additum: nec oleo ſimplici, quod propemodum decolor eſt, aliquid notari recte dicitur.

CAP. IV.

De Larice.

LAricis nomen à Germanico antiquo *Larch* vel *Larich* dictum eſſe veriſimile eſt. Apud Cæ-
ſarem voces Germanicæ in *ich* terminatæ, obſervante C. Hofmanno, mutantur in *ix*. La-
ricem autem Theophraſto & veteribus Græcis incognitam fuiſſe cum Bellonio putamus, qui
t univerſis locis Græciæ per quæ tranſiit Laricem non apparere. Larix à reliquis coniferis & reſinife-
s arboribus abundè diſtinguitur quòd folio ſit deciduo. Verùm de tempore quo folia decidunt non
onſentiunt Botanici. Matthiolus folia non decidere hyeme, ſed novo vere cùm recentia propellunt
tera affirmat. Matthiolo ſuffragatur auctor ἀξιοπιστότατος J. Bauhinus, qui non Autumno ſed Vere
lia decidua ſe obſervâſſe ſcribit. Alii è contra folia Autumno decidere & arborem hyeme nudam
e aſſerunt; præ reliquis C. Hofmannus. Quid autem? inquit, niſi omnes qui hortum medicum fre-
entavimus cæci ſumus ſingulis Autumnis folia decidunt. Ego J. Bauhino ut curioſo & veraci po-
is aſſentior. Obſervent & litem hanc determinent quibus arborum harum copia eſt, & inſpiciendi
imus.

Larix Ger. C. B. Park. *folio deciduo conifera* J. B. **The Larch-tree.**

J. B.

Caudice recto ac procero Abieti æqualis eſt: *cortice* craſſo, ſcabro, fuſcóque [J. Bodæo cortex
eriore parte quæ ramis ſubeſt craſſus, aſper, undiq; in rimas dehiſcit, præciſus interiùs rubere con-
citur, reliqua parte lævis, glaber, nonnihil foris inalbicans.] Rami circa ſtipitem velut per gra-
s collocantur, longi, graciles, deorſum dependentes. *Folia* leniter odorata, ramos confuſo ordine
bientia, è tuberculis umbilicatis duodecim, viginti, aut triginta ſimul penicilli in morem conjuncta
deunt, tenera, perangusta, craſſitudine porcinas ſetas æquantia, uncialia & longiora, viridantia,
apelio breviora, tenuiora, molliora quàm Pini, haud aculeata ſed retuſa, adventante hyeme pal-
effecta, (quod & nos obſervavimus) ad ſtipitis radicem decidunt] non ante Hyeme deciden-
quàm aliæ initio veris ſuccedant. Non igitur univerſa ſimul, ſed ſingula paulatim recedunt,
s interim ſucceſſu ab iiſdem tuberculis prodeuntibus dilapſorum vicem occupantibus, ità ut non
uxiſſe folia, ſed novæ juventutis habitum induiſſe videantur. [At Stapelius aliíque nudam hye-
m tranſigere Laricem affirmant.] *Floſculi* ſeu potiùs conorum rudimenta Stapelio rotunda, è tener-
orum ramulorum ſummitatibus erumpunt, arborémq; mirum in modum condecorant, quòd in
uram ardenter rubeſcentia, comantibúſque foliolis miro naturæ artificio annexa, viatorum ocu-
non parùm recreant, ſúntque odoratiſſima. *Coni* pertinaciter ramis hærent brevi, contorto, craſ-
ulo pediculo, nutabundi, nucis Cupreſſini magnitudine, ſed paulò longiores, ſquamulis compacti
ſculis compreſſis, obtuſis, tenuibus [ex rubro, ut inquit Cluſius, purpuraſcentes, nimirum dum
lli ſunt, & nondum maturuerunt] qui dum novelli & recentes ſunt ex iiſdem tuberculis è quibus
prodeunt, petiolo ſurſum reflexo nitentes, ut mucrone cœlum ſpectent: illóſque intercedunt
mulæ foliaceæ, tenellæ in ſtylum acutiorem deſinentes quæ ſingulæ continent ſemina parva,
gemina, magnitudine ſeminis Cupreſſi, foris cinericeo cortice, intus autem candido nucleo
tantes, ſapore dulci & Pineam nucem referente. Materies firma ſatis & ſolida, in rectum fiſ-
fulva, criſpantibus ſaturatioris coloris callis, pectinibus rectis, odorata, flammeſcens, odorem
jucundum naribus aſpirans.

Alpibus Rhæticis & Valleſiacis abundè provenit. Nos in Alpibus Stiriacis & Corinthiacis co- *Locus.*
m obſervavimus, cùm Vienna Venetias iter faceremus. In Viennenſi ſaltu, tum aliis monti-

bus Alpibus vicinis, exceptis ſummis jugis, abundare Laricem ſcribit Cluſius. Plinius, Vitruvium, ut videtur ſecutus, Laricem nec ardere, nec carbonem facere, nec alio modo ignis vi conſumi quàm lapides ſcribit. Hoc tamen falſum eſſe experientiâ conſtat, nam apud Valleſianos quibuſdam in locis, non alia ligna in uſum foci adhibentur, ac alicubi etiam in Alpibus ad ferrarias fodinas carbones ex ea fiunt.

Nec verius eſt, quod hanc perpetuò virere dicit, cùm Botanicorum omnium conſenſu folio ſit deciduo: poteſt tamen hac in parte defendi Plinius; cùm Larix (teſte J. Bauhino,) non antè folia amittat, quàm Vere nova producat.

Erravit inſuper Plinius Laricem nullo flore exhilarari, nec natales pomorum recurſus annuos verſicolore nuncio promittere affirmans, cùm, obſervante Cæſalpino, flores ineunte Vere emergant in cacuminibus, in purpura valdè rubentes, odoratíque: Quòd ſi hi nihil aliud ſunt quàm conorum rudimenta, non immeritò Plinius arborem floriferam eſſe negavit. Ego autem in hoc genere non minùs quàm in aliis coniferis dari flores à fructibus non tantùm diſtinctos, ſed etiam disjunctos ſuſpicor.

At verò quomodo Plinium Laricis morbum eſſe ut Tæda fiat ſcribentem excuſem non video: in hanc autem errorem incidit quòd πίτυν Theophraſti, i. e. Pinum, pro Larice habuerit, & cuncta Larici tribuerit quæ de Pinu Theophraſtus ſcripſit, cujus proprius morbus eſt ut Tæda fiat.

Uſus. Larix (auctore Plinio) quàm Picea materiâ præſtantior longè, incorrupta vis, emori contumax. Fiunt ex ea (referente Cluſio) vinetorum pedamenta, & pali circa Neapolin & ſupra Badenſes [Auſtriæ] thermas, ut quæ corruptioni minùs ſit obnoxia: item longiſſimi canales, tectis ſupponendi & aptandi ad pluviam & imbres ex iis decidentes excipiendam: ſunt enim ad hos uſus commodiſſimi; nam cùm firmâ & ſolidâ materiâ conſtent, diutiſſimè Solis ardoribus, & aliis aeris injuriis reſiſtere poſſunt, nec finduntur aut vitium contrahunt, eâque de cauſa non Picis aut alterius inductione egent. Structurarum pondera firmiſſimè & diutiſſimè ſuſtinet, idque Baptiſta Albertus adnotâſſe ſcribit, cùm alibi tum apud Venetias ex vetuſtis operibus.

Vires Folia ejus & cortices adſtrictoriam facultatem obtinent: lignum magni fieri adversùs elephantiaſin ſcribit Stumpfius, Simlerus contra lepram.

Colligitur ex hac arbore reſina liquida, candicanti melli, veluti Attico aut Hiſpanico, colore & conſiſtentiâ ſimilis, quæ tamen non ſponte effluit, ſed ex arboris trunco emanat craſſo oblongóque terebro ad cor uſq; excavato; manantem inde Reſinam vaſculis quibuſdam è Piceo cortice paratis excipiunt. Reſina hæc *Larix* dicitur, in officinis *Terebinthina* appellatur, ejúſque loco divenditur. Quod novum non eſt. Nam & ſua ætate Galenus rhopopolas Laricem Terebinthinæ loco vendidiſſe refert. Vide Bod. à Stapel comment. in Theophraſt. hiſt. lib. 3. cap. 10. ubi è Galeno oſtendit eos citra errorem hanc illi ſubſtituere.

Parkinſonus & C. Hofmannus Reſinam Lariceam eſſe quam Officinæ noſtræ Terebinthinam Venetam vocant affirmant; & C. Bauhinus hanc non tantùm pro Terebinthina in uſum receptam eſſe, verùm etiam ſolo Terebinthinæ cognomento cognitam ait: nec deſunt (inquit) qui in totum Laricis reſinam eſſe volunt quam pro Terebinthina Officinæ habent.

Ea (inquit Jacob. * Wagnerus) odore, guſtu ac facultate eſt præſtantiſſima. Externus ejus uſus in ſcabie, pſora, tinea, internus ad ardorem mitigandum in ulcere veſicæ, nephritide, purulenta mictione ad renes detergendos. Dilutum quoq; ex Lariceæ ʒj. cum vitello ovi & aq. Cardui benedicti egregiè purgat, inebriat pota, quod Rhætis lignatoribus familiare.

** Hiſtor. Natural. Helvetiæ, p. 296, 297.*

Pro uſu Terebinthinæ vide reſin. Pini & Abietis: & cap. de Pinu Sativâ & de Terebintho.

CAP. V.

De Cupreſſo.

CUpreſſus Græcis Κυπάρισσος ἀπὸ τοῦ κύειν παρίσους τοὺς ἀκρέμονας à partu parilium ramorum dicitur, habet Auctor Γεωπονικῶν l. 11. c. 5.

Cupreſſi autem notæ ſunt, præter communes huic generi fructus è clavatis lignoſis tuberibus per harmoniam in formam globoſam coaptatis compoſiti: foliola brevia acuta in ſquamas degenerantia.

1. *Cupreſſus* J. B. C. B. Park. *ſativa & ſylveſtris* Ger. **The Cypreſs Tree.**

J. B.

Procero, recto, craſſóque caudice ſurgit; cortice ferè ſpadiceo, materie firma, ſolida, odorata ſupra medium in ramos abit, metam concurſu ſuo effigiantes, unde Ovid. 10. Metamorph. *meta imitata Cupreſſus.* Folia Cedri retuſæ aut Sabinæ imbricatim connexa perpetuò virentia [inſunt men (ut rectè Cæſalpinus) in nuper naſcentibus foliola brevia, acuta, quæ in adultis degenerant brevilſſimas velut ſquamas totos ſurculos conveſtientes.] Galbuli Juglandis nuci pulvinato cortice tectæ æquales, confragoſi, rimas agunt, in clavata tubera dehiſcentes, inter quarum commiſſuras mina continentur ruffa, ſublonga, altera parte rotunda, altera acuminata, ſemiculmo latiora, dulla donata. Sapor acerbus, qui potiſſimum in pomo elucet. Lignum pallidum aut rubeſcens, cariem ſentit, nec teredinem, firmum, durum, undulis nonnihil criſpatum, micis ſaturatioribus longis tranſverſiſque, nunc parvis punctorum inſtar variantibus. Illi odor ſuavis, ſapor verò vix lus excellens, præterquam in cortice, qui evidenter linguæ offert aſtrictionem cum amarore, haud ingrato in veteri quod exceſſit triginta annos.

Cupre

Cupreſſus in Creta inſula ſponte provenire dicitur, ubi, Plinio teſte, quocunq; loco terram moverit quiſpiam, niſi ſeratur alia hæc gignitur protinuſq; emicat: maximeque [non aperto ſolo & ſponte] in Idæis montibus & quos Albos vocant, ſummíſque jugis, unde nives nunquam abſunt plurima, quod miremur, alibi nonniſi in tepore proveniens, & nutricem magnopere faſtidiens. Nunc dierum, tradente Bellonio Cupreſſorum ſylvas nequaquam comperies, ſed ſparſim hic unam, ibi aliam in abruptiſſimis locis, aquas enim odit. *Locus.*

Theophraſtus, Plinius & Recentiorum nonnulli Cupreſſum fervida loca amare, nec niſi in tepore provenire aiunt. Alii, ut *D. Evelynus,* experientiâ ſuâ Cupreſſum frigus non extimeſcere, nec à gelu etiam intenſiſſimo lædi aut corrumpi affirmant, modò abſint venti Orientales, at nec illis ingruentibus facile peruri aut perdi niſi Autumno detonſam, unde, & Plinio ipſo fatente, in nivoſis Idæ verticibus durat, *brumâque illæſa perennat.* Verùm contrarium nos docuit ſæviſſima illa & aſperrima Hyems Anni 1683. in qua gelu poſt hominum memoriam vehementiſſimum & diuturnum pleraſque Cupreſſos per totam Angliam creſcentes perdidit & vaſtavit: nonnullæ tamen ferociſſimis ejus inſultibus animosè reſiſtentes evaſerunt. Quid ergo dicemus? Cupreſſum frigori moderato reſiſtere, acerrimo cedere! an cum Bodæo à Stapel Cupreſſum frigida quidem naturâ ſuâ odiſſe, quódque alicubi in ſummis montium jugis reperiatur, ſoli cœlíque proprietati tribuendum eſſe? Ego ſic cenſeo Cupreſſum montes & loca frigida amare, ſed regionum calidiorum, proinde in frigidioribus ſponte non provenire. At verò cùm Brumæ patiens ſit, in frigidis regionibus, ut Anglia noſtra, culturam facilè admittit, & frigoribus ſpretis in proceram arborem adoleſcit.

D. autem *Evelynus* Hortulanorum noſtrorum vulgarem illam praxin improbat, quâ Cupreſſorum ramos vinculis & faſciis circumligant, ut in metæ formam coerceantur; quomodo, inquit, aerem nè liberè ad caudicem accedat, eúmque circumfluat prohibentes, ventilationis defectu plures arbores interimunt quàm hyemum noſtrarum rigores; cùm propoſiti ſui faciliùs & feliciùs ſine noxa aut detrimento arborum compotes fieri poſſent caudices decacuminando, & ramos in circuitu in eam formam detondendo.

Atque hac occaſione adnotabimus ex Plinio, Cupreſſum in quam velis formam duci & detonderi poſſe, trahi etiam in picturas opere hiſtoriali, venatus claſſéſque & imagines rerum tenui folio breviq; & virenti ſuperveſtientem, fieriq; ex ea ſepes tonſiles pulcherrimas ad hortorum & viridariorum ambulacra limitanda, diſtinguenda & exornanda.

Theophraſtum abuti ſenſibus noſtris rectè ſcribit Scaliger cùm Cupreſſi ſemina prætenuia, exilia & furfuracea eſſe ſcribit, nec excuſandi Matthiolus & Lacuna qui Veteres temere ſequuti, quàm naturam ipſam conſulendi laborem ſubire maluerunt.

Cupreſſum aquas odiſſe Veteres teſtantur; Aſtipulatur Matthiolus, qui & flumina & lacus & omnes aquoſos tractus averſari ſcribit, quo fit (inquit) ut in ejuſmodi locis ſata ſtatim inareſcat. Emori etiam dicitur ſi copioſè novella adaquetur. *Theophr.* Theophraſti ſententiam (inquit Stapelius) probat experientia; & hortuli noſtri damno didici, Cupreſſum è ſemine natam crebra rigatione perire, modicâ lædi, pluvia etiam terráque humida nimis nocet. At Cato Cupreſſos ſatas irrigare jubet quoties opus erit; conſentit D. Evelynus, verùm Aſpergillo potiùs leviter irrorandas, quàm largè inundanda monet, cúmq; paulùm ſuccreverint aquam parcâ manu affundendam, nam in levi, arenoſo & calente ſolo meliùs proficere experientia conſtat, quicquid nonnulli contradicant.

Cupreſſus Diti ſacra, & ideò funebri ſigno ad domos poſita: cujus moris quæ ratio fuerit videſis apud * Jo. Bodæum.

A Veteribus in marem & fœminam diſtinguitur, quam diſtinctionem & D. *Evelynus* admittit. quæ metâ eſt in faſtigium convoluta fœmina appellatur: quæ ſpargit extra ſe ramos mas dicitur Plinio. Theophraſto mas eſt quæ omnino infœcunda.

Cupreſſi materies ad durandum perpetua, unde ea ex qua valvæ templi Epheſini fiebant, referente Theophraſto, quatuor ætates reſervata duravit: quin & valvæ Templi S. Petri in Roma, ex hoc ligno factæ à temporibus Conſtantini magni Imperatoris ad Eugenium quartum Papam per ſexcentos paulo minùs annos non tantùm incorruptæ ſed nitentes & novis ſimiles permanſerunt. Mortuorum inſuper loculi in Ægypto, in quibus cadavera condita (Mumias vocant) recondi ſolent multi ex hac materia facti obſervantur; quos in cryptis illis arenoſis ſepultos aliquot annorum millia incorruptos jacuiſſe veriſimile eſt. Uſus ejus eſt hodie ad menſas & tabulas & alveolos exornandos, necnon ad Organorum muſicorum tubos, reliquáque inſtrumenta muſica. Sola etiam hæc (autore Theophraſto) nitorem recipit, ideóque ex hac condere operum lautiora conſuevere. Tanti autem fiebat hæc arbor Antiquis Romanis, ut vulgò, referente Plinio, Dotem filiarum plantaria appellarent. Cupreſſi autem materies ex hoc maximè laudatur, quòd neq; vetuſtatem, neq; cariem ſentiat, & bonum ſemper odorem ſpiret.

* Comment, in Theophr. hiſt. l. 2. c. 6.

Quod ad vires, Cupreſſi folia cum paſſo [vino Matth.] & modica Myrrha pota veſicæ fluidæ & rinæ difficultati [involuntariæ mictioni & ſtranguriæ Matth.] auxiliantur. Pilulæ verò contuſæ & um vino potæ ad ſanguinis rejectionem, & dyſenteriam, alvi fluxionem, orthopnœam & tuſſim commodant. Sed & decoctum ipſarum idem facit. Molliunt etiam duritias contuſæ cum Ficu, & polypos arium ſanant. Removent item ſcabros ungues cum aceto coctæ & cum Lupinis tritæ. Comprimunt & inteſtinorum hernias impoſitæ. [Sed & folia eadem faciunt] putantur etiam culices fu-are cum coma ſuffitæ. At folia trita impoſita vulnera glutinant, ſupprimunt & ſanguinem. Cum ceto autem trita capillos tingunt. Imponuntur etiam per ſe & cum polenta ignibus Sacris, Her-eti proſerpenti, Carbunculis, & oculorum inflammationibus. In ceratum verò ammixta ſi impo-antur roborant ſtomachum. *Dioſcor.* *Vires.*

Galenus omnibus Cupreſſi partibus tribuit vim reſiccandi abſq; inſigni acrimonia. Amaritudo tem inſignis calidas eſſe arguit; quæ & lignum à tineis intactum præſtat. Neſcio an verum ſit uod ſcribit Bellonius de Cupreſſo, nimirum hoc peculiare habere in Creta quòd ab incolis ſucciſa x ceſpite tamen regerminet, ut nepotes ſtolonéſque è radicibus cæduæ ſylvæ modo procurentur, ui tandem in maximas arbores excreſcunt: ſiquidem Cupreſſum quocunq; loco creſcentem prope dicem etiam ſucciſam regerminaturam ſuſpicor.

Ad ſcrophulas, ℞ folia Cupreſſi nec duriora, nec teneriora; tortivo vino conſperge donec in corpus coeant, & applica ſuper Scrophulas. *D. Hulſe è Cheſneau.*

Cupreſſum reſinam fundere ſuperiùs annotavimus cap. de Cedro coniferâ.

2. *Cupreſſus Virginiana* Tradeſcanti. *Americana* Park. Tradeſcants **Virginian Cypreſs.**

Hanc arborem ob fructum (ut puto) & in parte etiam odorem, Cupreſſi nomen adeptam, quamvis *foliis* ab ea multùm differat, Parkinſonus ſic deſcribit, Aliquibus in locis Americæ Septentrionalis in proceram & ſpecioſam arborem adoleſcit, caudice ad 50, 60, imo 80 nonnunquam pedum altitudinem nudo ſeu ramis viduo, ima parte tres propemodum orgyias in ambitu colligente, ſumma ramos grandes undiq; protendente, in ſurculos diviſos, foliis multis alæ in modum diſpoſitis obſitos, tenuibus, oblongis, planis, lævibus, ad tactum mollibus, non ut in Cupreſſo quadratis, rugoſis aut plicatilibus: quamvis autem ramulis hinc indè adnaſcantur, non tamen ſemper bina ſibi directè oppoſita, ſed inordinatè. Nuces Cupreſſinis nonnihil ſimiles ſunt, ſed majores, craſſioribus ſquamis magíſque hiantibus compoſitæ, ſemina intus majora claudentes. Lignum nonnihil odoratum.

Habhel fructus Paludani ab hac nuce non multum abludit, ſeu formam ſpectes, ſeu ſquamarum amplitudinem; ob loci tamen natalis diſtantiam eandem non auſim aſſerere.

Me monuit *D. Tancredus Robinſon* ſe vidiſſe in horto *D. Aſhmole* ſpeciem Cupreſſi huic valde ſimilem, vel eandem, ſub nomine Cupreſſi Virginianæ foliis Acaciæ deciduis.

CAP. VI.

Arbor Vitæ Ger. Park. *Vitæ, ſive Paradiſiaca, vulgò dicta, odorata, ad Sabinam accedens* J. B.
Thuya Theophraſti C. B. **The Tree of Life.**

J. B.

QUanquam non inquilina elegans hæc arbor, facilè tamen cœlo ſolóque noſtro aſſueſcit, ſic ut in juſtæ proceritatis arborem excreſcat: *caudice* recto, nodoſo, cortice cinereo aut rubente, materie Abiegnâ, reſinoſâ, ramis perpetuâ comâ virentibus, & alarum modo expanſis, qui in alios ramulos planos, alternatim è latere ſuccreſcentes diviſi, abeunt denuò in multa oblonga *folia*, numeroſis foliolis compreſſis, quaterna medium gibboſum complectentia ex ramulorum extremis aut paulò citra. Vere oriuntur *flores*, puſilli, flaveſcentes, quorum nonnulli deinde in conos parvos, ſublongos, Pinei nuclei magnitudine efformantur, è ſex tenellis ſquamulis compactos, initio virides, deinde palleſcentes, poſtremò ubi planè maturuerunt nigricantes, qui in quatuor carinas dehiſcentes, *ſemina* oſtentant ſublonga, quaterna, plerunq; paleacea, medio paululum extuberante, in quo medulla acris & amariuſculi ſaporis. Coni hi nonniſi detracti ferè aut tabidi pediculo excidunt. Hujus plantæ odor nobis non eſt gratus. [Mihi quamvis vehemens ſit non tamen ingratus] de quo hæc Cluſius. Tota arbor graviter odorata eſt, reliquas congeneres longè ſuperans odore, quem, ſi quis folium digitis nonnihil duntaxat confricaverit, facilè eluere non poſſit. Hunc autem non modò viridis ex ſe exhalat, ſed etiam multis in annis exciſa & reſiccata retinet.

Nonnullis Thyia Theophraſti aut Bruta Plinii cenſetur: nobis tamen veriſimilius Veteribus prorſus incognitam; ut rectè Dodonæus, Novi orbis nova ſtirps habenda eſt. Galli *Arbre de vie*, id eſt Arbor vitæ, eóſque ſecutæ reliquæ fere gentes nuncupant, neſcio qua ratione ducti (inquit Cluſius) niſi fortè ob immortalem ejus comam quam habet, aut odoris ejus vehementiam, quam ſalubrem eſſe exiſtimant, hoc nomen indiderunt.

Locus. E Canada Septentrionalis Americæ provincia in Galliam primùm illata, & Franciſco primo Regi *Arboris vitæ* nomine donata eſt; indè in alias regiones tranſlata, & in Germaniæ, Belgii, Angliæ hortis frequens facta. Facilè enim rami depacti radices agunt, præſertim loco umbroſo, & fertili pinguíque ſolo. Naſcitur etiam ſemine: Sed tenellæ plantæ, antequam in ramos dividantur & explicentur, Oxycedrum Juniperúmq; majorem primùm enatas admodum æmulantur. Frigoris patientiſſima eſt; hyeme tamen fuſcum & fuliginoſum colorem contrahentibus foliis, quæ novo vere priſtinum nitorem & viriditatem recipiunt. *Cluſ.* Non profundè radicatur, quin oportet majores fulcire, nè à vento dejiciantur.

Vires. Ex ſapore & odore facilè colligitur hanc arborem temperiei eſſe calidæ, & partium tenuium, unde veriſimile eſt digerendi & abſtergendi facultate præditam eſſe. Parkinſonus folia tenera & cruda cum butyro pani illata & comeſta ad tenaces & viſcidos humores expectorandos nonnullis in uſu eſſe ſcribit, verùm aliquibus qui teneriore ſunt conſtitutione non convenire quòd nauſeam facilè moveant. Elicitur ex ea aqua & oleum per Chymica organa, utile ad dolores podagricos ritè impoſitum. *Cam.*

Hæc arbor, ſi rectè deſcribatur, flore fructui prævio & contiguo, in noſtra methodo ad hoc genus proprie non pertinet, ſed anomala eſt: Verùm quoniam Cupreſſum foliis valde æmulatur, & quodammodo conifera eſt, huc referendam duximus.

Cap. VII.

De Alno.

Alnus, (Græcis Κλήθρα) indè dictam putat Curtius quòd ab amne alatur. Quid ſi dicamus, quòd ipſa potiùs herbas alat? *Paſcit ſata* (inquit Plinius) *& ſub Alni tegmine herbas ſucculentiores naſci obſervatum.* J. B. Hoc de gramine fortaſſe verum eſſe poteſt (quod tamen nobis non videtur) at nec frumenta, nec legumina, nec linum, aut milium & ſimilia, rectè & feliciter ſub ejus umbra frigida proveniunt, ut obſervavit Aug. Gallus.

A. 1. *Alnus* Ger. *vulgaris* Park. J. B. *rotundifolia glutinoſa viridis* C. B. **The Common Alder-tree.**

J. B.

Arbor eſt juſtæ magnitudinis, cortice ſcabro, fuſco, ligno molli, rufeſcente. Rami valdè fragiles ſunt, ut vel digitales levi inflexu frangas, (ob id Frangula hæc arbor dici poſſet) cortice ex fuſco ſubcinereo, maculato, internè luteolo, amaro cum adſtrictione, & ingrato, ligno intus albo & medulloſo: *foliis* veſtiuntur latis Avellanæ vulgaris, rotundioribus, nervoſis, crenatis, viridibus, ſplendentibus, lento & viſcido humore oblitis. Oculi triangulares ex cinereo rufi, interdum & virides, aut in purpuram quodammodo vergentes. In ramulorum faſtigiis nucamenta ſeu *juli* dependent, ſimul multi, virentes vel rubentes, unciam circiter longi & fragiles, antequam fiſſuræ conferruminatarum particularum dehiſcant, quæ ubi ſe explicuerint, duas etiam uncias longitudine ſuperant, ſapore adſtringente cum aliqua amaritudine. Cæterùm portiunculas dictas ad mediam tanquam coſtam alligatas ambiunt ſtaminula multa, ut in Corylo. Menſe Septembri apparent etiam minimorum rudimenta. Eodem menſe veteres conos videas, privatis ramulis pendentes, binos, ternos, quaternos lus minùs, pulchrè hiantes & apertos: item paulò ante, aut eodem tempore novos, magnitudine arvæ Avellanæ, primò virentes, ubi matureſcunt rubentes, & mox hiantes, ex imbricata ſquamarum ompage coaggeſtos: è quibus & ante ſeminis maturitatem ſtamina purpurea prominula quædam bſervata, quæ fortaſſe florum loco haberi poſſunt. Horum guſtus valdè aſtringens cum aliqua amaritudine: in quibus *ſemina* ubi matura fuerint parva admodum, compreſſa, inæqualia, rubentia, atq; in iis medulla alba, pauca, ſapore manifeſto deſtituta.

Geſnerus, Tragus, C. Bauhinus, Bodæus à Stapel & alii Julos à Conis non diſtinguunt, ſed in co- os contrahi ſtatuunt: cùm res ſint diverſiſſimæ Coni & Juli, exortu diſtinctæ, uno eódemq; tempore in hac arbore obſervabiles: unde patet non temere fidendum eſſe deſcriptionibus florum, flu- uum eorúmq; partium apud Botanicos, ſed res ipſas inſpicienda. At Julos eſſe flores, quicquid ontradicat J. Bauhinus, prædictis autoribus non inviti concedimus.

Locus. Gaudet aquis plurimùm Alnus, ut haud ferè alibi quàm humectis & uliginoſis naſcatur locis, ad luminum ripas, ínque paluſtribus cœnoſis & ad aquarum ſcaturigines. Fructus communiter matureſcit Septembri, quo tempore & novi exeunt Juli. Vidimus ſæpiſſimè Julos, conos veteres & novos mul. *J. B.*

Vires & Uſus. Folia Alni viridia impoſita tumores diſcutiunt & inflammationes reſtinguunt: viatorum calceis mmiſſa dolorem & laſſitudinem mitigant: viridia rore madentia conclavibus inſperſa, brevíq; amo- a, pulices iis facilè adhærentes tollunt. *Trag.* E cortice Alni cum ferro detrito & rubiginoſo per liquot dies aquâ macerato color efficitur niger, Atramenti ſimilis, quo nonnulli ad tingendum utuntur, Sutores etiam ad coria denigranda. Cortex Matthiolo pro atramento ſcriptorio conficiendo allæ vicem ſupplere poteſt. Dodonæo auctore cortex incipientibus inflammationibus utiliter impoitur, & ad oris & tonſillarum inflammationes ac tumores conducit.

Folia ſive viridia, ſive arida vetuſtis vulneribus ſæpius impoſita hæc ad ſanitatem perducere fe- ntur.

Materies olim fabricandis naviculis inſerviit.

Tunc Alnos primùm fluvii ſenſere cavatas. Virg. Georg. 1.

In ædificiorum fundamentis ſub terra poſita in ſolo humido permanet immortalis ad æternitatem, ſuſtinet immania pondera ſtructuræ. Vide *Vitruvium ubi agit de lignorum materie: Plin. l. 6. c. 37. heophr. de cauſis l. 3. c. 17.* Cur Alnus ſub aqua non putreſcat ſed duret rationem reddit Scaliger, uòd humidum habeat communis naturæ; non enim aquam ſub aqua putrefieri, quòd nihil inve- tur peregrini. Venetiis magnis etiam ſumptibus Alnus accerſiri ſolet ad facienda palatiorum & dificiorum fundamenta: palis etiam ex Alno in terram adactis inædificatur pons ille famoſiſſimus nius arcûs *de Rialto* dictus, canali magno impoſitus, & duas partes urbis connectens.

Certum eſt & indubitatum (inquit J. Bauhinus) palos ejuſmodi ſub aquis infixos temporis pro- eſſu lapideſcere, &c. Verùm hoc neq; Alno proprium, neque materiei ejus naturæ tribuendum nſemus, ſed potiùs conditioni ſoli aut liquori cuidam vaporíve lapideſcenti, qui in ejus poros ſe ſinuat; nam nec ipſam ligni ſubſtantiam in lapidem mutatam eſſe facilè conceſſerim: nec Alno mper & in quocunq; ſolo accidit ut lapideſcat; & alia etiam lignorum genera in lapideam ſubſtan- m indurata vidimus.

Experimentum Kentmanni, quod refert J. Bauhinus, de Alno in lapidem tranſmutanda nobis ntantibus non ſucceſſit, nec cuiquam ſucceſſurum putamus.

2. *Alnus folio incano* C. B. Park. *hirſuta* Ger. emac. *hirſuta & incana* J. B. **Hoary Alder.**

J. B.

Folia huic vulgari Alno ſimilia, minùs tamen rotunda: deſinunt enim in acumen, magis ſerrata & pæne laciniata, ſubtus hirſuta & incana, non virentia, nec etiam viſcoſa. Color quoque ramulorum diverſus, non ità virens ſed candidior. Julos & fructus ut vulgaris fert.

Locus. Circa Genevam & Montbelgardum variis in locis obſervavit J. Bauhinus, ſed humidis potiſſimum uti præcedens. Alunt eam Auſtriæ & Stiriæ montana ad flumina: etiam in Danubii inſulis circa Viennam frequens eſt priori commixta, teſte Cluſio.

3. *Alnus Alpina minor* C. B. Park.

Hoc cum prima convenit quidem, ſed per omnia minor & humilior eſt, nec folia ità lento humore aſperſa ſunt: quæ in Alpibus Stririacis provenit.

CAP. VIII.

A. *De Betula omnium Autorum.* **The Birch-tree.**

Betula, (Theophraſto Σημύδα) quibuſdam ſic dicta videtur, quòd bitumine ſcateat. Plinius *Gallias ex ea bitumen excoquere* tradit l. 16. c. 18. Alii à *batuere*, i. e. cædere dictam malunt, q. *Batula*, quòd ejus viminibus cæduntur pueri.

Hæc arbor omnibus ferè Botanicis *Betula* dicitur, nec plures ejus ſpecies hactenus obſervatæ fuere. Fructu ſquamoſo ſemina continente ad coniferarum arborum genus pertinere ſe prodit: folio deciduo ad populneam accedente à reliquis ſpeciebus diſtinguitur.

Arbor eſt ſatis procera, ſæpe etiam fruticans; Ramos ſpargit tenues, flexiles, magna ex parte deorſum pendentes. Multiplici libro veſtitur: in tenera ætate rufum aut fuſcum oſtendit corticem; qui cùm illa adoleverit ſubinde candidior apparet, in tenues philyras ductilis, in adulta arbore candidus, rimoſus: qui huic ſubeſt interior tenuis admodum, lævis, ac inſtar membranæ pellucidus. Craſſiorum ramulorum cortices etiam inalbicant, ſed minimorum puniceus aut ſpadiceus eſt, qui à ſiccatis & aridis pelliculæ ſpecie avelli, & ungue ſeparari poteſt, quemadmodum & incanus ille in ramis majoribus lævore inoffenſo. *Folia* quæ primo exeunt plicata ac criſpa prorumpunt, viridi pulchréque herbaceo tinguntur colore, ſingula ſingulis, iiſque tenuibus, dependentia pediculis, ubi excreverint Populi nigræ ferè, ſed minora, minùs lævia, ſaturatiùs virentia, paulò anguſtiora, ſubpinguia, odorata, ſapore amaro.

Fert *Julos* ſeu nucamenta longa. Piperi longo vel Alni Julis ſimilia, è ſquamulis compoſita, in quibus ſemina parva, compreſſa; Ego conulos ſeminiferos à Julis diverſos eſſe ſuſpicor, nihil tamen temere affirmo.

Locus. In frigidis, aquoſis, inq; Ericetis humidioribus frequens invenitur. J. Bauhinus in arenoſis maximè Germaniæ non infrequentem eſſe ſcribit. Apud nos in ſylvis, ericetis & montoſis provenit, ſed locis plerunq; humidis, quibus tamen non rarò arena ſubeſt.

Uſus & Vires. Hujus viminum ſeu ſurculorum gracilium uſus ad magiſtratuum olim, nunc ad pædagogorum virgas, ad equos domandos, ad ſcopas, viſco illitorum ad aucupia, ad faſcium vincula, &c.

Piſcatores Northumbri corticem delibratum fiſſo bacillo interpoſitum accenſúmque uſurpant ad piſcationes nocturnas, tridentéque adnatantes piſces confodiunt. Hinc è delibrato contortóque cortice faces ad nocturna lumina parant.

Laniones ex Betula verucula conficiunt. *J. B.* Noſtri lanii Corno fœminâ utuntur pro verucülis conficiendis non Betulâ, quod ſciam, fortè quia rarior eſt, nec facilè parabilis.

In Alſatia & alibi circulos ad dolia magna conſtringenda probatiſſimos è Betula parant.

Tragus, Lonicerus & C. Bauhinus teſtantur Veteres ante repertum chartæ uſum in hujus cortice candido ſcribere ſolitos. *Vidimus nos* (inquit Tragus) *Curiæ oppido Rhætiæ ſuperioris nonnulla carmina in cortice Betulæ exarata.* Et revera experientiâ teſte, non inepti ſunt huic uſui exteriores illi candidi & membranacei cortices, qui veluti cuticulæ quædam in mediocris magnitudinis arboribus craſſiorem corticem amplectuntur, cujuſmodi quatuor aut etiam quinq; diverſas nonnunquam ſeparavimus: unde ſuſpicamur novam quotannis huic arbori cuticulam accedere, vel ex humore qui paulatim per corticem tranſudat concretam, vel ex annua à cortice decedente tunica, ſpolii ſerpentis in modum exareſcente.

Folia calf. ſicc. atten. abſtergunt, reſolvunt, aperiunt, amara ſunt, hinc uſûs non minimi in hydrope, ſcabie, &c. intus & extus adhibita. Cortex quoq; quia bituminoſus calf. & emollit, adhibetúrque in ſuffitibus aeri corrigendo dicatis. Fungus ejus vi pollet adſtrictoria, unde ramenta ejus hæmorrhoidibus inſperſa ad miraculum fluxum cohibent. *Schrod.*

Hæc arbor veris initiis, antequam folia prodiere, in trunco aut ramis vulnerata dulcem & potulentum ſuccum copioſè effundit, quem ſiti preſſi paſtores in ſylvis ſæpenumero potare ſolent: quemadmodum & nos (inquit Tragus) non ſemel eo liquore recreati ſumus cùm herbarum causâ vaſta peragraremus ſylvas. Hujus liquoris vim & efficaciam in calculo renum & veſicæ inq; ſtrangu & urina cruenta non immeritò celebrant Tragus, Helmontius, Charletonus, & alii.

Hæc arbor interdum circa medium Februarii, cùm ſci. tempeſtas clementior fuerit, ſucco aſcendente percuſſa lachrymare incipit, interdum non ante initium Martii. Tragus ad morbum Reg

hun

hunc liquorem commendat; alii faciem eâ abluunt ad maculas delendas & cuti nitorem conciliandum.

D. Gualter. Needhamus Medicus inſignis & amicus noſter ſummus hoc ſucco partim mero, partim cum melle mixto Phthiſin Scorbuticam non ſemel curavit.

Ventriculi pecorum è quibus coagulum lactis noſtri parant, ſucco Betulæ conditi ſeu macerati caſeos omnes qui eo coagulo coeunt à vermibus aſſerunt, certo id atteſtante experimento. *Trag.*

Ionthis faciei certo experimento medetur ſuccus Betulæ, interdiu, & præſertim manè & veſperi, ſi facies eo lavetur, atque ſinat eum ſponte ſua non deterſam ſicceſcere. *S. Pauli Quadrip. Bot. Claſſ. 2. p. 27, 28.*

SECTIO III.

Arbores flore à fructu remoto bacciferæ foliis anguſtis, perpetuis.

HÆ merito Coniferis ſubjunguntur ob folia anguſtiſſima, creberrima, perpetua, ſuccum etiam reſinoſum conſimilem.

CAP. I.

De Junipero.

JUniperus à *Junior* & *pario*, quòd juniores & novellos fructus pariat antiquis matureſcentibus, ut qui pariat uſq; ad tertium annum arbori ſuo inhærente fructu. *C. B.* Græcis Ἄρκευθος παρὰ τὸ τὴν ἀρχὴν εἴργειν, quòd ejus odorem omnia reptilia averſentur, vel διὰ τὸ ἔχειν τὰς ἀκάνθας κεκρυμμένας. *Idem.* Oſtendit Anguillara Juniperum Dioſcoridis & noſtram unam eſſe ex Cedris Theophraſti. Oxycedrus etiam ſeu Cedrus Lycia nihil aliud eſt quàm Juniperi ſpecies major. Lignum quoq; Cedrini omine ex America allatum Juniperinum eſt.

A. 1. *Juniperus vulgaris baccis parvis purpureis* J. B. *vulgaris* Park. *vulgaris fruticoſa* C. B. *item vulgaris arbor* ejuſdem. *Juniperus* Ger. **The common Juniper-tree.**

J. B.

Plerunq; denſo ramorum ſtipatu fruticat duntaxat Juniperus, aliquando in juſtæ magnitudinis arorem adoleſcit, * ità ut in Hiſpania ſupra Segobiam quà Madritium itur, ex ea trabes & ædium ontignationes ſibi incolæ fabricent; *caudice* tamen non multùm craſſo, cortice ſcabro & deciduo, bente; materie firma, nonnihil etiam rubeſcente, maximè ſi ſiccata fuerit, odore reſinoſo, grato. amuli in ſurculos multos dividuntur, minacibus *foliis*, ſemper virentibus, aculeatiſq; armati, rigiis, ſupernè glabris, infernè virentibus, ſplendidis, raro unciâ longioribus, ſæpe brevioribus, valdè ngustis, ternis plerunque ſimul per intervalla. *Baccæ* per ramos ſparſæ, numeroſæ, rotundæ, umilico in tres radios, totidem ſeminum loculos oſtendentes diſtincto, donatæ, duplo majores granis iperis, primùm vireſcentes, per maturitatem cœruleæ aut nigræ, in quarum ſingulis grana tria blonga, triangula, (nonnunquam quatuor Cæſalp.) pulpa nonnihil ruffâ involuta, ſapore acri, renoſo cum quadam dulcedine, tactu quoque ubi inveterârint oleoſo & glutinoſo; pro *flore* tribus foolis minutiſſimis obſeptum inſidet futuræ baccæ rudimentum, tam exiguum, ut nonniſi à diligenter ſpicienti animadvertatur. * *Cluſ. hiſt.*

Nos pro fructûs calyce hæc foliola habemus, non autem pro flore, Pro flore enim non agnoſcimus quod ſtainibus & apicibus caret, quæ floris præcipua pars ſunt. Unde & multi flores petalis ſeu foliolis coloratis gacibus carent, nulli autem apicibus. Apices enim, noſtrâ ſententiâ, ſunt vaſcula ſeu conceptacula ſeinis maſculi in plantis. Adq; idcirco Cæſalpinus rectè ſcripſit, Juniperum quæ fructum fert non florere. uod & Veteribus obſervatum, Nam, referente Theophraſto & ex eo Plinio, Quidam Juniperorum duo nera tradunt; Alteram florere nec fructum ferre: Quæ verò non florent, ferre protinus, baccis ſubnaentibus, quæ biennio hæreant.

Per reliqua ſimilis eſt huic Junipero quæ fœmina [rectiùs mas] dici poteſt, flores producens plumos, aliàs quà fors tulit, ſparſos per ramulos, aliàs confertos, conorum exiguorum inſtar habens, purpurâ cum croceo mixtâ pictos, ex plurimis corpuſculis rotundis, papaveris ſemine minoribus, lviſculo farinaceo farctis compactiles, intercedentibus raris quibuſdam viridantibus acuminatis folis, ſquamatim corpuſcula dicta obtegentibus. Videas autem cum dehiſcunt effigiem capituli Eiſeti florentis, unicuique ſquamulæ adnatis apicibus ruffis. Cæſalpinus vocat floſculos amentaos exiles. Cæterùm tantum florum apparatum, quaſi ad oſtentationem comparatum, nullus fructus quitur, ſed in auras abiens pulviſculus vanam baccarum ſpem eludit.

Noſtrâ ſententiâ (ut modò dictum) floſculi hi non ad oſtentationem tantùm ſed ad uſum comparati: ſiidem pulviſculus eorum apicibus incluſus fœminarum baccis aſperſus ſpermatis maſculini modo iis fœcunndis inſervit. Conſentit Tragus inquiens, Maio menſe tenuiſſimus ac luteus pulvis è Juniperis auras evolare conſpicitur, quod ſemen illius eſſe animadverti [J. Bauhinus perperam pro ſemine rem ſcribit] Poſt hunc quem diximus pulverem baccæ prorumpunt exiguæ, virides, quæ altero demum anno, Autumno appetente, quod illis tempus maturitatis eſt, cœruleo tinguntur colore.

Locus.

Juniperus in ericetis agri Cantiani, Eſſexienſis, & alibi in Anglia copioſè provenit, ſed plerunq; humilis & fruticoſa; quoniam Jumenta eam aſſidue carpunt & coercent, & in arborem adoleſcere non permittunt: in hortis culta arboris modicæ magnitudinem & ſtaturam aſſequitur. Invenitur etiam non minùs frequens in Belgio, Germania, Gallia, &c.

Tempus.

De tempore florendi jam diximus. Fructus, notante Cæſalpino, matureſcit anno ſecundo, ut aliquando fructus trium annorum contineantur, cum is qui maturus eſt ſervetur ad tertii anni fructum naſcentem.

Quæcunq; in Junipero cernuntur (inquit Tragus) odorata ſunt. 1. Humor qui ex ea, ſi læddatur cùm in ſucco ſuo fuerit, effluit. 2. Radices & caudices aridi. 3. Baccæ recentes & maturæ. 4. Folia acuminata.

Uſus & Vires.

Lignum præcipuè ob ſuaveolentiam commendatur (præſertim ſi Maio menſe cædatur) unde incenſum ad aerem emendandum, & odores noxios aut contagioſos arcendos ſuffumigatur.

Juniperi arbor Maio menſe cùm pluvioſa fuerit tempeſtas luteam è cortice ſudat lachrymam, quæ magna in copia tanquam fungi exigui arbori adhæret, nec magnopere odorata eſt.

Lignum vix ſentit vetuſtatem, & carbones dat tantùm non æternum viventes: Chymiſtæ, tradente Matthiolo, aſſeverant carbonem Juniperinum accenſum ac ſuo cinere obrutum ignem integro anno fovere. Trabes Juniperinæ fuerunt in templo Dianæ Sagunti, cui religione inductus Annibal pepercit, ut eſt apud Plinium.

Raſura ligni non ſine cauſa in cucuphis adhibetur, quippe cephalicum eſt, nervoſúmque genus inſigniter roborat. *Schrod.* Fit etiam cinis ex ligno, per quem cinerem colatum vinum tam potens eſt ſudorificum, ut quibuſdam exhauſerit aquas vel pituitam ex toto habitu. Ex arido ligno deſtillatur & oleum per deſcenſum vel retortam; melius tamen elicitur per veſicam. Extrinſecus ejus uſus eſt in morbis nervinis, in tibiarum ſerpigine & cancro, vulneribus & ulceribus malis.

Baccæ in cibo eſitatæ ſtomacho frigido utiles ſunt, pituitámque quæ in illo coit digerunt, contra inflationes & tormina faciunt, vitia pectoris purgant, tuſsiq; medentur, urinam efficaciter ducunt, venenúmq; à corde repellunt. Eædem menſes & coxendicum vitioſos humores ducunt. Súntque Tragi judicio, ad cibos condiendos Pipere ſalubriores. Utiles etiam ſunt in affectibus capitis & nervorum. Differunt autem baccæ, aliæ enim dulces ſunt & edules, aliæ acres & aromaticæ.

Lapponii Baccarum Juniperi decoctiones bibunt quemadmodum nos Caovæ & Theæ, ſuntque præcipua apud illos medicinæ pars. *Schefferus Hiſt. Laplandiæ.* Earum vires fuſe traduntur à Scharfio de Junipero, & Joan. Michaele de eadem.

Succus extractus è baccis Juniperi ad prædicta omnia utilis eſt, & alia multa, ſi credere fas ſit, quæ vide apud J. B. Theriacam Germanorum nonnulli dixerunt, tum quòd ſit efficax contra venena, tum quòd Germanorum corporibus amiciſſima & maximè ſalutaris.

Oleum fit vel per deſtillationem è baccis contuſis cum aqua mixtis, oleum enim cum aqua aſcendit, vel per expreſſionem è baccis contuſis cum oleo olivarum mixtis. Valet ad tormina aliáque multa. Guttulæ duæ vel tres puerulis verminantibus exhibitæ lumbricos quibus vexentur enecant & expellunt.

Vim diureticam in Juniperi baccis, earúmq; oleo (inquit Cargillus) in me expertus ſum ſæpiùs manifeſtam, & tum ex illis paucas devoratas, tum panem hujus guttulâ tinctum evidenter violarum odore urinas imbuere, non ſecus ac Terebinthinam vulgarem ejúſque oleum ſtillatitium. Cum generoſo vino albo decoquenda, & decoctum ſingulo manè ſaccharo edulcoratum calculoſis propinandum.

Ego fretus hac obſervatione complurimis commendavi baccarum Juniperi blandè contuſ. hiſcente ſolùm exteriore cortice infuſum in vino, qui perbelle ab illius uſu valuerunt, & à jugi nephritico dolore vindicati ſunt: exemplo ſit Laurentius Roſtochienſis profeſſor: is enim quotidie circiter j. pugillum groſsè contuſarum aut dentibus comminutarum bacc. Junip. deglutiebat, quo ſimpl. medicamento obtinuit, ut non ſolùm arenulas, ſed calculos minutulos, imò etiam Lentis magnitudine, ſi non ſine omni moleſtia, attamen dolore excrevit, cùm ante uſum harum baccarum ſæpe oppidò malè habuit. *Sim. Paulus.* Spiritus & oleum non modo contra calculum ſed etiam pectoris vitia valdè proſunt.

Elixir Juniperinum admirandarum virium in calculo, quod inſuper ſtomachicum inſigne eſt, &c. ℞. Baccar. Juniper. maturar. & electar. q. v. contundantur craſsè, digerantúrq; affuſâ aliquâ aqua diureticâ. Hinc exprime, abſtrahendóque inſpiſſa ad conſiſtentiam mellis. Hujus mellis Juniperi cochl. 10, 11, 12, &c. miſce optimè cum aqua vitæ Juniperina, digeréq; aliquandiu leniſſimo calore (Solis aut ſim.) *Schrod.*

Baccæ apud Germanos ſingulari remedio ad graſſantia Peſtilentiæ contagia depellenda uſurpantur. *Trag.* A noſtris fiunt & * aliæ Antidoti ex his baccis contra febres peſtilentiales, quas laudo vel ideo quia medicamentum eſt domeſticum. *D. Bowle.* Baccas in aceto maceratas, exſiccatas deinde & in pulverem redactas in peſte utiliſſimas eſſe ſcribit, in obſervationibus ad nos tranſmiſſis.

** Præter Veteribus memoratas.*

Aſſerit Cluſius Narbonenſes Gallos è Juniperi baccis oleum exprimere, quod ipſi *de Cade* vocant, capitis ſcabiei, ut pecorum etiam ſcabiei, & ulceribus, quibus à tonſione infeſtantur, adprimè utile.

Gummi Juniperinum ſex Vernix ſicca (Arabibus Sandaracha ſeu Sandarax, à Græcorum Sandaracha, quæ auripigmentum eſt, longe diverſa) recens, pallida & pellucida probatur; cùm inveteravit fit flava & friabilis, maſticis modo, quam mentitur in multis: Sanguinem undequaque fluentem ſiſtit, ulcera putria curat, cruditates ventriculi emendat, diarrhœas antiquas ſiſtit, lumbrios necat. Schrodero Uſus præcipuus eſt in nervorum affectibus, reſolutione, frigiditate, contra- tione, &c. & in capitis affectibus reliquis à frigiditate ſubortis.

Quod Vernix liquida ſeu Vernigo ſit lachryma ſeu gummi Juniperi, falsò à Matthiolo, Lacuna, Cæſalpino, & aliis aſſeritur, inquit Cornarius. Nam factitia res eſt Vernix: non tamen à lachryma juniperi in oleo Lini ſoluto (ut * multi volunt) ſed ex ſcobe Succini in oleo dicto decocta ut poſt Cornarium affirmat etiam Caſp. Hofmannus. Uſus ejus eſt ad illuſtrandas picturas, ad nitorem ferro onciliandum, ad tectoria oblinenda, fabris & pictoribus.

* *Vernix quid.*

* *Schroderus. Parkinſonus.*

De uſu ligni Juniperini in lue Venerea, ad modum Guaiaci, & pro eo ſubſtituto, cum dubium an proſit nécne, nihil dicam. V. ſi placet Hiſt. Ebrodun. lib. 9. cap. 23.

Umbram Juniperi noxiam eſſe verſus ille Virgilii multis perſuaſit, *Juniperi gravis umbra*, &c. Nonlli etiam rationem ejus reddere conantur, quia ſci. ob denſitatem foliorum vapores è terra noxios xhalantes repercutit & difflari non ſinit, unde ibidem ſtagnantes aerem prava qualitate infiunt. Ego potiùs Juniperi umbram ſalutarem eſſe crediderim ob ſuavem quem arbor expirat dorem.

2. *Juniperus major bacca rufeſcente* C. B. *Oxycedrus* Park. *Oxyc. Phœnicea* Ger. *Cedrus Phœnicea Bellonio, ſive Oxycedrus, Quibuſdam Juniperus major baccâ rubrâ* J. B.

Folia quàm Juniperi vulgaris duplo ſunt longiora, latioráq; rigida, infeſto mucrone pungen- : *baccæ* duplo aut triplo Juniperinis majores, coloris non ut illæ cœrulei, ſed ruffi, ſapore tamen odore ſimili. Cluſius ſic deſcribit. Junipero ferè ſimilis eſt Oxycedrus, magna ex parte con- rto ut illa caudice, interdum etiam in arbuſculam excreſcens, tenui & rufeſcente cortice. *Folia* bet Juniperi vulgaris modo pungentia, aliquantulum tamen longiora & rariora, terna ſemper ca ramulos ſimul naſcentia, ut in Junipero min. *Fructum* initio viridem, deinde flaveſcentem, ſtremò cùm maturuit punicei coloris, Juniperi fructu multò majorem ut interdum Avellanam gnitudine æquet, & tuberculis quibuſdam, veluti ſquamarum rudimentis obſitum, nucleos s aut quatuor inæquales continentem, majores quàm in ſuperiore, medullâ intus albâ.

Floret Juniperi minoris modo, & eodem tempore utriuſque fructus maturitatem adipiſcitur.

In collibus circa Monſpelium frequentem obſervavimus.

Provenit (inquit Cluſius) pleriſq; Hiſpaniæ & Narbonenſis Galliæ aſperis locis: nuſquam tamen ajorem videre memini quàm ſupra *Segobiam* & *Guadarrama*, itinere Madritiano, ubi arborum gnitudinem & altitudinem interdum æquat, trunco humani corporis craſſitudinem æquante Cæpino. E fructibus Juniperi majoris cùm maturi ſunt vino remollitis exprimitur liquor, qui Saccharo ceptus utiliſſimus: utpote qui ex pulmone & pectore educit purulenta; ac tempore peſtis præſerivæ loco eſſe poteſt.

Locus.

Vires.

Obſervavit D. *Tancredus Robinſon* in Galliâ Narbonenſi itinerans incolas ex Oxycedro elicere oleo- n ſeu reſinoſam ſubſtantiam, eodem modo ut è Pinu, & Abiete, in tædam converſo, deſtillane rudi factâ per deſcenſum; quâ utuntur in ſcabie, & ulceribus pecorum.

3. *Juniperus major baccâ cæruleâ* C. B. *maxima Illyrica* J. B. Park. *maxima* Ger.

Juniperi (inquiunt Lob. & Pena in Adv.) quaſdam habuimus plantas non diſpares fronde & uræ acutæ Junipero, ſed fructus erat teres oblongior, mediocris Olivæ par, cœrulei coloris. Vide- Dioſcoridis major Juniperus.

A. 4. *Juniperus Alpina* J. B. Cluſ. Park. *Alpina minor* Ger. emac. **Mountain Dwarf-Juniper.** *Minor montana folio latiore fructúq; longiore* C. B.

Cluſ.

Cubitalem altitudinem non excedit, ſed depreſſa eſt & quaſi humi ſparſa, multóque craſſioribus brevioribus conſtat ramis quàm vulgaris, lentis etiam fractúq; contumacibus & contortis: tenel- ramos ambiunt terna *folia*, æqualiter ſemper naſcentia ut in vulgari: verùm latiora, breviora, ſſiora, nec minùs quàm illa pungentia, colore interiùs ex cœruleo candicante, exteriùs viridi. rem non vidit Cluſius: *fructum* autem in ramulis geſtat, vulgari ſimilem, paulò tamen (ut ei viatur) longiorem, antequam plenam maturitatem conſequatur viridem, ubi maturuerit nigrum, ſdémq; cum illo ſaporis.

Creſcit in ſcopulis *Durrenſtein* & *Eſtcher*: quibus duntaxat in locis inveniebat Cluſ. Auguſto menſe culas ſtirpes fructu maturo & immaturo onuſtas.

Locus.

n altiſſimo Cambriæ monte *Snowdon* dicto, ínque montibus Weſtmorlandicis in Septentrionali gliæ parte ſponte provenit: utrobiq; monticolis *Sabinæ* nomine inſignitur: Et revera validum næ odorem naribus offert. Decoctum ſummitatum, vel etiam ſuccum expreſſum equis vermi- ventriculo & inteſtinis hærentibus, **Bots** noſtratibus dictis, laborantibus exhibent.

Vires.

5. *Juniperus major Americana* Park. *Cedrus Americana vulgo dicta. Juniperus Virginiana & Barbadenſis.* *Noſtratibus* **The Cedar of Virginia, Bermudas, Barbados.**

n magnam & proceram arborem adoleſcit [Parkinſonus aſſerit ſe vidiſſe tabulas ex ejus trunco as viginti pedes longas, latitudine cubitali, è *Bermudis* ſeu *Sommeri inſulis* allatas] ramoſam. parva, brevia, Juniperi vulgaris perſimilia, ſed minora, eodem modo ramulis adnaſcentia. cæ parvæ, vix Juniperi noſtratis majores, nigro-cœruleæ pariter. Materia rubra, mollis, fragilis, oratior etiam quàm Juniperi noſtratis; ligni color variat, ruber, flavus, albidus.

Multis Americæ locis provenit, v. g. *Virginia*, *Bermudas*, *Jamaica*, *Barbados*, &c.

Autor deſcriptionis *Carolinæ* affirmat Cedros iſtius regionis, quod ad pectinem ligni, odorem & colorem,

Locus.

colorem, Bermudenſibus Cedris, (quæ omnium Americanarum præſtantiſſimæ habentur) bonitate pares eſſe: unde & doliorum πυθμένας & opercula ex iis facere ſolent, quæ liquores acerrimi & ſubtiliſſimi non penetrant.

Antillarum inſularum & Jamaycæ Cedros texturæ laxioris, rudioris & minùs firmæ ac ſolidæ eſſe, ut oleum & ſpiritum Vini vix contineant. E baccis decoquendo potum ſaluberrimum parant Bermudenſes. E ligno menſæ, ſedes, ſcaphæ, capſulæ, vaſa, opera inteſtina, &c. fiunt.

Pulvis & ramenta Cedrina veſtimentis in arcis repoſitis interſperſa tineas & omne genus vermiculos enecant, ipſa autem nunquam putreſcunt, neque vermes generant; ipſe etiam obſervavi hic Londini, circumforaneos, & circulatores ob cadaverum condituram celebres, ſcobe Cedrina multa corpus undequaque integere; ut mihi pæne perſuadeam artis hujus ſecretum (ut vocant) maximam partem in eo conſiſtere, ſi addamus gummata nonnulla liquefacta ori, ano, auribus, &c. infuſa. D. *Tancred. Robinſon* hæc communicavit.

Poſtquam Juniperorum hiſtoriam abſolviſſem, ab ingenioſiſſimo Amico & ſtudiorum meorum adjutore maxime induſtrio, jam dicto, & ſæpius in decurſu operis dicendo D. *Tancredo Robinſon* ad me tranſmiſſus eſt *Horti Academici Lugduno-Batavi Catalogus* à Viro longè celeberrimo D. *Paulo Hermanno*, Medicinæ & Botanices Profeſſore compoſitus; in quo Juniperum Americanam Bermudenſem, (quam ego cum Virginiana & Barbadenſi ſpecie convenire exiſtimaveram, nec aliter differre quàm accidentibus nonnullis à loci natalis diverſitate ortis) diſtingui & ſeparari video: quocirca libet hìc utriuſque deſcriptionem è prædicto Catalogo mutuatam proponere.

Juniperus Bermudiana.

In metam faſtigiatam ſua ſponte excreſcit hæc arbor Junipero vulgari tam facie quàm viribus ſimilis. Eſt verò *foliis* anguſtioribus, tenuioribus, in rigidas & leviter pungentes cuſpides deſinentibus, denſo elegantíq; ordine ramulos ambientibus, ſupernè glaucis, infernè hilari, perpetuo virore nitentibus. *Flores* fert exiles, amentaceos, purpuro-croceos: *Baccas* rotundas Avellanæ magnitudine, ex fuſco phœniceas, ſquamatis aliquot tuberculis obſitas, in quibus tres quatuórve anguloſi arilli ritu congenerum continentur.

Feliciter propagatur per ſubmerſionem, circumpoſitionem, vel ramulos avulſos & terræ infixos.

Juniperus Virginiana.

Præcedenti formâ & creſcendi modo reſpondet. Aſt folia edit anguſtiora, molliora & omnino viridia. Eandem exigit culturam quàm præcedens.

Ex his perſpicio, Juniperum Bermudianam Junipero majori Europææ ſeu Oxycedro reſpondere, ideóq; non temere aut imperitè nomen Cedri ei inditum; Virginianam autem Junipero vulgari minori, ut ex baccarum utriuſque colore & magnitudine patet. Deinde Parkinſonum eundem nobiſcum errorem errâſſe & utramq; in ſua deſcriptione confudiſſe. Tandem Juniperum Barbadenſem, (cujus arbuſculam vivam ex ea inſula delatam in navigio aliquando vidimus) cum Virginiana eandem eſſe, ſiquidem folia ejus Juniperinis minora erant, aliàs perſimilia, & eodem ordine naſcentia; baccæ (nautis affirmantibus) cœruleæ; lignum rubrum, molle, fragile, odoratum; arbor prægrandis & procera. Atq; hæc eſt quæ à nobis ſuperiùs deſcribitur, non Bermudiana, quam nos per errorem pro eadem habuimus.

His addit D. Hermannus Juniperum ſeu Cedrum ex Goa, quæ ramis eſt magis patulis, gracilibus foliis glaucis, tenuiſſimis & breviſſimis, cæteroqui ſuperiori [Junipero Virginianæ] videtur ſimilis.

CAP. II.

1. *Cedrus Lycia retuſa Bellonio dicta* J. B. *baccifera I. ſeu folio Cupreſſi major, fructu flaveſcente* C. B. *item II, ſeu folio Cupreſſi media, majoribus baccis* ejuſdem. *Necnon III, ſeu folio Cupreſſi minor. Cedrus Phœnicea folio Cupreſſi* Park. *Oxycedrus Lycia* Ger. *Juniperus major* Clu

The Berry-bearing Cedar.

J. B.

ARbor eſt pumila, tricubitalis, [Cluſio humanam altitudinem raro ſuperans,] odore Cupreſſi grato, ſapore adſtringenti, amareſcente cum acrimonia, caudice contorto non recto, multis ramis lentis & flexibilibus prædito, ſcabro cortice. *Folia* habet carnoſa, & ex continua quaternorum foliorum mutuo connexorum ſerie compoſita, quemadmodum cupreſſus: *Flores* Junipero vulgari & Oxycedro ſimiles, flavos, ſed extremis ramulis inſidentes, ut in Cupreſſo & Thuia quibus ſuccedunt fructus magnitudine baccarum Myrti, imo ad Oxycedri interdum accedentes, rotundi, conos Cupreſſinos tuberculis nonnullis quodammodo æmulantes, primùm virides, deinde ad phœniceum colorem tendentes, qui maturitate nonnihil molleſcunt, ſapore & odore Juniperi baccæ ſimili, qui terna aut quaterna vel etiam plura grana, parva, ſtriata, oblonga, reſinoſa continent, quibus medulla, alba, Oryzæ quodammodo ſimilis.

Tempus. Vere floret, fructúmque diu retinet antequam matureſcat, uti Juniperus. Primùm ſemine na hic frutex & adhuc tener folia habet omnino diſſimilia, utpote quæ alterius Juniperi folia æmulentur niſi breviora & paulò molliora eſſent: cùm verò jam tertium aut quartum annum attigit rotunda cupreſſea folia formare incipit, ut inferiores rami pungentibus & acutis foliis, ſummi verò obtuſis rotundis onuſti interdum conſpiciantur: quod & nos obſervavimus, & cuivis obſervatu facile eſt.

Han

Hanc plantam non tantùm circa Monſpelium, ſed & in Alpibus Stiriacis & Carinthiacis invenimus, unde non miramur eam ad Matthiolum è Moraviæ montibus miſſam. *Locus.*

Cedrus baccifera fructu minore cœruleo.

2. *Sabina baccifera* J. B. *baccifera major* Park. *Sabina folio Cupreſſi* C. B. *à qua non ſeparandam puto Sabinam folio Cupreſſi alteram* ejuſdem. *Sabina baccifera* Ger.

Tota facie Juniperum majorem referret, niſi latioribus ramis prædita eſſet & magis divulſis; & appendices multas in ramis ut Sapinus produceret, atq; eundem in naſcendo quem Taxus morem ſervaret. Tranſparentem reſinam habet, duram ut Juniperi, velut fumo tactam. Arboris caudex ſinuoſus eſt, craſſior plerunq; quam ut vir in ulnas capiat. Corticem vitis habet, modicè craſſum, materiam foris albam, intus veluti gilvam, cui nullam aliam ſimilem reperimus. Eſt enim veluti indilutus quidam rubor, in ſubnigrum degenerans. Perpetuâ comâ viret: ſuis fœtibus gravida in hyeme comperitur, ſed Lentiſci naturam ſervat quòd fructus perpetuò ſuæ arbori inſideant, decidentibus ſci. anniculis cùm alii jam ad maturitatem pervenerint. Fructus autem qui non perfectè maturuerint egregiè virent. Cùm autem ad maturitatem devenerint ex atro in cyaneum degenerant. Arbor ipſa elegantiſſimo virore nitet, quæ tota fructibus nigris ſugillatur. Eſt autem feraciſſima, cujus baccæ vix Cedridibus majores: Amygdali bene magnæ altitudinem petit, multùm ad Cupreſſum ſativam accedens, ut à perito vix dignoſci queat, è longinquo ſpectata; ſed craſſiori caudice conſtat. Folia omnino Cupreſſo correſponderent, ni frequentiora eſſent. Folia ejus guſtatu amara ſentiuntur, aromáque olent, reſinaceum quid præ ſe ferentia. Os leviter calefaciunt *baccæ*, quæ in hujus extremis ramulorum ſurculis oriuntur, ità ut perpetuò ſingularis quivis ſurculus ſuam ferat, eámq; rotundam. Hæ merulis & turdis gratiſſimus ſunt cibus.

Hæc omnia Bellonius, & alia adhuc plura, quæ nobis dubia & incerta imò contradictoria, videntur, ut de foliis Filicis in modum compreſſis & applanatis, quódque Arbori vitæ coniferæ Sabinam ſuam alteram, quæ baccifera eſt eandem faciat. Florem non promit ſed ſtatim ſeminis rudimentum apparet. De ligno quæ habet apud ipſum vide in libro de Coniferis; vel apud J. Bauhinum Hiſt. Plant. lib. 9. cap. 21.

In montis Amani & Olympi Phrygiæ cacuminibus ſponte naſcentem utramq; Sabinam vidit Bellonius, ubi ſylvas faciunt. *Locus.*

Quæ J. Bauhino, Lobelio, aliiſq; *Sabinæ bacciferæ* nomine deſcripta eſt à Belloniana diverſa videtur: nec enim in eam altitudinem aſſurgit (quamvis hoc fortaſſe loco debeatur) neq; folia ſeu ſurculos habet pariter compreſſos & complanatos, ſed teretiores.

Certè arbor quæ nobis in montibus Germaniæ obſervata, & alibi pro Sabina baccifera oſtenſa ſt, adeò in paucis differt ab arbore * proximè deſcripta, ut pro eadem habuerim; tota ſiquidem acie eam refert, ſoláq; baccarum parvitate & colore differt; quantum quidem ego obſervare potui: uamvis C. Bauhinus odore gravi Sabinæ, & extremis ramis in acuta folia deſinentibus à Cedro accifera * eam diſtinguat.

* *Cedro Lycia retuſa* Bellon.

* *Sabinam folio cupreſſi.*

Deſcribente J. Bauhino, foliis eſt Cupreſſi, unde inoffensè ſe demulceri patitur, ſapore acri. accas fert Juniperinis æquales; quas virentes & ex albido cœruleo quodam colore tinctas tubercula quædam obſident, maturæ atrocœruleæ ſunt. Fortè eodem modo differt à Cedro Lycia reuſa Bellonii quo Juniperus minor vulgaris, à majore ſeu Oxycedro, baccarum ſci. magnitudine colore.

Alterius ſpeciei meminit Lobelius, ramulorum exilitate & foliorum lenitate duntaxat diverſæ.

Cap. III.

De Sabina.

Sabina vulgaris Park. *ſterilis* Ger. *baccifera & ſterilis* J. B. *folio Tamariſci Dioſcoridis* C. B.
Common Sabine.

SAbina Latinis dicta à Sabinorum regione in qua multum naſceretur, Græcis Βράθυς, perpetua fronde viret, arbuſcula humilis eſt, in latum magis quàm in altum proficiens, odore gravi & ingrato, foliis Myricæ Germanicæ pungentibus, ſapore acri. *Baccas* fert Juniperinis pa-, per maturitatem atro-cœruleas. Has baccas nulli præcedunt *flores*, ſed duntaxat baccarum ruenta, incurvis pediculis inſidentia, ex tribus, quatuor aut quinq; viridantibus tuberculis inſtar Myrciæ verrucæ parvæ compoſita.

Hæc planta ſexu differre videtur: Eſt enim duplex, 1. Mas ſeu ſterilis, quæ flores duntaxat pro, non fructum: cujuſmodi ſe Montbelgardi vidiſſe narrat J. Bauhinus ſæpiùs florentem, verùm las unquam baccas in ea obſervâſſe; ſterilem etiam manſiſſe variis in locis à ſe plantatam. Fœmina ſeu fertilis, quæ baccas profert non flores.

Botanici plerique Sabinam vulgarem omnino ſterilem faciunt: Verùm id naturæ analogiæ renat, & J. Bauhinus diſertè affirmat eam baccas proferre. In noſtro ſolo & cœlo raro, fortè nquam, fructum edit. At in loco natali, Amani & Olympi Phrygiæ cacuminibus proculdubio x eſt.

Vires. Sabinæ folia ſiccant & calefaciunt ſtrenuè, in pulverem redacta & cum melle illita fluentibus ulceribus medentur, nigra & ſordida expurgant, nomas ſiſtunt & collectiones mitigant. Cum flore lactis temperata ſcabiei capitis puerorum unicè proſunt. Porro eſſentiæ tenuitate menſes quoque provocant, ut ſiquid aliud, & ſanguinem per urinas movent. Partum quoq; viventem interficit Sabina, & fœtum mortuum ejicit. Certè hoc nomine nimis nota eſt ejúſque uſus frequentatus fœminis inhoneſtis & meretricibus.

Aqua è foliis Sabinæ deſtillata maculas faciei abſterget, & ut quidam aſſerunt, vertigini conducit.

Oleum Sabinæ ventri inunctum, aut frondes ejus tuſæ & umbilico impoſitæ vermes puerorum enecant. Decoctum intro aſſumptum idem præſtat: verùm uſum ejus internum minùs tutum putat Parkinſonus. Nos tamen novimus ſucci expreſſi cum lacte mixti cochlear unum ſaccharo edulcoratum maximo cum ſucceſſu pueris verminantibus exhibitum. Eſtq; ſane medicamentum efficaciſſimum & minimè periculoſum, quod poſt alia multa incaſſum uſurpata optatum ſæpenumero, ne dicam ſemper ſortitur effectum etiam in deploratis pæne. Equis etiam & bobus in eundem uſum frequenter exhibetur.

CAP. IV.

A. *Taxus* Ger. Park. J. B. C. B. *& omnium fere Botanicorum. Smilax Dioſcoridis lib.* 4. *cap.* 80. Μῖλος *Theophraſti* 3. *hiſt.* 10. **The Yew Tree.**

J. B.

TAxus perpetuæ frondis arbor, procero ſtipite, Abieti & Piceæ ſimilis. *Folia* Abietis foliis ortu & numero ſimilia, dimidium culmum lata, non teretia ut Piceæ, ab Abiegnis in hoc diſpeſcuntur quòd infirmiora minúſque rigida, neutiquam explicata foliorum ſervent agmina, quin eodem vergentia ferè coincidant: jam verò ſi ſingularia ſpectes Taxi folia, ſunt ea Abiegnis acutiore mucrone donata, ſupernè atro virore ſplendentia, infernè nitore deſtituta, unicoloria tamen & viridantia, nervo ſecundùm longitudinem decurrente; cùm Abiegna elatiorem averſa parte habeant coſtam, coloréque glauco ſunt prædita, guſtu amaricante. Porrò autem in extremis ramulis circumquaque inter folia oriuntur perpuſilla ſed copioſa capitella, ſublonga, ſquamata, ex quibus veluti floſculi emicant, Juniperinis ferè ſimiles, & virore palleſcentes, qui deinde in meros & muſcoſos apices fatiſcunt. [Cæſalpinus Taxum floſculos ferre amentaceos inter folia ſine fructu tradit.] Circa menſem Auguſtum, uti obſervavimus, fert baccas ex calyce ità emergentes, ut ſimile quid habere videantur cùm glande; poſtquam verò maturuere, quod fit menſe Novembri, nihil planè ſimile habent cum glande, ſed figurâ quodammodo referunt florem Vitis Idææ, quippe parvo, virente atq; ſquamato calyculo, brevi pediculo adnato fructus inhæret, grano Juniperino major, ſupernè apertus atq; hians, veluti ex carnoſa cute conſtans, colore pulcherrimo & ſplendente coccineo conſpicuus, intus cavus, ſucco præditus viſcido ac dulci, in quo granum latitat *Pipere minus*, nec exactè rotundum, ſed leviter compreſſum, colore inter pullum & ſpadiceum *medio*, cortice duriuſculo, medullam continens ſaporis non ingrati. Hoc granum fructûs capacitatem non adimplet, ſed undiq; ferè intactum à fructûs pellicula in medio ſitum eſt, baccæ imo adhærens, haud ſecus ac ipſa ex pediculo enatum. Suſpicor autem tum cùm longiuſculæ ſunt, & glandis formam aliquo modo demonſtrant nondum maturas eſſe: jam verò maturiores aperiri, & propter hiatum figuram acquirere rotundiorem. Materies bicolor partim rubet, partim ex albo flaveſcit.

Smilax Theophraſto arbor eſt glandifera è genere Quercûs, cavendum ergo nè confundatur cum Smilace Dioſcoridis ſeu Taxo.

Locus. Taxus in montoſis, ſaxoſis & præruptis locis oritur: in occidentalibus & meridionalibus Angliæ partibus, in montoſis ſylvis & ſepibus frequens eſt. Majores noſtri in cœmiteriis Taxos plantârunt, ob æternum (ut puto) frondis virorem, uti ſymbolum eſſent immortalitatis & æternæ vitæ, quam ibi depoſita cadavera poſt reſurrectionem expectabant. *Vires.* Hujus arboris fructus pernicioſos eſſe & lethales non Veteres tantùm, ſed & è neotericis plurimi tradiderunt. Dioſcorides eos qui baccas ederunt in alvi profluvium incidere ſcribit: Idem alibi Taxum potam frigiditatem totius corporis inducere, ſuffocationémque ac celerem mortem.

Refert Cæſar, *lib.* 6. *de Bell. Gall.* Cativulcum Eburonum regem Taxo (ſucco epoto) ſe exanimâſſe.

Sunt (inquit Plinius) qui & *Taxica* hinc appellata dicunt venena, quæ nunc *toxica* dicimus, quibus ſagittæ tinguntur. Verùm oſtendunt Voſſius & Jo. Bodæus toxicum aliud veneni genus fuiſſe, Cervarium Feſto dictum, quo Barbari ſagittas inungere ſoliti erant, ut lethalia vulnera inferrent. Toxicum ergo à τόξον dictum eſt.

Matthiolus etiam affirmat in Tridentinis montibus non veterina ſolùm (quod Veteres tradiderunt) ſed ruminantia etiam animalia devoratâ Taxo interire: paſtores etiam & lignatores cum has ediſſent in febres ardentes incidiſſe & alvi profluvia, non ſine magno vitæ diſcrimine.

Teſtatur etiam J. Bauhinus à fide dignis hominibus ſibi affirmatum in montibus Burgundiæ foliorum ut etiam corticum eſu mortuos boves & vaccas: & à Jo. Lutzio Pharmacopœo Kirchenh nenſe relatum in ædibus ſuis Turturem album cum torque nigra baccarum eſu periiſſe, & in pago *Oberentzingen* Aſinum deguſtata Taxo ſubitò mortuum.

Nos è contra Taxum immeritò in crimen adductum ſuſpicamur: ſiquidem Lobelius ejus baccas innoxiè puerulos in Anglia eſitare affirmat, ſéque guſtâſſe ſub hyemem non ingrato ſapore, ſed fa vel ſubamaro, ibique porcos paſſim eas tanquam glandes comeſſe. Gerardus etiam noſtras tum ſe metipſum, tum plurimos è condiſcipulis ſuis eas ad ſatietatem uſq; ſæpiùs ingeſſiſſe narrat, nec ſo umbra tantùm arboris, ſed in ejus ramis aliquoties dormiviſſe, nec tamen minimum indè nocumentum au aut incommodum unquam ſenſiſſe. Sed & Camerarius Taxum innoxiam eſſe tradit: acinos ejus rubros avidè expeti ab avibus, ſed inde attonitas reddi, quæ facilè poſtea capiantur. Vel ergo falſa ſunt quæ de Taxo tradunt Veteres, vel aeris conſtitutio & conditio ſoli hanc in ejus qualitatibus diverſitatem efficiunt. Fateor equidem arborem triſte virere, ejúſque melancholicum (ſi ita loqui liceat) adſpectum malignam aliquam qualitatem ei ineſſe ſubinnuere; eóque tempore quo florere incipit & ſucco maxime prægnans eſt jumentis noxiam eſſe poſſe, nihil tamen affirmo. Nam & Veteres ipſi de qualitate noxia & lethifera hujus arboris ſibi parùm conſtant. Theophraſtus fructum ab aliquibus hominibus innoxiè mandi ſcribit, folia etiam jumentis lethalia, ruminantibus nequaquam. Plutarchus eo tantùm tempore noxiam eſſe tradit quo florere incipit. Dioſcorides non ubiq; lethalem & venenoſam eſſe innuit, cùm de Italica & Narbonenſi tradat lethales eſſe, illam baccis, hanc etiam umbrâ. Fructum edentes aviculas nigreſcere mirum. Taxum etiam Apibus noxiam eſſe nos docet Virgilius,

Sic tua Cyrneas fugiunt examina Taxos.

& alibi jubet,

Ne propiùs tectis Taxum ſeras.

E Taxi ligno laudatiſſimi arcus fiunt, erátq; olim in hunc uſum expetitum maximéque celebre.

Ituræos Taxi torquentur in arcus.

Virg.

Ligni porro materies, quòd rufeſcat quamplurimis intercurſantibus venis, incorruptáque ſit, lignariis fabris maximè expetitur, & plurimi fit, præſertim concinnandis menſis & haſtis teliſque conficiendis. Germani hujus aſſeres ad ſua conſtruenda hypocauſta non exiguâ ſibi comparant pecuniâ. Ex hoc etiam ligno parare ſolent Saltzburgenſes opifices pulchros ſcyphos, cucurbitulas, epiſtomia, aliáque ſubtilia, elegantia & egregia utenſilia, quæ per totam Germaniam diſtribuuntur. Ad dentes rotarum molendinarium, poſtes terræ infigendos, vehiculorum axes, nulli ligno ſecundum eſſe affirmat D. Evelynus: Commendat idem ad muſica inſtrumenta, teſtudines, rotas, trullas, aliáque curioſa.

Quæ de alio genere Taxi, in horto Piſano cultæ habet, cujus folia Abiegnis ſimiliora ſunt, arbor ipſa fruticoſior ſeu frondoſior, frondibus crebris à radice ſurſum inſtructa; adeoq; denſa ut ſepes potiùs quàm arbor videatur, quamvis procera admodum ſit, quámq; Taxum Antiquorum mortiferam eſſe exiſtimat, cùm D. Belluccius horti Piſani præfectus hortulanos qui eam interdum detondere ſolent, non ultra dimidiam horam una vice tondentes durare poſſe affirmet, tam gravem eis capitis dolorem arbor incutit; odore noxio & viroſo quem cæſa exſpirat; vide apud ipſum.

SECTIO IV.

De Arboribus flore à fructu remoto lanigeris.

HArum duo genera ſunt, alterum folio latiore anguloſo nimirum *Populus*: alterum folio anguſtiore & circumſcriptione magis æquali: *Salix*.

Cap. I.

De Populo.

POpulus à πολὺς ob frondium multitudinem nonnullis dicta putatur. Martinius ingenioſè à πάλλω tremo, ob folia tremula deducit, quod tamen Libycæ proprium eſt.

Semine julis lanigeris incluſo cum Salice convenit, foliorum formâ latâ & anguloſâ ab ea iffert. Græcis commune nomen non habet: nam nigra αἴγειρος privatim dicitur, alba λεύκη, emula κερκὶς, ut peritioribus Botanicis videtur.

A. 1. *Populus nigra* Ger. C. B. Park. *nigra ſive* αἴγειρος J. B. **The black Poplar.**
J. B.

In altum ſe attollit, cortice lævi, exalbido, ac incano obducta: ſed ramuli potiſſimùm albicant, aterie dura, palleſcente, ac minùs alba, minúſque fiſſili quàm Populi albæ; quidam volunt aridam leviſſimam. Radices profundiores quàm in alba: Antequam folia erumpant oculos protrudit ucronatos, odorato, luteo & pingui atq; tenaci ſucco prægnantes: Hinc folia Hederaceis ſimilia, d minùs craſſa, ex rotundo mucronata, ſerrata, atro virore ſplendentia, longis pediculis appenſa. roducit & quaſi Julos, in longo racemo coacervatos, longis pediculis appenſos.

Locus & Tempus. Ad fluvios & in aquoſis oritur tam in Anglia quàm in exteris regionibus. Aprili menſe aut etiam riùs odoratæ gemmæ prorumpunt: Maio racemuli ſeu uvæ, quæ Junio decidunt, aut certè paulò ſt. *J. B.*

Auctûs eſt celerrimi & ferè incredibilis, quòd ad aquas creſcat. Conſule D. *Evelyni* Sylvam, p. 18.

Plinius cúmque ſecuti è Recentioribus nonnulli Populum inter eas arbores recenſent quæ nullos fructus pariunt. Theophraſtus de Populo variam ſententiam eſſe ait, an ſci. pariat necne. At hodierna obſervatio fertilem eſſe convincit, ut ea de re nullum amplius ſit dubium. Nonnulli tamen etiamnum hodie, ut video, Veteres errantes otioſè ſequi, quàm naturam ducem mallent. Si enim naturæ codicem, hoc eſt, arbores ipſas inſpicere dignati eſſent, ad Lydium experientiæ lapidem Veterum hiſtorias exigentes, nec Populum ſterilem eſſe, nec albam in nigram ſpontanea Metamorphoſi mutari, quantumvis id Plinius affirmet, hoc Theophraſtus variis locis inculcet, quantácunq; autoritate fuerint prædicti autores, unquam crediſſent. Qui tamen Salicem ſterilem eſſe perſuaſi ſunt, ut idem de Populo credant facilè induci poſſunt, cùm fructûs reſpectu Populus Salici ſimillima ſit.

Primum illud erumpens germen cujus in medicina uſus eſt, Officinæ *oculos* Populi vocant, alii *gemmam* Populi, Græcorum quidam ἀνίξεμα, unde erroris occaſionem acceperunt, qui non prima illa germina reſinoſa ſed julos in compoſitione unguenti ex Populo accipienda temere exiſtimant, in quibus nihil reſinoſum. *J. B.*

De temperie Populi nigræ ejúſque gemmarum, an ſci. calidæ ſint an frigidæ varia eſt ſententia, de qua vide J. Bauhini hiſt. *l.* 7. *c.* 8. Veriſimilior eorum ſententia videtur qui moderatè calidas faciunt: nec obſtat quòd Unguentum populeon frigidum ſit, Autores enim in medicamenta acopa nonnulla calida immittere ſolent, non ad totam compoſitionem calidam reddendam, ſed ad frigidorum vim deducendam, aut certè tandem retundendam. *J. B.*

Vires. Valet illud unguentum in omnibus calidis affectibus illitum: naribus inditum, & temporibus pulſantibúſque arteriis illitum ſomnum conciliat. Ejus quoq; uſus eſt ad calidos dolentéſque tumores. Quidam & feliciter podagris calidis illinunt. Sed nè inveteraſcat cautio eſt, alioqui eas vires perdit.

Oculi ſeu gemmæ adhiberi ſolent à ſexu muliebri ad capillos exornandos promovendóſque: utendi modum vide apud Matthiolum & Jo. Bauhinum. Noſtra obſervatione gemmæ ſeu ſurculi extremi poſt mediam æſtatem luteum, odoratum, pinguem & reſinoſum ſuccum exſudant; non gemmæ tantùm initio Veris antequam in folia explicantur: quantumvis Jo. Bodæus à Stapel nullam æſtate reſinam in hac arbore reperiri fidenter aſſerat; & erratum exſcribentis eſſè putat in textu Ætii, ubi in deſcriptione olei Ægirini legitur Σκιάζεται δὲ ἐν τῷ θέρει, ὅτι πολλὴ περὶ τὸ σπερμάτιον ἡ ῥητίνη.

Uſus. Annoſæ Populi lignum pulchrè criſpante undarum diſcurſu peramœnum eſſe ſcribit J. Bauhinus; ideóque artifices Germanici ex eo varia utenſilia, menſas, abacos, lectorum ſpondas, capſellas, oſtia, etiámq; cochlearia, [quadras, trullas] aliáque plurima parant. Plinius materiam lentam, adeóque ſcutis faciendis aptam ſcribit. Scutorum hodie uſus in bello nullus, ex quo ſci. bombardæ inventæ ſunt, uti nec arcuum & ſagittarum.

Quædam (inquit C. Bauhinus) floret & fructum non fert, quædam fructum fert & non floret; *ideóque arbor hæc eſt è ſexu diſtinctis: quod quanvis nobis nondum obſervatum, verum tamen eſſe minimè dubitamus, quoniam in Salice arbore congenere id dudum notavimus.*

A. 2. *Populus alba* Ger. Park. *alba,* Λεύκη J. B. *alba* (quæ λεύκη *ab albedine dicitur) majoribus foliis* C. B. **The white Poplar, or Abele-tree.**

J. B.

Plurimùm differunt Populi albæ folia à nigræ foliis, totóque vultu aliam arborem docent: Sunt ea enim omnium maxima, Aceris majoris potiùs, in acuminatas circumroſas lacinias diviſa, supernè cum atro virore fortuita lanugine donata; at inferiore parte denſo tomento incano ceu Tuſſilaginis folia, ſed magis niveo, pubeſcunt, quo etiam obſiti ſunt cum pediculis longis rami. *Folia* obſervavimus manûs expanſæ amplitudinem facilè æquantia. Quales ſint flores vel fructus non obſervavit J. Bauhinus. Lobelius ſcribit catulos ferre ante foliorum exortum, & latifoliæ Salicis modo edere. Taber. ſcribit villoſos eſſe, & è purpureo fuſcos. Ligno eſt albo, quod facilè finditur, cortice albo lævi. Et hæc, ut prior, gemmas in primo foliorum germinatu fert.

Plinius, ut & Theophraſtus à quo hauſit, Populi albæ folia in juventa circinatæ rotunditatis eſſe ſcribit, vetuſtate in angulos exire, quod & nunc etiam obſervari poteſt; è contra Hederæ anguloſa rotundantur, quod & à Theophraſto traditum.

Locus. Iiſdem locis provenit quibus nigra, nimirum in aquoſis & ad fluviorum ripas, in Anglia etiam ſed non admodum frequens.

** Hiſt. Plant. lib. 1. cap. 16.* De hac arbore tradit * Theophraſtus, & poſt eum Plinius, quòd partes foliorum pronas ſeu terram ſpectantes mox poſt æſtivum ſolſtitium vertit ſupinas, eóque argumento ruſtici ſolſtitium confectum intelligunt: nobis nihil tale obſervatum, nec cuiquam, puto, è Recentioribus fide digno.

Ex avulſione, talea, ramo facilè germinat hæc arbor, & celerrimè creſcit, brevíque temporis ſpatio ſupra fidem augetur, ut vel ob foci uſum mereatur ſeri. Materies ad eadem utilis ad quæ Populi nigræ. Commendatur etiam ad calopodia & calceamentorum calcanea.

Vires. Quod ad medicas vires attinet, has ei Dioſcorides attribuit. Cortex unciæ unius pondere potus Iſchiadicis & ſtranguriæ prodeſt. Traditur & conceptum prohibere ſi cum mulino rene bibatur: ſed & folia poſt purgationes cum vino pota idem præſtare dicuntur. Tepidus foliorum ſuccus aurium doloribus utiliter inſtillatur. Pilulæ verò [σφαιρία] quæ primo foliorum germinatu erumpunt tritæ & cum melle illitæ oculorum hebitudini medentur. Plinius foliorum ſuccum calidum aurium dolori conferre ait.

Populus alba humo tenus ſecta uſque ad radicem, & aquâ calidâ in qua fermentum diſſolutum perfuſa fungos copioſos intra quatriduum edet, eſui quoq; gratiſſimos. *Matth.* in Dioſcor. lib. 1. cap. 93. Dioſcorides utriuſq; Populi cortice in fruſta conciſo & ſtercoratis areolis inſperſo vim fungos edules producendi attribuit.

A. 3. *Populus alba foliis minoribus* Park. C. B. *folio minore* J. B.

Hæc non aliter ferè quàm foliorum parvitate à præcedente differt.

A. 4 *Populus Libyca* Ger. Park. *Libyca Plinii,* Κερκὶς *Theophraſti* J. B. *tremula* C. B. **The Aſp, or trembling Poplar.**

J. B.

Facilè & brevi tempore in magnam excreſcit altitudinem, radicibúſque reptantibus latè ſe propagat. Cortex partim nigricat, partim albicat. *Folio* eſt continuè tremente, breviore & rotundiore quàm nigra, per ambitum crenato, [inæqualiter & profundiùs dentato] ſuperna parte virente, inferna ex cinereo candicante, ac propemodum glauco [Matth. punctis quibuſdam albis conſperſam eſſe notat] *Folia* in extremo ramo interdum magis anguloſa, & ſubtus incana ad Populi albæ quadantenus accedentia, qualia minima.

Fert & nucamenta uncias quinque circiter longa, lanuginoſa, cinericei & fuſci coloris, arundinaceæ jubæ portiunculis ſimilia, quibus ſubſunt verticillatim quodammodo *apices,* perpuſilli, albidi. Oculi acuti, nitidi, ſpadicei.

E ſemine ſuo (inquit Tragus) quod Salicis ſimile cernitur, revireſcit.

In ſylvis naſci amat, uliginoſis tamen, & inter Betulas, éſtque in Anglia magis frequens quàm reliqua genera, & paſſim cognita. *Locus.*

Materies candidiſſima eſt & leviſſima, tornatoribus expetita. Ex eadem propter levitatem calopodia parantur, & in imagines exſculpuntur. Cortex arborum juniorum detrahitur à nonnullis pro facibus nocturnis. *J. B.* *Uſus.*

Gemmæ veris tempore digitis contritæ gratiſſimum odorem exſpirant.

5. *Populus rotundifolia Americana* C. B. Park. *Pop. novi orbis* J. B.

Virgulta ſunt aliquantum flexuoſa, & per ſemipalmum palmúmq; crebra, geniculata veluti inſertione commiſſuráque partium nodoſa: inde exeunt è ſingulo pediculo ſingula *folia,* orâ exquiſitè otundâ, nec uſpiam niſi quà pediculus hæret interciſa, craſſa, rigida Arboris Judæ; cui Populi alternatim exeunt prælongi loruli, ſtipati acinulis multis exiguis, planè Populi ritu, quare & hanc Populum Peruvianam vocare viſum fuit; guſtu perquam adſtringente, aliquantùm calfaciente, ſubſalſo.

CAP. II.

De Salice.

SAlix Latinis à ſaliendo dicta putatur, quòd eâ celeritate creſcat ut ſalire videatur; Græcis pariter Ἰτέα παρὰ τὸ ἰέναι, quòd citò in altum abeat.

Salix julis ſeu nucamentis è multis vaſculis ſeminalibus compoſitis quæ ſemen continent pappo involutum cum Populo convenit foliis longis aut ſaltem circumſcriptione æqualibus & minimè ngulosis ab eadem differt.

Salicum hiſtoria confuſa hactenus & obſcura nobis videtur; quocirca aliquam ei lucem fœnerari onabimur.

Multæ Salicum ſpecies in Anglia naſcentes obſervatæ ſunt, aliquæ fortaſſe adhuc inobſervatæ latitant. Has clarioris doctrinæ causâ in duo genera diſtinguemus. Primum erit earum quæ folio unt compactiore & ſolidiore, texturæ quidem reſpectu denſiore, profunditatis tamen tenuiore ſeu minùs ſpiſſo: Alterum earum quæ folio laxiore ſeu fungoſiore, eodem tamen craſſiore ſeu ſpiſſiore.

Salix Folio compactiore & ſolidiore.

A. 1. *Salix maxima, fragilis alba hirſuta* J. B. *vulgaris alba arboreſcens* C. B. *arborea anguſtifolia alba vulgaris* Park. *Salix* Ger. **The moſt common white Willow.**

J. B.

Salicum maxima, in magnam excreſcens arborem, *foliis* eſt alternatis, rarioribus, ſemunciam lus minùs latis, ſeſcunciam aut duas uncias *cum dimidia* longis, utrinq; hirſutis & incanis (prioribus amen nonnunquam glabris) potiſſimùm verò parte inferiore & in extremitatibus virgarum ſupremarum. Eſt & ubi ſuperior facies pilis propè deſtituitur. Sed & in eo variant, quòd interdum errata ſunt, interdum crenæ vixdum apparent. Virgis adnaſcuntur multæ florum ſpicæ molles & ncanæ, quæ maturitate in pappum abeunt.

At nobis obſervantibus ſpicæ hæ ſeu Juli duûm generum ſunt, aliæ floriferæ, aliæ ſeminiferæ. Floriferæ ſteriles ſunt, & poſtquam flores ſuos ſtamineos explicuerint brevi defluunt & marceſcunt. Seminiferæ nullis florum ſtaminibus aut apicibus exhilarantur, ſed ex vaſculis ſeminalibus ſolis, ſemina pappo nvoluta claudentibus, & per maturitatem in duas carinas dehiſcentibus, conſtant. Quæ has producunt rbores fœminæ ſeu fertiles meritò appellantur. Quæ autem floriferas tantum, mares ſeu ſteriles. An erò hujuſmodi arbores ſexum ſuum perpetuò ſervent, hoc eſt, an quæ ſemel flores aut ſemina proferunt, ingulis annis conſtanter id faciant, an ſubinde mutent, & alternis flores & ſemina producant, mihi nec-

dum compertum eſt. Hanc Salicis albæ ſeu Perticalis diſtinctionem à C. Bauhino factam invenio in ſuo Matthiolo. Salix (inquit) *perticalis* vel eſt *ſterilis* flores ferens amentaceos ante folia, vel eſt *fructifera* ferens racemulos, Populi inſtar, oblongis granulis.

Hæc arbor eſt quæ paſſim in Anglia oritur, quam Botanici (ut ſuſpicor) in plures diſtinguunt ſpecies. Nihil tamen fidenter affirmo. Non enim mihi cognitæ ſunt omnes Salicum ſpecies; nec quia mihi incognitæ ſunt, non dari ejuſmodi pronunciare debeam.

Salicem tamen *roſeam* non eſſe ſpeciem à vulgari alba diſtinctam certiſſimum eſt. Nam capitula hæc ſquamoſa, Roſas imitantia in diverſis Salicum ſpeciebus obſervavimus, v. g. in *Salice alba vulgari*, in *Caprea latifolia*, in *Salice humili foliis anguſtis ſubcæruleis*, in *Chamæitea*, aliiſq;. Nihil enim aliud ſunt Roſæ hæ quàm excreſcentiæ quædam præternaturales, multis Salicum ſpeciebus communes, ab inſectorum fortè morſibus aut punctionibus, aliove neſcio quo, accidente excitatæ. Extremis autem virgis ſemper innaſcuntur, & reliquis foliis delapſis hæ quamvis exſiccentur & nativum virorem penitus amittant, per totam tamen hyemem, etiam ſæviſſimam, tenaciter virgis adhærent, & ſe cuivis conſpiciendæ præbent, quia ſine pediculo iis firmiter adnectuntur.

A. 2. *Salix pumila anguſtifolia infernè lanuginoſa* J. B. *pumila brevi anguſtóque folio incano* C. B. *humilis anguſtifolia repens* Park. **Narrow-leaved Dwarf-willow.** *Cluſ.*

Hæc gracilibus & cubitalibus interdum virgis aſſurgit, lentis, quæ à medio ad ſummum ramulorum multas ferunt exiguas *florum* ſpicas, molles & incanas, maturitate in pappum & lanuginem abeuntes. *Folia* quàm pumilæ anguſtifoliæ prona parte cinereæ breviora, anguſtiora, supernè viridia, infernè cana lanugine pubeſcentia & ſplendentia. *Radix* digitum craſſa eſt & tenuibus fibris prædita. Sed & virgulta ſecundùm ſummum radicis caput, quà telluri cohærent, ſubinde tenues & capillatas fibras agunt.

Locus. Invenitur in Pannoniæ & Auſtriæ depreſſis quibuſdam cæduis ſylvis & uliginoſis pratis.

Nec huic diſſimilis, paulò tamen latioribus foliis prædita, quæ paſſim in ſabuloſis Hollandiæ aggeribus Oceano objectis inter gramina & Spartum naſcitur. Hanc ſpeciem ſeu varietatem eam eſſe exiſtimo quam obſervavi in arenoſis maritimis circa Sandvicum oppidum copioſè naſcentem, quæ tamen folio erat utrinque lanuginoſo & argenteo.

A. 3. *Salix folio lato ſplendente fragilis. An Salix fragilis* C. B? Park? *Salix ſpontanea fragilis Amygdalino folio auriculata & non auriculata* J. B? **The Crack-willow.**

In mediocrem excreſcit arborem, corticem virgarum ex luteo rubente, glabro; ramulis fragilibus, unde vulgò Cantabrigienſi **The Crack-willow** dicitur. *Folia* habet omnium Salicum quæ folio compactiore ſunt ampliſſima, anguſtiora tamen quàm *Salicis Laurini*; quatuor nonnunquam aut quinq; uncias longa, unciam aut ſeſcunciam lata, in acutum mucronem deſinentia, brevibus pediculis nullo ordine ramulis adnexa, glabra, ſplendentia, in ambitu ſerrata, supernè hilari virore prædita, infernè magis glauca, ad baſin interdum auriculis, ſed minoribus, ſurculis adnaſcentibus, donata, ſæpiùs tamen iis deſtituta. *Juli* Salicis arboreæ albæ vulgaris ſimiles; floriferi è ſtaminulis ſeu filamentis luteis, apicibus polline luteo aſperſis incumbentibus compoſiti; ad quorum filamentorum baſes foliola lutea, ſingula bina ſtaminula amplectentia, apponuntur.

Tum deſcriptio tum figura *J. B.* huic arbori quadrant, ut vix dubitem eandem eſſe quam ille deſcribit. Synonyma adjecta non reſpondent deſcriptioni.

Locus. In aquoſis & Salicetis frequens eſt.

A. 4. *Salix folio auriculato ſplendente flexilis. An Salix folio Amygdalino utrinque virente aurito* C. B? *viminalis nigra* Park? **The round-ear'd ſhining Willow.**

Hæc in arborem, quantum adhuc vidimus aut obſervavimus non adoleſcit. Cortex virgarum teneriorum luteo-viridis eſt, interdum ad rubedinem inclinans. *Folia* alternatim poſita, duas aut tres uncias longa, ſemunciam aut unciam lata, à baſi ad mucronem ſenſim anguſtata, marginibus eleganter dentatis, supernè hilari virore ſplendentia, ſaturatiore tamen nonnihil quàm ſuperioris, ſubtus pallidiora. Illud huic ſpeciei peculiare eſt (certè cum paucis commune) quòd ubiq; ad baſin foliorum utrinq; auriculas obtineat amplas, ſubrotundas, eodem modo quo folia dentatas versùs folium in angulum exeuntes. Juli floriferi muſcoſi, præcedentis ſimiles, niſi quòd tria ſtaminula ex unius folioli lutei ſinu exeunt, non duo tantúm.

Locus. In Salicetis.

A. 5. *Salix folio laureo, ſeu lato, glabro odorato. An Salix latifolia non hirſuta cum gallis* J. B? **Bay-leaved ſweet Willow.**

Hujus virgæ tenuiores nigricant. *Folia* inter Saligna latiſſima, & Laurinis ſatis ſimilia, glabra, supernè ſaturo virore nitentia, ſubtus dilutiora, duas tréſve uncias longa, ſeſcunciam & amplius lata, per margines denticulis parvis crenata, brevibus pediculis hærentia, alternatim aut nullo ordine poſita, ſuave-olentia. Flores non obſervavimus.

Locus. In montoſis Weſtmorlandiæ pratis ad rivos frequens occurrit, & in montoſâ comitatus Eboracenſis parte.

Salicis latifoliæ non hirſutæ deſcriptio apud J. Bauhinum huic plantæ ſatis bene convenit.

A. 6. *Sali*

A. 6. *Salix folio Amygdalino, utrinque aurito, corticem abjiciens.*

Folia huic quàm penultimæ ſeu quartæ ſpeciei longiora, anguſtiora, in prælongos & tenuiſſimos mucrones producta, obſcuro virore ſplendentia ac ſi polita eſſent, figurâ ſuâ ad Amygdali aut Perſicæ folia ccedentia, circa margines eleganter dentata, appendicem etiam utrinq; ad baſin habent magis conſpicuam quàm aliæ Salicum ſpecies, præter auriculas ad pediculorum exortum utrinq; virgis adnaſcentes, quæ minores ſunt in hac quàm prædicta quarta ſpecie; in utraq; tamen aliiſque omnibus nte folia defluunt. Cortex caudicis & ramorum adultiorum cinereus, rimas agit, & à ligno ſponte bſcedit. Color viminum luteus.

* 7. *Salix lutea tenuior ſativa viminea* J. B. *ſativa lutea folio crenato* C. B.

J. B.

In pulchras arbores adoleſcit hoc Salicis genus, quorum vimine nullam nobis notum ligandis vi- ibus ſimilibúſque aptius, tanta eſt, támq; lenta, rupturæ ſecura flexilitas, ut meritò viminea κατ' ξοχὼ dici mereatur. Cortice integitur vitellini coloris, amaro. *Folia* rara, acuta, palmum circi- er longa, ſemunciam lata, ſupernè cum virore ſplendentia, glabra, incana, [non video quomodo æc inter ſe conveniant habere folia cum virore ſplendentia & tamen incana] infernè nonnihil pi- oſa, potiſſimùm ſuperiora, exiguis per ambitum denticulis crenata, nullo manifeſto amarore præ- ita; adſtrictionem aliquam præ ſe ferentia.

Ab hac differre volunt illi per omnia ſimilem, cujus tamen cortex tantùm pallidior, & quæ non inoris uſûs etſi minoris commendationis.

Hac arbor in multis cum præcedente convenit, ab ea tamen differre videtur, quòd major & pro- erior, quodque folia breviora ſubtus nonnihil piloſa obtinere dicatur: nobis ergo incognita eſt.

* 8. *Salix rubra minimè fragilis, folio longo, anguſto* J. B. *Salix vulgaris rubens* C. B. *anguſtifolia purpurea ſeu nigra* Park.

J. B.

Magni uſûs eſt hæc Salix hortulanis ad ligandum; cujus cortex intensè rubet; *folia* oblonga, cuta, utrinq; glabra, ſed ſubtus nonnihil candicantia, argutis denticulis undique crenata: Vimen ntum, & ut liber obſequioſum.

Huc pertinet varietas illa quæ vulgatior, cortice minùs rubente, fortè & foliis latioribus.

Paſſim in pratorum & hortorum marginibus colitur. Eſt & ſpontanea non infrequens. Baſileæ Montbelgardi abundat. Nobis hæc ſpecies circa Baſileam non animadverſa, ſi differat à quarta ecie noſtra. *Locus.*

A. 9. *Salix humilior foliis anguſtis ſubcæruleis, ex adverſo binis. Salix tenuior folio minore utrinque glabro fragilis* J. B. The yellow Dwarf-Willow.

Cortex ramorum exterior cinerei coloris eſt, & velut politus: *Folia* oblonga, anguſta, non auricu- a, ex intervallis bina utplurimum adverſa ſeu oppoſita, non crenata, vel ſaltem leviter, ejuſdem re ubique latitudinis, & non à baſi ad apicem ſenſim anguſtata, ut in reliquis. Hujus Juli flori- i omnium minimi ſunt ſive longitudinem, ſive craſſitiem ſpectes, ex ſtaminulis ſeu filamentis lu- s & foliis lanuginoſis compoſita. Hæc denſiùs ſtipata corpus nucamenti efficiunt compactum ſatis lanuginoſum, quod pediculo brevi foliis ornato ſuſtentatur.

Obſervavit J. Bauhinus ſpeciem hanc excrementum producere in ramulorum faſtigio, Roſæ æ- ulum foliis confertim ſtipatis compactile, partim hirſutis, partim glabris. Ejuſmodi excreſcentias oſarum æmulas & nos quoq; in Germania ad ripas Danubii ſupra Ratisbonam extremis hujus (quæ copioſè creſcit) virgis innaſcentes obſervavimus: necnon veſicas illas ſubrubentes, foliis inſiden- , quarum ille in deſcriptione meminit, qualéſque in Ulmi foliis reperiuntur. Hinc non imme- ò quærit idem J. Bauhinus, Annon hæc ſit Salix anguſtifolia Pannonica Cluſi, quam ſic de- ibit,

Craſſo caudice & ramis in multò tenuiores frequentioréſque ramulos diviſis prædita eſt, quam lgaris ea Salix, quæ anguſtis alioqui foliis, prona parte incanis eſt. Hujus inſuper folia non mo- ſubtus caneſcunt, ſed licet ſupernè viridia, quadam tamen alba lanugine pubeſcunt, anguſtiora t, in longiorem mucronem deſinunt, frequentioráq; in ramulis naſcuntur. Flores aliis generibus iles, pallidi; ſeménq; minutiſſimum nigrum, candida molliq; lanugine exceptum, levis auræ arbi- huc illuc fertur. Solet etiam hæc Salix alia quadam peculiari notâ à cæteris diſtingui: Nam runq; ſubrubentibus quibuſdam tuberculis, baphico cocco fere ſimilibus onerata folia habere con- citur.

Juxta torrentes & udis locis creſcit. Viennæ torrens ſub urbe Vienna in Danubium influens eâ ximè abundat. *Locus.*

Hanc Salicem eandem eſſe cùm nobis obſervata & deſcripta mihi pæne perſuadeo, quamvis folia noſtra (quantum hactenus obſervavi) glabra ſint, nec ulla lanugine pubeſcant.

J. Bauhinus in hoc genere folioſa capitula ramulorum vertici adnata delapſis jam foliis in ar- e manentia obſervavit: quod nos in Salice vulgari arborea aliiſque.

Quære annon hujus * Juli ipſiſſimi ſunt quos deſcribit idem pro excrementis bombycinis, unciâ gioribus, candidis, lanam tum ſubſtantiâ fungoſâ, tum etiam colore per omnia referentibus teretibus oblongis, quæ ſiquis aperit in ſingulorum meditullio, inſecti quoddam minimum genus reperiet al- ans, pediculum capitis æquans, in eo tamen differens, quòd teres ſit atq; oblongiuſculum, depes, llámque progrediendi vim in ſe habens. Cæteroqui notandum, quòd in exteriori parte nuca- nti hujus floſculorum, lutei apices toto ſe proferant ambitu, exertíque ſuis finibus conſpiciantur;

* *Imo proculdubio ſunt, vermiculo in meditullio latitante fœti.*

tur, ſuis tamen longioribus petiolis excrementitiæ ſubſtantiæ toti involvantur obteganturque.

In aquoſis propè Cantabrigiam reperitur.

Cortex ramorum interior pulchrè luteus aquam in qua per duodecim horas maceratus fuerit, eodem colore tingit, ut aqua inſtar vini Hiſpanici appareat.

A. 10. *Salix pumila anguſtifolia, prona parte cinerea* J. B. *Salix pumila linifolia incana* C. B *pumila anguſtifolia recta* Park. *Chamæitea ſive Salix pumila* Ger.

Huic generi, deſcribente Cluſio, graciliores ſunt *virgæ*, utplurimùm pedales, nonnunquam dodrantales duntaxat, rectæ, lentæ, ſubflavo cortice tectæ, uncialia *folia*, ſativi Lini foliorum modo anguſta, ſupina parte viridia, pronâ verò cinerea, & cum novella adhuc ſunt omnino cana. Flos ut in vulgari flaveſcens, exigua, brevi mollíque ſpica ante folia naſcitur, ut in candidam deinde lanuginem reſolvitur. *Radix* digitalis craſſitudinis, obliqua, nigra, & tenuibus fibris donata eſt.

Locus. Creſcit hoc genus in udis cæduis ſylvis circa Francofurtum ad Mœnum. Hactenus Cluſius.

Huic nobis eadem videtur *Salix humilis repens anguſtifolia Lob.* quæ in ericetis Antverpiani agri palmaribus & ſeſquipalmaribus cauliculis repit folio Rhamni in floribus muſcoſis, Salicis guſtu amaro.

Hoc genus Salicis in ericetis & paluſtribus, præſertim montoſis, frequens in Anglia provenit. Folio eſt anguſto, oblongo, ſupernè latè virenti ſubtus cinereo: virgis tenuibus, interdum pedalibus, aut cubitalibus, ſæpiùs humilioribus, & humi procumbentibus; radice reptatrice.

11. *Salix latifolia folio utrinque glabro, ſupernè ſplendente. An Salix pumila folio utrinque glabro* J. B? *Salix pumila repens* Lob? *pumila latifolia prior* Cluſ?

Rami per terram ſparguntur minimi digiti craſſitudine, corticis colore glauco in craſſioribus, in tenuioribus virente, in plurimos ramulos diviſi, adeò ut terram cooperiant *Uvæ urſi* dictæ modo. *Folia* in ramulis crebra, alternatim poſita, pediculis brevibus fulta, utrinq; glabra, ſupernè ſaturo virore ſplendentia, nervoſa, ex rotunditate acuminata, unciam, & interdum, quamvis rariùs, ſeſcunciam longa, Globulariæ Monſpelienſium folia quodammodo æmulantur. *Julos* profert creberrimos, breviuſculos, quum Soli exponuntur purpurantes, è plurimis vaſculis ſeminalibus, è latiori baſe paulatim faſtigiatis, & in binas carinas, quarum commiſſuræ facilè cernuntur, per maturitatem dehiſcentibus, & ſemen pappo involutum oſtentantibus, compoſitos. Quæ floreos duntaxat Julos profert folia habet longiora & acutiora, non minùs tamen ſplendentia.

Locus. In altiſſimis montis Juræ cacuminibus invenimus. Salicis pumilæ latifoliæ primæ Cluſii deſcriptio huic noſtræ egregiè quadrat: Locus etiam convenit, nimirum montium herboſa & aperta juga. Noſtræ ergò deſcriptio ex illius ſupplenda. *Radix admodum craſſa eſt pro plantæ tenuitate, craſſiſque & obliquè ſparſis fibris firmata.* Cur C Bauhinus Salicem hanc repentem faciat neſcio. Cluſius enim id non dicit.

12. *Salix pumila latifolia ſecunda* Cluſ. *latifolia repens* C. B.

Cluſ.

Similes fundit virgas, nonnunquam paulò longiores, magis ſcabro cortice tectas, & in frequentiores ramulos diviſas: quas ſimilia cum ſuperiore folia ambiunt, magis acuminata, ſupernè viridia, infernè ſplendentia, licet tenui lanugine pubeſcant. Hujus florum ſpica ſive Julus craſſiuſculus eſt, illi pœnè ſimilis qui in latifolia Salice naſcitur. Radix cum ſuperiore convenit, imò craſſior quodammodo videtur, non minùs quàm illa diſperſa, virgis etiam ſecundùm radicis caput interdum fibras agentibus.

Salix folio laxiore ſeu fungoſiore.

A. 1. *Salix latifolia infernè hirſuta* J. B. *Salix latifolia rotunda* C. B. *item folio ex rotunditate acuminato* ejuſdem. *latifolia rotunda & latifolia oblongior* Park. *caprea rotundifolia & caprea latifolia* Ger. **The common broad and round-leaved Sallow.**

J. B.

Hujus *folia* interdum palmum aut ſeſquipalmum longa, latitudine quadrantali, aut etiam palmari, nervoſa; ſunt & minora multò præſertim in arboribus adultis, prona parte incana & hirſuta, ſupina viridantia [magis ſcabra & rugoſa quam in Salice folio compactiore] ſapore adſtringente ſine morſu aut amarore, pediculo ſemunciali, cui ſæpe auriculæ caulem amplectentes adnatæ. Catulos profert ſtaminulis crocantibus plenos. [At Juli ſeminiferi in receptaculis racematim cohærentibus ſemina lanitio quodam candido involuta continent.] Vimina craſſiuſcula incano hirſuto cortice amaricante tecta, tuberculis aliquando ex dulcedine leviter adſtringentibus nodoſa, fragilia: Interdum cortex velut fuligine obductus videtur.

Salix hæc foliorum figura in tantum variat, ut non ſatis ſciam an ſpecies diſtinctæ ſint nécne rotundifolia & latifolia dictæ. Verùm quoniam ſpecies temere multiplicandæ non ſunt, J. Bauhini potiùs ſententiam ſequor diſtinctas non eſſe.

Locus. Usus. Arbor hæc in ſepibus vulgaris eſt, interdum etiam procul ab aquis. Quamvis enim udis gaudeat, non tamen adeò impatiens eſt ſiccioris ſoli ac reliquæ pleræq; Salices. Hujus carbo citiſſimè ignem concipit; quapropter ad pulverem tormentarium expetitur. Præſtat etiam delineandis iis, quæ Pictores ante accuratam operam imitanda ſibi proponunt.

A. 2. *Salix anguſtis & longiſſimis foliis criſpis, ſubtus albicantibus* J. B. *Salix oblongo, incano, acuto folio* C.B. *An Elæagnus Dalechampii, & Salicis* 6. *genus* Lugd? **The Ozier.**

J. B.

Virgas cortex vireſcens obveſtit aut cineraceus [ex noſtra obſervatione vimina teneriora quæ in Salicetis quotannis exoriuntur rubent nonnihil & hirſuta ſunt] ſúntque eæ longiſſimæ & ſimplices, nullis adnatis virgulis donatæ, obſequioſæ admodum. *Folia* quoq; longa admodum, anguſta & crebro agmine ramos ſtipantia, ſuperiùs vireſcunt, inferius cum nitore ad objectum luminis vario caneſcunt, à nervo medio obliquis in margines nervulis exporrectis, in ambitu criſpa magna ex parte.

Hæc riguis gaudet locis, & ad aquas plerunq; exit. *Locus.*

Uſus. Ex hac potiſſimum, quod vimina proferat longiſſima ſine adnatis, & lenta, plectuntur quaſilli, ſportulæ, vanni, cathedræ & anaclinteria. *J. B.* Hinc & peculiari nomine [**The Ozier**] noſtratibus inſignitur.

A. 3. *Salix folio longo ſubluteo non auriculata vimine ſubluteo, item vimine rubro.* **The long-leaved yellowiſh and reddiſh Sallow.**

Hæc etiam in Salicetis colitur ad vitilia, ſi tamen permittatur adoleſcit in arborem mediocrem: virgis tenuibus ſubluteis; foliis unciam latis, tres uncias longis, acuminatis ſupina parte pallidè virentibus, prona incanis, pediculis ſatis longis inſidentibus, non auriculatis. Hoc genus interdum variat viminum colore rubro.

Hujus virgas annotinas ſummâ parte ſub Autumnum plures ſurculos emittere obſervavi.

4. *Salix humilis repens rotundifolia.*

Hæc in paluſtribus præſertim montoſis oritur.

5. *Salix humilis latifolia erecta* C. B.

C. B.

Hæc Salici latifoliæ aquaticæ acuto folio ſimilis eſt, ſed humilior, cùm hujus virgæ rotundæ, ſtriatæ vix cubitum ſuperent. *Folia* minora ſunt, ex rotunditate oblongata, in acumen deſinentia, rugoſa, parte prona lanuginoſa, tactu mollia. *Juli* rotundi, parvi flavi. Hæc (inquit) cum latifolia repente confundi non debet.

Michelfeldæ in humidis. *Locus.*

A. 6. *Salix pumila montana folio rotundo* J. B. **Round-leaved Dwarf-Willow of the Mountains.**

Vix humo ſe attollit palmaris iſta Salix, ramulis prædita rubentibus, iíſq; magnam partem nudis; quorum tamen faſtigia pluſcula coronant *folia*, valdè concinna, ad Cotoneaſtri folia quodammodo accedentia, circinatæ ferè undiq; rotunditatis, nonnihil tamen in oblongum porrecta craſſiuſcula, rigidula, rugoſa, venis ſinuatis crebris à medio nervo exporrectis, glabra utrinq;, ſed inferna parte caneſcentia, ſuperiore atro-virentia, pediculis ſatis longis; ad quorum imum animadvertere eſt fortuita capitula lanugine Saligna plena: ſubinde verò & privato inſidentem pediculo brevem ſimilis tomenti Julum.

Locus. Hæc à J. Bauhino in Rhæticis montibus collecta eſt. Nobis in rupibus à Boreali latere montis *Ingleborough* à Thoma Williſello oſtenſa & collecta eſt: necnon in monte *Whernſide* è regione *Ingleborough*, trans fluvium ſubterraneum.

Hæc Salix rectiùs fortaſſe ad primum genus referretur: erat enim (quantum memini) folio ſolidiore & compactiore. Verùm quoniam J. Bauhinus folia craſſiuſcula & rugoſa ei attribuit hîc collocandam duxi.

Sequentes tres Salicis ſpecies à C. Bauhino in Prodromo deſcriptæ an à præcedentibus omnibus diverſæ ſint, & ad quod genus pertineant me neſcire fateor.

1. *Salix Alpina anguſtifolia repens non incana* C. B.

C. B.

Ex radice atro-rubente cortice tecta cauliculi palmares, humi fuſi prodeunt, qui capillaceis radi- ibus terræ affiguntur, ramulis tamen paucis ſurſum elatis: foliolis oblongis, latiuſculis, brevibus cincti: *res* ut in cæteris, quibus abſentibus nullus Salicem eſſe crederet.

In Helvetiorum Alpibus & monte Fracto frequens eſt. *Locus.*

2. *Salix Alpina Pyrenaica* C. B.

Hæc ad ſemicubitalem altitudinem vix aſſurgit, *virgis* tenuibus, ramoſis; *foliis* oblongis, parvis, er circumferentiam piloſis holoſerici inſtar ob minutiſſimos pilos tactu mollibus. Spicæ florum an- uſtæ, unciales, molles ſunt.

In ſummitatibus Pyrenæi montis collecta fuit. *Locus.*

3. *Salix ſaxatilis minima* C. B.

C. B.

Hæc duas uncias vix ſuperat, quæ ex radicula caudicem craſſiuſculum, vix ſemiuncialem emittit, qui in binos ternóſve unciales ramulos, terræ incumbentes dividitur. *Folia* ſunt parva, oblonga, ſubrotunda, atrovirentia, venoſa; quorum medio capitulum parvum, ſubrotundum, velut ex multis baccis compoſitum inſidet, quibus maturis apertis veluti ex triangulari capitulo mollis, candida & brevis lanugo effertur.

Locus. In Alpium Helvetiorum jugis ſaxis inſidens reperitur.

4. *Salix Syriaca folio oleagineo argenteo* C. B. *Ægyptiaca & Syriaca* Park. *Safſaf Syrorum*, *Salicis ſpecies* J. B.

Magnitudine variat, Betulæ ſimilis trunco, ramis frondibúſq;. Virgæ longæ, graciles, molles, & ex pallido flaveſcentes. Surculis mollicellis folia hærent Viticis. E ramis germina ſpithamæa hinc indè prodeunt, haud ſecus ferè ac in Ficu Cypriotica: E quibus primo vere floſculi mollicelli ac lanuginoſi pendent, pallidi, Populneorum æmuli, naturâ ſicciores, jucundi odoris. Hos legunt incolæ [Halepi] eò quòd * nullum ferant fructum, & ex iis aquam Cardiacam pretioſiſſimam eliciunt.

** Imo fructus lanugini proculdubio intermiſcetur ut in aliis Salicibus.*

Hanc arborem Rauwolfius, eúmq; ſecutus Cluſius, Elæagnon Theophraſti eſſe cenſent.

Idem Rauwolfius ait eſſe *Arnabo* Æginetæ, *Zarneb* & *Zarnabum* Arabum, *Zurumbeth* Serapioni communi nomine dictum cui & J. Bauhinus ſubſcribit. Diſcrepantes ſententias Botanicorum de Zarnabo & Arnabo vide apud *J. B.* hiſt. lib. 8. c. 21. versùs finem. Eſt autem Arnabo ex aromaticis, unde in unguenta miſcetur. Zurumbeth Arabum ſiccat & adſtringit: Cor exhilarat, & confortat, compeſcit vomitum, muliebria ſiſtit, flatus reſolvit, venenatorum morſibus reſiſtit.

Calaf ſeu Ban Alpini.

C. Bauhinus & Parkinſonus pro præcedentis ſynonymo habent. J. Bauh. à præcedente ſeparat. Et revera Alpinus foliis majoribus & latioribus depingit & deſcribit, quocum etiam conſentit eruditiſſ. Veſlingius, annotat tamen varietatem eam potius accidentalem eſſe, & loco deberi: ait enim inter Syros vicinóſq; populos anguſtioribus foliis contractam plantam conſpici. Eam (pergit) nulla inſidet lanugo, nec à medio nervo productæ fibræ ambitum foliorum diviſuris interſtinguunt, ut icon Alpini repræſentat. Ad foliorum exortum folliculi emergunt ſinguli, rubro leviter colorati, cordíſque diaſtole ſeſe ſtringentis figuram exprimunt, unde & nominis & virtutum ratio primitus deducta videtur. Caleb enim ſive *Calub* Arabibus cor denotat. Dehiſcens tandem folliculus floreum dicam an laneum partum excludit, interfuſa candori flavedine pictum, quem in rectum exiens incluſus ſtamineus ſcapus fulcit.

Vires. E floribus elicitur aqua adorata, *Macalef* dicta Alpin. cujus frequens uſus eſt in Affectibus cardiacis calidis. *Rauwolf.* ad venena arcenda, ad cor recreandum, & putredinem exſiccandam eam prædicant Ægyptii, & in febribus peſtilentibus pro ſecreto habent. *Alpin.* Per variolas deturpatis infantulis cum Bezoar aliquot granis utiliſſimè exhibetur. *Veſling.*

Aquam in qua flores multi infuſi vel bulliti fuerint, exhibent ad dolores capitis, & ad reliqua ad quæ aquam deſtillatam, éſtque ad quoſcunque febricitantes maximo apud illos in uſu. *Alpin.*

5. *Salix Arabica foliis Atriplicis* C. B. *humilis Arabica foliis Atriplicis* Park. *Garb Maurorum Salicis genus* J. B.

Rauwolf.

Arbor eſt patula, haud tamen multùm aſſurgens, cujus ſurculi extremi teneriores fragilioréſque quàm ut Salicum noſtratium inſtar vimineo operi inſervire queant. Cortex ex pallido flaveſcit, ſicut & folia, quæ oblonga palmum circiter, duos digitos lata, per ambitum velut Atriplicis folia ſinuata, modicè ſiccante & adſtringente facultate. Fructum & florem ſe vidiſſe negat.

Scribit Rauwolf. ex ea aphronitrum, Salem petræ vocant, optimum fieri ad pulverem tormentarium. Surculos ſci. extremos cum foliis in cinerem comburi, affusâque aquâ macerari, ſeparari & multa ebullitione coagulari. Sed pulverem illum noſtrati haud æquivalere. Nihil certè aliud eſt quam Sal fixus iſtius arboris, quem ab alterius cujuſcunq; plantæ ſale fixo non differre ſpecie exiſtimo.

Cæterùm Avicenna, notante J. Bauhino, ſuo *Garab* eaſdem pæne vires tribuit quas Salici.

6. *Frutex Æthiopicus conifer foliis Cneori, Salici æmulus* Breynii, *cent.* 1. *cap.* 9.

Breyn.

Ramoſus eſt valdè, ligno duro, ſubalbido, cortice è gryſeo ruſeſcente; *Foliis* frequentiſſimis, craſſis, duris, Cneori ſimilibus; quæ in ſurculis paulo minora, quò autem magis ſuperiora verſus tendunt, eò majora latioráq; ſpectantur: donec ſurculorum tandem faſtigia coronando finiunt, inq; ſuo meditullio, pariter ac inter ſurculorum divaricationes, *Globulum* lanuginoſum & penitus niveum, Salicis Capreæ Tabernæmontani catulo ſimilem, ſed minorem, & tuberculis ſubtiliſſimis ſtrobili inſtar immaturi de Pinaſtro exaſperatum continet; è quo ſuccreſcente *floſculi* muſcoſi, Salicis quodammodo ſimiles, ſtaminulis pallidis conſtantes, erumpunt. His deciduis globulus ille in conum fuſcum, uncialem & majorem, ſquamis in extremitate ſua albidis & lanuginoſis, evadit.

Reperitur hujus ſpecies major, foliis majoribus.

Julus deſcriptus, fruticem hunc Salicis ſpeciem eſſe demonſtrat: cumq; florifer ſit, ſexu maſculum. Capitis bonæ ſpei inquilinus eſt.

Locus. Nullius (ut rectè Plinius) tutior eſt reditus minoríſve impendii [quàm Salicti] aut tempeſtatum curior. Tertium locum ei in æſtimatione ruris Cato attribuit, priorémq; quàm olivetis, quámq; umento, aut pratis.

Tempus. Inter primas arbores germinat Salix, Julos & flores initio Veris oſtentans. Juli autem floriferi evi decidunt; ſeminiferi ad æſtatem uſque in arbore durant. Componuntur hi è multis vaſculis minalibus, oblongis, mucronatis, per maturitatem in binas carinas dehiſcentibus, & lanuginem ſtentantibus, cui ſemina involuta. Semina autem ſata germinare & Salices edere à Trago obrvatum & proditum: idémque confirmat J. Bauhinus. Salix ergò ab Homero ὠλεσίκαρπος dicitur, on quòd ſterilis ſit aut infrugifera, ut nonnulli opinati ſunt, hoc enim experientiæ repugnat; neq; uoniam ocyſſimè amittat ſemen, antequam omnino maturitatem ſentiat, ut Theophraſtus, Plinius liique ſtatuunt. Nam Salices omnes ſemen perficiunt, nonnullæ etiam diu rètinent: Sed fortaſſe uia ſemen virile infœcundum reddit & conceptum impedit. Nam & folia Salicis contrita & pota ntemperantiam libidinis coercent, & in totum auferunt ipſam ſæpiùs pota. *Plin.* & ſterilitatem inrunt conceptúmq; impediunt. *Dioſc.*

Vires & Uſus. Salicis cortex, folia, Juli refrigerant & aſtringunt; exſiccant etiam citra mordacitatem tum flos, tum ſuccus expreſſus, quem medicamentis exſiccatoriis reſervant. Haud enim invenias quid ad lures res utilius medicamento citra mordacitatem exſiccante, quod paulum etiam adſtringat. *Gal.* Hinc ſanguinem expuentibus proſunt. Corticis è ramis primis cinis clavum & callum aceto maratus ſanat; vitia cutis in facie emendat, magis admiſto ſucco ſuo.

Succus è plaga manans cùm floret ad expurganda valet quæ obſtant oculis; item ad ſpiſſanda quæ pus ſunt, ciendámq; urinam, & ad omnes collectiones intus extrahendas.

Plura habent Veteres de viribus Salicis ejúſq; partium, quæ vide apud J. Bauhinum.

Folia cum ramis in cubiculis ſtrata aerem infrigidant & febricitantium ardores mitigant. In quem ſum haud infeliciter etiamnum in Italiæ & Galliæ quibuſdam locis adhiberi obſervavimus. Folia um aliis refrigerantibus aquæ incocta ad lotiones pedum febricitantibus conducunt. Ex ejuſdem gno & bacilli raſorii parantur ad abradendam linguam cauſo & febribus ardentibus laborantium, otante Camerario. Hæc omnia è J. Bauhini hiſtoria.

Salicis arboreæ ramorum uſus eſt ad perticas pro Lupulis & ad ſtipites pro ſepibus; ligni etiam lim ad ſcuta; nam cùm lentiſſimum ſit, plaga ei inflicta contrahit ſe penitus, eludítque ſuum vulus, & ob id contumaciùs tranſmittit ferrum; & quòd leviſſimum ſit, utilitatem eandem ingemiat. *Plin.*

D. Evelynus lignum hoc ad cultros menſarios exacuendos & poliendos alii cuicunq; non ligno antùm ſed & coti præfert.

Præcipuus autem eſt uſus viminum ad corbes, ſportas, qualos, caniſtra, fiſcinas, clathros, vannos, athedras, cunas, anaclinteria, aliáque utenſilia innumera texenda, in omni vita adeo neceſſarius, t non immeritò Cato tertium Salicto locum dediſſe videtur, ut ſuperiùs diximus.

SECTIO V.

Arbores floribus imperfectis, ſeminibus in vaſculis membranaceis, aut membranis auctis contentis.

CAP. I.

De Ulmo.

Ulmi vox (ut videtur) primitiva eſt: ſiquidem nullum ejus Etymon apud Grammaticos aut Botanicos reperire potuerim. Græcis Πτελέα dicitur.

Ejus notæ characteriſticæ ſunt folliculi ſeminales compreſſi Atriplicis hortenſis folliculoum æmuli antequam folia erumpant præcoci maturitate decidentes.

Ulmi duo genera à pleriſque Botanicis Theophraſtum ſecutis ſtatuuntur. At neq; hi in nomiibus aut deſcriptionibus conveniunt. Nos in Anglia tres obſervavimus ſpecies, quibus addit D. Goodyerus quartam. Eæ ſunt,

A. 1. *Ulmus vulgatiſſimus folio lato ſcabro* Ger. emac. *vulgaris* Park. **The Common Elm.**

J. B.

Arbor eſt grandis & procera, multis ramis brachiata: cortice juniorum ramorum ſeu virgarum x cinereo rubente, nunc lævi, nunc profundiſſimis ſulcis eminentiſſimíſq; porcis ſecundùm longiudinem exarato, interiori albo, lento admodum & tenaci, ut in longum facilè ſine ruptura derahi poſſit. Cortex arborum adultiorum pro earum vetuſtate in rimas finditur, & admodum ruoſus & inæqualis evadit. Lignum interius ex luteo rubeſcit, pectine in tabulis lævigatis valdè conſpicuo,

ſpicuo, cùm penitus exaruerit firmum admodum & lentum, nec findi facile, unde ad vehiculorum axes, quódque nodóſum in eo eſt ad rotarum modiolos fabricandos expetitur. Quod cortici proximum eſt, Alburnum dictum, in hac arbore præ aliis hoc nomen meretur. Ante omnia *flores* promit è ramulorum extremorum tuberculis in muſcarium congeſtos, ex ſtaminulis plurimis atropurpureis, quorum terna aut quaterna includuntur receptaculo oblongiuſculo in viridi purpurante. Floribus ſuccedunt *foliacei* utriculi, compreſſi, ſeminibus Atriplicis ſimiles, multi ex oblongo rotundati, magni, tenues & in extremo parùm fiſſi, in quorum medio *ſemen* parvum, tenerum, planum, candidum, ſapore dulci: maſticatum plurimum reddit ſuccum, ut & cortex. Tandem poſt ſemina è ramulorum qui ſemina ſuſtinent faſtigiis folia ſe proferunt, lætiùs primùm virentia, poſt obſcuriùs, oblonga, criſpa, in ambitu ſerrata, tres quatuórve digitos longa, duos treſve lata, (de media magnitudine intellige, alia enim longiora ſunt & latiora, alia breviora & anguſtiora) utrinq; ex rotundo faſtigiata, ſingularia alternatim poſita.

Per mediam longitudinem rectus, & à tergo magis conſpicuus, tranſit nervus, à quo alii minores ceu coſta, recti & veluti paralleli crebri exeunt, in uno tamen latere plures, quo fit ut altera foliorum pars alteram longitudine vincat, ut ingenioſè primùm obſervavit Cordus. [Noſtra obſervatione hoc non eſt perpetuum] Pediculi foliorum breviſſimi.

Foliis quotannis adnaſcuntur folliculi cavi, tuberoſi, ſubrotundi, ac diverſarum figurarum, in quibus primùm glutinoſus quidam humor ex quo vermiculi exigui gignuntur, qui in minutos culicellos transfigurantur. *In Anglia veſiculæ hæ rariſſimè obſervantur in Ulmorum foliis.* Succus hic ad uſum Maio menſe colligendus, antequam vermiculos producat.

An fructus à floribus ſejuncti ſeu remoti ſunt, nobis nondum certè obſervatum fatemur.

A. 2. *Ulmus minor folio anguſto ſcabro* Ger. emac. *minor* Park. **The narrow-leaved Elm.**

Præcedenti ſimilis eſt, multò tamen minor & humilior, *folia* plurimùm duos digitos cùm ſemiſſe longa, unum aut paulò ampliùs lata, circa margines pari modo ac præcedentis ſerrata. In reliquis cum præcedente convenit. Flores & ſemina non obſervavit deſcriptionis autor Jo. Goodyerus.

Inter oppida *Chriſt-Church* & *Limmington* in ſaltu dicto *Foreſta nova* in Hantonia invenit, & plantulam in hortum ſuum tranſtulit, ubi juxta Ulmum vulgarem ſita diligenter intuenti facile potuit diſcerni.

A. 3. *Ulmus folio latiſſimo ſcabro* Ger. emac. *Ulmus latiore folio* Park. **The Wych-Haſel, or broad-leaved Elm.**

In arborem prægrandem & proceram adoleſcit, præſertim in ſylvis & inter arbores naſcens. Cortex exteriùs nigrior eſt quàm in prima ſpecie, non minùs tamen lentus & tenax, qui è ramis, cùm ſucco turgent, abſque ruptionis periculo detrahi poteſt ad duodecim plus pedum *longitudinem*, & è quo non raro nectuntur funes. Materies colore primæ ſpeciei ſimilis, *minùs tamen firma* ac tenax, nec ad modiolos idonea, quòd faciliùs findatur. Rami majores ſunt & craſſiores, magis patuli ſeu in latum diffuſi, magíſque dependentes quàm illius: Flores & ſemina ſimilia, verùm hæc nonnihil majora. *Folia* multò longiora latioráque quàm alterius cujuſcunque Ulmi ſpeciei, nimirum tres, quatuórve digitos plurimùm, lata, quinq; aut ſex longa, utrinq; tractanti aſpera ſeu ſcabra, per margines ſerrata, Coryli foliis adeò ſimilia ut incautum pro iis fallere poſſint, unde & Arbor noſtratibus **Witch-Haſel**, i. e. Ulmo-Corylus dicitur. In reliquis cum prima ſpecie convenit.

Locus. In ſolo quocunque ſeu ſicco, ſeu humido feliciter creſcit vigétq; ; tam in altis montibus quàm in vallibus depreſſis, non in Hantonia tantùm ſed etiam in aliis Angliæ comitatibus.

Arcus ex hoc ligno olim factos fuiſſe affirmant ſenes.

Hujus ramulus à C. Bauhino miſſus deſcribitur in Hiſtoria Plant. J. Bauhini.

A. 4. *Ulmus folio glabro* Ger. emac. Park. **Witch Elm, or ſmooth-leaved Elm.**

Altitudine & craſſitie primæ ſpeciei æmula eſt; verùm rami non adeò erecti ſunt, ſed ad præcedentis ſpeciei modum in latum diffuſi & deorſum dependentes. Folia primæ ſpeciei formâ ſimilia, verùm utrinq; glabra & obſcuriùs viridia cætera ei ſimilis eſt.

Varietas Hujus varietatem habet Hiſtor. Agri Oxon. D. *Plott*, ſub nomine Ulmi folio anguſto, glabro, acuminato.

Locus. In agro Cantabrigienſi frequentiſſima habetur, & alibi etiam in Anglia.

J. Bauhinus in Alſatia propè Polvillam arcem obſervavit Ulmi ſpeciem, cui folia valdè crebra, parva, nec multò majora articulo poſtremo pollicis, plurima etiam minora, minùs rugoſa, ſuperna parte nonnihil lucida, nervis eleganti ac exquiſito ordine diſpoſitis. Fortè hæc varietas eſt præcedentis.

Quòd Tragus Ulmum proceram nullo fructu prægnantem dicit, penes ipſum fides ſit. Plini Atiniam ſemen nullum proferre prodidit.

Attamen Columella id falſum eſſe ait, nam rariorem fructum ſine dubio creat, & idcirco ple riſque ſterilis cenſetur. Affirmanti potiùs quàm neganti credendum. Nec veriſimile eſt dari ulla vel Ulmi, vel alius cujuſcunq; arboris in rerum natura ſpeciem ſterilem: fortè aliqua individua fœcunda obſervata fuerint, unde ſterilitas toti ſpeciei imputata. Semen autem Ulmi Samera Lati dicitur; quæ circa finem Aprilis matureſcit.

Ulmus, Theophraſto auctore, lucos aquáſq; deſiderat. Apud nos paſſim in ſepibus provenit, *Locus.* locis tam ſiccis quàm humidis, tam montoſis quàm planis. Conſortio gaudere videtur. D. Evelinus ſuſpicatur hanc arborem non ſponte provenire in Anglia: mihi tamen contrarium videtur, quòd D. Goodyerus in ſylvis & ſaltubus Ulmos frequentes inveniri aſſerit, quódq; in omnibus, pauciſſimis exceptis, hujus Regni provinciis copioſe creſcant. Nec ſi alicubi non inveniantur, efficitur indè ſpontaneas alibi non eſſe: Nam & Fagi quas omnes pro indigenis Angliæ habent, in multis ejus Comitatibus non oriuntur: niſi & has etiam autoritate Cæſaris è numero ſpontanearum excludere velit.

Ulmus è radicibus copioſos ſtolones emittit, unde iis avulſis & tranſplantatis propagatio ejus acilis. Seritur etiam talea, & commodiſſimè ſemine ſeu Samera. Verùm varios modos ſerendi & tranſplantandi Ulmos ad ambulacrorum uſum vide apud D. *Evelinum* in Sylva, cap. 4.

Nulla arbor, eodem auctore, tranſplantationis adeò patiens eſt ac Ulmus, poſſe enim removeri tiam vicennes, haud dubio ſucceſſu, ſéque expertum eſſe in arbore cujus caudex ſuiipſius corpore uplo major erat.

Ulmorum olim eximius uſus fuit ad vites maritandas, & ad pecudum cibària: nam capræ & oves *Uſus.* ibentiſſimè hac fronde veſcuntur, itémque boves, ſed magis Atiniæ; ideóque Veteres, & præcipuè olumella, quomodo Ulmaria facienda ſunt, reliquúmq; harum arborum cultum fusè & eleganter xponit: nunc dierum in honore minore ſunt.

Materia vel in ſicco, vel in aquis diutiſſimè durat: at viciſſitudinum ſiccitatis & humoris minùs atiens eſt: reliquas poſt Cornum firmitate facilè vincere autor eſt Theophraſtus. Noſtrates (ut iximus) pro rhedarum & vehiculorum axibus eâ utuntur próq; rotarum modiolis, ad quem uſum ptior eſt quæ verrucoſis & nodoſis excreſcentiis totâ ſuperficie obducitur, quibus hæc arbor præſer- m detonſa valdè obnoxia eſt, ſucco nutritio ob ubertatem, & quia exitum non invenit, perruptis ſis ei devehendo deſtinatis ab uſitato tramite deerrans, & in irregulares motus, flexuoſos, circu- res, undantes, raptus hujuſmodi tumores excitat. Hinc Theophraſtus & Plinius Ulmum, quòd vigo- m fortiſſimè ſervet, cardinibus aſſamentíſq; portarum utilem eſſe ſcribunt. Celebratur & ad fo- s, præla & torcularia: utilis etiam eſt ad aſſeres pro tabulatis conclavium in domibus & ad alia ulta, quæ vide in Sylva D. *Evelyn.*

Quod ad vires in medicina (autore Dioſcoride) Ulmi folia, rami & cortex adſtringendi vim ha- *Vires.* nt. Folia trita ex aceto ad lepram efficaciter illinuntur [Cortici hoc tribuit Galenus, Plinius & ro & foliis] & vulnera glutinant; multò verò magis cortex ſi faſciæ loco circumvolvatur. Ra- ces eandem vim habent vulnera glutinandi; nam decocto earum [corticis radicum Dioſc.] qui- m perfundunt fracturas, unde eas celeriùs obducto callo conſolidant.

Idem decoctum articulorum duritias emollire, & nervorum convulſiones reſolvere dicitur: De- cto radicum ſupernatans pinguedo illita pilos defluxos reſtituit. Cortex rad. contuſus, & muriâ que adeò ſubactus ut malagmati ſimilis ſit, illitus podagricos dolores mulcet.

Corticis denarii pondus [unciæ pondus] in hemina aquæ frigidæ [in vino aut aqua *Dioſc.*] potum um purgat, pituitáſq; & aquas privatim trahit. *Plin. Dioſc.* Mirum aſtringens purgare.

Lachrymam commendat Plinius ad collectiones, vulnera & ambuſta; at Ulmus noſtras nec ſponte, vulnerata lachrymam fundit.

Cortex arboris ſi in aqua communi decoquatur, donec aqua conſiſtentiam ferè ſyrupi acquirat, de- cto autem admiſceatur tertia pars Aquæ vitæ; ſingulare eſt remedium adversùs dolorem iſchiadi- n, ſi pars affecta eo ad ignem aliquandiu foveatur.

Humor qui in folliculis foliis innaſcentibus reperitur faciei illitus cuti nitorem inducit, faciémque tiorem præſtat: Matthiolus puerorum enterocelis mederi ſcribit, ſi ſplenia in eo madefacta in- ni ſuperponantur atque ſub femorali ſubligentur. Fallopius ſe nihil reperiſſe opportunius ſcribit agglutinatione hoc liquore, ſéq; vidiſſe mirabilia in Villicis; modúmq; ejus conſervandi tradit. ra vide apud J. Bauhinum, *tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 8. *cap.* 51. *pag.* 144, 145. & *Sennertum in Pa- pom.* ad lib. 1. Pract. cap. 19. Henricus *ab Heers* in *Obſervat. Medic.* duas narrat hiſtorias impri- s memorabiles de hoc liquore quorum priorem non pigebit huc tranſcribere.

Ante annos 29 multum maris & terræ emenſus ſum cum quodam Lithuano, Chemiam, vari- ue artes, ſerias, ludicras, etiam magicas, quarum tamen me præſente nullum unquam ſpecimen, ſeriò conaretur edere potuit, profitente. Hic ab omnibus medicis, agyrtis, anubus, veneficis, micis, in tota quam obierat Aſia & Europa, ſecreta, ut vocabat, prece vel pretio, vel permu- one plurima collegerat. Inter alia gallum gallinaceum, utrâque illum manu tenens, mihi obtu- juſſit me oculum ſæpiùs acutiſſimo cultello punctum, intérq; digitos preſſum orbitæ cranii re- ere: Affudit illi liquoris guttas duas, obligatóq; capite ciſtæ incluſit, è qua poſt horas octo edu- utroque oculo ita ſibi ſimili, ut nec ego qui ſecueram, nec aſtantium aliquis ſectum oculum à poſſet diſtinguere. Altera hiſtoria eſt de filia viri nobilis, cujus oculum acu punctum, poſt- m totus humor aqueus & pars vitrei effluxerat, liquore hoc intra unius noctis ſpatium perfectè vit: manſit tamen lumine & viſu caſſa: Verùm ità, ut etiam vigeſimo poſt anno nemo excœ- m oculum à vidente, etſi curioſè indagabat, diſcriminare potuit, imò multos annos cum marito ratis ejus inſcio vixit. *Hactenus Ab Heers.*

erùm ex recentiore & acuratiore Obſervatione *Franc. Redi*, & *Antonii Nuck* colligitur liquorem dictum ad vulnera inflicta ſananda & humorem oculi aqueum expreſſum reſtituendum nihil ulisse, ſed naturam ſolam totum opus perfeciſſe: id quod cuivis manifeſtum eſſe poterit, (in- D. Redi) cui placuerit oculos Hirundinum, aut alterius cujuſcunque Aviculæ acu vel ſcalpro ter terebrare. Ego ejus rei periculum feci in gallinis, anſeribus, anatibus, gallis noſtratibus & cis, & animadvertendo omnia hæc volatilia ſua ſponte minore quàm 24 horarum ſpatio ſanari, acem deprehendi *Cornel. Celſum*, lib. 6. dicentem, Extrinſecùs verò interdum, ſi ictus oculum t, ut ſanguis in eo ſuffundatur, nihil commodius eſt quam ſanguine Columbæ, vel Palumbis, Hirundinis inungere, neq; id ſine cauſa fit, cùm harum acies extrinſecùs læſa, interpoſito tempore in antiquum ſtatum redeat, celerriméque Hirundinis, unde locus fabulæ factus eſt, aut per parentes, aut id herbâ Chelidoniâ reſtitui quod per ſe fit. *Antonius Nuck* in libello quem nuper evulgavit, *De Ductu ſalivali novo, ſaliva, Ductibus oculorum aquoſis & humore oculi aqueo*; Ductus hoſce aquoſos in oculi bulbum inſeri obſervavit, quibus humor aqueus aſſiduè ſuppletur, & effuſus intra paucarum horarum ſpatium reſtituitur: unde in vulneribus & puncturis oculorum non aliud medicaminis genus magis neceſſarium putat quàm quod mucagine quadam labia vulneris oblinere & viam quodammodo præcludere valeat.

Quòd humor oculi aqueus ſponte reſtituitur abſque ullius medicamenti ope, experientiâ probat. Expertus (inquit) novi, loco ſaltem obſcuriore ſervato animali (poſt corneæ læſionem & humoris aquei expreſſionem) decem horarum ſpatio, oculo humorem viſúmq; redditum fuiſſe, & nuperrimè in Theatro noſtro Anatomico [Leydenſi] publicè idem demonſtravimus in cane cui ex vulnerato oculo tam copioſè effluxit humor aqueus, ut flaccidus appareret oculus læſus: obſervatum tamen elapſo ſex horarum ſpatio oculi bulbum humore ſuo iterum repletum fuiſſe, idque ſine ulla medicamentorum applicatione. Ipſum Galenum hoc non latuit, Oculos vulneratos reſtitui *poſſe*; Cæterùm incredibile quiddam, nec fieri vulgò ſolitum in puero vidimus, qui ſtilo in *pupillæ loco* fuerat compunctus; nam cùm ſtatim effluxiſſet aquoſus humor, tum pupilla ipſa minor eſt reddita, tum tota cornea apparuit rugoſior, cæterùm ſanatus poſtea rectè vidit, collecto ſci. paulatim in eo qui effluxerat humore. Et ſi fides hiſtoriæ Byzantinæ ſcriptoribus, teſtantur hi Imperatores Conſtantinopolitanos quoſdam, quorum oculi pungente inſtrumento (qua de cauſa ſupervacaneum hic dixiſſe) ità lædebantur ut aqua efflueret, brevi tamen poſtea oculorum & vigorem & præter expectationem viſum recuperâſſe. Hoc ſi minùs veriſimile videatur, teſtem adduco Joſephum Zambeccarium, qui de Doctore quodam Nerio narrat ſequentia, Canis (inquit) binos oculos ſcalpello chirurgico, quo venas aperire ſolent, dextrè confodit, & ex iis totum humorem aqueum expreſſit, ità ut oculi tanquam duo ſacculi vacui corrugati manſerint: cane deinde ſub ſolius beneficæ naturæ tutela relicto, poſt ſex horas & breviori forſan tempore, ipſius oculos repletos fuiſſe, & ad ſtatum naturalem rediiſſe; cicatricis nota ſolùm remanſerat, & Canis lætus & alacer erat, ac ſi nullo affectus fuiſſet incommodo, & quod pluris intereſt, cæcus non manſit & acutè videbat. Idem experimentum in variis aliis canibus, ſuper Cuniculis, Indicis porcellis & Agno rurſus tentavimus, ſemper omnes intra paucas horas feliciſſimè ſanati ſunt, & adeò incolumes evaſerunt, ut nè unus quidem ex ipſis ex inflicto vulnere cæcus remanſerit. Hæc autem quæ Nerius expertus eſt veriſſima ſunt, ſed locum ſaltem habent in oculis quibus pungente acu, aut alio quopiam inſtrumento, ſed tenello vulnera infliguntur exigua: ſi verò majuſculum fuerit vulnus, intimiúſq; adactum inſtrumentum pungens aut ſecans, ſanandi methodum quam ſupra propoſuimus obſervare præſtabit.

Ex hoc liquore oleum paratur, teſte Sylvio, in vulneribus præſtantiſſimum. Nobis verò hactenus obſervatum, inquit J. B. Olea quæcunq; in vulnere ſimplici minùs profeciſſe: nam & eis fere ſordeſcit vulnus, & glutinatio, quæ imprimis deſideratur, impeditur.

Cæterùm apes, ubi ſe poſt hybernam famem Samerâ impleverint, profluvio alvi, *niſi ſuccurratur*, intereunt. Hinc in regionibus Italiæ Ulmis conſitis, raró frequentes durant apes; *ut prodidit* Columella. Nihil tale à nobis hactenus obſervatum at neq; ab aliis fide dignis traditum accepimus.

CAP. II.

A. *Oſtrya Ulmo ſimilis fructu in umbilicis foliaceis* C. B. *Oſtrys ſive Oſtrya Theophraſti* Park. *Fagus ſepium vulgo, Oſtrys Theophraſti* J. B. *Betulus ſive Carpinus* Ger. **The Horn-beam, or Hard-beam tree.**

J. B.

PRocerior magna ex parte eſt, quàm ut ad vulgatarum ſepium humilitatem cogi poſſit, atq; adeò in inſignem altitudinem ſæpe excreſcat, *caudice* craſſo, cortice albido, æquali, materie duriſſima & ſolidiſſima, albicante. *Folia* per ramos ulmea, ſerrata ſed longiora, denticulis in ambitu acutioribus, & velut in ſpinulas deſinentibus, utrinque glabra, supernè hilari virore ſplendentia. Ex ramis primo vere nucamenta quædam ac Juli dependent, foliati, oblongi, foliorum agminibus densè ſtipati acutorum, membranaceorum, ruforum, aut ex viridi fuſcorum. *Fructus* verò in longo pediculo ſpicæ inſtar, foliorum anguſtorum ligulis alatis obvallatus, pyramidali corculi effigie, ſtriatus, compreſſus, lignoſus: qui proveniens duo foliola Pomorum foliolis ferè ſimilia producit.

Paſſim in ſylvis & ſepibus Angliæ, Germaniæ, Galliæ, & aliarum provinciarum occurrit.

Locus. In hujus arboris nomenclaturis & hiſtoria admodum confuſi & obſcuri ſunt Botanici, ut apud J. Bauhinum videre eſt.

Uſus. Lignum candidum eſt, ſolidum ac firmum, unde ad rotas molendinares, cochleáſque ac trochleas, aliaque inſtrumenta, quæ magnis ponderibus ſuſtinendis inſerviunt expetitur.

D. Evelynus commendat hanc arborem ad ſepes tonſiles pro ambulacris in hortis & viridariis.

Vere vulnerata lachrymam exſtillat non ſecus ac Betula.

Ad nos ſcripſit D. *Tancredus Robinſon* mirum quoddam corpus ramoſum globulos fungoſos ſeu excreſcentias in ſummitatibus ferens obſervatum fuiſſe inter corticem & lignum Carpini à D. *Dodart*, & à D. *Marchand* gummoſam ſubſtantiam inſtar laccæ & ſpiritu vini diſſolubilem è trunco hujus arboris copioſe extillare, & longis filis dependere.

DE MORO.

Morum huic libro ſubjungendam duxi, quòd & ipſa julifera ſit: an vero fructum à flore ſejunctum gerat mihi nondum conſtat. Vocis Mori multiplex Etymon adfertur, Qui Latinam eſſe volunt à mora ſeu morando deducunt, quòd arborum poſtrema frondes germináque producat. Verùm Mora & Morus non conveniunt quantitate primæ ſyllabæ. Alii à μαυρὸς, id eſt, niger dictum volunt quia baccæ ejus nigræ ſunt. Alii & rectiùs à Græco deductum exiſtimant. Nam & arbor ipſa Μορία appellatur à Nicandro: Fructum vero Μόρον dici Æſchyli, Sophoclis aliorúmq; autoritate comprobat Athenæus libro VI. alii ἀπὸ τοῦ μόρου, id eſt, exitio, ſupplicio, infortunio deductum putant, quòd exitii quondam cauſa fuit illis qui exſcindebant. At quibus quæſo aut quando? Nec defuere Grammatici [qui literam pro litera ponendo] μῶρον κατ' ἀντίφρασιν dictam arbitrantur, id eſt, ſtultam cùm ſit ſapientiſſima, Plin. lib. 16. c. 25. Noviſſima urbanarum germinat Morus, nec niſi exacto frigore, ob id dicta ſapientiſſima arborum. Idem l.18. c.27. Cùm germinare videris Morum, injuriam poſtea frigoris timere nolito: eadem de cauſa ſapientiſſima fertur. Verum Etymologias iſtas κατ' ἀντίφρασιν exploſit Voſſius in Oratoriis.

Cùm Mori albæ Julos longis pediculis hærentes obſervaverit J. Bauhinus: cúmque etiam in Mori nigræ iconibus juli longis pediculis dependentes pingantur. Fructus autem utriuſq; brevibus, nigræ breviſſimis inſidere dicuntur, ſuſpicamur julos à baccis disjunctos eſſe nec fructus iis ſuccedere, ut nonnulli volunt, quamvis nihil affirmemus, ſed rem obſervatione diligenti determinandam relinquimus: impræſentiarum autem, donec certiùs conſtiterit quò referenda ſit, Morum huic generi ſubnectendam duximus, & Ficui proximè præmittendum quacum in multis convenit.

Morus nigra J. B. *nigra vulgaris* Park. *fructu nigro* C. B. *Morus* Ger. **The black Mulberry.**

J. B.

Moro caudex ſatis craſſus, contortus ac nodoſus: altitudo juſtæ arboris; rami patuli; cortex rugoſus, craſſus, lentus: materies robuſta & meditullitus flava: *radices* numeroſæ, magnæ ac robuſtæ, non tamen altè deſcendentes, ſed ſeſe diffundentes, ſi Matth. credimus. *Folia* ex rotunditate in acumen deſinentia, interdum vitiginea, ſinuata, per ambitum ſerrata, tactu nonnihil aſpera, hirſuta, ſapore ſubdulci & viſcoſo. Pro *floribus* Dod. autore Juli ſunt virentes, lanuginoſi. *Fructum* fert breviſſimo pediculo hærentem, majorem & longiorem quàm Rubus, glomeratum ſimiliter ſed acinis minùs rotundis, primùm quidem virentem & auſterum, poſt rubentem, acidum & adſtringentem, per maturitatem nigrum, ſanguineo dulci ſucco madidum, manus & os inficientem: Matth. ait modicam ubi maturuerit remanere auſteritatem.

Situm florum in hac arbore fructuum reſpectu, at neq; formam eorundem nos docent Botanici; neq; ipſi hactenus obſervavimus. Theophraſtus, qui omnium curioſiſſimè eos contemplatus videtur, lib. 1. cap. 22. de eorum ſitu, Gaza interprete hæc habet. *Etenim flores hæc in totus fructuum integumentu habet: at neque extremis ſeu ſummis inſidentem, neque ſingulatim partes ambientem, ſed mediis inculcatum, niſi fortè conſpici nequeant propter lanuginem.* Verùm hæc non ſatis clara ſunt, ut inde certo colligere poſſimus ubi diſponenda ſit hæc arbor. Scribit Cæſalpinus, non florere evidenter, ſed fructum naſcentem binis ſquamis tegi, quibus decidentibus velut floſculorum apices totis fructibus inſidere, quæ ſanè obſervationem merentur.

Morus alba Ger. Park. J. B. *fructu albo* C. B. **The white Mulberry.**

J. B.

Tota delicatior eſt, ut à nobis quidem obſervatum, eáque propter bombycibus alendis, magis expetita: *folia* teneriora, anguſtiora firmáque, oblonga magis non minus Nigræ foliis ſerrata, aliquando vitiginea ſed tam concinna diviſura, ut Gallici ſceptri Lilia artifici pictoris manu facta ad certamen provocent. *Julos* longiuſculis pediculis hærentes plures ſæpe ſimul profert, ut in ramo ſpontaneæ Mori ex Italia delato obſervavimus. Fructus non ut præcedentis niger, ſed per maturitatem albus, ſapore (Matthiolo teſte) melleæ dulcedinis, quo fit ut minimè cum nigra facultate conveniant, minor etiam, ante maturitatem viridis & ſubviridis, auſteriuſculo ſapore. *Radix* in ingentem ſeſe diffundit longitudinem, magis quàm nigra, fortaſſe quoniam amplior, altior proceriórque ſemper quàm nigra habeatur.

Morum albam Veteribus non penitus incognitam fuiſſe fabula Pyrami & Thisbes apud Ovidium aliósque è quorum ſanguine Mori baccis aſperſo quæ prius albæ fuerant in nigrum colorem mutatæ ſunt, arguere videtur: quamvis apud reliquos Veteres, Theophraſt. Dioſcor. Galen. Plin. & Geoponicos ejus mentio nulla. Quod ſi Ovidii ævo vel ante extitiſſet (inquit J. Bodæus) nunquam Plinius ſcripſiſſet, minimum in hac arbore ingenia profeciſſe, & ex inſitione nullam niſi in magnitudine obſervatam diverſitatem. Et Cæſalpinus candidam, quæ hodie frequentiſſima eſt & optima ad Sericum præſtandum, peregrinam quondam fuiſſe in Italia putat, ut etiam beſtiolæ, quæ ex ejus frondis paſtu ſericum reddit.

Lacuna Morum hominum amicam dicit, & locis delectari quæ homines frequentant.

Lobelio Albæ Mora multò inſipidiora eſſe dicit quàm Nigræ, ad nauſeam potiùs quam ad alendum nata, caduca, fatuè dulcia.

Amat Morus loca calida, ſabuloſa & plerunq; maritima, planiora; nec temere in montibus Morum viſam Plinius ſcribit. Frigidiora tamen loca facilè tolerat, & in Anglia noſtra non infeliciter adoleſcit. *Locus.*

Serotino germinatu floret, maturátque celeriter fructum Morus. In noviſſimis florent, inter prima matureſcunt *Plin.* Ergo, ut plurimum (inquit J. B.) menſe demum Maio germina emittit, fructum maturat Auguſto, aut etiam citiùs pro loci temperie. Tardiſſimè ſeneſcere hanc arborem Veteres prodiderunt.

Seritur non tantum talea aut ſurculo ſed commodiſſimè etiam ſemine. Verùm de ſatione ejus & cultu conſulendi rei ruſticæ ſcriptores.

Morum albam fieri per inſitionem Mori nigræ in Populum albam fabuloſum putamus: nam, ut ſæpius diximus, fructus ſurculi naturam ſequitur.

Uſus. *Car. Steph.* Foliorum Mori uſus eſt inſignis in Italia, Sicilia, Hiſpania, Gallia ad bombyces alendos, & in eum uſum Moros albas magno numero circa urbes & oppida ſerunt; harum enim foliis maximè delectantur vermiculi. Quidam Mori foliis deficientibus Ulmi folia & Urticæ germina ſubſtituunt: Alii Lactucæ, Endiviæ aut Dentis leonis folia præbent; quæ omnia & nos experti ſumus: ſed junioribus tantùm danda ſunt, nam ſi majoribus paulo, aut nimium des, alvo fluida facilè diſſolvuntur & pereunt. Quocunq; autem pabulo præter Mori folia eos alas nunquam textrinam inchoabunt, & tela ſericea ſe includent. Colligenda autem potiùs vetera folia quàm nova, manè cùm ros Solaribus radiis diſſipatus fuerit: aut ſi madida fuerint diligenter prius abſtergenda aut ad ignem ſiccanda ſunt: nam nimius humor obeſt bombycibus. Verùm de Bombycibus & ſerico agere hujus loci non eſt, ſed ad Hiſtoriam Inſectorum pertinet.

Vires. Fructus Mori nigræ (*Mora Celſi* Officinis dicti) immaturi refrigerant, ſiccant & aſtringunt valide, [ubi aruerit *Galen.*] Itaque ad diarrhœas, dyſenterias, affectiones cœliaas, fluxus menſtruos, expuitionem ſanguinis accommodi ſunt. Extrinſecus in oris fauciúmque inflammationibus & ulceribus proſunt.

Mori fructus Dioſcoridi (de maturo loquitur) alvum ſolvit, [initio paſtus & ante alios cibos ſumpta] facile corrumpitur, [poſt alios cibos] & ventriculo inimicus eſt. Plinio (cui etiam experientia ſuffragatur) refrigerat, ſitim ſedant, appetentiam excitant, ſi non ſuperveniat alius cibus intumeſcunt: cui etiam adſtipulatur Galenus. At è contra Horatius

——— ——— Ille Salubres
Æſtates peraget nigris qui prandia Moris
Finiet, ante gravem quæ legerat arbore ſolem.

Alii etiam ventriculo grata & amica eſſe Mora volunt. Galenus autem conjectatur, Mora exiguam in ſeipſis habere facultatem ejuſmodi, qualis magna medicamentis purgantibus ineſt, cujus beneficio non modo facilè ſecedunt ſed corrumpuntur, etiam ſi diu in ventre manſerint; immo totam adeò arborem in omnibus ſuis partibus miſtam aliquam vim obtinere putat ex reſtringente & purgante compoſitam. Attamen in radicis cortice purgatoriam cum quadam amaritudine exſuperare, adeò ut & latum lumbricum interficiat.

** Lib. 23. cap. 7.* Maturorum ſuccus ad ſtomatica medicamenta utilis ſtomaticen quam Polychreſton vocat, ſic deſcribit, * Plinius ſextarii tres ſucci ex Pomo, leni vapore ad craſſitudinem mellis redigatur: Poſt additur Omphacii aridi pondus denar. ii. Myrrhæ denar. i. Croci unius, ſimul trita miſcentur decocto. Neque eſt alius oris, arteriæ, uvæ, ſtomachi jucundius remedium. Alios modos ſtomaticen componendi ibidem vide.

Folia vel ſola vel cum cortice cocta odontalgiam ſedant (gargariſ.) Schrod. eadem trita cum oleo, [ex aceto Schwenchf.] impoſita ambuſtis igni medentur. Dioſc.

Syrupus mororum grata ſua aciditate in febribus ad ſitim extinguendam & ardorem temperandum utiliſſimus eſt: & item ad inflammationes, puſtulas ſeu ulcuſcula oris, palati, uvæ, tonſillarum, gutturis & faucium commodiſſimus.

Materies utilis eſt operibus quæ flecti poſtulant; éſtque ſolida, nec in aquis minùs durabilis quàm firmiſſima Quercus: æternam eſſe arbitrantur, tradente Theophraſto, & vetuſtate Loti modo nigreſcere.

Morus Virginiana Park. The reddiſh Virginian Mulberry.

Hæc apud nos celeri auctu in magnam arborem adoleſcit, multis ramis & frondibus patulam. *Folia* præcedentis perſimilia, pulchra, ampliora. Fructus ſeu mora longiora, & per maturitatem rubicundiora, guſtui non minùs grata.

LIBER

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER VIGESIMUS SEXTUS,

QUI EST

De Arboribus flore fructuque aggregato.

QUoniam Arbores flore fructúque aggregato, ſeu ex pluribus compoſito per ſe Libro complendo non ſufficiunt, cum Arboribus flore ſimplici quarum flos ſummo fructui inſidet eas copulabimus, adeóque Librum hunc in duas partes dividemus, quarum prior erit

De Arboribus flore fructúque aggregato, ſeu ex pluribus compoſito. Poſterior

De Arboribus flore ſimplici ſummo fructui inſidente.

PARS PRIOR.

De Arboribus flore fructuque aggregato ſeu ex pluribus compoſito.

EX Arboribus quarum flos fructui contiguus eſt, aliæ ſunt flore fructúque aggregato, ſeu ex pluribus arctè ſtipatis compoſito, aliæ iiſdem ſimplicibus & à ſe invicem disjunctis, nec pluribus in unum totalem florem fructúmve coeuntibus.

Prioris generis nonnullæ ſunt floſculis intra fructum occultatis, quas *Ficus* dicimus, quæ flore nni carere vulgò creditæ ſunt; aliæ floſculis apertis, iíſque vel ſingulis, ſingulis ſeminibus inſidenus, vel ſingulis, ſingulis fructibus partialibus unum aut plura ſemina continentibus.

De Ficu.

Ficus arbor (inquit Voſſius) non ineptè deducitur à *σῦκος*, id eſt, *Ficus novella*. Sed malim ab ebræo Fag פג quomodo dicitur Ficus quæ nondum ſatis maturuit. At minimè audiendus Iſidorus, ni lib. 16. cap. 6. *Ficus Latinè à fæcunditate vocatur, feracior enim eſt cæteris arboribus. Nam ter atérque per ſingulos annos generat fructus, atq; altero matureſcente alter oboritur.*

Cæterum Ficus ab aliis omnibus arboribus diſtinguitur flore vel nullo, vel intra fructum edulem, lcem occultato.

CAP. I.

De Ficu Europæa.

1. *Ficus* J. B. Ger. *vulgaris* Park. *communis* C. B. **The common Fig-tree.**

J. B.

HUjus caudex, licet ſit ubi grandeſcat & contortus videatur, parùm tamen eſt firmus, ut qui vitigineo, lævi tamen cortice, infernè cinericeo, in ramulis viridi, ſit veſtitus, tum ligni parùm, fungoſæ verò medullæ plurimum obtineat: Materie namque conſtat molli, a, ampla intus cavitate, cujus inane craſsâ fungoſâque medullâ, ſicut in Sambuco ferè, refertum Ipſa alioqui arbor mediocris, Sambuci magnitudinem nonnunquam ſuperat, pluréſque ab una lémq; radice emittit ſtolones, craſſitudine variantes & proceritate. *Radicibus* nititur multis, longis, nis, lentis, evulſu contumacibus, multis capillamentis fibratis, colore flavis atque Rutæ radicibus llibus, majoribus tamen multò, ut annotat Cordus. Abundant cortices, ſicut & folia fructúſque eò ipſi nondum maturi, lacteo copioſóque ſatis ſucco, glutinoſo, odore ad Rutam accedente, quemnodum & reliquæ ejus partes, ſapore ſubacri: qui tamen in fructu paulatim in dulcem excoqui- ſuccum. *Folia* conſpicuæ ſunt latitudinis craſſa, in lacinias plerunque quinas profundas diviſa, nùs acutas quàm Platani, aſpera [hinc Anguillis retinendis idonea] pediculo mediocriter longo, abruptus lac fundit.

Flores (ut omnes hactenus tradiderunt) non fert, ſed ſtatim parva fructuum rudimenta, quos *groſſos* Latini vocant. Piſo aut Fabæ æqualia: ea paulatim increſcunt, donec Pyri mediocris figuram & magnitudinem conſequantur. Cùm ad mediam magnitudinem pervenerint, intra ſe *flores* [quod fortaſſe mireris] concipiunt, figurâ confertis ſtaminibus ſimiles, colore in candido purpuraſcentes, è carne exeuntes, & ad mediam fructûs cavitatem ſe dirigentes: quæ florum obſervatio Cordo debetur.

Fructus ex ſurculis Pyriformes naſcuntur, baſi latiore cœlum ſpectante, pulpoſi & molles, virides, ſed viroris quodammodo obſoleti, aut ex viridi rubentes, fuſcíve, quidam etiam per maturitatem ad flavum inclinantes, melleæ dulcedinis, carne pallida aut ſubrubra, innumeris granis luteolis, quæ *κεγχραμίδας* vocant, reſperſa; ex quibus ſeminibus nihil producitur, autore Camerario: odorem etiam ſpargit haud injucundum ſibiq; peculiarem.

At non movet me Camerarii autoritas ut credam Ficum ex ſemine non naſci; cùm illud præter naturæ ordinem ſit, ut quævis planta ſemen producat toto genere infæcundum. Semen enim à natura deſtinatum eſt ad plantam propagandam. Natura autem fine ſuo non excidit niſi ob defectum aliquem aut impedimentum interveniens. Quin & Geoponici pleriq; antiquiores Ficum è ſemine naſci fatentur. Et Cicero in Catone *majore, Ex Fici* (inquit) *tantulo grano tantos truncos procreat.*

Locus. Ficus in toto Europæo tractu temperatiori calidioréve, Græciâ, Hiſpaniâ, Italiâ, Gallia Narbonenſi obvia, in hortis & pomariis culta. In Anglia etiam in hortis frequens colitur, nec rarò fructus ad maturitatem perducit, modò loco idoneo Soli expoſito & à ventis Septentrionalibus tutò ſeratur. Sylveſtris ſeu Caprificus in Italia, Hiſpania & Gallia Narbonenſi paſſim provenit, in montanis & editis locis inq; vetuſtis muris & ruderibus.

Ficuum multas ſpecies, ſeu varietates potiùs, recenſent Veteres, Theophraſtus, Plinius, Athenæus & alii; ſumptis differentiis vel ex ipſa natura & naſcendi modo, vel à matureſcendi tempore, vel è diverſitate figuræ, coloris & magnitudinis, vel à regionibus in quibus naſcuntur, vel ab Autoribus ipſis qui primi vel invenerunt, vel obſervârunt, vel produxerunt, quas omnes perſequi, (cùm nomina jam evanuerunt ex uſu, & difficillimum, nè dicam impoſſibile, ſit Antiquorum appellationes Ficubus hodie notis accommodare) non neceſſarium duxi. Conſule ſi placet J. Bauhinum in Hiſt. plant. lib. 1. cap. 56. & Bodæum à Stapel notis in Theophr. hiſt.

Hodie à colore & magnitudine præcipuè Ficus diſtinguunt, in albas ſci. & cœruleas, pallidas, virides, luteas, purpureas, ſubrufas, nigras, & varias; in minores & majores; item à loco unde adferuntur. Verùm cum mihi perſuaſum ſit, Ficuum non minùs quàm Pomorum Pyrorúmq; varietates à ſemine provenire, adeóq; certus earum in natura & definitus numerus non ſit, ſed novas indies ſatione obtineri poſſe, omnibus enumerandis & deſcribendis nec animus mihi, nec facultas ſuppetit.

Quæ de Caprificatione Veteres tradunt ſic brevibus complexus eſt J. Bauhinus. E putreſcente Caprifici fructu culices geniti in urbanæ fructus evolant, eóſq; morſu aperientes ſuperfluam humiditatem depaſcuntur, radióſq; unà Solares intromittunt, adeóq; non tantùm impediunt nè decidant, ſed & earundem concoctionem & maturitatem promovent & accelerant. Hinc (inquit Plinius) Ficetis Caprificus permiſcetur ad rationem venti, ut flatus evolantes culices in Ficus ferat. Qui plura de Caprificatione velit Theophraſtum & Plinium conſulat. Nunc dierum nulla *ejus* ratio habetur.

Hic tamen mos ſuſpicionem mihi injicit, dari etiam in Ficubus, ſexuum diverſitatem, Caprificos autem Ficus mares eſſe, earúmque florum pulverem fœminarum fructibus aſperſum, non autem culices è fructibus evolantes, tum iis perficiendis & maturandis, tum cenchramidibus fœcundandis inſervire; unde Plinius ad rationem venti Ficetis Caprificum permiſceri ait, ut flatus non culices (ut ille vult) evolantes, ſed pulverem prolificum & ſeminalem in fructus ferat.

Ficum fulmine non tangi Veterum opinio fuit, at non minùs rationi quàm experientiæ contraria.

Obſervavit enim à fulmine tactam Ficum Laurumque lib. 3. *Stapelius.* Carnes animalium, ſed præcipue Avium, in Ficu ſuſpenſas tenereſcere, arboris nimirum afflatu, iidem tradiderunt. Ejuſdem notæ eſt proculdubio hæc obſervatio cum præcedente: Carnes tamen duriores teneritatem tempore contrahunt in quacunque arbore ſuſpenſæ. Aer enim carnem ad corruptionem diſpo

Ejuſdem commatis eſt quod fertur de Tauris, nimirum ferociſſimum quemque huic alliga arbori miteſcere ſubitò, tangíque manu ac ſubigi tolerare, &c.

Ficus recentes, modò maturæ ſint, à Ventriculo ocyſſimè & facillimè conficiuntur, imò quo alio horario fructu celeriùs concoquuntur. Quod vel indè conſtat, quòd non ſolùm citra noxa copioſiùs aliis fructibus eas ingerimus, ſed etiam quòd illis præſumptis ſi conſuetum & parem ci modum addamus id nihil incommodet. *J. B.*

Nos certè in Italia ante prandium Ficus ſæpenumero ſine ullo incommodo copioſè ingeſſimus, prout ibi mori eſt. Galenus ut ſalubrem vitam degeret ab omni fugaci pomo ſe abſtinuiſſe tradit à 28. *ætatis anno a ſenectutem uſq;, exceptis exactè maturis Ficubus atq; uvis. Quin & amicos qui ejus monitu ab* [illegible] *fructibus abſtinuerunt ſine morbis fuiſſe.*

Facultatem Ficubus glutinoſam & ſalſam ineſſe probat J. Bauhinus, quòd ob lentorem manib adhæreſcant, & illas tamen abſtergunt ſalis lixivialis & nitri modo. Hinc alvi dejectionem moli tur, ſine torminibus tamen aut perturbatione. Augetur ſalſugo addito ſale, quocum ferè rece tes comedi ſolent etiamnum hodie in Italia & Galloprovincia. Eſt autem poſt ſumptas Ficos ſ tim bibendum, nè in ventriculo ſubſiſtant ſed faciliùs concoquantur & promptiùs deſcendant.

Veteres, Dioſcorides, Plinius, Galenus in deſcriptione virium hujus fructûs admodum prolixi.

Pectoris & Pulmonum vitiis, Aſthmati, tuſſi, &c. caricas conducere inter medicos conve In uſu eſt duas tréſve caricas macerare per noctem in aqua vitæ, & manè dare edendas aſthmati Verùm (inquit C. Hofmannus) exiguum eſt valdè quod cum ſaliva in maſticatione deſcendit pulmone ulmonem: efficaciſſimum eſt decoctum cum Hyſſopo, quod magnum abſterſorium dicitur à Meſue. Arenulis renum & veſicæ medentur & urinam ducunt [viride C. Hofman. nam ſiccis hoc denegat.]

Virides etiam hanc habent laudem quòd ſitim ſedent & calorem extinguant: ſiccæ contra; præcipuè in bilioſis, & cum naturæ ipſorum convenientibus febribus affliguntur. Bileſcunt enim facilè, t Saccharum, Mel & alia dulcia.

Ficus maturrimas & ultimas cavebit (monente C. Hofmanno) quicunq; humidioris eſt alvi. Inrimis cavebit in prandio, quòd febres generent putridas, ſi ob moram putreſcant.

Hodie uſus fere ſiccarum ficuum in duobus tantùm caſibus eſt: in decoctis pro puerorum variolis morbillis: inque gargariſmis pro inflammationibus faucium & tonſillarum. *C. Hofm.* At ſuperius iximus eas Aſthmati, Tuſſi, aliíſque pulmonum affectibus, unanimi fere medicorum conſenſu, aprime conducere. Mulierculis noſtratibus, appropinquante partu, ficuum toſtarum eſus ad partum acilitandum eſt familiariſſimus. Quin & familiare eſt ſuper ficus ſpiritum vini accendere, broiúmque ad tuſſim ſedandam propinare.

Caricæ extrinſecus applicatæ maturant, molliunt, attrahunt. Cum fermento tritæ admixto ſale ubones peſtilentiales alióſque abſceſſus intra paucos dies rumpunt. Eodem medicamento Regem *zechiam* Prophetæ monitu uſum fuiſſe (2 Regum 20.) exiſtimat Tragus.

Ficuum frequentem eſum pediculos generare præter Galenum Paulus Ægineta, Oribaſius, & Reentiorum quamplurimi ſibi perſuaſum habent. Quæ opinio & apud vulgus noſtratium viget. An exerientia ſuffragetur dubito.

Fici ſuccus, ſive is ex inciſa arbore emanet; ſive è foliis expreſſus ſit, valdè calidus eſt & morx, ut ſit inter cauſtica; debito tamen modo præparatus locum ſuum habere poteſt, in ulceribus alignis, lichenibus, lepris & aliis cutis ſordibus abſtergendis foris adhibitus: Verrucas etiam quas myrecias vocant ejicit.

Idem judicium eſt de groſſis ſive Fici, ſive Caprifici (inquit C. Hofman.) Nam hujus præcipuè bent non minùs cauſtici quid quàm arbores ipſæ; ut intelligere eſt ex illo quod in aceto ſoluti nguinem taurinum diſſolvere valeant.

Hæc qui conſiderabit, mirabitur quomodo ſuccus tam viroſus in Ficu matura poſſit excoqui in tam dulcedinem. De ratione hujus phænomeni Plutarchum in Sympoſiacis diſputantem videas. t hoc in aliis etiam arboribus multis accidit, Pruno ſylveſtri, Ceraſis, Piris, quarum ſucci amari aut rati, fructus maturi dulces. Plantarum enim ſucci coctione miteſcunt; fructúſque ipſi ex acerbis lces fiunt. Hinc tamen documentum tibi parabis, quantæ ſit operæ pretium diſtinxiſſe ficum pertè maturam ab imperfectè: ut rectè monet C. Hofmannus. De immatura habemus experienm Bruyerini, 11. *Cib.* 37. In cibo uſurpatum multorum ſanorum valetudinem afflixiſſe. Tales em fere ſunt Ficus quæ in locis algidioribus proveniunt.

℞ Surculos Ficûs, in fruſtula incidantur, ad ℔ j. decoquantur in vini ℔ j. & aquæ ℔ j. ß. Doſis iij. manè in hydrope. Egregie ſudorem movet, ut aſſeruit mihi vir quidam religioſus. *Cheſneau.*

Literæ quæ lacte ſeu ſucco turionum Ficûs exarantur in charta, omnino inconſpicuæ ſunt, donec rta igni admota vehementer incaleſcat, tunc autem velut uſtulatæ ſe manifeſtant: quod etiam to, ſucco limonum aliíſque acidis commune eſt. Hinc & Lac ſucco iſto coagulatur in caſeum, nio & Dioſcoride teſtibus.

2. *Ficus ſylveſtris Dioſcoridi* C. B. *Caprificus* Ger. J. B. Park. **The Wild Fig-tree.**

Quidam Ficum ſylveſtrum à Caprifico diſtinguunt; verùm * non neceſſariò, cùm uſu ſolùm prificandi differat. At neque à Ficu ſativa ſpecie differt Ficus ſylveſtris vel Caprificus, quòd ex illius grano naſcatur, ſed accidentibus tantùm à cultura ortis. Sexu tamen (ut diximus) è differt Caprificus à Ficu tum in genere ſylveſtri, tum in ſativo.

** Ficus ſylveſtris à ſativa non aliter differre videtur quàm ut ſpontanea ac inculta; At Caprificus à Ficu tam in ſylveſtri genere quàm in ſativo ut mas à fœmina.*

His addit C. Bauhinus † Chamæficum ſeu Ficum humilem, quæ omnium partium parvitate exa, quódq; tenerior ſit & frigoris minùs patiens, à Ficu vulgari non differt.

† Chamæficus.

ro diverſa ſpecie proponit Parkinſonus Ficum nigram ſive præcocem, quæ tamen non alia in re lgari differt quàm Fructûs colore exterius nigro-purpureo, cœrulei tinctura obducto, intus obè rubro ſeu atro-rubente & quod bis in anno fructus producat.

ibet hîc adjicere quæ C. Bauhinus de Ficubus in Indiis naſcentibus habet. Variant (inquit) s in India pro regionum diverſitate: nam in Provincia bonæ ſpei fructus perpetuò ferunt (part.8. occid.) & in Peru ſumma earum ubertas (part.9. Ind. occid. l. 4. c. 31.) Addit Joſephus Aa in India Occidentali diverſas eſſe valles, quæ integro anno fructus promant. Sic in *Mala* 13 iariorum intervallo à *los Reyes* Ficus eſt, quæ parte dimidia, qua Auſtrum ſpectat frondes ructus fert, quando in montanis æſtas viget, altera verò pars contrario anni tempore, cùm in is æſtas. Acoſta l. 4. c. 32.

icus arbores, Monarde referente, ex Hiſpanica in Peruanas provincias delatæ plurimos & optifructus geſtant: & ut folia iſthic non deponant Deus ſingulariter voluit, quò ſemper remedium ens eſſet contra inſecta quæ, Araneæ appellantur, quorum ictibus virulentis lac ex Ficûs foliis ans, bis térve in vulnus inſtillatum remedio eſt.

Ficuum ſpecie fructus Peruanus C. B. *Papaie Peruvianis* J. B. *videtur eſſe Arbor Paponifera μονοπυρηνὴς, ſuperiùs deſcripta. J. B.*

nnotat Benzo Hiſt. ſuæ l. 3. c. 18. Apud Peruvienſium Mantam peculiare quoddam fructuum s (Indigenæ *Papaie* vocant) Ficuum ſpecie modicorum magnorúmque naſci, quale nuſquam dia præterquam in eo regno vidit. Arbor quæ illud Pomorum gignit procera & gracilis, fructus re dulci eſt.

Vel

Vel ſolum *Papaie* nomen arguit hanc arborem eſſe ſuperiùs à nobis traditam & deſcriptam inter eas quæ caudice ſunt ſimplici non ramoſo, F. Columnæ notis in Recchum Papaie Orientalis & Arboris Peponiferæ nomine, C. Bauhino pro Platani ſpecie, titulo Arboris Platani folio, fructu Peponis magnitudine, eduli, Luſitanis Mamoera dictæ propoſitam. Unde eadem arbor à Bauhino bis pro duabus diverſis proponitur.

Benzo fructum peſſimè deſcribit Ficuum ſpecie, unde proclivis in errorem lapſus eſt.

Arbor cucurbitifera, Ficus Nigritarum Theveti J. B. *Ficui ſimilis arbor fructu oblongo* C. B.

Suſpicor & hanc quoque ad Papayam referendam eſſe, nam & folia conveniunt; nec fructus præterquam figurâ oblongâ multum differunt. Solent autem Scriptores vetuſtiores & hiſtorici parùm accurati eſſe tum in deſcribendis tum in delineandis ſtirpibus.

CAP. II.

De Ficu Indica, Europææ analoga.

FIcus Indicæ tria genera ſunt. Primum Europææ analogum voco, quia eodem modo cum Ficubus Europæis propagatur, nec funiculis è caudice aut ramis verſùs terram demiſſis, & ubi eam attigerint radices agentibus ſe multiplicat.

Secundum funiculis, quos diximus, è ſummis ramis ad terram uſq; demiſſis & radices agentibus ſe propagat. V. Cap. ſeq.

Tertium fibris ex ipſo trunco exeuntibus & deorſum tendentibus eidémque accreſcentibus, & in terram tandem radicatis augetur. V. Cap. IV.

* P. 1. F. 25. p. 43.] 1. *Atty-alu* * H. M. *Ficus Malabarenſis folio oblongo acuminato, fructu vulgari æmulo* D. Syen. *annot. in* H. M.

H. M.

Arbor eſt procera denſis & opacis frondibus, latè ſparſis, naſcitúrque in arenoſis.

Radix craſſa radiculas laterales plurimas fibroſas, tam ſubtus quàm ſupra terram longè latéque diffundit, cortice lacteo, qui ſub cruſta nigricante ex albo rubeſcit, ac inciſus ſeu detractus pleniori rubedine celeriter perfunditur. Brachio inciſo aquam limpidam & inſipidam ac ſubrubram ſaporíſque frigidi ubertim exhibet.

Caudex ambitu unius hominis amplexum excedit, cortice craſſo, radicis concolori; ſurculi tamen teneri virides geniculati.

Folia pediculis mediocriter longis & craſſis inſident, longitudine ad latitudinem, quæ in medio maxima, ferè dupla, & petiolum ſubrotunda, anteriùs in cuſpidem leniter contracta, tenuia, mollia, glabra, ſupernè obſcuriore virore nitentia, ſubtus dilutiore, *Venarum per folia diſcursûs deſcriptionem vide.* Sapor foliis adſtringens, odor nullus. In vertice ſurculorum conus oblongus & viridis inter folioſa involucra, viridia folia tenella recondens: quod & aliis hujus arboris ſpeciebus commune eſt.

Flores fert nullos: *conſpicuos intellige.*

Fructus in ſurculis petiolis curtis, craſſis nonnihil incurvis plures unà proveniunt, plano-rotundi ac ad petiolum contractiores, nonnihil piloſi, cum umbilico in vertice, haud diſſimiles noſtris ficubus: cùm immaturi ſunt virides, & lacteo liquore, maturi colore rubicundo & minùs lactei, eſculenti.

Inſunt iis ut in Ficis *grana* parva, tenuia, oblonga, numeroſa ſerie, conſtantia ex capitulo rotundo & rectâ caudula, quacum ordine cortici interiùs inſident, ſúntque inſtar folliculorum, in ſuis capitulis unum ſemen minutum nigricans continentia, primum albicantia, ex maturitate ſubflaveſcentia.

Fructibus cùm matureſcunt formicæ innaſcuntur; hóſque indigenæ habent in eduliis, non verò eos qui aliarum ſunt ſpecierum.

Bis térve in anno fructus dat hæc arbor ut & cæteræ ſpecies.

Vires. Radicis decoctum, ut & ejuſdem inciſæ ſuccus, vaſe ſuppoſito exceptus, ſervit ad purificandum ſanguinem, ad hepar malè affectum, ad ſulcos & fiſſuras manuum, oris, aliarúmque partium. Cortex ad eadem datur in decocto, tritus ulceribus proficuè imponitur, ut & parti laboranti morbo ſacro Luſitanicè dicto *Cobrella.*

Fructus alvum aſtringit, éſtque proficuus pro pituita humorúmq; mala temperie corrigenda.

* P. 1. F. 27. p. 47. 2. *Are-alu* * H. M. *Ficus Malabarenſis folio cuſpidato, fructu rotundo, parvo, gemino,* D. Sien.

H. M.

Arbor eſt procera, denſis & opacis frondibus, latè ſparſis; naſcens in arenoſis & petroſis, atq; in arboribus, ut *Itty-alu.*

Radice cum *Per-alu* inferius deſcribendo convenit.

Caudex craſſus eſt, ad duorum hominum amplexum cortice ut in *Per-alu.* *Surculi* novelli virides, geniculati.

Folia longis tenuibus pediculis appenſa cordis humani formam habent, antrorſum anguſta, ac longâ lanceolâ cuſpidata, quæ vetuſtiora ſunt ad petiolum rectioribus oris, quæ teneriora rotundioribus circumſcripta, ſolida & denſa, minùs craſſa quàm *Itty-alu,* ſupernè obſcuriore virore nitentia, ſub lucidiore. Coſtæ foliorum mediæ in utraq; parte eminent, nervi tranſverſi inde egreſſi in ſupi parte maximé; nervorum per folia diſcurſum vide.

Fructus ramis ſurculíſque ſupra ad exortum foliorum in nodulis bini & bini, arctè juncti inſident, parvi, rotundi, illis *Itty-Alu* planè ſimiles, cum umbilico parvo in vertice; formicis intus carentes, continentes *grana* numeroſa *Atty-Alu* magnitudine, ſemen minutum nigricans in ſe recondentia.

Eſt hæc arbor Deo *Viſtnu* ſacrata, quem ſub ea natum eſſe & flores ſuſtuliſſe fabulantur; éſtque ex religione eorum hanc adorare, muro lapidum cingere, eámq; ſeu lapides juxta poſitos rubro co-ore ſignare, quamobrem ab incolis Chriſtianis arbor Diaboli nuncupatur.

Quod ad vires non multum differt à reliquis *Alu* ſpeciebus.

3. *Ficus Malabarica fructu Ribeſii forma & magnitudine,* Tsjela *dicta.*
Tsjela H. M. *P.* 3. *Tab.* 63. *p.* 85.

H. M.

Arbor eſt vaſtæ magnitudinis 70 circiter pedes alta, *caudice* craſſo, octodecim pedum menſuram in ambitu non rarò ſuperante, multíſque ramis in orbem diffuſis donato. Lignum albicans, cortice craſſo, ſcabro, cinereo, intus ruſo obductum, cujus matrix prædura, crocea.

Radix albicans, flaveſcente cortice tecta, fibris ſuis craſſioribus profundè terræ inhæret; ſapor lacteus & ſubſalſus, odor nullus.

Folia rotundis ac ſubviridibus petiolis in novellis ramis denſa congerie proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, communi virore ſupernè ſplendentia, infernè ſubviridia, inſipida, inodora. *Fructus* ipſis ramulis inter folia ſine petiolis adhærent, cum formâ, tum magnitudine Ribeſiis haud abſimiles; ſúntque exiguæ ficus, ruſis granulis plenæ, uti omnes *Alou* ac *Teregam* fructus, inſipidæ, inodoræ.

Naſcitur locis ſylveſtribus, montanis ac petroſis Malabar, præcipuè in *Ambalakatti,* atque per totum annum fructus fert. Veſpertiliones, quoniam fructibus delectantur, in hac arbore frequenter nidificare ſolent. *Locus.*

Ex radicis cortice cum Pipere longo in aqua communi decoctum paratur, quod tuſſi inveteratæ aliiſque pulmonis affectibus medetur. Lacteus ex radice & fructibus expreſſus ſuccus efficax in oculorum vitiis remedium eſt. *Uſus.*

4. *Ficus Malabarica ſemel in anno fructifera, fructu minimo,* Tsjakela *dicta. Tsjakela* H. M. *P.* 3. *T.* 64. *p.* 87.

H. M.

Arbor eſt procera, *caudice* craſſo, candido, multíſque ramis craſſioribus in orbem diffuſis donato, cortice nigricante, intus purpureo, obducto, quo leviter inciſo ſuccus extillat lacteus, acris, inodorus.

Radix fibrata, albicans, flaveſcente cortice tecta, inciſa & vulnerata ſimilem planè emittit lacteum ſuccum.

Folia rotundis ac viridi-albicantibus petiolis in novellis ramis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, denſa, longitudine ſpithamam, latitudine palmum ſuperantia, colore ut in præcedente, inſipida pariter & inodora, nervis aliquot albicantibus ac eminentibus è media coſta in latera excurrentibus. *Fructus* præcedentis ſimiles.

Creſcit locis montanis *Malabar,* præcipuè in ſylvis *Parakaroo:* Semel in anno, viz. Decembri & Ianuario menſibus fructus fert, atq; ſobole ſata ad quinquageſimum uſq; annum non raró frugifera manet. *Locus.*

Ex arboris cortice peculiari artificio chordæ torquentur, quibus arcus tenduntur. Necnon color paratur rubicundus, quo veſtimenta *panos de Cambaya* ipſis dicta tinguntur. *Uſus.*

Eoſdem habet in medicina uſus cum *Atti-Alou.*

5. *Teregam* * H. M. *Ficus Malabarica foliis rigidis, fructu rotundo, lanuginoſo flaveſcente, Ceraſi magnitudine* D. Comelin. * P. 3. T. 60. p. 79.

H. M.

Arbor eſt procera, triginta circiter pedes alta, *caudice* craſſo, cortice atro-viridi, intus albicante obducta, necnon ramis lanuginoſis ac aſperis in orbem diffuſis eleganter ornata. Lignum ex albo flaveſcens, molle, inſipidum, inodorum.

Radix fibrata, albicans, cortice rubicundo intus croceo tecta, inodora, inſipida.

Folia rotundis, viridibus ac hirſutis ramulis ſine ordine inhærent, foliis Mali Citrii haud abſimilia, atro-viridia, denſa, ſpinulis quibuſdam tenuibus & rigidis omni ex parte veſtita.

Fructus ad ramulorum exortum ramis inhærent, *Alou* fructibus perſimiles, rotundi, lanuginoſi, Ceraſi nigri majoris magnitudine, viridi primùm, dein flaveſcente colore, ac granis pleni, inſipidi, inodori.

Provenit locis ſylveſtribus *Malabar,* imprimis verò circa Cochin; per totum annum viret, fructúſque fert, ac diu ſuperſtes manet. *Locus.*

Folia uſurpantur ad ſcrinia, ac quæcunq; lignea, cornea, ſtannea & argentea vaſa fricanda, atq; ſcabritie ſua polienda ac læviganda. Radix cum aceto è nuce Indica confecto contuſa, & manè jejuno ventriculo aſſumpta viſcerum ardorem compeſcit. Fructus itidem impensè refrigerant. *Vires.*

6. *Perin Teregam* H. M. *Ficus Malabarica foliis aſperis major, fructu itidem rotundo, lanuginoſo majore.*

H. M.

Præcedentis ſpecies eſt major atque altior, *caudice* craſſo, candido, molli, multíſque ramis geniculatis donato, qui cortice cinereo, ſubaſpero atque hirſuto cincti, intúſque medullâ coccineâ referti ſunt. *Radix* albicans & lacteſcens, nigricante cortice obducta, necnon fibris ſuis latè per terram diffuſa, inodora, inſipida.

Folia præcedentis ſimilia, ſed majora & craſſiora. *Fructus* vel ſolitarii, vel plures ſimul juncti ramulis inhærent, præcedentis ſpeciei fructibus intus ac extus perſimiles ſed majores.

Locus. Naſcitur in ſylvis Malabar, præcipuè in *Parou*, per totum pariter annum viret, fructúſque fert, & integrum ſeculum frugifera manet.

Vires & Uſus. Folia iiſdem uſibus inſerviunt quibus folia *Teregam*. Fructus contuſi uſurpantur ad aphthas; inſuper ex iiſdem in lacte caprino coctis potus conficitur, qui hepatis obſtructioni ejuſdémque ſcirrho potenter medetur: Ex iiſdem in aqua coctis Balneum fit, quod endemiis corporis maculis leproſis tollendis conducit.

CAP. III.

Ficus Indicæ funiculis è ſummis ramis demiſſis, & radices agentibus ſe propagantes.

HUjus arboris ſpeciem fuiſſe puto quam Veteres Ficûs Indicæ nomine tradiderunt, quamvis notæ aliquæ ei non conveniant, v. g. 1. *Folium pelta Amazonica non minus:* cùm omnes hujus ſpecies folia modicæ admodum magnitudinis obtineant, niſi, (ut vult Cluſius) ad ſimilitudinem potiùs referenda ſit hæc comparatio. 2. Craſſities ingens matrum plantarum, ut LX P. pleræque orbe colligant, quod de hoc genus arboribus verum non eſt, cùm hæ trium hominum complexum ambitu vix excedant, niſi de ſpecie *Atty-meer-alou* dictâ, quæ omnium Indiæ arborem vaſtiſſima eſt, accipias; quæ tamen funiculis à ramis demiſſis ſe non propagat, ſed fibris ex ipſo trunco exeuntibus eíque accreſcentibus augeſcit. 3. Propagandi modus ramis incurvatis terræ infixis; cùm hæ fibris ſeu funiculis è ſummis ramis exeuntibus ad terram uſque demiſſis, & ibidem radices agentibus ſe propagent.

Plinium attendamus eleganter more ſuo hanc arborem deſcribentem.

Ficus ibi [in India] exilia poma habet: ipſa ſe ſemper ſerens, vaſtis diffunditur ramis, quorum imi adeò in terram curvantur, ut annuo ſpatio infigantur, novámque ſibi propaginem faciant circa parentem in orbem quodam opere topiario. Intra ſepem eam æſtivant paſtores, opacam pariter & munitam vallo arboris, decora ſpecie ſubter intuenti procúlve fornicato ambitu. Superiores ejus rami in excelſum emicant, ſylvoſa multitudine, vaſto matris corpore ut LX P. pleræque orbe colligant. Foliorum latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet.

* *P.* 1. *T.* 26. *p.* 45.

1. *Itty-Alu* * H. M. *Ficus Malabarenſis folio denſiuſculo nitente, fructu parvo rotundo coronato.* *H. M.*

Arbor eſt procera, ſed minor cæteris *Alu* ſpeciebus, denſis & opacis frondibus, latè ſparſis.

* Atti-Alu, *ſeu prima Ficûs Indicæ ſpecie.*

Radice cum * præcedente convenit.

Caudex amplexum unius hominis æquat, cortice lacteo, & cum detrahitur aut inciditur intus rubeſcente. Ex ramis hujus arboris filamenta ſeu radiculæ versùs terram pendulæ demittuntur. Surculi teneri virides ſunt & geniculati.

Folia petiolis digitalibus hærent, minora cæteris, oblongo-rotunda, rotundíſque ad petiolum & anteriùs oris, ac parvâ anguſtâ & obtusâ cuſpide eminentia, latiora paululum ad cuſpidem quàm ad petiolum, craſſa, ſolida, denſa, utrinq; nitentia, magis tamen in adverſa & ſaturatiùs virentia. Nervi à coſta media infernè eminente conſpicui, denſi, parallelo ductu tranſverſim ad marginem ferè excurrunt, ubi arcuatim flexi & ſibi mutuo concurrentes folium cingunt. Sapor foliis adſtringens & ſubamarus.

Fructus vel ſolitarii, vel duo tréſve ſimul, cùm è foliorum ſinubus, tum alibi hinc indè è ramis pediculis brevibus exeunt, parvuli, rotundi, in vertice umbilico eminente coronati, cùm immaturi lactei ac virides; maturi verò minùs lactei, colore flavo ac minùs rubeſcente.

* Atty-Alu.

Grana * præcedentis ſimilia, ſed minora, minimum nigricans ſemen in ſe recondentia.

Vires. Lac in quo cortex tritus & infuſus, (percolando priùs ſeparato cortice) datus vertigini capitis confert.

Ulceribus curandis prodeſt foliorum decoctum cum oleo, ſi cum eo corpus perungatur, quo cum præcedente, ut & in reliquis viribus, convenit.

* P. 3. T. 55. *p.* 69.

2. *Itti-Are-Alou* * H. M. *Ficus Malabarica folio Mali cotonei, fructu exiguo, plano-rotundo ſanguineo* D. Commelin. *Arbore de Raiis minor* Luſitanis. *H. M.*

In proceram excreſcit arborem, cujus *Radix* fibrata, albicans, nigricante cortice tecta, qui ubi inciditur lacteum ſuccum ſtillat.

Caudex, ut præcedentis, plurimos undique diffundit ramos, qui (poſtquam annos 40 aut 50 vixit arbor) tenues quaſdam eáſque ſingulares fibras ſeu filamenta rufi ac cerei coloris [qualia in Cuſcuta conſpicimus *Cluſ.*] deorſum mittunt, quibus ubi terram attingunt firmantur, novámque quaſi prolem generant, & in novos arborum caudices tranſeunt, qui rurſus ſumma ſui parte novos ramos in latera ſpargentes novis denuò fibris deorſum miſſis ſeſe propagant. Sic alii deinceps rami in infinitum, ut interdum unica arbor ſuis propaginibus milliare Italicum in ambitu occupet, ſitque difficile quænam primaria arbor ſive illarum omnium prolium parens dijudicare niſi ex trunci craſſitie, quæ interdum tanta eſt ut trium virorum ulnis vix apprehendi queat. Cæterùm non modo inferiores rami ſimiles ſpargunt fibras, ſed etiam in arbore ſummi atque ideo unica arbor ſylvam efficit denſiſſimam, & non rarò plura ſuperſtes manet ſecula. Sub eas verò arbores aditum ſibi parant incolæ, ac fibras jam in truncos converſus, tenuiores ſci. reſcindere ſolent atque ea ratione velut concamerationes & umbracula faciunt, æſtûs arcendi gratiâ, adeò enim denſis ramulis reliqui majores luxuriant, ut Solis radii nulla ratione penetrare queant: imò

nò aliquot hominum millia ſub tali arbore latere poſſunt. *Hæc omnia è Cluſiana Ficus Indicæ hiſtoria*
utuati ſunt. *Folia* præcedentis foliis ſimilia ſunt, ſed minora. *Fructus* exigui, plano-rotundi, co-
re primùm viridi, dein foris & intus ſanguineo, graniſque pleni uti vulgares ficus, dulces qui-
em, minùs tamen grati ſaporis quàm illæ, quapropter avibus potiùs quàm hominibus cibo ſunt.
aſcuntur inter folia quemadmodum vulgares ficus, hoc eſt, in novellis ramis, qua parte folia illis
hærent.

Naſcitur ubique in Malabar, imprimis circa *Warapouli*; Viret per totum annum fructúſque fert. ***Locus.***

Cæterùm ex arboris hujus cortice, radice & foliis in oleo decoctis Balſamum paratur vulnerarium. ***Vires.***
x cortice in lacte ebutyrato cocto fit oris collutio quæ aphthas abſtergit, flaccidas & eroſas gingivas
nat, necnon vacillantes dentes firmat.

Deſcriptio maximam partem deſumpta eſt è Cluſiana Ficus Indicæ, cum qua (ut videtur) vel
peris hujus Autor, vel ejuſdem interpres Latinus hanc Arborem eandem putavit. D. Commelino,
nobis aliter videtur. Magnitudine excepta non multum differt à præcedente.

3. *Tsjerou-meer-aleu* * H. M. *Ficus Malabarica folio & fructu minore* Comel. * *P.* 3. *T.* 56, *p.* 71.

H. M.

Minor eſt & humilior præcedentis ſpecies, eodémque modo creſcit & propagatur quo illa.

Folia ſimilia ſunt foliis ſequentis; [*Atty-meer-alou,*] at minora & numeroſiora.

Fructus itidem fructibus *Itti-are-alou* perſimiles ſed minores, brevibúſque petiolis inter folia novel-
ramis inhærent.

Creſcit quoque hæc ſpecies ubique in Malabar, præcipuè in provincia *Warapouli*: per totum etiam ***Locus.***
num viret fructúſque fert.

Vires autem hujus arboris eædem ſunt ac præcedentis, præterquam quod ex radice cum calce & ***Vires.***
rcuma in aqua decocta Balneum efficitur ad Epilepſiam & Lepram curandam.

4. *Katou-Alou* * H. M. *Ficus Indica* J. B. *Indica arcuata* Park. *Indica foliis Mali cotonei ſimi-* * P. 3. T. 57.
libus, fructu ficubus ſimili in Goa C. B. *Arbor ex Goa ſive Indica* Ger. *Arbor de Rayz,* *p.* 73.
id eſt, radicoſa Linſchot.

H. M.

In arborem excreſcit proceram, imò altiorem quàm reliquas filamentis è ramis demiſſis ſe pro-
gantes; quibuſcum eo reſpectu convenit: ut & ligno, cortice ac radice.

Folia oblongo-rotunda, ac in mucronem deſinentia, denſa, fragilia, ſupernè glabra, atro-viridia,
endentia, infernè albicantia & lanuginoſa, inſipida, inodora: è coſta media inſigni plures ner-
i ordinato ac parallelo ductu exeunt, qui ad oras arcuatim in ſe invicem incurrunt.

Fructus in novellis ramis, qua parte folia illis inhærent, ſine petiolis proveniunt, rotundi, fructibus
i-are-alou perſimiles, ſed majores, colore primùm viridi, dein flaveſcente, tandémque rubicundo,
granis pleni ut vulgares Ficus, dulces quidem, ſed minùs grati ſaporis quàm illæ.

Creſcit in multis locis Malabar, fructuſque fert, & viret per totum annum, & aliquot ſecula ſu- ***Locus.***
ſtes manet.

Viribus non multum differt à præcedentibus duabus. Jo. Commelinus, quem ſequimur, hanc ar-
rem ipſam *Ficum Indicam* Cluſ. Exot. lib. 1. cap. 1. eſſe affirmat. At Auctores noſtri deſcriptio-
n Ficus Indicæ Cluſianam penultimæ ſpeciei accommodârunt, nullâ interim Cluſii mentione
ta.

5. *Peralu* H. M. *P.* 1. *F.* 28. *p.* 49. *Ficus Malabarenſis folio craſſiuſculo majori, fructu gemino*
intensè rubente D. Syen.

H. M.

Arbor eſt cæteris procerior, denſis & opacis frondibus, latè ſparſis.

Radix craſſa propagines fibroſas tam ſubtus quàm ſupra terram longè latéque diffundens, cortice
cæteris lacteo, qui inciſus quoque rubeſcit.

Caudex quantum duo treſve homines Ulnis extenſis amplecti poſſunt, cortice ut in radice præ
teris lacteo, &c.

Ex ramis, ut in *Itty-alu* filamenta ſeu radiculæ multo numeroſiores versùs terram pendulæ de-
ttuntur.

Surculi teneri, virides, geniculati, piloſi ſeu lanuginoſi.

Folia petiolis mediocriter longis, craſſis hærent, majora & craſſiora ſunt cæterarum ſpecierum
iis, oblongo-rotunda, verſus pediculum latiora, textura denſa & ſolida, utrinque lanuginoſa,
ugine ſubtus denſiore, holoſericea, ſupernè obſcuriore virore nitentia, ſubtus pallidiora. Coſta
ii media valdè craſſa eſt & nervos laterales obliquè anteriora versùs emittit, præter quam & binas
nc inde laterales obtinet, pariter diviſas: nervi omnes ad marginem folii arcuatim concurrunt, in
erſa parte valde eminentes & conſpicuæ, in adverſa etiam nonnihil. Sapor foliis adſtringens, odor
llus. *Fructus* ramis ſurculíſque ſupra ad exortum foliorum bini, & bini juncti & uniti, rarius ſolitarii
te inſident, magnitudine *Atti-alu,* at rotundiores, necnon colore intenſe rubeſcente, ſeu incarnato
uro; cum matureſcunt tomentoſa lanugine obducti, cum umbilico parvo in vertice; in quibus gra-
numeroſa, magnitudine eadem cum illis *Atti-alu,* in ſe *ſemen* minutum nigricans recondentia.

Liquor filamentorum quæ ex ramis deorſùm dependent, cum aqua ſimpliciter potus, vel in de- ***Vires.***
cto datus mitigat ardorem febrilem, purificátque hepar & ſanguinem. Cortex arboris tritus pro-
us eſt pro morbo ſacro parti affectæ appoſitus.

CAP. IV.

De Ficu Indica fibris ex ipſo trunco exeuntibus eique accreſcentibus augeſcente:

1. *Atty-meer-alou* H. M. *P.* 3. *T.* 58. *p.* 75.

H. M.

VAſtæ magnitudinis eſt hæc arbor, caudice craſſo, tenues quaſdam & ſingulares fibras deorſum mittente, quæ ipſi caudici adhæreſcentes craſſiſſimum eum reddunt, adhæc eiſdem fibris arbor terræ firmatur, multiſque ramis in orbem diffuſis longè latéque propagatur. *Lignum* albicans, molle & flexile, cortice ſubviridi cinereo obductum, qui ubi inciditur ſuccum ſtillat lacteum, acrem, odoratum.

Radix albicans, glabro & nigricante cortice tecta, necnon fibris latè per terram diffuſa, læſa liquorem fundit candidum unctuoſum, qui dein cum inciſa radice purpureus evadit.

Folia foliis *Atti-Alou* haud abſimilia brevibus petiolis novellis ramis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, denſa, communi virore nitentia, ſupernè glabra, infernè nonnihil aſpera, nervis aliquot è media coſta, in duas inæquales partes folium dividente, in latera excurrentibus: ſapor amaricans & acerbus. *Fructus* brevibus petiolis inter folia ramulis inhærent, fructibus *Arealou* perſimiles.

Locus. Provenit ubique in Malabar, per totum annum viret fructúſque fert.

Initium ſumit ex arborum quarundam caudicibus, aut è rupibus, vel antiquorum murorum rimis & fiſſuris, è quibus Convolvuli inſtar prodit: dein radix truncúſque tenuia quædam filamenta deorſum mittunt, quibus caudex inſigniter craſſeſcit, cúmque eiſdem fibris terræ firmetur, longè latéque propagatur, adeò ut arbor è qua initium ſuum duxit moriatur, hæc verò evadat maxima omnium arborum quæ in Indiis adhuc dum repertæ ſunt, necnon ſecula aliquot ſuperſtes maneat.

In *Kandenate* regionis *Cochin* provincia, juxta templum *Beykam* hujuſmodi habetur arbor caudice craſſiſſimo, quæ in circumferentia 50 obtinet pedes Geometricos, quámque incolæ 2000 annos ibidem creviſſe affirmant.

Vires. Foliorum ſuccus febribus medetur ardentibus. Fructus quoſcunque alvi fluxus ſiſtit.

2. *Hondir-Alou* H. M. *P.* 3. *T.* 59. *p.* 77.

H. M.

Arbor eſt procera, caudice craſſo, candido, fungoſo, cortice cinereo obducto, multiſque ramis latè diffuſis ornato.

Radix nigricans fibris ſuis latè per terram diffunditur, ſapore acri, odore nullo.

Folia ſine ordine novellis ramis inhærent, oblongo-rotunda, denſa, glabra, fragilia, longitudine ſpithamam lata, quatuor circiter pollices æquantia, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia, ſplendentia, nervis aliquot in averſa parte eminentibus, è media coſta ordinato ac parallelo ductu in latera excurrentibus: ſapor auſterus, odor ſylveſtris.

Fructus itidem granis pleni uti vulgares ficus, ac fructibus *Atti-Alu* perſimiles. Ab hominibus non comeduntur, ſed à Simiis & cornicibus appetuntur, unde à Luſitanis *Figos dos Buzios*, i.e. *Simiarum ficus* nuncupantur.

Locus. Naſcitur ubique in Malabar, præcipuè in fluminum ripis, & locis montanis ac petroſis *Mangatti.* Viret per totum annum fructúſque fert, & aliquot ſeculis ſuperſtes manet. Ab avibus ſeritur. Ex namque cùm fructus comedunt, exigua illorum granula (in quibus germinandi vis conſiſtit) cum excrementis iterum deponunt, è quibus denuò arbores excreſcunt.

Vires. Foliorum tenellorum ſuccus expreſſus ad eroſas gingivas, ſimiléſque oris affectus egregium eſt remedium, ſi os eo colluatur. Ex eodem cum Butyro recenti digeſtivum fit, ulceribus mundificandis & conſolidandis perquam utile. Ex radicibus & foliis ſimul in aqua decoctis balneum paratur, quod ſanandæ Lepræ & Epilepſiæ conducere dicitur.

Adnotat ad hanc arborem D. Jo. Commelinus, eam præcedentis ſpeciem eſſe; filamenta namque non è ramis ſed è caudice deorſum mittere, quæ ipſi caudici adhærentia, craſſiſſimum eum reddunt. Adhæc magnam habere ſimilitudinem cum *Arbore peregrina* fructum ficui ſimilem gerente quam Cluſius perfunctoriè deſcribit; cujus idcirco deſcriptionem ſubjiciemus: nobis autem alia arbor videtur.

Arbor peregrina fructum Ficui ſimilem gerens J. B. Cluſ. exot. lib. 1. cap. 11.

Ramulus quem habuit Cluſius cum ſuo fructu in uvæ modum quaſi congeſto, reſiccatus durus erat, craſſo cortice tectus, gracilis & digitalis longitudinis, coloris ex fuſco ceracei, octo fructus exiguorum ficuum inſtar, craſſo brevique pediculo nixos ſummo faſtigio ſuſtinens, fuliginoſi coloris, cineraceis maculis conſperſos, duros & ſatis ſolidos. Similem fructum habuit idem Cluſius, non tamen tam copioſè ramo inhærentem, ſed ſingularem duntaxat, interdum geminum ſuis pediculis ſimul connexum.

Quum porro (inquit) hic fructus Ficui vulgari valdè ſit ſimilis figurâ, & nonnunquam etiam adeò puſillus ut Ciceris magnitudinem non multùm excedat, an ad Ficus Indicas circa Aceſinem amnem naſcentes referri non poſſit, cujus Theophr. Hiſt. Plant. l. 1. c. 12. & l. 4. c. 5. mentionem facit?

Nos commonefecit *D. Tancredus Robinſon* Arborem Americanam noſtratibus the Mangrov dictam ad hunc locum pertinere ob ejus fructum & funiculos è ramis demiſſos, radiceſque agen & ſe propagantes; ſuſpicatur idem Amicus prædictam arborem eſſe admodum affinem (vel eandem)

m) *Paretuvier D. Rochfert*; in maritimis creſcit, & ejus cortice utuntur in præparandis coriis, ex âque funes, lintea, & lecticas faciunt. Oſtrea interdum ramis adhærent, unde quibuſdam **The** **yſter Tree** vocatur. Alia ſpecies Arboris **Mangrove** dictæ reperitur in Mediterraneis Indiæ Oc- identalis, quæ ad aliquam prædictarum ſpeciem fortè referri poteſt.

Cap. V.

De Sycomoro.

SYcomori nomen adeptus eſt hic fructus à ſimilitudine quam ad utrumque fructum, Ficum & Morum habet. Unde ridiculos eos eſſe ait Galenus, qui Sycomora dicta putant quòd μωροῖς σύκοις, i. e. fatuis Ficubus ſimiles exiſtant; quibus verbis Dioſcoridem notare videtur; nec enquam hactenus inter probatos autores Græcos vidimus qui per ω ſcribat, inquit J. Bauhinus. citur etiam hæc arbor Sycaminus.

Eſt autem Sycamorus nihil aliud quàm Ficus genus fructu ex arboris trunco exeunte.

1. *Ficus folio Mori, fructum in caudice ferens* C. B. *Sycomorus ſive Ficus Ægyptia* Park. *Sycomorus* J. B. Ger. **The Sycomore of Egypt.**

Hujus deſcriptionem Veſlingianam, quam cæteris accuratiorem putamus, dabimus: Proceritate ſſitieque Morum albam adæquat (inquit Rauwolfius) Dirimitur ferè ab humili, ſed lata ſtirpe; runcos binos ternóſve peramplos, è quibus deinde ramorum confertim digeſtorum vaſta & ro- ta brachia opaci frigoris gratiſſimam ſcenam latè æſtuantibus obtendunt. Folia magnitudine & oſo illo ambitu, quem Alpini figura exhibet, prædita non ſunt: Mori quidem foliis paria, niſi d horum denſitas major & aſperitas diſcrimen inveniat. [Rauwolfius quoque foliis Mori ſimilibus atam, paulò tamen magis rotundatis, in ambitu nullis inciſuris crenatis ſerratíſve ſcribit] Addo d Sycomori folia perennitate donata ſunt, quæ in Moro circa brumale ſolſtitium penitus delapſa . Fructus cùm ex caudice, tum ex ramis in craſſitudinem adultis, qua parte trunco propiores enaſcuntur, non autem è ramis ſummis, quod ſcire licet rectè negâſſe Dioſcoridem. Fici ipſi tam fœcundo proventu mediocre tantùm corpus faciunt, nec ut noſtrates laxiùs ventricoſi. Pa- n extra natalem caudicem vulneratum colla proferunt, cavitate quoq; intus præditi, quæ ſubluteo utóque retrimento conſperſa, non rarò vermiculis ſuccreſcentibus hoſpitium præbet.

Adde ex Alpino, Arboris hujus fructum tardè neq; perfectè matureſcere, atq; ſaporem aqueum jucundum habere. Rauwolfius fructus bonitate noſtris Ficubus inferiores eſſe ait, quo fit ut mi- s æſtimentur, magnâque ex parte in pauperum uſus cedant. Bellonius recentes ſiccis præſtare bit, at nec hos maximè commendandos videri, quamvis in Ægypto magni fiant ex iis reditus.

Multis fructibus hunquam caret, quos tamen non producit, niſi priùs multis verberibus ſæpe lace- r, ſic ut caudicis quoque corpus vulneretur, ex quibus vulneribus lac continuè exit, unde ramus us ficus ferens, interdum ternos, interdum quinos, interdum ſeptenos, & plures etiam.

Plinius, Dioſcorides aliíque è Veteribus fructum non matureſcere aiunt niſi ferreis unguibus ſcal- r. Theophraſtus oleo quoque inungi debere ait poſt ſcalpturam, idque ni fiat maturitatem adi- i non poſſe, propter affluentiam pabuli, ſiquidem ſcalptu aliquid humoris prolicitur. Fructum nulis carere tradiderunt Veteres; & Alpinus atque Rauwolfius, ipſi αὐτοθεασάμενοι, idem teſtantur. tamen Bellonio aſſentimur contrarium affirmanti, nimirum Sycomori fructus plenos granis eſſe, εγχρίδες Græcis dictis; nec enim ullos Natura fructus producit tota ſpecie ſeminum vacuos & infœ- dos, cùm fructus ſeu pericarpia tutelæ ſeminum gratiâ præcipuè efformata ſint.

Plinius cum vetuſtiſſimis autoribus verè ſcripſit (inquit Veſlingius) Sycomori lignum ſtagnis immer- ſicceſcere, hoc eſt ex raro fungoſo denſum magíſque tractabile reddi, ſubducto quo priùs ſcate- lacteo ſucco. Cæterùm quia Sycomorus arbores Ægypti, ſi non altitudine, certè craſſitie pluri- m excedit, jure quæſiveris, an hæc arbor illa ſit quam Veteres in ſylveſtri circa Memphin regione ci prodiderunt tantæ molis ut eam homines vel terni circumplecti nequirent. Sycomoros ego ea ſſitie plures atque etiam ampliores circa Memphis villas prædiáque conſpexi. Veteres tamen Sy- ninum à vaſtis illis evidenter ſejungunt. *Veſling.*

n Syria & Ægypto copioſè provenit: incolæ Cayri umbræ causâ eam colunt. *Locus.*

Pomum Sycomori alvo utile eſt, ſed perquam exiguum præbet alimentum, ſtomachóque adver- *Vires.* r, refrigerandi & humectandi alvúmque lubricandi vim ei attribuunt, unde febricitantium ſto- cho utiliter imponitur cum roſaceo. Galenus in curatione tumoris ex craſſo vaporoſóque ſpiritu um in modum commendat emplaſtrum διὰ Συκομόρων.

Lachryma arboris vim habet emolliendi, vulnera conglutinandi, & ea diſcutiendi quæ ægrè ma- ntur. Bibitur etiam, necnon & illinitur contra ſerpentum morſus, in ſcirrhum induratos lienes, nachi dolores atq; perfrictiones: Celeriter verò teredinem ſentit.

Fiebat antiquitus & vinum è Sycomoris, quòd facilè in acetum acre degenerabat.

2. *Sycomorus altera ſeu Ficus Cypria* Park. *Ficus Cypria* J. B. *Ficus folio Sycomori, fructum non in caudice gerens* C. B.

Caudice, folio, fructu, admodum ſimilis eſt præcedenti (inquit Rauwolfius) abſque eo quod ut omoro fructus inferiùs potiùs eſt in ramis majoribus ipſoq; etiam caudice, ità huic iidem naſcun- non in ipſis ramis, ſed in privatis ſurculis foliorum expertibus; ſpithamam longis plerunq; admodum conferti. Fructus ferunt hæ arbores ter quatérve quotannis, parvos, ad cinereum colore tendentes, ex oblongo rotundos Prunorum inſtar, toto ferè anno in arbore ſua inveniendos.

Locus. In Cypro inſula provenire vel nomen arguit. Naſcitur etiam in Syria, Rhodo, &c.

3. *Sycomorus foliis minoribus* C. B. *Sycomoro ſimilis* J. B.

Similitudinem quandam habet cum Sycomoro. Foliis veſtitur paulò minoribus quàm Ficus. Fructus fert Ficubus adſimiles, parvos, luteos, ſine granulis aut ſemine. Trunco, ramis, cortice, fructu, ſucco lacteo, & foliorum acrimonia planè ſimilis eſt Ficui. Fructus ejus nunquam ad perfectam maturitatem pervenit. Arbor eſt admodum fructifera, ut haud facilè inveniatur abſque fructu. Non provenit ex ſemine aut fructu, ſed ex ſurculis aut taleis in terram depactis.

Invenitur in inſula *Mayo* Viridium una. *Linſchoten*. Non placet quòd habet de ſeminum carentia: Nos non agnoſcimus tales fructus in natura dari, ut aliàs & ſæpiùs diximus, niſi fortè Arbor hæ aliunde huc tranſlata fuerat, adeóque ob cœli ſolive incongruitatem fructum non perficeret.

CAP. VI.

De Jaca Indica.

SYcomoro ſubjungimus Jacam Indicam, non ob fructuum ſimilitudinem, quæ exigua eſt, ſed quòd ex arboris pariter trunco prodeant, nullo flore prævio: nulla certè floris mentio fit ab Auctoribus qui de Jaca egerunt: videntur ergo exiſtimâſſe eam flore carere. De flore ergo diligentius inquirendum, quem huic arbori denegatum vix conceſſerim.

* P. 3. T. 26, 27, 28 p. 17.

1. *Jaca Indica* J. B. *Jaaca vel Jaca* Park. *Tsjaka-maram* * H. M. *Palma fructu aculeato e arboris trunco prodeunte* C. B. The Jack-tree.

H. M.

Arbor eſt pregrandis & procera, *caudice* ex albo flaveſcente, variegato, craſſo, præduro, multiſq; ramis viridi-fuſcis, geniculatis donato, qui cortice craſſo, cinereo, ruſo ac intus croceo obducti, ubi inciduntur lacteum ſuccum ſtillant.

Similiter *radix* craſſa, cortice craſſo aqueo, ruſo, intus verò ad medullam croceo-rubeſcente tecta, necnon fibris ſuis latè per terram diffuſa; ſapore amaricante, odore nullo.

Folia oblongo-rotunda, denſa, glabra, brevibus ac rotundis petiolis ramulis inhærent, ac longitudine ſpithamam ſuperant, ſupernè colore ex atro-vireſcente ſplendent, ſubtus viridi diluto; coſtâ mediâ craſsâ, & in averſa parte altè extuberante: diffracta ſuccum lacteum inſipidum & inodorum fundunt.

Fructus *Jaca* dicti ex ipſo caudice & ramis craſſioribus [non minoribus] enaſcuntur, & non raró cùm imo caudice cui inhærent intra terram ſepulti ſunt, oblongo-rotundi, ſeu potiùs conici, latitudine ſpithamam, longitudine duas ſpithamas, pondere 25 libras haud raró ſuperantes: cortex namque viridis eſt, craſſus, & ſquamis denſis aculeatis, velut gemmis adamantinis, bullatim exaſperatis, intúſque albicans & lacteus [Acoſta ſquamarum aculeos minimè acutos aut pungentes eſſe ait, quamvis minitari videantur.] Cæterùm intus in fructibus hiſce majoribus innumeri minores, fructus intra communem corticem includuntur; ſúntque hi oblongi, carne ſpiſſa, flaveſcente, dulcis gratiſſimíque ſaporis & odoris, referti, qui ſinguli in medio unam continent caſtaneam, quæ intra carnem tanquam ſacculum conſitæ, ac albâ, tenui pelliculâ, ceu tunica interiore, coopertæ ſunt. Hæ autem Caſtaneæ oblongæ, & ſacculis incluſæ, cortice tenui, cartilaginoſo, albicante & tranſparente teguntur, cui alter rufus ſubjicitur, nucleum continens denſum, albicantem ac lacteum, ejuſdem cum caſtaneis noſtratibus ſaporis. Porro in medio ingentis hujus coni ſtylus columnaris, craſſus, albicans & lacteus adeſt; cui tanquam communi baſi fructus minores in orbem locati, inſerti ſunt una, & altera extremitate ipſi cortici è diametro adhærente, inter quos numeroſa obſervantur ligamenta coriacea, albicantia & ſubflava, quæ & ſtylo medio & cortici affixa ſunt, è quibus (diſciſſo integro fructu) ut & è ſtylo & cortice, ſuccus lacteus glutinoſus, terebinthinæ inſtar exſudat; quo aves capiuntur.

Locus. Naſcitur ubique in Malabar & per totam Indiam: Singulis annis maturos exhibet fructus, menſe viz. Decembri, atq; à ſexto circiter ſationis anno ad ſeptimum & ultra fructifera eſt. Propagatur autem hunc in modum: Integer fructus terræ committitur, omnéſq; ſurculi, quos ſinguli minores fructus majori huic cono incluſi emittunt, ab incolis viminibus colligantur, ità ut in unum excreſcant caudicem. Id verò peculiare hîc obſervatur, quæ arbores locis petroſis naſcuntur craſſiores ſunt & minùs altæ; quæ arenoſis altiores ſed minùs craſſæ: ut radix arboris cùm aquis inſiſtit nullos profert fructus.

Arboris hujus ultra triginta numerantur ſpecies, ratione fructuum diſtinctæ, quæ tamen omnes ad duo referuntur genera: quorum alterius fructus, qui carne ſucculenta gratiſſimi mellitíque ſaporis turgent, *Varaca*, (Acoſtæ *Barca*) at alterius, qui carne flaccida, molliori & minus ſapida referti ſunt, *Tsiaka, papa*, (Acoſtæ Papa aut *Giraſal*) nuncupantur.

Uſus in cibo & medicina. Fructus hi maturi corticibus denudati in deliciis comeduntur, at largiùs comeſti difficilè digeruntur. Ab indigenis fructus teneri in eduliis *Caril* expetuntur, vel muriâ in *Atsjaar* condiuntur, vel etiam in fruſta conciſi coquuntur, aut in oleo de Palma friguntur.

Caſtaneæ aſſatæ caſtanearum vulgarium modo, dulcis ſaporis ſunt, & inter bellaria ad ſecunda menſæ delicias habentur [& Venerem excitant, ob quam ſolam rem plebs frequentiùs iis uti ſole *Acoſt.*]

t.] verùm avidiùs comeſtæ fauces pectúſque ardore, ac dein raucedine infeſtant: indigenæ q; in eduliis *Caril* hiſce utuntur, atque ex iis Sole ſiccatis farinam, ex eâque placentas, *Apas* as, conficiunt. Necnon corticula, quæ Caſtaneæ pulpam proximè ambit vicem *Arequæ* ſive *ugæ* iis præſtat in manducatione *Betel*.

ræterea è fructuum teneriorum cineribus lixivium paratur, quocum lotrices linteamina eluunt. æc arboris lignum operi fabrili inſervit.

coſta pulpam flaveſcentem, lentam, Caſtaneas involventem grati ſaporis eſſe ſcribit, optimi onis pulpæ admodum ſimilis, duræ tamen concoctionis eſſe & admodum gravare ventriculum, in ventriculo corrumpatur noxios ac venenoſos humores generare; quíq; frequentiùs hoc fructu untur facilè in peſſimum illum & peſtilentem morbum *Morxi* appellatum incidere.

radicibus arboris decoctum paratur diarrhœam ſiſtens. E foliorum pulvere Bubali excrementis *Vires.* ixto cataplaſma conficitur quod callidè maxillis appoſitum ſpaſmo cynico medetur. Lacteus uum ſuccus cum pulvere Calami aromatici tritus, oculíſq; illitus Nyctalopiæ conducit. Tritum aceto lignum uvulæ relaxationi & faucium tonſillarúmq; inflammationi prodeſt. Radix cum ûs pulpa trita, & addito ſaccharo in emplaſtri formam redacta, ac loco dolenti impoſita ma- o ac verminculari herpeti cum vermium nece confert.

2. *Ponga* * H. M. *Jaca minor ſylveſtris Malabarica* D. Comelin. *Tataiibæ Braſilienſium* Piſon. *ſimilis*. * P. 4. T. 35. p. 73.

H. M.

rbor eſt procera, 40 circiter pedes alta, caudice craſſo, præduro, cinereo, cortice furvo, glabro, oro ac inſipido obducto, necnon multis ramulis, glabris, rufis, intus albicantibus ac duris ato.

adix rufa, inodora, inſipida.

lia ſine ordine craſſis, rotundis ac fuſcis petiolis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, inata, denſa, glabra, colore atro-viridi ſupernè ſplendentia, infernè viridi-dilutiore, odor ſyl- is ac gravis, ſapor nullus.

lores hæc arbor aut nullos fert, aut ſaltem non conſpicuos. *Fructus* verò ipſis ramis adhærent, aud ſecus ac *Tsjaka* proveniunt, unde Luſitanis *Tsjaka do Mato*, i. e. *Tsjaka* ſylveſtris dicun- Sunt autem calyces echinati pungentes, erinaceis ſimiles, primùm virides, dein rufi, in quibus inentur plurima oblongo-rotunda, acuminata, ac rufa *ſemina*.

reſcit locis arenoſis ac montanis circa *Cranganoor*. Semper viret & fructus fert. *Locus.*

viridibus hujus arboris fructibus contuſis cataplaſma conficitur, quod tumoribus impoſitum eo- *Vires.* ſuppurationem potenter promovet.

cortice & radice in aqua coctis fomentum paratur, quod œdematoſis crurum tumoribus (malo s endemio, & *Pæ do S. Thome* Luſitanis dicto) ſupervenienti inflammationi medetur.

CAP. VII.

Arbores fructu totali (ſi ità loqui liceat) è pluribus partialibus aggregato, quorum ſingulis ſinguli flores inſident.

1. *Arbor Indica fructu aggregato globoſo*, Katu Tsjaka *dicta*. *Katou Tsjaka* H. M. *P.* 3. *Tab.* 33. *p.* 29.

H. M.

Ructus totalis ex pluribus fructibus partialibus polyſpermis aggregatus, quorum ſingulis ſinguli inſident floſculi.

Arbor eſt procera, *caudice* craſſo, præduro, multíſque ramis donato, qui cortice glabro, ci- eo intus viridi obducti, atque medullâ rufâ & molli referti ſunt.

Radix fibrata, albicans, ac fuſco cortice tecta, coloris ſaporíſque ingrati.

Folia geminata brevibus, craſſis, ac rotundis petiolis ordine decuſſato ſurculis geniculatis inhæ- t, oblongo-rotunda, glabra, denſa, ſupernè obſcuro virore nitentia, ſubtus dilutiora, ſapore aci- ſculo.

Summis ramis innaſcuntur *globoſa capita*, queis denſa congerie in orbem floſculi flaveſcentes ino- i inſident, qui è *calyce* candido, in quinque lacinias ſecto prodeunt, & quinque oblongis, exte- a versùs reflexis foliolis conſtant, totidem in medio *ſtaminulis* rufis præditi, inter quæ oblongus, rectus, albicans prodit *ſtylus*.

Floſculis verò decidentibus *fructus* globoſi, virides primò ſuccedunt, qui dein rubicundi, tandémque ricantes & fragiles evadunt, & ſi aſperiùs tractentur facilè ſolvuntur, ac in plures oblongos, ides, nitentes folliculos ſecedunt; quibus numeroſa, albicantia, exigua continentur *ſemina*: ſa- r intùs aqueus, in cortice verò acidus.

Naſcitur in locis ſylveſtribus Malabar, inprimis circa *Cranganoor*: quovis anni tempore floret *Locus.* ctúſque fert, ac diu frugifera manet.

E fructibus expreſſus ſuccus ventris cruciatus mitigat. *Uſus.*

2. *Arbor*

* P. 1. F. 52. p. 97.

2. *Arbor Indica fructu aggregato conoide* Cada-Pilava *dicta.* * *Cada-Pilava* H. M. *Arbor conifera, Macandou* Bontii.

H. M.

Radix cortice eſt è nigricante croceo.

Surculi ſuperiore parte quadrangulares ſunt & ſulcis ſtriati, nodulíſq; extuberantes.

Folia è nodulis binatim exeunt petiolis craſſis rotundis, grandia, oblongo-rotunda, ad petiolu contractiora, inde oris rotundiuſculis circumſcripta in cuſpidem tandem deſinunt, texturâ craſſa, mollia, plana, ſupernè obſcuro virore nitentia, ſubtus pallidiora, ſapore ſubamaro. Coſta folii media craſſa eſt & albicans. Folia ſuperiora in ſurculis minora ſenſim petiolis brevioribus.

Flores ſupra ex fructibus proveniunt petalis quatuor vel quinque, oblongo-anguſtis, cuſpidatis in ſtellæ formam expanſis conſtantes, craſſis, interiùs candidi, exteriùs è viridi diluto albicantes, habéntque pedem rotundum, longum, viridi-dilutum & albicantem.

Stamina quatuor, quinque, ſex, pro numero petalorum, brevia ſubflava prodeunt: *ſtylus* viridis, ad ſummitatem craſſior, bifidus ac obſcurè rufeſcens, eſtq; pes florum, per quem is tranſmittitur, interiùs villo ſeu denſis pilis obſitus. Gemmæ florum oblongo-rotundæ & flavo-albicantes.

Fructus in caulibus è nodulis ex adverſo foliorum proveniunt, in petiolis longioribus, ſeſquiuncialibus, rigidis, viridibus & craſſis, oblongi, conoides, ad petiolum craſſiores, in ſummitate ſtrictiores, exteriùs diſtincti cancellis extuberantibus, oculatis, versùs ſummitatem minoribus, ex quorum oculis gemmæ, quæ in medio oculatæ ſunt, emicant ac extuberant, ſúntque colore primùm viridi, [in gemmis oculatis albicante] dein cùm maturi quoque albicantes intus carne albicante, odore cùm maturi ſunt tetro & ſtercoreo, ſapore amaro. *Flores* qui ſupra in hiſce fructibus proveniunt, cum ſuo pede gemmis ipſis inſident, ac ex oculo qui in medio gemmarum eſt ſtylum ſuum accipiunt, ſúntque flores ſemper maximè conſpicui plures arctè ad ſe invicem in ſummitate fructus, cæteris ex gemmis inferioribus deciduis.

Semina formâ oblonga & plana, ordinate jacent propiùs ad corticem, cum ſua longitudine ad gemmas ex quibus flores erumpunt erecta, ac carne intermedia à ſe mutuò ſejuncta, colore cùm ſicca ſunt nigricante.

Bontius fructum nucem Pineam planè referre ſcribit, niſi quod tam acutè in conum non deſinat, neq; tam lapidea ſit duritie, ſed mollis planè, ſapore fatuo aut inſipido potiùs: flores Periclymeni floribus aſſimilat.

Vires. Malaii ſub cineribus aſſatum comedunt ad dyſenterias & choleræ orgaſmum ſedandum & ſiſtendum; tum pectoris vitiis Aſthmati, Phthiſi, Pleuritidi conducere aiunt, propter vim emplaſticam quæ in ipſius mucagine eſt.

Bontius Conſolidam Indicam arboream denominandam cenſet, quòd in Noſocomio vim fructus conſolidantem in hæmoptyſi non ſemel cum ſucceſſu expertus ſit. Folia quoq; ſarcotica eſſe ait, & in vulneribus & ulceribus carnem egregiè generare & cutem cicatrice obducere: in quam rem ſal quoq; ex foliis arte Chymica elici poteſt, quod præter conſolidantem qualitatem etiam quævis inveterata & cacoetho ulcera munda reddit.

Succus expreſſus cum oleo è foliis Fici inferni decoctus podagræ convenit, ſi pars affecta eo perungatur.

3. *Frutex Indicus fructu aggregato conoide Kaida dictus.*

1. *Kaida* H. M. *P. 2. F. 1. p. 1.*

H. M.

Frutex eſt ſpinoſus & aculeatus, ſtipitibus numeroſis, qui ſæpiſſimè tranſitum præbent, ac per quos inſpicienti cœlum pervium eſt, terræ impactus, naſcénſq; in ripis aquarum.

Folia cuſpidata, longitudine quinque, ſex, ſeptemve cubitorum, tribus ordinibus aculeorum, duobus in oris, uno in medio, munita, venis ſubtilibus in longum ſtriata, colore viridi ſaturo.

Loco *Florum* faſciæ albicantes flocculoſæ ſupra exortum foliorum prodeunt, quarum flocculi ſeu *apices* albicantes albiſſimo farinaceo polline aſperſi, petioli medii candidiſſimi & nitentis ramulos obſident.

Faſciæ hæ in foliis oblongis, cuſpidatis candidis, quæ quoq; ſpinis in oris ac in medio munita ſunt primùm involvuntur, ac foliis apertis ſe produnt, ex diuturniore apertione rubeſcentes, ſúntq; un cum foliis involventibus odoris acris & fragrantis.

Fructus, qui faſciis flocculoſis ſuccedunt, oblongo-rotundi ſunt & prægrandes, primùm viridi-fuſci, dein vetuſtiores colore rubicundo, in cortice confertis tuberculis exturgeſcentes, ac in ſingulis tuberculis tribus aculeatis, ruffo-rubris, duris, lignoſis papillis muniti, carne intus flava ſucculenta.

Foliis ſuper terram ſtratis indigenæ dapes imponunt.

Floribus ob odorem amœnum mulieres ſe exornant.

Fructibus veſcuntur gentiles dicti *Poleas*, uti & Elephantes.

Vires. Foliorum ſimul & radicis ſuccus pro balneo maniacis ſubminiſtratur. Flores cum Santalo ac Cumino ad potiunculam aptati, ſimúlque comminuti atque hypogaſtrio inuncti genitales vires inſtaurant. Ex radice paratum apozema dyſuriam tollit. Ex ejuſdem ſucco deponitur coquendo oleum antarthriticum.

2. *Kaida-Taddi* H. M. *P.* 2. *F.* 6. *p.* 3.

A priori hæc, ut & ſequentes duæ ſpecies, in fructibus ſolùm differt.

Sunt autem *fructus* hujus prægrandes, formâ rotundiores, in corpore diverſis grandibus nodis, qui cis profundis & latis interſtincti ſunt extuberantes; ſúntque in ſuperficie nodorum ſeptem octóve ſim minoribus nodulis, in quibus ſingulis papilla duriola ruffa eminens eſt, interſtincti, colore mùm viridi, dein corallino rubro, ac in ſuperficie nodorum ſingulorum dilutiore, carne intus a; in medio cavernâ vacuâ excavati, ac carne albicante farinacea; in medio nodo cujuſque m rotundum oblongum *ſemen* continentes.

E foliis teneris exactus ſuccus cum ſaccharo ſumptus dyſenteriæ medetur. Ex maturo autem *Vires.* ctu preſſus liquor ſaccharo mixtus aphthis adverſatur.

3. *Perin-Kaida-Taddi* H. M. *P.* 2. *F.* 7. *p.* 5.

Fructus hujus oblongo-rotundi ſunt, ac minoribus nodis, qui ſulcis quoq; profundis interſtincti t, extuberantes, ac in ſuperficie cujuſq; nodi unâ papillâ ruffo-nigricante dotati: ſúntq; hi flaveſcentes, ac odoris vegeti & haud ingrati.

4. *Kaida-Tsjerria.* H. M. *P.* 2. *F.* 8. *p.* 7.

Fructus hujus haud diſſimiles ſunt fructibus *Tsjaka* formâ oblongo-rotundâ & anguſtiores, in ſuficie bullis ſeu oculis extuberantibus dotati & oblongis nigricantibus rigidis ſpinis in vertice bulm muniti, cortice viridi, ac odoris vegeti ac grati.

uſpicor hunc fruticem florem obtinere à fructu ſejunctum ſeu aliquantulum remotum; proinde inùs rectè hoc in loco diſponi, ſed ad præcedens genus potiùs pertinere. Verùm quoniam Aus noſtri fructus faſciis flocculoſis ſuccedere in deſcriptione tradunt, impræſentiarum hîc collodum cenſui.

C A P. VIII.

Frutices flore compoſito ſeu aggregato è pluribus floſculis densè ſtipatis, quorum ſinguli ſingulis ſeminibus inſident.

1. *Alypum montis Ceti, ſive Herba terribilis Narbonenſium* Lob. *Al. Monſpelienſium ſive Herba terribilis* Park. *Al. Monſpelianum ſive Frutex terribilis* J. B. *Thymelæa foliis acutis, capitulo Succiſæ* C. B. **Herb terrible.**

J. B.

Rutex eſt cubitum aut ſeſquicubitum altus, in multos diviſus ramos, lignoſos, foris tenues, rubentes, vel ex fuſco purpuraſcente cortice tectos: per quos folia concoloria ferè naſcuntur, Myrto vulgari accedentia magnitudine ſua, non ità penitus formâ: Ex anguſtiſſimo n principio ad extremum uſq; propemodum dilatantur, ubi interdum unâ aut alterâ crena in obtuſum mucronem efficiunt, craſſa, ſolida, amara. *Floſculi* extremis ramulorum plurimum, s ad medios ramulos glomeratim congeſti hærent, purpurei, è tenuibus ſquamulis contexti. [Cluſummis ramulis ſingulares inhærent calyces, ſquamatim compacti, interioris orbis florum Scaæ aut Morsûs Diaboli magnitudine, qui florem continent villoſum & lanuginoſum, ex cœo candicantem in meditullio, at in ambitu omnino cœruleum.] Radix craſſa, dura, nigra, oſa. Cuncta planta (inquit Lob.) amara, & inamœno Thymelææ aut Chamelææ guſtu, aut ementiore etiamnum à ſexto anno.

n monte Ceti Frontinianæ versùs Auſtrum oppoſito & in mare procurrente provenit copiosè. *Locus.* Quin & in aliis Narbonæ & Gallo-provinciæ locis ad mare & Auſtrum devexis, & præruptis ximè (ut annotat Lobelius) natales ſuos delegit. Nos in collibus ſaxoſis juxta *S. Chamas* Gallovinciæ oppidum copioſum obſervavimus.

im catharticam vehementem obtinet, nec minùs violenter purgat bilem, pituitam & aquas quam *Vires.* ymalus. Quapropter non temere eâ utendum cenſemus. *J. B.*

2. *Cattu-Schiragam* H. M. *P.* 2. *F.* 24. *p.* 39. *Scabioſa Indica arborea.*

H. *M.*

rutex eſt altitudine humana, naſcens in arenoſis.

adix brevis, recta, una faſcia albicantium ac glanduloſarum fibrarum, quæ condenſis pilis inter nplexæ ſunt, veſtita, ſapore ſubamaro.

tipes, qui ex radice unus exſurgit, rotundus, pollicem fermè craſſus, ſurrectus, ſurculos è ſuperiore ximè parte emittens, cortice viridi-diluto, ligno ſubrubro, in medio corculo cavo, ſeu fungoſo & cante, corculo proximo molli, humido & ſubviridi.

olia ſubinde parvis foliis, quæ ex eorum origine oriuntur, comitata ſunt, formâ oblongo-anguſta, nferiore parte lateribus ſtrictis, ínq; mucronem acutum deſinentia, ad margines dentata; excepta te anteriore ad cuſpidem, & inferiore ad pediculum; textura tenui, languida in ſuperficie raris, uibus pilis obſita, utrinq; ad tactum ſubaſpera, ſupernè obſcurè viridia, ſubtus pallidiora, ſapore nè amaro.

Flores parvi, plures ſimul prodeunt cum pedunculis viridi-dilutis ex ſuperiore parte folioſorum capitulorum, ſúntq; purpureo-rubro diluti, inciſi quinq; cuſpidatis foliis, quæ arctè clauſa ſunt circa medium viridi-dilutum *ſtylum*, ex quo tanquam thecula emicat filamentum tenue, albicans, ſupernè bifurcatum. Súntq; flores odoris nullius.

Semina, quæ in folioſis capitulis numeroſa continentur, oblongo-rotunda ac anguſta, in longum ſtriata, inferiùs in cuſpidem ſtricta, cuſpide baſi capituli inſerta, ſúntque ſingula ſupernè in orbitâ penicillo longiuſculorum, albentium & ſubflavorum pilorum, ex cujus medio unus *floſculus* cum ſuo pedunculo viridi diluto emergit, circundata. *Semina* cùm ſicca coloris ſunt ruffi.

Semel in anno fert flores tempore pluvioſo.

Vires. Pro puſtulis corporis, ſi contrita cum oleo coquatur, & pars affecta decocto foveatur, conducit: in febre ex cholera-orta confert delibutio capitis cum ſucco qui ex ea trita expreſſus eſt. Semina in pulverem redacta, & cum aqua calida epota pro tuſſi dantur, ac flatibus tollendis ſerviunt, uti & enecandis vermibus in infantibus, leniúntque ventris dolores, ac urinam cient, partique affectæ podagra, vel doloribus ex frigore obortis commoda ſunt facta ex iis perunctione cum aqua calida.

3. *Scabioſa Africana arboreſcens ſeu Cupreſſo-pinulus Capitis Bonæ ſpei* Breyn. *Scabioſæ affinis arbuſcula Africana ericoides, ſphærocephalos.*

Breyn.

Arbor eſt pumila, ſemper virens. Virgæ à Breynio deſcriptæ pedales erant, teretes, pennæ ſcriptoriæ craſſitiem pæne attingentes; ligno ſubalbido, cortice rufeſcente ex cinereo tectæ, foliolíſque anguſtiſſimis, triangularibus ac mucronatis, Cupreſſi inſtar ramulorum, ſquamatæ. His verò virgis ramuli duas tréſve uncias longi, graciles, valdéque flexibiles adnati, qui foliolis Ericæ vulgaris perſimilibus, decuſſatim poſitis densè veſtiuntur. Quilibet ramulorum ſuperiorum Strobilo, modò uno, modò pluribus, exiguo, orbiculari, lanuginoſo & albo, juxta ramulum planiuſculo, foliolíſque firmiter adhærentibus ſubtiliſſimè ſcandulato onuſtus, forma & magnitudine Fragorum, ſquamulis autem innumeris, intus villoſis, ac argenteo nitore ſplendentibus, in anteriore parte foliolum viride monſtrantibus, arctiſſimè compacto, cujus ſquamæ (ut autumo) proceſſu temporis dilatantur. Lignum & cortex rami ſaporem * ſalſum & nonnihil adſtringentem, ſed foliola cum ramulis ingratum, ſubàdſtringentem cum tantillo amarore præbent.

* *Forſan ex aſperſione aquæ marinæ.*

In Appendice hujus hiſtoriam ulteriùs proſequitur & illuſtrat, ramulum tum depictum, tum ſiccum ad ſe tranſmiſſum à *D. ten Rhyne*, nomine *Ericæ noduligeræ capitulis hirtis ex purpureo fuſci coloris* deſcribens. Hic, inquit, affinitatem aliquam cum Scabioſis prætendere videtur. Namque Strobilorum inter ſquamulas *Pericarpia* lanuginoſa & dura occultantur, Scabioſæ arboreſcentis Creticæ haud imparia, concava intus, *ſeménq;* oblongum includentia, in ſuperiore autem parte, calycis loco membranacei, foliolis coronata quinque, craſſis ac lanuginoſis, quorum in medio floſculus pentapetalos, Globulariæ luteæ montanæ *Col.* accedens; quem (etſi ad flavedinem inclinet ſiccus) purpurei coloris exiſtimo, cùm ejuſdem etiam coloris mentionem in Plantæ hujus nomine *D. ten Rhyne* faciat.

Hæc Arbuſcula non ineptè meâ ſententia, denominari poſſit, Scabioſæ affinis arbuſcula Affricana ericoides, ſphærocephalos.

LIBRI VIGESIMI SEXTI

PARS POSTERIOR.

De Arboribus quarum flos ſummo fructui inſidet.

ARbores, quarum flos fructui contiguus eſt, ſunt vel eodem ſummo fructui inſidente, vel baſi fructûs cohærente. Quarum flos ſummo fructui inſidet, fructu ſunt plerunque ex reſiduo calyce umbilicato ſeu coronato; & dividi poſſunt in eas quarum fructus pericarpio ſeu pulpâ humidâ ſemina vel univerſa ſimul, vel ſingula ſeorſim ambiente conſtat; & eas quarum fructus materia per maturitatem ſicciore & ſeminibus incluſis componitur. Prioris generis arbores ſunt vel fructu polypyreno, vel fructu monopyreno. Quæ fructu polypyreno ſunt dividi poſſunt in majore fructu donatas, quas *Pomiferas* dicimus, & minore fructu præditas, quas *Bacciferas* cum vulgo appellamus. Quæ fructu monopyreno itidem vel eodem majore ſunt, quas *Pruniferas*, vel minore, quas *Bacciferas* appellare liceat.

1. Primò ergo in loco agemus de arboribus fructu umbilicato, polypyreno, majore ſeu *Pomiferis umbilicatis*. His autem neceſſariò admiſcendæ ſunt nonnullæ fructu minore quarum ſci. fructus cum majoribus notis genericis & characteriſticis conveniunt. Sic verbi gratiâ Oxyacantha vulgaris ſeu ſpina alba, quamvis fructu parvo ſit, ob convenientiam in reliquis notis omnibus cum Meſpilo Aronia dicta, ab ea minimè ſeparanda eſt. Idem dicendum de aliis multis ſpeciebus *Sorbi* & *Meſpili*, &c.
2. Secundò, de iis agemus quarum fructus pericarpio donatus monopyrenos major, ſeu de *Pruniferis umbilicatis.*

3. Tertiò, de iis quæ fructu minore ſunt ſeu monopyreno ſeu polypyreno, hoc eſt, de Bacciferis umbilicatis pericarpio donatis.
4. Quarto tandem in loco eas trademus quarum fructus umbilicatus materia per maturitatem ſicciore conſtat.

SECTIO I.

De Arboribus fructu umbilicato humido polypyreno majore, ſeu De Pomiferis Umbilicatis.

HAc Sectione comprehendimus omnes arbores fructu polypyreno majore quarum flos ſummo fructui inſident quamvis vel nullum calycem habeat, vel calyx flori ſuperſtes non ſit, nè quis cavilletur arbores hîc inſertas quarum fructus umbilicatus non eſt.

CAP. I.

A. *De Malo ſativa.* **The Apple-Tree.**

MAlum priore producta à Dorico & Æolico Μᾶλον pro μῆλον eſt, quod non modò *pecus* & mammillam, ſed & *Pomi* genus ſignificat. Arbor ipſa *Malus*, Græcis μηλεά. Voſſ.

Pomi vox latiùs patet quàm *Mali*: nonnulli enim Nucem etiam, quæ Græcis ἀκρόδρυον, hoc nomine complectuntur. Alii Nucem à Pomo ità diſtinguunt, ut *Pomum* ſit quicquid foris habet quod edendo eſt, durum intus includit, *Nux* quicquid foris duriore corio tegitur, intus habet quod edendo eſt. Sed vulgo genus pro ſpecie accipitur. Pomum autem à πόμα ſive potiùs πῶμα (nam & hoc invenitur) dictum arbitratur Julius Scaliger: quia ſitim tollerent eorum plurima, ſimulque eſſent cibo & potui.

Malus autem, cùm ſit arbor tota Europâ notiſſima, prolixa non indiget deſcriptione. Quin ſi indigeret, noſtram in eo deſcribendo operam ſuperfluam reddit accurata J. Bauhini deſcriptio, quam nonnihil auctam Lectori proponemus.

Arbor eſt mediocris magnitudinis, ramis magis patula plerunq; quàm alta, cortice ſcabro, ſæpe muſcoſo, obtecta, foris cinereo, intus flavo, ac lævi potiùs quàm aſpero, materie alba, vel candiante, fragili, mediocriter dura, & variis utenſilibus præſertim domeſticis parandis, atq; ad torni arficium haud incommoda: *radice* non valdè multa, nec admodum profunda, ſed in ſummo ferè rræ obhærente.

Folia ex rotundo oblonga, vel obtuſa, vel acuminata, infernè villoſa magis quàm ſupernè, præertim nova, in ambitu crenata, alternatim poſita.

Flores ſimul multi, ex brevibus tomentoſis pediculis, ſuave-olentes, candidi vel purpuraſcentes, penpetali, apicibus in medio ſubflavis.

Ipſa verò Mala adeò variant formâ, magnitudine, colore, ſapore, matureſcendi tempore, ut dinumerare haud ſit facile. In genere tamen Malum fructus eſt magnitudine & figurâ varius; quippe liud rotundum, aliud turbinatum, aliud ſeſſile, quædam etiam anguloſa. Sunt etiam quæ ad pugni emini magnitudinem accedunt, ſunt & parva & mediocria, tunica omnia contecta vel pallidâ, vel aveſcente, interdum rubrâ, aut ex toto, aut ex parte, rariùs ſubcinerea, aut ad glaucum vergente, i caro ſeu pulpa ſubeſt mitis, odorata in maturis, in immaturis & ſylveſtribus durior: ſapore vel ulci, vel ſubacido aut vinoſo, vel acido dulci; in ſylveſtri auſtera atq; acerba. Pediculo ſuo quodq; hæret, eo ipſo longitudine & craſſitudine diverſo, è parte inferna, atque ut plurimùm cavata, riùs prominente emerſo: in cujus oppoſito, parte nimirum ſuperna, eſt id quod πυθμένα quidam cant ex Polluce, alii ὄμφαλον, umbilicus nempe ſeu cavitas quædam, cui inutile illud floris reſiduum, oris calyx] inſidet. In ipſo fructus meditullio, ſeu *Volva* Scribonio dicta, *ſemina* latitant oblonga, era parte obtuſa, alterâ acuta, quà petiolum ſpectant, intus latentia, per maturitatem nigra, memanaceis quibuſdam atq; duris pelliculis [cartilagineis potiùs] ceu parietibus intergerinis, ſejuncta, ut ſingula in ſingulis latitent cellulis, interdum etiam gemina, quorum medulla candida, ſapore dulci.

Mali unam duntaxat ſpeciem agnoſco: nam quæ feruntur ſpecies varietates tantùm ſunt accintibus quibuſdam, magnitudine, figurâ, colore, ſapore, matureſcendi tempore differentes.

Has autem varietates idcirco ſpecie differre non exiſtimo quia ſationi originem ſuam debent, tque infinitæ, nullo certo aut determinato numero, cùm ex ſemine ſato novæ indies exoriur.

Bauhinus uterque Pomorum varietatem ex inſitionum maximè varietate ortam eſſe aſſerunt: Nos eminibus ſatis varietatem hanc provenire exiſtimamus; cùm (ut * alibi diximus) in inſitionibus * Lib. 1. c.19.
ctus ſurculi ſeu gemmæ naturam ſemper ferè ſequatur. Non tamen negamus fructum inſitione endari & velut cicurari, ſucco ex acerbo aut acido in mitem evecto.

Tempus. Mali apud nos in Anglia florent ſub exitum Aprilis, & initio Maii: Fructus ſuos maturant ali citiùs, aliæ tardius, præcoces Julio menſe & Auguſti initio, ſerotinæ non ante finem Septembr aut Octobris initium.

Locus. Amat quævis ferè loca Malus, ſi ferventiora excipias, ſed maximè temperata, aut etiam humidi ora (ut rectè J. Bauhinus) non tamen frigidiſſima. Raræ ſunt in interiore Italia & Gallo provincia ob cœli fervorem *J. B.* Abhorrent etiam loca maritima, nec uſpiam nobis viſa in ejuſmodi locis; ac nè in vicinis quidem commodè coluntur. *Idem.* Concludit tandem Malos temperata loc quærere, quæ tamen nonnihil ad calorem & ſiccitatem vergant, ut naſcantur ſapidiora.

Genera illa Malorum quæ C. Bauhinus in Pinace pro peculiaribus habet nobis non aliter differre videntur quàm reliquæ varietates. Eæ ſunt

1. Malus pumila, quæ potiùs frutex quàm arbor.
2. Malus exigua pallidis floribus.
3. Malus ſine ſemine interiùs in fructu.
4. Malus non florens fructificans tamen; quæ duæ ſpecies ſunt degeneres ſeu monſtroſæ.
5. Malus folio Pyri.
6. Malus flore pleno. Naturæ luſus eſt, ut in Ceraſo.
7. Mala ſylveſtria, Perſica, &c. quæ & alba & rubra, & majora & minora. De his tamen paulò poſt ſpecialiùs agemus.

Vires & Uſus. Vires Pomorum variæ ſunt pro ſaporum varietate: Acida, acerba & auſtera aſtringunt ac proinde alvum ſiſtunt; verùm cum butyro cocta cibum febricitantibus præbent commodum, inquit Schroderus.

Dulcia ſunt naturæ calidioris & laxantis.

Subacida ſeu vinoſa naturæ ſunt mixtæ, conveniúntq; ventriculo & cordi.

J. Bauhinus Ariſtotelis ſententiam probat, ut Poma ante cibum ſumantur. Sumpta enim, inquit, ante cibum facillimè alvum ſolvunt; at ſi poſt cibum, nihil ferè aliud quàm inflant, & flatus excitando moleſtiam creant ſtomacho, ut proprio periculo didicimus. Noſtrâ experientiâ commodiſſimum tempus edendi poma non eſt matutinum ante prandium, cum ventriculus planè vacuus eſt & jejunus, ob cruditatem & acorem, uti nec ante cœnam ob eandem rationem: at neq; ſtatim à prandio aut cœna, ſed duabus tribus, quatuorve horis poſt utramlibet refectionem, cùm ventriculus nondum penitus exhauſtus eſt, nec nimis repletus. Poma ſanè ſunt fungoſa & ſpongioſa, quæ injecta aquæ innatant, contra Pyra reſidunt, unde Poma difficulter in ventriculo concoquuntur.

Pyra ſive cruda ſive cocta faciliùs fero, meliúſque digero, inquit Idem.

Quamvis autem Poma ventriculo frigidiori & humidiori fortaſſe noceant, calidiori tamen & bilioſo apprimè conveniunt, & alvum facilem reddunt.

Omnibus ferè Pomis commune eſt, quòd ſuccus expreſſus admixto pauxillo Croci ebibitus veneno adverſatur, & ventris animalia pellit.

Punctionibus lateris Camerarius inducit cataplaſma ex pomo dulci, cui thus contuſum inditur, at ſimul aſſentur. Idem ad pulveris pyrii empyreuma extinguendum pomum dulce in Plantaginis latifoliæ aqua coquit ad tabitudinem, dein cum lacte facto cataplaſmate vulneri inducit.

Nos in quotidiano uſu habemus, ac magni facimus experimentum quod è Pomis in aqua coctis paratur, & pulmenti ſpecie oculorum inflammationibus imponitur. Poſſunt & ex lacte coqui, vel caprino, vel muliebri, vel ex aqua roſac. euphraſ. vel ex alia aqua frigida. Ego tamen feliciter ſæpius hoc medicamentum expertus ſum, etiam ſine lacte. *J. B.* Noſtrates non minore commodo pomum putridum oculorum inflammationibus & tumoribus quibuſcunq; imponunt. Memorabile eſt experimentum quod refert Simon Paulus, Quadrip. Botan. Claſſ. 2. p. 82. Recordor inquit honeſtiſſimam matronam mihi faſſam, ſibi à Lithotomo quodam Stralſundenſi femur gangrænâ correptum, omnino reſtitutum eſſe poſtquam illius ſuaſu poma putrida contuſa, & ſine ullius liquoris affuſione cocta, cataplaſmatis formâ ſemel atq; iterum applicuiſſet.

Geſnerus in vitiis pulmonis & dyſpnœa Malum aſſum excavatum, & drachmâ thuris repletum, felici cum ſucceſſu comedendum dedit.

Deniq; poma comeſta, ſyrupus, de pomis ſimpl. & compoſitus cor exhilarare ejúſq; palpitationi & ſyncope conferre, inq; morbis Melancholiæ ſummopere prodeſſe creduntur. [Caſp. Hofmannus, quòd tantis laudibus par ſit ſyrupus de pomis ſe vix credere ſcribit.] Pomorum etiam uſus eſt ad nobilem illam confectionem *Alkermes.*

Cæterùm Poma commodiſſimè aſſervantur in loco frigido, & ſicco potiùs quàm humido, in acervum etiam congeſta. Verùm nè à frigore nimio congelentur diligenter cavendum: ideóq; cùm gelu vehementius ingruit, vel ſtragulis injectis, vel copioſo ſtramine, (quidam Avenaceum præcipuè commendant) contegenda ſunt, vel in cellam ſubterraneam profundiorem recondenda; ubi à gelu etiam vehementiſſimo tuta & illæſa latitant; ut plurimorum experientia conſtat.

E Pomis contuſis & prelo ſubjectis ſuccus exprimitur, qui poſtquam fermentatus & partibus heterogeneis ſecretis probè defæcatus & clarus evaſerit, potui idoneus redditur, nec vino multùm inferior ſapore aut viribus. Variat autem pro qualitate & ingenio Pomorum ex quibus efficitur, ut & pro ætate.

Pomaceum parandi modus ſimpliciſſimus nobis omnium optimus videtur. Succum expreſſum vaſe ſatis capaci & aperto exceptum tandiu reſtare ſinas, donec fæces craſſiores ſubſederint, & efferveſcere incipiat; deinde in dolium clauſum & operculatum, cereviſiarii aut vinarii ſimile infundas; ubi cùm ſeſe purgaverit & partibus heterogeneis ſecretis & ejectis clarus evaſerit, (quod menſis unius minimùm ſpatium poſtulat) in ampullas vitreas teſtaceáſve anguſti colli & oris exhaurias, eáſq; bene obturatas in cellam aliúmve locum frigidum recondas. Hoc modo paratum & aſſervatum Pomaceum in multos etiam annos durabit incorruptum, nec in vappam aut acetum degenerabit; quin ſi ex Pomis electis, & boni ſucci fiat, generoſum & lene experieris, quóque vetuſtius

eò

ferè melius. Nonnulli ut liquor clarior & defæcatior evadat, è doliis exhauſtum in nova tranſ-
ndunt, & aliquantiſper denuo reſtare faciunt.

Infinitus eſſem ſi omnes Pomorum uſus in cibo & medicina enumerare aggrederer. Sufficiat
kiſſe omnium apud nos naſcentium arboreorum fœtuum longè utiliſſima eſſe, nec ſine inſigni de-
mento iis carere poſſe humanam vitam.

Pomorum Anglicorum laudabiliorum varia genera.

Quamvis Pomorum numerus (ut diximus) incertus & indefinitus ſit, celebriores tamen ſpecies
potiùs varietates, quæ præcipuo apud nos in honore & pretio ſunt, recenſere non ab re fuerit.
ùm enim Poma Anglica, palato noſtro arbitro, bonitatis & nobilitatis palmam Europæis omnibus
ripiant, cur non & nos aliorum imitatione Patriæ noſtræ in hoc genere divitias explicemus, nec
nore quàm alias terras optimorum fructuum proventu eam abundare oſtendamus? At nec inu-
is erit ejuſmodi enumeratio iis qui Pomaria conſerunt ad delectum ſtirpium faciendum, ut vili-
s & fatuis fructibus rejectis, nobiliores duntaxat, & opimo ſucco prægnantes, quæ pari facilitate,
litate autem multo majore plantantur, admittant.

1. *Poma molliora & fugaciora, menſis ſecundis inſtruendis idonea, quorum nonnulla præcocia.*

. **The Ginetting, or Juneting**, Pomum Ginettinum, quod unde dictum ſit me latet. Eſt
d omnium apud nos naſcentium Pomorum initium, ut præcociſſimum ità ferè minimum, quibus
tis ab aliis diſcretu facillimum.

. **The Margaret, or Magdalene.** Margaretæ ſeu Magdalenæ Pomum; mihi ignotum, hoc
em nomine.

. **The King-Apple**, Pomum regium.

. **The Aromatick, or golden Ruſſetting.**

. **The Flax-Apple.** A Lino denominatum, neſcio ob quam rationem.

. **The Spice-Apple.** Pomum Aromaticum ab odore & ſapore.

. **The Summer Queening.** Pomum reginale æſtivum, nonnullis Caryophylleum. **The Gil-
flower-apple**, ab odore dictum.

. **The go-no-further, or Cats-head**, i. e. Caput felinum à figura & magnitudine denomina-
; Omnium, mihi ſaltem cognitorum pomorum maximum, nec tamen ſucci illaudabilis.

. **The Golden Pippin.** Pippinum aureum, chryſomelum. Multa ſunt apud nos Pomorum genera
pini nomine inſignita, à Gallis fortè mutuato. Quodnam autem genus Londinenſes hortulani, qui
talogum hunc dederunt, hoc nomine intelligant non ſatis ſcio: nam quod apud nos in Eſſexia hoc
mine colitur, pomum eſt exiguum, ſublongum, luteo aureóve per maturitatem colore, unde & no-
, ni fortè ab excellentia aut dignitate & pretio ſuo ità dictum ſit, carne firma, ſolida, & ad
uſq; durabili, unde pomis æſtivis ſeu fugacibus accenſeri non debet, quamvis etiam initio hye-
crudum eſculentum ſit. Ad omnes culinæ uſus præſtantiſſimum habetur, & Pomaceo conficien-
egregium. Hoc nonnulli **The Barford Pippin** vocant. Certè alia ſpecies eſt quam Parkin-
us **The Golding Pippin** vocat, quod Pippinorum dictorum omnium, maximum eſſe non mi-
quàm optimum ſcribit.

o. **The Good Houſewife, or Bontradue.**

1. **The Giant-apple.** Gigas, ob magnitudinem fortè dictum.

. **The Pomewater.** Pomum aqueum, olim apud majores noſtros celebre. E majoribus eſt,
eriùs albicans, ſucco prægnans, acido, grato, & nonnihil una amaricante.

3. **The Summer Pearmain**; quod nomen Pyrum magnum æſtivum ſignificat, cujus ra-
nem non aſſequor. Magnitudinis mediæ eſt, exteriùs rubro ſtriatum, carne firma, ſapore de-
to.

14. **The Kirton Pippin, or Holland Pippin.** Pippinum Kirtonianum ſive Hollandicum.
rvum eſt, depreſſum, & in latitudinem diffuſum, umbilico lato, unde & **Broad-ey in** Suſſexia
tur, dulci & pungenti acore inprimis commendabile.

5. **The Orange-Apple.** Pomum Aurantiacum ſeu Orangianum.

16. **Summer Belle-boon.** Bellum & bonum æſtivum, ut nomen ità & fructus Gallicæ originis
Aſpectu pulchrum, media magnitudine, colore flavicante.

7. **The Paradiſe-Apple.** Pomum Paradiſiacum. Viſu pulcherrimum & ſpecioſum, colore
o, verùm carne levi & ſpongioſa, ſapore dulci amaricante, minùs laudabile.

8. **The Famaguſta**, à Cypri inſulæ metropoli nomen adeptum, fortè quòd indè tranſlatum.

9. **The Codling.** Pomum coctile. Externe albicat, è latere ſoli obverſo rubore perfuſum; cu-
la lævi, quam à coctione facile exuit. Crudum vix editur ob duritiem & aciditatem, ſed coctum
cum cremore lactis, vel cum aqua roſacea & ſaccharo comeſtum inter laudatiſſima fercula ha-
etur. Avulſione vel ramulo deciſo ſeritur & facilè comprehendit.

o. At nec omittendum eſt in hac Catalogo **The Coſtard-apple** dictum, quod tantæ olim æ-
nationis fuit, ut Melopolis per antonomaſian quandam id nominis inditum fuerit. Nam **Coſtard-
ngers** etiamnum hodie dicuntur.

1. Tandem nec nobis reticendum, nec à pomario excludendum Pomum **The Sops in wine**,
eſt, Offæ vino intinctæ, dictum. Quamvis enim carne ſit molli & fungoſa, nec ſapore præcipuo,
nen ob colorem rubentem quo pulpa interior per totum ſuffuſa eſt, raritatis & ſpectaculi causâ
i meretur.

Tempus. Mali apud nos in Anglia florent ſub exitum Aprilis, & initio Maii: Fructus ſuos maturant aliæ citiùs, aliæ tardius, præcoces Julio menſe & Augusti initio, ſerotinæ non ante finem Septembris, aut Octobris initium.

Locus. Amat quævis ferè loca Malus, ſi ferventiora excipias, ſed maximè temperata, aut etiam humidiora (ut rectè J. Bauhinus) non tamen frigidiſſima. Raræ ſunt in interiore Italia & Gallo provincia ob cœli fervorem *J. B.* Abhorrent etiam loca maritima, nec uſpiam nobis viſa in ejuſmodi locis; ac nè in vicinis quidem commodè coluntur. *Idem.* Concludit tandem Malos temperata loca quærere, quæ tamen nonnihil ad calorem & ſiccitatem vergant, ut naſcantur ſapidiora.

Genera illa Malorum quæ C. Bauhinus in Pinace pro peculiaribus habet nobis non aliter differre videntur quàm reliquæ varietates. Eæ ſunt

1. Malus pumila, quæ potiùs frutex quàm arbor.
2. Malus exigua pallidis floribus.
3. Malus ſine ſemine interiùs in fructu.
4. Malus non florens fructificans tamen; quæ duæ ſpecies ſunt degeneres ſeu monſtroſæ.
5. Malus folio Pyri.
6. Malus flore pleno. Naturæ luſus eſt, ut in Ceraſo.
7. Mala ſylveſtria, Perſica, &c. quæ & alba & rubra, & majora & minora. De his tamen paulò poſt ſpecialiùs agemus.

Vires & Uſus. Vires Pomorum variæ ſunt pro ſaporum varietate: Acida, acerba & auſtera aſtringunt ac proinde alvum ſiſtunt; verùm cum butyro cocta cibum febricitantibus præbent commodum, inquit Schroderus.

Dulcia ſunt naturæ calidioris & laxantis.

Subacida ſeu vinoſa naturæ ſunt mixtæ, conveniúntq; ventriculo & cordi.

J. Bauhinus Ariſtotelis ſententiam probat, ut Poma ante cibum ſumantur. Sumpta enim, inquit, ante cibum facillimè alvum ſolvunt; at ſi poſt cibum, nihil ferè aliud quàm inflant, & flatus excitando moleſtiam creant ſtomacho, ut proprio periculo didicimus. Noſtrâ experientiâ commodiſſimum tempus edendi poma non eſt matutinum ante prandium, cum ventriculus planè vacuus eſt & jejunus, ob cruditatem & acorem, uti nec ante cœnam ob eandem rationem: at neq; ſtatim à prandio aut cœna, ſed duabus tribus, quatuorve horis poſt utramlibet refectionem, cùm ventriculus nondum penitus exhauſtus eſt, nec nimis repletus. Poma ſanè ſunt fungoſa & ſpongioſa, quæ injecta aquæ innatant, contra Pyra reſidunt, unde Poma difficulter in ventriculo concoquuntur.

Pyra ſive cruda ſive cocta faciliùs fero, meliúſque digero, inquit Idem.

Quamvis autem Poma ventriculo frigidiori & humidiori fortaſſe noceant, calidiori tamen & bilioſo apprimè conveniunt, & alvum facilem reddunt.

Omnibus ferè Pomis commune eſt, quòd ſuccus expreſſus admixto pauxillo Croci ebibitus veneno adverſatur, & ventris animalia pellit.

Punctionibus lateris Camerarius inducit cataplaſma ex pomo dulci, cui thus contuſum inditur, a ſimul aſſentur. Idem ad pulveris pyrii empyreuma extinguendum pomum dulce in Plantaginis latifoliæ aqua coquit ad tabitudinem, dein cum lacte facto cataplaſmate vulneri inducit.

Nos in quotidiano uſu habemus, ac magni facimus experimentum quod è Pomis in aqua coctis paratur, & pulmenti ſpecie oculorum inflammationibus imponitur. Poſſunt & ex lacte coqui, ve caprino, vel muliebri, vel ex aqua roſac. euphraſ. vel ex alia aqua frigida. Ego tamen felicite ſæpius hoc medicamentum expertus ſum, etiam ſine lacte. *J. B.* Noſtrates non minore commodo pomum putridum oculorum inflammationibus & tumoribus quibuſcunq; imponunt. Memorabile eſt experimentum quod refert Simon Paulus, Quadrip. Botan. Claſſ. 2. p. 82. Recordor inquit honeſtiſſimam matronam mihi faſſam, ſibi à Lithotomo quodam Stralſundenſi femur gangrænâ correptum, omnino reſtitutum eſſe poſtquam illius ſuaſu poma putrida contuſa, & ſine illi liquoris affuſione cocta, cataplaſmatis formâ ſemel atq; iterum applicuiſſet.

Geſnerus in vitiis pulmonis & dyſpnœa Malum aſſum excavatum, & drachmâ thuris repletum felici cum ſucceſſu comedendum dedit.

Deniq; poma comeſta, ſyrupus, de pomis ſimpl. & compoſitus cor exhilarare ejúſq; palpitationi & ſyncope conferre, inq; morbis Melancholiæ ſummopere prodeſſe creduntur. [Caſp. Hofmannus quòd tantis laudibus par ſit ſyrupus de pomis ſe vix credere ſcribit.] Pomorum etiam uſus eſt a nobilem illam confectionem *Alkermes*.

Cæterùm Poma commodiſſimè aſſervantur in loco frigido,& ſicco potiùs quàm humido, in ace vum etiam congeſta. Verùm nè à frigore nimio congelentur diligenter cavendum: ideóq; cùm ge vehementius ingruit, vel ſtragulis injectis, vel copioſo ſtramine, (quidam Avenaceum præcipu commendant) contegenda ſunt, vel in cellam ſubterraneam profundiorem recondenda; ubi gelu etiam vehementiſſimo tuta & illæſa latitant; ut plurimorum experientia conſtat.

E Pomis contuſis & prelo ſubjectis ſuccus exprimitur, qui poſtquam fermentatus & partibus he terogeneis ſecretis probè defæcatus & clarus evaſerit, potui idoneus redditur, nec vino multùm inferior ſapore aut viribus. Variat autem pro qualitate & ingenio Pomorum ex quibus efficitur, & pro ætate.

Pomaceum parandi modus ſimpliciſſimus nobis omnium optimus videtur. Succum expreſſ vaſe ſatis capaci & aperto exceptum tandiu reſtare ſinas, donec fæces craſſiores ſubſederint, & e ferveſcere incipiat; deinde in dolium clauſum & operculatum, cereviſiarii aut vinarii ſimile infun das; ubi cùm ſeſe purgaverit & partibus heterogeneis ſecretis & ejectis clarus evaſerit, (quod me ſis unius minimùm ſpatium poſtulat) in ampullas vitreas teſtaceáſve anguſti colli & oris exha rias, eáſq; bene obturatas in cellam aliúmve locum frigidum recondas. Hoc modo paratum & aſſe vatum Pomaceum in multos etiam annos durabit incorruptum, nec in vappam aut acetum degen rabit; quin ſi ex Pomis electis, & boni ſucci fiat, generoſum & lene experieris, quóque vetuſt

ferè melius. Nonnulli ut liquor clarior & defæcatior evadat, è doliis exhauſtum in nova tranſ-
ndunt, & aliquantiſper denuo reſtare faciunt.

Infinitus eſſem ſi omnes Pomorum uſus in cibo & medicina enumerare aggrederer. Sufficiat
xiſſe omnium apud nos naſcentium arboreorum fœtuum longè utiliſſima eſſe, nec ſine inſigni de-
mento iis carere poſſe humanam vitam.

Pomorum Anglicorum laudabiliorum varia genera.

Quamvis Pomorum numerus (ut diximus) incertus & indefinitus ſit, celebriores tamen ſpecies
potiùs varietates, quæ præcipuo apud nos in honore & pretio ſunt, recenſere non ab re fuerit.
ùm enim Poma Anglica, palato noſtro arbitro, bonitatis & nobilitatis palmam Europæis omnibus
ærіpiant, cur non & nos aliorum imitatione Patriæ noſtræ in hoc genere divitias explicemus, nec
inore quàm alias terras optimorum fructuum proventu eam abundare oſtendamus? At nec inu-
is erit ejuſmodi enumeratio iis qui Pomaria conſerunt ad delectum ſtirpium faciendum, ut vili-
s & fatuis fructibus rejectis, nobiliores duntaxat, & opimo ſucco prægnantes, quæ pari facilitate,
ilitate autem multo majore plantantur, admittant.

1. *Poma molliora & fugaciora, menſis ſecundis inſtruendis idonea, quorum nonnulla præcocia.*

1. **The Ginetting, or Juneting,** Pomum Ginettinum, quod unde dictum ſit me latet. Eſt
d omnium apud nos naſcentium Pomorum initium, ut præcociſſimum ità ferè minimum, quibus
tis ab aliis diſcretu facillimum.

2. **The Margaret, or Magdalene.** Margaretæ ſeu Magdalenæ Pomum; mihi ignotum, hoc
em nomine.

. **The king-Apple,** Pomum regium.

. **The Aromatick, or golden Ruſſetting.**

5. **The Flax-Apple.** A Lino denominatum, neſcio ob quam rationem.

6. **The Spice-Apple.** Pomum Aromaticum ab odore & ſapore.

7. **The Summer Queening.** Pomum reginale æſtivum, nonnullis Caryophylleum. **The Gil-
flower-apple,** ab odore dictum.

8. **The go-no-further, or Cats-head,** i.e. Caput felinum à figura & magnitudine denomina-
n; Omnium, mihi ſaltem cognitorum pomorum maximum, nec tamen ſucci illaudabilis.

9. **The Golden Pippin.** Pippinum aureum, chryſomelum. Multa ſunt apud nos Pomorum genera
pini nomine inſignita, à Gallis fortè mutuato. Quodnam autem genus Londinenſes hortulani, qui
talogum hunc dederunt, hoc nomine intelligant non ſatis ſcio: nam quod apud nos in Eſſexia hoc
mine colitur, pomum eſt exiguum, ſublongum, luteo aureóve per maturitatem colore, unde & no-
n, ni fortè ab excellentia aut dignitate & pretio ſuo ità dictum ſit, carne firma, ſolida, & ad
uſq; durabili, unde pomis æſtivis ſeu fugacibus accenſeri non debet, quamvis etiam initio hye-
crudum eſculentum ſit. Ad omnes culinæ uſus præſtantiſſimum habetur, & Pomaceo conficien-
egregium. Hoc nonnulli **The Barford Pippin** vocant. Certè alia ſpecies eſt quam Parkin-
us **The Golding Pippin** vocat, quod Pippinorum dictorum omnium, maximum eſſe non mi-
quàm optimum ſcribit.

o. **The Good Houſewife, or Bontradue.**

1. **The Giant-apple.** Gigas, ob magnitudinem fortè dictum.

2. **The Pomewater.** Pomum aqueum, olim apud majores noſtros celebre. E majoribus eſt,
riùs albicans, ſucco prægnans, acido, grato, & nonnihil una amaricante.

3. **The Summer Pearmain;** quod nomen Pyrum magnum æſtivum ſignificat, cujus ra-
em non aſſequor. Magnitudinis mediæ eſt, exteriùs rubro ſtriatum, carne firma, ſapore de-
o.

4 **The kirton Pippin, or Holland Pippin.** Pippinum Kirtonianum ſive Hollandicum.
vum eſt, depreſſum, & in latitudinem diffuſum, umbilico lato, unde & **Broad-ey** in Suſſexia
ur, dulci & pungenti acore inprimis commendabile.

5. **The Orange-Apple.** Pomum Aurantiacum ſeu Orangianum.

6. **Summer Belle-boon.** Bellum & bonum æſtivum, ut nomen ità & fructus Gallicæ originis
Aſpectu pulchrum, media magnitudine, colore flavicante.

7. **The Paradiſe-Apple.** Pomum Paradiſiacum. Viſu pulcherrimum & ſpecioſum, colore
, verùm carne levi & ſpongioſa, ſapore dulci amaricante, minùs laudabile.

8. **The Famaguſta,** à Cypri inſulæ metropoli nomen adeptum, fortè quòd indè tranſlatum.

9. **The Codling.** Pomum coctile. Externe albicat, è latere ſoli obverſo rubore perfuſum; cu-
a lævi, quam à coctione facile exuit. Crudum vix editur ob duritiem & aciditatem, ſed coctum
cum cremore lactis, vel cum aqua roſacea & ſaccharo comeſtum inter laudatiſſima fercula ha-
etur. Avulſione vel ramulo deciſo ſeritur & facilè comprehendit.

o. At nec omittendum eſt in hac Catalogo **The Coſtard-apple** dictum, quod tantæ olim æ-
ationis fuit, ut Melopolis per antonomaſian quandam id nominis inditum fuerit. Nam **Coſtard-
ngers** etiamnum hodie dicuntur.

1. Tandem nec nobis reticendum, nec à pomario excludendum Pomum **The Sops in wine,**
t, Offæ vino intinctæ, dictum. Quamvis enim carne ſit molli & fungoſa, nec ſapore præcipuo,
en ob colorem rubentem quo pulpa interior per totum ſuffuſa eſt, raritatis & ſpectaculi causâ
meretur.

2. *Poma quædam provinciis nonnullis peculiaria; quæ locis ſuis natalibus laudatiſſima habentur, & aliò tranſlata ferè degenerant.*

1. **The Stockin-apple, or Stoken-apple** ab oppido *Stoke* nomen fortè adeptum, in Herefordia celebre.
2. **The Golden Renet.** Pomum renatum aureum, Hartfordiæ proprium.
3. **The Darling.** Pomum delicatulum Ceſtriæ.
4. **The Angels-bit,** i. e. Buccea Angelica Worceſtriæ præcipuo in honore.
5. **The Harvey-apple.** Pomum Harveianum ab inventore Gabriele Harveio Doctore nomen ſortitum, Cantabrigiæ ſuæ deliciæ. Grande eſt, colore è viridi albente, maculis plerunq; nigris inſecto; vix ultra natalitia Chriſti durat.
6. **The Quarrington** Devoniæ.

3. *Poma Hyemalia, & durabilia.*

1. **The Winter Queening.** Pomum Reginale hybernum, è lata baſi in roſtrum acutius producitur: carne firma & ſolida, ſapore Caryophyllum redolente. 2. **The Quince Apple.** Pomum cydonites ſeu cotonei formâ. 3. **The Winter Pearmain.** De cognomine æſtivo diximus ſuperiùs. 4. **The None-such.** Pomum incomparabile. 5. **The Pealing.** 6. **The Leather-coat.** Pomum duracinum ſeu duricorium, ſi ità loqui liceat, cujus non cutis tantum ſed & pulpa tota dura eſt: nonnullis **The Winter John,** id eſt, Joanninum hybernum dicitur. 7. **The Pome-Roy.** Velut Rex Pomorum. 8. **The Lording.** 9. **The July-flower Apple.** Caryophylleum. 10. **The Pear-apple.** Pyriforme. 11. **The Greening.** 12. **Lones Pearmain.** 13. **The green Ruſſetting.** 14. **The red Ruſſetting.** Poma hæc Roſſettina dicta à colore quodammodo ferrugineo ſeu roſſo cute ſunt undiq; ſcabra & velut uſtulata, carne firma, & ſolida, ſucco pauco & bene concocto, ſapore optimo, per totam durant hyemem, & ſaporis gratiam retinent. 15. **The Winter Fillet or Violet.** Pomum violaceum hybernum. 16. **The Winter Belle & bonne.** 17. **The Oaken pin.** 18. **The John-apple, or Deuxans,** i. e. Pomum Joanninum ſeu biennale. Pomorum omnium durabiliſſimum eſt, & cùm alia poma molleſcere & corrumpi incipiunt, matureſcit & eſui opportunum evadit. 19. **The Weſtbury.** 20. **The Winter-Reed.** 21. **The Flower of Kent.** 22. **The Winter Cheſnut.** 23. **The Maligar apple.** 24. **The Short tart.** 25. **The Pelmell.** 26. **Thrift.** 27. **Winter Clary.** 28. **The Fig-apple.** Ficoides. 29. Horum nulli ſecundum, ſive magnitudinem, ſive ſaporem, ſive durabilitatem ſpectes, Pomum Pippinum ſimpliciter & Pippinum album dictum, Eſſexienſibus Renatum [**the Renet,**] à Gallis mutuato nomine: ideóque non omittendum fuit, at nec ultimo in loco ponendum. 30. Locum etiam aliquem, nè dicam principem, ſibi vendicat Pippinum Cantianum, quod prædicto majus eſt & ſucculentius, pythmene profundiùs depreſſo, ſaporis tamen gratia noſtro judicio ei cedit. 31. Nec prorſus rejiciendum Pippinum Gallicum, **The French Pippin.** Pippinorum dictorum maximum, quod quamvis carne molli & fungoſa ſit, ſapore tamen grato palato arridet, & quod mirum diu durat.

4. *Poma Pomaceo ſeu Cidræ conficiendæ maximè idonea.*

1. **The Red-ſtreak,** i. e. pomum rubro ſtriatum, omnium optimum habetur, quanvis guſtu minùs gratum ſit, & ad ſylveſtrium potiùs naturam accedat. 2. **The Bromsberry crab.** 3. **The Golden Pippin,** de quo jam dictum. 4. **The Gennet-moil.** 5. **The Weſtbury-apple.** 6. **The white and red Maſt-apples.** 7. **The John apple.** 8. **The Underleaf.** 9. **The Winter Fillet.** 10. **Elliots.** 11. **Stocken apple.** 12. **Bitter-Scale.** 13. **Claret-wine-apple.** 14. **Arrier Apple.** 15. **Richards, or Orange Apple.** 16. **Coling apple.** 17. **Olive apple.** 18. **Fox-whelp.** 19. **Pippins and Pearmains mixt.** 20. **The Gillyflower apple.**

Catalogos hoſce Pomorum, ut & Pyrorum, Prunorum, aliorúmq; fructuum, nunc dierum præcipuè celebrium ad me tranſmiſit *D. Tancredus Robinſon*, quos dictantibus peritiſſimis nonnullis & expertiſſimis hortulanis Londinenſibus à ſe conſultis in noſtram gratiam conſcripſit.

A. 5. *De Malo ſylveſtri ſive agreſti Anglis.* **The Crabtree, or Wilding.**

Arridet nobis Scaligeri ſententia, quam ex Platonis Timæo hauſit, nimirum ſativas omnes arbores olim fuiſſe feras, neq; à ſeipſis niſi cultu differre, tranſlatámq; Malum agreſtem ex feris locis cultu miteſcere, quod non fieret, inquit, ſi naturâ eſſet fera aut ſterilis. Verùm hoc intellectum volumus de arboribus quales nunc ſunt poſtquam, Adamo è Paradiſo excluſo, terra maledicta eſt, non quales initio à Deo creabantur.

Quicquid tamen de hoc ſit, neq; enim mordicus hanc ſententiam tuemur, Malus agreſtis atque ejus fructus in tantum differt à mitium genere, ut meritò velut diſtincta ſpecies haberi poſſit. Eam autem J. Bauhinus ſic deſcribit,

Minùs ferè procera eſt quàm ſativa, tortuoſior, ramoſior, ſtrigoſior, materie, ut putatur, durior firmioréque. Multiplex illa ramorum & ſurculorum incondita diviſura agreſtem & incultum habitum facilè oſtentat. Sed & ſtolones tam è caudice quàm è radicibus luxuriantes ut neglectum cultum, ità & propria rigiditate ſylveſtrem naturam produnt. *Folia* quàm ſativæ magna ex parte minora, conſtrictiora. *Flores* ſativis ſimiles, ſed ferè minores, egregiè odorati, interdum ſubrubelli. In fructu differentia præcipua, qui parvus & raròJuglandem æquans, magnitudine ferè Meſpili, igurâ rotundior, longiuſculo ac tenui pendet pediculo, cortice ſeu cute viridi, tandem & flaveſcente quorundam etiam pulchrè rubente. Sed nec ſubſtantiæ mollitie, nec ſaporis convenientiâ, unquam ad ativa accedunt, ac nè quidem ad infimæ notæ acidiſſima vel auſtera: tanta pollent adſtringendi acultate, tantâque acerbitate, ut eſui planè inepta, nec unquam fiant apta.

Malorum agreſtium non minùs quàm hortenſium & cultorum plures habentur ſpecies, quæ pariter enumerari nequeunt, nec ſi poſſent operæpretium id foret.

Tempus. Florent cum hortenſibus ferè, aut paulò etiam ſeriùs: tardiùs etiam maturantur, nempe Octobri.

Locus. In ſylvis & ſepibus frequentes occurrunt non in Anglia tantùm ſed etiam in regionibus tranſmarinis.

Vires. Fructus vehementer auſterus eſt, acidus & adſtringens nec minùs ſuccus è contuſis prælo expreſſus, cujus uſus frequentiſſimus eſt in Anglia, Gallia, Germania, Aceti loco, *Agreſtam* nonnulli vocant. Repoſitum per annum aut etiam plures aſſervant. Piſces eo coctos firmiores fieri & ſapidiores exiſtimant Galli & Germani, quod nobis etiam probatur, inquit J. Bauhinus. Succum hunc Verjuice, i. e. viridem ſuccum appellant noſtrates, à Gallis mutuato nomine. Cum flore cereviſiæ mixtus & impoſitus utilis eſt adversùs ignem ſacrum, ſcabiem, inflammationes quaſcunq;.

Oculis inſtillatus eorum inflammationes & lippitudines ſpecifica proprietate ſanare creditur.

Ad Scrophulas, ℞ Succum Pomorum agreſtium calefactum, ulceribus diligenter eo lotis & purgatis lanam nigram oleo è pedibus bubulis priùs humectatam impone. *D. Hulſe* è MS. nondum edito.

6. *Malus Indica pomo anguloſo* Carambolas *dicta. Tamara-tonga ſeu Carambolas* H. M. *Carambolas* Park. *Carambolas Acoſtæ* J. B. *Mala Goenſia fructu octangulari pomi vulgaris magnitudine* C. B. *erroneè, fructus enim quadrangularis eſt, aut pentagonus.*

Ad duodecim aut quatuordecim circiter pedum altitudinem excreſcit. Caudex pedis menſuram in ambitu vix ſuperat, multiſq; ramis in orbem diffuſis donatus eſt, cortice ſcabro & fuſco obductus. Lignum albicans, medulla intus albicante & molli refertum.

Similiter *radix* albicans, nigricante cortice tecta. *Folia* ordine parallelo ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, mollia, glabra, viridia, ſupernè ſplendentia, infernè nequaquam: Odore ſylveſtri, ſapore amaricante & adſtringente. *Flores* racematim ipſis ramis inhærent, atq; è calyce rubicundo in quinq; lacinias ſecto prodeunt, quinq; tenuibus, oblongo-rotundis, purpureis foliis conſtantes, quinq; in medio albicantibus *ſtaminulis*, flaveſcentibus *apicibus* dotatis præditi: ſapor iis ſubacidus, odor nullus.

Fructus oblongi, umbilico exiguo, at eminente, in vertice præditi, quinque angulis craſſioribus ſulcati, qui tamen in medio eminentiores ſunt, juxta utrumq; caput non tam evidentes, cortice tenui, undiq; carni arctiſſimè adhærente, glabro, nitente, primùm viridi, dein flaveſcente cincti, carne primum albicante, deinde eâdem flaveſcente, tenera, ſucculenta, ſaporíſque primùm acerbi, dein acido-dulcis & ſuavis intus referti. In pentagono ejus meditullio decem latitant *ſemina* oblonga, altera parte obtuſa, altera acuta, rufa, glabra, membranaceis quibuſdam atq; duris pelliculis, ſeu parietibus intergerinis, uti in malis, ſejuncta, ità ut gemina in ſingulis latitent cellulis.

Garcias & Acoſta fructum quadrangulum faciunt, in quatuor velut partes diviſum, majuſculi ovi gallinacei magnitudine.

Locus. In hortis & pomariis ſeritur: ter ſingulis annis floret & fructus exhibet maturos, Sobole aut ſeminibus ſata à primo triennio ad annum quinquageſimum uſq; frugifera eſt.

Vires. Succus è radicibus expreſſus & aſſumptus æſtum febrilem compeſcit. E foliis contuſis cum Oryzæ infuſo cataplaſma conficitur, quod tumores quoſcunq; potenter emollit & reſolvit: ex eiſdem in Oryzæ infuſo decoctis aut maceratis egregium fit decoctum vulnerarium. Succus è fructibus expreſſus pruritum, impetiginem, pſoram, ſimiléſque affectus cutaneos ſanat, ſi linteis parti affectæ ſubinde admoveatur; idem, ſi cum aduſto Nucis Indicæ vino (quod vulgò *Araque* dicitur) propinetur, alvi cruciatus lenit, & diarrhœam ſiſtit. Inſuper è foliis his contuſis & cum ſucco è Palmæ floribus expreſſo cataplaſma paratur, quod inflammationibus quibuſcunq; medetur. E fructibus exſiccatis, & cum foliis *Betelæ* contuſis pulvis fit, qui cum Nucis Indicæ vino aduſto propinatus dolores parturientium promovet, necnon fœtum mortuum & ſecundinas expellit.

Fructus maturi in deliciis comeduntur, immaturi verò ſaccharo vel muria & aceto condiuntur.

E fructibus immaturis ſuccus exprimitur, qui in veſtes incidens ſuo acore colores exedit; atq; adeo ad maculas quaſcunq; è linteis delendas frequenter uſurpatur: colores etiam ad lintea tingenda ex eo parantur: necnon cum fructibus immaturis Auri-fabri vaſa argentea decoquere & depurare ſolent.

Duæ ſunt ſpecies, quæ inter ſe vix diſtinguuntur, niſi quòd altera dulciſſimi plane ſit ſaporis. *Folia in hac arbore pinnata eſſe videntur, pluribus pinnarum conjugationibus mediæ coſtæ adnexis cum impari in extrema coſta folio.*

7. *Malus Indica fructu pentagono,* Bilimbi *dicta. Bilimbi* H. M. *Billing-bing* Bontii.
H. M.

Arbuſcula eſt humilis, octo aut decem circiter pedes alta, caudice tenui, ramis in orbem diffuſis eleganter ornato, qui cortice atro-viridi, primùm hirſuto, & ſpinis tenuiſſimis ſubaſpero, dein glabro obducti, atq; molli & albicante medulla intus referti ſunt, Lignum tamen prædurum, albicans, inſipidum, inodorum. *Radix* ſimiliter albicans, rufo cortice tecta.

Folia pinnata; pinnæ ſeu foliola ſingularia oblongo-teretia, craſſa, mollia, viridia, ſupernè ſplendentia, infernè nequaquam, odore ſuavi, ſapore ſubacido.

Flores non ſurculis folioſis, at ipſis ramis, necnon toti caudici inhærent numeroſi, & quaſi in faſcias ſpithamam longas collecti, atq; è calyce rubicundo, in quinq; lacinias acuminatas ſecto prodeunt, quinq; tenuibus oblongo-teretibus, ſupernè colore purpureo, infernè pallidiore nitentibus reflexis foliis conſtantes, decem in medio rubicundis ſtaminibus, albicantibus *apicibus* ornatis mediam floris cavitatem & albicantem umbilicum occupantibus, quorum quinq; elatiora extra florem prominent, quinq; verò breviora ſunt: odor violaceus, ſapor ſubacidus & gratus.

Fructus, qui etiam plures ſimul floribus ſuccedunt, fructibus *Tomara-torgæ* planè ſimiles, oblongo-rotundi ſunt, ovo gallinaceo magnitudine reſpondentes, quinq; angulis craſſioribus ſulcati, cortice & carne ut in illa, niſi quod hæc primùm viridis eſſe dicatur & uvarum carni haud abſimilis, ille ſemper viridis ſit. *Semina* in ſingulis cellulis latitant ſingula, interdum etiam gemina.

Locus. Arbor hæc ſobole aut ſeminibus in hortis ſata ubiq; in *Malabar* naſcitur, per totum annum floret fructúſque fert, atq; à primo ſationis anno ad quinquageſimum & ultra frugifera eſt.

Vires. Eaſdem vires & uſus habet cum præcedente. Fructus autem quanvis maturi ſubacidi gratique ſunt ſaporis, immaturi tamen acerbi, adeò ut ſtupor dentium ex acidorum eſu contractus hiſce fructibus comeſtis obfuſcetur: quod & Bontius adnotavit: qui ſe ex ejus ſucco ſyrupum conficere ſolere ſcribit adverſus hepatis intemperiem calidam, & ſanguinis phlogoſin.

Eo etiam utimur (inquit idem) cum Oryzæ non decorticatæ decocto, quod *Padii* vocamus, egregio juvamento in febribus ardentibus & continuis; tum ſiti ſedandæ optimè confert, choleræ quoq; impetum ſiſtit.

8. *Neli-pouli ſeu Bilimbi altera minor* H. M. *P.* 3. *T.* 47. *p.* 57. *H. M.*

Duæ ſunt hujus ſpecies (potiùs ſexus) quarum altera quanquam floret, nullos tamen fructus fert, & peculiari nomine *Ala-pouli* dicitur.

Ad octo aut decem circiter pedum altitudinem excreſcunt.

Caudex albicans, pedis menſuram in ambitu vix ſuperat, multíſque ſurculis folioſis, glabris, viridibus, in orbem diffuſis donatus, cortice craſſo, furvo, intúſque purpureo obductus.

Radix purpurea cinereo tegitur cortice, ac ſuccum ſtillat lacteum; ſapor acris, odor nullus.

Folia foliis *Bilimbi* planè ſimilia, pinnata.

Similiter *floſculi* non ſurculis folioſis, non ipſi caudici, uti in *Bilimbi* cernitur, ſed ramis lignoſis racematim inhærent, exigui, uvarum floſculis haud abſimiles, quatuor aut ſex tenuibus, acuminatis, purpureis, atq; in ſtellæ modum expanſis foliolis conſtantes, octo aut decem in medio albicantibus *fibris* præditi. Odor ſuavis, ſapor ſubacidus.

Fructus qui floribus ſuccedunt, ramis lignoſis quoq; racematim inhærent, plano-rotundi, Ceraſo nigro majori magnitudine reſpondentes, ſex octóve angulis ſulcati, glabri, ſubvirides, nitentes ac pellucidi, umbilico concavo exiguo in vertice ornati, necnon carne ſucculenta (Prunorum carni haud abſimili) ſubacidi gratíque ſaporis intus referti, ac pellicula tenui, undiq; carni arctè adhærente, cincti. Intra carnem oſſiculum continetur, quod nucleum includit calloſum, oblongum, è ſex, octóve ſeminibus, tenuis cuticulæ ope inter ſe junctis conſtantem, quæ detracta hac pellicula conſpiciuntur, oblonga, ſupernè rotunda, infernè plana. Hi autem fructus ſubacidi & grati in deliciis habentur, & in eduliis uſurpantur, necnon ſaccharo aut aceto & muriâ condiuntur, vel in furno exſiccati ad varios uſus ſervantur.

Locus. Creſcit ubiq; in Malabar & Canaria, ſobole aut ſeminibus in hortis ſata: per totum annum floret, fructúſque fert, atq; à primo ſationis anno ad quinquageſimum uſq; frugifera eſt.

Vires. Radix hujus arboris cum ſemine Sinapis & cumini contuſa atq; exhibita vomitum ciet, alvúmque movet: at verò cum fructu *Tamara-tonga* ſi uſurpetur, nimium alvi fluxum compeſcit & dyſpnœam ſanat. E foliis cum aqua communi decoctum conficitur, quod ſudores movit, ac variolas expellit. Ex eiſdem etiam cum Croco Malabarico (quam *Manya-Cova* indigenæ vocant) in aqua decoctis balneum fit, quod quibuſcunq; membrorum doloribus potenter medetur. Ipſi autem fructus ſummopere refrigerant, atque ideo ad ſitim ingentem in febri continua compeſcendam perquam utiles ſunt.

Malus Indica *Acoſtæ*, Ber *Garziæ*, quam C. Bauhinus Malum Maluccenſem nonnihil ſpinoſam vocat, ad Pruniferum potiùs genus pertinere videtur. Fructus enim ejus Zizyphis ſimiles eſſe aiunt.

Mala Guianenſia *C. B.* Pinas, quæ totius mundi poma ſuperant, nec ullibi meliora quàm in Guiana. *Part.* 8. *Ind. Occident.* Qu. annon fructum Ananas intelligant.

Mala Americana Pyri ſpecie *C. B.* ad Prunorum potiùs genus pertinet, & Prunus Americana pyriformis noſtrâ ſententiâ rectiùs dicitur.

CAP. II.

A. I. *De Pyro Angl.* The Pear-tree.

PYrus à πῦρ, id eſt, *ignis* dicitur, quod fructus ejus flammæ inſtar è lato in oblongum faſtigietur, υ in ι tranſit ut à φύω eſt fio. Verùm quomodo ſcribendum ſit Pyrúſne cum y, an Pirus cum i, inter eruditos non convenit. Optima Plinii exemplaria ubique *Pirum* habent cum i. Alii Pirum à Græco Ἄπος deducunt, truncato capite, ut in multis aliis, & inſerto R. quomodo à κοϱίαννον eſt coriandrum, à φλέγω flagro, à πύθω *putreo.* Sed unde Ἄπος an ab Apia regione, id eſt, Peloponneſo, an hæc ab Ἄπος, quod veriſimilius videtur.

Ut Mali ità & Pyri unam duntaxat ſpeciem agnoſco ob rationes in capite de Malo dictas.

Eſt autem Pyrus ſativa, (deſcribente J. Bauhino) craſſo eóque recto & ſimplici *caudice.* Altiùs quàm Malus aſſurgit, ſed minùs fit patula, ramis, iiſque plurimis, ſurrectis potiùs quàm laterorſum extenſis, cortice quàm Mali ſcabriore eſt, materie firma ſatíſque tractabili, præſertim ad typos & ſcu-

lpturas apta, item ad tornum & alia, ex pallida rufeſcente, quæ ſiccata magis etiam rutila fit. *Folia*
cinata ferè, vel ex circinato oblonga, marginibus æqualibus ſeu minimè inciſis aut crenatis, eorum figu-
pro ſpecierum diverſitate variante, longiuſculo pediculo hærentia, ſupernè lævia, ſplendentia, infer-
aſperiuſcula, albicantia, alternatim poſita. *Flores* ferè quales Malo, pentaphylli, albicantes, *apices*
rpurei. *Fructus*, hoc eſt, Pyra pæne omnia, turbinata, circa pythmena craſſiora, & velut in Pyra-
dem faſtigiata, in qua tamen figura multùm variant, [imò non omnes eam obſervant] carne
àm Malorum denſiore, ſatis ſuccoſa, ſed plerunque aceroſa, præſertim circa media, ubi ſemina
ris nigra, intus alba, qualia Mali, cellulis coriaceis diſtincta continentur; pediculo ferè quàm
morum longiori. Colore multùm variant, quemadmodum & ſapore: In genere non tam vivi-
s his color quàm Malo; neque cute tam lævi contecta, ſed aliàs virenti, aliàs araneoſa, aliàs ſub-
va, rariùs rufeſcente, utplurimum obſoleta, & leviter ſcabra. Sapor vel dulcis, vel acidus, vel au-
rus, vel acerbus. Arbor caret ſpinis. Radicem habet profundè actam (ut ſcribit Theophraſtus.)
Pyrus in ſenectute fœcundior, autore Theophr. & experientia teſte. Παραβλαστικὴ dicta eſt, h. e.
adice emittens pullum: huic enim longè etiam ſubter terram productis radicibus ſtolones enaſcun-
. Salſis offendi aiunt.

Pulpa in hoc aliiſque fructibus eſculentis quibus data eſt, non tantùm ut Animalibus in cibum
dat à natura conceſſa eſt; ſed etiam ad ſeminum præſidium: quæ etſi coriaceo amictu donata
t, meliùs tamen & feliciùs intra pulpam, vel putridam etiam, totâ conſervantur hyeme quàm ex-
pta.

Pyra pleraq; calculoſa ſunt, ideóque à nonnullis calculo in humano corpore generando idonea
tantur & ob id in cibis damnanda.

Pyrorum non minùs quàm Pomorum genera, ſeu differentiæ numeroſiſſimæ ſunt, aut veriùs no-
quotannis productis & æternùm producendis infinitæ: nec tamen omnes quæ etiam nunc extant
rietates enumerare cuiquam facile nè dicam poſſibile fuerit, cùm unuſquiſq; ferè pagus quædam
nera peculiaria habeat. Sunt quædam fateor in unaquâque regione aliis celebriora & paſſim cog-
a, in Gallia ſcilicet, Hiſpania, Germania, Italia, Anglia, quæ recenſuere Curtius, Dalechampius,
ellius, Matthiolus, Cæſalpinus, Aug. Gallus, Cordus, J. Bauhinus, Parkinſonus, Hortulani Gal-
i auctor, aliíque, ad quos Lectorem qui ea ſcire deſiderat remitto. Duo tamen genera inſigniora
n apud Anglos duntaxat, ſed & Gallos, & Italos & Germanos dudum celebria, nec minore in
tio & honore hodie etiam habita, indicta præterire nequeo: Ea ſunt,

1. *Bergomatia*, à Bergamo Italiæ urbe denominata, ſucco ſaporéque egregia, rotundiore formâ,
ore herbaceo, qui nec dotem referat. Autumno appetente matureſcunt, verùm non diu du-
t, niſi paulo ante plenam maturitatem colligantur, & commodè reponantur, ſive cocta ſive
da edantur utriq; eſui jucundiſſima ſunt, inquit Curtius. Verùm inutilem operam navant qui
coquunt, ſiquidem crudorum ſuccus omnium non dico pyrorum, ſed fructuum in Anglia naſcen-
n, palato noſtro ſapidiſſimus eſt, & ut ita dicam, ditiſſimus.

. *Boni Chriſtiani* dicta. Serotina hæc, uti in Autumnum durent, ampliſſima, cucurbitæ figura,
baceo colore, ſubnigro, ſucco dulciſſimo, ut etiam cùm ſenuerint crudæ per orbiculos in latum te-
iter diſſecta, additâ aquâ roſaceâ & ſaccharo edantur. Per ſummos enim calores refrigerare per-
entur, ut ægris etiam contra ardores præbeantur. *Curt.*

Pyrus loca temperata amat; in calidioribus, ut Ægypto, referente Theophraſto, pauca oritur. *Locus.*
to ſolo gaudet, nec tamen glareoſum aſpernatur, ubi Mali non proficiunt. Nihil frequentius
rmaniæ, Galliæ, ſed præſertim Septentrionis plagis, Belgio, Northmanniæ, Angliæ.

Pyrus, ut rectè Tragus, ante Malum plerunq; cum ceraſo florem edit, Aprili menſe aut tempeſtate
gidiore etiam Maii initio. Æſtate & Autumno fructus matureſcit.

Pyrorum vires ex ſaporum generibus metiendæ ſunt, Dulcia emolliunt potiùs quàm aſtringunt,
da & acerba adſtringunt.

Pyra eſu ſtomacho grata ſunt, & ſitim extinguunt, etiam cruda, utiliora, autore Matthiolo, ſi po- *Vires.*
ema in paſtu comedantur. Unanimi tamen conſenſu medicorum cocta crudis præſtant. *Decocta*
rè ſalubria ſunt & grata.* Plin. Crudis ſemper cocta utiliora & ad corporis nutritionem meli-
a. *Matth.*

Cruda gravant ſtomachum, relevant pyra cocta gravatum. Schol. Salern.

Nos pyra cruda bene matura, boni ſucci & melioris notæ, non inſalubria putamus: ejuſmodi enim
ultoties copiosè ad ſatietatem uſque ingeſſimus, nec tamen unquam vel leviſſimum indè nocumen-
m aut incommodum ſenſimus. Non tamen receptæ ſententiæ adverſamur, nec cocta crudis ſalubri-
a eſſe negamus. Ad coquendum tamen aptiora ſunt nonnihil acerba & auſtera; & à coctione
pidiora & palato gratiora evadunt, quàm dulcia & mitiora: Arida & reſiccata pyra ventris fluxus
dant, & ſanguinis quoque fluores ſiſtunt. Cum Fungis cocta eorum malignitatem corrigere di-
ntur.

E Pyris non ſecus ac Pomis fit vini quoddam genus Apiites Veteribus dictum, Latinis Pyraceum,
oſtratibus **Perry**. Dulce admodum eſt, & palato mirè blanditur, verùm apud vulgus noſtrum malè
dit quòd aſſiduè eo utentes pro potu ordinario ſcabioſos efficere ſolere credatur; quod an verum
necne nobis incompertum. Non diu durat, ſed prima æſtate aceſcit.

A. 2. *De Pyraſtro ſeu Pyro ſylveſtri.* **Wild Pear-Tree.**

Pyrus ſylveſtris (deſcribente J. Bauhino) minùs procera ferè eſt arbor quàm ſativa: verùm
rculoſa admodum, & ramorum extremis ſpinoſis, caudice rimoſo, & hiulco cortice, materie ru-
la & quàm ſativa duriore, ideóque diſcos & tabellas ex eo conficiunt. Primùm emergunt *flores*
ſtar umbellæ, ex eodem ſurculo ſeu nodulo multi, lanuginoſis pediculis inſidentes, pentapetali,
alis albis, rotundis, cochlearis modo concavis, inter quorum ſingula intercedit ſubjecti hirſuti um-
bilici

bilici radius, in viridi caneſcens: *apices* in medio multi, purpurei. *Folia* florente arbore ſubtus & ambitu cana lanugine obſita, foliorum Cotonei inſtar, ſupernè virentia, ſplendida, aliàs utrinq; glabra, lucida, ſubrotunda, craſſiuſcula. *Fructus* non uniformes, ſed alias rotundi & modicè compreſſ alias ex rotundo leviter turbinati & longiuſculi, auſteri & acerbi valdè, nec edules donec fra ſcant, quod fere fit Octobri, ſemen intus continentia Pomorum ſeminibus ſimillimum. Extim alioqui facie Pyri ſpeciem facilè repræſentat. A radice numeroſos emittit ſtolones, valdè ſpinoſ cortice rubicundo veſtitos: Copia & rigiditate ſpinarum facilè diſcernuntur à ſtolonibus Malor ſylveſtrium.

An Pyrus ſylveſtris cultu mutari poſſit in mitem ſeu hortenſem quæſtio eſt. Theophraſtus d ſertis verbis id negat. Scaliger affirmat Pyrum feris tranſlatam locis adhibito cultu deponere agreſtem illum habitum ſimul cum aculeis quos adulta tuliſſet, ſimúlque & laxatur illa denſitas qu videtur in ejus popularibus, unde tranſportata fuit ad naturam meliorem. Quod an verum ſ nécne vix ipſum Scaligerum expertum credo.

Locus. Pyrorum ſylveſtrium non minùs quàm ſativarum plurimæ ſunt differentiæ: paſſim occurrunt in ſylvis & ſepibus, locis præſertim montoſis: loca calidiora refugiunt, unde in Ægypto nullum prorſus ſylveſtris Pyri genus; mitis etiam rara.

Tempus. Florent ſimul cum ſativis, ſed fructus tardiùs perficiunt, viz. non ante Octobrem menſem.

Vires. Pyrum ſylveſtre [Ἀχρὰς] ſiccat & aſtringit valida; longeque efficaciùs quàm ſativum: conciditur (inquit Plinius) ſuſpenſúmq; ſiccatur ad ſiſtendum alvum, quod & decoctum ejus potum præſtat. Decoquuntur & folia cum Pomo ad eoſdem uſus.

Veteres & Recentiorum nonnulli Pyraſtri fructum adversùs Fungorum venenum commendant, vel ſimul cum Fungis coctum, vel à Fungis comeſis confeſtim ſumptum. His refragatur J. Bauhinus, & eruditis conſiderandum proponit an tutus ſit uſus Pyrorum ſylveſtrium cum Fungis; cùm Pyra validè adſtringant vomitumq; & alvi fluxum compeſcunt adeóque impediunt, nè Fungi per vomitum rejiciantur aut per alvum promptè deſcendant. Fungi autem, cujuſcunq; tandem generis ſunt, quò citiùs à natura dejiciuntur & extra corpus pelluntur eò ſalubriùs, cùm ventriculum gravent, aut lancinent vexéntve. Reliqua apud ipſum vide.

Pyra Anglica celebriora.

1. *Muris applicanda, aut ad pumilionum modum & ſtaturam coercenda.*

1. Bon-Chriſtien **Summer** & **Winter** de quibus ſuperiùs diximus. 2. **The** *Bury de Roy,* **or Butter-pear.** 3. **The green Bury.** 4. **The Violet.** 5. **The Dove.** 6. **The great Muſk.** 7. **Amadot.** 8. **Rouſelet.** 9. **Meſſier Jean.** 10. **Great Sovereign.** 11. **Blood pear.** 12. **Windſor-pear.** 13. **Greenfield-pear.** 14. **Dionier.** 15. **Great Bergamot.** 16. **Virgalous.** 17. **Roſhea.** 18. **Red Catherine.** 19. **Double-flowered-pear.** Pyr flore pleno.

2. *Pyra menſalia ſeu eſculenta, in viridariis ſerenda, & ut adoleſcant ſinenda.*

1. **The Hill-pear.** 2. **The Primating.** 3. **The white and red Geneting.** 4. **Green Chiſſel.** 5. **Sovereign.** 6. **Orange.** 7. **Katharine.** 8. **Anthony.** 9. **Sugar.** 10. **Lions-pear.** 11. **Pimp.** 12. **Berry.** 13. **Popering.** 14. **Dead-mans.** 15. **Scarlet.** 16. **Royal.** 17. **Nonſuch.** 18. **Kings-pear.** 19. **Ladies-buttock.** 20. **Muſcate.** 21. **Oak.** 22. **Ice-pear.** 23. **Gaſcoigne.** 24. **Bergamot.** 25. **Winter Popering.** 26. **Little Dogobert.** 27. **Great Kair-ville.** 28. **Long Bergamot.** 29. **Slipper-pear.** 30. **Lemi**

3. *Pyra coctilia, aut vino Apiiti ſeu Pyraceo conficiendo idonea in agris ſerenda.*

In clibano coquendo, 1. **The Norwich-pear.** 2. **The black Worceſter.** 3. **The Quince-pear.** 4. **The Biſhops pear.** 5. **The Arundel.** 6. **The Bell-pear.** 7. **The painted pear.** 8. **Wardens of ſeveral ſorts.**

Pro Apiite ſeu Pyraceo. 1. **The red and white Horſe-pear.** 2. **The Choak-pear.** 3. **The pear. Bosberry and Bareland pear.** 4. **The Turgovian pear.**

Catalogos hoſce ad me tranſmiſit eruditiſſimus & amiciſſimus Vir, de hoc Opere déque ejus Auctore optimè meritus D. *Tancredus Robinſon.*

CAP. III.

De Malo Cydonia ſeu Cotonea. **The Quince-Tree.**

Arbor hæc *Cydonia* à Cydone Cretæ oppido, etiamnum habitata, à quibuſdam dicta putatur. Plinius lib. 15. c. 11. *Cydonia mala Græcis ex Creta inſula advecta* ſcribit. Et Serenus,

Aut quæ poma Cydon Cretæis miſit ab oris.

Hoc Etymon improbat Goropius, cujus rationes vide apud J. Bauhinum *Hiſt. plant.* lib. 1. cap. 3.

Cotoneum malum primus Cato, dein Plinius nominavit: quia (ut putat Lonicerus) lanugine [quæ ut ille ait Coton Græcis eſt] tecta ſint: quod etymon Caſp. Hofmannus etiam adfert. Verùm pud nullum hactenus probatum autorem legimus, Coton vel cotonem aut cotona eſſe lanuginem, ed barbariſmo eæ voces deberi, ex Gallico & Italico mutuatæ, videntur, quibus *Coton* Goſſipium eſt, uod nec ipſum quidem quis propriè lanam dixerit. *J. B.*

Hujus arboris fructus Aurea Heſperidum Mala tantopere Veteribus decantata fuiſſe multis probat *oropius*, & poſt eum J. Bodæus à Stapel, quorum argumenta apud ipſos vide.

Malus Cotonea puſilla arbor eſt, ligno contorto, intus pallente & albicante, firmo ſatis & æquaili, cortice obtecto mediocri, non rimoſo, nec valde ſcabro, inferna parte ſubfuſco, ſupernè ſubciereo, læviore atq; glabro. *Folia* gerit Malo vulgari æqualia, nullâ in ambitu crenâ inciſurâve diſecta, prona parte cana lanugine ubertim obſita, ſupinâ verò viridantia & lævia ferè, rariùs [& onniſi tenellis foliis] lanuginoſa, quæ lanugo facilè affrictu digiti deraditur. *Flores* non multi ſimul t in Malis, ſed in ſurculis ſingulares, Roſis ſylveſtribus perſimiles, quinq; foliis ſubrotundis ac ſeunciâ latioribus, carneo colore præditis conſtantes; in quorum medio *ſtamina* multa purpuraentia, *apicibus* luteolis: flori autem toti ſubſunt quinq; folia, ex viridi caneſcentia, villoſa, quæ oſtmodum *fructûs* πυθμένα foliatum efficiunt. Sub illis lanuginoſum quid extuberat, futuri fructûs udimentum, quod cadentibus florum foliolis incrementum capeſſit, donec fructus perficiatur magitudine Mali, figurâ varius, turbinatus, & torulis eminentibus tuberoſus, parvus, magnus, mediocris, enſa lanugine raſili obductus, pulpa melina, odora, adſtringente & ſubacida. *Semina* in ipſo omi centro, quinq; cellulis diſtincto continentur, cortice ſpadiceo, medullâ albâ, Pyri ſeminibus on multùm diſſimilia, viſcido quodam lentore lubrica, quem in aquam dejecta deponunt, & ipſam ucilaginoſam reddunt. *Radix* copioſa, fuſco cortice veſtita, aliàs recta, aliàs obliquè acta, è cujus mmo multi ſtolones virgati ſeſe exerunt.

Seritur avulſione, inſitione, viviradice, ramulis & taleis. Ipſe verò fructus ex arbore pendens curvatos trahit ramos, prohibétque creſcere parentem, ut Plinius: habétq; hæc arbor omnium Malom infima omnium Malorum maxima, ut annotat Goropius.

Cydoniorum hortenſium duo genera deſcribit Jo. Bauhinus.

1. *Cydonia minora, Mala cotonea minora* C. B.

Minora (inquit), quæ omnium vulgatiſſima, pugnum vix æquant, nam quatuor uncias raròſuerant, circa pediculum turbinata, juxta pythmena latiora & quodammodo ſeſſilia, angulis toroſis æqualia, & veluti per longitudinem ſulcata, colore primùm quidem virente, ſed mox maturata, turè aureolo, copioſâ lanugine obducta, odore grato quidem, ſed vehementi, & qui quorundam pita ità percellit ut ipſis dolorem moveat, præſertim ſi conclavi aut muſeo incluſa habeantur. Caro ava, firma, atq; quovis Pyro compactior.

2. *Cydonia majora, Mala cotonea majora* C. B.

Hæc ut prædicta magnitudine ſuperant, ità & figurâ variant ab iis & inter ſe quoq;. Omnia erò circa pythmena videntur anguſtiora, circa pediculum verò aliàs acuta, alias ſeſſilia, imò & rinq; ſeſſilia vidimus. Cortice hæc longè læviore tecta, exiguo aut ferè nullo cotone obducta; ditior etiam eorum color ſive flavum ſpectes, ſive ex flavo viridantem. Caro minùs firma quàm inorum, nec tam vehementem ut illa de ſe odorem ſpirant. Hæc Struthea putamus Veterum, a verò Cydonia ſimpliciter dicta, & ἀλήθινα Dioſcoridis, ſi modò nobis ſint ea ipſa genera Cydoiorum quæ Veteribus deſcripta ſunt.

His addit tertium genus quod miſcellaneum vocat; C. Bauhinus Mala cotonea media, quæ proveiunt è *Cotoneis* quæ Strutheis, vel è contra, inſita fuere. Parkinſonus quinq; recenſet Mali Cyoniæ genera.

1. Malum Cotoneam vulgarem ſeu Anglicam.

2. Malum Cydoniam Luſitanicam, quæ duplex habetur, 1. Fructu Maliformi, magno & flavo, ui plerunq; rimas agit, guſtu adeò jucundo, ut crudus mandi poſſit inſtar Pomi vulgaris; vulgari otoneo quovis modo coctus multò delicatior. 2. Pyriformi fructu, præcedenti ſimili, qui tamen on ut ille crudus eſui aptus eſt, ſed coqui requirit; noſtrate tamen mitior eſt, & pauciori Sacchaio pus habet ut palato arrideat.

3. M. Cydoniam Barbaricam, **The Barbery Quince**, Bonitate & ſaporis ſuavitate præcedens æmulo fructu, verùm minore & non rimoſo.

4. M. Cydoniam Lugdunenſem; fructu eſt mediocri, Cydonio Anglico ſimili, nec ità flavo ut uſitanicum.

5. M. Cydoniam Brunſwicenſem; pomo pæne rotundo, nec Malo, nec Pyro ſimili.

Præter hæc & alia proculdubio habentur alibi, & haberi adhuc poſſunt Cydoniarum genera: nam arum etiam non pauciores fructuum reſpectu à ſatione varietates quàm Pyrorum & Pomorum obineri poſſe minimè dubitamus. Siquis ſua intereſſe putaret ut id tentaret.

Cydonia autem in Anglia, Gallia, Italia, Germania, &c. in hortis & viridariis paſſim coluntur. *Locus.* mant in genere loca frigidiuſcula, tam plana, quàm declivia, humidiora tamen potiùs quàm ſicca: os enim in Anglia ad fluviorum & ſtagnorum ripas & ſecundùm rivulos & aquarum decurſus eas lerunq; plantamus.

Florent unà cum Pyris circa finem Aprilis, ſeriùs citiúſve pro tempeſtate & loco in quo naſcun- *Tempus.* ur. Poma matureſcunt Septembri & Octobri menſibus. Barbarica & Luſitanica menſtruo ſpatio nglica antevertunt.

Hortulani noſtri in Anglia nunc dierum Pyros Cotoneis inſerunt, ut & plantæ & fructus firmiores, rabilioréſque evadant, horum etiam ſapores emendentur. Prunus Armeniaca, Malus Cydoniæ inſitæ vel non comprehendent, vel ſaltem ad frugem non pervenient: oportet enim ut arbores cognatæ ſint, quæ in ſe mutuò inſitæ proficiant, cujuſmodi ſunt Cydonia & Pyrus, item Oxyacantha & Pyrus, Prunus & Armeniaca, Perſicáve: Prunus & Cydonia minime.

Vires.

Mala Cydonia ſtomacho commoda ſunt; ob adſtringentem facultatem, quâ inſigni pollent, utilia ſunt cœliacis, dyſentericis, cholericis, ſanguinem exſcreantibus, & in genere fluxu quocunque laborantibus. Plinius non idem poſſe decocta ſcribit quoniam amittant conſtringentem illam vim ſucci. Nos cum Jo. Bauhino coctione remitti adſtrictionem illam concedimus, amitti nequaquam.

N. Ante cibum ſumpta alvum conſtipare creduntur, è contra à paſtu laxare.

Si deglutitio lædatur ab exſiccatione in febribus internè, mucilago ſemin. Cydon. cum aqua ſpermat. ranarum extracta eſt egregia. Etmuller. in cap. de deglutitione læſa communicavit *D. Hulſe.*

Celtiberi Veratri ſuccum, quo ſagittis illitis feras immedicabili vulnere conficiunt, ſi ubi Cydonia mala fuerint, reponatur, elangueſcere & vim ſuam maleficam exuere uſu deprehenderunt. Addit Curtius præſtanti ſuo odore lethalium venenorum vires retundere, & eorum vehémentiam hebetare, ſicut venenum vendentes rem ità ſe habere deprehenderunt. Cydonia quamvis alvum aſtringunt, tamen urinam cient; proinde in ardore urinæ cum ulcere vel ſine eo ab eis cavendum.

** Recentiores ſaccharum loco mellis adjiciunt.*

Ex Cydoniis tuſis & expreſſis fit vinum, ſed quo perduret quindecim ſextariis ſucci unus * mellis adjungitur, alioqui in acorem degenerat. Adſtringit, ſtomacho commodum eſt, dyſentericis prodeſt, hepaticis, nephriticis, & in urinæ difficultate.

Miva Cydoniorum nihil aliud eſt quàm decorticatorum Cydoniorum, & ex aqua & melle vel ſaccharo, addita etiam parte vini ad ſuavitatem decocta caro atque condita. Vel ex ſucco fit Cydoniorum cum vino cocto, addito melle optimo & deſpumato.

Cydoniatum ſeu Marmelata cydoniorum in uſu eſt frequentiſſimo in bellariis ad ſecundas menſas inſtruendas. Sic autem paratur, Segmenta à ſeminibus & fungoſis eorundem conceptaculis repurgata atq; decorticata, diutiùs in aqua elixa, addita ſacchari q. s. donec tabeſcant, deinde exempta, vel in mortario ligneo tundas, vel cochleari in vaſe idoneo premas & comminuas, donec in paſtam ſeu pulpam mollem æquabilem redigantur: Comminutis liquorem iterum affundas, deinde ſimul denuo coquas donec debitam conſiſtentiam acquirat, tandémq; in ſcutulas, fictilia vitreata, aut etiam vitrea vaſa effundas, & ad uſum reſerves.

Si Marmelatam rubram deſideras Cydoniorum ſegmenta in vaſe occluſo ſeu operculato, & diutius coquenda ſunt: Operculum enim igneas particulas quæ ruborem conferunt detinet nè avolent aut evaporent. Si Cydoniatum album velis in vaſe aperto res peragenda, nec tandiu coquenda ſegmenta.

Ante cibum nucis magnitudine ſumptum alvum cohibet, poſt cibum vero ſolvit. Ventriculo apprimè conducunt.

Multi medici condita Cydonia mala gravidis commendant, ſtatuentes non modo fœtum corroborari, ſed quoq; uſu venire, ſi ſæpe iis victitent gravidæ, ut ſcitiſſimi in lucem edantur liberi venuſta facie vultúq; ingenuo. S. *Paullus Quadrip. Botan. Claſs.* 2. *p.* 83.

Sunt & alii modi varii Cydonia præparandi vel ad cibum, vel ad medicinam, quorum deſcriptiones omitto, in Pharmacopœis requirenda, aut etiam apud rei coquinariæ ſcriptores. Conſule ſi placet J. Bauhini Hiſt. plant. lib. 1. cap. 3.

Paravi non ſemel mel acidulum, ſyrupum, vel potiùs mivam Cydoniorum ex ſolo ſucco ad ſyrupi conſiſtentiam blando igne decocto, cujus effectum laudabilem & ſæpe valdè differentem miratus ſum ſæpenumero. Hujus ſi cochl. ß. infantibus, vel plus adultioribus exhibeatur, pituitam glutinoſam incidit, & nunc tuſſi ex pulmonibus educit, nunc vomitu è ventriculo tenuíque inteſtino, nunc dejectione ab iiſdem partibus expellit, quódque maximi faciendum, robur ſimul affert ægris, adeò ut hoc uno remedio plures reſtituerim ægros à pleriſque medicamentis abhorrentes. Pituitæ autem inprimis conducit tum evacuandæ tum corrigendæ. Sylv. de le Boe Method. Medend. lib. 2. cap. 10. *D. Hulſe.*

Eſt & ſeminibus ſua præſtantia. Ea ſiquidem cum aqua roſacea madefacta ac mollita lento craſſóque humore ambuſtis igni, & linguæ gulæque ardori illita medentur; ad dolorem hæmorrhoidum (in clyſter.) ad ſciſſuras mammarum.

Cæterum Marmelata ſeu Marmelada ab Hiſpanico *Marmellos*, quo nomine Mala Cydonia appellant, deducitur.

Cùm medici (inquit J. Bauhinus) Cydoniorum ſuccum atque etiam ſubſtantiam ſtomacho familiariſſimam adverterent, qui ferè purgantibus lædi ſolet, medicinas purgatrices ei adjecerunt, & Diacydonium laxativum dictum vel purgans confecerunt, cujus confectionem & uſus vide apud Practicos, & etiam J. Bauhinum loco prædicto.

Diacydonii purgantis lucidi & non lucidi, quod in ſecretis habere dicit ſecretorum ſuorum buccinatores, vide apud eundem *J. B.*

Malus Cotonea ſylveſtris J. B. C. B.

Sativa per omnia ſimilis exiſtit, à qua ramis diſtat minoribus tantùm, caudice ſurgens rectiore, juxta terram minùs fruticoſo, ſed ſingulari frequentiùs. Eadem numeroſioribus ſcatet floribus & largiùs fructificat. Fructus ſerò perficit, qui etiam ſativæ fructibus multò ſunt minores.

Locus.

Naſcuntur in Danubii petroſis ripis & collibus plurimúmque ſupra Ratiſponam & Keylhemium oppidum uſque ad Petræas fauces, per quas Danubius labitur, frequenter inter petras, & vinearum ſepibus, autore Cordo.

Cap. IV.

Pomifera Indica Maliformis Guayava *dicta.*

1. *Guayava* Park. Ger. *Guaiabo pomifera Indica* C. B. *Guayava Indica fructu Mali facie* J. B. *Pela* H. M. *P.* 3. *T.* 34. *p.* 31. **The Goavo-Tree.**

ARbor eſt juſtæ magnitudinis, 20 circiter pedes alta, *caudice* recto, præduro, ſeſquipedali
craſſitudine, multíſque ramis donato, [in Mali figuram excreſcens *Marcgrav.*] qui cortice
glabro, rubro-virente, ſaporíſque auſteri obducti ſunt, novellis tamen omnino virentibus.
rbuſcula ex inſula Barbados in Angliam delata & à nobis viſa, virgæ rubeſcebant Cornus fœminæ vir-
um inſtar.

Radix rufo cortice tecta fibris ſuis latè per terram diffunditur.

Folia decuſſatim brevibus craſſíſque pediculis ramis, ſurculíſque cohærent, craſſa, oblonga, acu-
nata & nonnihil criſpa, [nervo & venis parallelis lunaribus obliquè diſcurrentibus & ſubtus
dè conſpicuis, ſupernè profundis, unde quaſi rugoſa apparent folia *Marcgrav.*] infernè ſcabra
aſpera, ſupernè nequaquam, color ex atro vireſcens: [Marcgravio pallidè viridis & ſplendens
odammodo, infernè non ſplendens; longitudo duorum vel trium, Cluſio quatuor, digitorum, la-
do digiti aut ſeſquidigiti aut duorum digitorum.]

n exortu binorum foliorum alius pediculus brevior naſcitur, qui *florem* fert magnitudine floris
tonei, quinque petalis albis, oblongo-rotundis conſtantem, ac in medio multa *ſtaminula* villoſa,
habentem, figurâ criſtæ Pavoninæ, *apicibus* flaveſcentibus ornata.

Fructus noſtratibus pyris haud abſimiles, [magnitudine & figurâ Pomi noſtratis *Marcgrav.*] in
tice umbilico præditi lacunoſo, ac tenui & è viridi albicante cortice cincti. Pulpa pallidè ſan-
nei eſt coloris, (aliis albicantis) dulcíſque ac grati ſaporis & odoris etiam per maturitatem; intra
m numeroſa, ſubrotunda ac prædura obſervantur grana.

Fructus pro diverſitate temporis triplici ſapore participat. Matureſcens enim antequam molle-
t ac flaveſcat auſterus ac aſtringens eſt, túncque coctus ventriculo prodeſt. Mox paulò maturior
diæ naturæ & optimus evadit: meliùs tamen ſanitati conſulit qui eum ſive coctum, ſive ſaccharo
ditam, quam qui crudum menſis infert: accedit quòd odoris & ſaporis ſit gratioris & palato
gis adblandientis. Ubi verò flavedine & mollitie integram maturitatem acquiſiverit, odore &
ore eſt inſtar fructûs Rubi Idæi, alvum movens, nec ità ſalubris paulò largiùs aſſumptus, quia
ilè corrumpitur & vermes producit.

n multis Americæ provinciis necnon in India Orientali oritur. Seminibus ſata tertio anno fru- ***Locus.***
fert, manétque frugifera ultra 30 annos.

Radix hujus arboris quinque aut ſex ulnarum longitudinem ſæpe ſuperat, extus rufi, intus albi-
tis coloris, ſubſtantiæ ſucculentæ ac ſubdulcis. Hæc cum cortice aſtringente in aqua cocta ac
a mirificè medetur dyſenteriæ, quando indicatio eſt aſtringendi & roborandi. Folia ſunt aci-
& adſtringentia, odorata, balneíſque dicata. Montibus & ſylvis non innaſcitur ſed planitiem
ampos amat.

ddit Fr. Hernandez folia in lotionibus ſcabiem curare: corticis decoctum tumentibus cruribus ***Vires.***
m ferre, & fiſtuloſis ulceribus mederi, ſurditati quoque conferre, & dolores ventris tollere. E
s etiam fit ſyrupus utiliſſimus adverſùs fluxum alvi.

uas ſpecies deſcribit Hernandez. Alteri fructus ſunt longè majores, neq; tam malè olentes ac
catiores: alteri minores, cimices quodammodo redolentes.

ortus etiam Malabaricus duas exhibet ſpecies, quæ à ſe invicem vix aliter differunt quam,
. Foliorum & fructuum magnitudine.
. Quod altera fructu ſit rotundiore & Malis ſimili.
. Quòd fructus intus carne punicea, acidiuſcula præditi ſint in una ſpecie, in altera albicante.

uæ fructu eſt majore ejúſque pulpa albicante, *Pela* ſimpliciter dicta *H. M.* Piſoni *Araça guaça*
tur. Quæ fructu minore carne ſanguinea *Malacka-Pela* H. M. Piſoni eſt *Guayava.*

2. *Pelou ſive Guayabo ſylveſtre* H. M. *P.* 3. *Tab.* 36. *p.* 35.

H. M.

rbor eſt mediocris magnitudinis decem aut duodecim pedes alta, caudice mediocriter craſſo, mul-
ue ramis in orbem diffuſis donato, cortice craſſo, lignoſo, ſcabro, furvo ac intus rubro obducto.
num albicans, denſum, ponderoſum, inſipidum.

adix itidem albicans, cortice fuſco, intus rubro tecta.

olia oblongo-rotunda, craſſa, mollia, lanuginoſa, in ambitu crenata, craſſis, brevibus, albicantibus
olis ramorum extremis proveniunt rubicunda, quæ tamen poſtea ſupernè atro viridia, infernè
viridia evadunt, longitudine tres, latitudine duos palmos facilè ſuperantia, inſipida, in-
ra.

lores brevi pediculo extremis ſurculis multi ſimul juncti inſident, atq; è calyce viridi quadripar-
prodeunt, quatuor craſſis oblongo-teretibus, flaccidis, viridi-ſtriatis petalis conſtantes, nume-
s ſtaminulis albicantibus, flaveſcentibus dotatis *apicibus*, mediam floris cavitatem & umbili-
n occupantibus; inter quæ *ſtylus* prodit oblongus albicans. Odor gravis ac fœtidus, ſapor
rus.

ructus Pyris haud abſimiles, ac viridi, glabro, nitente ac duriore cortice cincti, intúſque carne
ſa & albicante referti: intra quam oblongo-rotunda, glabra, rufa, denſa, ſapore Caſtaneas æ-
antia locantur *ſemina*: fructus verò immaturi valdè duri ſunt, fœtidi, ſaporíſq; ingrati; & quan-

quam maturiores ſaporis ſubdulcis evadunt, non tamen ob venenatam, quæ prædita ſunt, qualitatem comeduntur.

Locus. Creſcit arbor hæc ubique in *Malabar*, inprimis circa *Cochin* & *Porka:* menſibus Maio & Junio floret, & antiquis decidentibus novis frondeſcit foliis; fructus verò ſequentibus fert Octobri & Novembri, diúq; frugifera manet.

Cortice Apri delectantur, quem in finem venatoribus in uſu eſt.

3. *Araca-miri* Piſon. Marcgrav.

Piſon.

Frutex eſt ligno, foliis & floribus ut Guayaba. Locis gaudet apricis; raróque in ſylvis aut umbroſis nemoribus conſpicitur. [Marcgravius ſylvas in Braſilia hiſce fruticibus plenas eſſe ait.]

Flores habet albicantes, pentapetalos, cum multis ſtaminibus longis. Floret bis quotannis; bis quoq; fert fructum, menſe nimirum Martio & rurſus Septembri. Pruna coronis Meſpilorum inſtar, ornata, innumeríſque acinis turgentia profert, quæ ubi maturuerint flavent, muſteámque habent in ſe dulcedinem, atque Fraga quodammodo referunt ſapore. Cruda potiùs quàm cocta appetuntur, ſuaviſſimíque odoris exiſtunt & ſaporis. Oportet autem ut tempeſtivè decerpantur; nam propter intenſiſſimum Solis ardorem non minor injuria fit, ſi paulò tardiùs quàm ſi citiùs avellantur.

Vires. Conditus qui ex hoc fructu fiunt, jucundè refrigerant, aſtringunt & corroborant, locóque carnis Cydoniorum, conſervæ roſarum, &c. exhibentur.

Ex foliis & gemmis optima balnea componuntur, tam contra internos quàm externos corporis affectus: ſunt enim adſtringentia, ſed præcipuè radix, quæ & dyſenteriæ medetur; atq; hoc peculiare habet, quòd ſit diuretica, partiúmq; ſubtilium.

CAP. V.

De Sorbo.

SOrbus Latinis à Sorbendo nonnullis dicta putatur, quòd caro matura ſorbetur. Et ſanè fracidorum illa pulpa vix commodiùs quàm ſorbendo aſſumitur, nè ſimul cutim & ſiquid intus ſeminum aut calculoſi deglutias *J. B.* Græcis Ὄα & ὄη dicitur. Meritò à J. Bauhino proximè poſt Pyrum collocatur ob fructuum ſimilitudinem in facie externa.

Sorbus fructu acerbo cum Meſpilo convenit; foliis pinnatis, Fraxineorum æmulis, & floribus eoſq; ſequentibus fructibus umbellatim congeſtis ab eadem rectè diſtinguitur, à C. Bauhino, quem nos ſequuti duas tantum Sorbi ſpecies facimus, nimirum Sativam, & Aucupariam, ſeu Fraxinum bubulam dictam.

1. *Sorbus* J. B. Ger. *ſativa* C. B. *legitima* Park. The true Service-Tree, or Sorb.

J. B.

Procera eſt arbor & ramoſa, cortice rugoſo, vel (ut ait Matthiolus) ſcabriuſculo, colore ex flavo albicante, *radice* rara, craſsâ, ſolida atque deſcendente, materie rubente, ſolidiſſima atq; compacta. *Folia* pinnata pediculo unciali, ſeptenâ aut novenâ foliorum uncialium, anguſtorum, in ambitu ſerratorum, coſta per longitudinem decurrente, hirſutorum, ſupina parte vireſcentium, pronâ caneſcentium conjugatione, imparíque uno aliis conſimili alam claudente, omnibus ad coſtam incanam villoſámq; alligatis conſtantia, facie quodammodo Rhois, ſapore acerbo. *Flores* eidem ſurculo cum foliis inſident ex pediculis uncialibus & ſextantalibus ſimul multi juncti, quaſi in umbellæ formam, albidi *Fructus* Pyrum moſchatellinum parvum æquat, turbinatus, umbilicatus, magis minúſve rubens, prout Solem ſenſit, (Scal. rubiginoſum dicit) carne flaveſcente, & ante maturitatem adeò auſtero ſucco ut ſtrangulet, (teſte Cæſalp.) colore in rutilum tranſeunte: At ubi velut fermentatione quadam emollita fuerit [vix mutato interno colore, quod tamen in Pyris fit] dulci ſatis & veſca non ſine adſtrictione. Semina Pyri ſunt, compreſſa, latiora, medullâ albâ, ejuſdem ſaporis, folliculo membranaceo incluſa, tria numeravimus.

Locus. Frequens eſt in Italia & Germania; in montibus etiam Helveticis frequens teſte Geſnero. Amat loca humida, montana, & frigidis proxima, & ſolum pinguiſſimum. In Anglia ſponte non provenit.

Vires & Uſus. Sorba præſertim immatura aſtringunt validè, & fluxus quoſcunque alvi, uteri, &c. ſiſtunt. Ad hos uſus ante maturitatem collecta vel in clibano, vel in aere ad ſolem ſuſpenſa ſiccant, & in pulverem redigunt, vel aquâ calidâ molliunt, vel vino decoquunt. Nonnulli melle condiunt. Condita aliorum fructuum modo, h. e. cortice & oſſibus mundata & in aqua cum ſufficienti quantita Sacchari decocta confortant ſtomachum, appetitum excitant, & frequenter compeſcunt fluxum vomitum.

Sorba matura ſeu fracida minùs aſtringunt, & alimenti loco edi poſſunt iis quibus alvus lax Amatus adeò parùm aſtringere ait, ut meritò non conſtringere aut conſtipare ſint dicenda. Min conſtringere quàm Meſpila concedimus, non tamen prorſus non conſtringere.

Extrinſecus vulnera conſtringit pulvis exſiccatorum.

Ligni materies ſolidiſſima eſt ac compacta, ideóque ad menſas parandas lignariis fabris expet quemadmodum & virgæ à bubulcis ad ſtimulos parandos. *Matth.*

A. 2. *Sorbus ſylveſtris foliis domeſticæ ſimilis* C. B. *ſylv. ſive Fraxinus bubula* Ger. *aucuparia* J. B. *Ornus ſive Fraxinus ſylveſtris* Park. **Quicken-tree.**

J. B.

Arbor eſt mediocris, humilior plerunq;, ſtipite recto, ramoſo, quem cortex tegit ſpadiceus, pun-
is notatus, cui alius ſubjacet luteus, putidus, amarus, [cortice fuſco inſtar Alni. *Lugd.*] *Folia* pin-
atim digeſta, Sorbi domeſticæ majora, quatenus obſervare licuit, eodem modo ſerrata, acutiora,
gida, non tomentoſa aut piloſa ut illa, ſed glabra, ſupra virentia, infra candicantia: Hæc ità
riè ludunt, ut aliquando diverſas exiſtimaverimus plantas, donec in eadem arbore diverſitas nobis
gnita. Sunt enim ei interdum folia nonnihil utrinque hirſuta, & utrinque ejuſdem coloris ferè,
ollia, profundiùs inciſa, potiſſimùm in arbuſculis adoleſcentibus, ſapore amaricante. *Flores* um-
llatim cohærent multi, candidi, odori: quibus ſuccedunt *baccæ*, acinis Sambuci aquaticæ pares, ex
vo miniatæ, ſapore acido inſuavi, in quibus *ſemina* aliquot oblonga. Oculi ſatis magni, longi,
ro-purpurei, quorum ſquamis intertexta eſt incana lanugo.

Sorbum aucupariam vocitavimus quòd ad aucupia conferat, illiciendis avibus.

In montoſis & uliginoſis oritur, in Wallia & Septentrionalibus Angliæ plurima. *Locus.*

Aucupes Germani fructu ejus avibus inſidiantur; Baccæ enim ejus à Merulis, Turdis & ejuſmodi *Uſus.*
ibus magnopere appetuntur. Sapore ſunt nauſeoſo & ingrato, ut non ſolum guſtantem caperare
ontem cogant, ſed ſi plures edantur vomitum etiam cieant.

D. Needhamus Medicus inſignis & vetus Amicus noſter Baccas ſuccum acidum hydragogum egre- *Vires.*
m præbere ait, itémque Scorbuto ſanando aptum, Wallis in frequenti uſu, ubi vice diætæ purgan-
quotannis exhibetur.

Liquor ille qui verno tempore è vulnere inflicto exſtillat aſſiduè potus ad Scorbuticos & Splene-
os affectus à nonnullis commendatur. Verùm ex conjectura potiùs opinor quàm expe-
ntiâ.

Nobis enim arbor vulnerata lachrymam nunquam fudit. Fortè non adeo hactenus felices fuimus
eám horâ opportunâ feriremus.

Cap. VI.

De Meſpilo folio laciniato.

HÆc duplex eſt vel major non ſpinoſa Cratægus Theophraſti, & Sorbus terminalis Plinii credita; vel minor & ſpinoſa, eáque iterum duplex vel mitior, fructu majore, Meſpilus Aronia dicta, vel ſpinoſior, fructu minore quam Oxyacantham vocant.

A. 1. *Meſpilus Apii folio ſylveſtris non ſpinoſa, ſive Sorbus torminalis* C. B. *Sorbus torminalis* Ger. *torminalis ſive vulgaris* Park. *torminalis & Cratægus Theophraſti* J. B. **The common Service-tree, or Sorb.**

J. B.

Figurâ differt à vulgari Sorbo, ſiquidem *folia* Sambuci aquaticæ folia æmulantur; acutiùs ta-
n & argutiùs inciſa atq; ſerrata, pedis anſerini forma, excurrente in ſingulos angulos nervo,
inque pæne glabra, potiſſimùm Autumno; apparent tamen pili in pediculis uncialibus & ſeſcun-
libus, ſapore ſubaſtringente, ſitu alterno ſingularia.

Florum diſpoſitio quæ in vulgari: hi ex pallido candidi [Cordo favacei, candidi] quibus ſuccedunt
ctus rotundi [non raro pyriformes] umbilicati, quales Oxyacanthæ vulgaris, coloris ferruginei,
nctulis albis notati; cùm ſunt molles, ſaporis primùm auſteri, tandem ubi molleſcunt aciduli, grati:
quibus callus, vel cruſta bina vel terna *ſemina* continens, Pyri ſeminibus ſimilia, minora, pæne
ngula, coloris ferè caſtaneæ, nonnihil ſubauſtera, medullâ albâ. *Cortice* teguntur rami ſpadiceo
luteóve, aſtringente, amaricante; caudex verò albicante, lævi. Excreſcit in magnitudinem &
uram Pyri æmulam. Materies alba, duráque. Oculi imbricatas conorum ſcandulas imitantur,
undi ferè, non acuti ut in Sorbo Alpina.

Nos cum J. Bauhino & aliis putamus hanc arborem eſſe Cratægum *Theophr.* & Sorbum quartum
torminalem *Plin.* nam deſcriptiones ei conveniunt.

Fructus maturi & jam fracidi eam acerbitatem quam cruda habebant ex parte deponunt, & ſub- *Vires.*
dum acquirunt, nec injucundum ſaporem, relicta tamen etiamnum aliqua acerbitate in callo qui
ineſt. Alvum aſtringunt ſicut Meſpila, eis tanquam ſingulari & præſenti remedio contra tor-
na [dyſenteriam] utuntur qui Harcynios montes accolunt ruſtici, ut teſtatur Cordus. Matthio-
eandem etiam eis vim tribuit; quam ineſſe nos quoque in parte experti ſumus.

Rob. Sorbi, ſpeciatim torminalis eſt nobile ſpecificum in diarrhœis epidemicis, item in diuturnis,
ab uſu fructuum horariorum ſuperveniunt. *Etmuller* cap. de Diarrhœa. Communicavit *D.*
ſe.

Eadem omnia poſſunt quæ Sorba domeſtica ſed inefficaciùs, eodem autore; imò, me judice, effica-
, certè febricitantibus aptiora ſunt cùm refrigerent non minùs quàm aſtringunt.

Locis ſylveſtribus & in ſepibus proveniunt frequentes apud nos in Anglia, nec minùs in tranſ- *Locus.*
rinis regionibus. Fructus ubi molles ſatis ſuaves ſunt & guſtui grati, pueris & mulierculis expe-
s cibus.

Scribit J. Bauhinus, In Comitatu Montbelgardico fuſos ex ligno parari optimos, & arbores in
uſum conquiri.

2. *Meſpilus folio laciniato ſpinoſa fructu majore eſculento.*

Meſpilus Aronia Ger. *Aronia Veterum* J. B. *Aronia ſive Neapolitana* Park. *Apii folio laciniato* C. B. *Lazarole* Italis.

J. B.

Foliis ad Spinum album accedit, ſunt ea tamen majora, craſſiora, in tria plerunque ſegmenta primaria diviſa, aliquando in plura, profunda, altioribus inciſuris & rarioribus ſubdiviſa quàm ut ſerrata dici poſſint. Rami & folia nonnihil piloſa ſunt, magis tamen his illi. *Fructum* fert rotundum, rubrum, umbilicatum, Meſpilo vulgari minorem, in quo nuclei terni, Ceraſi nucleis paulò majores, triquetri, duriuſculi, oblongi. *Flores* albi.

Arbor hæc adeò ſimilis eſt Oxyacanthæ vulgari, ut ſola fere foliorum fructûſque, magnitudine, hujus etiam ſapore ſuavi acido & grato differre nobis viſa eſt. Spinoſa eſt, ſed ubi magis domeſtica ſpinis caret, etiam Theophraſto monente. *C. B.*

Locus. In ſylva Valena propè Monſpelium provenire eam ſcribit Lobelius *Adv.* & D. Magnol confirmat, qui ex vicinis pagis, Septembri menſe, fructus copioſe Monſpelium deferri ſcribit, qui ſaccharo conditi ſtomacho grati ſunt, alvúmque conſtringunt.

Uſus. Fructus maturi ab Italis pro deliciis crudi appetuntur in cibis: nec tantùm crudi ſed etiam ſaccharo conditi & aſſervati eduntur. *Lazaroli* autem Italis dicti ſunt ab Arabico *Alzaror.* Nobis certè crudi grata aciditate placent hi fructus, & Meſpilis delicatiores viſi ſunt, moderatè admodum aſtringunt, iíſque qui alvo ſunt laxiore cibus ſunt utiliſſimus.

A. 3. *Meſpilus Apii foliis ſylveſtris ſpinoſa ſive Oxyacantha* C. B.

Oxyacanthus Ger. *Oxyacantha vulgaris ſive ſpinus albus* J. B. *Spina Appendix vulgaris* Park. The White-thorn, or Haw-thorn.

J. B.

Firma eſt ſiquæ alia materies Oxyacanthæ vulgaris. *Caudex* mediocriter craſſus, & ramis lentis firmíſque, operi topiario maximè idoneis brachiatus. Spinis horret rigidis & acutis, multò etiam ligno durioribus. Cortex ſurculorum juniorum rubet, adultiorum cineraſcit. *Folia* Apii ſeu Meſpili Aroniæ, guſtu viſcido. *Flores* odoratiſſimi, confertim naſcuntur ex ſeſquiuncialibus ferè pediculis, albi, pentapetali, apicibus ut in Pyro rubentibus. *Baccæ* per maturitatem rubræ, velut ex umbella pendent, Myrti baccis majores, umbilico nigro, pulpâ glutinoſâ paucâ, molli ac ſubdulci, ſingulæ oſſiculum continentes unum vel duo. Unum ſi fuerit rotundum, at ſi duo, per medium diviſa globulum efficiunt, & interna parte quà committuntur caveolam oſtendunt incurvam. Duriſſima ſunt & propemodum oſſea. Rariùs tria in una bacca inveniuntur. Variant & figurâ, ſed communiſſima orbicularis.

Mirum Parkinſonum noſtrum Tragum & alios ſecutum fructum exiguis nucleis, *aſpera candidâque* lanugine involutis refertum ſcribere. Hoc in Roſæ ſylv. fructu deprehenditur, *non in Oxyacanthæ.*

Locus & Tempus. In ſepibus paſſim provenit, tam in frigidis quàm calidioribus regionibus, nec ullum ferè ſolum aut cœlum refugit. Maio menſe floret. Fructus Septembri matureſcit, & in multam hyemem ramis foliis jam viduis pertinaciter adhæreſcens cernitur.

Arbuſcula hæc ad vivas ſepes commodiſſima eſt, 1. Ob denſitatem ramorum & acutiſſimas ſpinas, tum quòd frigoris patientiſſima ſit, tum denique quòd radice non reptet, adeoque nec ſolum latè occupat, & quotidianam agricolæ moleſtiam creat Pruni ſylveſtris modo. Eſt inſuper ad ſepes tonſiles & opera topiaria præ aliis opportuna.

Flores odoris ſuavitate commendantur; quamvis nonnulli odorem eorundem minùs ſalubrem exiſtiment neſcio quo experimento.

Vires. Quæ de hujus fructûs viribus tradunt Tragus, Matthiolus, Schwenckfeldius, quòd ſci. aſtringit & omnis generis fluxus ſiſtit non probat J. Bauhinus, nec enim ſubauſterus eſt (ut vult Lobelius) ſed guſtu aliquantulum glutinoſus & dulcis: At neque è contra aſſentitur Anguillaræ eum ventrem lubricare & fluxus provocare. Nec tamen negat aquam ex floribus pleuriticis utilem eſſe poſſe, aut calculoſis prodeſſe. Certe fructus vel aquam deſtillatam, vel ſiccati pulverem, vel infuſum in vino conferre adverſùs arenulas & calculum conſentiunt Botanici.

Quamvis Oxyacantha frutex potiùs quàm arbor cenſenda ſit, cùm fruticis modum plerunque non excedat, commodum tamen locum nacta, ſi permittatur, in proceram & juſtæ magnitudinis arborem adoleſcit.

Parkinſonus duas adhuc alias Oxyacanthæ ſpecies ſeu varietates producit.

Spina acuta humilior. 1. Primam è Dodonæo. Spinam acutam humiliorem, cujus folia anguſtiora ſed oblonga: *Baccæ* luteo Croci colore rubentes: Spina ipſa humilior eſt, nec ita facilè arboreſcit, rara quoque & in paucorum tantummodo hortis apud Belgas reperitur. *Dod.*

2. Secundam vocat Spinam biſloram Britannicam, quæ quotannis circa natalitia Chriſti Domini floret, paulò ſeriùs citiúſve pro hyemis temperie, quibus etiam ſuccedunt baccæ antequam folia erumpunt: iterúmq; uſitato tempore, Maio viz. menſe, denuo floret, adeò ut fructus virides ſimul & maturos eodem tempore habere conſpiciatur. Hujus Generis arbor habetur propè Glaſſenburiam Somerſeti oppidum, *Spina Chriſti* dici ſolita, altera reperitur in paludis Romanienſis vico High-ſtreet dicto. Nos tamen fruticem hunc à vulgari Oxyacantha non differre ſpecie exiſtimamus: ſed vel caſu, talem initio extitiſſe, vel arte aliqua factum. Solo enim hoc accidente à vulgari diſcrepat.

Frutex hic Oxyacantha Theophraſti eſſe non poteſt cùm folio ſit deciduo, nec Spinas Mali Medicæ ſimiles habeat: at deſcriptio Oxyacanthæ apud Dioſcoridem ei ſatis aptè convenit. Meſpili tertium genus Plinii videtur C. B. qui eum rectè Meſpilis annumerat: Siquidem Meſpilo Aroniæ dictæ adeò ſimilis eſt ut fructûs magnitudine & ſapore tantùm differre videatur.

Materie ejus (inquit J. Bauhinus) nihil magis expetitum ad tornum, propter duram & firmam atque tenacem ejus æquabilitatem, quâ proximè ad Buxum accedit.

Oxyacanthum baccis albis in Agro Oxon. creſcere affirmat *D. Plot.*

Cap. VII.

Sorbo affines foliis integris.

A. 1. *Sorbus Alpina* J. B. *Sylveſtris Aria Theophraſti dicta* Park. *Aria Theophraſti* Ger. *Alni effigie lanato folio major* C. B. **The white Beam-tree.**

FRigidi cœli amaſia egregiè adoleſcit recto & robuſto caudice, atq; cortice rubente, potiſſimùm extremorum ramorum, materie alba & firma. Oculi primùm emergunt ſublutei, acuti, ſquamati cum fimbria nigricante. *Folia* Alni ex oblongo rotundata, rugoſa, prona parte incana, ſupernè viridia, ſerrata, ſapore adſtringenti, multis nervis parallelis hinc inde à coſta media ad latera excurrentibus, pediculis brevibus, lanuginoſis. *Flores* conferti Sorbi torminalis modo, umbellæ quodammodo inſtar, [tetrapetali *Park.*] candidi, odorati: quibus ſuccedunt Poma parva, Avellanâ minora, rubra, pauca quadam lanugine obducta, umbilicata, pulpâ luteolâ, ſapore acerbo primùm, quæ tamen mollia reddita gratiore ſapore incipiunt commendari; in quibus *ſemina* aliquot ſpadicea, Pyri ferè, minora, medullâ albâ, eodem pæne ſapore, cortice quodam duriuſculo obtecta, ut in Sorbo torminali.

Non placet J. Bauhino hanc arborem pro Aria Theophraſti ſumi, quæ eadem videtur Phellodry.

Gaudet præaltis & frigidis montibus, iiſdémq; ſylvoſis. In montibus ſylvoſis & petroſis in Anglia frequens occurrit, præſertim in Occidentalibus Inſulæ partibus. *Locus.*

Fructus non ingrati ſunt, nec perinde adſtringentes ut Sorbi torminalis, unde ruſtici in Burgundia eis avidè veſcuntur ubi molles evaſerint, & ad hyemem. Fugaces enim non ſunt ſi bene aſſerventur. Tuſſes non aliter quàm Ziziphi baccæ leniunt, & ſputum adjuvant.

E ligno firmi & ſolidi fiunt baculi, item carbones qui diu retinent ignem.

A. 2. *Sorbus ſylveſtris Anglica* Park. **Red Cheſs-apples, or Engliſh wild Service.** *Park.*

Fruticis modum & ſtaturam non excedit, ſtipite & ramis incano ſeu cineraſcente cortice tectis; *foliis* latis ad Viburni accedentibus, per oras minimè inciſis aut dentatis; floribus coloris muſcoſi obſoleti, quibus ſuccedunt fructus Pyri ſylveſtris magnitudine, exteriùs rubente, ſaporis acerbi Sorborum immaturorum. A ruſticis tamen matura, meliorum fructuum inopiâ non raró comeduntur, poſtquam enim decerpta & aliquandiu repoſita fuerint mitiora evadunt.

In agro Weſtmorlandico naſci dicitur. *Locus.*

Suſpicatur *D. Tancredus Robinſon* hanc ſorbum eſſe ſorbum pyriformem *Lobel.* obſervatam in agris Worceſtrenſibus & Staffordienſibus à *D. Pitt & D. Plot.* vel ſorbum pyriformem horum Autorum eſſe ſativam C. B. ſuperius deſcriptam, quam Angliæ Indigenam eſſe denegavimus.

Clariſſimus *Hermannus* in Catalogo Hort. Leydenſ. aliam ſpeciem recenſet ſub nomine Sorbi Virginianæ foliis Arbuti Breyn. item Bontius ſorbi, ſeu potiùs Corni Javanenſis ſpeciem. Idem Hermannus habet Meſpilum ſpinoſam ſive Oxyacantham maximam Virginianam; & Meſpilum ſpinoſam ſive Oxyacantham Virginianam nigram; Vide ejus excellentiſſimum Catalogum Hort. Lugduno Bat. An. 1686. edit.

3. *Pyracantha* Park. *Pyrac. quibuſdam* J. B. *Oxyacantha Theophraſti* Ger. *Oxyacantha Dioſcoridis ſive Spina acuta Pyri folio* C. B. **Ever-green Thorn.** *J. B.*

Frutex eſt ſpinoſus, cortice nigricante tectus, cujus per ramos aculei, alii unciam longi, alii breviores, ſurſum ferè ſpectantes, rigidi; *Folia* juxta aculeos, Arbuti foliis quodammodo ſimilia, alia ſeſcunciâ longiora, alia unciam longa aut breviora, ſemunciam aut unciam lata, leviter acuminata, quædam rotunda, pulchrè per ambitum ſerrata, glabra, potiſſimùm inferiora, ſiquidem ſuperiora interdum nonnihil lanuginoſa ſunt, nitore illo, quem ſuperna facie oſtentant inferiora, deſtituta ferè. *Flores* pentapetali acervatim congeſti ex luteo rubentes. Fructus Oxyacanthæ vulgaris perſimilis ex aureo colore ad coccineum vergit, denſiùs & velut racematim coacervatus, acidi guſtûs grana aliquot continens, Parkinſono granula quatuor vel quinque, ex luteo albicantia, triangula, nonnihil ſplendentia.

In Gallo-provinciæ & Italiæ ſepibus viſitur ſed non ità frequens *Lob.* Naſcitur etiam in Alpinarum gentium Bramovicum & Ebrodunenſium ſaxoſis convallibus, maximè quà torrentes præcipiti curſu vicinas terras glareâ & arenis obruunt. *Locus.*

Quamvis Bauhinus uterq; hanc Dioſcoridis Oxyacantham eſſe velint: nobis tamen potior videtur ſententia Parkinſoni Oxyacantham Dioſcoridis noſtram eſſe Spinam albam: ſiquidem Dioſcorides Meſpilum Aroniam Oxyacanthæ folio (quamvis alii Pyxacanthæ legant) eſſe tradit: Meſpilus autem Aronia ſeu Anthedon Theophraſti Apii folio eſt, quæ quidem figura Spinæ albæ foliis convenit, non autem Pyracanthæ vulg.

CAP. VIII.

De Meſpilo foliis integris & congeneribus.

1. *Meſpilus vulgaris* J. B. *vulgaris ſive minor* Park. *Germanica folio Laurino non ſerrato, ſive Meſpilus ſylveſtris* C. B. **The Medlar Tree.**

PArva eſt arbor, foliis quàm Pomi longioribus, anguſtioribus, Laurinis ferè paribus [Matthiolo Ceraſorum] infernè incana lanugine pubeſcentibus, supernè quoq; nonnihil piloſis, ſed ſaturatiùs virentibus, aliàs ſerratis, aliàs non ſerratis. *Flores* ſingulatim naſcuntur candidi ſeu dilutè rubentes [quinq; petalis amplis, obtuſis, in medio bifidis compoſiti] Cotoneæ mali: quibus ſuccedunt poma exigua, fulva, perquam acerbi ſaporis, Pyris ſylveſtribus paria, hirſuta, ex anguſto principio in umbilicum latum excavatúmque deſinentia; ex cujus ſupercilio emicant quina folia oblonga, anguſta, acuminata, quæ florem antea tegebant. In ſingulis autem pomis quina ferè oſſicula, compreſſa, triangula. Caro dura, alba, adſtringens valde: quæ tamen fracida reddita acidulum ſuavémq; acquirit ſaporem, & menſis ſecundis inſtruendis inſervit.

Locus. Paſſim hodie colitur in hortis & viridariis Germaniæ, Italiæ, Galliæ & Angliæ. In Germania etiam ſpontè provenit: v. g. inter Argentinam & Badenſes thermas in ſylvis. Quæ non inſitæ ſunt, ſpinoſæ ferè ſunt & parvos edunt fructus: Sed major, & præſtantior nonniſi culturâ comparatur: inſeritúrque aptè Pyro Sylveſtri aut Spino albo. Floret Aprili & Maio. Fructum perficit Septembris fine aut etiam tardiùs.

C. Bauhinus eúmque ſecutus Parkinſonus quatuor genera diſtinguunt.

1. Meſpilus Germanica folio Laurino non ſerrato, ſive Meſpilus ſylveſtris *C. B.* Meſpilus vulgaris ſive minor *Park.*
2. Meſpilus folio Laurino major *C. B.* maxima ſativa *Park.*
3. Meſpilus Italica folio laurino ſerrato *C. B.* minor folio ſerrato *Park.* J. Bauhinus in Meſpilo vulgari minore ſe utriuſque generis folia, ſerrata & non ſerrata, obſervâſſe ſcribit.
4. Meſpilus fructu albo *C. B.* fructu albo magno *Park.*

Vires. Meſpila ejuſdem temperamenti ſunt cum Sorbis, & ad eadem valent, vomitum, dyſenteriam & omnes in genere alvi fluxus. Ventriculo noxia eſſe aiunt, præcipuè dum duriuſcula & acerba adhuc ſint; nam emollita & fracida facta adſtringunt minùs. Si decocto immaturorum colluantur os & fauces, reprimit fluxiones in fauces, dentes atq; gingivas. Paratur quoq; ex Meſpilis ſiccis, ſucco roſarum, Caryophyllis, pauco Corallii & nuce Moſchata cataplaſma, quod applicatum regioni orificii ventriculi potenter compeſcit vomitum ciborum. Meſpila virid. in magna quantitate devorata multos diarrhœa pertinaci laborantes ſanaverunt, aliis remediis nihil proficientibus. *Foreſtus.*

Folia ſimilem cum fructibus vim obtinent.

Herbariorum plurimi oſſicula in pulverem detrita tam ad renum quàm ad veſicæ calculum conterendum& expellendum commendant. Nec Herbarii modò, ſed & Practicorum pars major id faciunt & paſſim in ſuis libris calculoſis præſcribunt; atque ità quà primùm data porta eſt, ceu impetu quodam ruunt omnes, inquit J. Bauhinus, magno mehercle & artis & rationis ludibrio; qui idcirco iis ſtrenuè ſe opponit, & multis probare nititur contrarium. Ipſum ſi placet conſule.

2. *Chamæmeſpilus* J. B. *Cotonaſter folio oblongo ſerrato* C. B. *Cotonaſter Geſneri* Ger. emac. Append.

Hanc ex ramo ſicco ſic deſcribit J. Bauhinus. Rami craſſiores fuere quàm vel Cotonaſtri, vel Dioſpyri, cortice nigricante ſtriato obducti. *Folia* plerunque indidem plura oriuntur, non ut Coteneaſtri rotunda, ſed oblonga, alia palmum longa, ſeſcunciam lata, alia ſeſcunciam aut unciam longa, ſemunciam lata, utralibet in acumen deſinentia, per ambitum ſerrata, utrinque glabra, nervoſa, atro-virentia, pediculo ſatis brevi hærentia. *Flores* denſi velut in umbellam, Sorbi Alpinæ more digeſti, pediculis lanuginoſis, modò brevibus, modò longis, in extremis ramorum hærent: quibus *Fructus* ſuccreſcunt eodem diſpoſiti ordine, Sorbi torminalis fructibus ſimiles, oblongi, rubri, umbilico mediocri, in quibus grana continentur oblonga. Cluſius plantæ quam Cotonaſtrum Geſneri putat flores purpuraſcentes, pentapetalos attribuit.

Locus. Hunc fruticem in ſummitate montis Juræ non longè à Geneva invenimus ſpontaneum: Cluſius in Snealben jugis.

3. *Lata Guineæ, Meſpilum, oſſiculo lævi, ſpadicei coloris* J. B. *Pyro ſimilis ex Guinea* C. B. *Cluſ. exot.*

Hujus oſſiculum à Meſpili forma non erat valdè abſimile, præſertim prægrandium Meſpilorum & læve, & ſpadicei coloris, in medio nonnihil tumens, & paululum ab uno latere ſcabrum & ſubalbidum. Fructus exigui Pyri eſt magnitudine, magis tamen rotundus, coloris ex aureo flavi, interdum etiam rubentis inſtar Pomi, tenui cortice præditus, qui detractus in tenuia ſtamina fili mod abit: Sapor cum dulcedine aſtringens, ità ut valdè refrigeret; unde Luſitani iſtic degentes in febribus ardentibus exhibebant. Pulpa ipſa coloris aurei ſaturi ad rubrum inclinantis, lenta nonnihil & viſcida. Singuli autem fructus quina ſemina ſurrecta continent, quemadmodum Meſpila, eáq ſeparatim tenui involucro tecta, Serico crudo candido ſimili. Arbor Pyro ſimilis eſt, humana tamen altitudinem non ſuperans, cujus folia ex atro viridia ſunt, & Pyri foliis magis orbiculata.

4. *Meſpilo ſimilis fructus Americanus* J. B. *Meſpilo ſimilis fructus venenatus* C. B.

Obſervavit Lerius in Braſilia in maris ripa multas arbuſculas fructus ferentes Meſpilis noſtris ſimi- s, quorum eſus pernicioſiſſimus. Sylveſtres ſi videant Gallos & alios peregrinos monent ut hos uctus vitent, dicentes *Ypochi*, id eſt, non ſunt boni.

5. *Meſpilo non valdè abſimilis fructus oſſiculis ſpadicei coloris ſplendentibus* J. B. *Fructus* 3. *cap.* 14. *l.* 2. *Exot.* Cluſ.

Cluſ.
Meſpilo Setanio non erat valdè abſimilis, ejuſdémque pænè magnitudinis, capite tamen non plano illud, ſed in anguſtum contracto, vetuſtate rugas contraxerat, & ſatis fragili cute conſtabat, fuſco, llius ferè ſaporis, qui tamen ore retentus nonnihil adſtrictionis cum pauca acrimonia conjuncta ſſidere videbatur: quina introrſum oſſicula Meſpili inſtar continebat, majora autem & non rugoſa illa, ſed valdè lævia & ſplendentia, ſpadiceíque coloris & nucleum continentia.

6. *Meſpilo valdè ſimilis fructus ſine granis* J. B. *Meſpilo ſimilis fructus fuſcus* C. B. *Fructus octavus ex navigat. Batav. Cluſ. Exot. l.* 2. *c.* 15.

Meſpilo valdè ſimilis erat, uncialis magnitudinis, terſus ac politus, fuſci coloris, adeò autem fra- s ut paululùm compreſſus diſrumperetur, valdè lævis, materiam continens fragilem & ſpongioſam, dè ſalſi ſaporis, in qua nulla grana obſervare potuit Cluſius. Corona autem illa ſuperna ſummum ctum occupans alis carebat, quibus Meſpilum eſt præditum.

Cap. IX.

Dioſpyros J. B. *Alni effigie lanato folio minor* C. B. *Vitis Idæa tertia Cluſii* Park. *Vaccinia alba* Ger. *Amelanchier* Lob. *Pyrus cervina* Italis.

J. B.
Ulcher eſt frutex, & qui multos à radice ſtatim ſtolones edat, homine etiam proceriores, eóſq; etiam ramoſos, cortice intectos ſpadiceo. *Folia* primo pullulatu plura ſimul ex oculis proveniunt, incana lanugine ſubtus pubeſcentia, ſupernè viridia, quæ adultiora decuſſa penitus ugine utrinque glabra ſunt, Piri foliis ſimilia, magnitudine varia, unciam aut ſeſcunciam longa, tudine ſemunciali, aut etiam pluſquam unciali, per extremum rotunda, circumquaque crenata, chris frequentioribus nervis obliquis à medio recto donata. *Flores* inter lanuginoſorum foliorum imenta oriuntur plures juncti, candidi, è quinque foliolis longiuſculis compoſiti, inodori ferè, quos *æ* excipiunt violaceæ vel nigræ, umbilicatæ, quinque laciniis coronatæ; ſapore dulci, ſuavi, in ous *ſemina* plura, [dena & interdum plura *Cluſ.*] oblonga, nigricantia, Pyrorum ſeminibus ſimi- Fructus Geſnero Ceraſi eſt magnitudine & figura: At baccæ Myrto potiùs ſimiles ſunt quàm aſo, & umbilicatæ.

ariat foliis obtuſis & acutis.

ocis montanis, præruptis & ſaxoſis potiſſimùm gaudet. Sic Helveticis, Auſtriacis, Sabaudicis, ac gundicis, aliíſque montoſis variarum regionum provenire ſolet. Nos in montibus circa Gene- , ínque lateribus montium Rheno adjacentium obſervavimus copioſam. Suavis eſt ejus fructus, e ità aptus ſtomacho ut qui copioſè etiam ingeſſerit non gravetur, ut teſtatur Geſnerus. **Locus.**

Cap. X.

De Malo Punica.

MAlus Punica, Græcis 'Ροιὰ, Dioſcoridi & Theophraſto 'Ροιὰ, quo nomine & fructus donatur. Flores ſativæ Punicæ κύτινοι dicuntur Dioſcoridi l. 1. cap. 152. & Gal. 6. Simpl. At Gal. 6. κατὰ τόπους. Cytinus fructûs rudimentum eſt, quod deciduo flore primùm apparet ormatur. Et Plinio l. 23. c. 6. Primus hujus pomi partus florere incipientis Cytinus vocatur cis: & in hoc ipſo Cytino floſculi ſunt, antequam ſcilicet malum ipſum prodeat, erumpentes, Balauſtia vocari diximus. Verùm Βαλαύστιον ſylveſtris Punicæ flos eſt Dioſcoridi. l. 1. c. 154. cinæ Plinium ſequuntur, & Punicæ tam Sativæ quàm Sylveſtris flores citra diſtinctionem Balau- vocant, quibus Cytinorum appellatio de ſativis ignota eſt. Cytinus Theophraſto Calyx eſt flo- quo flos continetur: adeo ut Cytini ſignificatio apud Græcos ambigua ſit.

ali Punici putamen, quòd tanquam corium ſit, cortice durius, nucis involucro tenerius Mali- m vocant, quod Græcis nunc Σίδιον, Dioſcoride monente, nunc τὸ τῆς ῥοιᾶς λέμμα, ἀπὸ τοῦ λέπειν, decorticare dicitur. Plinius l. c. vulgus ex Punicis acerbis coria perficere novit, ob id Malico- appellant medici. *C. B.*

alum Punicum à Carthagine, ubi laudatiſſimum proveniat,, nomen accepiſſe volunt, à Granis quæ intus continentur Granatum, non à Granata Hiſpaniæ regione, ut nonnullis videtur, cùm ante Catonis & Varronis tempora ità fuerit nuncupatum. *J. B.*

1. *Malus Punica* J. B. *Punica ſativa* C. B. Park. *Granata ſive Punica* Ger. **The Pomegra-nate-tree.**

J. B.

Humilis & haud magna arbor vel potiùs frutex eſt, ut recte J. Bodæus, quamvis interdum cul ſtolonibus abſciſſis in juſtam etiam arborem excreſcat, ramis tenuibus, anguloſis brachiatam, qu armant ſpinæ rigidæ aliquot, oblongæ, ſubrectæ, cortex obducit rubeſcens. In his *folia* incondi Myrti vulgaris æmula [vel oleæ] vel etiam majora, non ità acuta, ex viridi in levem quandam rubedinem vergentia. [J. Bodæo nitidi viroris, pediculis annexa rubentibus, rubríſque intercurſantibus venulis prædita] averſa parte nervoſa, odore gravi, præſertim ſi manibus contrectata naribus admoveantur, [J. Bodæo canum halitum, feliúmque urinæ graveolentiam aliquo modo referentia.]

Ex ramorum lateribus *flores* emicant punicei, pentapetali, quorum medium occupant complura *ſtamina* cum ſuis *apicibus*, cytino inſidentia ſive calyci, qui puniceo etiam colore fulget, unciâ longior, corticoſus in plures lacinias mucronatas, totidem ſcil. quot flori folia, faceſſens, quæ umbilicum poſtea Pomi ſuccedentis coronant. Eſt autem Pomo magnitudo varia, omni ferè *ampla*, & maximis Malis æqualis, rotunda ferè, niſi quòd utrinque leviter compreſſa. Cortex mediocriter craſſus, duriuſculus, fragilis tamen, ante maturitatem viridis ac lævis, poſt puniceus & rugoſus, qui tandem etiam ad ſpadiceum accedit, intus luteus, guſtu adſtringens, numeroſis acinis plenus, vino abundanti ebriis, dulci aliàs, aliàs acido, interdum medio, favorum modo diſpoſitis, carnoſis membraneíſque diſſepimentis, ceu parietibus intergerinis, circumceptis, amaris, modò candidis, modò purpuraſcentibus ; ipſis verò granis gigartorum vitis ſimilibus, quæ conſtant ligneo cortice & nucle amaro, non tamen ſine adſtrictione.

Reperitur ſingulare quoddam hujus Mali genus, quod nullum in acinis ſemen continet: Verù hoc accidentarium eſt, & ex luſu quodam naturæ.

Diſtinguuntur Mala Punica ſaporum reſpectu in dulcia, acida & vinoſa, ſeu in dulcia, vinoſa & media: quæ genera aliter etiam diſtingui dicuntur, ut v. g. magnitudine: Dulcia enim ſunt multò majora & ſpecioſiora, & granis majoribus. Perhibentur etiam dulcia cæteris magis ſcabro eſſe cortice. Ἀπύρηνα dicuntur non quibus nulla ineſt granorum duritia, ſed quibus minor.

Locus. Amat hæc arbor ſolum cretoſum, macilentum, ſed in pingui quoque provenit. In calidis Meridiem verſus regionibus ſponte exit, velut in Gallia Narbonenſi, Balearibus inſulis, Italia & Hiſpania, ac præcipuè in regno nunc appellato Granatæ; quæ à frequentia Malorum Punicarum nomen accepiſſe creditur. [In finibus Granatæ parcè, quicquid ſcribat Matthiolus; nam hac in parte majore fidem habemus Lacunæ Hiſpano. *J. B.*] In frigidioribus regionibus, ut Germania & Anglia in curioſorum duntaxat hortis culta cernitur, ubi etiam hyeme curioſè contegenda aut reponenda eſt, à frigore violetur. Et tamen umbras amare aiunt & rigationes.

Temperamentum & Vires. Poma omnia in genere cenſentur boni ſucci, ventriculo convenientia, ſed pauci nutrimenti: omnia (autore Dioſcoride) Veneris impetus excidunt, ea præcipuè quæ frigidæ temperaturæ ſunt, ut acida.

Dulcia eorúmq; ſyrupus exhibentur in tuſſi chronica & pleuritide: in febribus minùs commoda ſunt, quia inflationes, calorémq; augent.

Acida frigida ſunt & adſtringentia: ſtomachica: unde eorum ut & ſyrupi ex iiſdem confecti uſus eſt ad ſitim, febres bilioſas, gonorrhœam, picam gravidarum, oris putredinem & ſimiles affectus.

Vinoſa (acido-dulcia, Granata *muzæ*) mediæ ſunt naturæ inter dulcia & acida, cardiaca & cephalica Uſus præcip. in Syncope, vertigine, &c. Ex malis hiſce ad uſus ſupradictos ſuccus exprimitur & fermentatus depuratúſq; vinum dicitur.

Varios modos parandi vinum Granatorum vide apud J. Bauhinum. Simpliciſſimus videtur ſequens.

Acini maturi diligenter à cortice & membranis repurgati prælo committuntur ac exprimuntur, mox vinum ſaccis ad id accommodatis percolatur, & in vaſculis id excipientibus deſidere ſinitur, defæcatum reponitur affuſo oleo nè vappeſcat aut aceſcat. Utilis eſt potus ad ſitim febrientium extinguendam.

Poteſt etiam ex ſucco expreſſo & defæcato, admixto ſaccharo, & decocto, deinde fermentato, parari vinum generoſum & inebrians.

Flores, tam *Balauſtia*, quàm *Cytini*, naturæ ſunt terreſtris & valdè adſtringentis, unde creberrimus eorum uſus eſſe ſolet in omnis generis fluxionibus, v. g. diarrhœa, dyſenteria, fluxu uterino, &c. Extrinſecus in pulverem trita & inſperſa intertriginibus aliíſque ulceribus celerrimè ad cicatricem abſq; eroſione producunt: ſanant etiam oris ulcera, tonſillas, uvulam, &c. in collutionibus. Scorpionibus etiam adverſari dicuntur.

Cortex (*malicorium, pſidium*) ejuſdem naturæ cum floribus eſt; Utilis etiam ad coria præparanda, & ad atramentum vice gallarum. Addit Conſtantinus, Malicorium vino decoctum & potum omnes ventris tineas necare, maximè eas quas Aſcaridas vocant.

Nuclei itidem refrigerant, aſtringúntque, imprimis qui ex pomis acidis collecti. Breviter flores, cortex, nuclei [adde & folia] ad ea conducunt quibuſcunq; adſtrictione opus eſt.

Ex Malis Punicis contuſis cum ſuis corticibus exprimitur ſuccus qui purgat bilem flavam, ut ſcribi Cæſalpinus. Hoc de Punicis dulcibus accipit J. Bauhinus, & corticis amaritudini tribuendum cenſet.

2. *Malus Punica ſylveſtris* C. B. Ger. *agreſtis* J. B. **The wild Pomegranate.**

Domeſticæ & cultæ per omnia ſimilis eſt, aſperior tamen & ſpinoſior.

Paſſim hæc ſua ſponte luxuriat in ſepibus Narbonenſibus. Nobis non videtur ſpecie differre à tiva.

3. *Malus Punica ſylveſtris major, ſive Balauſtium majus* Park. *Balauſtium flore pleno majus* C. B. *Balauſtia Hiſpanica* J. B. *Balauſtia* Ger.

J. B.

Balauſtia flores ſunt ampli, Punicæ cujuſdam ſylv. denſiſſimo foliorum purpuraſcentium farctu ipati, guſtu adſtringentes, non Cytino oblongo ut in ſativa pomifera Punica ſeu ſimplici, ſeu mul- iplici flore, (qualis nonnunquam reperitur) ſed compreſſo, lato ſuffulti, cui color ex flavo purpu- aſcens, corium durum, lignoſum, in lacinias quoq; diviſum. Adeò multiplici folio interdum con- tant, ut Roſæ videantur centifoliæ colore ſaturato.

4. *Balauſtium minus* Park. *Balauſtia flore pleno minore* C. B.

Foliis atro-virentibus, calice craſſiore, flore minore, triſtiore, ſaturatâ purpurâ punicante à priore iffert, inquit C. Bauhinus.

Cortex Granatorum menſes movet, & febres intermittentes ſæpe fugat, ab experientia Tachenii; bundat enim quodam Alcali aperitivo, quod patet multis experimentis. *D. T. R.*

Cap. XI.

Malus Limonia Malabarica fructu umbilicato.

Katou-Naregam H. M. *P.* 4. *T.* 13.

H. M.

Arbor eſt procera, caudice craſſo, candido, multiſque ramis donato, qui cortice cinereo odorato obducti, ac fungosâ intus medullâ referti, necnon ſpinis fuſcis, nitentibus & aculeatis inſuper muniti ſunt.

Radix flaveſcens, fuſco cortice tecta, amara, odorata.

Folia perſimilia ſunt foliis *Mal-Naregam*, præterquam quòd nervuli è coſta media exeuntes craſ- ores ſint, & infernè magis emineant; quo fit ut in plicas ea ac rugas criſpentur.

Flores plures ſimul juncti extremis ſurculis proveniunt, & calyci viridi in quinque lacinias acumi- atas ſecto inhærent, viridi-flaveſcentes, odorati, ſubamari, quinque ſubrotundis foliolis conſtantes, *aminulis* candidis octo aut decem medium obſidentibus; inter quæ *ſtylus* prodit exiguus, itidem al- icans.

Fructus Limones puſilli ſunt, tenuioribus ſulcis ſtriati, ac in vertice calyce florum ſurrecto coro- ati, atro-virides primùm, albis interſtincti punctulis, dein aurei, cortice Limonum cortici haud ab- mili cincti, carnéque candida, acidi ac vinoſi ſaporis, intus referti; intra quam numeroſa conti- entur *ſemina* oblongo-rotunda, plana, candida & nitentia, duplici ordine locata, ac membraneis quibuſdam pelliculis ſeu parietibus intergerinis ſejuncta, ità ut ſingula in ſingulis latitent cellulis.

Creſcit frequenter locis arenoſis & petroſis circa *Parakarò* & *Kaymaal* provincias Malabar: Semel *Locus.* n anno maturos fert fructus, menſibus viz. Decembri ac Januario.

Succus foliorum egregium capiti expurgando habetur errhinum. Idem cum Pipere longo, Zinzi- *Vires.* pere, & ſaccharo exhibitus tuſſim ſedat, cæteróſque pulmonis affectus è cauſa frigida natos potenter anat. Inſuper è foliis hiſce in aqua coctis Balneum fit, quod laſſitudini, necnon artuum doloribus ollendis mirificè conducit.

Cap. XII.

De Ficu Indica Tuna dicta ſeu Opuntia.

Quamvis Frutex hic Theophraſti & Plinii Opuntia non ſit, cùm illa, ab Opunte oppido circa quam provenit nomen ſortita, herbula ſit non frutex nedum arbor, meritò tamen Opuntia Indica arborea, aut fruticoſa dici poſſit, quia inſigni proprietate è folio radices mittendi cum Opuntia Theophraſti convenit, nec alia quævis præter eam, quod hactenus audivi- nus, arbor aut herba. Quinetiam Opuntiam hodie (ut puto) in Locride fruſtra quæſiveris.

Cùm dico Tunam è foliis radices agere apparentiam potiùs & opinionem vulgarem ſequor, quàm ei ipſius veritatem. Quæ enim folia videntur revera non ſunt ſed potiùs rami. Nam, 1. Folia on germinant, aliáque ex ſe folia emittunt, ſed rami. 2. Folia intra annuum ſaltem ſpatium in uſtam magnitudinem extenſa poſtea non augentur. In hac autem ſtirpe quæ dicuntur folia quo- annis augentur & incrementum capiunt, & in nonnullis ſpeciebus ligneſcunt. 3. Addit Gul. Piſo, Folia contigua tantùm eſſe arbori, è contra omne quod rami vicem ſubit continuum: Se autem in quibuſdam Ficubus diſſectis radices immediatè continuatas vidiſſe frondi. Tandem, 4. Folia pleriſq; omnibus plantis, etiam ſemper virentibus, tandem decidunt; at in hac propriè loquendo perpetua unt. Verùm argumentum hoc non concludit quoniam dantur nonnullæ v.g. epiphylloſpermæ in uibus folia durant quandiu caules: ut neq; quod hæc fructum è foliis dictis emittat; nam epiphyl- oſpermæ quoq; idem faciunt.

Forma tamen externa lata & compreſſa cum foliis conveniunt, & à ramis differunt, qui in om- ibus aliis ſtirpibus teretes ſunt.

Dicitur autem hic frutex Botanicis Ficus Indica, ob aliqualem fructûs cum Fico ſimilitudinem.

1. *Ficus Indica major* Park. *Indica* Ger. *Indica folio ſpinoſo, fructu majore* C. B. *Opuntia vulgò Herbariorum* J. B. **The Prickly Pear-tree.**

In magnum interdum evadit fruticem, cui *folia* magna, longitudine nonnunquam pluſquam pedali, latitudine ſeſquipalmari, ex oblongo rotundata, pollicem craſſa, infima etiam multò craſſiora durioráq; ſupremis, foris membranâ tecta, plurimis tuberculis aſperata, è quibus ſpinulæ albæ, acutæ, facilè contrectanti adhærentes, inſitóq; aculeo ſtationem nativam deſerentes, ſucco intus turgentia, colore herbaceo, tactu viſcido, ſalivoſo, qui exſiccatus granuloſus arenæ tenuiſſimæ inſtar attritu digitorum reſolvitur, per quem diſcurrunt nervorum plurimorum mediocriter craſſorum reticulati plexus; atque hæc quidem folia ex aliis foliis jucundo connexu ſuccreſcunt, quibus etiam plurimùm pro caudice utitur, & in brachia diducitur. Poſthæc cum tempore incraſſantur magis, & fiunt rotundiora, imo ligneam tandem ſubſtantiam acquirunt, præſertim inferiora, túmq; & ſpinas magna ex parte amittunt. Femoris craſſitiem interdum acquirit, ut nos in Sicilia obſervavimus. Foliorum pinnis inſident fructuum rudimenta multa, ſimiliter ſpinoſa, è quorum umbilico *flores* emicant, calathi Balauſtii quadantenus effigie, ſucculentiore magnitudine, multi, lutei, multis foliis ungue latioribus, Roſarum foliis ſimilibus conſtantes; quibus marceſcentibus *fructus* maturatur, Ficum magnam adæquans, ſupernè umbilicatus, pulpâ ſanguineo colore manus tingente infectâ, guſtu ſubdulci, ſed quàm Ficuum inſuaviore, graminulis farctâ Lentis fere magnitudine, ſed ſinuatis & inæquali ambitu donatis, iiſdémq; concoloribus in ſinu. Geſnerus in fructu gravem quendam odorem eſſe annotat.

Cùm primùm exit hæc planta foliola duo emittit craſſa, ſucculenta [aliquod Sedi genus emergere diceres] mucronata, è quorum ſinu conjugali ceu pili quidam candicantes & purpurantes, futurarum ſpinularum primordia ſimul exſeruntur, quos non multò poſt folium ſequitur iiſdem veſtitum & hirſutum totum, nec latum ſed teres ferè, quod tamen temporis progreſſu paulatim in latitudinem comprimitur, fiúntque aculei cum tempore etiam duriuſculi. Radicula novellæ plantæ ſimplex & albicans eſt.

Exſtillat & gummi hæc arbor, Succino flavo colore & ſubſtantia, ſi duritiem eximas lapidoſam, admodum ſimile, & glebulis concretum, & Tragacanthæ ferè in modum vermiculatum, adeò durum, ut dentibus comminuere vix ſit. Candelæ admotum flammam non concipit, ſed comburitur, nec tamen ullam odoris ſpirat fragrantiam, maſticatum quoq; nullum ſaporem effatu dignum exhibet.

Locus. In omnibus ferè Americæ provinciis & inſulis, exceptis maximè Borealibus, provenit. In Europæ etiam calidioribus regionibus facilè comprehendit & in magnitudinem proficit. Vidit Camerarius Neapoli altero tanto majorem quàm hominem, caudice duro & lignoſo. Vidimus & nos Romæ in horto Pontificali Vaticano *Belvedere* dicto non minores.

Obſervavit D. *Tancredus Robinſon* hanc ficum Indicam producere fructum maturum in Gallia Narbonenſi, & Regno Neapolitano, ubi inſtar ſylveſtris plantæ loci Indigenæ ad vias, latera montium, & inter ſcopulos copioſè creſcit.

Cultura. Tam vivax eſt hæc planta, ut cùm ſeminulo ſato, tum folio humi medio tenus defoſſo creſcat facillime. Frigoris impatiens eſt, ideóque hyeme reponenda, attamen & loca nimis occluſa odit. Humore nimio corrumpitur & putreſcit: ideóque ab Autumnalibus imbribus & qui verno tempore cadunt perſæpe læditur.

Multæ hujus fruticis ſpecies in America reperiuntur.

In Mexicana provincia Fr. Hernandez obſervavit ſequentes.

1. Prima, *Yzbac-Nochtli* vocatur, quod albus fructus ejus ſit: *Folia* fert rotunda, parva, lævia raríſq; horrentia aculeis: *Florem* luteum: Fructum ſpiniferum & candentem; & in fruticis attollitur magnitudinem.

2. Secunda, *Coz-Nochtli* dicitur, quòd pallentem proferat fructum. Foliis conſtat amplis, orbicularibus, multíſque & prolificis, horrentibus aculeis; *flore* coccineo, per extrema palleſcenti, & pomo luteo ac raro.

3. Tertia, *Atlatoc-Nochtli*, ſeu Tuna ex albo in rufum colorem inclinans. Folia fert anguſta, oblonga, impensè aculeata, & nonnihil purpuraſcentia, quod eſt huic tantùm generi peculiare, cùm cæteris omnibus viridia ſint: fructum non valdè ſpinoſum: florem extra luteum, intra verò ipſius Tunæ colore.

4. Quarta, *Tlapalnochtli*, id eſt, coccineum. *Folia* fert tenuia, anguſta & oblonga, ſed breviora præcedentibus, ac minùs ſpinoſa; florem ex albo rubeſcentem & parvum; pomum non adeò ſpinoſum, ſed coccineo flammatóque colore præditum.

5. Quinta, *Tzaponochtli*, ob ſimilitudinem quam habet cum fructu Mexicanis dicto *Tzapotl*, folia fert ſqualentia, ovi figurâ, quibuſdam horrentia ſpinis, & *flores* in his luteos ex albo in coccineum colorem vergentes.

6. *Caca-nochtli*, ſeu herbacea ſylveſtríſq; Tuna, in arboris magnitudinem attollitur, multis alis concava eſt, foliíſq; conſtans rotundis, parvis & ſpinoſis, ſylveſtri fructu vix Juglandem nucem magnitudine ſuperante, ſed ſpinis horridiore & pallidis floribus.

7. Eſt & *Xocohonochtli*, ſimilis formâ præcedenti ſed tam foliis quàm fructu acida.

Sunt & aliæ præter dictas hujus fruticis ſeu ſpecies ſeu potiùs varietates, pro diverſitate regionum in quibus oriuntur, quemadmodum apud nos Pyrorum & Ficuum.

Ficus Indica lævis piloſa C. B. diverſa ſpecies videtur. Hæc ex Creta miſſa; eáque duplex, altera folio rotundo, altera oblongo.

Ficus Indica humilis *C. B.* Ramis eſt reflexis, & veluti repentibus: flore magno luteo. An Ficus Indica ſpinoſa minor *Park*? Ficus Indica folio ſpinoſo fructu minore *C. B*?

Species illa quam primo loco deſcripſimus eadem eſt quæ in Inſula Jamaica & Barbados, **The prickly Pear-tree**, id eſt, Pyrus ſpinoſa dicitur, quæque in Europa frequentiſſima eſt, cujus fructus aliquot comeſti rubro ſanguineo colore urinam tingunt, ut admirationi ſit.

Tum fructus tum folia refrigerant & humectant, ſalivoſáque ſunt, quo fit ut eorum ſuccus expreſſus febres ardentes maximè extinguat, & ſitim expleat. Grana ſicca & adſtringentia ſunt: Hinc Poma cum granulis loco cibi ſumpta alvum ſiſtere dicuntur: gratum præbent alimentum refrigeránſque, etſi flatuoſum, & corruptioni obnoxium ſi largiùs ſumantur, quemadmodum alii horarii fructus, æſtuantibus jucundiſſimum, Succus plantæ aut aqua ſtillatitia admirabilis eſt adversùs bilioſas febres. Auxiliantur radices ejus cum Hieracii quadam ſpecie Enterocelis, & Eryſipelatis medientur. Indi ſucco expreſſo pro aqua utuntur; & D. *Hughes* ſe fructibus hiſce in inopiâ aquæ perſæpe ſitim ſedâſſe refert. *Vires.*

Experientiâ conſtare aiunt folia eorúmve ſuccum vulnera recentia mirabiliter ſanare. Tumores etiam & apoſtemata, quæ nautis plerunque accidere ſolent in Americam trajicientibus, potenter diſcutiunt. D. *Hughes* folia chartâ madefactâ involuta, & ſub cineribus toſta ejuſmodi Apoſtematis cataplaſmatis formâ applicare ſolebat, ſucceſſu ſupra ſpem & expectationem proſpero, ut nullum vel præſtantiſſimum medicamentum compoſitum ad hunc uſum æquè commodum & proficuum fuerit.

Montanis magna ex parte in locis proveniunt referente Hernandez: at Hugeſio in depreſſis præcipuè ad maris litus. Gummi plantæ renum & urinæ calorem temperat. *Locus.*

Species illa Tunæ quæ vermiculos Cochinillæ dictos producit & alit *Nocheznopalli*, ſeu *Nopalnocheztli* Indis Mexicanis dicitur. *Hernand.* ſtudioſè colitur, & à pecorum armentorúmque injuriis diligenter defenditur. Interdum ſponte naturæ, interdum hominum induſtriâ vermiculi hujus ſemina [ſuperioris anni] ſeu ova tunis admoventur, quæ brevi animalcula excludunt, cùm adoleverint & ab incolis exſiccata fuerint Grana perperam dicta. Hæc toti Europæ inferuntur ditiſſimo commercio, quinquies mille ſexcentas ſeptuaginta arrobas, anno 1587. una claſſe in Europam traductas refert Acoſta. Curam & culturam grani tradit Herrera his verbis. Eſt illud [Granum dictum] vivum animalculum vel potiùs inſectum, à cimice formâ non multum abludens, cùm primùm plantæ ſe applicat pulice paulo minus, è ſemine erumpit Acari magnitudine, & arborem integrum atque adeò totum hortum implet, & ſemel atque iterum quotannis colligitur. Arbores certo ordine inſtar Vitium diſponunt, atque ſtudioſè colunt, & repurgant à zizaniis: quo recentiores ſunt plantæ eò copioſiùs & præſtantius ferunt granum: inprimis autem neceſſarium eſt ut à variorum inſectorum injuria defendantur, nec minùs à gallinis quæ granum devorant. Utuntur vulpinis caudis ad plantas detergendas, nè novella inſectorum ſeminaria lædant: ubi autem jam tis adoleverunt, magnâ curâ eximuntur, necantúrque aquâ frigidâ aſperſâ, atque in umbra ſiccantur & conduntur fictilibus. Eadem & cinere injecto enecant, deinde abluunt, atque aliis inſuper modis ſuffocant, frigida tamen enecta cæteris præſtant. Plurimis modis granam à mercatoribus adulteratur. Optimum longè granum dat *Tlaxcallam*, cujus indigenæ præſtantiſſimam tincturam ex illo conficiunt, hoc modo, Comminuunt & macerant in decocto aluminis, & ubi reſederit cogunt tabellas, quas Hiſpani vocant *Grana en pan.*

Hanc Tunæ ſpeciem deſcribunt Piſo & Marggravius, *Jamacaru* V. nomine.

Ad nos ſcripſit D. *Tancredus Robinſon* Inſectum illud, ſeu Vermiculum exiccatum *Cochinill* dictum Ficum Indicam depaſcens, evadere Hexapoda, & propriè nominari poſſe Scarabæum Mexicanum nctatum ſeu maculatum noſtratibus **Lady-cow** dicto ſimilem; cujus elegantem Iconem exhibuit genioſiſſimus vir D. *Edvardus Tyſon* M.D. in Philoſoph. Tranſact. N. 176.

2. *Ficus Indica ſeu Tuna prima, ſeu Jamacaru Braſilienſium prima* Piſonis.

Adeò inter ſe variant Ficus Indicæ Tunæ dictæ, pro natalis ſoli diverſitate, ut niſi flore & fructu, m interna qualitate convenire deprehenderentur, ad diverſa genera pertinere viderentur.

Prima ſpecies Fruticibus aut arboribus adnaſcitur, tenues radices habens, quibus ſe illis inſerit. *lia* ejus craſſa, ſolida, inſtar Aloes triangularia, vario modo ſibi invicem oppoſita, ut in Ficu In- ca. *Folia* viridia, turgentia ſucco viſcido, ſed inſipido; in extremitatibus angularibus foliorum dimenta fructuum ſunt, & ſpinulæ acutæ juxta ſe poſitæ quatuor cinereæ.

Provenit in ejus ſummitate *flos* ſuavis odoris, cæterùm Nymphææ majori ſimilis, exteriùs conſtans ltis foliis viridibus, anguſtis, oblongis, & in medio horum columna flava, rotunda, ſuperiùs in ltas partes diducta.

Fructus ovi figurâ eſt, & plus minùs magnitudine, triangularibus eminentiis conſpicuus, cute te- s inſtar corticis Mali Aurantii, internè & externè colore elegantiſſimo ceu laccæ & cinnabrii xto. Caro interior alba, ſucculenta, ſaporoſa, *ſeminibus* nigris, ſplendentibus referta, quæ ſimul n pulpa comeduntur.

Præterquam quòd ob delectabilem fructuum fragrantiam & ob ſuccum ex acido dulcem, ab æſtu- ibus expetuntur, febricitantibus imprimis & bilioſis conveniunt recentes, quòd grato acore pala- n afficiant, & ſitim ſedent, cor ac ventriculum mirè reficiunt. Succus denique ex hac planta ractus febribus ex bile ortis medetur.

3. *Jamacaru ſeu Ficus Indica* 2. Piſonis, *prima* Marcgrav.

Frutex eſt arboreſcens, mediocris magnitudinis, *caudice* tereti, griſeo & ſtellatis aculeis obſito: eriores rami deorſum propendent, quorum exortus ſunt longi proceſſus, teretes, ſtellatim acule- ut caudex. His ramis versùs exteriora inſident *folia* Tunæ modo, ovalia, compreſſa in ambitu leis ſingulatim poſitis. In ſuperficie utrâq; foliorum eminent tubercula quædam: color autem ra- rum illorum & foliorum viridis eſt. Fert *florem* albicantem, qui ex illis tuberculis foliorum enaſcitur,

ſcitur, & in multa ſtaminula deſinit. *Fructus* haud multum à præcedente differt ſed minor, cæterùm guſtu & dignitate illi par.

4. *Jamacaru.* III Piſonis. 2. Marcgrav.

Arbor eſt magna & procera admodum, *Caxabu* etiam Braſilienſibus dicta. Primùm erumpit è terra folio uno octangulo, cujus anguli teretes ſunt, æqualis omnes craſſitiei, quaſi exſculpti eſſent, ordine ſpinulis in ſtellulæ modum poſitis armati, & inter quaſlibet duas tales ſtellulas tranſverſalis quædam lineola eminet. Huic folio alia plura Tunæ more adnaſcuntur, in altum erecta, brachium craſſa, quodlibet ab uno ad ſex pedes longum. Succeſſu autem temporis folium inferius corticem griſeum acquirit, ac in caudicem lignoſum & craſſum abit, ſpongioſum tamen & facilè cæduum. *Folia* verò quæ caudici proxima, ramorum vicem ſubeunt; cætera foliorum. Caudex vetus, & ramoſa illa folia ſpinas deniq; amittunt. *Flos* caudici huic ſolitarius provenit, albus, magnus, ſequitur fructus ovo anſerino duplo major, ovalis figuræ, exteriùs obſcurè ruber, qui comeditur éſtq; grati ſaporis & refrigerantis qualitatis.

5. *Jamacaru* IV. Piſonis *tertiæ ſecunda ſpecies* Marcgrav.

Teretibus eſt ramis & nodoſis, ad quos nodos ſunt ſpinæ ut in cæteris. Trunco eſt admodum ſpinoſo, eóq; rectiſſimo, verè Pinum diceres, ſi altitudinem & rectitudinem conſideres, verùm in cæteris differt, quòd foliis potiùs ſe invicem protrudentibus quàm ramis in arboris ſummitate decoratur, quæ rotunditate & craſſitie palmam, longiſſimis ſpinis digitos manûs æmulantur. Fructus Auctori non innotuit. Caudicis medulla eſt Sambucinâ facilè mollior, quæ ſecta arbore continuò exſiccatur, abítq; in leviſſimum pulverem, qui decidit, móxque ablato ſpinoſo cortice relinquitur ſcapus concavus, arundine levior, miris cancellis, quaſi ex arte fabricatus: qui ſi ab igne accendatur, flammam luculenter fovet, facíſque loco Auctori iter facienti de nocte inſerviebat.

Varietates Ficus Indicæ ſeu Opuntiæ in Horto Leydenſi cultas ſic diſtinguit clariſſimus *Hermannus*. 1. Opuntia major folio ſpinis longiſſimis & validiſſimis armato. 2. Eadem folio minori rotundiori & compreſſiori. 3. Opuntia maxima folio ſpinoſo latiſſimo & longiſſimo. 4. Eadem folio ſpinoſo longiſſimo & anguſto. 5. Eadem folio oblongo media. 6. Ficus Indica minima folio ſubrotundo. Hiſce addi poſſunt Opuntiæ læves ſeu non ſpinoſæ, aliæque varietates à flore & fructu deſumptæ. Vide Cap. primum ſeu Ficus Indicæ primæ Hiſtoriam. Ab Amico quodam admonitus ſum aliam ſpeciem in horto non procul à Londino inveniri folio triangulari enſiformi (profundè canaliculato) ſtellatim aculeato.

6. *Jamacaru* V. *Piſonis*, 4. Marcgrav. Nocheznopalli Hernandez. *in quo Coccus Indicus naſcitur.*

E radicibus tenuibus, in terra haud profundè latentibus naſcuntur triangularia aut etiam quadrata *folia*, viridia, unum, duos, tres, quatuórve pedes longa, quibus alia hinc inde adnaſcuntur ut in Ficu Indica: quodlibet eorum latus duos, tres, vel quatuor digitos latum, ſúntque duplo craſſiora quàm *Jamacaru* quæ fruticibus & arboribus adnaſcitur, ſed illius longiora ſunt: in anguloſis extremitatibus aculeis munita, unum, duos, tréſve digitos longis, flaveſcentis ſeu lignei coloris, ſex, ſeptem vel octo inæqualis magnitudinis juxta ſe poſitis. *Florem* fert ut præcedentis, ſed minorem. *Fructus* figuræ oblongæ, tres circiter digitos longus, quatuor in ambitu craſſus, conſtans cute craſſa, ſucculenta, egregiè rubra, compreſſa per longitudinem facilè finditur & detrahi poteſt, continétque pulpam albam, ſucculentam, friabilem, & quaſi in multos globulos conglobatam: hæc multis ſeminibus nigris, ſplendentibus permixta eſt, Aquilegiæ ſimilibus ſed minoribus. Pulpa cum ſeminibus comeditur, éſtq; boni ſaporis, dulcis, Ficum vulgarem ſuperans.

Vires. Succus è cortice rubro expreſſus acidi adſtringentis ſaporis eſt, ut ſuccus Ribium immaturorum. Folia autem hujus plantæ ſucculenta ſunt, & ſuccum dant herboſi ſaporis ſeu Braſſicæ ſimilem, qui ſi amarus eſſet, planta hæc Euphorbium eſſet: nam per omnia convenit cum ejus deſcriptione. *Euphorbium verum alia & diverſa eſt planta, quæ ab Horti Malabarici auctoribus deſcribitur & depingitur ſub nomine* **Schadida Calli.**

Hæc ſpecies Tunæ in Nova Hiſpania profert Cochinillam, quæ tamen hic locorum ſedulò indagantibus nunquam apparuit. *Piſo.*

7. *Jamacaru* VI. Piſon. *Braſilienſibus etiam Urumbeba dicta.*

Caudice eſt recto, ſolido, ſpinis validis, inordinatè poſitis armato; cui in ſummitate *multa folia* craſſa, ſpinis horrida, palmæ figurâ, ramorum vicem ſubeuntia adnaſcuntur.

Locus. In deſertis mediterraneis tantùm reperitur.

Icon genuinam Ficûs Indicæ ſpeciem non demonſtrat, ut neq; deſcriptio nimis brevis & ſuccincta.

Temperamentum. Omnes *Jamacaru* ſpecies frigidas & humidas, licèt gradu differentes, comperi, exceptis granis quæ ſunt ſicca & adſtringentia. Quamobrem gummi quod ex illis deſtillat, fructus, folia, radices febribus aliíſque malis ex intemperie calida natis ſive aſſumpta, ſive extus admota medentur.

8. *Ficoides ſeu Ficus Americana Cerei effigie ſpinoſa & anguloſa* Hermanni Hort. Lugd. Bat. *Cereus Peruanus ſpinoſus, fructu rubro Nucis magnitudine* C. B. An noſtratibus, **The prickly Torch-plant.**

Hæc ſuperiùs Lib. 17. cap. 6. pro Euphorbii ſpecie deſcripta eſt. Verùm rectiùs puto à D. Hermanno ad Ficus Indicas refertur.

Idem Euphorbium Dodonæi ab hac planta diſtinguit, cum qua Bodæus à Stapel eam miſcuerat.

Idem Euphorbium *Dod.* pro ipſiſſima planta ex qua Euphorbium Officinarum proponit, contra ſententiam & aſſertionem D. Commelini, quem nos ſequuti Schadida Calli *H. M.* pro Euphorbii planta tradidimus, nimis ut videtur ſecuré.

Altera varietas Cerei Americani in Horto Chelſeano propè Londinum à D. *Watſio* colitur. Hæc planta ſicut Tuna ſeu Opuntia plurimas varietates ſeu diſtinctas ſpecies producere ſolet.

Ficoides ſeu Cereus anguloſior & ſpinoſior in Hort. Leyd. reperitur.

9. *Melo carduus echinatus Penæ & Lobelii* Ger. *Melocarduus Americanus* Park. *Melocactus Indiæ Occidentalis* C. B. *Echino-melocactos* J. B. Ad. Lob. Cluſ. *Pomum ſpinoſum Opuntiatum* Munting. *Ficoides Occidentale ſpinoſum Melonis facie ſulcis rectis* Hermanni.

Planta hujus generis mediocris quam deſcripſit Cluſius, 12 uncias longa erat, infimæ partis terræ inſidentis ambitus 25 unciarum à qua in metam aſſurgebat, 16 profundis ſulcis, totidémque elatioribus coſtis prædita, quarum ſingula novem tomentoſa tubercula habebant, è quibus decuſſatim acutiſſimæ firmiſſimæque & tanquam corneæ decem ſpinæ, unciam utplurimum longæ, interdum etiam ampliores prodibant, inter quas binæ, (in majoribus ternæ, in minoribus ſingulares) ſurrectæ erant: eæ autem ſeſſili parte plantæ, quâ viz. ſupra terram incubuerat, & veluti fornicis inſtar curva erat fuſcæ & nigricantes, media parte ex ſpadiceo candicantes, ſuperna cineracei coloris, cuſpides verò purpuraſcentes. Summa parte plantæ (quæ foliorum expers erat, & radice tantùm nitebatur) denſiſſimum tomentum emicabat ad unciæ altitudinem, trium verò latitudinem in diametro, cineracei coloris, exterior ejus pars viridis erat, qualis ferè foliorum Tunæ, parte tamen terræ proximâ in albo palleſcebat: interna pars ſive pulpa candida, ſpiſſa & adeò lenta, ut in tenuiſſimas etiam laminas ſecta & digitis extenſa vix frangi poſſet, Cucurbitæ quodammodo ſaporem referens: Pulpæ meditullium & ipſum cor minùs album erat, nullámque cavitatem habebat: ſuprema autem pulpæ pars, cui tomentum inhærebat nonnihil purpuraſcebat: ipſum verò tomentum tenuiſſimum inſtar lapidis Amianti, & candidiſſimum erat, in quo latebant multæ exiles ſpinulæ purpureæ, quæ ſupra tomentum ſe exſerentes, rigidiuſculæ erant. Ab extima pulpa rari quidam prodibant in tomento latentes folliculi membranacei, ſive vaginæ, coloris ſanguinei elegantiſſimi & floridi, unciam longi, ſuperna parte craſſiuſculi, infima aqua videlicet pulpæ adhæſerant anguſti & tenues, leni ſemine exili, nigro & ſplendente, inſtar ſeminis Amaranthi purpurei: Summo horum folliculorum capiti inhærebat oblongum quidpiam tanquam floſculi rudimentum, quod ſupra tomentum caput extuliſſe videbatur. Radices craſſiuſculas, longas, lentas & fibroſas, inſuper alias in ambitu minores adhuc retinebat, ex infima ſede productas.

In inſula Maio appellata & vicinis circa maris litus erutæ fuere. *Locus.*

Abrahamus Muntingius in Herbario Belgico exactiorem exhibet hujus plantæ tum iconem, tum eſcriptionem. In icone repræſentatur fructus Tunæ formâ ſupra tomentum eminens cum flore inſidente: quid deſcriptio oportet novi, cùm Belgicam linguam non calleam, me latet; interim deeſt tomentum.

Sunt & aliæ præter dictam hujus fruticis ſeu ſpecies ſeu varietates, quemadmodum Ficus Indicæ; Horto quodam Hollandiæ, & in illo Reverendiſſimi Epiſcopi Londinenſis D. *Compton* apud *Fulm* (plantarum & ingenuarum artium Mecænatis in æternum celebrandi) Echinomelocacti altem varietatem cultam obſervavit D. *Tancredus Robinſon.* Sulcis ſeu canaliculis, rectis, & obliquis inis, flore, tomento, fructuque variat, quoàd ſitum, figuram, magnitudinem, colorem, ſapom, &c.

Cap. XIII.

De Roſa.

Roſa à Græco ῥόδον fit, δ in ſ mutato. Ῥόδον autem, ſi Etymologum audimus, nomen habet ab ὄζω, quaſi ὄδον, & κατὰ πρόθεσιν ῥόδον. Ita autem dici ait κατ' ἀντίφρασιν, quia εὔοσμον, quaſi ὄζω non dicatur etiam de bono ac grato odore. Plutarchus meliùs, lib. 3. Συμποσ. cap. ult. ubi ibit itâ vocari, quia ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδωδῆς ἀφίησι. Cenſet ergo Plutarchus fieri à ῥέω & ὀδμῆς quia fluit ea odor gratus. Voſſius putat integrum eſſe βρόδον, quomodo Æoles pro ῥόδον dicunt. Βρόδον verò i cenſet κατὰ μετάθεσιν pro Βόρδον ſeu Βάρδον, idque à Chaldaico ורדא hoc eſt *Roſa.* *Voſſ. Ety- log.*

Roſam omnem initio candidam fuiſſe fabulantur Poetæ & Turcæ, illi ex ſanguine Dei alicujus, Veneris, ſeu Cupidinis, tinctam erubuiſſe; hi ex ſudore Mahumetis rubedinem contraxiſſe ſibi ſuadent, ac propterea ejus folia humi jacere non patiuntur.

Cæterùm Roſa tum ob venuſtatem & amplitudinem floris, tum ob ejuſdem fragrantiam, omnibus ſeculis, omnibus terris ſummo in honore & pretio habita eſt, omnibúſque floribus & odoribus prælata.

Roſam Pomiferis accenſuimus; quoniam fructus in nonnullis Pomi magnitudinem aſſequitur, in omnibus figurâ potiùs ad Pomum accedit, quam ad Baccam.

Roſam in genere ſic deſcribit J. Bauhinus, Eſt (inquit) frutex infirmus, Cæſ. & citò ſeneſcens niſi recidatur, ut cum ſuffruticibus ambigere videatur, ramis aut potiùs virgis duris, lignoſis, & utplurimum hiſpidis mordacibúſque aculeis horrentibus, non rectis, ſed modicè recurvis, frequentibus, foliis ſubrotundis, aſperis, per ambitum ſerratis, quinq; & ſeptem ex uno nervo ſive pediculo cohærentibus, ſibi invicem oppoſitis, ſupremo ſingulari: *floribus* primùm herbaceo incluſis calyce, qui tumeſcentes in virides alabaſtros faſtigiantur, quibus dehiſcentibus *flores* panduntur (vel ſimplices, vel multiplices) in calycis ſui medio *ſtamina* quædam capillacea, luteis *apicibus* donata complexi: ſemine in oblongis capitulis, quæ calycibus & floribus ſubſunt, per maturitatem rubentibus, & in quibuſdam nigricantibus, duro, lanugine involuto: *radicibus* duris lignoſis, in diverſa tendentibus, ſtolones crebros emittentibus.

Porro Roſæ partes Medici numerant octo. 1. Capitulum illud ſolidum, lanugine quadam refertum, floribus ſubſtratum, ceu baſin totam Roſam ſuſtinens, Calyx vocatum, *quo nomine tamen globus roſæ totus nondum apertus ſed adhuc connivens dicitur.* 2. Cortex, [rectiùs Calyx] apertâ roſâ in quinque pinnulas ſeu lacinias diviſus, Alabaſtros quibuſdam dictos; Harum duæ barbatulæ ſunt, duæ imberbes, quinta ab uno latere barbata, ab altera minimé. 3. Floris medium illud croceum, quod capillamentis inſidet, *Anthera* Offic. [apices.] 4. *Capillamenta* Anthera ſeu apices ſuſtentantia. 5. *Folium, πέταλον,* cujus 6. Ima pars candida *unguis* appellatur. 7. Lana in capite contenta. 8. Semen lanugine incluſum. Cortex cum lana & ſeminibus incluſis Fructus rectè dicitur, quarum maturitas tum ex colore ruffo, tum ex mollitie æſtimatur.

1. *Roſa rubra* Ger. C. B. *rubra, flore valde plēno, & ſemipleno, & ſimplici fere* J. B. *Roſa rubra Anglica* Park. parad. **The red Roſe.**

J. B.

Roſæ rubræ frutex minor eſt quàm albæ aut rubellæ, virgæ non ità craſſæ, ſpinæ multo rariores & minores, nec ità mordaces; aliqui rami etiam ſine ſpinis: *folia* ex longiuſculo pediculo, cui in principio velut auriculæ, foliola ſunt terna vel quina, [plerunq; quina *Park.*] utrinque glabra, ſupernè magis virentia, ſubrotunda. *Flores* ſive Roſæ rubræ, magnæ, quædam plenæ admodum, coloris intenſè rubri ſive purpurei, quædam paucifoliæ, odoratæ omnes & potiſſimùm ſiccæ. Flores ſequuntur *fructus* ſive capitula ſublonga, rubra ubi matura.

Flores colore plurimùm variant; alii colore ſunt intenſè rubro ſanguineóve ſeu in rubro nigricante, plenæ admodum, foliis omnium Roſarum ampliſſimis; alii pallidiores ſunt & ad Damaſcenarum dictarum colorem accedentes: alii adhuc dilutiores Roſæ caninæ ferè colore; omnibus tamen folia ſeu petala ampliora ſunt quàm Roſæ Damaſcenæ vulg. *apices* etiam crocei in medio multò plures Odoris gratiâ & ſuavitate quamvis Roſam albam ſuperat, Damaſcenæ neutiquam conferenda eſt. [Odor quamvis ſatis validus eſt, nobis non admodum gratus videtur] Folia probe exſiccata & repoſita tum colorem, tum odorem diutiùs retinent quàm Damaſcenæ folia, quantalibet curâ & diligentiâ aſſervata.

C. Bauhinus huc refert, 1. Roſam Mileſiacam flore ſimplici rubro, vulgo Roſafina. 2. Roſ. ex rubro nigricante flore pleno. 3. Roſam Mileſiam flore ſimplici rubro. 4. Roſam rubicundam Saccharinam dictam, Græculam Plinii. *Cam.*

Ebrodunenſis hiſtoriæ auctores huc etiam referunt Roſam rubram pallidiorem *C. B.* item Roſam ſaturatiùs rubentem *ejuſdem.* Verùm utramque erroneé: Poſterior enim eſt Roſa 1. Præneſtinæ ſimilis *Cluſ.* quam & ipſi diſtinctam ſpeciem paulò poſt faciunt: Si autem per priorem intelligat Roſam holoſericeam dictam, nos eam pro diverſa ſpecie habemus.

2. *Roſa Damaſcena* Ger. Park. *Sativa* IV. *ſive purpurea* C. B. *rubello flore majore multiplicato ſive pleno, incarnata vulgo* J. B. **The Damask Roſe.** *Cluſio Præneſtina dicitur.*

Roſæ hæ fruticis ſunt prealti ut albæ, ſpinoſiores tamen iis multó. Ejus rami abundant ſpinis aduncis & mordacibus. Folia non virent ut in rubra, nec polita ſunt ut in alba, terna, quina aut etiam ſeptena, pænè rotunda. *Flores* multi ſimul, ex longis pediculis hiſpidis, calyce etiam hiſpido, magni, pleni, incarnati, odoratiores dum virent rubris & albis, imò omnium non dico Roſarum, ſed florum in genere longè odoratiſſimi, ut quæ halitu ſuo ſuaviſſimo ſenſum mirificè oblectant, citra ullam omnino offenſionem aut ſatietatem.

Damaſcenæ dicuntur quoniam ex Damaſco Syriæ urbe advectæ creduntur. Per totam autem propemodum Europam in uſu frequentiſſimo ſunt ad Syrupum ex multiplici earum infuſione parandum.

Hyemes noſtras etiam aſperrimas facilè tolerant.

Roſa verſicolor.

Roſæ cujuſdam meminit Cluſius, cujus flos multò dilutior erat, Præneſtina, & ferè albicans, perindè tamen magnus & plenus, in quo nonnulla etiam folia obſervavit media ex parte candicantia, altera purpuraſcentia, vel ſimilis coloris venis aſperſa.

Alterius [aut ejuſdem] Præneſtinæ ſimilis forma & magnitudine, quæ ut plurimum dimidia ex parte candida folia haberet, reliquâ rubra, aut tertia duntaxat ex parte alba, vel nunc integra alba, modò integra rubra inter ſe commixta conſpiciantur.

3. *Roſa Provincialis rubra* Park. parad. *rubra flore valdè pleno* J. B.

Hanc J. Bauhinus in urbe *Provins* Galliæ ſe vidiſſe ſcribit valdè plenam & rubram, quæ in va- as Galliæ partes exſiccata diſtribuitur, quia valdè odorata. Ex hac conſerva ſicca ubique paratur. uic *flos* denſiſſimis farctus foliis multò minoribus quàm in vulgari rubra, odoratior etiam quàm illi. alyx ſpinulis horret. *Folia* duûm ordinum, duo ſemper ſibi ex adverſo oppoſita ſunt, quintum rò in ſummitate medium inter ordines locum occupat, omnia in circuitu ſerrata, glabra, ſupernè ridia, infernè caneſcentia.

Frutex ipſe paulò minor eſt quàm Roſæ Provincialis Damaſcenæ, cortice viridiore, nec adeò ru- nte. Folia magnitudine paria: Flores paulò minores, petalis non uſque adeo confertis & nume- ſis, colore minùs ſaturo quàm in Rubrarum optimo genere.

4. *Roſa rubra humilis ſive pumilio* Park. parad.

Roſâ rubra vulgari minor eſt & humilior, alioquin ei non ità diſſimilis, ſpinulis pauciſſimis vel ullis. *Flores* multiplicibus confertis, arctè ſtipatis foliis conſtant, minores, minúſque expanſi & tuli quàm rubræ vulgaris, petalis adeò æqualibus ac ſi forfice reſecti eſſent; colore rubro minùs turo quàm Roſæ rubræ Provincialis, odore languidiore rubræ vulgaris.

5. *Roſa holoſericea ſimplex & multiplex* Park. *R. rubra pallidior* C. B.

Virgæ hujus vetuſtiores cortice obſcuro ſeu nigricante teguntur, ſtolones novelli viridi obſcuro, uciſſimis vel nullis omnino ſpinis muniti. *Folia* ſaturatiùs virent quàm in aliis pleriſque Roſis, ptem plerunque eidem coſtæ ſeu pediculo communi adnexa, cùm in aliis plurimùm quinque dun- xat obſerventur. Flos aliàs ſimplici quinque petalorum latorum ſerie, cum multis in medio apici- s croceis conſtat; aliàs duplici, exterioribus latioribus & majoribus, interioribus minoribus, colore bro ſaturo ſeu ſanguineo, holoſericum cremeſinum dictum referente: interdum etiam flos magis ltiplex eſt, ſedecim aut pluribus foliis compoſitus, magnitudine ferè æqualibus. Omnes odore in- miore quàm Roſa vulgaris rubra.

Hæc C. Bauhino roſa rubra vulgari minùs rubet & flore ſimplici plerunque eſt, & foliis latiſſimis, jus frutex ſpinis communiter caret.

6. *Roſa pumila Pannonica flore rubello* J. B. *Sylv.* 14. *ſeu pumila rubens* C. B. *pumila rubra Auſtriaca* Park.

Pedales atque aliquando cubitales etiam ex eadem radice profert virgas, virides, lentas, infernè ucis, ſupernè multis ſpinis rigentes; foliorum alas rubræ ſimillimas, quinque aut ſeptem foliis, ſu- rnè viridibus, infernè candicantibus conſtantes: ſummis virgis & ramulis innaſcuntur ſatis magni lyces, ſive alabaſtri, hirti barbatíque, quales in Roſis rubris ſimplici foliorum ordine conſtantibus; quibus deinde ſeſe explicant magnæ, non omnino odoris expertes roſæ, pentapetalæ, initio rubræ, inde paulatim remittente & evaneſcente rubedine, carnei fere coloris, multis luteis ſtaminibus ris umbilicum, quemadmodum in aliis Roſis occupantibus. *Fructus* ruber, rotundus, omnium ximus, & Pyri in modum turbinatus, fulveſcente pulpa, inæqualia alba *ſemina* continet.

Floret paſſim in cæduis ſylvis, aliarum ſylvarum marginibus, ſublimioribus & deſertis agris per ſtriam inferiorem & univerſam Pannoniam Junio: Fructus matureſcit Auguſto.

Locus & Tempus.

Hæc eadem videtur Roſæ verſicolori *Park. parad.* quam Anglicè, **The York and Lancaſter oſe** vocant: *eſt* autem Roſæ Damaſcenæ varietas potiùs quàm ſpecies diſtincta. Odor Damaſce- remiſſior.

Nec diverſa videtur Roſa cryſtallina *Parkinſ. parad.* quæ non aliter à præcedente differt quàm lore virgarum in flore pallente ſaturatiore ſeu intenſiùs incarnato.

Roſa cryſtallina.

7. *Roſa Provincialis ſive Hollandica Damaſcena* Park. parad. *Hollandica ſive Batava* Ger. *maxima multiplex* C. B. *Hollandica rubella plena, quibuſdam centifolia ſpinoſo frutice* J. B. **The Damaſk Province Roſe.**

Ad ſtaturam & magnitudinem Damaſcenæ æmulam aſſurgit; cortice rubente tum à Damaſcenæ tice, tum ab aliis Roſis facilè diſcernitur. Folia etiam majora & rubicundiora aliis. Roſæ co- e incarnato cùm Damaſcenis conveniunt, duplo triplóve majores, foliis numeroſiſſimis densè ſti- is compoſitæ, extrinſecus majoribus, intrinſecus puſillis, ſtaminum locum explentibus, & in ipſum ycem reflexis, adeò ut *ſtamina & apices*, ſiquos habeat, vix compareant. Odor Damaſcenæ ad am nonnihil accedens, Damaſcenæ certè longè inferior, non tamen ingratus. Variat interdum e albo *C. B.*

Antequam plene explicatur flos admodum concinnus, venuſtus & ſpecioſus eſt.

A Galliæ urbe *Provins*, in cujus agro provenit, neſcio an ſponte, an aliunde tranſlata, nomen epit. Videtur equidem ſpecies Roſæ diſtincta, verùm de eo mihi non certò conſtat, cùm repe- tur ejuſmodi & rubræ, & albæ, & luteæ, cúmque ſtamina & apices in flore nondum obſervave- . Forte arte aliqua & mangonio talis initio effecta eſt.

Hujus varietatem obſervavit Cluſius, priore aliquanto minus, hoc eſt, mediæ inter Præneſtinam centifoliam magnitudinis, alioqui colore, odore & formà conveniens, quæ Roſa centifolia Bata- a altera *J. B.* multiplex media *C. B.*

8. *Roſa ſine ſpinis, flore majore* C. B. *ſine ſpinis* Ger. *ſine ſpinis ſimplex & multiplex* Park. *Roſa acanthos, flore pleno, coloris rubelli* J. B.

Cluſ.

Multis ſtatim à radice aſſurgit virgis, humanam altitudinem interdum æquantibus [Roſæ intensè rubeſcentis altitudine, figura & effigie *J. B.*] Si fertili ſolo & loco umbroſo pangatur, utplurimum verò longè infra eam magnitudinem, & cubitalibus duntaxat aut ſeſquicubitalibus, lævibus, & ſine ſpinis, viridibus, flexuoſis, in varios ramos diductis; [quarum tamen ſummi propter floris calycem, & folia ſurculi horridiuſculi ſunt, ex denſiſſima apicularum nigrarum & aſperiuſcularum congerie *J. B.*] *Folia* habet alata, hoc eſt ternis aut quinis uni coſtæ (quæ ſubaſpera eſt) inhærentibus, binis ſemper inter ſe oppoſitis, extremo impari ſatis amplo conſtantia, fuſca viriditate ſupernè nitentia, infernè caneſcentia. Extremis ramis inſident *flores*, oblongis hirſutíſque pediculis inhærentes, multiplici foliorum numero conſtantes, Præneſtinis [Damaſcenis] majores, medii inter illas & rubras coloris [quem ornat varia vagáque venarum purpuraſcentium delineatio, ſubtus verò folia ex incarnato candicant omnia *J. B.*] jucundi odoris: *fructus* brevis craſſus, pæne orbicularis, maturitate rubens: inæquale ſemen lanugine involutum continet. *Radix* repens, lignoſa, dura, aliarum inſtar.

Aliud genus Roſæ ſine ſpinis invenitur, non valdè diſſimilibus virgis, quod minores & rariore foliorum texturâ conſtantes flores profert, colore pæne fæcum vini rubri, quod C. Bauhino Roſa ſine ſpinis flore minore: J. Bauhino R. ſine ſpinis colore pæne fæcum vini rubri.

Florent hæ cum reliquis menſe Junio.

9. *Roſæ rubellæ ſive incarnatæ ſimilis* J. B. *Roſa prima Præneſtinæ ſimilis* Cluſ. hiſt. C. B.

Præneſtinæ, quam vulgus Provincialem vocat, valdè ſimilis eſt [Roſa prior Cluſii præter vulgares] nec illa minùs altè aſſurgit: in ſolo flore diſcrimen eſt, qui circiter quadragenis aut pluribus foliis, paulo amplioribus & ſaturatiùs nonnihil rubentibus conſtat, multis ſtaminibus flavis umbilicum occupantibus, alabaſtróque multò craſſiore ac breviore: odor minùs ſuavis & albæ ferè proximus.

Locus & Tempus. Valdè frequens eſt Viennenſibus hortis & totâ Auſtriâ, nullius tamen apud illos uſûs, quàm ad eliciendam aquam ſtillatitiam. Floret cum cæteris Junio, interdum etiam Maio.

10. *Roſa folio criſpo rubello ſeu incarnato* J. B. *Roſa folio ſubrotundo & criſpo* C. B.

Roſæ Damaſcenæ varietas eſſe videtur, cùm non aliter ab ea differat quàm folio ſubrotundo & criſpo, flore rubello ſive incarnato.

11. *Roſa ſylveſtris rubella parvo frutice* J. B. *An Roſa ſylv. odoratiſſimo rubro flore* C. B? *Roſæ ſylv. tertium genus* Trag?

J. B.

Hujus frutex parvus eſt, cubitalis utplurimùm, formâ ſimilis Roſæ intensè rubræ, curvis nonnunquam ſpinis, ſed raris: foliis ut in illa quinquepartitis, rariùs in ſeptem foliola diſtributis, ſerratis, glabris, ſupernæ parte obſcuriùs virentibus, denique ejuſdem ferè & coloris & formæ, ſed rotundioribus & minoribus; flore non parvo, coloris rubelli ſive incarnati, ut vocant, quinquefolio, jucundiſſimi odoris, cui ſuccedit capitulum cum pediculo inſipido.

Locus. In collibus circa Genevam, v. g. *la Baſtie, Champe*, &c. obſervavimus Junio florentem.

12. *Roſa rubello flore parvo ſimplici, non ſpinoſa* J. B. *ſylv. minor rubello flore* C. B. *quæ vulgò à menſe Maio Maialis dicitur.*

J. B.

Mitior hæc nullis horret ſpinis, pediculo duntaxat floris nonnihil aſpero: foliorum autem glabrorum conjugationes præter extremum impar tres ſunt vel quatuor, ſerratorum, ſuperiùs virentium, inferiùs albicantium, glabrorum: *roſæ* ſunt parvæ, quinquefoliæ, odoratæ, coloris rubelli. *Fructus* rotundus, parvo Meſpilo paulò minor, per maturitatem rubens, grana tomento involuta continet. In hortis ſæpe altitudinem hominis excedit.

Locus. In montibus propè Genevam ſponte provenit, nobis & J. B. obſervantibus. Ad radicem montis Albii prope Tigurum *Geſn.* Colitur etiam in hortis.

A. 13. *Roſa ſylveſtris inodora ſive canina* Park. *canina inodora* Ger. *ſylv. vulgaris, flore odorato incarnato* C. B. *ſylv. alba cum rubore, folio glabro* J. B. **The common wild Bri**[illegible] **or Dogs Roſe.** *Cynoſbatos & Cynorrhodos Officinarum, quibuſdam* **the Hep-tree.**

J. B.

In magnos hæc excreſcit frutices, magnis armatos ſpinis. *Folia* ſunt ſatis magna, utrinque gla[illegible]bra: *Flores* ſimplices, quinquefolii, albi cum aliquo rubore, in medio *ſtamina* lutea. Succedunt ca[illegible]pita longa, primum viridia, deinde Coralli modo rubra, quæ ubi planè matura mollia redduntur, ſapidi guſtûs cum aliqua aciditate: à pilis quibus ſemina involuta ſunt inter edendum cavendum. In hujus virgis ſpongiolæ villoſæ ſæpe viſuntur.

Locus. In ſepibus paſſim invenitur, omnibus in terris.

Ab hac ego ſpecie diverſam non puto

A. 13. ***Roſam ſylveſtrem odoram*** Ger. *ſylv. foliis odoratis* C. B. *foliis odoratis Eglentinam dictam* J. B. *ſylv. odoram ſive Eglenteriam flore ſimplici* Park. **The ſweet Briar.**

Non alia quippe in re quàm foliorum odore ab ea differt: neque in ejus deſcriptione Botanici qui
erſam velint conſentiunt, aut notas diſtinctionis certas adferunt. Cúmque inter alias Roſas ca-
nas hujus generis una vel altera ſparſim & rariùs in ſepibus occurrat, & nunquam plures ſimul,
riſimile eſt has ab earum ſemine naſci. His adde quòd Roſa Eglenteria tranſplantando interdum
generet & odorem amittat, ut obſervârunt Geſnerus & Lobelius.

Nobis ſuffragatur Turnerus, inquiens, Ego hanc nihil aliud quàm ſuaveolentem Cynosbati ſpe-
m exiſtimo.

Ab hac non aliter quàm flore multiplici ſeu pleno differt Roſa Eglentina flore pleno *J. B.* ſylv.
re pleno ſeu multiplici C. B. & aliorum.

Roſæ ſylveſtris flore odorato incarnato varietatem obſervavit nobiſque oſtendit *D. Dale*, quam &
s quoque dudum obſervâſſe meminimus pomo ſpinulis ſed rarioribus obſito, rotundiore quàm Cy-
rrhodi vulgaris & hilariùs rubente, quódque barbulas ſeu calycis radios non abjicit, quemadmo-
n vulgaris Cynorrhodi pomum, ſed in hyemem uſque retinet donec fructus matureſcunt.

A. 14. ***Roſa ſylveſtris altera flore albo noſtras.*** *Roſa ſylv. folio glabro, flore planè albo* J. B. *An Roſæ ſylv.* 4. *ſpecies* Trag? *i. e. Roſa ſylveſtris* 17. *ſeu arvenſis candida* C. B? *An Roſa canina humilior fructu rotundiori* D. Plot.

Differt à vulgari Roſa canina virgis gracilioribus, ſpinis rarioribus & multò minoribus obſitis; flo-
s albis, longioribus pediculis inſidentibus, pluribúſque ſimul in umbellæ formam ſe componenti-
; fructu minore & rotundiore: foliis minoribus & ad Roſæ pimpinellæ formam quodammodo
edentibus. Planta tota minor eſt & humilior Cynorrhodo vulgari. In ſepibus frequens eſt.

Bauhinus Roſam ſuam ſylveſtrem folio glabro ſic deſcribit, Floribus eſt multis ſimul junctis,
æ moſchatæ in modum, majoribus, omnino albis, odoratiſſimis, calycibus eorúmq; pediculis ru-
ibus: foliis ſeptenis, planè glabris, Roſæ ſylv. albæ ſimilibus. Non ità in altum excreſcit, nec
obuſtos profert ramos ut Roſa ſylv. vulgaris, ſed multùm ſerpens, ramis quibuſdam parùm ſpi-
s. Floret Junio & Julio, paulò tardiùs quàm reliquæ ſylveſtres.

Roſa ſylveſtris *Cæſalp.* virgis humilioribus & minùs ſpinoſis, floribus albis, nobis eadem cum hac
ra videtur. C. Bauhinus ad Roſam humilem flore albo Cluſii refert, minùs rectè noſtrâ ſen-
iâ: diverſam enim ſpeciem putamus. Videndum quid differat ab hac Roſa campeſtris repens
C. B. pumila campeſtris alba *Park.*

Cynosbati flores qualitatibus convenire videntur cum Roſis ſativis, ſed majorem vim adſtringendi
nt, proinde in profluvio uteri rubro & albo ſummæ ſunt æſtimationis.

Vires.

ructus vi lithontriptica maximè commendantur, in qua tamen excellunt exempti arilli. *Schrod.*

ulvis iſte in Antheris Cynosbati reperibilis, crocei coloris & ſummè volatilis, eſt genuinum ſul-
r vegetabile ab Archæo ſublimatum, egregiis dotatum poteſtatibus: cui conſanguinei ſunt pul-
s, viz. Alcool ex Julis Coryli, ſummitatibus Pini, muſco terreſtri clavato, & in Antheris Lilio-
alborum. Habent egregiam vim anodynam, ſoporiferam, cardiacam. *Hagendornius Cynosba-*
p. 48. idem tradit *Wedelius de ſulphure plantarum.* Ego in phthiſicis & convulſivis affectibus,
hreneſi, & doloribus leniendis utiles eſſe exiſtimo. *D. Tancred. Robinſon.*

acinis ſeu ſeminibus Cynosbati reperitur oleoſa & balſamica ſubſtantia, egregiæ efficaciæ in
iaſi; flammam citò concipit, & continet ipſam eſſentiam plantæ. *Hagendorn. Cynosbatolog.* p. 70.
Hydropici pro deſperatis habiti ad integram valetudinem reſtituti ſunt à diuturno uſu decoct.
uum Cynosbati integris cum arillis in vino. Hagendorn. Cynosbatol. p. 154. Idem affirmatur
is floribus à Wedelio.

Hujus poma cum maturuerunt pulpam continent ſaporis cum aciditate grati, ad appetitum exci-
um & æſtum febrilem compeſcendum perutilem.

x hac pulpa cum Saccharo Officinæ noſtræ Conſervam parant, non modò ad febriles æſtus,
& ad Scorbuticos affectus calidiores utiliſſimam: ventrem etiam leniter aſtringit, & defluxiones
, ut taceam palato admodum gratam eſſe, ventriculo acceptam, & concoctionem promovere.

x hac etiam pulpa bellaria & ſcitamenta multa, parare norunt coci & matronæ honeſtæ ad
as ſecundas inſtruendas.

ſanabilis ad hoſce annos (inquit * Plinius) fuit rabidi canis morſus, pavorem aquæ potûſque
is afferens odium. Nuper cujuſdam militantis in prætorio mater vidit in quiete, ut radicem ſyl-
is Roſæ blanditam ſibi aſpectu pridie in frutecto mitteret filio bibendam. In Luſitania res ge-
ur, proxima Hiſpaniæ parte: caſúque accidit, ut milite à morſu canis incipiente aquas expa-
re ſuperveniret epiſtola orantis ut pareret religioni, ſervatúſque eſt ex inſperato, & poſtea
uis auxilium ſimile tentavit.

* *Hiſt. nat. l.* 25. *c.* 2. & *l.* 8. *c.* 4.

hujus ramis, fractis præcipuè alitérve læſis, vel ab inſecto aliquo compunctis per æſtatem mu-
n quoddam corpus herbacei & rubeſcentis coloris ſæpe excreſcit, quod * *Bedeguar* Lobelius,
giolam alii appellant, vulgus [Germanicum ſci. circa Norimbergam] quòd ſuppoſitum
um incumbentibus provocet, **Den Schlaff**; cujus cineres ad dyſuriam, tineas ad vermes
lendos Camer. laudat. Spongiolam hanc ſi incideris, vermiculis exiguis albis intus refer-
nvenies, quæ per totam hyemem in cellulis ſuis latitantes, menſe demum Maio inſequentis
muſcarum formâ prodeunt: quarum nonnullæ aculeo ſeu ſpiculo è cauda ſemper prominente
ntur, & ad Mouffeti Seticaudas referri poſſunt, aliæ eâ omnino deſtituuntur; & in hoc fortè
m differentia. Deſcriptionem muſcarum vide in *Cat. Cantab.*

* *Bedeguar Officinis perperam dicitur hæc excreſcentia; eſt enim Bedegua Arabum Cardui genus* J. B. C. B.

A. 15. *Roſa pumila ſpinoſiſſima foliis Pimpinellæ glabris, flore albo* J. B. *Item, Roſa ſylv.* pomifera *Lobelio, flore rubello, ſine ſpinis, pumila* ejuſdem. *Item, Roſa arvina Tabernam.* ſpinoſa ejuſdem. *Roſa ſylv. pomifera minor* C. B. *R. Pimpinella ſive pomifera minor* Park. Roſ. *Pimpinellæ folio* Ger. **The Pimpernel Roſe.**

Frutex eſt parvus, humilis, cubitalis aut ſummùm ſeſquicubitalis, virgis ſpinoſiſſimis, foliis minimis, Pimpinellæ foliorum æmulis, unde ei nomen quatuor conjugationum: Roſis exiguis, candidis, [inodoris *Park.*] Fructus rotundi ſatis grandes, per maturitatem nigri.

Locus. In ſabuloſis & petroſis frequens naſcitur. Reperiri aiunt cum & ſine ſpinis, C. Bauhinus ſe utramque habuiſſe ait, & Parkinſonus in eodem agro utramque ſimul ſæpius inveniri aſſerit. Nobis in Anglia ſpeciem illam quæ ſpinis caret nondum videre contigit, nec puto apud nos oriri niſi ex accidente: at neq; dari inter has duas eſſentialem ſeu ſpecificam quam vocant differentiam. Hinc tamen non immeritò C. Bauhinus ad idem caput reducit Roſam pomiferam *Ad. Lob.* quæ lævis, & Roſam arvinam *Tab.* quæ ſpinoſa. Roſæ pomiferæ titulo Lobelium deſcribere Roſam Pimpinellam noſtratem cum Camerario & C. Bauhino ſentio, quòd eam Angliæ perquam familiarem eſſe dicat, quamvis negligenter nè dicam falsò eam deſcripſerit, & ſine ſpinis depinxerit, unde J. Bauhinus dubitavit, annon Roſam ſuam rubello parvo flore ſimplici non ſpinoſam intelligeret.

Roſæ pomiferæ *Lob.* Camerarius eandem facit Roſam campeſtrem odoratam Cluſii; cui & ego libenter adſtipulor; quantumvis tum J. Bauhinus, tum Caſparus frater diverſam faciant, & Cluſius ipſe videatur diſtinguere: ſiquidem deſcriptio ejus Cluſiana, excepto floris odore, Roſæ noſtræ Pimpinellæ egregiè conveniat, quam adponemus ut Lectori judicium permittamus.

Roſa campeſtris odorata, infit ille, cubitalibus aliquot, aut ad ſummum, ſed rariſſimè, bicubitalibus, aſſurgit virgis, firmis, duris, lignoſis rubeſcentibus, denſiſſimo ſpinarum vallo munitis; ex quibus frequentes confuſo ordine oriuntur ſpinoſi ramuli, virides, ſinguli ſuum *florem* ſuſtinentes, album, odoratum, pentapetalon, luteæ aut Canellæ Roſæ vulgaris æqualem, capillaceis quibuſdam *ſtaminibus*, cum ſuis *apicibus* luteis, medium floris umbilicum occupantibus. *Fructus* rotundus, brevis, initio viridis, deinde plenam maturitatem adeptus niger, craſſa, angulosa, dura *ſemina* continet. Folia ſunt inter eum quæ luteos ſimplices fert flores, & eam quæ ab aggeribus in quibus ſponte provenit, ſive à Pimpinellæ foliorum ſimilitudine nomen apud Belgas accepit (**Dunnen rooſen** & **Pimpernelle rooſen** enim appellant) ferè media, per ambitum ſerrata, & nullius ſplendoris. Radix dura, lignoſa in diverſa tendit.

Locus. Invenitur multis circa Viennam locis, præſertim editioribus & montoſis. Floret Maio, quo tempore ruſticæ mulieres plurimos ejus faſciculos, ob odoris gratiam, venales in forum deferunt. Fructus Auguſto matureſcit.

Roſa ſpinoſiſſima pumila flore rubro *J. B.* quæ circa Monſpelium in luco Grammuntio reperitur hujus tantùm varietas eſt, colore floris differens. *Botan. Monſp.* His adde

16. *Roſam campeſtrem ſpinis carentem bifloram* C. B.

Flore eſt languidè rubro, vere & autumno prodeunte, quæ duplex, alia odoris expers, alia foli exiguis ſuaviſſimi odoris in monte Pilati Lugdunenſium.

17. *Roſa ſylveſtris pomifera major* Park. C. B. *Roſa pomo ſpinoſo, folio hirſuto* J. B.

J. B.

Foliis eſt palmum ferè longis, quinquepartitis, ad rubellam plenam pænè accedentibus, mini rotundis, longioribus, ſerratis, ſubtus hirſutie quadam lenibus tactu & pænè cinereis, capitibus ſiv fructibus ſpinoſis, magnitudine Avellanæ rotundæ ex pediculis brevibus, ſpinoſis: per ramulos ſun ſpinæ rariores.

C. Bauhinus Roſam ſuam ſylv. pomiferam majorem ſylv. pomifera Lob. majorem facit, altiorem ramoſiorem, pauciſſimis aculeis, foliis majoribus pallidè virentibus; & Baſileæ locis humidis in Al tis provenire ſcribit: quam deſcribit J. Bauhinus à monte Calcari allata eſt. Ab hac diverſa detur

A. 18. *Roſa pomifera major* Park. parad. *h. e. ſylv. pomifera major noſtras.* **The great Apple-Roſe.**

Park.

Hujus virgæ craſſiores ſunt, cortice obſcuro caneſcente tectæ; teneriores ſurculi rubeſcunt no nihil, ſpinis craſſiuſculis acutis hic illic armati, verùm nec tantis, nec tam crebris quàm Roſæ E lanteriæ. *Folia* pallidè viridia, quinque ſimul in eodem communi pediculo, rariùs pauciora. Fl parvi, ſimplices, pentapetali, inodori, aut leviter odorati, Roſæ Eglanteriæ parùm majores, eod etiam colore rubello perfuſi, capitulo ſpinoſo inſidentes, & alabaſtris barbatulis aliarum roſar inſtar cincti. *Capitula* floribus delapſis in formam & magnitudinem parvi Pyri excreſcunt, barb in Vertice ſeu umbilico geſtantia, & ſpinulas etiam retinentia, per maturitatem pulchrè ruben ſemina multa, alba, dura, ſubrotunda, lanugine involuta, pulpâ molli incluſa continentia. Pul tudo hujus plantæ in pomorum rubentium decora ſpecie & jucundo aſpectu potiùs quàm florum mâ aliúſve alicujus partis conſiſtit.

Locus. In Septentrionalibus Angliæ montoſis. Weſtmorlandia puta & Eboracenſi territorio copioſè venit.

19. *Roſa cinnamomea multiplex* Park. *cinnamom. flore pleno* Ger. *odore Cinnamomi, flore pleno* C. B. *minor rubello multiplicato flore, aſperis ſpinis armata* J. B. **The double Cinnamon Roſe.**

Deſcriptio Jo. Bauhini quamvis brevis huic ſtirpi apprimè convenit, & ad eam ab aliis Roſis diſtin- uendam ſufficit.

Frutex (inquit) eſt aſperis, duris ſpinis armatus, in altitudinem ſatis magnam, multis virgis ru- entibus valdè excreſcens. *Roſæ* huic parvæ, ex brevibus pediculis, plenæ, odoratæ. Adde ex Cluſio, oliorum alæ quinis aut ſeptenis foliis æquali inter ſe ſpatio diſtantibus conſtant, uno hinc, altero ndè geniculatim conjugatímque ſemper adhærente, unoque in cacumen exeunte, coloris ſuperna arte viridis, infernè candicantis. Flos multiplici foliorum puſillorum glomeratione conſtat, colore ubello, Cinnamomi odore remiſſo, unde nomen. *Radix* latè admodum ſerpit, & vivax eſt, novas irgas ſubinde producens.

Maii menſis initio, omnium Roſarum prima floret, in hortis noſtris frequentiſſima eſt, unde pri- ùm delata, aut ubi ſponte proveniat incertum. *Tempus.*

Huic ſpecie eadem eſt, accidentibus nonnullis diverſa,

20. *Roſa Cinnamomea ſimplex* Park. *cinnam. ſimplici flore* Ger. *odore cinnamomi ſimplex* C. B. *cinnamomea floribus ſubrubentibus ſpinoſa* J. B. **The ſingle Cinnamon Roſe.**

Parkinſonus virgas hujus minùs rubere ait quàm ejus quæ flore eſt multiplici. C. Bauhinus hanc abet pro Roſa Maii [ſine ſpinis] Albii montis prope Tigurum *Geſn.* qu. an rectè. J. Bauhinus oſam Maii Albii montis *Geſn.* diverſam facit à Cinnamomea ſimplici.

21. *Roſa ſylveſtris Ruſſica* Park. **The wild Brier of Muſcovy.**

Stolones crebros, luteo-rubentes è radice emittit, tuberculis hic illic erumpentibus inæquales, qui- s inſident ſpinæ ut in Cynosbato vulgari. *Folia* non admodum crebra, parva, quam in illa mi- ora. Roſæ ſimplices, parvæ, colore incarnato ſaturo.

22. *Roſa ſylveſtris Virginienſis* Park. **The Virginia Brier-Roſe.**

Stipitum & ramorum magnitudine & craſſitie nulli Roſæ cedit; Virgæ & ſurculi novelli virides nt, vetuſtiores caneſcunt; plurimis aculeis tenuibus, cum craſſioribus aliquot intermixtis, obſitæ. *lia* in viridi obſcuro nitentia, parva & propemodum rotunda, multa uni coſtæ conjugatim adnexa, oſæ luteæ ſimplicis foliis quadantenus ſimilia. *Flores* ſummos ramos occupant, parvi, pentapetali, llidè purpurei ſeu ſaturatius incarnati, Cynorrhodi vulgaris floribus ſimiles, caduci.

23. *Roſa alba* Ger. *Anglica alba* Park. *alba vulgaris major* C. B. *candida plena & ſemiplena* J.B. **The white Roſe.**

J. B.

Virgis aſſurgit longis, lignoſis, fungoſis, in quibus ſpinæ acutæ, aduncæ, raræ, cortex alioqui poli- & lævis: Foliola quina vel ſeptena, crenata, glabra, ſublonga, quædam pænè rotunda, pediculi ſo ſpinoſo interdum: Extremis ramis *calyces* plures ex pediculis non minacibus inhærent: quibus rtis apparent roſæ pulchræ, odoriferæ, albæ, multorum foliorum: (interdum cum negliguntur ca producunt folia, niſi aliud genus ſit) quorum interiora minora, exteriora verò majora & pliora, *in medio apices* luteos includentia. Succedunt *fructus* rotundi, rubri ubi maturi, in qui- grana dura, lana involuta. Odor huic languidus.

Duûm eſt generum, altera flore majore & pleniore, quæ in umbroſis interdum ad octo aut decem um altitudinem aſſurgit, ſtipite in hoc genere craſſiſſimo; altera flore minore & ſimpliciore, ſæ Damaſcenæ altitudinem vix excedens: illius flores imâ præcipuè parte verſùs fundum aliquam oris tincturam oſtendunt; hujus candidi purioris & impermixti coloris ſunt. Hæ tamen duæ non entur ſpecie differre, ſed accidentibus duntaxat quibuſdam à Soli aut cœli aut culturæ diverſitate s variare.

At neque Roſa incarnata ab alba minore differre ſpecie cenſenda eſt, cùm ſolo floris colore in- nato, ejuſdémque majore expanſione diſcrepet.

24. *Roſa lacteola* J. B. *alba minor* C. B.

Elegans eſt, non magna, foliis multis, denſè ſtipatis: quæ ſingula ſi evellantur candida ſunt, verò ſimul calyci inhærent in flore integro, videtur quiddam diluti ruboris emicare.

Et hæc prioris varietas eſſe videtur.

Conſiderandum etiam quantum ab eadem differat

25. *Roſa humilis flore albo Cluſii* J. B. *ſylv. odorata albo flore* C. B.

Cluſ.

Quæ humilis eſt & fruticoſa, foliis illi quæ album florem fert perſimilis: ſed ejus flores, licet albi, gè minores, neq; unquam planè ſeſe explicantes, ejuſdem cum alba vulgari odoris & coloris, qui en plus carnei admixtum habet. Paulò ſeriùs illa floret. Plurimum accedere videtur ad Græcu- Plinii.

Datur

Roſa alba Provincialis. Datur etiam & Roſa Provincialis alba, cujus mentio in Parkinſoni horto, inque Catalogo horti Oxonienſis habetur.

26. *Roſa moſchata minor flore ſimplici* J. B. *moſchata ſimplici flore* C. B. Ger. *moſchata ſimplex* Park. **The Muſk-Roſe.**

J. B.

Magnos habet ſtolones, rectos, craſſos, ſtatim à radice prodeuntes, decem interdum aut duodecim pedes altos, in quibus ſpinæ raræ, interdum à trunco rubræ ac robuſtæ: Rami tactu eſſent læves, niſi interdum ſpinæ intervenirent, in quo quiddam habent commune cum Roſis albis ſativis, ac differunt ab Incarnatis vulgo dictis, quarum rami undique valdè ſpinoſi. Folia ſatis rara, quæ non multùm differunt à Roſis albis & incarnatis, niſi quòd minùs rugoſa & magis acuta, glabra, ſupernè cum viriditate, infernè albidiora cum pilis vix apparentibus, in circuitu ſerrata, quæ utplurimùm habent ſeptem foliola, interdum novem majori ex parte ſibi invicem oppoſita. In foliorum pediculis parte inferna ſpinæ valdè aduncæ. Rami extremi diviſi in alios, minores, qui quadam quaſi lanugine obducuntur & rubent: pauca habent folia, abundántque multis floribus ſimul cohærentibus, qui prius quam ſe expandant longa apparent capitula, mollia & hirſuta. Apertæ roſæ vix diem durant, & mediocris ſunt magnitudinis, albæ, [habent nonnunquam ungues rubentes qui lutei ſunt antequam expanduntur] pentapetalæ: *Apices* lutei foliolis decidentibus nigreſcunt, relicto in medio uno magno hirſuto, clavam aliquatenus exprimente. Odor cum ſuavitate inſignis, moſchum proximè referens, ſapor amarus, adſtrictionis non magnæ particeps, aliquam acrimoniam in faucibus relinquens.

De loco natali nobis non conſtat. Frequens in hortis colitur; frigoris vehementioris impatiens eſt; unde colligitur calidiorem aliquam regionem ejus parentem eſſe.

Quæ flore eſt pleno, hujus duntaxat varietas nobis cenſetur, non ſpecies aliqua diſtincta.

27. *Roſa moſchata major* J. B. *Roſæ moſchatæ ſpecies major* Ger. *Roſa Hiſpanica moſchata ſimplex* Park. parad.

J. B.

Et hanc C. Bauhinus pro præcedentis varietate habet. Frutex eſt robuſtus, rectus, ſpinoſus, ut Moſchata minor; in ramorum ſummitatibus ex pediculo raris aliquibus ſpinis aculeato Roſæ enaſcuntur, plerunque quinque aut ſeptem foliis conſtantes, magnæ, albæ, cum aliquo rubore, qui potiſſimùm detegitur cùm exſiccantur, odore ſuaviſſimo. Floret Junio.

Hæc ex florendi tempore vera & genuina Roſæ moſchatæ ſpecies vix eſt cenſenda: illa enim non ante finem Æſtatis & Autumni initium floret.

Aliam Roſæ moſchatæ ſpeciem ſpuriam, fortè præcedentis varietatem, proponit Parkinſonus, inſcriptione.

28. *Roſæ moſchatæ multiplicis alterius, aliis Damaſcenæ albæ, vel veriùs Cinnamomea flore pleno.*

Hæc ſtipite & ramulis brevioribus, foliis paulò amplioribus pallidiùs virentibus, floribus itidem tantillo majoribus, odore multo remiſſiore, florendi tempore priore ſeu præcociore à Roſa moſchata vulgari differt, cætera ei ſimilis.

Tempus florendi & odor diverſus, ſpecie à Moſchata diſtinctam arguunt.

Vires. Cæterum Roſæ moſchatæ odore caput tentant, & potentiſſimè alvum ſubducunt, non minùs, autore Manardo, quam Scammonium, ità ut ſi ſex vel octo folia acetario miſcueris, totum purgatorium reddas. Idem confirmat Amatus, hiſtoriam recitans mulieris, quæ ex guſtato condito harum roſarum faucium & linguæ excoriationem cum ſtomachi roſione contraxerit. Quapropter ab ea tanquam à pernicioſo medicamento abſtinendum ſuadent.

29. *Roſa ſemper virens* Park. parad. *ſemper virens Cluſii* J. B. *moſchata ſemper virens* C. B. **The ever-green Roſe.**

Cluſ.

Multis ſtatim à radice luxuriat ſarmentis, flexibilibus & caducis, niſi quis palo ſuſtineat, aut ad parietem applicet; nam non valdè craſſa ſunt, ſed lenta, viridia, ſpinis rubeſcentibus, hami inſtar aduncis, & mucrone verſùs terram converſo obſita, ut pleraque ferè omnia Roſarum genera, eáque alternatim ambiuntur à foliorum alis, ſeptem interdum, ſed quinq, utplurimum foliis præditis, ex adverſo ſeſe ſpectantibus; horum duo, quæ laxiori alæ ſedi, quà ramum amplectitur proxima, minora ſunt, bina alia quæ ſuccedunt illis duplo pæne majora, quintum extremam alam occupans, & imparem numerum faciens omnium maximum: ſingula autem à nervo medium folium occupante aliquot venas habent ad folii oras excurrentes: in ambitu ſunt ſerrata, & præ viriditate ſplendent, nec defluunt ut in aliis roſis ſed etiam hyeme permanent. Novo vere ex flagellis iſtis ſive ſarmentis è foliorum alis multi oriuntur novelli rami, initio quidem cum foliis nonnihil purpuraſcentes, deinde verò colorem viridem contrahentes: quorum nonnulli ſummo faſtigio ternos aut quaternos gerunt *flores*, uncialibus, gracilibus pediculis ſubnixos, quinque foliis pæne uncialibus conſtantes, prorſus nivei candoris, è quorum medio plura ſtaminula prodeunt, candida, flavis *apicibus* inſignita, & inter illa capitellum hirſutum albicans. Floris odor ſuavis eſt, & ad Roſæ moſchatæ flore ſimplici odorem valdè accedit, ſed nec ipſius floris forma valdè diſſimilis.

Hujus ſemen Patavio miſſum.

30. *Roſa luteà* Ger. J.B. *lutea ſimplex* Park. parad. C.B. **The ſingle yellow Roſe.**

Rarior & ſpecioſa eſt Roſa lutea, ſpinoſis virgis, *foliolis* glabris, quinis vel ſeptenis, vix tantillùm horridis; *floribus* luteis, ſimplicibus, cum gravitate odoratis, *pomo* breviore, ventricoſiore. Repit & multùm ſe propagat.

Parkinſonus ſarmenta craſſa & lignoſa ei attribuit, paucis aut nullis ſpinis in veteri ligno ſuperſtitibus, junioribus ſeu novellis virgis & ramulis, creberrimis ſpinulis, pilorum inſtar tenuibus, obſitis; *folia* minora, rotundiora, pallidiùs virentia, eleganter tamen circa margines crenata, plura denique ad unam coſtam adnexa [ſeptem aut novem] quàm in alia quacunque Roſa ſativa: *Florem* minorem, quàm Roſæ moſchatæ majoris, majorem quàm Eglanteriæ.

31. *Roſa lutea flore pleno* J.B. *lutea multiplex* Ger. C.B. *lutea multiplex ſive flore pleno* Park. parad. **The double yellow, or yellow Province-Roſe.**

Non alia ferè in re quàm floris multiplicitate à præcedente differt. Flos autem peramplus eſt, & ſpecioſus, tum multiplici foliorum denſè ſtipatorum ſerie compoſitus, ut Roſæ provinciali Damaſcenæ ſeu centifoliæ Batavicæ hac in parte vix cedat. Florum adeò ferax eſt, ut dimidiam eorum partem ad maturitatem non perducat; imo paucos admodum perficit & integros expandit, pleriſq; ob humorem nimium, (imbribus plerunq; copioſis florendi tempore decidentibus) corruptis aut vitiatis. Oportet ergo ſi flores integros & perfectos deſideras, ut ſtirpem juxta parietem plantes, & florum gemmas tenellas peraſq; amputes, paucis relictis, quas nè hac quidem curâ adhibitâ facile explicat in flores undequaq; perfectos.

Hinc nonnullis duplex habetur hujus generis Roſa, quarum altera florem totum expandit, altera vero ſemiclauſo flore permanet.

32. *Roſa ſubviridis & cærulea* C.B. J.B.

Si in teneras Agrifolii arbuſculas Roſæ inſerantur virides flores producere ſcribunt aliqui apud Camerarium. Quamvis interdum anni conſtitutione frigidiore & humidiore herbacei coloris Roſæ ſine calyce proveniant.

Eſt & jamdiu videre, ut refert Lobelius, Cœruleas Roſas in hortis Italicis. Sed optârim ego ſcire hortos; ſi extent, ubi proveniant, & qua in re differant à reliquis Roſis. *J.B.* **Imò ego nullibi extare puto, cum à tempore Lobelii altum ſit de eis ſilentium.**

33. *Roſa ſylveſtris Auſtriaca flore Phœniceo* Park. *punicea* Cornut.

Virgæ hujus novellæ tenues, rubentes, adultiores obſcurè cinereæ, ſpinis aliquot obſitæ non admodum craſſis aut acutis: *Folia* paulò majora Roſæ luteæ, ſimplicis foliis, aliàs non multùm diſſimilia. *Flos* ſimplici quinq; foliorum ſerie conſtat, colore intus puniceo, à tergo croceo: quæ coloris diverſitas varium ſæpe florem reddit, lineis quibuſdam flavis per colorem phœniceum ardentiſſimum diſperſis, jucundo ſpectaculo. Hujus Roſæ umbilicum tenet pappus atropurpureus, mille filamentis & apicibus luteo-pallidis cinctus. Capitulum flori ſubjectum rotundum eſt, ut in ſylveſtri Roſa. Odorem habet veluti mellis. Floret Maio. Parkinſonus pro Roſæ luteæ ſpecie habet; aſt diverſa eſt.

34. *Roſa omnium calendarum vulgò dicta: Italica flore ſuaviter rubente perpetua* Ferrarii. **The monthly Roſe.**

Roſæ Damaſcenæ vulgari non multùm diſſimilis eſt: nec odore valdè inferior. Per maximam æſtatis partem florere perſeverat, non tamen ſingulis calendis floret, ut nomen innuere videtur. Ferrario obſervante denſioribus ſævit aculeis.

35. *Roſa rubro & albo variegata Roſa mundi vulgo dicta.* **The Mundy-Roſe.**

Roſæ rubræ vulgari excepto floris colore ſimillima eſt, ejúſque progenies videtur, procerior tamen aliquantò & ramoſior. Flos coloris reſpectu omnium Roſarum longè pulcherrimus eſt, albo & rubro elegantiſſimè virgatus ſeu variegatus. Figura, magnitudo, odor Roſæ rubræ. In eadem ſtirpe inter multas variegatas una vel altera non raró Roſa penitus rubra apparet, quo originem ſuam fatetur.

36. *Roſa Francofurtenſis* Park. parad. *inapertis floribus, alabaſtro craſſiore* Hort. Reg. Pariſ. **The Frankford Roſe.**

Virgæ hujus juniores cortice pallidè purpuraſcente obteguntur, ſpinulis numeroſis pilorum inſtar tenuibus obſitæ: vetuſtiores pauciſſimis ſpinis donantur. Capitulum quod flori ſubeſt eíque pro baſi inſervit majus eſt quàm in quavis alia Roſæ ſativæ ſpecie. *Flos* ipſe multiplex eſt, & craſſus, adeóque intumeſcit dum adhuc in gemma eſt, antequam explicetur, ut calycem rumpat plerunque & præpropero ortu exeat: Color inter Roſæ rubræ & Damaſcenæ medius: umbilicum floris occupat glomus latus & denſus ex ſtaminibus & *apicibus* arctè ſtipatis compactus. Calycis ſegmenta in hoc genere præter aliarum omnium Roſarum ordinem nullis ad latera barbulis aucta ſunt.

37. *Roſa Hungarica* Park. parad. The Hungarian Roſe.

Roſa Hungarica virgis viridibus, ſpinis raris obſitis Roſæ vulgaris rubræ ſtaturam & magnitudinem aſſequitur, raró excedit. Flos ipſe magnitudine, foliorum multiplicitate, & figurâ Roſam rubram æmulatur, verùm pallidior eſt, & ſi curioſè ſpectetur maculis crebris dilutioribus eleganter reſperſa rubore velut irrorato, apparet. Odor quàm rubræ jucundior.

Aliæ varietates Roſarum in hortis reperiantur, ut Roſa punicea *Cornut.* Roſa Arboreſcens non deſcripta *Sibbaldi* prodrom. Hiſt. Scot. Roſa Ciphiana ſeu Roſa Pimpinellæ foliis minor noſtras, flore eleganter variegato Catalog. Hort. Med. Edinburg.

De Roſarum temperamento, calidæne ſint an frigidæ non levis eſt inter medicos controverſia: quâ miſsâ, nos earum vires & utilitates quas humano corpori præſtant breviter indicâſſe contenti erimus. In uſu ſunt rubræ præcipuè & incarnatæ, vulgò Damaſcenæ dictæ.

Vires. In rubris plus eſt terreæ ſubſtantiæ, & reſiccantis adſtringentiſque facultatis, non tamen abſq; humido quodam permixto, quod quidem ipſis adhuc virentibus ineſt, in reſiccatis vero deperditum eſt. Succus ergo hac de cauſa & dilutum earum ad alvum ſubducendam quoque facit, minùs tamen quàm Damaſcenarum. Reſiccatæ autem hæ roſæ humiditate jam abſumpta, adſtringunt & reſiccant. *Dod.* quocum peritiores medici conſentiunt. Nam (ut rectè Langius) virtus Roſarum laxativa & odorifera in ſupernis ejus partibus conſiſtit [unde & facilè evaporat] at adſtrictoria & roboris altrix in internis deliteſcit. *Hæc de Roſis rubris intelligenda ſunt; nam Damaſcenarum folia etiam reſiccata catharticam vim retinent, ut & ipſi experti ſumus.* Pergit Dodonæus, Robur cordi conciliant, ac tremori & palpitationi ejus ſuccurrunt, hepar, renes & alia viſcera debilia confortant: ventriculum flaccidum, debilem & humidum ſiccant & corroborant: fluorem muliebrem, & ſuperfluam menſtruorum purgationem compeſcunt, ſanguinis undequaq; eruptiones ſiſtunt: ſudores reprimunt, alvum nimio fluore laxam conſtringunt: antidotis omnibus utiliter admiſcentur, & aliis quoq; medicamentis, ſive foris adhibendis, ſive intra corpus aſſumendis, quibus adſtringens ac corroborans aliquod indè accedit.

Ipſe expertus ſum (inquit Simon Paulus) pulverem Roſarum ex atrorubentium ℨij. pondere ſingulis vicibus bis quotidie in aqua Plantaginis propinatum ex ſententiâ contumaciſſimam dyſenteriam perſanâſſe. Quadripart. Botan. Claſ. 2. p. 181.

Apices crocei, Officin. Antheræ dicti, reſiccant ſimiliter & aſtringunt, & potentiùs quidem quàm ipſarum Roſarum folia: Exſiccati immiſcentur dentifriciis ad gingivarum adſtrictionem, fluxionumq; exſiccationem: cum aqua Cydoniorum deſtillata dantur utiliter nimio menſium fluxu.

Calyces quinetiam & alabaſtri iiſdem viribus pollent, unde ad dentes à corruptione ſervandos, & gingivas roborandas ſumitur aceti Scyllit. & aquæ è calycibus Roſarum deſtillatæ æqua portio, & eo ſæpe os colluitur, annotante Monardo Hiſpal. Sed (inquit Dodonæus) cùm his odor deſit, minùs utilia ſunt, humanæque naturæ minùs amica.

N. Roſæ, præſertim recentes, adnotante Meſue, coctionem nullam ſuſtinent; facultas enim earum tergens & purgatoria mox igni reſolvitur, remanet adſtringens manifeſtior; unde etiam patet vim catharticam in ſuperficiaria & facilè reſolubili ac ſeparabili parte conſiſtere.

Notatu dignum eſt, quòd quamvis Roſæ decerptæ celerrimè exſiccentur, atque inter ſiccandum ſuaviſſimum odorem exſpirent, tamen in horto ſentibus adhuc hærentes, nullum ad aliquam notabilem diſtantiam de ſe fundunt odorem, quemadmodum Caprifolii & Caryophyllorum nonnullorum flores, adeò ut in Roſario floribus explicitis pleno deambulans fragrantiam nullam naribus percipies, ut ſi oculis clauſis eo introductus eſſes, te in Roſario verſari planè neſcires: quod argumento eſt odorem Roſæ in vapore aqueo facilè reſolubili & diſſipabili conſiſtere.

Folia Roſarum renibus ſubſtrata copiam ſeminis imminuere ſcribit Galenus: ſéque in nocturnis Venereis imaginationibus cuidam ſuaſiſſe Roſas experiri, qui ex his ſubſtratis levamen *ſenſit*, citra ullam renum noxam. Ex foliis etiam aridis & expreſſis (referente Plinio,) Diapaſmata olim fiebant ad ſudores coercendos, ut à balneo inareſcerent corpora, dein frigida abluerentur.

E Roſis multa parantur medicamenta, ut v. g.

1. Aqua deſtillata. Matthiolus vaſis vitreis in *MB.* elicitam præcipuè commendat, eíque quæ in vaſis metallicis deſtillatur longiſſimè præfert: nec immerito. Nam & empyreuma omne hoc modo cavetur, nec aqua pravam aliquam aut noxiam qualitatem à vaſis contrahet, ut in metallicis deſtillata ſolet.

Refrigerans eſt & cardiaca, ſpiritus languentes recreat & confortat, vel odore ſuo, naribus admota, vel in cibis & juſculis uſurpata, vel temporibus ea fotis, vel in ſuffumigiis: Valet etiam ad ruborem & inflammationes oculorum exteriùs applicata, necnon ad capitis dolorem.

Damaſcenarum aqua multò odoratior eſt, purgat etiam larga doſi, ad ℥ x. exhibita, Coſtæo teſte. Tragematis, placentis, condimentis & aliis, quæ voluptatis excitandæ gratia conficiuntur multis admixta, ſaporis gratiam conciliat, adeóque frequentis usûs eſt in culina ut vix ullum ſibi locum in medicina reliquerit.

2. Conſerva roſarum, quæ fit tundendo roſarum exunguium partem unam cum duplo ſacchari ſolidi in mortario marmoreo piſtillo ligneo, Adſtrictoria eſt & Cardiaca, poſt biennium prævalet vis cardiaca, recentior magis adſtrictoria eſt, unde cum Mithridatio mixta deſtillationes in nares & defluxiones humorum in oculos cohibet: utilis etiam eſt ad alvi fluxus ſiſtendos. Conſerva vetuſtior cum Diarrhodo Abbatis mixta ad lipothymias, deliquia & tremores ſeu palpitationes cordis utilis eſt, ventriculum etiam languentem & infirmum excitat & roborat, concoctionem promovet, vomitum compeſcit; & antidotus cenſetur adverſus morbos contagioſos.

3. Conſerva ſicca, Saccharum roſarum dicta, iiſdem viribus pollet quibus conſerva humida vetus.

4. Syrupus ex Roſis ſiccis paratus ad eadem valet, atque inſuper ſanguinis fervorem temperat, & bricitantibus utiliter exhibetur.

5. Mel roſarum, quod fit ex ſucco roſarum expreſſo & foliis contuſis cum melle mixtis, fervefactis, expreſſis & deinde colatis, colaturâ decoctâ ad conſiſtentiam mellis. Hujus uſus inſignis & fre- uens eſt in gargariſmis & collutionibus, ad ulcera, oris, faucium, gutturis aliarúmve partium mun- anda & ſananda, & ad humores eò confluentes inhibendos, qui eorum conſolidationem impedire lent; uſurpatur etiam in clyſteribus ad refrigerandum & detergendum.

6. Diarrhodon Abbatis ut & *Aromaticum roſatum* in obſtructionibus viſcerum calidis locum ha- et, éſtque cardiaca inſignis & ad eadem valet ad quæ prædictæ præparationes.

7. Acetum Roſarum inflammationes omnes ſedat, incidit, purgat, roborat. Multi etiam uſûs eſt d ſomnum inducendum, vel aquâ roſaceâ mixtum, & naribus admotum vel cum aliis hypnoticis tem- oribus applicatum.

8. Oleum Roſarum calores omnes ſedat, inflammationes mitigat aut prohibet: membra debilia onfortat, digeſtivam facultatem & calorem naturalem excitat & corroborat, aliis etiam unguentis medicamentis admiſcetur quæ refrigerando & adſtringendo inſerviunt. Fit autem ex roſis recen- bus contuſis in oleo olivarum coctis in *MB.* & expreſſis.

9. Unguentum roſaceum iiſdem ferè uſibus inſervit quibus oleum. Plurimum valet in principio poſtematum; repercutit enim materiam, ſedat dolores eorum, & capitis febricitantes, & inquietu- inem: refrigerat febres ardentes, epar & ſtomachum calefacit: cum unguento Populeo mixtum, fronti ac temporibus illitum ſomnum provocat. Papulas, ulcuſcula, & eruptiones quaſcunq; cali- s refrigerat & compeſcit.

10. Syrupus roſarum ſolutivus fit ex roſarum foliis viridibus modò per infuſionem modò per deco- ionem. Per infuſionem iteratam multoties, hoc eſt, ex infuſo in quo pluries Roſarum virentium folia ulta macerata ſunt, nobile & ſecurum purgatorium medicamentum paratur (inquit Amatus) od & pueris tutò exhiberi poteſt; utiliſſimum quando expurgatione alia potentiori aut opus non t, aut uti non expedit. Humectat porro & refrigerat, ideò etiam febrium ardentium calores ni- ios ſedat, & viſcerum inflammationes mitigat & ſitim extinguit, ut ait Dodonæus, & experientia nfirmat. Eſt ſanè medicamentum lene, benignum, tutum, multi uſûs, & magni in morbis calidis æcipuè ſolaminis, quódque ob vim adſtrictoriam in dyſenteria & aliis alvi fluxibus non ſecus ac habarbarum cum ægrorum juvamento uſurpatur.

Parantur etiam ex Roſis Damaſcenis Conſerva & Mel roſatum earundem cum Syrupo virium.

Utimur etiam (inquit C. Hofman.) ſucco roſarum incarnatarum ad *Electuar. roſ.* & *de ſucco* *ſ.* Utrumq; recipit & ſuccum roſarum & Scammonium eadem quantitate. [At Parkinſonus *E- ctuarium roſ.* è ſucco roſarum rubrarum fieri ait.] Exploratum eſt (inquit J. B. hiſt.) contra gut- m calidam, & malos tumores calidos & furioſos; fortiter purgat; ſanat tertianas ſimplices & du- as, & reliquias malorum humorum in convaleſcentibus exquiſitè evacuat, potenter ſolvit, & eſt lcar aliarum medicinarum. Alia adhuc medicamenta è roſis parantur, quorum vires ex dictis ſtimari poſſunt.

Folia Roſarum Damaſcenarum exſiccata in odoramentis non poſtremum locum obtinent, à ma- onis noſtris valdè expetita ad pulveres Cyprios quos vocant & ad Sacculos cum aliis ſuaveolentibus ferciendos, quos in arcis inter veſtes & linteamina recondunt, ad ea odore ſuo imbuenda. Eadem l in infuſo vel in pulvere exhibita ſatis feliciter purgant [Coſtæus in ſero lactis caprini bibenda æſcribit] Unde conſtat vim catharticam, ſaltem in hoc genere, parti tenui & volatili quæ inter ccandum exhalet & evaneſcit non inhærere: at neq; in parte illa quæ tincturam & colorem com- unicat, cum Roſarum Damaſcenarum color, quamcunq; curam adhibeas, magna ex parte ſicc- ando evaneſcit.

Roſæ autem, præcipiente Sylvio, mediocriter apertæ ſereno cœlo manè lectæ, eodem die ut ſunt ccentur Sole, ſi potes, ſæpe vertendo. Nam vix umbra ſiccaverit, quanquam id eſſet optatius; ccatas avelle, & vaſe terreo reconde.

Roſas proprietate quadam teſtes lædere ſcribit Fuchſius.

Roſæ albæ non minùs refrigerant & exſiccant quàm rubræ aut incarnatæ; non alium tamen in edicina uſum habent quàm ut ex ſe aquam ſtillent, quæ ſpecifica proprietate oculis prodeſſe, eo- úmque ruborem & inflammationem lenire & ſanare creditur. Albas Damaſcenas cæteris in pur- gando excellere ſcribit Manardus.

Semina dura quæ capitibus Roſarum inſunt in pulverem redacta, ac è vino pota calculum pellere (Trago teſte) tradunt. Eandem facultatem nonnulli ſpongiolis quæ ſylveſtribus adnaſcuntur Roſis, i in pulverem redactæ aut in vino decoctæ calidæ ſumantur, tribuunt. Verùm cum Dodonæo con- entit J. Bauhinus nec ſemina, nec ſpongiolas, ob eorum adſtrictionem & ſiccitatem ad calculum & urinæ difficultatem quicquam valere, niſi per accidens, renes corroborando, & refrigerando. Cùm enim nonniſi calidi renes gignant calculos, & verò illi diureticis validioribus valdè debiliten- ur; mirum non eſt roborari indè renes ut pellendo calculo aptiores ſint. Reliqua vide apud Dod.

Succus è fructu rubro maturo totâque ſua ſubſtantiâ tuſo expreſſus, poſteáque ſiccatus, demúmq; in pulverem redactus gonorrhœæ, & tam rubris, quàm albis mulierum profluviis ſingulari experimento medetur.

In genere Medicamenta è Roſis præparata multùm celebrantur in curatione phthiſicorum, tabido- um, & pulmonarium affectuum à Riverio, Sennerto, Roſenbergio aliíſque.

Egregias vires & efficaciam medicamentorum è Roſis præparatorum in phthiſi, podagra, calculo, anum rabidorum morſu, capitis doloribus aliíſque morbis, in fluxibus alvi aliarúmq; partium; in ebribus, hæmorrhagiis, vulneribus, inflammationibus, inſectorum puncturis, Scorbuto, mobilitate dentium. Vide apud Carolum Roſenbergum in Rhodologia ſua.

Cæterùm odorem Roſarum viſui nocivum eſſe ab exemplo probatur in *Ephem. German.* An. 12. Obſerv. 140. quod ſane nollem, cùm nihil odore illo naribus noſtris gratius & acceptius ſit.

Pro Medicamentis è Roſis Perſicis ſeu Alexandrinis, aliíſq; vide Monardum apud Car. Cluſ.

SEC.

SECTIO II.

De Arboribus fructu umbilicato humido monopyreno majore, ſeu De Pruniferis umbilicatis.

CAP. I.

De Arbore prunifera Indica fructu pyriformi, Jambos dicta.

* P. I. F. 17. p. 27. 1. *Prunus Malabarica fructu umbilicato Pyriformi Jambos dicta minor. Jambos* Park. J. B. Piſon. *Malacca Schambu* * H. M. *Perſici oſſiculo fructus Malacenſis* C. B.

H. M. Acoſt.

ARbor eſt, deſcribente Acoſtâ, procera & vaſta, maximam Malum auream æquans, multis & denſis ramis in latum expanſis, multámque umbram præbentibus brachiata, aſpectúque pulcherrima. *Caudex* ambitu brachii unius amplexum paululum excedit, cortice cinereo tectus, ut & rami majores, ſed magis fuſco, ſurculi teneriores viridi. *Folia* bino ordine ex adverſo naſcuntur, petiolis curtis, craſſis, viridibus inſidentia, pulcherrima, lævia; cuſpidata, ad petiolum quoq; ſtricta, ſpithamam [palmum aut amplius *Acoſtæ*] longa, duos tréſve pollices lata, craſſa & denſa, parte ſuperna ſaturatiùs, infernâ dilutiùs virentia, ſapore aſtringenti ac nonnihil ſubacido aut vinoſo diutiùs maſticata, odoris nullius, nervo mediam longitudinem percurrente inferiùs eminente, à quo multæ venæ obliquæ & ferè parallelæ in latera excurrunt. *Flores* in petiolis ſpithamam longis ſupra ex origine foliorum oriuntur [pictura ſurculos terminantes flores, ſeu in ſummis ſurculis plures ſimul ad tres, quatuor, vel quinque in petiolis brevibus exhibet,] tetrapetali, [ex rubro purpuraſcentes, vividi admodum coloris *Acoſtæ.*] ex viridi albicantes petalis ex oblongo rotundis, intus concavis ſeu cochleatis, rigidis, latiuſculè diſtantibus, &c. *H. M.* E medio flore ad petalorum ungues ortus exit denſus penicillus *ſtaminum* confertorum, longiuſculorum, candidorum, *apicibus* ex albicante flaveſcentibus inſignium; & in eorum medio *ſtylus* albicans craſſiolus, ſurrectus, & in apicem deſinens. *Calyx* floris quatuor brevibus, latis & ſubrotundis foliis conſtat. Sunt autem flores, dum in vigore ſunt inodori, cùm autem flacceſcunt (quo tempore è viridi flaveſcunt) acido ſeu vinoſo ſunt odore: [guſtu *Acoſtæ* capreolorum vitis ſimili ſunt.] *Fructus* rotundi, primùm virides, cùm ad maturitatem accedunt ex albicante ſubflavi, probè maturi magis flaveſcunt. In vertice umbilicum ſeu corollam habet ex quatuor calycis foliis reſiduis ad modum Pomi aut Pyri: Conſtat autem exteriùs cuticulâ ſeu membranâ tenuiſſimâ, carne humida, intus magis albicante, lata cavitate in medio, ac ad interiorem carnis ſuperficiem filamentis nonnullis fungoſis & albicantibus obductâ, in qua *nucleus* latet rotundus, cavitate minor, laxus & liber, qui cortice exteriùs eſt ruffo, ac ſpadiceo diluto, interiùs denſâ ac viridi-dilutâ pulpâ, ſaporis amari, & adſtringentis, quæ vel ſimplex eſt, vel in duos tréſve nucleos angulatos reſolvitur. Acoſtæ *oſſiculum album, durum, non admodum rotundum, oſſiculi quod in Perſico malo eſt magnitudine, læve, & candidâ hirſutâq; membranâ tectum fructum continere ſcribit.*

Fructûs ſapor dulcis eſt & gratus, ac odoris Roſacei, valdè amœni, quem etiam in ſapore expirat; frigidus eſt & humidus atque admodum tener *Acoſtæ.*

Radix craſſa eſt & ramoſa, altè in terram deſcendens, cortice cinericeo, intus ruſo, ligno albicante.

Poſt quartum annum fit fructifera. Fructum ſæpius eodem anno perficit, & nunquam ſine flore & fructu conſpicitur, cùm iidem rami floribus, fructu viridi & maturo ſemper ſint onuſti, aliis decidentibus, aliis matureſcentibus, aliis ſubnaſcentibus. Comprehenſi verò rami ad fructus colligendos facilè ab arbore revelluntur; unde conſtat lignum eſſe fragile.

Uſus. Fructus ante reliquos cibos initio menſæ edi ſolent. Condiuntur etiam tum fructus tum flores, atque ità aſſervantur; ſuccoſa frigiditate ſitim in febribus extinguunt, ſpiritúſque vitales confortant.

* P. I. F. 18. p. 29. 2. *Jambos prior* Acoſtæ. *Nati-Schambu* * H. M. *Prunus Malabarica fructu umbilicato Pyriform Jambos dicta, major.*

H. M.

Hæc quoque arbor excelſa eſt, A præcedenti differt, 1. *Caudicis* craſſitudine, ut qui ambitu unius hominis amplexum implet; cortice exteriùs ſcabro, ex ruſo vireſcente ac molli, aſtringentis, acidi vinosíque ſaporis. 2. *Foliis* grandioribus, & pro longitudine latioribus, ſaporis magis acidi. 3. *Florum* penicillo ſtamineo breviore, apicibus flavis ſeu ſubrufis, & floribus ipſis purpureo-rubro nitentis pulcherrimi ac vividi coloris. 4. *Fructibus* majoribus, pyriformibus, cùm maturi ſunt ad unam partem candidis, ad aliam rubeſcentibus, candida etiam parte lineis rubris ſtriata: nucleo cavitatem fructûs implente.

Bis in anno fructus fert. Fructus autem delicatior eſt quàm præcedentis.

Vires. Cortex arboris tritus, & in lacte acido epotus dyſenteriam ſiſtit.

Jambos arborem ex Malacca piperifera in diſſitas quaſque regiones ob florum fragrantiam & fructûs ſuavitatem tranſlatam ferunt, inquit Gul. Piſo: Inprimis autem ob perpetuam florum & fructuum viciſſitudinem, quòd altera arboris medietate frondibus & floribus orba, altera pars fructibus maturis & immaturis oneretur, donec frondes recuperaverit, ità ut iis perpetuo, tempore vernali ſimul atque autumnali, frui conceſſum ſit.

Flores & fructus *Jambos* frigidæ & humidæ ſunt qualitatis, inſigniter fragrantes, ac proinde inter primas delicias omnibus pariter incolis habiti. Plurimi quoque usûs paſſim in medicina exiſtunt. Fructus enim crudi, & flores ſaccharo conditi ab æſtuantibus ægris cum ſucceſſu uſurpantur, quòd ſuccoſa frigiditate ſitim in febribus extinguant, ſpiritúſq; vitales confortent. *Vires & Uſus.*

Blatti ſeu Jambos ſylveſtris H. M. *P.* 3. *Tab.* 40. *p.* 43. *Hujus loci non eſt, ſed ad Pruniferas flore imo fructui adnaſcente referenda.*

H. M.

Mediocris eſt magnitudinis, 14 circiter pedes alta, craſſo, cinereo, lignoſo *cortice* tecta: lignum albicans prædurum. *Rami* ac ſurculi geniculati, necnon teneriores quadranguli & alati, primùm rubicundi, dein ſpadicei, vetuſtiores verò alis privati ac rotundiores. *Radix* nigricante cortice tecta. *Folia* brevibus, planis, purpureis ac alatis petiolis, ex adverſo utplurimum ramulis inhærent, oblongo-rotunda, glabra, denſa, virore nitenti, longitudine ſex, latitudine quatuor fermè pollices ſuperantia; odor nullus, ſapor auſterus. *Flores* inodori ac acidi, floribus *Nati-jambou* haud abſimiles, ſex oblongo-teretibus, acuminatis, tenuibus, purpureis conſtant foliis, ſinguli brevi ac quadrangulo pediculo extremis ramulis innaſcentes, necnon lato, profundo, craſſo, viridi, in ſex lacinias ſecto excepti calyce, qui plurima inſuper emittit *ſtamina* robuſta, eminentia, oblonga, purpurea, rubicundis falcatis *apicibus* eleganter ornata. *Fructus* mala ſunt plano-rotunda ac lata, obſcuro virore nitentia, in vertice *ſtylo* oblongo, ſubviridi dotata, ad baſin verò calyce plano, lato, craſſo ac viridi excepta, qui oblongos ſuos cuſpides latè extendens, ac exteriora verſus reflectens ſtellam exactè refert. Cæterùm fructus hi, quanquam maturiores, duri ſunt, carne intus albicante ac ſucculenta, ſaporíſque valdè acidi referti, intra quam plurimà angulata, albicantia obſervantur *ſemina.* Inſuper fructibus hiſce tranſverſim diſſectis ſeminum folliculi eleganter in ſpecioſæ arboris formam per carnem diſpoſiti albicantes ſe offerunt; qui tamen ab aeris attactu mox planè nigreſcunt, ac ſi atramenti liquore eſſent imbuti.

In fluminum ripis aliiſque locis aquoſis plurimum hæc arbor naſcitur: ſemel in anno, menſe viz. Auguſto, maturos exhibet fructus, & à ſationis anno tertio aut quarto ad viceſimum circiter frugifera manet. *Locus & Tempus.*

Fructus autem hujus arboris ab indigenis coquuntur, & cum aliis cibis comeduntur: ſuccus è fructibus expreſſus & melli admixtus aphthis medetur, necnon febricitantibus æſtum potenter compeſcit. E foliis contuſis cataplaſma conficitur, quod capiti raſo in febribus continuis impoſitum ſomnum conciliando delirium ſolvit. *Vires.*

3. *Jambos ſylveſtris Malabarica Samſtravadi dictus. Caipa Tsjambou* H. M. *P.* 3. *T.* 11. *p.* 15.

Arbor eſt vaſtæ magnitudinis, caudice craſſo, ramis cinereis, ſaporis amari, odoríſq; ſubacidi, inc indè in orbem diffuſis donata. Lignum ex albo flaveſcens, denſum, cortice viridi, intus albiante cinctum, qui cruſta nigricante, ſcabra ac aſpera inſuper obductus eſt. *Radix* craſſa, furva, lbicante cortice munita, necnon fibris ſuis longè latéq; per terram diffuſa: ſapor acris & amarus, dor ingratus ac terreſtris. *Folia* ſtellæ in modum plura ſimul juncta, craſſis, brevibus, atro purpureis etiolis, ramulorum extremis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, in ambitu renata, ſupernè colore atro-viridi ſplendentia, infernè viridi dilutiore, ſpithamam ac amplius longa, almum lata: coſta media è viridi albicat. Sapor amarus & acris, odor ſuavis ac Pomum vinoſum naturum redolens. Vetuſtiora autem folia vitri inſtar fragilia fiunt & decidunt, atque ſui ſtigmata n ramis & truncis relinquendo, variis tuberibus eos cingunt. *Flores* inodori ac amari, floribus *Na- -Schambu* haud abſimiles, itidem ramulorum extremis inter expanſa folia proveniunt, caulibus mirum rotundis, flexilibus, purpureis, glabris, nitentibus, ac duas, tres, quatuórve ulnas Italicas ongis, quibus plures hinc indè adhærent, atq; è calyce craſſo, rotundo, viridi-purpureo, bipartito ut tripartito prodeunt, quatuor oblongo-rotundis, acuminatis, craſſis, ex viridi albicantibus, ac pel- cidis foliis conſtantes, numeroſis ſtaminibus purpureis, flaveſcentibus apicibus dotatis, mediam flo- s cavitatem & umbilicum occupantibus; inter quæ *ſtylus* prodit oblongus, purpureus, è fructûs ip- us vertice demum eminens. *Fructus* Pyris noſtratibus haud abſimiles, at inferiùs latiores, ſuperiùs nguſtiores, quatuor angulis craſſioribus ſulcati, & in vertice calyce florum ſurrecto coronati, cor- ce tenui, undiq; carni arctiſſimè adhærente, glabro, nitente, primùm viridi, dein ex candido ubeſcente cincti; carne albicante & ad corticem rufeſcente, denſâ, ſaporiſque ingrati ac amari, in- us referti, intra quam nucleus locatur oblongo-rotundus, cùm formâ, tum ſubſtantia & ſapore glan- perſimilis.

Naſcitur locis ſylveſtribus ac humidis in *Paroe Oediampere* aliiſque provinciis Malabar: perpe- ò frondet, floret, ac fructus fert, quamobrem Brachmanis *Sada-pala,* i. e. fructifera arbor nun- patur. *Locus.*

Ethnici *Jogues* ſeu peregrinatores ſurculis hujus arboris floriferis & fructiferis ſeſe exornant, eóſq; ſacros de collo ſuſpendunt, & ad preces numerandas utuntur. Porro folia in eduliis ſunt: ſuccus è liis expreſſus, & cum oleo Palmæ in unguenti conſiſtentiam coctus ſcabiem ſanat, ſi eo pars ffecta ungatur. Nuclei fructuum in pulverem rediguntur, íſq; diarrhœam ſanat, ſi cum fimo ca- ino, ſaccharo & lacte ebutyrato mixtus exhibeatur; ſi verò cum zinzibere & ſucco Limonum ſu- atur, teneſmo medetur: urinæ humanæ ſi admiſceatur, quibuſcunq; venenis antidotum eſt: cum *Vires.*

vino ſi propinetur colicam paſſionem ſanat; cum aqua mixtus & exhibitus, vel foris applicatus hæmorrhoidum dolores placat; tandem cum lacte muliebri epotus vomitum excitat, necnon icterum alióſque morbos bilioſos curat; at oculis adhibitus eorum affectibus conducit.

4. *Jambos ſylveſtris Samſtravadi dictus alter.*

Tsjeria Samſtravadi H. M. P. 4. T. 7. p. 15.

Præcedenti perquam ſimilis eſt, nec proceritate cedit.

Radix tamen ex albo flaveſcens, fibrata, amara, inodora. *Flores* purpurei, fructus quadranguli, ſaporis primò dulcis, dein amari & ingrati.

Locus & Tempus. Provenit in variis provinciis Malabar, locis nimirum uliginoſis & aquoſis. Singulis annis maturos exhibet fructus, menſibus viz. Januario, Februario, Martio & Aprili.

Uſus. Arboris hujus lignum durum eſt ac ſolidum, atque operi fabrili accommodum: Cæteræ verò partes eundem planè habent uſum cum *Samſtravadi.*

5. *Jambos ſylveſtris montana,* Malla-katou Tsjambou *H. M. P.* 4. *T.* 8. *p.* 17. *H. M.*

Arbor eſt mediocris magnitudinis, 14 circiter pedes alta, caudice albicante, variis ramis in orbem diffuſis donato, qui cortice ſcabro, primùm rufo, dein cinereo, ſaporis adſtringentis, odoríſque ſylveſtris obducti ſunt. *Radix* flaveſcens, rufo cortice tecta, unctuoſa, inſipida, inodora. *Folia* geminata brevibus petiolis ordine decuſſato ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, atro-viridia, ſupernè nitentia, infernè nequaquam; nervis aliquot è coſta media albicante, ac in averſa parte altè extuberante, in latera excurrentibus: ſapor acidus & auſterus, odor nullus. *Flores* exigui Tiliæ florum magnitudine æmuli, purpurei, inodori, acidi, numeroſi ſurculis tenerioribus proveniunt, atq; calyce viridi in quinque rotunda, cochlearis inſtar concava foliola ſecto inhærent, quinq; aut ſex craſſis, mollibus, ſubrotundis, ac exteriora versùs reflexis petalis conſtantes; in quorum medio *ſtylus* prodit, itidem purpureus, ſuperiùs tripartitus. Floſculis pari fertilitate ſuccedunt *fructus* ſubrotundi, magnitudine Prunis haud abſimiles, umbilico lato quadripartito in vertice præditi, cortice viridi cincti, carnéq; denſa, acidi ac ingrati ſaporis, intus referti; intra quam nucleus locatur albicans, itidem acidus & auſterus.

Locus & Tempus. Naſcitur frequenter locis montanis in Paroe aliiſq; provinciis Malabar: quotannis maturos fert fructus, menſe viz. Auguſto.

CAP. II.

Prunus fructu umbilicato, pyriformi ſpinoſa, racemoſa. *Idou-Moulli* H. M. *P.* 4. *T.* 18. *p.* 41.

Arbor eſt procera, 70 circiter pedes alta, caudice craſſo, multíſq; ramis longè latéq; diffuſis donato, intus viridi; necnon ſurculis numeroſis, rigidis, fuſcis, glabris, ac nitentibus ſpinis inſuper dotatis, undique ornati ſunt. Lignum albicans fibroſum, denſum, cortice cinereo, intus rufo ac ſubviridi, ſaporis ſubamari tectum, cujus matrix rubicunda, prædura. *Radix* albicans rufo cortice cincta, ſaporis amari, odoris terreſtris. *Folia* circa ramulos ſpinoſos brevibus ac rotundis petiolis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia, coſta media rufeſcit, odor & ſapor nullus. *Floſculi* itidem circa ſpinoſos ramulos atro-rubentibus ac aſperis petiolis numeroſi proveniunt, purpurei, quinq; oblongo-rotundis acuminatis foliolis conſtantes, quinque in medio flaveſcentibus fibris, *apicibus* dotatis præditi; inter quos ſimilis prominet *ſtylus* rubicundus, exiguus: ſapor ingratus, odor nullus. Floſculis pari fertilitate ſuccedunt *fructus* pyriformes, ſubvirides ab una parte, ab altera verò rubicundi, nitentes, exiguo in vertice umbilico coronati, carnéq; viridi, denſâ, ſucculentâ amarâ intus referti; intra quam officulum hæret rubicundum, Nucleum includens candidum, guſtu primùm Avellanæ haud abſimilem, dein tamen ingratum relinquentem ſaporem.

Locus & Tempus. Provenit locis campeſtribus & arenoſis in *Paloerti* aliiſq; provinciis Malabar. Quotannis ſemel, nonnunquam bis, maturos fert fructus, Januario, viz. & Martio menſibus, diúque ſuperſtes manet.

Vires. Cortex, flores, fructus valent adverſus Maniam, Phrenitidem alióſque cephalicos affectus.

E cortice in aqua communi decoctio fit, quæ icterum, hydropem, alióſque chronicos morbos potenter ſanat.

Radicis cortex cum Santalo rubro in pulverem redactus, ex eóque cum lacte muliebri cataplaſma confectum ac inguinibus impoſitum bubonibus Venereis medetur.

C A P. III.

Prunus Braſilienſis fructu umbilicato Pyriformi, oſſiculo Ceraſino pari.

Ibiruba Braſilienſibus Marcgrav. Piſ.

Marcgr.

ARbor cortice, ligno & naſcendi modo *Guaiabæ* ſimilis, ramos tamen habet ut noſtra Ceraſus. *Folia* fert duos aut tres digitos longa, [teretia *Piſ.*] membranacea, ſuperiùs ſaturatè viridia, inferiùs pallida, uno nervo ſecundùm longitudinem, nullis venis tranſverſis, duo
emper ſibi invicem oppoſita : in ramorum quoq; extremitate duo fructus ſibi opponuntur, in ſuis
ediculis digitum longis propè oppoſita folia enati; flavi ſeu aurei coloris, magnitudine pruni, ſed
otundi & verſùs pediculum turbinati, umbilicati, umbilico è flore reliquo, cuticulâ tenui veſtiti,
arne ſucculenta fulva, ſaporis acidiuſculi ac paulatim amaricantis, haud ingrati, odoris ſubdulcis
& vinoſi. Continet lapidem, (ſæpe duos, in uno latere planos & conjunctos, cætera rotundos)
agnitudine Ceraſini, qui continet intus nucleum album, amaricantem. Similis eſt lapidi *Ubapitanga*,
ec facilè dignoſcuntur.

Magnâ copiâ ſine noxa comeditur hic fructus, & ab incolis venum exponitur. Per taleolas tranſ-
lantatur; ob excellentiam fructuum ex ſylvis in hortos tranſlata.

Inter folia hinc indè caudici *flores* cum pediculo adnaſcuntur, albi, ut in *Guaiaba* ferè, *Piſo.*

C A P. IV.

Prunifera Indica fructu umbilicato ſulcato, Groſſulariæ ſimili.

Bella Modagam H. M. *P.*4. *T.* 59. *p.*121.

H.M.

ARbor eſt ſpecioſa atque præcelſa plurimùm; *caudice* craſſo, albicante cortice obducto, ramulíſq; viridibus, fungosâ intus medullâ refertis plurimis donato. *Radix* albicans, flaveſcente cortice tecta, ſaporis acris. *Folia* Modagam foliis cum formâ tum magnitudine ſi-
lia. *Flores* ſuaveolentes, inſipidi, plures ſimul juncti, extremis ramulis proveniunt, calycíq; viridi
quinq; lacinias acuminatas ſecto inhærent : conſtant ii ex unico folio oblongo-rotundo, bifido &
uando trifido, ſupernè albo-ſtriato & lanuginoſo, infernè viridi-albicante, quinque tenuibus
minulis medium occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit candidus, oblongus, capitulo rotundo. *Fru-*
ſubrotundi, virides, glabri, uvis criſpis haud abſimiles, at quinq; angulis ſulcati, & calyce flo-
n ſurrecto in vertice coronati, tenui pelliculâ cincti, carnéq; viridi & adſtringente intus referti, in-
quam *oſſiculum* locatur candidum, *nucleum* includens albicantem.

Creſcit locis montanis & arenoſis in *Mangatti*: Semper viret, floret ac fructus fert, diúq; frugi-
manet. **Locus.**

Ex arboris foliis cataplaſma conficitur, quod tumoribus impoſitum potenter eos emollit & ma-
t. Ex iiſdem in aqua coctis Apozema præparatur, quod urinam movet, & menſtrua obſtructa
vocat. **Vires.**

C A P. V.

Prunifera Braſilienſis fructu umbilicato, octies ſtriato, ſeu ſulcato.

Ibi pitanga ſeu Ceraſus Braſiliana Piſonis & Marcgrav.

ARbor eſt figurâ Ceraſi noſtratis acidæ, niſi quòd truncus contortiòr hinc indè cum ramis diſpergatur. *Folia* habet lævia, ſupernè ſaturatè viridia, infernè dilutiora, bina ſemper directè oppoſita. Ad foliorum exortum multos fert *flores*, in pediculis ceraſinis, albos, qua-
foliis conſtantes, & multis ſtaminulis. Flores ſequitur *fructus* miniatus, magnitudine verticilli
accæ Mori, rotundus & octies profundè ſtriatus, umbilico præditus; cuticula veſtitur miniata,
ina, pulpa quoq; miniata ſucculenta, ſaporis calidi & ſubamari, cúmque gravi acore adſtrin-
is lapidem continet rotundum, paulùm compreſſum, albicantem, haud durum, in quo nucleus
ehenditur albicans, amar ſaporis : Qui lapis dignoſci non poteſt à lapide fructus *Maſarandiba*.
uctus ſecundæ menſæ deliciis non ſolùm ſed ægris prodeſſe ſolent : ventriculum enim langui-
mirè reficiunt, flatus diſcutiunt, nauſeam ſtomachi reprimunt. **Vires.**
im ſylveſtris tantùm erat hæc arbor, nunc ob uſum & elegantiam in hortis Luſitanorum
r.

CAP. VI.

Prunifera Indica fructu umbilicato racemoſo Avellanæ magnitudine.

Katou-Theka H.M. *P.* 4. *T.* 28. *p.* 59.

THekæ ſpecies eſt minor & humilior, craſſitie Pruno haud abſimili *caudice*, cortice obducto cinereo, necnon ramulis viridibus, quadrangulis, ac ſulcatis, plurimis itidem ornato: *Lignum* albicans, inodorum, inſipidum. *Radix* purpurea. *Folia* geminata ordine parallelo ramulis inhærent, oblongo-rotunda, craſſa, denſa, glabra, ſupernè colore atro-viridi nitentia, infernè viridi dilutiore, ſpithamam longa, tres quatuórve circiter digitos lata, inſipida, inodora, coſtâ mediâ flaveſcente. *Flores* è ſurculorum extremis inodori ac inſipidi oriuntur in Jubæ formam diſpoſiti, numeroſi, quorum ſinguli ad flores Lilac accedere videntur, oblongi, candidi, quinque teretibus, craſſis, mollibus, & extrorſum reflexis foliolis conſtantes, quinque albicantibus, erectis & acuminatis *ſtaminulis* medium occupantibus. *Fructus* Nucum Avellanarum magnitudine æmuli, oblongo-rotundi, exiguo in vertice umbilico præditi, glabro ac flaveſcente cortice cincti, necnon carne viridi-flaveſcente, ſucculenta, dulci referti; intra quam *oſſiculum* continetur, *nucleum* includens candidum, dulcem.

Locus & Tempus. Naſcitur ubiq; in Malabar, præſertim circa *Warapoli*: ſemper viret, quotannis floret, fructúſq; fert, menſibus, viz. Auguſto, Septembri & Octobri, at diu frugifera non eſt.

Vires. Fructus loco Arequæ ſeu Kaungæ cum folio Betel frequenter manducantur. Arboris cortex exiccatus & in pulverem redactus ſicq; exhibitus bilis ardorem compeſcere dicitur.

CAP. VII.

Amygdalæ affinis Indica, fructu umbilicato, nucleo nudo, cortice pulvinato trifido tecto.

Paenoe H. M. *P.* 4. *T.* 15. *p.* 33.

ARbor eſt præcelſa & ſpecioſa plurimùm, 60 circiter pedes alta, caudice 16 pedes plus minus craſſo, multíſq; ramis longè latéq; diffuſis, ac cortice craſſo, cinereo, intus rufo, obductis, donato, qui vulneratus lachrymam fundit reſinoſam, candidam, pellucidam, odoratam, acrem ac amaram, quæ radiis ſolaribus tandem flaveſcit, ſpiſſeſcit, & vitri inſtar fragilis evadit. Lignum denſum, ex albo flaveſcens. *Radix* nigricans, reſinoſa, amara, graveolens, necnon fibris ſuis longè latéq; per terram diffuſa. *Folia* ſine ordine craſſis, rotundis ac cinereis petiolis ramulis adhærent oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, ſplendentia, longitudine ſpithamam, latitudine palmum ſuperantia, ſupernè viridia, infernè è viridi flaveſcentia; ſapor amarus ac reſinoſus, odor nullus. *Flores* circa ramulos teneriores candidis petiolis glomeratim non ſparſim producuntur, ſensímq; porrectis columellis umbellæ ſpecie panduntur; conſtant è quinis, oblongo-teretibus, craſſis, candidis foliolis, atq; calyci albicanti in quinque lacinias acuminatas ſecto inhærent numeroſis *ſtaminulis* flaveſcentibus medium obſidentibus; inter quæ *ſtylus* prodit albicans, ſurrectus, apice rotundo ac flaveſcente: odor ſuavis ac liliaceus, ſapor amarus. *Fructus* nucum Juglandium viridium magnitudine æmuli, petiolis craſſis, longis ac rotundis proveniunt, oblongo-rotundi, at ſuperiùs latiores, inferiùs anguſtiores, & calyce florum versùs caulem reflexo ornati, quos tegit pulvinatus cortex, coriaceus, atro purpureus ac tribus angulis ſulcatus, qui fructu maturo dehiſcit planè, & trifariam finditur, ac nucleum exhibet majorem, oblongo-rotundum, candidum, rufâ cuticulâ tectum, uti in nuce Avellana cernitur, ſaporis ſubamari & ſubaſtringentis. Hic autem pulvinatus calyx qui fructum ambit levibus inciſuris vulneratus, ſimilem fundit lachrymam reſinoſam uti inciſus cortex, quæ aeris attactu protinus Saccharicandi inſtar ſpiſſeſcit, ac dein rufeſcit.

Locus & Tempus. Creſcit ubiq; in Malabar; perpetuò frondet; ſingulis annis maturos profert fructus, menſe vi Aprili, & non raro 300 frugifera manet annos.

Ex arborum teneriorum truncis mali navales fiunt: ex iiſq; cum provectiores ſunt excava naviculas majores (*Mansjous*) Indi conficiunt, quarum nonnullæ 60 aut plures homines vehe poſſunt.

Vires & Uſus. Reſina quam radix, cortex, fructus, aliæque arboris partes fundunt cum oleo copioſiore vel pa ciore excocta picis liquidæ vel duræ loco uſurpatur, inſuper Ethnicis in ſacrificiis thuris lo adoletur.

E foliis diſcos conficiunt gentiles in quibus arboris gummi ſeu reſinam excipiunt & ſervant.

Fructuum nuclei contuſi, & cum aqua calida ſuper Porphyritem lævigati ventriculum robora nauſeam & vomitum tollunt, ventris cruciatus mitigant, Choleram ſanant. Ex arboris reſina c Seſami oleo eliquata præſtans fit balſamum vulnerarium. Eadem pulveriſata & exhibita gonorrh am aliáq; Venerea accidentia potenter ſanat,

Cap. VIII.

Arbor Indica Prunifera fructu umbilicato corticoſo Perſici ſimili.

Kara-Angolam H. M. *P.* 4. *T.* 26. *p.* 55.

ARbor eſt procera, altitudine 40, craſſitie verò ſex circiter pedum menſuram æquans, multíſq; ramis ſubcinereis ac viridibus, in orbem longè latéq; diffuſis, donata. Lignum albicans, denſum, cinereo cortice obductum; cujus matrix purpurea. *Radix* craſſa, denſa, flaveſcens, furvo cortice tecta, necnon profundè terræ inhærens, fibríſq; ſuis latè per eam diffuſa, ſapore acri & amaro, odore gravi. *Folia* brevibus ramulis inhærent, oblongo-rotunda, glabra, mollia, ſupernè viridia, ſubtus ſubviridia ſapore acri & amaro, odore nullo. *Flores* brevibus ac viridi-fuſcis petiolis circa eoſdem cum foliis ramulos proveniunt, viridíque ac profundo calyci inſident, è ſex teretibus, craſſis, denſis, acuminatis, candidis foliolis conſtantes, quæ extrorſum reflexa apicibus circa pediculum coeunt; decem aut duodecim candidis & acuminatis *ſtaminulis* mediam floris cavitatem occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit albicans, apice ornatus oblongo-rotundo; Odor ſuavis, ſapor amarus. Floribus ſuccedunt *fructus* globoſi, pomorum minorum magnitudine æmuli, exiguo in vertice præditi umbilico, cortice craſſo, molli, tomentoſo, purpureo, intúſque albicante cincti, necnon carne rubicunda, ſucculenta, viſcida, tenaci, acidíque ſaporis, intus referti; intra quam *oſſiculum* locatur oblongo-rotundum, rubicundum, *nucleum* includens candidum, amaro-dulcem.

Locus. Naſcitur locis petroſis, arenoſis & montanis in *Kandenate* aliíſq; provinciis Malabar. Semper frondet, floret, frugétq;, ac diu ſuperſtes manet.

Vires. Ex arboris foliis cum oleo coctis unguentum conficitur vulnerarium. Radix cathartica eſt, humoréſq; ſeroſos ac pituitoſos per alvum educit. Fructus autem rarò comeduntur, quoniam impensè anguinem calefaciunt.

CAP. IX.

Lotus arbor Park. Ger. *Lotus arbor fructu Ceraſi* J. B. *Lotus fructu Ceraſi* C. B. **The Nettle-tree**: *id eſt, Urticæ arbor, à figura foliorum.*

J. B.

LOtus dicta arbor magna eſt, caudice craſſiſſimo, ramis Ceraſi inſtar brachiata, ſed in latitudinem magis quàm in altitudinem extenſis, cortice lævi ſubalbido (ut Cæſalpinus ait, ut Matth. in cœruleum nigreſcente) foliis Ulmi longioribus, & magis in acutum deſinentibus, infe- ore parte nonnihil incanis, ſupernâ viridantibus, rugoſis, in ambitu ſerratis, in acutum deſinenti- s, quæ nihil nobis cum Ilice videntur habere commune. Ad unumquodq; ferè folium eſt bacca bnigra, Ceraſo ſylveſtri ſimilis, minor tamen, ex longo pediculo, pulpam paucam albam conti- ns, cum dulcedine aſtringentem, gratam: oſſiculum ad fructus proportionem magnum: bacca a ſicciſſima, ut vix ea quis ſatiari poſſit. Floſculi, teſte Cæſalpino, ex binis foliolis conſtant, ſum- o fructui inſidentibus: Baccæ nigræ; oſſiculum durum, veluti quadripartitum, intus unica ſeminis edulla dulcis.

Si floris ſitum rectè deſcribit Cæſalpinus, in noſtra methodo ad hoc genus pertinet.

Locus. Multis Italiæ in locis reperitur ſpontanea: nos circa Romam in ſepibus obſervavimus, necnon in llia Narbonenſi circa Monſpelium.

Arbor hæc eſſe non potuit cujus fructuum dulcedine capti Ulyſſis ſocii, cum Lotophagis per- anere ut eis fruerentur quàm ad ſocios reverti maluerunt. Quæ enim gratia eſſe potuit tam ci & exſucci pomi, niſi fortè in iis regionibus carnoſior atque etiam ſuavior quàm in no- is ſit?

Vires. Arborem hoc in loco à nobis è J. B. deſcriptam ipſiſſimam Theophraſti, Plinii aliorúmque Ve- rum Lotum eſſe pro certo affirmare non auſim; adeóque an vires Loto ab iis adſcriptæ huic nveniant neſcio. Fructus adſtringunt & alvum ſiſtunt, maturi minús. Ramentorum decoctum infuſum dyſentericis fœminíſque profluvio laborantibus confert. Rufat flavóſq; etiam reddit ca- os (quod præter Dioſcoridem & Serapionem nemo tradit) eoſdémq; defluentes continet.

SECTIO III.

De Arboribus fructu umbilicato humido tam polypyrenis, quam monopyrenis, ſeu De Bacciferis umbilicatis.

CAP. I.

De Uva criſpa ſive Groſſularia. **The Goosberry-buſh.**

UVa criſpa dictus eſt hic frutex ab intortis & veluti criſpis foliis & acinis quos producit. Groſſularia verò à dura illa membrana ſeu cuticula, quâ obducuntur acini iſti, ſiquidem manducati crepant inſtar membranæ quæ diſrumpitur *J. B.* Aliis ità dicta putatur quòd fructus Groſſos referat. Certè vox eſt Gallica *Groſſelier* Latina facta: cur autem Gallis ita appelletur nos latet.

Groſſulariam Veteribus tam Græcis quàm Latinis incognitam, certè indictam opinamur.

Groſſulariam ſic deſcribit J. Bauhinus.

Frutex eſt bicubitalis & tricubitalis, ac etiam major, numeroſa ſtolonum ſegete luxurians, variéq; in ramulos ſubdiviſus, cortice purpurante [in adultioribus ramis, nam in junioribus virgis & circulis albicat] materie ferè buxeo colore palleſcente; ſpinis longiuſculis, acutis ac rigidis ad foliorum exortum paſſim armatus, ſingularibus, binis aut ternis. *Folia* unguem lata, nonnunquam ampliora, nonnihil rotunda, modicè diviſa [Apii modo diſſecta. *Ruel.*] ſuperiùs ſaturo virore ſplendentia, inferiùs dilutiora, utrinque hirſuta [pilis rarioribus] ſapore acido, ex brevibus pediculis. *Floſculi* pulchelli, parvi, ſuavi ſed nonnihil gravi odore, ſimul multi ex eodem tuberculo ex quo folia prodeunt, ex pediculo breviſſimo, punicante, hirſuto, nutantes, quibus ſubſunt globuli hirſuti futurarum baccarum rudimenta, ex foliolis quinis utrinq; rubentibus, extrorſum reflexis, ut radiatam ſtellam exprimant, quæ totidem adnatas quaſi lingulas albicantes, intus hirſutas ſurrigentes, florem reliquum concavum efficiunt: inter ſingulas autem lingulas ſingula ſtamina rectà ſe tollunt, à rubris illis florum foliis ſimiliter orta: ex globulo autem ſtylus vireſcens, alba lanugine circa infimam partem obſitus. *Baccæ* ſuccedunt rotundæ [aut ovales] interdum hirſutæ, plerunque glabræ, ante maturitatem acidæ, maturæ dulces, in quibus grana multa exigua.

Hujus fruticis multæ ſunt fructûs reſpectu varietates: nimirum,

1. Groſſularia ſimplici acino ſpinoſa ſylveſtris *C. B.* quæ variis Germaniæ in locis ſponte provenit.

2. Groſſularia ſpinoſa ſativa *C. B.* Groſſularia majore fructu Cluſii, uberiùs naſcens, majoribus foliis & baccis prædita; quæ (ut puto) culturâ evadit talis.

3. Groſſularia fructu maximo, hiſpido, margaritarum fere colore. Noſtrates Groſſulariam albam maximam Belgicam vocant. Foliis eſt amplioribus, ſpinis longioribus & validioribus, fructu maximo albicante, aut Margaritarum propemodum colore, (unde à nonnullis, **The Pearl Goosberry** dicitur) ſpinulis innocuis hiſpido, ſapore delicato *.

4. Groſſularia ſpinoſa ſativa altera, foliis latioribus *C. B.* Hoc genus (deſcribente *Cluſio*) amplioribus nigrioribúſq; eſt foliis; ſpinas ad ſingulos foliorum exortus binas vel unicam habens, interdum etiam nullas, breves & vulgari multò infirmiores, præter alias inertes & longè breviores ſparſim ramis cortice ex fuſco purpuraſcente tectis innaſcentes: fructum dum immatura eſt vulgaris i ſtar virentem, qui maturus purpuraſcit, plena autem maturitate ex purpura atrum colorem contrahit, perinde ac nonnulla pruna. Triplicem hujus varietatem deſcribit Parkinſonus. Nimirum 1. Jam deſcriptam fructu obſcurè purpuraſcente. 2. Alteram huic ſimilem, baccis minoribus, rubicundioribus acidis cum dulcedine. 3. Tertiam vulgari fructu luteo per omnia ſimilem except baccarum colore pulchre rubente. Fortè Groſ. vulgaris fructu rubro *Cluſ.* quem Ungaros minorem marinam uvam appellare ſcribit. His addi poteſt quam pro ſpecie diſtincta ponit Parkinſonu Groſſularia cœrulea, cui folia majora & primo exortu rubicundiora attribuit quàm ſunt ſecund varietatis prædictæ, baccas in ramulis rariùs ſitas, minores etiam quàm prædictæ Groſſulariæ rub minoris, colore cœruleo Pruni Damaſceni inſtar, qui pariter detergi poteſt. 5. Groſſularia viri hirſuta *Park.* Spinæ huic mitiores: fructus virides etiam cùm plenè maturi, ſpinulis ſeu ſetis inn cuis obſiti, guſtu præ reliquis omnibus dulci & grato. Ex hujus ſeminibus enatæ ſunt plantæ ba cis lævibus & minime hiſpidis. 6. Groſſularia ſimplici acino cœruleo non ſpinoſa, quam in h tis nunc haberi ait C. Bauhinus.

Locus. Amat frigidos tractus, nec ullum frigus reformidat: in Gallia Narbonenſi, Italia, reliquiſque c lidioribus regionibus minùs frequens nec niſi in hortis ferè reperitur; per totam Helvetiam in pibus vulgatiſſima.

Uſus. Sepibus hortorum imprimis commoda eſt. Facillimè enim naſcitur, denſè fruticat & propagat ipſam, & ſpinis ſuis tranſitum prohibet, & acinis jucundi ſaporis placet. *Geſn.*

Veris initio pubet ac vireſcit Martio, ſæpe etiam ante.

Tempus. Floret Aprili: Fructum fert Maio, quem Junio & Julio perficit.

---

* *Cluſius hujus verbo meminit Groſſulariæ albo fructu nomine.*

Fructus immaturus adhuc & acidus coquitur cum carnibus & piſcibus, nam ſucco ſuo ſubacido cibos commendat. E baccis immaturis probè coctis, contuſis & ſaccharo edulcoratis cum cremore lactis lautiſſimum ferculum parant noſtrates. Placentæ etiam omnium delicatiſſimæ, quas *Tartas* vocant, ex eis fiunt. *Vires & Uſus.*

Ipſe autem maturus fructus (inquit J. Bauhinus) pueris, pauperibus & gravidis mulieribus ſatis expetitus, imò apud nos ditiores & delicatiores meliora genera non aſpernantur. Sunt autem adeò nnoxiæ & ventriculo amicæ hæ baccæ, ut nemo unquam, quod equidem audiverim, ex earum eſu uamvis ad ſatietatem uſq; ingeſſerit, vel minimum nocumentum ſenſerit.

Immaturæ juſculis incoctæ febrientibus non ſine utilitate exhibentur. Frigidæ namque ſunt & dſtringentis qualitatis. Quapropter diverſimodè adminiſtrari poſſunt cholericis, calidis, & bile re-ertis corporibus, tam ſanis, quàm ægris in intinctibus & condimentis. Valent contra gravidarum icam: Appetentiam cibi excitant. Omne ventris profluvium, potiſſimùm verò Diarrhœam & Dyſenteriam & Iliacam paſſionem compeſcunt, ut tradit Matthiolus. Commendantur etiam ad æmorrhagiam quamcunque, Gonorrhœam & fluorem album. Utiliter etiam applicantur inflam-ationibus calidis & Eryſipelatis.

Rectè autem monet Parkinſonus immaturarum eſum largiorem, quomodocunque præparentur, entriculis frigidis & flatibus obnoxiis non permittendum, ne dolores colicos aut tormina inducant. Nobis equidem liberior earum eſus in quocunque ventriculo improbandus videtur, non tam quòd atus excitent, quàm quòd ob exſuperantem aciditatem inteſtinorum tunicas interiores corrodere violare aptæ ſunt: in condimentis autem & embammatis, ſi modus adhibeatur, egregiæ ſunt: in ibis etiam probamus modò non ſeorſim & nimia quantitate ſumantur. Matronæ noſtræ cum ccharo conditas aſſervant pro Bellariis; febricitantibus autem conveniunt.

Vinum etiam è maturis parant noſtrates hoc modo, Baccis in dolium injectis aquæ ferventis q. ſ. fundunt, & vaſe exactè clauſo per tres quatuórve hebdomadas reſtare ſinunt, donec liquor bacca-m ſucco & ſpiritu penitus imprægnatus fuerit, baccæ autem planæ exſuctæ & inſipidæ reddan-r; deinde exhauſtum cum ſaccharo in ampullas vitreas infundunt, quas probe obturatas ad tem-s reſervant, donec liquor cum ſaccharo intimè mixtus & fermentatus in generoſum & vini æmu-m laticem exaltetur.

Cap. II.

De Ribeſio.

A. 1. *Ribes vulgaris fructu rubro* Ger. *vulgaris acidus ruber* J. B. *fructu rubro* Park. *Groſſularia multiplici acino, ſive non ſpinoſa hortenſis rubra, ſive Ribes Officinarum* C. B. **Red Currants.**

MUltis ſtolonibus, parùm craſſis, bicubitalibus & tricubitalibus, aut etiam altioribus exurgit, cortice ſpadiceo aut cinereo, materie infirma, virente, cum ampla matrice ſeu medulla. *Folia* Uvæ criſpæ foliis ſimilia, ſed multò latiora, ſinuata, mollia, ſupernè virentia, gla-a, infernè molli lanugine caneſcentia, ſapore ſubaſtringente, acido & nonnihil acerbo. *Flores* cematim cohærent plurimi, ex pediculo tenui, unciali & ſeſquiunciali, aciduli, quinque foliis pal-è virentibus, oris extrorſum reflexis conſtantes [rectiùs unico folio in quinque lacinias profundè iſo, nudi, h. e. nullo calyce excepti] *ſtaminulis* ſex ſeſſilibus, exiguis umbilicum medium, qui co-e obſoleto eſt, & *ſtilo* virenti minuto bifido lacunam aperit, ambientibus. Succedunt *fructus* vi, rotundi, Groſſulariis minores, initio virentes, per maturitatem rubri ſucco acidulo grato tur-li, pluribus ſeminulis fœti, florem in vertice geſtantes.

Paſſim in hortis colitur, Aprili menſe aut ſeriùs pro Veris conſtitutione florens, Julio ſemen ma-rans: ubi ſponte provenit nondum didicimus: humidis tamen delectari videtur. *Tempus & Locus.*

Ribes Arabum eſſe non poteſt; ſiquidem neq; capreolos profert, neque folia obtinet rotunda, æ Serapio Ribis notas facit. Veteribus Græcis incognita & indicta videtur.

Hujus fructus omnium conſenſu utiliter exhibentur iis qui ardentibus febribus laborant, neque non qui calidas alvi fluxiones patiuntur, autore Trago. Namque hi acini, ſicut & ſerapia, & ecleg-ta, atq; Rob (ut vocant) de Ribes (hoc eſt, ſuccus inſpiſſatus ad mellis conſiſtentiam, vel ſeorſim, cum ſaccharo) ſitim immenſam reſtinguunt, vomitiones ſiſtunt, cibi appetentiam invitant, cho-am morbum reprimunt, dyſentericis ex calida cauſa proſunt. Quidam Saccharo has baccas con-nt ſicut & Ceraſa: baccas etiam in Sole ſiccant & aſſervant ad eaſdem affectiones. Reliquas n Oxyacantha eaſdem vires obtinet. *Vires.*

Ribes grata ſua aciditate ardores febriles reſtinguit, bilem temperat, & ſitim ſedat: adſtrictoria ad choleram morbum aliáſque bilioſas alvi fluxiones, ad hæmoptyſin, uvulæ tumorem, &c. uſui e poteſt.

Matronæ noſtrates Ribium baccas in ollam inditas in balneo Mariæ (ut vocant) coquunt, donec ccus copioſè exeat. Succum cum Sacchari q. ſ. * decoquunt ad gelatinæ conſiſtentiam: (Gelati-m Ribium vocant) & pro dulciario ad menſas ſecundas inſtruendas reſervant. Eſt ea palato gra-ima, & ad omnes uſus ſupradictos commodiſſima.

* *Quædam non permittunt bullire.*

Ex iiſdem cum Saccharo vinum parant, eadem methodo qua vinum ex uvis criſpis, poſt fermenta-nem & ætatem debitam, generoſum ſatis, & palato, nec minùs ventriculo gratum.

Folia vehementer aſtringere teſtis eſt Fuchſius.

2. *Ribes vulgaris acidus, albas baccas ferens* J. B. *vulg. fructu albo* Ger. *fructu albo* Park. *Groſſularia hortenſis fructu Margaritæ ſimili* C. B. **White Currants.**

Baccis albis, pellucidis, Margaritas penè referentibus ſapore vinoſo jucundiore; cortice fruticis candidiore, ſtolonibus [Parkinſonio] elatioribus, rectioribus, craſſioribus, à præcedente differt. Ego pro præcedentis potiùs varietate quàm ſpecie diſtincta habeo.

3. *Ribes fructu rubro majore* Park. *Groſſularia hortenſis majore fructu rubro* C. B. *An Ribes flore rubente* J. B? **Great red Currants.**

Hanc ſic deſcribit Cluſius, Amplioribus eſt foliis, & majore fructu, licèt acidi ſaporis ut vulgaris. Hujus etiam *flos* variat; quia qui in vulgari herbacei coloris eſt, in hoc eleganter rubet & puniceus eſt. Ad hanc ſpeciem annotat C. Bauhinus, culturâ aliquando in arborem abire, & acinis Avellanâ majoribus, acidiſſimi ſaporis Florentiæ viſam, referente Geſnero in lib. de hortis. J. Bauhino deſcribente Ribes flore rubente firmior frutex eſt vulgari ac robuſtior, cortice rubeſcente veſtitus: *Foliis* hirſutis, ad tactum lævibus, anguloſis ut vulgaris, ſapore tantillum acido, longis florum racemis quos Maio menſe profert, ferè palmaribus, figurâ ferè Uvæ criſpæ floribus ſimilibus, obſoleto rubore præditis, quorum fimbria quinquepartita albeſcit, ſapore ſubacido.

4. *Ribes monocarpos* J. B. *Groſſularia diſtinctis baccis* C. B.

Cluſ.

Fructum fert vulgari ſimilem, paulò majorem, confertim tamen in eodem pediculo non naſcentem, ſed ſingularem, ut in uva criſpa, referente Jac. Gareto.

Ex Anglia accepit Carolus de Taſſis Uvæ criſpæ rubro fructu appellatione. Et ſanè veriſimilius eſt Uvæ criſpæ quam Ribis ſpeciem fuiſſe, cùm in Anglia ejuſmodi Ribes nobis nuſquam viſa aut audita fuerit.

A. 5. *Ribes Alpinus dulcis* J. B. *An Groſſularia vulgaris fructu dulci* C. B? *Groſſularia ſylveſtris rubra* ejuſdem.

J. B.

Fruticat ut præcedens tenui vimine, cinereo cortice contecto. *Folia* ex alternis tuberculis exeunt ſimul aliquot, cùm floret, pluſquam dimidio minora vulgaris Ribis foliis, uvæ criſpæ æqualia, in tres acutos angulos exeuntia, in ambitu ſerrata, leviſſimè hirſuta, ſupernè atro-virentia, infernè læto virore ſplendentia, excurrente in angulos ſingulos nervo ſatis elato, guſtu ſubdulci, ex pediculis ſemuncialibus hirſutis. *Flores* ex tuberculis ejuſdem racematim cohærent, numeroſi ut in vulgari, herbacei, ſed floribus Ribis vulgaris magnitudine multùm cedentes, foliis tamen quinis perinde & apicibus conſtantes, odore gratiſſimo. Singularibus floſculis ad pediculum adnaſcitur foliolum concolor, tenue & oblongum. Uvæ breviores quàm vulgari, acini minùs rubri, ſubdulces & ferè inſipidi.

Locus. Nos in montibus circa Genevam, Saleva & Jura, ubi & J. Bauhinus, obſervavimus. Provenit & in montibus circa Baſileam. In agro Eboracenſi invenit *D. Dodſworth.*

J. Bauhinus hujus ſynonymas facit Ribes candidioribus foliis acinis dulcibus *Lob. ob.* Groſſulariam vulgarem fructu dulci *C. B.* Ribes genus quoddam quod Auſtriæ & Stiriacæ Alpes alunt, nihil vel minimum à vulgari differens, fructu tamen non acido ſed dulci. Verùm hæc ſpecies in multis differt à Ribe vulgari acido fructu, non in ſapore acido tantúm. Dari autem ejuſmodi varietatem Ribis vulgaris, fructu ſci. dulci veriſimile eſt: proinde Groſſulariam vulgarem fructu dulci C. B. plantam ab hac diverſam & Ribis vulgaris fructu acido varietatem eſſe puto. Suſpicor tamen Cluſium verbis modo allatis hanc noſtram intelligere ob locum natalem, quamvis malè eam nihil vel minimùm à vulgari differentem faciat.

Groſſularia 10. ſeu ſylv. rubra *C. B.* Groſſulariæ rubræ ſive Ceanothi lævis genus circa ſylvas Geſneri *Lugd.* huic eadem videtur.

A. 6. *Ribes nigrum vulgo dictum folio olente* J. B. *fructu nigro* Park. 3. Ger. emac. *Groſſularia non ſpinoſa fructu nigro* C. B. **Black Currants, Squinancy-berries.**

Frutici huic *folia* vitiginea, lata, averſa parte leviter piloſa, odore fœtido. *Flores* ex eodem tuberculo plures, aut racematim digeſti, Uvæ criſpæ floribus perſimiles, concavi, quinq; foliolis rubentibus extrorſum reflexis, totidem ſurrectis pallidè virentibus, alternante cum quinis fibris concoloribus ſitu: ſtilus in medio viridis; odor, qui & foliis, gravis: baccæ oblongæ, colore nigro, quæ ſive maturæ, ſive immaturæ acidæ ſunt, cum ſapore partim grato, partim ingrato.

Locus. Ad rivorum ripas in Anglia naſcitur, ſed non admodum frequens. Obſervavimus Abingtoniæ in agro Cantabrigienſi: Blunhamiæ in Bedfordienſi, in Cumberlandiâ quoque & Warwicenſi agro; necnon in viciniâ noſtrâ ad rivum infra Brantriam defluentem prope pontem *Hoppet* dictum, ſemper juxta aquas, unde Geſnero in Catalogo Ribes ſylv. aquaticum Sabinæ ferè odore meritò denominatur. Olitoribus Gallis Piper hortenſe dicitur, teſte Ruellio, quòd atrum Piper colore & ſapore forſitan æmuletur.

Vires & Uſus. Nonnulli, teſte Parkinſono tum baccis, tum foliis in intinctibus uſurpant: Anginæ utiles eſſe nomen Anglicum arguit.

7. *Ribes verum Arabum* J. B. *Ribes Arabum foliis Petaſitidis* C. B.

Hunc Rauwolfius ſic deſcribit, Vera Ribes Arabum *caules* habet aſperos, longitudine ferè cubitali, craſſitudine pollicari, colore viridi, infernè (ut etiam meminit Serapio) rubeſcente vel purpuraſcente. Autumno inveni Septembri menſe ſine flore & ſemine duobus tantùm foliis præditum, tanquam primùm prorumpentibus, rugoſis, rotundis, Petaſitidis foliis æqualibus, ex pediculis craſſis, brevibus, quæ etiam grato illo acido ſucco ſicut & caulis plena ſunt.

Huic eandem putat uterque Bauhinus pro Ribe à Bellonio deſcriptam lib. de Coniferis, quamvis deſcriptiones non conveniant in omnibus, Hæc Spicæ Celticæ naſcendi modo aliquo pacto naturam refert; ſiquidem ſub nive ferè perpetuò degit, folio Lapathi acuti prædita, ni grandius eſſet & rotundius, & ad Papyrum accedens. Baccas fert ex ſinu medio foliorum rubras, ut in Lauro Alexandrina, Hypogloſſo & Ruſco conſpicimus. Septena utplurimum à radice aſſurgunt folia, in quorum medio fructus velut racematim dependet, ex quo is ſuccus qui exprimitur turbidus eſt, lactiſque albedinem habet, ideò aliquantiſper ſini & inſolari debet donec clareſcat & depuretur.

In Libano naſcitur, ſi à Cedris paulò altiùs uſque ad præcipitium montis aſcenderis. Halepi agnovit Rauwolfius Rob de Ribes ex veteri nomine & acido ſapore, ubi non parva ejus quantitas apparatur aliò mittenda, præcipuè ad Conſtantinopolin. *Locus.*

Viribus convenit cum vulgari Ribe.

Cæterùm hæc planta nec arbor eſt neque frutex, ſed ad Herbas epiphylloſpermas referri debet.

8. *Ribes Norwegicum fructu umbellato. Chamæmorus altera Norwagica* J. B. Cluſ. Park. *Chamærubus folio Vitis* C. B.

Ribeſium (inquit Hoierus qui hiſtoriam hujus Cluſio communicavit) foliolis & fructu pro ſua proportione adeò æmulatur, ut non dubitem tertium Ribeſii ſpeciem appellitare. Dodrantalis eſt, cortice petiolorum nigricante, foliis latis, diſſectis Vitis foliorum modo: Baccæ in cujuſque pediculi apice quamplurimæ conjunctæ tanquam in umbella, non ut in vulgari Ribeſio è multis oblongis racemulis pendentes, rubent; acidulæ, ſaporis valdè grati. Incolis *Tetlebeeren* nuncupantur.

C. Bauhinus in Prodrom. recenſet Ribem montan. Oxyacanthæ ſapore. Duplex Ribes in Helvetiorum Alpibus reperitur: altera, quæ frutice & foliis, ſed minoribus vulgari convenit: fructum habet rubrum, hortenſi duplo ferè majorem, ſapore Oxyacanthæ fructui reſpondentem, in Valeſianorum montibus reperitur: altera humilior eſt, & per omnia minor, baccis vulgari minoribus, minuſq; acidis, in Bernatum montibus provenit.

CAP. III.

De Vite Idæa ſeu Vaccinio, Officinis Myrtillo.

Vaccinium Latinum ab Hyacintho deducit Salmaſius in *Præfat. ad Synon. Hyles Iatricæ.* Nam pro diminutivo ὑακίνθιον Æoles ſcribebant ȣ̓ακίνθιον & ȣ̓ακίννιον, literam υ per ȣ efferentes, ut φȣ̃σα & φȣ̀ς pro φὺς & φῦσα, θȣγάτηρ pro θυγάτηρ, & ſimilia. Et ſanè Vaccinium Virgilii, Theocriti Hyacinthum eſſe, & de flore dici luce clarius eſt: unde ineptè id nomen hujus fruticis fructui attribuitur.

At neq; Vitis Idææ Theophr. deſcriptioni ſatis aptè reſpondet ulla hujus plantæ ſpecies, ut oſtendit poſt Dodonæum Jo. Bodæus à Stapel. Verùm cùm Veteres in deſcribendis plantis non valdè accurati erant, hæc autem planta ad Vitem Idæam accedat, non video cur ad id genus non poſſit referri, eodémq; nomine generico inſigniri. Myrtilli autem dicuntur hi fructus ab eorum ſimilitudine cum Myrti baccis.

A. 1. *Vitis Idæa magna quibuſdam, ſive Myrtillus grandis* J. B. *Idæa foliis ſubrotundis, exalbidis* C. B. *Idæa foliis ſubrotundis major* Ger. *Vaccinia nigra fructu majore* Park.
The great Bilberry-bush.

J. B.

Fruticoſior eſt hæc, virgultis ſeſquicubitalibus, teretibus, ramoſis [Cluſius ramos habere ſcribit interdum humi diffuſos, lentos] cortice ſpadiceo [modò cinereo, modò rubeſcente *Cluſ.*] obductos; materie ſatis ſolida & denſa: in quibus *folia* Vitis Idææ vulgaris anguloſæ magnitudine paria, oblonga, magis tamen rotunda, glabra, nec ullo modo ut illa ſerrata, inferiore parte nonnihil glauca [exalbida *Cluſ.* venoſa] ſapore adſtringenti & nonnihil acido prædita, decidua. [*Flos* vulgari ſimilis, ex candido purpuraſcens, concavus, labris in quinq; crenas diviſis & exteriùs reflexis, ſuis intus ſtaminulis *Cluſ.*] *Baccæ* Juniperinis vel Myrti Tarentinæ pares umbilicum habent latiorem, ex cujus medio apex prodit, quo fit ut quàm Vitis Idææ anguloſæ baccæ minùs rotundæ ſint: hærent autem pediculis longiuſculis, ſapore præditæ grato, ſubacido & vinoſo, quibus continentur grana aliquot minuta, ſublutea. [*Radix* eſt dura, lignoſa, multis fibris capillata.] Sarmenta ſive rami procumbentes ſubinde radices agunt.

Montoſis frigidis gaudet. In Alpibus Auſtriacis & Stiriacis invenit Cluſius, in Burgundiacis & alibi J. Bauhinus. Nos in montoſis Cumberlandiæ, medio itinere inter *Hexam* & *Pereth* oppida, obſervavimus, copioſiùs autem propè vicum *Gamblesby* ad ſextum ab oppido *Pereth* lapidem, viâ quæ *Novum Caſtellum* ducit, utrobiq; in paſcuis paluſtribus. *Locus.*

Baccis

Uſus. Baccis inebriandi vim ineſſe referunt venatores & aratores; teſtantur Du Choul, Camer. aliíque, præſertim copioſiùs devoratis. Folia & virgulta eundem Sileſiacis uſum præſtant quem Ledum Alpinum inſectoribus Alpinis.

A. 2. *Vitis Idæa fructu nigro* J. B. *Idæa foliis oblongis albicantibus* C. B. *qui ſynonyma nonnulla præcedentis ſpeciei huic attribuit. Vaccinia nigra Pannonica* Park. *Vac. Pannonica ſeu Vitis Idæa* Ger.

J. B.

Ramis eſt flexilibus & humi diffuſis, gracilibúſque, multis germinibus, vix è muſco, (quo rami occultantur) prominentibus; in quibus nullo ordine digeſta ſunt *folia*, prioris Ledi Alpini foliis pænè ſimilia, paulo tamen longiora, anguſtiora, teneriora, minúſq; craſſa, admodum venoſa, ſupernè virentia, infernè dilutiora, leviter per oras crenata, & mollibus quibuſdam villis hirſuta, longo pediculo inhærentia, guſtûs valde adſtringentis. In ſummis germinibus præcedentis anni *baccas* fert rotundas, Ceraſi nonnunquam magnitudine, oblongis & tenuibus pediculis dependentes, coloris initio viridis, deinde rubri, poſtremò nigri, ſucculentas, non ingrati ſaporis, nulla officula continentes, ſed plana duntaxat *ſemina*, alba, numero utplurimum quina. *Radix* lignoſa, quibuſdam fibris donata, & rami per terram ſparſi ſimiles fibras nonnunquam agunt.

Locus. In unius *Sneealben* jugi [juxta Ericam bacciferam alteram naſcentem] ſupra *Newberg* ſcopulis menſe Auguſto eruebat Cluſius. Florem non obſervavit.

Hanc eſſe ſuſpicor cujus in *Catal. plant. Angl.* mentionem feci nomine Vaccinii rubri foliis Myrtinis criſpis *D. Merret.* quam mihi oſtendit Thomas Williſellus, prope *Widdop* vicum ſeptem ab Heptenſtall milliar. ſaxo magno innaſcentem ad fluvium *Gorlp* in Comitatu Lancaſtriæ.

A. 3. *Vitis Idæa anguloſa* J. B. *foliis oblongis crenatis, fructu nigricante* C. B. *Vaccinia nigra* Ger. *nigra vulgaria* Park. **Black Whorts, or Whortle-berries, or Bilberries.**

J. B.

Virgultis fruticat plerunque pedalibus, interdum cubitalibus, ſatis crebris, virentibus, anguloſis, & fractu contumacibus, in multos ramulos diviſis: in quibus *folia* crebra, tenera, virentia, caduca, unciam circiter longa, pluſquam ſemunciam lata, acuminata, glabra, per ambitum argutis denticellis crenata, ſapore partim acido, potiſſimum primùm emergentia, partim auſtero. *Flores* in ſingulis [pediculis] hærent inter folia bullati, ſive urceolum referentes, colore ex albo punicante, ſtylo croceo. Succedunt baccæ ſingulares quoque, Juniperinis ferè pares, per maturitatem violaceæ potiùs quàm nigræ, umbilicatæ, ſapore grato & acido primulùm deguſtatæ, quæ tamen paulo poſt neſcio quid nauſeabundi in ore relinquunt, purpuro-violaceâ, ſatíſque pertinaci tincturâ, cui grana immerguntur multa, parva, rubentia. Radix tum recta, tum obliqua quaquaverſum agitur, è ſupina etiam parte ſtolones emittens.

Locus. Naſcitur tam in Alpibus, quàm in vaſtis, deſertis, uliginoſis & tenebroſis vallibus aliíſque humectis locis Germaniæ, Galliæ, Angliæ. Apud nos in montoſis udis inter ericas, & alibi in ericetis & *ſylvis* humectis, ſolo putrido & ſpongioſo, aquas retinente.

Tempus. Floret Maio. Fructus Auguſto, interdum etiam Julio maturos edit.

Temperamentum & Vires. Baccæ hæ, Dodonæo tradente, frigidæ ſunt, & cum manifeſta adſtrictione reſiccant. Ventriculo æſtuanti conveniunt, ſitim ſedant, ardentium febrium calores mitigant, alvum reprimunt, vomitum ſiſtunt, dyſenteriam à flava bile ortam curant, adversùs choleram morbum proſunt. Sed ad hos uſus Rob ſive ſuccus cum Saccharo vel melle inſpiſſatus ipſis baccis longè præferendus, quoniam frigidæ cum ſint, crudæ ſi edantur ventriculum debilem & frigidum offendunt, alvúmque perturbant potiùs quàm adſtringunt. Caſp. Hofman. Myrtillos loco aprico natos & bene maturos nullatenus eò frigiditatis aſcendere putat ut alvum frigidam cruditate ſua perturbent, &c.

Idem Myrtillos nigros rectè & ex ordine Myrtis ſubſtitui poſſe putat cum his conditionibus. 1. Si ſumantur Septentrionales, non Italici & Hiſpan. 2. Si non exactè maturi. 3. Non virides ſeu recens decerpti, ſed exſiccati. 4. Non ſuccus crudus, qui ob aquoſitatem multam multum refrigerat, adſtringit parum, ſed in Rob denſatum.

Partes tenues huic ſucco ineſſe, eúmq; etiam vehementer adſtringere oſtendunt notæ pæne ineluibiles manibus & ori manducantium impreſſæ. Hinc eo utuntur tinctores ad inficienda linteamina & chartas cœruleo colore.

Paſtores & montana plebs baccis hiſce libenter veſcuntur: nam ſuavitate ſua cum aliqua aciditate conjuncta guſtui placent.

Myrtillorum vires & uſus in Scorbuto apud Norwegos vide apud Sim. Pauli. Quadrip. Botan. Cluſ. 3. p. 406, 407.

A. 4. *Vitis Idæa ſemper virens fructu rubro* J. B. *Idæa, foliis ſubrotundis non crenatis, fructu rubro* C. B. *Vaccinia rubra* Ger. *rubra buxeis foliis* Park. **Red Whorts, or Whortle-berries.**

J. B.

Ramis hæc fruticat rotundis non anguloſis, dodrantalibus, quos veſtiunt folia ſatis frequentia, craſſiora quàm Vitis Idææ anguloſæ aut magnæ, oblonga, modò per extremum rotunda, modò leviter acuminata, non ſerrata, in quibus nervi ſubtus potiſſimum apparent, guſtu adſtringente & amaricante. *Flores* racematim cohærent in virgularum extremis, Lilii convallium floribus ſimiles, albi, interdum blandè rubentes: quibus delapſis *baccæ* ſimiliter racemoſæ ſuccreſcunt, ſex plus minus racemulo uno, Piſi minoris magnitudine, ex albo luteóve rubentes, ſapore acido valdè jucundo, carne ſimili Vacciniis paluſtribus, cui immerſa grana parvula, lutea. *Radix* obliqua ferè, tenuibus capillamentis fibrata.

Camerario deſcribente Baccæ in ſummitate ceu corona quadam denticulatæ ſunt.
Gaudet & hæc locis ſylvoſis, ſaxoſis & opacis. Apud nos in Anglia una cum priore in ericetis *Locus.*
ovenit ſed multò rarior. Copioſam obſervavimus in montibus Eboracenſibus, Staffordienſibus, Der-
nſibus, &c. inter Ericas.
Floret Maio & Junio: fructus Septembri demum menſe perfectè maturatur. *Tempus.*
Cùm baccæ ſint acidæ magiſque adſtringentes cæteris, nec perinde ſucculentæ ut Myrtilli facul- *Vires.*
em utique frigidam ſiccámq; habebunt. Quapropter ad eos uſus ubi adſtrictione opus eſt accom-
odari poſſunt, ut v. g. ad Diarrhœam, Dyſenteriam & prædictos pleroſq; affectus.
Poſſis & ex harum ſucco Rob conficere addito Saccharo aut melle ad viſcerum calores & ſitim
febribus calidis. Quidam ad embammata commendant additis aromatibus. Hæc omnia J. Bau-
nus.

5. *Vitis Idæa foliis carnoſis & velut punctatis, ſive Idæa radix Dioſcoridis* C. B. *Radix Idæa putata, & Uva Urſi* J. B. *Uva Urſi Galeni Cluſio* Park. *Vaccinia Urſi ſeu Uva Urſi apud Cluſium* Ger. emac.

J. B.
Viti Idææ rubræ affinis eſt, à qua tamen manifeſtè differt, ſiquidem *folia* habet denſiora, ad
xum accedentia, ex oblongo rotundata, anguſtiore ad pediculum cervice, utrinque rugoſa, nec
rvos ut illa præter unicum qui ſecundùm longitudinem decurrit exhibentia, guſtu cum amarore
ſtringente, quemadmodum Vitis Id. fructu rubro. Hærent autem ea ramis lignoſis pedalibus,
tice tenui & facilè cedente tectis. *Flores* racemoſi, concavi, rubri. Fructus ut in Vite ſemper
ente racemoſus in extremitate ramulorum.
Dubitat J. Bauhinus an Uva urſi *Cluſ.* eadem ſit huic plantæ, præcipuè ob iconem, in qua pin-
tur nervi tranſverſi, qui in Radice Idæa noſtra non apparent.
Nos in montibus Jura, & Saleva, necnon in colle *la Baſtie* dicta prope Genevam hanc ſtirpem *Locus.*
ervavimus, ubi & J. Bauhinus, qui etiam in Veganiis Narbonæ montibus ſe eandem legiſſe af-
nat.

6. *Vitis Idæa rubra Bavarica baccis inſipidis ſine ſucco* Cam. *Idæa foliis longis acuminatis, baccis rubris inſipidis* C. B. *Vaccinia rubra longioribus foliis* Park.

Cam.
Fruticulus eſt ſupinus craſſiore caudice quàm vulgaris [ea fortè quæ rubro eſt fructu] quæ apud
paſſim cum nigra [fortè anguloſa] in ſylvis creſcit, & **Stein-beerlin** vocatur: foliis item ob-
gioribus, anguſtioribus, acuminatioribus, per Autumnum rubentibus: baccis rubris, inſipidis.
Creſcit circa Monacum in campis aſperis inter Ericas. *Locus.*
Hanc plantam refert J. Bauhinus ad Roſmarinum ſylveſtre minus noſtras vulgo dictum; i. e. ad
Idææ affinem Polifoliam montanam. Verùm cùm Roſmarinum illud (ut puto) bacciferum
n ſit, ſed Ericæ modo ſemina producat, proinde & *Erica Roſmarini folio* nobis dicatur, eò re-
ri non debet, ſed potiùs ad Vites Idæas.

Vitis Idæa Cretica elatior Park. *Ceraſus Idæa Cretica* Alpin. exot.

Fruticulus iſte plures emittit virgas, tenues, lignoſas, nigricantes, ligno duro, albo, inodoro, guſtu
guam nonnihil excalefaciente, in ramulos plures diviſas, ad nodos, inæqualibus intervallis, *foliis*
ſtitas, ſingularibus nonnunquam, plurimùm tamen binis, rarius ternis quaterníſve ſimul, duriuſcu-
ſubrotundis, circa margines nonnihil dentatis ſimilitudine quadam Agrifolii foliorum, minimè
men ità duris & aculeatis, ſupernè obſcurè virentibus, infernè caneſcentibus. In ſummis ramulis
ad nodos è foliorum alis exeunt *flores* multi, albi Ceraſinorum ſimiles, ſinguli longis inſidentes
diculis, quibus ſuccedunt *fructus* parvi, ex rotundo oblongi, rubentes, guſtu jucundo, Fabæ mag-
tudine corolla in vertice villoſa inſigniti, per ſiccitatem nigri.

Vitis Idæa Cretica humilior Park. *Chamæceraſus Idæa* Alpin. exot.

Præcedente humilior eſt multò, ſurculis pluribus, tenuioribus, brevioribus; in quibus ad intervalla
lia terna quaternáve interdum ſimul, propemodum rotunda præcedentis modo, verùm minora,
olliora, læviora, minúſque dentata circa margines; colore etiam minus ſaturo ſuperna parte, nec
eò incano inferné. Ad nodos pariter unà cum foliis exeunt pediculi longi, *floſculos* multos albos,
cematim compactos ſuſtinentes, quos excipiunt *baccæ* minores, atrorubentes, ad verticem villoſæ,
yrti baccis nonnihil ſimiles, à paſtoribus & montana plebe vulgo comeſtæ.

CAP. IV.

Caſia Poetica Lobelii Ger. *Poetica Monſpelienſium* Park. *lignea Monſpelienſium* J. B. *Oſyris fruteſcens baccifera* C. B. *Oſyris Plinii.*

J. B.
Cubitalis eſt aut etiam bicubitalis hic frutex, in multas virgulas variè diviſus, fuſcas, ſtriatas,
lentas, vireſcentes, interdum etiam nigricantes, præſertim cùm novellæ ſunt. *Folia* purpu-
raſcentia, anguſta, ſatis longa, interdum foliis Linariæ proxima, ſaporis amari. *Flores* ut
ibes vulgò dicti, odore jucundo, plane Gallium referente præditi [*Lob.* ex viridi flaveſcentes,
Cluſ.

Cluſ. adſtrictoriæ facultatis, in eodem pediculo congeſti] *Baccæ* ſatis magnæ, per maturitatem rubræ, dulces [Lob. glutinoſæ valdè; Cluſ. ſubdulces, lentæ tandem nonnihil acrimoniæ exuentes] in quibus oſſeus nucleus medullam continens albam, ſubdulcem. Camerario baccæ ſunt ſapore & odore ingrato.

Vires. Totus frutex adſtringentem nonnihil facultatem habet. *Radix* dura & lignoſa, ſubruffo craſſóque cortice valdè adſtringente tecta.

Locus. In Italia ad mare inferum multis in locis, itémque circa Monſpelium copioſam obſervavimus.

Tempus. Floret Junio, interdum etiam Aprili & Maio. Fructus Octobri, vel ante matureſcit.

Cùm totus frutex, ut diximus, aſtringens ſit, convenire in alvi fluxu aut ſimilibus affectibus veriſimile eſt.

CAP. V.

De Periclymeno ſeu Caprifolio.

PEriclymenum dici putatur quaſi περικλυόμενον, quia adminiculis ſe convolvit & ſcandit. Caprifolium quòd folia ſint extremis flexibus capreolata. *Lob. Adv.*

Deſcriptio Periclymeni apud Dioſcoridem, excepta radice, quam craſſam ac rotundam dicit, Caprifolio noſtro vulgari ſatis bene convenit. Verùm ob radicem diſparem ambigitur an noſtrum Periclymenum non ſit potiùs κυκλάμινος ἑτέρα Dioſc. l. 2. c. 195. quam κισσάνθεμον aut κισσόφυλλον vocitant. Verùm de nominibus diſputare, noſtri non eſt inſtituti. Sufficit nobis Caprifolii & Periclymeni nomina pro hac planta uſu recepta eſſe.

A. 1. *Periclymenum ſive Caprifolium vulgare* Park. *non perfoliatum* J.B. *non perfoliatum Germanicum* C. B. *Periclymenum* Ger. **Common Hony-ſuckle, or Wood-bind.**

J. B.

Hujus *radix* lignoſa, reptatrix cum ſuis adnatis: *flagella* plura, alienæ opis indiga, tenuia, longa, lignoſa, & in ramulos partita, ſurſum repentia, cauliculis & geniculis intercepta leviter piloſa [juniora intellige antequam ligneſcant.] *Folia* ad genicula ex intervallis bina, longiuſcula & acuta, mollia, dilutè virentia, inferiore tamen parte magis incaneſcentia. *Flores* in ſummis ramulis complures pariter emicant, oblongi, amœniſſimi, ſuavi odore, tubæ bellicæ directæ aut promuſcidi ſimiles, ex corniculato anguſto principio in latius orificium fatiſcentes, laciniatæ fimbriæ ligularúmq; pulchritudine ſpectabiles, intus cavi, *ſtaminibus* aliquot è medio exeuntibus. Color albus, ac interdum flaveſcens. *Fructus* acinis Sambuci ſimilis, conglomeratus, per maturitatem rubens, in quo *ſemen* duriuſculum. Succo abundant acini ſaporis ingrati.

Ligna quibus ſe circumvolvit tam arctè & pertinaciter ligat, ut ſæpe veſtigium iis imprimat, imò interdum recto ſucci motu ligaturâ impedito frutices quos vincit monſtroſâ figurâ in cochleam contortos & in clavas turgeſcentes vidimus.

Locus & Tempus. Hæc ſpecies in Septentrionalibus regionibus, Germania, Anglia, Belgio, &c. in ſepibus frequens eſt. Per totam ferè æſtatem floret, Maio, Junio, Julio, Auguſto, inquit J. B. apud nos nec adeò maturè florere incipit, nec tandiu durat in flore. Primo vere, imò Februario interdum menſe folia edere incipit. Fructus ſub Autumnum matureſcit.

2. *Periclymenum ſive Caprifolium Germanicum flore rubello* Park. **Dutch Hony-ſuckle.**

Major eſt & elatior, magíſque ramoſa & patula quàm præcedens, aliàs ſimilis eodémque modo fruticibus aut adminiculis vicinis ſe circumvolvens: *Folia* quoque ſimilia habet, paulò majora: *Flores* etiam, Parkinſono deſcribente, majores; nobis tamen flores ſingulares non videntur majores, ſed potius graciliore tubo, at plures ſimul congeſti; dum adhuc in gemma ſunt antequam explicantur rubentes, expliciti etiam rubent exteriùs, intus candidi ſunt.

Germanicæ originis eſſe ſcribit Parkinſonus; quocirca mirum nobis videtur neque J. Bauhinum, neque Caſparum ejus meminiſſe.

3. *Periclymenum perfoliatum* J. B. C. B. Ger. *perfoliatum ſive Italicum* Park. **Perfoliate, or double Hony-ſuckle.**

J. B.

A vulgari noſtro & Germanico differt foliis pæne glaucis, rotundioribus, & pediculis breviſſimis, quorum quædam ſunt ſæpe continua, & à viticulis trajecta, pertuſáve, ſuprema autem acetabuli inſtar modicè concava, ſapore ſubacri, ex quorum cotyla flores prodeunt præcedentibus ſimiles, amœniſſimi, ſuavi etiam odore, colore ex purpura albeſcente, aut in luteum langueſcente, ſuperioris ſimiles, breviores tamen & minores: ex tubulo eminent ſtamina albida. *Semen* glomeratim naſcitur, colore rubro dilutiore, acinorum Sambuci magnitudine.

Cluſius modum quo flores naſcuntur diſtinctiùs & pleniùs deſcribit; Foliis eſt latioribus, & binis aut ternis acetabulis extremos ramos ambientibus, in quorum ſingulis ſeni plerunq; flores exoriuntur, præcociores & minùs odorati quàm in prima ſpecie; folia ſæpiſſime variegantur.

Locus & Tempus. In Italia & Gallia Narbonenſi oritur: Monſpelii florens obſervavit *J. B.* Aprili & Maio in ſepibus.

4. *Periclymenum perfoliatum Virginianum ſemper virens & florens* Herman. hort. Lugd. Bat.

Eleganti perpetua coma viget ac floret. Periclymeno perfoliato præcedenti videtur conformis, ſed omnibus partibus minor & gracilior. *Folia* ſunt paulò rotundiora, lucida, inferna parte magis incana. Flores ad ſummos viticulos ordine quaſi verticillato prodeuntes, odore equidem nullo evidenti ſunt, aſt colore amœniſſimo, fulgenti cocco ſplendente, effigiéque tubum venatorium perbellè exprimunt, orificio in quinque æquales crenas laciniato. E medio profluunt *ſtamina* lutea apiculata cum *ſtylo* pallido longiore. Singulis floribus ſubjicitur capitulum parvum herbaceum, luteum, fructus inchoamentum, quod in baccam abit more congenerum. In Horto inſtructiſſimo Reverend. Epiſcopi Londinenſ. D. *Compton* apud *Fulham.*

Vires. Vehementer calefacit & deſiccat, id quod guſtu etiam ipſo deprehenditur, ſiquidem folia in ore aliquandiu retenta & deguſtata, ardorem & acrimoniæ ſenſum linguæ imprimunt, unde rectè colligitur ea attenuantis, digerentis, diſſolventis qualitatis eſſe: tantum abeſt ut eorum decoctum ad oris fauciumq; tumores & inflammationes incipientes in collutionibus & gargariſmis utile ſit: prout, inveterato errore, nequicquam reclamantibus medicis, à vulgo hactenus ea uſurpante creditum eſt. Idem dicendum de aqua foliorum aut florum deſtillata, quæ ad eoſdem uſus à vulgo frequentatur, non in Anglia tantùm ſed & in Germania; forte locum habere poſſit in tumoribus faucium à frigidis humoribus ortis.

Recentiores autem eaſdem ferè vires Caprifolio ſuo tribuunt quas Veteres Periclymeno. Exſiccare enim ipſum tradunt ulcera humida & ſordida, ſanare impetigines & alias cutis fœditates, lienem abſumere, difficultati ſpirandi conferre, partûs celeritatem facere, calculos pellere, faciei maculas abſtergere, &c. *J.B.* Cæterùm Matriſylva in eorum unguentorum uſum venit quæ ad capitis vulnera parantur. Vide Matth.

Liquorem Periclymeni ſtillatitium cum ſemine Lavendulæ ſolitus eſt ad partum facilitandum ad ʒij. vel iij. propinare Rondeletius.

E Caprifolii floribus conficitur oleum Jaſmini ſuccedaneum. *S. Paullus.* Quad. Bot. Claſſ. 2. p. 39, 40.

CAP. VI.

De Periclymeno recto.

1. *Periclymenum rectum fructu rubro* Park. *rectum fructu rubro & nigro* J. B. *rectum Germanicum* Ger. *Chamæceraſus dumetorum fructu gemino rubro* C.B. **Upright Hony-ſuckle, with red berries.**

J.B.

SUo caudice, nullius fulcri indigum ſurgit hoc Periclymenon, fruticibus annumerandum, cui *folia* Corni fœminæ vulgò dictæ, molliora, minùs nervoſa, utrinque hirſuta, bina oppoſita: quo numero quoque *flores*, uni eidémque pediculo inſidentes, ex foliorum alis erumpunt, ex luteo palleſcentes, Periclymeni vulgaris formâ, minores tamen, ſuperiore folio ſurſum reflexo, fimbriato, inferiore demiſſo anguſtiore, integro; quibus decidentibus *baccæ* gemellæ ſubnaſcuntur, eidem pediculo teſtium inſtar appenſæ, per maturitatem rubentes, Sambuci aquaticæ, ſapore nauſeoſo.

In locis ubi ſponte oritur baccæ perpetuo æqualis fere magnitudinis ſunt: at in Belgicis hortis cultum (obſervante Cluſio) vix unquam æquales ad maturitatem perducere deprehenditur, at cùm una excreſcat & turgida fiat, alteram ſemper exilem, plenam tamen remanere.

In Germania ad ſepes & in dumetis vulgatiſſimum habetur. Fructus Julio matureſcit. *Locus.*

Nullus hujus aut aliorum Periclymeni recti generum (quod hactenus novimus) in medicina uſus eſt.

2. *Periclymenum rectum fructu nigro* Park. *Chamæceraſus Alpina fructu nigro gemino* C. B. *Periclymenum rectum folio ſerrato* J. B. *rectum Sabaudicum* Ger.

Cluſ.

Periclymeno recto vulgari multò humilius eſt, humanámque altitudinem rariſſimè attingit: multò graciliores & rariores habet ramos, albicante cortice tectos, *folia* priore teneriora, longiora, in ambitu nonnihil ſerrata, ſupernè virentia, infernè minùs incana quàm primi. Tenellis germinibus enaſcuntur inter folia graciles pediculi, unum interdum, ſed binos utplurimum *flores* ſuſtinentes, ſuperiore minores & teneriores, non palleſcentes ut illi, ſed purpuraſcentes, quibus ſuccedunt gemelli *fructus*, æquè magni ac in priore, etiam æquales, nigri tamen, non rubri, ſucculenti, guſtu ingrato.

Locus. Rarum eſt inventu. Nos in ſylvis juxta ſacellum Brunonis ſupra primarium Carthuſianorum cœnobium obſervavimus: Cluſius in montibus Sabaudicis, Auſtriacis & Stiriacis. Floret cum aliis Periclymeni generibus, ſemen Julio matureſcit.

Baccas Chamæceraſi Alpinæ vomitum movere affirmant nonnulli.

3. *Periclymenum rectum fructu rubro* Ger. *rectum fructu rubro ſingulari majore* Park. *ſed perperam, nam geminum obtinet, niſi ex accidenti in unum coaleſcant. Chamæceraſus* Geſneri, *vel Chamæpericlymenum quoddam Alpinum* J. B. *Chamæcer. Alpina, fructu rubro gemino, duobus punctis notato* C. B.

J. B.

Frutex ligni medulla alba, facie tota ad Xyloſteum aliquatenus accedit, brevis ille quidem, licet ſit ubi quatuor cubitos æquet, ramis adverſis fragilibus, cineraceo cortice obductis. *Folia* Xyloſtei jam dicti, ſed majora multò, acuminata, hirſuta, potiſſimùm ſubtus, nec uſquam ſerrata, bina oppoſita. *Flores* longiuſculi, ad florem Periclymeni recti ſeu Xyloſtei accedentes, rictu patulo hiantes, rubentes, ex adverſo ſitis pediculis, longis, ex alis foliorum ortis inſidentes. *Fructus* ruber, interdum geminus, tanquam ocellis notatus, ex longo pediculo, Ceraſi ſimilis, ſucco inſuavi & amaro plenus, in ſe continet grana ferè ſex ſeptenáve, aut plura, alba, lata.

Periclymenum IV. *Cluſ.* quod Botanici pro jam deſcripto habent, fructum habet plerunque unicum, raro geminum, tametſi gemino flori ſuccedat duplici in ſummo ubi flores inhæſerant ſtigmate notatum, ſed unicum granum continentem. At Chamæceraſus Geſneri prout ab ipſo deſcribitur, & à nobis etiam obſervata eſt, fructus obtinet gemellos, ſingulóſque tanquam ocellis aut pupillis notatos, & ſemina ſex ſeptémve aut plura continentes, non unicum duntaxat granum.

Xyloſteum nonnullis quaſi lignum oſſeum ob ligni duritiem dicitur.

Locus & Tempus. Frequens eſt, teſte Cluſio, in montibus Pyrenæis & Allobrogicis, ſed omnium abundantiſſimum in Pannonicis, Auſtriacis & Stiriacis. Floret Aprili & Maio, fructúmq; Julio & Auguſto plerunq; perficit. Nos in montibus Jura & Saleva Genevæ vicinis ſatis frequentem obſervavimus.

4. *Periclymenum rectum fructu cæruleo* J. B. Park. Ger. *Chamæceraſus montana fructu ſingulari cæruleo* C. B.

Cluſ.

Ejuſdem cum Periclymeno ſerratis foliis altitudinis, ſed craſſiuſculo eſt ſtipite, multos in ramos diviſo, nigricante cortice obductos, qui ſcaber eſt, & plerunque multis locis hiat; interdum ſtatim à radice in multos ramos ſeſe dividit: tenelli ramuli purpuraſcunt, & incana lanugine pubeſcunt. *Folia* contrario ſitu inter ſe diſpoſita ut in reliquis Periclymeni generibus, illi quod baccas rubras fert non diſſimilia, exſiccantis & amariuſculi guſtûs. *Flores* è tenellorum ramulorum alis pediculo inhærentes profert geminos, rudimento fructus ut cæterorum innixos, puſillos, palleſcentes, cavos & in quinque lacinias diviſos, ut reliquorum Periclymeni ſurrecti generum flores, è quorum umbilico prodeunt quinque ſtaminula flava, appendice inſignita. *Fructus* ſingularibus baccis, utrinque inter folia brevi pediculo dependentibus conſtat, Chamæmeſpilo Geſneri magnitudine æqualibus, ſed longioribus paulo, coloris cœrulei, quæ vinoſo & acidiuſculo ſucco plenæ manus rubro colore inficiunt, & multa plana grana continent. Radix latè diffunditur & multis fibris prædita eſt.

Locus. Creſcit ſponte ad radices cujuſdam montis pago *Malitz* vocata contigui, ad ſiniſtram viæ quæ ad Taurum ſuperioris Stiriæ Saltzpurgenſem ditionem pertingentis præcelſum montem ducit.

Incolæ fructum diligenter colligunt & in tinctorium uſum reponunt.

Videtur nobis habere multa communia cum Chamæceraſo Geſneri, inquit J. Bauhinus.

CAP. VII.

Pimpinella ſpinoſa Park. *Poterio affinis, folio Pimpinellæ ſpinoſa* C. B. *Poterium quibuſdam ſive Pimpinella ſpinoſa* J. B. *Poterion Lobelii ſive Pimpinella ſpinoſa Camerarii* Ger. *Pimpinella ſpinoſa ſeu ſempervirens* Moriſon.

C*Aulibus* cubitalibus denſè fruticat, multis in terram procumbentibus ramis: plerique verò omnes ſtolones ſtatim ex radice rubente ſaporis ſicci & nonnihil amaricantis oriuntur, cortice tecti exteriore incano, tenero, cui alius ſubſit rubens. *Folia* tenella, longiuſculis in pediculis ordine ex adverſo poſita, ſuperna utrinque virentia, inferna cinerea, noſtræ Pimpinellæ Sanguiſorbæ ſimilia. *Flores* primo vere conſpiciuntur, herbacei coloris, ſtellati, parvi quibus ſuccedunt *baccæ* exiguæ, albicantes cum pauxillo *rubore*, ordine quodam ad ramos ſeſſiles, Ribis noſtri baccis haud abſimiles, conſpicuo adhuc in uniuſcujuſque baccæ umbilico flore. Rauwolfii deſcriptio eſt à J. Bauhino Latina facta.

Locus. Planta hæc in Creta perpetuo viret & multos annos durat. Adſtringendi vi pollet, vulgaritérque in tota Græcia Στοίϐηδα appellatur. In declivi montis Libani parte naſci vidit Rauwolfius. Sub finem æſtatis floret; Autumno ſemen matureſcit, cùm folia primùm erumpunt, quæ tum in ſe contracta videntur, & Aſplenii folia quodammodo imitantur, ſed longè minora ſunt, quæ ſucceſſu temporis majora apparent. Reliquam deſcriptionem Hon. Belli vide apud ipſum, Ep. 2. ad Cluſium, qui plantam hanc legitimam Dioſcoridis Stœben eſſe contendit. Argumenta quibus id probare nititur videſis loco citato.

Vires. In ſanandis alvi fluoribus indiſtinctè à ruſticis Cretenſibus uſurpatur: nam ejus in aqua decoctum jejuni bibunt, & à morbo ut aiunt liberantur. *Bellus.*

C A P. VIII.

1. *Baccifera Indica fructu umbilicato quinque-capſulari polyſpermo.*
Kadali H. M. *P.* 4. *T.* 42. *p.* 87.

FRutex eſt ſeu arbuſcula humilis, *caudice* tenui, nodoſo, ramulíſque quadrangulis, viridibus, lanuginoſis & aſperis, ceu frondibus umbroſis, in latum diffuſis ornato: Lignum ex albo flaveſcens, prædurum, denſum, furvo, lanuginoſo, aſperóq; cortice cinctum, necnon fungosâ intus medullâ, uti in Sambuco, refertum. *Radix* fibrata, albicans, rufó cortice tecta, inodora, ſaporis adſtringentis. *Folia* bina & bina ſibi invicem oppoſita, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia, foliis Malabathri haud abſimilia, præterquam quòd ſint aſpera, exiguis ſpinulis horrida, maculata & in ambitu leviter crenata, inodora, adſtringentíque ſapore prædita: A pediculo ad apicem folii tres nervi craſſiores tranſeunt, è quibus tranſverſim multæ venulæ parallelæ excurrunt. *Flores* ſummis ramis innaſcuntur, calicíque croceo, hirſuto, profundo, & in quinque lacinias diviſo inhærent, Roſæ inſtar ampli, elegantes, quinque oblongo-rotundis, cœruleo-purpuraſcentibus ac nitentibus foliis conſtantes. Ex umbilico prodeunt decem *ſtamina*, quinque viz. viridi-flaveſcentia, *apicibus* luteis plumatíſque ornata; quinque verò longiora, inferiùs flava, ſuperiùs purpurea & arcuatim inflexa, inter quæ *ſtylus* prodit purpureus: odor nullus, ſapor aſtringens. *Fructus* rotundi, & in vertice calyce florum ſurrecto coronati, croceo craſſóque cortice tecti, qui fructibus matureſcentibus dehiſcit & aperitur: intus referti ſunt carne molli, cœruleo purpuraſcente, dulcis gratíque ſaporis, atque in quinque diſtinctos loculos per membranulas intermedias nonnihil diviſa, intra quam minutiſſima albicantia continentur granula, adeò ut fructus hi Arbuti fructibus aut Fragis noſtratibus haud abſimiles videantur.

Naſcitur locis arenoſis & montanis, præſertim circa *Cochin*: Semper viret, floret, fructúſq; producit. **Locus.**

Ligni hujus carbonibus utuntur in præparatione pyrii pulveris. **Uſus.**

Floribus Gentiles litare ſolent in templis Veneri dicatis, ipsíſque *Mogeni* dictis.

Fructus maturi ab indigenis comeduntur: hiſce quoq; panni Goſſypini purpureo tinguntur colore.

E foliis tenerioribus in oleo coctis unguentum conficitur aphthis ſimilibúſque oris & gingiva- **Vires.** m affectibus ſanandis conveniens. Foliorum ſuccus cum Oryzæ infuſo exhibitus colicam paſſio- em ſanat.

2. *Ben-Kadali*. H. M. *flore albicante, fructu viridi, pulpa albicante.*

H. M.

Præcedenti valdè ſimilis eſt: Flores tamen albicantes decem filamentis erectis uniformibus luteis, bicantibus apicibus ornatis, medium occupantibus. *Fructus* vero cortice viridi cincti, carnéq; albi- nte referti, intra quam minutiſſima purpurea continentur granula.

Ab indigenis comeduntur, ut in medicina nullius ſunt usûs.

3. *Katou-Kadali* H. M. *P.* 4. *T.* 43. *p.* 91. *floribus minoribus, fructûs cortice aſpero.*

H. M.

Caudice eſt tenui, ſpinulis exiguis horrido, necnon ramulis purpureis aſperis ac hirſutis donato. *ia* Kadali foliis ſimilia, at majora, aſpera, & per folii longitudinem non tres, ſed quinque nervi ſſiores tranſeunt, è quibus tranſverſim multæ venulæ excurrunt. *Flores* inodori, calycíque aſpero hirſuto inhærent, Kadali floribus haud abſimiles, ſed minores. *Fructus* oblongo rotundi, aſpero hirſuto cortice tecti, carnéque intus ſucculenta, purpurea, dulcis gratíque ſaporis referti, intra m numeroſa, minutiſſima latitant granula.

Creſcit locis montanis, quotannis floret fructúſque fert. **Locus.**

Folia contrita & cum Piperis foliis ſiccatis in pulverem redacta, atque cum ſaccharo exhibita, **Vires.** ſim ſedant, ac phlegmata è pulmone ejiciunt.

4. *Tſjerou-Kadali foliis, floribus & fructibus minoribus.*

Humilis eſt frutex, cum *Kadali* prorſus conveniens, niſi quod foliis, floribus fructibúſq; ſit minoribus.

Naſcitur locis montanis & petroſis circa Kandenate: Semper floret, fructúſque producit. **Locus.**

Ex arboris cortice, foliis, floribus, fructibúſque in Seſami oleo coctis oleum conficitur, quod **Vires.** his, linguæ fiſſuris, necnon palati gingivarúmque puſtulis ac phlyctænis potenter medetur: que Epilepſiam, Spaſmum cynicum ſimiléſque affectus curare dicitur, ſi caput eo illinatur.

C A P. IX.

Frutex Indicus baccifer fructu oblongo polyſpermo.
Belilla H. M. *P.* 2. *F.* 18. *p.* 27.

Rutex eſt altitudine ſeſquihominis, ſinuoſis ac tortuoſis ramis etiam arbores ſcandens, in arenoſis naſcens. *Radix* ruffa, fibras capillatas emittens. *Caules* lignoſi, nodulati, ac in ſupremis partibus quadrangulares, fuſci [vetuſtiores cinerei] emittúntq; hinc indè ex nodulis ſur- paſſim binos & binos, ſe mutuò decuſſantes, ac anteriora verſus incurvatos, qui dum teneri c ſunt, rotundi, virides ac piloſi ſpectantur. *Folia* in nodulis bina ſimul, atq; etiam terna vel petiolis languidis ſeſcuncialibus inſident, oblongo-rotunda, oris ad baſin ſeu pediculum ſubro- s, in cuſpidem anguſtum terminata, tenuia, piloſa ac velut lanuginoſa, ſupernè ſaturatiùs viri- ubtus dilutiora. Coſta media in ſupina parte nonnihil eminet. Folia ſapore ſunt nullo niſi ſylveſtri. *Flores* in ſummis ſurculis umbellatim proveniunt ſtellati, quinq; petalis, rotundo-cuſpidatis compoſiti *apicibus* albicantibus, ruga in medio uniuſcujuſq; extuberante, interiùs contracta, ac versùs inferiorem partem oris nonnihil inflexa ſunt, interius pulchrè rubicunda ſeu ſcarlatina, ad margines & exteriùs albicantia & ſubflaveſcentia, piloſa at magis exteriùs, cum piloſo ac flavo umbilico in medio: inſident flores cum pedunculo oblongo, viridi-diluto & piloſo, vertici fructûs tenelli ſeu calyci qui oblongo-rotundus ſeu craſſiolus eſt, ac quatuor vel quinq; parvorum, anguſtorum ac capillaceorum foliorum, odoris nullius. *Fructus* oblongo-rotundi, & minutulis pilis obſiti, cùm immaturi ſunt virides, cùm verò maturi ad flavum vergentes, intus carne denſa viridi, ſapore ſubaſtringenti & ſubacido. Eſt autem in eis congeries ſeminum minutulorum, in quatuor ſeries per membranam intermediam albicantem diſtinctorum, colore viridi cùm in ima ſerie coadunata, ſeorſim autem ſingula conſpecta viridi-diluta, albicantia & tranſparentia inſtar arenularum, cùm matura ſunt colore nigerrimo. Ex umbilico fructus qui calyce quadrifolio tantùm eſt emergit folium vice quinti calycis folii cujùs deſcriptionem vide, ego pro monſtro aut naturæ luſu habeo ejuſmodi fructum.

Stravadi ling. Bram. eſt candidum, quod nomen huic plantæ datum eſt quòd foliis ſit candidis.

Mirabilis eſt (inquit D. Commelinus) luſus naturæ in hoc frutice per varios colores, quibus flores exornantur. Eorum aliqui ſunt pulchre-rubicundi, alii verò albiſſimi: qui flores albi apud Indos tam frequenter comedi ſolent, ac apud nos lingulatum Blitum vel Beta.

Vires. Radix in decocto data hepati refrigerando humoribúſq; pituitoſis expurgandis commoda eſt. Eadem trita cum aqua & peruncta corporis dolorem ſedat, oculorúmq; rubedinem tollit iis applicata: eadem digeſta & decocta in oleo proficuè bibitur ab infantibus pro puſtulis in ore, ad quod etiam ſervit decoctum corticis in oleo intus ſumptum. Foliorum decoctorum fumus ſeu vapor partium externarum dolorem in iis exceptus ſedat: Succus foliorum & fructuum ſimul oculis inditus nubeculam ſeu etiam pelliculam viſum obtundentem tollit.

CAP. X.

Frutex Indicus baccifer floribus umbellatis fructu rotundo polyſpermo.

Cupi H. M. *P.* 2. *F.* 23. *p.* 37.

FRutex eſt altitudine humana, naſcens in arenoſis. *Radix* ei albicans & fuſceſcens, fibroſa, cortice ſubamaro. *Stipites* & rami teretes, cinericei, nodulati, ligno albo, corculo intus flavo, ramis & circulis ad nodos conjugatim binis. *Folia* petiolis uncialibus hærentia, ex adverſo bina alterno ordine prodeunt, oblongo-rotunda & anguſta, anteriora versùs rotundis oris in cuſpidem leniter contracta, texturæ denſæ, ſuperficie plana, ſupernè ſaturo virore nitentia, ſubtus dilutiora, ſapore ſubadſtringente & amaro, odore jucundo, nervi è media coſta bini adverſi ordine exeunt, tranſverſo, obliquo parum, annulari & parallelo ductu. *Flores* in ſummis ſurculis velut umbellatim diſpoſiti, in petiolis bino ordine exeuntibus, albicantes, ex vetuſtate flaveſcentes, odore fragranti, quinque vel etiam ſex petalis conſtantes oblongo-rotundis, & leniter è rotundo cuſpidatis, anguſtis & craſſiolis in ſtellæ formam expanſis, & deorſum reflexis, tubo ceu collo brevi calyci quinque anguſtorum & cuſpidatorum foliorum inſidentes. Sunt autem petala in medio in longum pilis interiùs obſita, in unguiculis quoque interiùs piloſa, ad orificium colli orbiculare; unde emicat *ſtylus* albicans cum oblongo albicante ac ſubflavo capitulo in ſummitate: in interſtitiis petalorum ſtamuncula tenuia & ſubflava, quinq; vel ſex pro numero petalorum, longiuſculos & craſſiolos apices ex albicante ſubflavos, qui etiam in flore vetuſtiori flaveſcente rubrâ lineâ ſtriati ſunt, geſtantia.

Succedunt *fructus* parvi, duri, rotundi, ad inſtar baccarum Lauri, maturi nigricantes, nullo excepti calyce, ſed in vertice umbilico quinque cuſpidum coronatim cincti; ſaporis ſubdulcis, & inedulis.

In hiſce fructibus ſunt ſeptem, octove plus minùs *ſemina*, interſepimento, quod fructum per medium in longum ſecat, in duos ordines diſtincta, figuræ triangularis, duobus lateribus & uno rotundo circumſcripta, primùm colore viridi, dein rubro-fuſco ac poſt nigricante.

Bis in anno tempore pulvioſo & æſtivo dat flores.

Uſus. Folia & fructus ſimul trita & permixta cum lacte mulieris puſtulis in pedum & digitorum articulis natis in fomentis adhibentur.

CAP. XI.

Baccifera Indica, floribus ſpicatis fructu rotundo, nigricante, polyſpermo.

Ben-Kara H. M. *P.* 5. *T.* 35. *p.* 69.

H. M. HUmilis eſt arbuſcula, duodecim circiter pedes alta, caudice tenui, albicante, multíſque ram in orbem diffuſis donato, qui cortice cinereo & furvo cincti, ac ſpinis inſuper oblong duris, aculeatis muniti ſunt. *Radix* fibrata, albicans, atro-purpuraſcente cortice te *Folia* bina oppoſita ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, ſuper atro-viridia & ſplendentia, infernè ſubviridia, Nervis aliquot è media coſta in latera excurrentib ſap ſapor ſubaſtringens, odor nullus. *Flores* ſuaveolentes, viridi-purpuraſcentes è foliorum alis ſummiſque caulibus ſpicatim exeunt (viz. ſingulis ſurculis flores multos in ſpicas diſpoſitos ſuſtinentibus) quinque plurimùm oblongo-rotundis, acuminatis, tenuibúſque foliolis conſtantes, atque calyci viridi, in quinque lacinias acuminatas ſecto inhærentes; totidem breviſſimis, tenuiſſimis, candidíſque *ſtaminulis*, oblongis ac cinereo-ſtriatis *apicibus* ornatis mediam floris cavitatem occupantibus; inter quæ *ſtylus* prominet viridi-albicans, planus, capitulo oblongo albicante. Floribus ſuccedunt *baccæ* rotundæ, exiguo in vertice umbilico præditæ, virides primùm, dein purpuraſcentes, hinc nigricantes & ſplendentes, craſſiore cortice cinctæ, carnéque intus denſa, humida, ſaporíſque ſubdulcis & ſubadſtringentis refertæ, intra quam *ſemina* continentur ſcabra, angulosa, membranaceis pelliculis, ceu parietibus intergerinis ſejuncta, ità ut tria quatuórve plerunque in ſingulis latitent cellulis.

Locus & Tempus. Naſcitur circa *Cochin*, ſemper viret; maturos bis quotannis fert fructus, Martio viz. & Septembri menſibus.

Vires. *Radix* ſiccata, in pulverem redacta & exhibita, fœtum mortuum ac ſecundinas poſt partum in utero relictas expellit, necnon menſtrua obſtructa provocat. Fructus immaturi diarrhœam com- peſcunt, & nimium menſium fluxum imminuunt.

CAP. XII.

Baccifera Indica fructu cum quadripartito in vertice umbilico, quadricapſulari.

Pee-Ponnagam. H. M. P. 5. *T.* 24. *p.* 37.

ARbuſcula humilis eſt, duodecim circiter pedes alta, *caudice* mediocriter craſſo, multíſque ramulis in orbem diffuſis donato: Lignum albicans, cinereo ac lanuginoſo cortice munitum. *Radix* Ponnagam radici ſimilis; quemadmodum & folia præcedentium arborum foliorum æmula. *Flores* circa extremos ramulos oblongis & florigeris petiolis confertim proveniunt, ſúntq; ſpicæ ſeu potiùs virgulæ plumoſæ, viridi-flaveſcentes. *Fructus* ſubrotundi, quatuor angulis conſtantes, virides, quadripartito in vertice umbilico coronati, quatuor diſtinctis loculis *ſemina* continent exigua; oblonga, rufa, nitentia.

Locus & Tempus. Provenit in *Mangatti*, ſemper viret, quotannis floret, fructúmque profert, menſe viz. Au- uſto.

Vires. Cæterùm ex radicis è foliorum ſucco cum melle cocto linimentum paratur potentiſſimum ad- erſus venenatorum animalium ictus morſúſve præſidium. Idem præſtat balneum, quod ex foliis ſce cùm Allio decoctis conficitur.

CAP. XIII.

Baccifera Indica ad foliorum alas florida, fructu umbilicato & calyculato tricocco.

Katapa Part. 5. *Tab.* 47. H. M.

H. M.

ARbor eſt humilis, 13 circiter pedes alta, haud ità craſſo *caudice*, multíſque rotundis viridibúſque ramulis donato. Lignum albicans, denſum, rufeſcente cortice cinctum, necnon molliore intus matrice refertum. *Radix* albicans, furvo cortice tecta, amara, graveolens. *lia* ſubrotunda ferè, acuminata, in ambitu leviter crenata, mollia, lævia, supernè atro-viridia & endentia, infernè ſubviridia, coſtâ media rotunda & albicante, odore nullo, ſapore amaro. *ſculi* ad foliorum alas bini ternìve ſimul juncti proveniunt, inodori, amari, pentapetali, ſtelli- mes, virides, diſco medio diverſi à petalis coloris, flaveſcente, viz. *ſtaminulis* quinque viridibus, veſcentibus *apicibus* ornatis, ac inter petala expanſis umbilicum occupantibus; inter quæ *ſtylus* pro- viridis, brevis.

Floſculis ſuccedunt *Baccæ* rotundæ, tricoccæ, umbilico trifido in vertice coronatæ, calycíque exi- o arctè inhærentes, ſubvirides, albicante cartilaginoſóque cortice cinctæ, qui tenui pellicula inſu- obductus eſt; intus continentur *ſemina* tria, triquetra, albicantia primùm, at per maturitatem ra, amara, membraneis pelliculis ab invicem ſejuncta, ità ut ſingula in ſingulis latitent locula- ntis.

Locus. Creſcit variis Regni Malabarici locis, præſertim in agris Oryzæ culturæ dicatis, quos immunes vare fertur ab inſectis cujuſcunque generis, tenerioribus plantis ſummopere noxiis. Semper vi- quotannis floret, fructúmque fert.

Vires. Ex arboris radice decoctio conficitur, quæ Maniacis medendis ſummè utilis perhibetur.

CAP. XIV.

Baccifera Indica floribus ſpicatis, fructu umbilicato tricocco, lacte acerrimo manante.

Cammetti H. M. *P.* 5. *Tab.* 45. *p.* 89.

H. M.

ARbor eſt vaſtæ magnitudinis, 40 pluſquam pedes alta, *caudice* craſſo, multíſque ramulis cinereis in orbem diffuſis ornato. Lignum albicans, matrice rufeſcente, ac cortice obductum cinereo, qui vulneratus acrem lacteum ſuccum ſtillat. *Radix* fibrata, rufa, flaveſcente cortice cincta, qui inciſus itidem acrem lacteum ſuccum ſtillat. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia; intus acri lacte turgentia, mediâ coſtâ è viridi albicante. *Floſculi* ſuaveolentes, viridi-albicantes, in ſpicas diſpoſiti, extremis ſurculis proveniunt: Sunt ii gemmulæ exiguæ, lacteo ſucco turgentes, medium occupantibus *ſtaminulis* tribus ſurrectis, *apicibus* ornatis. Floſculis ſuccedunt *baccæ* tricoccæ, virides, umbilico in vertice coronatæ exiguo, tripartito, atro-viridi, acerrimo lacteo ſucco turgentes, intúſq; continentes *ſemina* terna, dura, albicantia, rotunda.

Locus. Naſcitur in variis Regni Malabarici locis uliginoſis, præſertim circa *Cochin* in *Rapyn* & *Paloerti*.

Vires. E foliis in aqua coctis balneum conficitur anti-arthriticum. Eodem decocto ſi ulcera antiqua & verminoſa laventur, vermes necantur, ac ulcera potenter mundantur. Ex lacteo arboris ſucco & pulvere Carcapulæ pilulæ fiunt quæ in hydrope miris laudibus extolluntur.

CAP. XV.

Baccifera Indica fructu glabro tribus loculis terna ſemina continente.

Ponnagam H. M. *P.* 5. *T.* 21. *p.* 41.

ARbor eſt procera, 30 circiter pedes alta, *caudice* mediocriter craſſo, multíſque ramulis in orbem diffuſis donato. Lignum denſum, albicans, cortice cinereo obductum. *Radix* rubeſcens, albicante cortice cincta. *Folia* petiolis longis, rotundis, ſubrubeſcentibus circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, ſupernè colore viridi-fuſco ſplendentia, infernè ſubviridia: à pediculo ad apicem folii conſpicuus nervus decurrit: odor & ſapor ingratus. *Flores* inodori extremis ſurculis ſpicatim proveniunt, calycíque exiguo ſubrubeſcenti inhærent, tribus, rariùs quatuor, oblongo-teretibus, virideſcentibus, intúſque lanuginoſis ac ſtriatis conſtantes foliolis, quæ è globulo rubicundo, oblongo-rotundo prodeuntia ac lâtè expanſa jucundum intuentibus adſpectum exhibent; medium occupantibus *ſtaminulis* tenuiſſimis, breviſſimis. Singulis floſculis ſinguli ſuccedunt *fructus*, rotundi, tribus, interdum quatuor, angulis conſtantes, viridi-rubeſcentes; totidem diſtinctis loculis *ſemina* ſolida continent, cuticula nigricante ac nitente intecta, medullâ albâ, ex rotundo oblongâ, ſapore adſtringente cum ſubſequente ardore.

Locus. Provenit in *Paroe*: ſemper viret, floret, fructúmq; fert.

Vires. E foliis & fructibus cum melle contuſis cataplaſma paratur, quod ictibus ac morſibus Serpentum aliorúmq; venenatorum animalium impoſitum eos potenter ſanat. Radix trita, & cataplaſmatis formâ locis contuſis impoſita ſanguinem coagulatum diſſolvit & contuſiones curat.

2. *Baccifera Indica fructu lanuginoſo, cum oſſiculo tribus loculis terna ſemina continente.*

Tsjerou-Ponnagam H. M. *P.* 5. *T.* 22. *p.* 43.

ALtera *Ponnagam* ſpecies eſt, ſed minor. *Radix* ei furva, aromatica, acris. *Folia* præcedentis ſimilia, at minora & ſuave-olentia. Similiter *Flores* Ponnagam floſculis haud abſimiles: præter quos tamen alii exigui inſuper adſunt *floſculi*, quibus Ponnagam deſtituitur. Floribus ſuccedunt *Fructus* rotundi, in vertice umbilico trium filamentorum ſubviridium ac lanuginoſorum coronati, tenui purpuraſcente ac lanuginoſo cortice cincti: Nucem continent albicantem, tria diſtinctis loculis includentem *ſemina*, nigricantia, nitentia.

Locus & Tempus. Creſcit locis arenoſis in *Baypin*; ſemper viret, quotannis maturos exhibet fructus, menſe circiter Septembri.

Viribus cum præcedente convenit.

CAP. XVI.

Arbor Indica baccifera fructu umbilicato rotundo Cerasi magnitudine dicocco.

Angolam H. M. *P.* 4. *T.* 17. *p.* 39.

PRæcelſa eſt arbor atq; ſpecioſa plurimùm, altitudine 100, craſſitie verò 12 pedum menſuram circiter æquans, multiſq; ramis in orbem longè lateq; diffuſis donata, qui cortice viridi obducti, ac ſpinis lignoſis, craſſis, longis, ac rigidis muniti ſunt. Lignum albicans, prædurum, cortice glabro, cinereo, albis interſtincto punctis, ſaporis acri-amari, odoris aromatici tinctum. *Radix* fungoſa, rufa, cortice flaveſcente tecta, odorata, amara. *Folia* brevibus petiolis circa ramorum ſpinas (quæ tandem in ramulos excreſcunt) proveniunt, oblongo-rotunda, craſſa, mollia, glabra, ſupernè viridia, infernè è viridi fuſca, odorata, amara, nervis aliquot è coſta media albicante, & in averſa parte altè extuberante obliquè in latera excurrentibus. *Flos* ad foliorum exortum itidem ſpinis provenit, plerunque unus, aliquando duo aut plures, inſidetq; calyci rotundo, in decem lacinias ſecto, è decem teretibus, craſſis, denſis, ſubviridibus, intus candidis foliolis conſtans, quæ extrorſum reflexa *apicibus* circa caulem coeunt, prominentibus decem miniatis *apicibus*, quos pallida *ſtamina* ſuſtinent, quorum medium obtinet piſtillum ſtaminibus concolor; odor ſuavis, ſapor amarus. *Fructus* globoſi, Ceraſorum majorum magnitudine æmuli, exiguo in vertice umbilico præditi, cortice cincti craſſo, purpuraſcente, qui maturo fructu ſponte dehiſcit, carnéque ſucculenta, dulcis, gratique ſaporis, intus referti, intra quam duo tréſve, atri, glabri, plano-rotundi, intus candidi continentur nuclei. Hi autem fructus avidè expetuntur & in deliciis comeduntur.

Locus. Creſcit locis petroſis, arenoſis & montanis in *Mangatti* aliiſque provinciis Malabar perpetuo frondet, frugéſq; fert, ac diu ſuperſtes manet.

Emblema Regiæ Majeſtatis Malabarenſibus habetur hæc arbor, quòd flores diademati imperiali haud abſimiles rigidis inhæreant ſpinis.

Vires. Succus ex arboris radice expreſſus vermes necat, necnon bilioſos & pituitoſos humores per alvum expurgat, & aquas hydropicorum ducit. Radicis pulvis antidotum habetur venenatis morſibus ſerpentum, aliorúmq; venenatorum animalium.

CAP. XVII.

Baccifera Indica floſculis ad foliorum exortum confertis, fructu dicocco.

Tsjerou-Kara, Malabarenſibus H. M. *P.* 5. *T.* 37. *p.* 73.

ARbuſcula humilis eſt, ſeu potiùs frutex, ſex ſeptémve circiter pedes altus, caudice mediocriter craſſo, multiſq; ramulis cinereis, ſpinis rigidis munitis, ac in orbem diffuſis donato. *Radix* rubeſcens, ſuave-olens, amara. *Folia* bina, terna vel plura ſimul juncta circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, craſſa, denſa, glabra, ſupernè atro-viridia, ſplendentia, infernè ſubviridia, hirſuta, è coſta media craſſa, rotunda, & in averſa parte extuberante, plures aliæ ſuperiora verſùs exoriuntur coſtulæ, quæ in ſe invicem arcuatim deferuntur: ſapor ſubamarus. *Flores* inodori, ſubvirides, exigui, plures ſimul juncti ad foliorum & ſpinarum exortum ramulis inhærent, pentapetalodes, (è quinque viz. foliolis acuminatis & ſtellæ in modum expanſis conſtantes, quæ tamen ſimul decidunt) calycíque exiguo viridi, in quinque lacinias acuminatas ſecto inhærentes, *ſtaminu-* quinque viridi-albicantibus, flavo-rufeſcentibus *apicibus* ornatis, mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus; inter quæ *ſtylus* prodit craſſus, albicans, infernè pilis candidis obſitus, ſupernè cuſpidatus, nodulo rotundo flaveſcente. Floſculis *baccæ* ſuccedunt virides, plano-rotundæ dicoccæ, umbilico lato in vertice coronatæ, intúſq; carne viridi, humida ac amara refertæ; intra quam duo cantur *ſemina* oblonga, ſeorſim locata.

Locus. Provenit in variis Regni Malabarici locis, præſertim in Bellange; Semper viret, floret, fructumque fert.

Vires. E foliis in aqua coctis fit oris collutio contra aphthas. Radicis contuſæ in aqua decoctum hepatis obſtructiones aperit, ſanguinémque purgat, & exhilarat patientem.

CAP. XVIII.

Bruxaneli H. M. *P.* 5. *T.* 42. *p.* 83.

Baccifera Indica floſculis umbellatis, baccis umbilicatis dicoccis.

H. M.

ARbor eſt procera, circiter Mali magnitudine, multiſque viridibus ramulis in orbem diffuſis donata; Lignum albicans, molle, cortice cinctum ſubcinereo, adſtringente, graveolente. *Radix* fibrata, rufa, furvo cortice cincta, ſubſalſa, unctuoſa, graveolens. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia, odore gravi. *Flores* exigui, purpurei, ſuaveolentes, ſpicatim extremis ramulis proveniunt, calycíque exiguo, rotundo, viridi-purpureo arctè inhærent, quatuor acuminatis expanſiſq; foliolis conſtantes, totidem *ſtaminulis* tenuibus, purpureis *apicibus* ornatis, medium occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit craſſior, oblongior. Floſculis ſuccedunt baccæ dicoccæ, nonnunquam tricoccæ, exiguo nigricante umbilico in vertice coronatæ, virides, inodoræ, ſubſalſæ, cartilaginoſo & quaſi carneo cortice cinctæ; qui tenui viridíque pellicula obductus eſt, intúſque continet bina ternáve *ſemina*, dura, cinereo-albicantia, diſſepimentis ab invicem ſejuncta.

Locus & Tempus. Provenit locis montanis & ſylveſtribus Regni Malabarici, præſertim in *Paracaroo* & *Mangatti*. Floret Julio & Auguſto menſibus, Novembri autem & Decembri maturos fert fructus, diúque ſuperſtes manet.

Vires. Ex ſucco foliorum cum recenti butyro mixto linimentum paratur, quod in carbunculorum cura uſurpare ſolent. Decoctio corticis ipſius arboris diuretica habetur. Ex radicis cortice cum Zinzibere & curcuma in ebutyrato lacte latamentum conficitur, quod ad Arthriticos dolores tollendos ſummopere commendatur.

CAP. XIX.

Baccifera Indica fructu umbilicato racemoſo, monopyreno Patsjetti H.M. *P.* 5. *T.* 5. *p.* 9.

ARbor eſt Pruno magnitudine ſimilis, *caudice* haud ità tenui, cinereo, ſaporíſque amaro-dulcis cortice munito, necnon ramulis ſubviridibus in orbem diffuſis ornato. *Radix* fibrata, albicans, nigricante cortice cincta, ſaporis amaro-dulcis. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu ſerrata, denſa, craſſa, glabra, nitentia, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia, ſaporis amaro-dulcis. *Floſculi* albicantes ac ſuaveolentes, racematim ſurculis inhærent, quinque oblongo-rotundis, cuſpidatis foliolis conſtantes, quinque flaveſcentibus *ſtaminibus* medium occupantibus. Floſculis pari modo ſuccedunt *fructus* rotundi, ſurrecto florum calyce in vertice coronati, primùm virides, dein cœruleo-nigricantes, ac nigricans continentes oſſiculum, quod nucleum includit albicantem, dulcis adſtringentíſq; ſaporis.

Locus & Tempus. Naſcitur locis arenoſis ac petroſis in *Oedeampere* & *Candenate*, ſemper viret, quotannis floret, ac menſe Decembri maturos exhibet fructus.

Vires. Arboris folia oleo incocta oculorum vitia corrigere feruntur. Radicis cortex cum Cinnabaris pauxillo & lacte muliebri tritus ophthalmiæ medetur. Ex eodem cum Zinzibere & ſemine Cumini in aqua cocto potus conficitur, qui ventris doloribus placandis mirificè confert.

CAP. XX.

Baccifera Indica umbellata, fructu umbilicato, ſtriato, monopyreno. Kare-Kandel H.M. P. 5. T. 13. p. 25.

ARbor eſt 40 circiter pedes alta, *caudice* craſſo, denſo, cortice obducto craſſo, cinereo, intus rubeſcente, multíſque ramulis nodoſis ac geniculatis donato. *Radix* itidem craſſa, fibrata. *Folia* bina aut terna ſimul juncta extremis ramulis inhærent, oblongo-rotunda, glabra, denſa, ſupernè atro virore ſplendentia, ſubtus dilutiora. *Flores* umbellæ in modum longis ac viridi-ſtriatis petiolis circa foliorum exortum proveniunt, inodori, exigui, ſúntq; quaſi gemmulæ, è ſeptem acuminatis, viridibúſque foliolis conſtantes. Ex umbilico prodeunt *ſtaminula* quatuordecim; quorum ſeptem albicantia, *apicibus* criſpis candidíſque ornata, floſculi foliola intercedunt; ſeptem verò longiora, rotundis flavíſque nodulis dotata, mediam floſculi cavitatem occupant, altiúſque eminent; inter quæ *ſtylus* prodit albicans, ſupernè velut ſtellulâ candidâ ſeptem cuſpidum exornatus. *Fructus* conſimili modo frequentes ſuccreſcunt, ſúntque *baccæ* rotundæ, umbilico exiguo in vertice præditæ, primùm virides, dein rubeſcentes, tandem rubro-nigricantes, ac reſinoſis albicantibúſque ſtriis obductæ, carne intus rubicundâ ac ſubacidâ refertæ, intra quam oſſiculum locatur atro-purpureum.

Locus. Naſcitur ubiq; in Malabar; ſemper viret, quotannis floret & fructum fert.

Uſus. Arboris foliis agri ſtercorantur: Etiam ex iiſdem tenerioribus in Oryzæ infuſo coctis oris collutio fit aphthis curandis ſummè utilis.

CAP. XXI.

Baccifera Indica fructu umbilicato, racemoſo, candido monopyreno, rotundo. Pelluta-Kanelli H.M P. 5. T. 20. p. 39.

ARbor eſt mediæ magnitudinis, *caudice* duro, albicante, furvo cortice munito. Nonnunq verò plures caudices unica è radice excreſcunt. *Radix* rubeſcens, odora, aromatica. geminata ordine parallelo circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, cra denſa, glabra, ſplendentia: coſta media albicans, & infernè eminens è qua nervuli plu paralle parallelo ductu verſus ſuperiora excurrunt,qui in ſe invicem arcuatim deferuntur; odor & ſapor aromaticus. *Flores* racematim in ſurculis proveniunt, ſuave-olentes: conſtant ii unico viridi-albicante foliolo ſeu calyce, ſed in quinq; leves inciſuras ſeu lacinias diviſo, numeroſis *fibris* candidis, ſubflaveſcentibus ac rotundis *apicibus* ornatis, medium occupantibus, inter quas *ſtylus* prodit albicans, ſurrectus. Floribus ſuccedunt *fructus* rotundi & in vertice calyce, ſeu foliolo florum ſurrecto coronati, virides primùm, dein albicantes, tandem candidi, tenui pellicula cincti, intúſque albicante molli ſubdulci, adſtringente, odoríſque aromatici carne referti, intra quam tenue continetur *oſſiculum, Nucleum* includens rotundum viridem, aromaticum.

Provenit in *Coeroernade* viciniſque locis montanis & petroſis. Semper viret, floret & fructum fert. *Locus.*

Folia ejus ſiccata, & in pulverem redacta, atque cum lactis ſero exhibita diarrhœam ſanant. Ex foliis in aqua coctis Balneum paratur contra quoſcunq; artuum dolores. *Vires.*

2. *Tſjerou-Kanneli* H. M. *part.* 5. *Tab.* 50.

Præcedentis ſpecies eſt, eíque haud multum diſſimilis, præterquam quòd humilior ſit, octo circiter pedes alta, caudice haud ità craſſo, ramulíſque & ſurculis tenerioribus in orbem diffuſis donato. *Radix* pariter rubeſcens, amara, aromatica. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, ſplendentia, nervis aliquot è media coſta albicante in latera excurrentibus: odor & ſapor aromaticus. *Floſculi* in ſurculis multi ſimul juncti proveniunt, inodori albicantes, hexapetali, numeroſis *fibris* candidis, ſubflaveſcentibus *apicibus* ornatis medium occupantibus, inter quos *ſtylus* prodit albicans, ſurrectus. Floribus ſuccedunt *Baccæ* tricoccæ, virides primùm, dein albicantes, tenui pellicula cinctæ, intúſque carne molli, acido-amara ac aromatica refertæ, intra quam tria continentur *mina*, dura, rotunda.

Creſcit variis Regni Malabarici locis, præſertim in *Baypin*, *Aroe* & *Bardette*: Semper viret, floret, fructumq; fert. *Locus.*

Cap. XXII.

Baccifera Malabarica fructu umbilicato Pruniformi, unico intus nucleo. Perin-Niara H. M. P. 5. T. 29. p. 57.

H. M.

ARbor eſt juſtæ magnitudinis, 40 circiter pedes alta, *caudice* craſſo,candido, cortice obducto furvo, multíſq; ramulis viridibus, ceu frondibus umbroſis, in latum diffuſis, donato. *Radix* rufa, nigricante cortice tecta, aromatica. *Folia* geminata, ordine parallelo, extremis ramulis inhærent, oblongo-rotunda, ac in mucronem deſinentia, denſa, glabra, atro-viridia, ſplendentia, nervulis plurimis è media coſta in latera excurrentibus; ſapor amarus, odor aromaticus. *Flores* pediculis oblongis circa ramos teneriores proveniunt, terni, quaterni aut plures ſimul ferè congeſti, inodori, amari: conſtant ii è calyce exiguo rotundo, viridi albicante, numeroſis *ſtaminulis* albicantibus, luteis *apicibus* ornatis, medium occupantibus. Floribus ſuccedunt *fructus* prunorum æmuli, oblongo-rotundi, exteriùs gibbi, interiùs leviter ſinuoſi, exiguo juxta verticem umbilico præditi, atro-purpurei, glabri, nitentes, carne intus ſucculenta, albo-rufeſcente, amaro-dulci & aromaticâ referti; intra quam *Nucleus* continetur viridis, rufâ pelliculâ cinctus, ſaporis acris & amari.

Naſcitur ubiq; in Malabar, præſertim circa *Porka*; ſemper viret, quotannis fructus fert, Auguſto & Septembri menſibus, atq; per ſeſquiſeculum non raro frugifera manet. *Locus & Tempus.*

Ex arboris cortice in aqua cocto fit oris collutio pro Aphthis. Radix ſiccata, pulveriſata & exhibita diarrhœam, dyſenteriam & Teneſmum curare dicitur. E fructibus in aqua coctis gargariſma conficitur faucium affectibus tollendis utile. *Vires.*

Cap. XXIII.

Baccifera Indica umbellata, fructu umbilicato nigro, oſſiculo intus unico. Niara H. M. P. 5. T. 27. p. 53.

ARbor eſt procera, 30 circiter pedes alta, caudice mediocriter craſſo, cinereo cortice munito, ramulíſque in orbem diffuſis donato. *Radix* craſſa, fibrata, nigricans. *Folia* bina & bina ſibi invicem oppoſita, oblongo-rotunda, ac in mucronem deſinentia, craſſa, denſa, glabra, ſupernè atro-viridia, & ſplendentia, infernè ſubviridia; coſta media albo-flaveſcens ac protuberans, è qua nervuli tranſverſi plurimi ſuperiora verſùs excurrunt, qui in ſe invicem arcuatim deferuntur; ſapor aſtringens & ſubacidus, odor nullus. *Flores* candidi, inodori, circa extremos ramulos glomeratim, non ſparſim producuntur, ſenſímque porrectis collumellis umbellæ ſpecie panduntur: conſtant ii quatuor rotundis, concavis foliolis, numeroſis *ſtaminulis* albicantibus, flaveſcentibus *apicibus* ornatis medium occupantibus, inter quæ *ſtylus* candidus craſſúſque prodit. Floribus ſuccedunt *Fructus* rotundi, virides primùm, dein rubeſcentes, tandem nigricantes ac nitentes, umbilico in vertice ſtelliformi coronati, tenui contice cincti, carnéque intus ſucculenta ac ſubdulci referti; intra quod *oſſiculum* continetur Nucleum habens viridi-albicantem.

Naſcitur montanis Regni Malabarici locis: quotannis floret, fructúmq; perficit. *Locus.*

Radix variis modis uſurpatur ad oculorum palpebrarumq; affectus curandos. *Vires.*

CAP. XXIV.

Baccifera Indica racemoſa fructu umbilicato rotundo monopyreno. Mail-Ombi Malabarenſibus H.M. P. 5. T. 26. p. 51.

ARbor eſt Mali magnitudine, *caudice* mediocriter craſſo, multíſque ramulis in orbem diffuſis donato: Lignum molle, flaveſcens, furvo cortice munitum, cujus matrix dura, rufeſcens. *Radix* furva, acris, inodora. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, ſupernè atro-viridia & ſplendentia, infernè ſubviridia; coſta media craſſa, & in averſa parte protuberans, è qua nervuli tranſverſi plures ſuperiora versùs excurrunt, qui in ſe invicem arcuatim deferuntur: ſapor ſubacris, odor nullus. *Floſculi* viridi-fuſci ac nitentes racematim ſurculis inhærent, calycíque exiguo, rotundo arctè inſident: ſunt Gemmæ rotundæ, exiguæ, in tres quatuórve leves inciſuras ſeu lacinias diviſæ. Floſculis ſuccedunt *Baccæ* ſubrotundæ in vertice umbilico, in totidem quot Gemmulæ inciſuras ſeu lacinias diviſo, coronatæ, viridi-fuſcæ, carne intus aqueâ ingrati ac ſylveſtris ſaporis refertæ; intra quam ſemen continetur ſolidum, oblongo-rotundum.

Locus & Tempus. Provenit multis Regni Malabarici locis, præſertim in *Cranganoor*: Semper viret, quotannis bis maturos exhibet fructus, Aprile viz. & Septembri menſibus.

De viribus nihil conſtat.

CAP. XXV.

Frutex Indicus baccifer, floribus verticillatis fructu monopyreno. Nedum-Schetti H. M. P. 2. F. 15. p. 21.

FRutex eſt altitudine duorum hominum, naſcens in arenoſis & petroſis, cortice exteriùs ruffo, intus albicante. *Surculi* novelli virides & alati, quatuor ſcilicet alis ſubſtricti. *Folia* conjugatim bina ramos amplectuntur, diverſo ſitu, alia antrorſum ſurrecta, alia deorſum inflexa, alia tranſverſim poſita; ſúntque oblonga, ad baſin latiſſima, indè ad apicem ſenſim contractiora, acuminata, versùs interiora ſe claudentia, & laterum oras versùs exteriora contrahentia, craſſiora ac denſiora, utrinq; nitentia ſed præcipuè ſupernâ parte, qua etiam ſaturatiùs virent, ſubtus dilutiora, ſaporis adſtringentis & amari. Coſta media in exteriori tantum parte eminet. *Flores* valdè parvi congregatim brevibus ſurrectis ac tenuibus petiolis, parvo cuſpidato calyce excepti inſident, è foliorum alis egreſſi ad ramorum nodulos verticillatim, atq; etiam hinc indè ex ipſo ramorum vel caudicis corpore: proveniúntq; ſimul cum germinibus fructuum in ipſorum vertice, conſtantes quatuor foliis cuſpidatis, colore rubro ac cœruleo-purpureo, qui in aliis eſt magis purpureo-ruber, in aliis magis purpureo-cœruleus, in aliis verò magis albicans, coloríſque nullius. *Stamina* in floribus octo cœrulea ſeu purpureo-rubra, ſurrecta, *apicibus* albicantibus donata, ac cum hiſce *ſtylus* cœruleus ſeu purpurei coloris, acuminatus rigidus & ſurrectus, ex umbilico calycis emicans. *Fructus* ſunt parvæ ac rotundæ baccæ, coronatæ in vertice umbilico, qui calyx florum eſt, colore primùm viridi, dein albicante, ſeu ſubflavo; poſtea purpuraſcente, ultimo in totum nigricante ac nitente; carne intus ſuccoſa, cœrulea, quæ ſaporis dulcis & nonnihil adſtringentis, continéntq; in ſe nucleum unum, rotundum, qui cortice eſt rufeſcente ſeu ſpadiceo diluto, intus pulpa viridi, ſapore ſubamaro & aſtringente.

Flores fert tempore pluvioſo.

Vires. Ejus decoctum cum oleo ſervit pro pruritu in unctione partis affectæ.

CAP. XXVI.

Arbor baccifera Braſilienſis, flore Roſæ, fructu umbilicato, polypyreno, Ceraſi magnitudine. Ibabiraba Braſilienſibus Marggr. & Piſon.

Piſon.

ARbor eſt caudice contorto, cortice cinereo; *foliis* dilutè virentibus, (quæ multas coſtas habent, & quaſi rugoſa ſunt) tres circiter digitos longis, directè ſibi invicem oppoſitis: digitis trita ſpirant odorem Majoranæ cum Roſmarino mixtæ æmulum. Inter hæc ſparſim provenit pediculus, duos fermè digitos longus, ſuperiùs tripliciter velut in crucem diviſus, ferens tres flores, figuræ, odoris & molis ferè ſylveſtris Roſæ, pentapetalos, albos, menſe inprimis Januario integros campos fragrantiâ replens. Menſe autem Maio ſuccedit *fructus* rotundus, Ceraſi magnitudine, inſtar pyri pediculo inſidens, exteriùs coloris brunni, cum umbilico quinquefolio rufeſcente, reliquiis nimirum floris emortui: continet pulpam mollem, pallidam, cui aliquot nuclei coloris incarnati, obrotundi, compreſſi, molliuſculi immixti, qui unà comeduntur; ſapor autem illius dulcis aliquid reſinoſi admixtum habens; & poſt frequentem uſum imprimit tandem gutturi ardorem Piperi æmulum.

Locus. Arbor hæc in confragoſis Braſiliæ nemoribus vaſta eſt & altiſſima, ligno duriſſimo & contra putredinem optimo: in collibus verò & campis ad longè minorem molem aſſurgit, viz. Prunum adæquans, foliáque multo minora, fructúſq; fert minùs agreſtes.

Folia & flores cum *Camara* utiliſſimè adhibentur ad lotionem pedum, in dolore capitis. E floribus *Uſus.*
nè adhuc rorulentis collectis item è foliis aqua deſtillatur, quæ refrigerans præſertim & mundifi-
ns oculorum inflammationem optime temperat.
Pulvis ligni in carbonem redacti oculis inflatus confert in nubecula, &c.

C A P. XXVII.

Muiva Braſilienſibus Marggrav. *Pomifera Braſilienſis fructu rotundo, cum pulpa molli polypyreno.*

Arbor eſt mediocris magnitudinis, elegantia habens *folia*, bina & bina ſibi invicem oppoſita, ſimilia foliis Malabathri venis, conſiſtentiâ & figura; nimirum tres nervi inſigniores ſecundum longitudinem folii tranſeunt, & adhuc in quolibet latere unus tenuis, ut quinque ſint in univerſum: tranſverſim autem multæ venæ parallelæ rectæ currunt: folia inferiùs ſunt
, lanuginoſa, ſuperiùs ſaturatè viridia, ſplendidiſſima: ramuli juniores incani & ad tactum mol-
ſiccata eo latere quod virebat evadunt nigerrima, pulchro adſpectu. *Flores* Autor non deſcri-
Fructus rotundus, magnitudine fermè Pyri moſchatellini, & pediculo inſtar Pyri inſidens, cute
us lenta, quando maturuit purpureo-ruffa, umbilico quinquefolio ex floris manubiis. Pulpam
tinet mellis craſſioris conſiſtentiâ, pallidam ſeu albidam, plurimis acinis minimis refertam, dulcis
ris. Fructus enim quando maturus mollis eſt, & cùm digitis premitur prodit pulpa quæ deglu-
r.
raſilienſes non gaudent veſci hoc fructu, ſed avibus devorandum relinquunt.

C A P. XXVIII.

Baccifera Indica trifolia, racemoſa, acinis umbilicatis tricoccis. Tsjerou-Theka. H. M. P. 4. T. 29. p. 61.

H. M.

Arbuſcula eſt humilis, ſeptem circiter pedes alta, caudice pedem craſſo, albicante, cortice obducto cinereo, amaro, multíſque ramulis viridibus, triangularibus ac geniculatis donato. *Radix* albicans, ſaporis amari, odoris terreſtris. *Folia* terna ſimul circa ramulorum geni-
s proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu crenata, ſupernè colore atro-viridi niten-
infernè ſubviridia & tomentoſa; coſta media craſſa & nervi indè exeuntes infernè lanuginoſi;
r ſuavis, ſapor acris & amarus. Teneriora verò hujus arboris folia rubicunda ſunt. *Flores* haud
s ac *Katou-Theka* flores ſurculorum extremis racematim proveniunt, cœrulei, foliolorum ſtipatu
allati, viridíque & acuminato calyci inhærent, è quinque oblongo-rotundis ac introrſum reflexis
s conſtantes; quinque cœruleis *ſtaminibus*, flaveſcentibus *apicibus* ornatis, ac extra florem latè
anſis, mediam ejus cavitatem & umbilicum occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit ex albo cœru-
& in acumine diviſus: odor ſuavis, ſapor ſubamarus. *Fructus* ſubrotundi, triquetri, in vertice
guo umbilico prædití, glabri, nitentes, primùm atro-purpurei, dein furvi, intus molli carne re-
i, cui tres includuntur *nuclei* exigui, virides, ſapore fabaceo.
Creſcit locis arenoſis ubiq; in Malabar, præſertim in Provincia *Moutan*, ſemper viret, quotannis *Locus.*
ret fructúſq; fert.
Ex hujus foliis oleo butyróve incoctis unguentum conficitur, quod Cephalalgiæ, Ophthalmiæ & *Vires.*
rium tinnitui medetur.
E radice cum Zinzibere & Coriandri ſemine aquæ incocta Apozema conficitur, quod exhi-
um, coctionem promovet & nauſeam ſanat.
Fructus contuſi & in lacte ebutyrato cocti vel infuſi alvum movent & aquas hydropicorum du-
nt.

Annotatio.

Myrtum & Hederam ultimo in loco poſt Indicas bacciferas ponimus, quia cum earum fructus
uca carne ſint, & per maturitatem ferè ſicci, ambigere videntur inter eas quæ fructu ſicco
nt & quæ fructu humido.

C A P. XXIX.

De Myrto.

Myrtus, Græcis Μυρσίνη & Μύῤῥινη à Myrſine Athenienſi puella, pulchritudine & robore inſigni, amica Palladi, quam juvenis ab ea curſu & palæſtrâ ſuperatus interemit, invidiâ ductus, quòd elegantiâ cæteríſque naturæ dotibus reliquis virginibus præſtaret: Arbuſcula
demortuæ locum ſucceſſit, ſemper Minervæ ut Olea chara. Sunt qui velint ſic vocatam propter
yrrhæ quandam æmulam odoris gratiam, quâ pollent bacculæ, ut annotant Adverſaria: quamvis
bium adhuc ſit, utrùm Græcis innotuerit prius Myrrha an Myrtus. Nobis ſanè (inquit J. Bauhinus)

hinus) longè petita videtur nominis derivatio, & Myrrhæ odorem longè diverſum à Myrti baccis agnoſcimus.

Myrtum Veneri ſacram dicatámque Camerarius ideò judicat, quia multos habeat uſus in morbis muliebribus: Sanè in quibuſcunq; fluxionibus ritè adminiſtrata plurimùm poteſt. *J. B.* Nos potius iis aſſentimur qui ob odoris ſuavitatem Veneri dicatam putant: Veneri enim conciliandæ odores & unguenta plurimùm valent: ut è contra ad appetitus Venereos refrænandos & extinguendos nihil efficacius eſt odoribus tetris & ingratis.

Myrtus foliis perpetuis, ſuaveolentibus; baccis umbilicatis cum pluribus intus ſeminibus albis incurvis ab aliis arboribus congeneribus diſtinguitur.

Plures ejus ſeu ſpecies ſeu varietates habentur. Cluſius annotat ſe in Hiſpanica ſua peregrinatione aliiſque locis multa genera Myrtorum obſervâſſe, nec dubitare quin ex ſatione major adhuc varietas oriri poſſit. Nos pro ſpecie diſtinctis agnoſcimus Myrtum communem Italicam, Myrtum Bæticam latifoliam *Cluſ.* & Myrtum Tarentinam dictam: reliquæ an diſtinctæ ſint nécne dubitamus.

1. *Myrtus communis Italica* C. B. *item Myrtus ſylveſtris foliis acutiſſimis* ejuſdem. *Myrtus latifolia vulgaris* Park. *item Myrtus Bætica ſylveſtris* ejuſdem & Ger. *Myrtus vulgaris nigra & alba, ſativa & ſylveſtris* J. B. **The common Myrtle.**

Hujus generis ſativæ in arbores facilè adoleſcunt, ramis flexilibus ac lentis, rubro cortice, *foliis* longiuſculis, perpetuóque virentibus, Punicæ æmulis, quanquam in nigris nigriora, in candidis candidiora ſpectentur. *Flores* omnibus inſident candidi, odorati. *Baccæ* oblongæ, agreſtes Oleas quadantenus referentes, multò ſanè ſylveſtribus majores.

Inter ſylveſtres quoq; alba & nigra reperitur.

Myrti quartum genus ſive Bæticam ſylv. huic eandem putat J. Bauhinus, quod & deſcriptio & icon, & locus ſuadent: Folia tamen paulò breviora & pro longitudine latiora pinguntur quàm ſunt Myrti communis Italicæ folia; quæ, ut rectè Matthiolus, Mali Punicæ folia referunt.

Locus. Hac autem Myrti ſpecie univerſa ferè Tyrrheni maris litora vireſcunt; nec Tyrrhena tantum ſed etiam Romana & Neapolitana. Nos certè nullam aliam Myrti ſpeciem in Italia obſervavimus. Provenit etiam in Gallo-provincia, propè Baſſetum in ſepibus copioſé.

Scribit Anguillara in epiſt. Myrtum albam non eſſe ſpeciem ſeparatam à nigra, differre tamen colore, notiſſimam eſſe utramq; in Italia.

Secundùm maris Alexandrini littus iter faciens Bellonius pumilas myrtos nigras obſervavit, ſed humiles, quòd perpetuò à ventis marinis affligantur; maritimis gaudent Myrti, eam ob cauſam Veneri dicatæ, quàm Poetarum fabulæ mari natam referunt.

2. *Myrtus Bætica latifolia domeſtica* Cluſ. J. B. *latifolia Bætica* 1. *vel foliis Laurinis* C. B. *Bætica latifolia* Ger. *latifolia maxima* Park.
Cluſ.

Ramis eſt ſatis craſſis; *foliis* duplici ſerie rariùs diſpoſitis, magnis, ac interdum ad Lauri tenuifoliæ aut Arbuti foliorum latitudinem ferè accedant, dilutiùs paulò virentis coloris, odoratis. Rariùs hæc floret aut fructum fert, quia texendis ſepibus, quas tondere ſolent, ea plerunq; utuntur.

Locus. Nuſquam hoc genus vidit Cluſius niſi in monaſterio quodam Hiſpali, & in lætiſſimis Mauritanorum Granatæ viridariis, in quibus piſcinas & lacus claudebant ſepes illo Myrti genere conſtantes, & ex alio quodam non multum huic diſſimili, minoribus tamen & paulò denſioribus foliis.

3. *Myrtus latifolia exotica* Park. *latifolia Bætica* 2. *vel foliis latis confertim naſcentibus* C. B. *Myrti Bæticæ latifoliæ ſecundum genus* J. B. *exotica* Ger. *quoad deſcr.*
Cluſ.

Altiùs fruticat, & à radice plurimos denſos, craſſos firmóſque *ramos* promit: *folia* ſuperioris ſecundæ ſpeciei ſimilia habet, ſed adeò confertim naſcentia, ut pæne mutuò ſeſe contingant petioli, duplici interdum ſerie, ſæpiùs triplici, valdè odorata: *flos* ejus candidus, pentapetalos, Ceraſiorum floribus ferè ſimilis, albis villis plenus, odoratus; cui ſuccedit paulò oblongior *fructus* quàm in Tarentina, initio viridis, deinde cùm matureſcere incipit purpuraſcens, tandem plenam maturitatem adeptus niger, vinoſus, grati ſaporis, candida incurváque grana in ſe continens.

Locus. In Complutenſis arcis horto, ínq; quibuſdam hortis Cordubæ hanc ſpeciem vidit Cluſius.

4. *Myrtus latifolia Belgica* C. B. *latifolia Belgica fortè Romana* J. B. *laurea maxima* Ger. *latifolia vulgaris* Park.
Cluſ.

Latifoliæ Belgicæ prima varietas amplo eſt folio, quod tamen latifoliæ Bæticæ primæ magnitudinem non æquat, viridi, rariore ordine & eo duplici circa ramos diſpoſito.

2. Alia paulò minor eſt, interdum vegetiore, viridioréque folio, quandoque pallidiore & triſtiore.

3. Tertia denſiore eſt folio & magis mucronato, eodémque nunc vegetiore & lætiore, nunc etiam pallidiore.

4. Quæ medio eſt folio non multùm abſimilis eſt quarto generi *Cluſ.* i. e. Myrto Bæticæ ſylv. *Cluſ.* quam pro prima noſtra ſpecie ſeu Myrto Italica communi habemus; ſed minùs nigricantibus & quodammodo palleſcentibus, longiore etiam fructu.

Parkinſonus hanc pro Italica communi Camer. reputat: cujus ſententia & nobis etiam probatur. Suſpicor enim omnes haſce varietates è ſemine Myrti communis Italicæ initio oriundas & plures adhuc alias: nam Lobelius ſex hujus varietates proponit.

5. *Myrtus anguſtifolia exotica* J. B. Park. *Bætica anguſtifolia* C. B.

Eâdem eſt foliorum denſitate & ſerie quâ Bætica exotica latifolia *Cluſ.* Verum minore folio & turatiùs virente; fructu etiam majore & magis orbiculato, qui reliquorum Myrti generum fructus ſtar alba & inflexa grana fert, minora tamen quàm Myrti Bæticæ latifoliæ.

6. *Myrtus minor vulgaris* C. B. *minor* Park. Ger. *Tarentina* J. B.

J. B.

Noſtro cœlo ſolóque reliquis notior eſt Myrtus Tarentina duplici triplicive ſerie diſpoſitis foliis, ebris parvis, hilari virore nitidis, fragrantibus. *Flores* quinq; foliis candidis aliorum more conſtant, uorum medium occupant numeroſa ſtamina, odore grato & amabili. Baccæ (per maturitatem aud ſecus ac aliæ) nigreſcunt, *ſemine* plenæ inflexo, albo.

Hæc omnium frequentiſſima eſt in Septentrionalium regionum hortis, quia facilè propagatur raulis aut ſurculis depactis.

Hujus duas ſpecies ſeu varietates proponit Parkinſonus, alteram folio acuto, alteram rotundiore uxi pumilæ folio, non alia in re diverſam.

7. *Myrtus domeſtica fructu albo* J. B. *fructu albo* Ger. *domeſtica minutiſſimis foliis fructu albo* Park. *foliis minimis & mucronatis* C. B.

Cluſ.

Satis altè fruticat tenellorum & rubentium ramorum frequentiâ denſa, foliis omnium minimis, guſtioribus & magis mucronatis, quàm in ulla Myrto, ſaturatiùs virentibus, fragrantis odoris. *Flos* r reliquis, tum etiam fructus, qui initio quidem viret, maturitate autem non nigreſcit ut reliquom, ſed exalbidus manet.

In Aſiâ hanc Myrtum obſervavit Bellonius.

Hujus aliam inveniri ſpeciem ejuſdem formæ ſed per omnia teneriorem, exiliore folio tradit luſius. Hujuſmodi Myrtum anguſtiore & minore folio apud Robinum vidit J. Bauhinus.

His addunt Parkinſonus & Cornutus

Myrtum flore pleno. **The double-flowered Myrtle.**

Hæc Matricariæ modo multiplici petalorum, ſubrubentium tamen, ordine flores compoſitos habet, uæ in medio denſiùs congeſta levitérque criſpata oriuntur ex ſubjecto capitulo globoſo. Folia quæ blonga ſunt & in acutiſſimûm mucronem deſinunt majoris Myrti ſpeciem hanc eſſe declarant. orro ut nulla ſpecies Myrti pluribus floribus luxuriat, ità nulla eſt floris diuturnitate commendaor. Nec enim geminum exacti menſis ſpatium florem decutit, ſæpe trimeſtre durat, nec geliciis terretur, quorum inclementiam innoxiè ſuſtinet. Tanta fertilitate floret, ut nunquam ſine ore deprehendatur: priorum ſiquidem defectum occupant novi. Raro in ſemina proſilit, quod pleſque plantis flore multiplici donatis commune eſt.

Nos hanc (ut pleraſq; alias plantas flore pleno) pro varietate tantùm [Myrti communis Itacæ] habemus non pro ſpecie ab aliis omnibus diſtincta, quæ ob pulchritudinem & ornatum à cuoſis expetitur, & ſtudioſe colitur.

Myrtus in calidioribus regionibus Italia, Hiſpania, Gallo-provincia ſponte & copioſè provenit: n frigidioribus minimè durat, nè in hortis qudem culta niſi per hyemem reponatur. Ob perpetuæ rondis honorem, & odorem ſuaviſſimum in pretio eſt, & quidem meritó. Ad opera topiaria nihil ptius, nihil ſequacius eſt, teſte J. Bauhino. Ut magna frigora ferre nequit, ità facilè à Solis æſtu ati experientiâ didicimus *J. B.* Florent Myrti pro ratione loci, calidis citiùs, frigidis tardiùs, communiter æſtate, Junio & Julio menſibus. Fructum apud nos in Anglia raro aut nunquam perficit Myrtus. Surculo depacto ſeritur, facilè enim comprehendit, præſertim Tarentina, nam latifolia aulò moroſior eſt.

Locus. ***Tempus.***

Gaudet Myrtus jugi repurgatu: ità in altiorem proceritatem adoleſcit. Degenerat in fruticem niſi crebrò purgetur.

Myrtidanum * Dioſcorides vocat id quod Myrto adnaſcitur, inæquabile, verrucoſum, intumeſcénſque, quod perinde quaſi manus Myrti caudicem amplectitur. At Hippocrati ipſe arboris fructus, quod aliter [illegible] vocat, ità appellatur. Sed * Plinio Myrtidanum eſt vinum ex ſylveſtris Myrti baccis factum.

* *L.* 1. *cap:* 156.
* *L.* 14. *c.* 16.

Vis tum ipſi Myrto, tum etiam fructui adſtrictoria. Galeno valenter deſiccat. Tum folia, tum germina, tum fructus, tum ſuccus non parum inter ſe in aſtrictione diſſident. Folia arida viridibus plus deſiccant. Reſtringendi tamen omnia vim habent tum foris impoſita, tum intro ſumpta in corpus, unde in cibo dantur ſanguinem excreantibus, veſicæque eroſione laborantibus. Virentibus baccis ſuccus expreſſus ſtomacho utilis eſt, urinámque ciet. Prodeſt cum vino à Phalangio demorſis & à Scorpione ictis. Fructus quoque decoctum capillos tingit. Is ipſe cum vino ſubfervefactus & impoſitus ulcera in extremitatibus corporis nata ſanat. Cum tenuiſſimo verò polentæ polline impoſitus oculorum inflammationes lenit: quin & ad ægilopas illinitur. Vinum porro Myrtites, quod expreſſo & aliquantum fervefacto fructu fit (aliter enim paratum aceſcit) præſumptum crapulam arcet & ad eadem ad quæ fructus valet. Utile quoque ipſum in deſeſſionibus vulvarum & ſedis procidentia, itémque fœminis fluxione vulvæ laborantibus, detergit etiam furfures, ulcera capitis manantia, & papularum eruptiones, fluentes quoque capillos continet. Additur & in emplaſtris lenibus quæ Liparas vocant, veluti etiam quod ex ipſius foliis conficitur oleum. Quin & foliorum decoctum ad inſeſſus convenit; eóque laxati & ægrè ſolideſcentes articuli, itémque fracta quæ non conferbuere utiliter foventur: vitiligines quoque emaculat. Ad aures purulentas denigrandóſq; capillos infunditur.

Vires.

infunditur. Sed & eorum ſuccus eadem efficit. Ipſa verò folia trita & ex aqua illita humidis ulceribus & partibus omnibus fluxione laborantibus, cœliacíſque proſunt. Siquidem admiſto oleo omphacino, aut exiguo roſaceo cum vino valent ad herpetas, Eryſipelata, teſtium inflammationes, epinyctidas & condylomata. Arentia verò folia trita paronychiis & pterygiis, itémque alis feminibúſq; humentibus, adeóque tetrum virus ſpirantibus, utiliter inſperguntur, & cardiacorum ſudores prohibent. Cæterùm cremata aut etiam cruda cum cerato, ambuſtis, pterygiis, & paronychiis medentur. Exprimitur & foliis ſuccus affuſo vino vetere aut aqua cœleſti, cujus recentis uſus eſt: nam exſiccatus ſitum contrahit, viréſque amittit.

Myrtidanum magis quam Myrtus aſtringit. Tuſum verò & vino auſtero addito coactum in paſtillos, ſiccatúmque in umbra reponitur. Efficacius porro eſt tum fructu, tum foliis, ceratis, peſſis, inſeſſionibus & cataplaſmatis admixtum, ubi conſtringendum aliquid eſt. *Hæc omnia Dioſcorides.*

Quæ præterea habent Plinius, Galenus, Sethi, aliíque vide apud J. Bauhinum *Hiſt. pl. lib.* 5. *cap.* 1.

Uſus internus foliorum aut baccarum nunc dierum rarior eſt. Adhiberi tamen poſſunt in diarrhœa & expuitione ſanguinis.

Syrupi uſus eſt ad catarrhos calidos, tenues præcipue cùm pectus occupant.

Oleum duplex eſt in Offic. alterum fit ex baccis Myrti, alterum ex foliis oleo communi infuſis. Atque ut differentia ſit, quod ex baccis fit Myrtinum vocatur: quod ex foliis Myrtillorum. Ego (inquit Caſp. Hofman.) non magni facio, & ſicubi opus eſt illo extrinſecus, in fluxibus alvi, ambuſtis, intertriginibus debilitate generis nervoſi, &c. utor potiùs melino.

Facultates Myrti omnes dependent à vi ſiccandi, adſtringendi, & ſuavitate odoris. *Myrtúſque emendat oris odorem.* Seren.

Aqua è floribus Myrti deſtillata ob odoris ſuavitatem myropolis plurimum expetitur.

Plinius apud Antiquos, antequam Piper reperiretur Myrti baccas illius obtinuiſſe vicem tradit, quodam etiam generoſi obſonii nomine inde tracto, quod etiam nunc Myrtatum vocatur. Eadémque origine aprorum ſapor commendatur, plerunque ad intinctus additis Myrtis.

Varios modos faciendi vinum Myrtites, & Oleum Myrtinum apud Veteres vide apud Plinium, Columellam, Dioſcoridem, Catonem, Palladium. Conſule etiam de his & eorum viribus ſi placet J. Bauhinum, loco modò citato. Bellonius refert Illyricos Myrti foliis coria perficere, quemadmodum Macedones Rhoe; Ægyptios Acaciæ ſiliquis; Aſiæ minoris incolas glandium Æſculi calycibus; Gallos Quercûs libro; Phryges ſylveſtris Pini corticibus. *Cluſ. hiſt. lib.*2. *cap.*12. In Myrtis coccum naſci unico animali vivo veſiculâ incluſo præditum obſervavit Bellonius.

8. *Cambui ſeu Myrtus Americana ſylveſtris* Piſon. Marggrav.

Duæ hujus ſpecies in gleboſis terris, lento utraque ligno & cortice cinereo, luxuriant: quæ ob fragrantiam, aſtrictionem foliorum, florum & fructuum, *Myrti* ſylveſtris nomen meritò obtinent.

1. *Prior* arboreſcens, latifolia, Ceraſum nigram per omnia externa æmulatur, ſi ramos, *folia*, flores & fructus conſideres: cæterùm interna qualitate eam ſuperat, quòd folia & flores *optimi non* ſolùm odoris, ſed fructus nigri admodum ſunt ſaporoſi, grata accedente adſtrictione, omnibus pariter incolis expetiti, & in foro publico venales.

2. *Poſterior* eſt rubra, quantúmque magnitudine prædictæ cedit, tantùm dignitate illam ſuperat, ac proinde fructus inter delicias Pharmacopœiæ habentur. Frutex hic eſt *foliis* ſolidis, læte viridibus, oblongis, alternatim ſibi appoſitis, ſed raro oppoſitis.

Semel per annum floret, Sole ad Scorpionem accedente, tam grato odore olfactum, quàm niveo colore viſum reficiens. *Flos* enim tetrapetalos totus albicat.

Fructus crocei baccarum ſunt magnitudine, raro ſolitarii, ſed Ceraſorum more copulatim poſiti, & pediculis ſuis innitentes, rotundo umbilico papillari præditi, qui ſi tempeſtivè avellantur, ſucco turgent optimo, ſed tandem fauces, ſi multùm illis veſcaris, conſtringunt. Continent intus nucleum tenui cortici incluſum. Cæterùm ſtomachum reficiunt, corroborant, æſtúmq; ſedant: Succi & fomenta foliorum & fructuum tibiarum imprimis ulceribus, atque aliis malis adſtringendo & mundificando medentur. Balnea integra tam fluxibus alvi quàm uteri dicata cum feliciſſimo ſucceſſu adhibentur. Aliáque præſtat quæcunq; Myrtus vulgaris.

Vires.

3. Tertia Myrti ſpecies hic reperitur, quæ Myrtus alba appellatur, ſed infrequentior eſt.

9. *Myrtus Zeylanica odoratiſſima baccis niveis Monococcis* Hermanni. *Maranda Zeylanenſibus. Herman.*

Ligno eſt candidiſſimo eboris inſtar, ſolido, ponderoſo; cortice ſcabro, tenui. Ramis numeroſis, fornicato ambitu perpulchrè orbiculatis; Foliis rigidis mucronatis, jucundo viridi lævore nitentibus, odore citri fragrante, ſapore aromatico leviter adſtringente. Ad ſummos ramos prodeunt urceoli candidi diaphani globoſi, florum unedonis inſtar, è quorum umbilico profluunt innumera apiculata concoloria ſtamina. His emarcidis urceoli tranſeunt in baccas piſi majoris magnitudine, molleculas, niveas, dulcis aromatici ſaporis, includentes acinum unicum fuſcum anguloſum. Baccas pueruli eſitant; foliorum decoctum, obſervatâ tenui diætâ, Luem Gallicam vigoroſè expugnat. Lignum ad capſas, ſcrinia, aliáque utenſilia expetitur.

Alias varietates recenſet Hermannus, ut Myrtum foliis Buxi contortis. Myrt. minimam foliis ſplendentibus. Myrt. balſamicam foliis Mali granatæ craſſiuſculis, pinguibus, lucidis. Myrt. fol. Roſmarini. Myrt. foliis odore Nucis Moſchatæ, cauliculis rubentibus vulgò odore Citri. Myrt. foliis ex luteo variegatis. Myrt. Africanam humilem foliis Myrtilli crenatis, cauliculis nigricantibus, ſeu Fruticem Æthiopicum bacciferum foliis Myrtilli *Breyn.*

CAP.

Cap. XXX.

De Hedera.

HEdera, Græcis Κισσὸς, nonnullis ab hærendo dicta videtur, ſed malè cùm antepenultimam corripiat, unde etiam in antiquis & melioris notæ codicibus malè ſcribi per *æ* nemo non videt. Alii *edera* ſcribunt, & ab *edendo* dictam volunt. Etenim arborum importuna amaſia & velut aſſentatrix, cortice rimoſo impacta macerias vetuſtiores demolitur, & radicatis propagationibus arbores amplexa enecat & exedit, præſertim illa ſpecies quæ major & arborea dicitur. Et mihi ſanè (inquit Voſſius) hæc poſterior placet ἐτυμολογία. Neque obſtat quòd in antiquis codicibus per *H* ſcribatur. Nam additur ea, quemadmodum Pontanus quoque ſenſit, ut in accuſativo utroque dativo atque ablativo plurali à verbo *ederam*, *ederas* & *ederis* diſtinguatur.

Κισσὸν Græcis dictum putant à Ciſſo, quem puſionem Liberi patris fuiſſe Græci fabulantur, & in nominis ſui fruticem converſum, dum adminiſter cum eo Deo ſaliens alliſus terræ periit. At probabilior etymologia eſt ἀπὸ κιὸς, i. e. verme ſeu curculione, qui in frumento, hordeo & tritico maxime naſcitur, cui natura eſt ſemina illa cuſpide potiùs, quam ore exiguis foraminibus terebrare, unde κισσηρὶς Pumex ob fiſtuloſas ac poroſas cavitates dicitur. Eodem modo planta hæc κισσὸς vocatur à poroſa textura, & innumeris ſpiraculis pervia, qua vinum tranſmittit.

Planta hæc è nonnullis non inepta Paraſitica appellatur, quòd alienâ quadrâ vivat, & partem ſaltem alimenti ab arboribus quas amplectitur exſugat. Partem inquam alimenti: non enim (ut vult Theophraſtus) apud nos naſcens ulla hederæ ſpecies ſi inferiùs ſuccidatur durat, nec emoritur, quin contrarium experientiâ conſtat, & noſtra & aliorum. Miramur autem tot Hederæ ſpecies in Græcia inveniri quot recenſet Theophraſtus, aut ubi eas viderit, cùm in omnibus quas nos luſtravimus regionibus unica tantùm hactenus obſervata fuerit. Nam Hederam helicen dictam, provolutam & ſterilem, à majore arborea & fertili non aliter differre cum Trago, Cæſalpino & J. Bauhino putamus, quàm vel ratione ætatis, vel loci ubi creſcunt: hinc enim ſolùm fieri quòd aut formâ differant aut fructu.

A. *Hedera communis major & minor* J. B. *arborea* C. B. *item major ſterilis* ejuſdem. *Arborea ſive ſcandens & corymboſa communis* Park. *item Hedera helix* ejuſdem & Ger. **Climbing, or berried Ivy; alſo barren, or creeping Ivy.**

J. B.

Sarmentis tenuibus longo & errabundo reptatu proximis arboribus aut parietibus innixa alta petit, s quæ ſemel apprehendit pro ridicis uſa, barbetio fibrarum propagatas radices in alieno ſolo agens, ortice magna parte rugoſo, cinereo, in novellis ramis viridi, materie alba firma. *Folia* nullo or-ine pediculis ſemipalmaribus & palmaribus appenſa, magna, nervoſa, rigida, ſupernè ex atro vi-entia & ſpendentia, infernè ad luteum tantillum ex virore declinantia, ſinuoſa, triquetra, aliàs ro-unda, in mucronem exacuuntur, ſapore ſiccante & acri. *Flores* in ſarmentorum extremitatibus, ex herbaceis foliis radiatis conſtant, totidémque luteis *apicibus* in orbem circumacti multi umbellæ nſtar. Corymbi ſuccedunt per maturitatem nigri: acini ſinguli ſemunciâ longioribus pediculis in-dent, baccis Juniperinis æquales, ſeſſiles & quaſi utrinque compreſſi, circulo umbilicato, cui abeſt lle reliqui acini nitor, inſcripti, velut opercula impoſita urceolo, cujus centrum deſignat prominu-us niger ſtylus: intus diſtinctis ſepimento membraneo, nonnihílque pulpoſo. Loculis continentur *mina*, unum, duo, tria, quatuor, quinque, oblonga, gibba, turgidula, curculioni convoluto ſimilia, uticula tenui contecta, intus pulpoſa, confractæ Oryzæ cum gluma ſua, aut pulticulæ è pane ſyn-omiſto non abſimilia.

Obſervante Cæſalpino, cùm ad eam ætatem acceſſerit Hedera, ut fructum ferre poſſit totam mu-at faciem naturámque, nam per ſe erigitur, & quidem in tantum aliquando, ut nullum relin-uatur conjunctionis veſtigium cum repente hedera. Quamdiu enim affixa eſt folia fert in angulos eſinentia, ad ſummum quinos, quorum duo utrinque prominent, unus in ſummo folio: quo au-em magis adoleſcit, folia & pauciores edunt angulos obtuſioréſque & ipſa majora fiunt & virenti-ra, & unicolora, cùm ab initio eadem puſilla ſint, nigra & maculis albis [ſecundùm venas] di-incta; aliquando infernè ſubrubentia, cum autem erigitur folia rotundantur, obliteratis ex toto rinq; angulis omnibus, ſolo eo qui in ſummo eſt relicto.

Hedera paſſim naſcitur ad arbores, in ſylvis, campis & hortis, & ad ædificiorum muros. Sylva-m opaca, arida & ſaxoſa perreptat, ut rectè J. Bauhinus.

Hedera Dionyſias Dalechampii J. B. *poetica* C. B.

Lugd.

Ex congeneribus nigris folium habet minùs atrum, minimè anguloſum, craſſum, carnoſum, ve-oſum, in acumen faſtigiatum, nec admodum denſum, in corymbis acinos luteos, aureo nitore ful-ntes, ex congeneribus aſpectu maximè pulchros. Hæc radicoſis brachiis reliquarum modo vicinas bores enecat, ſucco eorum exhauſto. Raró in Gallia provenit: nec rariùs puto in aliis regioni-s; eſt enim, ut mihi videtur, varietas quædam hederæ, baccarum colore à vulgari differens, quem-modum & Agrifolium baccis luteis ab Agrifolio communi: quod rarius etiam occurrit.

Vires.

Omnis hedera, autore Dioſcoride acris eſt, aſtringit, nervos lædit. Internus hederæ foliorum us (quia capiti nervoſóque generi adverſatur) rarus eſt. Externus creber in ichoribus exſic-ndis & ſanandis: in fonticulis ab inflammatione tutandis [imponitur quotidie folium] *apertis con-vandis, humoribúſque illuc fluentibus eliciendis vi ſua attractoria*; in ozænis curandis; in aurium purulentarum dolore ſedando. Veteres folia cum vino cocta ad ambuſta & ulcera maligna commendant, & maculas ſolares: cum aceto cocta aut cruda cum pane trita lienoſis proſunt. Arthritici quidam dolenti parti imponunt cruda folia Hederæ, quibus aliquis inpræſentiarum levamen ſe ſenſiſſe narrat, adeò ut per multos annos non aliis topicis uſus ſit. *Antonius de Heyde* in Centuria obſervationum Obſerv. 5. Florum ſiccatorum pulvis quantum trium digitorum apicibus comprehendas, ex vino bibitus fluxum dyſentericum ſiſtit.

Acini drachmæ pondere cum vino aſſumpti mirificè calculum pellunt & urinam movent. Ad menſes ſuppreſſos minimè fallax traditur remedium, ſi acini tres Hederæ arboreæ in pulverem triti, cum aqua ſtillatitia Pulegii & pauxillo Croci bibantur calidæ, ídque manè, diebus aliquot continuis.

Quinque aut ſex acini ante poculorum certamen comeſti ebrietatem arcere dicuntur.

Baccæ purgant per ſuperiora & inferiora, unde à nonnullis contra febres exhiberi ſolent. *Schrod.*

Pulvis baccarum hederæ plenam maturitatem adeptarum larga doſi exhibitus arcanum eſt contra peſtem. Remedium eſt Alexis Pedemontani. *D. Boyl. De utilitate Philoſophiæ experiment. ad medicinam.* ℞ grana Hederæ quæ vergunt ad Septentrionem bene matura: in umbra ſiccat. in pulverem redigantur. Doſ. ʒj. in vino albo provocando ſudorem. Expertum ſæpe remedium. Ejuſdem meminit & J. Bauhinus è Camer. Corymborum pulveratorum ſcrupulus unus ex aqua Menthæ aut ſimili efficax eſt ad ventriculi dolores: Alicubi & peſte correptis exhibent, quibus ſudores eliciunt potenter.

Oleum è baccis deſtillatione elicitum præſtans eſt ad frigidos articulorum morbos; menſes ciet, calculos pellit, ſordida ulcera extergit.

Hedera hoc à natura peculiare habet, quòd prima ejus folia ſint anguloſa & varia, poſteriora & ſumma rotunda. Solet enim natura aliàs ſcindendo procedere à ſimplici ad varium, inquit C. Hofmannus in *De Medicam. Officinal.* lib. 2. cap. 102. Idem tamen (quod pace illius dixerim) obſervatur etiam in Agrifolio, in Smyrnio Cretico, in Sio aquatico maximo, Thlaſpi vero Dioſcoridis *Zanoni*, aliíſque quarum folia ima & ad radicem ſinuata aut laciniata, ſuperiora integra ſunt.

Vulgo jactatur & Wecherus ex Euonymo & aliis refert, Vinum ab aqua ſeparari, ſi vas ex hedera conficiatur, eíque vinum infundatur cui aqua permixta, brevi enim permanente vino aquam extillare. [Veteres Cato, Varro, Plinius, vinum extillaturum aiunt, remanente intus aqua, quod veriſimilius eſt, cum vinum ſpirituoſius ſit, & tenuiorum ſubtiliorúmque partium.] In hujus experimenti veritatem ut inquirerem, ex ligno Hederæ (cùm mihi fruſtum obtigerit brachii magnitudine) pocula confici curabam, quorum maximum liquoris libram ſemis capiebat; cui vini duas partes, aquæ unam infundebam; quæ per tres dies mixta ubi ſtetiſſent, paulatim unà tranſudabant. Ex quo de experimenti veritate judicium ferre quivis poterit. *Worm. Muſ.* lib. 2. cap. 17. p. 171.

Lignum Hederæ de radice diſſectum, ubi craſſius eſſe conſuevit, à ſutoribus in eum uſum parari ſolet, ut poſtquam cultellos ſuos ad corium diſſecandum idoneos ad cotem exacuerint, aſperiores etiam tunc illos æquales lævigatóſque reddant ad dictum lignum ultra citraque ducendo: quod præ aliis ad hunc uſum idoneum judicetur, fortè ob mollitiem ſubſtantiæ ipſius, quæ etiam ſenſu percipitur.

Grana baccis exempta, triticeis nonnihil ſimilia, cùm à Sturnis aliíſque avibus in areis & templorum tectis ſparſa à nonnullis inventa fuerint, occaſionem iis dederunt, & ſibi imaginandi, & in vulgus prodigiorum credulo rumorem ſpargendi tritico pluiſſe.

Habetur in Officinis Hederæ lachryma ſeu gummi ex ſaturo virore ferè nigreſcens, vitreo nitore, ſed non pellucido, durâ ſatis compactâque conſiſtentia, non tamen uniformi, rubiginoſis intercurſantibus micis: haud difficulter in pollinem redigitur, ſaporem imprimens ſiccum haud injucundum, cum levi quadam amaritudine, ſalivam croceo colore tingens. Candelæ admotum claram & pertinacem edit flammam, nidore ferè thuris, & nè tum quidem liqueſcit. Hujuſmodi reſinam J. Bauhinus rubram, odoratam, pellucidam guſtu acrem, chartam inbuentem olei inſtar, igni admotam flammam concipientem ut cæteræ reſinæ, in caſtello *L' Abatie* propè Genevam. Nec diſſimile ad nos miſit amicus quidem Worceſtriæ in Anglia collectam: rariùs tamen apud nos invenitur.

In ſetaceis ſtylus fabricari poteſt è ligno hederæ, novúſque imponatur ſemel in menſe. Experior id quoque in meis fonticulis, quibus loco piſorum globulos ex hoc ligno hederaceo à Torniario concinnatos impono: commodiſſimi ſunt, egregiè enim attrahunt, & nonniſi ſemel in menſe eos mutare neceſſe eſt. Hildanus Cent. 1. Obſerv. 41.

SECTIO

SECTIO IV.

De Arboribus fructu umbilicato ſicco.

Cap. I.

Amomum quorundam odore Caryophylli J. B. *Amomum aliud quorundam & Caryophyllon Plinii Cluſio ſuſpicatum* Park. *Caryophyllus aromaticus fructu rotundo, Caryophyllon Plinii* C. B. *Piper odoratum Jamaicenſe noſtratibus.* **Sweet-ſcented Jamaica Pepper, or All-ſpice.**

FRuctus, *Piper odoratum Jamaicenſe* dictus, nunc dierum copioſè infertur in Angliam, eſtque in frequenti uſu in culinis noſtris ad cibos condiendos: à vulgo **All-ſpice**, quaſi omnium Aromatum inſtar eſſet, appellatur. Orbicularis eſt, Piperis grano plerumque major, inter- um tamen æqualis aut etiam minor, cortice fuſco, rugoſo, umbilico ſeu corollâ ſummo tenus æditus quadripartito, duos continens nucleos (ut rectè J. Bauhinus) nigros, atro-virente mem- ana tectos, qui intergerino pariete diſpeſcuntur. Tota fere fructûs figura externa pulchrè Mali anati, colore excepto, reſpondet. Sapore eſt acriuſculo, aromatico, ad Caryophyllos accedente.

Cluſiana fructûs deſcriptio minùs exacta eſt: ait enim eum apertum ſemen continere in binas rtes ſciſſile, cum noſter fructus non unum in duas partes ſciſſile, ſed duo contineat ſemina, duo- s diſtinctis loculamentis ſeu cellulis à ſe mutuò ſeparata, ſeu pariete intergerino diſcluſa: præ- rea umbilici ſeu corollæ in ſummo fructu nè verbulo quidem meminit, ut dubitem an eundem uctum deſcribat nécne.

Nos plantam ipſam nondum vidimus, neque quiſquam poſt Cluſium, quod ſcimus, eam deſcripſit, iquam ergo deſcriptionem è Cluſii exoticis mutuatam dabimus.

Fructus hic botri in modum naſcitur, ut ex multis granis, quæ petiolos ſuos adhuc retinebant, binis terníſque granis, uni ramulo inhærentibus conjecturam facere poteram: his adjecta erant ia unius quidem formæ, ſed magnitudine valdè differentia: nam quædam ſeptem uncias erant nga, tres lata, nonnulla quinque duntaxat uncias longa, duas cum ſemiſſe lata, alia trium uncia- m longitudinem non excedebant, & vix duarum latitudinem attingebant; quædam etiam iis longè nora & anguſtiora, præſertim quæ cum granis permixta reperta fuerant, pro loci quam in ramis aut nulis occupaverant ratione: nulla autem inter illa reperi quæ ſerratas haberent oras, ſed æquales nia, & multis tenuibus venis à nervo folia per longitudinem ſecante in latera obliquè excurrentibus edita, eorum mucrone nunc anguſtiore, obtuſo tamen, nunc latiore & quaſi orbiculato, cineracei ſpadiceo coloris, & ſatis acris ſaporis: ramuli qui additi fuerant, tenues, quadranguli, cineracei co- is cortice tecti, annotini videlicet, qui verò poſtea nati ſpadiceo, retinentes adhuc veſtigia ubi folia æſerant, quæ utplurimum ex adverſo nata demonſtrabant; & illi etiam acriuſculi ſaporis perinde ac a, nec ingrati odoris. Radix unà ad Cluſium tranſmiſſa quæ hujus fruticis ferebatur materie erat dè dura & firma, interna parte alba, externa & ſub cortice latente fuſca [ob vetuſtatem forſitan] t autem gemino cortice tectum, interno quidem ſatis denſo, fuſciq; coloris & acris ſaporis, externo o breviore, ex cineraceo flaveſcentis coloris (quam ex argillacea terra in quâ planta nata contra- e veriſimile eſt) acerrimíque ſaporis. Eam porro radicem multis tenuibus fibris firmatam fuiſſe, ædam adhuc adhærentia, & aliarum quæ abruptæ veſtigia apparentia ſatis innuebant.

Hunc fructum Cluſius Caryophyllon Plinii eſſe ſentit; conſentit C. Bauhinus, nec nos repug- mus.

Nullus ejus hactenus in medicina uſus eſt: verùm calfaciendi, adſtringendi & exſiccandi vi pol- e odor ſapórque demonſtrant, & reliqua præſtare poſſe quæ Caryophylli aromatici: nec ineptè odorem conſimilem & umbilicum quadripartitum ad Caryophyllorum genus à C. Bauhino re- ur.

In inſula Jamaica copioſè provenit, & compoſitionem *Chocolate* ingreditur. *Locus.*

Xocoxochitl ſeu Piper Tavaſci Fr. Hernandez *lib.* 2. *cap.* 5. Piper Chiapæ D. Redi. *Hernand.*

Huic idem putatur, eſt autem Arbor magna, Mali Medicæ foliis, floribus coccineis Mali Punicæ mâ, ſed odore florum Mali Medicæ, atque adeo jucundiore, quod etiam folia ipſa vincunt; tu orbiculari, acinoſo, racematim dependente, primò viridi, mox fulvo, ac tandem in nigrum rem inclinante, acri odorato, & ordine tertio ſicco atq; calido.

Piperis vicem ſupplere poteſt, & pro Carpobalſamo aut Carpeſio ſubſtitui. Roborat cor ventri- *Vires.* imque, utero confert, flatum diſſipat, obſtructiones aperit, urinam & menſes evocat, frigus pel- colicis & iliacis opitulatur, venerem excitat, craſſos & lentos humores incidit & concoquit, que præſtat quæ apud autorem vide.

Folia hujus Piperis ſeu Caryophylli Americani habent ſaporem acrem & valde Aromaticum; Pi- odoratum Jamaicenſe noſtrum eſſe hoc Amomum ſeu Caryophyllum, & Xocoxochitl ſeu Piper aſci Fr. Hernandez, & Piper Chiapæ Franc. Redi à *D. Tancredo Robinſon* primùm edoctus fui.

Alterius cujuſdam fructûs in inſula S. Laurentii naſcentis meminit Garcias, Avellanæ magnitu- , aut ea majoris, qui Caryophyllum redolet, ſed incomperti adhuc uſus. Caryophylli odore fru- exoticus C. Bauhino dicitur.

CAP. II.

1. *Caryophyllus aromaticus fructu oblongo* C. B. *Caryophylli* Park. *Caryoph. Indici* J. B. *Caryoph. veri Cluſii* Ger. **Cloves.**

CAryophylli vox Nucis folium ſignificat, verùm cur id huic aromati nomen impoſitum, aut quid ſibi velit, me neſcire fateor. Noſtratibus **Cloves**, Gallis etiam *Clou*, & Hiſpanis *Clavo*, A Latino Clavus, quia Clavi in modum capitatus eſt, Belgis etiam *Naghel* eodem ſignificatu & eadem de cauſa dictus eſt.

G. Piſo.

Arbori magnitudo noſtratis Cerasi [C. Bauhinus magnitudinem Pyri aut Mali ei attribuit, Garcias Lauri formam & magnitudinem] Caudici craſſitudo quanta pæne humano corpori. Cortex Oleæ: Folium Pyri noſtratis [Cum Piſone conſentit C. Bauhinus & Bodæus à Stapel. Linſchotanus, Maffeus, Cluſius aliíque folia Lauri ei aſcribunt, nervo ſingula folia per mediam longitudinem ſecante, & nervulis inde multis ad latera utrinq; excurrentibus] Folio petiolus eſt longiuſculus. Rami plures & multùm fruticantes, quorum plurimi deſinunt in tenues valdè ſurculos.

Surculos J. Bauhinus ſic deſcribit fructiferos. Ejus (inquit) ramuli aut ſurculi ſive pediculi quos obſervavimus coloris ſunt fuliginoſi, longitudinis duarum circiter unciarum, cortice ſatis craſſo, guſtúq; nonnihil aromatico. His adhærent ſæpe Caryophylli aliquot: partes inferiores, quæ craſſiores, quadrangulæ apparent. Ex prædictis ramulis (quorum adverſus ſitus) ceu præpilati clavi rugoſi affiguntur, ſingulares, ſemunciâ longiores, externè fuliginoſi coloris, internè dilutiores paulò, qui quatuor denticellis radiatis decuſſatim coronantur, quorum medio capitulum Piſi parvi magnitudine inſidet, è foliolis ſquammatim implicatis contextum; quibus patentibus fibræ comparent plurimæ rufeſcentes, & inter has ex cavitate quadrangula ſtylus rectior, ejuſdem coloris: atque hic nihil aliud eſt quàm flos nondum explicitus, quaternis foliis conſtans, initio albicans, deinde vireſcens, poſtremo rufeſcens (tradente Garcia) fragrantiâ inſigni omnes flores ſuperans. [Cluſius ab αὐτόπταις intellexit, formâ non diſſimiles eſſe floribus Ceraſiorum, non tamen candidos, ſed elegantis cœrulei coloris, quorum ſingula petala tribus candidis radiis ſeu venis eſſent diſtincta; ſtaminula verò medium florem occupantia purpurei coloris.] Sapor recentium [Caryophyllorum] fervidus non ſine amarore, valdè tamen gratus & aromaticus (Cordo aſtringens quoque) & neſcio quid ſtuporis linguæ imprimens. Succo oleaginoſo & rubente. Flore autem excuſſo cauda clavi in ventrem turgeſcit, longa tamen ſemper remanens, ínque corticem degenerans; nucleum ventre concipit, aliàs ſimplicem, aliàs geminum, ut duriorem dentibúſque difficulter fragilem, ità parùm illius gratiæ aromaticæ fervidæ retinentem, nigrum, in duas partes εἰς ὄνυχα commiſſas, fiſſilem. Maturus ille ſeu tumidus Caryophyllus tam medicis quàm Pharmacopolis *Antophyllus* appellatur. Hic in arbore remanens inſequente anno ſponte cadit, íſq; langueſcente licet vi aromatica in pretio habetur, & loco ſeminis plantationi dicatur, Matrem fructuum appellant. * Horum aliqui ab agricolis neglecti, delapſi, & terræ gremio excepti, ſponte germinant, atque octo intra vel novem annos, juſtæ interea arbores factæ fructum juxta cæteras ferunt. Feliciùs tamen quotquot altero tertióve anno frutices tranſplantantur.

Antophyllus quid.

** At nè per octo quidem dies vegeti in ædibus conſervari poſſunt Anthophylli; ſtatim enim exſiccantur, nec unquam germinant.*

Ramulus quem Cluſius cubitalem nactus eſt in ramulos alternatim ex adverſo naſcentes dividebatur: infima parte cineracei coloris cortice tectus erat; graciliores tenellique ramuli eum candidum habebant, præter extremas feſtucas ipſum fructum ſuſtinentes, quæ fuſci coloris erant, & ternæ plerunque junctæ ramulos terminabant.

Hinc apparet erràſſe Acoſtam, Matthiolum alióſque eorum ſequaces, qui fructus ſparſim ramis inhærentes Myrtinorum modo deſcribunt & depingunt.

Locus.

Caryophylli in Moluccis inſulis ſponte proveniunt. Moluccæ autem juxta Æquatorem ſunt ſitæ, ut ſe à Borea in Auſtrum exporrigant, à ſe invicem non amplius vicenis leucis diſſitæ. Earum maxima ultra ſenas leucas in ambitu non habent. Omnibus ſolum eſt adeo aridum & ſiticuloſum, ut non ſolum cœlo lapſos imbres momento imbibat, verùm etiam à montibus deſcendentes aquas abſorbeat antequam colligere ſe in flumen aliquod, atq; ità in mare delabi queant. Quin aliquot locis è terra ſponte ignes & magno ſtrepitu eructantur. Unde cætera quidem ſteriles ſolos Caryophyllos proferunt. Certè quæ ad victum neceſſaria ea incolæ coguntur omnia petere à vicinis inſulis. Porro ex inſulis quæ Moluccæ dicuntur ſub unius Reguli imperio ſunt *Ternate Makian* & *Mutier*. Quarta quæ *Baciam* alium ſibi Regulum habet. Hæ quatuor olim abundare Caryophyllis ſolebant, nunc penitus iis deſtitutæ, culpâ non novercantis naturæ, ſed largiſſimæ & benigniſſimæ matri invidentis fortunæ, imò Batavorum avaritiæ, à quibus reguli aliquot millenis imperialibus excæcati ex pacto omnes ibi Caryophylliferas arbores eradicârunt. Batavi enim, ipſo Piſone fatente, ut uni lucro ſtudent, ſuâ intereſſe putârant, nè tam nobile Aroma viléſceret copiâ & fertilitate Divina. Ità Avaritia lege, modo, ratione carens audet ipſi naturæ Auctori, omniſque boni largitori tantùm non ſuam exprobrare benignitatem & liberalitatem. Moluccenſium interea cætera *Tidor* & *Marigeron*, quas ſui juris Hiſpanus fecit, Caryophylla ſatis abundanter ferunt: Quemadmodum & Amboina, quæ Batavorum commercio patet, eorundem arboribus & arte conſita eſt, & naturæ beneficio frequentibus locis dotata. Hactenus Piſo.

Tempeſtate ſicca admirabili luxurie ſæpe fructus quam folia numeroſiores. Neque tamen p annos conſtante tempeſtate omnibus par ubertas: nam altero, tertióve anno, aliquando ſeptim minor hæc.

Leguntur ſemel duntaxat in anno ab Octobri ad Februarium. Pars manibus leguntur; pars A rundine longa aut è funiculis flagello diſcutiuntur. Ab his periculum tamen eſt, nè non ſatis a provida aut experta manus ſurculorum extrema quaſſet, cum certa in ſequentem annum vindem etiam ſperatæ jactura. *Mirum nobis videtur Caryophyllos, cùm fructus rudimentum ſint, & procul* *virgis tenaciſſimè adhæreant, ulla quantumvis violenta flagellatione decuti poſſe.* Cùm * vindemiandum eſt, univerſum ſub arbore ſolum exherbatur, quò faciliùs legantur decuſſa Caryophylla, [alii tegetes aut lintea arboribus ſubſterni aiunt.] Recens lecti rufi ſunt, & leviter nigricantes. Qui ut prorſus evadant nigri & † ſiccantur & infumantur, atque nè teredo invadat marinâ tepidâ aliquantum macerantur, iterumq; ſiccantur: itáque præparati per univerſum orbem diſtrahuntur. Quò appellunt ibi plerumq; purgari à petiolis conſuerunt, & hi ſeorſim vendi; qui Luſitanis *Baſton*, vulgo *Fuſti* dicuntur, & hodie in quamplurimis locis, potiſſimùm Genuæ & Lugduni Saccharo incruſtantur. Guſtu & odore paulò quàm ipſi Caryophylli remiſſiore ſunt, ſed tamen jucundiſſimo ac ſuaviſſimo, quæque nullam mordicando palato triſtitiam inferunt. Folia quinetiam ac cortex non tanta odoris gratiâ fragrant ac ipſum Caryophyllum, non tamen prorſus odore deſtituuntur, ſed Caryophyllos nonnihil redolent, atq; etiam eorum ſaporem referunt.

* h. e. *cùm baccæ è viridi aut pallido rubeſcere incipiunt.*

† *Collecti cratibus imponuntur, & latis Ari foliis tecti, per aliquot dies in fumo macerantur, deinde in Sole ſiccantur.* Rumph.

Caryophyllum deliges nigrius, ſolidius, ponderoſius, & copioſiorem liquorem divulſum ungue, vel acu punctum exſudans, odoratum, frangi contumax ac lentum, recens linguam maſticanti unà cum faucibus pæne adurens, acre & aromaticum. Annos quinq; ſervari poſſe ait Sylvius loco emperato.

Vires.

Caryophylli calefaciunt & exſiccant. Et ſanè, Calor tam eſt huic Aromati eſſentialis & genuina, t cùm in India emendatur, ſi vas aliquod cum aqua alióve liquore adſtet (teſte Linſchot.) id omne intra duos dies, etiam aliquatenus diſſitum, ingenti ſiccitate Caryophyllorum exhauriatur, t ſæpenumero experimentis comprobatum ait. Hoc nobis quidem minùs veriſimile videtur: conirmat tamen Guil. Piſo his verbis, Indi vendituri aut vendita [Caryophylla] tradituri biduo ante olent in horreis ſive Caryophyllorum conditoriis apponere magnum & ſatis capax vas, atque hoc replere aqua. Quæ omnis brevi exhalans ſubit in Caryophylla, & ponderoſiora reddit, certo lucro: Quin invenitur ferè Caryophyllon in tantum pondus auctum, quantum fuit aquæ appoſitæ. Cujus xperimenti noſtratium aliqui haud ignari, adulterium hoc facile & lucroſum, non ſemel imitati unt. Hæc aquæ è vaſe fuga ſeu evaporatio, ſi ſolito celerior ſit, calidis fortaſſe ἀναθυμιάσει Caryohyllorum debetur: attractionem ullam proprie dictam dari non concedimus.

Caryophylli oris halitum commendant, ideò mulieres Indorum frequenter manducant in eundem nem, aliæque aliarum gentium. Ad oculi aciem conferre, & nubeculas exterere dicuntur: Ventriculo robur addunt & hepati; vomitum compeſcunt & nauſeæ adverſantur. Veneris incentivum nt Serapioni. Conducunt porro contra morbos omnes Cerebri frigidos, Apoplexiam, ſpaſmum, aralyſin, lethargum, ſtuporem. Iidem ſive ſuffimento, ſive eſu faciunt contra aerem peſtirum.

Præcipuus autem Caryophyllorum uſus eſt culinaris ad condimenta & embammata: adeo autem xpetuntur & placent ut ſine Caryophyllis dapes ferè deſpiciantur. Nec eorum tantùm pulvis omibus propemodum ferculis & intinctibus admiſcetur, ſed & gallinæ, capones, galli Indici, bubulæ inguæ, vaccarum ubera, aliáque ejuſmodi Caryophyllis transfixa aſſantur: quin & iis frutus tranſfigi, & condituras, ut Mala, Pyra, Cotonea à mulierculis conſueverunt. Uſurpant em ad olfactoriola & veſtium odores: in quem uſum Mala Aurantia Caryophyllis infixis ſiccare lent.

Quidam Cereviſiæ aut vino Caryophyllis incoctis, aut eorum pulvere nodulo incluſo & in vaſe nſpenſo, odorem & ſaporem jucundum conciliant.

Uſus eſt etiam in ventriculo dicatis ſcutis & ſacculis tum ad vomitum, tum ad ventriculi dores à cauſa frigida.

Quidam pulvere Caryophyllorum caput ſpargunt contra capitis dolores ac gravedines.

Caryophylla viridia aceto & ſale apud Malucanos condiuntur, teſte Garcia, ſed his teneriora ccharo aſſervantur in magnam palati amœnitatem. Noſtri quoq; (inquit J.B.) Caryophylla ſacharo incruſtare ſolent, non inconcinno ad placendum palatui, & calefaciendum frigidum ſtoachum invento.

E Caryophyllis quoq; deſtillatur Oleum, quod quidam pollere Balſami facultatibus aſſerunt tam terno quàm externo uſu. Eſt tamen proculdubio calidius multo.

E floribus & Caryophyllis adhuc viridibus Indæ pariter ac Luſitanæ fœminæ deſtillando eliciunt quam vel ſpiritum, mira odoris ſuavitate fragrantem, & cordis & cerebri affectibus ſingulari poſtate convenientem, inprimis autem Paralyſeos illi ſpeciei *Beribery* dictæ.

Magnates inſuper acetum ex infuſione Caryophyllorum viridium parant, durabile valdè, & cis condiendis ac ventriculo roborando atque concoctioni promovendæ aptiſſimum: *Achar* id apllant.

Annotat Garcia craſſiora illa & annotina Caryophylla in *Java* inſula expeti, tum ad obſonia ndienda, tum ad medicamenta.

Arbor hæc gummi quoddam ſeu potiùs Reſinam fundit, crocei coloris [ex atro ruſeſcentem *Cluſ.*] agilem admodum & ſiccam, nullum guſtanti ſaporem offerentem [niſi fortè id vetuſtate accidit] dore tamen ubi adoletur ſuavi, Caryophyllorum: facile ardet, claráque incendia dat. De hujus ribus nihil certi traditur. Si ſit eadem de qua Avicenna prodidit, quod ſuſpicatur Cluſius, Terenthinæ facultate reſpondet.

Caryophyllus ramoſus vel dentatus Jo. Bod. à Stapel. *ſpicatus*, Tshinka Popoua *Indis* Piſon. *Caryophyllus Regius Wormii.*

Batavis *Caryophyllum Regium* vocatur, quia Moluccenſibus regulis & magnatibus ad ſuperſtitionem que in pretio eſt, non tam ob guſtum & fragrantiam, etſi eam præ cæteris habet excellentiorem, am ob ſingularem formam, imò raritatem ſummam. Hactenus enim præter unam & alteram orem negant repertam, & quidem in ſola inſula *Makian*. Arborum harum altera alterâ eſt major, utraq; tamen cæteris ſupra deſcriptis ſimilis, excepta proceritate. Fructus etiam eodem ſunt odore & ſapore.

Ego arbores haſce à vulgaribus Caryophylliferis non ſpecie differre puto, ſed ad monſtroſorum Vegetabilium ordinem pertinere, fructúmq; nihil aliud eſſe quàm Caryophyllum aromaticum vulgarem, in plures cuſpidulas ſenſim enatas ſed ſphærulâ floriferâ carentes diviſum. Unde ſpeciem ejuſdem jam interiiſſe haud eſt mirum, ut Autoris Scholii in *Ephemer. German.* An. 11. Obſ. 21. verba uſurpem.

2. *Caryophyllo Aromatico ſimilis fructus* J. B. *Fructus fuſcus formâ Caryophylli aromatici majoris* C. B.

In binarum unciarum longitudinem, vel etiam ampliorem, & uncialem craſſitudinem excreverat fructus ſeptimus, cap. 15. lib. 2. Exot. Cluſii. Totus fuſcus erat, nec valdè levis, ſupernè quatuor alis decuſſatim crucíſve formâ diſpoſitis præditus inſtar Caryophyllorum Aromaticorum, infernè anguſtior & pertuſus, prodeunte ex foramine veluti caudâ craſſâ aut tenui pro fructûs magnitudine, quæ nihil aliud eſt quàm nuclei extima pars, qui in fructu continetur, in majore craſſior & cava, & veluti articulis diſtincta, in minore anguſta & mucronata: Fructus ipſe denſo duróque cortice erat præditus, ut cultro vix aperiri poſſet, & utrumq; ſalſi ſaporis. An verò hic fructus ſalſedinem ex aquæ marinæ aſperſione contraxiſſet ignoro, inquit Cluſius, qui etiam ſe vidiſſe ait hujus generis fructum Caryophylli aromatici vetuſtioris, in fructum jam ſe formantis duntaxat magnitudine, cui ſanè valdè ſimilis erat, ut primo intuitu ipſi imponeret.

CAP. III.

De Caryophyllo ſpurio ſeu Lyſimachia fruticoſa Indica, non papposo. D. Herman.

* P. 2. F. 49. p. 95.

1. *Carambu* * H. M. *Caryophyllus ſpurius Malabaricus flore luteo minore* D. Commelini. *Lyſimachia Indica non pappoſa, flore luteo minimo, ſiliqua Caryophyllum aromaticum æmulante* D. Hermanni.

SUffrutex eſt altitudine ſeſquipedali aut bipedali, naſcens in arenoſis ac udis. *Radix* fibroſa eſt, & valdè capillata, exteriùs albo, fungoſo, molli, craſſiolo ac humido cortice obducta, uti & fibræ, intus lignoſa & humida, colore viridi claro. *Caules* qui ex radice prodeunt parùm angulati, virides ſeu etiam rufeſcentes, glabri, intùs humidi. Surculi teneri valdè viridi-diluti ac diſtinctiùs angulati. *Folia* nullis vel breviſſimis petiolis hærent, parva, anguſto-oblonga, cuſpidata, ad petiolum quoque contracta, texturâ tenui, valdè mollia, ſupernè viridia, ſubtus dilutiora. Coſta media albicat, & in ſupina parte nonnihil eminet. *Flores* fructibus inſident, ſúntque valdè parvi, colore in totum flavi ſeu lutei, quatuor petalis oblongo-rotundis, unguiculis ab invicem diſtantibus, tenuiſſimis, ac in medio in longum nonnihil ſtriatis compoſiti. *Stamina* ſurrecta, brevia, albicantia ac flaviuſcula, *apicibus* ſubflavis: inter quæ *ſtylus* craſſiolus, viridi-dilutus, capitulo craſſiori, viridi-albicante dotatus. *Calyx* foliis viridibus, oblongis, acuminatis, in ſtellæ formam expanſis conſtat.

Sunt autem *fructus* quibus flores inſident oblongi digitum aut ſeſqui æquantes, quadrilateri, angulis ob rotunditatem minùs diſtinctis, ad umbilicum capitulo extuberantes, formâ haud diſſimiles Caryophyllis, cum cuſpide eodem modo quo Caryophylli, caulibus ſupra originem foliorum inſidentes, colore primùm viridi ac nitente, poſtea rubro-fuſco. *Semina* parvo-rotunda, primum ex viridi flava, dein colore ſanguineo-rubro, poſt rubro-nigricantia, ſeu etiam nigra.

Floret hic frutex tempore pluvioſo.

Vires. Planta trita & in lacte acido epota ſiſtit fluxum dyſentericum: capiti admota ejus dolorem ſedat. Ejus decoctum epotum flatibus diſſipandis, urinæ ciendæ, ventri purgando, ac lumbricis enecandis ſervit. Succus cum lacte dulci ſumptus proficuus eſt pro renum calore ſeu ardore. Semina in pulvere cum melle data tuſſi proſunt.

2. *Cattu-Carambu* H. M. *Lyſimachia Indica non pappoſa lutea flore fructúque majore Caryophylloide.*

Cùm præcedenti in plurimis convenit: verùm *radix* hujus & ſtipites craſſiores ſunt. *Folia* fermè eadem, niſi quòd longiora & anguſtiora. *Flores* eodem ſitu, petalorum numero, forma & colore, ſtaminibus etiam & ſtylo conveniunt, verùm majores ſunt. *Fructus* quibus flores inſident, quadruplo fermè longiores ſunt & craſſiores quàm in prima ſpecie, formâ & colore iis ſimiles. *Semina* pro magnitudine fructuum multò numeroſiora, ſúntque etiam rotundiola, primùm albicantis, dein rufi coloris.

Floret etiam tempore pluvioſo.

3. *Caryophyllus ſpurius Malabaricus pentapetalos aquaticus repens.* *Nir-Carambu* H. M. *P. 2. F. 51. p. 99.*

Lyſimachia Indica non pappoſa repens flore pentapetalo, fructu Caryophylloide.

Eſt plantula naſcens in aquis, ac in ripis aquarum cum caulibus ſuper fundum repens. *Radices*, quæ ex caulibus hinc indè ad exortum minorum cauliculorum exeunt, fibroſæ ſunt, albicantes ac rubeſcentes,

ubeſcentes, aqueæ & fiſtuloſæ. *Caules* craſſi, fungoſi, fiſtuloſi, teretes, læves ac nitentes, in parte oli obverſa rubeſcentes. *Folia* pediculis aliàs brevibus, aliàs longioribus, planis ac viridi-albeſcen- ibus nixa, oblongo-rotunda ſunt, anteriùs rotundâ orâ, ad petiolum ſtricta, texturâ mollia, ob- curo virore nitentia, in ſinubus ſuis plerunque germina ſurculorum foliaceorum continentia. *lores* hinc indè è foliorum alis proveniunt in petiolis fermè ſeſcuncialibus, fructibus inſidentes, ma- ores cæteris, quinque petalis, oblongo-rotundis, tenuibus, colore albicante & ad ungues croceo, enulis obliquis ſtriatis, compoſiti. E medio flore ſeu umbilico fructûs *ſtamina* ſurrecta, viridi-diluta ecem cum apicibus ſubflavis emicant, ac cum iis *ſtylus* medius, viridi-dilutus ac albicans, craſſiolus, ui nodulo plano ſubflavi coloris, ac quinque ſtriis radiato dotatus eſt. *Calyx* quinque foliis ob- ngo-cuſpidatis, tenuibus, viridibus, & inter folia expanſis conſtat. *Fructus* quibus flores innaſcun- r, non ipſis caulibus immediate inſident, ut in præcedentibus ſpeciebus, ſed pediculorum tenuium terventu adhærent, ſuntq; longiores quàm in *Carambu*, minores verò quàm in *Cattu-Carambu*, craſ- ie majori, intus duri, ac filamentis lignoſis pertexti, inter quæ *ſemina* ſeriatim in longitudine con- a ſunt: Semina autem nonnihil oblonga & albicantia ac majuſcula.

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER VIGESIMUS SEPTIMUS,

QUI EST

De Arboribus Pruniferis, quarum flos * Baſi ſeu imo fructui adhæret.

* Hoc & de ſequentibus intelligendum.

ARbores Pruniferas voco quæ fructus majores proferunt oſſiculum intus unicum, rariſſimè geminum, pericarpio ſeu pulpâ etiam per maturitatem humidâ undique cinctum continentes.

His etiam annumero unam vel alteram arborem fructu Pruniformi cum nucleo intus nudo, ſeu nullo oſſiculo tecto.

Hujuſmodi arbores diſtinguo in eas quæ fructibus ſunt ad ſingulos flores ſingulis, vel quæ fructibus ad ſingulos flores pluribus, cujuſmodi eſt Theka *H. M.*

Prioris generis arbores ſunt vel fructibus in ſingulis pediculis ſingulis; vel in eodem communi pediculo pluribus, quas *Racemoſas* appellamus.

Quæ fructibus ſunt in ſingulis pediculis ſingulis ſunt vel iiſdem pediculis breviſſimis donatis, vel pediculis paulò longioribus, vel pediculis longiſſimis.

Prioris generis ſunt, *Malus Armeniaca, Malus Perſica, Amygdalus, Nux moſchata*: Secundi ſunt Pruni propriè & ſtrictè dictæ: Tertiæ Ceraſi & congeneres.

Quæ fructibus racemoſis aut umbellatis ſunt dividi poſſunt in eas quæ fructu nudo ſunt, & quæ fructu Calyce excepto.

Quæ fructu nudo ſunt dividi iterum poſſunt in oſſiculo fragili donatas, & oſſiculo ligneo & lento: utrumque tandem genus in eas quæ oſſiculo ſunt monoſpermo ſeu nucleum intus unicum claudente, & eas quæ oſſiculo polyſpermo ſeu multinucleo.

Oſſiculo lento & ligneo donatæ ſunt, Mangæ ſeu Ambæ dictæ & affines, item Perſea arbor & congeneres. Oſſiculo fragili præditæ ſunt Olivæ & affines, Padus Theophraſti, Machaleb, Lauroceraſus, &c. Oſſiculo fragili multinucleo eſt Myxa ſive Sebeſten, &c.

Arborum Pruniferarum Tabula.

Arbores Pruniferæ quarum fructus, majores cùm ſint, pericarpio ſeu pulpa molli oſſiculum unicum rariſſimè geminum ambiente conſtat ſunt vel fructibus

- Ad ſingulos flores ſingulis, iiſque vel
  - *Solitariis*, ſeu in ſingulis pediculis ſingulis, quæ vel ſunt pediculis
    - *Breviſſimis*, fructu vel
      - *Compreſſo* ſeu pulvinato, oſſiculo
        - *Lævi* aut *æquali*, folio rotundiore; MALUS ARMENIACA.
        - *Inæquali*, ſulcis aut ſcrobiculis exarato, folio longo ſerrato, oſſiculo
          - *Rotundiore* rugis ſcabro fructûs pulpa copioſiore, molliore & eſculento ſeu lanuginoſo, ut MALUS PERSICA, ſive glabro, ut NUCIPERSICA.
          - *Productiore* & ſcrobiculis exarato, pulpa per maturitatem ſicciore; AMYGDALUS.
      - *Rotundiore* & minùs compreſſo, ſeu nucleo aromatico, venis flavo-rubentibus vario, triplici putamine tecto; *Nux moſchata*, ſeu nucleo duobus tantùm tegumentis incluſo; PONNA *Hort. Malab.*
    - *Paulò productioribus*, flore

- *Albo ſpecioſiore*, officulo fructûs compreſſo & minùs craſſo ac duro, pulpa molli; **Prunus.**
- *Luteo* aut herbido minus pulchro, officulo duriore, arbore ipſa
- *Non ſpinoſa*, fructu tereti, oblongo, valdè acido, officulo etiam tereti, duriſſimo; **Cornus** *mas.*
- *Spinoſa*, foliis trinerviis, per ambitum ſerratis, fructu Olivæ figurâ, officulo pariter, & ut Olivæ ſcabro; **Zizyphus.**
- *Longiſſimis* in hoc genere, fructu breviore & ad baſin latiore, rotundioréque quàm ſint Pruna, & officulo pariter breviore ac tumidiore; **Cerasus.**

Racemoſis aut confertim naſcentibus ſeu in eodem communi pediculo pluribus; iiſque vel officulis

- *Monoſpermis* ſeu unicum intus nucleum claudentibus, quæ vel ſunt fructu
  - *Nudo*, calyce unà cum flore deciduo, officulo
    - *Fragili*; fructu ipſo vel
      - *Pruniformi*, liquore pingui, Oleo dicto ſcatente, foliis ſalignis ſubtus incanis, perpetuis, officulo fructûs duriſſimo, ſcabro; **Olea.**
      - *Ceraſiformi*, folio
        - *Perpetuo*, lato, oblongo ſerrato, fructu majore dulci; **Lauro-cerasus.**
        - *Deciduo*, ſeu fructu amaro, Ceraſi officulo, foliis Betulaceis **Mahaleb**; ſeu quæ fructu eſt dulci, officulo oblongo ſcabro, foliis longioribus ſubtus incanis; **Padus** Theophr.
    - *Lento* & *ligneo*, nervis ſeu fibris lignoſis exterius undequaq; velut tomento obſito; fructu ipſo ſeu reniformi ut in **Mangus** ſive **Amba**; vel Pyriformi, ut in **Persea**; vel Pruniformi ut in **Acaja**, &c.
  - *Calyci inſidente*, ut in **Cinnamomo**, *Vidimaram*, *Karyl*, *Elengi*, &c.
- *Polyſpermis*, ſeu plures nucleos continentibus cujuſmodi ſunt, **Myxa** ſive *Sebeſten*, Myrobalanus Emblica, &c.

d eundem florem pluribus, **Theka** H.M. *Kyati* ſive Bontii.

His addimus duas arbores pruniferas fructu majore bina intus officula continente: item duas fru-
s nucleo nudo, ſeu nullo officulo tecto.

CAP. I.

De Malo Armeniaca. **The Apricock-tree.**

MAla Armeniaca ab Armenia dicta Romanis, autore Dioſcoride, Præcocia dicuntur, quòd ante alios fugaces fructus matureſcant; nominantur & Præcoqua. Galenus etiam ſcribit vetus hujus arboris nomen [Μηλέα 'Αρμενιακή] vocare enim omnes tum fructum, tum Ar-
rem ϖραικόκκιον; licet * alibi Præcoqua ab Armeniacis diſtinguere videtur, cùm illa his præſtantiora
ciat. Βερικόκκια vox quâ recentioribus Græcis hi fructus dicti ſunt proculdubio à Latino Præcocia
rrupta eſt: à quo fonte noſtrum **Apricock**, & Gallicum *Abricot* profluxit. Plinius Præcòcia
ala inter Perſica numerat, & eorum duo genera facit, Supernas amplum & magnum, & vulgare
rvum & ſtrigoſum, etiam Armenium dictum.

Differunt autem Præcocia à Perſicis, quòd illis folia latiora, Pyrum aut Populum nigram refe-
ntia: oſſa plana & lævia, cùm Perſicorum rugoſa ſint & cavernoſa.

* 2. *De Aliment. fac.*

1. *Armeniaca mala minora* J. B. *Malus Armeniaca minor* C. B. Ger.

Magna eſt arbor, Perſicæ aliquatenus affinis, cortice nigriore, caudice craſſiore, firmo, ramis magis pa-
is brachiata. *Folia* habet Perſicæ foliis latiora, breviora, ad Populnea aut Betulacea quodammodo ac-
dentia rubedine ſubinde ſecundùm nervos reſperſa, acuminata, denticulata, & pinnulis ſubinde ad
diculum auriculata, ſapore acido. *Flores* ex roſeo rubore pallent, Perſicæ floribus perſimiles: *Nobis
runi potiùs floribus ſimiles videntur, ſed majores:* Fructus verò præcocior citiùs maturatur, Pruno æqualis,
o *plerunque major*, intus floriſq; luteus, carne ſolidiore ſiccioréq; quàm Perſica, necnon magis ſa-
da, [quamvis aliqui diverſum ſentiant, & reverà optima Perſica, Nectarea noſtratibus dicta, Armeniacis

niacis etiam optimis noſtro palato ſapidiora & delicatiora videntur: in genere tamen verum eſt Armeniaca Perſicis ſapore excellere] guſtu vinoſo, quæ ob oſſiculo facilè abſcedit, non ità rugoſo ut Perſicorum, compreſſo modicè, nihilominus ut utrinque promineat, nucleum claudente ad oſſiculi proportionem, ſed minùs longum quàm Perſici, & pro proportione craſſiorem, ſapore minùs amaro quàm illius, & nonnihil ad Amygdalam accedente, non ſine impreſſione Aromatica.

Matthiolus os in quibuſdam amarum reperiri ſcribit, at Parkinſonus ſe id nunquam obſervare potuiſſe ait. Quamvis tamen ille non obſervaverit, non video cur res ità ſe habere non poſſit, cùm Amygdalus cognata arbor fructum nucleo amaro interdum producat.

2. *Armeniaca mala majora* J. B. C. B. *Armeniaca malus major* Ger.

Hæc paulò minora Perſicis, ſaltem utplurimum, impreſsâ lacunâ ſulcata [quod minoribus etiam commune eſt] altera parte nonnihil interdum rubentia & maculoſa, alterâ ex luteo pallida, carne tenera ſed calloſiore quàm Armeniacis minoribus, dulciore, grata, odorata, quæ oſſiculum facilè relinquit, Amygdalino æquale, latius, lævius, compreſſum, ab uno latere criſtatum, fractu haudquaquam facile. Harum notarum pleræq; etiam Malo Armeniaco minori conveniunt. Ipſa quoque arbor è prædicta nonnihil evariat. Nam præterquam quòd inſitione hæc comparata credatur, rarò in proceram excreſcit arborem. *Matth. & Dalech.*

Folia Populi nigræ æmula, quàm prædictæ rotundiora quaterna quináve ſimul emergunt. Flos albus, Ceraſi florum figurâ, cui ſuccedunt fructus Perſicorum quadantenus ſpecie, aureo colore cum purpura mixto, unde *Chryſomela* Romanis nuncupata. Pleriq; Herbariorum duas has differentias agnoſcunt, non tantum magnitudine ſed & ſaporis ſuavitate differentes, palmam tribuentes majoribus. Quod verò nonnulli à minoribus inſitione majora haberi poſſe exiſtimant experientia falſi convincit: nam minora quamvis inſita Pruno (ut mos eſt in hoc genus arboribus) aut alii Armeniacæ aut inoculata, minora ſemper producunt.

His addit C. Bauhinus tertiam ſpeciem, nimirum Mala Armeniaca majora nucleo dulci, quæ Geſnero Mala Arm. candicantia, guſtu ſuaviſſima, nucleo oblongo, dulci ut in Amygdalis.

4. Armeniaca alba *Park. parad.* folia habet multa ſimul complicata. Fructum rarò & parcè admodum profert, qui à vulgaribus Armeniacis non aliter differt quàm colore albidiore, nec per maturitatem ullatenus rubente.

5. Armeniaca maſcula *Park.* Folia habet viridiora & tenuiora quàm vulgaris Armeniaca; fructus rarò admodum, nec copioſos fert, non alia in re quàm ſapore paulò delicatiore à vulgaribus diverſos.

6. Armeniaca maſcula longa, à præcedente non aliter differt quàm fructu paulò longiore.

7. Armeniaca Algerina, fructu eſt minore quam cujuſvis præcedentium, non minùs tamen delicato, flavo, oſſiculo intus nigricante, Ceraſi Lacutariæ nucleo paulo majore.

At neq; Parkinſonus enumeravit ſpecies omnes quæ in curioſorum hortis aluntur, cùm ex quo ille vixit novæ varietates productæ ſint. Nec ſi quis omnes enumerare poſſit hodiernas, ille rem conficeret, cum producendarum numerus ſit potentia (ut loquuntur Philoſophi) infinitus, novis indies ex ſemine ſato nullo certo aut definito numero exorientibus & exorituris.

Locus & Tempus. In hortis & viridariis Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Angliæ magno numero coluntur. Martio aut Aprili, citius ſeriuſve, pro tempeſtate anni florent; fructum Junio Julióve maturant.

Ex noſtra obſervatione Poma Armeniaca Anglica Italicis & Gallicis, quotquot nobis deguſtare contigit, longè ſunt præſtantiora.

Vires. Bonitate Perſica ſuperant: neq; enim, ut illa, in ventriculo corrumpuntur, neq; tam facilè aceſcunt, vulgò etiam ſuaviora habentur, unde & ſtomacho ſunt gratiora. Febres tamen cauſare dicuntur non minùs quàm Perſica, verùm eas breviores & quæ facilè ſolvuntur. Cum Saccharo condita & aſſervata, ſive liquida, ſive ſicca inter præſtantiſſima dulciaria ſeu bellaria à matronis noſtris habentur, ex iis etiam Scriblitæ, Tarts dictæ, omnium optimæ fiunt, ſive maturitatem adeptis, ſive immaturi, Oleum è nucleis Armeniacorum expreſſum mirificè valere tradunt inunctum ad inflammatas hæmorrhoidas, & ad ulcerum tumores & linguæ impedimenta, & pariter ad aurium dolores.

Item potum ʒv. pondere cum vini Cretici ℥j. calculos pellit, & colicos juvat. *J. B. è Matthiolo.*

Muniacus arbor Petri Creſcentienſis nobis Malus Armeniaca videtur.

Cæterum Armeniaca mala quæ apud Hortulanos Londinenſes plurimi hodie fiunt, & majore ſtudio coluntur, ſunt, 1. *Algeranum* dictum à loco unde primò allatum, à Joan. Tradeſcantio, de quo jam diximus. 2. *Maſculinum* duûm generum, cujus nominis rationem me neſcire fateor, de quo etiam ſupra. 3. *Turcicum*. 4. *Aurantiacum*. 5. *Album* ſupradictum. 6. *Romanum*.

CAP. II.

De Malo Perſica.

RAtio nominis obvia eſt, ſiquidem Mala Perſica dicta ſunt à Perſide, unde primùm advecta.

Malus Perſica ab Armeniaca & reliquis congeneribus differt foliis longis anguſtis. Fructus oſſiculo rugis & ſulcis profundioribus exarato.

Nuciperſicæ autem à Perſicis fructus glabritie differunt.

Malus Perſica J. B. *& aliorum.* **The Peach-Tree.**

J. B.
ſtæ magnitudinis arbor eſt Perſica, caudice ſatis craſſo, ramis brachiata, cortice rubente &
uſco. *Flores* profert pulchros, dilutè rubeſcentes, odoris exigui, è quinque foliis latis compoſitos.
lium occupant *ſtamina* multa, longiuſcula, purpurantia aut alba, cum paris magnitudinis *ſtylo*.
dent autem flores, ſine pediculis ramorum tuberculis adnati, calycibus rubentibus, in quinq; fo-
acuta ſeſe explicantibus. Poma nonnihil rotunda, denſo villo tomentoſa, ex luteo herbacea,
pulchrè flava, aliàs puniceâ areâ decorata, carne alba vel pallida, interdum flava, rariùs ru-
e penitus, aut ſanguineis guttis cruentata, ſapore dulciuſculo, pertinaci adhæſu oſſiculum vix de-
nte, in quibuſdam tamen ſpeciebus facilè ſeparabili, (quæ bonitatis nota habetur) cujus profun-
ilcis & ſcrobiculis paſſim ſe inſinuat. Eſt autem oſſiculo craſſities inſignis, durities ferè invicta,
nterna facie lævor politus, externa multis ſulcis profundiuſculis nullo ordine canaliculata, binis
s conſtans; in quo nucleus calloſus, oblongus, exacutus, albus, flaveſcente cuticula veſtitus, quâ
ctâ geminus, h. e. è duobus foliis ſeminalibus compoſitus, conſpicitur, amaricans, non tamen
inſuavi. *Folia* oblonga, Salicis, acuminata, crenata, Amygdalinis, quibus perſimilia, majora,
e amaro qualis in Perſicorum nucleis, ingratiore tamen. Materies ruffa, & circa media ferè pu-
, ſatis firma, ob id ad torni artificium præ aliis expetita.

ec arbor non multam ætatem acquirit, ut enim citò & promptè adoleſcit, & ad frugem perve-
ta non multis annis pòſt ſeneſcens tendit ad interitum.

alus Perſica Theophraſto indicta videtur: nam quæ de Perſia aut Perſea habet huic arbori mi-
conveniunt: & Plinius Perſeam à Perſica manifeſtè diſtinguit.

alorum Perſicorum multæ ſpecies ſeu varietates tum à Veteribus, tum à Recentioribus memo- *Differentiæ.*
r. Differentiæ autem ſumuntur vel à loco natali, vel à figurâ, vel à conſiſtentia ſeu ſolidi-
arnis, quo reſpectu alia duracina dicuntur, alia præmollia; vel à ſapore, vel à colore pulpæ, vel
ritate aut tarditate proveniendi & matureſcendi.

racinis, autore Plinio, quem ſequuntur multi è Recentioribus, caro firmiter adhæret oſſi, nec
avelli aut ſeparari poteſt. At verò rem ipſam intuentes, inquit J. Bauhinus, contrarium
rimum deprehendimus. Enimverò ſanè hactenus in Gallia, Italia & Germania obſervavimus,
a ex parte Perſica quibus pulpa hæret oſſibus, cæteris ferè eſſe molliora, ac interdum penitus
oſa & ſucculenta; firmiore vero pulpa cui non adhæret: quod & noſtra experientia confirmat.
modiſſima autem diviſio Perſicorum, me judice, eſt primò in ea quorum corpus pertinaciter
adhæret, & ea in quibus facilè & ſponte à ligno abſcedit; utrumq; autem genus vel magni-
is, vel coloris, vel figuræ, vel ſuperficiei reſpectu in plures ſpecies ſubdividi poteſt: quibus non
orabor. Species tantùm celebriores quæq; hodie præcipuo in honore ſunt, è C. Bauhini pinace,
hiſtoria, & aliis recentioribus proponam.

Perſica minima alba *J. B.* magnitudinis parvorum Malorum Armeniacorum, alba, hirſuta,
â albâ, adhærente oſſi, Julii fine & Auguſto matureſcunt, guſtu ſapida: Oſſa ſunt valdè par-
oculata tamen. An Perſica æſtiva, Armeniacis ſimilia, ſive Perſica S. Johannis. Non probat
uhinus, quòd frater ſaporem pæne ſimilem cum Armeniacis habere ſcribit: ſua enim non ha-
eum ſaporem, nec etiam qui de parvis Perſicis ſcribunt talem tradunt.

Perſica parva alba *J. B*; carne facilè ſeparabili à nuce, ſapore commendabili, officulis nec
profundè, nec ità frequenter ſulcatis, ſed frequentioribus punctis & foraminulis refertis. Hoc
s eſt, ni fallor, quod noſtratibus, **The Nutmeg Peach** dicitur.

Perſica mediocria albida *J. B.* Tunica veſtiuntur ex luteo palleſcente, carne alba, facilè ab
ulis ſeparabili; prædictis magnitudine ſuperiora.

Perſica alba maxima *J. B.* carne ſapida ſunt, nucleis non multùm adhærente.

Perſica lutea mediocria *J. B.* Externè lutea ſunt, his pulpa firmiuſcula facilè abſcedit ab
ſaporis grati: minùs rotunda ſunt cæteris, profundiore etiam ſinu ſulcata.

Perſica maxima lutea *J. B.* ſapidâ & duriuſculâ ſunt pulpâ, quæ facilè abſcedit ab oſſe: ip-
pomum ſatura flavedine, & propemodum crocea, & magnitudine inſigni, quâ cotoneum ferè
at.

Perſica alba mucoſa & ſucculenta *J. B.* Pomum adapertum & leviter preſſum facilè in liquo-
diffluit, ex acido ac vinoſo aliquid amaricantis habens, præſertim circa extima. Pulpa mor-
s oſſibus adhæret, unica nota non probatæ bonitatis.

eminit etiam Perſicorum porcinorum, quæ ſuibus projici ſolent. Prædicta omnia (inquit)
ſunt tomentoſa, quamvis alia minús.

8. *Perſica Hiſpanica, Melocotonea quorundam* J. B. *Malus Perſica melocotonea* Park. *Perſica dura carne candida, aliquando ex albo ſubrubente, item carne lutea* C. B. **The Melocotone Peach.**

olia & flores Perſicæ: Fructus majores, tardiùs matureſcentes, ſed diuturniores, pulvinato calyce,
s rubente, atque ex una parte maculis nigris notato: pulpâ intus Pomi, difficulter os deſerente
ficulo in ipſo Pomo ſæpiùs dehiſcente, in quibuſdam etiam ita in fruſtula diffracto, ac ſi id mal-
eſſet factum, quod aſpectu mirabile quomodo id evenerit, fructu nondum aperto *J. B.*] Os ip-
compreſſius quàm cæterorum Perſicorum, altera præſertim parte, adeóque figurâ ipſa evarians,
ilius quoque ſi integrum ſit. Caro firma, & quæ dentibus trita ſtrepitet ſicut Pomorum, alba
irca extrema ſubviridis interdum, quà oſſi adhæret purpurea atque ſanguinea, guſtu ſuavis, ſa-
, vinoſa; cute dura, villoſa. Totius porro figura ſublonga, & quàm reliquorum anguloſior.
arkinſonus Melocotoneum à reliquis Perſicis differre ait, quòd extremitatem ſeu apicem habeat
rvum, & guſtu ſit reliquis delicatiore.

9. Perſica parva glabra *J. B.* caro nucleis adhæret & non admodum ſapida eſt.

10. Perſica magna & ſpecioſa, carne uſque adeò rubra, ut Carotarum inſtar tingant. Perſi ſucco quaſi ſanguineo *C. B.* Hæc nucleo ſunt aliàs foris rubente, alias nigro, inquit C. Bauhinus.

C. Bauhinus in pinace ſeptem enumerat ſpecies.

I. Perſica molli carne & vulgaris, viridis & alba.

II. Perſica ſucco quaſi ſanguineo. 9 *J. B.*

Hæ duæ ſpecies (inquit) lanatæ ſunt, carnem ſuccoſam & flaccidam habent, quæ commun à nucleo tota recedit, & alia ſunt magna, alia parva, quædam prorſus viridia, quædam alba, qu dam maculis rubris picta; alia carne alba flaveſcente, alia rubrâ ut ſanguinolenta videantur.

III. Perſica dura carne candida, aliquando ex albo ſubrubente. Hæc ſunt Melocotonea *J.*

Duracina (inquit) ob carnem duriorem ſic nominata, quæ Rhodacina dicta, aut ob odoris ſuav tatem, aut quòd plerunque rubro colore altera ſui parte niteant, aliquando pugni magnitudine, fructu anguloſo, circa os rubente, quod aliquando per medium diviſum, aliquando in partes diſrup tum reperitur, & à noſtris Perſica Moſchata dicuntur. Horum, ut & ſequentium caro dura nucleo tenaciſſimè adhæret, quæ aliquando etiam intus ſaturatè rubet.

IV. Perſica dura carne buxea. Et hæc Melocotonea dicuntur.

V. Perſica æſtiva, Armeniacis ſimilia, ſive Perſica S. Joannis. Hæc ſunt minima alba *J. B*

Eorum quæ apud nos hodie præcipuo in honore & pretio ſunt, 1. **The white Nutmeg**, Perſicum à nuce moſchata denominatum album. 2. **The red Nutmeg**, Idem rubrum. 3. **The Tro peach**, i. e. Trojanum aut forte Trecenſe à Trecis, i. e. **Troyes** urbe Gallica. 4. **The Iſabell Peach.** 5. **The Savoy**, Sabaudicum. 6. **The Bourdeaux**, Burdegalenſe. 7. **The early New ington**, Novingtonienſe præcox. 8. **The old Newington**, Novington. vetus. 9. **Violet Mu cate**, Muſcatum violaceum. 10. Perſicum. 11. Mutinenſe, *Modena.* 12. Morello. 13. Rum-bulliam. 14. Bellice. 15. **Scarlet P.** 16. **The Royal**, Regale. 17. **Ricket P.** 18. **Blood Monſieur.**

VI. *Nuciperſica, quòd nucum Juglandium faciem repræſentet* C. B. *Nuciperſica* Park. parad. J. B. **The Nectarine** *à ſapore delicatiſſimo nectareo.*

Nuciperſica arbor eſt humilis, Perſicâ plerunq; minor, trunco & ramis majoribus albicante co tice tectis, virgis & ſurculis tenerioribus valdè rubentibus; foliis Perſicinis adeò ſimilibus ut diſcern nequeant, ni fortè minora ſint [Amygdalæ, ſed majoribus *Ruel.*] flore Perſicæ, puniceo. Pomu emicat, viride, carnoſum, ſucculentum, minus & rotundius quàm Perſici, nullâ ad latus rimâ ſulca tum, nec ullâ exteriùs lanugine pubeſcens, carne firmâ & ſolidâ, ſapore delicatiſſimo, durâ int & ſcabrâ nuce in qua nucleus Amygdali aut Perſici amarus.

Nuciperſicæ ſeptem ſpecies ſeu varietates recenſet Parkinſonus in Paradiſo.

1. *Nuciperſica moſchata* ab odore fructûs dicta: carne eſt rubra, optimæ notæ. Nonnullis eade ſequenti putatur.

2. *Nuciperſica Romana rubra, ſeu racemoſa.* Florem habet amplum, purpuraſcentem, Perſicæ, fundo exterius rubente, interiùs viridi: fructum exteriùs pulchrè rubentem, agminatim naſcente [duobus tribúſve ſimul] ſaporis optimi.

3. *Nuciperſica rubra notha,* florem habet minorem minúſque apertum quàm præcedens, petalis filamentorum ferè inſtar tenuibus. Fructus exteriùs rubent & ad ſingulos nodos ſinguli naſcuntur: præcedente etiam cùm plenè maturuit guſtui crudior videtur.

4. *Nuciperſica flava,* quæ duplex eſt, alia fructu teneriore & ſapidiore, alia fructûs carne duriore & minùs probâ.

5. *Nuciperſica viridia* majora & minora. Hæc à nonnullis omnium præſtantiſſima habentur.

6. *Nuciperſica alba,* quæ non vidit Parkinſonus. Præcedente etiam quando matura exteriùs albidiora eſſe dicuntur & ſpecie ab iiſdem diſtincta. Præter prædicta in Catalogo Nuciperſicorum hodie celebrium in Anglia ad me miſſum invenio, 7. **The Murrey Nectarine.** 8. **The Tawney**, utrumque à colore denominatum, ut & 9. **The Yellow**, i. e. flavum. 10. **The Ruſſet.** 11. **The painted**, pictum ſeu variegatum. 12. Algerianum, à loco dictum. Cæterùm Nuciperſicam non indè dictam putamus quòd, fructus ejus faciem parentis ſuccúmque adoptionis exhibeat (cùm à Perſica in Juglandem inſita nata credantur) ſed, (ut rectè C. Bauhinus) à ſimilitudine quàm fructus glaber & viridis habet cum Juglande, cortice exteriore viridi adhuc tectâ.

VII. *Amygdaloperſicum* J. B. Park. *Perſica Amygdaloides* C. B. **The Almond-Peach.** *J. B.*

Arbor eſt inter Amygdalam & Perſicam ambigens materie, folio, fructu. *Folia* enim oblonga, ſerrata, pediculo pluſquam ſemunciali, virentia, ſapore amaro. *Flos* quinque conſtat foliolis rotundis, colore carneo, ungue ſanguineo, ſtaminibus multis purpurantibus ex umbilico calycéve quin quepartito rubente, Carnis pulvinus denſior & copioſior quàm Amygdalis; minùs copioſus quàm Perſicis. Os licet Amygdalarum, ut Perſicis tamen rugoſum: nucleus qualis Amygdalis. Ten riorem fructum antequam dureſcat putamen condiunt. Nucleus verò edulis ut Amygdalarum, à quibus vix guſtu diſcerni queat.

Spurium genus eſſe videtur, de quo J. Bauhinus ſic rhetoricatur. Hæc ſoboles mediam inte utrumque progenitorem naturam, ut ſpero, contraxit: attulítq; inſitionis, ut arbitror, diligentia, an ſatorum miſtio novum adulterii genus, ità ut ex Amygdalo ſeu Nuce Græca & Perſico progenies i viſa prioribus ſeculis exoriretur, utriuſq; parentis ingenium referens, & effigiem ſimul adoptans: ho eſt, Malum quod foris æmula facie Perſicum Pomum mentitur, intus dulcem Amygdalam & facie guſtu repræſentet, ipſum rectè uterque parens Amygdalo-perſicum nominabit.

Ex vulgatis inſitionis modis hanc varietatem initio ortam non puto, cùm fructus ſurculi aut gemmæ naturam perpetuo ſequatur.

Præter enumeratas alias adhuc Perſicorum ſpecies proponit Parkinſonus,

1. *Perſica alba majora*; cuticula ſunt & carne alba, boni ſaporis.
2. *Perſ. alba minora*; parvitate ſola à præcedentibus differunt.
3. *Perſ. incarnata* trium generum, bina rotunda, tertium oblongum: omnia colore ſunt albicante, rubro perfuſa: rotundum minus vulgatius eſt & magis ſerotinum.
4. *Perſ. incarnata grandia*, præcedenti rotundo ſimilia ſunt ſed majora, & ſerotina.
5. *Perſ. ferruginea* aut *ruffa*, omnium frequentiſſima in Anglia, guſtu non adeò grato aut laudabili.
6. *Perſ. Iſlandica*, pulchra & palato grata.
7. *Perſ. Novingtonenſis*, **The Newington Peach**; colore exteriùs è viridi albente, è latere tamen ſoli oppoſito rubicunda, ſapore optimo, circa feſtum S. Bartholomæi matura.
8. *Perſica du Troas*; magna ſunt & oblonga, ex albo flavicantia, extrinſecus rubentia, præcocia.
9. *Perſ. Reginalia*, pulchra & grandia è flavicante fuſca rubro ſaturo velut obumbrata, ſapore jucundo, circa feſtum S. Bartholomæi matura.
10. *Perſ. Romana*; inter laudatiſſima habentur.
11. *Perſ. Hiſpanica*; colore ſunt exteriùs ex obſcuro rubro flavicante, intus alba.
12. *Perſ. nigra*; colore extrinſecus obſcurè brunneo, ſapore aqueo; tardè matureſcunt.
13. *Perſ. Alberzana*; ſerotina ſunt, & ſaporis non contemnendi.
14. *Perſ. Monenſia* duorum generum longa & breviora; utrumq; laudabile, brevius tamen ſa-
idius eſt.
15. *Perſ. Ceraſina* ob parvitatem dicta, boni ſunt ſaporis.
16. *Perſica flore pleno Ger. emac.* in curioſorum hortis frequens.

Multa adhuc alia Perſicorum genera à curioſis in hortis aluntur, quæ, ut ſuſpicor, non ſecus ac
ira & Poma; ſationi originem ſuam debent, undè novis quotannis enaſcentibus eorum numerus
finitus aut incertus eſt, ut omnibus enumerandis nemo ſufficiat: Quocirca nos jam dictis contenti
imus.

Perſicæ quibuſcunque locis proveniunt, ut tradit Palladius; Sed & pomis, & frondibus, & dura- *Locus.*
litate præcipuæ ſunt, ſi cœlum calidum, ſolum arenoſum & humidum ſortiantur: Frigidis verò,
maximè ventoſis, niſi objectu aliquo defendantur intereunt. In Italia, Hiſpania, Gallia, Ger-
ania, Anglia & per totam Europam in hortis & vineis frequentiſſimæ ſunt. At in frigidioribus,
ad frugem perveniant defendi poſtulant: unde juxta parietem Soli meridiano oppoſitum Perſicas
ntare mos eſt, tum ut parietis objectu à ventis Septentrionalibus defendantur, tum ut Solarium
diorum calore ex reflexione geminato fotæ fructus ad maturitatem perducant, qui aliàs frigore
ruſti ſtatim à flore explicito tenelli & invalidi interirent & deciderent. Quinetiam ramis ſuper-
is amputatis reliquos extendunt, parieti applicant, & vinculis, adactis clavis, affigunt, ut libero ra-
s aditu facto, rami, ſurculi, gemmæ omnes eorum beneficio fruantur, & tepore exhilaratæ tum
res explicent, tum fructus percoquant.

Florent Martio & Aprili, tardiùs aut citiùs pro natura loci. Fructus magna ex parte Septem- *Tempus.*
perficitur. Præcocia paſſim Auguſto maturantur, & in calidis regionibus etiam citiùs. De ſa-
ne, inſitione reliquâque cultura conſulantur rei Ruſticæ ſcriptores.

Galenus & Paulus Perſicorum omne genus damnant, ut pravi ſucci, & quæ noxam ventriculo in- *Vires.*
ant; Suadent itaque & ut initio refectuum ante alios cibos ſumantur, & nè aqua ſuperbibatur,
vinum meracum. Addit Paulus eos qui crebriùs iis ad ſatietatem veſcuntur febre corripi; læ-
re & nervos proprietate quadam.

Ego tamen non video cur Plinii & Dioſcoridis ſententia, Perſica ſci. ventriculo utilia eſſe, &
um bonam præſtare, nec alium iis innocentiorem cibum, omnino damnetur & rejiciatur. Nec
im veriſimile eſt, fructum adeò ſapidum & delicatum, qui noſtro quidem palato præ omnibus fuga-
us arridet, ità ut à natura ipſa nobis ad edendum commendata videatur, noxium prorſus & in-
brem eſſe. Oportet tamen ut delectus Pomorum habeatur, & ut modus in iis ingerendis ſervetur.
nc quæ de Perſicorum noxa à Galeno & aliis dicta ſunt, de præmollibus intelligenda eſſe credit
natus: ſecus enim ait eſſe de Duracinis, ex quibus optimus ſpirat odor, ſuavis, gratus & ſpiritum
reans: nam eorum ſapor delicatiſſimus eſt, cum quadam auſteritate, qua mediante ſtomacho
ducit & ipſum roborat. Imò omnes principes Hiſpaniarum & viri delicatiſſimi ea poſt victum
nedunt, nonniſi vino priùs infuſa, & nullam indè noxam evenire perſentiunt.

Difficulter adſervantur Perſica, quia non aliud pomum fugacius, ut rectè Plinius, unde à matro-
noſtris, aut Confectoribus quos vocant, raṙò condiuntur. J. Bauhinus condiendi modum hunc
ſcribit; ritè lecta manu, decorticatâque & oſſiculis exemptis optimè purgata cum aqua & ſac-
ro decoquantur ad conſiſtentiam ſyrupo debitam. Mirificè placent ægrotantibus, præſertim ſiti
inguæ ariditate vexatis, refrigerando corroborant, & in omnibus calidis morbis apprimè condu-
t.

Braſſavola ſub cineribus coctum unum vel alterum Perſicum ægrotantibus ſuis offerebat. Cibum
ò delicatiſſimum eſſe & ægris perquam gratum affirmat Amatus.

Folia ob amarorem ſuum in cereviſia aut lacte decocta & pueris exhibita lumbricos inteſtinorum
cant & expellunt. Galenus trita & umbilico impoſita id præſtare ait. Parkinſonus etiam alvum
er ſolvere ſcribit, ſi ſufficienti quantitate exhibeantur.

dem præſtant & flores, efficaciùs etiam quàm Roſæ Damaſcenæ, in quem uſum ex iiſdem cum ſac-
ro contuſis fit conſerva, manè potiſſimùm jejunis exhibenda; ſed & ſyrupus paratur ad prædictos
tus aptiſſimus. Recentes, autore Matthiolo, non tantùm alvum dejiciunt, ſed & vomitiones cient,
Hydropicorum aquas pellunt in acetariis eſitatæ, ſed non abſque ægrotantium labore. Aqua de-
ta florum maculas faciei delet.

Gummi arboris commendatur ad alvi fluxum, calculum, impetiginem, tumorem faucium, aſperitatem arteriæ, ſputum ſanguinis, vitia pulmonum, dyſenteriam commendatur. Varios utendi modos ad prædictos affectus vide apud *J. B.* in hiſt. è Valeriano, Matthiolo, Geſnero.

Nucleos commendat Matthiolus ad ventris torminas ad ebrietatem prohibendam [ſex ſeptemve præſumptos] ad Alopeciam [tuſorum & in aceto decoctorum pulticulam.] Oleum contuſorum ad ſomnum conciliandum, ad hemicraniam temporibus illitum; ad colicam tam potum quàm clyſteribus infuſum: ad iliacam paſſionem & calculum, quatuor unciis potum. Aquam è nucleis Perſicorum 50. Ceraſorum 100. florum Sambuci manipulo in vini Cretici libris tribus maceratis, fictili per decem dies in fimo ſepulto, deſtillatum mirum in modum renum calculos pellere ſcribit Matthiolus.

Perſica malus Africana nana flore incarnato ſimplici. Amygdalus Africana vulgo Hort. Lugd. Bat. *D. Hermanni.*

Complures emittit virgulas lignoſas flexiles, rubentes, quibus alternatim hærent folia ſemidigitalia, in obtuſum tendentia mucronem, Malo Perſica anguſtiora, pallidè virentia, per ambitum leviter ſerrata, crebrioribus venis & rugis inſcripta, prodeuntibus ad ſingulorum exortum binis ex adverſo tenuiſſimis corniculatis villis, velut in communi Perſica. Ad ſummitates virgularum oriuntur *flores*, parvi incarnati, roſei coloris, inſidentes quinq;-radiatis calycibus, modò multiplici, aliquando ſimplici petalorum ſerie referti, coloris, ut dixi, incarnati Roſei jucundiſſimi, odoris languidi. Hos excipiunt *fructus* rotundi, ſubhirſuti, Perſicæ quidem haud abſimiles, ſed triplo minores, ſaporis non adeò grati. Reperit hoc arbuſtum D. Hermannus ſponte luxurians ad promont. bonæ ſpei. In hortis noſtris frequens habetur cultum.

3. *Umari vel Camarinhas* Piſon. Marcgr. *Arbor Prunifera Braſilienſis, fructu Perſici inſtar molli.*
Piſon. Marcgr.

Arbor vix mediocris altitudinis, in campis gramineis amplè ramis ſuis expanditur; *caudice* quidem mediocriter craſſo, nam plerunq; tres, quatuor aut plures juxta ſe naſcuntur, ligno albo, Betulinum ferè referente: in ramis autem ramulos habet, tres aut quatuor digitos longos, perpetuis ſpinis obſitos, & in iis *foliola* cylindracea, Caſſiæ ferè ſimilia ſed paulò anguſtiora, vel directè, vel alternatim oppoſita, ſaturatè viridia, nervo ſecundùm longitudinem & venis obliquis, vix digitum longa.

Poſt florem (*quem Auctor non deſcribit*) parvum, flavum, ſuccedit *fructus* formæ ovalis, magnitudine Pruni, ad viſum & ad tactum referens Perſicum noſtras, coloris autem ex viridi pallidè flaveſcentis, carne quoq; flaveſcente, paucâ, dulci, quæ ambit lapidem magnum, ovalem, albicantem, qui continet nucleum edulem. Maturus fructus menſe Martio ſponte decidit.

Vires. Crudus comeſtus turbat ventriculum, & facilè excitat vomitum: idcirco integer ſolet coqui, & unà cum nucleo contundi, atq; cum carne vel piſcibus loco panis vel farinæ comedi.

Locus & Tempus. Frequentiſſima eſt hæc arbor in campis graminoſis juxta fluvium *Cunkao, Mopebi,* & Rio grande quoq;. Menſe Martio fructus ſponte decidit & colligitur.

Alterius *Umari* ſpeciei meminit Piſo, minùs altæ, fructu præcedenti non diſſimili, ſed nigricante colore & ſapore acidiore, qui ſtomachi æſtum temperat & à febricitantibus expetitur.

4. *Perſicæ affinis in Taprobana* C. B. *Arbor Gehuph ſive Cobban* J. B.
Thevet.

Foliis eſt parvis, quemadmodum & arbor, quæ ſiliquam catharticam fert, ramis brevioribus, cortice flaveſcente ſive croceo, fructu craſſiuſculo & rotundo pilæ luſoriæ inſtar, in quo nux Avellanæ par coercetur, quæ nucleum includit valdè amarum, qui linguæ ad modum radicis Angelicæ ſaporem refert.

Vires. Fructus ad ſedandam ſitim commodiſſimus eſt. Eo tamen nucleus, quamvis amarus, longè præſtantior, è quo oleum eliciunt Sumatrani (apud quos hæc arbor naſcitur) ad Hepatis & Lienis dolores valdè proficuum, ſive intus ſumptum, ſive foris inunctum: quod & articularis morbi, cui hujus inſulæ incolæ valdè obnoxii ſunt, ſummum eſt remedium.

Ex eadem arbore manat gummi utiliſſimum ad affectus prædictos cum mediocri oleo ſolutum, & cataplaſmatis formâ partibus laborantibus applicatum.

Hanc arborem Perſicæ affinem eſſe ex deſcriptione non conſtat, quia tamen C. Bauhinus, neſcio quo argumento, eò refert, & fructus breviſſimo vel nullo pediculo arbori proxime adhærens depingitur, nos quoq; eam Perſicis ſubjunximus.

CAP. III.

De Amygdalo.

AMygdalus, Græcis Ἀμυγδαλέα & per contractionem Ἀμυγδαλῆ vocatur: Fructus Ἀμυγδάλ & Ἀμύγδαλον. Amygdalam Græcis nominari Herodianus Alexandrinus autor eſt παρὰ τὸ τῷ, μετὰ τὸ χλωρὸν ὥσπερεὶ ἀμυχὰς ἔχειν πολλάς, quòd poſt viride putamen nucleos ſcarificatos oſtendat, & in rimulas dehiſcat, quas ἀμυχὰς vocant, Athenæo teſte.

Latinis etiam, ut Catoni, Nux Græca vocatur, quamvis Columella Nuces Græcas ab Amygdalis videtur diſtinguere, unde Ruellius eum per Græcam nucem tantùm Amygdalam amaram intellexiſſe ſuſpicatur.

Naxia Amygdala, à Naxo inſula dicta Veteribus Græcis maximè commendantur: Secundas partes Cypria ſibi vendicabat, quæ præter cæterorum morem repando cacumine prodibant.

Amygdalus à Perſica cui aliàs perſimilis eſt, differt pulvinato fructûs callo minùs ſpiſſo & per maturitatem ſicciore, oſſiculo longiore, lævi, & ſcrobiculis inſculpto.

1. *Amygdalus ſativa* C. B. *Amygd. dulcis & amara* J. B. **The Almond-tree.**

J. B.

Tam arcta foliis Amygdali eſt cum foliis Perſicæ ſimilitudo, ut difficulter diſtingui poſſint, oblonga, anguſta, acuminata, crenata, valdè obſcuro amarore, majore autem lentore prædita. Flos quoq; non abſimilis niſi majore candore participaret [Alibi dicit, ſe Patavii obſervâſſe flores uſq; adeò floribus Pomorum ſimiles, ut facilè eis, qui priùs non viderint, imponant, niſi tempus florendi diverſum, & cortex Perſicorum cortici ſimilis diſcriminarent] folia præit. Pomum Perſico non ineptè compares, ſed compreſſum & in arcum tenſum pulvinato callo, minùs ſpiſſo, eduli, acidulóq; dum tener eſt, ſponte in maturitatem tendente fructu dehiſcente, & facilè oſſiculum læve ſuperficialibus ſcrobiculis pervium relinquente. Putamini aliàs fragili aliàs duro nucleus ineſt dulcis, cuticulâ tenui, rufa, veluti pulviſculo reſpersâ obductus, tam in culinæ quàm in Seplaſiæ uſum; vel amarus Officinis magis expetitus. Lachrymam quoque plorat in gummi concreſcentem arbor ipſa. Radix quæ ex medio trunco deſcendit (autore Theophraſto) prægrandis eſt, & altè demiſſa citò germinat.

Amygdalarum plures ſunt differentiæ, maximè celebris eſt in dulces & amaras. Matthiolus Dulcium plures facit differentias: magnas, parvas, mediocres, compreſſas, rotundiores: quarum nonnullæ duriſſimo integuntur operimento; aliæ fragili. His addit J. Bauhinus Amygdala lanugine carentia: item Amygdalas, vulgaribus per omnia ſimiles, triplo tamen aut quadruplo minores, & ad proportionem gracilem nucleum continentes, eáſque ex obſervatione Cordi duûm generum, dulces & amaras.

Amygdalæ fragili & flexili putamine, infit J. Bauhinus, multiplici ratione à vulgatis differunt. Primò putamen nullis foraminibus habent punctatum aut ſcarificatum, ſed quodammodo ſulcatum potiùs, cui extrinſecùs venulæ albæ ex carne ſeparata reſiduæ adhærent. Latitudo uncialis ferè, longitudo unciâ major, cortex quàm Juglandis aut Amygdalæ fragilior, ut leviſſimo digitorum preſſu vel quamvis hujus generis puer decennis facile frangat, nihilominus pulchros & bene ſucculentos ntus continet nucleos, neſcio quid in ipſo etiam guſtu, ſi rectè judicamus à vulgatis diſcriminis ha-entes. *Amygdalæ fragili putamine.*

Amygdalorum maximorum, mediocrium & minimorum deſcriptiones vide apud J. Bau-inum.

Apud nos maximi æſtimantur Amygdala Jordanica dicta, quæ & majora ſunt, & longiora, & nguſtiora, craſſiora tamen & teretiora, vulgaribus Valentianis, guſtu etiam delicatiore.

Loca amat Amygdalus calidiora; unde in Belgio, Germania ſuperiore, Anglia fructum raròper-icit & maturat. In Italia & Galliæ parte Meridionali abundat: in Gallo-provincia Delphinatúque mygdalis conſitæ ſunt planities patentiſſimæ. Durum, ſiccum, calculoſúmque ſolum (ut ait Palla-ius) cœlúmque calidiſſimum, Amygdalis longè commodius eſt quàm humidius; nam ſi ſolum al-um ſit & pingue, nimia pabuli ubertate laſcivientes ſterileſcunt. Rauwolf. tradit circa Tripolim n ſepibus ſylveſtres provenire Amygdalas, quas C. Bauhinus à ſativis ſpecie diſtinctas facit. *Locus.*

Amygdala omnium prima floret in calidioribus, ut Italia, auctore Plinio, menſe Januario, Martio erò pomum maturat: Mirum inquit J. B. intra menſem matura fieri Amygdala; unde placet ectio Plinii, non maturat, ſcribentis. Si quis tamen dicat tenellos fructus qui eſui apti ſunt dici poſſe aturos, per nos licet, modò concedat improprie id dici. Nam propriè loquendo Poma tum de-num matura ſunt cùm ex Arboribus decidunt. Amygdalæ autem, Matthiolo teſte, etiam in Apulia, egione calidiſſima, Auguſto demum leguntur. *Tempus.*

Verùm in Amygdalis uti & Perſicis aliíſque arboribus pro climatum diverſitate variat florendi mpus. In Italia enim & Gallia Narbonenſi Februario aut etiam Januario florent Amygdalæ. Pa-vii & Lugduni Februario & Martio, Genevæ Aprilis principio, & ità Baſileæ, aut Martio ſi mi-us ſit cœlum veris. In genere tamen flore ſunt præcoci, aliarúmq; arborum flores præveniente, qui per tempeſtatem licet menſe etiam Februario ſe aperiant.

De ſatione & cultura Amygdalarum nihil dicam. De his conſulendi Theophraſtus, Plinius, Co-mella, Palladius, aliíque rei ruſticæ ſcriptores.

De uſu Amygdalorum in cibo & medicina ſi fuſiùs agere vellem, omniáque quæ ab aliis dicta ſunt adhuc dici poſſent perſequi, vix integrum volumen ſufficeret. Brevitati ergo ſtudens multa omit-penes Botanicos eoſque qui de materia Medica ſcripſerunt requirenda.

Amygdalæ dulces multùm nutriunt & corpus pinguefaciunt; quantumvis Galenus eas leviter alere ribat. Galeno opponimus Dioclis apud Athenæum, Simeonis Sethi aliorúmq; auctoritatem, & otidianam ferè experientiam. Humorum acrimoniam leniunt, ſemen genitale augent, unde idis & macilentis conveniunt. Exhibentur autem præcipuè in emulſionibus. *Vires.*

Lactis Amygdalini parandi modum deſcribit J. Bauhinus his verbis, Amygdalarum dulcium à cutia expurgatarum (quod fit aquâ tepida, non fervente, ne oleoſa ſubſtantia provocetur in actum, que lac non bene album fieret) quantum voles, ℥iij. vel iiij. Addi poſſunt ſemina Melonum Cucurbitarum itidem decorticata ad ℥j. ſeminum Lactucæ & Papaveris albi (ſi refrigerare magis es, ſomnúmque placidum, non violentum, quod fit opiatis, accerſere) ſingul. ʒj. vel ij. Contun-tur in mortario marmoreo, quod omnium optimum ad hanc rem, ſenſim affuſâ aquâ cocta, aut coctionis hordei vel etiam ſero lactis pro ratione ſcopi; trajice per linteum, & in loco frigidiuſculo erva; nam citò aceſcit. Poſſis cum ſolo hordeato & Amygdalis parare.

Sunt qui moti autoritate Avicennæ, dicentis Amygdalas ob ſuam unctuoſitatem commovere cho-m, ſibi perſuadent non tutum cremoris ſeu lactis Amygdalini uſum febricitantibus, & iis qui ſtomachum bilioſum habent, facilè inflammare, mittere ad caput vapores, vulnerato capite iis non utendum, excitare dolorem capitis. Nos in cremore unctuoſitatem illam non obſervavimus, nec quicquam nocumentorum jam dictorum, licet in febribus & calidis morbis ſæpius uſi ſumus, ut utamur ipſi indies, etiam in noſtro corpore *J. B.* J. Bauhino noſtra etiam experientia ſuffragatur, qui Lac Amygdalinum maximo ſolatio & levamine, in febribus ſæpe potavimus, nec ullum indè vel leviſſimum nocumentum aut incommodum ſenſimus.

Oleo Amygdalarum dulcium, in raucedine & faucium aſperitate nullum novimus præſtantius remedium. Pulmoni & pectori utiliſſimum eſſe noſtrâ experientiâ multorum commodo ſæpiſſimè exploratum inquit J. Bauhinus. Ad Orthopnœam, ℞. Olei Amygdalarum ℥ij. Sacchari candi ℥ij. Fiat eclegma. *Cheſneau* è Thonero. Nos recens expreſſum ſyrupo aliquo Thoracico, ut Hyſſopi aut Hederæ terreſtris, affuſum unà agitare & miſcere adeóque bibendum præbere (parva quantitate una vice) ſolemus, ſed ſæpius repetere illius uſum, denuo agitantes vas, nam oleum à ſyrupo facile recedit, eique ſupernatat. De hoc oleo J. Bauhini ſunt quæ ſequuntur. Eſt ſanè medicamentum verè εὐπόριστον, & ad multa efficax, blandum, gratum, & quidam veluti typus aliorum oleorum ejuſdem generis: Scimus quid poſſit in colico dolore ab induratis fæcibus, ab humore acri, in quibus tutò & maximo ſucceſſu multoties exhibuimus. Sed recenter oportet eſſe expreſſum. Doſ. à ℥iij ad ℔ß. vel per ſe, vel in jure carnium. In conſtipata alvo mite, tutum & probatum medicamentum, etiam renum dolore divexatis. Eſt etiam inſigne anodynum, & unicum propemodum infantium medicamen: quibus etiam recens natis exhibetur ad tormina ventris compeſcenda cum Saccharo penidiato ad ʒij. Meſues oleum hoc duritiem omnem & ſiccitatem juncturarum & aliarum partium emendare, impinguare, conferre hecticis, ſemen augere, ardoríq; vulvæ & urinæ injectum commodare ſcribit. Convenit etiam mulieribus poſt partum difficilem ad dolores leniendos. Extrinſecùs vel per ſe inunctum vel cum oleo Tartari mixtum [cum melle Dioſc.] maculas faciei, à Sole aut etiam frigore peruſtis medetur, & cutem erugat.

Gummi Amygdalinum ad multa commendat Dioſcorides: quòd verò illud aſtringere & calefacere ſcribit, J. Bauhino verum non videtur. Facilè tamen conceſſerit aſtringere per accidens, nempe glutinando, viſcido liquamine in humore aliquo diſſolutum, qua ratione dyſentericis quoq; prodeſſe putat.

Magma reliquum poſt expreſſionem olei ad exterſionem manuum & faciei & cutis lævigationem quovis ſapone præſtantius eſt.

Amygdalæ amaræ calidæ ſunt & ſiccæ, atten. aper. extergunt, diureticæ ſunt, obſtructiones jecoris, lienis, meſenterii, uterique reſerant. Extrinſecùs lentigines tollunt ſi maſticatæ illinantur, capitis dolori ſubveniunt (in frontalibus.)

Amygdalas amaras quinæ ſenæve ſi præſumantur ebrietatem arcere Plinius & Dioſcorides tradunt, rémq; exemplo confirmat Plutarchus in Sympoſ. l. 1. quæſt. 2. Ipſe quoque Dioſcorides in Eupor. mulſarum Amygdalarum amarum cyathi unius menſurâ ebrietatem arcere ſcribit. Novimus tamen (inquit J.B.) qui amuletum illud adversùs ebrietatem in uſu habentes nihilo ſecius à Baccho obruuntur, ac nimiâ ſui remedii fiduciâ decepti ità proſternuntur, ut nec manus, nec pedes ſuo ampliùs fungi poſſint officio.

Amygdalas amaras vulpeculis ſi comedantur lethales eſſe tradunt. Marcellus Virgilius in fele, ſeptem aut octo exhibitis, mortiferam earum vim expertus eſt: Jo. Lutzius in gallinis, quæ ex eſu magmatis poſt olei expreſſionem projecti interierunt. v. J. B.

Experientia compertum eſt, oleum Amygdalarum amararum præ omnibus oleis, auribus eſſe convenientiſſimum.

Qui de facultatibus Amygdalarum diſſerere vult (inquit C. Hofman.)

1. Hoc imprimis debet præ oculis habere quod Galenus monet 6. *Simpl.* etiam dulces habere aliquid amaroris, qui tamen à dulcedine vincitur. Hoc clarum facit ætas, ob quam amareſcunt ac mel. Hinc omnes deterſoriâ & abſtergente facultate pollent.
2. Deinde & hoc debet animadvertere, ut ſive dulcibus, ſive amaris velit uti, utatur recentibus non rancidis, nam vetuſtate aquea humiditas abſumitur & evaporat, adeóque evadunt prorſus oleoſæ.
3. Ab hoc pendet tertium, quouſq; progreſſæ ſunt illæ quæ nondum ſenſibiliter ſunt rancidæ. Quæ enim recentiſſimæ ſunt, quia plurimum habent ſubſtantiæ illius aqueæ, quæ amarorem illarum obſcurat penitus, ventriculo ſunt amiciores, ſive alimenti ſive medicamenti loco uſurpes minúſque caput tentant. Quò magis autem progrediuntur eò fiunt deteriores. Recentiſſimæ autem ſunt, quæ extus fulviſſimæ, planæ & non rugoſæ, intus albiſſimæ.
4. Et illud non videtur prætermittendum, ſemper & in omni uſu detrahendum eſſe corticem illum flavum immediatè obhærentem nucleo. Ille enim quia terreſtri ſua ſubſtantia obtundit & mitem calorem dulcium & acrem rancidarum, quivis videt cauſam. Hactenus C. Hofmannus.

Amygdalas tenellas antequam oſſicula induruerint menſis ſecundis inferunt, & integras una cum tegumentis eſitant Itali, ſúntque revera ſubacido ſapore palato & ventriculo accepti.

Ex Amygdalis contuſis cum Saccharo & aqua roſacea fiunt delicatiſſimæ illæ placentæ *Marcip* *nes* dictæ, quæ palato mirificè gratificantur, & principem noſtro judicio inter bellaria locum vend cant. Ex iiſdem cum Amylo & ovis conquaſſatis debita proportione mixtis & contemperatis p rantur lagana illa noſtratibus tantopere expetita & in præcipuo honore habita, quæ *Macaronos* ap pellant. Hæc autem in clibano coquunt. Ex iiſdem itidem cum Saccharo & aqua roſacea ad p tis conſiſtentiam aut paulò craſſiorem comminutis fit Butyrum Amygdalarum dictum. Aliaq insuper multa dulciaria, paſtæ & cupediæ ex iiſdem efficiuntur tum ſanis tum ægris grata & lubria.

Integ

Integra cum ficubus aut uvis paſſis comeduntur, & Saccharo etiam incruſtantur. Quocunque autem modo ſumptæ gulæ blandiuntur, & ventriculo etiam ſi probè comminuantur conveniunt. Aliàs enim ſi non penitus atterantur dentibus, adeò denſa & compacta eſt earum ſubſtantia, ut particulas deglutitas integras rejectas videas, quod obſervavit J. Bauhinus.

Vanſlebius in Itinerario ſuo Ægyptiaco obſervat, inundatione incipiente aquam Nili primò virideſcere, deinde rubere valdéque turbidam & cœnoſam fieri ad acceſſum Æthiopici diluvii; quæ res valdè incommoda & nociva calidæ iſtius & ſiccæ regionis incolis foret, ni callerent artem aquam facili negotio depurandi & clarificandi; quæ hujuſmodi eſt: Aquarii nempe & bajuli quamprimum hydrias ſuas ſeu cantharos aqua repleverint, interiora eorum paſtâ ex Amygdalis contuſis paratâ affrictâ oblinunt, quo aqua brevi fæcibus ſecretis, ſeu ut Chymici loquuntur, præcipitatis, clara & cryſtalli inſtar pellucida evadit. Amygdalarum defectu aut inopiâ ex Armeniacorum nucleis pari modo contuſis paſtam parant ad eundem uſum. Quin & farinam Fabarum eundem effectum præſtare Vanſlebius ab Ægyptiis edoctus eſt.

2. *Amygdalus Indica nana* Hort. Reg. Par. Hort. Lugd. Bat. *Herman.*

Arbuſcula eſt fruticoſa, radice tenui, alba, reptatrice: Caudice digitum craſſo, trium quatuórve pedum altitudine: ramis crebris, gracilibus, quos pallidè flaveſcens tegit cortex; Foliis, floribus & fructibus ab Amygdalo ſativa nonniſi parvitate differentibus.

Floret vere, fructus Autumno perficit. *Tempus.*

3. *Adamaram.* * H. M. *Amygdala Indica* Jo. Nieuhoff. itiner. *H. M.*

* *P.* 4. *T.* 3,4. *p.* 5.

Præcelſa eſt arbor & ſpecioſa plurimùm, ramis decuſſatim in alios minores diviſis brachiata, ità ut velut alæ expanſæ videantur, ac, uti in Abiete, Pinu & *Panja*, ſurſum versùs magis magiſq; gracileſcant frondes, donec pyramidis ferè formam attingat. *Ligno* eſt albo, præduro, cortice glabro, extus cinereo, intus rubicundo munito; ramulis verò tenerioribus, viridibus ac lanuginoſis. *Radix* cinerea, rubicundo cortice tecta, inodora, inſipida. *Folia* brevibus, rubicundis, ac villoſis petiolis plura ſimul juncta, ac in orbem expanſa, ramulis utrinque inhærent, oblongo-rotunda, ſplendentia, glabra, longitudine ſeſquiſpithamam, latitudine ſpithamam circiter æquantia, ſupernè viridia, infernè è viridi flaveſcentia ac lanuginoſa: ſapor amarus, odor nullus. *Flores* exigui, inodori, ac inſipidi, tenuibus, rubicundis ac hirſutis petiolis inter expanſa folia ramulis (uti Ribium flores) racematim cohærent, quinque acuminatis, denſis, intus albicantibus, extus viridibus foliolis conſtantes, decem in medio tenuibus, albicantibus *ſtaminibus*, tot *apicibus* dotatis, mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus, quinque nimirum ſtellulæ in modum inter foliola expanſis, quinque verò erectis, inter quæ *ſtylus* prodit viridis, hirſutus, ipſius fructûs rudimentum. *Fructus* oblongo-rotundus, compreſſus & in arcum tenſus, Amygdalæ perſimilis at major; cortice primùm viridi, glabro ac nitente, dein rufo, ſcabro & duro obductus, eo verò in maturitatem tendente dehiſcente, & facilè oſſiculum leve, oblongo-rotundum relinquente, putamini duro nucleus ineſt albicans, ſapore Amygdalæ, præterquam quòd inter maſticandum, ſecus ac Amygdala, penitus diſſolvatur, nullâ remanente ipſius nuclei ſubſtantiâ. Hic autem nucleus duobus conſtat albicantibus ac rotundis foliolis, ſpiraliter convolutis, quæ in medio juxta longitudinem patens foramen relinquunt, uti apparet ſi nucleus in aqua calida tantiſper maceretur; tunc enim convolutione hâc laxata & ſoluta, nucleus in duo foliola rotunda candida, quæ pedunculo brevi albo inſident, ſe expandit.

Naſcitur hæc arbor in ſylvis *Malabar*, locis præſertim arenoſis, plurimúmque in hortis colitur. Ter ſingulis annis maturos exhibet fructus; cúmque floret antiqua decidunt folia, iis præcipuè in locis ubi flores erumpunt, atque ab anno tertio ad 80. non rarò frugifera manet. *Locus.*

Ex foliis arboris placentulas conficere nôrunt indigenæ, quas comedunt. Foliorum ſuccus cum Oryzæ infuſo mixtus & exhibitus humores bilioſos temperat, capitis dolorem ex læſa alimentorum in ventriculo fermentatione ortum ſanat, necnon acerrimis doloribus colicis medetur. E foliis tenerioribus & ſucco lacteo nucis Indicæ unguentum fit contra ſcabiem, lepram, impetiginem, ſimiliſq; cutaneos affectus: eadémque folia, oleo Palmæ oblita, ac foris gutturi impoſita, faucium tumores reſolvunt. Fructuum nuclei in deliciis comeduntur, ex iiſq; lac emulgetur uti ex Amygdalis, necnon oleum exprimitur oleo Amygdalarum perſimile, præterquam quòd nunquam rancorem contrahit. *Vires & Vſus.*

4. *Amygdalus Æthiopica fructu holoſericeo* Breyn.

Hujus ramum duntaxat ad ſe *à D. Beverning* miſſum deſcribit D. Breynius his verbis, Is ex virga tunda, recta, digiti min. craſſitie, pedali, per duorum aut trium digitorum intervalla geniculis pro- berantibus diſtincta, conſtat; cujus lignum ſubalbidum, haud durum ac ferè inſipidum; *cortice* aſſo, obſcurè cinereo, multis punctulis ferrugineis guttato, ac per longum ſubtiliter ſtriato, non- hilq; lanuginoſo obductum. Quodlibet geniculum *folia* ſeptena, coronæ modo, ſummo ordine, ntarum ſtellatarum more circundant, viridia, ſurſum ſpectantia, Oleandri figurâ, magnitudine, ritie, atq; craſſitie perſimilia; pediculis etiam ſemuncialibus & longioribus inhærentia; ſed ve- lis fibriſq; craſſioribus & obliquioribus prædita, ac circum margines ſerrata. In ſecundo & ter- verò geniculorum inferiorum, ſupra foliorum exortum, *ſtyli* ſex videntur craſſi, lignei, ex fuſco erei & incani, duas aut tres uncias longi; qui circum virgam ſtellarum formâ in orbem agun- . Hi mirum in modum fructibus multis, petiolos breves, craſſos & lignoſos habentibus, ornati, ſùs pediculum anguſtioribus, in medio craſſioribus, tumidis & ventrioſis, anteriùs nonnihil re- is, aut in recurvum ſimilémque papillis apicem exeuntibus, cernuntur. Cæterum fructus illi cum Amygdalis Europæis formâ ſunt pari, quibus magnitudine quidem nonnihil cedunt, ſed venuſtate maximè antecellunt, ob pulcherrimum denſis villis ſubtiliſſimis ſericeis, colore ad Cinnamomum vergentem pulvinatum callum, quo adeò ſcitè à Natura ſunt veſtiti, ut tactu non ſolùm tam lenes ac molles, ſed adſpectu etiam & ſplendore tam æquales holoſerico villoſo, ut nec præſtantiſſimi confectoris Holoſericorum manus elaborare illos elegantiores poſſet. Sub pulvinato hoc mirabili callo oſſiculum latet, non nimis duro inſtructum putamine, nucleum continens mediocrem, cujus ſaporem odorémq; obſervare accuratè non licuit.

Locus. Oritur in Promontorio bonæ ſpei.

5. *Amygdalæ Guyanenſes* Cluſ. exot. l. 2. c. 6. C. B. *Amygdala Guianenſis quodammodo triangula cum tuberculis* J. B.

Cluſ.

Valde craſſo & duro putamine erat prædituſ, ut non immerito Nux appellari queat, triangulæ quodammodo formæ: infima enim parte ferè rectilinea erat & depreſſior, binas uncias longa, deinde ab ejus lineæ duobus extremis in orbem ità aſſurgebat, ut ſemicirculum formaret, quinque pæne unciarum, qua parte longè denſior erat & magis tumebat, multis tuberculis per univerſum corpus ſparſis, coloris ex rubeſcente ſpadicei. Ea in binas partes ſecta magnum nucleum continere deprehendebatur, ejuſdem cum nuce figuræ, pelle ſive membranâ opertum rufâ, ſed interiore parte candidiſſimum, atq; in binas partes ſeparatum, inſtar Amygdalæ, cui etiam ſimilem ſaporem habebat: quâ de causâ, inquit, non ineptè forſan Amygdala Guyanenſis ſive Guyanica dici poſſit.

6. *Amygdalæ Peruanæ* C. B. *Fr. 2. cap.* 18. *l.* 2. *Exot.* Cluſ. *Amygdalæ Peruvianæ cortice triangulari rugoſo* J. B.

Cluſ.

Huic Amygdalæ Peruanæ nomen inditum, quia fortè operimentum quo tecta fuit illi ſimile quod Amygdalam tegit, aut quia nucleus quem continet Amygdalæ nucleo non eſt diſſimilis: certe (inquit Cluſius) hujus quam, aperiebam nucleus & ſubſtantia & ſapore Amygdalæ nucleum valdè referebat, ſed oſſis ſive lignei corticis qui nucleum continebat forma diſſimilis, nam triangularis erat, dorſo lato, in bina latera anguloſa deſinente, valdè rugoſo, quemadmodum & utrumque latus: ſupina pars etiam rugoſa, ſed anguſta & cuneiformis. In aquam conjecta hæc Nux non mergebatur, licet nucleum adeò integrum haberet, ut totum ligneum corticem expleret.

Tres ultimas arbores veras & genuinas Amygdali ſpecies eſſe non affirmo, nec enim ſcio an character genericus iis conveniat; quin potiùs contrarium ſuſpicor. Verùm quoniam à Botanicis peritioribus ad Amygdalos referuntur, nec mihi conſtat quò referri debeant, receptam ſententiam ſequi mallem, quàm abſque probabili ratione aliquid innovare.

CAP. IV.

De Nuce Moſchata.

NUx moſchata ſive myriſtica Recentioribus dicta, Veteribus incognita, nonnullis (ut C. Bauhino) creditur. J. Bauhino, ut & Gallandino, *Comacum* Theophraſti, *Cinnamum* & *Caryopon* Plinii eſſe videtur. Idem & *Chryſobalanon* Galeni eſſe ſuſpicatur.

Ob florem fructui contiguum, & fructum lanuginoſum, pulpâ denſâ aliáſque convenientias, arborem hanc ad Pruniferas potiùs quàm Nuciferas referendam cenſeo, & Malo Perſicæ non Nuci Juglandi ſubjungendam. A reliquis autem hujus generis diſtinguitur triplici fructûs integumento, nucleo ovato, exteriùs rugoſo, pulpa interiore venis flavo-rubentibus variâ, aromaticâ.

Nux moſchata C. B. Ger. Park. *Aromatica vulgò muſchata* J. B. **The Nutmeg-tree.**

Nucem moſchatam conditam, prout ab Indiis adfertur, ſic deſcribit J. Bauhinus,

Perſicum malum mediocre æquat, primúmque pulvinato integitur, Juglandis aut Perſici in morem, calyce: huic ſubeſt mediocris craſſitudinis putamen ſeu cortex lignoſus, nullo nec odore, nec ſapore, intus cinereus, foris ex nigro ſpadiceus, valleculis hinc indè depreſſis inæqualis, quas extimo & huic jam dicto cortici interjecta *Macis* dicta explet, reticulato plexu certis locis durum illum corticem obvolvens, pertinaciùs circa pediculum adhærens, alioqui liber, & incubitu duntaxat levi appreſſus, facili negotio avellendus, coloris ex rubro flaveſcentis, ſaporis jucundiſſimi aromatici, acriuſculi cum amarore quodam, velut oleaginem quandam punctura remittens, quem & acu punctus reddit nucleus, quem vulgò omnes Nucem moſchatam vocant, Olivæ magnitudine, coloris ferè cinerei extrinſecùs & rugoſus, ſpadiceis & ex flavo-albicantibus venis undatim vel ſine ullo ordine hinc inde diſcurſantibus, ſubſtantiâ ſolidâ, ſed in pila fragili, nec difficulter in fruſta diſſiliente, ſapore & odore aromatico & ſubaſtringente.

Duûm maximè generum ſunt Nuces aromaticæ ſeu moſchatæ: unum figura Olivari, quod *fœmina* dicitur: alterum longius minúſq; rotundum, quod *mas*.

C. Bauhinus tres hujus arboris ſpecies diſtinguit. 1. Primam vocat Nucem moſchatam fructu rotundo. 2. Secundam N. M. fr. rot. parvo. 3. Tertiam N. M. fr. oblongo.

1. *Nux moſchata fructu rotundo* C. B. *muſcata rotunda ſive fœmina* Ger. *Nux aromatica fœmina* J. B.

Deſcriptionibus aliorum imperfectis omiſſis, accuratam Gul. Piſonis adhibebimus.

Arbor eſt Perſicis Malis aut Pyris haud diſſimilis.

Cortice cinericeo eſt, ligno medulloſo, medullâ ex fuſco rufeſcente. *Folia* parvis pediculis è ramis quibus arbor luxuriat, alternatim & ferè catervatim, raro ſingula dependent, læte viridia & tenuia, glabra, & nervo unico recto cum pluſculis venulis obliquis prædita. Ea non recentia tantùm contrita manu fragrant, ſed & cùm exaruerint acrimoniam ſervant, & vim Aromaticam inſignem, t eſſe etiam uſui Indigenis queant. *Flores* floribus Pyri Ceraſive ſunt & magnitudine pares & colore ſimiles, quíque facilè cadant & parùm fragrent. *Fructus* ſuccedens circa pediculum nonnihil turbinatus, cætera orbiculatior, non ipſis ramorum faſtigiis naſcitur, ut Nuces Juglandes, neque in foliorum alis, ſed in ipſis hinc inde ramulorum articulis. Quà defloruit ſummum Nucis operimentum irens & rugoſum, villoſúmq; primò, ſatiſq; denſum eſt, deinde matureſcens interſtinguitur multis uteis, purpureis, aureíſque maculis, ſicut apud nos Armeniaca Perſicáve Mala. Villus iſte mox fiſſus & hians Nucem oſtentat ſuo Maci quaſi reticulo amictam, &c.

Naſcitur arbor ſponte, & frequens admodum, & ſine cultura, in inſula *Banda*, [quam nonnulli *Locus.* oluccenſium unam faciunt, plerique à Moluccenſibus diſtinctam] & quidem ſola, ſi Piſoni cremus. Alii in Moluccis inveniri tradunt & in *Zeilan*, ſed infructiferas. *Banda* autem inſula juxta quatorem ſita, à Septentrione ad Auſtrum ſe incurvans, equinam veluti ſoleam conſtituere videur, longa tres leucas, unam lata. Eſt hæc arbor annoſa, & perpetuò virens & florens, perpetuóque uces gerens, alias aliis maturiores. Proinde ſemper quidem bis, interdum ter fructum ſuum fert no in anno. Vindemia prima fit Auguſto & Septembri: altera Martio circiter; Tertia alio atque *Tempus.* io menſe, prout faverit tempeſtas cœli. Legi nuces niſi benè maturæ non debent, aliter minùs nt durabiles, Lectæ, corticibus exemptæ ſiccantur primùm ad Solem. Siccatis adimitur Macis. ſtea Nuclei, quos Nuces vocamus, lavantur calce. Hac enim ſola tutæ præſtantur contra corruionem, & omnem etiam externam injuriam, & aptæ per univerſum terrarum orbem longis navitionibus transferri. Optimæ ſunt quibus color eſt ex rufo cinereus, ſed interpolatus ſtriis quibuſm albidioribus.

Hunc fructum variæ quidem aves depaſcuntur, ſed maximè Columbæ genus album & parvum, æ dehiſcente nucamento, illectæ ſuavitate Macis hunc cum Nuce eripiunt & devorant, nec niſi reta ingluvie capaciſſima ſaginam deſerunt. Noſtrates ibi mercatores Columbis iſtis *Neut eeters* ſive ucivoris nomen impoſuerunt. Quas autem vorant Nuces poſt integras per alvum reddunt. Redæ citiùs deinde germinant, utpote præmaceratæ fervore ventriculi. Arbores inde natæ, ceu præciores, facilè ſunt corruptioni obnoxiæ, fructúmq; ferunt cæteris multò viliorem, & hâc causâ glectum incolis contemptúmq;, præter Macin, quem ad adulterandum meliorem adhibent.

Cluſio Arbor eſt excelſa, Pyro haud minor, foliis Laurinis, minus tamen duris, & paulò interdum ioribus, veriùs Arantii foliis propioribus, ſi appendices demas, alternatim & non ex adverſo naſcenus, in ambitu non ſerratis, pediculis brevibus. *Fructus* ſingularis utplurimum ex tenuioribus exmis ramulis dependet, interdum bini. Exterius denſum fructûs operimentum ſulci cujuſdam illud binas partes æquales dividentis formâ præditum, eâque etiam parte maturum dehiſcit. Macis co initio adeò rubens & elegans eſt ut admirationem pariat, ſed aeri expoſitus paullatim illam elentiam amittit, & flaveſcentem colorem tandem contrahit.

2. *Nux moſchata fructu oblongo* C. B. *myriſtica oblonga ſive mas* Ger. *Nux aromatica* J. B. *Pala Metſiri Moluccenſibus.*

Non ideo mares dicuntur quia dignitate & facultate antecellunt, quaſi natura majoritatem & ngitudinem feciſſet notam præcellentiæ. Quippe (inquit Piſo) ſecus ſe res habet. Nam quanm mole cæteras ſuperant tantùm ab his ſuperantur virtute aromatica, omnibúſque dotibus Muſatæ nuci genuinæ & nobiliori conceſſis. Nomen verò à plebe habet, quæ ſibi perſuadet non rane aliqua, ſed ſuperſtitione mera, oblongam Nucem in cibo viris datam potenter eos ciere in enerem, & facere ſolito ſtrenuiores. Macis tamen ejus quamvis elegantiſſimi quoq; coloris ſit, eò eſt infirmis viribus, ut etiam nullo apud ſuos ſit in pretio. Unde & arbor ex qua naſcitur inter generes & ſylveſtres habeatur negligatúrq;.

Arbor ipſa foliis eſt longioribus (ut quæ interdum pedem Romanum æquent longitudine, latiine tres aut amplius uncias) craſſioribus, nervoſioribus, prona parte caneſcentibus, ſupina viridis & ſplendentibus. Nuces majores ſunt, non ſolùm oblongæ, ſed & quadratæ feré. Eæ non è raorum interſtitiis ut priores excreſcunt, ſed ſummis, & Juglandium inſtar ſimul ternæ quaternævè. acis etiam reſiccatus elegantioris coloris eſt.

Nux moſchata ſubaſtringit, ſtomachica eſt, cephalica & uterina. Flatus diſcutit, coctionem pro- *Vires.* ovet, halitum fœtidum oris emendat, fœtum recreat, lipothymiæ ac palpitationi cordis ſuccurrit, enem minuit, alvi fluores compeſcit, vomitum ſiſtit, Urinas ciet, viſum etiam acuit. Aëtius pulonibus officere ſcribit.

In dyſenteriis aliíſque fluxibus Nux Moſchata meritò celebrari poteſt, quandoquidem diverſas faltates, omnes in hoc affectu neceſſarias continet. Ejus oleoſa ſubſtantia illinit inteſtina, nè rantur ab acribus humoribus, & dolores lenit; aromatica qualitas, in aereo ſpiritu conſiſtens, partes biles penetrat, & mirificè corroborat; terreſtris pars adſtringit & exſiccat ulcera, cicatricémq; incit. *Fab. Hildan.* lib. de Dyſenter. c. 10.

Nuce moſchata ſaccharo conditâ utuntur Brachmanes in omnibus frigidis cerebri morbis, Paralyſi aliis nervorum & uteri affectibus, quin & Cardiaca ſenſetur. Jam à multis annis ad nos adferri cœperunt ex Indiis Nuces moſchatæ ſaccharo conditæ pro bellariis ad epulas lautiores. Delicatiores etiam nucamento ſeu exteriore cortice viridi delectantur ſolo, eúmq; ipſi Nuci præferunt dum planè eſt immaturus, tam propter odoris ſuavitatem, quàm propter ſaporis adſtringentis, atq; ob id ſtomacho amici jucunditatem. Docuit interea uſus non omnino innoxias eſſe iſtas delicias, neq; tantùm quando ſine, ſed quando cum ſuis nucibus ſumuntur. Pollent enim, eâque inſigni facultate narcotica, qua frequentiore aut largiore uſu ſoporoſos invehunt affectus. Hinc non diſſimile veri eſt quod tradit *D. Tavernier*, nimirum, cùm hæ nuces matureſcere incipiunt Aves Paradiſiacas harum veſcendarum avidas magnis gregibus ad Moluccas inſulas convolare, non ſecus ac Turdos vindemiæ tempore in Galliam; Nec tamen deliciis ſuis impunè fruuntur, nam cùm fructibus hiſce ad ſatietatem ſe ingurgitârunt, vertigine correptæ in terram velut ebriæ decidunt, ubi jacentium crura formicæ brevi comedunt.

Nuces ipſas ſiccatas [immoderatè ſumptas] eadem facultate donatas eſſe comprobat hiſtoria quam narrat Lobelius; nimirum, ſe in Anglia vocatum ad generoſam matronam prægnantem, quæ cùm ſummo deſiderio avide duodecim Nuces moſchatas tanquam panem commanducâſſet, incidit in delirium vel potiùs ebrietatem, ſed poſt impetratam quietem & ſomnum copioſum, repellentibus capiti admotis, convaluit.

Vulnus cujuſdam militis citò conſolidatum ab uſu Nucis Moſchatæ internè ſumptæ refert Tachenius in lib. de morborum principe p. 110. Hic fructus etiam celebratur à *Le Febvre* & à Wedelio in vulneribus conſolidandis. J. Bauhinus cùm in Apenninis montibus frigidam avidiùs bibiſſet ſubitò incidit in inſignes veſicæ dolores flatibus in ſcroto vexantibus accedente tumore, ſine tamen ulla hernia præcedente aut ſubſequente. Cùm exiſtimaret ſe in monte præ doloribus periturum, itineris ſocius Oſwaldus *Gabelckover* amicè obtulit Nuces moſchatas, quas ſecum habebat. Devoratis quatuor ſubito per D. G. & hoc remedio liberatus fuit à doloribus, atque iter perfecit ſoſpes & incolumis. *Memorabile inprimis experimentum.*

Ad paralyſin partium deglutitioni inſervientium Nux moſchata maſticata & deglutita eſt egregia. *Etmull.*

Exprimitur ex nucibus recentibus contuſis & in Sartagine fervefactis oleum l. communi, ad multa utile v. g. ad ventris tormina & dolores nephriticos (in liquore calido exhibitum) ad tormina infantium umbilico inunctum, ad nervorum articulorúmq; diuturnos dolores à frigore excitatos. Extrinſecus conciliat blandè ſomnum temporibus illitum.

Macin ſeu ſecundum involucrum Nucis Myriſticæ cum Macere Græcorum confundunt è Recentioribus Botanicis non pauci, vicinitate nominum, ut veriſimile eſt, inducti: cùm tamen hæc duo multùm inter ſe differant. Macer enim cortex eſt radicis in *Malabar* naſcentis, ſubſtantiæ frigidioris & terreſtrioris, & ob id ſiſtendis alvi fluxibus deſtinatus. Macis è contra tegumentum Nucis Indicæ, & quidem egregiè aromaticum eſt, multóque & ſpirituoſo calore plenum, unde & adversùs frigidos affectus, itémq; venenatos ſolet uſurpari.

Macis autem ille priuſquam ex pleno maturuit, & adhuc colore eſt elegantiſſimo coccineo, condiri apud ſuos ſale & aceto ſolet, & inferri primæ menſæ ad excitandum appetitum. Poſteaquam verò maturuit Macis, adimitur Nuci & exſiccatur ad Solem, collectúſque cum cura reponitur, ſervatúrque. Odore ſemper quidem grato eſt, ſed recens mirè jucundo: Sapore aromatico & ſuaviter amaro, & qui quandam à ſe ſiccitatem ori relinquat. Eaſdem vires quæ Nuci ei adſcribuntur; quia tamen partium tenuiorum exiſtit, ideo & operando efficacior, & magis penetrans habetur.

Macis oleum ut oleo Nucis quantitate cedit ſic qualitate antecellit: magíſque commendatur in nervorum affectibus & aliis frigidis morbis: quin & Podagram (mirabile dictu) pedi oblitum ſanare Cronemburgius refert.

Ad ventum utero incluſum. Accip. Nucem Moſchatam non vitioſam, decid. in partes iiij, Projice unam ſuper carbones accenſos, & fumum accipiat mulier per infundibulum, térq; id faciat. Hoc remedio Bonnæ mulierem juvenem curavit Hartmannus. Communicavit *D. Hulſe.*

* P. 4. Tab. 5. p. 9.

3. *Nux myriſtica major ſpuria Malabarica. Panem-palka* * H. M. *Avellanæ Indicæ genus oblongum* Cluſ. *Nux Indica oblonga, intrinſecus ſimilis Nuci moſchatæ* J. B. *Palma cujus fructus oblongus Faufel ſimilis* C. B. *malè Palmam vocat. Arecæ ſive Avellanæ Indicæ verſicoloris genus oblongum* Park.

H. M.

Arbor eſt procera, *caudice* craſſo, multíſque ramis denſis donato, qui cortice fulvo obducti, ac medullâ intus molli, haud ſecus ac in Sambuco obſervatur, referti ſunt. *Lignum* albicans, ponderoſum, inodorum, inſipidum, cortice obductum ſpadiceo-rubro, intus albicante, qui cuticula tenui, nigricante inſuper munitus eſt. *Radix* itidem albicans, cortice cinereo, fragrante & ſubamaro cincta. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, denſa, glabra, mali Aurantiæ foliis haud abſimilia, excepta illa appendice, quâ hujus arboris folia carent, brevibúſque ac rotundis petiolis ramulis inhærentia, ſupernè colore atro-viridi ſplendentia, infernè viridi dilutiore: Sapor ſylveſtris ac acerbus, odor ſuavis. *Flores* exigui, circa ramulos teneriores ubiq; inter folia brevibus, rotundis ac viridibus petiolis glomeratim non ſparſim producuntur, ſenſímque porrectis columellis umbellæ ſpecie panduntur: conſtant unico ſubflaveſcente foliolo ſeu calyce, ſed in tres quatuorve leves inciſuras aut lacinias diviſo, in cujus medio *ſtylus* prodit albicans & brevis; odor nullus, ſapor ſylveſtris. *Fructus* bini, terni aut plures conjunctim ramulis inhærent, oblongo-rotundi, ac ovo Anſerino cùm formâ, tum magnitudine haud abſimiles, extus è viridi flaveſcentes, cortice craſſo, carnoſo, molli, ac pulvinato, ſaporis acido-adſtringentis, odoríſque ingrati tecti, Juglandis in modum. Huic ſubeſt putamen ſeu cortex lignoſus, nullo nec ſapore, nec odore, intus cinereus, foris ex nigro ſpadiceus, valleculis hinc indè depreſſis inæqualis; quas extimo & huic jam dicto cortici interjecta quædam ſubſtantia, veræ Maci ſimilis, explet, reticulato plexu certis locis durum illum corticem obvolvens, coloris ex rubro flaveſcentis, odoris ac ſaporis haud ità grati ac vera Macis: perrupto verò cortice lig-

noſo

nucleus adeſt oblongus, dactylum tam magnitudine quàm figurâ referens, coloris ferè cinerei, ugoſus, necnon Nuci Moſchatæ mari perquam ſimilis, præterquam quòd vix ullus ſapor odórve oc nucleo reperiatur.

Locus & Tempus.

reſcit ubiq; in ſylvis *Malabar*; ſemel aut bis quotannis maturos profert fructus, Junio viz. aut cembri & Januario menſibus, diúque frugifera manet.

Uſus.

uces hæ nullius in medicina usûs ſunt. Verùm Mercatores Turcæ & Judæi nuces Moſchatis nu- s maribus, & macin veræ maci admiſcere ſolent & emptores fallere. Similiter è nucibus hiſce ndémque maci oleum exprimunt, & genuino nucis myriſticæ oleo admiſcent.

æterùm notandum eſt (ut in hiſtoria Faufel etiam monuimus) Lobelium in Obſerv. Avellanæ icæ genus oblongum *Cluſ.* idem eſſe cenſere cum nucleo Palmæpini quod (inquit J. Bauhinus) ei concedendum conſiderandum eſt. In eadem ſententia eſt & de Arn. Syen notis in Hort. lab.

Ponna H. M. P. 4. T. 38. p. 79. ***Prunifera ſeu Nucifera Malabarica foliis Nymphææ fructu rotundo, cortice pulvinato.***

H. M.

rbor eſt vaſtæ magnitudinis, altitudine 90, craſſitie verò duodecim pedum menſuram circiter ans, multíſque ramis in orbem longè latéque diffuſis donata; qui cortice glabro, primùm viridi, de rufeſcente muniti, ubi inciduntur albicantem ſtillant liquorem: lignum albicans, cortice ob- um craſſo, ſquamoſo, nigricante, intus purpuraſcente; iſque vulneratus lachrymam fundit fla- entem, viſcidam ac tenacem, quæ Solis ardore in gummi duritiem non rarò exſiccatur. ***Radix*** ta, albicans, flaveſcente cortice tecta, odoris gravis, ſaporis adſtringentis. ***Folia*** geminata ordine llelo circa ramulos brevibus petiolis proveniunt, oblongo-rotunda, Nymphææ foliis haud abſi- , craſſa, denſa, glabra, ſplendentia, ſupernè atro-viridia, inferne ſubviridia, in ambitu deaurata, media craſſa & in * adverſa parte altè extuberante, è qua innumeri exiles & pænè inviſibiles uli ſuperiora versùs excurrunt, & ultra folii medium omnino evaneſcunt; ſapor acidus. ***Flores*** matim circa extremos ramulos petiolis longis proveniunt, Trifolii hepatici floribus cùm forma, magnitudine haud abſimiles, octo candidis, craſſis, rotundis ac intus concavis foliolis conſtantes, a viridium ſtaminulorum, flaveſcentibus ***apicibus*** ornatorum congerie mediam floſculi cavitatem mbilicum occupante, inter quæ albicans emergit ***ſtylus***; odor ſuavis, ſapor nullus.

** Ego potiùs averſam dixerim.*

mili planè modo ***fructus*** ramulis adnaſcuntur, rotundi, glabri, virides, nitentes, maturiores verò ſcentes, cortice craſſo, carnoſo, molli ac pulvinato, ſaporíſque acido-amari tecti nucis Juglandis in um; huic ſubeſt putamen ſeu cortex lignoſus, albicans, ***Nucleum*** includens, oblongo-rotundum, lbo flaveſcentem, ſaporis primùm dulcis, deinde valdè amari; qui diſſectus (haud ſecus ac ar- s cortex) lachrymam fundit citrinam ac reſinoſam.

Locus.

rovenit ubique in Malabar, locis arenoſis, præſertim circa *Aregatti*: quotannis bis fructum fert, rtio viz. & Septembri menſibus atq; 300. non rarò frugifera manet annos.

Vires & Uſus.

x fructuum nucleis ſiccatis oleum exprimitur ad lucernarum uſum: idem illitum membrorum res tollit. Inſuper ex vetere hujuſmodi oleo cum cera flava unguentum conficitur quod ſcabiei detur.

x arboris cortice & foliis in aqua communi coctis egregium fit collyrium. E cortice radicibus acto & in aceto macerato extractum paratur, quod cephaleam ſanat, ſi caput eo fricetur. La- yma ex arbore & fructibus ſtillans, collecta & exhibita, vomitum ciet, alvum movet, adeóque hu- res vitioſos ſurſum deorſúmq; vehementer expurgat.

CAP. V.

Ceraſus Braſilienſis Maſarandiba dicta Piſon.

Piſon.

ARbor hæc Ceraſum altitudine non ſolùm, ſed & ligno, foliis, fructibúſque æmulatur, eíque ſi è longinquo conſpiciatur, ſimillima apparet: olim ſylveſtris ſolùm erat, nunc in hortis Luſitanorum colitur. Floret menſibus hybernicis, móxq; fert fructus infinitos, Ceraſi quidem ropæi magnitudine, ſed figurâ nonnihil diſſimiles, quòd hi non exactè ſphærulæ inſtar rotundi t, ſed paulò compreſſiores, & pediculis brevioribus, craſſioribúſque ipſis ramis adnaſcantur. Ac- dit quòd pelliculâ veſtiantur tenaci, craſſâ priùs rubeſcente, ſed ubi maturuerint miniati & triſtis oris. Præter duriorem quem continent lapidem lacteo turgent liquore dulciſſimo, eóque non in- ato, ideóque ab omnibus pariter incolis inter epulas expetito.

Vires.

Quia temperatè calidus eſt hic ſuccus, & nutriendi facultate pollet, expreſſus emulſionis inſtar ex- etur; tum inprimis contra frigidos pectoris affectus, vel ſolus, vel aliis pectoralibus remediis ad- ixtus: guttur deniq; & aſperam arteriam malè affectam maximopere mulcere compertum eſt.

CAP. VI.

De Pruno.

PRunus Aſiaticæ originis eſſe videtur. Nam Prunus ſylveſtris in Aſia, auctore Galeno, vocatur. Vel à Græco προῦμνη dicitur, quæ vox occurrit apud Theophraſtum, ſi modò eadem προῦμνη καὶ κοκκυμηλέα, ut veriſimile eſſe oſtendit J. Bauhinus. Κοκκυμηλέαν ἀπὸ τοῦ κόκκυγος καὶ μήλα dici perſuadet hemiſtichium illud Nicandri in Georgic. μῆλον ὃ κόκκυγος καλέουσι; quòd cùm floret hæc arbor cuculi è latebris ſuis prodeant: ut errent, qui à κόκκος granum & μῆλον dictum volunt, ità enim κοκκυμηλέα Malum Granatum eſſet; quod naturæ repugnat; adde & κοκκυμηλέαν inde dici repugnare Analogiæ, nam non κοκκυμηλέα ſed κοκκομηλέα ſcribendum eſſet. Pruna Rhodiis & Siculis vocantur.

1. *Prunus ſativa* C. B. The Plum-Tree.

J. B.

Notior eſt Prunus quàm ut longâ verborum ſerie deſcribi debeat. Mediocris eſt altitudinis & craſſitiei: *Folia* Pomi [imò minora, & pro magnitudine longiora & anguſtiora] nigriora, glabra, crenata. *Flores* ut in ſylveſtri candidi, majores, pentapetali. Caudex ſatis firmus, craſſus, materie rubeſcente aliquantulum, ſed pulchrè rutila circa interna, præſertim vetuſtiorum, durâ mediocriter & tractabili, cortice fuſco, ſcabro, ex quo exſudat gummi fulvum, pellucidum, ori gratum. Fructus nihil aliud ſunt quàm ſucculenta quædam pulpa, tenui tunica obducta, magnitudine, figurâ, colore, callo, ſapore, infinitè propemodum variantes. Os compreſſum, magna parte oblongum, dentibus fragile, nucleum ſubamarum guſtu continet. Pruni, auctore Theophraſto radice nituntur longa, numeroſa, robuſta ac mori contumaci.

Comment. in Theoph. hiſt. l. 4 c. 3.

Prunorum (inquit * J. Bodæus à Stapel) infinita ſunt genera, & inexplicabiles differentiæ, vario cultu & ſtudio inſerendi inventæ, cùm Nuci & Malo & Amygdalo inſerantur, quæ faciem parentis, ſuccum adoptionis exhibent, ut ingenioſè Plinius. *Coloris* reſpectu, ſunt alba, viridia, cerea, lutea, rubra, nigra, cœrulea, ex cœruleo nigricantia: *Saporis*, acida, dulcia, medii ſaporis, auſteriora: *Magnitudine* ſunt magna, media, parva: *Figurâ*, longa, rotunda, ovata, acuminata, pyriformia: *Subſtantia*, mollia, dura, mediocria: in quibuſdam caro ſiccior facilè ab oſſe abſcedit, & hæc in omni genere bonitatis nota eſt; in aliis humidior pertinaciùs adhæret. Prunorum differentias è variis auctoribus quà Veteribus, quà recentioribus deſcriptas proponit J. Bauhinus quem conſule. Nos celebriores tantum ſpecies, quæ nunc dierum in præcipuo honore & pretio ſunt breviter perſtringemus.

Inprimis autem ingenuè fatemur nobis nondum conſtare, an quæ vulgò habentur Prunorum ſpecies revera ſpecie differant, an accidentibus tantùm nonnullis à ſatione, & forte etiam cultura ortis varient. Veriſimile equidem videtur differentias haſce ad modum Pomorum & Pyrorum ſatione obtineri, quòd adeò numeroſæ ſint, novæq; & majoribus incognitæ indies in lucem prodeant; quódque Schwenchfeldius, autor fide dignus Prunidactyla oblonga & cœrulea ex Prunorum cereorum ſemine naſci affirmet. J. quidem Bauhinus ſe opponens profectò, inquit, nobis hoc nunquam perſuaſerit Schwenchfeldius. Conſiderent Agriculturæ ſtudioſi, an ex Prunorum Cereorum majorum ſemine, hoc eſt, à ſpecie diſtincta, poſſit naſci alia ſpecies, nempe Prunidactyla cœrulea; quòd nobis non fit veriſimile. At ſummus Vir pro confeſſo & indubitato ſumit, quod nobis dubium & incertum videtur, nimirum Pruna hæc ſpecie diſtincta eſſe; imò contrarium ex hoc experimento colligimus, ea ſci. revera non differre ſpecie, ſed accidentibus tantùm quibuſdam à ſatione ortis intra ejuſdem ſpeciei latitudinem variare. Verùm nihil affirmo, ſed rem curioſis determinandam relinquo.

1. Pruna omnibus ſeculis à Veteribus & Recentioribus celebrata, ſunt Damaſcena dicta, à Syriæ Damaſco cognominata; quanquam ſuſpicor non idem Pruni genus eſſe quod apud varios Auctores hoc nomine venit. Ruellius nigram cutem, carnem, ſuavem, rotundum lignum, exilem nucleum iis attribuit. J. Bauhinus Pruna in horto Montbelgardico Ducis Wirtemberg. pro Damaſcenis habita purpurea eſſe ſcribit, valdè rotunda, quibus pulpa ab oſſiculis facile abſcedit, ex brevi pediculo pendentia, cœruleâ quadam nebulâ reſperſa, tota concoloria, etiam adhuc immatura, valdè acida, oſſicula continentia, parva, ſimilia oſſiculis Ceraſorum. Ejuſmodi ferè ſunt quæ in officinis noſtris exſiccata proſtant ſub nomine Prunorum Damaſcenorum: quanquam Parkinſonus Pruna illa magna quæ ad nos ex Gallia ſicca adferuntur magnâ copiâ pro Damaſcenis habet. Et C. Bauhinus Damaſcena quæ ex Syria Venetias ſicca adferuntur Pruna magna, dulcia, atro-cœrulea vocat, & nucleo eſſe longo & plano potiùs quàm rotundo ſcribit, Bellonio monente: quæ autem nucleum parvum non multùm Ceraſo majorem habent & à ſuis Damaſcenula vocantur ab his diſtinguit & Pruna parva dulcia atro-virentia appellat. Cæterùm Pruna Damaſcena olim Palladii ætate, non minus quàm hodie, ſiccabantur in Sole per crates loco ſicciore diſpoſita. Hæc quamvis Dioſcorides ſiccata ventrem ſiſtere dicat; Galenus tamen & ipſa palam etiam ſubducere ſcribit, quod omnium ſeculorum experientia confirmat.

2. Pruna Briolenſia aut Brignolenſia. Pruna ex flavo rufeſcentia, mixti ſaporis, gratiſſima C. B. ea detracta cute, & uvarum paſſarum modo, velut in unum glomum compacta ficuum inſtar advehuntur, aut in ſcatulis. Colore ſunt dilutè rubello, ad flavedinem tamen inclinante, carne firmiuſcula qualis corticis Citri conditi aut Cydonii mali. [Nobis tum colore tum conſiſtentiâ ad Armeniaca ſiccata magis accedere videntur] ſubacida atque vinoſa, febricitantibus cruda, vel ex aqua leviſſimè cocta mirè expetita, nullo oſſiculo, quippe eximunt incolæ qui reponunt. Figurâ caricas pingues egregiè referunt ſi colorem demas, [imò nec colore ab iis multùm abludunt.] Eadem cum oſſiculis accepimus;

pimus: oblonga erant ſicut & oſſicula, quæ parva, duriſſima, nucleum continentia modicè ama-
, gratum tamen.
æc à *Brignols* Provinciæ oppido, loco ſuo natali dicta ſunt, noſtris corruptè *Prunellas*. Dama-
is olim omnium præſtantiſſimis Brugnolenſia hodie palmam præripuerunt bonitate, ſalubritate
piditate, inquiunt Adverſariorum auctores.
Prunus Myrobalanus dicta *J. B.* Pr. fructu rotundo, nigro-purpureo dulci *C. B.* * Facilè ado- * *Cluſ. deſcr.*
 hæc arbor, & in vaſtam excreſcit amplitudinem, majoréſque ejus rami ſubinde in alios diviſi
am admodum præbent umbram. Caudex multò læviore gratioréque oculiscortice præditus
uàm reliqua Prunorum genera; teneriores rami, graciles admodum, tenerrimo cortice veſtiun-
Folia quodammodo media inter Prunum & Ceraſum, tenella, per ambitum ſerrata ſunt. *Flos*
lidus, tenuior quàm in vulgari. *Fructus*, cujus alternis annis feraciſſimus eſt, rotundus, oblongo
íque pediculo inter folia pendens, adſpectu jucundus, per initia viret, maturitatem adeptus pur-
 nigro commixtâ nitet: carnem ſucculentam ac palato gratam, & nucleum non admodum
num habet.
oret cum aliis ejus generis novo vere; ſub Julii finem & Auguſto fructus maturitatem adipiſci-
In Cæſarei palatii horto crevit, unde primùm eò delata incertum.
ur huic generi Pruni Myrobalani ſit appellatio data, fatetur ſe neſcire Cluſius: nam, inquit, nec
us ſimilis eſt, neq; oſſicula, quæ reliquis Pruni generibus ſimilia habet, licet parva, cum legiti-
m Myrobalanorum oſſiculis ſive nucleis, quæ canaliculata ſunt & ſtriata, quicquam commune
nt. Ex hujus nucleo natum eſt aliud genus minore fructu & dulciori pulpa, cætera ſimilis.
unus ſolo læto gaudet & humido. Cœlo tepidiore meliùs adoleſcere putatur, quamvis & frigi- *Locus &*
poſſit ſuſtinere. Non temere in montibus viſa Prunus, inquit Plin. Locis glareoſis & arenoſis, *Tempus.*
uventur lætamine, caduca Pruna & vermiculoſa non grandeſcunt: autor Palladius. Gignun-
odie in omnibus cogniti orbis regionibus, ſed potiſſimùm ubi terra ſit ſoluta & hortenſis. Flo-
plerunq; cum Ceraſo Aprili, aut etiam citiùs, ante Piros: Flores autem folia antevertunt. Fru-
 diverſimodè maturant, Julio, Auguſto, & Septembri menſibus: éſtque contumacis vitæ Pru-
J. B. Seruntur oſſibus, aut ſtolonibus ſeu viviradicibus. Reptant enim radicibus, & ſubinde ſo-
 emittunt.
uni fructus eſculentus eſt, ſed ventriculum male afficit, alvúmq; ſolvit. Plinius Pruna ſtomacho *Vires.*
ſima eſſe ſcribit, ſed brevi momento. Alii ſucci mediocriter boni eſſe aiunt, facilè corrumpi
eri, parúmq; alere. Nos quidem Pruna ſi præmatura ſunt & humida, in ventriculo corrumpi
putamus, ideóque non ſine periculo copioſiùs ingeri: verùm nondum plenè matura, dum acidi
erbi nonnihil retinent, ventriculo grata eſſe, & ſine noxa edi poſſe. Diſtinguendum etiam eſt
runis, nam quò dulciora ſunt eo magis medicamentoſa ſunt, magíſq; purgant, ſi plenè matura
ntur. Hæc autem cùm matureſcere incipiunt maximè alimentoſa ſunt & ventriculo gratiora
modioráque. Diſtinguendum & de conſtitutionibus: Qui enim frigidiore ſunt ventriculo ſta-
offenduntur ab uſu Prunorum; qui calido non item. Pruna recentia ſaccharo condita & aſſer-
, ut moris eſt apud matronas noſtrates, præſertim ſi ex acidioribus ſunt, ventriculo convenire,
gris vel febricitantibus permitti poſſe ſine ullo nocumento putamus.
una omnia, etiam ſiccata, alvum ſolvunt, ſed magis recentia ex ſententia Galeni & omnium
 medicorum; quod tamen experientia noſtra in univerſum non confirmat. De plenè maturis
ollibus, ſucco dulci abundantibus id concedimus, non de acidis & acerbis, necdum plane ma-
. Priora quia abundant multa humiditate, & corrumpunt tonum ventriculi & flatus gignunt:
d & Damaſcena ſiccata faciunt, quod quivis in ſeipſo facilè experiri poteſt, ſi ea copioſiùs inge-
 velit.
Damaſcena paſſa aquâ decocta donec turgeſcant, & pulpa eorum tenera evadat modico Saccharo
erſa menſis ſecundis inferuntur. Frigefaciunt & humectant, alvúmq; leniter ſolvunt, unde &
febribus conducunt modò parcè ſumantur, æſtum enim febrilem leniunt, & ſitim extinguunt.
E Prunis fit Electuarium Diaprunum dictum, quòd ad omnes calidas & ſiccas febres unicè facit,
ippe cùm humectandi & refrigerandi vi polleat.
Pruni folia, Plinio & Dioſc. tonſillis, gingivis, uvæ proſunt in vino decocta & ſubinde ore col-
o: in lacte decoctis cum lacte ad puerorum aphthas colluere præcipit Apollonius apud Galenum.
Ex floribus Pruni ſylveſtris, (quidni etiam ſativæ?) per iteratam infuſionem, ut in roſis, fit apud
 Syr. purgans, quem audaculi quidam ſubſtituunt etiam Syrupo Roſarum ſolutivo ſimplici.
Gummi Prunorum agglutinandi vim habet, & in vino potum calculum comminuit, auctore Dio-
ride, quòd nec J. Bauhino, nec nobis probatur. Ex aceto verò illitum lichenas infantium ſa-
. *Dioſc.*
Pruni lignum vulgò operariis ad tornum, ad ſclopetorum thecas, & ad cultrorum manubria expe-
r: idque pulchello mangonio præparare nôrunt vel cum lixivio decoctum, vel cum calce viva
urina aut lixivio effuſo maceratum ad elegantem rubedinem, ſi natura non habeat redigere.

A. 2. *Prunus ſylveſtris* Ger. Park. J. B. C. B. *Acacia Germanica* Schrod. *Σποδιὰς Theophraſto: Spinus Virgilio.* **The black Thorn, or Sloe-tree.**

J. B.
Arbor fruticoſa eſt Prunus ſylv. ſepibus notiſſima, radicis multiplici reptatu ſe propagans, multis
nis donata, & minacibus ſpinis horrens, cortice ſubpurpureo & cinereo. *Flores* ante folia è ra-
lorum tuberculis profert confertos, niveo candore inſignes, teneros, amaros, odoratos, ſi ſepes
refertos appropinques, alioqui ſi ſingulares naribus admoveas odoris ferè expertes, pentapetalos, in
orum medio fibræ albæ, apicibus intensè croceis, cum ſtylo viridi longiore. His ortu proxima ſunt
ia, Pruni ſativi foliis ſimilia, ſed multò minora, in ambitu ſerrata, ſapore adſtringente. Floſculis
ri fertilitate ſuccedunt *fructus*, parvi, ex rotundo oblongi, Ceraſis vulgatis minores, primò virides,
ulò ante maturitatem glauci, tandem matureſcentes atrocœrulei, inſigni adſtrictione præditi, oſ-
ſiculum

ſiculum continentes, Ceraſi oſſiculo par, aut paulò minus, ſed longius, ſimilem nucleum majuſculum continens. Radice nigra eſt; ſæpe in tuberes & nodos media radice ſe relaxat.

Locus. De loco non eſt cur multa dicamus, quòd paſſim ferè proveniat, in ſepibus, ſylveſtribus, ſylvis, dumetis, collibus & planis. Incommoda eſt ad ſepes vivas ob nimium reptatum; commodior multò Spina alba, verùm lentè creſcit. Ad ſepes mortuas Spinæ albæ præfertur, quòd durabilior ſit. Floret Aprili & Martio, ſeriùs citiúſve pro Veris conſtitutione. Septembri & Octobri fructum maturat.

A. *Prunus ſylveſtris major* J. B. *Pruna ſylveſtria præcocia* C. B. **The black and white Bullace-tree.** *fructu nigro & albo.*

Hæc in hortos transfertur, ínque juſtam Pruni magnitudinem excreſcit, nec tam frequentibus ſpinis horret, fructúque eſt duplo triplóve majore, ſucculentiore mitiore, ſuaviore, quíque aliquanto citiùs maturatur.

A. *Prunus ſylveſtris, fructu rubro acerbo, & ingrato,*

Nec caudice, nec foliis, nec flore à Pruno ſylveſtri majore noſtratibus **The black Bullace-tree** dicto differt. Sola diverſitas eſt in fructu, quem hoc genus obtinet ſubrotundum, rubrum, polline quodam cœruleſcente, qui digitis facilè detergi poteſt, obductum, magnitudine jam dictæ Pruni fructus, ſapore acerbo & amaricante quíque comedentem ferè ſtrangulet.

Locus. A D. *Dale* obſervata eſt hæc arbor in ſepibus ſecus viam publicam, uno minus milliari trans oppidum Chelmesfordiam verſus Brantriam in Eſſexia. Item propè *Bocking* vicum, ad viam quæ inde Coggeſhalliam ducit. Tandem ad dimidii milliaris diſtantiam à Clara Suffolciæ oppido itinere Brantriano, in ſepibus.

Pruni ſylveſtris fructus, ſi defloreſcente arbore imbres contigerint, mutatur in oblongum quoddam & inane corpus quod Itali *Turcas* vocant. *Cæſ. Cam.* At hoc non peculiare eſt Pruno ſylveſtri, ut volunt Cæſ. & Camer. ſed aliis etiam Prunis accidere obſervavimus. Debetur autem cuidam inſecto, quod fructum tenellum compungit, & ova ſua ibidem deponit.

Vires. Pruna ſylveſtria refrigerantem & adſtringentem vim obtinent. Ob immenſam acerbitatem edendo non ſunt niſi vel aquâ coquantur, vel igne uſtulentur: nonnulla tamen gelu tacta miteſcunt adeò ut edi poſſint. Melle condita non tantùm comeſſationibus nocturnis proponenda ſunt, ſed dyſentericis etiam & alvi profluviis laborantibus exhibenda. Ad eadem facit & decoctum & vinum ex his fructibus confectum, quod ad Julium & Auguſtum uſq; menſes diligenter adſervare convenit.

Aqua è floribus deſtillata & data, ad laterum dolorem ſingulari facit experimento. Ea verò efficacior fuerit, ſi flores recentes per noctem vino forti & optimo macerati in *MB.* deſtillentur. *Trag.*

Adversùs vini penduli vitia nihil efficacius Prunis ſylveſtribus reperitur. Pruna antequam flavo tingantur colore leguntur, & in mortario tuſa, pro magnitudine vaſis multa aut pauca vino injiciuntur, cúmque probè vino agitatione crebra commixta fuerint, obturatur vas per dies octo vel decem: tum intra paucos dies vinum reſtituitur. Cæterùm poſſunt Pruna ſyl. tuſa & in aere ſiccata ad eos uſus per totum annum conſervari.

Flores cathartica vi pollent, unde ad alvum ſubducendam in vino macerati, aut in Syrupo crebris infuſionibus parato, exhibentur.

Fructus ad ea valent ad quæ adſtrictione opus eſt. Conſule ſi placet Matthiolum, qui totam ſylveſtris Pruni plantam adſtringenti facultate præſtare ſcribit, quo cum etiam conſentit Schwenckfeldius. At flores excipere oportuit. Folia, fructus, cortex refrigerant, exſiccant & adſtringunt, unde uſûs eorum in hæmorrhagia narium, in profluvio alvi, uteri, &c. frequens.

Prunellorum ſuccus inſpiſſatus Acaciæ ſuccedaneum hodie habetur, qui refrigerat, ſiccat, aſtringit non ſecus ac Veterum Acacia.

Germani nobiles & ditiores Vinum Prunellorum parant, ex Prunis ſylveſtribus maturis, vel gelu fracidis in fornace coctis, & contuſis in muſtum conjectis, aromatico ſapore, quem à granis contuſis acquirit, haud ingratum, in fluxionibus & alvi profluviis ubi non admodum ſuſpectus ſit calor aut febris, probatum. *J. B.*

Hujus Arboris gummi quod ſponte exſudat in aceto ſolutum & illitum herpetas ſanat. Vide quæ de ſeipſo narrat *D. Beale*, Philoſoph. Tranſact. N. 43.

Cæterùm ut ſciant noſtrates, quænam hodie delicatiora habentur Prunorum genera, ſuccóque mitiore & generoſiore maximè commendata, adeóque quibus hortos ſuos & plantaria præcipuè inſtruere debent qui Prunis ſerendis & colendis operam dant; Catalogum generum præſtantiorum exhibebimus.

The red, blue, and amber Primordian. Hæc omnia memorat Parkinſonus.
The Violet plum, red, blue, and amber. Pr. violaceum.
The matchleſs, i. e. Prunum incomparabile.
The black and green Damaſcene. Damaſcenum nigrum & viride. Addit Parkinſonus album & cœruleum.
The Morocco. Prunum Maurocenum à locum dictum.
The Barbary. Prunum Barbaricum, ex Africæ Barbaria.
The Myrobalane plum. Duûm eſt generum, album & rubrum.
The Apricock plum. Prunum Armeniaciforme.
The Cinnamon plum. Prunum Cinnamomeum.
The great Mogul and Tawny plum.
The white, red, and black Pear-plum. Prunum pyriforme.

The green Oſterly plum.
The Muſcle plum. Horum tria genera recenſet Parkinſonus, 1. nigrum, 2. rubrum, 3. album.
The Catalonia plum. Prunum Catalonicum.
The white and black Prunella. de quibus ſuperiùs egimus.
The Bonum magnum.
The Wheaten plum, i. e. Triticeum, quia circa meſſis Triticeæ tempus matureſcit.
The Cluſter plum. Prunus racemoſa.
The Queen-mother plum; aliis Prunum Moſchatellinum, alis Ceraſinum.
The Marble plum. Prunum variegatum, marmoreum.
The Imperial plum. Prunum Imperiale.
The Peach-plum. Prunum Perſiciforme.
The Peaſcod plum of ſeveral colours.
The Date-plum, white, yellow and red. Prunum Dactyloides.
The Nutmeg-plum. Nucis moſchatæ æmulum.
The Turkey plum. Prunum Turcicum.
The Prince-plum, laſt ripe.
The Lammas plum. Prunum Calendarum Auguſti.
The white Pear-plum, The Damaſons or Damaſcens.
The Verdock and Bullace are good for preſerving, hoc eſt Prunum pyriforme, Damaſcenum item **Verdock** & **Bullace** dicta præ aliis idonea ſunt ut Saccharo condita aſſerventur.

Hæc ferè omnia & plura adhuc alia Prunorum genera recenſet & breviter deſcribit Parkinſonus n Paradiſo, quæ apud ipſum vide l. c.

Prunis annumerant varios fructus exoticos J. Bauhinus in Hiſtor. Plant. & C. Bauhinus in piace p. 444. nimirum

1. *Pruna Congiana lutea. Ogegha* arbor fructu luteis Prunis ſimili Pigaſetæ in deſcr. Regni Congiani; quæ Prunorum flavorum formâ fructus profert odore & ſapore amœnos admodum. Ex hujus amis ſerie quadam contextis ſepimenta efficiunt, ut apud nos ex ſpinarum virgultis. Etiam ex iiſem porticus & viridaria exſtruunt, ut à Sole tuti ſint.

2. *Prunum Braſilianum Hyvourahe* Amer. Pruni fructu *J. B.* Arbor eſt procera, cortice craſſo, ½ dig. craſſo, eſui ſatis grato, potiſſimum ab arbore recenter detracto. *Lerius*] coloris argentei, lig- o rubeſcente, guſtu ferè ſalſo aut ligni Glycyrrhizæ, qui recens colorem lacte ejus maceratio aut nfuſio colorem vini rubelli acquirit. Fructus Pruni noſtri mediocris magnitudine, auri obryzi co- ore, nucleum concludens mirè ſuavem & delicatum, ægris & iis quibus dejectus eſt appetitus utiliſimum. Hæc arbor (ſi Indis aſſeverantibus fides) quindeno quoq; anno fructum profert. At nos e juratis quidem id crederemus.

Hujus lignum eodem eſt in pretio apud Americanos quo Guaiacum, & nonnullis idem putatur, uod tamen non probat Thevetus. Americani ejus decocto utuntur ad curandum morbum illis di- um Piaui, qui non minus malus quam Lues Venerea his regionibus. Lignum recens in aqua de- oquunt per tres quatuorve horas, donec aqua vini rubelli colorem acquirit. Decocto quindecim t viginti diebus continuis utuntur cum tenui victu. *Vires.*

3. Pruno ſimilis fructus Chinenſis *C. B.* i. e. Manylkara *H. M.* de quo infra.
4. Pruno ſimilis cortice & nucleo cinereo. De quâ nos inter fructus exoticos.
5. Pruno ſimilis oblongis ſpadiceus, pulpâ alba C. B. de quâ etiam inter fructus exoticos.
6. Pruno ſimilis fructus ſubfuſcus ex Guinea *C. B.* Hic fructus polyſpermos eſt, & proinde Po- um potiùs quàm Prunum.
7. Pruni figurâ fructus Guinenſis *C. B.* Inter fructus exot.
8. Pruno Cereo ſimilis fructus Africanus *C. B.* Ergen arbor foliis Myrti, fructu Pruni cerei, oſſe mygdalæ magnitudine, binis lineis diſtincto.

9. *Pruna inſana ſpinoſa* C. B. *Nuces inſanæ, Belgis Prunula inſana, putamine fuſco, oſſiculo membranaceo nigro cum macula alba* J. B. *Inſanæ nuces* Cluſ. *exot. lib. 2. cap. 26.*

Erat hæc nux prorſus orbicularis formæ: nam ejus ambitus, ſive à pediculo per longitudinem, ſive r tranſverſum metireris paulo plus quàm binarum unciarum erat, putamine non valdè denſo, ſa- tamen firmo conſtans, foris ſubfuſco & non lævi, interna autem parte ſpadicei coloris & lævi, ſiculum membranaceum continens, nigrâ quadam pulpâ tectum, pruno ſylveſtri nec formâ, nec agnitudine abſimilem, infima & ſeſſili parte, quæ petiolo reſpondebat albâ macula ſatis amplâ ignitum, ſub quo nucleus cineracei coloris, duriuſculus latebat. Ipſa nux brevi craſſiuſculóque diculo prædita erat, quam maxima ex parte ſingularem, interdum autem geminum ſimul conjun- m naſci intelligebam in arbore Ceraſi magnitudinem æquante, cui folia eſſent longa & anguſta, ali Perſicæ foliis non diſſimilia.

Occaſionem cur iſtum fructum nautæ Belgæ Prunula fatua ſeu inſana *Malle Pruynkens* vide apud uſium *Exot.* lib. 2. cap. 26. Quotquot ſcilicet eos vorârunt, capitis vertigine & mentis alienatione repti ſunt, miráſque imaginationes & phantaſmata habuerunt pro naturæ cujuſq; temperamento; nno evanuerunt imagines. Reperta ſunt hæc pruna ad ſinum quendam (in Africa ut puto) 11. 45 ſcr. ab Æquatore versùs polum Arcticum, ubi Cercopithecos iis veſci conſpiciebant nautæ, qui n alimentis non abundabant, id animadvertentes, eorum exemplo idem facere animati, ea lege- t & comederunt.

Hermannus in Catalog. H. Leyd. habet Prunum Zeylanicam ſpinoſam foliis & fructibus rotun-
His adde

10. *Valli-Teregam* H. M. *P. 3. T. 62. p. 83. Convolvulus Indicus arboreſcens fructu Pruni æmulo.*

Convolvulus eſt arboreſcens, humilis, ſex, ſeptemve circiter pedes altus, *caudice* tenui, candido, cortice furvo obducto, ramis tamen lanuginoſis latè undiq; aliorùm Convolvulorum in modum proſerpentibus donato. *Radix* itidem fibrata, albicans & lacteſcens, rubicundo cortice intecta, inodora, inſipida. *Folia* decuſſatim ramulis inhærent, denſa, primùm profundè inciſa, dein oblongo-rotunda, acuminata, ſpinulis undiq; veſtita, ac *Perin-Teregam* foliis ſimilia ſed minora. *Fructus* tum magnitudine tum figura Prunorum æmuli, intus & extus *Teregam* & *Perin-teregam* fructibus haud abſimiles.

Locus. Creſcit in ſylvis Malabar: per totum annum viret, fructúſque fert.

Folia iiſdem uſibus inſerviunt quibus folia *Teregam* & *Perin-Teregam.* Succus è radice expreſſus & aſſumptus alvi cruciatus lenit; ſimiliter è foliis cum lacte dulci contuſis expreſſus dyſenteriam curat. Radicis cortex cum Coriandri ſemine in pulverem redactus & exhibitus tuſſi, aſthmati, ſimilibúſq; thoracis affectibus medetur.

11. *Nhua Braſilienſibus* Marcgrav. *l. 3. c. 4. Prunifera Braſilienſis fructu rotundo albeſcente. Marcgr.*

Arbor eſt alta, cortice gryſeo, ſuperiùs in multos ramos contortos ſeu nodoſos expanſa, in ramis habet ramulos alternatim oppoſitos, utì & folia in ramis oppoſita, ac unicum in extremitate (nimirum in quolibet duo aut tria paria foliorum, & quintum vel ſeptimum ſolitarium) oblonga, ſupernè ſaturatè viridia, infernè dilutiore, & nervo ac venis obliquis conſpicua brevi pediculo inſiſtentia. *Fructum* fert globuli luſorii magnitudine, rotundum, albeſcentem, brevi pediculo innitentem, cuticula pallida, carne alba, ſaporis ſubamari. Intus autem habet lapidem durum, oblongum, fuſceſcentem. Maturus decidit, colligitur & comeditur.

11. *Iva-Umbu Braſilienſibus* Marcgr. *Prunus Braſilienſis, fructu flavo, nucleo Amygdalæ ſapore. Marcgr.*

Arbor eſt cortice fuſco ac hinc indè in ramis ſpinoſa. *Folia* fert oblonga, lætè viridia, craſſiuſcula, ad tactum mollia, nervo ſecundùm longitudinem & aliquot venis obliquis, plerunq; retrorſum inclinatis: in junioribus ramulis quibuſdam ſolitariè ſibi oppoſita, in adultioribus & pleriſq; aliis alternatim poſita, duo vel tria juxta ſe, brevi pediculo innitentia. Ad pediculos foliorum naſcuntur *floſculi,* minimi, vel ſolitarii, vel duo aut tres juxta ſe poſiti, quinq; foliis conſtantes.

Hos ſequitur *fructus,* pruni noſtratis flavi magnitudine & figura, flavus quoque, cuticula & carne ut Prunum, ſaporis boni, ſubacidiuſculi, & cui admixtus ſapor Amygdalarum amararum. Intus continet lapidem figurâ baccæ Lauri, durum, ſed non ità craſſum, & qui facilè dentibus frangitur: continens nucleum Avellanæ mediocris figurâ & magnitudine, ſubſtantiâ & ſapore ſimilem Amygdalis dulcibus.

Fructus eſt edulis; maturus Januario & Februario ſponte decidit & colligitur.

Datur & alia ſpecies *Umbu* cujus radices aquam præbent ad bibendum, à Piſone deſcripta.

12. *Umbu* Piſon. *Prunifera Braſilienſis fructu magno, radicibus tuberoſis.*

E longinquo (inquit) proſpicienti, magnitudine, ſtructura, & fructu, parva Citrus vel Limonia videtur. Trunco eſt breviore, nec craſſo, ſed ramis multis tortuoſis, imbelle quidem fabricatis dividitur. *Folia* fert haud magna, lævia, lætéque virentia, guſtu autem acida & adſtringentia: *florem* albicantem; *fructum* ex albo flaveſcentem, Pruno majori ſimilem, ſed carne duriore, licet pauca, quod intus magnum contineat lapidem, ſicut fructus *Acaia,* qui ubi maturuerit menſibus pluviis, ſaporis fit gratiſſimi, ex acido dulcis: ſin minus, adeò eſt auſterus, ut ſtuporem dentibus inferat, proindéque tunc eidem uſui cui folia, ſcilicet ad refrigerandum & adſtringendum reſervatur. *Radix* autem cui peculiare quid præ cæteris arborum radicibus conceſſum, imprimis eſt notanda: quòd longè latéque in diverſa & craſſa, ponderoſæ molis tubera ſub terra luxuriet, ſi pondus, figuram atque colorem, exteriùs cinereum, conſideres, majores radices Battatæ aut *L'nbyamæ* diceres; à quibus tamen ablatâ levi pelliculâ, differunt; quippe interiùs conſpiciuntur nivei coloris, molli turgidâque medullâ, Cucurbitæ planè ſimili, quæ manducata in aquoſum frigidum ſuccum, eúmq; dulciſſimum atque palato gratiſſimum ſolvitur. Febricitantes, æſtuantes, peregrinatores mirificè reficit; ut ipſe quam pluries ſum expertus: neque aquæ dulcedine & ſalubritate Citrullo quicquam cedit.

CAP. VII.

De Myrobalanis. Myrobalanes.

MYrobalanus Arabum inventum eſſe putatur, à quibus ad Græcos recentiores, ut Actuarium, ejus cognitio derivata videtur.

Ex ſententia Arabum, ut oſtendit J. Bauhinus, quatuor duntaxat earundem genera ſunt: poſteri verò Chebulas & Citrinas differentes fecerunt: quales tamen vix eſſentialiter differre (ſaltem ut in Offic. hoc nomine habentur) quis exiſtimaverit, qui eas inter ſe exactè contulerit. Hujus ſententiæ ſunt Monachi in Meſuem, qui Chebulas & Citrinas veriſſimè ex una & eadem arbore eſſe affirmant, Citrinas immaturas, Chebulas verò maturas: Joubertus, Cordus in Dioſc. Pena & Lob. in Adv. aliíque. Quibus ſe opponit Garcias, inquiens, Falluntur tam ii qui omnia Myrobal. genera in eadem arbore naſci putant, quàm qui flava & Chebula tantúm. Nam quinq; ſunt diverſa arborum genera, & quòd magis mireris, in regionibus 60 aut 100 leucis inter ſe diſtantibus naſcuntur. De reliquis facilè illi aſſentior, diverſas arbores eſſe illarum productrices; de Citrinis & Chebulis ἐπέχω.

Balanus myrepſica Græcorum Veterum ab his diverſa videtur.

Officinis quinq; habentur Myrobalanorum ſpecies, quæ hoc diſticho comprehenduntur.

Myrobalanorum ſpecies ſunt quinque bonorum,
Citrinus, Chebulus, Bellericus, Emblicus, Indus.

Cæterum Myrobalani dictæ quamvis nomine conveniunt, non ſunt tamen omnes ejuſdem generis. Emblicæ enim, ſaltem in methodo noſtra, ad Myxæ ſive Sebeſten genus pertinent.

Myrobalani à reliquis Prunis differunt coſtis aliquot elatis ſecundum longitudinem ductis & oſſiculis majoribus craſſioribúſque nucleis minoribus.

1. *Myrobalanus Indica* Park. Ger. *Myrobalani Indæ, nigræ, ſine nucleis* J. B. *nigræ octangulares* C. B.

J. B.

Hæ dimidio minores ſunt citrinis ſive Bellericis, graciliores, nec ut illæ ventrioſæ, rugoſæ, turbinatæ, piceæ nigredinis, ſubſtantiâ ubi franguntur ſucci concreti Hypociſtidis, aut potius Bituminis Judaici modo nitente, ſapore evidenter acido, minimùm acerbo, nullo intus vel putamine, vel nucleo, vel ſemine [Arbor foliis eſt Salici ſimilibus, fructu octagono.] His admiſtæ inveniuntur aliquando in Officinis aliæ anguloſæ magis, paulò majores, nucleo donatæ, quæ an eædem cum Indis non auſim affirmare.

Cordus Fructum ideo nucleum intra ſe nullum habere ſcribit, quòd immaturus eſt & adhuc adoleſcens, ſed quoddam cavitatis ſecuturum nucleum excepturæ rudimentum; quod verum eſt, Nuclei enim rudimentum nos etiam in nonnullis obſervavimus, & quivis facilè obſervare poteſt.

2. *Myrobalanus citrina* Park. Ger. *Myrobalani citrinæ* J. B. *teretes, citrini, bilem purgantes* C. B.

Citrinæ, à colore flaveſcente, qui tum in ſuperficie, tum in ſubſtantia penitiore conſpicitur dictæ, x rotundo oblongæ ſunt aut turbinatæ, nucis Myriſticæ magnitudine, aut majores, rugoſæ, protractiore ſubinde apophyſi donatæ, quà arbori ſuæ videntur adhæſiſſe, necnon quinq; coſtis, quas ſæpe otidem aliæ intercedunt, per longum decurrentibus. Cuticulæ exteriori ſtatim ſubeſt pulvinatus alyx, fragilis, gummoſus, ſapore mixto acerbo cum obſcuro quodam colore & acore: Sequitur dende putamen inſigniter craſſum, coſtis donatum, per totam ſubſtantiam veluti foraminulentum, crobiculis perpuſillis, concreta quadam melligine plenis, nucleum claudens longum, purpurante ellicula tectum, album, minùs acerbum, oleaginoſum.

Arbor Sorbi folio eſſe dicitur. Expendat Lector (inquit J. Bauhinus) an fortè à Chebulis differant tantùm maturitate, unde coloris diverſitas fortaſſe pendeat.

3. *Myrobalanus Chebula* Park. Ger. *Myrobalani Chebulæ, citrinis ſimiles, nigricantes* J. B. *Myrob. maximi, oblòngi anguloſi pituitam purgantes* C. B.

Citrinis ſimiles, majores, magíſque turbinatæ ſunt, in quinq; ſimiliter coſtas elevatæ, rugoſæ, core foris obſcuriore, & ad fuſcum inclinante, penitiùs ex ruffo nigricante, ſapore conſimili, pulpa affiore, cui putamen ſubeſt anguloſum, craſſum, cavernoſum ut Citrinarum, nucleum continens inguem, oblongum, ſapore conſimili præditum.

Arboris folia Perſicæ ſimilia eſſe dicuntur. Parkinſonus oſſiculum in hac ſpecie minus eſſe ſcribit uàm in præcedente, nucleum etiam minorem intus continere: unde eadem cum illa eſſe non poſt (ut multi opinantur) maturitate ſola differens. Nobis nondum conſtat.

Chebulorum conditorum major eſt gloria, quæ tamen rariùs ad nos adferuntur, & nonniſi dura malè condita, teſte Cluſio.

4 *Myrobalanus Emblica* Park. Ger. *Myrobalani Emblicæ in ſegmentis nucleum habentes, anguloſæ* J. B. *Myrobalani Emblicæ* C. B.

Emblicæ ſeſſiles ſunt, pulvinato calyce omnium copioſiſſimo, nigro, ſed non nitido, more carnis ndarum ſtriato, etiam in penitiore ſubſtantia pro coſtarum oſſis commiſſuris ſponte dehiſcente, alia plurimùm carnis fragmenta adferri ſolent; ſapore Indarum acido, parùm acerbo. Os læve, rgidum, hexagonum, ſubſtantia lævi, ſolida, non foraminulenta, ut putamina Citrinarum & Chelarum, ſenis loculis diſtinctis totidem ſemina diſcluſa continet, Piracea vel Pomacea, ſpadicea, angularia, ſpontéque in partes fatiſcit.

Arbor eſt Palmæ magnitudine, foliis minutim inciſis & nonnullæ fructu minimo naſcuntur.

Hanc crebro integram cum nucleis pediculo donatis conditam obſervavimus. *J. B.* & Parkinſos crebrò ad nos adferri conditas ſcribit.

Hic fructus Myxæ ſeu Pruni multinuclei ſpecies eſt & ad hunc locum non pertinet; verùm ob men commune, & quia ab omnibus Botanicis Myrobalanis annumeratur, non ſeparandum duxi.

5. *Myrobalanus Bellerica* Park. Ger. *Myrobalani Bellericæ rotundiores* J. B. *Myrobalani rotundæ Belliricæ* C. B.

J. B.

Bellericis, quæ altera parte ſeſſiles ferè, altera turbinatæ, & in apophyſin ceu pediculum craſſum deſinentes: magnitudo quæ Citrinis, niſi magna ex parte eſſent rotundiores: ſuperficies quoq; lævior, minùs rugoſa, obiter duntaxat coſtarum putaminis veſtigia oſtentat, quæ nonnunquam terreo, aliàs ferrugineo colore, licet penitior pulpæ ſubſtantia etiam flaveſcat, ſapore Citrinarum. Putamen angulosum, brevius & rotundius, cavernulas non habet gummi receptrices veluti Citrinæ & Chebulæ: cavitatem autem poſſidet longè capaciorem, triplo puta quadruplóve, in qua nucleus plerumq; marcidus.

Arbor eſt foliis Laurinis, ſubcinericeis.

Myrobalani omnes refrigerant, ſiccant & aſtringunt, ut vel ſapor indicat, acidus cum tantilla acrimonia, ut in Sorbis. Propterea uſus eſt ipſarum in affectibus oculorum (inquit C. Hofmannus) qui cùm frigidi ſint, facilè laborant morbis frigidis, in defluvio capillorum, in dentium mobilitate (quos tamen denigrant) in ventriculi, hepatis, omnium adeò viſcerum ἀτονίαις, in quibus tantopere à Meſue commendantur, ut dicat corpus floridum & juvenile ſervare, exhilarare, colorem cutis, odorem oris & ſudoris commendare. Sunt etiam è numero purgantium. Purgant autem Chebulæ, Bellericæ & Emblicæ pituitam: Citrinæ bilem flavam; Indæ atram.

Myrobalani ſeorſim & in ſubſtantia exhibitæ (qui modus exhibendi cùm purgare volumus nunc non eſt in uſu) minimùm purgant, ſed vehementiſſimè aſtringunt, & hoc eò magis quo tenuiùs pulveriſantur, ut Meſue, vel longiùs decoquuntur, ut Melichius in Diſpenſatorio.

Toſtæ etiam (quomodo quidam in Dyſenteria dant, ut & Rhabarbarum) exiguum purgant, ſed validè adſtringunt [imò aſtringunt tantùm *C. Hofm.*] Hoc ampliùs faciunt uſtæ. In infuſo feliciùs purgant & parciùs aſtringúnt quàm in decocto. Tamen, ut Garcias ſcribit, Indi in purgationibus utuntur tantùm in decocto, ſed in doſi majori quàm nos. Conditæ etiam minùs purgant, imò aſtringunt. Condiuntur autem vel recentes ſi fructuum eſt facultas, vel ſiccæ & induſtriâ humectatæ. Illæ valdè activæ ſunt, hæ contra languidæ. Chebulæ etiam præferuntur Emblicis: Hæ conditæ, autore Meſue, ventriculum firmant, appetentiam invitant, coctionem promovent, rationalem animæ partem vegetam reddunt, viſum acuunt, &c.

Tria ſunt quæ in Myrobalanis correctione indigent. 1. Vis adſtrictoria quâ obſtructiones faciunt, ob quam exhibendi non ſunt iis qui obſtructionibus obnoxii. Corrigitur hoc incommodum admixtis aperientibus acribus & diureticis, ut ſunt ſemina odorata. 2. Acrimonia, quâ hærent ventriculo ità ut non deſcendant, ſed nimis tardè operentur. 3. Quòd corrugent ſubſtantiam ventriculi & inteſtinorum: quæ duo incommoda corriguntur per pinguia, inungendo ſci. Myrobalanos ipſos oleo Amygdalarum dulcium vel butyri dum atteruntur & comminuuntur, vel miſcendo cum ipſis paſſulas aut Caſſiam fiſtulam. Hæc è Meſue *J. B.*

C. Hofmannus à Myrobalanorum uſu libentèr abſtinet etiam in iis febribus in quibus *obſtructionum* metus nullus. Dubitat inſuper Annon Myrob. etiam conditæ in d. febribus habeant aliquid malefici? neq; modicum earum uſum ſecurum putat.

Quoniam in ſubſtantia minimè purgant, Medici ità non dant, niſi cum aliis, v. g. in Elect. Eleſcoph, Hamech Tryphera Perſica, &c. ídq; propterea ut retundant vim aliorum purgantium.

Fallopius infuſi & decocti (utriuſque eandem vult eſſe rationem) ſummam doſin eſſe ait ʒiv, ad quam nunquam aſcenderit, contentus ʒij ad ʒiij.

6. *Myrobalani ſpecies Rauwolfio.* J. B.

J. B.

Hic fructus Myrobalani quandam ſpeciem præ ſe ferre videtur, & Rauwolfius qui miſit quoſdam cenſere Myrobalani ſpeciem eſſe ſcripſit; ſibi arborem videre non licuiſſe, reperiri tamen in Palæſtina. Magnitudine & forma Olivam Hiſpanicam æquat, aut glandem Quernam magnam, coloris buxei, verrucis raris aſperatus, alioqui lævis, nonnihil canulatus, ſpiris circularibus præcinctus; quà arbori ſuo hæſit, calyculi veſtigium, ut in Dactylis oſtendit. Fragili huic cortici ſubeſt caro fungoſa (vetuſtatis ut videtur ratione) ſapore amaricante, oſſi aſpero & canulato adhærens. Nucleus oſſe continetur magnus, ut in Myrob. Bellericis, utrinq; turbinatus, canaliculatus, Amygdalini nuclei conſiſtentia, pinguis, coloris melini obſcuri, pellicula intectus albicante.

7. *Myrobalanis flavis ſimilis fructus* C. B. *Hobus ſeu Hovus Indica Pruni facie* J. B.

Arbor eſt præalta & patula, umbræ ſalubritate apud Indos commendatiſſima maximéque expetita; quippe ſub ea dormientibus caput nunquam gravari aiunt. Folia ei modica. Fructum fert, Prunis Damaſcenis ſimilem forma, craſſitudine & ſapore, pauca carne, grandiore ligno [Fragoſ Myrobalanis flavis adeò ſimilem, ut pleríq; eundem eſſe contendant.]

Uſus. Eſt Hiſpaniolæ adeò peculiaris ut ejus fructibus porci ſaginentur.

Ex arboris cacuminibus & cortice odorata fit aqua ad crura roboranda, & fucandam faciem utilis, cutem etenim conſtringit & denſat, in quem uſum etiam balnea fiunt ex ea itinere defeſſ ſalutaria. Ejus radix vulnerata multâ aquâ manat, potui apta.

Fructus ſalubris eſt, & facilis digeſtionis, ſed dentibus moleſtus & noxius ob fibrarum copiam.

8. Fruct

8. *Fructus Myrobalani nigræ oſſiculo ſimilis nucleo ſubfuſco* C. B. *Fr.* 10. *cap.* 15. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *Myrobalani nigræ oſſiculo non valdè diſſimilis fructus exoticus* J. B.

Myrobalani nigræ oſſiculo non valdè diſſimilis erat, major tamen, inæqualis, ſuo externo cor-ice (ſiquem habuit) aut pulpâ denudatus, & duntaxat (ut ſibi perſuadebat Cluſius) fructûs alicujus ſſiculum, quod confractum ſatis craſſo putamine prædıtum eſſe obſervabat, & nucleum continere ubfuſcum, atque in binas partes diviſum.

9. *Fructus Myrobalani oſſiculo ſimilis, niger acerbus* C. B. *Fr. minor* 10. *cap.* 20. *l.* 2. *Exot.* Cluſ. *Myrobalani oſſiculo ſimilis anguloſus* J. B.

Oſſiculo Myrobalani neq; magnitudine, neq; etiam formâ diſpar erat, cum ſuo oſſiculo ab una arte hexagono aut heptagono, nervis obliquè per univerſum diſperſis. Is autem nigra cute verius uàm pulpâ tectus erat, acidi ſaporis: Oſſiculum autem duro putamine conſtabat, in quo nucleus ex ubro fulveſcens, non inſipidi guſtûs, ſed Amygdalam dulcem vetuſtam referentis.

10. *Myrobalani facie fructus Indicus* J. B.

J. B.

Extima facie ad Myrobalanum quodammodo accedere videbatur. Magnitudine eſt pæne Nu-is Juglandis, figurâ quali Myrobalanus Bellerica, aut Ficus, aut Pyrum, ſed paulò ventrioſior, an-loſus, colore ex pullo rufeſcente, ea parte qua adhæſit in turbinatam apophyſin extenuatus. Pon-s leve ſatis, ſubſtantia carnoſa fere, colore cinereo, nullo ſapore manifeſto prædita. Quid in ejus ſceribus lateret neſcivit J. Bauhinus.

11. *Myrobalani urentes Aretcæ dictæ. An Palmæ cujuſdam Myrobalaniferæ fructus?*

Linſchot.

In inſula S. Mariæ proveniunt pulcherrimæ Myrobalani, quas Aretca vocant. Obſcurè rubent, lapidem continent inſignem. Guſtatæ linguam & fauces adurunt in modum Piperis. *Areca eſt almæ Indicæ [Fauſel dictæ] ſpecies.*

12. *Myrobalano citrinæ aliquo modo ſimilis fructus cavus* J. B.

J. B.

Aliqua huic fructui ſimilitudo erat cum Myrobalano citrina. Unciam tantùm longus, Parvi Piri odo formatus, parte una latiore, altera anguſtiore. In eo coſtæ notabiles ſex, interpoſitis aliis inoribus, inæqualibus: aciculâ perforavimus, cavus repertus eſt. Color ſordidus cùm virore. pud C. Bauhinum vidit.

Cap. VIII.

De Zizypho.

Zizyphi vox peregrina eſſe videtur. Zizyphi autem notæ quibus à reliquis congeneribus diſtinguitur ſunt folia trinervia, flores herbacei vel luteoli, fructus Olivares, ſeu nonnihil turbinati.

1. *Zizyphus ſive Jujuba major* Park. *Zizypha ſativa & ſylveſt.* J. B. *Jujubæ majores oblongæ* C. B. *Jujube Arabum ſive Zizyphus Dodonæi* Ger. **The Jujube-tree.**

J. B.

Quæ in Officinis notas Jujubas fert, arbor eſt domeſtica, ſed in fruticem ſpinoſum facilè dege-erans, teſte Cæſalp. alioqui ſatis magna, ſtipite recto, in ramos plures brachiato, quibus in tenui-s ſurculis quaſi pediculis alternatim adnaſcuntur *folia*, unciam aut ſeſcunciam longa, ſemunciam t unciam ferè lata, in obtuſum mucronem deſinentia, ſplendido virore nitida, tribus ſecundùm ngitudinem decurrentibus nervis, per ambitum ſerrata; ad quorum ortum rami ſpinis horrent, is aduncis brevioribus, aliis rectis longioribus (ſed cùm ſeneſcit aculeis caret, inquit Cæſalp.) eo-émq; loci *flores*, plures ferè ſimul exeunt, pediculis breviſſimis ut fere ſeſſiles videantur, Ribes flo-bus perſimiles, colore herbaceo, apiculis concoloribus. Hoſce *fructus* excipiunt, formâ & mag-itudine Olivari, Corno craſſiores, per maturitatem rubentes, vel, ut ait Cæſalp. ex pallido ni-eſcentes, quaſi fumo infecti, pelliculâ craſſiuſculâ, pulpam ſubalbidam, mollem, fungoſam, mel-æ dulcedinis contegente, cui immergitur oſſiculum oblongum utrinq; acutum, rugoſum, in quo cleus compreſſus, Lentis majoris inſtar, rufâ pelliculâ tectus, ſapore amaro.

Gaudet cœlo & ſolo calidiore, aut certè temperato: in Hiſpaniæ, Italiæ & Galliæ Narbonenſis *Locus.* rtis colitur. Cluſius ſcribit nunquam ſponte naſcentem à ſe viſam. Forte nullibi terrarum Ju-bæ majores ſativæ ſponte naſcuntur: Sylveſtres nos in Italia ſpontaneas vidimus. E ſylveſtribus rò ſatione, inſitione & cultu ſativas initio factas exiſtimamus. Sylveſtres Monſpelii frequentes currere ſcribit: At nobis circa Monſpelium non obſervatæ ſunt; neq; D. Magnol in Botan. Monſp. rum meminit. In rupibus & clivis maritimis propè Tropiam Calabriæ urbeculam ſponte & co-oſè creſcentes vidimus.

Tempus. Florent Maio & Junio: fructus leguntur Autumno vel pòſt, unà cum ſurculis, & in manipulos colligati poſt aliquot dierum inſolationem laquearibus ſuſpenduntur: Poſtremò decerpti in capſulas reponuntur ad medicos uſus. Sunt qui decerpta Zizypha, & cratibus tegetibúſq; inſtrata tandiu inſolant quouſque rugoſa ibidem fiant.

Nos Venetiis recentes apud Melopolas abunde venales vidimus, quamvis palato noſtro non multùm arrideant.

An hæc arbor Veteribus Græcis cognita fuerit ambigitur. Vide apud J. Bauhinum concertationes de nominibus. Inclinat (inquit ille) multùm animus, Theophr. ſub Loto, & Plinium ſub oſſea Loto de Loto Athenæi locutos, ac Lotum Athenæi eſſe Jujubas.

Serica Galeno (quæ pleriq; Jujubas putant) vix quicquam ad ſanitatis tutelam pertinent aut morborum profligationem. Mulierum enim aut infantium effrænatorum ſunt edulium, quod exigui eſt alimenti & concoctu difficile. Verùm recentioribus Græcis & Arabibus in uſum Medicum vocatæ ſunt. *Vires.* Moderatè calidæ ſunt & humidæ, ideóque febrium ardentium calores leniunt in Julepis aut decoctis, ſanguinis acredinem ſedant: ad pectoris & pulmonis vitia conferunt, tuſſes aſperas, arteriæ aſperitatem, ſpirandi difficultatem; necnon ad renum & veſicæ vitia, urinæ ardorem, &c. J. Bauhinus, ſyrupum Jujubinum in Pulmonum vitiis non à calida tantùm cauſa, ſed & à frigida ortis concedendum putat; contra Matthiolum & alios, qui in ſolis affectibus pulmonum calidis locum habere putant. Sunt enim dulces & moderatè calidæ. Ratio & experientia dicit (inquit C. Hofmannus) Jujubas habere vim contemperandi calidos & acres humores.

2. *Zizyphus ſive Jujuba minor* Park. *Jujubæ minores rotundæ* C. B.

Jujubæ minores, Plinio Tuberes appellatæ ex ſententia Cordi, colore, nitore, carne, molli lentore, ſapore & nucleo majores imitantur, iis tamen minores ſunt, nec oblongæ ſed rotundæ, atque ſimiliter flaccidæ.

Afferuntur hæ quoq; ex Italia.

3. *Zizyphus ſive Jujuba ſylveſtris* Park. *Zizypha ſylveſt.* J. B. *Jujuba ſylveſtris* C. B.

Frutex Paliuro ſimilis eſt, non ſolùm foliis, ſed ramis & ſpinis, quatuor aut quinq; cubitos altus, cujus rami ſe terram versùs contorquent ad formam ſemicirculi, ſpinis abundantes craſſioribus & ſimiliter acutis, binis ſimul diſpoſitis. *Folia* diſpoſita ſunt ut in Sorbo. *Fructus* ſimiles Jujubis domeſticis, niſi quòd multò minores, & ſimiliores Oxycedri aut Lauri fructibus, qui ubi maturuerint rubent, & eſui apti fiunt: non tamen nuclei qui oſſei, ideóq; rejiciuntur. Quibuſdam in locis fructus hi in vinum immittuntur ut ſuavius reddatur.

Locus. Reperiuntur in agris Veronenſibus referente Pona: Nos (ut diximus) in Calabria prope Tropiam obſervavimus.

Vires. ℞. Zizyph. Macerentur in ſp. vini donec valdè turgeant: Accipe j. aut ij. manè & ſero. Mirabilis eis vis ineſt præſervandi à tuſſi. *Hartman.*

4. *Oenoplia ſpinoſa & non ſpinoſa* Ger. emac. ap. C. B. *Nabca folio Rhamni vel Jujubæ* J. B. *Oenoplia ſpinoſa & non ſpinoſa, ſive Napeca ſive Zizyphus alba* Park.

Arbor eſt (inquit Bellus) Piri mediocris altitudine, [Loti magnitudine Alpino; vidit Veſlingius Cayri Ægypti trunco tam enormi, ut homo quamvis procerus eam amplexu cingere non poſſet] cujus caudicem & ramos tegit cortex exalbidus ad cineraceum tendens. *Folia* Paliuri *Theophr.* aut Zizyphi rutilæ foliorum æmula, [cordis figurâ Veſling.] binas uncias longa, unam lata, à quorum petiolo nervi tres craſſiuſculi in totam longitudinem porriguntur. Horum ille qui medius utrinq; propagines minores ſubmittit, reliqui duo externo potiſſimum latere, ſuperna parte ſatura viriditate nitentia infernè ad cineraceum aliquantulum tendentia, quæ ramos alternis inordinatè ambiunt [Denſitas folii vix noſtrate Piro minor eſt. *Veſling.*] *Floſculi* ad foliorum exortum copioſi naſcuntur, ex virore quodam albicantes, floſculorum Oleæ inſtar [Jujubæ floribus planè ſimiles *Alpino*] peculiaribus longis petiolis ſinguli nitentes. *Fructus* ſuccedit pomum exiguum [ſylveſtre] tota habitudine quàm exactiſſimè referens [ut pro altero alterum quis ſumpſerit *Bell.*] juraréſq; per oculos tuos Meſpilum Aroniam te conſpicere, ſolo nucleo quem *Nabca* continet gemellos hos diſcriminante, magnitudine utplurimum Ceraſi, interdum tamen Nucem Juglandem etiam æquante. [E ſpinoſa *Nabca* poma vidi majora, quæque flavam maturitate corticem eleganti rubore purpurabant. *Veſling.*] ſuavis guſtûs cum acore grati, oſſiculum in ſe continens Olivæ inſtar. Biféra autem eſt; nam & novo vere & Autumno ſingulis annis fructum profert. Vernalis tamen plerunque ad frugem non pervenit ob imbrium copiam, ſed à vermibus corrumpitur.

Oenoplia ſpinoſa demptis ſpinis à non ſpinoſa minimè differt: nam reliqua facies utrique ſimilis.

In Ægypto folia per totum annum retinet. *Alpin.* at in Creta, obſervante Bello, per hyemem amittit.

Vires. Fructus ante maturitatem aſtringunt, unde eorum uſus frequens eſt ad ſtomachi alvíque relaxationem firmandam, ſucco vel per os ſumpto, vel cum Clyſteribus injecto. Qui in putrida febri ægris ea indulgent, blandimentum ſanè certum afferunt, emolumentum nullum, inquit Veſlingius. Succus perfectè maturarum optimus eſt ad purgandam bilem è ventriculo. *Alpin.*

Eſui ſumme jucundi ſunt hi fructus, præcipuéque maturi; tamen parùm nutriunt, faciléque ut Ceraſa in ſtomacho corrumpuntur, ſi eorum eſui immoderatè indulgeatur. Apud primarios tamen Ægyptios & Turcas in deliciis ſunt & magno in pretio habentur.

Alpinus Connarum Athenæi eſſe exiſtimat hanc arborem, cui conſentit Cluſius. Verùm notæ n conveniunt. Veſlingio judice, quæ inter Ægyptias arbores de Coccymelea ſcripſit Theophra-, & præcipuè quòd fructum ferat magnitudine & naturâ Meſpilis proximum non coactè huc uci poſſunt. Plinius autem hanc Prunum Ægyptiam vocat. An ſit Lotus Polybii apud Atheum inquirant quibus animus & otium eſt.

5. *Perin-Toddali ſeu Jujube Indica* C. Bauhini H. M. *P.* 4. *T.* 41. *p.* 85.

H. M.

rbor eſt procera, caudice craſſo, candido, fibroſo, furvo intúſq; rubicundo cortice cincto, nec ramulis, primùm viridibus & lanuginoſis, dein rubicundis longè latéq; in orbem diffuſis, donato, ad foliorum exortum acutis & rigidis ſpinis inſuper muniti ſunt. *Radix* fibrata, albicans, cortice purpureo, intus furvo, inodora, inſipida. *Folia* petiolis rotundis alternatim circa ramulos juxta as proveniunt, oblongo-rotunda, craſſa, denſa, ſupernè atro-viridia, & ſplendentia, infernè ſubia & lanuginoſa: odor & ſapor ſylveſtris. *Floſculi* plures ſimul juncti, ad foliorum exortum ramulos proveniunt, quinq; teretibus candidis, è viridi ſtriatis atque in orbem expanſis foliolis tantes. Foliola hæc intercedunt totidem albicantia, flaveſcentibus *apicibus* ornata *ſtaminula*, me- occupante viridi ac bifido *ſtylo*; odor gravis & fœtidus. *Fructus* tum formâ, tum magnitu- Olivis haud abſimiles, at exiguâ acutâque ſpina in vertice dotati, primùm virides, dein ma-res facti rubicundi, ſimile quoque ut Oliva oſſiculum continentes, *nucleo* intus albicante; ſapor uſculus & gratus.

reſcit locis arenoſis circa *Paloerti*. Quotannis bis fructum producit, Martio viz. & Septembri men-, atque à 10. ſationis anno ad 100. non raró frugifera manet.

Locus.

uctus maturi ab Indigenis comeduntur, minùs maturi verò ſale & aceto in *Atsjaar* condiuntur. oris folia uſurpantur ad gemmas quaſcunq; fricandas & poliendas.

Vires & Uſus.

foliis in lacte dulci coctis potio paratur, quæ Gonorrhœæ virulentæ medetur: ipſa verò folia umbilico cataplaſmatis in modum impoſita dyſuriam & ſtranguriam tollunt.

orticis expreſſus ſuccus aphtharum perhibetur remedium.

uccus è radice expreſſus, atque cum Ricini ſemine & lactis ſero exhibitus potenter ventrem ſub-, vitioſóſq; humores expurgat. E radicis pulvere cum Oryza ſativa & butyro Cataplaſma fit, fronti admotum delirium compeſcit & ſomnum provocat. E radice in Seſami oleo cocta mum conficitur, quod membris dolentibus illitum, arthriticum dolorem mitigat.

anc arborem pro Jujuba Indica *C. B.* habet D. Commelinus, qui in Hortum Malabaricum comtatus eſt. Et revera deſcriptio bene convenit. Miror tamen in hiſtoria hujus arboris nullam æ ab Autoribus mentionem factam. Jujubæ ergo iſtius hiſtoriam è C. B. Pinace & Acoſtæ ſubmus, ut Lectori integrum ſit de eis judicium ferre.

Jujuba Indica C. B. *item Malus Maluccenſis nonnihil ſpinoſa* ejuſdem *p.* 433. *Ber Indica fructu Jujubino* J. B. *Malus Indica Luſitanis, Ber & Bor Acoſtæ* Park.

Acoſt.

agna eſt arbor, multis foliis & floribus prædita, & copioſo fructu. *Folia* minùs rotunda ſunt foliis, tametſi ea æmulentur, ſupernè ſaturatè virent, infernè candicant & pubeſcunt ut Salviæ guſtu adſtringente. *Flores* exigui, candidi, quinque foliolis conſtantes, inodori: *Fructus* Jujumiles, alii aliis majores & ſuaviores, nunquam verò tam probè matureſcentes, ut conſervari que- & in alias regiones transferri utì Jujubæ, & perpetuò nonnihil adſtrictionis retinentes: unde colli- minimè pectori utiles eſſe, quemadmodum Zizyphæ.

onſpicitur hæc arbor æſtate alatis formicis perpetuò onuſta, quæ in ramis ejus Laccam elabo-: Hoc quamvis à Garcia etiam confirmatur, à multis tamen in dubium, nec immeritò, vo-; & Lacca potiùs lachrymarum & reliquorum gummi modo ſponte exſudare & concreſcere ur.

eperitur hæc arbor in Malacca, Malabar, Balaguate, Sumatra, aliíſque Indiæ provinciis.

Locus.

juba Indica *C. B.* huic proculdubio eadem eſt, nam & deſcriptio & nomen Indicum *Bora* conunt.

olia (inquit) hujus ſubrotunda ut vulgaris Jujubæ venoſa, ſeſquiunciam lata, duas longa, per ginem crenis exaſperata, parte averſa molli, ruſeſcente lanugine tecta Boræ nomine cum ejuſ ramulo, cui Lacca adnata erat. Ex India D. Terentius miſit.

De Lacca.

acca gummi, ut in Officinis habetur, concretione bacillis pertinaciter circumnata adhæreſcit, rficie rugoſa, inæquali & veluti granulata, pellucida, colore ruſo, flavo, aut ex rubro nigri-, intus cavernoſa, neſcio quid nigri friabilis ſubſtantiæ in antris continens, ſapore nullo evi-e: ſputum colore rubro tingit, qui longè apparet floridior ſi cum aqua miſceatur. Prunis ima bullat primò, levem odorem reſinoſum ſpirans, tandémq; flammeſcit. Vi detracta bacillis cem ferè ſecum rapit, & canaliculata qua adhæſit apparet. Bacilli duarum triúmve unciaaut longiores cortice teguntur ſatis craſſo, melino fere: materies ut Coryli, ſed medulla core farcta.

hujus generatione & fiendi modo non conſtat. Nam quod Garcias refert à magnis formicis eam elaborari, ut apes mel conficiunt, materiam ex ipſa arbore exſugentibus, nobis non viveriſimile, ſed potiùs (ut J. B.) ex ipſamet arbore, vel ejus ramis & ſurculis, ſtatis tempoexſtillare liquorem illum, & demum Solis vi in eam quam videmus formam concreſcere. c legitimum hujus gummi nomen eſt. Sic autem dicitur quòd hoc medicamentum ubi ejus uſus Lac ſive Loc, id eſt, Mellis craſſitiem diſſolvatur: in *Pegu* vero & *Martaban*, ubi præſtantiſſi-, *Trec* nominatur.

Duplex habetur: ea quæ cum bacillis, vix enim ſine eis adfertur, quam Laccam *Sumetri* vocant, quia ex Sumatra inſula, nonnullis Taprobana Antiquorum credita, habetur: ut eam quæ in glebis ſine ſurculis affertur Laccam *Comberti* nominant; & altera factitia, quâ infectores utuntur, quæ & ſuas differentias habet. Quædam ex fæce Braſilii & Cocci conficitur, ſive ex gummi & liquore Braſilii. Laccam veram reſinâ & cerâ interdum adulterari annotavit Acoſta.

Lacca Veteribus incognita fuiſſe videtur. Nec enim eorum ſententiam probare poſſumus qui Cancamum Dioſcoridis eſſe exiſtimant. Cùm Lacca non ſit odorata, nec ſuffitionibus apta, ut Cancamum.

Vires & Uſus. Lacca attenuat & aperit, ſanguinem purificat, ſudorem ciet, diuretica eſt. Uſus præcip. in obſtruct. Lienis, veſicæ, fellis, epatis, & hinc in hydrope, ictero, aſthmate, apoſtemate pulmonum: in expellendis variolis, morbillis, atque peſtilenti contagio, in ciendis menſibus, &c. *Schrod.*

Ad oppilationes tam hepatis quàm ſplenis, ut & in hydrope & ictero à pleriſq; medicis unanimi conſenſu præſcribuntur trochiſci Dialaccæ dicti. *J. B.*

Ex Lacca etiam bacilli parantur ad obſignandas epiſtolas, Ceram Hiſpanicam vocant.

Alutas & coria vervecina Lacca contuſa & urina veteri macerata rubro colore infici ex altera parte tradit Cluſius ex quorundam ſententia.

Cum Lacca in Ceram Hiſpanicam redacta, & Conchyliorum ſplendicantium in minutiſſimis fragmentis ligna, tabulas, arculas, &c. incruſtant ad elegantiam.

Pictores, aliíque Mechanici utuntur Laccâ ut Vernice, eamque variè colorant, & diſſolvunt in ſp. Vini, vel ol. Terebinth.

CAP. IX.

De Corno.

Cornus Latinis dicta videtur quòd duritie & rigiditate Cornea, vel potiùs à Græco κρανία per metatheſin literarum. Κράνεια autem dicta eſt quod Calvariæ inſtar dura ſit.

Notæ ejus ſunt flores luteoli; Fructus oblongus teres ſeu cylindriacus, oſſiculo intus tereti duriſſimo anguſta cavitate, ſpinis carere.

1. *Cornus mas* Ger. Park. *hortenſis mas* C. B. *ſativa ſeu domeſtica* J. B. **The Cornelian Cherry.**

J. B.

Arbor procera ſatis eſt Cornus, & multis ramis brachiata, cortice ſubrubro vel cinereo, materie alba, firma, ſolida & dura (corticem ſcabrum & adſtringentem valdè dicit Matth.) *Flores* primùm omnium profert in ramorum ſurculis extremis inſidentes, numeroſos, breviſſimo pediculo appenſos, è quatuor foliolis, extra vel intra purpurantibus, aliàs ſubluteis, intus convexis, luteolis: intra quæ alia concoloria foliola incerto numero, teneriora & minora, ex quorum concurſu apices attolluntur octoni, noveni, deni, hirſuti, qui in quaterna crocea foliola explicantur, *ſtaminula* exigua lutea continentia. Subſequuntur *fructus* oblongi, ad Olivam accedentes, graciliores, primùm virides, poſtea rubri, ſanguinei, majores, manus purpurâ rutilâ inficientes contriti, formâ ſuâ ad Jujubas accedentes, guſtu primùm acerbo, at ubi maturatione remollita fuerint acido-dulci & ſuavi cum quadam tamen adſtrictione, oſſa continentes oblonga, teretia, qualia ferè in olivis, duriſſima, in quorum anguſtis cavitatibus nuclei latitant exigui, ſubdulces, graciles, quíq; vix integri eximi queant. *Folia* qualia Virgæ ſanguineæ ſeu Corno fœminæ, glabra, venoſa, per oras æqualia.

Cornum marem in hortenſem & ſylveſtrem diſtinguunt. Hortenſis fructûs colore variat: nam communiter ruber eſt & oſſiculo longiore; aliquando ceræ colore, rariùs albet: ſaturatius etiam rubet oſſiculúmq; habet craſſius & brevius, & hoc eſt, inquit C. Bauhinus, Cornus maris aliud genus *Cluſ. Hiſt.* cui tamen ramulos quàm vulgaris maris longè fragiliores tribuit Cluſius, folia vulgaris foliis latiora. J. Bauhinus quoq; Corna obſervavit Baſileæ apud Fel. Platerum magnitudine & colore diſcrepantia, alia aliis altero tanto & ferè triplo majora, ſucculentiora, ſaturatè colorata, & purpurâ ſuâ manus inficientia, guſtu minoribus non minùs ſapida. Sunt & colore rubro manus no inficientia.

Locus. Cornus ſylveſtris multis in locis invenitur, in Miſnia, Auſtria, Pannonia. Nos in agro Pede montano & Mediolanenſi in ſepibus eam obſervavimus, ubi ſolùm fruteſcit; ſed culturâ in arborem pulchram evadit. Quod Hermolaus è Theophraſto hauſiſſe videtur, nimirum Fructus ſylveſtris Corni maturiores ſuavioréſque eſſe quàm urbanæ, & plerunq; etiam majores, ut Cornus omnem cultum reſpuat, & negligi deſideret, nobis non videtur veriſimile: ideóque antequam de reipſa experimento conſtiterit, de ratione ejus reddenda non erimus ſoliciti.

Tempus. Floret primo vere antequam folia erumpunt, Martio, & in calidioribus Februario menſe; pro V ris conſtitutione & temperamento, ſeriùs citiúſve in eodem loco: Auguſto, Septembri, interdum etiam Octobri demùm fructum maturat.

Vires. Corna refrigerant, exſiccant, adſtringunt, conſtipant quomodocunq; ſumpta. Hinc conveni præcipuè in diarrhœa ac dyſenteria: ardorem febrilem ac ſitim grata ſua aciditate leniunt ac ſtinguunt.

Condiuntur muriâ ut Olivæ; fit etiam ex iis ſapa quemadmodum ex Ceraſis: itémq; è p Electuarium ad febres, ad fluxiones bilioſas, ad ſitim, ad excitandam appetentiam utilia. In di rhœa & dyſenteria exhibentur fructus exſiccati & pulveriſati ad ʒj.

Co

Corna ſicca contrita, & cum oleo Myrtino aut omphacio mixta in Emplaſtri formam, præſenti ilio ſunt ad vomitiones ventriculo impoſita: contra fluxum autem alvi abdomini inducta, contra nſes immodicos pectini ac coccygi applicata.

Cornum arborem caveri oportet circa alvearia, nam flore ejus deguſtato alvo concita moriuntur s. *Plin.*

n Hetruria abſtinent demorſi à cane rabido per integrum annum à quorundam lignorum, præim Corni maris & fœminæ contactu: Siquidem (ut teſtantur ii qui rem experimento comper habent) ſi harum virgæ tantiſper manibus teneantur donec concaleſcant, illico demorſi rabie gitantur. *Matth.* quem vide.

olia quoq; & germina guſtu acerba ſunt, valenterq; deſiccant: itaq; maxima vulnera glutinare unt.

lujus lignum omnibus lignis durius perhibetur, ad radios & dentes rotarum utiliſſimum.

2. *Tsjerou-Ponna* H. M. P. 4. T. 39. p. 81. *Cornus Malabarica foliis Nymphææ.*

uanquam minor Ponnæ ſpecies habetur, tamen æquè procera eſt, frondibus umbroſis in latum lis: lignum prædurum, rubicundum, craſſo ac nigricante cortice cinctum, ut *Ponna.* *Radix* rufa, eo intúſque rubicundo cortice tecta, odoris gravis, ſaporis adſtringentis: ea verò diſſecta lanam fundit flaveſcentem ac reſinoſam. *Folia* Ponnæ ſimilia, at minora. Similiter *flores* Ponnæ bus ſimiles, præterquam quod non ex octo, ſed è quatuor plerunq; conſtent foliolis. *Fructus* ngo-rotundi, glabri, virides primùm,, dein rubicundi, acido-dulces, Cornis noſtratibus cùm fitum magnitudine & ſubſtantia haud abſimiles.

reſcit locis arenoſis; quotannis fructus fert, Auguſto viz. & Septembri menſibus, diúque ſuperſtes et. **Locus & Tempus.**

uctus hi ab indigenis comeduntur: E nucleis quoque eorum ſiccatis oleum exprimitur ad lams. Uſus in medicina nullus. **Uſus.**

CAP. X.

De Ceraſo.

Eraſus Κέρασος Theophr. 3. hiſt. 13. fructus κεράσια Dioſc. l. 1. c. 157. Ceraſia & Ceraſa; dicta autem à Ceraſunte Pontico municipio, unde Lucullus Romanorum imperator, Mithridate debellato, primùm in Italiam arborem intulit, & fructum gentilitio nomine Ceraappellavit, Athenæo lib. 2. & Plinio l. 15. c. 25. auctoribus. At verò ante id tempus, imò à di ipſius primordiis Ceraſos in Italia ſpontaneas fuiſſe, quamvis fortaſſe neglectas & incultas mè dubito.

eraſorum multa ſunt genera, ſeu potiùs varietates, quas C. Bauhinus in Pinace explicat, Ceraſa, t, alia ſunt ſativa, alia ſylveſtria. Sativa fructûs forma, colore, ſapore; [adde & magnitudine] nt. Sunt enim pomi *figura*, turbinatiore, longiore, rotundiore, cordis etiam *figura*; & alia peo longiore, alia breviore, ſingulis vel pluribus unà coeuntibus, ità ut ex uno petiolo vel ſingula, erna, quaterna, quina dependeant, vel in racemi modum coacerventur. *Colore* albo ſed rarius, m rubro, partim candicante, & quædam in maturitate parùm ex candido rubent, quædam maquædam planè cerea, quæ Pruno inſita ſunt; rubro, rufeſcente, nonnunquam in atrum ver-e, nigro etiam, quædam nigerrimo, & ſucco ſanguineo labia & manus inficiente. *Sapore* dulci, o, auſtero, ex dulci & acido admixto, alia amaritudinis quid retinent, non tamen ingratæ, Anæ dictæ: ſic alia nimia ſua dulcedine faſtidium pariunt, alia ob nimium acorem reſpuuntur, ob aquei ſucci redundantiam inſipida ſunt. Similiter alia carne ſunt prædura, alia carne mol- & teneriore ſive aquoſa conſtant, & in quibuſdam caro pertinacius nucleo adhæret, qui in aliis lior, & nucleo non inſuavi eſt. Sylveſtria etiam variant magnitudine, figurâ & ſapore.

os ex ſativis pro ſpecie diſtinctis habemus, 1. Ceraſum vulgarem fructu rotundo, acido, rubro. eraſum fructu cordato dulci. 3. Ceraſum acidiſſimum ſanguineo ſucco. 4. Ceraſum majofructu nigro parvo, ſubdulci, nigro colore inficiente. Fortè etiam & aliæ nonnullæ ſpecie dift. Ceraſum tamen flore pleno, pro naturæ luſu aut varietate quâdam accidentali habemus.

1. *Ceraſa ſativa rotunda, rubra & acida, quæ noſtris Ceraſa ſativa* C. B. *Ceraſa acida rubella* J. B. *Ceraſus Anglica* Park. *vulgaris* Ger. **The common English Cherry-tree.** *J. B.*

majoribus Ceraſis ſunt quæ acida, rubro colore dilutiore [nonnulla ex his per maturitatem atiùs rubent] carne haud admodum dura vel compacta. His ſapor valdè gratus, præſertim maturis, non nimium acidus, ſed quodammodo vinoſus; quamvis alia aliis in hoc genere aci- quod cultui dicandum judicamus. Fructus brevi prodit pediculo, & quàm reliquorum ferè ore [in noſtratibus pediculi ſatis longi ſunt] Arbores ipſæ haud proceræ, nec rectæ, multis rarachiatæ, humiliores multò quàm dulcium, quarum & minimæ, atque adeò paucorum annofructum ferre conſueverunt: ramuli etiam non tenues ſunt & flexiles ut in acidis nigricantibus. quoq; folia rotundiora ſunt. Gummi ex ſe fundit lucidum, aurei pæne coloris. Huic radix ndo latè ſe diffundit, areáſque & vicina loca ſuis ſtipat ſtolonibus, qui tranſplantati & culti in s excreſcunt. Lignum quoq; & rami multò fragiliores, minúſque flexuoſi quàm cæterorum: de periculoſum has arbores conſcendere.

Ceraſus

Ceraſa ſativa majora. *Ceraſus Flandrica* noſtratibus dicta à Ceraſo Anglica, fructu majore & dulciore differt. Fortè h ſunt Ceraſa ſativa majora *C. B.* i. e. Ceraſa Hiſpanica *Lob. Ger.* Genevæ tamen & alibi in Ga vidimus Ceraſa Flandricis multo majora, & noſtratium vulgarium fere dupla.

2. *Ceraſa acida nigricantia ſolidiora, tardiùs matureſcentia* J. B. *An Ceraſa acidiſſima ſangui ſucco* C. B. *D. Herman. in Hort. Leyd. hæc duo ſeparat.*

J. B.

Inter lautiora quidam hoc Ceraſi genus habent, cùm ob vinoſum ſaporem, tum ob carnis ſoli tatem, ut equidem cenſemus. Non eſt his ea arborum altitudo quæ ſylveſtribus Ceraſis. Ab arbo ribus acidorum multùm quoque differunt. Non enim ſolent in magnos ramos dividi & extendi, ſe ramulis tenuioribus quàm cæteræ omnes donatæ ſunt, pendentibus ferè & ad Betulam quodammod accedentibus. Fructus ex longiuſculo pediculo magni, nigri aut ex nigro ſpadicei, ſuo ſucco infi cientes, carne firmiore, acida valdè, multùm adſtringente.

An Ceraſa acidiſſima ſanguineo ſucco *C. B?* quæ in altiore arbore proveniunt, & longiſſimum pediculum habent.

Vires. Commodè exſiccantur pro ſiticuloſis febrientibus, pulpam etiam excoquunt Baſileenſes. Pa rant ex iis contuſis cum ipſis adeò nucleis, & mixtis cum vino bono, id vini genus quod tempore Caniculæ in deliciis habent nomine *Wiechſelwein.* Modum conficiendi vide apud *J. B.*

Hoc genus Ceraſi pediculis longiſſimis, fructu acidiſſimo, ſucco ſanguineo ab aliis omnibus facile diſtinguitur. Morella noſtratibus dicitur, quamvis Parkinſonus pro Morello aliud proponat.

A. 3. *Ceraſus major ac ſylveſtris, fructu ſubdulci, nigro colore inficiente* C. B. *Ceraſus ſylveſtris fructu nigro & rubro* J. B. **Black Cherry-tree. Mazzards.**

Lemma C. Bauhini huic Ceraſo apud nos ſponte naſcenti apprimè convenit. Eſt enim arbor grandis & procera, fructu parvo, carne pauca, ſucco nigro colore inficiente, pediculis longis & quantum adhuc obſervavimus aliorum Ceraſorum tenuioribus.

~~J. Bauhinus Ceraſum~~ ſylveſtrem fructu rubro & nigro quam vocat ſic deſcribit,

Vulgaris notitiæ arbor eſt, procera, recta; cortice exteriore ſpadiceo aut cinereo, maculoſo, lævi; interiore virenti, ſub quo materies firma, ſubruffa. *Folia* Loti oblonga, Pruni foliis longiora, densè crenata, ſplendida, ſubamara. *Flores* ex eadem quaſi vagina plures ſimul juncti, pediculis tenuibu ſeſquiuncialibus aut ſextantalibus, nonnihil rubentibus, ex foliis quinque, candidis & ut in Pyro ca vis, in quorum medio capillamenta multa, alba, *apicibus* croceis donata, quibus longior *ſtylus* in imo calyce ſurrigitur, oris in quinque lacinias reflexas, nonnihil purpuraſcentes diviſis. Ex hoc ſtylo obſervavimus hortulanum ingenioſè prædicere ſolitum futurum Ceraſorum proventum: ſub eo enim latet fructûs rudimentum, quod frigore affectum facilè nigreſcit, remanentibus nihilominu aliquandiu integris, nullâque injuriâ tactis florum petalis. Fructus ſuccedit rotundus, unciali am plitudine inferior, dulcis, magnitudine & colore diverſus, in quo oſſiculum orbiculatum læve, durum, dentibus tamen fragile, nucleum continens album exacutum, amaricantem, flaveſcente tunica contectum. Gummi ſtillat flavum, ruffum & denſum.

Hæc (pergit J. Bauhinus) quadruplici varietate potiſſimùm differentes fructus gignit: Rubrum & nigrum, & utrumque vel majorem & carnoſiorem, vel minorem & macriorem. Major tam ruber, quàm niger dulcior eſt cæteris, cultu talis, ut equidem cenſemus, effectus. Minor nullius unquam cultûs gnarus, tam ruber quàm niger plerunq; amaricat, ſed eatenus ut prævalente dulcedine haud ſit ingratus. *Videtur deſcribere Ceraſum noſtram ſylveſtrem fructu nigro, quæ apud nos nunquam (quod ſciam) fructum rubrum profert.*

Uſus. Ex hoc potiſſimùm genere meliora noſtri torrent, & Electuar. conficiunt pro puerorum cibo & condimento.

4. *Ceraſus major fructu cordato magno. Ceraſa duracena oblonga* J. B. *An Ceraſa craſſa carne dura* C. B? **The Heart Cherry.**

J. B.

Specioſus hic Ceraſorum fructus magnus eſt, oblongus, ad cordis figuram aliquatenus accedens, carne dura ſolidâque, dulci, coloris ex albo rubelli, nucleo magno. Folia majora ſunt quàm Cera vulgaris acidi, ad Caſtaneæ folia quodammodo accedentia, deorſum ferè dependentia.

Locus. In hortis ſatis frequentia ſunt. Variant colore rubro, albo, nigricante. Horum Aviculæ appe tentiſſimæ ſunt.

5. *Ceraſus flore pleno* J. B. *Cer. hortenſis pleno flore* C. B. *item Cer. hortenſis flore roſeo* ejuſdem. *Ceraſus flore multiplici* Park. parad. *Ceraſus multiflora fructus edens* Ger. *item Cer. multi flora pauciores fructus edens* ejuſdem. **The double flower'd Cherry.**

Non alia in re differt à Ceraſo vulgari Anglica aut Flandrica quam florum petalorum multip cata ſerie. Duûm autem generum eſt, Alterius flores minùs multiplices ſunt, hoc eſt, paucioribus pe talorum ordinibus, duobus nimirum tribúſve conſtant; alterius pleniſſimi ſunt, & è pluribus ſerieb petalorum compoſiti. Prior Ceraſus flore roſeo, poſterior Ceraſus pleno flore C. Bauhino dicit Hæ arbores fructus interdum ſed pauciores & ſparſos proferunt, illa autem quæ pleno flore eſt r riùs. Gerardus in arbore hujus generis per multos annos à ſe in horto diligenter culta & pari etiam affixa, ut Solaribus radiis foveretur, nullos unquam fructus obſervare potuiſſe ſcribit.

6. *Ceraſus pumila* C.B. J. B. Park. parad. *Chamæceraſus* Ger. **The Dwarf Cherry.**
Cluſ.

ariæ altitudinis invenitur Chamæceraſi frutex: nam interdum in cubitalem, bicubitalem aut
liorem magnitudinem attollitur, umbroſis videlicet locis & tenui ſolo; ſiccioribus autem locis &
ſemitas plerumq; ſupra pedalem altitudinem non aſſurgit. Tenues & lentos habet ramulos
irgas, nigricante ex cinereo cortice obductas, quæ ex intervallis quædam tubercula & velut gem-
proferunt, unde tanquam ex Cachrye aliquot exigua foliola, Myrti Tarentinæ foliis æqualia
eunt, ſimúlque flores bini, terni, quaterni aut quini ſeſe explicant, candidi, pentapetali, multis
edio ſtaminulis præditi, Ceraſi vulgaris floribus perſimiles, minores tamen: infra hos flores atq;
n in extremis virgis ex aliis tuberculis exeunt ſine floribus folia ſuperioribus majora, Ceraſi vul-
acerbo fructu foliorum formam imitantia & in ambitu ſimiliter crenata, longè tamen minora,
a viriditate ſplendentia, ſubamari guſtus; His ſuccedit exiguus *fructus*, rotundus, carnoſus,
itate ruber, exſiccantis minúſque grati ſaporis quàm ſunt acida Ceraſa, oſſeo intus nucleo.
craſſa, longa, dura, paucis fibris prædita, profundum petens, & quæ difficulter erui poſſit.
ſſim in Pannonia, Auſtria inferiore & Moravia editioribus ſiccíſque locis naſcitur; ad vineto- *Locus.*
etiam in collibus ſitorum marginibus & ad publicas vias.
t. Non peculiare eſt Chamæceraſo gemmas alias floriferas minoribus foliis veſtitas, alias φυλλο-
tantùm producere, ſed Ceraſo, Piro, Pomo, aliíſque nonnullis arboribus commune.

A. 7. *Ceraſus ſylveſtris Septentrionalis Anglica fructu rubro, parvo, ſerotino.* **The wild Nor-
thern Engliſh Cherry, with ſmall late-ripe fruit.**

teries Ceraſi nigræ ſimilis. Caudex in inſignem magnitudinem excreſcit, adeò ut Orgyiam non-
am ſeu duas ulnas ambitu excedat. *Folia* quàm Ceraſi nigræ longiora latioráque & acutiori-
nticulis inciſa. *Fructus* parvus, rotundus, ruber, quíque ante initium Septembris plenam ma-
em non aſſequitur, quamvis arbor cum primis ſui generis floreat, tunc quoq; acerbus ut vix
o ſit. Oſſicula ſata promptè germinant, quæque indè emergunt virgæ ſeu arbuſculæ Ceraſis
nſibus inſerendis aptiſſimæ cenſentur; ſurculis in arbores proceras celeri auctu adoleſcentibus,
s etiam præcoces & guſtui gratos edentibus.
ripas fluvii Teſæ, propè *Bernards-caſtle* oppidum copioſè oritur, obſervante D. Johnſono, qui
criptionem ejus tranſmiſit.

. *Ceraſus uno pediculo plura ferens* J. B. *Cer. uno pediculo plura* Ger. *Cer. racemoſa hortenſis*
C. B. *Cer. corymbifera* Park. parad. **The Flanders Cluſter-Cherry.**

c genus modò duos, modo tres, ſæpe etiam quatuor aut quinq; uno pediculo profert fructus,
liter à Ceraſo vulgari differt.
s pro luxuriantis naturæ effectu aut partu monſtroſo habemus, nec ſpeciem diſtinctam conſti-
putamus, cùm in eadem arbore plures dentur fructus ſolitarii, ſeu in ſingulis pediculis ſinguli,
ue ſpeciem ſuam non ſemine ſed ſtolone aut inſitione producat.

Ceraſus racemoſa J. B. Ger. & aliorum.

n diverſa videtur à præcedente, etiam C. Bauhini judicio, quædam (inquit) racematim uvæ
dependent; cùm de præcedenti dixiſſet, Aliquibus terna, quaterna, quináve poma eſſe in uno
ulo.
raſus amat cœli ſtatum frigidum, ſolum verò poſitionis humectæ. In tepidis regionibus parva
nit. Calidum non poteſt ſuſtinere. Montana vel in collibus conſtituta regione lætatur. *Pal-*
Per totam Europam frequentiſſima eſt. Nuſquam meliora habentur Ceraſa quàm Lugduni,
Amatus, cui aſtipulatur J. Bauhinus, ſeu hoc loci naturæ, ſeu potiùs culturæ diligenti de-
r.
orent omnes in Germania, atque etiam Anglia Aprili menſe; in calidioribus haud dubiè citiús.
um maturant Junio & Julio pro ſpecierum diverſitate. Eſt apud nos præcox quoddam genus
Maio menſe matureſcit, *Ceraſa* idcirco *Maialia* dicta.
ſatione, inſitione reliquâque cultura Ceraſorum conſulantur Rei ruſticæ & Horticulturæ ſcri-
.
raſa recentia alvum laxant, ſicca reſtringunt. Item dulcia alvum ſubducunt, ſed minùs grata *Vires.*
ſtomacho. Acida & auſtera pituitoſis excrementoſíſque ventriculis ſunt apta, ſed aſtringunt.
ua acidorum ſtillatitia, & ceraſa ipſa in intinctibus febrilem ardorem compeſcunt, ſitim ex-
nt & cibi appetentiam conciliant. Cum Saccharo condita ventriculo grata ſunt, & inter præ-
ſſima dulciaria à matronis noſtris habentur: verùm ob humorem aqueum abundantem diu aſ-
i nequeunt.
coctum Ceraſorum acidorum & areſactorum in affectu hypochondriaco ſummopere valere, imò
nico remedio complures convaluiſſe liquidò aſſeverare non veretur Fernelius *Conſil.* 43. ad
Matigny.
aſa dulcia in morbis capitis, Epilepſia, Apoplexia, Paralyſi, peculiariter proficua cenſentur.
s apud *J. B.*
idam Nobili Apoplectico, qui per tres dies loqui non poterat dedi Sp. Ceraſorum, & loquelam
recuperavit. *Tho. Keſler* in ſua Chymia, cap. de fructibus.
balbutie & aliis loquelæ vitiis lavetur os ſæpiſſimè cùm Sp. Ceraſorum nigrorum; ſunt enim in-
r cephalici, ſummopere roborant muſculos linguæ & Sp. ejus uſui deſtinatos. *P. Jo. Faber.*
14.

Dulcium nigrorum recentium aquam ſtillatitiam à nonnullis ad Epilepſiam mirificè commenda ait *J. B.* in ipſo paroxyſmo in os infuſam doſ. ℥ iv. aut amplius. Hæc valdè celebratur, & apud matronas noſtras in frequenti uſu eſt ad motus convulſivos, præcipuè infantium. Lego apud J. Bau hinum, Præſtans hæc habetur à quibuſdam adversùs puerorum convulſiones, Aquæ Ceraſ. nigr. & florum Tiliæ æquas partes miſce. Doſ. ℥ j. aut ℥ ij. pro ætate.

Ex Ceraſis vina ſeu potiones variis modis parantur, vel per deſtillationem, vino Ceraſis Alembico immiſſis affuſo; vel infuſione ſola, vel ex ſucco expreſſo cum Saccharo mixto & fermentato. In Italia ex Ceraſis recentibus potionem parant *Maraſco* dictam, quam bibunt antequam fermentetur. Æſtivo tempore in tabernis venalis extat, & ad refrigerandum utilis cenſetur.

Oleum è nucleis Ceraſorum per expreſſionem elicitum maculas & lentigines cutis auferre dicitur illitu; utile quoq; habetur Arthritidi, necnon calculo renum & veſicæ.

Gummi Ceraſorum cum vino dilutum diuturnæ tuſſi medetur; colorem quoq; commendat, viſum acuit & appetentiam invitat. Celebratur etiam vi lithontriptica ex vino potum. *Dioſc. Galen.*

Nonnulli ut minus noceant Ceraſa ſi ad ſatietatem edantur, oſſicula unà deglutire jubent. Verùm nobis tentantibus id malè ceſſit. Nam pluribus Ceraſorum unà cum pulpa oſſiculis deglu per aliquot pòſt dies gravitatem & dolorem ſenſimus in fundo ventriculi, ex oſſiculis ibidem reſtantibus ortum, qui ægre nec niſi plurium dierum ſpatio expulſis nucleis ſenſim tandem evanu Fortè ii quibus ventriculi tonus robuſtior eſt & validior totidem vel etiam plura ſine noxa devorare poſſent.

Videmus Paſſeres qui plurimùm Ceraſis delectentur eo tempore quo Ceraſa matura ſunt longè majora habere hepata quàm alias. Unde colligitur Ceraſa hepar augere & corroborare. Experimentum eſt Arnoldi Villanovani, de cujus veritate dubito: nec tamen ſi verum eſſet inde ſequitur quod ille deducit. Nam fortè magnitudo hepatis morboſam potiùs quàm ſanam ejus conſtitutionem arguit.

Ceraſorum quæ hodie in honore & pretio ſunt Catalogus.

1. Ceraſum præcox Maiale dictum. **The May Cherry,** quia Maio menſe matureſcit. 2. Cer. Ducale. **The Duke Cherry,** 3. Cer. Archiducale. **The Arch-Duke Cherry.** 4. Flandri cum, ſuperiùs dictum. **The Flanders Cherry.** 5. Cordatum rubrum. **The red Heart-Cherry** 6. Cordatum ſanguifluum. **The bleeding Heart.** 7. Neapolitanum. **The Naples.** 8. Cer. in carnatum. **The Carnation.** 9. **The Amber Cherry.** 10. Purpureum. **The Purple Cherry.** 11. Aurelianenſe nigrum. **The black Orleans.** 12. Nigrum vulgare. **The comm black Cherry.** 13. Lucæ Wardi Ceraſum. **Luke Wards Cherry.** 14. Ceraſus racemo **The cluster Cherry.** 15. Ceraſus nana. **The Dwarf Cherry.** Vino conficiendo præſtantiſſima habentur Ceraſum Mediolanenſe magnum & Ceraſum Morellum. **The Morello Cherry;** à ſucco Mori æmulo.

Paco-caatinga Braſileenſibus Marcgr.

Ad Ceraſa referri poteſt. De hac tantùm habet: Fructus ferre in uvam congeſtos novem, a decem digitos longam, Magnitudine Ceraſi ſylv. nigri coloris, & nucleo Ceraſino, adſtringentis ſ pòris: à columbis avidè devorari, ab hominibus non, uſurpari ad tingendum colore cœruleo; ba cas ſiccari poſſe & diu ſervari.

Ibipitanga ſeu Ceraſus Braſiliana Piſonis *&* Marcgr.

Ad hunc potiùs locum (ut ſuſpicor) pertinet; nec enim calyx floris reſiduus eſſe videtur umbi licus de quo loquitur.

Mourouve J. De Laet. Ind. occid. lib. 16. c. 11.

De hoc duntaxat ſcitur, non multùm abludere à Pruno; flores ferre luteos, fructus inſtar Ceraſorum, longis pediculis, oſſiculo exiguo, carne crocea & ſuavi.

Copalxocotl Tepeacenſium J. de Laet. *Ind. Occid.* l. 5. c. 17.

Arbor eſt inquit Ceraſo valde ſimilis fructus fundens exiguis Pomis ſimiles, qui ſalivam quanda valdè glutinoſam fundunt, & ideò ab Hiſpanis *Ceraſa gummoſa* appellantur.

CAP. XI.

De Olea.

Olea Græcis Ἐλαία, Latinum nomen à Græco factum eſt, αι diphthongo in ε abeunte, ſi ἔλαιον oleum. Ἐλαία autem à λεῖον, i. e. læve vel lubricum deducitur, aut à λειῶ lævigo, brico, quòd producat id quòd lævigat lubricátque, videlicet oleum.

Olea prunifera arbor eſt foliis perpetuis, fructu racemoſo, pulpa liquore pingui ſcatente, oſſi duro ſcabro.

1. *Olea ſativa* J. B. C. B. Ger. Park. **The Olive-tree.**

J. B.
Mediocris magnitudinis arbor eſt, quandoque procera & prægrandis (ut rectè Stapelius) ramis
n latum amplúmq; diffuſis [J. Bauhinus haud valdè patulam eſſe ait] trunco magna ex parte no-
oſo, materie æqualiter ſpiſſa, ſatis ſolidâ, alicubi & criſpâ & intortâ, guſtu amaricante, colore inter
avum & ſpadiceum ferè medio, nonnunquam etiam maculis utriuſq; coloris invicem convolutis con-
erſa, præſertim cùm ad juſtam ætatis conſiſtentiam pervenerit, teſte Cordo. Cortex tam trunco
uàm ramis obducitur coloris cinerei, lævis, glaber. [Cordo in his flavus] *Folia* oblonga & anguſta,
alignis ferè ſimilia, acuminata, inciſuris ac manifeſtis venis, (excepto unico nervo inſigni à pedi-
ulo ad acumen oppoſitum excurrente) carentia, craſſa, pinguia, rigida, ſupernè coloris atro-viren-
s, certè ſaturatiùs virentis [rectiùs Cordus, in viridi flaveſcentis] inferiùs caneſcentia, nullis ta-
en pilis obſita, tam brevibus pediculis hærentia, ut ſurculis quaſi inſerta videantur [ex adverſo ut-
urimum bina *Stapel.*) ex quorum alis proferuntur pediculi, quibus *flores* racematim cohærentes
ſtinentur, albicantes, Sambucinis ſimiles, è quatuor foliolis fructûs rudimentum complectentibus
ntexti, ex herbido candicantes, qui non omnes ad frugem perveniunt in Europa : in iis verò lo-
quibus propria eſt hæc arbor perveniunt ideóque congeſtæ ejus baccæ confertas uvas æmulantur.
oſculis ſuccedunt *fructus* figuræ ovalis, aut glandium ferè, magnitudine varia. Nam in Hiſpania
ſcentes, quos *Olivas Hiſpanicas* vocant, mediocre Prunum æquant ; Italicæ pleræque & Narbo-
nſes vix mediocrem glandem ſuperant, quamvis eâ ſint habitiores rotundioréſque, primùm virides,
ſtea flavicantes, per maturitatem purpuraſcentes, tandem & nigricantes, quædam etiam ex pur-
reo punicantes, ſed rariús : Sunt & quæ in Hiſpania albæ fiunt (ut annotat Cluſius) ſapore valdè
i & amaro, & neſcio quid acerbitatis & nauſeoſi admixtum habente, etiam in maturis & molli-
, carne primùm dura, maturitate molli ac pingui, oſſiculum lignoſum, oblongum, utrinq; acu-
natum, & in hoc proportionatum nucleum unicum habente. Qui vero in iis continetur ſuccus
guis oleum fit dulce, aquoſus, qui amarus, amurca. Foliorum quoq; ſapor amarus eſt, non ſine
imonia tamen. *Radicibus* nititur (inquit Cordus) partim rectis, partim obliquis, in ſummo cæſpite
ærentibus, materiâ trunci modo ſolidâ.

Luſitanicæ Oleæ (inquit Cluſius) minores Olivas proferunt [ità quoq; Lucenſes quarum Olivæ *Differentiæ.*
d nos laudatiſſimæ, aliæque Italicæ] ſed multum oleï, ejúſque præſtantiſſimi præbentes. Sic
m nonnullæ quæ in Gallia Narbonenſi & Bætica naſcuntur oleæ minorem fructum ferunt, ex quo
olei exprimitur, alteri quod de majoribus Olivis elicitur longè præferendum.

Decerpuntur menſe Novembri, Decembri, Januario & Februario in Granatenſi regno : namque *Tempus.*
ea non matureſcunt. Sternuntur deinde in pavimentis donec rugoſæ fiant : deinde molæ ſuppo-
ntur, & torculari exprimuntur, affuſa fervente aqua ; ità enim oleum reddunt. Nonnulli olivas
ticis decutiunt, quod alii improbant, qui potiùs admotis ſcalis manu legunt, nè ſequentis anni
n decuſſis germinibus præripiant. Vehementer enim laborant Oleæ percuſſæ & detrimentum
iunt. Olivantibus lex antiquiſſima fuit, Oleam nè ſtringito neve verberato. *Plin.*

Immaturas plerumq; condiunt per Hiſpaniam & Galliam Narbonenſem : interdum etiam maturas
nigras : condimenti loco apud nos cum carnibus aſſatis præſertim vervecinis, eſitantur, in aceta-
etiam uſurpantur. Itali menſis ſecundis inferunt, & cum pane edunt. Excitant appetitum,
vent alvum, humentem ventriculum exſiccant & confortant.

Olea Minervæ dicata ſacráque erat, vel quòd Minervæ munus eſſet, vel ut Martianus Capella,
òd artes & diſciplinæ, quarum illa Dea eſt, Oleo ac lucernarum lucubrationibus perdiſcantur.

Olea quoq; veniæ paciſque index erat, proinde veniam pacémq; ſupplicantes Oleæ ramulos ma-
us geſtare ſoliti erant.

Olearum differentiæ deſumptæ ſunt vel à forma, vel à colore, vel à ſucco, vel à magnitudine,
à loci varietate, vel ab inventoribus, quas omnes perſequi infiniti laboris eſſet. Veteres varia
didere genera, quorum nomina ſpeciebus hodie cognitis accommodare perdifficile eſſet : quocirca
iis non immorabimur. Colymbades * Plinius diſtinctum genus feciſſe videtur : aliqui olivas * *Lib.* 15. *c.* 3.
nditas oleo ſuo puras innatantes eſſe volunt, & Halmades, i. e. muriâ conditas ab iis diſtinguunt.
i Halmades & Colymbades confundunt.

Olearum autem tot differentiæ non obſervantur quot Pomorum, Pirorum, Prunorum, vel quia
or naturâ ſuâ minùs apta eſt ex ſemine nata variare ; vel quia agricolarum non interfuit in iis
ndis, colendis & quoquo modo immutandis adeò induſtrios & diligentes ſe præbere. His adde ar-
em ipſam, cùm frigidioris cœli minùs patiens ſit, Gallicis, Germanicis, Anglicis Hortulanis,
in variis fructuum ſpeciebus producendis & procurandis maximè curioſi & occupati ſunt, ſe co-
dam non permittere.

Celebriores olivarum differentiæ à C. Bauhino & Joanne fratre recenſitæ ſunt,
. Olivæ maximæ Hiſpanicæ, prunis mediocribus æquales, & figurâ ſimiles, quæ etſi ſucculentæ
& carne multa, amaritudinem tamen inſignem habent, unde & olei minus reddunt, amurcæ
, ideóque nonnullis minùs probantur, minoréque iis ſapore præferuntur.
. Olivæ minores, Genuenſes, Lucenſes, Provinciales, eædem Luſitanicæ, Narbonenſes & Bæ-
Cluſio. Hæ dulciores ſunt & plus olei fundunt.
Oblongæ, atrovirentes, ad lacum Comenſem natæ, quarum uterq; Bauhinus meminit, quibus
litis nihil ſapidius & ſuavius, quamvis & macræ ſunt, & propemodum reſpectu maximarum Hi-
icarum exſuccæ videantur, addit C. Bauhinus carnem duram eſſe & oſſi firmiter hærere.
Olivæ albæ, quarum & Plinius meminit.
In Hetruria habentur *Matth.* & *Cæſ.*
Minores & rotundiores, plurimum olei habentes, quæ *Olivellæ* vocantur *Cæſ.* quas prægrandes
res Juglandium inſtar ferre ſcribit Matthiolus.

2. Majuſculæ

2. Majuſculæ & oblongæ, oleum parcius ſed dulciſſimum reddentes, quæ nomine à radiis deſumpto Raggiariæ dicuntur *Cæſ.* Has Oleæ minores proferunt, iiſq; in cibo utuntur.

3. Majores & pulpoſiores ad condituras tantùm quæſitæ, quas Regias Cæſalp. vocat. Non videntur differre ab Hiſpanicis maximis: nam Matthiolus eas multo plus amurcæ quàm olei fundere ſcribit.

4. Sunt quædam quarum caro ab oſſe recedit cùm franguntur, virides quæ conditæ gratiſſimæ fiunt, quas Colymbades Cæſalpinus cenſuit.

Varietates Olivarum in Galliâ Narbonenſi cultas recenſet D. *Magnol.* in *Botan. Monſpel.*

1. Oliva major oblonga, anguloſa, amygdali formâ, vulgò *amellau*, ad condituram maximè expetitur, ſuaviſſima enim eſt, & roſæ habet odorem.

2. Oliva media oblonga anguloſa, vulgò *oulivieire*, vulgariſſima iſta eſt.

3. Oliva media oblonga, fructu corni figurâ, vulgò *corniau*, in multis etiam olivetis viſitur, fructum habet oblongum magnitudinis ferè & figuræ corni fructus.

4. Oliva minor oblonga; vulgo *pichouline*, in variis etiam locis iſta reperitur: in cibis multùm expetitur.

5. Oliva major ſubrotunda, vulgo *ampoulau*, inter olivarum ſpecies iſta maxima eſt, & ad condituram præcipuè ſervatur.

6. Oliva media rotunda viridior, vulgo *verdalle*, iſta ſimiliter ad condituram colligitur; cujus ſpecies reperitur, quæ albidior eſt, & vulgo *blancau* dicitur.

7. Oliva media rotunda præcox; vulgo *mourau*, citò matureſcit, & ab arbore cadit.

8. Oliva minor rotunda racemoſa, vulgo *bouteillau*, in racemulos veluti congeſta eſt, unde nomen habuit.

9. Oliva minor rotunda rubro-nigricans, vulgo *ſalierne*, non omnino nigra eſt, ſed rubrum colorem habet commixtum.

10. Oliva minor rotunda, ex rubro & nigro variegata, vulgo *pigau*; aliæ plurimæ variis in locis naſcuntur, ſed iſtæ, tum ad oleum, tum ad condituram meliores cenſentur.

Locus. Olea neq; frigidum, neq; præfervidum cœli ſtatum amat, ideóque trans Alpes & Cebennas montes non invenitur niſi in hortis culta & à frigore munita. Quin & frigidiores hyemes etiam in Provincia & Gallia Narbonenſi eam adurunt. Cùm in Gallia peregrinaremur, Anno 1665. præcedens hyems aſperrima aliquot Olearum millia in Provincia corruperat inæſtimabili incolarum damno, pleræque tamen à radice repullulabant. Modicos clivos amat, quod ventos tepidos ſuſcipiant, olearum autem natura flatus deſiderat. Nos in valle ampliſſima Fuliginenſi in Italia, inque Ternienſis extrema parte, in aſcenſu collium convalles dictas terminantium ampliſſima omnium quæ in Italia vidimus Oliveta obſervavimus prægrandibus arboribus denſa, ubi Februarii initio ruſticos Olivis decutiendis & colligendis occupatiſſimos obſervavimus. Lucos quinetiam Olearum denſiſſimos Gallo-provinciæ & Narbonæ Hiſpaniæque alunt.

Solum Oleis commodiſſimum nonnulli eſſe aiunt cui glarea ſubeſt, aut ſabulum pingue: ſed & denſior terra, ſi uvida ſit & læta, ſatis convenit. Humidior ſanè floridiores & pinguiores olivas producit.

Hanc arborem multi exiſtimant, ultra milliarium ſexageſimum (quadrageſimum Plin.) à mari aut non vivere, aut non eſſe feracem; quòd tamen experientiæ repugnat.

Quercum & Oleam tam pertinaci odio diſſidere aiunt, ut altera in alterius ſcrobe depactæ moriantur. *Plin.* Nobis non videntur veriſimilia quæ feruntur de hujuſmodi antipathiis.

Tempus. Junio menſe magna ex parte omnes Oleæ florent, inquit J. Bauhinus, ſed in Germania & locis Septentrionalibus tardiùs, ubi quamvis diligentiſſimè colantur nihil præter florem producunt. D tempore & modo colligendi ſuperiùs obiter diximus. Optima ætas ad decerpendum inter copiam bonitatémq; incipiente bacca nigreſcere; tunc autem *Drupæ* ſeu Druppæ vocantur.

Olivas etiam decerptas ſed præcipuè excuſſas aquâ calidâ lavare convenit, inquit Autor Γεωπονικῶν Conſtantino Cæſari attributorum.

Olea lentè admodum creſcit, Theophraſto & Virgilio autoribus, ſed quàm diutiſſimè vivit. Plinius firmiſſimas ad vivendum oleas dixit, ut quas durare annis 200. inter autores conveniat. D ſatu & cultura Olearum conſulantur Rei ruſticæ ſcriptores, ſed præcipuè Columella, qui copioſè d his agit: cujus de putandi tempore conſilium an præceptum præterire nequeo. Quinetiam (inquit) pluribus annis interpoſitis olivetum putandum eſt. Nam veteris proverbii meminiſſe convenit, eum qui arat olivetum rogare fructum, qui ſtercorat exorare, qui cædit cogere. Quod tame ſatis erit octavo anno feciſſe, nè fructuarii rami ſubinde amputentur. Cui potiùs obtemperandu exiſtimamus, quàm aliis qui ſingulis annis putare præcipiunt; cùm & Malos obſervaverimus à p tatione aliquandiu laborantes malè affectas & infœcundas fuiſſe. Stipitem Oleæ etiam aridum & vem terræ implantatum & germinare & radices agere Fortunii Liceti experimentum eſt, quo co firmatur illud Virgilii *Truditur è ſicco radix oleagina ligno.* v. Lib. 1. cap. 18. p. 35.

Ex eadem Oliva differunt ſucci: Primum omnium è cruda atq; nondum inchoatæ maturita Omphacinum vocatur. Hoc præſtantiſſimum; Quin & ex eo prima unda præli laudatiſſima, ac d inde per diminutiones. Quanto maturior bacca tanto pinguior ſuccus, minúſque gratus. Opti autem ætas ut jam diximus ad decerpendum inter copiam bonitatémq; incipiente nigreſcere bac Amurcæ color eſt qui Olivam cogit nigreſcere, ideóque incipiente nigritia minimum amurcæ, te eum nihil. *Plin.*

Olivam collectam in tabulatis ſervandi nec priùs quam ſudet premendi, morem improbant C Plinius aliique, cùm omni mora oleum decreſcat amurca augeatur, Addit oleum non tantum m ſed & deterius fieri. *Oleum quidem indè deterius fieri non denegaverim, quòd Oleæ in acervo con ſcant præviâ quadam ad putredinem alteratione, & amurca fortè ſi in bacca remanſerit olei ſaporem rumpat: at verò mora in tabulato oleum minui, amurcam augeri neutiquam conceſſerim, cùm amurca ſit humor & calore facilè evaporet; Oleum autem cùm ſit ſuccus pinguis & tenax, non item; ſed nam caloris vim exigit ut elevetur & aſcendat, aut diſſipetur.*

Quapro

Quapropter (inquiunt) dubitare non debemus, Olivam lectam primo quoque tempore premendam. Ergo ut primùm districta fuerit Oliva, ſubſtratis tegetibus aut pannis expandi debet, quo aquoſitas ex ipſo reſiccetur, & à foliis ac virgultis repurgetur. Hæc enim commiſta olei diuturnitati obſunt. Tum diligenter mundata protinus in torcular deferri, & integra in fiſcinis novis includi, prælóque ſubjici, ut quantum poſſit pauliſper exprimatur. Poſtea reſolutis corticulis emoliri debebunt, adjectis binis ſextariis integri ſalis in ſingulos modios. Quod defluxerit in labrum protinus decapulator depleat, & in fictilia labra, huic uſui præparata defundat. Hoc enim ſuaviſſimum eſt & tenuiſſimum. Nam æneis & plumbeis vitiatur oleum. Longè melioris ſaporis eſt oleum quod minore vi præli quaſi lixivium defluxerit. Nam ſi nuclei confringantur olei ſaporem vitiant. Deterius eſt quod ex reliquis fracibus premitur, ſed paulò graviore pondere. Hoc tortivum non malè dixeris oleum. Sed tertiatione multò deterius oleum exit.

De vitiis olei emendandis conſule R R. ſcriptores.

Olivas condiendi ſoliciti fuerunt Veteres (verba ſunt Cherleri) quanquam revera nihil aliud ſunt quàm palatûs blandimenta. Tam ingenioſus fuit venter ut & amara, nec ab ipſa natura percocta uæ quoq; voluptati placere coegerit. Quid quæſo guſtu horridius Olivâ ſive maturâ, ſive immaturâ, t ſuavitatem invenit ars, quam non potuit natura. Plurimos eas condiendi modos tradiderunt Columella & Palladius, quos apud ipſos requirendos omittimus. Nam nunc dierum unico tantùm, óq; ſimpliciſſimo modo, muriâ ex aceto & ſale paratâ conditæ ad nos ferè adferuntur.

Olivæ quamvis per maturitatem nigræ ſunt, ſapore quoque acri, amaro & nauſeoſo, oleum tamen quod indè exprimitur ferè pellucidum eſt, nonnihil flavicans, ſapore dulci & grato, unde patet aporem hunc & odorem parti aqueæ ſeu amurcæ inhærere. Laudatiſſimum autem apud noſtrates abetur oleum quod coloris omnis & ſaporis maximè expers eſt.

Olivæ maturæ ex Veterum ſententia temperatè calidæ ſunt; verùm facilè corrumpuntur, ventri-ulóq; oculis ac veſicæ nocent; torrefactæ tamen & illitæ nomas ſiſtunt & carbunculos emarginant: nmaturæ exſiccant & aſtringunt. Colymbades adſtringere, ventriculum roborare, appetentiam xcitare dicebantur. Quæ ad nos adferuntur conditæ ſunt antequam maturuerunt, intelligo tamen alos maturas & nigras etiam interdum condire.

Olearum folia refrigerant, exſiccant & aſtringunt, Uſus externus & præcip. in fluxu alvi, men-um, in herpetibus & ſimilibus, Oculi medicamentis (autore Dioſcoride) ob vim ſuam mitiorem onvenientiora ſunt Oleaſtri foliis. Quod intra fructûs nucleum eſt cum adipe & farina ſcabros ngues excutit. Succus fruticis accenſi recentis deſtillans ſanat lichenas, furfures, manantia ulcera. lures foliorum uſus vide apud Plinium.

Oleæ materies præcipuæ commendationis eſt apud operarios pictores, & ſtatuarios, à quibus ad æſtantes operas deſideratur, cum Ebeno, propter denſam & tractabilem ejus ſubſtantiam, & co-rem ſubruffum & varium (quem tamen Aqua forti affusâ inducunt) quem ductus & nervi in-rti referunt. Ad nos allata non menſurâ ſed pondere venditur. Lampadibus, aliíſque uſibus me-anicis inſervit.

Olei uſus adeò multiplex eſt tum in cibo, tum in medicina, ut omnes explicare plus temporis & ei requireret quam inſtituti noſtri operis ratio patitur. De his conſulendus Galenus, tum Dio-orides, Plinius aliíque tum è veteribus, tum è neotericis.

Pollionem Romulum, referente Plinio cùm centeſimum annum excedentem D. Auguſtus hoſpes terrogaret, quânam maximè ratione vigorem illum animi corporíſque cuſtodiret, reſpondiſſe in-ſ mulſo, foris oleo. Cardanus etiam tria præcipuè ad longævitatem facere affirmat, nimirum Lac, el, oleum: intelligit autem non foris inunctum, ſed intro aſſumptum & in cibis uſitatum. Oleum ſalem emere oportere Ariſtoteles autumavit, utique quòd utrumque ad prorogandam vitam quàm axime conduceret.

Oleum naturæ aereæ particeps eſſe videtur, unde aquæ innatat, nec cum humidis aqueis permiſce-r, ſed quamvis ſimul cum illis agitetur ob levitatem ſuam brevi ſe expedit & ſurſum aſcendit. E-ſmodi autem humida [oleoſa & aquea] ſimul agitata, conquaſſata & per minima miſta colorem um contrahunt & lactis ſpeciem exhibent.

Oleum ad uſum per ſanitatem optimum (inquit Dioſcorides) quod ex immaturis Olivis exprimitur, de omphacinum dicitur. Excellit in hoc genere recens, minimè mordax atq; odoratum. Tale unguentorum compoſitionem utile. Quinetiam propter adſtringendi vim ſtomacho accommo-tum. Ore ſi contineatur, gingivas contrahit, dentes firmat, ſudores cohibet. Refrigerat, ſiccat, ringit, adeóque multas compoſitiones ingreditur.

Oleum ex Olivis maturis expreſſum calfacit & humectat moderatè [Vetus calidius eſt recenti] ollit, digerit, vulnerarium eſt, alvum laxat [cum Cereviſia calida aſſumptum ℥j.] ariditatem ctoris corrigit, tormina ventris mitigat, meatus urinarios laxat, eroſos abſtergit & conſolidat. Ex-nſecùs creberrimi uſûs eſt in clyſteribus, tumoribus calidis, &c. Cum aqua tepida aſſumptum mo-t vomitum, unde exhiberi ſolet contra venena.

In patria mea Weſtphalia (inquit Schroderus) uſitatiſſimum eſt vulneratis quotidie exhibere oleum varum cum Cereviſia calida, quo adeò largè utuntur, ut quoq; ſudor oleum redoleat.

Ad alvum laxandam ſegmentum panis toſti oleo intinctum & bene madidum quotidie manè co-edendum commendatur: quod præcipuam ſuavitatis gratiam nobis habere videtur, inquit Cher-us. V. P. Borelli obſervat.

Oleo odores maximè conſervari teſtatur Plinius. Oleum etiam membra recreare eidem dicitur. membra recreans olei liquor. Et ſanè Veteribus uſitatiſſimum erat oleo corpus inungere, quod gorem & robur ei addere exiſtimabant, & tonum conſervare. Verùm hic mos jamdudum obſo-it, nec immeritò noſtrâ ſententiâ, partim quod ejuſmodi inunctio res ſordida nobis videtur, par-n etiam quòd cutis poros obſtruat, & tranſpirationem impediat, quâ nihil ſanitati corporis tuen- utilius magíſq; neceſſarium ſit.

Oleo quidem non Apes tantùm, ſed & omnia inſecta exanimantur. *Plin. l.* 11. *c.* 19. quod Clariſſ. Vir M. Malpighius in Bombyce aliiſq; experiundo verum invenit. Ratio obvia eſt, quia ſcilicet oleum meatus ſpiracula ſive poros quibus aer attrahitur & redditur obſtruit, ob cujus defectum animalculum illico moritur. Nec enim minimis hiſce inſectis reſpiratio minùs neceſſaria eſt ad vitam quàm majoribus animalibus; quin potiùs magis, cùm vaſa in his aeri excipiendo deſtinata majora proportione, plura, magiſq; per omnes corporis partes diſperſa in his ſunt quàm in perfectioribus illis.

Oleum picem è pannis extrahit, quod aqua non facit. *Plin.* Vulgatum eſt (inquit *Sennertus) ut ſiquis manum pice inquinaverit, eam aquâ non mundet, ſed oleo aliquo aut pinguedine quæ picem liquefaciat.

* *Hypom.* 1. *cap.* 5.

Olei ſuprema regio melior eſt, nam ima ab amurca turbatur. Summum verò optimum, quòd remotiſſimum ſit à nociva parte, nec ſua ſpiſſitate ab aere læditur. *Plutarch. Sympoſ.* Idem legitur apud *Macrob. in Saturnal.* qui & vini mediam regionem, mellis imam optimam eſſe ait.

Oleum dealbandi modum vide apud Dioſcoridem: item modum parandi oleum Sicyonium dictum.

Oleum etiam ex olei ſurculis paratum ad multa utile meminerunt Dioſcorides & Galenus; quanquam ille ex oleæ ſurculorum pinguedine illud oleum fieri dicat, hic in oleo illo conficiendo tantùm addi ſolita germina illa ſcribit.

De Amurca quid ſit ſuperiùs diximus. Multiplex ejus uſus deſcribitur à Catone, Varrone, Plinio, Galeno, Columella. Amurcâ ſubigi areas terendis meſſibus, ut formicæ rimæque abſint, & ne Curculio noceat, neve mures lædant. Quin & lutum parietum ac tectoria & pavimenta horreorum frumenti, veſtiarium etiam contra teredines ac noxia animalia amurcâ aſpergi. Commendatur maximè ad ulcera inveterata. Reliqua vide apud autores citatos. Cùm enim rarioris hodie in medicina uſûs ſit, nec à nobis facilè parabilis, non erit operæ pretium plura de ea dicere.

2. *Olea ſylveſtris* Ger. *ſylv. folio duro, ſubtus incano* C. B. *Oleaſter ſive Olea ſylveſtris* J. B. Park.

The wild Olive-tree.

Cùm Oleam ſativam à ſylveſtri culturâ tantùm differri agnoſcant Botanici, & ſativam ſi negligatur in ſylveſtrem abire, & ſylveſtrem ex ſativæ nucleo naſci; ſane Oleaſtrum ab Olea non ſpecie ſed accidentibus tantùm differre ſtatuendum eſt: proinde in ejus deſcriptione non opus eſt ut ſimus prolixi.

J. B. Utut caudicis & ramorum magnitudine Oleæ ſativæ non cedat, horum tamen frequentiâ ſuperatur, adde quòd & ſpinas per ramos poſſidet [quarum tamen Cluſius in deſcriptione Oleæ ſylv. Luſitanicæ non meminit] *Folia* minora, non diſſimili interim figurâ. Ità quoque & *flores* racematim compacti fructum præcedunt, Olivæ ſimilem, ſed minorem, ſtrigoſiorem, ſucco purpureo mordaci præditum. Adde è Cluſio corticem huic quàm ſativæ læviorem eſſe, fructum mucrone recurvo. Tota arbor inſigniter amara eſt.

Caudex Theophraſto peculiaribus quibuſdam cavernulis ut in Olea ſativæ dehiſcit. Gongros hoc malum vocant.

Oleaſtri coronâ Olympiorum victores coronari ſolitos apud Græcos tradit Plinius; & Oleaſtrum Olympiæ ex quo primus Hercules coronatus eſt, ad ſua uſq; tempora durâſſe cuſtoditum religiosè, quemadmodum & Oleam Athenis, quæ traditur edita in certamine à Minerva.

Cæterum Oleaſter æquè argillas & calculos amat ac Oleum, & eiſdem in locis provenit.

De viribus foliorum Oleaſtri multa habent Dioſcorides & Plinius, quæ apud ipſos legi poſſunt: nos non multùm hoc reſpectu differre putamus ab Oleæ ſativæ foliis, niſi quòd in operando efficaciora ſint; nec oleum ab omphacino diſtat, niſi quòd calidius ſit, potentiùs aſtringat & tamen extergat. Hoc in cibos non venit, ſiquis tamen eo quotidie barbam vel capitis capillos inunxerit canitiem morabitur.

Amatus ex Dioſcoride. Quin & defluos capillos inhibet, furfures & capitis ulcera manantia, ſcabiem & lepras extergit.

Elæomeli Plinio & Dioſcoridi, in Syriæ maritimis Plinio, Palmyrenâ Dioſcoridi, ex Oleis manat *Plin.* ex quodam caudice *Dioſc.* pingue, craſſius melle, reſinâ tenuius, ſapore dulci [mellis *Plin.*] non ſine nauſea, alvum ſolvit, bilem præcipuè detrahit, duobus cyathis in hemina aquæ datis. Qui bibêre torpeſcunt, at citra periculum, crebrò tamen ſunt excitandi.

Elæomelitos hiſtoriæ maximam lucem attulerunt Pena & Lobelius in Adv. cùm inquiunt, Oleas Monſpelii in vinetis mel ſive Elæomeli (quod mirum dictu ſed veriſſimum) caudice vulnerato fundere: nimirum ex Olea arbore vulgari perquam amara tota & ingrata, cortice, caudice, fructu nondum ſale condito, emanare vere melleum non ſolùm colore, ſapore, ſed etiam duratione incorruptum ſe expertos affirmant, ſéq; è rimoſis corticibus partim ſcalpello ſauciatis ſatis excepiſſe non modò ad explorandum ſed etiam ad amicis impertiendum. Verùm nonniſi propemodum matura oliva ac nigricante quiſquam reperiet mel iſtud. Lunellæ autem plurimùm exſtillabat, præſertim ſectis majoribus truncis, è quibus initio melle liquidior latex glutinoſus effluebat, poſtea inibi reſidens aliquandiu, frigore denſior evadebat, atque non tam Mel quàm Mannam præ ſe ferebat, ſpecie, guſtu, ſapore, concretione, omnium judicio qui deguſtârant. Hæc & plura Lobelius, quem adi.

Olea Æthiopica Strabonis, Dioſc. quæ lachrymam fundit Scammoneæ ſimilem [Paulus lachrymam non Scammonio ſed guttæ Ammoniacæ aſſimilavit] quam Cæſalpinus gummi *Elemi* eſſe ſuſpicatur, quænam arbor ſit, & an diverſa ab Olea vulgari nos latet. Cæterùm lacrymam illam ad oculorum cicatrices albugineſque & viſûs hebetudinem illitum facere, urinam & menſes ciere, eroſorum dentium cavis inditam eorum dolores lenire, partus pellere, impetiginibus ac lepræ medendi autor eſt Dioſcorides. In medicamenta quoq; exitiali vi prædita refertur.

Olea Ariſtotelis Calliſtephanos cujus propaginis frondibus Olympiorum victores coronabantur ſi
odò folia ejus formâ reliquis oleis contrariâ, ſupinam non pronam partem habebant viridio-
em, quod tamen præter eum nemo prodidit, monſtroſa potiùs varietas, quàm nova Oleæ ſpecies
idetur.

Elæoſtaphylos etiam Geoponi*κῶ*n Autoris Oleam uvámq; exactè reſipiens ejuſdem farinæ eſſe vi-
etur: nec tamen putaverim hujuſmodi fructum produci eo inſitionis genere quam ablactationem
ocant, nec alio quovis vulgari, ut ille vult.

Viſcum baccis rubris & purpuraſcentibus in oleis naſci obſervarunt Bellonius & Cluſius, quod eas
eriles reddit, unde Olivetorum Domini ramos integros & maximam partem cædere coguntur, nè
itium latius ſerpat.

3. *Jambolones Garciæ* C. B. *Jambolonis Indica folio Arbuti* J. B. *Jamboloins* Park.

Frutex eſt Myrti effigie, cortice ejuſdem ferè coloris cum Lentiſci cortice; foliis Arbuti, ſed
Myrti virentis foliorum ſapore. Fert is fructum majoribus Olivis [Cordubenſibus] ſimilem, ſed
ſtu admodum adſtringentem, & fauces contrahentem. Muriâ conditur Olivarum modo.
Nullum uſum in medicina obtinet, ſed editur cum Oriza coctus, nam appetentiam excitat; non *Vſus.*
men admodum ſalubris æſtimatur.

4. *Olea Malabarica Nimbo dicta, fructu racemoſo oblongo.*

* *Aria-Bepou ſeu Nimbo Acoſtæ* H. M. *P.* 4. *T.* 52. *p.* 107. *Arbor Indica Fraxino ſimilis, Oleæ fructu* C. B. *Nimbo folio & fructu Oleæ* J. B. *t.* 1. *l.* 6. *c.* 8. *Azederach floribus albis ſemper virens* Herman.

Arbor eſt procera, caudice craſſo, ex albo flaveſcente, cortice cincto nigricante; necnon ramulis
is, ceu frondibus umbroſis in latum diffuſis, ornato. *Radix* craſſa, albicans, atro-purpureo cortice
ta, graveolens, amara. *Folia* numeroſa circa teneriores ramulos proveniunt, oblongo-rotunda,
minata, in ambitu profundè ſerrata, tenuia, glabra, nitentia, graveolentia, amara; nervis ali-
ot è media coſta infernè altè extuberante, & folium per longitudinem medium inæqualiter ſe-
nte, in latera excurrentibus. *Flores* petiolis oblongis racematim proveniunt, exigui, candidi, in-
ori, calycíque exiguo, viridi, in quinq; lacinias acuminatas ſecto inhærent, quinque teretibus
iolis conſtantes, medium occupante calyce fimbriato, exiguo, ſubflavo, *ſtaminula* decem conti-
nte, necnon longum tenuémq; *ſtylum*, extremas calycis oras quodammodo ſuperantem, haud ſe-
ac in Narciſſo juncifolio obſervare eſt. *Fructus* ſimiliter racematim proveniunt, oblongo rotundi,
ivis minoribus formâ haud abſimiles, primùm flaveſcentes, dein purpuraſcentes, tenui pelliculâ
cti, carnéq; oleoſa, acri ac amarâ intus referti, intra quam officulum locatur oblongum, nucleum
ludens albicantem.

Creſcit locis arenoſis circa *Trevancoor*, necnon in *Tutucoryn*, *Jaſſanapatuam*, aliiſque inſulæ *Zeilan* *Locus.*
cis. Semper viret. Quotannis floret & fructum dat.

E fructibus Oleum exprimitur, è quo pictores colores conficiunt pannis goſſypinis pingendis. *Vires & Vſus.*
E foliis in aqua coctis balneum paratur, variolis expellendis, & articulorum doloribus mitigandis
ile.

Ex iiſdem foliis ſiccatis, pulveriſatis, & cum Oleo è fructibus expreſſo mixtis unguentum confici-
r, quod partibus dolentibus, convulſis & ſpaſmo affectis utiliter inungitur: & vulnera, puncturas &
ntractiones nervorum curat.

Foliorum ſuccus ſive per os ſumptus ſolus, aut cum vino, aut aqua, aut gallinæ juſculo mixtus, ſive
nbilico impoſitus aut ſolus, aut cum fellis bubuli, aceti aut Aloes tantillo, ad omnis generis lum-
icos expellendos perutilis eſt. Quamobrem familiare admodum & perquam ſalubre eſt medica-
entum omnibus Malabar incolis, quoniam lumbricis valdè ſunt obnoxii.

Garcias & Acoſta Nimbo arborem Fraxino comparant tum magnitudine, tum ſpecie externa pro-
l intuentibus, quamvis folia Fraxineis diſſimilia ſint.

5. *Olea Malabarica Nimbo dicta, fructu racemoſo rotundo.*

Karibepou ſeu Nimbo altera H. M. *P.* 4. *T.* 53. *p.* 109.

H. M.

Arbor eſt præcelſa & ſpecioſa plurimùm, caudice præcraſſo, albicante, cortice obducto nigri-
nte, graveolente, amaro; necnon plurimis donato ramulis rubicundis ac lanuginoſis. *Radix*
bicans, atro-purpureo cortice tecta. *Folia* Aria-bepou foliis haud abſimilia, at minora, odoris in-
ati & ſulphurei, ſaporis acido-amari. *Flores* haud ſecus ac illius flores racematim proveniunt, exi-
i, candidi, graveolentes, calycíque exiguo, ruſo, in quinque lacinias acuminatas ſecto inhæren-
s, quinque foliolis acuminatis compoſiti: Foliola hæc intercedunt decem *ſtaminula* candida, rufis
icibus ornata, medium occupante *ſtylo* tenui, albicante, capitulo viridi. *Fructus* Aria-bepou fru-
bus ſimiles, at rotundi & intenſiore purpurâ tincti.

Provenit pluribus locis in Malabar, præſertim circa *Angiecaymaal*: Semper viret: quotannis bis *Locus.*
ret & fructum edit.

E fructibus hiſce oleum exprimitur. Ex arboris foliis tenerioribus in lacte dulci coctis & contu- *Vires.*
cataplaſma conficitur, quod ſerpentium aliorúmq; venenatorum animalium morſibus medetur, ſi
ectæ parti applicetur. Ex iiſdem cum *Aria-bepou* foliis in aqua coctis Apozema paratur, febribus
ſtilentialibus aliiſq; morbis malignis perquam utile. Radix quoquo modo ſumpta alvum movet.

6. *Olea ſylveſtris Malabarica, fructu dulci. Perin-kara* H. M. P. 4. T. 24. p. 51.

H. M.

Arbor eſt vaſtæ magnitudinis, caudice craſſo, cortice craſſo, cinereo, intus purpureo, cincto; necnon ramulis viridi-fuſcis, plurimíſque virgulis pullulantibus donato; lignum albicans, denſum, fibroſum. *Radix* itidem albicans, rubicundo obducta cortice, qui cuticula nigricante inſuper tectus eſt: ſapor ſubamarus, odor terreſtris. *Folia*, quæ primo exortu rufa ac plicata circa ramulos teneriores proveniunt, ubi excreverunt oblongo-rotunda ſunt, acuminata, in ambitu crenata, denſa, glabra, atro-viridia, ſplendentia: ſapor acidus primùm, dein amarus. *Flores* ſuave-olentes, candidi, extremis ſurculis inter folia proveniunt, *caulibus* nimirum ſpithamam longis, quibus brevibus petiolis adhærent, quinque oblongis, ac in plurima tenuia filamenta, comæ inſtar, circa extremitates diviſis foliolis conſtantes, atq; calyci viridi in quinq; lacinias acuminatas ſecto inhærentes; rufis aliquot *ſtaminulis* erectis mediam floris cavitatem occupantibus, inter quæ *ſtylus* prominet viridi-albicans, cujus baſis globulus exiguus, croceus. *Fructus* pari fertilitate floribus ſuccedunt, cùm formâ, tum ſubſtantiâ & magnitudine olivis majoribus ſimiles, ſimilem quoq; continentes nucleum: Maturi cœruleo-purpurei, acido-dulces, gratíque ſaporis, immaturi verò flaveſcentes, auſteri, ſubamari.

Locus & Tempus. Provenit in *Mangatti* aliíſque provinciis Malabar; quotannis bis floret fructúſque fert, Martio viz. & Octobri menſibus, diúque ſuperſtes manet.

Vſus. Cæterùm fructus hi in deliciis comeduntur, necnon ſaccharo condiuntur, ac utì Olivæ in muria & aceto ſervantur pro *Achaar*, iíque cum cibis inter prandendum & cœnandum comeſti ventriculum roborant, ac alimentorum in eo fermentationem potenter juvant.

7. *Icicariba Braſilienſibus* Marcgr. *Arbor Braſilienſis gummi Elemi ſimile fundens foliis*, pinnatis, *floſculis verticillatis, fructu Olivæ figurâ & magnitudine.*

Marcgr.

Arbor eſt alta, caudice haud ità craſſo, cortice glabro, ac griſeo. Creſcit ferè ad modum Fagi. *Folia* fert in ramulis duo ſemper ſibi oppoſita, & tertium ſolitarium in fine: [rectiùs folia pinnata dixeris, è binis, interdum ternis, pinnarum conjugationibus compoſita, cùm impari foliolo in extremo] pyri foliis ſimilia,, tres digitos longa, anteriùs acuminata, inſtar pergameni craſſa, lætè viridia, ſplendentia, nervo ſecundùm longitudinem, & venis oblique diſcurrentibus. Ad foliorum exortum proveniunt copioſi *floſculi*; racematim ſeu verticillatim congeſti, planè parvuli, quatuor foliolis viridibus conſtantes, ſtellatæ figurâ. Foliola autem illa viridia in ambitu albâ lineolâ ſunt circundata, & in medio floris ſunt aliquot *ſtaminula* flaveſcentia. Poſt florem ſequitur *fructus*, magnitudine & figurâ Olivæ, colore Mali granati, habens intùs pulpam odoriferam, uti eſt & lachryma arboris. Cortex quippe vulneratus una nocte reſinam fundit odoratiſſimam, odore Anethi recentis contuſi, quæ poſtridie colligi poteſt: conſiſtentiam habet Mannæ, colorem ex viridi pallidè flaveſcentem; ac commodè tractari manibus poteſt. Inſignis eſt ad vulnera capitis, & ad omnia ad quæ gummi *Elemi* uſurpatur.

Corticem exteriorem non inciſam ſi manu mulceas paulులum, inſignem mox ſpargit odorem.

Locus. In annoſis & effœtis nemoribus reperitur.

Vſus. G. Piſo hujus gummi *Elemi* planè ſimile eſſe ait; quod tamen noſtro Officinarum, utpote recentius, odore & qualitate efficacius. In omni topico, ſive ſimplex ſit, ſive compoſitum, ad vulnera aperta, & ad interiora mala adeò expetitum, ut vix ulli unquam emplaſtro ſtomachali vel cerato adeò ſum fiſus inquit quàm huic. Viſcera enim roborare, flatus diſſipare & doloribus feliciter mederi aliquoties ſum expertus.

* 8. *Azedaraeth arbor Fraxini folio, flore cæruleo* C. B. *Azadaracheni arbor* J. B. *Azadarach Avicennæ* Park. *Zizypha alba* Ger. **The Bead-tree.**

J. B.

Juſtæ magnitudinis eſt arbor, cortice in novellis lævi, in adultioribus ſcabro & rimoſo. *Folia* Fraxini ferè, ſerrata, cubito longiora, è foliolis multis ſibi mutuo reſpondentibus, ad coſtam unam ramoſam adhærentibus conſtantia, ſaturè viridibus & nigricantibus, & ſub hyemem cum ſuis pediculis decidentibus. [Cluſ. Barbæ caprinæ foliis comparat] *Flores* è longo pediculo dodrante majore, in ramuſculorum extremis ad exortum foliorum copioſi, racematim cohærentes, parvi, odorati, ſapore nullo, ex quinq; foliolis expanſis conſtantes, in quorum medio veluti calyx longiuſculus, ex purpureo nigricans, in quo ſtamina. Floribus ſuccedunt baccæ multæ, luteæ, magnæ, amaræ cum dulcedine quadam, initio virides, maturitate candicantes, magnitudine Meſpili Aroniæ, fœtidæ, ingrati ſaporís, in quibus nuclei duri, eleganter anguloſi, nunc pentagoni, nunc hexagoni medullam continent albam, valdè ingratam.

De loco natali hujus arboris, ubi ſci. ſponte proveniat nihil certi traditum invenio. In hortis tamen & viridariis Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, atque etiam Angliæ frequens colitur.

Vires quæ huic arbori (ſi modò Azedaraeth ſit) ab Avicenna tribuuntur, vide apud J. B. Sed quicquid Avicenna tradit (inquit ille) nolimus hercle tam venenatâ plantâ internè uti, quandoquidem non deſint infinitæ propemodum aliæ ad ejuſmodi vitia utiles. Meritò ſuadet Matthiolus u omnes caveant, qui hanc arborem in viridariis alunt, nè fortè imprudenter ſeipſos, aut liberos, vel domeſticos in perniciem agant. Nam & Rauwolfius teſtatur fructus admodum noxios eſſe, eorúmq; eſu canes mori, eóſque obſervat Cluſius tota hyeme in arbore durare nullis deguſtantibus avibus.

Ex nucleis precatorios globulos Monachi conficiunt, ad preces dinumerandas, hinc Arbor de *Patre noſtro* Italis, Arbor Sancta Gallis, noſtratibus **Bead-tree** dicitur.

Cap. XII.

Prunifera Malabarica fructu racemoſo parvo, acri, ſucco tinctorio Katou-Tſjeroe ſeu Cheru H. M. P. 4. T. 9. p. 19.

H. M.

PRæcelſa eſt arbor & ſpecioſa plurimùm, *caudice* craſſo, multiſque ramis longè latéque diſperſis, ac cinereo cortice tectis ornato, ramulis tamen tenerioribus viridibus. *Lignum* albicans, denſum, furvo ac lanuginoſo cortice munitum, iſque vulneratus lachrymam fundit rubicundam, glutinoſam, graveolentem, acerrimam ac urentem, quæ radiis Solaribus tandem nigreſcit. *Radix* albicans, furvo cortice tecta, inodora, ſaporis unctuoſi, necnon acris & urentis. *Folia* inordinatim circa ramulos proveniunt, ſpithamam circiter longa, & pollicem aut ſeſquipollicem lata, ſupernè colore atro-viridi nitentia, ſubtus dilutiora. Coſta media utrinq; altè extuberat. Sapor cris & urens, ſuccúmq; continent rubicundum, itidem acrem & urentem, cutémq; exulcerantem uti Ranunculus. *Flores* è ramulorum extremis racematim profert, petiolis oblongis, viridibus & hirſu- is, candore inſignes, teneros, ſuaveolentes, qui tamen odor in ſingularibus vix percipitur, ſaporis cris ac urentis, è quinq; petalis acuminatis, lanuginoſis, & in orbem expanſis compoſitos, in quo- um medio fibræ albæ rubicundis & nigricantibus *apicibus* ornatæ, quarum nonnullæ inter foliola xpanſæ, nonnullæ verò erectæ cernuntur. Floſculis pari fertilitate ſuccedunt *fructus* parvi, ex ro- undo oblongi, uvis cœruleis majoribus, quæ Græcis Βὑμασοι dicuntur, cùm formâ, tum magnitu- ine perquam ſimiles, primùm virides, paulò ante maturitatem glauci & lanuginoſi, tandem ma- reſcentes atro-cœrulei & glabri, intúſque carne ſubfuſca, ſucculentâ, necnon glutinosâ, acri ac rente referti; intra quam oſſiculum locatur oblongum, nucleum continens albicantem, unctuoſum, mariuſculum & ſubacrem, formâ Avellanæ haud abſimilem.

Datur hujus arboris varietas fructu rotundo, nigricante, cætera ſimilis.

Naſcitur ubique in Malabar, locis tum ſylveſtribus, tum montanis, necnon in fluminum ripis: rpetuò frondet, floret aut fructus fert, manétque ſuperſtes ad 200. non raro annum. Colitur erunq; in agris ubi Oryza aut frumentum provenit, ad aviculas deleteriâ ejus qualitate pellendas. **Locus.**

Cæterùm ex ligno naviculæ fiunt minores, Indigenis *Manſjous* dictæ.

Uſus & Vires. Lachrymâ è cortice, necnon fructuum ſucco acri & glutinoſo, admixta calce, pictores utuntur ad na goſſipina variis figuris indelebili colore pingenda. Fructuum decoctio in lacte dulci pota Sca- ei, lepræ, capitis dolori è cauſa frigida, vertigini, colicis cruciatibus, aliiſque affectibus è viſcidis, uitoſis & flatulentis humoribus natis conducit. Succus è fructibus & arboris cortice expreſſus, dentibus admotus odontalgiam ſanat; necnon tumoribus frigidis applicatus cutem erodendo ac ſiculas excitando, eos aperit.

Reperiuntur inter Indos quibus arbor hæc noxium eſt venenum, atq; ex levi ejus attactu totum rpus mirum in modum intumeſcit; quod ſymptoma lacte, butyro, aut oleo aſſumpto protinus mi- atur.

CAP. XIII.

Prunus Indica racemoſa, fructu pyriformi. Tani H. M. P. 4. T. 10. p. 23.

H. M.

ARbor eſt procera, *caudice* craſſo, ramis glabris, viridi-cinereis, hinc indè in orbem diffuſis donato. Lignum ex albo flaveſcens, cortice craſſo, glabro, cinereo, intus croceo tectum, cujus matrix dura, è rufo ſtriata. *Radix* albicans, furvo cortice cincta, inodora, inſipida, non fibris ſuis longè latéque per terram diffuſa. *Folia* juxta ramulos extremos rotundis, viridi- ntibus ac oblongis petiolis, plura ſimul juncta proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, denſa, ra, longitudine ſpithamam, latitudine palmum facilè ſuperantia, ſupernè obſcuro virore ſplen- tia, ſubtus dilutiora: odor nullus, ſapor ſylveſtris. *Flores* itidem extremis ſurculis inter folia veniunt, in pediculis communibus ſpithamam longis, quibus racematim adhærent exigui, ſuave- tes, inſipidi, quinq; oblongo-rotundis è viridi albicantibus foliolis vix apertis conſtantes, adeò gemmis non minùs quàm floribus aſſimilari queant; decem ex albo flaveſcentibus *ſtaminulis*, *ibus* ornatis, mediam floris cavitatem occupantibus. Floſculis pari fertilitate *fructus* ſuccedunt, formes, Prunis majoribus magnitudine haud abſimiles, cortice tenui, undique carni adhærente, ro, nitente ac rubicundo cincti, carne viridi, ſucculenta, inſipida, intus referti; intra quam oſ- um locatur oblongo-rotundum, nucleum continens candidum, grati ſaporis, ac Nuci Avellanæ abſimilem.

reſcit locis arenoſis in *Padinjate*, *Bardelle*, aliiſque provinciis Malabar; ſemper frondet, floret, úſque fert, atq; non raro duo frugifera manet ſecula. **Locus.**

Uſus & Vires. ujus lignum operi fabrili accommodum, ex eóque ingentes ciſtæ & naves fabricantur: necnon rboribus excavatis Naviculas Indi conficiunt, quas *Manſjous* appellant.

uctuum nuclei in eduliis ſunt, iique in pulverem redacti endemiæ illi Cachexiæ (quæ *Pitao* anis appellatur) medentur, atq; oculorum vitia emendant: Adhæc expreſſum ex iiſdem oleum los firmat capiti inunctum. Arboris cortex Antidotum habetur noxio veneno, quod ex arbore *Tſjerou*, ejúſve fructibus quocunq; modo contrahitur; iſque minutiſſimè contritus, addito *Aſæ* æ pauxillo tunc exhibetur. Inſuper corticis hujus & radicis ſuccus, cum Oryza & lacte deco- & exhibitus colicum dolorem lenit.

CAP. XIV.

* P. 4. T. 19. p. 43. **1.** *Prunifera fructu racemoſo parvo, nucleo ſaponario. Poerinſii* * H.M. *Arbor ſaponaria. Noſtratibus* **The Soap-tree.**

H. M.

Arbor eſt procera, caudice admodum craſſo, multíſque ramis in orbem diffuſis donato; qui cortice atro-purpureo, intus viridi obducti, ac medulla intus fungosâ & albicante referti ſunt. Lignum flaveſcens, prædurum, cortice phœniceo, intus rufo cinctum, inodorum, inſipidum. *Radix* flaveſcens, albicante cortice tecta, necnon fibris ſuis longè latéque per terram diffuſa; ſapor ſubdulcis. *Folia* bina & bina ſibi invicem oppoſita tenerioribus ſurculis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, denſa, ſeptem uncias longa, tres quatuórve lata, atro-viridia, ſupernè ſplendentia, infernè nequaquam: odor ſuavis, ſapor ſubdulcis. *Floſculi* in racemum oblongum digeſti, extremis ramulis conveniunt, ſtellati, Sambuci floribus formâ haud abſimiles, quinq; tenuibus, oblongo-teretibus, è rufo viridibus, nitentibus, intus candidis & lanuginoſis foliolis conſtantes, *ſtaminulis* aliquot albicantibus, aureis *apicibus* dotatis, mediam floſculi cavitatem & umbilicum occupantibus; inter quæ *ſtylus* prodit flaveſcens, exiguus, ipſius fructûs rudimentum. At verò exiguorum gemmulæ vix quatuor menſium ſpatio in floſculos ſeſe expandunt, ſúntque rotundæ ac virides, necnon *calyci* viridi in quinque ſubrotunda foliola diviſo inhærent: odor nullus, ſapor ſubaſtringens. *Fructus* pariter racematim frequentes ſuccreſcunt oblongo-rotundi, duo plerunq; tréſve arctiſſimè ſimul juncti, virides primùm ac lanuginoſi, maturiores verò ſubflaveſcentes & rufi, at ſiccati duri, rugoſi & fuſci. Teneriores autem hujuſmodi fructus carne intus albicante, molli, ac viſcosâ referti, quæ tandem mutatur in nucem rotundam & fuſcam, Nucleum intus continentem exiguum, candidum, durum, acrem, inodorum.

Locus. Creſcit variis in ſylvis Malabar; perpetuò viret, quotannis maturos exhibet fructus, atque à decimo ſationis anno ad centeſimum non raró frugifera eſt.

Uſus & Vires. Ex arboris hujus ligno citharæ & pectines fiunt. Fructus pannis lavandis & abſtergendis inſervit, ſaponis vice; & aqua ejus lixivialis ad vaſa argentea decoquenda & depuranda. Ejuſdem aquæ ſpuma temporibus illita cephalalgiam, necnon febrem tollere dicitur.

Fructuum in aqua communi infuſio aut decoctio ſpumeſcens, ſi exhibeatur, colicos cruciatus mitigat, necnon variis modis ad alios affectus intrinſecùs & extrinſecùs uſurpatur.

E foliis in aqua communi decoctis balneum fit antarthriticum. Ex iis pariter & recenti Zinzibere ac Cumini ſemine in aqua communi decoctio fit ventris tormina ſedans, flatúſque diſcutiens.

Radix cum Oryzæ infuſo trita & exhibita paralyſi, necnon ſævis articulorum doloribus medetur.

Arbor ſaponaria Americana.

2. *Quity Braſilienſibus* Piſo Marcgr. *Nuculæ ſaponariæ non edules* C. B. *Saponariæ ſphærulæ arboris filicifoliæ* J. B. *Fr. exoticus* 16. *cap.* 16. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ.

Marcgrav.

Pumila eſt arbor, cortice cinereo ut Fraxinus, ligno molli & fragili, ramis contortis inſtar Ruſci. *Folia* lætè viridia, oblonga, non ſerrata, ſplendentia, quatuor, quinq; aut ſex digitos longa, oppoſita, vel ſolitariè poſita, nam inordinatè ponuntur. *Floribus* eſt exiguis. In ſingularibus ramulis multos fert *fructus*; quilibet proprio pediculo inſidet, duplicem rotundam eminentiam habens inſtar natium aut mammarum, magnitudine globuli luſorii aut majore, rotundus, flavus, inſtar ceræ ſplendens & tranſplendens, ità ut globulus niger qui intus latet videri poſſit, qui fructu commoto ſtrepitum edit, nam ampla eſt cavitas: caro circumjecta haud craſſa, cuticulâ tecta, lenta & glutinoſa, ſaponis vicem explens, eodem enim modo ſpumam excitat: amariſſimi ſaporis, nec ab ulla ave guſtatur; ideò & creber ejus uſus veſtimentis nocet. Globulus in fructu contentus niger, duriſſimus, rotundus, magnitudine Ceraſi, ac in eo nucleus albus, pelliculâ rufâ inſtar Avellanæ tectus, figuram capitis Pſittaci cum ſuo roſtro habens, ſponte diviſibilis.

Uſus. Ex his perforatis ſphærulæ fiunt precatoriæ, Ebeno præſtantiores & leviores.

Tempus. Fructus menſe Octobri matureſcit.

Nux purgatrix ſimilis ſphærulæ ſaponariæ fuſca J. B. *Fr.* 16. *cap.* 16. *lib.* 2. Cluſ. exot.

Cluſ.

Non valdè diſſimilis erat oſſiculo ſuperioris fructûs, qui Nucis purgatricis appellatione mittebatur (inquit Cluſius) Etenim orbicularem, ut ille habebat formam & eandem magnitudinem; hujus tamen color non adeò niger, ſed fuſcus potiùs, in quo apparebant ſubflaveſcentes quædam venæ. Alio autem fructu comprehenſum fuiſſe, & nucleum duntaxat alicujus fructûs eſſe apparebat: nam ſectus verſicolore ſubſtantia conſtare deprehendebatur, magnis maculis albis fuſcæ ſubſtantiæ & ſatis mollis (ut quæ cultello ſine difficultate incidi poſſet) permixtis.

Cap. XV.

Ceraſus ſylveſtris amara, Mahaleb putata J. B. *Ceraſus XV, ſive Ceraſo affinis* C. B. *Macaleb Geſneri* Ger. *Machaleb Germanicum* Park. *qui C. Bauhinum reprehendit, quòd confundat Machaleb Matthioli & Geſneri.* **Rock Cherry.**

J. B.

ARbor eſt Ceraſo ſatis ſimilis, ramoſa & ſurculoſa, caudice, teſte Dal. plerunq; intorto, cortice rimoſo, ſcabro, ſubcinereo, ramorum verò cortice ex cœruleo nigricante, lævi, colore oculis non ingrato; radicibus craſſis, multis, brachiatis. *Folia* Betulaceis ſimilia aut Populi nigræ, minora, paulò minùs lata quàm longa, concinnè in ambitu crenata, Pruni ſylv. lætiùs & pallidiùs virentia, venoſa. *Flores* odoris grati, pentapetali, crebris ſtaminibus medium occupantibus, ſeu filis intus candidis, apice rubro coronatis, Ceraſorum floribus ſimiles, albi, minores, pediculis brevibus, vix uncialibus, pluribus ab uno pediculo longiore & ramoſo propagatis: quibus ſuccedit parvus *fructus*, effigie Ceraſi, rotundus, niger, amaricans, tincturâ ſuâ manus inficiens, oſſiculo Ceraſi, & nucleo amaricante, ejuſdémque ſaporis cum Ceraſi nucleis. Baccæ (inquit Dal.) ſucco plenæ purpureo, qui expreſſus lintea coriáque munda & candida floridiſſimâ purpurâ tingit, colore nec fugaci, nec caduco, ſed diutiſſimè permanente.

In petroſis montium & collium locis naſcitur, non infrequens per Pannoniam, Helvetiam, Galliam & Germaniam: Unde Geſnerus Chamæceraſum petræam aut Petroceraſum denominandam putavit. Nos in ſepibus propè Gratianopolin, quà itur ad maximum Carthuſianorum cœnobium, obſervavimus. *Locus.*

Parkinſonus Machaleb Syriacum à Germanico ſeparat, & C. Bauhinum reprehendit quòd ea miſceat. Verùm Dalechampius Arbuſculam quæ Arabibus Machaleb dicitur; & ex Syria advehitur ubique circa Lugdunum per ſepes naſci aſſerit, ſed arbore humiliore, fructu minùs habito, nucleo & ſemine tenuiore & graciliore, folio rotundiore, flore albo, &c. Bellonium ſibi retuliſſe, ſeminibus ejus, quæ odorata ſunt, uti Lugduni illos qui Chirothecas odoribus imbuunt. Unde conſtat Bellonium, cui Machaleb Syriacum optimè cognitum fuit, à Germanico circa Lugdunum naſcente non diverſum exiſtimâſſe.

Baccis maturis Turdi, Merulæ, aliæque aviculæ avidiſſimè veſcuntur. Nuclei hujus fructûs calfaciunt, emolliunt, ſaponarios globulos ingrediuntur, piloſque horridiores & duriores emolliunt & attenuant affrictu crebro. *Matth.* quàm rectè conſiderandum. *Vires.*

An Theophraſti Λακάρη ſeu Lacara ſit, ut vertit Gaza, An Plinii Vaccinium, ut nonnulli exiſtimant, omnino incertum eſt, neq; ex eorum verbis utrumlibet colligi aut concludi poteſt.

CAP. XVI.

A. *Ceraſus avium nigra & racemoſa* Ger. *racemoſa fructu non eduli* C. B. *Ceraſus racemoſa quibuſdam, alìis Padus* J. B. *Cer. avium racemoſa* Park. **The wild Cluſter-Cherry, or Birds Cherry.**

CAudice, ramis, cortice, crenatíſque *foliis* ad Ceraſum quàm proximè accedit: verùm folia matureſcente fructu, aut eo maturo, infra redduntur candidiora, ſupra aliquanto nigriora, ut longiùs à Ceraſi foliis abeſſe videri poſſint. *Flores* autem privato ſurculo palmum longo, racematim cohærent, ut in Laburno, Ceraſorum floribus ſimiles, nonnihil odorati, candidi, pentapetali, apicibus luteis, pediculo ſemunciali. *Fructus* nigri, dulces, non tamen admodum grati, oſſiculo duro oblongo, ſcabro nucleum continente. Dalech. ſcribit flores ſuaviſſimè redolere, nec minùs olfacienti gratos quàm Mali Citriæ flores: Fructum guſtanti acerbum, Meſpilaceíque ſaporis, grave quiddam cùm manditur naribus afflantem. Id ei admirationem parere: raró quippe accidere ſolere, ut ſuaviſſimi floris odorem fructuum moleſtus fœtor excipiat.

In Weſtmorlandia & montoſa Comitatûs Eboracenſis parte, inq; Derbiæ ſylvis montoſis inveniuntur; In montibus Baſileæ vicinis, inque Lotharingicis, item circa Genevam & Lugdunum provenit. *Locus.*

Semina Germani commendant ad epilepſias puerorum appenſa collo. *Schwenchf.* Fructus cibus aviculis gratus, quo & pueri delectantur, verùm guſtui ingrati ſunt, & facilè nauſeam movent. *Vires.*

Cap. XVII.

Lauro-ceraſus Ger. J. B. Cluſ. *Ceraſus folio Laurino* C. B. *Ceraſus Trapezuntina, ſive Lauro-ceraſus* Park. **The Cherry-Bay, commonly called the Laurel.**

J. B.

PEramœna eſt arbor Lauro-ceraſus, frondis æternæ, Citriorum folia æquantis, palmaris aut ſeſquipalmaris, duorum triúmve digitorum latitudine, obiter per margines crenatæ, hilari virore micantis, lævis, pinguiuſculæ, cujus medium percurrit nervus craſſiuſculus, averſa parte tior, unde ſine ordine in oras excurrunt venæ haud ità multæ: ſapor ſubamarus, aſtringens, ſitus ramulis alternus. Ramulorum cortex viridis eſt, lignum internè album. [Oblongas in ſummis vetuſtis ramis fert haſtulas inter ſuperioris anni folia, digitalis longitudinis, craſſiuſculas, in quibus brevi pediculo numeroſi, & racemi in modum conferti naſcuntur *flores*, candidi, pentapetali, multis in umbilici ambitu ſtaminulis præditi, odoris tamen expertes *Cluſ.*] Succedit *fructus*, gratus, dulcis, Ceraſo paulò major, ſublongus, ex cœruleo rubeſcens. Sub pulpa, non ſemina bina aut terna plana (ut in fructu Conſtantinopoli ad Cluſium miſſo) plurimùm accedentia ad Loti Africanæ ſemina, ſed oſſiculum unicum Ceraſi oſſiculo ſimile, longius tamen, ſapore amaro, ad Ceraſi nucleos accedente, neq; ſimile quicquam habet cum Guiacana vulgo dicta.

Locus. A Trapezunte primùm Conſtantinopolin allata dicitur; indè in Italiam, Galliam, Germaniam, Angliam, ubi frequentiſſima habetur in hortis & viridariis, feliciterq; adoleſcit, floret, fructumque perficit: eſt enim frigoris patientiſſima, & hyemes noſtras etiam expoſita contemnit. Facilè comprehendit, citiſſimè creſcit & in arborem juſtæ magnitudinis brevi evadit: operibus topiariis minùs commoda ob ramos ſubitò craſſeſcentes & lignoſos, nec foliis tectos ſed nudos in conſpectum venientes.

Ego cum J. Bauhino exiſtimo Cluſium duos fructus confudiſſe, nempe Lauro-ceraſi cum Guiacana. Nec enim mihi veriſimile videtur unam eandémque arborem fructus tantopere differentes proferre.

De viribus hujus arboris ejúſve fructuum in medicina nihil traditum invenio.

CAP. XVIII.

Capollin Mexicanorum Hernandez *ſeu Ceraſus dulcis Indica.*

Hernand.

ARbor eſt mediocris magnitudinis, *foliis* Amygdali aut Ceraſi noſtratis, minutim ſerratis, *floribus* racematim dependentibus; ex quibus acini fiunt Ceraſis noſtratibus formâ, colore, magnitudine oſſibus & nucleis ſimiles. Nam immaturi paululum ſunt acidi & adſtringentes, exquiſitam maturitatem aſſecuti dulces & guſtûs gratiſſimi.

Tempus & Locus. Floret vere, fructum verò per univerſam æſtatem largitur. Temperato cœlo gaudet, & apud Mexicanos in hortis campeſtribúſque locis & ſuapte naturâ, & humanâ diligentiâ provenit.

Vires. Germinum liquor aut ſuccus linguam æſtu aridam lenit. Jus corticis decocti per quindecim dies inſolatus, & ʒj. pondere ſumptus, dyſenteriam curat. Pulvis inflammationibus opitulatur. Ex fructu fit in annonæ caritate panis & potio: ſed alimentum melancholicum præbet, & halitum frequentiore uſu gravem conciliat, tum dentes nigredine inficit, emendari tamen dentifriciis malum poteſt. *Triplices* ſunt tales arbores, ſed fructu tantùm differunt, ſiquidem *Xitoma capolin* fructum fert Prunorum circiter magnitudine: *Helocapolin* paulò minorem; ac omnium minimum *Tolacapollin*; univerſim verò omnes racematim dependentem.

CAP. XIX.

1. *Manga Indica fructu magno reniformi. Mangas* Park. *Mangas ſive Amba* J. B. *Perſicæ ſimilis putamine villoſo* C. B. *Amygdalam referens fructus hirſutus* J. B. **The Mango-tree.**

H. M.

VAſta eſt hæc arbor, altitudine 40, craſſitie 18 pedum, multíſq; ramis in orbem longè latéq; diffuſis donata: qui cortice glabro, atro-viridi, ac nitente muniti, ubi inciduntur liquorem ſtillant fuſcum, ſuaveolentem, acrem, amarum. *Lignum* albicans, molle, ac leve, cortice obductum craſſo, ſcabro, & nigricante; íſque vulneratus itidem lachrymam fundit fuſcam, viſcidam & tenacem, quæ radiis ſolaribus in gummi conſiſtentiam tandem ſpiſſeſcit. *Radix* craſſa, albicans, cortice craſſo, purpureo, at intus croceo tecta, necnon fibris ſuis latè per terram diffuſa, ſapor amarus, odor aromaticus. *Folia* bina, terna aut quaterna ſimul ex eodem pediculo ramulis inhærent, oblongo-rotunda, denſa, glabra, longitudine ſpithamam, latitudine palmum ſuperantia, ſupernè ſplendentia colore viridi-fuſco, infernè viridi dilutiore; coſta media craſſa, flaveſcens, diviſa, & in utrâque parte altè extuberans, è qua nervuli aliquot tranſverſi [craſſiuſculi, 16 vel 17 utrinq; Cluſio] ſuperiora verſùs excurrunt, in ambitu non ſerrata; odor ſuavis, ſapor aromaticus. Tenella & primùm erumpentia plerunque ſubrubra ſunt. *Flores* ramulorum extremis racematim inhærent, exigui, uvarum floſculis haud abſimiles, è calyce viridi in quinque lacinias ſecto prodeuntes, quinq; tenuibus acuminatis candidis foliolis, flaveſcente maculâ intus notatis, conſtantes, quinque intus albicantibus *fibris*, flaveſcentibus *apicibus* dotatis, ac ſtellæ in modum inter foliola expanſis, prædi in quarum medio *ſtylus* prodit albus: odor ſuavis ac melleus, ſapor aromaticus. *Fructus* oblongo-rotundi, plani, ad latus leviter ſinuati, renali formæ haud abſimiles, ovum anſerinum magnitudi ſuperantes, glabri, nitentes, primùm virides, albis interſtincti punctulis, dein viridi-flaveſcentes, ta démque aurei, carne flaveſcente ac ſucculenta (Mali Perſici aut potiùs Pruni carni haud abſimili acidi primùm, deinde ácido-dulcis, gratíque ſaporis intus referti, ac pellicula tenui, villoſa ac to mentoſa aucti. Intra carnem oſſiculum continetur oblongum, compreſſum & lanuginoſum [und quaque tomento aut duris fibris tranſverſim & obliquè excurrentibus opertum *Garc.*] tenue, præ rum tamen & valdè tenax, quod nucleum includit, calloſum, oblongum, Amygdalæ perſimili oblongæ, eadémque magnitudine, [candidum & candida cute tectum *Garc.*] amaricantem non ta men guſtui inſuavem.

Craſ

Creſcit ſobole aut ſeminibus ſata in multis provinciis, utì in Malabar, Goa, Guzarate, Balagate, Bengala, Pegu, Malacca, Ormuz, aliíſque Indiæ locis.

Tempus.

Arbor hæc perpetuum frondet, ſingulíſque annis ſemel aut bis maturos profert fructus. Colligendi tempus eſt in calidioribus regionibus menſe Aprili, in ſerotinis Maio & Junio; interdum etiam Octobri & Novembri: atque à ſationis anno ſexto vel ſeptimo ad centeſimum uſque frugifera eſt.

Cæterùm fructuum horum haud ſecus ac Pomorum & Pyrorum noſtratium variæ dantur ſpecies, quæ pro regionum natura & diverſitate plurimùm variant.

Species autem illa ſine oſſiculo, palato admodum grata, varietas tantum ſeu degener fructus nobis videtur.

Editur hic fructus in laminas ſectus, aut ſine vino, aut cum vino maceratus; conditus etiam Saccharo ut commodiùs aſſervari poſſet: atque interdum cultello adaperitur, & in ejus meditullium Zingiber recens, Allium, Sinapi, Sal cum oleo & aceto inſperguntur, ut vel cum Oryza edant, vel Olivarum conditarum modo.

Atque hoc modo conditi hujus generis fructus hodienum ad nos adferuntur; nobis etiam obſer- antibus oblongo-rotundi, plani ſeu paululùm compreſſi, ad latus leviter ſinuati, renali formæ haud bſimiles; quales eos deſcribunt & depingunt Horti Malab. Auctores.

Vires & Uſus.

Quod ad temperamentum attinet, frigidus eſt & humidus hic fructus, quamvis Medici Indi con- arium affirmant. Utimur hìc conditaneo pro carnium aſſatarum condimento, eodem modo quo ucumerulis conditis **Gurchens** dictis. Ejus oſſiculis aſſatis alvi profluvia ſiſti aiunt, quod verum eſſe eprehendit Garcias.

Lignum arboris cum Santalo in uſu eſt comburendis Gentilium cadaveribus, utpote huic ritui crum: hinc & ex eo ciſtæ fiunt ferales, in quibus cadavera recondunt: materies autem mollior t, nec diu durat.

Caules vicem *Arequæ* ſeu *Caungæ* ſubeunt in manducatione *Betel*; iidémque calcinati ac in pul- rem redacti verrucas tollunt. Ex foliis tenerioribus corticibus *Avanacoe*, hoc eſt, Ricini, ſemine umini, & *Parpadagam* decoctio fit, quæ tuſſi, aſthmati, aliíſque thoracicis affectibus ſummopere odeſt. Arboris cortex in pulverem redactus, & cum juſculo gallinaceo exhibitus ſanguinem ex ſu alicubi extravaſatum & coagulatum egregiè diſſolvit. Expreſſus è cortice ſuccus cum albumine i & tantillo Opii aſſumptus præſentaneum contra diarrhœam, dyſenteriam & teneſmum eſt reme- m: ſimiliter ex arboris gummi & floribus Oryzæ, addito Opii & Piperis pauxillo pilulæ conficitur, quæ cuicunque alvi fluxui medentur.

E nucleis ſiccatis farina fit, ex eâque varia ciborum genera conficere norunt indigenæ.

Hic fructus deſcribitur à Cluſio Exot. lib. 2. cap. 16. fruct. 4.

Amygdali facie fructus exoticus hirſutus *J. B.* Hiſt. lib. 2. cap. 10. vel ipſo judice, nihil aliud eſt àm Mangæ fructus.

2. *Ambalam* H. M. *P.* 1. *F.* 50. *p.* 91. *Mangæ affinis flore parvo ſtellato, nucleo majore oſſeo* D. Seyn.

H. M.

Arbor eſt procera, ramos in altum minùs, latè in tranſverſum diffundens, naſcénſque in areno- : *Radice* longa, permultis fibris capillata. *Caudice* craſſo, ad unius hominis amplexum, cortice tito craſſo, ligno molli: ramis vetuſtioribus cinereis, tenerioribus viridibus & cœruleo rore con- rſis. *Folia* compoſita ex duplici pinnarum ſeu foliolorum pari, cum impari in extrema coſta. t autem pinnæ oblongo-rotundæ, longitudine ad latitudinem fermè dupla, anterius parva ac tracta cuſpide, texturæ denſæ, mollia, glabra, utrinque nitentia, virore ſupernè ſaturo, ſubtus tiore. E coſta media nervi tranſverſo recto ac parallelo ductu exeunt, &c. vide. *Flores* in ſur- is teneris, è vetuſtiorum ramorum ſummitatibus egreſſis, plures ſimul proveniunt: Súntque hi culi (ut & folia) ſaporis acidi & parum amari ſimilis ei qui in fructibus Mangæ, odore quoque ti & acido. Sunt autem flores parvuli ac albi, velut ſtellulæ quinque vel ſex petalorum cuſpidato- n, quæ oris rotundiolis in cuſpidem contracta, necnon rigidiuſcula & nitentia. In medio flore culum eſt flavum, fructûs primordium, quod *ſtamina* circumſtant decem vel duodecim, pro nero petalorum, parva, tenuia, albicantia, *apicibus* flavis. E meditullio corculi quinque vel ſex nutæ cuſpides vel ſtyluli eminent. Calyx quinquefolius, vel hexaphyllos pro numero petalorum, is albicantibus ac brevi-cuſpidatis. Cùm florum gemmæ erumpunt omnibus ſuis foliis nudatur or, ac quandiu floret, iis deſtituta eſt cum fructibus rurſus nova folia reſumens. *Fructus* in ſur- s floriferis petiolis longiuſculis craſſis, languidis, pandis & cinereo-fuſci plures ſimul pendent, ongo-rotundi, duri, ſimiles fructibus *Mangæ*, colore per maturitatem viridi claro, dein ſubflavo, ciditate jucunda guſtui & odoratui, pulpâ eſculentâ: duro ac grandi in medio oſſe, quod totam fructûs capacitatem replet, ac exteriùs nervis lignoſis albicantibus retiformiter ſtriatis contex- eſt ac hinc indè ſub contextura lacunoſum ac punctioni pervium, intus durum. Bis in anno et, & fructus fert.

Vires.

luxum menſtruum ſuppreſſum promovet radix pudendis indita. Cortex ejus tritus, & in lacte o epotus dyſenteriæ confert, ad quod etiam juvat ſuccus ejus miſtus cum Oryza, ex qua genus s, communi nomine *Apen* dictus conficitur. Ligni decoctum proficuè datur in gonorrhœa. orum ſuccus cum fructu arboris trito auribus inditus eorum dolorem ſedat.

3. *Cat-*

3. *Cat-Ambalam* H. M.

A priore differt foliis minùs grandibus ac minùs oblongis: Fructu minùs oblongo, nonnihil rotundiore ac paulo minore, ſaporis acido-amari; ob quem minùs ſunt in eduliis, nec tam uberi proventu in ſurculis.

Viribus cum præcedente convenit.

CAP. XX.

Manga fructu venenato, oſſiculo cordiformi nucleo gemino. Odallam H. M. *P.1. F.*49. *p.*71. *Mangas fructu venenato* C. B.

H. M.

ALtitudo ei duûm triúmve hominum: *Radix* fibras capillatas in latum ſubtus terram emittit, cortice albicante ſubdulci & ſubamaro. *Caudex* hominis amplexum implet, ramos tortuoſos diffundens, ligno molliſſimo, medullâ intus rufa, cortice lacteo-cinereo-fuſco, amaro & mordaci, in ſurculis teneris viridi-fuſco, medullâ viridi & humida. *Folia* petiolis craſſis albicantibus inſident, anguſta, oblonga, linguæformia, ad petiolum ſtricta, antrorſum latiora, in cuſpidem brevem & anguſtum contracta, texturâ craſſâ, ſolida, lactea, mollia, lenia, glabra & nitentia, maximè ſupina parte, qua & obſcurè viridia; ſapore amaro & pungente. E coſta media craſſa & albicante nervuli valde ſubtiles tranſverſo ac parallelo ductu exeunt, venulis ſubtiliſſimis intertexti. Flores umbellatim, petiolis longis, craſſis, languidis nixi in ſummis ramulis erumpunt, quinque petalis albiſſimis, cuſpidatis, ima parte contractioribus, uno latere rectiore altero in arcum inflexo, unguibus croceis, compoſiti calyce quinq; foliis oblongo anguſtis cuſpidatis, craſſiolis, interiùs albicantibus, exteriùs dilutè viridibus conſtante excepti. E medio florum emicant *ſtaminula* tenuia, quinque craſſiolis, flavis, ſtriatis ac ſurrectis apicibus dotata, cúmque iis *ſtylus* tenuis, liber, albicans, cum nodulo craſſo ac pyriformi in vertice ex primordio fructus, qui infra calycem eſt prodiens. *Fructus* floribus deciſis ſuccedunt pediculis craſſiolis, longiuſculis, languidis ac pandis appenſi, grandes Pomorum inſtar, oblongo-rotundi & nonnihil plani, tenui ſulco in parte magis compreſſa, per longum ſtriati, pondere valdè leves, cortice exteriore tenui, glabro ex viridi flaveſcente, ad corticem intus pulpa tenui, albicante & lacteo, ſaporis aquei.

In medio *os* eſt grande, nonnihil cordiforme, durum, exteriùs ſub pulpa mali lato interſtitio, filamentis lignoſis & albis reticulatim pertextum, ac inter cancellos fungoſa albicante pulpa, ſtipatum, includítque nucleos duos albos, interſepimento craſſo, duro ac cartilaginoſo à ſe mutuò ſejunctos, oblongo-rotundiolis, quà interſepimento adjacent planis, altera parte convexis, longitudine ad longitudinem oſſiculi parallela, & majori craſſitie ad ejus baſin, ſapore amaro.

Acoſta hanc ſpeciem ſic deſcribit, ni fortè diverſa ſit.

Sylveſtre genus *Mangas bravas* nuncupatum, dilutè viret, aliquantulum ſplendet, lacteo ſucco abundat, paucáq; carne præditum eſt: nam craſſo cortice ſolummodo integitur, oſſiculum prædurum & cartilagineum, Cotonei tamen mali magnitudine eſt.

Vires. Adeò præſentis eſt veneni, ut indigenæ illis ſeſe mutuò perimant: nam ſi quis paululum ederit ilico moritur. Interdum oleum admiſcent ad exacuendam ejus vim, ut celeriorem perniciem afferat. Sed quocunque tandem modo ſumptum adeò celeriter perimit, ut hactenus nullum ſit repertum antidotum ad illius vim compeſcendam.

CAP. XXI.

Perſea C. B. J. B. *Perſea arbor* Ger. *arbor Cluſii* Park. *Laurus Indica* Aldini.

Cluſ.

PYro ſimilis eſt, in latum diffuſa perpetuóque virente coma, ramulis ex viridi palleſcentib *Folia* illi Lauri latifoliæ, ſuperna parte virentia, infernè cinerei coloris, firma, nervis aliqu per obliquum diſcurrentibus, odore & ſapore quidem commendata, cum adſtrictione tam linguam mordicantia. *Flos* Lauri ferè, copioſus, racematim compactus, pallidus, ſex foliolis co ſtans. *Fructus* per initia Pruno ſimilis, deinde ſucceſſu temporis Pyrini modum oblongus, nigro colore, jucundoque ſapore; nucleum cordis effigie continet, guſtu Caſtaneæ aut dulci Amyg dalæ haud abſimili.

Solo Valentino regno unicam arborem vidit Cluſius, in monaſterio D. Virginis cui cognom de Jeſu, primo ab urbe Valentia lapide, ex America, ut ferebatur, eò delatam. Vere floren conſpexit Cluſius, Autumno maturum fructum ferre intellexit.

Perſeæ arboris meminerunt è Veteribus Theophraſtus, Strabo, Plinius, Dioſcorides, Plutarch Galenus.

Perſeam cum Perſica malo eandem eſſe nonnulli volunt quos Scaliger abundè refutat, licet Th phraſtus utramque Περσίαν nominet. Perſea, deſcribente Theophraſto 4 Hiſt. 2. foliis, floribus ramis, totâque adeò formâ Pyro ſimilis eſt, ſed folio perpetuo, &c. Fructus Pyri magnitudine, gurâ oblongus, Amygdali ſpecie, colore herbidus, nucem intus habet quemadmodum Prun

ſed minorem & molliorem, carnem valdè dulcem &c. Multæ ex his notis non conveniunt Perſeæ
Cluſio deſcriptæ, ideóque, vel ipſo fatente, diverſa eſt hæc ab illa; an eadem ſit ei quam Pli-
ius deſcribit, adeóque Pliniana Perſea diverſa à Theophraſti, ut Cluſio videtur, inquirant alii.
Hanc arborem prodidêre nonnulli in Perſide quidem exitioſam eſſe, tranſlatam verò in Ægy-
tum, naturâ mutatâ cibo idoneum fructum protuliſſe. *Dioſcor.* Idem narrat & Galenus. Plinius
uoque venenatam cum cruciatu in Perſide gigni, & pœnarum causâ à regibus tranſlatam, terrâ
nitigatam de Perſea diligentiores tradidiſſe affirmat: quod tamen eruditiores negâſſe refert; ſed à
erſeo Memphi ſatam: quibus & nos ſubſcribimus: non tamen negamus dari in Perſide ejuſmodi
rborem venenatam à Perſea Ægyptiaca ſpecie diſtinctam: præſertim cùm & Rauwolfius ſcribat,
erſianum quendam mercatorem indicâſſe ſibi de venenato fructu Perſeæ eis noto nomine *Sephæ*;
ropterea ab iis negligi. Laurum Indicam Aldini cum Perſea Cluſii eandem arborem eſſe à D.
ancr. Robinſon, admonitus ſum; ideoq; ejus deſcriptionem ſubjiciam.

Laurus Indica Aldini.

Ex Indicis quibuſdam ſeminibus, quæ racematim brevi pediculo quinq; vel ſeptem ſimul cohæ-
bant, baccarum Lauri vulgaris formam habentibus, verùm non rotunda erant, ſed oblongiuſcula
parum acuminata, parvæ Olivæ figurâ, ab extra nigra & rugoſa, ut Lauri baccæ; enata eſt
anta, brevi in magnam altitudinem adoleſcens: folia autem odore & figurâ Laurum noſtratem
on parùm æmulabantur, inter Lauri vulgaris & Regii dictæ media, vel potiùs Cedri foliis ſimiliora,
n enim ità dura ac lucida ſunt ſicut Lauro. Colore ſunt ſubviridi; Hyeme (quæ ſunt vetuſtiora
caſura) citrineſcunt ac rubent; longitudine aliqua excedunt palmum, alia ſemipalmum tan-
n æquant, latitudine verò nonnulla ſex uncias excedunt. Manſa amariuſcula primo ſunt, poſtea
n dulcedine pauca mucilaginoſa, & odorem noſtratis Lauri referunt. Foliorum autem pediculus,
craſſior eſt, atque etiam ramorum lignum ſubdulcia ſunt: ſed mirum quanta mucilago in ore
tiatur viſcida & lenta his manſis: id nullâ alia in re unquam obſervavi, quanvis ultra mille
ntas deguſtaverim. Sed neque talis apparet unquam manſis communibus mucilaginoſis ſemini-
, ut Cydoniorum & Pſyllii, &c. nec radicibus Althææ, &c. Huc uſque apud nos florem non
duxit.

Perſicæ nuci ſimilis fructus nucleo venenato Monardis J. B.

Cathæretica vel veriùs ſeptica eſt hujus fructûs facultas, quo Indus quidam Æthiopiſſam (ut refert *Vires.*
onardes) cujus crura malignis & inveteratis ulceribus ſcatebant in pulverem redacto atq; inſperſo
abat, exeſa carne putrida. Eundem pulverem cum ellychnio eiſdem impoſuit ulceribus ad ge-
andam carnem & ulcus ad cicatricem perducendum. Eſt is fructus in inſula *Margarita* dicta
nodum vulgaris, quo etiam in cibo frequenter utuntur, magnitudine Mali Aſſyrii vel Aurantii,
em Perſici mali oſſiculo ſimilem continens, cujus concremati pulvis ad ea quæ modo dicta utilis
Nucleus qui intus continetur adeò noxius eſt, & deleteria facultate præditus, ut ſive homo, ſive
ia eo veſcatur præſentaneam mortem ſibi moliatur, cui nullo remedio occurri poteſt, tanquam
limatum aut corroſivum aliquod medicamentum ſumpſiſſet.
eriſimile eſt fructum hunc eundem eſſe cum fructu Mangæ ſylveſtris ſeu *Mangas bravas* ab A-
a deſcripta. Quòd ſi *Odallam* eadem ſit arbor, mirum deleteriæ hujus fructûs nuclei qualitatis
lam ab Autoribus Horti Malabarici mentionem factam.

CAP. XXII.

Schageri Cottams * H. M. *Cornus Malabarica, folio cuſpidato, oſſiculo tomento obſito* D. Syen. * *P. 1. F. 56. p. 105.*

H. M.

ARbuſcula eſt humilis, humana altitudine, naſcens in arenoſis. *Radix* ſurculos fibroſos ſpar-
git, cortice ſub cuticula nigricante ſanguineo, ligno albicante, ſaporis adſtringentis. *Caudex*
brachii craſſitie: *Surculi* vetuſtiores cinerei, teneriores ſpadiceo-clari. *Folia* petiolis curtis
a, quàm primæ ſpeciei multò majora, oblonga, cuſpidata, ad petiolum lata cavitate, criſpa, ſu-
nè ſaturo virore parùm nitentia, ſubtus clariore: texturâ craſſa, & in prona ſeu inferna parte
nervorum eminentiam valdè ſcabra. Præter coſtam mediam, è petiolo laterales duæ, hinc indè
, exeunt. *Flores* in ſummis ſurculis plures ſimul proveniunt ac tres plerunque juncti, quatuor
quinque petalis, oblongo-rotundis, anguſtis, ſurrectis, ex viridi albicantibus & ſubflaveſcentibus
npoſiti, intus concavis: habéntque in medio congeriem numeroſorum *ſtaminum*, tenuium, fla-
rotundos ac parvos *apices* geſtantium, ac *ſtylum* viridi-dilutum, ex globulo, qui primordium
tûs eſt, emergentem: Calycis foliis anguſtis ac flaviuſculis ſuccincti. *Fructus* ſunt baccæ ob-
go-rotundæ, ac nonnihil pyriformes, ad petiolum ſtrictæ, per maturitatem nigræ & nitentes, ſa-
e primùm acido, qui ex maturitate dulceſcit, atque indigenis eſt in eduliis.
n medio durum, ex albicante ſubflavum & grandiuſculum ac pyriforme oſſiculum eſt; quod
otum filamentis denſis, quæ in arcus varios ad ſe invicem ordinatè conducta ſunt, eſt ob-
um.
rdori membrorum reſtinguendo ſervit Succus expreſſus, ac cum ſaccharo ſumptus: Decocto os *Vires.*
itur pro columellæ tumefactæ relaxatione. Foliorum ſuccus cum ſaccharo epotus conducit pro
ate ac fluxu ventris; ejus lotio pro oris puſtulis: in angina cum eodem ſucco mixto cum aceto
ur commodè abluitur.

CAP. XXIII.

Prunus Braſilienſis fructu racemoſo, ligno intus pro oſſiculo.

Acaja Piſonis, *Acaja quæ & Irametara Braſilienſibus* Marcgrav.

Marcgrav. Piſ.

IN altitudinem & magnitudinem proceræ Tiliæ aſſurgit, cortice rugoſo & è cinereo albicante inſtar Sambuci. *Folia* illi ſunt lævia, directè ſibi invicem oppoſita, duos, tres, vel quatuor digitos longa, inæqualis magnitudinis, ſeſqui vel duos digitos lata, acuminata, ſplendentia, nervo lato ſecundùm longitudinem, foliis Juglandis haud abſimilia ſed acutiora. *Floſculos* fert copioſos, in magnos racemos congeſtos, ex albo ſubflaveſcentes. Poſt flores prodeunt *pruna* flava, noſtratibus figurâ & magnitudine ſimilia, pauxilla cute, acidi ſaporis, lapidem continentia magnum, ex filamentis lignoſis conſtantem, nec durum, verùm dentibus cedentem, qui nucleum continet ex albo flaveſcentem.

Vires & Uſus. Folia hujus arboris (imò & lignum) ſaporis eſt egregiè acidi & adſtringentis, ac ad appetitum proſtratum revocandum & ſitim ſedandam in febribus utiliter uſurpantur.

Fiunt & intinctus ad carnes aſſas ex junioribus foliis tritis, gratiſſimi ſaporis.

Ramus arboris deciſus & terræ implantatus brevi radices agit, & in arborem adoleſcit.

Lignum rufum & leve ut Suber, cujus loco uſurpari poteſt. Fiunt & opercula ex eo ad obturandas lagenas.

Fructus grati eſt acoris, & inter tragemata locum ſibi vendicat, maturus ſtatim decidit & ſuaviſſimum odorem ſpirat.

Inter refrigerantes & aſtringentes habetur, uſque adeò ut immaturus dentibus afferat ſtuporem, qui ex manducatione durioris alicujus ligni tollitur. Nauſeabundis & æſtuantibus proſunt, & contra ſanguinis alvi fluxus in pretio habiti. Vinum ex iis conficitur, quod vetus inebriat.

Gemmæ & ſummitates hujus arboris ſanis & ægrotis in acetariis exhibentur, ex quibus contuſis emanat ſpuma fortis & tenuium partium, quæ oculis indita inflammationes arcet, viſum clarificat, nævos & nubeculas oculorum tollit: dolor quem primò infert facilè evaneſcit.

Folia, ſucci, oculi & cortex externis juxta & internis affectibus medentur, quæ omnia in gargariſmum contra gutturis inflammationes & ſimilia mala præparantur, vel in lavacro contra multos externos pedum & corporis calidos affectus adhibentur.

Peculiare habet hæc arbor, quòd volucres Picæ magnitudine, nigris & aureis plumis eleganter veſtitæ in extremitatibus ramorum affabrè & concinnè pendulos ſuos nidos conſtruunt, ut inſidias ſerpentum, aliorúmque noxiorum inſectorum declinent. *Piſo.*

CAP. XXIV.

De Guity ſive Guitys arboribus Braſilienſibus dictis.

VAriæ (inquit Gulielmus Piſo) arbores excelſæ *Guitys*, ejuſdem generis fructus producunt, pauca carne, magnóque lapide ovalis figuræ intus refertos, quorum fructuum ad minimum mihi tres vidiſſe ſpecies contigit.

1. *Guiti-iba* Piſonis & Marcgrav. *Arbor prunifera Braſilienſis, fructu maximo, oſſiculo ligneo.*

Cujus fructus *Guity-coroga* dicitur: altitudine, ſoliditate & duratione ipſam Quercum ſuperat, lignúmque à fabris in pretio habitum eſt: cortice tegitur gryſeo. Rami *folia* habent alternatim poſita, oblonga, linguæ ferè figurâ, ad tactum inſtar corii Hiſpanici [novem, decem, duodecim aut quatuordecim digitos longa, quatuor, quinque aut ſex lata *Marcgrav.*] ſuperiùs dilutè viridia, inferiùs ochræ coloris, nervo eminente ſecundùm longitudinem, & venis obliquis, partim æqualibus, partim inæqualibus diſtincta, hinc indè molli lanugine obducta.

Tempus. *Flores* in longam quaſi ſpicam congeſti, inodori, parvi, flavi. Floret Januario, & Maio aut Ju fructum maturat. Subinde alterum arboris latus uno anno, alterum ſecundo fructus profert matur tertio quieſcit, quarto demum tota fructifera eſt.

Fructus pomum vulgare magnitudine excedit, informis rotunditatis & tuberoſus. Color cutis e inſtar panis ſecundarii aut atri, vel corticis fuſci Betulæ: pulpa mollis, flava, grati ac dulcis poris & odoris, panem recentem æmulans. Lapis intus contentus magnitudine & figura eſt o Anſerini, cortice lignoſo hirſuto, continens nucleum albicantem, non edulem ſed medicina conſiſtentiâ nucis *Cocòs* adſtringentis qualitatis.

Vires. Drachma ejus plus minus raſa optimo cum ſucceſſu ex liquore datur convenienti contra dy teriam. Idem præſtat nuclei infuſum duplici quantitate exhibitum ad ſiſtendos quoſvis sangu fluxus.

2. *Guiti-toroba* Piſonus & Marcgr. *Prunifera Braſilienſ. minor, fructu Aurantiæ magnitudine.*

Quantum præcedenti altitudine cedit, tantùm elegantiâ eam ſuperat: Aurantia tamen major. *Folia* fert in frondes congeſta, ſemipedem longa, ſaturatè viridia ut Lauri folia, ſplendentia & craſſa inſtar Pergameni, ad tactum lævia, figurâ nucis Juglandis foliis non diſſimilia. Inter copioſa folia ad frondium extremitates in ipſis ramulis copioſi *flores* proveniunt, flavi, odore & magnitudine florum Tiliæ, [brevibus pediculis, è calice rotundo] cavi ut nola ac rotundi, unico folio conſtantes, ſéxque in circumferentia ſciſſuris ad medietatem uſque, quæ floris globulum in ſex veluti foliola diſpeſcunt: in medio cavitatis ſtamen inſtar pilæ quod alia ſex ſtaminula circumſtant, ex medio cujuſque ſegmenti prodeuntia, & ſpongiæ-forme corpuſculum geſtantia.

Fructum fert rotundum, Aurantiæ magnitudine ſed non figura, verum ſuperiùs paulum turbina-
um, abſque corona, flaveſcentis è purpureo coloris, inodorus quando integer, ſed conciſus validum
dorem ſpirat, nauſeabundum, carne flava & ſolida, dulcis ſaporis. Lapis contentus Juglandis eſt
agnitudine, ſed figurâ compreſſiori, altera parte gryſei, altera umbræ coloris ſplendentis, cui nu-
leus incluſus eſt, iiſdem uſibus dicatus ut ſupra. Decidit ſponte quando maturus eſt, aliàs edulis
on eſt, nam lacte acri plenus eſt antequam decidat.

Diu floret, tardéque fructificat idque menſibus æſtivis. Caudex vulneratus lac acre exſudat
nutile.

3. *Guiti-iba* Piſonis & Marcgr. *Prunifera Braſilienſis Mangæ affinis.*

Præcedentibus *Guitis* minor & tenuior eſt [*Tiliæ* magnitudine, ſed caudice non ità craſſo
arcgr.]

Folia fert linguæ figurâ, circiter quinque digitos longa, ſeſquidigitum lata, lætè viridia, ſplenden-
, infernè alba lanugine obducta (quæ digitis abſtergi poteſt; juniora tota lanugine obducta fla-
ſcunt) alternatim poſita in ramulis, & ad quemlibet pediculum brevem foliorum uvula proger-
inat una, duæ vel tres junctæ, veſtitæ globulis parvis albicantibus, qui ſe aperientes produnt *floſ-
los* albos, ſex parvis foliolis conſtantes, in medio multa *ſtaminula* alba cum *apicibus* pallidis inſtar
oparum ſetacearum ſtant erecta.

Fructum fert ellipticæ figuræ, magnitudine ovi gallinacei, interdum & majorem, initio viridem,
i maturuit flavum exteriùs, citrinâ cuticulâ tenui, quæ facilè ſeparatur, tectum. Pulpa ejuſdem
loris, mollis ut pyrum emollitum, filamentoſa, ob filamenta quæ exteriùs lapidi fructûs adhærent,
i magnus, ovalis, exteriùs ex albo flaveſcens, villoſus, mediocriter durus, nec craſſus, magnum nu-
eum ex flavo incarnati coloris continens, ſiccum, amaricantis ſaporis. Caro autem fructûs intus
uca, dulcis ſaporis, quaſi moſchus dulcedini admixtus eſſet.

Julio ferè & Auguſto floret: Martio fructum maturat. *Tempus.*

CAP. XXV.

1. *Myxa ſive Sebeſten* J. B. *Myxos ſive Sebeſten* Park. *Sebeſtena, Myxa, ſive Myxara* Ger. *Sebeſtena domeſtica, an* ὀμαμαξὶς *Athenæo* C. B. **The Sebeſten, or Aſſyrian Plum.**

MΥ'ξαν dictam volunt hanc arborem ἀπὸ τῆς μύξης, i. e. humore lento è naribus deſtillante:
nam & hunc fructum ſimili mucoſo lentore refertum eſſe. Sebeſten Arabibus & Offici-
nis dicta eſt, vel à Σέβαςος Auguſtus, in cujus honorem ità denominata eſt: vel à Se-
ſta Samariæ metropoli, ubi olim creſcebat: nam è Syria in Ægyptum tranſlatam refert Al-
us.

Sebeſtena, deſcribente J. Bauhino ſunt fructus parvis ſerotinis Prunis pares, nigricantes, turbi-
i, in acumen deſinentes (in rugas contracti quæ in Officinis habentur) calyci inſidentes facilè
edenti, qualem in Dactylis videmus, ſed longè majori, & acetabuli inſtar concavo, cinerei ferè
oris. Horum pulpa atra eſt, viſcida, dulci ſapore prædita, pertinaciter oſſiculo adhæreſcens, quod
s tribus coſtis donatur, aliàs compreſſum Pruni noſtratis oſſiculum imitatur; in cujus utrolibet
e foraminulum apparet, atque ex inferiore quoq;, qui vel in geminos, vel ternos mucrones acu-
finditur, germinis veluti rudimentum exſilit. Nuclei tribus loculis ſeorſim tres continentur, ob-
gi, triangulares, albi, Melonum vulgari magnitudine & ſapore, quíque eodem modo vetuſtate
ceſcunt, qui non inſuaves in recentibus: aliàs unicus nucleus oſſiculo clauditur. Eligenda
na, majora, pinguia, carnoſa, quæque ſitum non redolent, calyci adhærentia, teredine non
ſa.

Arboris ipſius duo (inquit Alpinus) ſunt genera: Alterum ſylveſtre, Pruno ſimile: alterum do-
ſticum, foliis latioribus ac craſſioribus à ſylveſtri differens. Utraque arbor flores fert albos, par-
, Geranii proximos. Sylveſtris fructus fert minores, tardiùs matureſcentes, imperfectiores iis quos
meſtica Sebeſten profert.

Folia Sebeſten, adnotante Veſlingio, extremis ſuis ovalem magis rotunditatem quàm anguloſum
men præ ſe ferunt, ſuperiore ambitu per ſpatia inæqualia variis inciſuris dentata, & nonnun-
m ſegmento veluti ſubducto mutilata. Fructus brevi inſidet calyculo, rotundus tenui ſpino-
ue umbilico leviter adſtrictus, maturaq; jam ætate pellucidus, non inſuavi glaucedine incluſa ſe-
a manifeſtat.

Vere floret, Autumno ſemen maturat. In Ægypto, & Aſiâ. *Tempus & Locus.*

Myxa Prunis minùs frigida cenſet J. Bauhinus. In pulmonum affectibus, inquit, pluris facimus Myxa quàm Pruna. Uſus eorum familiariſſimus eſt ad tuſſim, [cum calore & ſiccitate junctam, dyſpnœam, orthopnœam, Pleuritin, Peripneumoniam & ad vocis raucedinem parato ex ipſis decocto, unde & multas compoſitiones præſertim thoracem & pulmones reſpicientes ingrediuntur. Veſlingius ſuccum expreſſum excellens præbere remedium catarrhis ad fauces labentibus ſiſtendis tradit.

Ex pulpa ipſorum optimum viſcum conficiunt Ægyptii; quippe Sebeſten maturos contundentes atque lavantes. Sunt aliqui qui maſticando pulpam ab oſſe expuentes viſcum parant, quantitatem horum fructuum in vaſe collectam, parùm quoad aquea humiditas abſumatur bullientes. Viſco utuntur omnes emplaſtri modo ad omnes ſcirrhoſos tumores, reſolvit enim eos & emollit omnem duritiem. Aliqui ad tuſſim ex eo paratos bolos cum ſaccharo cando, & radicis liquiritiæ pulvere multis diebus ſumunt.

Pollent fructus (teſte Matthiolo) dejectoria facultate non ſecus ac Pruna, tam Græcorum quàm Arabum teſtimonio, id quod etiam comprobatur quotidianâ experientiâ. Eorum pulpa drach. 10. pondere devorata, aut ad ſummum 12. eoſdem ferè præbet effectus quos Caſſia vocata. Utiliter datur ex bile febricitantibus. Eadem confirmat Amatus.

*P. 1. F. 38. p. 69.

2. *Nilicamaram* * H. M. *Acaciæ foliis Malabarica fructu rotundo, ſemine triangulo* D. Syen. *An Myrobalanus Emblica?*

H. M.

Arbor eſt altitudine quatuor hominum, ramis denſis, tranſverſim diffuſis, naſcens in arenoſis & petroſis. *Radix* craſſa, plurimis fibris capillata, cortice exteriùs nigricante, intus nonnihil rubeſcente. *Caudex* ambitu ad unius brachii amplexum, cortice nigricante, ut & rami. *Folia* pinnata, plus ſpithamam longa vel ſolitaria, vel bina, terna, quaternave ex eodem nodulo exoriuntur: pinnæ ſeu foliola breviſſimis petiolis coſtæ mediæ adnexa, parva ſunt, oblonga, anguſta, latitudine æquali ubique, plana, tenuia, ſolidæ ſeu denſæ texturæ, uno tantùm per medium decurrente nervo, ſupernè obſcuriùs, ſubtus dilutiùs virentia, nocturno tempore oppoſitis ad ſe mutuo adductis clauſa. *Flores* qui foliorum coſtis, ſeu cauliculis, foliaceis maximè in eorum inferiori parte, ut & ramis, plures juncti inſident, parvi, ſex petalis anguſtis, albicantibus compoſiti, cum *ſtamine* in medio albicante, nodulo ſeu apice flavo inſigni, odoris nullius. *Gemmæ* florum rotundæ & albicantes. *Fructus* à floribus delapſis ramis & ſurculis arctè inſident, plano-rotundi, duri, dilutè virides etiam cùm maturi, ac nonnihil tranſparentes, ſex ſubtilibus venulis, quæ in vertice concurrunt, in longum ſtriati, carne ſucci plena, tranſparente, ac viridi diluta, ſapore grato acido & ſubaſtringente, unde in edulis ſunt. Surculi foliacei, quibus fructus inſident, parte inferiore foliis nudantur. In medio fructuum oſſiculum eſt, durum, lignoſis filamentis obſitum, ſex lateribus rotundiolis, quorum tria oppoſita magis prominent, conſtans, ac per ſex intermedia interſtitia, quæ angulis adſtricta ſunt, in ſex capſulas diſtinctum, in quarum ſingulis unicum continetur *ſemen*, parvum, triangulare, duobus lateribus rectis & uno rotundo circumſcriptum, primùm albicans, deinde obſcurè rubrum ac nitens.

Vires. *Folia* ejus tenera, ut & fructus exſiccati & in pulverem redacti, cum lacto acido ſpiſſo *Tejr* dicto exhibiti; fluxui dyſenterico conferunt. Iidem in decocto dati proficui ſunt in febre calida; cum Saccharo decocti & epoti vertiginem ſedant. Aqua ex fructibus deſtillata ardori jecoris reſtinguendo convenit.

3. *Myxa pyriformis oſſiculo triſpermo. Tsjem-Tani* H. M. P. 4. T. 11. p. 25.

H. M.

Arbor eſt vaſtæ magnitudinis, caudice craſſo; cortice itidem craſſo, ſcabro, cinereo, intus rubicundo, odoris aromatici, ſaporis acriuſculi obducto; necnon pluribus donato ramulis viridibus ac non rarò hirſutis. Lignum albicans, matrice vireſcente. *Radix* rubicunda, cortice tenui flaveſcente tecta, amara, odorata. *Folia* ſine ordine rotundis ac aſperis petiolis circa ramulos proveniunt, lata, ex rotundo in acumen deſinentia, in ambitu ſerrata & horrentia, ſuperna parte atroviridia, infernâ ſubviridia, tactu nonnihil aſpera, hirſuta, ſapore ſubamaro & adſtringente, odore aromatico, nervis & venis crebris intertexta. *Flores* inter folioſos ſurculos cauliculis ſpithamam longis proveniunt; quibus racematim petiolis lanuginoſis adhærent, tribus oblongo-rotundis, candidis, mollibus ac exteriora versùs reflexis foliolis conſtantes, atq; oblongo-rotundo, albicanti, hirſuto, & pediculo viridi tricuſpide ſubnixo calyci inhærentes; tribus flaveſcentibus *ſtaminibus*, nigricantibus *apicibus* ornatis, mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit itidem flaveſcens: odor nullus, ſapor amarus. *Fructus* hujus arboris pyriformes ſunt, tribus angulis craſſioribus ſulcati, olivarum magnitudine æmuli, exiguo in vertice præditi umbilico, cortice viridi, aſpero, & exiguis ſpinulis obſito cincti, carnéque denſa, furva, odorata, amara intus referti; intra quam *oſſiculum* hæret oblongo-rotundum, triquetrum, tres includens nucleos candidos, amaros, ſimiliter triquetros, ex ligno membranaceis quibuſdam, viridi-albicantibus diſſepimentis ab invicem ſejunctos.

Locus. Provenit locis ſylveſtribus, petroſis, arenoſis, montanis in *Parabaroo*, aliiſque provinciis Malabar: Perpetuò frondet, ſemel in anno floret fructúſque fert, Decembri viz. & Januario menſibus, diúque frugifera manet.

Vires. Cortex arboris calefacit, viſcidos ac pituitoſos humores incidit, attenuat, debilitata viſcera roborat, necnon aquas hydropicorum ducit. Idem cortex cum fructûs pulpa in pulverem redactus & exhibitus febrem tertianam intermittentem tollit. Fructuum nuclei comeſti alvum laxant.

Arbor trifolia prunifera Braſilienſis oſſiculo trinucleo. Ibaparanga Marcgrav.

Marcgr.

Arbor eſt cortice ac ligno Sambucino. Fert *folia* in pediculis duos digitos longis (qui bini opponuntur) & in quolibet terna more Phaſeolorum, ſupernè viridia ſplendentia, infernè è viridi al cantia, ſuperiùs etiam piloſa, inferiùs magis hirſuta, nervo & venis conſpicuis. Ad quemlibet pe cul culum foliorum provenit etiam pediculus qui fert *flores* pentapetalos: poſt quos in quolibet pediculo longo congeſti conſpiciuntur quatuor aut quinq; *fructus* magnitudine Uvæ ſpinæ aut Avellanæ nucis, rotundi, immaturi, virides & ſplendentes, maculis albicantibus conſperſi; maturi verò obſcurè purpurei, nigreſcentes, punctulis albicantibus ubique notati. Detracta cute ſubjacet caro, ſub ipſa quidem purpurea ſeu brunna, interiùs alba, & in medio lapis durus, figurâ & magnitudine Amygdalæ, continens tres nucleos, albos, parvos. Comeduntur detracta cute, & ſunt ſaporis dulcis parùm manifeſti.

Fructus matureſcit menſe Februario. *Tempus.*

His ob oſſicula in pluribus cellulis plures nucleos continentia ſubjungemus fructus quoſdam minores qui baccarum modum non excedunt.

CAP. XXVI.

Arbor baccifera Malabarica oſſiculo fructûs triſpermo. Parili H. M. P. 5. Tab. 3. p. 5.

ARbor eſt procera, caudice craſſo, albicante, cinereo cortice obducto, multíſque atro-purpureis ramulis in orbem diffuſis donato. *Radix* flaveſcens, ſubalbicante cortice cincta, amara, graveolens. *Folia* geminata, brevibus ac rubeſcentibus petiolis circa extremos ramulos rdine parallelo proveniunt, oblongo-teretia, acuminata, & in ambitu ſerrata, craſſâ, denſa, glabra, itentia, ſubviridia, coſtâ mediâ purpuraſcente: ſapore amaro. *Floſculi* ramorum extremis raceatim proveniunt, Vitis viniferæ floſculis haud abſimiles, quatuor candidis & acuminatis foliolis nſtantes, inodori, amari. Floſculis decidentibus ſuccedunt *baccæ*, rotundæ, tripartitæ, viridi-rubeentes, glabro craſſóque cortice cinctæ, carne intus ſucculenta, adſtringente, ac inodora refertæ, tra quam oſſiculum continetur albicans, tria continens ſemina oblonga, candida, amara.

Creſcit in variis Regni Malabarici locis, præſertim circa *Moutan*, ſemper viret, floret Auguſto, uctúmq; maturat Novembri & Decembri menſibus, atque non rarò bis in anno maturos exhibet uctus. *Locus & Tempus.*

Radix & folia ſanguinis conſtitutionem melancholicam corrigunt, ac acidos ſalſóſque humores mperant. *Vires.*

Ex foliis cum foliis *caretti* in lacteo Nucis Indicæ ſucco coctis potio conficitur, quæ cùm externam, tum internarum hæmorrhoidum doloribus mitigandis conducit.

CAP. XXVII.

Frutex baccifer Malabaricus floribus umbellatis ſimplici oſſiculo tetraſpermo. Beénel H. M. P. 5. Tab. 4. p. 7.

ARbuſcula humilis eſt, duodecim circiter pedes alta, *caudice* tenui, ramulis in orbem diffuſis eleganter ornato; qui cortice primùm viridi, dein ſubcinereo, ſaporíſque acris ac aromatici obducti, atq; molli & albicante medullâ intus referti ſunt: Lignum tamen prædurum, alans, inſipidum & inodorum. *Radix* ſimiliter albicans, rubeſcente cortice cincta, aromatica. *Fo-* ordine decuſſato petiolis craſſis, ſubviridibus, circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acunata, craſſa, glabra, ſupernè colore atro-viridi ſplendentia, infernè viridi dilutiore, coſta media idi, & in averſa parte valdè extuberante. Odor & ſapor aromaticus. *Flores* ſuave-olentes circa tremos ramulos glomeratim non ſparſim producuntur, ſenſimq; porrectis columellis umbellæ ſpecie nduntur: conſtant iis quatuor oblongo-rotundis, cuſpidatis, rigidis, interiùs concavis & albintibus, exteriùs livideſcentibus, atq; in ſtellæ modum expanſis foliolis, octo candidis, ſurrectis, is ac ſimiliter expanſis *ſtaminulis* medium occupantibus, inter quæ globulus prodit virideſcens cum i flaveſcente. Floribus ſuccedunt *Fructus* ſubrotundi & ferè quadrilateri, cum cuſpide brevi in tice, craſſo viridíque cortice cincti, carne intus viridi-fuſca, odoris ſaporíſque aromatici referti, a quam *oſſiculum* continetur quadripartitum, quatuor candida ac oblongo-rotunda in diſtinctis ulis continens *ſemina*.

reſcit arenoſis ac montanis Regni Malabarici locis præſertim in *Baypyn*: ſemper viret; quotanfloret & fructum perficit. *Locus.*

x arboris radice in Seſami oleo cocta linimentum paratur contra cephalæam artuúmq; dolores eteratos. *Vires.*

CAP. XXVIII.

Arbor baccifera trifolia Malabarica ſimplici oſſiculo cum pluribus nucleis. Mail-elou * H. M. *Luſitanis Carilba.* *H. M.* * P. 5. T. 1. p. 1.

ARbor eſt procera, 50 circiter pedes alta, caudice craſſo, multíſque ramis cinereo-viridibus, ſupernè quadratulis ac geniculatis donato. Lignum ponderoſum eſt, ex albo rubeſcens, cortice munitum cinereo, intus flaveſcente. *Radix* craſſa, albicans, flaveſcente cortice cincta, inodora, inſipida. *Folia* terna ſimul juncta, oblongis ac alatis petiolis circa extremos ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, & nonnunquam in ambitu crenata, supernè atro-viridia, infernè ſubviridia, nitentia, glabra, flexibilia, digitis confricta ſuaveolentia, at inſipida, teneriora tamen ſubaſpera & rugoſa. *Floſculi* odori, inſipidi, circa extremos ramulos oblongis, ſubviridibus, lanuginoſis ac quadratis petiolis racematim proveniunt, calycíque exiguo ſubviridi in quinq; lacinias acuminatas ſecto inhærent, quinque foliolis conſtantes, viz. uno majore, rotundo, concavo, quod interius cœruleum, exteriùs cœruleo-albicans, & quatuor minoribus cuſpidatis, albicantibus exteriùs, interiùs viridi-dilutis cum baſi purpuraſcente, haud ſecus ac in *Herbæ Trinitatis* dictæ floribus videre eſt, quatuor ſtaminibus albicantibus, fuſcis *apicibus* ornatis medium occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit candidus, capitulo flaveſcente. Floſculis pari modo ſuccedunt *Fructus* rotundi, Vacciniis haud abſimiles, glabri, nitentes, virides primùm, dein nigricantes, tenui pelliculâ cincti, intúſque carne molli, aqueâ, atro-viridi inſipida ac inodora referti, intra quam *oſſiculum* locatur oblongo-rotundum, glabrum, tres quatuórve albicantes, unctuoſíque ſaporis nucleos continens.

Locus. Provenit in multis Regni Malabarici locis, præſertim circa *Mangatti*, ſemper viret, quotannis ſemel, nonnunquam bis, floret, fructúmq; fert, ac diu ſuperſtes manet.

Vires & Uſus. Cæterùm lignum arboris operi fabrili accommodum. Ex foliis & cortice contuſis, ac in Oryzæ infuſo coctis apozema conficitur, quod doloribus poſt partum potenter medetur, necnon ſecundinas in utero relictas expellit, & lochia expurgat. Idem inſuper viris pariter ac mulieribus præter modum craſſis ac obeſis exhiberi ſolet pro potu, ut ſenſim attenuentur & gracileſcant. Succus è viridi cortice cum maturæ Nucis Indicæ lacte exhibitus diarrhœam ſanat, ac colicos dolores tollit. Ex hujus arboris, uti & *Paal-valli* ramulis tenerioribus ſimul contuſis & in aqua coctis Balneum fit contra febres inveteratas, Arthritidem & quoſcunq; artuum dolores.

CAP. XXIX.

Arbor baccifera Malabarica, folio pinnato, flor. umbellatis ſimplici oſſiculo cum pluribus nucleis. Katou-mail-elou H. M. P. 5. T. 2. p. 3.

H. M.

ARbor eſt vaſtæ magnitudinis, *Mail-Elou* altior, ramulis viridibus, quadrangulis atque lanuginoſis, in orbem diffuſis ornata. Lignum albo-ſtriatum, cortice munitum furvo, intus rufo. *Radix* craſſa, fibrata, albicans, rubro intúſque flaveſcente cortice tecta, odora, inſipida. *Folia* geminata brevibus petiolis, ordine parallelo longis, rotundis, craſſis ac lanuginoſis ramulis inhærent, oblongo-rotunda, craſſa, mollia, tomentoſa, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia, coſtâ mediâ, craſsâ, ſapore auſtero, odore nullo. *Floſculi* numeroſi circa extremos ramulos ubiq; inter folia glomeratim non ſparſim producuntur, ſenſimq; porrectis columellis umbellæ ſpecie panduntur, *Mail-Elou* floſculis haud abſimiles at majores. *Fructus*, calycibus ſuis excepti, pari fertilitate floſculis ſuccedunt, *Mail-Elou* fructibus ſimiles.

Locus. Naſcitur montanis ac petroſis locis Regni Malabarici, præſertim in *Candenate* & circa Cochin: ſemper viret, quotannis floret & fructum dat, ac ducentos ultra annos ſuperſtes manet.

Vires & Uſus. Lignum arboris operæ fabrili accommodum. Adhæc inſignes ejuſdem vires extolluntur in diarrhœa, dyſenteria & teneſmo. Ex foliis cum pipere & ſemine *Coddæ-palæ* in Oryzæ infuſo coctis antidotum fit Serpentum, Scorpionum, aliorúmque venenatorum animalium ictibus. E cortice contuſo & cocto medicamentum conficitur ad ſanguinem ex caſu in corpore coagulatum diſſolvendum.

CAP. XXX.

Perin-Nirouri ſeu Ma Nirouri H. M. P. 5. Tab. 45. *Frutex baccifer Malabaricus oſſiculo fragili cum ſex intus nucleis.*

MEdiæ magnitudinis arbor eſt, quatuordecim circiter pedes alta, *caudice* mediocriter craſſo, albicante, duro, cortice obducto glabro, furvo, multíſq; viridibus ramulis in orbem longè latéque diffuſis ornato. *Radix* rufa, adſtringens, odoris ingrati ac ſylveſtris. *Folia* exigua, oblongo-rotunda, craſſa, mollia, numeroſa circa ſurculos proveniunt, ſupernè atro-viridia, infernè viridia & ſplendentia. *Flores* exigui, ſubvirides, exiguis brevibúſque petiolis ad foliorum exortum hinc indè circa ramulos proveniunt, ſex rotundis foliolis conſtantes, numeroſis intus tenuibus *ſtaminulis*, in quorum medio rotundus prodit globulus, qui ſenſim incrementum ſumens ac auctus in *Fructum* excreſcit, marceſcente interim flore, adeò ut flos emarcidus fructui pro calyce inſerviat. Sunt autem Fructus hi rotundi, tribus angulis ſulcati, & lato cavóque umbilico in vertice coronati, purpuraſcentes, tenui pellicula cincti, carnéque intus denſa, albicante, ſubdulci refertæ, intra quam Nucula continetur fragilis, nivei coloris, ſex includens *ſemina* oblonga, triquetra, triplici ordine locata, ac membranaceis quibuſdam pelliculis, ceu parietibus intergerinis ſejuncta, ità ut bina in ſingulis latitent cellulis.

Locus. Naſcitur in variis Regni Malabarici locis, præſertim circa *Granganoor*: quotannis floret & fructus fert, diúque ſuperſtes manet.

Vires. E foliis, fructibus & radicibus in aqua cum Pipere longo & Cumini ſemine coctis potus conficitur, qui in Aſthmate, tuſſi, phthiſi, ſimilibúſque Pulmonis affectibus valdè commendatur. Folia cum cortice in Oryzæ infuſo cocta, & in cataplaſmatis formam redacta, ac tumoribus impoſita p tenter eos maturare feruntur. Ex arboris cortice cum lacte, melle & butyro cocto balſamus paratur, quem intus ſumptum & foris illitum pleuritidem ſanare dicunt.

Tsjeria Nirouri.

Præcedenti (inquiunt) perſimilis eſt, nec ullas diſtinctionis notas adducunt; nec figuram addunt. Creſcit abunde circa Cochin.

CAP. XXXI.

De Cinnamomo, Caſſia & Canella.

NON levis eſt controverſia inter eruditos, an Cinnamomum Veterum, Cinnamomo hodierno ſeu Canellæ eadem res ſit, an diverſa, & hodie penitus ignota. Revera ſi Cinnamomum Veterum fuerit quale ab illis deſcribitur, ſurculi ſeu virgulæ tenues fruticis non mag- i, in Arabia naſcentis, Canella noſtra eſſe non poteſt, ut ex deſcriptione patebit.

Verùm quoniam fabuloſa, varia & incerta ſunt quæ de Cinnamomo & Caſſia à Veteribus Græcis Latinis traduntur, ego potiùs in Garciæ ab Horto, Monardis, Scaligeri & Amati ſententiam pro- endeo, Veterum ſci. & Recentiorum Cinnamomum necnon Caſſiam eorundem unam & eandem m eſſe. Dioſcorides ſcribit, Caſſiam eſſe virgulta craſſi corticis, Piperis foliis: Cinnamomi verò eſcriptionem prorſus omittit. At Theophr. Caſſiam & Cinnamomum magnitudine Viticis, multos mos lignoſos habere ſcribit. * Plinius Cinnamomum dicit fruticem eſſe, duorum cubitorum alti- dine ampliſſimum, palmíque minimum. Galenus 1. *Antid.* arcam Romam delatam è Barbarorum gione tradit, longitudine cubitorum quatuor cum dimidio, & licèt Caſſiam & Cinnamomum di- erſas arbores eſſe ſtatuat, ſcribit tamen Caſſiam ſæpe in Cinnamomum tranſmutari: ſic Caſſiæ ſur- ulos Cinnamomi prorſus perſimiles. Quæ cum ità ſint, ego cum Garcia ſentio, tam longa diffici- que via olim petita fuiſſe hæc aromata, ut perfectam eorum notitiam conſequi Veteribus haud fa- le fuerit. Hinc factum ut innumeræ fingerentur fabulæ, quas Herodotus pro veris refert. Et quo- iam ingens eorum erat pretium, majórque in hominibus lucri cupiditas, adulterabantur aromata, hâc ratione fiebat, ut diverſa illis inderentur nomina, tametſi plerunque ejuſdem eſſent gene- . Propter locorum igitur diſtantiam, & minus frequentatas haſce regiones à mercatoribus, probè gnita Caſſiæ hiſtoria Veteribus non fuit. In loco etiam ab illis erratum: Nam neque Caſſiam, que Cinnamomum apud Æthiopes aut Arabes naſci multis probat idem Garcias; quæ apud ipſum de.

* *L.* 12. *c.* 19.

At inquies, Veteres latere non potuit quid ad ſe pro Cinnamomo adferretur, cortéxne an vir- læ; illi autem expreſsè affirmant virgulas fuiſſe: proinde Cinnamomum ſeu Canella noſtra Ve- um Cinnamomum eſſe non poteſt. Imò hoc non impedit quin idem fuerit. Nam (ut rectè ſp. Hofmannus) Quod magnam in planta ipſa nobis affert difficultatem, eſt quòd mutata ſit io afferendi ad nos. Antiquitùs enim tota planta, cortex cum ligno afferebatur: at cùm anim- verſum eſſet lignum tantùm non inutile eſſe, cortex tantùm fuit allatus: & fit hodiéque. Hæc amvis nobis maximè veriſimilia videantur, non eſt tamen reticenda opinio Jo. Bodæi à Stapel, am à Dodonæo hauſit, Magni (inquit) nominis Botanicus Dodonæus Caryophyllorum tenues mulos Cinnamomum Veterum eſſe, Pempt. 1. *lib.* 5. *cap.*19. ſcribit. *Sarmenta ſeu virgulta tenuia, æ cum caryophyllis inferuntur legitimum Veterum ſunt Cinnamomum.* Hanc approbo opinionem; mnibus enim notis Veterum repræſentant Cinnamomum. Sunt nigra, ex vinoſo in cinereum rgentia, colore ei quem deſcripſit Galenus omnino ſimili; ſunt etiam lævia hæc virgulta, tenues muli, frequentibus ſatis nodis cincti, perquam olentia, odore Baccharis, ſapore acri ac mordaci m calefactione & ſalſedine quadam, neque (ut Galenus obſervavit) mordicando palato triſti- m inferunt, rutam etiam ubi manducantur manifeſtè præ ſe ferunt: Cùm franguntur ac fri- tur pulverulenti quid emittunt, & nonnihil lanuginoſa videntur. Quare nullum eſt dubium r Cinnamomum Veterum eſſe non credam. Inferet quis, cur itaque hodiè negliguntur? Reſpon- o, hoc fieri, quòd Caryophylli ipſi in locum ramulorum ſucceſſerunt, qui Galeno, Dioſcoridi, heophraſto incogniti fuerunt; & ad hos non fuere delati, vel quòd in *Zeilan*, ubi ſuam mercatu- m agebant, Moluccæ enim ipſis incognitæ fuere, (quæ pluſquam 200 milliaria à *Zeilan* ſitæ nt) arbor Caryophyllorum fructum non fert, vel quia temporibus Veterum incognitum fuit Indi- is tam aromaticum ac præſtantem ferre fructum, vel quòd perpaucum tulit, quem incolæ ſibi ſer- unt, quod magis probabile videtur, &c.

Verùm rationes iſtæ non perſuadent: Cùm enim Recentiores qui judicio valent (C. Bauhino ente) Cinnamomum Officinarum, vulgo *Canella* dictum, legitimam Antiquorum Caſſiam eximent. Galenus autem Cinnamomum prorſus ſimile eſſe optimæ Caſſiæ affirmet. Et alibi, Caſſiam nnamomo genere proximam uſque adeò eſſe, ut ex ipſa Cinnamomum quandoque oriatur, ſpe- ntúrque interdum Caſſiæ arbores integræ in quibus aliqua Cinnamomi virgulta è Caſſiæ ramis deant, Caſſiam denique in Cinnamomum tranſmutari. Cúmq; Theophraſtus aliíque Veteres ticem in Cinnamomo tantùm utilem eſſe ſcribant non lignum; probabiliùs inde inferri exiſti- , Cinnamomum noſtrum hodiernum, Cinnamomum Veterum, eorundémque Caſſiam ligneam m eandémque rem eſſe, nec aliter differre Cinnamomum Veterum à Caſſia eorundem, quàm nnamomum ſive Canellam Officinarum noſtrarum à Caſſia lignea ipſis dicta; quæ Garciæ ſenten- non aliter à ſe invicem differunt quàm naſcendi loco & accidentibus indè ortis: ſiquidem Cin- nomum ſeu Canella cortex eſt Arboris Cinnamomiferæ Zeilanicæ; Caſſia lignea cortex ejuſdem ſpecie arboris in *Malabar* naſcentis. Garciæ verba ſunt. Verùm cùm mercatores eam quæ in *Zeilan* nata eſſet Canellam ab ea quam ex Java & *Malavar* ſumpſerunt differre conſpicerent, diverſa illis indidere nomina, cum tamen ejuſdem generis eſſent cortices, pro ſoli cœlíque varietate ſolùm differentes, ut plerunque idem fructus pro regionum & ſoli varietate ſuavior fieri aut à naturali bonitate degenerare ſolet.

Officinæ noſtræ Caſſiam ligneam à Cinnamomo ſeu Canella diſtinctam faciunt. Caſſiam enim Cinnamomo craſſiorem plerunque eſſe, colore rubicundiorem, ſubſtantiâ duriorem, ſolidiorem & compactiorem, guſtu magis glutinoſo, odore quidem & ſapore Cinnamomum referre, optimo tamen Cinnamomo imbecilliorem & minùs vegetam eſſe, ex accurata obſervatione *Tho. Johnſoni.*

Eſt ergo meâ ſententiâ (ut jam dixi) Caſſia lignea *Offic.* Canellæ Malabaricæ cortex; Cinnamomum ſeu Canella *earundem*, Zeilanicæ. Non tamen id fidenter affirmo, cùm J. Bauhinus ſcribat Caſſiam ligneam ſaporem ſuum aromaticum (qui in Cinnamomo ſeu Canella paulatim evaneſcit) conſervâſſe etiam poſt triginta annos, & * Jacobus Breynius utramque harum [Caſſiam ligneam & Canellam] peculiarem arborem agnoſcere ſe dilucidè demonſtraturum promittat.

* *Ephemer. German. An.* 4 & 5. *Obſ.* 130.

Diverſas Recentiorum de Cinnamomo & Caſſia ſententias omitto. Cùm enim plena & accurata Cinnamomiferæ arboris deſcriptio & hiſtoria ab autoribus αὐτόπταις & fide digniſſimis tradita ſit, ſupervacuum planè eſſet iis recenſendis, & vel confirmandis, vel refutandis immorari.

Cæterùm Caſſiam ſive Caſiam παρὰ τὸ κάσαι dictam volunt, quaſi κοσμῆσαν διὰ τῆς εὐοσμίας τὰς αἰσθήσεις. *Etymolog.*

1. *Cinnamomum ſive Canella Malavarica & Javanenſis* C. B. *Canella ſeu Cinnamomum vulgare* J. B. *Canella* Ger. *Carua* H. M. *part.* 1. *Tab.* 57. **The Cinnamon Tree of Malabar.**

H. M.

Arbor eſt ad quatuor, quinqueve hominum altitudinem aſſurgens. *Radix* craſſa, rectâ ſe in terram demittens, ac hinc indè fibris tranſverſis ſe affigens, cortice in exteriore cruſta rufo-cinereo, ſub ea rubeſcente, qui fortem camphoraceum odorem ſpirat, maximè tritus: ligno eſt duro, ſolido & albicante, odoris nullius.

Caudex ambitu amplexum unius brachii implet, diffundítque numeroſos ramos & ſurculos, éſtq; cum ramis cortice veſtitus viridi, qui dein cum ætate rubeſcit, ac cum pellicula tenui lignum ambit, & cruſtâ cinereâ obductus eſt. Eſtq; is cortex ſuo tempore deglubitus, & in ſole exſiccatus ipſum *Cinnamomum.* Verùm quod in *Malabar* habetur eſt minùs acre *Ceylonenſi*, ac velut ſylveſtre. Cortice omni ex parte deglubito arbor emoritur. Lignum intus durum eſt, album, inodorum. *Folia* tum bina, tum ſolitaria proveniunt, petiolis curtis, fermè ſemipollicaribus, craſſiolis, & interiùs latè ſtriatis, ſúntque formâ oblongo-rotunda, longitudine ad latitudinem fermè dupla, in ſummitate cuſpidata; media parte latiſſima, at cùm minora & teneriora ſunt propè petiolum. Longitudo maxima ſpithamæ & amplius: ſuperficie ſunt plana, in oris albicante zonula ſeu nervo, quæ ex petiolo excurrit præcincta; ſupernè viroris vegeti & vividi, ſubtus dilutiora; cùm tenera ſunt coloris hepatici; prout vetuſtiora ſicciora, & magis rigida ac fractu facilia ſunt, & in minorem ambitum contracta, & versùs interiora criſpa. E petiolo tres coſtæ viridi-dilutæ ac flaveſcentes excurrunt, mediâ lateralibus nonnihil craſſiore, in recta & averſa parte extantes; laterales duæ primùm brevi intervallo rectis tractibus meantes, ac ad mediam junctæ, indè obliquo ac annulatim inflexo ductu anteriora versùs altè aſcendunt, ac proximè ad cuſpidem progrediuntur; ubi in venulas ſubtiles, quæ versùs cuſpidem deferuntur, diſparent: ex coſtis extantibus plurimæ fibræ ſeu venæ intimo tractu per ipſum folium tranſverſim egrediuntur, ſubtili cancelliformium venarum contexta comitatæ, ſúntque in majoribus foliis nonnihil eminentes, maximè in recta parte. Folia ſunt forti ac aromatico odore, præcipuè trita, ipſum Cinnamomi odorem ſpirantia, & ſapore quoque Cinnamomi, ſed minùs vegeto.

Flores petiolis viridi-dilutis, qui ſupra ex origine foliorum prodeunt plures congregatim ſeu umbellatim proveniunt, ſúntque ſtelliformes ac parvi, conſtantes ſex foliolis, è viridi dilutè albicantibus, parùm oblongis ac rotundis oris, anteriora versùs contractis, ac brevi collo ſeu pediculo odoris amœni: in medio corculum eſt, conſtans ex duabus *ſtaminum* ſeriebus, in exteriore ſtamina ſex, viridi-clara, ſupra alia emicantia, in ſuperiori parte plana ac latiora; in interiore itidem ſex, tenuia ac parva, cum nodulis ſeu apicibus flavis ac craſſiuſculis: atque in ea ſerie ex iis inſuper tria *ſtamina*, cum illis quæ in exteriore ordine ſimilia paribus intervallis emicant, complectentia *ſtylum* tenuem ac viridem, in vertice nigricantem, qui ex capitulo viridi oblongo, quod primordium fructûs eſt, ac in pediculi ſuperiore parte continetur, egreditur. Floribus ad pediculum adeſt calyx arctus & exiguus. Gemmæ florum rotundiolæ.

Fructus ſunt baccæ oblongo-rotundæ, terete formâ inſtar glandis quercinæ, arctè incluſi in calyce profundiolo, craſſiolo, viridi, qui ſex cuſpidum eſt; ſúntque ſuperficie glabri, primùm viridi-fuſci ac nitentes, ac punctulis albicantibus conſperſi, & tum ſub cortice pulpâ viridi-clara, quæ flaviuſculum, unctuoſum humorem exſudat, & ſaporis ſubacris, adſtringentis ac unctuoſi, continéntque ſub pulpa corticis unum grandem nucleum, oblongo-rotundum & glabrum, qui cortice tenui, cartilaginoſo obtectus eſt, & pulpâ denſâ, ex albo rubeſcentis, ac incarnati coloris, & humore unctuoſo, qui in filamenta protrahitur ſuffuſa, & ſaporis magis acris & minùs adſtringentis eſt, conſtat; dein cùm maturi ſunt cœruleo-fuſci & nitentes, qui color eſt in tenui exteriore membrana, intus etiam pulpâ viridi, ſaporis aromatici & ſubamari & acris, ac pulpa nuclei ex rubro cœruleſcente conſtantes.

Flores hæc arbor ſemel fert in anno, ſc. *Januario.*

Huic ſpecie eandem eſſe exiſtimo

2. *Cinnamomum ſive Canellam Zeilanicam* C. B. *& aliorum. Laurum Zeylanicam baccis calyculatis* Herman. **The Cinnamon-Tree of Ceylon.**

Quamvis omnibus ſuis partibus longè nobiliorem & præſtantiorem: nam (ut loquuntur Philoſophi) magis & minùs non mutant ſpeciem. Zeilanica quippe Canella non ſecus ac Malabarica folium habet tribus nervis inſignibus ſecundùm longitudinem decurrentibus præditum, & fructum etiam profert cum calyce glandi quercinæ ſimilem, ut & D. Knoxius, qui in inſula *Zeilan* 20 annos captivus detinebatur, in ſua arboris hujus deſcriptione diſertè affirmat & D. Hermannus innuit, cùm Canellam Zeilanicam, Laurum Zeilanicam baccis calyculatis, ex qua Cinnamomum, inſcribit, literis ad *D. Syen* datis.

Ex hac etiam Hiſtoria, Cordum rectè deſcripſiſſe tum folia tum fructum Caſſiæ, à quocunque tandem edoctum, conſtat, quantumvis invito Jo. Bauhino.

Folia, inquit, habet denſa, Laurinis ſimilia, multò tamen majora. [D. Hermannus pariter & D. Knoxius folia * Laurina ei attribuunt] ad Citri potiùs folia accedentia, utrinque faſtigiata, ter- nas individuáſq; venas per longitudinem tranſeuntes habentia, quarum media craſſior, rectáque eſt, reliquæ duæ leniter curvantur, eæque à tergo eminent, & evidentiores ſunt quàm intus. [*In deſcri- tione noſtra utrinq; eminent*] Fructus fert Laurinis baccis ſimiles, calycibus ſeu cupulis glandium modo nſidentes, qui rariſſimè adferuntur.

* *Aut Lauro-cerasi.*

Quæ Garcias habet de duplici hujus arboris cortice ad modum *Suberis*, nobis ſuſpecta ſunt, quæq; e deliberatione ſemel triennio factâ, nec enim, puto, renaſcitur cortex ſemel detractus. Verum ſt autem, exemptum corticem cinereâ illa tenui & ſcabrâ exteriori pelliculâ delibrari, in laminas ecari, atque ita convolutum ut trunci unius rami integer cortex videatur, in ſole ſiccari. Minores untaxat arbores decorticant; quamvis majorum cortex non minùs ſuavi & aromatico ſit odore & pore, ut nos monet *Rob. Knoxius.*

Ex cortice radicis Oleum cum Sale volatili, Camphora dicto per deſtillationem extrahitur, éſtq; quâ, cum qua ſimul aſcendit, levius, conſiſtentiâ clarum & tranſparens, ac coloris ſubflaveſcentis, doris fortis ac vegeti, ſaporis peracris & profundè penetrantis, conſtans ex particulis tenuibus, & cilè ſe diſſipantibus in libero & aperto aere. Camphora candidiſſima eſt, & in odore Cam- orâ communi excellentior. Ejus particulæ in oleo primùm deſtillato natant, ac ejus partibus in- nſibiliter permixtæ ſunt, olei tranſparentiam ac claritatem minimè obfuſcantes; dum autem oleum frigeratur, particulæ Camphoræ natantes ac ſejunctæ; unæ aliis formâ ſatis irregulari ſe affi- nt, conſtituentes primùm haſtas oblongas, quibus partes aliæ de novo accedentes, velut tranſ- rſi acus ad rectos angulos ſe affigunt, atq; itá graviores factæ decidunt, atq; ad fundum olei ſub- unt. Verùm hîc notatu digniſſimum eſt, quòd dum ſe affigunt in duos vorticoſos motus, qui per rizontalia plana feruntur, cieri, ac primùm quidem tardiùs, dein ſenſim velociùs, atq; oleum ad m ſuperficiem ubi priùs refrigeratur, & ad fundum plurimis particulis Camphoræ, quæ ejus tran- rentiam adimunt, imbutum, cùm in medio adhuc ſit clarum ſeu magis tranſparens: quin & par- ulæ Camphoræ, quæ ſe ſibi mutuò affigunt, partes oleoſas primùm intra ſe includunt, eas viſui ducentes, quæ dein particulis ſalis ad anguſtius ſpatium versùs inferiora detruſis, ſe ab iis reſol- t & ſeparant, ſuperiora præ levitate petentes. Eſt autem Camphora hæc maximè diſſipabilis, ſumma celeritate flammam concipiens, ac nullam fæcem poſt deflagrationem relinquens.

De Oleo quod cum hoc Sale attollitur hæc notanda occurrunt. 1. Quod odore & ſapore Cam- ram maximè æmuletur, atque adeò facilè diſſipabile ſit, ut licet in pannos incidat colore aliquo ctos, nullâ relictâ maculâ evaneſcat ac diffletur. 2. Promptiſſimum quoq; eſt, ut ipſa Camphora, flamma concipienda, in eo ſpiritum vini ab aqueis particulis depuratum referens, totúmque vi tempore depaſcitur flamma albicans & cœrulea. 3. Super igne poſitum & calefactum etiam o conſumitur, abítq; in fumum albicantem, qui igne admoto flammam promptiſſimè concipit. De eo quoque expertum eſt, ſi linteum eo madefactum incendatur, linteo remanente illæſo, rimas ejus partes ignem depaſci: extincto autem igne linteum illud primò acrem Camphora- m odorem exhalat, eo autem debilitato & evaneſcente, gratum aliquem Cinnamomi odorem at. 5. Præterea Oleum hoc in Sulphur vel Sal-nitrum, vel etiam in illos ſales ſimul mixtos con- ſum, iis prorſus illibatis ac illæſis, à flamma in totum conſumi ac depaſci; quòd ſi pulvis tor- ntarius eo imbutus ſit, flammam concipit eo accenſo, ſed nonniſi tardiùs & poſtquam multæ ticulæ Olei depaſtæ ſunt. 6. Singulare quoque experimentum eſt, quod fumus Olei, qui ex calefacto ſuper ignem exhalat, per pannum triplicatum ſeu quadruplicatum exceptus, ad ejus ſu- ficiem in ſalem candidum concreſcens, quod ipſamet Camphora eſt, ſe affigit. Quin & hoc um ut purum & clarum ſit, cum tempore particulas quaſdam camphoraceas demittit. Relatum oq; nobis eſt in locis frigidis, quò erat advectum, de ſuo fluore remittere.

Oleum quod ex hoc Malabar. Cinnamomo extrahitur, tranſparens, clarum, flavum, rutilans, fragrantis quoq; odoris, & aquæ innatans; cùm ex Cinnamomo Ceylonenſi, præter oleum inna- s etiam extrahatur quod aquæ fundum petit.

Oleum ex foliis primùm turbidum eſt, cum tempore flaveſcens, ac tranſparens, coloris viride- ntis, éſtque ſapore quoque dulci & acri, odorem cinnamomi tenuem ſpirans, in aqua ſubſidens undum.

De Camphora & Oleis quæ ex variis hujus arboris partibus vel deſtillantur, vel excoquuntur *Paulus Hermannus* literis ad *D. Syen* datis ſic inſit.

Mira naturæ diverſitas in hac arbore conſpicitur. Deſtillatur ex radicis cortice Camphora, ejuſdémq; um. Ex trunci cortice oleum Cinnamomi; ex foliis oleum Caryophyllorum; ex fructibus oleum iperino ſimile, cum pauxillo Cinnamomi ac Caryophyllorum mixtum; ex his & excoquitur oleum gue, craſſum inſtar ceræ, ad emplaſtra, unguenta ac candelas conficiendas commodiſſimum; dicamentum itidem internè & externè uſurpatum ſummè anodynum. Oleum hoc, referente *Knoxio*, conſiſtentiâ & colore ſebum refert, æquè enim durum & candidum eſſe, odore fragranti,

Vires & Uſus.

quo in unguentis utuntur indigenæ ad dolores leniendos, & ad lucernas, non tamen ex eo candelas conficere, quoniam nemini præter Regem licitum eſt candelis uti. Quinetiam folia contuſa Caryophyllos potiùs quàm Cinnamomum redolere ſcribit idem.

De Canellæ viribus placet adſcribere quæ tradunt Horti Malabarici Auctores.

Radicis cortex in decocto datus, vel in pulvere cum melle ſeu ſaccharo ſervit pro tuſſi & phlegmate expurgando: idem contritus & permixtus cum aqua confert in podagra, facta perunctione. Cortex ſtipitum in decocto datus confert quoque flatibus. Idem in pulvere datus cum aqua calida dolores ventris ſedat fluxúmq; ex frigore obortum ſiſtit. *Noſtrates non ſine ſucceſſu lacti, vel zythogalo, vel Cereviſiæ Cinnamomum incoquunt ad diarrhœam ſiſtendam.* Decoctum etiam Cinnamomi recentis in vino rubro nimios menſium fluxus cohibet, Ephem. German. An. 10. Obſerv. 25.

Foliorum ſuccus cum pipere & ſaccharo datus pro doloribus ventris, & renum flatulenta materia ſerviunt. Folia in pulvere data cum ſaccharo conferunt in vertigine capitis, uti & *Flores* in pulvere cum ſaccharo & aqua frigida dati.

Oleum quod ex cortice radicis, cum Sale volatili *Camphora* dicto, per deſtillationem ſimul extrahitur, inſignium & multarum eſt virium: optimè confert in omnibus affectibus paralyticis exteriùs in tempore applicatum: in podagra ſummum ac præſentaneum eſt remedium, vehementes partium affectarum dolores illico ſedans iis inunctum, ad quod etiam confert intus ſumptum: in aſthmate aliiſq; affectibus pulmonaribus ſanandis intus ſumptum etiam maximè confert, uti & ad malignitatem febrium corrigendam, éſtque ſudorem pellens, in gangræna & ſphacelo, aliiſq; affectibus; ulceribus malignis optimè quoque prodeſt, juvátque etiam pro impetiginibus, doloribus artuum, ventris, oculorum, necnon tumoribus membrorum ex frigidis & pituitoſis humoribus obortis; præterea in pedum contuſione ut & vulneribus, ſenſum partium ſtupefactum reparans; prodéſtque in rheumate ſeu fluxu capitis; ejus odor, qui illicò ex titillatione ſternutationem quam rheuma ciet ſiſtit; in flatibus diſcutiendis quoque efficax eſt intus ſumptum; appetitum quoq; excitat ac calculoſis prodeſt: ſúntq; hæ vires experientiâ compertæ. *Camphora* ſervit in affectibus uterinis ad provocanda menſtrua, ſudores quoq; ciet.

Oleum corticis arboris confert in affectibus ventriculi, in torminibus ventris à frigore ortis. Aqua Cinnamomi, ut & florum Cinnamomi deſtillata, cardiaca habetur. Oleum ex foliis prodeſt exteriùs applicatum in Colica; ſummum remedium paralyticis. Eorum aqua conducit in affectionibus cardiacis frigidis, datúrque in potionibus ſudoriferis.

Quæ Antiqui & Recentiores habent de Cinnamomi viribus, non multum differunt ab his quæ recenſuimus, nimirum conducere ad putridos & ſeroſos humores in ventriculo ſtagnantes; ad craſſos etiam & viſcidos; prodeſſe omnis generis obſtructionibus, unde laudatur in hydrope, ictero, calculo, iſchuria, menſibus retentis, partúſque difficultate, &c. Laudatur etiam in affectibus pectoris, tuſſi, aſthmate, &c.

In Inſula Zeilan non minùs frequens eſt Arbor Cinnamomifera in ſylvis & ſepibus quam Corylus apud nos, nec ab incolis pluris æſtimatur, ſed ſine delectu unà cum aliis arboribus ad focum inſtruendam vel alium quemcunq; uſum cæditur.

Suſpicantur nonnulli Cinnamomum ad nos ex Indiis delatum olei ſui maxima parte ibidem ſpoliari antequam navibus huc deportandum imponatur, quippe quòd hic deſtillatum pauciſſimum oleum præbeat.

3. *Canella ſylveſtris Malabarica.* *Katou-Karua* H. M. *Part.* 5. *Tab.* 53. **The great wild Cinnamon-Tree of the Mountains.**

Præcedenti haud abſimilis eſt, tum odore, tum ſapore, niſi quod major ſit & altior. *Folia* itidem prægrandia, oblongo-rotunda, longitudine duas ſpithamas, latitudine duos palmos circiter æquantia: à pediculo ad apicem folii tres nervi craſſiores tranſeunt, è quibus tranſverſæ multæ venulæ excurrunt. *Floſculi* in umbellas expanſi extremis ramulis proveniunt, inodori, viridi-albicantes, pentapetaloides, quinq; viridibus brevibúſq; *ſtaminulis*, viridi-flavis apiculis ornatis medium occupantibus. Floſculis ſuccedunt *baccæ* exiguæ, Ribium noſtratium inſtar.

Locus & Tempus. Provenit locis montanis in *Berkencour*, *Teckencour* aliiſq; vicinis provinciis, ſemper viret; Julio & Auguſto menſibus floret, Decembri autem & Januario maturos fert fructus, diúque ſuperſtes manet.

Vires. Ex Arboris foliis in aqua coctis balneum fit contra quoſcunq; articulorum dolores. Ex radicis cortice cum Cardamomo & Nuce moſchata in aqua cocto potus conficitur ad ventris tormina ſedanda proficuus.

Multas Canellæ & Caſſiæ ſpecies adducit J. Bauhinus, ut,

1. Canellam ſeu Cinnamomum vulgare, craſſiore cortice.
2. Canellam ad vulgare Cinnamomum accedentem.
3. Caſſiæ Moſyliticæ nomine datum corticem.
4. Caſſiam ligneam fuſcam aromaticam, Cinnamomum ex Sarmatia dictam.
5. Caſſiam ligneam fuſcam aromatici & glutinoſi ſaporis.
6. Caſſiam ligneam fuſcam aromaticam acriorem.
7. Caſſiam externa parte inſipidam. Quarum deſcriptiones apud ipſum videantur. Nobis enim ut diximus, omnes ejuſdem arboris cortices eſſe videntur pro loco natale aut ætate arboris differentes.

4. *Malabathrum & Folium Indum Officinarum* J. B. *Folium Indum ſeu Malabathrum* Park. *Tamalapatra* Ger. *Tamalapatrum ſive Folium* C. B. *Cadegi Indi, id eſt, Folium Indum Arabibus* eidem.

Cùm Folium Indum ſeu Tamalapatra, (obſervante curioſiſſimo Fab. Columna) à Canellæ folio,
xcepto ſapore, vix poſſit dignoſci nervis illis tribus & folii reliquis ſignis ſimilibus, ut non ovum
vo magis ſimile ſit; non eſt cur in eo deſcribendo laboremus, cùm in Hiſtoria Canellæ jamjam
bunde deſcriptum ſit.

Scribit Dioſcorides Folium Lentis paluſtris modo aquæ innatare, nulla fultum radice. De Mala-
thro (inquit Scaliger) Veteres ſomniârunt. Qui enim omnes Arabias & univerſas Indias pene-
amus hodie nuſquam folium illud mirabile compertum habemus.

Garcias quoq; Græcos in hoc falli affirmat, Folium enim Indum non aquis innatare, ſed in pro-
ra arbore naſci, procul ab aquis, tum multis aliis in locis, tum in Cambaya. Tamalapatram vo-
nt, quam vocem Græci in Malabathrum corruperunt.

Nos autem, tantiſper donec promiſſum impleat, & diverſum eſſe probet Jacobus Breynius, cum
nato aliíſque doctis ſentimus Folium Indum Officinarum Caſſiæ odoratæ folium eſſe, aut ſaltem
nellæ ſylveſtris Malabaricæ proximè deſcriptæ. Cùm enim id affirment Ruellius, Cordus, Ama-
, Lacuna, alii; Cùm Garcias ſcribat Folium Indum Caryophylla quodammodo redolere, quem
orem Canellæ Zeilanicæ foliis tribuunt D. Hermannus & Knoxius; cum ipſe J. Bauhinus (qui
ntrariam ſententiam tuetur) in noſtro *folio Indo*, ejúſq; partibus quædam eſſe quæ reſpondere vi-
ntur Cinnamomo Veterum fateatur; cùm illud ipſum Canellæ folium à pleríſque etiam doctis
di ſcribat Valerius Cordus; cùm deniq; fructum legitimæ Canellæ (uti jam conſtat) interdum
à cum Folio Indo vulgari ad nos adferri ſe intellexiſſe refert Cluſius, unde & Jo. Bauhinus illum
Folii Indi fructu habet; & Cluſius Tamalapatræ ſeu folii Indi ramulo eum appingat, Folium In-
n dictum ſeu Malabathrum ipſiſſimum Canellæ ſeu Cinnamomi folium eſſe, vix ullus ſupereſſe
etur dubitandi locus.

Malabathrum viribus cum Spica Nardi convenire dicitur, urinam potenter ciere, oris halitum *Vires.*
endare, veſtes ab eroſione vermium tueri.

5. *Cinnamomum ſive Canella Peruana* C. B. *Canella Peruana fructu Pileo ſimili* J. B. *Laurus Americana odorata.* **The American Cinnamon-Tree.**

Arbor eſt à Cinnamomifera genere diverſa, deſcribente Monarde. Mediæ magnitudinis eſſe fer-
, & immortali coma prædita, ut reliquæ Indicæ arbores, foliáque habere Laurinis ſimilia. Fru-
n eſſe parvo pileo ſeu petaſo formâ ſimilem ea latitudine qua Thalerus nummus dictus, inter-
n etiam majorem, extrinſecùs & intrinſecùs ex purpura nigricantem, interiùs levem, foris aſpe-
, cujus margines craſſitie jam dictum nummum æquent, ſummitas verò longè ſuperet, & pedi-
o prædita ſit, unde ex arbore dependeat. Guſtatum eandem ſaporis ſuavitatem & odoris fra-
ntiam habere quam legitima Canella ex Orientali India delata, cùm nonnulla adſtrictione con-
ctam. In pulverem tritum & eduliis inſperſum eandem illis ſaporis & odoris gratiam conciliat
m Indica Canella. Arboris corticem qui craſſus eſt nullum Canellæ ſpirare odorem, aut ſapo-
n referre aiunt. Folia trita tenuem quendam Canellæ odorem ſpirare ferunt; ſed primaria vis
ſolo fructu conſiſtit contra quàm in Orientali Caſſia. In Provincia Sumaco naſcitur.

Diverſam arborem quis crederet quam ex Hiſtoricis Indicis deſcribit Cluſius, folio Laurino,
ctu racematim cohærente, qui calyce Suberino ſimili contineatur, ampliore tamen & magis cavo,
ore nigricante. Hujus arboris fructui, foliis, cortici & radicibus, [licet Canellæ ſaporem & odo-
n habeat] longe calyces præferuntur, quorum duntaxat pulvis in uſu eſt. Nam Canellæ modo
n cibis decoquantur, tantum abeſt ut ſuavitatem eduliis concilient, quin potiùs eorum facultas &
oris gratia decoctione evaneſcit.

Verùm Locus eandem eſſe ſuadet, ex ſententia Cluſii commodiùs deſcriptam ab his Auctoribus.

Calycum pulverem tum ad alia, tum præcipue ad Coli, inteſtinorum & ſtomachi dolores pro- *Vires.*
ant. Ventriculum roborat, flatus diſcutit, oris fœtorem corrigit, cordi prodeſt, & colorem
iei commendat. Ad eadem utilis eſt ad quæ Cinnamomum.

CAP. XXXII.

Vidimaram H. M. *P.* 4. *T.* 37. *p.* 77. *Prunus Malabarica fructu racemoſo, calyce excepto.*

H. M.

ARbor eſt mediæ magnitudinis, caudice craſſo, albicante, cortice obducto craſſo, ſquamoſo,
furvo, ac lineis purpureis ſtriato, odoríſq; gravis, & ſaponariam aquam referentis; nec-
non pluribus ornato ramulis cinereis. *Radix* albicans, furvo cortice tecta, inodora, inſi-
. *Folia* inordinatè circa ramulos longioribus petiolis proveniunt, oblongo rotunda, acuminata,
parte leviter in ambitu crenata, denſa, ſupernè colore atro-viridi ſplendentia, infernè viridi di-
ore: nervus folii medius craſſus, & præterea in quolibet latere unus tenuior ſecundum longitudi-
n excurrit: odor ingratus ac lixivioſus; ſapor unctuoſus. *Flores* candidi ac ſuaveolentes, petiolis
gis circa ramulos racematim proveniunt, viridíque oblongo & acuminato calyci inhærent, ſex
ngo-rotundis, acuminatis, craſſis & extrorſum reflexis foliolis conſtantes, totidem albicantibus
ſtami-

ſtaminulis, flaveſcentibus *apicibus* ornatis, medium occupantibus; inter quæ globulus conſiſtit viridi-dilutus, è quo ſex, ſeptémve tenuia ac albicantia filamenta plerunq; prodeunt. Floribus pari fertilitate *fructus* ſuccedunt; calycíq; rotundo, craſſóque inhærent, oblongo-rotundi cum cuſpide in vertice, alioqui glandibus noſtratibus tum formâ, tum magnitudine haud abſimiles, ſubvirides, glabri, molles, tenui pellicula cincti, carnéq; albicante, pellucida, mucilaginoſa, viſcida, saporíſq; primùm ſubacidi, deinde dulcis intus referti: intra quam *oſſiculum* locatur rufum, oblongum, quadratum, nucleum continens albicantem, amaro-dulcem.

Locus & Tempus. Creſcit variis in locis Malabar, præſertim circa *Bardella*, paluſtribus & uliginoſis. Semper viret, quotannis maturos fert fructus, menſibus ſci. Julio & Auguſto, atq; ad ſexageſimum annum non rarò frugifera manet.

Vires. Fructus hi ſale & acetò condiuntur in *Atsjaar*, maturiores verò comeduntur, at alvum relinquunt aſtrictam.

Ex arboris cortice ſuccus exprimitur, qui cum Oryzæ infuſo & concreto Nucis Indicæ ſucco exhibitus vehementes alvi cruciatus (quos *Tripas ſubidas*, hoc eſt, *inteſtinorum ſpaſmum* vocant Luſitani) ſedat. Idem ſuccus pedum clavis admotus eoſdem emollit ſenſímq; tollit.

Radix quocunq; modo ſumpta alvum movet.

E foliis aqua communi additis aliis ſpecificis coctis apozema fit, quo indigenæ plerique quotannis per 40 dies continuos uti ſolent adverſus viſcerum quorundam obſtructiones & artuum dolores. Succus è foliis expreſſus & cum conchylii cujuſdam pulvere in linimenti forma mixtus fœdas faciei totiúſq; corporis maculas delet, ſi eo illinantur.

CAP. XXXIII.

Prunus pentaphyllos Malabarica fructu calyci inſidente.

Kariil H. M. *P.* 4. *T.* 36. *p.* 75.

ARbor eſt vaſtæ magnitudinis, 50 circiter pedes alta, caudice craſſo, denſo, albicante, cortice obducto craſſo, cinereo, saporíſque aſtringentis, necnon ramulis viridi-albicantibus, fungosâ intus medullâ, ut in Sambuco, refertis, ornata. *Radix* furva, ſaporis amari, odoris terrei. *Folia* terna vel quina ſimul juncta petiolis longis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, ac in mucronem deſinentia, denſa, glabra, ſupernè atro-viridia & ſplendentia, infernè ſubviridia, ſapore ſubamaro. *Flores* ſimiliter petiolis longis circa ramulos proveniunt, cœrulei ſuaveolentes, viridíq; ac rotundo calyci inhærent, quinque ſubrotundis & extrorſum reflexis foliolis conſtantes, cœruleo medium occupante *ſtylo*. *Fructus* pari fertilitate floribus ſuccedunt, calycíq; glandium inſtar inhærent, oblongo-rotundi, Prunorum ſylveſtrium æmuli, ſubvirides, glabri, carnéque molli, humida, viſcida ac albicante referti, quæ fructibus diſciſſis mox inſpiſſatur ac purpurea evadit: odor ingratus, ſapor amarus: intra carnem oſſiculum locatur oblongo-rotundum, nucleum continens candidum, amaro-dulcem.

Locus. Provenit variis in locis Malabar, præſertim circa *Moutan*: Semper viret; quotannis florem fructúmque perficit, Julio viz. & Auguſto menſibus.

Vires. E radice, foliis, fructibus, aliíſq; hujus arboris partibus in aqua coctis balneum paratur quibuſcunq; articulorum doloribus tollendis utiliſſimum.

CAP. XXXIV.

Prunus Malabarica fructu calyculato.

Elengi H. M. *P.* 1. *F.* 20. *p.* 33. *Oleæ affinis Pyrifolia Malabarica flore odorifero ſtellato.* D. Syen.

ARbor eſt procera, frondibus denſis & opacis, latè ſparſis, in arenoſis naſcens. *Radix* ei craſſa, altè deſcendens, ramóſq; tranſverſos ſubtus & ſupra terram latè extendens, cortice lacteo. *Caudex* quantum duo homines ulnis extenſis amplecti poſſunt, cortice craſſo, exteriùs fusco & ſcabro tectus, ligno lacteo, fiſſili, gravi, in aquis ſummè durabili, extra aquas putredini facilè obnoxi *Folia* in parvis viridibus petiolis, oblongo-rotunda, rotundis ad petiolum oris, brevi anteriùs cuſpide, verſùs exteriora reflexa, craſſa, ſolida, plana, glabra, ſupernè obſcuro virore nitentia, infernè lucidiora, odore foliorum Pyri noſtratis. E coſta, ſupinâ etiam parte eminente, venæ tranſverſæ ſubtiles ac denſe excurrunt. *Flores* è foliorum ſinubus exeunt quinq; vel ſex ſimul, pediculis uncialibus, è viridi flaveſcentibus nixi, primò albicantes, dein flaveſcentes, ſeu ex flavo fuſceſcentes, ſtellati è 16 petalis oblongis, anguſtis, cuſpidatis compoſiti, quorum duo & duo arctiùs juncta ſunt, odore fragranti. In med flore octo alba ſurrecta folia, octo *ſtamina* ſurrecta, curta, craſſa, albicantia ac piloſa circumſta verſùs ſummitatem in cuſpidem ſtricta, ac flava, capitulo albicanti flavo, quod germen fructûs circumpoſita, ex quo *ſtylus* viridi-dilutus & albicans emicat. Calyx octo oblongis, anguſtis, cu datis, ſtellatim expanſis foliis conſtat, exterioribus quatuor flaveſcentibus & muſcoſis, interior ea interjacentibus albicantibus. *Gemmæ* florum conicæ ſunt & muſcoſi coloris. Ex floribus ſeu corollas efformant. *Fructus* calyce inferiùs comprehenſi figurâ ſunt olivarum, primùm viri deinde flavi ac rubeſcentes, carne ſub cortice flava ac farinacea, eſculenta, intus continentes ac etiam duo grandia *oſſicula*, oblongo-rotunda, nonnihil plana, ſpadiceo-fuſci & nitentis coloris. Bis in anno floret.

E floribus aquam ſtillatitiam indigenæ eliciunt, quæ odorata eſt, & epota melancholicis ac febricitantibus proficua. *Vires.*

Gravidis in difficili partu fructus triti commodè dantur in aqua calida.

CAP. XXXV.

Prunus Chinenſis duplici in fructu oſſiculo.

Manyl-kara * H. M. *Prunus Chinenſis Belgis. An Pruno ſimilis fructus Chinenſis* C. B. * P. 4. T. 24. p. 53.

H. M.

ARbor eſt procera, caudice craſſo, multíſque ramis longe, latéque diffuſis donato; qui cortice atro-viridi obducti, ubi inciduntur liquorem exſudant unctuoſum, inſipidum, inodorum. Lignum cinereum, cortice obductum denſo, ſcabro, fuſco, intus ruſo. *Radix* flaveſcens, ſaporis acris, odoris ſylveſtris. *Folia* craſſis, rotundis, ac viridibus petiolis circa extremos ramulos numeroſa proveniunt, oblongo-rotunda, atro-viridia, craſſa, denſa, glabra, ſplendentia: media coſta folii craſſa, rotunda, ex viridi-flaveſcens. Manibus ſi confricentur hæc folia viſcidum, lacteum ac acrem fundunt liquorem, quo mediante eadem teneriora arctè complicata ſunt. *Flores* magnitudine Tiliæ floribus haud abſimiles, itidem circa extremos ramulos inter folia rotundis, lanuginoſis ac purpureis petiolis glomeratim, non ſparſim producuntur, ſenſímque porrectis columellis umbellæ ſpecie panduntur: triplici conſtant ordine foliorum acuminatorum ac ruforum, quorum ſinguli ordines ſex continent foliola ac medius planè erectus eſt; inhæréntque *calyci* craſſo, rufo c lanuginoſo, in ſex lacinias acuminatas ſecto, ſex candidis *ſtaminibus* rufis *apicibus* dotatis mediam floribus cavitatem & umbilicum occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit, ipſius fructûs rudimentum: odor ſuavis ac melleus, ſapor nullus. *Fructus* tum forma, tum magnitudine Olivis ſimiles, immari virides, nitentes, ſuccóq; viſcido ac lacteo referti; maturiores verò purpurei, intúſq; rufâ, ſuclentâ, ac acido-dulci carne referti, intra quam bina, (rariùs unum) locantur oſſicula, oblonga, labra, rufa, nitentia, *nucleum* continentia album ac amariuſculum.

Arbor hæc nullibi, niſi ſobole aut ſeminibus in hortis ſata; provenit in Malabar: Chinæ & Inlarum Philippinarum indigena eſt, indéque in Malabar illata; hinc *Manyl-Kara* quaſi *Kara* è *Malbas* inſulis appellatur. Quotannis maturos fert fructus, Auguſto, viz. & Septembri menſibus, ſemr viret, diúque frugifera manet. *Locus.*

Fructus maturi inter bellaria comeduntur, appetitum augent, & concoctionem promovent. *Vires.*

Ex arboris foliis cum radice *Curcuma* & Zinziberis foliis coctis & contuſis cataplaſma conficitur, od tumores quoſcunque potenter maturat.

Ex iiſdem in Seſami oleo coctis, addito cortice hujus arboris pulveriſato, litus paratur, qui affectui ralytico endemio, Indis *Beriberi* dicto, ſanando ſummopere conducit.

CAP. XXXVI.

Ibacu-rapari Braſilienſibus Marcgrav. *Prunifera umbellata fructu reniformi cum duobus oſſiculis.*

Marcgr.

ARbor eſt mediocris, cortice griſeo. *Folia* fert in frondes congeſta, ab uno ad quatuor digitos longa, lætè viridia, foliis Perſicæ haud abſimilia. In cujuſlibet rami extremitate umbella enaſcitur, plerunque in quatuor brachia rhombi inſtar expanſa, quodlibet brachium item in multos pediculos, in quorum quolibet *floſculus* provenit, calice albo, digitum longo, ſupes in quinquangularem ſtellam diviſus, coloris obſcurè cœruleo-purpurei, inodorus. Sequitur *ctus* Pruni equini magnitudine, figurâ renis ovilli, in ſuperficie glaber, cuticulâ lutea, & intes carnem luteam habens, odoris ut Sapo Hiſpanicus. Carni autem involuti duo lapides figuræ elticæ, compreſſi, duri. Fructus non comeditur.

CAP. XXXVII.

Prunifera veſicaria fructu multiplici, oſſiculo in ſingulis quadrato.

Theka * H. M. *Kyati ſeu Quercus Indica* Bontii. * P. 4. T. 27. p. 57.

ARbor eſt præcelſa, atq; ſpecioſa plurimum, caudice præcraſſo, cortice craſſo, ſcabro ac cinereo obducto, necnon ramulis viridibus, geniculatis ac quadrangulis plurimis donato: Lignum albicans, durum, glabrum, ſtriatum, quercino ligno haud abſimile. *Radix* rufa, oris adſtringentis & ſubamari, odoris ſubacidi. *Folia* geminata ordine parallelo ramulis inhæt, oblongo-rotunda, acuminata, denſa, craſſa, ſupernè ſplendentia, infernè nequaquam, duas hamas aut amplius longa, ſpithamam lata: odor acidus, ſapor auſterus. Manibus ſi confricentur hæc folia ſuccum fundunt, qui illico ſanguinis inſtar atro-purpureus evadit. *Flores* exigui, ſuaveolentes, circa ramulos teneriores ad foliorum exortum petiolis longis, quadrangulis ac ſulcatis proveniunt, ſenſímque porrectis columellis umbellæ ſpecie panduntur: conſtant quinq; vel ſex ſubrotundis, candidis & extrorſum reflexis foliolis, inhæréntq; exiguo & acuminato calyci: foliola hæc intercedunt totidem *ſtaminula* alba, *apicibus* luteis donata, medium occupante *ſtylo* ſubviridi, acuminato. Tandem ſuperveniunt veſicæ magnæ, virentes, ſuperiùs apertæ, in quibus tres quatuórve, (ligneo tamen ſepimento ab invicem ſejuncti) locantur. *Fructus*, ſubrotundi, virides, lanuginoſi ac hirſuti, necnon carne virideſcente inodora, ſaporíſque amari & adſtringentis, referti, intra quam *oſſiculum* continetur quadratum, ex albo rufeſcens, *nucleum* includens exiguum, albicantem.

Locus. Creſcit ubique in Malabar, at præſertim in provincia *Atsjen-coyl* & *Calicolan*, ubi integræ ſylvæ ingentium harum arborum reperiuntur. Semper viret, quotannis floret fructúmq; fert: menſibus, viz. Auguſto & Octobri.

Uſus & Vires. Lignum hujus arboris Quercino ligno haud abſimile eſt, operi fabrili accommodum, atque naupegis ad navium fabricam in uſu, ſed in aquis, præſertim dulcibus, teredini facilè obnoxium.

Gentiles, neſcio qua ſuperſtitione ducti, hoc ſolummodo ligno ſua vel conſtruunt vel reparant templa: Et retulit Princeps *Calicolan* ſe integrum templum ex unica hujuſmodi arbore ædificare curâſſe.

E foliis tenerioribus purpureus conficitur color, quo panni ſericei & goſſipini tinguntur. Etiam tenera hæc folia in deliciis indigenæ comedunt, ex iíſque coctis cum ſaccharo ſyrupus fit, qui aphthis medetur. Ex floribus cum melle coctis medicamentum paratur, quod aſſumptum aquas hydropicorum educit. Radix ſiccata, contuſa, & in pulverem redacta, ſícque exhibita ſanguinem ex caſu alicubi concretum diſſolvit. E fructibus tenerioribus contuſis unguentum conficitur herpeti ſanando perquam utile.

CAP. XXXVIII.

Prunifera racemoſa Malabarica fructu compreſſo, nucleo nudo. Panel * *H.M.*

* P. 2. F. 9. p. 9.

FRutex eſt altitudine quinque ſexve pedum: *Radice* capillata, cortice cinereo aromatico tecta. *Folia* in brevibus & craſſis petiolis oblongo-rotunda, ad petiolum contractiora, in medio latiſſima, cuſpide modò obtuſo, modò anguſtiori, utrinque adverſis extantibus nervis ex coſta ſtriata, ac inæqualis ſuperficiei ex groſſo plurium nervorum undique decurrentium cancelliformi contextu; coloris viridi-ſurdi. *Flores* in racemis longis hinc inde è foliorum ſinubus egreſſis conſiſtunt, candidi, quinq; petalis rotundis ac anteriùs rotundo-cuſpidatis compoſiti, odoris haud injucundi. *Stamina* decem, velut anguſta foliola albicantia, *apicibus* parvis flavis dotata: *ſtylus* in medio craſſus & ſubviridis, in ſummitate habens capitulum flavo-albicans, éſtque principium ac germen fructûs. *Flores* ſequuntur *fructus*, qui ſunt baccæ plano-rotundæ, in vertice habentes ſpiculum ſeu nodulum, qui ſtyli germinis ſui capitulum conſtituebat, ſúntq; odoris aromatici, æmulantis odorem Piperis dicti *Capò Molagò*, & gingiberis viridis, cùm immaturæ ſunt colore viridi albicante, ac cortice, qui craſſiolus eſt, aſpero ſeu minùs flavo, ob gemmulas viridiuſculas hinc indè eminentes; ex maturitate primùm albeſcunt, dein cùm planè maturæ ſunt colore albicante eburneo & ad perſicum vergente, corticéque glabro nitente ac nonnihil tranſparente, carne ſucculenta & ſubdulci: ſuntq; hæ in eduliis.

Intus unum rotundiolum, planum ac grandiuſculum *ſemen* continetur, quod tenuiſſimo ac viridi cortice etiam cùm maturum, ac pulpâ albâ odoris aromatici ac ſaporis ſubacris.

Flores fert toto anno.

Vires. Totius plantæ tritæ & decoctæ vapor in parte affecta exceptus ſedat dolorem arthriticum. *Radix* humoribus evocandis trita, & cum aqua in qua Oriza macerata fuit in lotione adhibita inſervit: eadem trita & in aqua ſumpta appetitum acuit, in decocto data flatus diſcutit. Folia in capitis affectionibus conferunt, ut præcipuè in phreneſi: eorum ſuccus cum oleo decoctus & auribus immiſſus, earum dolorem ſedat: decoctorum vapor ore attractus dentium dolorem mitigat.

CAP. XXXIX.

Oepata H.M. *P.4. T.45. p.95.*

Arbor Indica fructu conoide, cortice pulvinato nucleum unicum, nullo oſſiculo tectum claudente.

H. M.

ARbor eſt præcelſa & ſpecioſa plurimum, altitudine 70, craſſitie verò 16 circiter pedum menſuram æquans, multíſque ramis cinereis, longè latéq; in orbem diffuſis, donata. Lignum albicans, cortice munitum cinereo. *Radix* fibrata, rubicunda, rufo cortice tecta, inodora, mucilaginoſa, ſaporíſq; ſubſalſi. *Folia* geminata ordine parallelo brevibus petiolis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, craſſa, denſa, glabra, nitentia, ſupernè viridia, infernè ſub cinerea, inodora, inſipida. *Flores* racematim proveniunt, exigui, ſuavè-olentes, calycíq; viridi in quinq; lacinias acuminatas ſecto inhærent, quatuor oblongo-rotundis, acuminatis, luteis, atq; in ambitu albicantibus petalis conſtantes, inter quæ totidem albicantia, bifidis *apicibus* ornata *ſtam* intercedunt, medium occupante *ſtylo* exiguo, candido. Pari fertilitate floribus *fructus* ſucced conformes ac plani, cum cuſpide in vertice, cortice viridi, craſſo, carnoſo ac pulvinato to

Amygdal

Amygdalæ in modum: huic includitur *nucleus* fabam majuſculam cùm formâ, tum ſubſtantiâ & odore referens, & ſaporis amari, qui dum in involucro ſuo adhuc continetur, germinare incipit, ac radicis foliorúmq; primordia emittit.

Provenit locis arenoſis ad ripas aquarum ſalſarum præſertim circa *Cochin*. Singulis annis maturos fert fructus, Auguſto viz. & Septembri menſibus, atq; per ſeculum non raro frugifera manet. *Locus.*

Lixivium è cineribus præſtans eſt ad pannos eluendos; Pictores etiam coloribus admiſcere ſolent, ut picturis adhærere firmiùs queant. *Vires.*

Fructuum nuclei in eduliis *Caril* ab indigenis expetuntur, amaritudine per diutinam macerationem & coctionem in aquâ ſublatâ. Inſuper è fructibus hiſce viridibus, cum foliis *Adamboe* coctis & addito butyro contuſis cataplaſma fit, quod tumoribus impoſitum potenter eos emollit, & maturat: eundem in finem cataplaſma hoc variolis & morbillis imponi ſolet, ut citiùs vel maturentur vel diſcutiantur.

Fructus magnam cum Anacardio habet ſimilitudinem.

CAP. XL.

Prunus Icaquenſis Rochefortii.

Arbuſcula eſt fruticis in modum ſparſa, perpetuæ frondis honore geſtiens; *foliis* parvis longiuſculis, bis quotannis *floribus* innumeris, pulchellis, albis aut violaceis, interſtinctis, onuſta. Floribus ſuccedunt *fructus* parvi, rotundi, magnitudine Pruni Damaſceni, qui maturitate albi aut violacei evadunt ad modum florum. Valdè autem dulces ſunt hi fructus, Indis quibuſdam qui juxta ſinum Honduræ degunt in deliciis habiti; qui eorum adeò avidi & amantes ſunt, eáque tanti faciunt, ut ipſi *Icaquenſes* indè denominentur: Proinde quando matureſcunt pruna excubias agunt, & armata manu vicinos arcent, nè furtim aut aperta vi ea rapiant, aut fruteta depopulentur.

Prunus de Monbain Rochefort.

Præcelſa eſt arbor, pruna longa, flava odore ſatis grato producens. Verùm cùm oſſiculum grande, pulpam ſeu carnem paucam habeant, non magni fiunt, ni fortè ab iis qui potui *Ouicou* vel *Mobby* dicto ea admiſcent ad ſaporem gratiorem communicandum. Quo tempore maturitatem adepta in terram decidunt hæc pruna, Porci in ſylvis degentes ex eorum eſu, quo multum delectantur pingueſcunt admodum.

Hæc Arbor gummi exſudat flavum odore intenſiore quàm ſit ipſe fructus. Ramuli avulſi aut deciſi terræ impacti facile comprehendunt & radices agunt, unde ad ſepimenta vivariorum quibus pecora includunt frequentiſſimus eorum uſus eſt.

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER VIGESIMUS OCTAVUS,

QUI EST

De Arboribus Bacciferis flore imo fructui cohærente.

BAccam voco fructum minorem pericarpio ſeu pulpa humida donatum, cui ſemina ſeu nuclei includuntur vel ſolitaria, vel bina, terna, quaterna aut plura.

Quæ fructu ſunt monopyreno, hoc eſt ſingulari ſeu unico intus oſſiculo aut nucleo, ſola fructuum parvitate à Pruniferis diſtinguuntur.

Bacciferæ arbores ſunt vel ſingulis acinis ſingulis floribus ſuccedentibus, vel pluribus acinis confertis ad ſingulos flores, ut *Rubus*.

Primi generis plantæ ſunt vel baccâ calyculatâ, hoc eſt, calyce à flore ſuperſtite exceptâ, vel baccâ nudâ, calyce ſcilicet unà cum flore deciduo.

Quæ baccâ ſunt nudâ ſunt vel eâdem monopyrenâ ſeu unicum intus nucleum claudente, vel polypyrena, nimirum vel duobus intus nucleis, vel tribus, vel quatuor, vel pluribus.

Draco arbor quam ad hoc genus refero inſigni nota foliorum gramineorum ab aliis omnibus differt, ut per ſe genus unum ſubalternum conſtituat.

Librum ergo hunc in quatuor Sectiones partiemur.

Prima erit de Bacciferis fructu calyculato ſeu calyce à flore reſiduo excepto.

Secunda, De iis quæ fructu ſunt nudo & monopyreno, ſeu unicum intus nucleum ſeménve claudente.

Tertia, De iis quæ fructu ſunt nudo & polypyreno, ſive duos nucleos ſemináve contineat, ſive tres, ſive quatuor, ſive plura, quibus admiſceo eas de quarum nucleorum numero nondum mihi conſtat.

Quarta denique de iis quarum fructus eidem flori ſuccedens ex pluribus acinis componitur.

SECTIO I.

De Arboribus bacciferis fructu calyculato.

CAP. I.

1. *Saſſafras* Ger. Park. *Saſſafras ſive lignum Pavanum* J. B. *Saſſ. Arbor ex Florida Ficulneo folio* C. B. *Anhuiba ſeu Saſſafras major* Piſo. **The Saſſafras-tree.**

MAximæ hujus generis Pini ſunt magnitudine & formâ: nam præterquam quòd ſunt trunco unico, & Palmæ inſtar non ramoſo, valido & recto; ramos in cacumine habent coronæ inſtar ornatè expanſos ad inſtar Pinûs repurgatæ. Cortice ſunt tenui, glabro ex gilvo nigricante [craſſo, fulvi coloris, alio tenuiore cinericeo tecto] veluti odore, ità & ſapore admodum aromatico, ad Fœniculaceum accedente. Ramis hærent folia viridia, tenuia, ficulneorum aut Vitis albæ æmula, odorata, multóque magis exſiccata: Tenera adhuc Pyri foliis ſimilia ſunt, vixque ullum angulum oſtendunt, inquit Monard. quòd confirmat Tho. Johnſonus in Gerardo ſuo emaculato: qui Saſſafras arbuſculæ à ſe viſæ in horto D. *Guliel. Coys* Stratfordiæ propè Londinum ramulum deſcribit & depingit foliis infimis integris & propemodum Pyriformibus, ſummis in tres cuſpides diviſis; in eodem utiq; ramulo. Perpetua fronde eſt, floribus & fructibus Monardi & Piſoni incognitis. At C. Bauhinus fructum oblongum, rugoſum, longiſſimis pediculis donatum ei attribuit. Parkinſonus ex relatione Jo. Tradeſcantii. *Flores*, parvos, luteos, ſtamineos Corni maris floribus perſimiles eſſe tradit, quibus ſuccedunt pro fructu baccæ parvæ, nigricantes, calycibus parvis exceptæ, multæ ſimul racematim congeſtæ, pediculis longis inſidentes. *Radices* nunc craſſæ, nunc tenues, ad terræ ſuperficiem expanſæ, unde arbor exſtirpatu facilis, quarum cortices arborum corticibus ut odoratiores ità & in medicina præſtantiores, Fœniculum recipientes Cluſius Draconis herbæ guſtui aſſimilat.

G. Piſo Monardis deſcriptioni circa lignum Saſſafras non acquieſcendum eſſe ait, ſiquidem affirmat Saſſafras Floridæ lignum decorticatum vix ullius dignitatis eſſe, cùm Braſilienſe eximiæ dignitatis & virtutis habeatur, atque à cortice liberatum in aliquot annos immune ſervatur: Duas adhuc alias hujus arboris ſpecies deſcribit Gu. Piſo: 1. Prior albicante & flaveſcente eſt ligno, ac proinde Luſitanis *Cedro branco* vel *Canella* ob odorem dicitur, Braſilienſes *Anhuipitanga* vocant. Foliis eſt parvis, anguſtis & tenuibus.

2. Altera ſeu tertia ſpecies, *Anhuibamiri*, quantum duabus prioribus magnitudine inferior, tantum virtutibus ſuperior, omnibus pariter Braſilienſibus in quotidianos uſus repoſita. Folio eſt Lauri, ſeu minori, fructu odorifero & nigro ubi maturuerit, eóque ſimul cum cortice, ligno, foliis & radice intensè calidis.

J. Bauhinus lignum *Saſſafras* ſic deſcribit. Cortice tegitur interiùs fungoſo nonnihil molli: materies ſubjacet alba, vel ex albo ruſeſcens, aliqua interdum etiam ex parte ad cinereum vergens, mollitie & pectinibus Tiliaceis, odore & ſapore ſuavi, aromatico, acriuſculo & ſubdulci quodammodo Aniſi.

Naſcitur in maritimis locíſque temperatis [in vaſtiſſimis & diſſitis ſaltibus *Piſon.*] non tantùm **Locus.** in Florida, ſed & in aliis Americæ regionibus, etiam Braſilia ipſa.

Folia contuſis imponunt Indi, ſicca etiam in medicos uſus aſſumunt.

Ligni decoctum, ſed maximè radicis ejúſque corticis, multi usûs eſt, quod vel meracius vel ſaturatius pro ægri viribus, ætate aut temperamento ſumendum eſt. J. Bauhinus cùm Monſpelii ageret ligni cum ſuo cortice deraſi ℥iß. in tribus tantùm aquæ fontanæ libris à medicis Monſpelienſibus infundi ſolere ait per horas 12. deinde ad lib. ij. conſumptionem decoqui & de colatura ℔j. manè ſumi calidè. Meliúſque cenſemus (inquit) cum celeberrimis ejus loci medicis in duas tantùm doſes ſic parari quàm in plures, tum quia aſſervatum gratiam odoris amittit, tum quòd facultas illius facilè evaneſcit. Eſt enim tenuiſſimarum partium.

Reſidentiam prædicti decocti infundebant per tres horas in lib. 16. aq. font. decoquebant ad lib. ii. conſumpt. colatóque per manicam Hippocrat. Saccharo, Boſcheti titulo, aut ſine eo, pro potu ordinario utebantur, liberaliori adhibito victu quàm in decocto Guaiacino, quo nomine frequens ejus uſus in corporibus macilentis. Hac ratione magno ſucceſſu præſcribebant ad podagras, iſchiadas, veteres fluxiones, obſtructiones confirmatas, febres nothas & antiquas, & ſingulari propemodum experimento ad fœdos virginum colores. In lue Venerea idem præſtat quod Guaiacum, China, Sarſaparilla, ſimili uſu & utilitate. Valet & ad membra reſoluta. Ventrem ſolvit cyathus manè calidè ſumptus: Paſſionem cœliacam diuturnam ſanat, flatus uteri & cruditates conſumit certo experimento; menſes mirificè provocat, ſterilitatem etiam emendat. Macilentis confert & carnem auget: Multi etiam ad peſtis & morborum contagioſorum præcautionem aquâ vel decocto ejus utuntur.

Monardes ad frigidos ventriculi affectus & flatus commendat, necnon ad concoctionem promovendam, & vomitum compeſcendum. In morbis thoracis frigidis efficax eſt; ínque capitis doloribus tum novis quàm inveteratis. Calculoſis utiliter datur iíſque quibus arenulæ gignuntur in renibus. Adverſa eſt iis qui urinæ ardore laborant. Halitum denique oris emendat. Hæc Monardes ad quem Lectorem qui plura velit remitto.

Notat Schroderus inſtar Panaceæ in catarrhis haberi.

Ligno Saſſafras dicto ſubjungit J. Bauhinus Lignum Aniſi.

A Tho. Platero medico communicatum, odore Aniſi & quàm Saſſafras ſuaviore mitioréque, materie ſolidâ, ſubfuſca, pectines rectos, maculis tranſverſis ac ſplendicantibus intercipientibus, quales ferè in Fagino ligno videri ſolent. Facilè finditur. Flammæ admotum facilè adoleſcit, & luculentam flammam præbet; ſed odorem gratum non reddit ſicuti Saſſafras.

2. *Saſſafras arbor folio crenato* Munting.

Hanc depingit & deſcribit Abrahamus Muntingius in Herbario Belgico, quem conſulat Lector, Nos enim linguam Belgicam non intelligimus.

Cap. II.

Tinda-parua H. M. P. 1. F. 48. p. 87. *Arbor Malabarica baccifera, cortice albicante, glomerato flore* D. Syen.

H. M.

Arbor procera eſt, naſcens in arenoſis. *Radix*, quæ fibris terræ ſe affigit, cortice eſt craſſo, ſubflaveſcente, molli, lacteſcente, ſaporis adſtringentis; ligno albicante. *Stipes* ambitu hominis amplexum implens, cortice eſt cinereo, ſublacteo, uti ſunt & rami & ſurculi. *Folia* ibus petiolis hinc inde inſident, oblongo-rotunda, nonnihil cuſpidata, ad petiolum etiam cona, in margine denticulata, in[illegible]s ſublactea, texturâ rigida ſeu dura, ſupernè obſcuriùs viridia, ſubtus lucidiora. *Nervorum ductus & diviſiones in foliis nihil habent ſingulare. Deſcriptionem ſi placet vide.* ***Flores*** in capitulis plano-rotundis, petiolis ſimplicibus, curtis inſidentibus, per ſurculos hinc inde, ut gemmæ plures unitæ prodeunt, quatuor petalis cuſpidatis, dilutè virentibus compoſiti. ***Stamina*** quatuor, ex foliis longè emicantia, ***apices*** geſtant albicantes, grandiuſculos. ***Stylus*** in medio breviſſimus cum capitulo albicante. ***Fructus*** ſunt baccæ rotundiolæ, calyce quadrifolio primùm arctè tectæ, è vertice ſtylum bifurcatum ejicientes, primùm virides, dein albeſcentes, per maturitatem rubicundi & parùm nitentes. Unum capitulum gemmeum nonniſi unum fructum profert. Sub cortice exteriori tenui unus nucleus rotundus, viridis continetur, qui proprio, nonnihil cartilaginoſo, rufeſcente cortice tegitur.

Radix trita & cum aqua Oryzæ in lotione adhibita morbo ſacro confert: eadem trita Apoſtematis imponitur. Folia decocta in fomentis aut cataplaſmatis quoſcunq; dolores leniunt, & in puerperis juvant.

CAP. III.

Frutex baccifer Malabaricus fructu calyculato, rotundo, monopyreno. Myſtax dictus. Modera-canni **H. M.** ***part. 2. Fig.*** **19.** ***à Modira, i. e. myſtace dicta. Caniram ſpecies eſt deſcript.*** **P. 1. F. 37.**

H. M.

FRutex eſt altitudine duûm hominum, naſcens in arenoſis. ***Radix*** craſſa, exteriùs cortice flavo ſeu ruffo, qui albicante farina ſeu calce obductus eſt, intus ligno fuſco-rufo, & grati ac aromatici odoris. ***Rami*** cortice ſunt cinereo, iiſque ſpinæ unciales, lignoſæ tranſverſæ hinc indè innaſcuntur. ***Folia*** in brevibus ſurculis qui intervallo ab exortu fermè unciali ad utramque partem lignoſa & ſpiratim intorta barba muniti ſunt. [Hinc planta *Modera-canni* dicitur. Nam *vox modira* in lingua Malabarica myſtacem denotat.] proveniunt, & in ſuperiore eorum parte quæ ſupra barbam eſt, & infra quoque ad eorum exortum brevibus pediculis appenſa, ſúntque oblongo-rotunda, anteriùs obtusè cuſpidata, ad petiolum nonnihil ſtricta, virore utrinque claro, ſupernè parùm nitente; ad exortum duobus foliis cuſpidatis anguſtis velut auriculis comitata. ***Flores*** in ſummis ſurculis pediculis vix ſemuncialibus inſidentes, duo tréſve ſimul prodeunt, conſiti in calyce viridi-flaveſcente quinque cuſpidatorum foliorum, ſúntque colore flavo & parùm nitente, conſtantes quinque petalis tenuibus, oblongo-rotundis, & venulis tenuiſſimè in longum ſtriatis, unguibus albicantibus. ***Stamina*** in medio 10, longiuſcula, ſubflava conſpiciuntur nodulis flavo-rubris dotata, inferiùs albicantia, quæ in calyce mutuo unita capitulum medium albicans circumambiunt; è cujus vertice prodeunt alia quinque ***ſtamina*** parva, ſubflava, cum viridibus nodulis ſeu ***apicibus***. ***Fructus*** rotundæ baccæ ſunt, inferiori parte in calyce arcto profundè inſidentes, glabri, nitentes, per maturitatem flavi & ſubrubri, ſub exteriori pellicula carne valdè rubra, denſa, humida conſtantes. In medio oſſiculum albicans, durum, in longum venis ſtriatum, parum nuclei continens.

Vires. In lotione corporis adhibitus humores evocat. ***Radix*** inflammationibus ſedandis & tumoribus reſolvendis confert trita & impoſita: eadem præſentaneum remedium eſt pro ictu virulento colubri; uſurpatur quoque pro febribus, præcipuè infantium, inteſtinorum torminibus, dolore colico & vermium enecatione; éſtque ſudorifera, urinam ciens artúſque corroborans. E radicis cortice Alexipharmacum contra venena formatur.

CAP. IV.

Baccifera Indica fructu cuſpidato monopyreno, calyce reſiduo excepto. Baſaal **H. M. P. 5. T. 12. p. 23.**

H. M.

ARbor eſt mediocris magnitudinis, ***caudice*** tenui, albicante, cortice cinereo fuſco obducto, necnon pluribus ramulis ſubviridibus ac ſubcinereis donato. ***Radix*** albicans, craſſo, ſubrufóque cortice tecta, ſaporis amaricantis. ***Folia*** circa extremos ramulos brevibus petiolis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, mollia, flaccida, atro-viridia; coſtâ mediâ craſsâ. Sapor amarus, odor acris. ***Floſculi*** numeroſi racematim proveniunt, candidi primùm, deinde ex albo rubeſcentes, ſuaveolentes, calycíque exiguo, ſubrufo, in quinque lacinias acuminatas ſecto inhærent, quinque oblongo-rotundis ac ſtellæ in modum expanſis, foliolis conſtantes, quæ totidem intercedunt ***ſtaminula*** alba, ſurrecta, ſubrufis ***apicibus*** ornata, medium occupante ***ſtylo*** exiguo. Floſculis ſuccedunt ***Baccæ*** rotundæ, rubeſcentes cum cuſpide in vertice, inferiùs calyce quinquangulo exceptæ, carne ſucculenta ac ſubdulci intus refertæ, intra quam oſſiculum locatur albicans, plano-rotundum, nucleum continens candidum, amaro-dulcem.

Locus: Provenit locis arenoſis, præſertim fertili ſolo circa *Cochin*: quotannis floret fructúmque profe atque à primo ſationis anno ad decimum quintum frugifera eſſe ſolet.

Uſus. E tenerioribus foliis addito zinzibere in aqua coctis gargariſma paratur faucium affectibus u E baccis in butyro frixis unguentum conficitur, quod fronti ac temporibus illitum phreneticis va prodeſſe dicitur. Nuclei verò earundem aſſumpti lumbricos necant.

CAP. V.

Baccifera Indica fructu oblongo, calyci incidente monopyreno, oſſiculo compreſſo. Kaka-Niara H. M. P. 5. T. 28. p. 55.

H. M.

Niaræ ſpecies eſt ſed humilior, quatuordecim circiter pedes alta, *caudice* tenui, albicante, cortice munito furvo, intus flaveſcente, necnon ramulis viridi-fuſcis, in orbem diffuſis, donato. *Radix* fibrata, nigricante, intus ſubrubeſcente cortice cincta. *Folia* oblongo-rotunda, craſſa, denſa, glabra, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia: ſapor ſubacido·aſtringens, odor nullus. *Flores* extremis ſurculis proveniunt, inodori, quinque oblongo-rotundis, acuminatis, rigidis, craſſis, colorisque carnei foliis conſtantes, totidem *ſtaminulis* albicantibus, flavo-rubeſcentibus *apicibus* ornatis medium occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit viridi-albicans, ipſius fructûs rudimentum. Floribus ſuccedunt *baccæ* oblongo-rotundæ, calycíque exiguo, viridi, in quinque lacinias ſecto inhærent, virides primùm, dein albeſcentes, pòſt rubeſcentes, tandem nigricantes ac nitentes, carne intus ſubrubeſcenti ac ſubdulci refertæ, oſſiculo albicante plano-rotundo.

Provenit in *Porca* & *Moutan*; ſemper viret: quotannis floret, fructúſque fert, menſe viz. Auguſto. *Locus.*

Expreſſus è foliis ſuccus, & cum lacteo nucis Indicæ ſucco exhibitus lumbricos necat; & cum muria potus eoſdem expellit. *Vires.*

CAP. VI.

Peragu H. M. P. 2. F. 25. p. 41. *Frutex baccifer Malabaricus, floribus pentapetalos, binis, unâ baccâ nigrâ in calyce ſtelliformiter expanſo.*

H. M.

TRipedali eſt altitudine, in arenoſis naſcens, radice fibroſa, flava ſeu rufa, ſaporis & odoris nullius. Stipites & ſurculi teretes, verùm in ſummo quadrangulares, vetuſtiores cinerei, teneriores ex viridi ſpadicei & tomentoſi. *Folia* petiolis rotundis, tenuiter piloſis ſeu tomentoſis, bina conjugatim, & alterno ordine ſurculis adnaſcuntur, cordiformia, cuſpidata, craſſa piloſâ la- gine obducta & veluti inſtar lenia, viridia, ſubtus dilutiora, ſapore ſubamaro, deſcriptionem ductûs rvorum vide. *Flores* bini unà proveniunt in petiolis rigidis, obliquè ſurrectis in ſurculorum ſuperiori rte hinc indè ſupra ex origine parvorum ac ſe mutuo ordine decuſſantium foliorum, quæ quidem n majoribus formâ conveniunt, at longe minora manent, & minora ſunt quò apici ſurculi propiora. nt autem flores candidi, quinque petalis compoſiti, oblongo-anguſtis, ad unam magis partem ſitis, æ in medio unâ venâ ſtriata ſunt, inſidéntq; pediculo albo [tubo ſeu collo] ſubflavo calyci amplo, xo, quinque foliorum cuſpidatorum, quæ in medio anteriùs nervulis ſtriata ſunt. *Stamina* è me- o exeunt quatuor, tenuia, candida, longa, cum *apicibus* nigricantibus lunulatis incumbentibus: m *ſtylus* tenuis, candidus, in ſummitate viridis ac bifidus, è primordio fructus, quod ex calycis ificio ſe exſerit, prodiens. Flores odoris ſunt gravis male-olentis. Floribus delapſis ſuccedunt *ccæ* ſingulæ, à calyce laxo primùm in totum comprehenſæ, dein è calyce Stelliformiter expanſo, exteriora versùs reflexo emicantes; ſúntque primùm virides, deinde ex viridi-fuſco cœruleſcentes, oſt cum planè maturæ nigræ ac nitentes, cortice tenui, intus parùm ſucculentæ, ac comeſtæ non- hil adurunt. *Semina* quæ fructus in totum replent, ac in ſingulis duo, tria, vel etiam unum con- entur, una parte rotundiola ſunt, alterâ plana,, vel duobus planis lateribus conſtantia, in latere otundo nervulis eminentibus cancellatim ſtriata, ac colore cùm ſicca ex rubro nigricante.

Radix proficua eſt pro lienteria & inteſtinorum torminibus & dolore colico, in lacte acido vel *Vires.* iam vino data. Eadem in pulverem redacta ad puſtularum exſiccationem confert. Foliorum ccus epotus lumbricos in ventre enecat.

CAP. VII.

Baccifera Malab. racemoſa, tripetala fructu oblongo tricocco, calyce excepto. Tsjerou-Poeam H. M. *part.* 5. *tab.* 56.

H. M.

ARbuſcula humilis eſt, caudice tenui, albicante; cortice cincto nigricante, intus viridi, multíſque ramulis geniculatis donato. *Radix* flaveſcens, rufo cortice tecta, odoris ac ſaporis ingrati. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu leviter crenata, lenia, ſupernè atroviridia & ſplendentia, infernè ſubviridia ac lanuginoſa, nervis aliquot è media coſta al- ante, & in averſa parte extuberante in latera excurrentibus: Odor & ſapor ingratus. *Flores* in- ri, viridi-albicantes racematim ad foliorum alas in ſurculis proveniunt, calycíque viridi tripar- inhærent, tripetali, è tribus viz. oblongo-rotundis, acuminatis expanſíſque foliolis conſtantes, dium occupante globulo viridi, è quo exſurgit *ſtylus* tenuis oblongus, è viridi flaveſcens, capitulo ndo. Floribus pari modo ſuccedunt *baccæ* oblongo-rotundæ, tricoccæ, virides, calycibus exceptæ, tria intùs continentes *ſemina*, viridi-albicantia, amara, membranaceis pelliculis ſejuncta, ita ut ſingula in ſingulis latitent loculamentis.

Locus. Provenit variis Regni Malabarici locis, præſertim circà *Repolyn*: ſemper viret, floret & fructum fert.

Vires. E floribus, fructibus & cortice in oleo coctis linimentum paratur, quod capiti inunctum cephalalgiam ſanare fertur. Folia recentia contuſa & parti eryſipelate laboranti impoſita id tollere dicuntur.

CAP. VIII.

Frutex baccifer Malabaricus fructu calyce excepto, ſulcato tripyreno. Katou-Patsjotti H. M. P. 5. T. 7. P. 13.

H. M.

ARbuſcula humilis eſt, caudice tenui, albicante, cortice obducto cinereo-rubeſcente. *Radix* ſubalbicans, ruſo cortice cincta, grave-olens, unctuoſa. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu crenata, craſſa, ſupernè colore atro-viridi ſplendentia, infernè ſubviridia, mollia ac tomentoſa; nervis aliquot è media coſta in latera excurrentibus. *Flores* ad foliorum exortum racematim ſurculis inhærent, tribus rubro-flaveſcentibus, ſubrotundis ac intus concavis foliis conſtantes: odor nullus. *Fructus* calycibus quinquepartitis excepti floribus pari modo ſuccedunt, ſubrotundi, anteriùs in acutum mucronem deſinentes, tribus angulis ſulcati, craſſo viridique cortice tecti: in meditullio tria latitant *ſemina*, oblongo-rotunda, triquetra, purpureo-nigricantia, membranaceis pelliculis ſejuncta, ità ut ſingula in ſingulis latitent cellulis.

Locus & Tempus. Provenit variis Regni Malabarici locis, præſertim in *Candenate*, ſemper viret, quotannis fructus fert, Septembri ſci. & Octobri menſibus.

In re medica nullus ejus uſus eſt.

CAP. IX.

Frutex baccifer Malab. fructu calyculato, tetracocco, umbellato. Tsjocatti H. M. P. 5. Tab. 48. P. 95.

H. M.

ARbuſcula eſt humilis, duodecim circiter pedes alta, *caudice* tenui, multíſque ramulis lignoſis donato: Lignum albicans, ruſeſcente cortice cinctum, matrice virideſcente, molliore. *Radix* albicans, amara, aromatica. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu leviter crenata, craſſa, denſa, glabra, ſplendentia, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia; coſta media craſſa, è qua plures exigui nervuli ordinatim ad prominentes dentatáſq; oras exeunt: ſapor amarus. *Flores* flaveſcentes, inodori, umbellatim extremis ſurculis proveniunt, calycíque rubro-flaveſcenti, in quinq; lacinias oblongo-rotundas ſecto inhærent, quinque oblongo-rotundis ac ſtellæ in modum expanſis foliolis conſtantes, luteis aliquot *ſtaminulis* ſurrectis acuminatíſq; medium occupantibus: inter quæ *capitulum* prodit planum albicans, quinquepartitum, è cujus vertice *ſtylus* exit tenuis, albicans, longus, ac ſupra ſtaminula eminens. Floribus deciduis ſuccedunt *Baccæ* tetracoccæ, aliquando pentacoccæ, ſubvirides primùm, at per maturitatem rubentes ac nitentes, calycíque atro-rubenti inhærent: ſapor acido-amarus. Intus continentur *ſemina* quaterna plurimùm, albicantia, renalis figuræ, ſaporis amaro-dulcis.

Locus. Provenit variis Regni Malabarici locis, præſertim in *Candenate*; ſemper viret, floret, fructúmque profert.

Vires. E foliis cum ſero lactis decoctio conficitur, quæ in Cardialgia valdè commendatur. Ex iiſdem cum floribus & fructibus in aqua communi coctis oris collutio fit ad eroſas gingivas ſanandas, dentéſque vacillantes firmandos. Ex radice cum Cumini ſemine in lacte cocta potus conficitur, qui potenter vomitum ſedat. Eadem radix tanquam amuletum ventri appenſa colicos dolores mitigare perhibetur.

CAP. X.

Baccifera Indica fructu calyculato, ſubrotundo, cuſpidato, quadripartito, tetrapyreno. Acara-Patsjotti H. M. P. 5. T. 8. p. 15.

H. M.

HUmilis eſt arbuſcula, *Katou-Patsjotti* æmula, *Folia* tamen minùs lata, & in ambitu non crenata. *Flores* candidiſſimi, ſuaveolentes, ramulorum extremis numeroſi proveniunt, atq; calyci viridi, in quatuor lacinias ſubrotundas ſecto, inhærent, quatuor oblongo-rotundis ac versùs exteriora reflexis foliis conſtantes, *ſtaminulorum* albicantium, carneis ac ſubrotundis apicibus ornatorum congerie mediam floris cavitatem & umbilicum occupante: inter quæ globulus prodi oblongus, acuminatus, quadripartitus, quatuor ſeminum, in fructu dein ſuccreſcentium rudimentum. *Fructus* ſubrotundi, cum cuſpide in vertice, quadripartiti, virides primùm, dein atro-rubentes ac nitentes,

entes, è calyce florum occluſo conſtantes, quatuor oblongo-rotunda, ſubviridia, ac diſtinctis ſuis pelliculis incluſa *ſemina* continentes; ſapor ingratus & ſylveſtris.

Provenit etiam locis montanis & petroſis in *Candenate*: ſemper viret, Septembri & Octobri menſibus fructus fert. *Locus.*

Ex ejus foliis in Oryzæ infuſo coctis gargariſma paratur, quod aphthis potenter medetur. *Vires.*

Cap. XI.

Baccifera Malab. fructu oblongo, tetracocco, calyculato. Niir Notsjil Malabarenſibus H. M. *Part.* 5. *Tab.* 49.

H. M.

ARbuſcula humilis eſt, ſeu potiùs frutex, ſex circiter pedes altus, *caudice* tenui, albicante, cortice cincto cinereo, intus viridi, ſurculiſque rubro-pupureis ac nitentibus pluribus donato. *Radix* lignoſa, fibrata, albicans, flaveſcente cortice tecta, graveolens, amara. *Folia* ſine ordine ramulis inhærent, oblongo-rotunda, craſſa, glabra, lenia, nervis aliquot è coſta me a albicante in latera excurrentibus: ſapor acris, odor gravis. *Flores* petiolis longis, tenuibus, rubro- rpureis, in ramulis & extremis ſurculis proveniunt, candidi, pentapetaloides, perianthio excepti inquepartito, viridi-purpureo, *ſtaminulis* quinque tenuibus, longis, purpurâ-ſplendentibus, croceis lcatis *apicibus* ornatis, medium occupantibus: inter quæ *ſtylus* prodit tenuis, longus, purpuraſcens. oribus ſuccedunt *Baccæ* oblongo-rotundæ, tetracoccæ, virides primùm, dein purpuraſcentes ac ni ntes, calycíque profundo arctè inhærent, carne intus ſucculenta ac ſubamara refertæ, intra quam *ina* continentur quaterna, oblonga, triquetra, dura, nucleis albis, amaris.

Naſcitur locis aquoſis & fluminum ripis circa *Cochin, Porca & Paroe.* *Locus.*

Folia ſiccata in pulverem redacta, ac quotidie exhibita cum Saccharo & Oryzæ infuſo luem eneream ſanare feruntur. Ex iiſdem foliis coctis & piſtis cum ovi vitello cataplaſma paratur, quod bonibus inguinum Venereis impoſitum potenter iis prodeſſe ſtatuunt. E foliis & radicibus in ua coctis balneum fit, quod Phrenitidi, maniæ, aliſque cephalicis affectibus perquàm utile cenſe r. Ex radice in oleo cocta linimentum fit antiarthriticum. *Vires.*

Cap. XII.

Mail Anſchi * H. M. *Rhamnus Malabaricus fructu racemoſo calyculato.*

* P. 1. F. 40. p. 73.

H. M.

ALtitudine eſt trium hominum, ramis denſis & opacis, latè ſparſis: *radice* craſſa & profundè ſe demittente, fibras hinc inde exſerente, cortice tecta cinereo ſub cuticula rubeſcente, albicante ligno. *Stipes* paulò minùs hominis amplexum implet, cortice cum ramis cinereo, ligno duro & albicante. *Folia* in ſurculis tenuibus, qui bini, terni, quaternìve ſimul ramis, aſſioribus erumpunt, bina & bina, vel ſolitaria, breviſſimis pediculis inſident, ſuntque parva, ob ngo-rotunda & anguſta, cuſpidata, ad petiolum ſtricta, texturâ tenui, ſuperficie plana & glabra, ore communi nonnihil nitenti, ſapore ſubamaro, odore nullo. *Flores* in ſummis ſurculis, plures cematim juncti, parvis, tenuibus, rubris petiolis inſident, odoris haud injucundi, quatuor petalis albicante ſubflavis, criſpis, latiuſculo intervallo à ſe invicem diſtantibus, quæ poſtea magis fla ſcunt, compoſiti. *Stamina* in iis octo, albicantia, *apicibus* grandiuſculis & ſubflavis dotata, quæ na & bina è foliorum intervallis emicant: in medio ſe prodit globulus dilute viridis & rotundus, i primordium eſt fructûs cum ſtylo albicante in vertice. *Calyx* quatuor foliis cuſpidatis & viri bus conſtat. Floribus deciduis ſuccedunt in racemis *baccæ* rotundæ cum ſpiculo in vertice, & lyce ſuo inferiùs arctè contentæ, *ſeminibus* numeroſis repletæ, & carne inter ſemina, ſaporis ad ingentis, primùm virides, poſt rubeſcentes, tandem nigricantes. *Semina* ſunt oblonga, cuſpidata, guloſa, cum baſi rotunda ad corticem ſita, ac alia in parte ſuperiore, alia in inferiore baccarum, m ſtrictiori parte ſeu cuſpide interiora baccarum reſpicientia, primùm ſubflava; matura fuſca aut gricantia.

Flores fert ſemel tempore pluvioſo: naſcitur in arenoſis. *Tempus & Locus.*

Radicis decoctum conducit in podagra: Foliorum cum Saccharo in ictero; item folia ſimpliciter lacte pota: Eorundem ſuccus expreſſus & in lacte vaccæ cum Saccharo epotus urinantibus ma iam albam & purulentam prodeſt. *Vires.*

Cap. XIII.

Frutex baccifer Malabaricus fructu calyculato, rotundo, rubro, polypyreno. 1. *Schetti* H. M. P. 22. F. 13. p. 17.

H. M.

Rutex eſt unius hominis altitudine, in arenoſis naſcens, & petroſis. *Radix* profundè in terram ſe demittit, cortice exteriùs ruſo-obſcuro, uti eſt & ſtipitum & ramorum majorum cortex, interiùs rubeſcente, cùm in illis albicet: Ramorum ſuperiorum cortex exteriùs cinereus, intus eſcens, ac teneriorum caſtaneo-fuſco-rubeſcens. *Folia* in ramis & ſurculis bina, cuſpidibus ad ſe invicem inflexis oblongo-rotunda ſunt, ad petiolum oris rotundis, in ſummitaté parùm acuminata, craſſiola, texturæ denſæ, lenia, ſupernè glabra, & obſcuro virore valdè-nitentia, ſubtus dilutiora, ſapore adſtringenti & amaro. Tum coſta folii media, tum nervi tranſverſi in ſupina parte nonnihil eminent, hi autem recto & parallelo ducto crebri versùs marginem folii excurrunt. *Flores* in ſummis ramulis umbellatim congeſti, petalis quatuor (rariùs quinq;) oblongo-anguſtis conſtant, quæ anteriùs & ad petiolum rectis oris ſtricta & velut cancelliformia ſunt, coloris utrinque incarnati, interiùs autem magis intenſi, ac poſtea ubi flacceſcunt dilutioris ac flaveſcentis, inſidéntque pediculo tenui longo ac ſurrecto, incarnato-ſaturo, ſeu rubro Corallino, ac nitente calyci parvo quatuor cuſpidum minutorum; odoris nullius. E medio flore *ſtylus* parvus emicat cum nodulo ſupernè bifido rubro-obſcuro & nitente, infernè globulo viridi in calyce qui rudimentum fructûs eſt inſidens, ac in orificio pediculi, inter petalorum ungues quatuor lingulæ ſeu ſtamuncula parva rubra inſita ſunt, quæ inflexa velut quatuor uncinuli ſunt, qui unguiculos foliorum in angulis intermediis arripiunt. *Fructus* ſunt baccæ calycibus ſuis arctè inſidentes: cortice glabro, per maturitatem formæ rotundioris, ac colore rubro-obſcuro-fuſco, dein rubro ſaturo ac nitente, ſúntque carne albicante ac parum humida.

In hiſce baccis, quæ dulces ac in eduliis ſunt, duo, tria, quatuórve oſſicula albicantia inſunt, quà ſe mutuo contingunt plana ac duûm laterum, in alia autem parte rotunda, ac nucamento oſſeo minùs duro conſtantes, pulpa intus viridi.

Flores & fructus fert toto anno.

Flores hujus fruticis Gentiles Deo *Ixora* in ſacris offerunt.

Vires. Radix trita & in aqua frigida epota ſervit pro febre calida ac ardore manuum, & prodeſt expuentibus ſanguinem; cum aqua frigida in perunctione adhibita ſedat dolores capitis; epota in lacte vaccæ ardoribus renum reſtinguendis confert, ut & gonorrhœæ; cum liquore *Suri* in perunctione corporis affecti variolis prodeſt; atque eodem modo uſurpata cum lacte *Coqui Indici* ſervit pro puſtulis, aliiſque morbis cutaneis exſiccandis.

Ex cortice, foliis & floribus extrahitur ſuccus, qui mixtus cum oleo *Sirgelim* intus ſumitur ad minuendam plethoram.

2. *Bem-Schetti* H. M. P. 2. F. 14. p. 19.

Hujus folia quàm præcedentis longiora ſunt, anterius magis cuſpidata, & ad petiolum nonnihil ſtricta, & minùs craſſa. *Flores* albicantes & ſubflavi, pede autem quo calyci inſident nonnihil quoq; rubeſcente, ac in iis eſt *ſtylus* ſupernè bifurcatus, ex orificio altè emicans, & *ſtamina* quatuor tenuia, longiuſcula, apicibus flaviuſculis donata; *fructus* magìs oblongi, ac colore primùm viridi, deinde viridi-diluto & ſubflavo, carne intus ſucculenta & albicante, necnon oſſiculis albicantibus. In reliquis cum præcedente convenit.

Fructus ſunt in eduliis, ac ſaporis ſubdulcis farinacei.

Flores hic frutex in anno rariùs fert.

CAP. XIV.

Guaiacum Patavinum latifolium & anguſtifolium Ger. *Guajacana* J. B. *Arbor* *Guajacana ſive Guajacum Patavinum* Park. *Lotus Africana latifolia & anguſtifolia* C. B.

J. B.

GUaiacanæ proceritas quanta arboris magnæ: in ramis *folia* alternatim poſita Nucis [Juglandis] foliis ſingularibus æqualia, acuminata, atro virore ſplendentia ſuperiùs, ſubtus magis albicantia, utrinque modicè hirſuta, ſed magis parte averſa, brevibus petiolis hærentia, ſapore mixto, ſubauſtero, leviter amaro, tandem & ſubdulci. *Flores* radiatis calycibus inſidentes ramis apprimuntur, mari quidem majores, fœminæ non tantùm minores ſed etiam calyce illo deſtituti, quos nullus ſequitur *fructus*, qui tamen maris florem ſeſſilis excipit, magnitudine & colore Pruni ſylveſtris, ſapore dulci ſuavi, in quo *ſemina* aliquot, Pomorum ſeminibus paulò majora, quidem cum illis coloris, tanta duritie ut vix dentibus atteri poſſint. Cortice veſtitur hæc arbor tenui, rugoſo, fuſco. Materies ei ſpiris in orbem circinata, colore cineraceo vel ſubcœruleo, in omnibus à Guaiaco valdè diverſa.

Parkinſonus *flores* huic arbori attribuit tetrapetalos, ex purpura obſcurè rubentes, calyce pariter quadrifolio exceptos, qui & fructum etiam ima parte obducit adinſtar Sebeſten. Fructum ſubrotundum cum parvo acumine in faſtigio. Africanæ originis eſſe dicitur. Scribit tamen Geſnerus ſe audiviſſe naſci eam in montibus circa Veronam, & è ramis ejus aqua maceratis ruſticos Viſcum parare. Quod non videtur veriſimile, cùm Guaiacana tenerior ſit quàm ut montium iſtorum frigora per hyemem toleret. Nos tamen itinere à Lericio ad Lucam in deſcenſu montium non longè à Luca Etruriæ urbe arborem invenimus quam tum pro Guaiaco Patavino habuimus, ipſammet tamen fuiſſe non audemus fidenter aſſerere, ſed duntaxat ſimilem. Qui per ea loca in Italia peregrinatur diligentius obſervare poſſunt.

Vires. Matthiolus iiſdem cum Loto viribus pollere tradit.

Cap. XV.

Frutex Indicus baccifer fructu calyculato monopyreno, Negundo dicta. 1. *Negundo mas & fœmina* Park. *Negundo arbor mas & fœmina* J. B. *Piperi ſimilis fructus ſtriatus* C. B. *Cara-noſi* * H. M. *Negundo fœmina* Acoſtæ.

* *P. 2. F. 11. p. 13.*

H. M.

FRutex eſt ſeſquihominis plus minùs altitudine [Perſicæ magnitudine Garciæ, Amygdalæ Acoſtæ.] naſcens in arenoſis.

Radix fibroſa exteriùs fuſceſcens, intus albicans, cortice tenui & ſubamaro, diutiùs autem nanſo ſubacri.

Folia in communi pediculo plerunque terna, bina ſibi mutuò oppoſita, unum in extrema coſta re- iquis majus, oblongo-rotunda, anteriùs cuſpidata, margine æquabili, texturâ craſſitiei mediocris & nollia, ſuperficie lenia, ſupernè obſcuro virore nitentia, ſubtus pallidiora, ſapore amaro & acri. Acoſtæ & Garciæ folia Sambuci ſimillima videntur procul intuenti, ſimili modo per ambitum ſer- ata, in mare arbore *Acoſt.* ſupernè virentia, infernè lanuginoſa & hirſuta foliorum Salviæ modo] dore grato Lavendulæ æmulo [Acoſtæ folia Salviam odore & ſapore referunt.]

Flores multi ſimul in pediculis communibus ſeu ſurculis, è nodulis ſupra exortum foliorum binis binis ordine decuſſato egreſſis proveniunt brevibus pediculis hærentes; purpuro-cœrulei, eodem uo folia odore ſed magis vegeto, quinque petalis difformibus è collo Campaniformi, quorum unum rrectum eſt & latius, interiùs concavum & piloſum, uti & collum floris quod ad ejus folii partem t interiùs eſt piloſum, quatuor reliqua petala in latum fermè expanſa, & magis inter ſe ſimilia nt, niſi quod quæ folio ſurrecto proxima ſunt, parùm latiora & rotundiora, duo reliqua anteriora rsùs contractiora.

Stamina quatuor tenuia, ſurrecta, purpuro-cœrulea, cum nigricantibus & arcuatis *apicibus*; interq; *ſtylus* tenuis, purpuro-cœruleus, versùs folium cœruleum cum cuſpide bifido inflexus, qui ex ru- mento fructûs, quod inter calycem eſt, originem ſumit.

Calyx, qui floris collum inferius arcte arripit, quinque brevibus, viridi-dilutis, cuſpidatis foliis con- t, ac coſtulis tenuibus in longum ſtriatus eſt.

Fructus ſunt baccæ rotundæ, parùm oblongæ, ejuſdem cum floribus odoris, maximam partem à lyce comprehenſæ, quatenus calyce teguntur colore viridi diluto, parte ſuperiori quà eminent, imùm rubeſcentes & nitentes, dein cùm ſicci inſtar atramenti nigricantes. In medio eſt oblongo- tundum oſſiculum, durum, carne viridi & dura, quæ etiam ex maturitate fructûs minùs molleſcit, volutum, continens nucleum albicantem, qui ſapore eſt nullo.

Oleum ex radice per deſtillationem extractum clarum eſt ſubvirideſcens, ſaporis dulcis, acris & netrantis, odoris grati.

Adeò frequens eſt (inquit Acoſta) hujus arboris uſus ad medendum in his regionibus [Mala- r, &c.] ut niſi Deus reciſos ramos multiplici fœtura renaſci faceret, jamdiu fuiſſent conſumptæ bores, aut certè maximi pretii nunc eſſent. Sed quo magis præciduntur rami eò feliciùs renaſcun- , & perpetua fronde virent.

Rami teneriores, folia, flores, fructus contuſa aut in aqua decocta, vel in oleo fricta aut elixa uti- r imponuntur omnibus doloribus ex quacunq; cauſa provenientibus; præſertim verò in articulo- n doloribus ex frigida cauſa natis, atque in tumoribus & contuſionibus mirabiles præbent affectus. n deſunt qui ſupra vulnera admoverint, unâque nocte dolorem ſuſtuliſſe materiámque digeſſiſſe rment.

Ulceribus etiam vetuſtis folia trita imponuntur felici ſucceſſu, quandoquidem eorum materiam gerunt eáque emundant, & ad cicatricem perducunt. Et ſane in vulneribus, apoſtematibus & ntuſionibus adeò utilem experiuntur, ut chirurgorum operam minimè requirant. Mulieres ho- n foliorum decocto omni tempore univerſum corpus lavant, tantáque invaſit perſuaſio apud illas, gundo flores, folia & fructus utilia eſſe ad juvandam conceptionem, ut eum qui contrarium per- dere conetur lapidibus ſint obruturæ. Maſticata folia oris halitum emendant. Hactenus Garcias Acoſta.

2. *Bem-noſi* H. M. *Negundo mas Garciæ & Acoſtæ.*

H. M.

Hujus folia in petiolis terna & paſſim quina proveniunt, ſúntque oblongo-anguſtiora, in cuſpidem guſtam contracta, ad petiolum rotundiora & latiſſima, in anteriori parte magis minúſve tenuiter nata, colore viridi minùs fuſco, ſupernè clariore; quòd in extrema coſta eſt folium maximum bina illi proxima majora pediculis paulo minoribus pollice, coſtæ mediæ hærentia: duo reliqua dè parva ſunt & petiolo communi inſidentia. In reliquis cum præcedente convenit.

Folia ſerrata Sambuci æmula hanc ſpeciem Negundo marem Garciæ & Acoſtæ eſſe indicant.

SECTIO II.

De Arboribus bacciferis fructu nudo monopyreno.

CAP. I.

Olea ſylveſtris folio molli incano C. B. *Oleaſter Cappadocicus* Park. *Ziziphus Cappadocica, quibuſdam Olea Bohemica* J. B. *Zizypha Cappadocica* Ger.

J. B.

ARbor eſt juſtæ magnitudinis [Salicis magnitudine *Dal.*] *radicibus* multis, craſſis, huc illuc diffuſis & loci plurimum occupantibus, per ſummam terram vagis, ſtolones multos mittentibus, qui niſi avellantur matrem emaciant, avulſi verò & depacti vivunt & arboreſcunt: ramis patulis. *Cortex* albicat, in ſtipite valdè rugoſus & craſſus, in ramis tenuior, [lævis *J. B.*] & molli quadam lanugine pubeſcens. *Folia* mollia, longiùs à Zizyphi foliis recedunt, Salignis propiora [imo Oleæ ſativæ ſimilia,] aliàs alternatim, aliàs nullo ordine per ramos naſcentia, ſeſcunciam circiter longa, unciam ferè lata & anguſtiora, tota albicantia, potiſſimùm parte inferiore, brevíque & molli lanugine prædita, modicè obtuſa, brevi pediculo hærentia: E quorum alis *floſculi* emicant, argenteo pallore renitentes, in ſex cuſpides diſſecti, odorati, vel ut Cluſius ait, gravem non tamen injucundum odorem ſpargentes & caput ferientes. *Baccæ* ſublongæ, exiguis Olivis aut Zizyphis ſimiles, albæ, fungoſæ, & dulci carne ſive pulpâ, [apice in ſummitate aciculæ ſimili *Matth.*] ſaporis aciduli, oſſeo intus nucleo, canaliculato. Rami interdum ſpinoſi ſunt. Materies flavicat, non admodum firma.

Locus.

In Syria naſcitur, ínque Æthiopia & monte Libano, notante Rauwolfio. Sponte etiam provenire in Bohemiæ ſylvis autor eſt Matthiolus: In ſepibus cum Rhamno & Vitice juxta urbem Guadix in Regno Granatenſi *Cluſ.* Floret æſtatis initio, fructus Autumno matureſcit.

Non dubito (inquit Dalechamp. apud *J. B.*) quin ex hujus floribus præſtantiſſimi odoris aqua deſtillari poſſit, oleumque parari odoris eximii & fragrantis.

In icone hujus arboris apud J. Bauhinum velut corolla ſeu umbilicus multorum cuſpidum ſummo fructui appingitur, unde ſuſpicor florem ſummo fructui innaſci: corolla enim videtur eſſe calyx reſiduus. Verùm Matthiolus non umbilicum ſeu corollam, ſed apicem in ſummitate aculeo ſimilem eſſe ſcribit; ut dubius ſim de ſitu floris in hac arbore, adeóque de ipſius loco in noſtra methodo.

CAP. II.

A. I. *Arbutus* Ger. Park. *Arbutus, Comarus Theophraſti* J. B. *Arb. folio ſerrato* C. B. **The Strawberry-tree.**

J. B.

* *Ut in monte Atho; teſtante Bellonio.*

ARbutus, quamvis * locis nonnullis in juſtam arborem adoleſcit, plurimùm tamen frutex eſt, contortis ſtolonibus ſcabro cortice intectis, in quibus perpetui viroris *folia*, Laurinis ſimilia & paria fere, craſſa, virentia, per extremum tantillum purpuraſcentia, circumquaque eleganter crenata. *Flores* tanquam ex amento racematim penduli, pulchri, ſimiles ferè floribus Lilii convallium, concavi, albi, odoris jucundi. Hos excipiunt *fructus* Fragis ſimiles, ſed multò majores, exactè rotundi, aceroſi, ante maturitatem lutei, maturi autem rubentes, ſapore valdè grato & dulci prædici. Semen (ut ait Cluſius) Milio non multò majus, ínque fructus meditullio contentum, nihilominus tenui obductum membrana.

Hujus fructus Plinio Unedo dicitur ex argumento unum tantùm edendi. At verò Galenus Unedonem fructum Arbuti non eſſe, ſed Epimelidis arboris ſcribit. Hinc in diverſa abeunt Botanici, alii Plinio adverſantur, alii eum defendunt. Noſtrâ ſententiâ Unedo Arbuti fructus eſt non Epimelidis; Suſpecta ſiquidem nobis cum Jo. Bauhino videtur Galeni ſententia, quem ſcimus in Italia fuiſſe peregrinum, ideóque Plinio, qui Italus fuit, citiùs falli potuiſſe. Si autoritatem ſpectes utrinque ferè par pondus. At profectò non placet (inquit J. B.) Galenus Epimelidi Unedonis facultates & vires tribuens. Nam ſi Epimelis ſit Meſpilus (ut pleriſque doctis perſuaſum ſcimus) quis dicat ejus fructum noxam afferre capiti aut ſtomacho eſſe moleſtum, quem pleriq; medici ſtomacho familiarem dicunt; At forte *Galenus* de fructu nondum fracido locutus eſt, quo tempore vere Unedo dici poſſit; nam nè unus quidem ejuſmodi fructus abſque difficultate & ſtrangulationis periculo tunc temporis edi poteſt, Arbuti autem fructus plurimi ſine noxa vorantur à nonnullis.

Locus.

In Siciliæ, Italiæ & Galliæ Narbonenſis ſylvis & dumetis paſſim & copioſè provenit: quin & in Hiberniæ quoque occidentali parte reperitur ſpontanea. Scribit Bellonius in montibus Atho tantopere priſcis celebrato vallibus vicinis Arbutos (qui utplurimùm aliis locis fruticant) in vaſtæ magnitudinis arbores evadere. Variat autem fructus magnitudine & ſapore.

Vires & Uſus.

Arbuti fructus, Memæcylon Græcis dictus, ventriculo incommodus eſt, & capitis dolorem inducit, uti tradunt Veteres Dioſcorides, Plinius, Galenus. Mihi ſanè (inquit J. Bauhinus) quoties comedi dolorem causârunt ventriculi hi fructus. At Cluſius ſe multos ſemel ſine ulla noxa ediſſe ait, & revera ſapore ſunt non uſque adeò grato ac Fraga, dulci tamen, cum proprio & peculiari quodam guſtu acerbo, quem vix exprimas, ut rectè J. Bauhinus. Patavii in foro venales vidimus; & à tenuioris fortunæ hominibus non minùs in Italia quàm Hiſpania appetuntur.

Amatus ex Arbuti foliis & floribus aquam vitreis organis elici tradit, eámque ſervari tanquam ſacratiſſimam adverſus peſtem & venena antidotum. Matthiolus pulverem oſſis de corde Cervi ei admiſcet. Eam verò aquam ſtatim ipſo morbi initio propinandam aiunt. Fructu delectantur Turdi & Merulæ. Ex ligno etiam carbones optimi fiunt.

Scribit Plinius hoc ſolum Pomum ſimile fructui terræ gigni. Verùm non adeò ſimilis eſt hic fructus frago cum Fragum ſemina habeat in ſuperficie pulpæ, hic autem in ejus meditullio: & aliæ arbores fructus edunt Herbarum fructibus ſimiles; v. g. Morus.

2. *Adrachne* Park. *Adrachne Theophraſti* J. B. *Arbutus folio non ſerrato* C. B.

Bell.

Frequens provenit in Creta, montibus Leucis & alibi inter ſaxa, fruticis potiùs quàm arboris modo: perpetuâ fronde viret, foliáque habet Laurinis adeò ſimilia, ut ſolo odore dignoſcantur: nam Adrachnes folium odore caret. Caudicis & ramorum omnium cortex adeò lævis, rubens & ſplendens eſt, ut Corallii rami eſſe videantur: æſtate rumpitur cortex, & in tenuiſſimas bracteas decidit; quo tempore neque rubens, neque ſplendens cernitur, ſed medium quendam inter pallidum & cineraceum colorem adquirit. Florem & fructum bis ut Arbutus profert, & hunc quidem adeò ſimilem, ut alterum ab altero nullo modo dignoſcere queas. Differt tamen arbor hæc ab Arbuto; quoniam tantùm provenit in montibus, neque folium ſerratum habet, neque corticem caudicis ſcabrum. Ligni materies duriſſima eſt, fragilis tamen, quæ flecti non poteſt.

Ruſticis igni ſtruendo ſervit, & ad verticilla conficienda, mulierum fuſis appendenda.

Theophraſtus recenſet hanc arborem inter eas quæ detracto cortice non intereunt, & perpetua fronde virent, hyeméque in cacumine folia retinent, quod ita ſe habere à me obſervatum eſt.

Vocatur hæc arbor in Creta, & tota fere Græcia Ἀδράχλα. Hæc Bellus.

Hanc arborem Bellonius multis locis in ſua peregrinatione obſervavit; ſcribitque iter facienti Halepo Antiochiam in tumulis naſcentem ſibi conſpectum, cujus ramos ſuo fructu onuſtos quilibet eorum qui comitabantur abſtulerat, ut in itinere ederet, maturus enim erat, elegantíque ſuo colore ſingulos ad edendum invitabant: Racematim autem cohærebant, magnitudine & colore fructus Rubi Idæi, mollíſque ut Arbuti fructus.

Quin arbor hæc à Bello deſcripta ſit Ἀδράχνη Theophraſti nemini hiſtoriam ejus apud Theophraſtum legenti dubium eſſe poteſt: aſtipulatur etiam nomen Græcum hodiernum Ἀδράχλα.

Ἀδράχνη monente Plinio ab Ἀνδράχνη differt, cùm hæc herba ſit, *Portulaca* Latinis dicta, illa arbor.

Arbuti autem vox vel primitiva eſt, vel incertæ originis. Nam ab Ἄρκευθος fieri non placet, cùm Ἄρκευθος Juniperus ſit non Arbutus.

Hanc Arborem *D. Wheelerus* obſervavit in Achaiâ propè Montem Pentelicum non procul ab Athenis; fructúſque vidit Smyrnæ. *Locus.*

Cap. III.

1. *Terebinthus* Ger. J. B. *vulgaris* C. B. *anguſtiore folio vulgatior* Park. **The Turpentine-tree.**

J. B.

ARbor eſt Terebinthus, ſed quæ, Cluſio teſte, magna ex parte fruticat, ramis longis, raris, cinereo cortice tectis, nec ea quidem, quantum animadverterimus, frondis ſuæ per hyemem tenax. Primus ferè eſt florum vernó tempore apparatus, quos è ramulorum tuberculis coolos in longo racemo producit, meris ſtamineis fibris purpuraſcentibus contextos. Hinc ſe explint in alam folia, quanquam non ſemper æquali ſitu, Laurinis ſimilia, ſed magis obtuſa: [Piſtaiis, & ejuſdem odoris *Cluſ.*] conjugatim ut in Sorbo naſcentia, ſubrubentia, quæ crebris obliquis rvulis percurruntur. *Fructus* delapſos flores excipiunt, parvi ex rotundo oblongi, rubentes, Carbalſamo Offic. pæne ſimiles, reſinoſo lentore viſcidi, nucleum continentes [ex cœruleo virentes, tactu pingues & reſinoſi, manúſque dum colliguntur inficientes.]

Fert etiam vindemiarum tempore concavos quoſdam folliculos ſeu veſiculas, foliis & ramulis inrentes, quales ferè in Ulmi foliis naſcuntur, ſed pallidò aut purpuraſcente colore: interdum am extremis ramis oblonga & cartilaginea cornicula [rubentia, quatuor, quinque, aut ſex digilonga, aut etiam longiora *J. B.*] variâ formâ excreſcentia, concava, quæ (uti etiam folliculi) rta lentorem quendam continere deprehenduntur, cui permixta cinerea & fuliginoſa excrenta, atque exigua animalcula alata. *Horum Corniculorum meminerunt omnes ferè qui de hac arbore pſerunt: nihil autem aliud ſunt quàm excreſcentiæ quædam ab inſectis folia & ſurculos compungenti, & ibidem ova ſua deponentibus, excitatæ, ut inſerviant matricum ſeu uterorum loco iis fovendis excludendis, fœtibúſque editis alendis & protegendis, mirâ naturæ providentiâ.*

Adverſariorum auctores, Theophraſtum (ut puto) ſecuti, Terebinthum ſempervirentem & peruis foliis eſſe ſcribunt. Verùm Bellonio, Rauwolfio, Cæſalpino, Cluſio, teſtibus αὐτόπταις & ἀξιοπίστοις, folio deciduo eſſe affirmantibus omnino abſque hæſitatione credendum.

Terebinthus libenter provenit locis ſiccis, lapidoſis & Soli expoſitis, ut teſtatur Matthiolus. Autore ſcoride in Judæa, Syria, Cypro, Africa & Cycladibus inſulis. Cluſius in plurimis Luſitaniæ, Hiniæ & Galliæ Narbonenſis locis, ſponte naſci tradit ubi interdum in arborem adoleſcit, ſed maxiex parte fruticat. Addere potuiſſet & Italiæ, ubi nos eam obſervavimus. At nuſquam, quod erit Cluſius, commemoratis locis reſina è Terebintho elicitur. Lobelio tamen Terebinthi ar- *Locus.*

bores in Valena ſylva Monſpelienſium, ferro vulnuſculis inflictis ſæpiùs non paucam Terebinthinam exſtillârunt lucidam. Bellonius in Syria & Cilicia copioſam inveniri, ex qua gummi colligitur, quod vendendum ferunt Damaſcum: quod verò in Cairo venditur adferri ex regione Turcis dicta Aſamia, i.e. Meſopotamia & Aſſyria.

Tempus. Floret Monſpelii menſe Aprili: Septembri cum fructibus legit J. Bauhinus.

Vires & Uſus. Terebinthi folia, fructus & cortex (tradente Dioſcoride) qua pollent adſtringendi vi ad eadem, ad quæ etiam Lentiſcus conveniunt ſimili parata modo, ſumptáque. Ejus fructus eſculentus eſt, at ſtomacho noxius: urinam verò ciet & excalefacit. Eſt & ad excitandam Venerem aptiſſimus. Ex vino verò potus contra phalangiorum morſus prodeſt. Semen Plinio in capitis dolore bibitur.

Bellonius teſtatur veterem morem in comedendis ſeminibus Terebinthi nunc adhuc durare in Cilicia & Syria ſibíq; aliquando ruſticum Arabem occurriſſe ducentem Camelum Terebinthi fructibus onuſtum, ut Damaſci venderet.

Species ſunt Gallæ, magnitudine Avellanæ, intus cavæ, provenientes ex excreſcentiis foliorum Terebinthorum maſculorum. Has circa finem Junii colligunt Ruſtici Thraciæ & Macedoniæ, & carè vendunt ad tingenda Serica ſubtilia diverſis coloribus in urbe *Bource*, i. e. Pruſa Bithyniæ. Colliguntur autem vere, cùm primùm efformatæ Gallarum magnitudine ſunt: quo tempore niſi colligerentur in longitudinem ſemipedalem excreſcerent ad formam cornu. Eum duntaxat in uſum 6000 pondo quotannis inſumi.

Terebinthina vocata, deſcribente Cordo, eſt Terebinthi arboris reſina, colore candida, ſubflava, vitrea, aut candida cœruleum colorem affectans, interdum pellucida, quæ friata in plurimas micas teritur, mox lenteſcit & glutinoſa fit: odorem habet acrem, ſuavem, aliquantulum gravem, & Lariceæ reſinæ non diſſimilem, præſertim manibus tractata & prunis impoſita, guſtu modo amareſcit, & inter dentes lenteſcit, iis dum maſticatur * adhærens. Deſtillat hæc primùm liquida, deinde paulatim areſcit. Siccam impoſtores Thus ſeu incenſum vocant, & pro thure vendunt: Thus autem verum Olibanum vocant, non intelligentes hæc duo vocabula, alterum Græcum, alterum Latinum ejuſdem rei nomen eſſe.

** Atqui Perſæ, autore Bellonio, mandunt Terebinthinam, ut Cretenſes Maſtichen, nec dentibus hærere, nec in ore diſſolvi ait.*

Reſinas omnes (autore Dioſcoride) antecedit Terebinthina, proxima huic Lentiſcina. Galenus Lentiſcinam præfert. Quomodo hi conciliandi vide apud J. B. in hiſt. pl. lib. 3. cap. 20. & C. Hofmannum.

Vis autem reſinæ cujuſvis (Dioſcoridi) molliendi, calefaciendi, diſcutiendi diſſipandive, & expurgandi. Tuſſi ac tabi conveniunt in eclegmate, per ſe aut ex melle; quæque ex pectore educi oportet expurgant. Urinam quoq; movent, cruda concoquunt, & ventrem emolliunt: ad agglutinandos palpebrarum pilos conferunt, itémque ad lepras cum ærugine, ſutorio atramento ac nitro: ad aures denique ſanie manantes cum melle & oleo, necnon ad genitalium pruritum ſunt utiles. Emplaſtris quoque, malagmatis ac acopis admiſcentur, & per ſe illitæ aut impoſitæ laterum doloribus utiles ſunt.

Galeno cum adſtrictione moderatâ adjunctam habet amaritudinem quandam Terebinthina, per quam magis etiam quàm Maſtiche digerit: Ob eam qualitatem ineſt & abſterſio, tanta quidem ut & pſoras ſanet: Iiſdem facultatibus & ventrem movet.

Recentioribus, purgat thoracem ab omni immunditie, item jecur, ſplenem, renes & veſicam. Confert veteri tuſſi, ſpirandi difficultati, ſputo ſanguinis purulento, vertiginoſis, calculoſis, & peculiariter etiam Iſchiadicis, Podagricis, Chiragricis: aperit, mundat, calfacit & roborat nervos.

In ſpecie utiliſſima eſt nephriticis & calculoſis. Hinc Practici in curatione arenularum poſtquam mitefactum eſt ſymptoma, præcautionis ergo utuntur terebinthinâ, ſed coctâ ut dicunt, ut minùs calefaciat, magis adſtringat. Idem fit in iſchiade, paralyſi, arthritide data bis in ſeptimana, vel illotâ, vel lotâ in aqua Cichorei. *Hofm.* Magnæ autem ipſius laudes in Podagra & omnibus articularibus malis, ſi accipiatur, ut docet Avicenna, quantitas nucis Avellanæ ſingulis matutinis à jejuno. Nec mirum quòd calculo confert etiam Podagræ prodeſſe, cum cognati ſint hi morbi, & eandem cauſam continentem ſeu materiam habent, unde non rarò in ſe mutuo tranſmutantur.

Exhiberi poteſt 1. Per ſe, placentulis quas oblatas vocant Involuta. 2. In aqueo liquore adjecto tantillo vitelli ovi, ſic lacteum ſci. exhibet liquorem. 3. Inſpiſſata aliquantulum, & in pilulas redacta. Verùm ob evaneſcentiam ſpiritus præſtant modi priores. *Schrod.*

N. 1. Terebinthinam veram Officinis eſſe ignotam: Officinalémq; eſſe vel reſinam Laricеam, vel reſinam Abiegnam è tuberculis Abietum novellarum collectam.

N. 2. Odoris vim manere etiam in urinis utentium, quæ violas quodammodo redolent. Audivi (inquit C. Hofman.) qui diceret, in doloribus partium genitalium præſentiſſimum eſſe anodynum.

Verno tempore ramulorum pullulantia tenella Terebinthi effracta flagella, ipſo etiam Narbonenſi aut Monſpelienſi agro inſtar Ficulneæ arboris lac ſtillant, quod conchis exceptum & adſervatum in limpidiſſimum, tenacem, reſinoſum laticem abit, qui dum recens eſt, id eſt, in muſto (ut Plinii verbis utar) in laneam veſtem fuſus neq; maculam facit, neque ſi eluatur veſtigium au notam relinquit; ſeneſcens tempore craſſeſcit, nec abluitur niſi ovi vitello addito. *Lob.* de Balſamo.

Terebinthina deſtillata, ſeu oleum Terebinthinæ proximum eſt oleo Balſami, vel parùm calidio & confert omnibus ægritudinibus frigidis, ſed præcipuè nervorum.

Oleum Terebinthinæ deſtillatum ſingulare ſolatium præbet in doloribus nephriticis intus ſumptum: exteriùs illitum, & calida manu diu affrictum parti dolenti in nervorum contractionib tenſionibus aut relaxationibus egregium auxilium præbet, præſertim ſi cum ſpiritu vini defæcatiſſi miſta & conquaſſata adhibeatur. Modum eliciendi hoc oleum vide apud Ebrodunenſis Hiſt. pl auctores lib. 3. cap. 20. vel etiam in Pharmacopœis vulgaribus.

Sunt qui Terebinthinam in Cereviſia infundunt, & ſimul defervere ſinunt pro potu ordinario calculo, viſcerúmque obſtructionibus. *Schrod.*

Dioſcorides etiam vinum Terebinthinum parare docet è bacciferis ejus ramis tuſis & in muſto fervefactis: quod quoniam in deſuetudinem abiit, omitto.

Apud Veteres tam commendabiles erant Aſparagi Terebinthi, ut etiam in hyemem reſervarentur.

2. *Terebinthus major Piſtaciæ folio* Ad. Lob. *latifolia* Ger. Park.

Huic folia multò latiora & rotundiora quàm vulgari Terebintho, vicina Lauro & Piſtachiæ adeò ut eminus intuentem fallant. Aſt non ſolùm folia latiora & rotundiora habet quàm vulgaris Ter. ſed & fructum duplo aut triplo majorem, quicquid dicat Lobelius in *Adv.* Raró autem cum fructu videtur quia ſylvæ Valenæ ubi oritur arbores certis annorum intervallis exſcinduntur, ità ut ad juſtam magnitudinem pervenire non poſſint, ut fructum producant. Hanc idcirco, quia ſine fructu paſſim cernitur Terebinthum Narbonenſem ſterilem vocavit *Hort. Reg. Pariſ.* uterque *D. Magnol.* Hanc C. Bauhinus cum Terebintho Indica ſequente Rauwolfii miſcet. Verùm quamvis fructus reſpondeat: folia tamen rotundiora Piſtaciæ differunt.

3. *Terebinthus Indica major fructu rotundo* J. B. *peregrina, fructu majore, Piſtaciis ſimili, eduli* C. B. *Terebinthus latifolia* Ger. Park.

Hujus nuculæ Piſtaciis bonitate non cedunt; in quibus præter ſaporem ſalſum ineſt mediocris quædam ſiccitas: Piſtaciis etiam ſatis ſimiles ſunt, ſed breviores & rotundiores, ex racemis pendent ut illa, vel potiùs ut bacca Terebinthi, pro qua etiam nonnullis habentur, potiſſimùm quia arbores ſuis maximè foliis longiuſculis Terebinthi foliis ſatis ſimiles, quâ notâ facilè quoque à Piſtacia arbore diſtinguuntur, cui folia rotundiora ſpecioſioráque, ut teſtatur Rauwolf. His inquilini perinde ut nos Avellanis veſcuntur.

Copiosè proveniunt in Agemia aut Perſia, Meſopotamia & Armenia. *Locus.*

Hanc J. Bauhinus pro Terebintho Indica Theophraſti habet; quam plerique botanici Piſtaciam eſſe volunt.

4. *Terebinthus Indica fructu parvo, ad corculum accedente* J. B. *peregrina fructu minore & cæruleo eduli* C. B.

Terebinthi Indicæ alterius nuculæ cum ſuis putaminibus magnitudine ferè ſunt Piſi, rotundi- ate accedunt ad corculum aut Doram, id eſt, Indicum Milium; in cæteris ſimiles præcedenti.

Ibidem ubi & præcedens naſcitur. Rauwolff. cui *Bel.* Serap. Avic. & Rhaſ. *Botin Souger* Arab.

Incolæ perinde ut nos Pineos nucleos comedunt. His Perſæ pluſquam bis mille annis ante panis ſum vitam ſuſtentârunt, & etiamnum totius Syriæ incolæ cum pane veſcuntur, & propter colo- m inter viridem & cœruleum medium Arabes veteres Granum viride, Bellonio atteſtante, ap- ellârunt. *C. B.* Alii hæc de Terebintho vulgari accipiunt.

CAP. IV.

De Lentiſco.

LEntiſcum dictam putat Ruellius quòd liquore quodam lenteſcat: Lentorem quippe foliorum attrectatu quilibet percipit, inquit Lob. in Adv. Vel fortè Lentiſcus ob virgultorum lentitudinem dicitur; ut Stapelius: vel potiùs quòd ipſa lenteſcat arbor, dum reſinam fundit, ut ollius. Græcis Σχῖνος, ἀπὸ τοῦ σχίζειν ſcindo, findo, quòd lignum ejus facilè finditur, quódque ejus ξι, hoc eſt, ſegmentis ſeu fragmentis è ligno ſciſſis ſolerent uti ad dentiſcalpia, ad nitelam albo- nque dentium, ut etiamnum fit hodie.

Maſtiche ἀπὸ τοῦ μασᾶσθαι, i.e. maſtichando dicitur; nam & olim & hodie in maſticatoriis uſur- a eſt.

Certe Græci in inſula Chio eam perpetuo in ore habent, & ad multa utilem eſſe ejus aſſiduam ſticationem ſibi perſuadent.

Lentiſcus Lob. Ger. Park. J. B. *vulgaris* C. B. **The Maſtick-tree.**

J. B.

Multis fruticat Lentiſcus ſtolonibus, mediocriter craſſis, flexilibus ramis brachiatis, cinereo cor- obductis. Interdum in juſtæ magnitudinis arborem excreſcit, ut obſervavit Cluſius. *Folia* nora quàm Piſtaciorum aut Terebinthi, Glycyrrhizæ foliis paria, ſed Buxeorum ſoliditate [No- bſervantibus Glycyrrhizæ foliis minora erant] ex viridi nonnihil rubentia, conjugatim ſine ullo ari ad coſtam canaliculatam rubeſcentem annexa, in ſpinulam plerumque deſinentia, ínque dem ferè partem vergentia, perpetua, jucundi cum quadam gravitate odoris, ſapore acidiuſculo dſtringente. Iis interdum folliculi vel veſiculæ quædam adnaſcuntur, culicibus exiguis referti, ſecus quàm in Terebinthinis aut Ulmeis. Ad alæ imum exoriuntur *floſculi,* veluti racemuli ntes, vel colore ex herbaceo palleſcentes, nonnihil purpuraſcentes, qui in fructus abeunt, dimi- ferè Piſis minores, in ſtylum minutum deſinentes, rotundos, rubentes & per maturitatem nigri- es, acidos, nucleum continentes parvulum, durum, nigrum, medullâ intus albâ. Fructum lpinus oleaginoſum dicit, nucleum viridem.

Locus. In Italiæ, Siciliæ & Narbonenſis Galliæ ſaxoſis collibus, orâ præſertim maritimâ, Lentiſcum copioſiſſimam obſervavimus: nec minùs frequens, teſte Cluſio, naſcitur in Luſitania, Bætica, regno Valentino, & toto illo tractu ad mare Mediterraneum obverſo: ubi nunquam (quod equidem viderim) juſtam arboris ſtaturam & magnitudinem aſſequitur; fortè quia ab hominibus cæſa aut à jumentis depaſta & coercita non permittitur adoleſcere. Nam quando non cæditur ſed negligitur (ut pleriſque locis ad Anam flumen obſervavit Cluſius) in arborem juſtæ magnitudinis excreſcit.

In ſola inſula Chio, Bellonio autore, reſinam fundit Maſtichen dictam. Alii in Italia quoque Maſtichen præbere, ſed non copioſam tradunt, ut v. g. Matthiolus, (qui tamen ſibi contrarius in Hiſt. Germ. dicit, in ſola inſula Chio Lentiſcum Maſtichen fundere) Cæſalpinus & Lacuna. Nos cùm in Italia & Gallia Narbonenſi peregrinaremur nuſquam Maſtichen fundentem vidimus hanc arborem, neque quis fide dignus nobis unquam retulit ſe vidiſſe. Idem dicit J. Bauhinus. Argumentum tamen ab Autoritate negativum nihil concludit, ut loquuntur. Neq; enim ſequitur non dari in Italia arbores Maſtichen fundentes quia ego aut mille fortè alii non viderimus, & plus valet unius teſtimonium ſe vidiſſe affirmantis ad probandam affirmativam, quam vel mille negantium, ad negativam ſtabiliendam.

Verùm nonnullis Terebinthus reſinam fundens ab Italica ſpecie diſtincta videtur. Qui in Chio aliquandiu hæſerunt Cluſio retulerunt Lentiſci arbuſculas ab iis quæ in Italia naſcuntur nonnihil differre. Et Camer. Sunt, inquit, qui velint Italicam Lentiſcum à Chia in eo tantùm differre, quòd fruticoſa ſit illa, hæc verò arboreſcat, etiam ſine cultu. Audivi ex quibuſdam è Chio oriundis arbores, quæ Maſtichen ferunt longè proceriores pulchrioréſque ſylveſtribus eſſe, quæ tamen eodem loco naſci ſolitæ. *J. B.* verùm Bellonio potiùs, curioſo obſervatori & veraci, fidendum, qui Lentiſcos qui in Provincia & Italia proveniunt, ſimiles dicit naſcentibus in Chio; Maſtichen tamen non fundere.

Tempus. Floret Lentiſcus magna ex parte Aprili vel Martio. Fructus Octobri & Novembri primùm matureſcit. Ter autem fructum ferre tradunt, fortè quòd tribus diſtinctis temporibus eundem perficiat. *Cicer.* ex *Arato.*

Jam verò ſemper viridis, ſemperq; gravata
Lentiſcus, triplici ſolita eſt grandeſcere fœtû:
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Ciceronem nonnulli inſcitiæ accuſant quod σχῖνον Lentiſcum tranſtulerit, cum vox σχῖνος apud Theophraſtum & antiquiores Græcos Scillam ſignificet. Ciceronem quomodo defendat J. Bauhinus, aut potiùs Cherlerus, apud ipſum vide.

Vires. Lentiſcus, autore Dioſcoride, omnibus ſuis partibus, germinibus & foliis, fructu, ramorum & radicis cortice adſtrictoria eſt. Exprimitur & ſuccus è cortice, radice aut foliis in aqua decoctis, aut etiam è foliis viridibus tritis, qui valet ad ſanguinis rejectiones, alvi profluvia & dyſenteriam in potu, itémque contra ſanguinis ex utero eruptiones, atque tum ipſius uteri, tum ſedis procidentias. In ſumma denique Acaciæ & hypociſtidis vice eo uti licet: nomas arcet, urinas ciet, dentes mobiles collutione firmat atque ſtabilit. Eadem ferè habent Plinius & Galenus.

Porro dentiſcalpia è Lentiſco parata tum priſcis, tum hoc ſeculo, magnatibus & delicatioribus præſertim, in uſu quotidiano habentur.

Cherlerus ſibi aliiſque ſtudioſis ſaltus & colles aridos Narbonæ peragrantibus inſerta in os folia non modò ſuaviter ſpirabant, ſed etiam ſitim arcebant & fauces humidas tuebantur.

Oleum Lentiſcinum ſimiliter atque Laurinum è maturo fructu confectum, ac priùs inſpiſſatum, ſcabiem jumentorum canúmque ſanat: Peſſis, acopis & ad Lepras tollendas accommodatis medicamentis aptè & utiliter admiſcetur & ſudores quoque cohibet. Gal. in defluvio capillorum Lentiſcinum oleum valdè commendat, habere namque adſtrictionem, ſpontéque naturæ tale exiſtere quale eſt ipſum Ladanum. Quare neq; expertum ſe, neq; mente concipere poſſe ullum præſtantius pharmacum ad defluos capillos quam quod ex Ladano & Lentiſcino oleo permixtum conſtat. Oleum hoc ad gingivarum inflammationem ſummopere commendat Actuarius, ſi moderatè calidum ore continetur. Ab Hiſpanis oleum fructuum Lentiſci in maximo habetur uſu.

Itali lignum Lentiſcinum in diarrhœis laudant, & decoctum exinde paratum. Tranſudat nempe ex hoc Maſtiche: unde in ejus locum decoctum Maſtiches ceu ſtomachicum nobile in diarrhœis uſurpari poteſt; quod etiam quorundam medicorum fuit ſecretum. *Etmull. prax.*

Lentiſci varietas habetur in hort. Lugd. Bat. foliis minoribus & pallidioribus.

De Reſina Lentiſcina Maſtiche *dicta.*

J. B.

Hujus grumi, quales ad nos importati in Officinis habentur Oryzæ granum æquant, longè etiam interdum majores, candidi, pellucidi, fragiles, qui ſtatim ſub dente diſſiliunt, mox tamen friatur omnis denuo coit continuata maſticatione, lenteſcítq; mollitie ceræ [ſine adhæſionis ad dentes men] quam rurſus exuit ſimul ac aerem ſenſit. Prunis injecta flammam concipit, promptius tamen fuma quàm flammeſcit, contra ac Thus, guttáſq; affatim deſtillat, id quod Thuri negatum, odorémq; no ingratum ſpirat. Sapor leviter adſtringens cum calore modico.

Olim adulterabatur Thure & reſina ſtrobilina, ſed odore fraus deprehenditur, aut ſapore gum dente lenteſcentis. Scimus (inquit J. B.) inter Maſtiches glebas non raro reperiri glebulas gum Tragacanthi & Arabici.

Præfertur pellucida, ceræ Tyrrhenicæ candore ſimilis, denſior vel plena, arida, friabilis, odor viridis minùs probatur.

Galenus lib. 2. ad Glauconem Ægyptiacam Maſtichen commendat: hoc autem tempore ſci in ſola Chio reperiri; ubi Lentiſci arbores tali diligentia & curâ excoluntur, ut non minores in e rem ſumptus fiant quàm apud nos in vinetorum culturam; nec immeritò cùm potiores Incolarum hujus inſulæ opes in Maſtiche conſiſtant. Niſi enim diligenti cura colerentur exiguum gummi proventum darent. Maſtiches proventus in Chio inſula tantus eſt, ut ſingulis annis Turcico imperatori pro 4000 aut 5000 ducatorum pendunt, in deductionem ejus ſummæ quam illi tributi nomine dare debent, i. e. 12000 ducatorum ſingulas centenas libras 105 ducatis æſtimant. Quicquid ejus ſupereſt ſibi reſervant. Mercatores Galli Maſtiches pretium idem perpetuo eſſe conſiderantes, exiſtimant atq; etiam referunt incolas collecta ejus certa quantitate reliquum abjicere. Sed falluntur. Nam, uti diximus, magnæ impenſæ in Lentiſci fruticibus colendis & curandis faciendæ. Quia verò Turcico Imperatori ſingulis annis pro quatuor aut plurium millium ducatorum æſtimatione pendent, ejus pretium vel augere vel imminuere non licet. *Bellonius Obſerv.*

D. Thevenot Peregrinat. part. 1. p. 95. mira nobis de Lentiſcis in Chio cultis narrat, nimirum tortuoſas eas eſſe Vitium inſtar, & humi provolvi, ſeu per terram repere. Reptantes haſce arbores menſibus Auguſto & Septembri compungunt, éq; foraminibus in cortice factis Maſtiche exſudat, & in terram defluit, ubi in fruſtula plana indureſcit; Hæc indigenæ colligunt, & in cribro ad id comparato [**a ranging Sieve**] agitant ut pulvis ſeparetur, qui operariorum faciei adeò pertinaciter adhæret, ut abſq; oleo elui nequeat. Viginti duo in inſulæ pagi ſunt quorum agri Lentiſcis conſiti, ut numerus arborum per omnes ſimul cultarum ſit circiter 100000. pro quibus annuatim Turcarum Imperatori pendent 300 Maſtiches ciſtas, quæ ſimul efficiunt 27000 *Oguas* ſingulis ciſtis nonaginta oguis attributis. Ogua autem unica 400 drachmas continet.

Vindemiæ (ſi ita loqui liceat) tempore omnes inſulæ aditus vigili cura cuſtodiunt & obſervant, ne quis Maſtichen ſuffuratus effugere poſſit. Quicunq; autem deprehenſus fuerit iſtius criminis reus ad triremes illico ablegatur.

Matthiolus etiam Maſtichen ex arboribus defluentem in terra circumpavita concreſcere ſcribit. Mulctantur autem inquit, ſectâ manu qui Lentiſcum Maſtichen fundentem in proprio vel alieno agro exciderint.

Maſtiche pota ſanguinis rejectioni & veteri tuſſi utiliter adhibetur. Stomacho quoque eſt utilis, ructúmq; movet: additur etiam in dentifricia & faciei illitus: quippe quæ nitorem cuti conciliet. Quin & pilos oculorum fluentes glutinat & cohibet. Commanducata oris halitum commendat, gingiváſque contrahit.

Oleum unguentúmve à Veteribus è Maſtiche Chia confici ſolitum eſt. Modus præparandi duplex extat alter ſimplex, alter compoſitus. Prior Maſtiches ℥iij. in olei Seſamini ſextario coquuntur in vaſe duplici, alter, Maſtiches ℥iij. Vini boni albi ℥iv. alii viij. Ol. roſ. ℔j. in vaſe duplici coquuntur ad vini conſumptionem. Cerebrum, nervos, juncturas, ventriculum, hepar corroborat, tumores duros lenit, dolores ſedat. Poſterius hodie ferè tantùm eſt in uſu, quod præſtantius eſt priore *J. B.*

Ad omnem ventriculi dolorem (ut refert Matthiolus) vomitum & nauſeam magni faciunt hoc remedium Alfarabius & Matthæus de Gradi. ℞ vitellum ovi n. j. Mellis de ſpumati cochl. ij. Maſtiches gr. xv. Contrita & commiſta indantur teſtæ magni ovi Anſerini ſi haberi poſſit, & in calidis cineribus aſſentur. Ad dolores ventriculi topicum.

In pulverem redigitur Maſtiche inſpergendum linteo aut alutæ, poſt calefacta impoſita ventriculo vomitum & dolorem compeſcit. Vel ℞ panem toſtum, tere ſubtiliſſimè, cui admiſce Maſtiches ʒij. Sacculo immiſſa & calefacta ventriculo imponantur. Contra omne alvi profluvium, præcipuè verò hypercatharſin. Cingitor arctiſſimè, mox prunis injecto pulvere ex æqualibus partibus Maſtiches & Thuris ſuffitum ano excipito, extemplo ſiſtit. Egregium & probatum ad inveteratum coxendicis dolorem. ℞ Myrrhæ & Maſtiches ana part. æquales contrita coquantur in oleo Chamæmelino. Eo calido inungatur locus dolens. Emplaſtrum ad arthritidem à frigida cauſa. ℞ Maſtich. Cymini, Puleg. Salv. Bacc. Lauri ana partes æquales. Subacta cum melle calidè applicentur. Hæc è *J. B.*

Coquitur ℥ß Maſtiches in aquæ ℔. iij vel iv. & datur pro potu ordinario in Diarrhœa. *Schrod.*

Extenſæ ſuper alutam Maſtiches frequens uſus eſt in defluxionibus ad dentes, temporibus applicatâ alutâ. Cùm enim in vaſis cutaneis ferè eat materia, ipſa quidem intercipitur, vaſa autem clauduntur. In iiſdem malis frequentatur ſuffumigium, præcipuè ſi non ſuccedat affixio, & argumentum præbeat de via intrinſeca. *Caſp. Hofman.*

Cæterum Chinenſes tam viri quàm fœminæ & pueri Maſtichen fere ſemper in ore habent, ad roborandos dentes & gingivas, necnon ad halitum oris emendandum Panibus etiam & biſcoctis immiſcere & incoquere ſolent, ad eos guſtui delicatiores reddendos.

Summâ Maſtiche in omnibus affectibus in quibus adſtrictione opus eſt, præ aliis medicamentis commendatur.

C A P. V.

Pavate Park. Acoſtæ. *Pavetta ſeu Malleamothe* H. M. *P.* 5. *T.* 10. *p.* 19. *Pavate arbor foliis Mali Aureæ* J. B. *lib.* 15. *cap.* 4. *Arbor Malabarenſium fructu Lentiſci* C. B.

H. *M.*

ARbuſcula humilis eſt, ſeu potiùs Frutex, trium circiter pedum, [octo aut novem Acoſtæ] altitudine, caudice tenui, albicante, cortice cincto cinereo, ramuliſq; viridibus, in orbem diffuſis ornato, [Acoſtæ non admodum ramoſo.]

Radix fibrata, albicans, ſaporis amari, odoris aromatici [Acoſtæ alba & inſipida cum nulla tamen amaritudine, odoris propemodum expers.]

Folia geminata parallelo ordine ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, mollia, viridia, ſupernè ſplendentia, infernè nequaquam, media coſta è viridi albicante, odore gravi, ſapore acido vinoſo. [Acoſtæ folia rara, Mali aureæ foliis minoribus ſimilia, excepta appendice quâ carent.]

Flores in umbellas expanſi extremis ramulis proveniunt, odori, quatuor candidis, acuminatis, ac ſtellæ in modum expanſis foliolis conſtantes: folia hæc totidem intercedunt *ſtaminula* alba ſimiliter expanſa, medium occupante tenui longo candidóq; *ſtylo*. [Acoſtæ floris odor Periclymeni florum æmulus.]

Floribus ſuccedunt *Baccæ* rotundæ, glabro, viridi-fuſco ac nitente cortice tectæ, carnéq; intus aqueâ, viridi ſaporíſq; ſubacidi refertæ; intra quam nucleus continetur rotundus, dura cartilaginoſáq; pelliculâ cinctus.

Locus. Creſcit multis Regni Malabarici locis, præſertim in *Warapouli*: ſemper viret, quotannis floret, ac maturos exhibet fructus.

Vires & Uſus. Ex arboris radice cultrorum capulæ conficiuntur. Foliis ſtercorantur agri. Adhæc ex foliis in Palmæ oleo frixis linimentum fit ad tollendam impetiginem & variolas exſiccandas: Ex iiſdem in aqua communi coctis fomentum paratur ad hæmorrhoidum dolores placandos.

Radix cum zinzibere & croco in pulverem redacta, & cum Oryzæ infuſo exhibita, hydropem ſanat, ſeroſitates ſuperfluas per vias urinarias potenter educendo.

Acoſta ad duo præcipuè hunc fruticem commendat,

1. Adverſùs alvi profluvia, in quibus tamen ſiſtendis multis aliis medicamentis imbecillior eſt.

2. Ad omnis generis Eryſipelata curanda, præſertim è mera bile orta. Truncum aut radicem tritum Oryzæ decocto macerant, & aliquot horas quieſcere ſinunt ut aceſcat hæc aqua, Eryſipelas deinde ea inungunt, bibendámq; propinant ſufficiente quantitate bis in die purgato priùs ventriculo; eandem aquam præbent iis qui jecoris inflammatione laborant & febrium ardoribus: eadem addito ſucci foliorum Tamarindi momento vulnerum labia circumquaq; inungi ſolent ad inflammationem prohibendam.

CAP. VI.

Lentiſcus Peruana C. B. *Lentiſci Peruanæ ſimilis Molle dicta* Park. *Molle* J. B. *Molle ſive Molli Cluſii & Lobelii* Ger. *Aroeira* Marcgr. *Aroeira ſive Lentiſcus* Piſon.

J. B.

MOlle arbor eſt procera & patula, foliis Lentiſci, longioribus multo, anguſtioribus, acuminatis, lævibus, obliquis venulis à nervo per longum decurrente exporrectis, conjugatim ad coſtam latiuſculam compreſſam alligatis, per ambitum æqualibus tantillum nonnunquam per extremum ſerratis. [Folia in tenella inciſa ſunt, in adulta nec diſſecta, nec crenata, ut in Sorbo aucuparia adoleſcente & adulta obſervatur.] *Flores* peculiari ramoſo ſurculo hærent numeroſiſſimi perpuſilli, ſtellati, vitigineis pares, [Marcgravius *Aroeiræ* floſculos tribuit ex albo ſubluteos, quinque foliolis acuminatis conſtantes] quos *baccæ* excipiunt Aſparagi baccis ferè pares ac ſimiles, pingues, rugoſum oſſiculum nucleatum continentes, ſapore & odore baccarum Juniperi acri cum amarore aliquo. Folia trita Fœniculi odorem reddunt *Cluſ.*

Arbor vulnerata reſinam fundit fragrantiſſimam inſtar Lentiſci. Reſinam hanc ſeu gummi deſcribit J. Bauhinus, addítque magnam habere ſimilitudinem cum eo quod in Officinis proſtat nomine *Gummi Elemi*, niſi quòd paulò videtur candidior.

Lobelius Mollem arborem veri Balſami ſpeciem eſſe vult, verùm erroneé. Odoratum illum laticem καταχρηστικῶς meliùs dixiſſet Balſami ſimilem liquorem, quàm Mollem arborem veri Balſami ſpeciem.

Locus. Abundanter naſcitur in convallibus & locis planis Peruanæ regionis, ut referunt omnes qui Occidentalium Indiarum deſcriptionem dederunt. Baccæ matureſcunt menſe Julio.

Vires. Corticis decocto crurum dolores & inflationes ſumma cum utilitate foventur.

Ex ramulis fiunt dentiſcalpia utiliſſima.

Ex fructu cum aqua decocto pro coctura modo fit aut vinum ſeu potio admodum bona, aut acetum, aut mel.

Foliorum decoctum doloribus ex frigida cauſa ortis auxiliatur.

Gummi lacte diſſolutum oculorum caliginem abſtergere dicitur. Corvinus Romanus ejus ʒiß egregiè alvum ciere propriâ experientiâ J. Bauhino teſtabatur.

Pulverem corticis vulneribus inſperſum ea mundare & ſanare ſcribit Monardes. Dentes eodem fricati ſtabiliuntur & gingivæ abſcedentes ſanantur.

Folia contrita inſignem & nobiliſſimum odorem emittunt: in eorum decocto intincti panni, & calidi vulneribus, aut pulvere corticis illius inſperſo impoſiti curationem eorum accelerant & humorum eò defluxum prohibent.

Granum maturum habet in ſuperficie parùm admodum carnis ſuavis & palato gratæ, reliquum amaricat egregié. Conficiunt ex iis potionem confricando blandè inter manus in aqua calida donec dulcor omnis defricetur, cavendum enim ab amaro quod potum corrumpit. Percolant hanc aquam ſervántq; aliquot dies donec fæces ſubſideant: potus eſt limpidus, gratiſſimus atq; adeò ſalubris, præſertim illis qui affectibus renum aut veſicæ laborant, maximè ſi potio Mayzii adjiciatur. Aqua eodem pleniùs cocta evehitur in optimum mel, & Soli expoſita, additis neſcio quibus rebus vertitur in optimum acetum.

Tempore paroxyſmi febricitanti, Empiricorum more, exhibent cum ſucceſſu oculos ſeu gemmas arboris ex aqua nocturno rori expoſitos. *Piſo.*

Cap. VII.

De Viſco.

Viſcum ſeu Viſcus ab Æolico Ϝίσκος pro ἰξὸς, quod idem ſignificat. Latini Æoles ſequuntur. Unde eſt quòd ii non tantùm aſperum ſpiritum in V convertunt, quo modo ab Ἕσπερος eſt Veſper ſed & lenem, ut in ϝΟἶνος vinum, ϝέμω vomo, ϝίταλος vitulus, ϝείδω video, ϝῆρ ἦρ ver, ϝίκος vicus, ϝὶν ἰνὸς vena, ϝὶς vis, aliiſque quæ apud Caninium legi poſſunt.

Viſcus eſt planta paraſitica, ſeu Frutex arboribus aut fruticibus aliis innaſcens, baccifera, mono- yrenos.

A. 1. *Viſcum* Ger. *vulgare* Park. *baccis albis* C. B. *Viſcus Quercus & aliarum arborum* J. B. **Miſſeltoe and Miſſel.** *Aureus Virgilii ramus Æneid.* 6. *nonnullis exiſtimatus.*

J. B.

Multis ſtolonibus fruticat, cortice tectus coloris herbacei, ac interdum flaveſcentis, minimi di- ti ferè craſſitudine, nonnunquam craſſior, quos intercipiunt genicula, è quibus rami frequentes opagantur, nodoſi & ipſi, ſimilemq; ſibi ſobolem procreantes ramulorum. *Folia* bina oppoſita, ortulacæ foliorum formâ, oblonga, per extremum rotunda ferè, coloris herbidi, craſſa, nervis rectis antaginis pentaneuræ modo ſecundùm longitudinem donata, ſaporis ſubdulcis & ſubacris. *Flores* m ad genicula, tum extremis ramis hærent parvi, lutei, quadripartiti, qui in *baccas* abeunt confer- n coacervatas, uvæ criſpæ ſuppares, [imò multò minores] eodémque modo ſtriatas, albicantes, llucido, lento ac tenaci liquore plenas, odore quodam grato, vinoſo; ſapore jucundo, quibus im- erſa ſunt grana, non tamen nigra, ut vult J. Bauhinus, ſed potiùs argentea, ſingulis ſingula, lata, mpreſſa, cordis effigie.

Viſcum multis arboribus innaſcitur. Vidimus in Acere minore & Fraxino in vivario ferarum *Locus.* (Parcum vocant) *D. Franciſci Willughby* Middletoni in agro Warwicenſi, in Corylo, prope Bran- iam in Eſſexia, in Tilia, Ulmo, Salice, in Sorbo Aucuparia, & Rhamno cathartico. Malis & Pyris ecnon Oxyacanthæ frequenter, aliis arboribus rariùs innaſcitur. Apud nos rariſſimè invenitur in uercu. At Quercus latifolia, teſte Cluſio, per multas Pannoniæ ſylvas Viſci feraciſſima eſt. Et llonius inter montem Athon & urbem *Ceres* & *Tricala* nullam eſſe Quercum ſcribit, in qua non oveniat viſcum, omnino diverſum ab eo quod naſcitur in Pyris, Pomis & aliis arboribus, at non dicat. in quo differentia conſiſtat. Multas alias arborum ſpecies enumerat J. Bauhinus in quibus ſcum naſci à ſe & aliis obſervatum.

Viſcum Amygdalæ innaſci (inquit Tho. Bartholin. Act. Med. An. 1671. Obſ. 67.) nemo hacte- s opinor animadvertit; id tamen frequens eſt in Provincia Gallicana, præcipuè ad urbem Ciſte- nem, & in montanis, ubi ad vias publicas in Buxis & Amygdalis Viſcum altè progerminat & co- ſé. At J. Bauhinus in Amygdalo ſemel obſervaſſe ſe ſcribit.

Theophraſtus & Plinius Hyphear & Stelin à Viſco ſpecie diſtingui ſtatuere videntur: Verùm er- neé. Si enim res diſtinctæ ſunt, cur à tot ſeculis, à tot poſt Theophraſtum autoribus, non ab quo declaratæ? mirum tandiu curioſos Botanicorum oculos latuiſſe & diligentiſſima ſcrutinia uiſſe. At neque diſtinctionem illam Viſci probamus quæ deſumitur à differentia arborum quibus naſcitur, ut ſpecie diſtincti ſint qui arboribus ſpecie differentibus accreſcunt. Quódque Theo- raſtus prodidit perpetuam frondem agere in arboribus ἀειφύλλοις naſcentem, adnatum verò arbori- s quæ amittunt folia, in iis quoq; ſentire diſpendium, experientiæ repugnat, ſiquidem quod Pyro, mo, Amygdalæ, aliiſque multis quæ folio deciduo ſunt, innaſcitur, perpetua fronde viret, nec un- am folia amittit. Matthiolus Quercui, Robori & Caſtaneæ innaſcenti appetente hyeme omnia lia decidere affirmat, penes quem fides eſto. Nobis certe in nulla hactenus arbore obſervatus foliis nnino ulla anni parte viduus. Quinetiam diſtinctio Viſci pro baccarum numero in ſimplex & po- coccon nobis minùs arridet. Nam & nos cum J. Bauhino in eadem arbore aliquando binis vel nis, aliquando pluribus baccis racematim coaggeſtis Viſcum obſervavimus.

An hujus fruticis ſemen (perfectum cùm ſit & maturum) ſui generis plantam aliquando produ- t necne controvertitur. Affirmativam partem tuentur Ariſtoteles, Plinius, & univerſus Antiquo- m cœtus; Viſcum nempe ex ipſius baccarum ſemine, per alvos turdorum, Palumborum cætera- mque id genus avium, poſtquam acinorum pulpam concoxere, reddito naſci. Hæc eſt natura nquit Plinius) ut niſi maturatum in ventre avium non proveniat. His ſe opponunt, & pro ne- tiva depugnant Jul. Scaliger eúmque ſecutus J. Bauhinus & plerique recentiores multis argumen- quorum tamen nonnullis facilè reſpondetur. Difficilior eſt reſponſio ad argumentum quod de- nitur à ſitu Viſci in ramis. Quomodo enim ſemen Viſci conſiſtere potuit in ramis tenuibus, ctis in quibus aves vix poſſunt conſiſtere, iiſque ventis agitatis, & crebris imbribus complutis? omodo in prona ſeu terram ſpectante ramorum parte? Cui tamen non ſine aliqua probabilitatis cie reſponderi poteſt, excrementa avium viſco paſtarum de ejus natura participare, & proinde nina iis delibuta ramis agglutinare poſſe adeò firmiter, ut non facile ventorum impetu aliave peſtatum vi dejiciantur. Nos ſanè non libenter, ſpontaneam aut æquivocam generationem ad- ttimus: cúmque, ut rectè Theophraſtus, omne ſemen ſit propter generationem, abſurdum nobis etur, nec veriſimile naturam ſemen aliquod perfectum magnâ etiam copiâ creâſſe tota ſpecie ad nerationem inutile & infœcundum.

Viſcum Veris initio floret: Baccæ tamen per totam hyemem in frutice durant. In quacunque *Tempus.* em arbore naſcitur noxam ei affert, ut etiam interimere poſſit teſte Theophraſto.

Viſcum

Vires & Uſus. Viſcum ad aucupia ex hujus fruticis baccis tum olim tum etiam nunc dierum aliquibus in locis parabatur. Baccas in aqua decoquunt donec diſrumpantur, poſtea contundunt & tandiu lavant in aqua quouſque furfuracea excrementa eximant. Paratur optimum ex Caſtaneæ Viſco. Quod apud nos in uſu eſt Viſcum è cortice Agrifolii fit. In Damaſco è Myxis ſive Sebeſten paratur, quod Venetias indè tranſvehitur.

Viſcum ſeu gluten ad aucupia paratum multi apud Veteres in medicina usûs erat. Vim habet emolliendi & diſcutiendi tumores, parotides & abſceſſus reſinæ paríque ceræ admixtum: Epinyctidas quoque in ſplenio ſanat. [Strumas ſiccat, comitialibus medetur. *Plin.*] reliqua vide apud Dioſcoridem, Plinium & Galenum.

Ligni uſus præcip. ac ſpecific. in Epilepſia. Præſcribitur etiam contra Apoplexiam & Vertiginem, tum intus epotum, tum verò collo appenſum: Quibus in morbis multum præſtare tum veterum tum recentiorum medicorum unanimis eſt ſententia. Scimus quoſdam (inquit J. B.) Viſci ligno in vino macerato non inutiliter uſos contra Vertiginem. Pulvis Viſci (maximè Quercini) non Epilepſiæ tantùm medetur ſed & menſes movet. Arcanum etiam eſt contra Pleuritidem ſemel atque iterum & tertiò in aqua Cardui & Papav. exhibitus. *D. Bowle.*

J. Bauhinus contuſum & aquis convenientibus maceratum adversùs vermes inteſtinorum, in pueris aliquos ſuaſu ſuo uſos ſcribit.

Viſci Oxyacantho innaſcentis pulvis vino albo aut Hiſpanico infuſus, & duabus ante paroxyſmum horis exhibitus, doſi ſubinde repetita ſi opus fuerit, febrem quartanam non raro fugat & perfectè ſanat.

Commanducatæ fruticis frondes & depaſtæ à jumentis & vaccis à ruſticis noſtris ad ſecundas remorantes ejiciendas utiles cenſentur.

Quòd Viſcus Quercinus præ aliis in honore & pretio ſit, Druidum ſuperſtitioni tribuendum autumo, qui Viſco & arbore in qua naſcebatur, (ſi modò ea Quercus fuerit) nihil habuere ſacratius. *Plin. lib.*16. *cap.*44. Aiunt & Druidas ſolitos fuiſſe per adoleſcentes ſuos viſcum ſuum anni principio mittere, quo viſo clamarent omnes Annum eſſe novum: atque hinc manâſſe quòd juvenes hodiéque anni principio oſtiatim diſcurrentes, ſtipémque carmine poſcentes appellent id *aguilaneuf* quaſi *A gui l'an neuf*, i. e. Ad Viſcum annus novus. *Voſſ. Etymolog.* Fœcunditatem eo poto dari cuicunque animali ſterili arbitrabantur Druidæ, contráque venena omnia eſſe remedium. *Plin.* apud quem plura vide.

Eſt Viſcum Corylinum in Epilepſiis & aliis capitis affectibus longè efficacius Quercino: Sed non naſcitur in Corylo niſi poſt centeſimum annum ex opinione Henrici ab Heers. *Joh. Helf. Juncken.* in Chym. experimental. curioſa. p. 618. *Utrovis utaris perinde eſſe puto.*

2. *Viſcum baccis rubris* C. B.

Cluſius non procul Hiſpali in Hiſpania Viſcum copioſè in oleis naſcens obſervabat. Habuit verò id baccas non albas, quales in aliis arboribus natæ, ſed ex rubro purpuraſcentes. Bellonius quoque Obſervat. cap. 83. ſimile viſcum in oleis Hieroſolymitano agro creſcere ſcribit.

An hoc à vulgari baccis albis ſpecie differat nobis non conſtat.

3. *Viſcum Indicum* Ger. J. B. Park. *latifolium ſenis circulis utrinque inſculptis* C. B.

Ex Indicis plagis accepimus, (inquit Lob.) hanc nuſpiam niſi in ramis & truncis arborum enaſci ſolitam, ritu Viſci, quod quia multùm adumbrat, *Indicum Viſcum* vocavimus. Seſſili, ſed tranſverſim excurrente eſt radicis ceſpite, gramineis genicellis, & Polypodii quadantenus ſed albicantibus: *Culmis* item ex pallido virentibus, à medio ſummo tenus craſſioribus, fungoſis, ſtriatis, ſeſquipedem longis; in quibus *folia* ſemper virentia, Viſci effigie, ſed duplo majora, fungoſiora, & ſecundùm nervum medium folium intercurrentem circulis utrinque ſenis, non parùm admirationis moventibus, veluti ſcalpro inſculpta.

Plantis Capillaribus potiùs affinis videtur quam Viſco, tum ex radicibus, tum ex circulis foliis inſculptis.

4. *Viſcum Indicum aliud* J. B. *Viſcum Peruvianum* Ger. Park. *Viſci modo arboribus Indicis adnaſcens* C. B.

Ad. Lob.

Eidem cœlo & natalibus ramorum arborum Indicarum debemus hanc; cæſpite latiore ſeſſilis candicibus incumbit, fibrillis Cepaceis radicata, unde proximè ſurgunt folia invicem convoluta, tunicea, inferiùs ferè palmum lata, numeroſa, quadantenus Aloes aut Scyllæ, & ſupernè in ligulas prætenus mucronatas deſinentia, purpureum, ſtriatum, concavum, alis donatum ſcapum Haſtulæ Regiæ au Aloes, duorum aut trium cubitorum ambientia, quæ multis glumoſis ſiliquulis ſpicantur, Avenæ ſim magnitudine verò & ſericeo tomento candido Apocynum & Aſclepiadem repræſentant, & ſemine, ſed Conyzæ exili; guſtu ſalſo, ingrato, nitroſo, fortè quia in aura marina adolevit, ut Aloes illic i ſabuletis.

Planta eſt Graminifolia, à Viſco diverſiſſima.

5. *Viſcum Oxycedri* J. B. Cluſ.

In Hiſpania (inquit Cluſ.) in Oxycedri ramis menſe Octobri obſervabam plantulam digiti lon gitudine, ramoſam, geniculatam, viridem, interdum flaveſcentem, ramulis Myricæ recenter enat ſive *Salicorniæ* nonnullis dictæ, ſed paulò minoribus, conſtantem, quorum extremis interdum velu fructu fructus inhæret Muſci qui in arboribus aut ſaxis naſcitur fructui perſimilis. Acido autem & perquam adſtringenti guſtu tota plantula hæc eſt, Oxycedro velut Viſcum in aliis arboribus innaſcens.

6. *Sedum arboreſcens* Bontii. *Frutex paraſiticus baccifer Sempervivi æmulus flore odoratiſſimo.*

Bont.

Arboribus Mangiferis & Quercûs cuidam ſpeciei, quam Indi *Kiati* vocant, Viſci inſtar, accreſcit. *Foliis* eſt oblongis Perſicariæ, ſed craſſioribus longè & ſucculentioribus, qualia ſunt Sempervivi majoris. *Radices* edit mirabiles, teretes, ex quibus fibras demittit, quæ vel lapidem, vel arborem apprehendunt, & ſine limo vel terra ſic affixa creſcunt magnitudine glandium, formâ & figurâ tali quale eſt manubrium haſtæ vel lanceæ quibus Perſæ & Turcæ equites etiamnum utuntur. *Florem* profert parvum, Anagallidis flori ſimilem, ſed album, & tam aromatici odoris, Citri æmuli, ut me in vita nil quicquam odoratius percepiſſe ſciam. Unde etiam apud Malaios nil ad cerebri & nervorum præternaturales affectus æquè conducere fertur. Hinc quoque in ſpaſmo & cholera conſerva ex floribus & foliis hujus plantæ ſingulare eſt remedium. Comperi quoque egregios ejus effectus in dyſenteria: habent enim folia qualitatem aſtringentem, & ſaporem planè talem qualis eſt in Ace- oſa patria, ſed palato longè gratiorem. Flores quoque conditi non minùs cordiales ſunt quàm Bugloſſæ aut Boraginis. Fructus medium digitum longi, ſapore mucilaginoſo & fatuo, & per medium tranſverſim diſſecti ſemen oſtendunt paulo majus quàm Milii, itidem mucilaginoſum, quod decuſſatim ſitum eſt, ut fermè arcem repræſentet, quatuor ſuis vallis & propugnaculis exornatum. Conducere dicitur ad venenata vulnera, unde & ad ictus venenatorum animalium utilem eſſe conjicere licet.

Vires.

Cap. VIII.

De Phillyrea.

PHillyream Dioſcoridis multi cum Philyra Theophraſti confundunt: alii & rectiùs (ut exiſtimo) eas diſtinguunt, *Macaleb* autem Arabum Phillyream eſſe Dioſcoridis J. Bauhinus probat. An verò *Mahaleb* ſeu Phillyrea ea ipſa arbor ſit quæ hoc nomine nunc vulgo innoteſcit non ità manifeſtum eſt. Rauwolfius ſcribit ſe vidiſſe Halepi apud aromatarios parva ſemina alba, Machaleb, quæ duro cortice continentur, longiuſcula, acuminata, obducta tenui tunicâ, Piſtachiorum modo, quibus utuntur ad odoratum ſaponem. Et Monachi qui in Meſuem commentati ſunt ſcribunt *Mahaleb* eſſe arbuſculam in Syria notiſſimam, ſpinoſam, foliis Olivæ ſimilibus: ferre grana quaſi racematim in ramis, ut Lentiſcus; paulò craſſiora tamen, è quibus Syri oleum exprimunt valdè odoratum, ex quo conficiunt ſapones, olfactu ſuaves aliáque plura. *Hæc omnia quomodo convenire poſſint Phillyreæ vulgari non video.*

1. *Phillyrea anguſtifolia* J. B. Ger. Lob. *anguſtifolia prima* C. B. Park. *i. e.* 4. *Cluſii. item auguſtifolia ſecunda* eorundem, *i. e.* 5. *Cluſii.* **Narrow-leaved Mock-privet.**

Cluſ. J. B.

Humanam altitudinem æquat aut etiam ſuperat, ramos tamen minores & frequentiores habet quàm Phillyrea latifolia ſerrata aut lævis, nigriore cortice tectos [cortice cinereo, materie alba] *Folia* ex adverſo reſpondentia, Oleaſtri, anguſtiora, viridiora, amaritudinis non expertia. *Flores* ad foliorum exortum multi utrinq; ramulos coronant, Oleæ ſimiles, ex herbaceo albi: quibus ſuccedunt *baccæ*, Myrtinarum magnitudine, rotundæ per maturitatem nigræ [cœruleæ vel potiùs violaceæ] breviſſimis pedicellis racematim ramulis adhæreſcentes, dulces cum aliquo amarore: in quarum unaquaque oſſiculum parvum, durum.

Locus.

In Etruria copioſè provenit, necnon circa Monſpelium, in locis *Garrigues* dictis. Magnitudine inſigniter variat, unde Phillyream quartam & quintam *Cluſ.* ſpecie à ſe mutuo diſtinctas non arbitramur. *D. Magnol* etiam ſuſpicatur Phillyr. quintam *Cluſ.* nihil aliud eſſe quàm varietatem quartæ.

2. *Phillyrea latiuſculo folio* C. B. *latiore folio* Ger. *latifolia, foliis ferè non ſerratis* Park. *folio Liguſtri* C. B.

Cluſ.

Minor eſt utplurimum Phillyrea folia Ilicis, duorum tamen hominum altitudinem æquantem ſe vidiſſe ſcribit Cluſ. Ejus rami (inquit) exalbido cortice teguntur, aliquantulum rugoſo. *Folia* habet eâ quæ folio eſt Alaterni aut Ilicis anguſtiora, nullis crenis ſerrata, ejuſdem ut in præcedente coloris, adſtringentis guſtûs. *Flores* Oleæ ſimiles, puſillos, ex herbaceo candicantes, confertim inter foliorum exortus naſcentes: *fructum* deinde rotundum, ſuperiori ſimilem.

Locus.

Deſertis Bæticæ locis naſcitur, imò circa Monſpelium frequens eſt. Rectè Lugdunenſis in Gram- untio luco, ac in ejus tractus ſaxoſi glareoſique rupibus creſcere notat.

Hoc genus foliorum figurâ, colore, magnitudine mirè ludit, unde Phillyream arborem Lobe- o *J. B.* i. e. latifolium lævem *C. B.* ab his non diſtinguo: quanquam in eam magnitudinem ex- eſcere non obſervaverim.

3. *Phillyrea latifolia ſpinoſa, ſeu* 1. *Cluſii* C.B. *item folio leviter ſerrato, ſeu* 2. *Cluſii* ejuſdem. *Phill. latifolia aculeata* Park. *item folio lato ſerrato* ejuſdem. *Phill. folio Alaterni* J.B. *item folio Ilicis* ejuſdem. *Nam has duas ſpecie differre non puto.*

Cluſ.

Prima varietas altiùs aſſurgit quàm Ilex coccigera, *ramóſque* habet pollicaris, vel etiam amplioris craſſitudinis, cortice viridi ſed candicantibus maculis aſperſo tectos: *Folia* Ilicis coccigeræ majora, viridiora, craſſiora, in ambitu nonnihil ſpinoſa, adſtringentis quidem guſtûs ſed non ingrati. Hujus *flos* Cluſio non conſpectus, ſed *fructus* Lentiſcino æqualis, è foliorum alis dependens, maturitate niger, oſſiculum continens.

Locus. Frequens eſt in Luſitaniæ incultis circa Eboram.

Varietas. Secunda varietas præcedentem magnitudine ſuperat, multis ramis, candicante cortice obtectis prædita: *foliis* Alaterno priori pæne ſimilibus, firmioribus tamen & minùs nigricantibus, ſaporis quidem aliquantulum acris, ſed in quo amaritudo ſentiatur. Neque iſtius *florem* conſpexit Cluſius, ipſum autem *fructum* racematim inter folia propendentem, magnitudine granorum Piperis aut fructûs Myrti, rotundum nigrum, calidi guſtûs, oſſeum & durum nucleum, candido & fragili cortice obductum continentem.

Locus. Variis Luſitaniæ locis in ſepibus creſcit: nobis obſervantibus in Etruria copioſiſſimè locis aſperis & ſaxoſis: item circa Monſpelium in præruptis clivis non longe à ſpecu Frontignana, ad montem Lupi & alibi.

Foliis magna varietate ludit, ut à multis in diverſas ſpecies diſtracta ſit.

Vires. Phillyreæ folia, tradente Dioſcoride, proinde ac Oleaſtri adſtringunt, prōinde ad ea proſunt quæ aſtrictionem deſiderant, maximéque ad oris ulcera commanducata, tum etiam ſi decocto ea colluantur. Quin & potum decoctum urinas menſéſque ciet. Quæ Arabes habent de viribus Mahaleb, (quam Phillyreæ Dioſcor. eandem eſſe ex ſententia J. Bauhini ſuperiùs dictum) vide apud *J. B.* Apud Recentiores nullum habet Phillyrea in medicina uſum: ob perpetuæ frondis honorem expetitur ad ſepes tonſiles in hortis, viridariis & ambulacris.

CAP. IX.

A. 1. *Sambucus aquatilis ſive paluſtris* Ger. *paluſtris ſive aquatica* Park. *aquatica* J. B. *aquatica flore ſimplici* C. B. **Water Elder.**

J. B.

AQuarum amaſia hæc Sambuci ſpecies, indéque cognominata, arbuſcula eſt quinque aut ſex cubitorum altitudine, caudice craſſitudine ſua manum complente; ligno tenero, candido, fragili, fungoſâ intus medullâ, polito cortice cinereo obtecto, geniculatis ramis gemellis, ordine utrinque uno brachiato: ex quorum geniculis *folia* exeunt lata, anguloſa, rugoſa, Aceris minoris, vel Sorbi torminalis foliorum æmula. *Flores* nonnihil odorati, in umbella candidi, tam lati aliquando, ut pollicis unguem æquent, quinquepartiti, ſed circa umbilicum continui: maximè verò qui extimi in ambitu ſunt expanduntur, mediis intra umbellam exiguis concluſis, ſeriúſque ſe expandentibus, flaveſcentibus. Acini rubri ſeu ſanguinei, magnitudine baccarum ſpini albi *ſemen* continent planum, latum, rubrum, cordis effigie. Hæ baccæ, autore Trago, ingrati planè ſunt ſaporis, ità ut deguſtanti nauſeam & faſtidia continua pariant.

Locus. Ad aquas & fluviorum ripas, inter alnos in Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Italiæ pratenſibus udis, convalliúmque marginibus viſitur. Umbellæ cum floribus Maio lætæ conſpiciuntur: Autumno baccæ perficiuntur, nihilominus integra hyeme durantes, quo tempore tum reliquæ, tum potiſſimùm Bonoſæ aves, ſummopere eas expetunt, ut non raró etiam illis ineſcatæ capiantur, notante Trago, cujus judicio in eclegmate exhiberi poſſent ad vomitiones ciendas. Hujus baccæ ad ʒ ij. in jure pingui alterato comâ Abſinthii ſeroſitates per vomitum benignè evacuant. *Prævot. Medic. Pauperum.*

2. *Sambucus roſea* Ger. J. B. Park. *aquatica flore globoſo pleno* C. B. **The Gelderland Roſe.**

J. B.

Amabili florum candidorum, magnorum, quinquepartitorum, unáque ſe expandentium, glomeratorum pilæ niveæ (unde nomen apud vulgus Germanicum invenit) inſtar, ſpectaculo hortos decorat frugiperda iſta aquatica Sambucus. Floribus parvis deſtituitur, cætera præcedenti ſimilis, niſi quod flores propemodum odore deſtituti videantur.

Colore floris purpureo interdum ſed rariùs reperitur, quæ Sambucus roſea flore purpureo *Ger.*

Tota hortenſis creditur hæc (inquit Dod.) & culturæ mangonio talis facta: quod & nobis videtur. Cùm enim fructum proferre à nemine hactenus obſervata fuerit, non ſpeciem à præcedente diſtinctam, ſed ejus tantùm varietatem natura ludente effectam veriſimile eſt.

Ob florum in corymbos conglobatorum elegantiam in hortis colitur.

CAP. X.

A. *Laureola* Ger. Park. *Laureola ſemper virens flore luteolo* J. B. *ſemper virens flore viridi, quibuſdam Laureola mas* C. B. **Dwarf-Laurel; Spurge-Laurel.**

J. B.

AD cubitos duos & altiùs grandeſcit ſtipite lento, aliquando ſimplici, aliquando in ramos aliquot diviſo, quem ſubcinereus ſeu albicans tegit cortex, & fractu contumax, & flexuoſus, *foliis* fere nudum, quæ circa faſtigium potiſſimùm gerit, eáque ſatis frequentia, adeò ut in bem umbellæ inſtar diradiari videantur. Laureorum æmula, nec per hyemis aſperitates caduca, anguſtiore principio ceu cervice ſenſim dilatata, craſſa, glabra, nigricantia, ſplendentia. E folium ſinubus egrediuntur pediculi unciales, craſſiuſculi, foliolis aliquot concavis velut totidem ſquas veſtiti, in faſtigio *floſculos* plures geſtantes confertos velut in umbella, ex herbaceo luteolos, è bo oblongo in quatuor lacinias acuminatas, foliorum æmulas expanſa, fructuum rudimenta intio receſſu complectentes, quæ in baccas excreſcunt Juniperinis pares, nonnihil oblongas, primùm ides, per maturitatem nigras, nucleo intus duro, Cannabis ſemine paulò longiore, medulla interiore ndida. *Radix* ſubeſt in aliquot partes diviſa, longa, craſſa, lenta, quæ difficulter evelli poteſt. ti plantæ ſapor fervidus.

Locus & Tempus. In ſylvis & ſepibus, præſertim umbroſis, ſatis frequens eſt. Februario & Martii initio floret. Frus Æſtatis fine & adventante Autumno maturitatem conſequuntur & nigri fiunt.

Vires. Daphnoidis Dioſc. & Plin. vires huic conveniunt, ſiquidem folia guſtatu os faucéſque vellicant inflammant. Eadem ſeu arida, ſeu etiam recentia potu pituitoſa per alvum dejiciunt; vomitus oque ac menſes cient: quin & commanducata pituitam è capite extrahunt, & menſes movent. terùm quindenæ ipſius baccæ [quinæ denæve Plinio] purgationis cauſâ ſumuntur.

Folia commanducata os & fauces (ut diximus) inflammant: intus ſumpta ventriculum admon ſubvertunt, vomitum cient, partes internas lædunt & adurunt: Empirici nonnulli tum folia n baccas exhibent hydropicis ad humores ſeroſos evacuandos. Cæterùm, inquit J. Bauhinus, non nere hanc plantam aut aliquam ejus partem præſcripſerimus ob inſignem acrimoniam, *quæ tamen aceto macerando corrigi poteſt.*

Pulvis hujus in aceto maceratæ, exſiccatæ & comminutæ cancris inſperſus prodeſt. Frigida & repllentia conveniunt in Cancro occulto, in ulcerato non item. *D. Bowle.*

CAP. XI.

De Chamælæa & Thymelæa.

CHamælæam & Thymelæam eodem capite comprehendo, quia & flore & fructu & facultate conveniunt.

Ratio nominis Chamælæa manifeſta eſt. Thymelæam dictam volunt quaſi Tithymælæ, quòd Oleæ ferat folia, & Tithymali inſtar alvum ſolvat: certe tum foliis tum qualitate Tithylum refert.

Hujus generis notæ Characteriſticæ ſunt flores monopetali in quatuor lacinias acuminatas exſi, baccæ monopyreni, vis acris & cathartica.

Huc etiam referri potuit imò debuit Laureola.

1. *Chamælæa Germanica ſive Mezereon* Ger. *Germanica, ſive Meſereon vulgò* Park. *Laureola folio deciduo, flore purpureo, Officinis Laureola fœmina* C. B. *Laur. fol. decid. ſive Mezereon Germanicum* J. B. **Mezereon.**

Frutex eſt ad trium cubitorum interdum altitudinem excreſcens, *radice* in aliquot partes diviſa, nimi digiti craſſitudine, vel etiam craſſiores, longâ, altéque ſe demittente, alba; ex qua aſſurt *virgulæ* plerunque ſingulares, lentæ, teretes, tenues, obſequioſæ, cortice duplici tectæ, exteriore ereo, tenui, fragili, interiore exteriùs virente, interiùs albicante, valdè lentæ & fractu contumaces, uginem quandam bombycinam dum divelluntur oſtendentes, cui ſubeſt lignum candidum, ſolin, medullâ paucâ præditum. *Flores* ad ramulorum latera ſine pediculo, nunc ſingulares, nunc res ſimul juncti ex nodulo ante folia prodeunt, palliduli, ex rubello purpuraſcentes, colore ad flo Perſicæ accedentes, oblongi, in quatuor foliola mucronata, reflexa diviſi, odore ſuavi, in medio *minula* aliquot crocea. *Folia* ex tuberculis plerunque plura ſimul, colore herbaceo, Laureolæ folio petuo accedentia, molliora, nec ut illa ſplendicantia. *Baccæ* cum maturitate rubentes, quæ reſicæ nigricant, quarum interior nucleus Cannabis ſemini ſimilis, medulla candida. Tota planta, ut re gravi eſt exceptis floribus, ità ſapore acerrimo & urentiſſimo.

Locus. Amat loca ſylvatica & montana. In Germania & montibus circa Genevam & alibi obſervavis. Flores (ut in deſcriptione dictum) folia antevertunt, & Martio menſe exeunt. Baccæ in virdiu durant. In Anglia non habetur ſpontanea; ſed ob florum præcocium aſpectum pulchrum uavem odorem noſtratibus in pretio eſt, inque hortis & viridariis magno ſtudio paſſim colitur. iat floris colore pallidiùs rubente, & albo. Hujus baccæ Officin. Coccignidii ſc. grana Cnidia votur. *Schrod. Cord.*

Vires. Mezerei vis eſt ignea, acerrima, exulcerans & mordens; commanducatum fauces & œſophagum adurit, diu multúmque vexante impreſſione, Lobelio & experientia teſtibus. Febres accendit, cordis præcipuarúmque partium vires exſolvit, validiſſimè bilem bilioſáſque ſeroſitates purgans. Corrigitur macerando hor. 24. in aceto (ut Elleborus ac Eluſa) ſucco mali Punici aut Cydonii, Portulacæ, mucilagine ſem. Pſyllii. Alii corrigunt infundendo in vino & iterum exſiccando: Alii triduanam macerationem in aceto requirunt, ſingulis diebus novum affundendo, & tandem aquâ bene eluendo.

Verùm Folia, cortex, baccæ quomodocunq; præparatæ & correctæ ob malignitatem rariſſimè in uſum veniunt, nec niſi in tutiorum medicamentorum inopia & caſu aliquo deſperato exhibenda ſunt, idque magna conſideratione.

2. *Chamælæa Sabaudica folio utrinque incano, flore albo.*

Ad pedalem & ſeſquipedalem altitudinem aſſurgit, virgis in plures ramulos tortuoſos & ad genicula ſeu divaricationes reflexos diviſis & ſubdiviſis. *Lignum* ejus ſupra modum fragile eſt, cortex cinereus. *Folia* Mezerei Germanici, ſed multò minora acuminata, utrinq; hirſuta, glauca ſummos ramulos occupant: in quorum etiam extremis *Flores* exiſtunt quatuor aut quinque aut plures ſimul conferti, pediculis nullis, nullo calyce excepti, è tubo longiuſculo in quatuor foliola acuminata, alba expanſi, ſtaminula crocea intùs continentes. Floribus ſuccedunt *baccæ* longiuſculæ, quarum rudimenta tantùm vidimus; nam planta Maii initio cùm eam invenimus in flore tantùm erat.

Locus. In ſylvoſis ad latera montis Salevæ prope Genevam. Folia ſicca deguſtata etiam poſt vicennium, fervorem & acrimoniam manifeſtam prodebant.

3. *Thymelæa* Ger. Park. *foliis Lini* C. B. *Monſpeliaca* J. B.

Cluſ.

Frutex eſt pollicaris interdum craſſitudinis, cubitalis verò altitudinis aut amplior, & in multas virgas diviſus, cubitales, tenues, pulchras, rectas, quæ ſepiunt perpetuò virentia *folia*, Lini ferè, ſed majora, latiora, non obtuſa cuſpide ut Chamælæa, neq; adeò fragilia, ſed mucronata, lenta, & gummoſum quiddam ſi dentibus atterantur præbentia. *Flores* fert in extremis virgis copioſos, tetrapetalos, Oleæ ferè ſimiles, candidos, racematim ferè propendentes; deinde *fructum* baccarum Myrti interdum magnitudine, paulò longiorem, initio viridem, poſtea Coralli modo rubrum, carne ſucci plena Ceraſorum inſtar; ſub quo latet unicum *ſemen*, nigra fragilíque pellicula obductum, & fervidi ſaporis medullam obvolvens. *Radix* lignoſa eſt & dura, in tenellis plantis Raphani modo efformata, craſſo cortice tecta, ſed quemadmodum tota planta lento & admodum tenaci.

Locus. In Italia & Gallia Narbonenſi agris depreſſioribus inter alios frutices paſſim provenit. Cluſius per totam Hiſpaniam locis aſperis naſci tradit.

Hujus fructum coccum ſeu Granum Cnidium Antiquorum Botanici peritiores exiſtimant. Officinis Mezerei Germanici baccæ pro cocco Gnidiæ habentur. Cocco Gnidiæ vis ardens & fauces adurens: unde miramur Perdices & aviculas Thymelææ baccis avidiſſime veſci. Aſt grana non ſunt baccæ integræ rubræ (quæ fortè eſculentæ ſunt) ſed ſemina quæ baccis celantur. *Ruſtici Hiſpaniarum* ſingulis annis propè infinitas aviculas hoc ſemine curvatis virgis & quibuſdam lineis diſpoſitis venantur, teſtibus Amato & Cluſio.

Cavendum monet Camer. nè quis radice veſcatur, quia paucis horis perimit.

4. *Thymelæa foliis Polygalæ glabris* C. B. *Sanamunda glabra* J. B. *Sanamunda Monſpeliaca glabra* Park.

J. B.

Lentis & obſequioſis eſt ramis, cortice tectis flaveſcente, in fila Mezerei Germanici in morem ductili, per quos agminatim conſcendunt *folia* crebra, Myrteis ſimilia, unciali plus minùs longitudine, vix ſemunciam lata, in acumen deſinentia, glabra: è quorum ſinu per integrum ferè ramum *flores* oblongi, parvi, ex luteo herbacei, quatuor foliolis decuſſatis conſtantes. Succedit granum rotundum, ſingulare.

Locus. In maritimo tractu Narbonenſi propè *Agdes* oppidum collegit J. Bauhinus.

Vires. Mycono autore vis purgandi ei vehemens, & quàm in Chamælæa valentior: nam ℨ ß. pondere potentiſſimè alvum movet ac aquas evacuat, non ſine torminibus & magno cruciatu.

5. *Thymelæa foliis candicantibus, Serici inſtar mollibus* C. B. *Tarton raire Gallo-provinciæ* Lob. Ger. *Maſſilienſium* Park. *Maſſilien. Sanamunda* 1. *Cluſii* J. B.

J. B.

Frutex eſt cubitalis, valdè ramoſus, radice nitens altè actâ, craſsâ, quem cortex tegit mirè obſequioſus & lentus, in minima ſtamina non ſine floccis quos lanam dicas carptam, ductilis, quali etiam cortice veſtiuntur rami, ſed ſuperſtrato denſo tomento albido, & quaſi argenteo. *Folia* Myrti Tarentinæ magnitudine, niſi quòd per extremum ſint paulò latiora, in acumen tamen obtuſius deſinentia undique lanuginoſa & tactu mollia, albida vel argentea, lucida; inter quæ *flores* exeunt, Oleæ ſimiles, *Cluſ.* oblongi, in quatuor foliola per extremum diviſi, colore luteo. Fructus [quemadmodum ex relatu accepit Cluſ.] Thymelææ ferè, ſed nigricante colore.

Idem Cluſius folia carnoſa eſſe dicit, aliquantulum hirſuta, gummoſa, ſi mordeantur amara initio, deinde acria & adurentia; ramos cortice exteriore nigreſcente, obduci, alio interiore lento; quæ notæ non bene conveniunt plantæ à nobis obſervatæ in rupibus maritimis non longè à Salerno in Italia: unde non mirum Lobelium ſeparare *Tarton raire* Gallo-provinciæ à Sanamunda 1. *Cluſ.*

Locus & Tempus. Circa Maſſiliam locis ad mare devexis, præſertimq; collem *Mont rond* vocatum, ſqualidum, aridum, glareoſum plurima fruticat. Frequens quoq; eſt (inquit Cluſius) regnis Granatenſi & Valentino, in apricis & Sole illuſtratis locis. Verno tempore, hoc eſt, Martio & Aprili floret; Æſtate ſemen perficit.

Folia

Vires. Folia ſunt adurentia, uti dictum: ob purgandi facultatem ruſticis Hiſpanis magno in uſu. Sed effrænis & exuperans ejus purgandi vis, (inquit Lob.) non raro dyſenterias fluxúſque immoderatos accerſit: ideóque non niſi robuſtis & cum cautione exhibenda.

6. *Thymelæa foliis Kali lanuginoſis ſalſis* C. B. *Sanamunda* 2. *Cluſii* J. B.

Cluſ.

Cubitalis altitudinis frutex eſt, ramis lentis, flexibilibus, carnoſo & denſo cortice intectis, qui ſublata exteriore cute per totam plantam, præſertim circa radicem, Lini aut Cannabis modo in fila diduci poteſt. Superiores ramuſculi denſorum, confertorum, lanuginoſorum, & velut tomento quodam obſitorum *foliorum* comam pariunt, ſuperiore minorum & mucronatorum, ſalſi nonnihil guſtûs, ſed deinde acris & calidi. Exornatur hæc coma flaveſcentium *floſculorum*, Oleæ ſimilium, numeroſa ſobole. Radix craſſa & lignoſa ſuperiori ſimilis eſt. Fructum hujus obſervare non potuit, quandoquidem Februario florentem inveniebat petroſo & ſalebroſo loco, maritimis Bæticæ, inter Calpen & Eſtepona, montibúſque Granatæ proximis.

Vires & Uſus. Drachmæ pondere cum decocto Cicerum ſumpta mirificè purgat per inferiora. Circa Calpen, ubi vulgo Burhalaga appellatur, nullus illius uſus præterquam ad excalfaciendos fornaces.

7. *Thymelæa tomentoſa foliis Sedi minoris* C. B. *Sanamunda tertia Cluſii* Ger. Park. *Seſamoides parvum Dalechampii Sanamundi* 3. *Cluſii* J. B. *Cneorum* Cæſalp.

Nos fruticem hunc in inſula parva ad promontorium Siciliæ Pachynum dictum ſic breviter deſcri-
pſimus. *Foliis* eſt Illecebræ: caulibus & ramulis incanis,ut & ſupina foliolorum parte: *Flos* parvus, lu-
eus,quadrifolius,ſeu potiùs monopetalos in quatuor lacinias ſectus: Folia in crucis formam diſpoſita.
Cluſius ſic deſcribit, Superiores duos magnitudine excedit, candidioribus & multò lentioribus vir-
is. [Rectè J. B. Ramos farctim denſa, candida, cineracea lanugo obvolvit, quæ in majoribus vir-
is parcior,] quarum cortex ſupra modum lentus eſt & frangi contumax: extremi ramuli frequen-
s, & ferè omnino tomentoſi, procumbentem comam habent, & frequentibus *foliolis* obſiti ſunt,
rnoſis, parvis, Illecebræ valdè ſimilibus, urentis etiam facultatis. *Flores* ſuperioribus ſimiles, inter-
m herbacei ſunt, aliquando pallentes. Sed neque iſtius fructum Cluſio obſervare licuit.

Locus. Floret cum ſuperioribus: invenitur autem toto illo tractu maritimo, Meridiei objecto, qui ab Her-
leo freto ad Pyrenæos uſq; excurrit.

Cæſalpinus fructum Thymelææ ſimilem, tenuiorem, ſemine nigro huic frutici, ſi modò ipſius
neorum ſit (ut putamus) attribuit.

Viribus cum præcedentibus convenit,

8. *Thymelæa Æthiopica Paſſerinæ foliis* Breyn. *Cent.* 1. *cap.* 6.

Hujus Fruticis ramus dodrantalis à Promontorio bonæ Spei ad *D. Beverningh* allatus tenuis erat,
ramulos duos alios diductus, quorum ſinguli rurſus in virgulas tres aut quatuor rectas dividebantur.
gnum hujus niveum, cortice obductum rubicundo, qui in candidiſſimam lanuginem ſericeam, cor-
is inſtar Sanamundæ Cluſii, diſcerpi poteſt; æquè ac *folia*, vix ſemuncialia, anguſta, craſſiuſcula
, acuminata, Paſſerinæ quodammodo æmula, guſtu initio pauliſper adſtringente; ſed aliquantum
nſa mucilaginem abundè reddentia. His foliolis ad extremitatem uſque densè & undiq; ſtipatæ
t virgulæ, ubi tandem circinato congeſta, acuminibus ſuis ſurſum tendentibus illas concludunt,
ex centro ſuo ſurculos duos aut tres perbreves tenuéſque emittunt; quorum ſinguli pariter ſuperi-
parte minutioribus quibuſdam foliolis coronati. E foliorum medio *floſculi* tres aut quatuor, pal-
, in lacinias quatuor per extremum diſſecti, Thymelææ ſimiles emergunt, in ima parte velut al-
n, tomentoſum calyculum oſtendentes.

9. *Thymelææ affinis facie externa* C. B. *Cneorum Matth. ſuffrutex* J. B. *fortè etiam Thymelæa minor Cordi* ejuſdem. *Thymelæa minor ſive Cneorum Matthioli* Park.

uffrutex eſt elegans, cui multi rami, graciles, flexibiles, lenti, ſurculoſi, ab ima protinus tellure
rgentes & humi diffuſi. *Folia* nullo ordine diſpoſita ramulos ambiunt, viridia, cutanea, Thyme-
veræ proxima, ingrati primùm, deinde amari ſaporis, nullâ aut perexiguâ (quantum quidem
anti deprehendere licuit) acrimoniâ prædita. *Flores* in ſummis ſurculis ſex, ſeptem, aut plures,
ferti, tetrapetali, ex rubro purpuraſcentes, Centaurii minoris florum pænè æmuli, ingrati etiam
mari ſaporis, aſpectûs tamen pulcherrimi, atq; odorati, caput ſi diutiùs naribus admoveantur
antes. Iis ſuccedit *fructus* exiguus, Thymelææ fructui haud diſſimilis, non ruber quidem, ſed
idus, oblongiuſculus, *ſemen* continens cinereâ membranâ tectum, rotundum, Thymelææ grano
Radix longa, minimi digiti utplurimùm craſſitudine, interdum nigricans, majore verò ex parte
ſcens, lenta, ſuperna parte nonnunquam gracilior, unde rami flexibiles & humi diſperſi emer-
, & ſubinde ſecundùm alarum cava ſatis craſſas fibras flaveſcentes agunt.
Bauhino folia circa virgultorum faſtigia conferta, virentia, Thymelææ multò breviora, obtuſi-
glabra, quæ notæ optimè conveniunt.

Locus. ovenit in multis montibus Viennæ Auſtriæ vicinis tantâ abundantiâ, ut ruſticæ mulieres dum
us abundat multos ejus manipulos in forum venales afferant exornandorum tricliniorum gratiâ;
etiam in Pannoniæ ſylvis, & ſiccioribus pratis prope Francofurtum ad Mœnum. Aprili plerunq; *Tempus.*
. Fructus Junio matureſcit. Floret interdum ter in anno.
ribus candidis variantem conſpexit Cluſius inter Ericas prope Francofurtum loco dicto.
Cneoro Matthioli J.Bauhinus diverſam facit Thymelæam minorem Cordi: C.Bauhinus aliíque
illius ſynonymam faciunt. Nos in deſcriptione Cordi nihil fere invenimus quod non conveniat

Cneoro, niſi quòd Radicem guſtu ad aliquot horas fauces & palatum Coccognidii inſtar excalfaciente & ſcarificante eſſe ſcribat. Nos circa Baſiliam & alibi in Germania fruticulum obſervavimus, quem pro Thymelæa minore Cordi habuimus, verùm radicem non deguſtavimus. Mirum tamen videtur ſaporem radicis & foliorum tantùm diſtare.

10. *Chamelæa incana & lanuginoſa* J. B. *Alpina incana* Park. *Alpina folio ſubtus incano* C. B.

Cluſ.

Recto ſtolone fruticat, ramóſq; habet admodum flexibiles, tenaci cortice & qui difficilè diſrumpi poteſt obductos: *folia* admodum conferta, carnoſa, Daphnoidis foliorum formam imitantia, multò tamen minora, & incana lanugine, infernè præſertim, pubeſcentia: *flores* ſimul congeſtos, tetrapetalos, dilutiſſimè purpuraſcentes, è lanuginoſis colorîſq; argentei calyculis prodeuntes. *Fructum* non tricoccum ſed unicum, oblongiuſculum, tenui, miniatâ membranâ tectum, ſucculenta carne, & fervidum nucleum in ſe continente præditum.

Locus. In hortis Belgicis cultam vidit Cluſius, bíſq; interdum in eodem anno florentem. Frigoris impatiens: Cluſius Viennæ, Auſtriæ, aliquoties ejus ſemen terræ credidit, & natas plantulas diligenter ſummâq; curâ conſervare voluit, ſed ſubſequens hyems ſemper corrupit.

Italiæ originem ſuam debet.

CAP. XII.

A. *Viburnum* Park. *vulgo* C. B. *Lantana ſive Viburnum* Ger. *Lantana vulgò, aliis Viburnum* J. B.
The pliant Mealy-tree, The Wayfaring-tree, Ger.

J. B.

HIc frutex arboreſcens eſt, grandis quandoq;, licet in amplitudinem magis diffundatur quàm in altum aſſurgat, lignóq; conſtat fungoſo & medulloſo. E *radice* ſummo cæſpite vagante ramos digitali craſſitudine emittit bicubitales etiámq; longiores, cortice ruffo farinaceo pulviſculo conſperſo, materie pauca ac viridi, medullâ ampliſſimâ ac albâ. *Folia* ad Alnum vel potiùs ad Sorbum Alpinam accedentia, oppoſita, lata, ſublonga, craſſiuſcula, in ambitu crenata, hirſuta, & pulviſculo albo, maximè inferna parte, quæ ob id etiam magis candicat, conſperſa, guſtu adſtringente. *Flores* in umbella, odore florum Sambuci, candidi, caduci, quinque petalis, extrorſum modicè reflexis, conſtantes ſinguli, in quorum medio ſtamina quina ſurriguntur, longa, albicantia. Quos excipiunt ſupervenientes *baccæ*, primùm virides, deinde rubræ, per maturitatem nigræ, compreſſæ, dulces & viſcoſæ, ſapore tamen noſtro palatò minùs gratæ; quamvis è ruſticis multi iis veſcantur, quos ut citiùs matureſcant ſupra paleas aut fœnum reponere alterno ſtratu ſolent: *Semen* intus continent latum, compreſſum & ſtriatum, oſſeo cortice intectum.

Locus. In ſepibus non infrequens eſt, ſolo maximè inculto & argilloſo. Æſtate floret, citiùs aut ſeriùs pro tempeſtate cœli, temperie & conditione ſoli. Magna ex parte acini rubeſcunt Julio, Auguſti fine demum & Septembri matureſcunt, ut teſtatur J. B.

Vires. Tum folia tum baccæ ſiccant & adſtringunt, unde ad tonſillarum & gutturis inflammationes, columellæ procidentiam, dentes vacillantes, alvi fluxiones commendantur. Folia in lixivio decocta capillos denigrant, & eoſdem fluentes ſiſtunt. Paratur è radicum corticibus ſub terra maceratis, & ſubinde decoctis ac diu tuſis viſcum ad aucupia haud inutile. *Matth. Dod.* Veremur cum J. B. ne Matthiolus multa tribuerit Viburno quæ ſunt Rhois, cùm eaſdem aliquando putârit, Ruell
um ſecutus.

Ex ſurculis paratur optima aqua ad oculos. *Camer.*

Rura noſtra (inquit Ruellius) *Viurnam* appellant, fluxu ferè invictam, & ob id faſcibus ligandis utuntur; prout & alibi fere paſſim ubi provenit; unde peritiores Botanici eam Spiream Theophraſti eſſe exiſtimant.

Cæterum *Viburnim* à viendo ſeu ligando dictum eſt: Viburnum enim non eſt alicujus particulari fruticis nomen apud Antiquos: à Recentioribus huic arbori ut proprium tribuitur, quia rami ej ſunt lenti unde & Lantana dicitur.

CAP. XIII.

De Rhoe.

1. *Rhus ſive Sumach* J. B. *Rhus folio Ulmi* C. B. *Coriaria* Dod. Ger. *obſoniorum* Lob.
Sumach ſive Rhus obſoniorum & coriariorum Park. **Common Sumach.**

J. B.

RHus arbuſcula eſt, altitudinem hominis ſuperans, parvulis ramis, ſubhirſuto cortice, p mum circa faſtigia veſtitis; è quibus *folia* alternatim exeunt alata, Sorbi, quinq; a conjugationibus, ex intervallo longiuſculo diſpoſitis conflata, coſtæ tenui hirſutæ h tia; ſingularia folia oblonga, acuminata, hirſuta, ſerrata. Ramulorum faſtigia inter folia ſuſtinent racematim congeſtos, Sambucinis ſimiles [Cæſalpino rubri & minuti] quos & ra grana excipiunt, orbiculata, Lenticulæ modo compreſſâ, rubentia, medullâ exiguâ, cuticulâ a poris obducta. Radix haud altè deſcendit, per ſumma cæſpitum hærens.

Locus.

In collibus circa Monſpelium, prope Caſtrum novum, & *Garrigues* dictis copioſè provenit. Cluſius magnum ejus proventum Salmanticenſi agro eſſe, iſticq; quæſtûs gratiâ diligenter coli obſervavit. Multi (*inquit*) agri eo conſiti, nec minore ibi cura quàm vineta, alioqui nec tam lætè aſſurgit, & ſi cultura abſit degenerat ac ſylveſcit.

Uſus.

Cæduntur ſingulis annis enati ſurculi cubitales ad radicem uſq; aut ſummam tellurem, deinde deſiccantur, in pollinem rediguntur, & in uſum convertuntur ad paranda coria, qui uſus in tota Hiſpania celebratiſſimus habetur. Tardè fructus ſuos ad maturitatem perducit.

Rhus Ponticum, Syriacum, Obſoniorum, Coriariorum, Rubeum apud Galenum non ſunt arbores ſpecie diverſæ. Sed Rhus Obſoniorum nihil aliud eſt quàm fructus; Coriariorum quàm folia & fruticis ramuſculi; Rubeum quàm ejus ſemen immaturum, cui major adſtringendi facultas ineſt quàm maturo, cujus acini quadantenus nigricant.

Folia & ſurculos teneriores hujus fruticis non minùs olim quàm nunc dierum ad coria ſpiſſanda perficiendáq; celebres fuiſſe nos docent Theophraſtus, Dioſcorides, Plinius: unde patet ea adſtringentis & deſiccantis naturæ eſſe.

Fructus ejuſdem non minùs uſitati fuere ad cibos condiendos, vel ſalis loco, vel cum Sale mixti ut Veteres teſtantur, qui uſus etiamnum hodie à Turcis frequentatus eſt, ut ſcribit Bellonius. Nam in Heraclea ubi in vicinis montibus abundat, magnos ſaccos venales videas hujus fructu plenos, quibus contuſis cum ſale & alliis ſuis cibis non inſuavem gratiam conciliare nôrunt, aſperſo hoc condimento tam aſſis quàm elixis cibis.

Notat Sylvius Rhois ſuccum eſſe vice Omphacii in Gallia Narbonenſi.

Vires.

Cùm ergo (ut diximus) Rhois folia & ſemen aſtringant, refrigerent & exſiccent, hinc fluxum quemcunq;, alvi, uteri, menſium, hæmorrhoidum compeſcunt, vomitum ſiſtunt, bilem obtundunt, ſeu intus in juſculis & ſorbitionibus ſumpta, ſive extus adhibita. Dentes denigrant, putredini & Gangrænæ reſiſtunt: utilia experimento ſe agnoviſſe tradit Galenus ad cruſtas & uvulæ inflammationes. Gummi dentibus inditum odontalgiam ſedat.

Rhus nomen accepit à colore coccineo acinorum. A voce ῥόος Latinorum ruſſum manâſſe contendunt. *Bod. à Stapel.*

Rhus non videtur pertinere ad hanc claſſem ob paucam vel nullam pulpam nucleos ambientem; Peritiores tamen Botanicis, quos ſequimur huc eam referunt.

2. *Rhus Virginianum* C. B. App. *Sumach ſive Rhus Virginiana* Park. **Virginian Sumach, Bucks-horn.**

C. B. Park.

Arbuſcula eſt Rhoe vulgari major. Rami ex ſtipite pullulantes tenella cervorum cornua è craio modò erumpentia adeò referunt, ut obiter intuentem fallant: ſimiliter enim hirſuti ſunt, eunem colorem, eandem figuram habent. Cæſi aut vulnerati lac pallidum reddunt, quod brevi in ummi formam craſſeſcit. *Folia* alata multo majora quàm vulgaris Rhois, octo, decem, aut pluris foliolorum conjugationibus compoſita, impari extremum nervum ſeu coſtam mediam terminante. oliola hæc multò majora ſunt, acutiora, molliora, viridiora quàm Rhois vulg. per margines artè denticulata; quodlibet uncias quinq; aut ſex longum. Folia ſuperiora Jaſmini albi foliis ſimi- ſunt. Spicæ in ſummis ramis multò majores quàm Rhois vulg. ad tactum molles & tomentoſæ, aſſæ, fuſcæ, è multis brevibus floccis compoſitæ, inter quos ſe produnt multi *floſculi*, minuti, floc- longè rubicundiores; quos ſequuntur numeroſa * *ſemina* denſè ſtipata, valde rubra, orbiculata mpreſſa Lentium inſtar, quibus & minora ſunt, ſub cortice exteriore cutaneo nuculam parvam gricantem habentes, teſtâ duriuſculâ nucleum album claudentem. *Radix* longè latéq; ſub terra ptat, ſtolones ſubinde emittens, etiam procul à matre.

* *Fructus potius.*

Hujus ſpecies humilior habetur in Horto Academico Leydenſi.

3. *Rhus anguſtifolium* C. B. *in Prod. deſcriptum. An Rhus Virginianum humile* Herman. *Hort. Leyd.*

In paucis differt à præcedente foliis, brevioribus nimirum, anguſtioribus, minùs profundè crena- & minus viridibus. Forte convenit cum Rhoe humili Virgin. *Hort. Leyd.* Braſiliam agnoſcit trem.

CAP. XIV.

A. *Cornus fœmina* Ger. C. B. Park. *Cornus fœmina putata, Virga ſanguinea* J. B. **The female Cornel, or Dog-berry-tree, or Gatter-tree, or Prickwood.**

J. B.

EX fruticum familia eſt quam Cornum fœminam vulgo vocant, multis ſtolonibus luxurians, ramis plurimùm oppoſitis, cortice ſpadiceo, ſed ramorum ſanguineo, odore vinoſo prædito, materie alba & dura. *Folia* ad Corni ſativæ quamproximè accedunt, atrovirentia, nonnunm rubore aſperſo, bina ex oppoſito naſcentia. *Flores* in umbella gerit odoratos, candidos, qua- foliis radiatis conſtantes: in medio obliquè ſurgunt totidem ejuſdem coloris *ſtamina*, *ſtylo* recto iridi. *Baccæ* Hederaceis vel Juniperinis pares, ſanguineis petiolis appenſæ, primùm virides, per uritatem nigricant, lacunâ in umbilico parva perfoſſæ, in quibus oſſiculum pulpa virente, acerba avi, nec ſine amarore immerſum, ſtriatum, nucleum continens album, amarum. Ligni mate- autore Matth. dura oſſeáq;, Corno minimè cedens, virgis Corno tenuioribus, robuſtis, nodoſis, ce ſanguinis modo rufeſcente.

Cæſalpino fructus niger, ut in Liguſtro rotundus, oſſe binas cavitates habente, in quibus ſingula ſemina continentur.

Locus. In ſepibus & ſylvis ſeu frutectis paſſim provenit tam in Anglia quàm in exteris regionibus. Æſtate floret. Baccæ Septembri maturantur.

Lignum lanionibus ad verucula conficienda in frequenti uſu eſt; nam durum admodum eſt & renitens, ideóq; carnes facilè penetrat exacutum. Tragus ad utenſilia & ruſtica inſtrumenta, potiſſimùm verò ad carros pertinentia conficienda expeti ſcribit ob durabilitatem.

Camer. tradit Italos ex hujus ligno aquam ſtillatitiam elicere, quâ ſolâ ſtrumas (ſiqua id fieri poſſit ratione) penitus diſcutiant; ſin minùs maturare parum & diminuere.

Fructum inguſtabilem omnibus animalibus producit Cornus fœmina. At Cæſalpinus à turdis multum expeti aſſerit: cui contradicit Dodonæus, baccas ſapore ingratas, & volucrem nulli deſideratas eſſe ſcribens.

Ananienſia rura in agro Tridentino oleum ad lucernarum uſum conficiunt è Cornus fœminæ baccis decoctis primo in aqua, deinde torculari expreſſis. *Matth.*

In demorſis à cane rabido eundem habere effectum dicitur hujus lignum quem habet Corni maris.

Modeſtinus in l. penult. ff. ad legem Pompon. de parricidis, antequam ſacco parricidæ inderentur, oſtendit in more fuiſſe poſitum, ut virgis ſanguineis cæderentur, nempe ex hac arbore ſumptis, non, ut quidam legunt, ſagmineis, aut, ut alii interpretantur ſanguine rubentibus, quoniam infeliciſſimum haberetur & maximè infame. *Magius*, & ex eo *Dalechamp.*

Hinc fortaſſe Veteribus Virga ſanguinea dicta eſt hæc arbor; ni potiùs quòd virgæ ejus magna ex parte rubeant ſanguinis inſtar.

CAP. XV.

De Rhamno.

RHamni nominis etymon non occurrit; ita vocant Frutices quoſdam Bacciferos ſpinoſos, quorum nonnulli fructu ſunt monopyreno, ſpinis longis validis qui hujus loci ſunt.

1. *Rhamnus ſpinis oblongis, flore candicante* C. B. *cortice albo Monſpelienſis* J. B. *primus* Cluſii *flore albo* Ger. *ſecundus Monſpelienſium, ſive primus Cluſii* Park.

J. B.

Frutex eſt magnus, totus ſpinis armatus, in caudice quidem magnis ut Oxyacanthæ *Matth.* in ramulis minoribus, cortice albicante: & quod obſervatione dignum, grandiores illi aculei, palmum circiter longi, rigidi, acuti, ex ramis enati, alios pariunt aculeos parvos, non minùs rigidos pungenteſq; eodémq; loco *folia* magnitudine varia. *Rami* unà cum ſpinis cortice teguntur cinereo, *folia* ſuſtinentes Salicis, terna aut quaterna, indidem orta, fragilia, candicantia, ſucculenta, nullo inſigni ſapore prædita. [Vere natorum ramorum folia magna, ſpinæ parvæ] *Flores* pauci, Laureolæ folio deciduo ſimiles, parvi, longiuſculi, candicantes [ſubcœrulei *J. B.*] extremis oris in quinque crenas diviſi: quibus decidentibus ſeminis quoddam rudimentum relinquitur (inquit Cluſ.) At Cæſalpino obſervante baccas fert parvas, Oleæ figurâ.

Locus. Naſcitur multis Hiſpaniæ, Luſitaniæ & Galliæ Narbonenſis locis, autore Cluſio. Nos circa Monſpelium & Florentiam Hetruriæ urbem copioſum obſervavimus. Floret Martio, pariter atque Autumno. Autumno nova ſuccreſcunt folia, interdum decidua.

Uſus. Hujus folia Salmanticæ & aliis quibuſdam Caſtellæ locis, autore Cluſio, cum turionibus ex oleo & aceto edunt primis menſis: nonnullam enim acrimoniam cum aciditate conjunctam habent, quæ ſaporis gratiam conciliat.

2. *Rhamni primi Cluſii ſpecies altera* J. B. Park. *Rhamnus alter Cluſii flore purpureo* Ger. emac. *alter foliis ſalſis, flore purpureo* C. B.

Cluſ.

Hic, obſervante Cluſio, primò fere ſimilis eſt, ſed humilior, & frequentioribus ramis fruticans; minoribus *foliis* & magis carnoſis, ſalſóque guſtu, ſuperiore candidior: *Floribus* ejuſdem planè cum illo formæ, ſed purpureo planè colore.

Uno tantùm loco invenit Cluſius juxta Horivelam urbem, Orcelim Veteribus dictam, ac flumen Setabin Vet. nunc *Seguram* appellatam, Regni Valentini extremis limitibus.

A. 3. *Rhamnus Salicis folio anguſto, fructu flaveſcente* C. B. *ſecundus Cluſii* Ger. emac. *primus Dioſcoridis Lobelio ſive litoralis* Park. *Rhamnus vel Oleaſter Germanicus* J. B. **Sallow Thorn, or Sea-Buckthorn.**

Frutex eſt tricubitali altitudine, quibuſdam in locis arboreſcens, at ramis rigidis & frangi contumacibus; Oleæ foliis ſed anguſtioribus, ſupernè viridibus, inferiùs candicantibus, perpetuis. *Flo* *culi* totis ramulis adnaſcuntur ad foliorum exortus herbacei, muſcoſi, quibus ſuccedunt baccæ ſe acini rotunditate & magnitudine Myrti, in ſe numeroſa congerie racematim compacti, ac ramis arctè applicati affixíq; perexiguo petioli appendice, colore flaveſcente ac luteo, maturitate crocato, ſapore acido ac peracerbo, unico intus nucleo aut vinaceo, non lapidoſo ut Corni, ſed quæ den bus facilè atteratur. Baccæ per totam hyemem virgis adhæreſcunt. Radice nititur multifida, diffu Totus autem frutex pulvere reſperſus videtur.

Pro

Provenit in arenoſis maris littoribus propè Sandvicum Cantii oppidum & Delam. Item in maritimis aggeribus Lindſeiæ Lincolniæ copioſè. In Galliæ etiam & Hollandiæ maritimis plurimis locis provenit. Nos in arenoſis propè Auguſtam Vindelicorum obſervamus; inq; glareoſis ad Rhenum & Rhodanum amnem. *Locus.*

Floret Junio, poſt Autumnum demum baccas maturat, quas ſubinde (ut diximus) tota hyeme retinet. *Tempus.*

De viribus nihil certi traditur. Scribit Camer. acinos purgatricem habere facultatem à quibuſdam affirmari. Addit tamen, parari ex eis Rob, quod vehementur acidum ſit, & attenuans & incidens ut Berberis fere, commendaríque ad dyſenteriam: quæ quomodo conveniant inquirendum. *Vires.*

4. *Rhamnus niger Theophraſti* Park. *tertius Cluſii* Ger. J.B. *tertius, flore herbaceo, baccis nigris* C.B.

Cluſ.

Fruticoſus eſt, frequentibus ramis, Spini in ſepibus naſcentis, & Pruna ſylveſtria ferentis magnitudine, cortice nigro tectis, & longis ſpinis armatis. *Folia* ex quibuſdam tuberculis ut in priore multa ſimul enaſcuntur, longa & anguſta, carnoſa, viridia, ſaporis adſtringentis, & Rhabarbari ſaporem utcunque referentis, perennia. *Flos* veris initio parvus, plurimus, & confertim juxta folia naſcens. Æſtate nigrum *fructum* fert, parvo Pruno ſylveſtri ſimilem, rotundum, acerbum.

In incultis Granatenſis & Murciani regni locis invenit Cluſius inter alios frutices frequentem: d quem poſtea miſſus eſt ejus fructus ex Hiſpania Lycii nomine, ex quo natæ plantæ. *Locus.*

Lycium Hiſpanicum *Lob.* Hiſtoriæ Ebrodunenſis auctores conjectantur non diverſum eſſe ab hac Rhamni ſpecie, cùm Cluſius unam tantùm plantam ex ſuis Lycii nomine donatam in Belgio proenire tradat (nimirum hanc) non duas. Vide locum.

Fructûs decocto membra relaxata & diſſoluta, atque etiam podagræ dolores utiliter foveri incolæ eferebant. *Vires.*

CAP. XVI.

Copiiba Braſilienſibus Marggr. *Arbor baccifera Braſilienſis, fructu monopyreno, folio ſeſquipedali.*

ARbor eſt alta, cortice cinereo, ſuperiùs in ramos diſpeſcitur, habens *folia* ſeſquipedem longa, majora minoráve, bina ſibi invicem oppoſita, in extremitate tria junguntur; ſúntque oblonga, acuminata, nervo & venis paulum rufeſcentibus, ſuperiùs viridiora, inferiùs diluta. extremitate ramorum multi ſunt congeſti ramuli, quibus folia inſident; ibidem & proveniunt mi florum, *(quos tamen Auctor non deſcripſit)* quibus ſuccedit *fructus* baccæ Lauri magnitudine & ura, initio viridis, per maturitatem niger, pauciſſima carne ſubdulci, à qua cutis craſſiuſcula falè detrahitur. *Lapidem* continet ovalem, haud durum, *nucleo* albo, farinacei ſaporis, non eduli; uctus tamen comeditur: exſugunt Braſiliani ſuccum & expuunt cutem. Maturus eſt menſe prili.

Folia huic arbori pinnata ſunt è pluribus foliorum ſeſquipedalium conjugationibus compoſita.

CAP. XVII.

Arbor baccifera Braſilienſis fructu Piper reſipiente. Pindaiba, nonnullis Ibira. Piſon.

Piſo.

Uxta Olindæ promontorium ſpecioſè utplurimum naſcitur, ob acrimoniam fructûs cæteráſque qualitates Piperis Braſilienſis æmula. *Folia* fert exigua & acuminata, & Olivæ foliis ſimilia. Lignum ejus tenue. Procera eſt admodum arbor, & in ſummam altitudinem rectà aſſurgit.

Menſibus pluviis acini illius virent, ſed matureſcentes menſibus Decembri & Januario rubent, decidunt: qui ſi fuerint deſiccati nigreſcunt, urúntque linguam, & aromaticum quid ſapiunt, ato ſemine nigro oblongo, quod in illis continetur, quod Juniperum redolet. *Tempus.*

A jejunis manducati ſtomachum debilem corroborant, & diſcutiunt flatus. Tum contuſi & apcati morſibus ſerpentum medentur. Ex eiſdem fructibus in pulverem redactis & exſiccatis gargamata conficiunt contra frigidos gutturis affectus. Excoquuntur ut reſerventur in Officinis. Culinis oq; vicem Piperis præſtant. *Vires.*

Ex arboris deniq; corticibus funes igniarii, quibus milites ignem fovent, conficiuntur.

CAP. XVIII.

Baccifera Indica trifolia, fructu rotundo monopyreno, pediculo longo. Molago-Maram H. M. *P. 5. T. 25. p. 49. Ceraſo affinis.*

H. M.

ARbor procera eſt, *caudice* craſſo, multiſq; ramulis rotundis, viridi-flaveſcentibus ac tomentoſis donato: Lignum denſum, albo-flaveſcens, cortice munitum craſſo, cinereo, aſpero. *Radix* rufa, graveolens, inſipida. *Folia* terna ſimul juncta petiolis longis, rotundis ac tomentoſis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu crenata, ſupernè lanuginoſa, infernè lenia, nervis aliquot è coſta media, viridi- albicante ordine parallelo in latera excurrentibus: odor & ſapor ingratus. *Floſculi* numeroſi petiolis longis ac lanuginoſis inſident: conſtant ii unico, rufo & piloſo foliolo ſeu calyce, *ſtaminulis* tribus candidis *apicibus* ornatis medium occupantibus. Singulis floſculis ſingulæ ſuccedunt *baccæ*, rotundæ, atro-virentes primum, dein viridi-albicantes ac lanuginoſæ, carne intus viſcoſa ac ſubdulci refertæ; intra quam *ſemen* continetur ſolidum, albicans, nucleo candido.

Locus. Naſcitur ſylveſtribus Regni Malabarici locis, præſertim in *Paroe*: ſemper viret, floret & fructum fert.

Uſus in medicina nullus.

CAP. XIX.

Frutex Indicus baccifer hexapetalos, fructu rotundo monopyreno nigro. 1. *Tſjerou-Panel* H. M. *P.*
T. 16. *p.* 31.

H. M.

ARbuſcula humilis eſt, atque tertium genus *Narum-panel* ſuperiùs deſcriptæ, cui tum caudice, tum radice & creſcendi modo ſimilis eſt. *Folia* ſine ordine ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, supernè atro-viridia & ſplendentia, infernè ſubviridia, coſtâ mediâ craſsâ, è viridi flaveſcente. *Flores* rotundis, viridibus ac lanuginoſis petiolis circa extremos ramulos proveniunt, rubeſcentes, calyciq; exiguo, ſubviridi, ac tripartitò inhærent, ſex oblongo-rotundis, cuſpidatis, ac ſtellæ in modum expanſis foliolis conſtantes, medium occupante *capitulo* globoſo, albicante primùm, dein rufeſcente, punctis minutiſſimis in ſuperficie notato, quòd ipſius fructûs rudimentum eſt. Floribus ſuccedunt *fructus* rotundi, nigricantes, glabri, carne intus ſucculenta acido-dulci referti, intra quam *oſſiculum* continetur rotundum, nigricans, *nucleum* includens albicantem.

Locus. Creſcit multis Regni Malabarici locis, præſertim in *Angiccaimaal*; ſemper viret, floret, fructumq; fert.

Vires. Cæterùm expreſſus è foliis ſuccus, & cum opii tantillo in initio febrium intermittentium exhibitus illarum paroxyſmos mitigat. Ex iiſdem in aqua communi coctis ſemicupium paratur ad arthriticos dolores placandos.

2. *Katſjau-Panel* H. M. *P.* 5. *T.* 18. *p.* 35. *Præcedentis fruticis minor ſpecies.*

H. M.

Arbuſcula eſt humilis, quatuor circiter pedes alta, *caudice* tenui, multíſque ramulis ſubviridibus donato; Lignum albicans, cortice cinereo, intus viridi, ſaporis acris & aromatici munitum; necnon rufeſcente ac fungosâ intus medullâ refertum. *Radix* verò inſipida, inodora. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, ſupernè atro-viridia & ſplendentia, infernè ſubviridia, nervulis aliquot tenuioribus ac vix conſpicuis è coſta media viridi-albicante in latera excurrentibus; odor gratus, ſapor ſubacris. *Flores* & *Fructus Tſjerou-panel* floribus & fructibus ſimiles.

Locus. Naſcitur locis montanis circa *Mangatti*; ſemper viret, floret & fructum fert.

De viribus autem nihil conſtat.

3. *Kaltſjerou-Panel.* H. M. *P.* 5. *T.* 17. *p.* 33. *Panella minor foliis minoribus aromaticis.*

Arbuſcula humilis eſt ſeu potiùs frutex, atq; quarta Narum-panel ſpecies, præcedentibus haud abſimilis, præterquam quòd folia minora ſint, oblongo-teretia, acuminata, ſuave-olentia, aromatica.

Locus. Provenit locis montanis & petroſis circa *Paracaro*; ſemper viret, floret, ac fructum profert.

Viribus cum *Narum-panel* convenit.

CAP. XX.

Corinti-Panel H. M. *P.* 5. *T.* 14. *p.* 27. *Frutex Indicus baccifer, flore hexapetalo, fructu rotundo, racemoſo, monopyreno.*

H. M.

ARbuſcula hæc *Narum-panel* ſuperiùs deſcriptæ altera ſpecies eſt, ſimilíque modo, ac pari altitudine excreſcit. *Radix* albicans, cinereo ac lanuginoſo cortice tecta; ſapor acris, odor aromaticus. *Folia* ſine ordine ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, nitentia, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia, coſtâ mediâ craſsâ. *Flores* racematim proveniunt, conſtántq; ſex viridibus, oblongo-rotundis, ac extrorſum reflexis foliis, medium occupante globulo plano-rotundo, viridi, qui ipſius fructûs rudimentum eſt. Floribus ſuccedunt *baccæ* rotundæ, primùm virides, dein rubicundæ, carne ſubdulci intus refertæ, intra quam *oſſiculum* locatur rotundum, rubro-fuſcum, *nucleum* continens albicantem.

Locus. Creſcit ubiq; in Malabar, & præſertim locis arenoſis ac petroſis in *Candenate*: quotannis floret, fructúſq; fert, menſibus viz. Julio & Auguſto.

Viribus cum *Narum-panel* convenit.

CAP. XXI.

Arbor baccifera Indica racemoſa tetrapetalo flore fructu rotundo monopyreno. Kasjavo-maram H. M. *P.* 5. *T.* 19. *p.* 37.

H. M.

ARbor eſt juſtæ magnitudinis, *caudice* mediocriter craſſo, multíſq; ramulis nodoſis donato. Lignum prædurum, albicans, furvo cortice munitum. *Radix* fibrata, albicans, rubicundo cortice cincta, inodora, ſubaſtringens. *Folia* geminata ordine parallelo ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, glabra, nitentia, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia, ſubacido-aſtringentia. *Floſculi* inodori, ſubcœrulei primùm, dein purpuraſcentes, ad foliorum exortum racematim ſurculis proveniunt; calycíq; exiguo, rubicundo ac quadripartito inhærent, quatuor ſubrotundis foliolis conſtantes, octo *ſtaminulis*, rotundis *apicibus* ornatis medium occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit tenuis, ſurrectus. *Fructus* rotundi, glabri, nitentes, virides primùm, dein albicantes & ſubcœrulei, tandem cœruleo-nigricantes, carne intus cœruleo-albicante, ſucculenta dulcíq; referti: intra quam oſſiculum continetur, nucleum includens albicantem.

Creſcit locis ſylveſtribus circa *Cochin*: Semper viret, floret, & fructum producit. *Locus.*

Ex arboris foliis cum viridi curcuma in oleo coctis linimentum conficitur hyatidibus pellendis utile. Foliorum ſuccus cum linteis ponè aures poſitus lippitudinem curat. Ex radice in oleo cocta litus aratur contra Arthritidem & Cephalæam. *Vires.*

CAP. XXII.

Baccifera Malab. floribus ſpicatis dipetalis, fructu monopyreno. Watta-Tali H. M. *P.* 5. *T.* 32. *p.* 63.

ARbor eſt juſtæ magnitudinis, 20 circiter pedes alta, caudice mediocriter craſſo, multíſq; ramulis in orbem diffuſis donato: Lignum albicans, denſum, cortice munitum craſſo, furvo, inodoro, ſaporis unctuoſi, necnon medullâ intus refertum flaveſcente. *Radix* itidem furva, ſubſalſa, mucilaginoſa. *Folia* ſubrotunda, acuminata, oblongis rotundíſq; petiolis circa ramulos proveniunt, ſupernè eleganti virore ſplendentia, infernè ſubviridia, inodora, inſipida. Nervis liquot è media coſta viridi-albicante, hirſuta, & in averſa parte extuberante, in latera excurrenti-us. *Floſculi* ad foliorum exortum ſpicatim proveniunt: Sunt ii gemmulæ rotundæ, muſcoſæ, vi-di-flaveſcentes, quæ apertæ duobus conſtant foliolis, binis *ſtaminulis* tranſverſis, exteriora versùs flexis, pluribúſq; flaveſcentibus *apicibus* ornatis. Floſculis ſuccedunt *Baccæ* rotundæ, viridi-flave-entes, inodoræ & inſipidæ, unicum intùs includentes *ſemen* rotundum, viride.

Provenit variis Regni Malabarici locis, præſertim circa *Cranganoor*. Semper viret, quotannis oret, fructúmq; fert, Januario viz. & Februario menſibus. *Locus & Tempus.*

Arboris folia cum viridi Tabaco & Oryzæ infuſo trita, ac ulceribus inveteratis & verminoſis im-oſita, potenter iis medentur. Ex iiſdem in aqua coctis balneum paratur, adversùs algidas febres. E oribus & fructibus contuſis, & in nodulum colligatis, lactéq; muliebri incoctis conficitur errhi-um, quod algidis febribus mederi fertur. *Vires.*

CAP. XXIII.

Arbor racemoſa Braſiliana foliis Apocyni Breyn. *Cent.* 1. *cap.* 3. *ſine nomine Marcgravio deſcripta & depicta, Lib.* 3. *cap.* 18. *p.* 134.

Breyn.

ARbor eſt Pruni altitudinem aſſequens, ramis peramœnis, umbram jucundam ſpargentibus, ſed quodammodo deorſum inflexis, cortice cinereo tectis: Quibus *Folia* gemina in acutum terminantia, directè ſibi invicem oppoſita, brevibus pediculis appendent, magnitudine & ura Apocyni 2 *Cluſ.* duriora & rigidiora, ſuperiùs lævia & hilari virore micantia, inferiùs pro-er denſos & ſubtiliſſimos pilos molliuſcula inſtar Serici, atque ex cinereo argenteóq; colore ſplen-ntia, nervo conſpicuo per longitudinem, & compluribus venis in latitudine prædita. Ramorum ſtigia inter folia *Flores* in peculiari pediculo triunciali, breviſſimis petiolis more Berberis, nume-os & denſos dependentes racematim ſuſtinent, è quaternis vel quinis foliolis flavis congeſtos, mul-in umbilici ambitu ſtaminulis pallidis & ſubtilibus præditos. Quos *Baccæ* tandem excipiunt ro-ndæ Ribeſii magnitudine, ſed lutei coloris, quantum ex ſiccis obſervare licuit. Materies eſt alba lenta, Salicis ligno ſimilis.

CAP.

CAP. XXIV.

Arbor Baccifera Indica fructu cuſpidato monopyreno. *Mala-Poenna* H. M. *P.* 5. *T.* 9. *p.* 17.

H. M.

ARbor eſt procera, caudice flaveſcente, cortice obducto cœruleo-albicante, rugoſo, necnon ramulis ſubcinereis ac lanuginoſis, in orbem diffuſis, ornato. *Radix* rubeſcens, furvo cortice cincta, amara. *Folia* brevibus, craſſis ac hirſutis petiolis denſa congerie circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, craſſa, denſa, glabra, ſplendentia, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia ac lanuginoſa, mediâ coſtâ craſſa, viridi-albicante, hirſuta: ſapor amarus. Interim ipſis ramis *Gemmæ* proveniunt ſubvirides, exiguæ, rotundæ, quadripartitæ, quibus apertis quinque prodeunt *floſculi*, quatuor vel quinq, oblongo-rotundis, viridi-albicantibus, ac inferiùs ſubrubeſcentibus foliolis ſinguli conſtantes, octo vel decem albicantibus ſurrectis *ſtaminulis*, flaveſcentibus *apicibus* ornatis, medium occupantibus. Floſculis ſuccedunt *Baccæ* ſubrotundæ cum cuſpide in vertice, viridi-fuſcæ, glabræ, nitentes, ſaporis ſubamari & aromatici, unum intus Nucleum continentes.

Locus. Naſcitur variis Regni Malabarici locis, præſertim in *Rapolyn*: ſemper viret, quotannis floret, fructúmq; fert.

Vires. Folia cum ſiccato Elephantis fimo in pulverem redacta, & relictis poſt curatas variolas ulcuſculis inſperſa, iiſdem mederi feruntur.

CAP. XXV.

Frutex Indicus baccifer fructu racemoſo, cuſpidato, Ribium ſimili, monopyreno. *Tsjeriam Cottam* H. M. *P.* 5. *T.* 11. *p.* 21.

H. M.

ARbuſcula eſt humilis, caudice candido, cortice obducto cinereo, inodoro, acri. *Radix* albicans, acris, inodora. *Folia* craſſis brevibúſque petiolis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, craſſa, denſa, glabra, ſupernè viridia, infernè ſubviridia, coſta media albicat: ſapor adſtringens & ſylveſtris. *Floſculi* racematim proveniunt exigui, ſuaveolentes, conſtant ii quinq, viridi-fuſcis, ſubrotundis ac expanſis foliolis, quinq, è viridi flaveſcentibus *ſtaminulis* medium occupantibus: inter quæ *ſtylus* prodit tenuis, viridi dilutus, capitulo ſubrotundo. Floſculis ſuccedunt *baccæ* rotundæ cum cuſpide in vertice, primùm viridi-albicantes, dein rubeſcentes, carne intus humida ſaporíſque acidi refertæ, Ribibus noſtratibus haud multum abſimiles, præterquam quòd unicum tantummodo in ſingulis continetur oſſiculum ſcabrum, albicans, plano-rotundum.

Locus. Creſcit multis in locis regni Malabarici, præſertim in *Warapouli* & *Paloerti*: ſemper viret, quotannis ſemel, nonnunquam bis floret fructúmque fert.

Vſus. Ex arboris foliis in aqua coctis fit oris collutio, gingivis flaccidis ac prætumidis curandis utilis. Etiam ex cortice in ſero lactis cum ſemine cumini decocto gargariſma paratur, quod aphthis potenter mederi dicitur.

CAP. XXVI.

Kari-vetti H. M. *P.* 4. *T.* 54. *p.* 111. *Arbor baccifera Indica racemoſa, acinis oblongis monopyrenis, flore tetrapetaloide.*

H. M.

ARbor eſt mediocris magnitudinis, *caudice* craſſo, flaveſcente, cortice obducto cinereo, multíſque ramulis rufis ac quadrangulis donato. *Radix* fibrata, albicans, cortice cinereo, intus rufo tecta, inodora, ſaporis acris. *Folia* bina & bina ſibi invicem oppoſita, oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu ſerrata, craſſa, denſa, glabra, atro-viridia, ſupernè ſplendentia, infernè nequaquam, inodora, inſipida: coſta media albicat. Tenella folia è ramis prodeuntia primùm ſubcinerea ſunt, dein purpurea, tandémque atro-viridia evadunt. *Floſculi* extremis furculis racematim proveniunt, exigui, ſuaveolentes, inſipidi, purpurei: conſtant ii unico foliolo, ſed in quatuor profundas lacinias diviſo, ſic ut plura videantur, binis *ſtaminulis*, luteis *apicibus* ornatis medium occupantibus. Floſculis pari modo ſuccedunt *baccæ*, oblongo-rotundæ, rubro-cœruleæ, intúſque carne ſucculenta & amara refertæ, intra quam oſſiculum locatur candidum, glabrum, nucleum includens albicantem, ſubamarum.

Locus. Naſcitur ubique in Malabar, præſertim circa *Cochin*: ſemper viret, quotannis fructus fert, menſe viz. Auguſto, diúque frugifera manet.

Vires. Succus è foliis hujus arboris expreſſus, & cum ſero lactis exhibitus egregium eſt vomitorium, humoréſque bilioſos ac pituitoſos per ſuperiora educendo ventriculum potenter expurgat.

CA

Cap. XXVII.

Caleſiam H. M. P. 4. T. 32. p. 67. *Arbor Baccifera racemoſa, Vitis floribus acinis oblongis, compreſſis monopyrenis.*

H. M.

ARbor eſt præcelſa atque ſpecioſa plurimùm, altitudine 60, craſſitie ſeptem pedum menſuram circiter æquans, multíſque ramis cinereis in orbem longè latéque diffuſis donata; Lignum atro-purpureum, glabrum ac flexile, cortice obductum nigricante, craſſo, molli, intus
bicante, qui inciſuris alicubi vulneratus illico purpureus evadit. *Radix* fibrata, albicans, furvo cor-
e tecta. *Folia* geminata ordine parallelo tenuioribus ramulis inhærent, oblongo-rotunda, glabra,
ollia, ſupernè colore atro-viridi nitentia, infernè viridi dilutiore. *Flores* ramulorum extremis ra-
matim proveniunt, exigui; Vitis viniferæ floſculis perſimiles, inodori, inhærentq; calyci exiguo,
viridi, quatuor acuminatis ac viridi-flaveſcentibus foliolis conſtantes, octo *ſtaminulis* albicantibus,
veſcentibus *apicibus* ornatis, medium occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit flaveſcens ipſius fructûs
dimentum. *Fructus* pari fertilitate floribus ſuccedunt, ac itidem racematim proveniunt, uvarum
ribium adinſtar, ſúntque baccæ oblongo-rotundæ, compreſſæ, virides, tenui cortice cinctæ, in-
que carne ſucculenta ac inſipida refertæ, intra quam oſſiculum locatur viride, oblongum, com-
ſſum, nucleum includens candidum, ac pænè inſipidum. Inſuper præter genuinos hujus arboris
ctus qui floribus ſuccedunt, alii arboris caudici & ramis undique adnaſcuntur, genuinis fructibus
jores, rugoſi, forma renali, viridi-diluto cortice tecti, carnéque viridi, denſa, at humida, ſapo-
ue acerbi intus referti, intra quam exiguus ac rubicundus vermiculus ſubinde hoſpitatur. *Hi
ctus nihil aliud ſunt quàm Gallæ ſeu tumores ex inſectorum punctionibus excitati, ut ſint ovorum re-
acula & fœtuum tenerorum alumna.*

rovenit ubique in Malabar, locis viz. petroſis necnon in antiquiſſimarum ædium tectis: quo- *Locus.*
nis maturos exhibet fructus, Novembri ſci. & Decembri menſibus: cùm verò floret antiqua de-
nt folia, iis præſertim in locis ubi flores erumpunt; atque ſobole ſata ab anno decimo ad quin-
geſimum & ultra frugifera manet.

x ligno autem hujus arboris enſium ac cultrorum vaginæ conficiuntur. *Vires & Uſus.*

ortex pulveriſatus, & cùm butyro in unguenti formam redactus ſpaſmo cynico, aliíſque con-
ſionibus è gravibus vulneribus ortis medetur; item ulcera quævis maligna doloréſque arthriticos
t. Inſuper corticis hujus ſuccus aphthas curat, & aſſumptus dyſenteriæ remedium eſt. Idem cor-
cum cortice *Codam-pulli* in pulverem redactus & exhibitus alvum movet, humoréſque pituitoſos
trabilarios ducit. E foliis & cortice in aqua coctis Semicupium paratur fœminis parituris, ut fa-
r & felicior ſuccedat partus.

Cap. XXVIII.

Mallam-Toddali H. M. P. 4. T. 40. P. 83. *Baccifera Indica racemoſa, florum ſtaminulis binis, acinis monopyrenis. Ex deſcriptione flos ſummo fructui inſidere videtur, unde pertinet ad genus eorum quæ fructu ſunt umbilicato.*

H M.

ARbor hæc mediæ magnitudinis eſt, *caudice* craſſo, denſo, albicante, cortice obducto furvo ac glabro, necnon ramulis ſubviridibus & lanuginoſis ornato. *Radix* albicans, rubicundo cortice cincta, ſapor acris & amarus, odor aromaticus. *Folia* brevibus ac lanuginoſis petiolis
rnatim ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu ſerrata & horrentia, ſupernè
-viridia, infernè ſubviridia, nervis aliquot è media coſta in latera excurrentibus; ſapor acris &
ingens, odor ſuavis. *Floſculi* circa ramulos ad foliorum exortum racematim proveniunt, ſúnt-
gemmulæ parvæ, ſubvirides, è vertice duo candidiſſima *ſtaminula* pilis plumatim obſita, velut duo
ia cornua, tranſverſim emittentes: odor nullus, ſapor acris. Hæ verò gemmulæ maturiores *fru-*
conſtituunt, iíque ſunt baccæ exiguæ, virides, carne ſucculentâ & amarâ refertæ, intra quam
guum locatur oſſiculum glabrum, rubicundum cum nucleo intus, ſapore Ceraſorum nucleorum
ulo.

rovenit locis montanis, attamen humidis ab imbribus frequentioribus, necnon in fluminum ripis *Locus.*
a *Combotto*: quotannis fructus fert, Septembri viz. & Octobri menſibus, atque per 60 non rarò
ifera manet annos.

rboris hujus partes, radix, cortex, folia, fructus, ſpecificum habentur adverſus Epilepſiam, Phre- *Vires.*
dem, ſimiléſque cerebri morbos remedium.

Cap.

CAP. XXIX.

Appel ſeu Nalla Appella H. M. P. 1. F. 52. p. 99. *Arbor baccifera Malabarica flore umbellato odoro, fructu rotundo monopyreno. Tetragonia Indica.*

H. M.

ARbor eſt mediocris altitudinis, *radice* craſſiola, plurimas fibras piloſas tranſverſim emittente, colore croceo, ut & odore; *caudice* quinque aut ſex palmos craſſo, ramos ſurrectos in altum diffundente, ligno albicante, medullâ ruffo-fuſcâ. Surculi teneri virides ſunt, quadrangulares, & in unoquoq; latere ſulco ſtriati. *Folia* bina & bina petiolis brevibus rotundis inſident, oblongo-rotunda, anteriùs brevi & anguſta cuſpide, ad petiolum rotundâ orâ, in oris ſuperioribus minutis ac raris apicibus alia magis, alia minùs eminentia, texturâ craſſiuſcula, ſolida, ac mollia, plana, glabra, ſupernè obſcuro virore nitentia, ſubtus dilutiora, odore acuto, haud ingrato, ſapore amaro & ſubacri. Coſtæ & nervi ſunt viridi-clariſſimæ. *Flores* umbellatim proveniunt, ſuntque parvi, albi, ſeu ex viridi diluto albicantes, quatuor petalis, minutis & rotundis compoſiti, uno majuſculo & latiùs ſe aperiente, magis etiam albicante quàm reliqua *ſtamina* quatuor tenuia, albicantia, *apicibus* rotundis albicantibus dotata continent, ac *ſtylum* tenuem, albicantem, ſeu viridi-dilutum, bifurcatum, viridi globulo, qui ex calyce rotundo emergit, ac primordium fructûs eſt, inſidentem, odoris fortis non injucundi. Floribus ſuccedunt *baccæ* rotundæ, quæ cùm immaturæ ſunt coloris viridi-diluti, maturæ autem magis fuſci ſeu nigri, intus oſſiculum rotundum continentes.

Semel in anno fert flores & fructus.

Vires.

Decoctum totius plantæ in fomentis & lotionibus capitis totius corporis, & ſpeciatim arthriticis conducit.

Radix contrita & epota cum aqua lienteriæ conducit; item cortex contritus & mixtus cum melle in cataplaſmate. Radix cum aqua marina cocta ſedat dolores podagræ.

Oleum ex radicibus, aut potiùs earum corticibus extractum, tenue eſt & clarum, coloris aureo-flavi & rutilantis, odoris vegeti & pergrati, ſaporis ſubacris & ſubamari, prodeſt in febre frigida, uti & doloribus ventris flatúſq; diſcutit unctum in partibus affectis.

CAP. XXX.

Draco arbor Cluſ. Ger. J. B. C. B. Park.

Cluſ.

PRocera eſt arbor, Pinum procul intuentibus referens, adeò æquales ſempérque virentes ſunt rami. Hujus *truncus* craſſus, octo aut novem cubitales *ramos*, æqualiter naſcentes & nudos, ſuſtinet, qui in ſummo fiſſi in alios ternos aut quaternos ramos, cubitales aut paulò ampliores brachialíſque craſſitudinis deſinunt, nudos item & ſine foliis, in ſummo geſtantes capita plena cubitalium *foliorum*, unciali latitudine paullatim in mucronem deſinentium, mediâ coſtâ denſiore & eminentiore, ut in Iridis foliis, tenuium & rubentium in lateribus: mucronem planè repræſentant ea folia, ſempérque virent, & Aloes vel Iridis modo invicem amplexando naſcuntur. Truncus perquam ſcaber multis rimis dehiſcit, humorémque fundit per caniculæ æſtus, qui in rubram lachrymam denſatus, Sanguis Draconis appellatur, ob quam ſanè cauſam arborem hanc Draconem nuncupavit Cluſius. Materia trunci firma eſt, ferrúmque difficulter admittit, quòd veluti fibris tranſverſim & obliquè excurrentibus conſtet: at rami cùm multo ſucco prægnantes ſint, ſatis facilè cædi poſſunt.

Locus.

Olyſſippone primùm vidit Cluſius poſt monaſterium S. Virginis à Gratia.

Ramus fructifer ab hac arbore avulſus, & ad Cluſium ab amico quodam miſſus, pedali amplioréve longitudine erat, cui inhærebant alii ramuli multo fructu racematim compacto onuſti. Fructui color flaveſcens, ſapor aliquantulum acidus, magnitudo exigui Ceraſi. Eum in ſummis capitibus naſci veriſimile eſt, ut in Palma dactyli naſcuntur, ſpathâ tamen ut illa includi non intellexi, inquit Cluſius. Hujus porro arboris recentia capita tenella ſunt, & humilium Palmarum ſive Chamærrhi-phes modo, cujus cerebrum in deliciis eſt, edi poſſent, niſi amaritudo prohiberet.

In inſula *Portûs ſancti* (è Canariis una eſt) propè Maderam provenire auctor eſt Aloyſius Ca-damuſtus: in inſula Madera Thevetus: in colore baccarum differunt. Nam hic flavum dicit, cu ſubſcribit Cluſius; ille Venetum, id eſt, cœruleum; quæ quomodo conciliari poſſunt, inquirant ali

Sanguis Draconis.

Cæterùm Sanguis Draconis Officinarum Gummi eſt ſeu Reſina obſcurè rubra, igni admota facilè li queſcens, ínque eum injecta flammam concipiens, non tamen luculentam; compreſſu aut attri colorem rubrum ſanguineum, ſeu cremeſinum vegetum, reddens; ægrè tamen & difficulter liquo quovis, ſeu aqueo ſeu oleoſo, ſolvitur ſive permiſcetur.

Vires.

Adſtringendi vi pollet, ejúſque uſus non infelix eſt ad muliebres & dyſentericas fluxiones, cruen tas excreationes, firmandos commotos dentes & roborandas gingivas. *J. Bauhinus ſe nullam inſig nem vim animadvertiſſe ſcribit in legitima ad reprimendos fluores ſanguinis.* Aurifabris & Gemma uſum ejus eſſe ſcribit Parkinſonus ad encauſta, & ſuppoſiti pro folio, (ut vocant) ad gemmas & lapides pretioſos illuſtriores & nitidiores repræſentandos: Vitriariis etiam ad vitra colore cremeſin tingenda, pro feneſtris, &c.

Sanguinem Draconis Recentiorum Cinnabarin Dioſcoridis eſſe docti pleriq; exiſtimant. Cin baris recentiorum Antiquorum eſt Minium.

Plinius & Solinus, qui Cinnabarin Indicam ſanguinem ſeu ſaniem eſſe Draconis eliſi Elephanto-
um morientium pondere, permixto animalis utriuſq; ſanguine tradunt, mercatorum fabulis decepti
tà credidiſſe videntur. *J. B.*

Aliorum erroribus refutandis non opus eſt immorari, cùm veritate detecta ſponte ſua conci-
unt.

Tacori folia Draconis arboris ſimilia deſcribit * Cluſius, cubitalis vel etiam bicubitalis longitudi-
is, uncialis verò latitudinis infima parte, deinde paulatim in mucronem gracileſcentia. Incolas
Kayanæ & Wayapock, ubi naſcebantur] aquâ macerare dicebant, contundere, & in tenuia ſtamina
iducere Lini aut Serici inſtar, quin & funes ex illis torquere ad tigna in ſuis fabricis colliganda
doneos.

* *Exot. l. 2. c. 21.*

Arboríſne an alicujus alterius plantæ folia eſſent non adſcriptum.

Pro fabula habeo cum Parkinſono & Lugdunenſi quod tradit Monardes de Dracunculi figura
ujus arboris fructui à natura inſculpta. Fructus Draconis arboris Olyſſippone ad Cluſium miſſus
eraſi erat magnitudine aut Oxymyrſines, rotundus, tenui pelle contectus; quâ ſublata oſſeus nu-
eus conſpiciebatur, qualis eſt in fructu Ruſci, ſed is nullam animalis, nedum Dracunculi tanto ar-
ficio fabrefacti figuram referebat. Verùm rotundus erat, & lævis, & totus oſſeus, uti dictum.

SECTIO III.

De Arboribus bacciferis fructu polypyreno.

MEMBRUM PRIMUM.

De Arboribus bacciferis fructu dipyreno ſeu gemino in ſingulis baccis nucleo.

CAP. I.

De Jaſmino ſeu Gelſemino.

Aſminum priſcis Botanicis incognitum flore ex oblongo tubo in quinque lacinias expanſo toti-
dem folia æmulantes, perquam odorato foliis pinnatis, bacca dicocca ab aliis fruticibus bac-
ciferis diſtinguitur.

1. *Jaſminum album* Ger. Park. parad. *vulgatius flore albo* C. B. *Jaſminum ſive Gelſeminum flore albo* J. B. **White Jaſmine, or Jeſſima.**

J. B.

Longiſſimis & lentis, licet tenuibus viminibus, & niſi ſuſtententur appoſitis pedamentis prociduis
onatum eſt, cortice viridanti intectis. *Folia* ſeptem ad nervum alligantur, acuminata, Viciæ foliis
re paria, glabra, atro-virentia. *Flores* velut in umbella, ſuaviſſimi odoris, ex oblongo, gracili tu-
lo in calathum quinquepartitum explicantur, colore candido. *In frigidioribus regionibus marce-
unt flores nullo ſuccedente fructu, unde nonnulli fructu prorſus deſtitui, ſecurè nimis affirmârunt, quos
nos olim ſecuti in Catalogo plantarum Cantabrigienſium idem tradidimus.* Verùm nunc meliùs edo-
i tum à Domino P. Hermanno, tum à Sr. Triumfetti Romano, fructum proferre, nimirum bac-
s ſubvirides *ſemina* rotunda, nigro circello notata continentes agnoſcimus.

De loco hujus natali nihil certi traditum invenio, ſed ut rectè Lobelius in hortorum angulis apri- *Locus.*
s & pro prædiorum cavædiis ſurculo pangitur, adque ornamenta pergularum pedamentis erigitur
l fornices.

Jaſminum album ſicut odore fragrat, ità viribus multis pollet. Oleum ex floribus confectum *Vires.*
udos diſcutit humores, frigidis ac catarrhoſis confert, & hyberno tempore utile eſt. Quibus
tem temperatura contigit calidior, his dolorem excitat capitis, & ſi diutiùs odoretur, periculum
fert ſanguinis è naribus profluvii. Præcipua ejus utilitas ad contractos induratóſque artus, articu-
s, tendines, nervóſque calefacit, emollit, aperit. Uteri morbos arcet non ſolùm hypogaſtrio
locis muliebribus illitum, ſed etiam potu aut enemate uſurpatum. Simili modo prodeſt & dolori-
us colicis quos frigidus & viſcidus humor concitavit. Præcipuus florum uſus eſt ad diapaſmata &
oramenta, ad Chirothecas & linteamina odore ſuaviſſimo imbuenda.

2. *Jaſminum ſive Gelſeminum luteum* J. B. *humilius luteum* C. B. *Jaſminum luteum* Ger.

J. B.

Jaſmini vulgati ritu fruticat, virgultis viridantibus, angulosis, ſtriatis; in quibus *folia* aliàs terna,
olemonii Monſpelienſium ritu, ſed acutiora, firmiora quàm in albo, interdum duodecuplo majora,
Trifolii bituminoſi culti folia magnitudine accedentia, aliàs verò pinnata ex una duabúſve conju-
tionibus coſtæ annexis, impari ſemper uno alam claudente. *Flores* eo ordine & ſitu quo in
Jaſmino

Jaſmino ſive vulgato, ſive Hiſpanico, foliis obtuſis luteis. *Fructus* mediocris magnitudinis, niger, oblongus, bina continens *ſemina* magna: nigra, oblonga, quà ſe mutuò ſpectant plana, altera parte modicè globoſa.

3. *Gelſeminum Indicum flavum odoratiſſimum* Ferrar. horticult. *Gelſeminum ſive Jaſminum Indicum flavum odoratiſſ.* Park.

Ferrar.

Lævi cortice, Amarantum referente purpurat: in duo fermè cubita attollitur. Ab imo caule ramoſus, pluribus virgis, itidem in ramulos brachiatis, fruticat. *Foliis* viret ſaturato, ſplendidoque colore conſpicuis, oblongis, Punicæ Mali foliorum inſtar duriuſculis, denſis, non inciſis, non deciduis, binis terníſve in ſingulos ramulos coeuntibus, alarum aſpectu per virgarum latera explicatis. *Floribus* autem flavet omnino aureis, vulgaris Gelſemini ſimillimo pediculo innixis, per ſummum ramorum in umbellam diffuſis, Hiſpano Gelſemino minoribus, diutius vernantibus, invaleſcente cum ſtirpe majora quotannis incrementa capientibus, ejus floris, quem vulgò Saponariam vocant, facie, retuſis, ſuaviſſimè olentibus, arido etiam è cadavere odoratam animam ſpirantibus. Poſt florum gemmas *baccis* graveſcit, minuſculas oleas magnitudine, primóque virore exæquantibus, à maturitate deinde flaventibus, maturæ inſtar uvæ tranſlucidis, incluſúmque nigellum & longulum, quale pyra includunt, ſemen indicantibus, hîc præterea ſolitariis planéque unionibus, illic gemellis & cohærentibus.

Culturam exigit cum Hiſpano communem. Humorem imprimis amat & Solem. Gelidam Septentrionis animam odit, imò etiam quodcunque hyemale friguſculum in tantum reformidat, ut viridiſſima folia luteo pallore tingat, corticem lævore ac rubore decorum minutim granoſâ luridâque ſcabie aſperet ac decoloret, proſerpente demum aritudine citò ſeneſcat & pereat. Nec frigora tantùm horret, ſed per æſtivos fervores ſitientibus herbis cæteris expetito guttatímque propinato rorantis cœli nectare læditur. Etenim floris folia vel leviſſimo roris aſperſu palleſcunt, aſſiduo etiam infuſu exalbeſcunt.

Ramis ſubmerſis propagatur: modum vide apud auctorem.

4. *Jaſminum luteum vulgo dictum bacciferum* C. B. *Jaſminum luteum ſive Trifolium fruticans, aliis Polemonium* Park. *Polemonium ſive Trifolium fruticans* Ger. *Trifolium fruticans, quibuſdam Polemonium, flore luteo* J. B.

J. B.

Vario implexu ſerpit radix alba, ac ex pluribus progerminat locis; unde tricubitales aſſurgunt rami, anguloſi, virides, in quibus alternatim ſurculi ſurgunt, *folia* producentes læto virore ſplendentia, terna fere, ut in Trifolio: ſingulæ portiones ad Rutæ vulgaris portiones accedunt, ſapore ingrato & fervido. In ramulorum extremis *flores* oriuntur Jaſmini facie vel Arthriticæ ſive Primulæ veris, quinquepartiti, lutei. Iis decidentibus ſuccedunt *baccæ* ſatis magnæ, rotundæ, rubræ, in quibus continetur *ſemen*, ſimile fere Piſo vulgari minori, intus album, ingrati ſaporis.

Locus & Tempus. Circa Monſpelium in ſepibus obſervavimus, necnon prope Scaleam in regno Neapolitano. Florentem vidimus (inquit J. Bauhinus) menſe Martio, Aprili, Maio & Junio; baccas autem ferentem copioſè menſe Auguſto, quæ per Autumnum & hyemem durant.

5. *Jaſminum humilius magno flore* C. B. *Hiſpanicum flore majore, externè rubente* J. B. *Catalonicum* Park. parad. *Candiflorum majus* Ger. Pitsjegam Mulla *H. M.* P. 6. T. 52. p. 91.

H. M.

Ramis eſt paulò firmioribus, & Vitis modo luxuriantibus. *Folia* è contrario ſibi poſitis ſurculis in ſingulare folium latiuſculum exeuntibus, innitentia habet tergemina, cæteris minora, parum elongata, in cuſpidem anguſtam deducta.

J. Bauhino foliorum conjugationes tres quatuórve cum extremo impari alam complent, at ſingularia folia ex oblongo rotundantur, non in mucronem, vulgari more deſinunt, iíſque latiora propius plerunq; ſe mutuo contingunt, extremúmque adeo folium impar contractius ac brevius quàm in vulgari exiſtit.

Foliorum ſuperficies glabra & plana eſt, averſa verò facies coſta eminente & in plurimos ſubtiles diducta venulas dotatur. Sapor amarus, color è viridi nitentior. *Flores* ſeptem octóve è calyce quinquies inciſo in cacumine ſurculorum erumpunt, quinque conſtantes petalis, ex anguſto patulis, nonnunquam ad oras purpuraſcentibus. Gemmæ oblongæ è purpureo albicantéque colore rubent. Inter *ſtamina* bina, puſilla, albidula, flaveſcentibus ornata capitulis *ſtylus* candidus oblongo apice albo erigitur. Odore fragrantiſſimo omnibus præſtat ſpeciebus.

Locus. Arenarum amans in ſylvis ad *Ambalacatti* non modò, ſed & in hortis frequens eſt. Semper folia habet uti & flores.

Vires. Cortex cum foliis ex oleo butyróque coctus, donec in his unguenti craſſitudo fiat ulceribus & abſceſſibus phagedænicis medetur.

** P. 6. T. 50. p. 87.*

6. *Sambac Arabicum ſive Gelſeminum Arabicum* Alpin. plant. Ægypt. *Jaſminum ſive Sambac Arabum Alpino* J. B. *Syringa Arabica foliis Mali Aurantii* C. B. * *Nalla Mulla* H. M.

H. M.

Frutex hic humi ſerpit, convolvuli inſtar quævis objecta ſurculis rotundis, viridibus, lignoſis, geniculatis, minutiſſimis & raris pilis obſitis, obvolvens.

Alpinus etiam Fruticem hunc ſarmentoſum eſſe ſcribit, qui ſarmentis ſerpendo altiùs ſe extollit. At quomodo hæc conciliari poſſunt cum accuratiſſ. Veſlingii notis, qui eam adoleſcere affirmat ſtipite robuſta atque adversùs fortuitorum impetum firmiſſima, quæ ternis quaterníſque cubitis in altum porrigitur? Matth. Cuccini *literis ad Cluſium, plantam hanc ad duorum cubitorum vel quatuor pedum altitudinem creſcere ſcribit,*

ſcribit, cujus ſtipes infima parte pollicari eſt craſſitudine, ſolida materia conſtans, & quæ difficulter ſcindi poſſit: is duobus digitis ſuper terram, aut paulo amplius, in tenues & longiuſculos ramos dividitur. Veſlingius *etiam ramos flexus omnes facili obſequio admittere tradit.*

Radix albicat. *Folia* latiora, in cuſpidem exeuntia, contextu ſolida, rigida, glabra, virore utrinq; nitentia, numero bina, brevibus & craſſis inhærent pedunculis; intermedia coſta venas è viridi flaveſcentes quaquaverſum ſpargit frequentiſſimas. Odor ipſis nullus, ſapor amarus eſt.

Alpinus folia Mali Aurantii proxima ei attribuit. Cluſius non diſſimilia Syringæ albæ foliis ſibi videri ſcribit, teneriora tamen & in ambitu non crenata ſemper ex adverſo naſcentia, alternatim.

Ex novies inciſo calice anguſtiſſimo ſurculorum ſummitatibus innituntur ad tres numero aut plures *flores* albiſſimi ſeptem, octove, ſæpius decem conſtantes petalis, parte anteriori ſtrictioribus & inflexis. *Stamina* duo flavo apice donata unà cum *ſtylo* parvo virenti eminent. Ipſi autem flores altero ab apertione die inareſcentes rufeſcunt.

Pr. Alpinus ſimplicem octo petalorum in flore ordinem exhibet; at ego (inquit Veſlingius) duplicem ſæ-ius agnovi, nec octo, ſed decem aut duodecim petala roſea ſerie breviore tubulo digeſta. Caccini flores unc decem, modo duodecim foliis conſtantes, & quando minimùm novem, duplici ſerie diſpoſitis obſerva-it, odoratiſſimi Jaſmini Hiſpanici odorem etiam ſuperantes, vel quaſi florum Mali Aurantii & florum Jaſmini Hiſpanici ſimul permiſtorum odorem referentes; quâ ſimilitudine Veſlingius etiam florum odorem omparans cum Caccini convenit.

Veſpertino tempore ob gratiſſimum odorem in foro empti à mulieribus in corollas & varia ornamentorum genera colligantur, quinimo ethnici in ſacrificiis eos adhibere ſunt conſueti. Maxima nni parte florifera, per univerſam Indiam in hortis colitur. Fructus vel raró, vel adultiore demum ate ferre ſolet.

Vires & Uſus. Florum uſus eſt magis ad ornatum corporis quàm ad ſanitatem, nihilominus parant oleum quo utun-r mulieres in balneis ad uterum calefaciendum & laxandum: ut partum etiam faciliorem reddant c oleum & bibunt calidum & ipſo liniunt etiam extrinſecas uteri partes. Utuntur quoq; eo exte-s inungentes thoracis regionem, tum per os ipſum calidum bibentes ad tuſſim anhelitûſque diffi-ltatem, & ad pleuritim lethalem, & ad peripneumoniam, atq; ad dolores vehementes ſtomachi, eſtinorum atq; uteri. Parant hoc noſtri unguentarii ex dulcibus Amygdalis, vel Seſami ſeminibus, quibus odore florum Jaſmini imbutis oleum exprimunt valde odoratum. *Alpin.*

Inſeritur Jaſmino vulgari.

7. *Hudda Mulla* H.M. P. 6. T. 51. p. 89. *Gelſeminum vel Jaſminum Catalonicum multiplex* Park.

H.M.

Convolvuli more, unde & Convolvulus domeſticus dicitur, ramis ſuis in longitudinem mirabilem tenſis, rotundis, ligno medullâque virente, & pilis brevibus obſitis, vicina corpore amplectitur. *ia* plana, glabra, craſſiora, virore utrâque parte nitentia ſub obſcuro, in obtuſum deſinentia, coſtis iridi prædita eminentibus, pedunculis craſſis, curtis, interiùs planis ramis adhærent. *Flores* polype-, candidi, floſculis hic illic interſperſis viridibus; ob gratiſſimum, qualem & flores *Mulla* vel *Mo-* fundunt, odorem avidiſſimè expetuntur.

Cultura & uſus *Nallæ-Mullæ* eadem eſt.

Vires. Rabidi canis morſus contrita & oleo frixa externè applicata folia ſanant. Veneno ſerpentino ra- cum Calamo aromatico ex Oryzæ aqua decocta occurrit.

Planta hæc ex ſententia *D. Comelini*, à proximè præcedenti nihil differt, niſi quòd duplices vel nos ferat flores. Idem & nobis videtur.

8. *Tsjeni-Mulla* H. M. P. 6. T. 49. p. 85. *Jaſminum Indicum flore albo odoratiſſimo.*

H. M.

Frutex hic ramuſculos decuſſato ordine habet geminos, è ſpadiceo vireſcentes. *Folia* oblonga, minata, craſſa, mollia licet, glabra, ſupernè intensè virentia, infernè dilutiora, utrinq; nitentia, ella pedunculis curtis inhærent, mediâ eorum coſta viridi, ſupina in parte eminente. Sapor ve nullus. Suaviſſimi odoris *flores* pentapetali, albi, quinis antheris grandiuſculis erectis exor- conſpiciuntur.

Locus. Creſcit locis montanis ad *Calare* & *Perate-vidi.* Uſus hactenus ignoratur.

9. *Tsjiregam-Mulla* H. M. P. 6. T. 55. p. 97. *Jaſminum Indicum flore polypetalo exalbido, fructu minori.*

H. M.

rutex eſt hominis adæquans altitudinem, rotundos, duriolos, geniculatos latiſſimè diſpergens ulos, qui novelli minutiſſimis pilis obteguntur. *Folia* è viridi nitentia, glabra, lævia, coſtâ in riore eorum parte utì *Nallæ-Mullæ* ſtriata, gemina, ſibíque è contrario immediatè oppoſita in culis proveniunt: ſuntque oblongiora, anteriùs in anguſtum contracta, in cuſpidem longiorem cta, in oris criſpata, ad petiolum verò ſtrictiora: Sapor ipſis amarus, odor nullus. *Flores* exal- numero ternario aut quinario, è calyce ſex plus minus inciſuris diſtincto protuberantes, ſex, n, quinimo octo conſtant ſæpe petalis, anguſtis, tenuibus, extrorſum in oris valdè criſpatis. *ina* duo breviora *ſtylúſque* eodem ac in præcedentibus ſeſe habent modo. *Fructus* inſidentes i, Ceraſorum minorum modo glabri, nigricantes, pelliculâ tenui, carne molli, è rubro nigra dulci conſtantes, *ſemen* rotundum, ex albo internigrans & piloſum continent.

jucundiſſimum & ſuaviſſimum odorem florum, è quibus mulieres coronas ſibi conficiunt, in colitur, nunquam flores aut folia dimittens.

Vires. Folia oleo incocta balſamum fundunt, ſi capiti inungatur, oculorum quævis tollens vitia, & viſum corroborans: horum pulvis cum Croco ac pinguedine cuti illitus pruriginem ejus demit: ex radice ad peculiarem uſum exprimitur oleum.

10. *Catu Pitsjegam-Mulla* P. 6. T. 53. p. 93. *Jaſminum Indicum flore polypetalo, candido, oris rufeſcentibus.*

H. M.

Mullæ ſeu Jaſmini ſpecies eſt, & ſimilis *Nallæ-Mullæ*, ſurculis ſolummodo languido virore in fuſcum vergentibus. *Folia* diſſimili magnitudine ac figura, modò oblongiora, ſine cuſpide tamen, modò latiora, contrariis inter ſe ſemper pediculis oppoſita ſunt, ante alia virore obſcuro nitentia, ſapore amara. *Flores* ſeptem, decem, imò nonnunquam undecim petalis, è longo aculeatis, præ cæteris quoque anguſtioribus, in orbem expanſis, è calyce virenti, ſenis inciſuris diſtincto, candidiſſimi, quamvis in oris clementer rufeſcentes, paullò latiores quàm *Tsjeregam-mulla* prodeunt. Præter *ſtamina* duo colore ad virorem inclinato, oblongis, croceis, planis *apicibus* prædita, *ſtylus* intermedius albicans, elongato, viridi & craſſiuſculo ornatus capitello, è gemmula, quæ huic flori conica & rufeſcens eſt, aſſurgit: odor jucundiſſimus.

Locus & Tempus. Arenoſo creſcit ſolo ad *Cranganoor* & *Catoer*, aliiſque locis pluribus. Sempiternâ viret comâ. Floret menſe Junio Julióque.

11. *Katu-Tsjeregam-Mulla* H. M. P. 6. T. 54. p. 95. *Jaſminum Indicum flore polypetalo candidiſſimo, fructu majore.*

H. M.

Arbuſcula iſthæc caulis eſt ſubvireſcentis & lignoſi. *Folia* ſitum & figuram eandem ac *Tsjeregam-Mulla* obtinent. *Flores* itidem candidiſſimi, inodori equidem, ſeptem, octove ſtrictis, protentis, aculeatiſque petalis, ex perianthio anguſtiori & in ſummitate complanato, plures numero ſurculorum cacuminibus innituntur, quod in *Tsjeregam-Mulla* ſecus ſeſe habet. *Fructus* iidem ut in *Tsjeregam-Mulla*, ſed majores.

Locus. Loca amat aſpera & ſaxoſa montanáque. In *Cranganoor* & *Coilan* plurima eſt; omnibus horis frondifera ſimul & florifera.

Vires. Hujus folia ex oleo cocta oculorum tollunt vitia. Radix verò cum Calamo exhibita aromatico optimè cujuſvis ſerpentis morſibus medentur.

12. *Katu-Mulla* H. M. P. 6. T. 56. p. 99. *Jaſminum Indicum flore pentapetalo candidiſſimo fructu* Tsjeregam-Mulla.

H. M.

Arbuſcula eſt hominis altitudinem vix excedens. *Rami* duri, vetuſtiores è rubicundo fuſci ſunt. *Radix* capillaris, rubra, in latum ſpatiatur. *Folia* longiora, anteriùs ſtricta, in cuſpidem exeuntia, denſa, glabra, ſupina parte è fuſco nitentia, pronâ candida, venâ recta in parte eminente: ſaporis ſylveſtris, odoris nullius. *Flores* albiſſimi, quinque, uno è latere rotundis, craſſiuſculis, extrorſum reflexis conſtantes petalis, è *calyce* ſatis arcto, quinquies inciſo emergentes, *Tsjiregam-mulla* proximi ſunt: unà cum duobus exilibus capitatiſque ſtaminibus, ſubalbidus, è capitulo fructûs primordium conſtituente prodit *ſtylus* bifidus, in ſummitate leviter rufeſcens. *Fructus Tsjiregam-mulla* poſſunt videri.

Locus. Locis gaudet arenoſis, & provenit in *Oediampera* & *Anſjecaimaal*; ſempiterna fronde: Quintili autem Sextilíque menſibus floribus exornatur.

Uſus. Succus foliorum olei inſervit coctioni, & præterea nullum præſtat uſum.

* P. 4. T. 47, 48. *p.* 99.

13. *Rava-Pou* * H. M. *Seu Jaſminum Indicum bacciferum flore albo majore, noctu olente, vel Arbor triſtis de die altera.* D. Comelin.

Arbor eſt procera, *caudice* craſſo, denſo, albicante; cortice obducto atro-purpureo; glabro, inodoro, inſipido, necnon ramulis atro-purpureis, intúſque fungoſis, ceu frondibus umbroſis in latum diffuſis, ornato. *Radix* albicans, rufo cortice tecta, inodora, ſaporis adſtringentis. *Folia* geminata ordine decuſſato rotundis, rufis ac lanuginoſis petiolis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, mollia, glabra, denſa, ſplendentia, ſupernè atro-viridia infernè ſubviridia; coſta med craſſa, rotunda, albicat. *Flores* in ramis tenerioribus naſcuntur, pediculis oblongis, rufis ac lanuginoſis, è foliorum interna ſede prodeuntibus inhærentes, copioſi, hoc eſt, terni, quaterni aut plure ſimul ferè congeſti, candidi, Jaſmini aut potius Hyacinthi tuberoſi floribus forma, magnitu néque pares, ſimilibúſque foliis, ut illi, conſtantes, ſed pleniores, multiplicíque foliorum textu odoris fragrantiſſimi, & haud multùm à Jaſmini aut Tuberoſæ florum odore diſſimiles. Solent a tem noctu in flores explicari, & oriente Sole, ſimulatq; ab ipſius radiis illuſtrari incipiunt, illico de dere, vel antipathiâ quadam, vel præ nimiâ ſucci tenuitate, quem radii Solares abſumunt, quos Sol non attingit diutiùs in arbore hærent. Floribus *fructus* nonnunquam ſuccedunt, gl virides, exiguo à latere umbilico præditi, tenuique cortice cincti: huic lignoſus ſubeſt cortex, *cleum* includens oblongum, rotundum, albicantem, ſaporis amaro-dulcis & adſtringentis.

Locus. Non provenit ſponte in Malabar, ſed aliunde advecta eſt. Semper viret, fragrantiſſimóſq; flores, qui Sole occidente explicantur, & oriente decidunt.

Vires. E foliis hujus arboris in aqua coctis potus conficitur, qui mulieribus parturientibus exhibitus tum accelerare dicitur. Cortex in pulverem redactus, & ulceribus inſperſus luxuriantem & ſam carnem exſiccat & tollit.

Hortus Leydenſis *Herman.* habet Jaſminum Americanum trifolium odoratiſſimum flore albo. D. *Watſius* nuperrimè recepit Jaſminum novum latifolium ab Inſulâ *Barbados* dicta.

CAP. II.

De Liguſtro.

Liguſtrum à ligando dici veriſimile eſt, quia virgulta ejus ob lentorem & gracilitatem facilè flectantur & circumvolvantur.

Liguſtrum vulgare non eſſe Cypren Græcorum probatur, quia nec in arboream magnitudinem unquam excreſcit, nec folia ejus capillum rufent: quæ Cypri apud Dioſcoridem notæ ſunt. Unde neque *Alcanna* ſeu *Henne* Arabum eſſe poteſt, cùm Arabes pleraq; ſua de Alcanna ex Dioſcor. capite de Cypro tranſcripſerint.

Floribus racemoſis albis, baccis nigris dipyrenis, viminibus lentis ab aliis fruticibus diſtinguitur.

A. 1. *Liguſtrum* J. B. Ger. *vulgare* Park. *Germanicum* C. B. **Privet, or Primprint.**

J. B.

Frutex eſt elatior, radicem hinc indè per obliquum ſpargens, crebris virgis lentis & in ramos diviſis conſtans, cortice cinereo obtectis; præſertim verò ſtipites & rami craſſiores tali cortice veſtiuntur: nam ramuli virides ſunt, materie albida, dura. *Folia* bina adverſo ſitu ex intervallis oriuntur, oblonga, anguſta, figura ad Salicis folia quodammodo accedentia, ſed breviora, craſſioráq;, atro-virentia, lævia, nitentia, guſtu acri & ſubamaro, non ſine adſtrictione. *Flores* in ramorum ſummis profert ſuaviter olentes, candidos, racematim congeſtos, quorum ſinguli quaternis, quinis aut ſenis foliis conſtant, *apicibus* ex luteo herbidis, qui decerpti ſtatim flacceſcunt, quos excipiunt *baccæ*, racematim quoq; in pyramidis figuram aggeſtæ, Hederæ baccis minores, læviores ac nigriores, Juniperinis æquales, initio virentes, per maturitatem nigricantes, continentes bina grana, hinc gibba, inde compreſſa, cortice ſpadiceo, carne exalbida, vel digitorum levi preſſu fragilia; ſapore amaro ac injucundo, quamvis quibuſdam aliquid dulcedinis habere videantur.

Variat interdum, adnotante Trago, floris colore luteo; ſed rariús. Foliis argentatis & auratis. *Breyn.*

In ſylvis, vepretis & ſepibus frequens eſt Angliæ, Germaniæ, Galliæ, Italiæ, &c. Floret tota ferè æſtate. *Locus.*

Foliorum decoctum, eorúmve aqua deſtillata commendatur ad ulcera & inflammationes oris gargariſatu, ad carbunculos, pudendorum ulcera, & ambuſta collutu. Floſculi aceto macerati, frontíq; impoſiti capitis dolorem ſedant. *Vires.*

Acinis Liguſtri maturis quidam rubello vino nigrum inducunt colorem. Solent etiam illi tam ni- rum quàm Venetum colorem præſtare, quo nomine ab his qui chartulas luſorias aliáſve picturas va- is coloribus illuminant leguntur.

Hyeme baccis veſcuntur aves, præſertim Merulæ ac Turdi. Frutex propter lenta & flexibilia vi- ina, ſurculóſq; denſos, & folia hilarè virentia ad topiarias ſcenas expetitur, quas non ineleganter onveſtit. Recte Laurembergius, Inter omnes frutices arbores & herbas nihil eſt quod in tot figuras elegantias effingi, flecti aut formari tondendo queat ac Liguſtrum. *Horticult.* l. 1. c. 30.

Vires à Matthiolo Liguſtro traditas ab eo potiùs effictas rationabiliter, aut aliunde mutuatas cen- J. B. quàm experimento cognitas. Ex guſtu (inquit) quivis facilè vel mediocriter verſatus uni- iq; plantæ vires probabiliter aſſignare poſſit. At pro veris & compertis prodere non debet.

2. *Liguſtrum myrtifolium Italicum* C. B. Park.

C. B. prod.

Hoc ad Liguſtri vulgaris modum excreſcere & in ramos brachiari audio. *Rami* rotundi ſunt, ves, nonnihil rufeſcentes. *Folia* atro-virentia, vulgaris foliis & latiora & longiora. Myrti Li- ſtri folio nomine Patavio habuit C. B.

Liguſtrum fol. laciniatis ad Syringas pertinet.

3. *Liguſtrum Orientale, ſive Cyprus Dioſcoridis & Plinii* Park. *Ægyptium, Cyprus Græcorum, Elhanne Arabum* J. B. *Lig. Ægyptiacum latifolium* C. B. *item Lig. Ægypt. Anguſtifolium* ejuſdem.

Fruticis potiùs vegetioris quàm arboris proceritate adultam in villis [Ægypti] inquit Veſlingius, im compertam habui, confuſa ramorum ſylva, cultorum negligentiâ latiùs implicitam. Olivæ s non abſimilia producere vidi, ſed latiora, & ſub grato virore magis tenella, ſapore acidulo dſtringente: nec ternis tantùm quaterníſve ordinibus tanquam alis, ſed pro virgularum longi- ne denis, duodenis, pluribúſque ramorum latera ſtipant; ſic tamen ut inferiora folia ampliora, is ſuccedentia deinceps ad extremum uſque rami paulatim minora conſpiciantur, μονοφύλλῳ circa em vix ullo ſuperſtite. *Flores* Alpino coloris cinericei non albi, Sambuci floribus proximi, ores tamen; Rauwolfio ex luteo pallidi ſunt, odoris ſuavis, admodum acuti, Moſchi: conco- floribus baccilli. [*Semen* ei pulchellum, ſpadiceum, pyramidale trigonum eleganter exprimens, ita æquali ut ſurrectum latrunculi inſtar ſtet.] J. Bauhino Baccæ numeroſiſſimæ, noſtratis Li- i baccis ferè pares, magis ſeſſiles, coloris cinerei ferè [in ſicca] quatuor decuſſatas impreſſiones ntantes, ſemine refertæ copioſiſſimo, minuto, Melochiæ & figurâ angulosâ & magnitudine æquali, is ruffi, ſaporis ſtrenuè adſtringentis, idque citra omnem morſum.

Bauhinus Cyprum ſeu Alcannam Rauwolfii, à Cypro Alpini ſeparat, partim ob diverſita- figurarum, partim quia Alpinus florem ſubcinereum Sambuci floribus minorem Elhannæ ſuæ tribuit. Verùm quod ad figuras attinet, Alpini iconem damnat Veſlingius & vitioſam eſſe oſtendit; neque florum color aut magnitudo multùm diverſa deſcribitur à Rauwolfio & Alpino; ut eandem ab utroque plantam deſcriptam non dubitemus.

Locus. Ægypti incola eſt, ibidémq; omnibus notiſſima. A Turcis & Mauritanis ob ſuavem odorem moſchi æmulum quem flores exhalant magni fit, & diligenter cuſtoditur, nè hyeme pereat.

Vires. Cypri folia ex Dioſc. adſtrictoriam vim habent, quare oris ulcera, & aphthas ipſas commanducata medentur, [item ulcera capitis manantia, & collectiones & condylomata. *Plin.*] & illita tum fervidis aliis inflammationibus, tum etiam carbunculis proſunt. Eorundem decoctum igni ambuſtis & luxatis applicatur. Rufant & capillos trita & illita folia, ſive in Struthii ſucco maduerint. Flos ex aceto tritus & fronti inductus capitis dolorem ſedat. [Folia aut eorum ſuccus ſtomacho illinuntur & vulvæ concitatæ. *Plin.*] Idem combuſtus in cruda olla nomas ſanat, & putreſcentia ulcera per ſe & cum melle. Succus Cypri nervis, articulis, & algoribus prodeſt. Acini contra phthiriaſin, item contra intertrigines utiles: ſanant & gallinaceorum pituitas. Cæterùm quod ex flore præparatur Cyprinum unguentum, (oleum vocat Plinius) odoratum eſt, ac nervos excalfacit ac mollit, ſiquidem ferventi naturâ præditorum medicamentorum miſturam accipit.

Addit Paulus Cyprum aptè remediis hiſce admiſceri quæ ad lienem conficiuntur. Hæc ex Veteribus.

Magni porro Ægyptiis (ut ſcribit Bellonius) ex Cypro reditus. Folia enim ſiccata in pulverem redigunt ad tincturas flavas. Nam per totum Turcicum Imperium conſuetum fœminis manus, pedes, partéſque piloſas flavo rufóque colore tingere, viris verò eodem ungues rufare: additóque alumine capillos pueris tam maribus quàm fœmellis inficiunt; necnon equis pilos, pedes, muſcarium. Regionum illarum fœminis decorum habetur, femora, epigaſtrium partéſque pudendas flavo colore tinctas habere, id quod hoc pulvere efficiunt balneo egreſſæ: Tunc enim tinctura faciliùs imbibitur.

Veſlingius flores *Elhanne* mulierum [in Ægypto] potiſſimùm delicias eſſe ſcribit, caniſtríſque plebis in balinea deferri, in quibus illæ, lymphatæ, dicam an lymphaticæ totos dies inguini cuticulæque perpoliendæ operam dant. Decocto foliorum in aqua ſimplici crines defluentes firmant, & ingratum pediculorum ſodalitium excludunt.

Eodem illo unguibus hemicycli forma diutiùs hærentem notam appingunt: atq; ut olim Conſcripti Patres lunulatis caligis ordinem ſuum, ſic illæ lunulatis unguibus neſcio quod elegantiæ ſpecimen profitentur, aurantii mali colore conſpectiores.

Folia appoſita in uſu frequentiſſimo ſunt ad dolorem capitis. *Alpin.* Ex pulvere foliorum cum aqua mulſa paratur emplaſtrum ad pedes exſudantes fœtentéſque exſiccandos efficaciſſimum, [pedibus appoſitum & per horam retentum.] Pulvere etiam hoc ad ulcera oris gingivarumq; & pudendorum maximè utuntur.

Duas Liguſtri Indici ſpecies proponit Bontius quem conſule. Una eſt Alcanna, altera eſt Liguſtrum Indicum *Garciæ* Negundo dictum.

CAP. III.

De Alno nigra baccifera.

A Foliorum ſimilitudine Alni nomen adepta eſt, quamvis à vulgari Alno toto genere diverſa, cùm baccifera ſit. Foliis latis ſubrotundis, baccis nigris, vi cathartica, ab aliis fruticibus diſcretu facilis eſt.

A. 1. *Alnus nigra baccifera* J. B. C. B. *nigra ſive Frangula* Ger. *Frangula ſive Alnus nigra baccifera* Park. **The black Alder-tree.**

J. B.

Arbuſcula eſt quæ complures à radicibus rectas edit virgas, ſex vel octo cubitos plus minus altas, pollicaris craſſitudinis, in ramulos tenellos diviſas, cortice exteriore quidem fuſco, ſed glaucis maculis aſperſo, quo detracto alius apparet croceo tingens. Ligni materies candida & fragilis, medio tenus rufeſcente quadam medullâ farcta. *Folia* ad Alnum accedentia, vel, ut vult Matthiolus, Corni & Virgæ ſanguineæ, per ramos, ex oblongo rotunda, in mucronem obtuſum deſinentia, atro virore nitida, nervoſa, ex quorum alis *floſculos* coacervatos profert, ſed ſingulis ſingulos pediculis nixos, parvos, palleſcentes; *baccis* ſuccedentibus, primùm virentibus, dein rubris, demum nigris, ingrati planè ſaporis, [Tragus malignum dicit] in quibus grana bina Lentibus majora, compreſſ in quibus nucleus. Radix per ſumma cæſpitum vagatur.

Locus. In ſylvoſis udis perſæpe reperitur tum in Anglia, tum in exteris regionibus. Floret Maio, Septem bri & Octobri fructum maturat.

Vires. Flavus hujus arbuſculæ & medius cortex, tritus cum aceto, & ſcabiei illitus, intra paucos d illam ſanat & exſiccat. Eſtque hoc experimentum ſingulare. Idem in aceto decoctus putridis den tibus collutione prodeſt. Cortici vis ineſt non modica tum exſolvens tum adſtringens; ideóq Rhabarbari modo alvum ducit, & viſcera roborat: idem bilem & pituitam expurgat, quinetiam hy dropicorum aquas ducit. Decoquitur cortex cum Eupatorio comm. Pontico Abſinthio, Agrimo Cuſcuta, Lupulo, Cinnamomo, Fœniculi, Apii, & utriuſque Intybi radicibus ad hydropem, mal corporis habitum & Icteritiam: datúrque potandus ità affectis ℥v. pondere. Cortex ab arbore d librari debet in ipſo ſtatim Veris principio, & in umbra ſiccari, ſiquidem viridis vomitiones mo Quod nè faciat etiam decoctum duobus tribúſve diebus quieſcat oportet, donec flavus color in nigr vertatur. Caſp. Hofmanno corruptio hîc ſubolet.

Dodon

Dodonæus ob violentiam purgationis corticem hunc Ruſticorum medicamentum appellat: expurgat enim (inquit) non modò per inferiorem ſedem ſed etiam per vomitum cum magna ventriculi perturbatione & moleſtia.

Novi (inquit Schwenckfeld.) ejus uſu Agricolas hydropicos factos & pæne ſuffocatos fuiſſe repentina malignæ materiæ repercuſſione. Eapropter ab ejus uſu abſtinendum ſuadeo, niſi probè fuerit evacuatum corpus.

Flores apibus grati. Folia lætum feruntur bobus ac præcipuè vaccis pabulum, quæ horum paſtu lac reddunt copioſiùs. *Hoc nobis minimè videtur veriſimile: quomodo enim planta adeo vehementer cathartica idoneum bubus aut vaccis pabulum eſſe poteſt?*

2. *Alnus nigra baccifera rugoſiore folio, ſeu major* J. B.

J. B.

Per omnia major eſt hæc ſpecies, caudex, rami, reliqua: cortex exterior tenuis, foris cinereus, intus vireſcens, cui alius ſubeſt craſſus, in plures dividuus, intima facie quà lignum attingit flavus; laminæ verò in quas deduci poteſt, vel croco ſaturatæ vel verſicolores, ruffo, flavo, filamentíſq; albidis, ſapore amaro. *Folia* quàm in vulgari Alno nigriora, multò ampliora, palmo longiora, 2½ uncias lata, ſubrotunda, rugoſa, atro-virentia, ſplendida, crenata. *Floſculi* bini ſimul aut ſingulares ex petiolo non longo adhærent, colore herbaceo, in quatuor lacinias mucronatas diviſi, totidem apicibus vireſcentibus interjectis, ſtylo in tria cornicula extrorſum reflexa diſſecto.

In Burgundiæ montoſis aſperis prope S. Hippolytum, & alibi provenit. v. J. B. *Locus.*

Carbones commendantur pro pyrio pulvere. *Uſus.*

CAP. IV.

A. 1. *Berberis dumetorum* C. B. *Berberis* Park. *Berberis vulgo, quæ & Oxyacantha putata* J. B. *Spina acida ſive Oxyacantha* Ger. **The Barberry, or Pipperidge-buſh.**

J. B.

Inter arbores & frutices ambigit, modò humilior, densè fruticans, modò procerior caudice ſatis craſſo donata: tota tamen perquam minacibus ſpinis eſt armata, duabus tribúſve utplurimum ex eodem puncto emicantibus: quò loci & *folia* prodeunt, ad Pruni ſylv. quodammodo accedentia, ſed ex anguſto principio lateſcentia, ſpinulis in toto ambitu mollioribus donata, ſapore cido, ſed quæ primâ germinatione ſinuoſa videas, & pungentibus ſpinis horrida. *Flores* in ligulis cemoſi, ſenis foliolis luteis conſtant, quibus totidem concoloria ſtamina reſpondent, piſtillo viri- nti, odore gravi: quibus *baccæ* ſuccedunt cylindraceæ, tenues, per maturitatem pulchrè ruben- , ſapore acido & aſtringente. Extimo cortici rimoſo & ſubcinereo aut albicante ſubeſt liber ex viridi flaveſcens, & huic materia albida, ſatis fragilis, cui modulla ampla. *Radix* multifida, non craſſa, nec altè deſcendens, in terræ ſummo ſe continet, egregiè flava ſub primo cortice.

Sponte naſcitur multis in locis, incultis, ſylvoſis, frutetis, campeſtribus, montanis, ſiccis & aquoſis: rivulorum ripis ac collibus etiam potiſſimùm gaudet. Quantum obſervavimus in Anglia colli- cretaceis præcipuè provenit, ut in ſepibus prope *Walden* oppidum in Eſſexia. In agro Baſile- ſi, Alſatia, & alibi in Germania copioſiſſimam in ſepibus obſervavimus. *Locus.*

Baccæ refrigerant & aſtringunt, appetentiam excitant, ventriculum roborant. Proinde cum Sac- aro conditæ uſus ſunt frequentiſſimi in morbis ubi refrigeratione & adſtrictione opus eſt, ut in Fe- bus, Diarrhœa, Dyſenteria, &c. *Vires.*

Quod ex acinis exprimitur vinum auſterius acidiúſq; eſt quàm quod ex Mali Punici ſucco fit: lle autem eſt ventris fluxionibus à calore ortis ſiſtendis: unde cœliacis, cibum rejicientibus, & dy- tericis exhibetur. In febribus ſitim extinguit, & appetitum languentem recreat excitátq;.

Scimus baccarum ſuccum, quemadmodum & corticis decoctum item & foliorum contuſorum ſuc- n cum aceto plurimùm profuiſſe in calidis doloribus dentium à fluxione bilioſa vel ſeroſa obortis B. In doloribus capitis à cauſa calida fronti applicata multum poſſunt.

Maturi acini vel per ſe vel cum ramis decerpti in umbra ſiccari ſolent, & ad intinctus, ad pati- um margines exornandos, & ad uſus medicos prædictos reſervari.

E foliis viridibus tenellis Maio menſe fiunt intinctus haud ſecus ac ex Oxalide ad appetentiam exci- dam, ad refrigerandum, febricitantibus & temperamentis calidis utiliſſimi.

Cortex lixivio maceratus flavo colore tingit. Radicum cortex medicamentis adverſùs icterum ad- etur non ſine ſucceſſu. Cortex interior flavus tam ramorum quàm radicum, vel in cereviſia ali- liquore decoctus, vel potiùs in vino albo aut Hiſpanico infuſus & potus experientiâ noſtrâ in ro remedium eſt præſtantiſſimum.

inum album tenue, in quo medianus ille cortex Berberis, qui inter extimum & ligno adhæren- eſt, lineo panno involutus per trium horarum ſpatium maceratus fuerit, mirificè ſi bibatur pur- Cluſio pro ſecreto communicatum eſt.

Bauhinus Berberin ſine nucleo pro diſtincta ſpecie ponit, quam nos pro accidentali varietate mus. *Berberis ſine nucleis.*

litur autem in hortis curioſorum, ut & Berberis acinis majoribus. *Berberis acinis majoribus.*

monis Pauli elegans encheireſis parandi Tartarum è ſucco Berberum; Quadripart. Botan. T. 2. pag. 105.

Succi Berberum ℔. ij. Succi Limonum ℥ij. miſce, digere per biduum in arena calida, deinde fil- poſtea evapora ad dimidium, ſed cave nè plus juſto incaleſcat, colatum hunc ſuccum ubi per ot dies in loco ſubterraneo recondideris, cernes Tartaro ſuo vitri fundum & latera incruſtare: a ſuccum per vaſis inclinationem, & iterum exhalare fac ad dimidium, ut reſiduum in eo Tartari compares; quem ac priorem vaſi vitreo inditum blandiſſimo calore exſicca & uſui ſerva.

Ori & ventriculo gratum ſaporem conciliat, corruptioni humorum & æſtibus febribus inſigniter reſiſtit.

Berberis vox eſt Arabica Averroi & Officinis uſitata. Spinoſus eſt frutex, fructu in racemos congeſto, oblongo & cylindraceo rubente, acido.

2. *Noela-tali ſeu Berberis Indica Aurantiæ folio* H. M. *P.* 4. *T.* 56. *p.* 119.

H. M.

Arbor eſt mediæ magnitudinis, caudice mediocriter craſſo, albicante, denſo, cortice obducto cinereo, multíſq; ramulis viridibus donata. *Radix* rufa, nigricante cortice tecta, necnon fibris ſuis latè per terram diffuſa; ſapor aſtringens, odor ſylveſtris. *Folia* ſine ordine ramulis inhærent, oblongo-rotunda, ac in acumen deſinentia, Mali Aurantiæ foliis haud abſimilia, exceptâ illa appendice, quâ hujus arboris folia carent, craſſa, glabra, denſa, atro-viridia, ſplendentia, inodora, inſipida. *Floſculi* racematim cohærent plurimi, ex pediculo tenui, unciali & ſeſcunciali, aciduli, inodori; conſtant ii è gemmulis exiguis, pallidè virentibus, *ſtaminulis* tribus exiguis albicantibus, ſupereminentibus. *Floſculis* ſuccedunt *baccæ* cylindraceæ, tenues per maturitatem pulchrè rubentes, ſapore acido & ſubaſtringente, Berberis fructibus perſimiles.

Locus. Creſcit ubique in Malabar, præſertim circa *Repolyn*: Semper viret, & per 70 non raro frugifera manet annos.

Vires & Uſus. Ex hujus cortice haud ſecus ac è cannabe funes texuntur.

Fructus in deliciis comeduntur, iique impensè refrigerant, uti Berberes.

Folia antidotum habentur morſui colubri, *Heretimandel* Malabarenſibus dicti, cujus morſu homines quidem non ſtatim intereunt, ſed interim totius corporis carnes corrumpuntur, computreſcunt, decidunt, tandémq; poſt tot miſerias debitum naturæ perſolvunt, niſi utantur potu qui ex foliis hiſce cum ſalito Mangæ fructu in aqua coctis conficitur.

CAP. V.

Baccifera Indica floribus racemoſis, fructu plano-rotundo, dipyreno. Kanden-Kara H. M. P. 5. *T.* 36. *p.* 71.

H. M.

ARbor eſt juſtæ magnitudinis, viginti circiter pedes alta, *caudice* mediocriter craſſo, multíſq; ramis in orbem longè latéque diffuſis donato, qui cortice cinereo tecti, ac ſpinis inſuper longis, craſſis, acuminatíſq;, uti & caudex, muniti ſunt. Hæ autem ſpinæ omnis virulentiæ ac malignitatis expertes non ſunt, utpote vulnera ab eis inflicta non raro lethalia obſervari ſolent. *Radix* fibrata, albicans, atro-purpureo cortice cincta. *Folia* oblongo-rotunda, tenuia, lenia, viridia, bina aut terna ſimul juncta, circa ramulos proveniunt, inodora, ſaporis ingrati. *Floſculi* ſuaveolentes, in racemos digeſti, ad foliorum exortum circa ramulos proveniunt, calycíque viridi exiguo inhærent, viridi-albicantes, monopetali quadripartiti, *hoc eſt*, ex unico foliolo, in quatuor lacinias acuminatas diviſo, conſtantes; *ſtaminulis* aliquot albicantibus, ſubrufis *apicibus* ornatis, medium occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit craſſior, candidus, capitulo viridi. Floſculis ſuccedunt *Baccæ* plano-rotundæ, virides primùm, dein flaveſcentes, tandem maturiores purpuro-cœruleæ, carnéque intus ſucculenta, dulci, gratíque ſaporis refertæ; intra quam duo continentur oſſicula furva, plana, carne intercedente à ſe invicem disjuncta.

Locus & Tempus. Provenit in variis Regni Malabarici locis, præſertim circa *Cochin*: bis quotannis fructus fert, Martio, viz. & Septembri menſibus, ac ſemper viret.

Uſus ejus in Medicina nullus.

CAP. VI.

Nyalel * H. M. *An Sambucus Indica* Bontii? *Arbor baccifera racemoſa, fructu corticoſo, dipyreno.*

* P. 4. T. 16. p. 37.

H. M.

ARbor eſt procera, 40 circiter pedes alta, *caudice* mediocriter craſſo, cortice cinereo obducto, multíſq; ramis ruſeſcentibus in orbem diffuſis donato. Lignum albicans, inodorum, inſipidum, matrice rubicunda. *Radix* rufa, furvo cortice tecta. *Folia* geminata, ordine parallelo brevibus petiolis ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, denſa, glabra, colore atro-viridi ſupernè nitentia, infernè dilutiora, inſipida, inodora; coſtâ mediâ lignoſâ, è viridi-albicante, rotundâ. *Flores* exigui, candidi, numeroſi, racematim circa extremos ſurculos proveniunt, & ſinguli calyci viridi, in quinq; lacinias ſecto inhærent, quinq; tenuibus, lato-rotundis, ac in orbem expanſis foliolis conſtantes, quinq; *ſtaminulis* albicantibus, *apicibus* flaveſcentibus falcatis ornatis, medium occupantibus; inter quæ *ſtylus* prodit ſurrectus, itidem albicans, capitello flaveſcente; odor ingratus ac fœtidus, ſapor nullus. Floſculis ſuccedunt *fructus* globoſi, numeroſi, ramis adhærentes uvarum in modum, quibus magnitudine haud abſimiles ſunt, cortice craſſo, flaveſcente, intus candido & lanuginoſo cincti, carnéque ex albo cœrulea, tranſparente, ſucculenta, ſubacidi ac vinoſi ſaporis intùs referti, intra quam duo continentur nuclei oblongo-plano-rotundi, ſubvirides, e albo cœrulea cuticulâ obducti, ſaporis è dulci adſtringentis, membranaceo diſſepimento ab invicem ſejuncti.

Provenit frequenter in inſula *Baypin*, necnon in *Caymaal*, aliíſque provinciis Malabar. Perpetuò viret, quotannis bis maturos exhibet fructus, menſibus, viz. Aprili & Octobri, manétq; frugifera 70 circiter annos. ***Locus.***

Fructus in deliciis comeduntur. At nuclei cum zinzibere recenti contuſi, & addito ſaccharo exhibiti alvum movent. Ex fructuum immaturorum ſucco cum ſaccharo ſyrupus paratur, tuſſi, aſthmati, aliíſq; thoracis affectibus præprimis utilis. ***Vires.***

C A P. VII.

Baccifera ſpinoſa Indica racemoſa acinis globoſis, gemino in ſingulis nucleo. Wadouka H. M. *P.* 4. *T.* 46. *p.* 97.

H. M.

ARbor eſt procera, *caudice* craſſo, denſo, albicante, cortice obducto furvo, craſſo, ſcabroſo, necnon viridibus intúſque fungoſis ramulis plurimis donato, qui brevibus rigidíſque inſuper muniti ſunt. *Radix* rufa, flaveſcente cortice tecta, inodora, inſipida. *Folia* oblongo-rotunda, craſſa, denſa, glabra, ſupernè intenſiore virore tincta, infernè ſubviridia; à medio illo craſſo, viridi-albicante, in parte ſuperiore ſulcato, in prona verò altè extuberante, necnon folium per longitudinem medium inæqualiter ſecante nervo plures alii tenuiores, penéque inviſibiles obliquè excurrunt. Odor nullus, ſapor amarus. *Flores* petiolis longioribus racematim proveniunt exigui, Tiliæ florum magnitudine æmuli, quatuor ſubrotundis, candidis, è purpureo ſtriatis ac mollibus foliis conſtantes, calicíque viridi quadripartito inhærentes, odoris amœni, ſaporis ſubamari. *Fructus* Nyalel fructibus haud abſimiles, globoſi, glabri, rubro-flaveſcentes, carne intus mucilaginoſa, ex albo cœrulea, inſipida, inodora, intra quam continentur duo *nuclei*, oblongo-plano-rotundi, ſubviri-des, tenui pelliculâ cincti, ſaporis ſubaſtringentis, necnon diſſepimento membranaceo ab invicem ejuncti.

Provenit ubique in Malabar, præſertim circa *Cochin*. Quotannis bis fructum profert, Aprili, viz. & Octobri menſibus, diúque frugifera manet. ***Locus.***

In medicina nullum habet uſum.

C A P. VIII.

Sjouanna-Amelpodi H. M. *P.* 6. *T.* 47. *p.* 81. *Frutex Indicus pentapetalos gemina bacca, calyce exceptâ. Ad baccifer. calyculat. referend.*

H. M.

ARbuſcula hæc hominis aſſumit altitudinem. Stipes ac rami cinerei ſunt coloris. *Radix* fibroſa, cortice ruffo, guſtu amaricante, veſtita eſt. *Folia*, quæ curtis interiúſq; planis anectuntur pediculis, oblonga, aculeata, denſa, ſolida, lenia, glabra, ſupernè viroris nitentis bſcuri, infernè clarioris, coſtam habent in ſupina parte paululum, in prona maximè eminentem, uæ laterales, parallelas, incurvatáſque emittit minores. *Flores* perfecti, compoſiti & uniformes, ſur-ulorum albicantium cacumini brevibus petiolis inſiſtunt, conſtantes quinque petalis, è longo rotun-is, tenuibus, clementer cuſpidatis, ſtellam ſitu æmulantibus colore candidiſſimo: horum in collo, ollicari, purpureo, in nodulum circa medium extuberante, quinque ſtamina flavis capitulis prædita onſpiciuntur; quæ comitatur *ſtilus* candidulus, viridi gemmâ exornatus. Florum verò gemmæ, i & calyx, in purpureum vergunt colorem. Odor iis deeſt. Floribus ſuccedunt geminæ utpluri-um, & quaſi in unum coalitæ *baccæ*, rariùs ſingulæ, calyce arctiſſimè exceptæ, rotundæ, paululum ppidò protentæ, primùm virides & glabræ, ſed ubi maturuere cortice ſunt glabro, ac nigredine itenti, carne in cœruleum inclinata, oſſicula duo, plana & elonga ſi coaluere, aliàs ſingulæ ſin-ula, continentes. In ramulis umbellæ inferioribus fructus prodeunt, dum ſuperiores gemmis ad-uc aut floribus exornantur. Eſtq; ipſa umbella ob varietatem quod ad flores, gemmas & fructus, ſui gratiſſima.

Montanis delectatur locis, provenítq; in *Candenate* & *Mangetti*. Arbor ipſa omnibus horis bac-fera eſt: aliæ enim matureſcunt, aliæ turgeſcunt, aliæ florent. ***Locus.***

Hujus radix ſolummodo ad Serpentium Scorpionumq; morſus valet. ***Vires.***

SECTIONIS

SECTIONIS III.

MEMBRUM SECUNDUM.

De Arboribus bacciferis fructu tripyreno.

CAP. I.

De Alaterno.

ALaternus à Phillyrea differt foliis in ramis & ſurculis alterno ordine ſitis, non binis oppoſitis ut in illa: baccis tricoccis, cùm in illa monococcæ ſint; quamvis externa facie ſatis ſimiles ſunt, & uterque perpetua fronde. Noſtrates perperam Alaternum Phillyream vocant.

1. *Alaternus major & minor* Park. *Alaternus Plinii & Alat. humilior* Ger. *Spina Bourgi Monſpelienſium & Alaternus* J. B. *Philyca elatior & humilior* C. B.

Cluſ.

Alaterni fruticis ſemper virentis duo genera ſunt (inquit Cluſius) Unum arboreſcens interdum, longis ramis, non admodum craſſis, neq; in multas alas diviſis, flexilibus deinde virgultis, quæ externo cortice candido, vireſcente integuntur, latente ſub eo membrana quadam flaveſcente, quæ lignum ambit. Ramos veſtiunt incondito ordine diſpoſita *folia,* media inter Oleæ atque Ilicis folia, magnitudine, leviter per ambitum ſerrata, craſſiuſcula, ex viridi nigricantia, guſtu ingrata, & cum amaritudine paululum mordicantia. Ad ſingulorum foliorum quæ in ramis naſcuntur exortus flores Oleæ ſimiles, coloris ex herbido palleſcentis, racematim ex oblongis pedicellis dependent. Vere, interdum etiam media hyeme. Nullum in hoc fructum vidi.

Alterum multò humilius eſt, ramis brevioribus, cortice qui hos ambit ex albo viridi & purpuraſcente coloribus ſimul mixtis infecto. *Folia* illi ſuperiore minora, magis circinatæ rotunditatis, in ambitu etiam ſerrata.

Ex foliorum alis *flores* longiuſculis pediculis dependent, ut in ſuperiore, illis tamen majores, & coloris magis herbacei; quibus ſuccedit *fructus* racematim cohærens Lentiſcini magnitudine, initio viridis, deinde nonnihil rubeſcens, qui tribus nucleis conſtare videtur. Pleniorem & nigri coloris maturitate fieri arbitror. J. Bauhino *Baccæ* parvæ, nigræ, rotundæ, in quibus ſemina tria, ità ut exſiccatæ baccæ tricoccæ videantur.

Locus. Primum genus Ulyſſipponenſi agro locíſque vicinis in Luſitania obſervavit Cluſius: Alterum etiam iiſdem locis, præterea multis Bæticæ; tum Granatenſi regno & Valentino. Nos in Italia, præcipuè ad Mare inferum, necnon circa Monſpelium in collibus ſaxoſis frequentem obſervavimus: Foliorum magnitudine, figura & inciſuris multùm variat, quinetiam magnitudine & ſtatura, pro ratione loci in quo creſcit: ut ſpecie differre vix putem Alaternum primum & ſecundum Cluſii.

Usus. Fatetur Cluſius utriusq; ſui Alaterni nullum ſe uſum noviſſe: ſed Luſitanos aſſeruiſſe ejus cortice in aqua decocto piſcatores ſua retia ſubrutilo colore inficere: & tinctores è fragmentorum ligni, quod pallet, decoctione nigreſcentem è cœruleo colorem conciliare.

Quamvis autem arbuſcula hæc ob medicas vires celebris non ſit, ob celerem tamen auctum, perennem nitidæ & velut perpolitæ frondis virorem; quódq; tonſuram facilè admittat, & hyemes etiam noſtras, non nimis aſperas patienter tolerat, ornatûs & ſpectaculi gratiâ, in viridariis noſtris ſtudioſè colitur. Seritur autem ſemine commodiſſimè, vel etiam ramulo terræ infixo.

Vidimus olim in horto Regio Pariſienſi duas Alaterni varietates, alteram foliis ex albo, alteram foliis ex luteo variegatis. Habentur & in horto Leydenſi D. *Hermanni.* Idem Hortus habet Alaternum ſeu Phylicam foliis anguſtioribus & profundius ſerratis.

2. *Alaternus latifolia Celaſtrus dicta* Herman. Hort. Leyd. *Celaſtrus Theophraſti* Cluſ. cur. poſt. C. B. Park.

Cluſ.

Humanam ſuperat altitudinem, firmóque & duro caudice conſtat, atque in frequentes ramus diviſo, qui dum novelli ſunt viridi cortice integuntur, annotini verò fuſco. Numeroſa habet *folia,* ex adverſo ſemper naſcentia, denſâque ſerie congeſta, ſupina parte ſaturata viriditate prædita, pronâ autem dilutiora, perennia, hoc eſt, quæ non decidunt niſi novis & recentibus jam natis, ut in arboribus perpetuò virentibus plerunque accidere ſolet. Splendent verò præ lævore ea folia, nec Alaterni foliorum magnitudinem ſuperant, imò pleraque ſunt illis minora, præſertim annotina, quæ ramulorum infimam partem occupant ſive veſtiunt, nec in ambitu ſunt crenata, præſertim novella, quæ crenarum quandam formam habere videntur, attamen verè crenata dici nequeunt: amariuſculi ſunt ſaporis. In novellorum ramulorum extima parte inter folia naſcuntur uncialis longitudinis petioli, ſuſtinentes quinque aut ſex parvos *floſculos,* quatuor plerunque aut quinque foliolis ex flavo vireſcentibus conſtantes, ſuaviter odoratos, racematim Lentiſci floſculorum modo diſpoſitos, non ut Tini aut Sambuci umbellæ inſtar expanſos, qui ſerò admodum aperiuntur, & nonniſi extremo Autumno aut Hyemis initio, imò etiam quando mitior aura veris initio. Hactenus Cluſius, quibus addit Pet. Paauwius, Arbor hæcin horto Leydenſi Anni 1610. menſe Junio fructûs rudimentum oſtendere cœpit, producens brevem pediculum, cui adhærebat bacca, Myrti baccis magnitudine ſimilis. Hæc quamdiu in accretione erat, viridem, juſtam adepta magnitudinem rubrum exhibebat colorem, qui paullatim ex puniceo corallinus reddebatur, adeò ut Aſparagi maturam baccam (de minoribus loquor) te videre dixiſſes. Arridebat gratiſſimo hoc colore ad Auguſti uſque initium bacca; tunc etenim paullatim corrugari incepit cutis ſive exterior ſuperficies, ſimúlque colorem mutare, ac ex rotundo oblongus fieri incepit, fuſcedinem namque contrahebat, tandémque adustam nigredinem. Poſtquam decidiſſet repertum intus ſemen unicum, oblongum, quodammodo triangulare, uvarum vinaceis admodum ſimile: cujus cortice (durior is erat & quodammodò oſſeus) diffracto prodiit granum quoque unicum, tectum membranulâ crocei coloris, eâque ablatâ medulla ſive caro, durior, albicans, ei ſimilis quam nux Avellana oſtendere ſolet.

Ramis porro facilè pangi certum eſt.

Hæc arbor in horto Academico Leydenſi colebatur, unde delata non dicit Cluſius.

Si conſtans ſit huic fructui unicum duntaxat ſemen continere ab Alaterno genere diverſa erit ejus parens.

Cap. II.

De Sambuco.

SAmbucus Ἀκτῆ Græcis à Sambuca muſico inſtrumento, quod alii pectida, alii magadin vocant, dicta putatur. Alii ab autore cui nomen Sambyx denominatam malunt. Nobis vox incertæ originis eſſe videtur.

Sambucus flore & fructu in umbellas aut racemos compoſito, foliis alatis, ramis medulla plurima rctis pauco ligno ab aliis arboribus facile diſtinguitur.

A. 1. *Sambucus vulgaris* J. B. Park. *fructu in umbella nigro* C. B. *Sambucus* Ger. **Common Elder.**

J. B.

In arboream proceritatem excreſcit, caudice plurima parte lignoſo, in quo exiguum admodum medullæ, tamen ſatis fragili findique facili, quandoque ramis ſuis fruticoſa permanet, cortice ſcabro, rimoſo, cinericeo colore ſordeſcens. Rami tamen & baculi, præſertim juniores, geniculis ex ngiuſculo intervallo articulati, materie pauca conſtantes, medullâ plurimâ albâ, eâque leviſſimâ rcti, quorum cortex lævis, dilutè cinereus & quaſi argenteus, ſed nuper exeuntium viridans. Cinereo ſubeſt alius, lignum immediatè inveſtiens, Medianus Officinis dictus, totus herbidus ac virens, ervoſus tamen, ſuis fibris neutiquam carens, quorum etiam materies caudici duritie multùm cedit, agíſque exalbida; Ramos patulo obſitu *folia* veſtiunt, terna aut quina, interdum ſeptena, rarò nona ad coſtam unam annexa, oblonga, acuta, ſerrata, atrovirentia, guſtu amaro, & neſcio quid oprii ac nauſeoſi habente, odore gravi, viroſo, ſed contuſorum gratiore. *Flores* in patula umbel- , non ingrati odoris, albi, pentapetali, totidémque ſtaminibus ad luteum vergentibus & umbilico, guo petiolo innixi, & horum rurſus grandiuſculo, donec tandem omnes in unum communem ac ignem coeant. *Baccæ* initio virentes, per maturitatem atro-purpureæ, ſuccum concolorem red- nt, grana continentes exigua, plana, oblonga, communiter terna. In extremitatibus ramuſculo- m, & ad pediculos florum ſolent ſæpe naſci velut pediculi nigri. Multos ſtolones emittit è radice.

Locus & Tempus. Aquarum accola eſt, ut obſervat Theophraſtus: Apud nos autem non tantùm juxta aquas ſed ad macerias & ſepes, aliíſque ruderatis & incultis locis naſcitur, præſertim humectis & umbroſis. Maio oret, interdum adhuc Junio: Baccæ matureſcunt Autumno. Gemmas & folia tempeſtivè admodum protrudit, nimirum Martio & Aprilis initio.

De viribus & uſu Sambuci integrum librum conſcripſit Martinus Blockwitzius, cui titulus *Anatomia Sambuci.*

Vires. Cortex Sambuci interior [Medianus Offic.] educit ſeroſos humores, unde & Hydropicos juvat. uriones ſeu folia tenera in vino decocta, aut in acetariis ſumpta non perinde ſunt efficacia, & becillioribus magis conveniunt. Iidem in pulverem redacti, & ex jure Piſorum poti duram alvum olliunt. Cortex interior ambuſtis impoſitus ad ardorem igneum extinguendum utilis eſſe perhi- ur: Dioſcorides folia recentia molliáque illita ex polenta ad ambuſta commendat. Actuarius am ad recens ambuſtum Sambucum imprimis laudat.

Flores diſcutiunt, emolliunt & reſolvunt, ſudoriferi ac anodyni ſunt. Uſus præcip. intrinſecus in yſipelate præcavendo & abigendo, quartana curanda. Extrinſecus in colico dolore, in Eryſipe- e combuſti, &c. (impoſiti) *Schrod.*

Florum umbellam (inquit J. Bauhinus) domeſtici noſtri polentæ immergunt, frigunt, gratúmq; e parant edulium ac ſalubre. Poſſunt etiam cibo aliquo permiſceri, vel cum ovis frigi; nam blan- dejectionem moliuntur. Reſiccati verò flores ſimul cum humiditate purgandi potentiam amit- t, digerendi & attenuandi retinent. *J. B.*

Acetum in quo flores macerati ſunt in cibis ventriculo gratum, appetentiam excitat, craſſos cru- ſque humores incidit & attenuat.

Baccæ itidem Sambuci alexipharmacæ ſunt & ſudoriferæ. Spiritus è baccis elicitus inter præcipua eſt diaphoretica; itémque antifebrile nobiliſſimum. Vinum ex eorundem ſucco vel mero, vel cum vino albo aut Rhenano compoſito mira præſtat in hydrope. *D. Needham.* Scribit Camerarius ſuccum acinorum admixtum juſculo gallinæ, in quo multum radicis Petroſelini decoxerit, & expreſſum plurimum conferre hydropicis.

Nuclei ſive ſemina Sambucina abſtergunt ac per alvum & vomitum purgant vehementer.

Decoctum corticis mediani Sambuci vel Ebuli cum Syrupo Papaveris ad ſudores movendos valet. N. Narcotica diureticis vel diaphoreticis addita ſudores magis promovent, ut patet in theriaca & mithridatio cum opio. *D. Bowle.* Ad pedum inflationes. ℞ Folior. Sambuci q. v. coque in oleo cum ſale, & fove.

Ad Arthritin, ℞ folia Sambuci, immittantur in ollam vitreatam, adeò ut ſine plicaturis ollam impleant, optimè ſæpe premendo: tege operculo; per annum ſub terra reconde: in ſuperiori parte cruſta deprehendetur, in inferiore oleum, quo nihil efficacius, ſæpe probatum. *Flores* ſaccharo conditi ad idem valent. *D. Hulſe* è MSS. nondum edito.

Sambucus ventriculo minùs nocua eſt quàm Ebulus. *Folia* etiam non ità fœtent, baccæque non tantam evacuandi vim habent.

Succo inſpiſſato è baccis Germani crebrò utuntur ad movendos ſudores, & pueris etiam præbent cum pane: quo & quidam non infeliciter uſi ſunt in iis qui ad hydropem proclives fuere. Coquuntur baccæ ex aqua, & cribro tranſmittuntur, denuóque coquuntur ad ſapæ conſiſtentiam.

Prunus in Sambucum inſita, (ſi Camerario credimus, qui ſe expertum ait) quamvis non facile comprehendat, fructus fert purgantes. Nobis neutrum veriſimile, neque Prunum in Sambucum inſitam comprehendere; neque ſi comprehendat fructum purgantem ferre.

Contra Eryſipelas apud noſtrates in frequenti uſu eſt fotus ex aq. Sambuci part. ij. & Sp. Vini part. j. Ratione & experientia ejuſmodi praxis nititur; quippe Sp. Vini aptus eſt in naturalem ordinem reducere ſubtilitate ſua & particularum motu diſtortos cutis tubulos & fibras. Porro Eryſipelate affectæ partes hoc medicamento ſæpiùs levamen notabile ſentiunt. Antonius de Heyde Obſerv. 16. Vulgare eſt hoc medicamentum Londini. Ego ſæpiùs uſus ſum aq. flor. Sambuci cum oleo Sambuci mixta & conquaſſatâ, bono cum ſucceſſu; interdum addidi ſp. è baccis Sambuci. Non raro etiam oleo Sambucino & Vino Canarino mixtis & conquaſſatis Eryſipelate affectos curavi. Communicavit *D. Hulſe*, ſæpe in hoc opere dictus, ſæpe dicendus.

Ad febrem quotidianum, ℞ Cortic. rad. Sambuci ℥j. Aſari ʒ iij. Cinnamomi ʒi. ß. coq. in lacte & propinetur paroxyſmo incipiente. Movet ſimul & ſemel vomitum & ſeceſſum. Cheſneau è Quercetano. *Idem.*

Ad combuſtionem ℞ cortic. Median. Sambuci, quæ viridis eſt, q. v. decoque in oleo quouſq; contabeſcat, add. ceræ parum, ità ut unguentum maneat lucidum; quod pluries ſum expertus. *Cheſneau. Idem.*

Hortus Edinburg. *Sutherland.* habet Sambucum humiliorem fruteſcentem foliis eleganter variegatis.

A. 2. *Sambucus fructu albo* Ger. Park. *fructu in umbella viridi* C. B. *Sambucus acinis albis* J. B.

J. B.

Jam deſcriptæ quoad frondem, flores & materiam ſimilis eſt, niſi quod odorem attinet ad Ebulum quodammodo accedere videatur. At inſignis differentiæ nota eſt, quòd acinos ferat albos. Tragus ex candido luteos dicit, ac in cæteris vulgari ſimilem, nec multis viſam putat.

Variat (inquit C. Bauhinus) baccis viridibus, in aliis albis vel ex albo flaveſcentibus.

Sambucum baccis albis in Angliâ obſervavit ingenioſiſſimus Vir & eximius Botanicus *D. Leonardus Plucknet M. D.*

3. *Sambucus laciniata* J. B. *foliis laciniatis* Ger. Park. *laciniato folio* C. B.

Foliis multifariam fiſſis & valdè laciniatis à vulgari Sambuco differt. Flores alioqui & baccæ ei ſimillimæ.

Datur & Sambucus humilis ſive Ebulus folio laciniato *C. B.*

4. *Sambucus racemoſa rubra* C. B. Park. *racemoſa, acinis rubris* J. B. *racemoſa vel cervin* Ger.

J. B.

Quanquam cum vulgari Sambuco multa habeat communia, ſic ut floribus & baccis vidua in Botanica non verſato facilè imponere poſſet, foliis tamen eſt paulò minùs fœtidis. At in flori & baccis clariſſimum diſcrimen. *Flores* enim nullam umbellam faciunt, ut in vulgata, ſed in cemum oblongum digeſti, ſtellati, colore ex albido in luteolum languente. *Baccæ* conſimili mo racematim frequentes ſuccreſcunt ex rubentibus pediculis, ipſæ quoque per maturitatem coccin injucundi planè ſaporis, ex quibus novæ plantulæ ſi ſerantur progignuntur.

Locus. In Alpibus Carinthiacis, montibus circa Genevam, & ſylvis juxta maximum Carthuſianor cœnobium obſervavimus. Naſcitur enim in montoſis & algentibus locis, maximè in opacis u noſiſque ſylvis, Burgundiacis, Lotharingicis, Germanicis, &c.

Eoſdem cum Solano ſitus occupare obſervat Tragus; unde intelligi poteſt fructus hoſce frigi ris eſſe qualitatis. Camerarius quoq; teſtatur frigidas eſſe baccas, ſoporoſos reddere edentes, tùmque eorum uſum eſſe noxium; cui etiam ſubſcribit Lobelius.

Cervam Sambucum racemoſam ſicut & Solanum lethale magno deſiderio inquirere ſe didiciſſe cribit Tragus. Ubi namque locorum eas ſtirpes provenire intellexit eò ſe confert. Hiſce cervus nicè delectatur, folia utriuſque non baccas decerpens, &c.

Præterea, (quod non minùs admiratione dignum eſt) obſervavi Cervum ſolum foliis harum lantarum veſci, non autem Cervam, niſi ea prægnans fuerit, & Cervum in utero geſtaverit, tum nim, &c. *Trag. lib. 3. cap. 24.* Sanè apud me fidem non inveniunt quæ Tragus hoc in loco ſcripſit, uamvis ſe expertum affirmet: nec video quomodo hæc potuerit obſervare.

A. 5. *Sambucus humilis ſive Ebulus* C. B. *Ebulus ſive Sambucus humilis* Ger. Park. *Ebulus ſive Sambucus herbacea* J. B. **Dwarf-Elder, Wall-wort, or Danewort.**

J. B.

Arbor non eſt, at neque frutex, ſed veriùs herba, adeò tamen Sambuci æmula, ut illius nomen, milæ adjectione, apud Græcos, ſub voce χαμαιάκτη promeruerit. Raró hominis ſtaturam aſſequi-, magna ex parte ſeſquicubito non altior, caule herbaceo, ſtriato, Sambuci ritu medulloſo, hiber-menſibus contabeſcente: ad quam accedunt & *folia* ordinatiùs diſpoſita, è tribus quatuórve con-ationibus ad rachim annexis, imparíque extremo folio compoſita; odore graviore; quorum gularia Sambucinis longiora, acutiora: pares tamen umbellæ albæ floſculorum quinquepartitorum, ratorum, & neſcio quid nucleorum Perſicorum magmatis ſpirantium, ſed eſu vix ferendorum, fer-ineis *apicibus*, quos *ſtamina* ſuſtinent candida: quibus fatiſcentibus acini ſuccedunt, per maturitatem ri & torulis multis anguloſi ante maturitatem, & pænè trianguli, poſt verò magis rotundantur, co ſuo manus rutilâ quadam purpurâ inficientes, *ſemina* continentes terna, altera parte gibba, al- anguloſa. *Radix* longa, digitalis craſſitudinis, non lignoſa, latè ſparſa.

Ad vias publicas, ínque agrorum limitibus & cœmeteriis non raró occurrit. Floret Junio & Julio: cas Auguſto & Septembri maturat. *Locus & Tempus.*

aſdem dicitur obtinere vires quas Sambucus, eáſque efficaciores. Cortices & ſeminula vim ha- educendi aquam. Conferunt igitur in hydrope, arthritide, cæteríſque morbis à ſero ortis. Ad opicorum aquas educendas ab omnibus fere botanicis celebratur radicis & ſeminum decoctum. m quoniam vehementiùs purgat, corrigi debet. *Vires.*

fuſum cort. rad. Ebuli valdè violentum eſt, decoctum minus. Cocturâ, auctore Fernelio, vis purgandi perit & exſolvitur. Poſt radicem (inquit Caſp. Hofmannus) ſunt acini & ſemen Ebuli. aſparagos & folia etiam mitiora eſſe.

Ebuli non minùs quàm Sambuci contuſa folia & impoſita ambuſtæ parti eam perſanant.

Ad podagricos dolores leniendos valent & folia in lixivio cocta, atque exteriùs applicata in fo-tis, ut nos etiam in parte experti ſumus. Idem ſed efficaciùs præſtat oleum ſeminis per expreſ-em.

Acini ejus, ut & Sambuci tingunt capillum.

Ad Lienis affectus, ℞ Aq. ſtillat. radic. Ebuli, Cape circiter ℥ iiij. per decem aut duodecim manè jejuno ventriculo. Eſt experiment. D. Du Val D. Medici in doloribus, inflationibus & ructionibus Lienis. *Cheſneau.*

C. B. habet Ebulum fol. laciniatis, quam Pona Ital. ex horto Nobiliſſimi Contareni ad eum mi- Vide Ponam. In Horto Regio Pariſienſi hodiè culta eſt.

CAP. III.

Pee-Tsjerou-Ponnagam H. M. P. 5. T. 23. p. 45. *baccâ tricoccâ.*

H. M.

MAjor Ponnagam ſpecies eſt, altiúſque excreſcit, cæteroqui ei valdè ſimilis. *Fructus* tamen à præcedentium ſpecierum fructibus quodammodo differunt. Sunt iidem *baccæ* tricoccæ, hoc eſt, ex tribus globoſis lateribus conſtantes, ac ſi ex tribus globulis unitis ſint formatæ, di-flaveſcentes, lanuginoſæ, tria diſtinctis loculis *ſemina* continentes, ſubrotunda, nitentia, Nu- intus candido.

Naſcitur montanis Regni Malabarici locis, præſertim in *Canjoer*: ſemper viret, quotannis floret naturos exhibet fructus, menſe circiter Auguſto. *Locus.*

CAP. IV.

Baccifera Indica floribus umbellatis, fructu rotundo tricocco. 1. *Karetta-Amelpodi* H. M. P. 5. T. 33. p. 65.

H. M.

ARbuſcula eſt humilis, ſeptem circiter pedes Geometricos alta, *caudice* tenui, albicante, furvo cortice obducto, ramulíſque viridi-fuſcis & geniculatis pluribus donato. *Radix* fibrata, nigricans, amara. *Folia* geminata circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, a, denſa, mollia, glabra, ſupernè atro-viridia & ſplendentia, infernè ſubviridia, inodora, inſipi- *Floſculi* candidi extremis ſurculis numeroſi proveniunt, porrectíſque columellis umbellæ ſpecie luntur, quinque craſſis, acuminatis, intus candidis, extus rubeſcentibus lineolis ſtriatis foliolis tantes, quinque *ſtaminulis* albicantibus, ſubrubeſcentibus *apicibus* ornatis, mediam floris cavita- & umbilicum occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit purpureus, ſupernè bifidus. Floribus mar-entibus aut decidentibus, eorum umbilici in *fructus* excreſcunt; *Baccas* viz. tricoccas, rotundas, e viridi-fuſco ſtriatas, ac nitentes, inodoras, inſipidas.

Vires. Creſcit locis arenoſis & petroſis in *Betsjour & Calecut.* Semper viret, quotannis floret fructúmq; fert, menſe circiter Auguſto.

Locus. Foliorum in aqua communi decoctum ſi exhibeatur, colicum dolorem potenter mitigat. Radix antidotum habetur adversùs Serpentum ictus morſúſve, ſi in pera tantùm geratur. Ex foliis & radicibus in oleo Olivarum coctis linimentum paratur, quod magnos tumores potenter digerit reſolvitque.

Præcedentis minor ſpecies

2. *Katou Bellutta-Amèlpodi* H. M.

Superioris ſpecies eſt, ſed humilior, alioquin ei valdè ſimilis, niſi quòd Radix albicans ſit. Flores candidi omnino.

Locus & Tempus. Creſcit locis montanis & ſylveſtribus in *Perate-vidi,* ac aliis Regni Malabarici locis. Quotannis floret fructúmque fert, Julio viz. & Auguſto menſibus.

CAP. V.

Frutex Braſilienſis baccifer fructu umbilicato tricocco, Juniperino ſimili. Manaca Marcgrav. Piſon. *Marcgr.*

FRutex eſt arboreſcens, cortice griſeo, ligno mediocriter duro, ſed fragili, qui in multos ramos diſpergitur, & hi itidem in ramulos inordinatè poſitos, in quibus ſunt *folia* Pyri junioris foliis ſimilia, dilute viridia, in frondes quaſi diſpoſita, nervo ſecundùm longitudinem & venulis tranſverſis vix conſpicuis. Fert *florem* ſolitariè poſitum, è longo calyce prodeuntem, Stuferi Hollandici magnitudine, in quinque *folia* diſſectum, *ſtaminulis* parvis in medio. Flos coloris eſt dilutè purpuro-cœrulei, vel etiam albi, nam in uno eodémque frutice albi & cœruleo-purpurei flores reperiuntur, ſuavis odoris inſtar Violarum Martiarum. *Fructum* fert magnitudine inſtar * uvæ ſpinæ, viridem, rotundum, cortice griſeo tectum qui ſuperiùs quinque fiſſuras habet, ut fructus per fiſſuras ſtellam quinquangularem repræſentet: continet in ſe tria grana ſeminis, magnitudine Lentis vel etiam majores, figuræ ellipticæ. *Radicem* habet magnam, ſolidam & albicantem, cujus medulloſa ſubſtantia in pulverem redacta magna in Medicina pollicetur & præſtat: verùm quoniam corpus nimis violenter ſupernè & infernè moveat non ſecus quàm Scammoneum vel Eſula non niſi robuſtiſſimis hominibus exhiberi ſolet, idque additis correctoriis tum & juſta obſervata doſi: amarore & acore non planè deſtituitur. Eadem in aquis macerata lavacra ſuppeditat, quibus vagis articulorum doloribus ex frigore potiſſimùm natis medentur. Inter vulneraria quoque à Braſilienſibus uſurpatur.

** Juniperi baccæ ſimilem.*

Vires.

CAP. VI.

Frutex baccifer Indicus ſpinoſus, trifolius floribus ſpicatis, fructu plano-rotundo tricocco. Kaka-Toddali H. M. *P.* 5. *T.* 41. *p.* 81. *H. M.*

ARbuſcula humilis eſt, multíſque ramulis rotundis, longè latéq; diffuſis ornata, qui cortice atro-viridi cincti, & ſpinis inſuper numeroſis, brevibus, rigidis, acutíſque muniti ſunt. *Radix* fibrata, atro-purpurea, graveolens, urens, ac cauſticam vim habens. *Folia* terna ſimul juncta, longis ac ſpinoſis petiolis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu crenata, craſſa, denſa, glabra, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia; nervis aliquot è coſta media albicante, & in averſa parte altè extuberante, ſpiníſque rigidis obſitâ, in latera excurrentibus: odor fortis, ſapor amarus, urens. *Floſculi* graveolentes, candidi, è foliorum alis & ſummis caulibus ſpicatim exeunt, quinq; acuminatis ac expanſis foliolis conſtantes, totidem albicantibus *ſtaminulis*, rufeſcentibus *apicibus* donatis, medium occupantibus; inter quæ *ſtylus* prodit brevis, ſurrectus, cuſpidatus. Floſculis ſuccedunt *Baccæ* plano-rotundæ, tricoccæ, virides primùm, dein ſubfuſci coloris: intus continentur tria *Semina* oblonga, ſpadicea, ſaporis acris urentíſq;, membranaceis quibuſdam pelliculis à ſe invicem ſejuncta.

Locus & Tempus. Naſcitur in toto Regno Malabarico, locis viz. ſylveſtribus; ſemper viret, maturos fert fructus Auguſto & Septembri menſibus.

Vires. Ex radice & viridibus fructibus in oleo frixis linimentum paratur contra dolores Arthriticos. Ex foliis in aqua coctis Balneum conficitur ad cachexiam, anaſarcam, pedum tumores œdematoſos, ſimiléſque affectus, ex abundante ſero natos, tollendos.

SECTIONIS III.

Membrum Tertium.

De Arboribus & Fruticibus bacciferis, fructu tetrapyreno ſeu tetracocco.

Cap. I.

De Vite vinifera.

VItis non à vino, ut voluit Varro quatuor de L L. ſed ut * Donatus à *Viere*, quod Feſtus
alligare, Nonius interpretatur, *vincire* & *inflectere*. Sanè Vitis lenta eſt faciléque inflecti-
tur, unde & ea centurionum erat inſigne, quo milites cædebant, uti oſtendit *Voſſius* in
molog.
inum à vi, ut quidem ſcribit Varro quatuor de LL. Sic autem dicitur quia vim inferat menti:
Plinianum illud, *Sapientiam vino obumbrari*. Aliis placet Vinum dici quaſi vitinum à Viti. Ego
Voſſio in Etymologico planè cenſeo *Vinum* dici ab οἶνος, οἶνος verò eſſe à Punico & Hebræo
quod & ſenſit doctiſſimus Angelus Caninius. *Etymolog. Voſſ.*

* *In Eunuch. Act.* 4. 4.

J. B.
otior eſt (inquit J. B.) Vitis Vinifera quàm ut deſcribi debeat, ſed gratificemur frigido ſubje-
eptentrioni: ut vel lectione noviſſe diſcant notiſſimi etiam ipſis nectarei liquoris parentem,
nihil abjectius intuenti videri poſſit, alienæ opis indiga, ridicarum & pedamentorum admi-
o innitens, tortuoſo ſtipite, fuſco rimoſóque cortice hiulca, quæ ubi tepidiorem benignioris
auram ſenſit gemmas protrudit, in Pampinos poſtmodum, ut familiari illis comparatione utar,
ſalictarii abituros, minimè tamen inamœna illa aſpredine horridos, ſed læto virore ſplendentes:
diximus humo ſublata, capreolorum beneficio adminicula ſua complexa à contemptu vindi-
ſeſe it; *floſculorum* ſuaveolentium quinque fibrillis herbidis, luteolos apices ſuſtinentibus com-
ium [Cæſalp. floſculos parvos & candidos ut Oleæ ei attribuit] racemis divitem colono ſpem
t uvarum, quas aliàs, nè colori putes obligatam generoſitatem, ochrâ, aliàs rubrica, aliàs
e tinctas, aliiſve coloribus inſignes producit; tanta talíque ſaporum viriúmque varietate quan-
qualémque tam adverſa quam ſecunda valetudine quotidie experimur. Florem (addit Cæſal-
) non in ſummo fructu ſed in ſede habet, ac plura ſemina in communi conceptaculo: Brevi
ore in magnam altitudinem creſcit, ità ut niſi crebra amputatione coërceatur multitudine viti-
um luxurians ſylveſcat. *Folia* fert ampla, variè laciniata ut Ficus, quos Pampinos vocant.
is Theophraſto, ut & Varroni, arbor eſt. Verùm cùm alienæ opis indiga, niſi in propinquo
quæ arripiat, humi provolvatur, Arboris nomen non meretur, quamvis caudex interdum in
ni cruris aut etiam femoris craſſitiem excreſcat. Priſci magnitudinis reſpectu arboribus an-
rabant, qua revera arbores nonnullas vincit. Plinium attendamus id demonſtrantem, Vol. 14.
Jovis ſimulacrum in urbe Populonia ex una [Vite] conſpicimus, tot ævis incorruptum: item
liæ pateram, Metaponti templum Junonis vitigineis columnis ſtetit. Etiam nunc ſcalis te-
Epheſiæ Dianæ ſcanditur Vite una Cypria, ut ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudi-
exeunt. Nec eſt ulli ligno diuturnior natura. Huc pertinent quæ de earum proceritate, ra-
m & palmitum mira extenſione & denſitate habet. Nullo (inquit) fine creſcunt. Villas &
s ambiri ſingularum palmitibus & ſequacibus loris memoriâ dignum. Una Vitis Romæ in
porticibus ſubdiales inambulationes umbroſis pergulis opacat, eadem duodenis muſti amphoris
da. Ulmos quidem ubique exſuperant: miratúmque altitudinem earum Aricia ferunt lega-
Regis Pyrrhi Cineam facetè luſiſſe in auſteriorem guſtum vini, *meritò matrem ejus pendere in*
lta cruce.

De Vitium magnitudine.

De Vitium generibus.

Bauhinus Vitem dividit in ſativam & ſylveſtrem. Sativa (inquit) alia major eſt, cujus plurimæ
s; alia minor. *Majoris* uvæ & colore & magnitudine differunt: Alterius namque acini aut
s albicantéſve, aut fulvi, aut ſaturato rubore nigricant, aut cœrulei, aut ſubrubentis coloris:
cinis oblongis magnitudine & formâ Prunorum, quæ *Pergulana* dici poteſt: aliæ rotundis iiſq;
agnis, vel parvis: aliæ acinis ſunt frequentioribus, aliæ rarioribus. Sunt quæ granis aut vina-
rent, interdum unicum vel alterum granum habent. Rarius uva barbata reperitur. *Minor*
ſt acinis nigris, rariſſimè albis aut fulvis, nucleo minimo ac molli. Sapore etiam differunt, ut
acerbo, muſcato, quæ Vitis Apiana Plinio.
oliis quoque differentia eſt, alia majora, profundiùs inciſa, ut Italica, foliis ad pediculum uſq;
nias acutas diviſis, alia minora ſunt. Sic alia tenuiora, alia craſſiora, alia viridia, alia rubentia,
aculata, alia ad tactum duriora, molliora, alia lævia, alia denique ſubhirſuta. Hactenus
hinus.

* L. 14. c. 1. De uvarum generibus breviter *Plinius, Uvarum genera magnitudine, colore, ſaporibus acinis innumera, etiamnum multiplicantur vino. Hic purpureo lucent colore, illic fulgent roſeo, niténtq; viridi. Candicans enim nigérque vulgares: Tument verò mammarum more bumaſti: Prælongis dactyli porriguntur acinis, &c.

Genera vitium innumera & infinita eſſe non ſecus ac Pyrorum & Pomorum apud Veteres etiam in confeſſo fuit, cùm (ut rectè Plinius) totidem pæne ſint quot agri, & nova indies producuntur & uſque producentur.

Columellæ & Plinii ævo celeberrimæ apud ipſos videri poſſunt. Utriuſque autoris conſenſu principatus datur *Aminæis* propter firmitatem ſenióque proficientem ubique vini ejus vitam. Quinque harum genera, &c.

Proxima dignitas *Nomentanis*, rubente materia, quapropter quidam rubellas appellavere vineas, &c.

Apianis apes dedere cognomen, præcipuè earum avidæ, &c.

Atque hactenus, inquit, potiſſima nobilitas datur peculiaribus atque vernaculis Italiæ. Cæteræ advenere è Chio Thaſóve. Verùm cum Plinii & Columellæ exemplaria in omnium manibus ſint, non opus eſt plura huc tranſcribere.

Nomina Vitium antiqua ſpeciebus hodie notis & ob nobilitatem præcipue cultis accommodare perdifficile foret nè dicam impoſſibile. Nos ergo, quibus nec otium nec facultas ſuppetit, id non tentabimus. Nonnullas tantùm vites quas inter ſe & ab aliis omnibus ſpecies diſtinctas eſſe ſuſpicamur proponemus.

1. *Vitis Corinthiaca ſive apyrina* J. B. *Uvæ paſſæ minores, vel Paſſulæ Corinthiacæ* C. B. *Uvæ Corinthiacæ* Park. **The Currant-Vine.**

Foliis eſt (autore C. Bauhino) rotundis, craſſis, ſubtus incanis, in pauciores lacinias obtuſas diviſis..

Lobelio Corinthia quæ vocatur uva, nomen patrium teſtata, effigie nihil planè differt à communi. Sed algidioris cœli impatiens, gracilitate tantùm racemorum & exilitate acinorum ſuperatur, qui gigartis carent, ſúntque ἀπύρηνα, ut quædam Mala Granata arillis vacua. Botri *enim ſive* racemuli ipſi conflantur acinulis Piperina aut Sambucina grana æquantibus.

Ebrodunenſis hiſtoriæ auctores huc etiam referunt Uvas paſſas Indicas gigartis carentes *C. B.* Quæ ſequuntur è D. Georgii *Wheeler* Itinerario tranſlata ſunt.

Uvæ à Corintho denominatæ circa urbem eam hodie non inveniuntur creſcentes, ab incolis forte neglectæ, quia deſunt mercatores quibus eas divendant, nec enim operæ pretium foret vites colere, non permittentibus Turcis naves majores *Sinum Corinthiacum* ingredi. Vites quibus innaſcuntur aliarum ſimiles ſunt, foliis duntaxat nonnihil majoribus. In *Zacyntho*, *Cephalonia*, *Nathaligo*, *Meſalongia* & *Patris* præcipuè coluntur, ubi tum incolæ ex earum mercimonio quæſtum faciunt uberrimum, tum Venetis ex earum vectigali ingentes reditus quotannis accedunt. Siquidem *Zacynthi* inſulæ ſolius annua vindemia quinq; aut ſex navigiis majoribus onerandis ſufficit: *Cephaloniæ* tribus aut quatuor: *Nathaligo*, *Meſalongiæ* & *Patræ* uni. Pretium in mille pondo Thaleri ſeu Coronati plus minus duodecim; tantundem etiam Venetis pro tributo ſeu portorio dependitur; qui ex hac ſola merce lucrari feruntur quotannis quantum Claſſi ſuæ inſtruendæ & alendæ ſufficiat. Uvæ quæ in his inſulis coluntur nigræ duntaxat ſunt, quamvis *Placentiæ* Italiæ hujus generis albas vidiſſe memini: Sunt autem omnes apyrenæ. Auguſto menſe cùm maturuerunt decerptas humi ſtratas rariore ſitu exſiccant: ſiccatas & à ſordibus repurgatas colligunt, & ad apothecas (*Serraglie* vocant) deportant eáſque per foramen in tecto ad id relictum uvis deſuper immiſſis ſeu infuſis ad ſummum uſque replent, ubi ſuopte pondere ſubſidentes adeo cohæreſcunt brevi, ut quando eximendæ ſunt ferramentis acuminatis effodi requirant. Cùm in dolia infercienda ſunt ut venundentur mercatoribus & aliò tranſmittantur, nudipes aliquis in vas inſilit, uváſque ſenſim immiſſas conculcando premit & conſtipat, ut in anguſtum coactis dolium plures capiat, & aere excluſo fructus diutius incorrupti durent. Hæc de vite Corinthiaca ad nos tranſmiſit D. *Tancredus Robinſon*.

2. *Vitis folio Apii* J. B. *laciniatis foliis* Park. **The Parſley-Vine.**

J. B.

Peculiaris folii forma hanc Vitem facile ab aliis diſpeſcit, quippe non tantùm plerunque mini Vitigineis vulgaribus, ſed & profundè diſſectum, ex pluribus quodammodo foliis apparatum vide poſſit, ſingulis ſegmentis in Apii foliorum formam ſubdiviſis, ità tenuiter, ut plurimis etiam vini ribus, quibus obtuli, non agnoſcerentur pro foliis vitium, rarâ ſane diviſurâ. *Botros* fert bos, donatos acinis ſatis magnis, non multùm compactis, ſed paulò rarioribus, valdè dulcibus ſapidis.

Varietas potiùs Vitis à ſatione initio orta quàm diſtincta ſpecies videtur: verùm quoniam ob el gantiam ſuam & raritatem ſpectabilis nec minùs ob uvæ præſtantiam jamdudum nobilitata & omnibus expetita ſit, ſine ſpeciali mentione & deſcriptione prætermittenda non fuit. In Catalo Vitium celebriorum à D. *Tancr. Robinſon* ad me tranſmiſſo hanc ſpeciem Canadenſem cognomi tam invenio. Quod ſi Canadenſis originis ſit, proculdubio non accidentibus quibuſdam ſed ſpecie à reliquis vitibus differt. Forte tamen ideo Canadenſis cognominata eſt, quia à Corn Canadenſium plantarum hiſtoriæ inſeritur.

3. *Uva paſſa major βούμαστος Græcis fortè* C. B. *an potiùs, Uvæ acinis oblongis magnitudine & forma Prunorum ejuſdem?*

Hæ magnitudine eximia, ſed præcipuè formâ Olivæ Hiſpanicæ aut Pruni æmula; ab aliis omnibus uvarum generibus facilè diſtinguuntur.

Hæ ſunt (ut puto) quæ ad nos ex Hiſpaniis Uvarum inſolatarum [**Raiſins of the Sun**] nomine deferentur. Eas autem hoc modo exſiccant, Botrorum ſeu racemorum quos ad hunc uſum deſtinant pediculos ad mediam partem tranſverſim incidunt, adeóq; ſucci nutritii magnam partem intercipientes impediunt ne ad uvas copioſe affluat ſed parcè admodum derivetur. Racemos ſemiſectos in vite pendentes relinquunt, donec paulatim calore ſolis & alimenti inopiâ exſiccentur: cum ſufficienter exſiccatos ſenſerint demetunt & in vaſa recondunt.

4. *Vitis ſylveſtris Virginiana* Park. *ſylv. Virginea* Park. **The wild Vine of** Virginia.

Labruſcis ſeu Viti ſylv. Europææ cætera ſimilis, acinis ſolis differt, qui minores ſunt, pauco ſucco, gigartis verò duplo majoribus. Harum tres ſpecies ſeu varietates ſunt, 1. Acinis albis minoribus. 2. Acinis majoribus cœruleis, acidioribus. C. Bauhinus è contra ex Hariot. deſcript. Virgin. Uvas tenues acerbas facit, majores dulces. 3. Vitis Vulpina dicta, cortice rugoſiore folio parum diſſecto ſed duntaxat ſerrato, acinis albis vulpem obolentibus & reſipientibus.

5. *Vitis ſylveſtris trifolia Canadenſis* Park.

Ortu & flagellis, necnon ſcandendo modo cum reliquis Vitibus ſylveſtribus convenit, foliis differt, dimidio minoribus, tripartitò duntaxat diviſis, ad pediculum uſque cui inſident oblongum, glabrum, pertingente inciſione, adeò ut terna videantur in unoquoque pediculo folia, craſſiuſcula, obſcurè virentia. Fructus ut in reliquis ſylveſtribus pauca carne, cute & vinaceis craſſis conſtat.

Uvarum genera in Anglia hodie maxime celebria, quibus comparandis & colendis Vinitores præcipuè operam dant, ſunt,

1. Moſchatellinæ albæ & rubræ, **The white and red Muſcadine.** Sapore dulci ſunt, carne firma & ſolida, tum acini, tum racemi maximi ſunt. Parkinſonus racemos nonnullos ſex libras pendentes obſervatos tradit, acinos dimidiam unciam.
2. Parvæ nigræ ſeu Corinthiacæ, **The ſmall black Grape, or Cluſter-grape, or Currant-grape.**
3. Uva Canadenſis ſeu Apii folio. **The Canada or Parſly-grape.**
4. Uvæ Frontinianæ duûm generum, albæ & rubræ ſapore ſunt delicato, quod vel vinum inde expreſſum declarat generoſiſſimum & moſchum redolens.
5. Aurelianenſe rubrum & nigrum, **The red and black Orleans.**
6. **The Raiſin of the Sun-grape.** Uvæ inſolando in vite pendentes exſiccari ſolitæ. Hæ maximis ſunt tum acinis, tum racemis; colore per maturitatem rubente.
7. **The Burlet-grape.** E maximis eſt, alba, omphacio magis quàm vino idonea. Æſtate tamen fervida matureſcens mitis & palato grata evadit.
8. **The Grape de Arbois.** Uvæ Arboſiacæ rubræ ſive nigræ *J. B.* à loco in Burgundia ejus ominis dictæ ſpectandæ pulchritudinis ſunt: acini magni, ſublongi, ovales, carne firma, dulces tamen. Difficulter matureſcunt, ideóque frigidioribus locis non conveniunt.
9. **The Burſarobe-grape.** Uva eſt alba, dulcis, ſpecioſa, præcipuæ æſtimationis circa ariſios.
10. **The Muſcate-grape.** Uvæ Moſchatæ, Apianæ Plinio, *C. B.*
11. **The Canary-grape.** Uvæ Canarinæ à Rheno huc tranſlatæ.

Dantur etiam Uvæ non tantùm cuticula exteriore nigra, ſed & ſucco interiore ex purpura nigrinte ſeu ſanguineo.

Quod ad locum attinet, Vitis (ut rectè Dodonæus) cœlo calido lætatur; æſtuoſiſſimum tamen n deſiderat, frigidum verò & glaciale non ſuſtinet. Eleganter Columella, Vitem nos cæteris ſtiibus jure præponimus, non tantùm fructûs dulcedine, ſed etiam facilitate, per quam omni pæne gione, & omni declinatione mundi, niſi tamen glaciali vel præfervida, curæ mortalium reſpon-: támque felix campis quàm collibus provenit, & in denſa non minùs quàm reſoluta, ſæpe etiam cili atque pingui terra, ſiccâque & uliginosâ. Deinde quæ cui regionis ſtatui cœli ſolive rectu tum genus Vitis, tum cultura conveniat exponit, quæ apud ipſum requirenda omitto. **Locus.**

At ſi voto (inquit) eſt eligendus vineis locus & ſtatus cœli, ut cenſet veriſſimè Celſus, optimum ſolum nec denſum nimis, nec reſolutum, ſoluto tamen propius nec exile, nec lætiſſimum, proxim tamen uberi, nec præceps, ſimile tamen edito campo, nec ſiccum, nec uliginoſum, modicè en roſcidum, quod fontibus non in profundo terræ ſcaturiat, ſed ut vicinum radicibus humorem miniſtret, eúmq; nec amarum, nec ſalſum, nè ſaporem vini corrumpat. Cœlum porro neque iale vinea, nec prorſus æſtuoſum deſiderat, calido tamen potiùs quam frigido lætatur, imbrimagis quàm ſerenitatibus offenditur, & ſolo ſicco quàm nimis pluvio eſt amicior: perflatu molenique gaudet, procellis obnoxia eſt. Hactenus Columella.

Quò regio calidior eſt eò Uvæ feliciùs matureſcunt, & ſucco meliùs concocto vinum generoſius ent, modò calor non ſit intenſior quàm ut eum vitis toleret, ut in Indiis, Arabia felice, Ægypto regionibus intra vel prope Tropicos jacentibus. Hinc in Hiſpania, Gallia Narbonenſi, Italia, Sicilia uber eſt potentis vini proventus: in frigidioribus, ut Galliæ parte Septentrionali & Belgio vinum tenuius eſt & oligophorum. In Anglia, ubi vites palmitibus luxuriant, & uvarum etiam feraciſſimæ ſunt, ob defectum tamen caloris ſuccus plerunque crudior eſt & acidior quàm ut ex eo vinum fiat; niſi vites parietibus affixæ, hinc Soli meridiano expoſitæ, radiorum tepore reflexione reduplicato foveantur, inde à ventis Septentrionalibus & Orientalibus parietum objectu defendantur; aliáſve in colle ad Meridiem prono & à prædictis ventis tuto ſtatuantur.

De Vineis inſtituendis, de ſeminum electione, déque Vitium paſtinatione, poſitione, pampinatione, ablaqueatione, putatione, reliquâque cultura prolixè agit Columella, aliíque rei ruſticæ ſcriptores, ad quos Lectorem remitto.

Vites autem, pro loci genio, vel 1. arboribus maritantur, ut olim Ulmis & Populis; Nunc dierum in Lombardia Italiæ agros frumentaceos adeò denſis arborum ordinibus conſerunt ut deſuper intuenti ſylvæ videantur; juxta ſingulas arbores vitem ſtatuunt, quæ ramos ejus conſcendat; Vitium autem palmites ab arbore ad arborem traductos ſibi invicem connectunt. Inter arborem ordines triticum ſerunt, ut agri triplicem producant meſſem, frumenti, uvarum, ligni. Hujuſmodi vites *Arbuſtivæ* Veteribus dictæ ſunt. Vel 2. Pergulas & ambulacra opacant unde *Pergulanæ* dictæ. 3. Vel tribus jugis incumbunt, quæ pedamentis canteriiſque tranſverſis conſtant, iiſque vel directis tantum, vel in latitudinem etiam fuſis, cujuſmodi vites *Compluviatæ* dicuntur. Vel 4. palis perticíſque firmantur; altitudine humana aut alicubi etiam majore: cujuſmodi vineas in Germania ſecus Rhenum & alibi plurimas vidimus; quæ lupuleta noſtra apprimè referrent, ni perticæ humiliores eſſent.

Denique nonnullis in locis, ut circa Monſpelium, ſtat per ſe vitis ſine ullo pedamento. Stipites vix excedunt cubitum, & palmites veteres fere omnes quotannis abſcinduntur. Novi autem herbarum modo vagantur per arva, & ſuccum terræ paſſim uvis bibunt, ut Plinii verba uſurpem. Hujuſmodi vineæ Saliceta noſtra æmulantur.

Notum eſt (inquit Palladius) majores uvas, pulchræ ſpeciei, grani calloſi & ſiccioris ad menſam; feraciſſimas verò, & cutis tenerioris, & ſapore nobiles, & maximè quæ citiùs defloreſcunt, vindemiis eſſe ſervandas.

Vires. Vitis viniferæ folia cum claviculis trita & impoſita capitis dolores mitigant, itémque ſtomachi inflammationem & ardorem cum polenta. Id ipſum etiam folia per ſe impoſita præſtant, quippe quæ refrigerandi adſtringendíque vim habent. Potus eorundem ſuccus juvat dyſentericos, ſanguinem excreantes, ſtomachicos, & mulieres malaciâ laborantes. Lachryma vitium, quæ veluti gummi eſt, quæque circa illarum caudices concreſcit [in vitibus noſtris hujuſmodi gummi ſponte exſudans non invenitur] ex vino pota calculos pellit, inuncta lichenas, pſoras, lepráſque nitro affricto præparatas ſanat. Eadem cum oleo ſæpius pilis illitis pſilothri effectum habet; maximéque liquor quem accenſa ſarmenta vitium viridia exſudârunt, quo & perunctæ myrmeciæ tolluntur. Cinis autem ſarmentorum & vinaceorum circa ſedem condylomatis & thymis illitus ex aceto medetur. Prodeſt & luxatis ac viperarum morſibus; quin & contra lienis inflammationes facit cum Rolaceo, Ruta & aceto impoſitus. Plures adhuc cineri & lixivio ex eo parato vires aſcribunt Botanici: verùm cùm cineres lignorum eorúmque lixivia non multum inter ſe differre nobis videntur, niſi quatenus ſalem fixum copioſiorem aut parciorem contineant, eas omittimus.

Uvæ, ex ſententia Galeni, quemadmodum inter fructus Autumnales principatum obtinent, ità fugacibus omnibus magis nutriunt, minimúmque pravi ſucci habent, præſertim cùm exactam maturitatem ſint adeptæ. J. B. Quælibet uva recens alvum turbat & ſtomachum inflat, ideóque earum eſus in febribus interdicitur: quæ verò decerpta aliquandiu pependit, propterea quòd ea ventilatione magna humiditatis portio deceſſit, innocentior eſt, ac tum ſtomacho utilis eſt, tum appetentiam ciborum reſtituit, atque adeò ægris languentibúſve proficua; & alvum emollit. Cæterum magna eſt inter uvas differentia, dulces enim magis nutriunt & corpus pinguefaciunt, ventriculum inflant & alvum ſubducunt: Auſteræ è contra parum nutriunt & ventrem cohibent.

Memini me alicubi legiſſe Matronam quandam Germanam toto vindemiæ tempore per unum aut alterum menſem, quo uvis victitabat, nullum omnino potum haurire ſolitum, unde patet uvas ſitim reſtinguere.

Uvæ Paſſæ non à patientia dictæ ſunt, ut vult Plinius, quaſi ſolem paſſæ, ſed à pando quòd ad ſolem expandantur. Monſpeſſulani Uvas Paſſas hoc modo parant, Racemos binos hinc illinc filis ligatos vitioſis acinis forfice detractis, ferventi lixivio, addito olei paululo immergunt, quoad flacceſcant tantum & corrugentur; deinde perticis imponunt ut ſicceſcant, ac poſt triduum quatriduúmve inſolant, ut Columella docet, *J. B.* Uvæ paſſæ, vinaceis exemptis alvum leniunt; pectoris anguſtiæ, tuſſi, exaſperatis faucibus & renum veſicæque vitiis maximè conveniunt, unde & Ptiſſanis dictis immiſcentur. Zibebæ dictæ h. e. Paſſulæ maximæ ſeu Damaſcenæ exemptis gigartis in aquâ fontana vel ſtillatitia convenienti infuſæ, potum ægrotis exhibent ſatis gratum, ſitique convenientem. Pa apyrenæ Corinthiacæ dictæ aciditate grata commendabiles, refrigerant magis & febricitantium ju culis utiliter incoquuntur. Gigarta vim habent adſtrictoriam, conveniúntq; in vomitu & alvi flu ſive intrinſecus, ſive extrinſecus adhibeantur (torrentur ſci. ac teruntur.)

Vinacea, id eſt, ſiliquæ cum gigartis in expreſſione muſti reſiduæ, magnarum virium perhibe in arthriticis doloribus ſedandis, ſi membrum affectum vinaceis per ſe caleſcentibus imponatur.

Uvæ paſſæ calore ſuo acri & penetranti dentes & gingivas vellicant, maléque afficiunt; & fre quenter comeſtæ eos ad putredinem diſponunt.

Liquor ille generoſus ex uvis, ut moris eſt, calcatis vel ſponte effluens, vel torculari expreſſus fermentatus vinum vocatur, quod nomen à Græco οἶνος factum eſt, ſpiritu leni in *v* mutato, autem ab Hebræo *jain*, ut jam diximus.

Vini uſus & facultates explicare omnino ſupervacuum eſſet, cùm non poſſint non omnibus e notiſſimi. Liceat tamen hìc inſerere Obſervationem à *D. Hulſe* ex *Antonii de Heide* Centuria ob vationum quæ tertia in ordine eſt deſcriptam & ad me miſſam. Ad Aphthas prætermittendum h viden haud videtur, quòd in quibuſdam ægris aphthoſa cruſta non craſſa linguæ & palato adeò pertinaciter adhæret, ut lenientibus gargariſmatis ſcil. à decocto Raparum, Hordei, &c. quæ contra Aphthas maximè conducunt, intra paucos dies abſtergeri haud potuerat, ægri licet à febre immunes eſſent, brevi tamen fugatur potu vini Gallici: quia particulæ aphthoſæ ſubinde acriore ſtimulo ad ſui liberationem egent.

Genera vini Veteribus celebrata recenſet Plinius lib. 14. c. 6. D. Auguſtus (inquit) Setinum cunctis prætulit, & ſecuti Principes, confeſſa propter experimenta, &c. Naſcitur ſupra forum Appii [Setia oppidum eſt in colle à Terracina quinque millibus diſſitum; hodie *Sezza*] Antea Cæcubo erat generoſitas, celeberrima in paluſtribus Populetis, ſinu Amyclano, quod jam intercidit & incuria coloni, locíque anguſtiâ, magis tamen foſſa Neronis, &c. Secunda nobilitas Falerno agro erat, & ex eo maxime Fauſtiano. Exoleſcit quoque hoc copiæ potiùs quam bonitati ſtudentium. Falernus ager à ponte Campano læva petentibus urbanam coloniam Syllanam, nuper Capuæ contributam incipit. Fauſtianus autem circiter 4. mill. à vico prope Cedias, qui vicus à Sinueſſa 6. millibus abeſt: nec ulli in vino major autoritas. Solo vinorum flamma accenditur. Tria ejus genera, Auſterum, dulce, tenue. Quidam ità diſtinguunt: Summis collibus Gauranum igni, mediis Fauſtianum, imis Falernum. Non omittendum autem, nulli eorum quæ celebrantur ucundum ſaporem uvæ eſſe. Ad tertiam palmam variè venêre, *Albana* urbi vicina prædulcia ac rara in uſtero. Item Surrentina, in vineis tantùm naſcentia, convaleſcentibus maximè probata propter tenuiatem, ſalubritatémque. Tib. Cæſar dicebat conſenſiſſe medicos ut nobilitatem Surrentino darent, lioquin eſſe generoſum acetum. Certant Maſſica æquè ex monte Gaurano Puteolos Baiáſque propectantia. Inter Græca vina maximè celebrata fuere Maroneum in Cherſoneſo Thraciæ, Thaſium, Creticum, Coum, Chium, Lesbium, Icarium, Smyrnæum, &c. Inter Aſiatica Cyprium, & montis Libani vina. Reliqua genera vide apud Plinium loco citato. Noſtri enim inſtituti non eſt omnia ini genera quorum nomina apud Veteres & Recentiores occurrunt enumerare. Sufficiat aliqua eoum quæ apud nos hodie in uſu & pretio ſunt breviter indicâſſe. Ea ſunt è Gallicis 1. Pariſinum, enue & oligophorum, ubi bene maturum grati ſaporis & ſtudioſis aptum, *Vin de Paris*, *Champagne*: *Campanum* omnium Gallicanorum delicatiſſimum: 3. *Burdegalenſe* ſeu Gravianum. **Common Claret Wine, or Graves Wine.** 4. Vinum *Burgundiacum*, **Burgundy Wine:** inter Burundiaca autem primum locum obtinet Beaunenſe, ſecundùm vulgare proverbium Vinum Belnenſe per omnia recenſe. 5. *Vinum album vulgare*, **Common white Wine.** 6. *Vinum Frontinianum*, enerosiſſimum & moſchum redolens. 7. *Vina Aurelianenſia* magni fiunt in Francia ob generoſitatem & ſalubritatem. 8. **Hermitage**, Vinum Eremiticum.

Ex Hiſpanicis uſitatiſſima & notiſſima ſunt, 1. Canarinum, **Canary-Sack** omnium lautiſſimum, generoſum & lene, naturæ amicum. 2. *Malacenſe* vetus, **Malaga Sack**, præcente etiam opimius & pinguius, at ſi copioſè ſumatur caput gravans. 3. *Xeranum*, **Sherry-Sack**, auſterius & palato minùs gratum. 4. *Alonenſe*, **Alicant Wine**, rubrum & craſſum, palato quidem gratum, at ſtomacho minus utile & caput gravans. Huic non multùm diſſimile eſt genus illud, quod noſtratibus, **Tent-wine** dicitur. Nominis ratio mihi nondum cognita. Adfertur iam ad nos ex Luſitania Vinum Portuenſe **Porto-port Wine**, ſed rarius. Vinum Maderæ Inſulæ majori parte in Americam transfertur. Ex Italicis pauca importantur, ex Hetruria *Vinum Florentim rubrum*, ſtomacho commodiſſimum & in convictibus ſaluberrimum. 2. *Verdea* dictum, itidem ex etruria, album, dulce & lene, magis gratum palato, quam ſtomacho utile. In Italia ipſa celebran-r, Venetiis *Vin. Malvaticum*, *Malvaſia*, Canarino proximum, non in Italia natum ſed in Creta inla; *Vicentinum rubrum, dolce & piccante* dictum. In Hetruria *Faliſcinum* ſive de *monte Fiaſcone*; omæ *Albanum* olim celebre, & de *monte Pulciano*; *Syracuſanum* ex Sicilia inſula; Neapoli Vinum ubrum *Lachrymæ Chriſti* dictum, & Vinum Græcum ad radices Veſuvii montis ortum.

Vinum Moſchatellinum rubrum ex inſula Creta defertur. **Red Muſcadine.**

Ex Germanicis Rhenana ſola aut non procul à Rheno remotæ originis ad nosimportantur, ut icrinum **Neccar Wine**, Rinchovianum, Hochamore, Moſellanum, & *Baccherac*.

Vinum autem aliis potulentis quibuſcunque Cereviſiæ, Melicrato, Pomaceo, Apiiti, cæteriſque è uctibus factitiis tum voluptatis tum ſalubritatis reſpectu longè antecellit. Nunc dierum vina ſteriora quamvis palato minùs arrideant, ventriculo tamen commodiora & cibo concoquendo mas idonea cenſentur; ut vina rubra Gallica & Florentina, quæ aſperiuſcula & ſtyptica linguæ & pao ſentiuntur; quàm alba, quæ lenia & dulcia. Verùm ſi omnia quæ de vinis dicta ſunt & adhuc cenda reſtant perſequi vellem huic ſoli hiſtoriæ non unum volumen ſufficeret. Qui plura velit gat *Andreæ Baccii* eruditiſſimum opus de Vini generibus Anno 1596. Romæ impreſſum, in quo icquid ab Antiquis & Recentioribus de Hiſtoria Uvæ proditum occurrit complexus eſt, unà cum bſervationibus plurimis propriis & animadverſionibus in Vina Græca, Italica, Hiſpanica, Gallica Rhenana, eorundem culturas, locos, nomina, varios præparandi & tractandi modos, morbos & media, vaſorum veterum & novorum multiplicem varietatem, cellas, &c. reſpicientes.

Omphacium Veteribus ſuccus erat acerbæ & nondum maturæ uvæ, Sole reſiccatus & denſatus ad nſiſtentiam Rob. Recentioribus eſt ſuccus Uvæ immaturæ expreſſus, colatus, in dolia reconditus, vaſe clauſo aſſervatus. Utrumque refrigerat & ſiccat; hoc non ad medicamenta tantùm ſed ad orum condimenta & intinctus utile eſt, nauſeam ac cibi faſtidium tollit, appetentiam excitat, alvi ores reprimit, ardores ſtomachi aliorúmque viſcerum mitigat, non modò intus ſumptum ſed & s admotum.

Dioſcoride autore, Omphacium Veterum oculorum claritati confert, eorundémque ſcabritiæ & ulis arroſis, quod hodie de pomorum ſylveſtrium agreſta verum experimur.

chroderus Omphacium calidis morbis omnibus feliciori juvamento eſſe ait quàm acetum, quod er refrigerandi vim & caliditate acri pollet, ſecus ac Omphacium.

apa, Græcis ἕψημα ϗ σιραῖον ingenii non naturæ opus eſt, muſto uſque ad tertiam partem mendecocto. Plin. l. 14. c. 9. & l. 23. c. 2.

Deſrutum Columellæ idem eſt quod *Sapa* Plinio, nimirum muſtum ad tertias decoctum. Plinius Defrutum à Sapa diſtinguit, quod ſit muſtum ad dimidiam decoctum. His addit Palladius, *Caræenum*, quod ait fieri cùm duabus partibus deperditis tertia remanſerit.

De viribus & uſu Sapæ nihil attinet dicere cùm jamdudum in deſuetudinem abiit.

Lora Græcis δευτέρια ſeu vinum ſecundarium, fit ex maceratis aqua vinaceis. Tria ejus genera Plinio. Decima parte aquæ addita quæ muſti expreſſa ſit, & ità nocte ac die madefactis vinaceis, rurſúſque prælo ſubjectis. Alterum, quomodo Græci factitavere, tertia parte ejus quod expreſſum ſit addita aquæ, expreſſóque decocto ad tertias partes. Tertium eſt fæcibus vini expreſſum, quod *fæcatum* Cato appellat.

Spiritus Vini.

Spiritus vini ſeu Aqua Vitæ eſt liquor è vino deſtillando in vaſis idoneis elicitus. Calidus eſt & ſiccus, penetrantiſſimus: Eximii uſus in animi deliquiis, ut vel naribus admotus odore ſuo animam revocet, in cordis palpitatione ac tremore; reſiſtit putredini, in tantum ut carnes vel cadavera ei immerſa, diu ſervari poſſint incorrupta; ſpiritus languentes refocillat, apoplecticos & comate oppreſſos juvat. Extrinſecùs reſolvit tumores frigidos ac ſcirrhoſos, arcet coagulationem ſanguinis in contuſionibus, cruorémque reſolvit ac diſcutit. Nimis copiosè & frequenter pro potu ordinario ſumptus calorem naturalem paulatim extinguit, ventriculi tonum relaxat, appetitum proſternit, totamque naturæ œconomiam ſubvertens tabem & mortem inducit. Menſtruum eſt (ut vocant Chymici) hoc eſt, ſolvens, ad tincturas extrahendas aliáque nobiliſſimum.

Acetum.

Acetum fit ex vino vel in loco nimis calido detento, vel diutiùs reſervato, vel Soli expoſito. Arte fit cùm vinum aut cereviſia coquitur, refrigeratíſque fermentum, aut panis calidus hordeaceus [qui unus omnium prævalet] aut Piſa, aut Hordeum toſtum imponitur. *J. B.*

Aceti uſus frequentiſſimus eſt & fere quotidianus in cibo & medicina: in cibo ad condimenta & intinctus. Appetentiam cibi excitat, & concoctionem promovet acidum ventriculi, quò cibi maximè conficiuntur, roborando.

In medicina uſus eſt ad æſtum febrilem contemperandum, putredinem arcendam, phlegmaticos & glutinoſos humores incidendum, ut exſcretioni & expectorationi habiles fiant. Extrinſecus ſcabiem, pruritum, herpetem, &c. calorem eorum contemperando, & malignitatem corrigendo ſanat. Nervis, nervoſíſque partibus inimicum eſt: corpus quoque extenuat, unde macilentis ejus uſus incommodus eſt. Memorabilis in hanc rem eſt hiſtoria quam narrat F. Strada de bello Belgico l. 8. Chiapinus Vitellius generalis caſtrorum præfectus ſub mediam fere ætatem, increſcente adeò mole, ut faſcia è collo demiſſa ſuſtinendus eſſet venter, videns inde quotidie tardiorem ſe reddi ad belli munia, vino ſua ſponte ſibi interdicto, acetum exinde bibere ad vitæ uſque finem perſeveravit, effecítque ut detumeſcente abdomine, defluentéque ventris pelle, quæ ipſe ſe thoracis inſtar involvebat, octoginta ſeptem librarum pondo decreviſſe compertus ſit.

Ad ſuſpenſos aut ſuffocatos etiamſi ſpumam emittant, da bibendum acetum mulſum cum Pipere, aut Acetum cum pulvere Pulegii & Pipere. Tres ſervatos vidit Chriſtophorus à Vega. *Cheſneau.*

Ad tineam ℞ Zinzib. ℥iij. decoque in Aceti acerrimi & Butyri ana ℔ß quouſque Acetum ſit conſumptum: deinde contunde & cum Butyro fiat ung. quo manè & ſerò tinea inungatur, & intra quatuor aut quinque dies ſanabitur, (inquit lib. Arcanorum) *Idem.* Obſervationes è Cheſneau excerptas tranſmiſit *D. Hulſe.*

Vaporis aceti in peſte uſus eſt eximius de quo medici conſulendi.

Tartarus.

Pro Tartari Hiſtoriâ, uſu, præparationibus, &c. vide chymicos ſcriptores; plenam uvæ hiſtoriam ſcribere mihi nec locus nec opportunitas eſt. Tartarus eſt vel albidus vel rubeſcens; albidus magis æſtimatur, ut purior & minus terreſtris; optimus è Germania defertur. Ejus pærparationes habent facultatem attenuandi, incidendi, & aperiendi.

Cremore Tartari ad ʒß dato ardor ventriculi jam deſperatus fuit ſublatus. Ettmuller. prax. cap. 8.

Ad ſingultum ex inanitione ℞ Vini Hiſpanici & Sacchar. q. ſ. f. Syrup. ſumat æger frequenter. Ex Manuſcript. *D. Page*, Medici Suffolcienſis.

Bulimos curatur optimè per Vinum, quod quo vetuſtius eo melius. Malvaticum præ cæteris convenit.

In picâ & malaciâ ſpecificè commendatur à quibuſdam aqua pampinorum vitis vere ex vitium ſurculis ſtillans.

Quidam ſani ſiti matutinæ ſunt obnoxii, hos optimè curare ſolet hauſtus vini Abſinthitis.

Tumor cancroſus omnino curatus eſt in quodam viro mihi familiari ex uſu vini Rhenani lib. ß. cui infundebantur Raphan. Sylv. ʒij. per horas duodecim; in cujus uſu perſeverabat per dies octo vel decem matutino tempore. Ex MS. D. *Fiſher*, M. D. communicavit. *D. Hulſe.*

Ad mixtionem ſanguinis ℞ pulv. fol. Vitis quæ poſt Vindemiam rubeſcunt ʒi. cap. in Vino albo. E lib. Arcanor. *Cheſneau.*

De Spiritu Vini illud adnotandum quod ille qui conficitur ex frumento multo magis anodynus ſit quam alius. *Muis* in Podalir. redivivo p. 31.

℞ Uvas ſuſpenſas putridas, projice in aq. ferventem per horæ dimidium; eas ſupra ardentes prunas injice, fumúmque excipiat mulier ſepties in die ad deturbandum fœtum mortuum. Mirabile (inquit Zacutus) quod in tam facili remedio tanta vis recondita ſit, quod ego feliciter ſum expertus, lib. 3. Prax. Hiſt. c. 17. Obſerv. 2.

Spiritum Vini vulgarem (**Brandy**, i. e. vinum uſtum) cum pulverizat. Zingib. mixtum, & fortiter inſufflatum in ejuſdem lateris cum parte affectâ narem, vel parti dolenti applicatum, ab experientiâ frequenti commendat *D. Hulſe* in Odontalgiâ, cum alterutra ex gingivis afficitur abſque ulla dentium carie aut cavitate.

CAP. II.

The Sinenſium ſive Tſia Japonenſibus Breynii. *Chaa, Herba Japoniæ* J. B. *lib.* 27. *c.* 1. C. B. *p.* 147. **The Thee or Tea Plant.**

THe compluribus & denſis ramis eſt *frutex*: *Foliis* obſcurè viridibus, per circuitum ſerratis,
non tam Chamælæagni, quàm Spirææ Theophraſti ſubſtantiâ & toto habitu æqualibus, ſaporis exſiccantis cum quadam amaritudine: *Flores* proferens (quantùm ex pictura, & duo-
s, at imperfectis, ex Japonia tranſmiſſis floſculis conjicere potui) Ciſti fœminæ & Goſſipii me-
am faciem obtinentes, uberrimos, quinis foliolis albicantibus aut pallidis conſtantes, ſtaminulis
ltis medium florem occupantibus. His demum ſuccedunt *fructus*, dum adhuc vigent (ut ferunt)
ides, reſiccati autem cortice magis rugoſo, ex ſpadiceo fuſco veſtiti, in quibus non minùs quàm in
ccis Orientalibus mirabili varietate mutabilis Vortumnus ludit: quidam penitus globoſi ſunt inſtar
torum Coccorum, eâ etiam magnitudine, aut duplo pæne aliquandò majores, ſemen tantùm uni-
n continentes: alii contra geminati, ſive in duos loculos diſpertiti, alii verò trigoni, forma &
gnitudine à fructu Ricino ſimili *J. B.* non admodum abludentes: Hi maturi ubi ſe aperiunt in
s, illi in duas dehiſcunt partes, quarum quælibet *ſemen* continet, quod vel orbiculare planè ad
racis, vel quia minùs ſplendet, ad Fructum exoticum 15. à Jacobo Gareto acceptum *Cluſ.* propiùs
edens, vel in una parte ſeſſilis, nonnunquam etiam triquetra eſt nucula, tenui putamine & lævi,
dicei ſeu ſubrufi coloris, exceptâ baſi (qua parte adhæſit) albidâ, conſtans, quo nucleus ſub-
idus pallidusve, ac valdè rugoſus, guſtu primùm dulci, poſtmodum amaro & nauſeabundo, tan-
nque calido & validè exſiccante, cuticulâ tenui & cinerea obductus, continetur.

Catalogum Autorum qui de hoc frutice ſcripſerunt vide apud Jac. Breynium *Exot. Centur.* 1. *cap.* 52.
bus adde D. *Pechlin* Belgæ Tractatum de Thea anno 1684. editum, in quo hiſtoriam ejus plenam
lit, & contra Sim. Paulli uſum ejus defendit. M. *Du Four* hiſtoriam Theæ, Lugduni impreſſam
5. & Tractatum quendam Anglicè conſcriptum Londini 1682.

erùm omnibus quæ de Thea ſcripta ab aliis ſunt Obſervationes D. *Wilhelmi ten Rhyne*, magni Im-
atoris Japoniæ medici, præferendas cenſemus; quæ apud Jacob. Breynium habentur in Appendice
Exot. centur. 1.

Semen hujus fruticis circa menſem Februar. terræ (ni nimio indurata gelu, vel nive altiùs tecta
) mandant Japones ſequenti methodo; In terra bona, dulci, non ſalſa, neque limoſa, neque are-
a nimis, ſed temperata, rotundum ad octo aut paulò minùs pollicum altitudinem ſcrobem effodiunt,
à 40. ad 50. ſeminales folliculos confertim injiciunt, exinde ſcrobem operientes, eundemque in-
reſcente bruma ſtramineis ſtoreis tegentes. Hæ autem ſeminalia capitula communiter in ſex,
, decem, ad quatuordecim, & quandoque plures paucioreſve frutices propullulant, quos abſque
riore cultura naturæ ingenioque ſuo relinquunt agricolæ, niſi quòd eos ab inutilibus herbis repur-
t. Stirpes autem quo in ſpiſſius glomeramen altioremque apicem (rariùs tamen ſupra quatuor aut
nque pedes) exſurgunt eò meliores judicantur, mollioribus utpote magiſque benignis foliis, quæ
enter intra primum triennium decerpunt Japones: decerpunt autem plerumque menſe ſuo tertio,
ordinariò juxta noſtrum Aprilem eſt, nonnunquam aduſque medium Maii procurrit (anno
irùm intercalari, quovis triennio recurrente) quando matres cum ſuis infantibus & ancillis fo-
hæc calathis colligunt, novella & recens edita (ſubflaveſcente ſuo virore & parvitate à virenti-
foliis facillimè diſtinguenda) cùm parùm adoleverint ſicca tempeſtate, quacunque diei hora,
rimis intenſiore Solis æſtu, avulſa circa veſperam portant domum.

Tum ſingula folia fuſæ ex ferro patellæ Sinicæ, nitidæ, candenti atque obliquè collocatæ (ne
nus comburant) injectant, eademque manibus aſſiduè verſant, uſquedum flacceſcant, mundis tunc
reis papyróve imponenda, ac perflanda flabello ut frigeſcant; hinc in planis ex Arundine Indica
nfectis corbibus conteruntur, donec compactè criſpentur: hinc iterum in pura & modicè cande-
a patellâ uti antea manibus continuè verſantur donec mediocriter induruerint, deinde patella exi-
nt & flabello frigefaciunt, & in tertia ac quarta patellis per gradus minùs calefactis revolvunt,
majorem ſiccitatem duritiémque contrahant. Tandem ollis intrinſecè vitreatis bene clauſa ſer-
t, & in urbes pagóſve venalia transferunt. Poſtquam autem per Sextiduum circiter ollis reſerata
re, eaſdem aperiunt, foliorumque delectum, minora & teneriora à majoribus & durioribus ſepa-
do, faciunt, ultimâque vice in quinta patella ſecuritatis ergo ſiccant, in annos tunc durabilia, ſi
uratè obturata teneantur.

ro Imperatore & Magnatibus majore ſtudio & cura colitur. [Prope *Misko* urbem locus *Oaſ*
us totius Japoniæ in hoc opere princeps eſt] Frutices nempe, à nimia pluvia, vel intenſo ardore
oréve, cæteríſque aeris, injuriis & pravis purgamentis, volatilibus reptilibúſve inſectis ſtudioſè
muniuntur, juſto rigantur tempore, &c.

ongrua tempeſtate ſcrupuloſa foliorum fit electio: tenerrimi fruticum ramuſculi primævis in
e foliis nudantur, quæ eapropter cariſſima potentioribus reſervantur emptoribus; hæc autem à
iocribus; hæc iterum à majuſculis, hornotinis tamen ſingulis, ſegregantur: omnia in umbra
ntur.

uricolæ & tenuiores folia eo quo diximus modo præparata promiſcuè in æneo cacabo aquâ re-
lento coquunt igne, & ſic toto die pro communi potu in foco ſuſpenſum ſervant; donec itera-
cturis folia illa debilitate rejiciantur, ingeſtis protinus novis. Primates autem & locupletiores cives
um in re domeſtica opus majore diligentia, faſtu atque nitore & artificio curant quàm ſui *T'chia*
arationem. Quandoquidem qui in cæteris parciſſimæ ſunt ſupellectilis copioſo & ſuperbo in-
mentorum famulorumque apparatu impenſè imò ad ſuperſtitionem uſque geſtiunt.

Inſtrumenta ſunt ex electo Ophite mola (quali noſtrates ſemen Sinapi conterunt) qua ſuum *T'chia* in tenuem pollinem commolant. Præterea fornacula, ex mixto cum aliis metallis ære artificiosè fusâ, cui aquâ plenam cucumam, ex eadem materia confectam ſuperimponunt, ut ſemper præſto ſit Lympha fervens. Hinc exiguis cochlearibus (ex teſtudineo cornu alióve pretioſo ligno, vel etiam metallis fabrefactis) viridem illum ac bene fragrantem pulverem *T'chia* calycibus ſuis infundunt, ac ſuperfusâ cum mundato hauſtro infundibulóve aquâ fervidâ pulverem hunc minutulis, ex Arundine Indicâ crenarum formâ artificiosè conciſis, *ſetis* tandiu quaſſant donec in ſpumam elevetur. Famulos qui in hoc opere occupantur omitto. Sinenſes autem (quorum methodum noſtrates ſequuntur) fervefactam in cupreo cacabo aquam ſiccis integriſque foliis *Thee*, ſingulari ollæ priùs injectis ſuperfundunt, tincturamque extrahunt, quam limpidâ aqua ad gratam amaritudinem temperatam calidè ſorbent, ſaccharúmque utplurimum unà maſticant, uti & noſtrates, rariùs autem Japones, tametſi γλυκύφιλοι. Deinde novâ affusâ aquâ tincturam iterum extrahunt ſecunda vice, quæ debilior eſt primâ, poſtea folia abjiciunt; quæ ſociis navalibus meliorum defectu acetariorum vicem ſupplent. Japones autem iiſdem foliis rubentes papulas ac cutanea ſudamina curant; atque in tinctoria arte eadem (vetuſta licet) uſurpant Mauri.

Locus. Fruticis hujus natale ſolum varium eſt in *Japonia*: plurimus in regione *Fiſien* creſcit. Humo gaudet neque arenoſa neque lutoſa nimis, neque declivi neque acclivi nimis, aprica & temperata planitie lætior: multis autem in locis inter ipſa frumenta in pulvillorum liris frutices Theæ conſitos intuearis. In *Chinâ* etiam creſcit.

Pretium pro foliorum magnitudine variat. *Quantùm namque magnitudine ſurſum decreſcunt tantùm pretio accreſcunt.* Tanta eſt autem pretii differentia, ut una libra hujus Theæ pluris veneat quàm centum libræ alterius: Foliorum verò bonitas in grata fragrantia (proxime autem ad Fœni accedentis odorem, tantiſper aromaticum accedit) colore viridi, (nam parùm maſticata frictáque ubi fuerint, viror vividus emicare debet) ſapore ſubamarè dulci.

Vires. Has ei vires tribuunt Sinenſes, Sanguinem purificat, horrenda pellit inſomnia, vapores à cerebro arcet malignos; vertiginem capitíſque dolorem, præſertim à crapula ortum mitigat; hydropicis conducit, egregiè enim diuretica eſt, capitis rheumata exſiccat, humorum acrimoniam corrigit, obſtructiones viſcerum tollit; viſum inſtaurat; quippe quantum ego exiſtimo, hæc decoctio *T'chia* primarium Japonenſibus eſt antidoton contra visûs imbecillitatem ac oculorum, vitia illis frequentiſſima, ac ex aſſiduo Oryzæ calidæ & ſui *Sacqui* potu & uſu maximè contracta. Aduſtos humores temperat, calidum emendat jecur, induratum lenit lienem; ſomnum coercet, in iis præſertim qui rariùs Thee bibunt. Corpora porro reddit vegetiora; inprimis autem hebetiores à ſomno ac torpore ſenſus expergefacit, cor exhilarat, timorémque propulſat, inteſtinorum tormina ac flatus compeſcit, illóſque qui uterum infeſtant diſcutit: viſcera viréſque roborat, reminiſcendi vim exſuſcitat, ingenium acuit, bilem temperat: nephritidem tollit medicamen hoc lithontripticum; ego ſaltem nunquam in Japonibus vel minimum calculi, ſive renum, ſive veſicæ indicium reperi, ſat ſedulo licet inquiſiverim; ac tandem dulces in amplexus vertit officium thori.

Ad ſpecifica ſtomachica pertinet herba Theæ, non tantùm ſtomachum roborans ſed & à calculo & arthritide præſervans, & capiti inprimis conveniens. Præſervat ab ebrietate, & ſomnum arcet, & ſtomacho inprimis confert. *Ettmuller. Prax. çap. de* chyleſeos læſionibus.

Quæ in Bontii & Piſonis hiſtoriis hujus plantæ reprehendit & emendat apud Breynium vide.

Quòd in Europæis regionibus quædam ſanitatis incommoda æquè efficaciter non arceat potus ille *Thee* quàm apud Sinenſes vel Japonas, non præparandi utendíve modo adeò imputandum cenſeo quàm quidem aſſiduitati usûs & temperatiori victûs rationi.

De nocumentis hujus potus hæc apud *Antonium de Heyde* occurrunt in Centur. Obſervationum, Obſ. 76.

Tincturam è foliis *Thee* mediante aqua calida extrahi vulgo notum eſt. Ejus potum aliquando quibuſdam conducere negare nolo; tamen ut eum omnibus utilem putem adduci nequeo: quippe veriſimile videtur emolumenta quædam *Thee* adſcripta ab aqua calida potiùs eſſe deducenda. Hunc potum quibuſdam nocuiſſe videtur experimento ſæpius probatum: inter alia hoc patet ſequenti hiſtoria, mulier vegeta & ſana, potui *Thee* addicta, conqueritur de frigore acri interiora concutiente, præſertim noctu, quod à *Thee* potu derivandum putat hanc ob cauſam, quia eo potiſſimum corripitur ubi huic potui indulſit. Memini ante aliquot annos virum robuſtum conqueſtum eſſe de frigore acri in abdomine, quod etiam potui *Thee*, quem quotidie ſumebat imputat. Communicavit *D. Hulſe.* De potu Theæ & *Coffee*, hæc occurrunt in Muis Podalirio redivivo. p. 59.

Sed quid ſentiendum de potu **Coffæ** & **Tæ**? Ego cùm Lugduni Batavorum ſtudiis operam dabam; per totum annum Cephalæa miſerè laboravi, & poſtquam potui copioſiori *Teè* & præcipuè quidem *Coffee* quotidie ſumendo aſſuevi, ſemper immunis ab ea vixi non tantùm, ſed & ab omni alio incommodo, quamvis anteà ità vixerim, ut mortis haberet vices lentè quæ trahebatur mihi vita gementi, qui per totum quinquennium cum longa morborum ſerie acriter conflictavi.

Et p. 85. Ego nonnullos novi meorum familiarium antea haud parùm à nephritide cruciatos qui nullum incommodum inde amplius perſenſerunt poſtquam potum Coffæ ſatis magnâ copiâ ſumpſere.

Cæterùm hæc arbor rectiùs fortaſſe ad eas quæ fructu ſicco ſunt refertur.

Quidam ex Oriente reduces affirmant Magnates Chinenſes & Japonenſes decoquere gemmas & flores hujus plantæ, majores vires iis attribuentes quam foliis.

CAP. III.

De Euonymo.

EUonymus, i. e. boni nominis, κατ᾽ ἀντίφρασιν ἢ κατ᾽ εὐφημισμὸν, ut volunt. Euonymi autem deſcriptio apud Theophraſtum & Plinium arbori ita vulgò dictæ per omnia non convenit. Quoniam tamen hoc nomen uſurpavit per me retineat.

Adeo pauca pulpa nucleos oblinit, ut rectiùs ad Arbores quæ fructu ſicco ſunt referenda videtur.

A. 1. *Euonymus vulgaris* Park. *vulgaris, granis rubentibus* C. B. *Euonymus Theophraſti* Ger.
Euonymus multis, aliis Tetragonia J. B. **Spindle-tree or Prickwood.**

J. B.

Ramoſa eſt arbuſcula, aut certè frutex arboreus, altitudine quatuor aut quinque [imò ſeptem octo interdum] cubitorum: cujus ſtolones læto virore perfuſi, & nuper nati ramuli, propter ticem in quatuor angulos excurrentem, quadrangulares apparent, non ſecus ac ſi dolabrâ ars rpoliviſſet, ipſo alioqui ligno interno tereti, albo aut flaveſcente. Cortex viret. Rami crebrò ervallo in oppoſitos ramulos dividuntur. *Folia* oblonga, acuta, crenata, è Periclymeni genere amæceraſi dictæ foliis ſimilia & æqualia. Paulò poſt veris initium *Flores* profert pallidos, aut baceo quodam colore conſtantes, ex quatuor foliolis congeſtos, quibus totidem alternatim po- calyculi folia ſubjiciuntur, pari numero *apicibus* luteis umbilicum curvoſum viridantem cum *ſtylo* colore occupantibus. Singulis floſculis ſinguli ſuccedunt *fructus*, ſeu ſingulæ ſiliquæ quadran- æ, rubentes aut puniceæ [rariùs albæ *C. B.*] totidem diſtinctis loculis *ſemina* parva ſolida con- nt, cuticulâ croceâ intecta, medullâ albâ, figurâ ſemini cannabino ſimilia, hoc eſt, ex rotun- oblonga, ſed majora, ſapore amaro, cum obſcura quadam dulcedine nauſeabundo. Ipſa etiam uſcula tota gravem & injucundum habet odorem.

Materies ejus ſic ſatis ſolida, fiſſilis tamen & æqualis eſt: ea cùm adhuc ſucco turget cæſa diluto ceo pallore etiam Buxum provocat.

Nonnulli Tetragoniam Theophraſti eſſe volunt, quòd rami ob linearum quatuor ruffarum, dorſi odo extantium, rectà per viridem corticem porrectarum diſcurſum quadranguli appareant, quod uic arbori peculiare eſt, & quòd in fructu quadrangula ſiliqua ſit. Quod ſi Tetragonia ſit, Euony- us non erit, nec enim veriſimile eſt eandem arborem diverſis nominibus & locis tradidiſſe Theo- raſtum.

Locus. In ſepibus frequens eſt tam in Anglia, quàm in exteris regionibus. Maio [in frigidioribus locis] et: Autumno appetente ſiliquæ quadrangulæ purpureo tinguntur colore donec penitus rubeſcant, tea ſua ſponte decuſſatim quadripartitæ rumpuntur, ac hiantes ita pendent in hyemem uſque cro- bacculas vel ſemina oſtentantes non injucundo aſpectu. *J. B.*

Vires. Euonymum pecori noxiam eſſe, ut Theophraſtus tradit, ſe ſcire ait Matth. & Ruell. neque pecu- n, neque capram, novellarum etiam germinum avidam, hanc attingere ſcribit. E contra Clu- ſe in Pannonia obſervaſſe à capris maximè appeti, eáſque ejus foliis ſine noxa avidè veſci; d nobis ob ingratum hujus plantæ odorem & vim catharticam minùs veriſimile videtur.

Hujus tres quatuórve baccæ tam per vomitum, quàm per ſeceſſum purgant: Emolliunt etiam & olvunt exteriùs appoſitæ.

In lixivio coctæ capillos flavo colore tingunt.

Pulvis exſiccatarum in uſu eſt apud noſtrates mulierculas ad pediculos interimendos & furfures pitis detergendos.

Ex ligno fuſi muliebri netu celebres in Germania & Gallia detornantur, unde & *Fuſanus* & *Fu- ia* dicitur. Nonnulli ad dentiſcalpia utuntur.

Triplicem proditum eſt parari ex hujus fructu colorem, flavum, ſi poſt feſtum S Joan. Baptiſtæ m adhuc viridis eſt collectus cum tantillo Aluminis parum bulliat; viridem & fulvum.

2. *Euonymus latifolius* Cluſ. C. B. Ger. Park. *latifolia J. B.*

J. B.

Virgas habuit cùm id reperit Cluſius cubitales duntaxat, lentas & fractu contumaces, quas am- bant bina *folia*, ex adverſo ſemper naſcentia, leviter in ambitu ſerrata, Euonymi vulgaris foliis n abſimilia quod ad formam attinet, ſed longè majora, Citriæ mali foliis amplitudine non ce- tia, viridia, guſtûs ingrati & amari; *Radicem* digitalis craſſitudinis, ſumma tellure in cubita- a longitudinem excurrentem, multíſque flaveſcentibus fibris donatam. In horto culta poſt pau- annos ad humanam vel majorem altitudinem excrevit, ampliora folia nacta eſt, floréſque ac ſe- n tulit. Maio enim menſe oblongi tenuéſque inter infima folia pediculi nati ſunt, è quibus quot dependebant *Floſculi*, quatuor albicantibus foliolis & ad carneum quodammodo colorem acce- tibus præditi, formâ perſimiles Euonymi vulgaris floribus; quibus ſucceſſit fructus ut in vulgari drangulus, interdum etiam quinque angulis præditus, major tamen & quaſi alatus, maturitate iſcens, & alba grana, aureâ pulpâ incluſa, nonnunquam Auguſto, ſed potiſſimum Septembri nſe continens. Sub Autumni finem folia abjicit, & extrema ramulorum cuſpide oblongam gem- m, ſpem futuræ germinationis novo vere producit.

Locus. n Pannonia interamni, nunc Sclavonia dicta, uno tantùm in loco invenit Cluſius in ſylva illa ex *Greben* arce deſcenſus eſt versùs Waraſdinum.

3. *Euonymus Pannonicus* Ger. Park. *flore phœniceo* J. B. *granis nigris* C. B.

J. B.

Arbuſcula eſt aut frutex homine altior, cujus *caudex* & rami tuberculis aſperi, ac veluti punctis notati, & rami ſunt pulverulenti: *folia* ſerrata Pruno ſylveſtri ſimilia: *floſculi* aliquot ſimul ex longis petiolis quadrifolii, ſimiles Euonymo vulgari, phœnicei coloris. Cluſ. ſic fuſius hanc deſcribit.

Bicubitalibus, aut etiam majoribus ramis aſſurgit, digitali, interdum pollicari craſſitudine, lentis & obſequioſis, denſo cortice obductis, viridi primùm, deinde multis nigricantibus maculis aſperſo, qui in ſummo dividuntur in plures ramulos, ordine & ſerie quadam inter ſe oppoſitos, quos exornant *folia*, ſimiliter ex adverſo ſita, latifoliæ Myrti foliis paria, teneriora, levitérque in ambitu crenata, guſtu primùm exſiccante, deinde amariuſculo & calido; è quorum ſinu in oblongis gracilibúſq; pediculis unus, bini aut ad ſummum terni *floſculi*, ſplendentes & purpuraſcentes dependent, tetrapetali, umbilico quadrato, & luteis ſtaminulis quatuor angulos occupantibus, Coggygriæ flori non multùm abſimiles, majores tamen. *Fructus* ſuccedit in quadrangulis ſiliquis, vulgaris Euonymi ſimilibus, ſpongioſus, aurei coloris; iis dehiſcentibus tenui filo propendens, in quo grana extima parte nigra & ſplendentia, Fraxinellæ granorum inſtar, bina interdum & terna eodem loculo & pulpâ comprehenſa.

Locus. Copioſè naſcitur in ſylvoſis utriuſq; Pannoniæ montibus; ſed qui Alpes attingunt eam alere deſinunt. Invenitur & in Moravia.

Dantur & alii Euonymi, & Euonymo affines, qui ob ſeminum conceptacula per maturitatem ſicca ad alium locum pertinere videntur. Ut Euonymus Virginiana capſulis eleganter bullatis *D. Baniſter*. Euonymus Virginiana Pyracanthæ folio ejuſdem. Euonymo affinis Ægyptiaca, &c. C. B. Euonymo affinis Æthiopica, &c. *Herman. Hort. Leyd.*

CAP. IV.

A. *Agrifolium* Ger. *Agrifolium ſive Aquifolium* Park. *Aquifolium ſive Agrifolium vulgo* J. B. Ilex V. *ſive aculeata baccifera folio ſinuato* C. B. The Holly-tree.

J. B.

ALicubi in juſtam arboris magnitudinem excreſcit, ſæpius pumilum ut ad frutices referri poſſit, perpetua fronde viret. Caudex & rami lenti, flexiles, læves, cortice duplici muniti, exteriore viridi [in trunco utplurimum cinereo] interiore pallido; odore cùm avelluntur, tum etiam ſapore, ingrato, fœtente: materie chlorâ albâve, dura ac ſolida, ac circa interna nigricante, quæ præ pondere in aqua ſidit, Buxi aut Guaiaci inſtar. *Folia* ſatis magna, denſa, ſinuata, longis & rigidis in ambitu ſpinis horrentia [interdum licet rariùs ſuperiora folia Laurinis ſunt ſimilia, ſine aculeis, quod in vetulis arboribus copioſiùs obſervatur] colore obſcurè viridi, ſplendente, ex pediculo brevi, ſapore non ità ingrato ut cortex. *Flores* pulchri, parvi, chlori, quaternis foliolis, totidémque apicibus conſtantes [in quorum medio baccæ rudimentum] conferti ut in Lauro, brevibus pediculis appenſi; quibus ſuccedunt *baccæ* parvæ, rotundæ, rubræ, umbilicatæ, guſtu ſubdulces, cum tetro quodam ſapore: intus continentur *ſemina* quaterna, triquetra, oblonga, ſtriata.

Qui Agrifolium folio leni diverſum ſtatuunt à vulgari, næ illi multum hallucinantur, nam vetulæ tantùm arbori accidit ut talis fiat; non tamen rariùs (ut vult J. Bauhinus) ſed ſæpiſſimè & ferè ſemper apud nos. At neque propriè Agrifolii varietas eſt; nam ſæpe in ſpinoſiſſima Aquifolia occurrunt ejuſmodi folia non ſpinoſa, ut cuilibet obſervare licet.

Fructûs autem color in hac arbore interdum variat. Reperitur enim alicubi in Anglia Agrifolium baccis luteis quales nobis oſtendit *D. Dale* ab arbore in agro Wiſtoni Suffolciæ vici non procul à *Buers* oppidulo, loco paludoſo naſcente decerptas.

Locus. In Anglia frequentiſſima eſt hæc arbor in ſepibus inq; frutectis & ſaltubus potiùs quàm ſylvis, præſertim in lapidoſis & glareoſis, incultis & deſertis. Reperitur etiam non minùs frequens in Germania. Videtur etiam gaudere montoſis & frigidioribus regionibus: in calidioribus rarior eſt, & fruticis menſuram vix egreditur niſi colatur.

Hæc arbor nonnullis Ἀγεία Theophr. 3. hiſt. 4. videtur, quorum ſententiam refutat J. Bodæus à Stapel. Plinii tamen lib. 16. cap. 18. 21. 24. Aquifolium an ſit necne in medio relinquit.

Vires & Uſus. Arbor hæc operibus topiariis, in Septentrionalibus præſertim regionibus præ aliis commoda & opportuna eſt; cùm ſit frigoris patientiſſima, & perenni nitentium foliorum virore aſpectui gra nec tonſuram reſpuat; eóq; etiam hortulanis acceptior, quòd nec radicum reptatu, nec importu ramorum luxurie moleſta ſit, nec tamen minùs denſa & multiplicata fronde quàm quævis al arbor frutéxve tonſilis, quantumvis hoc nomine eam improbet J. Bauhinus. Vidimus in vi dario D. Joan. Evelyn * tonſilem Agrifolii ſepem denſiſſimam, pulcherrimam 300 prope pe longam.

* In Cantio non longè à Londino.

Ex hujus arboris corticibus viſcum parant noſtrates hoc modo. Delibratis Junio aut Julio me ſibus, quotquot videtur aut opus fuerit hoc genus arboribus, cortices detracti in aqua fonta per ſeptem aut octo horas continuas decoquantur donec tenerrimi evadant [eouſq; donec co cinereus à viridi abſcedat aut ſeparetur, quod duodecim fere horarum ſpatium exigit. *D. Evelyn*]

Coctos in acervum humi cum Filice SSS componas, aquâ priùs curioſè ſeparata [frondibus a herbis quibuſcunq; ſucculentis obvoluti & contecti ad aliquam craſſitiem in cellam aliúmve lo frigidam recondantur. *Idem*] & per duas tréſve ſeptimanas fermentari & computreſcere ſinas, don in mucilaginem abeant: Exemptos deinde in mortario tandiu tundas donec fingi formariq; poſſunt inſtar maſſæ farinaceæ. Maſſam in aquam profluentem ſubmerſam manibus verſes & diligenter ſubigas. Aqua brevi ſordes omnes & recrementa obhærentéſq; corticum reliquias ſecum auferet eluétq;, viſco reſiduo puro & defæcato; in fictili aliquo vaſe per quatuor adhuc aut quinq; dies deſpumando, donec ſe penitus purgaverit & perfecerit: deinde in novum vas tranſlatum reſervetur ad uſum.

Baccæ ad colicos dolores utiles ſunt; craſſos ſiquidem pituitoſóſque humores per alvum educunt decem aut duodecim numero ſumptæ, ut ab his accepiſſe ſe ait Dodonæus, qui earum experimentum quandoq; fecerunt.

Zythogalum factum ex cereviſia & lacte, in quo decocti ſunt hujus foliorum aculei, mirè conducit ad dolorem colicum & tormina inteſtinorum, ut in ſemetipſa aliiſq; experta eſt matrona quæam nobis cognita poſt alia medicamenta fruſtra tentata, à muliercula quadam vaga & circumfonea edocta. Non video tamen cur non & foliorum ipſorum decoctum idem præſtet.

Baccæ aviculis, præcipue Turdis Iliacis dictis, hyberno tempore terrâ nivibus opertâ in alimenm cedunt.

Matthiolus radicum decoctum in fotu ad articulorum duritiem, tumores diſſolvendos, oſſa fracta rruminanda commendat.

Frondes & ramuli baccis onuſti natalitiis Chriſti Domini parietibus & feneſtris appenduntur ad es ornandas.

Lignum ponderoſum, firmum, album, ad molendinorum fabricas utile eſt, ad ea quæ torno elarantur, ad manubria inſtrumentorum ruſticorum, ſcuticarum, &c.

In Catalogo Horti Academici Lugduno-batavi, à D. Hermanno editi, haſce Agrifolii ſeu mavis uifolii foliorum reſpectu varietates invenio,

1. Aquifolium foliis ex luteo variegatis.
2. Idem foliis ex albo variegatis.
3. Idem foliis oblongis ſpinis & limbis argenteis.
4. Idem foliis ſubrotundis, ſpinis & limbis argenteis.
5. Idem foliis oblongis, ſpinis & limbis aureis.
6. Idem foliis ſubrotundis, ſpinis & limbis aureis.

Aquifolium echinatâ folii ſuperficie Cornut.

Hanc plantam obſervavit D. *Tancredus Robinſon* in pulcherrimo horto Reverendiſſimi Epiſcopi ndinenſis, D. *H. Compton*, inter multas alias novas & rariſſimas plantas cultam ab ingenioſiſſimo o & peritiſſimo Hortulano D. *Georgio London*. A vulgari Agrifolio facilè diſtinguitur foliorum râ, quæ non ambitu modò ſed totâ ſuperficie ſcabra ſunt & ſpinis horrida.

CAP. V.

Baccifera Indica fructu tetraſpermo in foliorum alis ſeſſili. Scherunam Cottam H. M. *P.* 2. *T.* 16. *p.* 23. *Corni ſeu Sorbi ſpecies* Bontio.

H. M.

Rutex eſt duûm triúmve hominum altitudine, naſcens in arenoſis & petroſis. *Radix* profundè in terram deſcendit, permultas oblongas, tenues fibras, capillamentis hinc indè veſtitas, tam à latere quàm ſubtus emittens, cortice exteriùs rubicundo obſcuro intus rufo, ſaporis ingentis, ſulphurei & infeſti. *Stipites* induti ſunt ſcabro cortice, cinereo, interiùs viridi & runte, intus ad lignum albicante, qui in plures tenuiſſimas planas corticulas (è quibus compreſimplexis fomites igniarios conficiunt) reſolvitur, éſtq; adſtringens; ligno intus albicante, ac imè ad radicem cavo, aliàs ſolido. Tam ſtipites, quàm rami longis craſſis lignoſis ſpinis hinc muniuntur. *Folia* pediculis brevibus, rotundis, craſſiolis fulta, oblongo-rotunda ſunt, ad petioparùm contractiora, ac in vertice rotundo cuſpidata, ſupernè plana, ſaturo virore nitentia, ſubilutiora, ſaporis adſtringentis. *Flores*, qui in ſummitate ramuſculorum ſuis petiolis ex origine rum proveniunt quaſi faſciatim ſine calyce, ſunt viridi-diluti, odoris nullius, conſtantq; duplici e foliorum, quorum quinq; quæ exteriora cuſpidata, ſurrecta, & interiora versùs nonnihil inſunt, quinq; quæ interiora rotunda ſunt, & ſuperiora versùs punctulis eminentia. In horum o ex umbilico *ſtylus* acuminatus exſurgit, paulò infra acumen quinq; tenuia *ſtamina* ſtelliforejiciens, quæ nodulis albicantibus, ac dein flaveſcentibus dotata ſunt. Florum petioli noden ſua origine foliolis acuminatis. *Fructus*, qui ſurculis inſident parvi & rotundi ſunt, adinPirorum Lauri, ſuperficie glabra, primùm virides ac nitentes; dein colore nigro cùm maturi & ſapore ſubacido, continéntq; quatuor grana ſeminis alba ac tranſparentia in propriis ſuis amentis.

liorum decoctorum vapor ore exceptus dentium dolorem mitigat, & vermiculos in dentibus at. *Vires.*

CAP.

CAP. VI.

Frutex bactifer Malabarieus floſculis pentapetalis ramis inhærentibus, fructu tetrapyreno. *Perin-Patsjotti* H. M. *P.* 5. *T.* 6. *p.* 11.

H. M.

ARbuſcula eſt humilis, ſeptem circiter pedes alta, ac *Patsjotti* ſimilis. *Folia* ordine decuſſato ramulis inhærent, oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu crenata, craſſa, denſa, glabra, ſplendentia, nervis aliquot è media coſta in latera excurrentibus. *Floſculi* non ſurculis foliaceis, at ipſis ramis inhærent quinq; candidis, oblongo-rotundis & acuminatis foliolis conſtantes, numeroſis, *ſtaminulis* albicantibus, flaveſcentibus *apicibus* ornatis, medium occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit exiguus, obtuſus. Floſculis ſuccedunt *Baccæ* rotundæ, quadripartitæ, viridi-flaveſcentes, quatuor intus continentes *ſemina* rubicunda, oblongo-rotunda.

Locus. Provenit in *Candenate*, ſemper viret, fructus fert Septembri & Octobri menſibus.

Vires. Ex hujus foliis in lacte vaccino & Seſami oleo coctis linimentum paratur ophthalmicum & cephalicum.

CAP. VII.

Frutex baccifer Malab. fructu plano-rotundo piloſo tetrapyreno. *Pai-Paroea ſeu Couradi* H. M. P. 5. *T.* 46. *p.* 91.

H. M.

ARbuſcula humilis eſt ſeu potiùs frutex, ſex circiter pedes altus, *caudice* mediocriter craſſo, cortice veſtito ſpadiceo, ramulíſq; ejuſdem coloris ac lanuginoſis in orbem diffuſis ornato. *Radix* fibrata, rufeſcens, nigricante cortice cincta, acris, aromatica. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu crenata, ſpinulíſq; exiguis hinc indè obſita, craſſa, aſpera, atro-viridia, supernè ſplendentia, infernè nequaquam: ſapor amarus, aromaticus. *Flores* inodori, plures ſimul juncti petiolo longo in ſurculis proveniunt, quinq; oblongo-teretibus, acuminatis, intus albicantibus, extus viridibus ac ſubaſperis, & exteriora versùs reflexis foliis conſtantes *ſtaminulis* aliquot albicantibus, flaveſcentibus *apicibus* ornatis, medium occupantibus: inter quæ *ſtylus* prodit viridis, ſurrectus, capitulo plano. Floribus ſuccedunt *baccæ* plano-rotundæ, virides primùm, dein flaveſcentes ac croceæ, longíſq; albicantibus pilis obſitæ: intus continentur oſſicula quatuor, dura, albicantia, *nucleos* includentia, candidos amaros.

Locus. Provenit variis Regni Malabarici locis, præſertim circa *Porca*, *Cochin* & *Calicolan*: ſemper viret, quotannis menſe Julio floret, Novembri autem maturos fert fructus.

Vires. E foliis, radicibus, fructibúſque in aqua coctis Apozema conficitur, quod in Arthritide perquam utile perhibetur.

CAP. VIII.

Frutex Indicus baccifer floribus umbellatis, fructu tetracocco. *Sondari* H. M. *P.* 5. *T.* 40. *p.* 79.

H. M.

ARbuſcula humilis eſt, decem circiter pedes alta, *caudice* mediocriter craſſo, ramulíſq; viridibus in orbem diffuſis ornato. Lignum albicans, furvo cortice cinctum, necnon rufeſcente intus medullâ refertum. *Radix* nigricans, odora, ſaporis haud ingrati. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, ſupernè atro-viridia ac ſplendentia, infernè ſubviridia; coſta media craſſa, lignoſa, viridi-albicans, ac in averſa parte extuberans, è qua plures exiles nervuli ſuperiora versùs exoriuntur, qui in ſe invicem arcuatim deferuntur; ſapor ſylveſtris ac ingratus. *Flores* exigui, ſuaveolentes, candidi, *calycibus* exiguis ſubviridibus, in quinq; lacinias acuminatas ſectis, inhærentes, extremis ramulis umbellatim proveniunt, pentaphylli, è quinis ſcil. acuminatis foliolis, inferiùs junctis conſtantes; totidem ſtaminulis albicantibus, rufeſcentibus *apicibus* ornatis, medium occupantibus: inter quæ *ſtylus* prodit exiguus, viridi-albicans, ac ſupernè bifidus, cujus baſis eſt globulus exiguus, viridis. Floſculis ſuccedunt *baccæ* tetracoccæ, aliquando pentacoccæ, virides primùm & nitentes, dein flaveſcentes, tandem maturiores nigricantes, carne intus refertæ ſucculenta, nigricante, aromatica, intra quam quatuor plurimum continentur *oſſicula* ſcabra, triquetra, albo-rufeſcentia.

Locus & Tempus. Creſcit in variis Regni Malabarici locis, præſertim circa *Cranganoor*; ſemper viret, quotannis floret ac maturos exhibet fructus, menſe viz. Septembri.

In Medicina vix ullum habet uſum.

Cap. IX.

Frutex Indicus baccifer, floribus racemoſis fructu oblongo, tetrapyreno. Perin-Panel H. M. *P.* 5. *T.* 15. *P.* 29.

H. M.

FRutex ſeu Arbuſcula humilis, quatuor circiter pedes alta, *caudice* tenui, albicante, cortice obducto cinereo, intus viridi, aromatico. *Radix* denſa, albicans, furvo cortice tecta, ſaporis acris, odoris aromatici. *Folia* geminata ordine parallelo circa ramulos craſſis ac ſubviridibus petiolis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, tenuia, ſupernè colore atro-viridi ſplendentia, infernè viridi dilutiore, coſtâ mediâ craſsâ. *Flores* racematim proveniunt, candidi primùm, dein rufeſcentes, quinq; teretibus, acuminatis, ac extrorſum reflexis foliis conſtantes, totidem albicantibus *ſtaminulis* flaveſcentibus *apicibus* ornatis mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus; inter quæ *ſtylus* prodit ſurrectus. Floribus delapſis ſuccedunt *Baccæ* oblongo-rotundæ, acuminatæ, craſſo, duro & atro-viridi cortice tectæ, pulpâ intus albicante primùm, dein ſubcœruleâ, aquoſâ ac inſipidâ refertæ. In meditullio decuſſatim quatuor latitant *ſemina* albicantia, dura, oblongo-rotunda, membranaceis pelliculis à ſe invicem ſejuncta.

Naſcitur Regni Malabarici variis in locis, præſertim in *Berkenkour:* ſemper viret, floret & fructum edit. *Locus.*

E foliis hujus ſiccatis & prunis impoſitis ſuffumigium fit, quod paroxyſmos hyſtericos potenter ſolvere fertur. *Vires.*

SECTIONIS III.

MEMBRUM QUARTUM.

De Arboribus & Fruticibus bacciferis, acinorum granis vel pluribus quatuor, vel numero nobis incognito, & nondum explorato.

Cap. I.

De Rhamno Cathartico ſeu Spina Cervinâ.

QUamvis arbuſcula hæc in ſingulis acinis plura quatuor grana non contineat, quia tamen granorum numerus nobis nondum exploratus eſt huc eam retulimus.

A. 1. *Rhamnus Catharticus* J. B. C. B. *ſolutivus* Ger. emac. *Solutivus, ſive Spina infectoria vulgaris* Park. **Buck-thorn, or common Purging-Thorn.**

J. B.

Celebravit Rhamnum catharticum uſus in purgando multus & felix, arbuſculam ſepibus alicubi amiliarem, cortice externo nigro veſtitam, cui duo alii ſubſunt, alter viridis, alter luteus, materie allida, dura, ramis ſatis crebris, iiſque ferè ex adverſo ſitis brachiatam, duris rigidiſque & longis pinis folioſis minacem, aculeis præterea aliis minoribus horrentem. *Folia* ad Pruni folia accedunt, cuminata, atro-virentia, crenata, nervoſa, adſtringenti ſapore. *Flores* herbacei coloris, parvos proert, quatuor apicibus conſtantes, multos ſimul junctos. Succedunt *baccæ* frequentes ad radicem pinarum, ex longiuſculis pediculis, Frangulæ pares, per maturitatem nigræ, ſucco virente plenæ, n quibus grana terna vel quaterna, Pyrorum granis pænè ſimilia, figurâ ferè triangulari, cortice nigricante, medullâ albâ, non ingrati ſaporis, quæ facilè ungue premente franguntur: ſapor baccarum marus, & aſtringens, & qui facilè guſtanti nauſeam moveat. Habet & ſuccus earum neſcio uem ſibi peculiarem odorem.

Locis ſenticoſis, ſepibus & ſylvis non raro occurrit in Anglia, Germania, Pannonia, &c. *Locus.*

Baccæ hujus fruticis tria colorum genera præbent. 1. Meſſis tempore lectæ, arefactæ & tuſæ, nque aqua & alumine maceratæ luteum ſeu eroceum potiùs reddunt colorem, ad chartas luſorias coria tingenda etiamnum in uſu. 2. Autumno cum maturitatem aſſecutæ nigræ evaſerint colectæ, tuſæ & in vaſe vitreo aſſervatæ pulchrè viridem exhibent colorem, quem **Sap-green** voant pictoribus accommodatiſſimum, & in magno uſu. 3. Circa Feſtum S. Martini in arboribus dhuc hærentes ſi legantur, Puniceum colorem reddunt (ut perhibet Tragus) iis qui coria inficiunt, chartas pictas coloribus illuſtrant utilem. *Uſus.*

Baccæ purgatrices ſunt, atq; craſſam pituitam & bilioſos quoq; humores per alvum educunt, ut onnulli volunt: Rectiùs earum vires æſtimant qui ad pituitam tenuem & ſeroſos humores edundos utuntur. Nos (inquit J. B.) peculiarem earum vim in ſero & aquoſis humoribus educendis perti ſumus: quapropter non raro earum ſyrupus ad uncias tres hydropicis præſcriptus notabili um ſucceſſu datur, atq; etiam exhibetur aridarum pulvis à ℨj. ad ℨiß. nonnulli baccas numero hibent à 15 ad 20. Verùm ob vehementiam mollibus & debilibus in ſubſtantia non ſunt exhibenda. *Vires.*

benda. In ſyrupo verò (pergit idem) quo quotidie & frequente utimur, etiam in delicatiſſimis naturis nullam moleſtiam effatu dignam unquam deprehendimus, & ſolvendo corpori accommodatiſſimum à multis jam annis cognovimus, etiam in nobis ipſis. Syrupum parandi modus in Pharmacopœiis vulgaribus extat. J. Bauhinus ſic fieri jubet. Succi baccarum maturarum extracti & ritè depurati lib. V. coquantur cum mellis optimi & Sacchari ℔ ß. ad Syrupi conſiſtentiam. Adde pro unaquaq, libra ſyrupi Cinnam. & ſeminum Aniſi conquaſſatorum ana ʒ ij. in pecia ligata immergantur. De hoc tuto ab ℥ j. ab ℥ ij. ſumi poteſt.'

2. *Rhamnus catharticus minor* C. B. *catharticus minor Pannonicus* Park. *ſolutivus minor* Ger. *ſolutivus pumilus Pannonicus* 1. *Cluſii* J. B.

Cluſ.

Bicubitalibus aſſurgit ramis, in multas alas diviſis, cortice lævi, Spinæ infectoriæ ſimili tectis, qui membrana ſuperiore detracta ex viridi palleſcit & amariuſculi ſaporis eſt. Ramuli paucis ſpinis horrent, ſed ipſi in ſpinas plerunque deſinere ſolent. *Folia* illi vulgari ferè ſimilia, minora, anguſtiora, ad Pruni ſylv. ſive Spini folia plurimùm accedentia, guſtu linguam exſiccante: *florem* ut in vulgari congeſtum, ejuſdem coloris & formæ, hoc eſt ex pallido herbaceum, tetrapetalon, minorem tamen habet: *radicem* ut in aliis fruticibus lignoſam.

Locus & Tempus. Exit frequens in Leytenberg & vicinis montanis ſylvis. Maio floret & Julio fructum perficit.

In planta ſicca J. Bauhini folia ex eodem tuberculo plura oriebantur, brevibus pediculis hærentia, unciam plus minùs longa, ſemunciam lata, acuminata, circumcirca crenata, lævia, Baccæ ſiccæ Terebinthi fructum referebant, tum magnitudine, tum formâ turbinatâ, in acumen deſinente, pediculis ſemuncialibus appenſæ.

3. *Rhamnus foliis oblongis ſerratis* C. B. *Bavaricus* Park. *Bavaricus Dalechampii* J. B.

Lugd.

Hominis altitudinem ſuperat, cortice eſt purpuraſcente, ſpinoſo, foliis denſis, pallidis, omnibus ſerratis, ſed aliis longioribus & anguſtioribus prima ſci. ramorum parte, nec Ilici diſſimilibus, aliis brevioribus & rotundioribus circa ramorum extrema, Rhois folia utcunque æmulantibus, ſpinis multis, tenuibus ſed acutiſſimis folioſis ut in primo Rhamno. *Matth.*

Botanici Ingolſtadienſes orandi ſunt ut hujus fruticis hiſtoriam illuſtrent & perficiant, addita florum & fructuum deſcriptione.

4. *Rhamnus Siculus pentaphyllos* Boccon. *ad baccifer. monococcos referend.*

Elegans hic frutex compluribus virgultis Pruni ſylveſtris modo exoritur, & humanæ proceritatis modum nonnunquam ſuperat. Huic rami multiplices, duris & craſſioribus ſpinis armati. Folia in ſingulis pediculis quinas, quorum ſingula Jaſmini lutei foliis ſunt anguſtiora, indiviſa, versùs extremum latiora atque rotundiora hilari virore nitentia. *Flores* candidi, plures ab uno pediculo, tenui, longo, racemoſo penduli; quibus fatiſcentibus ſuccedunt *baccæ*, Myrtillorum baccis ſimiles, aſt majores per maturitatem rubræ, putamine oſſeo & duro præditæ, in quo nucleus tenui membrana veſtitus.

Locus. Prope Panormum in agro dicto *Fundaco dell' Abbate* ad ſepes. In Africa etiam naſci nonnulli dicunt. A colonis & villicis circa Panormum dicitur *Zaccati.*

CAP. II.

De Lycio.

LYcium Veterum quid fuit hodie ignoratur. Lycium autem à Lycia provincia unde allatum fuit dictum creditur. Lycii hiſtoria apud Botanicos recentiores valdè confuſa eſt & intricata. Nullam novimus Lycii notam characteriſticam qua ab aliis ſpinoſis fruticibus, Rhamno præſertim, diſtinguatur; quocirca frutices hoc nomine à Botanicis donatas Rhamno ſubjungendas duximus. Nec tamen puto, genere inter ſe conveniunt ſtirpes omnes Lyciæ dictæ.

1. *Lycium Gallicum* J. B. C. B. *Paliurus altera peregrina* Ad. Lob. *item Lycium latifolium* C. B. *latifolium Monſpeliacum* Park. *item Lycium Gallicum Avenionenſe* ejuſdem.

J. B.

Spinis rigidiſſimis horret Oxyacanthæ Matthioli ſimilibus, circa quas *flores* parvi, multi ſimul ex brevibus pediculis, quibus ſuccedunt *baccæ*, quæ maturæ ſub pellicula continent *ſemina* oblonga, polita, ſtriata; exſiccatæ bicoccæ & tricoccæ apparent, baccis Spinæ Burgundicæ ſic ſatis ſimiles, amaræ valdè; Lugdunum adferuntur nomine *Grani tinctorii.* *Folia* ad Prunum ſylv. nonnihil accedentia, tenuia, minora, in ambitu aliquantulum ſerrata, nervoſa, decidua. In ſiccis nullum deprehendimus manifeſtum ſaporem.

Locus. Naſcitur in aſperis & ſaxoſis circa Avenionem & Carpentoracten.

Lycium Dalechamp. deſcribitur Spina tres cubitos alta, cortice in cinereum palleſcente, radicibus multis lignoſis, aculeis foliolis, fructu Piperis magnitudine, nigro, adnexo brevi pediculo, nunc triangulo, nunc quadrangulo, nunc cordis figurâ pro nucleorum numero, è cujus faſtigio pilus dupl ſubtiliſſimus eminent, ſapore ingrato & valdè amaro. Baccis ad tingendum ſericum aureo colo infectores utuntur & vocant *Granum tinctorium.* Hinc patet Lycium Dalechamp., eandem plant eſſe cum Lycio Gallico *J. B.* & *C. B.* Paliurum autem alterum peregrinum *Ad.* J. Bauhinus Lycio ſuo Gallico idem exiſtimat, & D. Magnol, qui illum prope Monſpelium obſervavit, in eadem eſt ſententia. Lycium ergo 4. ſive latifolium *C. B.* & 5. ſive Gallicum *ejuſdem* una & eadem Planta ſunt.

2. *Lycium Italicum* J. B. Park. *item Rhamnus ſolutivus Pannonicus* 2. *Cluſii* ejuſdem J. B. *Lycium facie Pruni ſyl. ſive Italicum* C. B. *item Lycium Buxi folio* ejuſdem. *Lycium vulgatius* Park.

Cluſ.

Spina infectoria Pannonica 2. Cluſii cubitales habet ramos, minimi interdum digiti craſſitudine, plerunque minores, nigro rugoſóque cortice obductos, ſuperiore parte in ramulos diviſos, qui tenuiore & læviore cortice tecti plerunque in acutam ſpinam deſinunt. *Folia* Myrti aut Pruni ſylv. potiùs, breviora tamen & minora, viridia, per ambitum nonnihil ſerrata, guſtu primùm adſtrin- ente, deinde nonnihil amaricante. *Flores* inter folia herbacei, tetrapetali : *Fructus* deinde Spinæ in- ectoriæ vulgari haud abſimiles: binis, nonnunquam etiam ternis, commiſſuris diſtincti, initio viri- es, deinde per maturitatem nigri. *Radix* craſſa, lignoſa, dura, raras fibras in latera ſpargens.

Locus.

Naſcitur copioſè in monte Badenſibus thermis imminente, loco petroſo & ſalebroſo.

Conſiderandum Botanicis proponit J. Bauhinus quantum differat hic Rhamnus à Lycio Gallico: erùm oſtendit J. Pona non differre eum à Lycio Italico; cujus baccas duntaxat à Cortuſo miſſas monte Baldo deſcribit J. Bauhinus. Similes (inquit) erant baccis Lycii Gallici, colore tamen fferebant: erant enim purpuraſcentes & ferè nigræ: Semina in baccis ad Berberin accedebant, bre- ora tamen, lucida, polita, colore ſubfuſco, aut è puniceo in nigrum vergente, pæne triangula, in- ea quædam ſulcata: Saporem amarum non deprehendimus, ſed aliàs ingratum. Quædam etiam ccæ anguloſæ apparebant.

Lycium *Matth.* quod C. Bauhinus ab Italico diſtinctum facit, & Lycium Buxi folio appellat, J. uhinus pro hoc habet, & rectè noſtro judicio: iconem autem *Matth.* quem & alii adhibent, ficti- m eſſe demonſtrat. Vid. Hiſt. Plant. lib. 6. c. 26.

Lycium ſive Pyxacantham Narbonenſium *Adv.* quo pertineat tum C. Bauhinus, tum Joannes ter dubitant: hic ad Lycium ſuum primum ſeu Buxi folio, ille ad Lycium Gallicum refert ſed bitanter.

3. *Lycium Cretenſe, ſive Berberis Cretica* J. B. *Berberis Alpina Cretica* C. B.

J. B.

Lycii Cretenſis baccæ differunt à Lycii Gallici baccis, non enim ſiccæ monſtrant angulos, nec m ſunt amaræ. Differunt etiam à baccis ex Italia à Cortuſo miſſis, ſunt enim tales quæ paſ- s Corinthiacas dictas referunt pelliculâ ſuâ corrugatâ, argumento recentes ſucco refertas fuiſſe. defactæ chartam purpureo ac violaceo eleganti tingunt. In his grana ſunt minora, nec ita lu- ut in Lycio Cortuſiano. Folia quoque differunt à Lycio Gallico, ſunt enim anguſtiora, oblonga circumſcriptione ovata, nec in longiuſculum pediculum ut illa deſinunt. Hanc plantam Bellus ſic ribit.

rutex eſt ad quatuor aut quinque cubitos aſſurgens, totus ſpinis horridus, ſpinaſque tres ſimul in Berberi vulgari) referens *Folia* habet parva ad Buxi foliorum formam accedentia, leniter ata: *Flores* copioſos, luteos inſtar Paliuri, ſed minores, quibus ſuccedunt fructus, aliquantulum gi, ut Berberis *fructus*, coloris autem nigri, ſaporis inter acidum & dulcem medii, in quibus vel m, vel duo granula continentur. Cortex ligni non lævis ut Berberi, ſed aſper & pallidus eſt: eries ligni lutea atque radix elegantiſſimo luteo inficit.

Locus.

ritur in altiſſimorum montium convallibus. Differt autem à Berberi, cujus folia majora ſunt, uctus racematim naſcuntur. Legitimum verò Lycium non eſt, quia fructus neque rotundus ut er, neque amarus eſt. In Libano etiam monte frequentiſſimus invenitur.

4. *Lycium Creticum alterum* Park. Λαζηγίει & Πετρεαμύγδαλα, i. e. *Amygdala petræa, licet cum Amygdalis nihil commune habeat.* Bell. Ep. 1.

Bel.

rutex eſt ad duorum aut trium cubitorum altitudinem aſſurgens, denſus, *folia* parva firmáque ns; ſpinis totus plenus eſt, & *fructum* rotundum fermè, parvum ut Piper habet, cùm ad matu- em pervenit nigricantem. *Radix* lignoſa eſt, maxima eáque firmiſſima. Hebræi ex hujus fructu antem colorem luteum parant.

5. *Lycium Indicum foliis Pruni* C. B. *legitimum Rauwolfii* Park. *Lycium in Libano proveniens* Bel. Ep. 1.

rutex ſpinoſus peregrinus, Arabibus Hudhadh, incolis Zaroa *Rauwolf.* in plantis montis Libani.

6. *Lycium Hiſpanicum folio Buxi* C. B. Park. *Lycium quorundam folio Myrti Tarentinæ aut Buxi* J. B.

Cluſ.

utex eſt ſpinoſus, multas ab radice virgas proferens, cubitales, ſæpenumero ampliores, rectas, as, tenues, rubentes, multis ramulis præditas, qui in acutam ſpinam plerunque deſinant, ta- alios hinc inde ſparſos aculeos, breves interdum & infirmos, nonnunquam verò oblongos, fir- & multis foliis obſitos, ut in Rhamno primo habeant. *Folia* nullo ordine digeſta, Spini, ſed breviora, Myrti Tarentinæ aut Buxi quodammodo æmula, guſtu lenta, & cum aliqua acidi- ordicantia. Nec florem, nec fructum vidit Cluſius.

Locus. Apud Complutum aliiſque Caſtellæ veteris locis, & Bæticæ parte, quam vulgo Extremaduram vocant, circa fluenta, & declivibus locis, hyeme exundantibus naſcentem obſervavit Cluſius.

Caſtellanis ſcoparum uſum præbet: componitur etiam in faſciculos piſtorum fornacibus calfaciendis idoneos.

Lycium Hiſpanicum *Lob.* non huc refert cum Lugdunenſi J. Bauhinus, ſed ad Rhamnum 3. Cluſ. C. Bauhinus eúmque ſecutus Parkinſonus pro diſtincta Lycii ſpecie habent, & Lycium Hiſpanicum folio oblongo vocant. Judicent periti.

7. *Frutex exiguus foliolis confertis* C. B. *Tamoxo* Cluſ.

J. B.

Pedali altitudine aſſurgit, frequentibus ramuſculis præditus, qui adeo exiguis & confertis foliolis onuſti ſunt, ut ramuſculorum lignum vix conſpici poſſit. Ea ex cineraceo virentia ſunt & extremæ amaritudinis.

Locus. In incultis naſcitur.

8. *Lycium Garciæ ſive Cate* J. B. *Lyc. Indicum putatum Garciæ* Park. *Lycium foliis Ericæ* C. B. *Arbor ſpinoſa ex quâ Lycium ſeu Cate exprimitur* Bont.

Garc.

Arbor ex qua ſuccus *Cate* Indis dictus extrahitur magnitudine eſt Fraxini, folio minuto Ericæ vel Tamarici ſimillimo. Florere aiunt; ſed fructum ferre negant: multis ſpinis horret. Materies ligni robuſta, dura, denſa, ponderoſa, nec (ut aiunt) putredini obnoxia, ſive Solibus exponatur, ſive aquis immergatur.

Porro ſucci extrahendi hæc eſt ratio; Ramos hujus arboris minutim conciſos elixant: deinde contundunt, poſtmodum cum farina *Nachani* (ſemen id eſt nigrum & minutum, ſapore Secalis conficiendis panibus aptum) & cujuſdam nigri ligni, quod iſthic naſcitur ſcobe (interdum ſine eo) paſtilli aut tabellæ formantur, quæ in umbra ſiccantur, nè Solis ardore earum facultas evaporet.

Locus. In Cambaya, Baſaim, & pluribus aliis Indiæ locis provenit: in Sinarum regionem & Malacam deportatur.

Vires. In maſticatoriis, ad gingivas mollificandas & relaxandas confirmandáſque plurimus illius cum Betre uſus eſt. Medicamentum eſt cum amaritudine adſtringens & exſiccans, ad alvi profluvia curanda, & oculorum dolores tollendos optimum, in quibus plerunque optimo cum ſucceſſu uſus ſum (inquit Garcias.) Ex ligno propter duritiem & pondus piſtilla fiunt deglumandæ Oryzæ idonea in mortariis ligneis, ſex palmos in ambitu continentibus.

Cæterùm *Caten* Indicam Lycium Veterum eſſe non poſſe (ut opinatus eſt Garcias) facile eſſet oſtendere: ſiquidem Lycium Dioſc. folia Buxi habeat, & puſilla ſit arbor.

Bontius paulo pleniùs hanc arborem deſcribit l. 6. c. 3. Creberrimis inquiens in trunco & ramis ſpinis eſt obſitus, foliis ferè Sabinæ vel *arboris Vitæ*, ſed non tam pinguibus & craſſis. Cæterùm Fabas rotundas fert, punicei coloris, in quibus tres, aut ad ſummum quatuor nuces clauſæ latent, tanta duritie ut dentibus frangi nequeant: Hiſce pueri apud nos loco ſphæricarum lateritiarum in luſu ſuo utuntur. Sapor foliorum aſtringens, unde eorum expreſſo in ulceribus uſus eſt Bontius in aliorum medicamentorum defectu: idem è cortice & foliis multoties præſtantiſſimum excoxit. Lycium Cupreſſi aut Arboris vitæ ſpecies videtur.

9. *Lycium Indicum creditum Alpino* Park. *Indicum Alpino putatum* J. B. *Lyc. Indicum alterum* (Uzeg.) C. B.

Alpin.

Frutex eſt multis ramis rectiſſimis, ab *radicibus* multis, duris, lignoſis obliquè incidentibus, longitudine trium cubitorum & plus obſervatis ſurſum aſſurgens; ramíſque ſpinæ acutiſſimæ, & longæ multæque inſunt, quorum quædam foliolis veſtita ſpectantur. [*Folia* circa ſpinarum baſes non quaterna tantùm, ſed plura diſpari magnitudine conſurgunt, Olivæ foliis minora, magíſque tenella, nec in acumen anguſtata, ſed Buxeorum inſtar rotunda *Veſling.*] *Flores* ut minuti, ſic numeroſi exiſtunt, non ventricoſi, ſed à contractiore tubulo ſenſim ampliati amabilem in riſum hiulca labia diducunt. Sinum intimum flavedine tingunt, purpureis aliquot punctis receſſu foliorum inſcripti, reliquo corpore hyacinthi ferruginem Violis permiſcent, utroque tamen dapſili halitûs gratiſſimi exſpira longè ſuaviores. Ex his fructus nigri, parvi producuntur, Ebuli fructibus prorſus ſimiles, læves, gu amari & adſtringentes.

An ſuccus ex hoc frutice paretur quem Lycium Indicum vetuſtiſſimi Auctores nominârunt notis plantæ facilius divinari licet, quàm ex Ægyptiorum ſermone colligere, inquit Veſlingius.

Locus. Supra ripas rami Nili *Calig* vocati decem millibus paſſuum ſupra Alexandriam urbem invenit Alpinus.

Vires. Qui ex vicinis Arabiæ atque Æthiopiæ locis huc in utribus affertur condenſatus ſuccus, ſaltem rite paratus ſit, Lycii Indici indolem minimè obſcuris ſignis exhibet, inquit Veſlingius. Alpi adulterinum eſſe putat, quòd neque amaritudinem habeat, neque incenſum rubeſcentem ſpum edat. Hoc ſucco in omnibus ulceribus ùtuntur Ægyptii, præſertim oris, aurium, narium, ani, in teſtinorúmque: ad ſputum etiam ſanguinis, ad dyſenteriam & diarrhœam, alióſque fluxus alvi uteri. Illitum quamcunque partem à fluxu humorum valenter defendit.

Modus præparandi Lycium Indicum ex Acaciæ quadam ſpecie extat in Ephem. German. An. Obſ. 1. p. 9, 10, 11.

10. Ly

10. *Lycio affinis Ægyptiaca* C. B. *Agiahalid Ægyptiaca Lycio affinis* Park. *Agiahalid Ægyptium folio Buxi, an Lycium?* J. B.

Arbor eſt magnitudine Pyri ſylv. ramis raris non multis, in rectum inæqualiter delatis ordinatim
cutiſſimis multis ſpinis obſita; *Folia* præ ſe ferens Buxi proxima, tamen latiora, pauca, rara, ſingula
el bina [etiam terna pluráve] æqualibus interſtitiis adnata: *Flores* habet parvos albos, Hyacinthi
Drientalis floribus ſimiles, ſed minores; à quibus prodeunt fructus nigri Ebuli ſimiles, guſtu ſubamari
adſtringentes.

Mihi ſanè hæc planta non videtur diverſa à præcedente, ſiquidem magnitudine præcipue differre
idetur & foliis Buxi æmulis. At Veſlingius præcedenti folia Buxi attribuit, quem nos in eo deſcri-
endo ſecuti ſumus.

Quid quod frutex ille quem Veſlingius Cayri in hortis ædibus Conſulum Venetorum proximis vi-
, *Agiahalid* Hortulanis dictus, quatuor vel quinque cubitorum altitudine, ipſo judice *Uzeg* Alpini
at.

CAP. III.

De Cappare.

Apparis Bodæo à Stapel dicitur non quòd in campis proveniat, ut vult Phavorinus, verùm, quòd
furori & melancholiæ medeatur, διὰ τὸ καταπαύειν ὀργήν.

1. *Capparis ſpinoſa folio rotundo* Park. *rotundiore folio* Ger. *ſpinoſa, fructu minore, folio rotundo* C. B. *ſpinoſa* J. B. **Capers.**

J. B.

mportunius nihil Capparum luxuriantibus longè latéque radicibus Veteres prodidere. Ipſe autem
tex multis etiam ſtolonibus præditus eſt, quos aduncæ ſpinæ deorſum ſpectantes Ruborum in mo-
m armant. *Folia* alterno poſitu naſcuntur, circinatæ rotunditatis, alias modicè acuminata, uncias
circiter lata, parùm variante longitudine, ſaporis perquam amari. Ex horum ſinu pediculi ſin-
res exeunt, longi, quibus capitula inſident viridantia, quæ explicata *florem* exhibent candidum,
parvulæ æmulum, medium obtinentibus infinitis fibrarum cirris. *Semen* pericarpio oblongo,
æ aut glandis figurâ, clauditur, multum, parvum, [Parkinſono durum, fuſcum, uvæ gigarto non-
ſimile.]

ocis arenoſis & ruderatis gaudet. Nos in muris & ruderibus Romæ, Senarum, Florentiæ & alibi *Locus.*
talia obſervavimus ſpontaneam; cultam circa Tolonam in Gallo-provincia, ad muros & mace-
In foraminibus ſci. murorum lapideorum, trium vel quatuor pedum intervallo prope terram
d factis, Cappares plantant. Gemmas florum adultas, antequam tamen explicentur, colligunt,
er trium quatuórve horarum ſpatium in umbra ſparſas relinquunt, donec flacceſcere incipiant,
mpediendum nè ſe aperiant. Tum vaſi immittunt, & acetum ſuper affundunt aſſerculo impo-
vas contegentes, adeóque contectas octiduum reſtare ſinunt. Deinde exemptas leniter premunt,
ecenti aceto infundunt per alterum octiduum. Eandem operationem iterum repetunt, expreſſis
mis & novo aceto tertiùm affuſo. Quo peracto, eas in dolia cum aceto recondunt. Nonnulli
n aceto admiſcent, quod genus muriæ præſtantius habetur & Cappares ad triennium integras
ncorruptas ſervat, nec colore nec ſapore à recentibus diſcernendas.

emmæ hoc modo conditæ ad nos tranſportantur & in frequenti uſu ſunt ad intinctus pro carni- *Vires.*
aſſis & elixis, nec minùs pro piſcibus: appetitum augent, & concoctionem promovent, hepati &
conferunt obſtructiones eorum reſerando.

obelius in *Adverſ.* majores Cappares quamvis pretio viliores præ minoribus, quæ cariores ſunt,
mendat, quòd minùs combibant muriam majores, &c. Quas vocat majores neſcimus, fortè in-
git fructus, qui interdum condiri ſolent, & Capparum longarum nomine advehi, teſte Parkin-
. At nunc dierum rarus vel nullus eorum uſus eſt in Anglia, proinde & importari deſierunt.
ntumvis autem Lobelius aliíve in Capparum conditarum uſum declamitent, nobis non minùs
riculo commodæ quàm palato gratæ videntur, nec ullum unquam in quotidiano earum uſu no-
entum percepimus, aut alios percepiſſe audivimus.

emorabile eſt (ſi modò verum) quod ſcribit Plinius, Ferunt (inquit) eos qui quotidie Cappa-
talicam edunt Paralyſi non periclitari, nec Lienis doloribus. Dioſcorides Cappareos fructus
em liquare aſſerit, ſi duarum drachmarum pondere cum vino bibantur ad dies 40. Coxendi-
quoque morbo & reſolutioni opitulantur, ruptis item ac convulſis. Ducunt & menſes, & pi-
n de capite detrahunt. Dentium item dolorem ſedant cum aceto cocti & colluti.
dem omnia, auctoribus Dioſcoride & Galeno, præſtat cortex, radicis imprimis, lienes ſci. in-
os ſiquid aliud juvat, tum intus aſſumptus, tum foris impoſitus, menſes educit, ulcera exterget
ccat: ad dolorem iſchiadicum valere dicitur & affectus arthriticos: Vitiligines etiam cum aceto
it, & chœradas [ſtrumas] & duros tumores digerit, idoneis ad ea medicamentis miſtus.

2. *Capparis ſpinoſa folio acuto* C. B. Park.

n alia in re à præcedente differt quàm figurâ foliorum, quæ acuminata ſunt.

3. *Capparis non ſpinoſa fructu majore* C. B. Park.

Vires.

Capparis vulgaris (auctore J. Bauhino) interdum ſine ſpinis mitiſque invenitur. Scribit Alpinus Cappares Alexandriæ majores quàm alibi inveniantur provenire, quos *Cappar* quoque appellant, ex quibus cortices radicum in uſu habent frequentiſſimo ad vermes necandos, ad movendos menſes, atq; ad quoſcunque tumores duros, præſertimque lienis ſanandos, pro quo indurato membro exhibent decoctum per os multis diebus, exteriùs ex corticis pulvere & aceto facto emplaſtro. In Arabia arboreſcit & hyeme folia retinet.

4. *Capparis arboreſcens fructu Juglandis magnitudine* C. B. *Arabica non ſpinoſa* Park. *Cappares arboreſcentes* J. B.

Cappares in Arabia invenimus pumilarum Ficuum altitudinem æquantes, ut nobis conſcendendæ fuerint ad earum fructus colligendos, ovi gallinacei magnitudine & ſemina intus continentes, Piperis inſtar calida: ipſæ Cappares Juglandibus magnitudine non cedunt. Ut vero album Sinapi in vinum Vernachiam injiciunt, nè ferveat, ſed diutiùs dulcedinem ſuam retineat; ſic Arabes iſtarum Capparum ſemina in ſuis Vinis commiſcere ſolent, ut dulcia ea conſervent. *Bellon. Obſ.* l. 2. c. 20.

5. *Capparis Sicula duplicata ſpina, folio acuto* Boccon.

Bocc.

Foliis eſt Paliuri, acutis in mucrone, ſed medio ſubrotundis, inordinatim diſpoſitis & annexis cauli, colore ex luteo langueſcente, glutinoſis; ad quorum exortum ſubtus geminæ utplurimum ſpinæ aduncæ adnaſcuntur. *Caulis Flos*, capſula, Semen à cæteris Capparis ſpeciebus nihil diſcrepant. Planta eſt perpetua, prope Agrigentum frequens, atque oppidum dictum *la Terra di Palmi*, ubi fruticoſum non raro vidimus.

6. *Badukka* H. M. P. 6. T. 57. p. 105. *Capparis arboreſcens Indica Badukka dicta, flore tetrapetalo.*

H. M.

Arbuſcula eſt caudice brachium craſſo, in hominis plus minus altitudinem adoleſcens. *Folia* aculeata ſpiſſa, mollia, è virore ſatura, eminente ab adverſo coſtâ, ſapore ſylveſtri ſunt, alternatim brevibus pediculis ramis inhærentia. *Flores* è calyce rigidiore, quadrifariam diviſo, albi, bini ternive, aliquando ſinguli, brevibus, è viridi-fuſcis pedunculis in foliaceorum ramuſculorum ſummitatibus inſiſtentes, quatuor conſtant petalis, quorum bina digitum minorem longa, ab infima parte in latum, ubi diviſuræ frequentiores, excreſcentia, tenuia admodum, utrinque molliſſima obducta lanugine, venulis ſtriata, levitérque erecta ſunt; bina verò ex anguſto latiora, è cœruleo alba opponuntur. *Stamina* verò plurima, in cœruleum vergentia, ſupernè albis, infernè cinereis exornata apicibus comitatur *ſtylus* longior craſſiórque, magis cœruleus, in conum deſinens.

Locus.

Arenarum amans in *Chanotti* & *Badoos* vulgatiſſima, atque ob florum elegantiam culta, domeſtica eſt, florens menſe Januario, planè equidem, * teſtibus Indigenis, ſterilis, ſed ſemper frondens.

* *Eorum teſtimonium parvi pendo; plus apud me valet conſtans naturæ analogia ad contrarium ſuadendum.*

Foliorum ſuccus aprinæ admixtus axungiæ linimentum antiarthriticum, decocta verò cum floribus folia potum alvum purgatione ſollicitantem præſtant, cujus exceptus vapor oris mundificat ulcera. Ipſi denique fructus cum lacte aſſumpti Venerem extinguunt. *Quomodo hoc? cùm fructus nullos ferat.*

7. *Solda* H. M. P. 6. T. 58. p. 103. *Capparis arboreſcens Indica flore pentapetalo Solda dicta.*

H. M.

Vires.

Arbuſcula iſthæc ramis eſt ſpadiceis. *Folia* è lato in cuſpidem exeuntia, ſupina in parte ſummè virentia nitentiáque, in prona è cinereo ruffa, è ſpadiceis enaſcuntur pediculis, coſta ſubtus ſolummodo eminente, multáſque diviſa in venas, intertexta. *Florum* quina petala oblonga, craſſa, carnoſa, intus glabra, albidula, poſtremo in flavum vergentia, exteriùs villoſa, è ſpadiceo rubella ſunt; ex albo flaveſcens, oblongior craſſiórque *ſtylus*, in medio turgidus, ubi multa eum circumveſtiunt purpurea *ſtamina*, in ſpadiceum excurrit caput.

Locus.

Solum diligit arenaceum; florum, quos menſe profert Martio, medio ſtylo includitur *ſemen* perexiguum. In *Cochin* utplurimum reperitur nunquam dimittens folia, quæ appoſita teſticulis eorum diſſipant tumores, pulveriſata medentur Enteroceli.

Hæc & præcedens arbuſcula, è genere *Capparum* ſunt, monente D. Commelino, & videntu earum eſſe quas Bellonius *Cappares non ſpinoſas, & Cappares Arabicas fructu ovi magnitudine, ſem Piperis inſtar vocat.*

CAP. IV.

1. *Erica erecta baccis candidis* C. B. *baccifera Luſitanica* J. B. *baccifera fructu albo* Park. *b cifera tenuifolia* Ger. **White-berried Heath.**

Cluſ.

FRuticoſa eſt, cubitalibus aſſurgens ramulis, fragilibus, nigriore quàm reliquæ cortice. Fo reliquis Ericis ſimilia habet, ſed nigriora & craſſiora, trino ordine circum ramulos diſpoſita, lidiuſculi cum quadam adſtrictione guſtûs. Septembri & Octobri fructum à reliquis differ tem ſummis ramulis inhærentem gerit, pulcherrimum, candidum tranſparentem, obſcuriores & aqu æquales uniones forma & colore referentem, ſucculentum, acidi ſaporis, tria grana dura plerunque continentem, qui Novembri exſiccatur & ſponte decidit. An floreat ignoro (inquit Cluſius) incolæ negabant & fructum paulatim intumeſcere, grandiuſculúmque fieri donec matureſcat affirmabant.

In una Luſitania hoc genus obſervabam, non procul Ulyſſippone inter *Rio frio* & *Aldea galega* ubi qui Tagum trajicere volunt naves conſcendunt, & etiam ſupra Ulyſſipponem ſolo admodum arenoſo copioſo ſuo fructu albo onuſtam, ut initio Mannæ grana iſti frutici inhærentia exiſtimarem, adeò procul aſpicienti impoſuerunt.

Septembri & Octobri fructum fert, qui Novembri exſiccatur & per ſe decidit. Fructus Septembri & Octobri menſibus Ulyſſippone invenitur; febrientibus exhibent ad ſitim quâ premuntur exſtinguendam: avide etiam fructus iſte à pueris & mulierculis expetitur. Si Acacalis eſt, aquam in qua maduerit ejus fructus ad collyria, quæ ad excitandam oculorum aciem conveniant addi teſtis eſt Dioſcorides.

A. 2. *Erica baccifera procumbens nigra* C. B. *baccif. procumbens* Ger. *baccif. nigra* Park. *baccif. Matthioli* J. B. **Berry-bearing Heath, or black-berried Heath, Crake-berries.**

Cluſ.

Humi diffuſa eſt, & latas occupat areas, multis ramis lignoſis, flexilibus tamen, conſtans, ex atro rufeſcente cortice tectis, qui interdum fibras agunt, ut latiùs ſerpere, & ſufficiens alimentum attrahere queant: Aſſurgentes ramulos numeroſa ambiunt foliola, ternis, interdum quaternis verſibus diſpoſita, craſſa & carnoſa, ſuperioris ferè ſimilia, ſapore primùm linguam exſiccante, deinde acri & linguam vellicante. Puſilli ad foliorum exortus floſculi, tribus foliolis conſtantes, coloris ex herbaceo ſubalbicantis, purpuraſcentibus ſtaminulis præditi. His ſuccedunt rotundæ *baccæ*, Juniperinis haud minores, initio virides, maturitate nigræ, & purpureo ſucco, uti mora, plenæ, in quibus multa inæqualia, & veluti triangula grana. *Radix* lignoſa & dura eſt.

In montibus udis Derbienſibus, Staffordienſibus, Eboracenſibus frequens eſt. Obſervavimus etiam in Ericetis elatioribus Warwicenſibus & alibi in Anglia, **Crow-berries** & **Crake-berries** incolæ vocant. Cluſius in *Sueberg* & *Snealben* celſiſſimarum Auſtriæ & Stiriæ Alpium jugis, menſe Julio & Auguſto florentem & immaturis maturíſque baccis onuſtam invenit, &c. *Locus.*

Schwenckfeldius plantam hanc πιθηκόκοκκον appellari poſſe arbitratur, quòd eſus baccarum ejus uberior capiti noxia quædam inferat ſymptomata, ad quæ deliræ ſubſequantur geſticulationes, ratione nonnihil interturbata, ut is qui ipſis uſus fuerit copioſiùs Simiarum inſtar ſe habere geſtu ridibundo videatur. Hinc plantam hanc deleteria facultate minimè carere contendunt, & ab ejus eſu omnino abſtinent, aliíſque fructuum uſum ſanctè interdicunt. *Vires.*

Fructum hujus plantæ in Dania innoxiè devoratum eſſe, & in alimentum plebeiorum cedere frequentiſſime teſtatur D. Ol. Borrichius in Act. Med. Tho. Bartholin. Ann. 1673. Obſ. 58. licet Matthiolus, Thalius, & Sennertus, necnon Schwenckfeldius, ut vidimus, ſcribant haſce baccas capiti noxias eſſe & deliras, geſticulationes inferre. Sed facultates rerum variantur pro ſolo, aere &c. D. *Tancred. Robinſon.* Ego tamen vix credo ullibi venenatam eſſe hanc baccam.

CAP. V.

Caa-opia Marcgrav. Piſon. Pao de Lacra *Luſitanis. Arbuſcula gummifera Braſilienſis, fructu Ceraſi magnitudine, gummi* Gutta-jemou *ſimili.*

Marcgr.

ARbor eſt haud magna, cortice è cinereo rufeſcente, ſtriis brunnis, ligno lento, in multos ramos ſe ſpargens. *Folia* habet ſolida, inferiùs ex viridi quaſi rufeſcentia, ſuperiùs dilute viridia & ſplendentia. Florum illius in umbellis congeſtorum exordia ſunt globuli brunni, magnitudine Lentis, qui ſuccedente tempore protrudunt flores, quinque foliolis conſtantes, ex viridi flaveſcentes, interiùs tomento albo veſtitos, & *ſtaminibus* ſubtilibus luteis refertos. Floribus ſuccedunt *baccæ*, primò virides, ceraſi magnitudine, rotundæ, molli cortice tectæ, quæ diſſectæ è cortice ſuo liquoris aliquid, eleganter flavi exſudant: intra corticem autem continetur pulpa alba, conſtans meris cylindris juxta ſe poſitis, qui invicem adhærent. In extremitate ramorum qui fructus ferunt ſemper duo folia acuminata brunni coloris compacta ſunt, & quaſi ſemiglutinata, haſtam ſeu venabulum figurâ referentia, quæ decerpta è pediculo ſuccum emittunt croceum.

Floret potiſſimum menſibus Novembri & Decembri: Januario & Februario maturæ ſunt baccæ. *Tempus.*

Si cortex hujus arboris incidatur, præſertim quando incipit florere, & linquatur per unum atque alterum diem exſudat lachrymam croceo-rubram, quæ coagulatur, initio mollis, ſed ſenſim indureſcit. Convenit colore & conſiſtentia cum *Gutta jemi,* & purgat eodem modo, atque diſſolvitur: eſt rufioris paulò coloris, crocei ferè, & tingit colore aureo paulò ſaturatiùs. Diſſolvitur in ſpiritu vini, & tincturam reddit croceam.

Olim affrictu hujus reſinæ in aqua diſſolutæ impetiginem tollebant. Licet minoris efficaciæ ſit quàm *Gutta gamba*; quod an inſitæ tarditati an præparandi modo ſit imputandum dubitat Piſo, tamen à ʒß. ad ʒj. per integram noctem in aceto Scyllitico aut Sp. v. macerata, & ex vino propinata ventrem ſolvit, fortitérque per inferiora exonerat: Rectiùs in pilulas conglobatum exhibetur, quàm in formâ liquida, quòd ob tenacitatem difficillimè diſſolvatur. *Vires.*

CAP. VI.

Jabotapita Marcgrav. Piſon. *Arbor baccifera racemoſa Braſilienſis, baccâ trigonâ proliferâ. Piſo.*

LItoralibus Braſiliæ locis luxuriat. Arbor eſt mediocris altitudinis, cortice griſeo, inæquali, ligno molli & lento: *Folia* fert alternatim oppoſita, dilutè viridia, & in certis ramulis copioſos *floſculos*, racematim congeſtos, pentapetalos, flavos, ſuaviſſimi odoris. *Fructus* quoque, qui matureſcit Martio menſe, provenit racematim, nimirum in quolibet pediculo bacca, magnitudine nuclei ceraſini, conica fere, vel quaſi triangularis: cuilibet autem baccæ aliæ tres quatuórve inſident ſine pediculis, ovales, ejuſdem cum inferiore magnitudinis; omnes colore nigri, ut Myrtilli noſtrates, & eodem modo tingentes, carent acinis, & ſunt ſaporis adſtringentis: eiſdem non ſolùm uſibus dicati quibus myrtilli Europæi, ſed & oleum in quotidianos uſus pro acetariis receptum ex iis exprimitur.

CAP. VII.

Baccifera Indica fructu rotundo, cuſpidato, Ceraſi magnitudine, polypyreno. Anavinga H. M. *P.* 4. *T.* 49. *p.* 101. *H. M.*

ARbor eſt mediæ magnitudinis, altitudine viginti, craſſitie vero ſex circiter pedum menſuram æquans, multíſque ramis furvis intúſque viridibus donata: lignum albicans, denſum, cinereo, glabro ac amaro cortice munitum. *Radix* rufa, fibroſa, nigricante cortice tecta, fœtida, amara. *Folia* alternatim ramulis inhærent, oblongo-rotunda, accuminata, & in ambitu quodammodo crenata, glabra, denſa, colore atro-viridi ſupernè ſplendentia, infernè viridi dilutiore, nervis aliquot è media coſta in latera excurrentibus; ſapor amarus, odor ingratus. *Flores* exigui, virides, inodori, ſaporíſque amari, brevibus petiolis ad foliorum exortum ramulis inhærent, atque è quatuor rotundis, intus concavis conſtant foliolis; ſex viridi-flaveſcentibus *ſtaminulis*, rubicundis *apicibus* ornatis medium occupantibus; inter quæ *ſtylus* prodit viridi-flaveſcens, capitulo rotundo. *Fructus* globoſi cum cuſpide in vertice, Ceraſorum magnitudine æmuli, virides, glabri, tenui pellicula cincti, carnéque viridi ſucculenta, ſaporíſque amari intus referti; intra quem numeroſa *ſemina* rufa Mali Punici in modum diſponuntur.

Locus & Tempus. Provenit locis arenoſis, in Malabar, præſertim circa *Cochin*; ſemper viret, quotannis maturos fert fructus, menſe viz. Auguſto.

Vires. Succus è fructibus expreſſus & exhibitus ſudores movet, ac morbis malignis medetur, necnon laxam ſervat alvum.

E foliis in aqua coctis balneum fit, quibuſcunque articulorum doloribus tollendis utile.

CAP. VIII.

Baccifera Indica floribus ad foliorum exortus, fructu ſulcato decapyreno. Pevetti H. M. *P.* 4. *T.* 55. *p.* 113. *Solanum ſomniferum Antiquorum* Alpin. exot. *fortè. H. M.*

ARbor eſt juſtæ magnitudinis, *caudice* craſſo, candido, cortice obducto cinereo, multíſque ramulis cinereis donato. *Radix* fibrata, albo-flaveſcens, rufo, intus purpureo, cortice tecta. *Folia* geminata, ordine parallelo ramulis inhærent, oblongo-rotunda ac in mucronem deſinentia, craſſa, glabra, mollia, nitentia, ſapore acido aſtringente, odore nullo. *Floſculi* plures ſimul juncti ad foliorum exortum ramulis inhærent, exigui, inodori, inſipidi; ſex teretibus, acuminatis, ſubflaveſcentibus, ac extrorſum reflexis foliolis conſtantes, medium occupante *ſtylo* exiguo, candido, capitulo flavo. Floſculis ſuccedunt *baccæ* plano-rotundæ, acuminatæ, decem angulis ſulcatæ, purpureæ, glabræ, nitentes, intúſque in decem loculamenta per membranaceas quaſdam pelliculas diſtinctæ, in quibus totidem locantur *ſemina*, oblongo-rotunda, triquetra, crocea, glabra, intus candida, amaro-dulcia, ità ut ſingula in ſingulis latitent cellulis.

Locus & Tempus. Provenit ubique in Malabar, præſertim circa *Paloerti*; ſemper viret, quotannis fructus fert, menſe viz. Auguſto, atque per octoginta non raró frugifera manet annos.

Vires. Ex arboris foliis unguentum conficitur vulnerarium.

CAP. IX.

Arbor baccifera Braſilienſis floribus ſpicatis, Uvæ criſpæ fructu. Mureci Braſilienſis Marcgr. Piſo. *Marcgr.*

COrtice eſt cinereo, & ligno fragili, *foliis* multis, ferè in frondes congeſtis, longis, & in extremitate latioribus quàm in exortu, non ſerratis, colore & lanugine Verbaſci foliis ſimilibus, juniora planè ſunt hirſuta & ruffa. *Floſculos* fert ſpicatim congeſtos, luteos, cum ſuis pediculis, quinque petalis deorſum incurvatis, orbiculatis, figura auriſcalpii cum manubrio rubro: in medio autem flore extant *ſtaminula* multa, ex flavo albicantia. *Fructus* ſunt baccæ magnitudine & figurâ fructuum Uvæ ſpinæ qui comeduntur. Maturi gratiſſimo quidem acore palatum vellicant, ſed ſtuporem tandem dentibus inferunt, ſimúlque adſtringendo intensè refrigerant. Quapropter probè condiri ſolent, & loco Berberis quibus ſapore & efficacia ſimiles ſunt ægris ad reſtringendam ſitim & ſtomachum recreandum exhibentur. *Piſo.*

Harum arborum quatuor minimùm diverſæ ſpecies numerantur. Earum duæ maximè celebres, & in uſu habentur *Mureci-petinga* & *Mureci-guacu* dictæ.

Arenoſa & ſitientia loca eas producunt, quæ omnes mediocris altitudinis ſunt. *Locus.*

Primi generis [hîcdeſcripti] corticibus retia & coria tinguntur, & contra putrefactionem muniuntur. Barbari ex iiſdem potiones conficiunt ad purgandam alvum, quod à me nondum comprobatum eſt. *Piſo.* *Vires & Uſus.*

CAP. X.

Ben-theca H. M. *P.* 4. *T.* 30. *p.* 63. *Baccifera racemoſa acinis oblongis polypyrenis Arecæ. H. M.*

Arbor hæc licèt nullam cum *Theka* ſimilitudinem habere videatur, ejus tamen ſpecies Indis habetur; eſtque procera, caudice denſo, albicante, cortice obducto cinereo, necnon ramulis cinereis ac glabris, in orbem diffuſis donato. *Radix* furva, odoris ſaporíſque ſylveſtris. *Folia* inordinatè circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda ac in mucronem deſinentia, ſupernè atro-viridia & nitentia, infernè ſubviridia & lanuginoſa, craſſa, denſa, longitudine ſpithamam, latitudine palmum æquantia, inodora, inſipida. *Flores* exigui, è viridi albicantes & ſuaveolentes racematim proveniunt, atque *calyci* inhærent exiguo viridíque: conſtant ii unico foliolo, ſed in quinque profundas lacinias diviſo, ſic ut plura videantur; quinque flaveſcentibus & acuminatis fibris medium occupantibus; intra quas *ſtylus* prodit erectus, capitulo viridi. Floribus pari fertilitate ſuccedunt *fructus*, oblongo-rotundi, virides primùm, dein rubicundi, glabri ac nitentes, *Arequæ* fructibus tenerioribus haud abſimiles, ſimilíque carne intus referti, intra quam plura continentur *ſemina*, oblongo-rotunda, furva, glabra, nitentia, nec minùs dura, duplici ordine locata, ac membranaceo diſſepimento, ſeu pariete intergerino ſejuncta: ſapor auſterus, odor nullus.

Creſcit locis montanis & arenoſis in *Teckenkour*: ſemper viret, quotannis floret & fructum fert, ac diu frugifera manet. *Locus.*

Ex arboris foliis cum melle medicamentum paratur, quod exhibitum ſudores movendo æſtum febrilem temperat & variolas expellit. *Vires.*

CAP. XI.

1. *Vetadagou* H. M. *P.* 5. *T.* 30. *p.* 59. *Baccifera Indica fructu rotundo atropurpureo pentacocco. H. M.*

Arbuſcula eſt humilis, ſeptem circiter pedes alta, *caudice* mediocriter craſſo, albicante, cinereo cortice munito, multíſque ramulis viridi-rubeſcentibus, ceu frondibus umbroſis in latum diffuſis, donato. *Radix* fibrata, albo-rufeſcens, inodora. *Folia* oblongo-rotunda, craſſa, mollia, glabra, ſplendentia ſupernè, nequaquam infernè; nervis aliquot è media coſta in latera excurrentibus: ſapor ſubamarus. *Floſculi* albicantes, quinis ſubrotundis foliolis conſtant; odor nullus. Floſculis ſuccedunt *Baccæ* rotundæ, atro-purpuraſcentes, quinque intus continentes *ſemina* ſolida, triquetra, albicantia primùm, dein rubeſcentia, tandem nigricantia.

Naſcitur variis Regni Malabarici locis, præſertim in *Angiecaimal*; ſemper viret, bis in anno fructus fert, Martio ſcil. & Septembri menſibus. *Locus & Tempus.*

E foliis contuſis & cum Seſami oleo coctis linimentum paratur, quod abdomini illitum difficili partui ſuccurrere, & retentas ſecundinas expellere fertur. *Vires.*

2. *Kal Vetadagou* H. M. *P.* 5. *T.* 31. *p.* 61.

Præcedenti perſimilis eſt præterquam quòd *folia* minora ſint & magis teretia; *Flores* rubicundi: *Baccæ* mali Aurantii coloris, acidíque ſaporis.

Provenit locis montanis & petroſis in *Teckencour*; viret perpetuò, quotannis floret fructúſque fert, menſe circiter Februario. *Locus.*

Vires eædem ſunt quæ præcedentis.

CAP. XII.

Arbor baccifera Braſilienſis cortice ſaponario fructu magno in quinque partes diſſiliente, polyſpermo. Ibcixuma Braſilienſibus Marcgrav. Piſ. *Marcgr.*

Arbor eſt inſtar Ceraſi ſylveſtris noſtratis, etiam ejuſmodi pæne *folia* per ambitum venuſtè ſerrata obtinet, cortice ex fuſco cinereo. Ad quodlibet folium, ſive illius pediculum, brevis enaſcitur pediculus continens *floſculos* parvos, quinque conſtantes foliis flavis deorſum xis, quaſi quinque uniones affixæ eſſent; in medio multa ſtaminula flava extant: ſúntque floſculi in umbellam congeſti. *Fructum* fert orbicularem magnitudine globuli luſorii, primò quidem viridem per totum ſignatum tuberculis fuſcis: immaturus adhuc conciſus continet materiam lentam inſtar viſci: maturus autem nigreſcit, & in quinque partes æquales ſponte finditur, continens *ſemina* fuſca ſuis cellulis incluſa, magnitudine ſeminis Sinapis, figuræ ex rotunda quaſi oblongæ.

Uſus. Cortex hujus arboris detractus glutinoſus eſt, & deraſa exteriori cute fuſca, ſeu recens, ſeu ſiccus uſurpatur, egregiæ ſaponis vicem implet, & tutò adhibetur ad omnia ad quæ ſapo Hiſpanicus. Longè præſtat fructui *Sabaom* ſeu *Quity*; ille enim acrimoniâ ſuâ nocet veſtibus, hîc autem nequaquam.

Locus. Naſcitur ubique in Braſiliâ, maximâ copiâ.

CAP. XIII.

Frutex Indicus baccifer fructu rotundo Polypyreno. Courou-Moelli H.M. *P.* 5. *T.* 39. *p.* 77.

ARbuſcula humilis eſt ſeu potiùs frutex, quatuor, quinqueve pedes altus, *caudice* tenui, cinereo cortice cincto, necnon ramulis viridibus, aculeis armatis, plurimíſque virgulis pullulantibus donato. *Radix* fibrata rufeſcens, inodora, inſipida. *Folia* in ramulis aculeatis proveniunt, oblongo-rotunda, in ambitu vix crenata, craſſa, denſa, ſupernè atro-viridia & ſplendentia, infernè ſubviridia, nervulis aliquot è media coſta in latera excurrentibus, ſapor ingratus, odor nullus. *Floſculi* ſubvirides, graveolentes, quinque acuminatis expanſíſque foliolis conſtantes; numeroſis *ſtaminulis* viridi-albicantibus, flaveſcentibus *apicibus* ornatis, ac in orbem expanſis, medium occupantibus. Floſculis ſuccedunt *baccæ* rotundæ, virides primùm dein rubræ, & per maturitatem nigricantes ac nitentes, carne intus ſucculenta & acida refertæ; intra quam *ſemina* continentur dura, oſſea, aſpera, anguloſa.

Locus. Naſcitur in *Baypin*, aliíſque locis arenoſis circa *Cochin*; ſemper viret, floret, fructumque fert.

Vires. Ex arboris foliis cum radice in lacte vaccino coctis potus fit, qui Antidotum habetur contra ſerpentum morſus. Ex cortice in oleo frixo linimentum conficitur contra Arthritidem. Fructus maturi in deliciis ab indigenis comeduntur.

CAP. XIV.

Arbor baccifera Braſilienſis floribus umbellatis Tiliæ. Caagua-cuba Braſilienſibus Marcgrav. *Marcgr.*

ARbor eſt parva, erecto *caudice* aſſurgens, haud craſſo tamen & ſine ramis: ſuperiùs autem ingentibus veſtitur foliis, copioſis, ſeſquipedem longis, plus quàm pedem latis cum inſignibus venis, ad tactum mollibus & hirſutis, ſupernè viridioribus quàm infernè. *Flores* fert parvos, umbellatim congeſtos, Floribus Tiliæ ſimiles, albos, quinque foliis conſtantes, & in medio habentes umbilicum luteum, odorem quoque florum Tiliæ. Cortex arboris cinereus, lignum fragile. Fructus maturus eſt niger, qui ab avibus comeditur.

Arbor trifolia Braſilienſis Populi tremulæ foliis. Iperoba Braſilienſibus Marcgrav.

Arbor eſt cortice cinereo, & punctulis albis variegat. *Folia* fert craſſiuſcula, ferè ſimilia foliis Tremulæ noſtratis, ex viridi cinerea, in quolibet pediculo duos aut tres digitos longo tria more Phaſeolorum appoſita. Lignum arboris album inſtar Betulæ, ad varia utile.

CAP. XV.

Poutaletsja H.M. *P.*4. *T.*57. *p.*117. *Baccifera Indica baccis oblongis in umbellæ formam diſpoſitis. H.M.*

ARbuſcula eſt humilis, *caudice* tenui, ex albo flaveſcente, cortice obducto furvo, multíſque ramulis viridibus, quadrangulis ac geniculatis donato. *Radix* albicans, cinereo cortice tecta, ſaporis unctuoſi & ſubadſtringentis. *Folia* geminata ordine parallelo circa ramulos proveniunt, oblongo-teretia, acuminata, craſſa, denſa, glabra, ſupernè viridia, nervis aliquot è media coſta albicante in latera excurrentibus. *Flores* exigui, inodori, inſipidi, extremis ramulis proveniunt, porrectíſque columellis umbellæ ſpecie panduntur, ac collo longiore inhærent calyci candido, lanuginoſo, quadripartito, quatuor cœruleo-purpureis, acuminatis & extrorſum reflexis foliolis conſtantes: foliola hæc totidem intercedunt *ſtaminula* alba cœruleis *apicibus* ornata, medium occupante *ſtylo* purpuraſcente. Floſculis decidentibus ſuccedunt *baccæ* oblongæ, ſubcœruleæ, intúſque ſeminibus numeroſis ac furvis refertæ, aromaticæ, inodoræ.

Locus. Creſcit ubique in Malabar, præſertim circa Cochin: ſemper viret. Julio & Auguſto menſibus flores fert; at diu ſuperſtes non eſt.

Vires. Porro ex arboris foliis in lacte coctis potus paratur, qui ſomnum prohibet, necnon Lethargo alióve ſoporoſo affectu laborantibus prodeſt. E foliis, floribus, cortice, radice, aliíſve ejus partibus in aqua coctis balneum fit Epilepſiæ aliíſque ſpaſmodicis affectibus utile.

CAP.

C A P. XVI.

· *Nalugu* H. M. *P.* 2. *F.* 26. *p.* 43. *Frutex baccifer Malabar. Floribus umbellatis pentapetalis, fructu
nigricante polyſpermo.*

H. M.

FRutex eſt ad altitudinem duûm hominum aſſurgens, naſcénſq; in arenoſis. *Radix* fibroſa, cortice
rufeſcente & fuſco, qui intus albicat, corculo in medio ligni ſubrubro. *Rami* & *ſurculi* nodoſi,
ſuperiores angulati, virides, ligno pauco, maximè ad corticem, & in filamenta fiſſili, cor-
lo intus molli. *Folia* in petiolis qui ad exortum extuberant, pinnata, è pinnarum foliorúmve
evibus & craſſiolis pediculis mediæ coſtæ adnexorum, binis, terníſve aut etiam quinis conjugatio-
bus, & impari coſtam terminante, compoſita. Sunt autem tum coſta media, tum petioli foliorum
nctulis aſperi pinnæ ipſæ oblongo-rotundæ, anteriùs parùm contractæ, ac cuſpide anguſto brevi
ninentes, in margine rotundis denticulis inciſæ ac criſpæ, lateribus versùs interiorem partem con-
actis, texturâ densâ, duriolâ, ſupernè obſcuro virore nitentes, ſubtus clariores, ſapore adſtringenti:
æ in extrema coſta eſt omnium maxima, ac anteriùs rotundioris oræ. E media coſta, quæ in
pina parte parùm eminet, nervi bini adverſi ordine exeunt obliquo annulari ac parallelo ductu
oximè ad marginem, &c. *Flores* umbellatim proveniunt in petiolis planis, qui in medio ſtriati, ac
nctulis ſubaſperi ſunt, ac è nodulis caulium erumpunt, parvi, quinque petalis acuminatis, deorſum
lexis compoſiti, coloris albicantis ac viridi-diluti. E medio flore eminet capitulum album, quod
vertice decem denticulis brevibus donatur, *ſtylum* parvum cum globulo viridi-diluto ex quo prodit
ſe recondens. *Calyx* florum parvulus eſt, conſtans foliis quinque cuſpidatis, viridi-dilutis, quibus
tè florem apprehendit. *Fructus* formâ plano-rotundi, per maturitatem cœruleo-nigri, carne intus
culenta, ſucco cœruleo ac nonnihil unctuoſo: comeſti os adurunt pungúntque: ſemina octo aut
vem ſingula continent, in orbem uno ſimplici ordine ſita, ac mediante carne fructûs à ſe mutuo
incta, ſúntque trium laterum, quorum duo plana ac unum rotundum, & coloris ruffi.

Bis hic frutex in anno flores fert tempore pluvioſo & æſtivo. *Tempus.*

Vires. Radix in decocto data dolores ſtomachi compeſcit, uti & dolores colicos & inteſtinorum tormina.
coctum ligni epotum ſedat ſitim in ægrotis. Folia trita & igne toſta vertiginem & debilitatem
itis tollunt iis appoſita. Eorundem decoctorum vapor exceptus proficuus eſt pro dolore arthriti-
. Succus ex foliis teneris expreſſus & epotus ſtomachi concoctionem adjuvat.

C A P. XVII.

Baccifera Indica umbellata flore pallido pentapetalo, rarò fructus ferens. Ramena-pou-Maram H. M.
P. 4. *T.* 61. *p.* 125.

M. H.

ARbor eſt procera, 70 circiter pedes alta, *caudice* craſſo, denſo, albicante, cortice obducto
furvo, ſcabroſo, ramulíſque plurimis, in orbem longè latéque diffuſis, donato. *Radix* fla-
veſcens, nigricante cortice tecta, odora, aromatica. *Folia* petiolis oblongis circa extremos
ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, craſſa, glabra, ſupernè atro-viridia, & ſplendentia,
ernè ſubviridia, odor ſuavis, ſapor ſylveſtris. Folia hæc cùm decidunt, haud ſecus ac *Modagam*
ia, ſtigmata ſui relinquendo circularibus prominentibúſque angulis arboris ramulos cingunt.
res extremis ramulis racematim inhærent, ſuaveolentes, quinque acuminatis, pallidè rubentibus,
us lanuginoſis, ac ſtellæ in modum expanſis foliolis conſtantes, medium occupante *ſtylo* candido,
ce ornato tripartito, ſupereminente in extremitate plumula albicante. Floribus *fructus* rarò ſuc-
unt; teſtantur tamen Malabarenſes nonnunquam *baccas* ferre hanc arborem oblongo-rotundas,
o-purpuraſcentes.

Creſcit locis montanis in Berkencour. *Locus.*

C A P. XVIII.

1. *Niruri* H. M. *Part.* 2. *Tab.* 27. *An Frutex Indicus baccifer Vitis Idææ ſecundæ Cluſii foliis*
Breyn?

H. M.

FRutex eſt altitudine ſeptem aut octo pedum, naſcens in arenoſis. *Radix* in brachia diviſa, ac
fibris capillaceis veſtita eſt, ligno duro, ac cortice aſtringente, qui ſub cuticula fuſca ruber eſt.
Stipites ac rami cortice ruffo, qui ſaporis ſubdulcis & adſtringentis eſt. E ramis hinc indè
deunt ſurculi foliacei valdè tenues, virides ac tenuiter piloſi; quibus folia breviſſimis petiolis hinc
e alternatim adhærent, parva, oblongo-rotunda, tenuia, plana, glabra, ſupernè obſcuriùs viridia,
tus dilutiora, ſapore nullo, niſi quòd diutiùs maſticata leviter pungant. *Flores* in ſurculis foliaceis
alis foliorum prodeunt, brevibus ac tenuiſſimis petiolis, parvuli, quinque petalis conſtantes, ro-
dis, inferiori parte rubris, anteriori ora albicantibus. In medio eſt *ſtylus* viridis, craſſiolus,
mordium fructûs, cum duobus ſtylulis ex adverſo oppoſitis, ac cinctus ad orificium florum quin-
e flavis nodulis. *Fructus* plano-rotundioli, cæruleo nigri, ſapore ſubdulci & ſubaſtringente, intus cùm
turi ſunt ſucco aqueo cœruleo repleti; *ſemina* parva anguſta continentes, trilatera, duobus lateri-
planis & uno rotundo circumſcripta, per maturitatem nigricantia, pulpa ſucculenta intus cœ-
ea.

Vires. *Radix* ſervit pro inflatione ventris, vel etiam alicujus partis tumefactione, trita & impoſita in modum placentulæ. *Folia* apoſtematis maturandis ſerviunt trita & cum lacte acido iis appoſita: ad quod etiam conducit foliorum & corticis ſimul tritorum cum aqua calida lotio.

2. *Katou-Nirouri* H. M. *p.* 5. *Tab.* 44.

H. M.

Arbuſcula humilis eſt, præcedenti valdè ſimilis. *Flores* exigui, rubeſcentes, tenuibus viridibúſque petiolis ad foliorum exortum, & extremis ſurculis proveniunt, ſex oblongo-rotundis ac expanſis foliolis conſtantes. Succedunt *Baccæ* plano-rotundæ, tricoccæ plurimùm, rubro-cœruleæ primùm, dein cœruleo-nigricantes *ſemina* ſex ſemilunaria intus continentes.

Locus. Provenit locis humidis ac arenoſis circa Cochin: ſemper viret, floret fructúmque fert.

Vires. E foliis in aqua communi coctis oris collutio conficitur ad eroſas gingivas ſanandas, dentéſque vacillantes roborandos. Ex foliis cum fructibus, cortice ac radice coctis balneum fit antiarthriticum. Ex radicis cortice cum Pipere longo & zinzibere cocto potus paratur, qui ad ventriculum roborandum, pituitoſóſque humores incidendos & attenuandos ſummè utilis perhibetur.

CAP. XIX.

De Fruticibus quibuſdam exoticis Vitis Idææ foliis aut fructu.

1. *Frutex Indicus baccifer Vitis Idææ ſecundæ Cluſii foliis*, Breyn. *Caju-manis Indis*, i. e. lign *dulce.*

FRutex videtur arboreus, pluribus tenuibus ramis diffuſus. Rami, quos nactus eſt Jac. Breynius, lignei erant, teretes, tenues & læves, utrinque ramulis inæquali ortu, plus palmaribus, inſtar Filicis plani alati: in quibus pariter, alternatim, tam plana diſpoſitione ab imo uſque ad ſummum *folia* multa, rotunda, Vitis Idææ ſecundæ *Cluſ.* æmula, ſolidiora, pronâ parte albida, ſupina viridia ſe ſiſtunt. Ex foliorum ſingulorum ſede vel *Floſculus* exiguus, muſcoſus, Caſſiæ Monſpelienſium non abſimilis, vel bacca jam eminet rotunda, nigricans, Piperis magnitudine, pythmene parvo, ſex granulis triangularibus referto.

2. *Frutex Æthiopicus baccifer foliis Myrtilli* Breyn. *Cent.* 1. *cap.* 5.

Breyn.

Solitudinum incola non procul à Promontorio bonæ Spei, lignum habet durum & album, cortice è gryſeo rufeſcente obductum; in multos autem diſpeſcitur ramos, & hi in plurimos densè conſtipatos ramulos, quos nulla ſerie digeſta ſed confuſa *folia*, brevibus pediculis inſidentia, per ambitum leniter ſerrata, viridia, ſupernè ſplendentia, infernè nequaquam, Vitis Idææ anguloſæ *J. B.* foliis paria, niſi quòd craſſiora & ſolidiora ambiunt. Baccas nigras, avibus maximè expetitus gerere dicitur.

Altera ſpecies in eo potiſſimùm differt à deſcripta, quòd denſioribus ac minoribus ramis, anguſtioribus & oblongioribus foliolis prædictus ſit.

Hujus fruticis mentionem fecimus inter Myrtos.

3. *Caaghiyuyo Braſilienſibus* Marcgrav. Piſ. *Frutex baccifer Braſilienſis, fructu racematim cong* *Myrtilli.*

Suffrutex eſt inſtar Rubi Idæi quoad magnitudinem. *Caulis* eſt planè lignoſus & hirſutus; *Foli* bina ſibi ſemper oppoſita, hirſuta, ad tactum mollia, leviter ſerrata, tribus eminentibus nervis ſecundum longitudinem conſpicua, tranſverſim autem multis venulis intertexta, ſuperiùs magis viridia quàm inferiùs, ac præterea ſuperiùs tuberculis per totum, inferiùs ſcrobiculis ſcatent: quodlibet tuberculum pilum habet albeſcentem. Fert *floſculos* in pediculis parvis duos, tres, quatuor ve quinque, in racemum ſibi appoſitos, albos, pentapetalos: poſt quorum caſum naſcuntur baccæ n græ, magnitudine baccarum Juniperi, dulcis ſaporis, quæ comeduntur ab Æthiopibus, & ſuccu dant inſtar Myrtilli ferè.

Vires. Foliorum pulvis ulceribus ex cauſa calida ortis inſperſus optimè illa curat.

Locus. Naſcitur pluribus locis in Braſilia.

CAP. XX.

Frutex baccifer fructu ad ſingulos flores multiplici. Narum-panel. H. M. *P.* 2. *F.* 10. *p.* 11.

H. M.

FRutex eſt altitudine quinque ſexve pedum, ac etiam juxta arbores quas amplectitur ad di triúmve hominum ſtaturam aſcendens. *Radix* fibris longis craſsíſque terræ ſe firmat, cort nigricante, intus rubeſcente, odore aromatico vegetiori quàm præcedentis [Panel.] C *dicis* quoque ac ramorum cortices nigricant. *Folia* petiolis curtis craſſiolis appenſa, oblongo-an ſtiora ſunt quàm primæ ſpeciei, cuſpide acuto venulíſque parùm extantibus ſtriata, atque adeò ſuperficie texturæ æquabilis ac glabræ. Viror foliis magis ſaturus, ac etiam cum nitore, ſu maximè parte: odor aromaticus, haud diſſimilis foliis Cinnamomi. *Flores* brevibus petiolis inſid ſex, rariùs ſeptem, petalis compoſiti, rotundis, oris in cuſpidem contractis, craſſis, rigidis, ex umbilico in planum explicatis, ac cuſpidibus orbiculatim rigida flexione æqualiter interiora versùs intortis; [unde flores roſas repræſentant] colore primùm viridi-fuſco, poſtea magis & magis rubeſcente donec tandem rubro-ſanguineo-ſurda evadant. E medio horum florum (ſi non potiùs folliculi dicendi ſunt) capitulum emicat rotundo-planum, albicans, in cujus parte ſuperiori gemmulæ oculatæ ac planæ denſo agmine in orbem conſitæ ſunt, ſubflavo primùm colore, è quibus multus tunc temporis humor unctuoſus exſudat, poſtea, ut & capitulum medium, ruffeſcente aut ex ruffo fuſcente. *Fructus* cùm adhuc tenerrimi ac velut prima germina, ſunt oblongo-anguſta ac veluti ſpicæ in capitulo florum, gemmis ejus oculatis inſita, quo capitulum rotundum, ſpicatum repræſentant: cùm autem in juſtam excrevere magnitudinem petiolis longis tenuibus ac ſurrectis gemmulis oculatis inſident, ac capitulum in orbem coronæ inſtar cingunt, ſunt-que oblongo-rotundi, longitudine fermè unius pollicis, latitudine dimidii: per maturitatem ex flavo rubeſcentes, odoris aromatici minùs vegeti, gingiberis viridis æmuli.

Semina, quibus fructus in totum repleti, plana utrinque oris rotundiolis, exceptis iis quæ in extremo fructu ſunt, quæ ab uno latere convexa, ordine ſuper ſe invicem velut totidem caſeoli, lateribus ſuis planis in latitudine fructûs ſita, membranis tenuibus ac ad oras carne tenui fructûs à ſe mutuò ſejuncta, ac ſub cortice fructus extuberantia, per maturitatem ex viridi ſubflava cum venulis fuſceſcentibus, cùm planè ſicca ſubrufa.

Vires. Oleum ex radicis corticibus per deſtillationem extractum cum aqua aſcendens eíque innatans, tenue, clarum & trideſcens, odoris minùs grati, pingue & ſubamarum, reſtinguendo ardori jecoris conducit, inque dolore capitis, &c. cholera exuſta; halitum male-olentem reficit, juvátque pro ſulcis oris, ut & radix trita mixta cum aqua & inuncta. Eadem trita & in aqua epota addito momento Sacchari confert in febre frigida & in ardore jecoris: eadem trita in aqua ſalſa ſeu marina ervit pro vermibus ex putrefactione humorum natis, facta inunctione membrorum. Ejuſdem cor- ex tritus & in aqua epotus proficuus eſt pro phlegmate & pro Angina, atque eodem modo juvat n febribus, ac in fluxu ſimplici ac dyſenterico, ut & in ardore hepatis & oris aperturis ac ſciſſuris.

Hanc arborem pro Nimbo Garciæ & Acoſtæ habet D. Commelinus: verum tum icones tum de- riptiones nimium diſtant: ſiquidem Nimbo Garciæ Fraxini magnitudine eſt, cùm Narum-panel uinque aut ſex pedum tantùm altitudine eſſe dicatur, nec fruticis modum excedat. Deinde flores imbo pentapetali ſunt & albi, Narumpanel vero hexapetali, & rubro-ſanguinei: tandem nec no- ina conveniunt. Vires autem attribuunt Nymbo ſuo Garcias & Acoſta ſequentes. Folia trita, & vulneribus cùm hominum tum jumentorum cum ſucco limonum impoſita miraculosè ea ſanant. oliorum item ſuccus perutilis eſt ſive per os ſumptus, ſolus, aut ex vino, aut aqua, aut gallinæ ſculo, ſive umbilico impoſitus ſolus, aut cum fellis bubuli momento, aut aceto, aut Aloe ad ne- ndos & expellendos omnis generis lumbricos: ideoque familiare admodum & ſalubre medica- entum eſt Malabarenſibus quoniam lumbricis valdè ſunt obnoxii. Magnus eſt etiam eorum uſus, m florum & fructus, in articulorum doloribus, tumoribus, membrorum debilitate & apoſte- atibus.

Olei etiam ex fructibus expreſſi magnus eſt uſus in nervorum doloribus, quo vulnera, nervorum ncturas & contractiones curant Malabarenſes.

Cap. XXI.

Baccifera Indica flore compoſito. *Mala-Elengi* H. M. *Part.* 5. *Tab.* 55.

H. M.

ARbor eſt juſtæ magnitudinis, 20 circiter pedes alta, caudice craſſo, flaveſcente, cinereo cortice cincto, ramuliſque viridibus pluribus donato. *Radix* albo-flaveſcens, amara, inodora. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, glabra, lævia, supernè atro-viridia, infernè viridia, odora, media coſta albicante. *Flores* inodori, albicantes, oblongis tenuibúſq; petiolis circa ramulos oveniunt, è quinq; floribus fiſtularibus compoſiti; ſingulis florem totalem componentibus floſculis s privatis calycibus donatis, *ſtaminibus* binis viridibus medium occupantibus; inter quæ capitulum pro- viridi-albicans, è cujus ſummo *ſtylus* emicat craſſior, brevis. Floſculis decidentibus ſuccedunt *ctus* oblongo-rotundi, viridi-flaveſcentes, cum cuſpide nigro in vertice, craſſo ac amaricante cor- cincti, intra quem continetur *nucleus* albicans, ſubamarus.

Locus. Creſcit variis Regni Malabarici locis, præſertim in *Baypin*, *Warapouli*, & *Angie caimaal*; ſemper et, quotannis floret & fructum profert.

Uſus in medicina. E foliis cum Pipere & Calamo aromatico in Seſami oleo coctis linimentum paratur, quod in ver- ne, Epilepſia, ſimilibúſq; cephalicis affectibus valde laudatur capiti inunctum.

Ex cortice cum thure & auripigmento unguentum conficitur, quod hepatis regioni inunctum af- ibus ejus potenter mederi fertur.

Fructuum nuclei cum pipere nodulo incluſi è collo geſtantur pro amuleto ad arcendam Epi- ſiam.

CAP. XXII.

Tangaraca Marcgr. *Tangar. II.* Piſon. *Erva do Rato Luſitanis.* *Frutex baccifer Braſilienſis, flore ſtaminoſo, fructu deleterio.*

FRutex eſt magnitudine Ribeſii, cortice cintereſcente: *Foliis* oblongis, viridibus, multis coſtis tranſverſis intertextis. Sunt autem ramuli & folia directè ſibi oppoſita, & hæc ſupernè viridia, infernè caneſcentia, ad tactum quaſi levi hirſutie prædita. In extremitate ramorum *flos* provenit, purpuro-brunni coloris, magnitudine clavellinarum Indicarum, plenus, petalis quatuor exterioribus paulò longioribus quàm reliqua, figurâ vomeris, quibus inferiùs adſtant octo ejuſdem figuræ minora, & medium totum floris ſpatium conſtat foliolis parvis purpureis, more florum Scabioſæ, è quorum medio prodit una bacca cœrulea, magnitudine Myrtillorum, ad viſum quaſi gemma Turcois flori eſſet impoſita, & flos ut holoſericum brunnum, ſed cave tibi ab eſu, eſt enim præſens venenum.

SECTIO QUARTA.

De Arboribus & Fruticibus fructu ex multis acinis compoſito.

CAP. I.

De Polygono baccifero, Uva marina *dicto.*

RAmulis & ſurculis Equiſeti æmulis, foliorum carentiâ, baccis Mori ſimilibus ab aliis fruticibus abunde diſtinguitur.

1. *Polygonum bacciferum ſcandens* C. B. *Ephedra ſive Anabaſis* Dod. Park.

Dod.

Ad Equiſeti ſimilitudinem accedit, verùm major & altior eſt; *caudice* ſubinde aſſurgit brachii craſſitudine, in alas diſtributo, à quibus tenues, deinde oblongæ, plurimis geniculis articulatæ virgulæ proveniunt, Equiſeti cirris ſimiles. *Floſculi* circa genicula muſcoſi, minuti, pallentes velut Corni, quos *fructus* excipiunt rubentes, acidi, ſucci pleni, exiguis moris haud abſimiles, *in quibus* ſemen. *Radix* dura eſt & lignoſa.

Aſſurgit in magnam ſæpe altitudinem, quandoq; brevior ac humilior conſiſtit: rariſſimè ſolitaria, ponè arborem vel fruticem ferè ſemper naſcitur, quarum etiam altitudinem aſſequitur.

Hæc ſi juxta arbuſculam primùm adoleſcentem naſcatur prout illa creſcit etiam attollitur, coméſq; in creſcendo illi fiet, etiamſi in immenſam altitudinem arbor attollatur. Vidimus enim Platanos non minùs celſas Abietibus in Hæmo monte naſcentibus, quæ Ephedram ad ſummum uſque faſtigium deduxerant, ſine clavicularum, (quas nullas habet) ope aut adminiculo ramis incumbentem. Si verò juxta fruticem aut arbuſculam naſcatur, humilis manet, nec ſupra eam attollitur. * *Bellonius.*

* *Obſerv. lib. 3. cap. 41.*

Parkinſonus noſter, neſcio unde edoctus, aſſerit hanc plantam cirris ſeu radiculis è geniculis emiſſis, corticibus arborum hederæ modo ſe affigere, eorúmq; adminiculo ſcandere. Hujuſmodi cirrorum apud Bellonium aut Dodonæum nulla mentio, quod ſciam.

Deſcriptio Dodonæi adeò convenit cum Cluſianâ plantæ inſequentis deſcriptione, ut mihi planè perſuadeam unam & eandem plantam eſſe quam uterq; deſcribit; an eadem ſit de qua ſcribit Bellonius mihi non conſtat, potiùs diverſam puto.

2. *Uva marina major* Ger. *Tragos ſive Uva marina major* J. B. *Polygonum bacciferum maritim majus* C. B. *Polyg.* 4 *baccif. ſive Uva marina major* Park. *Polyg. Plinii majus* Cluſ. **greater Sea-grape, or Shrub-Horſetail.**

Cluſ.

Humana interdum altitudine fruticat, Spartii, quod Hiſpani *Retamo* vocant, modo, brachi craſſitudinis aliquando ſtipite, oblongis ramis nigricantibus, qui deinde multas virgulas ferunt, p dales, tenues, multis internodiis diſtinctas, ut Equiſetum ferè propendentes, ſine foliis, admod adſtringentis ſaporis: *florem* ſecundùm internodia confertum, minutum & muſcoſum, Corni flori non abſimilem, pallidum: deinde *fructum* exiguis moris ſimilem (ut quidem mihi retulerunt inco nam florentem duntaxat videbam) rubentem, ſucculentum, acidum, in quo pauca grana, M ferè ſimilia.

Locus. In Sicilia propè *Punto Cerciolo,* obſervavimus humanâ altitudine, valdè fruticoſum.

Cluſius circa *Velez el rubio* in Regno Murciano, nuſquam alibi ſibi conſpectam.

Tempus. Floret Maio menſe: fructus Auguſto matureſcit.

In plantis hujus generis quas in Sicilia obſervavimus color ramorum adultiorum cinereus erat, v gularum juniorum obſcurè viridis. *Flores* nodos ſeu genicula verticillatim ambientes, lutei, è ſta nibus compoſiti. Baccas nondum protulerat.

3. *Uva marina minor* Ger. *Tragos ſive Uva marina minor* J. B. *Polygonum bacciferum maritimum minus* C.B. *Polygonum bacciferum minus, ſive Uva marina minor* Park. **The leſſer Sea-grape, or Shrub-Horſetail.**

J. B.

Frutex eſt parvus, vix interdum palmum excedens, nonnunquam cubitalis, *ſtipite* lignoſo, ſimlici, qui poſt ex uno velut capite complures profert ramos viridantes, ſtriatos, fractu contumaces, dſtringentes, medullâ viſcosâ [quæ reſiccata rubeſcit] plenos, crebris geniculis interceptos, inque requentes ramulos rurſum dividuos, quibus ex articulis duntaxat eſt exortus: atque in his quidem ec folia, nec foliorum ulla comparent veſtigia: Verùm è geniculis Equiſeti modo prodeuntes ramuli *flores* in ſummo ſuſtinent glomeratim congeſtos, multos, parvos, luteos, in *fructum* abituros ubi moris ſimilem, ex acinis rubris compactilem, ſapore dulci, nec ità tamen uti mora gratum, dulem tamen. Hiſce *ſemina* inſunt gemella, oblonga, quà ſe mutuò ſpectant plana, alterâ parte viter in gibbum protuberantia.

Locus. In arenoſis litoribus propè montem Ceti & Frontignanam, inque ſaxoſis collibus vicinis abunde rovenit. Frequentem invenit Cluſius in quodam colle ſecundo à Salmantica milliari, totius ferè iſpaniæ meditullio, longiſſimè à mari, quod ſatis mirari nequit, cùm antea nuſquam obſervaſſet ſi maritimis locis. *Verùm nos aliàs aliquammultas maritimas plantas in mediterraneis interdum procul mari naſcentes obſervavimus, ut v.g.* Kali ſpinoſum, Caryophyllum maritimum, Althæam vulgam, &c.

Equiſetum montanum Creticum *Alpin. exot.* huic eadem planta videtur; quòd ſi ità ſit, fructum l Bauhinus, vel (quod potiùs credo) Alpinus minùs rectè deſcribit, nihil tamen temere affirare auſim.

Cap. II.

Arbor Baccifera Braſilienſis, fructu tuberculis inæquali, Mori æmulo. Tataüba Braſilienſibus Marggr. & Piſon.

ARbor eſt cortice cinereo, ligno intus crocei coloris, partim & rufeſcentis. *Folia* fert acuminata & ſerrata, Betulæ foliis quodammodo ſimilia, in ramis hinc indè poſita. *Fructum* fert mediocris Mori magnitudine, rotundum, è tuberculis compoſitum, pallidi coloris, multa amenta exteriùs habentem, fuſca, non admodum longa. Comeduntur hi fructus ut Mora, vel r ſe, vel addito Saccharo & affuſo vino: interiùs continent albicantia granula, per carnem perſa.

Uſus. Lignum arboris valdè durum eſt, & diutiſſimè durat, tam intra, quàm extra aquam & terram, nper viride. Optimum eſt inter omnia, & excellit ligno *Maſarandübæ* quomodocunq; uſurpetur. ligno vetere parant tincturam egregiæ flavam coquendo.

Locus & Tempus. Naſcitur paſſim in ſylvis, præſertim maritimis: Fructus maturatur menſe Maio.

Cap. III.

De Rubo.

RUbus, Græcis Βάτος, vel quòd virgulta ejus rubeant dicta putatur, vel quòd mora ejus compreſſa ſanguineum ſuccum reddant.

Fructu è pluribus acinis arctè ſtipatis compoſito uni & ſimplici flori ſuccedente, foliis plura ſegmenta partitis, necnon parvitate & imbecillitate ſua à reliquis fruticibus bacciferis dinguitur.

A. 1. *Rubus major fructu nigro* J. B. *Rubus vulgaris, ſive Rubus fructu nigro* C. B. *Rubus vulgaris major* Park. **The common Bramble, or Black-berry-buſh.**

J. B.

Nihil vulgatius nôrunt dumeta Rubo, qui ex radice nodoſa importuna feracitate ſe propagans, ngè lateq; ſenticoſis & mordacibus ſarmentis, anguloſis, rubentibus vagatur. Si vicinis fulciatur altum craſſiores emittit virgas, quæ tamen & ipſæ gracilitate & proceritate ſua nimia in terram ractæ ac curvatæ, defixis in eam capitibus radicantur. Virgæ ſpinis aduncis & pungentibus acu vestiuntur; quibus prætereuntium veſtibus ſeſe affigunt, eóſq; remorantur. *Folia* terna, aut na in eodem pediculo ſerrata, aſpera, dorſo aculeato, inferna parte candicantia, ſuperiore nigritia, ſicco adſtringentiq; ſapore prædita: hyeme vix decidentia niſi altera ſuccreſcant. *Flores* albi, ex candido roſei, roſulæ inſtar, *apicibus* concoloribus: Mora rubra per maturitatem nigreſcunt, ſtis quibuſdam aſperiuſcula, acinis parvis, guſtu grato, dulci. Magna tamen eſt in hiſce moris oris reſpectu diverſitas: alia enim dulcacida ſunt & palato grata, alia planè dulcia & nauſeoſa, amaricant nonnihil, alia fatua & aquea ſunt.

Locus & Tempus. Frequens eſt ubique in ſepibus & dumetis. Maio menſe, & interdum etiam Julio & Auguſto flo- conſpicui ſunt. Fructus Auguſto & circa Autumnum maturitatem aſſequitur.

Vires. Omnibus propemodum hujus plantæ partibus multas vires attribuunt Veteres, de quibus Plinius & oſcorides conſulendi. Galeno Rubi folia, germina, flos, fructus & radix qualitate adſtringente ticipant, eaque non obſcura. Fructus immaturus aſtringit potenter, maturus temperatior eſt &

ſubaſtringit; hinc in quibuſcunq; profluviis, vomitu, fluxu alvi, uteri, narium, &c. utilis eſt: Extrinſecùs in aphthis aliiſq; ulceribus oris inq; vulneribus adſtringendis. Commendatur à nonnullis, nec præter rationem, ad Scorbutum; ſiquidem nec facie, nec qualitatibus multùm differre videtur à fructu Chamæmori Alpinæ, qui ad hunc morbum ſpecificum eſt. Quocirca non eſt cur eorum eſus tam ſeverè pueris interdicatur. Dices Galenum affirmare dolorem capitis inducere copioſè iis veſcentibus. At Tragus ſe id necdum expertum eſſe ſcribit. Verùm (inquies) teſtatur ipſe Tragus mora illa vehementer refrigerare, ità quidem ut ſi quis aquam ſuperbibat eum horrores febriles continuo obruere poſſe. E contra J. Bauhinus ſe ſæpiùs comediſſe copioſè, nec nocumentum ſenſiſſe ait, quamvis frigidum & humidum ac pituitoſum haberet ventriculum. Apud noſtrates infames ſunt quòd achores & tineam capitis cauſare credantur, unde & **Scaldberries** dicuntur & hoc nomine ab eorum eſu pueri deterrentur. Hoc ego pro populari errore habeo; nec puto eorum uſum hoc reſpectu magis nocivum eſſe quàm aliorum fructuum horariorum, qui ſi copioſè nimis ingerantur in ventriculo putreſcere apti ſunt, & hujuſmodi fortè affectus inducere.

E ſucco mororum Rubi vulgaris expreſſo & fermentato cum tantillo Sacchari parari poteſt vini quoddam genus ſatis generoſum & guſtui gratum.

Flores iiſdem viribus pollent quibus fructus immaturi.

Foliorum decoctum in gargariſmis & collutionibus ad aphthas & ulcera oris utiliſſimum cenſetur.

Rubi vulgaris baccæ ſuccum exhibent, qui in forma ſyrupi exhibitus maximæ efficaciæ eſt in dyſuria. *D. Needham.*

A. 2. *Rubus minor fructu cæruleo* J. B. *repens fructu cæſio* C. B. Ger. emac. *minor, Chamærubus ſive Humirubus* Park. **Dew-berry Bush, or Small Bramble.**

J. B.

Contractior hic Rubus, proximè jam dicto minor, parùm aut nihil interdum humo ſe tollit, reptatu gaudens, ſarmentis longè latéque diffuſis, Trago humi ſerpentibus, tenuiſſimis & aculeatis flagellis nunquam ſe attollens, ſed protinus deorſum vergens, & foliis minoribus, minúſque ſenticoſis, Trago auctore Lupulo reſpondentibus, niſi quod magis nigricant, ſpiniſque aſperioribus horrent. *Flores* ſimiles, Trago ex candido roſei, ſtellati: at *fructus*, qui minor, primò exortu viridis, paulò poſt rubro, per maturitatem cæſio vel cæruleo colore tingitur, piloſus ut Rubi præcedentis, guſtu pari, non injucundo velut arboris Mori: radice nodoſa.

Locus. Inter ſegetes & in arvis demeſſa ſegete, inque ſylvis cæduis frequens reperitur; ut interdum totos agros occupet tam cultos quàm incultos.

A. 3. *Rubus Idæus ſpinoſus fructu rubro* J. B. *Idæus ſpinoſus* C. B. *Idæus* Ger. Park. **The Rasp-berry-Bush, Framboiſe, or Hind-berry.**

J. B.

Rubus Idæus vulgari illo ſenticoſo minor & mitior, brevibus & ferè innoxiis ſpinulis horridus, interdum iis omnino carens, potiſſimùm (inquit Tragus) in virgis primo anno proſilientibus, ſarmentis tenuioribus, teretibus & plerunque rectis, tricubitalibus & altioribus. *Folia* terna aut quina in alæ modum diſpoſita, pediculo ſeſcunciam aut duas uncias longo, lævi annexa, Rubi vulgaris foliis ſimilia, ſed tenera & mollia, ſuperiùs atro-virentia, inferiùs incana, ut farinâ aſperſa videantur (inquit Tragus) ſapore auſtero. *Flores* albos excipiunt *mora*, per maturitatem rubentia, inter acinos pilis donata, dulci vinoſóque carnei coloris ſucco ebria. Tragus ait odorem uti fere Violam Martiam ſpirare. *Radix* eſt longa, per terram latè ſe ſpargens, quotannis ſurculos producens, qui ſecundo anno flores fructúſque proferunt.

Quin hæc planta ſit Rubus Idæus Dioſcoridis minimè dubitandum.

Locus. Uliginoſis & umbroſis ſylvis, locíſque minimè apricis, necnon rorulentis & arenoſis ſaxis gaudet, ut rectè J. Bauhinus. In montibus Walliæ, ínque Septentrionalibus Angliæ udis & ſaxoſis invenitur. In ſylvis etiam humidis agro Warwicenſi obſervavimus.

Vires. Hujus baccæ eaſdem vires obtinent quas Rubi vulgaris mora, magis tamen cordiales ſunt, & guſtui gratiores.

Aqua è moris Rubi Idæi deſtillata, vel eorundem conſerva & gelatina, vel ſyrupus è ſucco paratus, ad febres ardentes conducunt, tum propter manifeſtam refrigerandi facultatem, tum propter odorem ſuaviſſimum violaceum quem exſpirant, ſaporémque gratiſſimum inter dulcem & acidum, quibus & naribus & palato ſe commendant, córque roborant & exhilarant. Geſnerus ſyrupum vel ſapphyrinis & ſmaragdinis anteferre non dubitavit, ídque expertus in ſeipſo & aliis.

Ex moris Rubi Idæi exprimi poteſt vinum ad uſus multos, nimirum ventriculum imbecillum, alvi fluxus, varióſque gingivarum, dentium, uvulæ, palati, aliarúmque partium affectus.

Qui cibos in ventriculo continere nequeúnt, & frequentibus vomitionibus infeſtantur, his fructus Rubi Idæi devoratus, & folia recentia tuſa ac foris ſtomacho impoſita mirè proſunt. *Trag.* Tum foliorum tenellorum decoctum, tum folia ipſa trita & impoſita, tum aqua deſtillata pota & illita, inflammationes quaſcunque ſedant & reſtringunt, ut Tragus & alii volunt.

Folia Rubi lixivio decocta, ſi illo caput aliquoties abluas capillos denigrant.

Vino cui infuſa ſunt Rubi Idæi mora ſaporem & odorem gratum communicant. Ex ear etiam pulpa cum Saccharo laudatiſſima Bellaria fiunt.

Rubus Idæus fructu albo C. B.

Vix alia in re quàm fructus colore à præcedente differt, unde nec ſpecie diſtincta cenſenda e

4. *Rubus Idæus non ſpinoſus* J. B. *Rubus Idæus lævis* C. B.

Gignitur frequens (inquit Lugdun.) in Allobrogum monte Gratianopoli vicino, quem vocant *La Motte* caulibus multis ſeſquipedalibus, ut Idæus Chamæbatus jure nominari poſſit, folioſis, ſine ſpinis ullis, folio Rubo Idæo ſimili, averſa parte candido & lanuginoſo; fructu rubro, ſed non ut in ſuperiori rotundo & dulci, verùm ex granis ſic coagmentato, ut in metæ modum faſtigietur, acido ſapore etiam cùm maturuit. Incolæ vocant *Des Aſnes*, & ab Idæi Rubi fructu probè diſtinguunt, quem vocant *Des Ampes*.

Hiſtoria Lugdunenſis hanc habet pro Chamæbato ſeu Rubo Idæo altero Tragi. At oſtendit J. Bauhinus Chamæbatum illum eſſe Rubum Alpinum humilem *Geſn.* ſeu Chamærubum ſaxatilem C. B.

Rubus montanus odoratus Park.

An & quid differat ab hac planta conſiderandum vide deſcriptionem apud auctorem. Suſpicor Parkinſonum aliquo modo deceptum: nihildum enim de tali Rubo in Anglia naſcente aliunde naudivi.

5. *Rubus odoratus* Cornut.

Cornut.

Hujus fruticis *radix* Rubi vulgaris modo per ſumma ceſpitum vagatur. *Folia* fert ex longo pe-iculo leniter hirſuta, latiſſima, in angulos exeuntia, σκολοπώδη, hoc enim vocabulo Theophraſtus eculiarem iſtam foliorum figuram, quæ Viti, Aceri majori & Rubo communis eſt explicat. Alii Theophraſtus folium Rubo tribuit Ἀγνῶδες, hoc eſt, Viticis figurâ, quacum revera Rubi folia onveniunt, quod ad diviſuram attinet. Folia iſthæc fragrantiſſima ſunt, parémque Agrimoniæ doratæ aut Pimpinellæ odoratæ ſpirant odorem: ſine ordine circumpoſita ſunt caulibus, qui plu-mi & ramoſi à radice ſe attollunt, ſarmentoſi, flexiles, medullâ pleni, ſpinis vacui, molliter hir-ti. Nudantur foliis Autumno, præſertim in cacumine; cymæ etenim in hyemem uſque proro-ant moras, quo tempore & ipſæ cadunt, unáque & areſcit caulis, nec enim hyemis inclemen-iam patitur, ſed quotannis renovari ſolet. *Flores* fert in ſummo magnitudine & figura Roſæ ſimplicis quam Caninam vocant, pentapetalos petalis ſinuatis, colore dilutiſſimæ purpuræ violaceæ, in calicis ſui medio mille luteos apices complectentes ut Roſa: ſuccedítque tandem fructus vulgaris Rubi hortenſis figurâ, non adeò gratus ſapore, ſed formâ ſimilis, ὑπέρυθρος καὶ συμπεπλησμένος τῷ ῆς ῥοᾶς, h. e. quamplurimis acinis & granis rubris ità congeſtus ut Malum Granatum exempto cor-ce perbellè referat.

6. *Rubi facie ſenticoſa planta Lobelio* J. B. Park. *Rubus exoticus* C. B. *Clava Herculis* R. S. Muſ.

Quem Lobelius bacillus hujus fruticis deſcripſit, carpi craſſitie erat, longam haſtam æquans, & ortice nigro denſo veſtitus, tuberculis craſſis, ſenticoſis, creberrimis in clavæ modum muricato, olido, gravi & præduro ligno: unde Plantam à Rubo diverſam eſſe patet. Obſervat D. Grevius pinas mere corticales eſſe ut in Rubo, non ligneus, proinde & frangi faciles.

Rubus Monococcos Hermanni in *Cat. Hort. Lugd. Bat.* Rubi vulgaris varietas eſſe videtur.

CAP. IV.

Champacam * H. M. *An flos Indicus Champacca dictus* Bontii? *An Champe dicti flores Indici Garziæ* J. B. C. B?

* P. 1. F. 19. p. 31.

H. M.

ARbor eſt procera, denſis frondibus, latè ſparſis, naſcens in arenoſis. *Radix* cortice eſt ruſo, ſaporis amari & peracris. *Caudex* hominis amplexum implens, cortice craſſo cinereo tectus ſaporis amari & ſubacris, ligno albicante. Surculi rotundi cinerei, in apice ubi no-ello germine expullulant ſpadicei coloris. *Folia* petiolis uncialibus inſident, ſpithamam & am-liùs longa, latitudine quatuor aut quinque pollicum, in cuſpidem oblongam anguſtam contracta, xturâ duriola, plana & lævia, ſupernè obſcuro virore nitentia, infernè clariore, ſaporis acris & mari: coſtâ mediâ craſſâ, in averſa folii parte eminente, à qua obliquo & parallelo ductu nervi nteriora verſus exeunt, ac à margine reflexæ arcuatim in ſe invicem incurrunt, *ut in aliis multis lis obſervatur.* *Flores* in ſummis ſurculis è foliorum alis exeunt, petiolis craſſis, lenibus, ſurre-is ac ſeſcuncialibus, acuti ac fragrantis odoris, petalorum oblongo anguſtorum triplici ordine mpoſiti; petala in exteriori ordine octo, tripla ferme latitudine eorum quæ in medio ordine cto etiam plerunque ſunt, versùs ſummitatem magis rotunda, & nonnihil cuſpidata, minùs ta-en quàm medii ordinis. Quæ in intimo ordine parvula ſunt, brevia, versùs ſummitatem maxi-è cuſpidata, dilutè flava, ac veluti *Stamina* craſſiola, inferiùs circumambientia ſtylum craſ-m, teretem, nonnihil conicum, ſpicis parvis, viridibus, craſſiolis, cuſpidatis ſcutellatim circunda-m, ſúntque ſpicæ in cuſpide, quo inferiora versùs inflexæ, rubeſcentes, & rudimentum fructûs ntinentes. Floribus quoque ſapor aſtringens & acris eſt. *Fructus* racematim pediculo medio aſſo & tortuoſo petiolis craſſis & curtis circumſident, oblongo-rotundi, cortice craſſiolo, primùm ridi, cùm maturi ſunt flavo diluto albicante, ſapore peracri, odore minùs grato.

Stamina intus ſe invicem proximè contingunt ſine ullo interſepimento, ſúntque uno latere ro-ndo, ad fructûs formam, reliquis planis ubi ſe mutuò contingunt: conſtántque cum matura pul-tenui, humidâ, ſublactea, quæ membranâ incarnato-rubra eſt inveſtita, intus oſſe grandiuſculo gro.

Flores bis fert in anno, fructum non dat niſi cùm vetuſtior eſt.

Radix ejúſque cortex ſiccatus tritus & cùm lacte ſpiſſo, *Dayr* dicto, mixtus & impoſitus apoſtematis maturandis & aperiendis inſervit, in pulvere cum aqua calida exhibitus menſtrua & fœtum expellit.

Flores triti & cum oleo decocti facta inunctione cephalalgiæ, oculorum affectibus & podagræ conducunt; iidem in oleo per 40 dies inſolati eadem præſtant.

Aqua è floribus deſtillata odorifera eſt, & cor exhilarat.

Garcias formam florum *Champe* dictorum, aut ſtirpem cui innaſcuntur non deſcribit, tantùm dicit, eorum in Indiis magnum uſum eſſe, & odore graviori quàm Lilium album.

Sunt (inquit) odoribus adeò dediti regionis illius incolæ, ut plerunque cibo abſtineant, quò habeant unde odores ſibi comparare poſſint, ideóque non immeritò proniores in Venerem eſſe cenſentur. Munera quæ à tenuioribus offerri ſolent Regibus prædicti ſunt flores & Roſæ noſtrates, quibus ſolent cubicula Regis inſternere.

Nominis affinitas, florum gratiſſimus odor, aliæque quæ huic Plantæ ab Autoribus adſcribuntur circumſtantiæ non difficulter mihi perſuadent eandem eſſe cum ea quæ à Bontio cap. 45. deſcribitur, inquit D. *Syen* Comment. in hanc Arborem, quamvis fateatur ejuſdem deſcriptionem obſcuram eſſe, mutilam, quin & forſan vitioſam: cujus ſententiæ nos quoque ſubſcribimus.

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER VIGESIMUS NONUS,

QUI EST

De Arboribus Pomiferis quarum flos imò fructui adnaſcitur.

POmiferas arbores voco quæ fructum proferunt majorem, pericarpio donatum, & in plerisque polypyrenum. In pleriſque dico, quoniam pro Pomis habeo fructus omnes majores cortice craſſiore aut duriore tectos, quamvis unicum duntaxat intus nucleum contineant, modo pulpam humidam ſemen ambientem habeant. Ad Prunum enim conſtituendum requiruntur oſſiculum intus unicum, pulpa ſeu caro humida illud ambiens, & cutis exterior tenuis ac membranacea.

Hujuſmodi arbores ſunt vel fructu membrana tenuiore tecto, vel cortice craſſiore, eóque vel lliore vel duriore.

SECTIO I.

Pomiferæ fructu cute tenuiore ſeu membranacea tecto.

CAP. I.

Sorbus Spuria Malabarica Katou-Kaleſiam dicta. Katou-kaleſiam H. M. P. 4. T. 33. p. 69.

H. M.

ARbor eſt mediæ magnitudinis, altitudine viginti, craſſitie verò ſeptem pedum menſuram rarò ſuperans, multíſque ramis nodoſis donata, è quibus ramuli folioſi in orbem eleganter diffuſi demum emergunt: [*quos ramulos folioſos vocant nibil aliud ſunt quàm folia compoſita pinnata.*] Lignum albicans, prædurum, cortice munitum furvo, ſcabro, craſſo, molli, s ſubviridi. *Radix* albicans, furvo cortice tecta, inodora, inſipida. *Folia Kaleſiam* foliis ſimilia, denſa, fragilia & in ambitu ſerrata. *Flores* ſurculis oblongis racematim inhærent, atque è *calyce* flavo, in quinque lacinias acuminatas ſecto prodeunt, quinque craſſis, denſis, acuminatis, flave- ntibus, extrorſúmque reflexis foliolis conſtantes, octo in medio citrinis, acuminatis *ſtaminulis*; er quæ *ſtylus* prodit viridi-flaveſcens capitulo viridi, globoſo. *Fructus* globoſi, glabri, ſubvi- es, tenui pelliculâ cincti, intúſque carne denſa, ſucculenta, ſubviridi, ſaporíſque adſtringentis, rti: intra quam quinque locantur rufa *oſſicula*, ſeu potiùs ſemina, formâ fabarum æmula, *nu- m* continentia candidum, amaro-dulcem, acrem.

Creſcit locis arenoſis circa *Cochin*; quotannis maturos exhibet fructus, diúque frugifera manet. res cùm fert, Septembri viz. & Octobri menſibus, antiqua decidunt folia. *Locus & Tempus.*

CAP. II.

Arbor Pomifera Braſilienſis fructu hiſpido Pomi magnitudine, ſeminibus plurimis minimis. Apeiba Braſilienſibus Marcgr.

Marcgr.

ARbor eſt vaſta, atque in multos ramos expanſa, cortice cinereo. *Folia* habet quaſi in frondes congeſta, longa, in ambitu autem leviter ſerrata, ſuperiùs ſaturatè viridia, inferiùs magis incana, & denſa quadam lanugine veſtita. *Flores* fert ſtellatos, flavos, quinque foliis conſtantes flavis, & quinque aliis ex viridi flavis, ſuavis admodum odoris. *Fructum* pro- t magnitudine Pomi aut circiter, orbicularem, compreſſum, hiſpidum exteriùs, inſtar ſpongiæ inæ & villoſum, ex muſcoſo colore fuſcum, qui ubi maturuit in tres partes ſponte dehiſcit, continétque intus globulum magnitudine ficûs ſiccatæ, conglobatum *ſeminibus* obſcurè brunnis, magnitudine grani Sinapis, ſed compreſſis quodammodo.

Fructus apud incolas nullius eſt uſus, ligno utuntur ad *Cinchas*, i. e. lembos piſcatorios & *Jangadas*, quibus utuntur in fluminibus trajiciendis, atque etiam in mari.

CAP. III.

* P. 3. T. 42. p. 49.

Pomifera Indica trifolia fructu Pruniformi caudato. Nirvala * H. M. *Tapia Braſilienſium ſimilis.* D. Comelin.

H. M.

ARbor eſt vaſtæ magnitudinis, 30. aut 40. pedes alta, paucis ramis in orbem diffuſis, cortice glabro, cinereo, albicantibus interſtincto punctulis, obductis; lignum prædurum, flaveſcens. *Radix* albicans, cortice cinereo tecta graveolens eſt at ferè inſipida. *Folia* terna ſimul petiolis teretibus, longitudine ſpithamam æquantibus, proveniunt, oblongo-rotunda ac in mucronem deſinentia, glabra, virore nitentia, ſubacida, manibus confricta ſuaveolentia: E coſta media, inſigni plures nervuli ordinato ac parallelo ductu exeunt. *Flores* in ramorum extremis, tenuibus, oblongis, glabris viridibus proveniunt petiolis, iíque quatuor oblongo-rotundis, acuminatis albicantibus ac ſtriatis conſtant foliis, quæ totidem intus exiguis, acuminatis ſubviridibus foliolis ſunt munita, numeroſis, viridibus ac rubris *ſtaminulis*, purpureis oblongis *apicibus* dotatis, mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus; inter quæ viridis prodit *ſtylus*, oblongus, craſſus, ſurrectus, apice rotundo, ſaturato-viridi eleganter ornatus, è quo dein *fructus* emergit: odor ſuaviſſimus & vinoſus. *Fructus* verò viridibus, oblongis, craſſis, rotundis, lignoſis pendent petiolis, qui articulatim florum junguntur pediculis, uti & hi geniculatim ramulis inhærent; ſúntque oblongo-rotundi, virides, cortice cinereo tenui obducti: intus carne humida, albicante, quadripartita, odoris ſaporíſque vinoſi referta, intra quam numeroſa continentur *ſemina* flaveſcentia, prædura, angulata & plana.

Locus & Tempus. Locis petroſis & arenoſis provenit imprimis circa provincias *Mangatti* & *Poiga* in fluminum ripis: Menſe Aprili folia decidunt, verùm ſequente Junio & Julio dum floret novis denuo frondeſcit foliis: at Novembri & Decembri menſibus maturos fert fructus, vixque annos 40. frugifera manet.

Vires: Foliorum ſuccus linteis exceptus, & inguinibus adhibitus urinam ciet. Idem præſtant fructus contuſi & cum Sale, camphora & felis ſtercore in cataplaſmatis formam redacti, & dictis locis applicati. Cortex in aqua maceratus, & cum zinzibere & pipere longo in lacte vaccino & oleo Seſami ad humidi conſumptionem excoctus, egregium præbet exſiccandis frigidis humoribus linimentum. Semen cum Oryzæ infuſo coctum, & dein cum butyro recenti contuſum ac cataplaſmatis formâ abſceſſibus applicatum potenter eos emollit ac maturat.

CAP. IV.

Pomifera Indica flore Rhododendri, fructu Pyriformi. Madagam H. M. P. 4. T. 58. p. 119.

H. M.

ARbuſcula hæc altitudine duodecim, craſſitie vero quatuor pedum menſuram circiter æquat, ramulíſque albo-virideſcentibus in orbem latè diffuſis donatur; lignum albicans, cinereo cortice cinctum. *Radix* albicans, furvo cortice tecta. *Folia* petiolis alatis circa extremos ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, craſſa, denſa, glabra, ſupernè atro-viridia & ſplendentia, infernè ſubviridia, coſtâ media albicante. Cùm decidunt folia, ſui ſtigmata relinquendo circularibus prominentibúſq; annulis, arboris ramos cingunt. *Flores* plures ſimul juncti extremis ramulis proveniunt, odori, candidi, Rhododendri floribus ſimiles, calicíſque viridi, in quinque lacinias ſecto inhærent, quinque ſubrotundis foliis conſtantes, totidem albicantibus, luteis *apicibus* ornatis, *ſtaminibus* mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus, inter quæ *ſtylus* prodit albicans, capitulo viridi. *Fructus* pyriformes, virides, intus fungoſi, adſtringentes, numeroſi, minutiſſimíſque granulis referti.

Locus. Provenit ubique in Malabar, præſertim circa Candenate; Semper viret, floret ac fructus fert, ſed diu frugifera non manet.

Vires. E cortice & radice in aqua coctis Apozema paratur inveterato capitis dolori tollendo utile. E foliis potio conficitur ad menſtrua ſuppreſſa revocanda.

CAP. V.

Arbor Prunifera Braſilienſis fructu ovali, polypyreno: Mangaiba Marcgr. & Piſon.

Marcgr. Piſ.

ARbor eſt pulchra, criſpa & fœcundiſſima: magnitudine & figurâ noſtratem Ceraſum ac dum æquat, aut etiam ſuperat [ſupra altitudinem Pruni Europææ non attollitur, quam fructu, præcipuè verò ligno & foliis æmulatur] In multos ramos variè diſtribuitur, qui in ali tenues ramuſculos ſeu ſurculos deſinunt, ut in Betula. Cortex coloris fuſci cinere aſperſi, ramulorum autem ſimillimus ramulis Betulæ junioribus: lignum lentum, exiguâ intùs medullâ, fractum ac conciſum lacteum fundit humorem. *Folia* fert parva, ſolida, egregiè virentia, bina ſibi ſemp oppoſit oppoſita, nervo in medio ſecundùm longitudinem, tranſverſim autem venulis ſive lineis ſubtiliſſimis parallelis prædita. *Flores* gignit Jaſmini modo diſpoſitos, calycibus ſeſquidigitum longis, & ſuperiùs in quinque foliola acuminata expanſis, ſtellulæ figurâ, coloris albi, odoris ſuaviſſimi. *Fructus* magnitudinem habet Prunorum noſtratium, aut ovi gallinacei, rotundiuſculus aut ovalis, quàm Soli exponitur aureus, rubríſque maculis diſtinctus [*Marcgr.* ex viridi flavus, ac in uno latere egregiis punctulis rubris inſignitus, quæ in quibuſdam plura ſunt, in quibuſdam pauciora, in aliis nulla] Tenuiſſimâ cuticulâ tegitur, pulpam continet albam, mollem inſtar butyri, gratiſſimi vinoſi acidiſſimi ſaporis, quæ licet ſequax ac ductilis videatur, manducando tamen nihil tale deprehenditur, oríque inſerta ſtatim liqueſcit; *Semina* lutea, compreſſa ſex, ſeptem, duodecim, aut plura continet, ovalis figuræ, in medio umbilicum habentia, cute inſtar Amygdalarum dulcium ſed lenta, intus habentia nucleum albiſſimum dulcis ſaporis, quare integra cum fructu deglutiuntur. Fructus non eſt edulis niſi ſponte decidat, nam in arbore exiſtens plenus eſt lacte acerbo & amaro, adeò ut vix pecora quidem immaturum attingant, decidens in terram illico maturitatem aſſequitur. Maturi quo-idie magnâ copiâ ſub arboribus colliguntur, & qui non planè molles per noctem ſeponuntur & molleſcunt. Probè maturus facilis eſt digeſtionis, ardores viſcerum domat, & febricitantibus auxi-iatur. Porro haud facilè hæc poma noxam, etiam abundè jejuno ſtomacho manducata inferunt, iſi quòd frigida & humida fugaciáque alvum dejiciant, flatúſque excitent.

Exſpirante hyeme, menſe nimirum Auguſto, florere incipit, ultraque novem menſes prunis onera-ur & ornatur. Seri non plantari amat in terra ſicca, ubi nulla copia luxuriantium herbarum. *Tempus.*

In ſinu omnium Sanctorum integræ ſylvæ ſpontaneæ reperiuntur. *Locus.*

CAP. VI.

Su-pim Arbor & fructus Sinenſis Mich-Boym Jonſton. Dendrolog.

APud Sinas tantum naſcitur. Eſt & aurei & purpurei coloris. Magnus Pomum excedit: carnem mollem & rubeam cum ſimili pellicula refert; Oſſicula hinc indè interiùs abſcondit; cùm ſiccatur Ficubus Europæis ſimillimus eſt, & per multos annos conſervatus à Sinicis medicis ſæpenumero in pharmacis adhibetur: Arbor onerata purpureis hiſce pomis gratiſſimum exhibet aſpectum, quæ nè ab avibus decerpantur continuis vigiliis cuſtodiuntur.

In calidioribus regionibus Januario, Februario & Martio; in Septentrionalibus Junio, Julio & Auguſto matureſcunt. *Tempus.*

CAP. VII.

1. *Arbor pomifera Braſilienſis fructu tripyreno Jito Braſilienſibus* Marcgr. Piſ.

C*Ortice* eſt fuſco, qui multa punctula, hinc indè ſparſa lutea habet. *Folia* bina ſibi opponuntur, ſex, ſeptem, octo, aut novem digitos longa, paulò plus quàm duos lata ubi latiſſima, non ſerrata, nervo conſpicuo & prominente ſecundùm longitudinem, venis in quibuſdam bi invicem oppoſitis, in quibuſdam alternatim poſitis.

Poſt florem (quem Auctor non deſcribit) ſequitur *fructus*, magnitudine globuli luſorii, major t minor, obſcurè lutei coloris, qui in ſe tria ovalia *ſemina* continet, magnitudine ſeminis Pomi lgaris cuticulâ obſcurè flavâ tecta, nucleus autem illorum albicat.

2. *Jito prior* Piſon. *Arbor baccifera Braſilienſis, fructibus in racemos uvarum ſimillimos congeſtis.*

Piſo.

Hæc arbor Pyri Europææ magnitudine eſt, undequaque obvia: *Foliis* tenuibus, oblongis, acumina-s, nervo eminente ſecundùm longitudinem excurrente, parvo pediculo cauli ordinatè appoſitis. *ructus* racematim copulatos profert. Arbor ut ob fructuum rarum aſpectum multis nota, ità pau-oribus ejus radicis qualitates probè conſtant. Si ulli figura, colore, totâque prorſus facie racemi varum è longinquo aſpicienti videantur, hujus ſanè arboris fructus ſunt; quorum tamen uvæ inu-es habitæ, ligneæque intus exiſtunt. Toto anno apparent, verno tempore lætè flaveſcentes, mox ſtis mini[illegible]i coloris fiunt, nihílque promittunt, ut neque folia, neque lignum ipſum arboris: ſed tum in cortice radicis, acri & calido, quod ad rem noſtram faciat conſiſtit. *Vires.* Cujus efficacia indo-ita ad turbandum & purgandum corpus tam altè à natura poſita, ut non impunè ab imperito vul-o tractetur. In pulverem redactus ab indigenis & robuſtioribus agricolis Luſitanis contra invete-tas obſtructiones capitur indiſcreta quantitate, ſemipugillus circiter. Mihi rarior fuit illius uſus, que niſi deficiente fortè benigniore medicamento, mediantibus tamen correctoriis, & quæ vim rgatricem infringunt.

Ni idem huic cum præcedente nomen impoſuiſſent Braſiliani, Bacciferis potiùs adnumeranda et.

CAP.

CAP. VIII.

Coapoiba Braſilienſibus Marcgr. *prima ſpecies. Pomifera Braſilienſis fructu cupulæ inſidente, ſeminibus ſingulis duplici pelliculæ involutis.*

Marcgr.

IN fagi altitudinem & figuram excreſcit, cortice cinereo, cui aliquid fuſci admixtum, inſtar undulati panni. *Folia* habet ſolida, oblonga, inferiùs dilutè virentia, ſuperiùs ſaturatiora & ſplendentia, inſigni nervo ſecundùm longitudinem, at nullis pænè venis conſpicuis: pediculus folii decerptus fundit aliquid lactei. *Flos* innititur pediculo quiſque ſuo magnitudine Roſæ, & foliis albis roſaceis conſtat, ſuave-rubentibus unguibus: medium occupat pro umbilico globulus reſinoſus, flavus, magnitudine Piſi; reſina illa clara eſt ut Terebinthina, glutinoſa, flava, odoris tamen injucundi: hunc circundant multa ſtaminula rubra arctè ſibi invicem adhærentia. Florem ſequitur *fructus* capſulæ inſidens ferè ut glans; immaturus ſecundùm longitudinem conciſus multos ſeminum ordines continet, magnitudine & figurâ ſeminum Mali, tranſverſim per longitudinem poſitorum; quodlibet autem ſemen includitur pelliculæ ſuæ rubræ, atque alteri pelliculæ miniatæ involvitur. Caro fructus eſt flava, & ſuccum exſudat flavum.

Cortex licet craſſus ſit facilè ſe ſeparat à ligno, quod fragile eſt, continétque in ſe medullam mollem quæ facilè extrahi poteſt, ità ut lignum remaneat inſtar fiſtulæ.

Altera ſpecies.

Magna eſt arbor, cortice gryſeo, in amplos ramos ſeſe expandens; foliis in frondes congeſtis, oblongis carinatis, foliis *Mureci* ſimilibus, ſed non lanuginoſis. *Fructu* globuli luſorii magnitudine, rotundo, per maturitatem exteriùs viridi, interiùs rubeſcente, & multis granulis Fici modo referto, ficco, ſaporis haud manifeſti, ità ut comedatur quidem à quibuſdam, ſed nullius ſit pretii.

CAP. IX.

Japarandiba Marcgr. & Piſonis. *Arbor pomifera Braſilienſis, flore roſæ, fructu rotundo ſegmento ſuperiùs velut ablato.*

Marcgr.

ARbor eſt cortice cinereo, ſubnigricante inſtar Alni; ligno duro, medulloſo; ramis paucis. *Folia* ſine pediculis ullis [cum pediculis Piſo.] inordinatè & copioſè circumpoſita, foliis *Janipaba* ſimilia, pedem circiter longa, acuminata, leviter quaſi crenata in ambitu, coſtâ ſecundum longitudinem conſpicua, multíſque nervis eminentibus ſecundùm latitudinem decurrentibus, tres tantum digitos lata ubi latiſſima. *Florem* fert inſignem, orbicularem, diametrum fere trium digitorum habentem octo craſſioribus foliis conſtantem, figuræ, magnitudinis, coloris & odoris roſarum: in medio ſtant multa *ſtaminula* erecta, in orbem compoſita & inſtar Lunulæ incurvata, & quaſi globum repræſentantia, apice flavo & tremulo. Flos autem inſidet craſſo ligneo pediculo (plerunque bini aut terni in tali bifido aut trifido pediculo) Florem ſequitur *fructus* Mali magnitudine & figurâ, ſed ſuperna parte planus, ac ſi pars abſciſſa eſſet, extus gryſei, intus flavi coloris, continens multos nucleos, fatuos, angulosos, hepatici coloris, ſplendentes, magnitudine Avellanæ, cordis figurâ.

Vires. Ramorum paucitatem foliorum frequentia compenſat, quibus ſolis, quatenus hactenus conſtitit vis medicatrix inſita eſt. Hæc autem vel integra, vel contuſa, hepatíſque regioni applicata durities hypochondriorum reſtituunt: eiſdémque malis, ſi ritè ex arte præparentur, atque in apozemate exhibeantur conducunt, ac proinde aperientium numero adſcribenda ſunt.

CAP. X.

Arbor venenata Mancinello dicta; Macanillo * Jo. de Laet. *Araticu pana* Marcgrav. Piſo. Franc. Redi *Exper. natural. p.* 76. **The Manchinello Tree.** *Ex ſententiâ* D. Tancredi Robinſon.

* *Deſcript. Ind. Occid. l. 1. c. 1.*

IN arborem excreſcit haud grandem, ramis *Araticù ponhe*, ſimilibus, ſed foliis longè minoribus, tres quatuórve digitos longis, ſeſquidigitum latis, figurâ ut folia Pyri noſtratis; flore minore & in totum luteo, exceptis unguibus internè, qui ſanguinei ſunt fructu minore, per maturitatem flavo (aliàs viridi) pulpâ intus aureâ, odore caſei putridi, nucleis multis ex flavo albicantibus.

Fructus propter frigidam ſuam qualitatem eſt venenatus. Profundè autem radices agit hæc arbor, amplas, craſſiſſimas, longas, ligno levi inſtar Suberis, ex quibus clypei formantur, quos ſagittæ aut gladiorum ictus penetrare nequeunt.

Juxta flumina germinare ſolet. Notatu autem dignum eſt (inquit Gul. Piſo) ejus radicem in paluſtribus creſcentem profundè in terram deſcendere, (quod tamen in aliis Braſiliæ arboribus haud facilè conſpicias) unde credibile noxiam ejus frigidámque qualitatem, quâ fructum nocere conſtat, ex infeſto terræ frigore acquirere. Ejus autem fructus adeò venenatâ qualitate malignus eſt, ut à Cancris terreſtribus comeſtus ipſos ſtatim enecet, ut teſtatur Jeſuita quidam apud *Franciſcum Redi*

ip

Experim. natural. p. 76. Verùm Rochefortius aliiſque Cancros iis impune veſci ſcribunt. Mirum em Piſonem & Marcgravium de venenata & maligna qualitate fructuum hujus arboris adeo functoriè agere, ac ſi exceſſu frigoris iis tantùm nocerent qui ſe iis nimium ingurgitarent; cùm de funeſta & pernicioſa eorum vi admodum tragice declamitent. Hinc dubius aliquandiu hæſi *Araticu pana* Marcgrav. & Piſonis eadem eſſet arbor cum Mancinello Rochefortii & noſtratium ne; verùm cùm legerem, ut mox dictum apud Franc. Redi *Araticu pana* in Braſilia etiam Can- terreſtribus noxiam & lethalem nedum hominibus, omnis mihi ſcrupulus exemptus eſt, & in tentia *D. Tancredi Robinſon* confirmabar eandem eſſe.

Addit Hugheſius noſter Arbores haſce fructibus plerunque abundare ad morem Malorum Sylve- um Europæarum, iiſque adeò pulchris & ſpecioſis, ut à decerpendo vix ſe potuerit abſtinere ad n reſtinguendam qua inter itinerandum interdum premebatur. De maligna & venenoſa quali- *Manchinello* arboris Rochefortius in Hiſtor. Inſularum Antilles prolixè agit.

Arbor eſt (inquit) aſpectu pulchra, foliis Mali ſylveſtris, fructu Pomi Apiani [*d' Apis*] ſimillimo, uno latere rubro ſtriato, aſpectu pulcherrimo, & odore perquam grato, ut facile ad ſe guſtandum itaret facultatis noxiæ ignarum. Quamvis autem guſtu dulcis ſit, adeò malignæ tamen & fu- æ qualitatis particeps eſt, ut comedentem, non brevi aliquo 24 horarum, ſed æterno & ex quo quam evigilaturus eſt ſopore opprimat.

Creſcunt non rarò hoc genus arbores ad litora maris & fluviorum ripas; quod ſi contigerit poma quas delapſa à piſcibus vorari, quotquot ea deguſtaverint mortem certam incurrunt. Diu autem quis incorrupta durant, cruſtam duntaxat è ſale petræ ſolidam lapideæ ferè duritiei contrahunt. Locus.

Cancri qui ſub hiſce arboribus verſantur malignam inde qualitatem participant, ut ex eorum eſu pauci malè affecti fuerint, & in morbos inciderint; quocirca medici quo tempore poma matu- n terram decidunt, à cancris comedendis abſtinere jubent, quotquot ſaluti ſuæ conſultum iunt.

Sub cortice trunci & ramorum continetur aqua quædam glutinoſa, & lactis inſtar candida, vehe- nter maligna & pernicioſa: cúmque in viis publicis plures occurrant Mancinelli, ſi forte ramum uem inter eundum manibus confrices, exſiliet inde lacteus ille ſuccus venenoſus, qui ſi forte in iſiam ſeu interulam inciderit, maculam illi inuret ſordidam ægrè eluibilem; ſi in carnem nu- , ni confeſtim frigidâ illam abluas à loco tacto, cutim inflammat & puſtulas excitat. Præci- tamen timendum oculis, in quos ſi fortè aquæ hujus cauſticæ & venenoſæ guttula inciderit in- mationem vix credibilem excitat, & per novem fere dies viſu privat. Ros aut pluvia foliis ar- is inſidens aliquandiu eundem producit effectum, cutim aquæ fortis inſtar adurens.

Umbra hujus arboris homini noxia eſt, & ſiquis fortè ſub ea dormiverit totum corpus inflatum tiet miro modo. Accedit ad malignas Mancinelli qualitates, quòd cibis igne ex ejus lignis accen- facto coctis aliquid noxii imprimit, quo edentium os & fauces urant.

Harum qualitatum conſcii Indi Antillani toxicis ſuis quibus ſagittas illinunt ad plagas lethales in- endas tum rorem foliis arboris deſuper incidentem, tum ſuccum fructuum perpetuo admiſcent.

Remedium affectuum ab hujus arboris ſucco aut rore inductorum, quod puſtulas excitatas brevi at, inflammationémque & inflationes ſedat & compeſcit, eſt aqua quædam clara intra teſtam Li- cis Militis dicti contenta loco affecto applicata, aut oleum ſine igne ex eodem inſecto elicitum. c & plura Rochefortius.

Hæc etiam arbor eſſe videtur quam J. Bauhinus *Arborem venenatam aliam* vocat, quæ, deſcribente eveto, fructum fert Pilæ palmæ magnitudine, viſu ſpecioſum ſed venenatum, cujus ſucco Barbari ittas imbuunt, iis contra hoſtes uſuri.

Huic eadem nobis videtur, quamvis minus exactè deſcripta,

Tetlatiam ſeu arbor urens Nieremberg. *Hiſt. exot. l.* 15. *c.* 14.

Venenata qualitate cum Manchinello convenit. Lac enim (inquit) ita adurit, ut contactu mini- etiam per umbram pilos defluere faciat. Corticis qui frigidus & ſiccus decoctum articulorum lores ſolvit. Ex materia quæ virorem Chalcanthi æmulatur fiunt lectorum fulcra. Cimices qui- m concipere non ſolent, ſed fabrorum manus & ora ità inflantur dum illam contrectant, ut multis ebus non detumeſcant. *Noſtrates etiam Americæ coloni conclavium tabulata, ſpondas, aliáque ſupellecti- ex * hoc ligno faciunt quoniam inſecta quæ aliam quamcunque materiam arrodunt & corrumpunt hanc n attingunt.* Nieremberg. Arborem eſſe magnam ſcribit, materie firma, Fructus virens, unedonis rma & magnitudine eſt. Naſcitur in frigidis montoſiſque locis *Tepozlani*, at calidiora non refuge- ait, nam apud Haitinos invenitur.

* Mancinelli.

Cap. XI.

Carandas Indica Arbuti facie J. B. *Carandas Garciæ* C. B. *An Auzuba Oviedi?* Garc.

ARbuſcula eſt Arbuti magnitudine, foliis ſimilibus, copioſo flore, odore Periclymeni, fructu exiguis Malis perſimili, nigricante per maturitatem, gratiſſimo uvarum ſapore, ex quo à nonnullis vinoſus ſuccus exprimitur. Fructus autem virens magnitudine eſt nucis Ponticæ cum ſuo putamine, interdum major, ſuccum nonnunquam exſtillans viſcidum & lacteum. ditur à nonnullis fructus maturus cum ſale. Solet tamen cùm viridis eſt muria & aceto condiri, & à adſervari ad excitandam langueſcentem appetentiam.

Naſcitur tum in continenti, tum in Balagate. Locus.

Auzubam Oviedus in hunc modum deſcribit, In Hiſpaniola inſula vaſta eſt arbor, pulchráque, materie firma & utili, *Auzuba* nomine, fructu quidem longè ſuaviſſimo ut ſunt Pyra Apiana, (moſchatellina vocant) ſed qui lacteo ſucco, eóque viſcido & glutinoſo abundet, qualis eſt qui in Ficubus immaturis, idcirco moleſtus his qui eo veſcuntur, niſi priùs fructum in aquam abjiciant, & lacteum ſuccum digitis exprimant, qui in aqua ſidit.

Arborum proceritas differt. Ergo an eadem ſit vel diverſa arbor illarum regionum veſtigatoribus decernendum relinquimus. *J.B.*

CAP. XII.

Jacaranda Braſilienſibus Marcgr. *Jacaranda alba* Piſonis, *fructu manûs magnitudine & craſſitie.*

INodora & Pruno Europææ ſimilis in apricis locis mediterraneis reperitur: *Foliis* parvis, acuminatis, directè ſibi oppoſitis in ramulis alternatim ſitis, tres circiter digitos longis, non ſerratis, ſupernè obſcuro virore ſplendentibus, ſubtus è viridi albicantibus ſine ſplendore. In quolibet ramo versùs exteriora multi proveniunt ramuli, qui quaſi racematim per multos dies habent globulos nuclei Ceraſini magnitudine, coloris olivacei, qui ſe aperientes in quinque finduntur folia, deorſum inclinata, quæ interiùs tactu & viſu referunt holoſericum olivaceum ſplendens: his inſidet *flos* dulcis odoris, unico folio luteo, ſubrotundo, ad latus explicato conſtans; in medio autem flore eriguntur multa *ſtamina*, alba, *apicibus* luteis ſatis magnis in ſcoparum ſetacearum modum. Floribus ſuccedit *fructus*, palmæ manûs magnitudine & craſſitie, aſpectu rarus ob inuſitatos naturæ luſus, quod gibboſus & ſinuoſus admodum & contortus appareat, atque ob gravitatem ſemper pendulus. Haud edulis eſt, niſi coctus. Incolæ exinde coquunt pulmentum quoddam ſtomacho imprimis amicum, quod *Manipoy* vocant.

Alteri ſpeciei lignum eſt nigrum & bene olens atque durum. Frequens eſt in Bahia omnium Sanctorum.

CAP. XIII.

Jabuticaba Piſo. Marcgrav. *Arbor pomifera Braſilienſis fructu è tubere per totam arboris longitudinem extenſo exeunte.*

ARbor eſt recta, procera atque elegans, vaſtiſſimis ornata ramis. Fructum fert cinerei coloris, parem magnitudine Limonii, ſucco dulci, tenui pellicula, inſtar uvæ bene maturæ, qualitatis temperatæ atque ſalubris, febricitantibus jucundiſſimum. Non fert flores, ſed fructus in tubere, qui ab ima radice uſque ad ſummitatem ramorum ità per totam arborem conjunctim catervatímque extuberant, ut continuus potiùs racemus quàm arbor videatur.

Species quædam hujus arboris invenitur in ſylvis *Pagi Tabucurana*, ſed fructus fert cum aliis minimè comparandos: ex quibus incolæ exprimunt vinum delicatum & dulce, quod niſi ſtatim ebibatur deterius fit & in acetum degenerat.

Utraque hæc arbor nonniſi in vaſtis ſilvis provenit, & frequens eſt in præfectura S. Vincentii, teſte Emmanuele de Morais.

Quamvis fructum hujus arboris flore omnino carere non cenſeam, poterat tamen ficubus quæ etiam flore carere vulgo creduntur ſubjungi, in memoria excidiſſet.

CAP. XIV.

Arbor racemoſa Braſiliana foliis Malabathri Breyn. *Cent.1. cap.2.* *An Muiva Braſilienſibus* Marcgrav. *fructu rotundo, cute lenta, pulpa molli, polypyreno. Vid. p.* 1501.

ARboris Canellæ mediocris ferè forma, iiſdemque concinna ſerie poſitis ramis ſe effert, quorum minores denſo tomento obſiti, candidi ac lanuginoſi, & partim brevioribus partim longioribus articulorum diſtantiis intercepti. Ex quibus *folia* bina adverſa, & alternatim diſpoſita, pediculis uncialibus inhærentia exeunt, Folio Malabathro *Officin.* valdè æmula, niſi quòd latiora, & parte prona, ſicut pediculi, lanuginoſa & alba; ſupinâ verò atro virore ſplendentia cernuntur: ſiccata autem eo quo virebant latere evadunt nigerrima, inſtar atramenti ſcriptorii; indè mira admodum nec alia apparent quàm ſi ex corio Hiſpanico confecta eſſent. Per uniuſcujuſque folii longitudinem grandes ac à tergo magis conſpicuæ tranſeunt coſtæ quinque; quarum maxima, medium folium tranſcurrens recta, reliquæ autem omnes arcuum modo inflexæ, inter quas venæ minores rectæ, veluti parallelæ, per latitudinem nonnihil ſurſum tendentes, & ex his fibræ obliquæ innumerabiles, partim per latitudinem, maximè verò per longitudinem pulcherrimo ſpectaculo diſcurſitantes, apparent. Ex ramulorum apicibus racemus ſuam petit originem, pulcher, palmaris aut dimidio major, ex pediculo internodii ſemuncialibus diſtincto, & ramulis directè ſibi oppoſitis confectus, cujus ramuli, præſertim inferiores, in minores iterum diviſi, qui ut & reliqui plurimis utrinque granulis orbiculatis, à Lunariæ racemoſæ non abhorrentibus, aliquantulum modo majoribus, nec viridibus, ſed ex albo ad ferrugineum nonnihil tendentibus, onuſti. Hic racemus, quoniam planè lanuginoſus, æquè ac arboris ramuſculi, cum prona foliorum parte, ad tactum tam mollis eſt quàm optimus ex Britannia

nia pannus. An flores & fructus ex Botri granulis prodeant, enucleare non potuit Jac. Breynius. Hanc arborem eſſe ipſammet *Muivam* Braſilienſium *Marcgrav.* nobis minimè dubium videtur, ob partium ab utroque [Marcgravio & Breynio] deſcriptarum exactam in notis adſcriptis convenientiam. *Vid. p.* 1501.

Cap. XV.

Pomifera ſeu potiùs prunifera Indica nuce reniformi ſummò pomo innaſcente, Cajous dicta. Anacardii alia ſpecies C. B. *Cajous* Ger. Park. J. B. *Acajaiba* Piſonis & Marcgravii. *Kapa-mara* H. M. *P.* 3. *T.* 54. *p.* 65. **The Cajou or Caſſu Tree.** *Anacardium occidentale Cajou dictum oſſiculo reni leporis figurâ* Herman.

H. M.

Arbor eſt mediocris magnitudinis [at Marcgravio aſſurgit in Fagi altitudinem & Piſoni *Quantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi,* tantùm inter cæteras Braſiliæ arbores eminet. *Forte in Braſilia, ubi indigena eſt, ad majorem proceritatem attollitur, quàm in India Orientali, ubi advena & aliunde illata creditur*] caudice craſſo, candido, cortice cinereo, intus purpureo, odoris ſubacidi, ſaporíſque adſtringentis, tecto, & ramis atro-viridibus, eleganter in orbem diffuſis donato. *Radix* albicans, cortice furvo, tenuibus filamentis pertexto, obducta. *Folia* ſine ordine ramis adhærent, oblongo-rotunda, glabra, virore ſplendentia, nervis aliquot infernè eminentibus è coſta media denſa in latera excurrentibus. Tenella manibus confricta glutinoſa ſunt, & fragrantem ſpirant odorem; vetuſtiora autem priuſquam decidunt planè rufeſcunt. [Piſoni folia, ſi nervos, ſi figuram ſpectes, Juglandi ſimilia.] *Floſculi* ſuaveolentes, ac melleum odorem ſpirantes, racematim ramulis extremis inhærent, atque è calyce exiguo, viridi, in quinque lacinias acuminatis ſecto, prodeunt, quinque teretibus [anguſtis acuminatis *Marcgrav.*] reflexis, primùm è viridi flaveſcentibus, dein rufis tandémque purpureis conſtantes foliolis, *ſtaminulis* quibuſdam tenuibus, flaveſcentibus *apicibus* ornatis, mediam floris cavitatem occupantibus: inter quæ *ſtylus* prodit, qui ex ipſius fructus germine emergit. *Fructus* tum figura, tum magnitudine Pyris noſtratibus haud abſimiles, glabri, ſplendentes, primùm rufi, dein virides, tandémque flaveſcentes, carne intus è viridi flaveſcente, fungoſâ & aquoſâ referti, ac tenui pelliculâ cincti: odor ſuavis, ſapor vinoſus, acris tamen & auſterus, ſi nondum probè maturi ſunt. Hujus verò fructûs alteri extremitati *Nux* quædam figura & magnitudine Leporinum renem referens, viz. altera parte gibboſa, oppoſitâ lacunam impreſſam habens, adnaſcitur, quæ cinereo tegitur cortice, præter quem alius *Nucleum* complectitur pallidum, eâ formâ quâ & totus eſt fructus, ſucculentum, Amygdalæ dulcis ſapore, ſubſtantia molliore. At vero inter duos hoſce cortices, qui culmi fere latitudine invicem abſunt, tophaceis cavernulis coercetur melligo, craſſiuſcula & lenta, ſæpe Ceraſorum colore & conſiſtentia, ſapore primùm adſtringente, mox inſigni acrimoniâ linguam & fauces vellicante, ſervata tamen adſtrictione.

[Poſt florem primò prodit Nux renis figura, quâ incrementum capiente, inter illam & pediculum aulatim excreſcit pomum oblongum, ovale aut etiam rotundum, nam in variis arboribus figura variat, atque etiam colore rubro vel flaveſcente. Succus ferrugineo colore linteamina maculat, qui difficulter admodum elui poteſt.]

Provenit ubique in Malabar: at Braſiliæ indigena cenſetur. Singulis annis, Auguſto & Septembri Menſibus, maturos fert fructus, manétque frugifera 30 circiter annos. In Braſilia, auctore Marcgravio, florere incipit circa finem Auguſti, maximè autem floret Septembri, Decembri & Januario maxima eſt copia fructuum maturorum. Reperitur in Jamaicâ. *Locus.*

E fructibus hiſce potus exprimitur, qui debito modo fermentatus vinoſus fit & inebrians. * Fructus [toſtus] caſtaneis longè antecellit, ſaporémque non minùs gratum habet quàm Amygdalæ. Crudum nemo ſecurè ore aperiet, quòd continuò cutem abradat, magno dolore eorum qui ignari emere eum reſecant, ideo cultro aperitur. Guttur peculiari natura fructus hi cum deglutiuntur [crudi] ſtringunt, guſtu acri & auſtero: ideóque in orbes ſcinduntur, adjunctâ aquâ vel vio, ſaléque injecto, quibus modis acrimonia illa mitigatur, palato ità gratiſſimi: ventriculum roboant, fermentationem juvant, necnon vomitum & nauſeam tollunt; leviter toſtis veſcuntur Indi ad Venerem ſtimulandam. Succus verò è fructibus hiſce expreſſus diarrhœam ſiſtit, & diabetem ſanat. Nuces flammæ admotæ flagrant. ** Reniformis. Vires & Uſus.*

Ex melligine, quam gemini cortices continent, copioſum indigenæ eliciunt oleum, quod pictorius ad linteamina quævis indelebili nigricante colore pingenda in uſu eſt, eodémque oleo ſi lignum ngatur, contra putredinem præſervatur. Inſuper acri illo oleo nihil præſtantius eſſe ferunt ad lihenes, impetigines, ſcabiem, vermiculos necandos, &c. exteriùs illito.

Arbor hæc vulnerata fundit gummi pellucidum, conſiſtentiâ & colore planè ſimile optimo gummi Arabico. *Marcgrav.* An ex hoc fit confectio *Cattee,* ſeu *Caſſu,* vel *Catechu*?

Braſilienſes annos ætatis ſuæ per Caſtaneas Cajù computant, ſingulis annis unam recondentes: è gno autem varia fiunt, eſt enim durum. *Idem.* Vermes non facile generat, undè navibus idoneum.

Eſt hæc arbor fructûs reſpectu ſingularis: Poterat fortaſſe rectius ad Pruniferas referri.

SECTIO II.

De Arboribus fructu conoide ſquamoſo aut reticulato Anona & Araticu dictis aſperis & lævibus, & congeneribus.

CAP. I.

De Anona, Araticu, Durione.

1. *Pomifera Indica fructu conoide ſquamoſo, viridi.* Ata maram H. M. *P.3. Tab.*29. *p.*21. [*Ahat* *de Panucho* Recchi.

H. M.

ARbor eſt mediæ magnitudinis ad viginti circiter pedum altitudinem aſſurgens: cortice tegitur fungoſo, intus rubro. *Lignum* albicans, prædurum, cujus matrix viridior eſt, inodora, guſtu ſubamara ac ſubauſtera: paucos diffundit ramos, quorum ut & ramulorum ac virgultorum cortex viridis eſt, cinereis interſtinctus punctulis. *Radix* flaveſcens rubido tegitur cortice, graveolens eſt, ſaporis verò unctuoſi, & in plurimas diviſa fibras, quæ tamen per terram non latè diffunduntur. *Folia* oblongo-teretia atque glabra, foliis *Malakatsjambou* haud abſimilia, ſibi tamen è regione non reſpondentia, ſupernè viridia & nitentia, ſubtus ſubviridia, manibus confricta unctuoſa, inodora. *Flores* ſinguli ſuis pediculis cohærent, foliis ornatis minoribus, quæ poſtea decidunt; petalis conſtant tribus, craſſis, triquetris, coriaceis, intrinſecùs albicantibus, extrinſecùs verò dilutè viridibus, odorem corio uſto æmulum, ſi adoleantur, ſpirantibus.

Cæterùm è floris ſtamine *fructus* emergit, ſeu potiùs *Conus*, qui maturus magnitudinem habet Citri vulgaris, exteriùs viridis ac ſtriatus, interiùs verò albicans, necnon medullâ ſucculentâ ſaporis grati, odoríſque ſuavis, refertus. In his autem fructibus, *ſemina* dura, oblongo-teretia, glabra, nitentia, necnon plana ac utriculis incluſa, locantur; eáque ſucculenta & albicante fuctûs pulpâ artificioſè obducta cernuntur. At verò fructus ipſi immaturi decerpuntur, qui ſponte per ſe Meſpilorum inſtar mitigantur & comeduntur.

Nullibi in Malabar ſponte oritur, ſed ex inſulis Philippinis in Indiam delata fuit. Amat locum calidum & humidum, & fimo equino ſubactum, atque rigatione & fervidis ſolaribus radiis gaudet.

Tempus. Porro poſt primum biennium aut triennium arbor hæc demum frugifera eſt, Aprili viz. Maióq; tum Auguſto atque Septembri menſibus floret fructúſque fert: flores namque qui menſe Aprili emergunt, Auguſto circiter maturos proferunt fructus; quique menſe Septembri prodeunt proximo Februario perfectum exhibent conum. Non raro ad quinquageſimum annum & ultra frugifera eſt, modò conveniens adhibeatur cultura.

Vires. Folia hujus arboris minutim contuſa, & addito ſale in cataplaſmatis formam redacta, tumoribúſq; malignis impoſita, potenter eos maturant. Fructus verò immaturi in aqua communi cum pauxillo zinziberis decocti vertigini medentur; at ſufficienter mitigati, & in deliciis comeſti valdè refrigerant, alvúmque reddunt laxiorem ſi aqua ſuperbibatur.

* P. 348. Fructus huic ſimillimus à * Reccho depingitur ſub titulo Ahate de Panucho. At D. Hermannus Anonæ Maram *H. M.* ſynonymum facit.

Li-ci & Lumyen arbores & fructus Sinenſes

Michaeli Boym in Flora Sinenſi depictæ à præcedente non multum abludunt. *Lici*, inquit, fructus Piniferæ arboris fructum refert, ſed *Lumyen* læviſſimam pelliculam habet, uterque ſapit fraga & uvas. Junio & Julio menſibus matureſcunt. Sinenſes pulverem ex illorum nucleis bibendum præbent ægrotis. Si dicti fructus ſint ſylveſtres nucleos grandes & de ſubacida carne parum; ſi tranſplantati nucleos exiguos & de carne dulci plurimum habent. Caro eſt coloris unguium humanorum. Recens collecti ſi ſalita aquâ aſpergantur per plures dies conſervantur; abſtractóque cortice recentium ſaporem præſtant.

* P.3. T. 30, 31. p. 23. 2. *Anona Indica fructu parvo violaceo* Herman.* H. L. *Anona Maram, an Anon Oviedi,* H.M.? *potiùs Guanabanus Oviedi, fructu ſquamato* J. B. *Pyro ſimilis fructus alter in nova Hiſpania* C. B.

H. M.

Præcedenti haud abſimilis eſt, nec proceritate cedit; *Folia* tamen anguſtiora, magíſq; acuminata, ac pluribus ornata nervulis, necnon altiori virore nitentia.

Flores à prioribus vix differunt. *Fructus* verò licet non, uti *Atamaram*, è compactili lignoſarum ſquamarum ſtrue compoſiti, ſed undique glabro, hyacinthino, ac tenui cortice obducti ſunt, nec magnitudine cedant, quoad cætera tamen planè cum iis conveniunt. Hæc quoque arbor provinciæ Malabar peregrina eſt, & è longinquis regionibus delata.

Viribus cum priore convenit.

Guanabani Oviedi icon quæ habetur apud *J.B. Tom.*1. *lib.*1. *cap.*55. cum icone hujus plantæ in *H.M.* adeò exactè convenit, ut utramque ejuſdem ſpeciei fructûs eſſe minimè dubium ſit.

Guanabanum autem Oviedus ſic deſcribit;

Procera eſt arbor & formoſa, folio ferè Mali Medicæ quam Limoniam vocant, fructu pulcherrimo, mediocris Melonis magnitudine, qui tamen interdum in capitis pueri magnitudinem excreſcit. Cortex huic fructui viridis, & qui certis quibuſdam ſquamis diſtinctus videatur ut ſtrobilus, lævioribus tamen, neque ità tumentibus, quandoquidem totus cortex tenuis ſit, neque craſſior quam in Pyris. Caro candidiſſima, ſaporíſque delicatiſſimi, quæ facilè pinguedinis lactis inſtar in ore reſolvitur. Per ejus carnem ſparſa ſunt *ſemina* magna, cucurbitarum ſeminibus aliquanto majora & nigricantia.

Frigidus eſt hic fructus, & per æſtus utilis. Nam tametſi quis integrum Guanabanum devoret, nullum indè ſentiet nocumentum. Infirma eſt ligni materia.

Per univerſam ferè Americam naſci tradunt.

Locus. Proceritate, & fructûs colore differre videtur ab Anona-maram. Cluſius ait cum Durionibus planè convenire Guanabanum Oviedi: Quod ſi ità ſit, Durio minùs rectè deſcribitur à Garcia & Acoſta fructu Melonis magnitudine, denſo cortice ſepto, eóque multis brevibus aculeis craſſiſq; ac pungentibus horrente intus concamerationes quatuor ſecundùm longitudinem habente, ſingulas tria aut quatuor receptacula continentes, quibus ſingulis fructus inſunt admodum candidi, magnitudine ovi Gallinacei, guſtu ſuavi, &c.

3. *Anon Oviedi, Hiſpanis* Mangier blanco, *fructu minore luteo.*

Adeò in paucis differt à Guanabona, ut ſpecie diverſam vix putem.

Anon (inquit) arbor eſt cujus fructus magnam cum Guanabona habet ſimilitudinem, cùm formâ, um carne & ſemine. Sed & ipſa Anonis arbor Guanabani arbori ſimillima eſt, & magnitudine, & formâ, & folio. Duabus verò in rebus differunt. Primùm quòd hujus fructus minor ſit Guanabano, corticíſque color luteus, qui in Guanabano viridis eſt: deinde quòd meo quidem judicio gratior ſit palato Anon quàm Guanabanus, utpote firmiore carne. Utrumque magno in pretio habent Indi Americi, & diligenter in prædiis ſuis colunt.

Annonam à Guanabano ſpecie diſtinctam non eſſe Joſephus Acoſta l. 4. c. 25. affirmare videtur, Annona, inquiens, ſive *Guanavano* Pyri eſt magnitudine, Pulpâ butyri modo, cui grana plurima nigricantia includuntur. Nihil tamen temere affirmandum.

Fructus hic Hiſpanis *Mangier blanco* dicitur; *Manjar* autem *blanco* Hiſpanorum eum fructum eſſe quem noſtrates Americæ coloni **The Cuſtard Apple** vocant, *D. Tancredus Robinſonus* à quodam negotiatore Americano edoctus eſt. Idem ingenioſiſs. Amicus noſter aliorum relationibus & hiſtoriis cum deſcriptionibus *Araticu* quæ apud Piſonem & Franciſcum Redi habentur diligenter collatis exinde collegit **The Cuſtard Apple** noſtratium eundem prorſus fructum eſſe cum *Araticu* tertia, ſeu *Araticu Ape* eorundem Autorum: cujus ſententiæ & ego libenter ſubſcribo. Deſcriptionem autem ejus & hiſtoriam paulò inferiùs dabimus.

4. *Anona Americana fructu majori, Soortſack parvum vulgò* Herman. Hort. Leyd.

Nomine (inquit) Soortſack parvi ex America huc invecta ſunt ſemina oblonga, anguloſa, nonnihil depreſſa, flaveſcentia, Anona Indica majora, quæ ſata protulerunt ſobolem pedalis longitudinis, cui alterno ordine adſtabant folia Lauri amplitudine, lætè viridia, lucida, glabra.

5. *Araticu prima ſeu ſimpliciter dicta Franciſci Redi Experiment. natural. p. 75. Araticu ponba Marcgravii & Piſonis. Noſtratibus Jamaycæ & Barbados inſularum colonis,* **The Sowerſop**, *ut D.* Robinſono *videtur.*

Marcgrav.

Arbor eſt caudicis & ramorum figurâ, ac colore corticis ut Malus Aurantia, ſed foliis, flore & fructu differente. *Folia* habet circiter ſemipedem longa, alternatim oppoſita, elegantia, ſuperiùs ſaturatè viridia, craſſa & ad tactum ſolida, duos pænè digitos lata, linguæ humanæ figurâ, & in extremitate acuminata. Hinc inde *flos* provenit magnus, egregius, magnitudine ſuperans florem Fritillariæ, totus flavus, exteriùs compoſitus è tribus foliis cordiformibus, ſeſquidigitum longis, & craſſis inſtar corticis Aurantii Mali, erectis, quæ in ſui medio continent alia tria minora, & dimidiæ craſſitiei, quorum quodlibet ſemiglobum concavatum refert: tria autem hæc ità compoſita & extremitatibus ſibi impoſita ſunt, ut globum integrum, interiùs cavum, & magnitudine Juglandis referant: globus hic in cavitate ſua *Stamen* habet globoſum, magnitudine Avellanæ, luteum, & in ſtamine *apicem* parvulum, rotundum. Sunt autem & ſtamen & apex tuberculis exiguis luteis prædita, quæ videntur ut pori in cute hominis algentis. Flos totus flavus eſt, odoris ſuavis ſed nauſeabundi decuduis; ſingulis diebus multi ſe aperiunt, & poſt aliquot horas ſponte decidunt, ſtrepitum excitantes inter cadendum ac ſi baculo aliquis feriret arborem, gravis enim eſt flos & grandis.

Florem ſequitur *fructus*, qui maturatur præſertim Decembri & Januario. Non eſt autem edulis niſi ſponte decidat, tunc enim inſtar pultis mollis eſt: eſt autem figuræ turbinatæ, quatuor aut quinque digitos longus, ubi pediculo adhæſit ſeptem aut octo digitos craſſus in ambitu. Externè coloris eſt ex albo & viridi mixto, vel planè pallidè virens, & videtur quaſi cutis è ſquamis compoſita eſſet, ita enim lineis viridibus pallidè virentes ſquamæ delineatæ ſunt, & quælibet harum habet tuberculum in medio exiguum, fuſcum, ita ut nucem pineam ferè repræſentet. Mollis eſt cùm ſponte decidit, ità ut inſtar caſei veteris putridi digitis decorticari poſſit. Continet carnem ſeu pulpam ſubflavam, quæ quaſi ex pyramidibus videtur compoſita, filamentis quibuſdam intermixta & multis nucleis ſeu ſeminibus. Pulpa odore non malè refert maſſam panis fermentatam cui aliquid mellis admixtum; ſaporis ex dulci ſubacidi & ſubacris eſt. Eo loco ubi pediculo inſedit fructus, durioris carnis corpus, ſuppoſitorii figurâ, in ſe continet, quod ſeorſum extrahi poteſt, quod comeditur & pro lautiſſima buccella habetur.

Semina ovalis ſunt figuræ, compreſſa, magnitudine Fabæ, glabra ac dura, coloris flaveſcentis, ſplendentis, quodlibet pelliculâ alba obductum; intus eſt nucleus albus, duræ ſubſtantiæ, ſapore non malè referens radicem Helenii, ità enim in dulci amareſcit.

Vires. Folia igne aduſta, & cum oleo apoſtemati impoſita maturare faciunt, aperiunt & optime ſanant.

6. Araticu-Ape *Piſo*; *Marcgrav. Redi experim. Nat. p.* 77. *Noſtratibus* **The Custard Apple.**
An Anona Oviedi?

Deſcribente Marcgravio, colore tantum ſeminis obſcurè brunneo à prima ſpecie differt.

Piſoni ei per omnia ſimilis eſt: utraque enim poma ex acido dulcia profert, eſculenta, ſed ſylveſtria & frigida, ac propterea quibuſdam non expetita, figura & magnitudine Nucis Pineæ; ſubſtantia & carne intus molliore & flaveſcente, ſeminibus ex fulvo nigricantibus turgida.

Luſitanus quidam Jeſuita apud *Fr. Redi* in *Experim. natur.* Fructum hunc melioribus totius orbis comparari poſſe ait. *Quomodo hoc convenit cum præcedente Piſonis deſcriptione?* quamvis nulli aliquo modo ſimilis appareat. Segmenta ejus acutis quibuſdam cuſpidibus quaſi dividuntur, licet omnes eodem cortice ſeu pellicula conjungantur. Semen nigrum eſt, aureo quodam fulgore niteſcens. Remiſſo pollet odore & non ingrato: cùm jam perfectè maturuit, pallido colore ſuffuſus, nigris maculis ſeu punctulis undique perfuſus eſt. Facillimè fructus iſte gladiolo diſſecatur, & partes jam diviſæ videntur ut duæ capſulæ ſeu vaſcula eo cibo referta, qui vulgò ex carne gallinæ cum ſaccharo & lacte contuſa parari ſolet, eóque maximè blando, ſuavi & frigidiſſimo, vel ſicuti pinguior pars lactis quæ ſupernatat, albo ſaccharo permixta, ideo nonniſi cum cochleari commodè ipſo veſcuntur. Cortex Imperialis monetæ craſſitiem minimè excedit. Truncus, folia & flores minus pulchra apparent quàm primæ *Araticu* ſpeciei.

Ex ſententia D. *Tancredi Robinſon*, hæc ſpecies eſt quam noſtrates **The Custard-Apple**-tree vocant. Siquidem fructûs pulpa (ut aiunt) cremoris ſeu floris lactis ſaccharo permixti ſaporem & conſiſtentiam habet, ideoque nonniſi cochlearibus excepta commodè edi poteſt; quæ de fructu **Custard-apple** dicto narrant Coloni noſtri Jamaicenſes & Barbadenſes.

Fructus *Araticu* quem deſcribit *Franc. Redi Experiment. nat.* corticem habuit cætera lævem, ſed confertum ſpiculis vel ſpinis, raris, obtuſis, non pungentibus, & à plano ipſius corticis oppidò parùm aſſurgentibus. Color corticis hujus exiccati fructûs in ferrugineum propendet, nigro mixtus, qui ubi jam maturuit in croceum obſcuriorem, intermiſtis ſubinde rubris maculis propendet. Intus uſque adeò ſeminum plenus eſt, ut 170 in uno numeraverim; quorum ſuis ſingula cellulis, ex tenuiſſima membrana compoſitis, & cortici quaſi alligatis conſtant.

Semina, ſi figuram & magnitudinem ſpectes, Amygdalas referunt. Folliculi ſeminum quoad ſubſtantiam folliculis ſeminum Citreolorum perſimiles ſunt, extrinſecùs leves, nitidi, & coloris ex flavo rubri, ſed intus candidi, aſperi & rigidi ob membranulas quaſdam duras, quæ à ſuperficie folliculorum aſſurgentes in ipſam medullam ſeminis penetrant. Semen ipſum candidum eſt, & figuram ellipticam habet, & à membranulis accuratè inciſum eſt.

7. *Durio Garciæ & Acoſtæ. Arbor pomifera fructu aculeato Melonis magnitudine* C. B. Duriones *Acoſtæ* J. B.
Acoſta.

Prægrandis eſt hæc arbor, materie valida & ſolida, craſſo cinereóque cortice tecta, multis ramis luxurians, & copioſum fructum præbens. *Flores* habet ex albo nonnihil flaveſcentes: folia dimidii palmi longitudine, duorum aut ampliùs digitorum latitudine; in ambitu, tenuiter ſerrata, parte externa dilutiùs virentia, interna verò ſaturatiore viriditate, & quodammodo ad rufum tendente prædita: fructum Melonis magnitudine, denſo cortice ſeptum, eóque multis, brevibus craſſíſque & pungentibus aculeis horrente, foris viridi & veluti ſtriis quibuſdam quemadmodum Melo ſecundùm longitudinem diſtincto: intus verò concamerationes quatuor ſecundùm longitudinem habet, ſingulas tria aut quatuor receptacula continentes, quibus ſinguli fructus inſunt, admodum candidi uti lactis pingue, magnitudine ovi gallinacei, guſtu ſuaviore odoratioréque quam ſit condimentum illud ab Hiſpanis *Manjar blanco* appellatum, [ex Amygdalis contuſis, farina, lacte, aqua roſacea & ſaccharo compoſitum] non tamen adeò molles aut glutinoſi: nam qui candore illo non ſunt præditi, ſed flaveſcunt, putridi ſunt, aut aeris injuriâ pluviâve corrupti. Optimi cenſentur qui tres duntaxat fructus in ſingulis concamerationibus, deinde qui quatuor obtinent: nam qui quinque habent improbi cenſentur. Non ſolent autem in ſingulis malis plures quam viginti fructus contineri; iíque ſinguli incluſum habent nucleum, mali Perſici nucleo ſimilem, non rotundum, ſed oblongiuſculum, guſtu inſipido, quíque guttur exaſperet, velut Meſpila viridia, propterea non eduntur.

Qui edere volunt hunc fructum, pede leviter comprimere & frangere ſolent propter ſpinas quibus obſitus eſt.

Qui nunquam hos fructus ederunt cùm primùm illos olfaciunt videntur putridas cepas odorari, ſed poſtquam deguſtarunt præ reliquis cibis bene olere & ſapere cenſent.

Eſt verò tanta in exiſtimatione apud eos qui gulæ dediti ſunt, hic fructus, ut putent neminem eo poſſe ſatiari.

Tanta tamen eſt hujus fructus in Malaca abundantia, ut ſinguli non pluris quàm quatuor Maravedis veneant, præſertim menſibus Junio, Julio & Auguſto: nam reliquis pretium intenditur pro hominum arbitrio.

Admiratione porro digna eſt Betele cum hoc fructu antipathia, quæ profecto tanta eſt, ut ſiquis in navem Durionibus plenam, ædéſve aut concamerationem ubi adſervantur aliquot Betele folia reponat, corrumpantur & putreſcant omnes. Et ſi cui ex Durionum immodico eſu ventriculus inflammetur & gravetur, folio Betele ſupra ventriculum impoſito, ſubitò mitigatur inflammatio, mórque tollatur. Et ſi à Durionum eſu ingerantur aliquot Betele folia, nullam noxam ſentiet quantumvis multos ederit. *Hæc quamvis fidem meam ſtrangulent à.** D. Mandelſlo *tamen confirmantur.*

* *Itiner. in Indiam Orientalem.*

8. *Anona fructu ſquamoſo pyriformi, monopyreno. Fructus ſquamoſus pyriformis* C. B. *Baly inſulæ fructus pyri formâ aſper* J. B. *Baly inſulæ fructus aſpero cortice* * Cluſ.

**Exot. l.2.c.4.*

Tres uncias longus erat; ejus ambitus ea parte qua pediculo inhæſiſſe videbatur ſex pænè unciarum, ſuperna verò parte anguſtior & veluti in metam deſinens, ut quodammodo Ficûs aut Pyri formam æmularetur. Aſpero tectus erat cortice & ab infima parte ſurſum verſus denſis ordinibus velut ſquamularum ſibi mutuò incumbentium ornato, quæ ſejungi nequibant, ſed cum integro cortice non valdè denſo eximi poterant, flaveſcentis coloris dum recens ex conditura exemptus, deinde ſubfuſci. Continebat porrò ille fructus pulpam albam, odoratam, inſtar pyri formatam, ſubſtantiâ autem non valdè abſimilem albo illi condimento, quod ex Amygdalis repurgatis & contuſis, lacte, farinæ flore, aqua ſtillatitia è floribus roſarum & ſaccharo fieri ſolet [*Mangier blanc*] ſo-diorem tamen, nec adeò glutinoſam, ſapore (quia fructus muriâ conditi fuere) valdè ſalſo & inguam mordicante, continentem in medio oſſiculum ſolidum, pænè uncialem & in metam aſurgentem, formâque ipſum fructum referentem, inferna parte craſſiorem, ſuperna anguſtiorem; ulpæ autem integræ adjunctos obſervabam binos aut tres grumos, & velut ex craſſiore fructûs par-e dependentes: Etenim corticem ſecundùm longitudinem fiſſum facilè integram à pulpa ſeparare otuit Cluſius haud ſecùs ac ſerpentis exuvium, quia pulpa non adhærebat, niſi paululum eâ parte ua ex pediculo pependerat.

C. Bauhinus ab hoc diverſum facit fructum ex *Baly* inſula Pyri magnitudine cortice inſtar piſcis quamarum aſpero, nucleo uno vel altero Linſcot. part. 3. Ind. Oriental. c. 39. & part. 4. c. 6. ti-ulo Fructus cortice ſquammoſo: quem Cluſius & J. B. cùm hoc conjungunt; quamvis enim * au-r quem citant alius ſit, verba tamen deſcriptionis eadem ſunt.

* *Part. 1. Hiſt. Nar. Bat. in Ind. Orient.*

9. *Araticu do mato* Piſon. *An Baly inſulæ fructus aſpero cortice* * Cluſ?

* *Exot. lib. 2. cap. 4.*

Excreſcit ut *Pana*, & talia fert folia: Fructus congeſti, oblongi, cepæ junioris oblongâ figurâ, rides, qui interiùs ſinguli duo habent ſemina Amygdalæ figura & magnitudine, at in una extre-nitate acutiora, coloris coracini ſplendentia, in quibus nucleus.

Cap. II.

De Guanabano.

1. *Guanabanus Javanenſis* * Bontii.

* *Lib. 6. c. 59.*

Bont.

VIX, inquit, frutex dici poteſt qui hunc fructum profert, & vix ultra medium humanæ ſtaturæ aſſurgit: ſarmenta potiùs emittens quàm ramos, quæ egregiè flavos *flores* ferunt, quibus *Guanamban* fructus ſuccedit, qui quinquangulus eſt, & totidem commiſſuras ha-t, prominentiores paullum, quæ apertæ ſemen oſtendunt inſtar Ciceris, quod viride primùm, nox matureſcens ex cyaneo atrum & ſplendentem colorem contrahit; qualem videre eſt in Co-allo nigro expolito. Fructus hic in ſuperficie lanoſus eſt & pungens, ut in foliis Cardui bene-icti etiam fit. Folia referunt planè pentaphyllum noſtrum.

Uſus.

Apud Malaios eorum alius uſus non eſt, quàm quòd inter cætera legumina ab iis coquantur cum re gallinarum aut aliarum carnium, & etiam flatus excitant ut cætera Piſorum & Cicerum gene-, atque neſcio quid faſtidioſi ſapiant: unde etiam inſuetis alvum movent.

2. *Guanabanus Africanus* Piſon. *in Bont. Guanabanus ficulneo folio* Munting.

Piſon.

Planta eſt fruticeſcens foliis magnis, Cardui vel Acanthi non diſſimilibus, cum profundis pro va-o naturæ luſu inciſuris, eáque caules ſarmentoſos cingunt. Ex his ſuperiùs emergunt *flores* flavi, ibus fructus oblongi, craſſi ſuccedunt, cùm multis ſtriis & eminentibus inciſuris per longitudinem currentibus, deſinúntque in coronam ex octo foliolis tenuibus conſtantem; quæ corona his Gui-enſibus fructibus peculiaris eſſe videtur.

Cap. III.

Aninga-iba Piſonis & Marcgr. *Arbor Braſilienſis aquatica folio Nymphææ fructu reticulato, pulpâ albâ humidâ.*

Marcgrav.

QUinque aut ſex pedes ex aqua erigitur, unico tantùm caudice fragili, quaſi internodiis diviſo, cinereo inſtar Juglandis, in cujus ſummitate aliquot *folia*, magna, lætè viridia, craſſa, lævia, figurâ pænè Nymphææ aut Sagittalis, nervo recto & venis tranſverſis conſpicua, uæ ſingula pediculo innituntur ultra pedem longo, ſucculento. In eadem caulis ſummitate in-r folia exſurgit *flos* unicus, magnus, concavus, folio unico, incarnato conſtans, coloris pallidè vi cùm *ſtamine* craſſo, flavo, in medio floris concavo. Huic ſuccedit *Julus*, qui fructus evadit, perpetuis quadratis conſtans, ovi Struthionis plus minùs magnitudine & figura, coloris viridis, intus refertus pulpâ albâ humidâ, quæ maturefacta & exiccata farinacei fit ſaporis, & tempore famis comeditur. Cujus tamen exceſſus cum evidenti vitæ periculo fit, quòd ob frigiditatem & flatulentiam, more Fungorum terreſtrium ſuffocationem minetur.

Lignum earum quæ ad arboream magnitudinem excreverunt ad varia mechanica uſurpatur: cùm enim levis ſit, tenax, ſuberoſus totus caudex, Indigenæ & Nigritæ exinde *Iangadas* potiſſimùm conficiunt, id eſt, rates ſuas ex trilignio copulato ad fluvios raptim trajiciendos. Medica autem qualitas in bulboſa ſua radice conſiſtit.

Aninga ſimpliciter dicta, ſeu L Piſonis.

Eiſdem locis ſtagnantibus, ejuſdémque altitudinis conſpicitur. Caudice itidem unico, ſed qui diſpeſcitur mox in varios caules craſſiuſculos, molles & junceos, Muſæ arboris inſtar. Inde ex unoquoque caule folium prægrande, oblongum, raris venis conſpicuum faſtigiatur. *Flore* eſt unico, atque magno & candido, ex quo progerminat *fructus* haud vulgaris, primò viridis, mox ex cinereo flaveſcens, oblongus, craſſus, compactus, ac veluti granis & punctulis diſtinctus; Barbaris edulis defectu melioris alimenti.

Vires. Uterque *Aninga* radice eſt craſſa, bulboſa, quæ ſola foliis & fructui harum plantarum in medicina præferenda eſt. Quippe cùm tenuium ſit partium & deobſtruens, in varios uſus adhibetur à Luſitanis & Barbaris.

Contra hypochondriorum & renum inflationes ac obſtructiones fomenta indè conficiuntur. Oleum expreſſum præſtantiſſimum etiam habetur contra prædicta mala, atque olei Nymphææ & Capparum vices ſupplet.

Si ex radicibus denique in urina humana coctis balnea fiant, eáque aliquoties calida reiterentur, ſummo exiſtunt ſolatio contra morbos articulares tam inveteratos quàm recentes.

Arbor fructu nucis Pineæ ſimili C. B. *Pineæ nucis ſpecies Melenken* J. B. *Thevet.*

Magnus eſt, Nucis Pineæ ſpecie, cortice luteo, quo ſpoliatam carnem in particulas diſſectam ſi deguſtaveris, ſaccharum ore continere dixeris, cum pauxilla Nucis Moſchatæ portiunculâ permixtum. Hoc Barbari ad ſedandam ſitim utuntur.

Fructui *Nanæ* ſatis ſimilis eſt, niſi quòd in arbore provenit, Mori ferè proceritate, nigro cortice veſtita, folio quadantenus rubeſcente, longitudine & latitudine folii Angelicæ.

In *Necumere* maris Indici inſula invenitur.

Pino ſimilis Orientalis C. B. *Pini formâ Cibage* J. B.

Ex Orientalibus regionibus *Cibages* nomine à Paludano delatum eſt ſemen, colore nigrum, acumine donatum, ex quo prodiit planta, Pini formâ, ſed tenerior. *Camer.*

SECTIO TERTIA.

Arbores Pomiferæ fructu corticoſo, floris calyce baſi adhærente.

FRuctum corticoſum vocamus qui non membrana tantum tenui pulpam ambiente ſed cortice craſſiore eo tamen molliore cingitur, cujuſmodi ſunt Mala Citria, Limonia, Aurantia, &c. Horum plerique polypyreni ſunt, quibus ob convenientiam in reliquis unum vel alterum monopyrenum adjungimus.

Nè quis autem objiciat hoc facto confundi Arbores Pruniferas & Pomiferas, ſciat nos pro Pruniferis habere non omnes quæ fructum obtinent majorem pericarpio donatum monopyrenum, ſed inſuper requirere ut is tenui tantùm membrana contegatur.

CAP. I.

De Malo Citria ſive Medica, The Citron Tree.

MAlus Citria, Græcis Malus Medica & Aſſyria dicitur, utroque nomine à regionibus, unde primùm in Græciam allata, ducto.

Cùm Veteres ſcripſerint Mala Medica non mandi, conjectatur J. Bauhinus Mala aurantia noſtra potiùs quàm Citria Veterum Medica fuiſſe. Tantùm enim abeſt ut Citria hodie non comedan ut præ cæteris omnibus in maximis deliciis habeantur: niſi quis (inquit) malit probare ration Athenæi, non ideò abſtinuiſſe Veteres à Citriorum eſu, quòd non fuerint edulia, ſed quia i alium uſum, tanquam rem magni pretii, potiùs aſſervanda duxerint.

Athenæus Citrii nomen extare apud Veteres Græcos negat. Suſpicatur ille Citrium à Ced tanquam Cedrium nominatum fuiſſe; propter odorem fortaſſe, inquit J. Bauhinus. Hæc conj ctura Voſſio improbatur. Palladii diligentiâ Citrus in Italia primùm coaluit; hunc ſolers imita poſteritas eam Galliæ & Hiſpaniæ, ubi nemora jam & campos occupat, communicavit.

Cæterùm Citri vox æquivoca eſt & pro duabus arboribus accipitur, alterâ in frugiferâ è cujus ligno menſæ olim fiebant; alterâ pomiferâ, quæ aliter Malus Medica & Aſſyria dicebatur, ut Plinius diſertis verbis docet. Conſule Etymologicum Clariſſ. Voſſii.

Citrus, deſcribente Cordo, arbor eſt fruticoſa veluti Cotonea, brevi trunco, longis ramis, craſſis, lentis & obſequioſis, viridi glabróque veſtitis cortice, ferendæ fructuum moli valdè imparibus, & ad terram pronis, ideóque ſubjectis per tranſverſum haſtilibus furcíſque fulciendis. *Folia* Laurinis ſimilia, denſiora tamen, multóque majora, & ad Juglandis magnitudinem accedentia, oblonga, utrinque acuminata, egregiæ viriditatis ſplendoríſque, præſertim supernè; infernè enim pallidiora ſunt, [per ambitum ſerrata] totâ hyeme arborem ſuam exornantia, odoris acerrimi, latè ſpirantis, qualis in Meliſſophyllo ſentitur, cum gravitate quadam cimicem imitante, [juncturâ quadam pediculo inhærentia; Soli ſi objiciantur, inſtar foliorum Hyperici foraminibus viſum ferè effugientibus undique punctim trajecta cernuntur. *Bod.*] Spinis armatur ſub omnium foliorum annexibus longitudine uncialibus, rectis, acutis ac viridibus [J. Bauhino rigidiuſculis, flexilibus tamen nec ita infeſtis] *Flores* virentes gemmarum calyculi emittunt oblongos, candicantes [ſæpiuſculè forinſecus purpurantes, calathi effigie, ſolidos, odoratos, ſtaminibus in medio tenuibus ac capillaceis.] Horum * duplex eſt genus; ſterile & infœcundum quod colo caret; & fertile, quod in medio ſtylum exerit penſum colo involutum æmulantem, cuíque à tergo fructûs rudimentum annexum.

* *Theophr. hoc adnotavit.*

Fructus florem ſequuntur ſinguli, longitudine non raró dodrantali, figurâ ovatâ, interdum etiam globosâ, ſuperficie rugosâ tuberosâque, colore primùm viridi, in maturitate verò aureo ſeu citrino, odore foliorum ſimili. Cortice ambiuntur tenui, amaro & fervido, cui ſubeſt † caro cartilagineæ duræque conſiſtentiæ, colore candido, ſapore acetoſæ, conditæ capitatæ Braſſicæ truncos referens. In medio malo cavitas quædam eſt, ſucco vehementer acetoſo, ſuis membranis contento plena, cui immixta ſunt oblonga & ſemuncialia *ſemina*, utrinque ferè acuminata, cute foris flavâ ſtriatâque, intus candido dupliciíque nucleo conſtantia, quibus amarus, tenuis & mediocriter fervens eſt ſapor, præſertim cutis, nucleus enim dulcedinem quandam admixtam habet. Radicibus nititur copioſis & tenuibus.

† *Totum hoc quod pulpam interiorem humidam ambit pro cortice habeo.*

Fructus Citrii magnitudine variant: quidam enim in molem excreſcunt Melopeponibus parem, ità ut ad pondus librarum decem nonnunquam perveniant, hi nullo ferè ſucco ſunt; adferuntur autem ex Liguria & Adriatici maris inſulis: alii Limonum magnitudine ſunt: alii paulò majores, quæ à lacu Benaco aſportantur. Formâ etiam differunt citria; nam alia prælonga ſunt, alia rotundiora, alia in varias figuras hominum induſtriâ vaſis figulinis incluſa formantur. Quædam ſapore remiſſiore ſunt, quædam vehementiore. In colore etiam differentia obſervatur, nonnulla dilutiora, alia ſaturatiora ſunt; non multum tamen differunt naturâ & viribus. Nos omnes has differentias accidentales & à ſatione aut fortè etiam inſitione ortas ſuſpicamur. C. Bauhinus quatuor diſtinguit ſpecies:

I. Malus medica ſimpliciter ei dicitur.
II. Malus medica maxima, pulpâ plurimâ.
III. Malus medica fructu ingenti tuberoſo, Citrangula quibuſdam.
IV. Malus medica ab Imperatore Carolo V. ex Hungaria in Hiſpaniam delata, quæ omnium Mali medicæ generum acidorum ſuaviſſimum, ut Cluſius in ſua hiſtoria refert.

Parkinſonus noſter in Theat. Bot. ſex recenſet & deſcribit varietates: eæ ſunt
1. Malus citria major.
2. Citria malus minor, ſive *Limonera*, quæ à præcedente differt foliis minoribus & brevioribus; floribus etiam minoribus & ſaturatiùs rubentibus: fructu minore longioréque, cortice mediocriter craſſo, flavo, minùs ſcabro, ſucco copioſiore cum paucioribus ſeminibus.
3. Citria malus ſive *Limonera* prægnans, alium fructum minorem in ſe continens. Fructus eſt monſtroſ.
4. Limonera dulcis; Hiſpanis Limones Imperatoris.
5. Limonera acida.
6. Limonera multiformis: Has quinque poſteriores ſpecies, Limoneras Cluſio dictas C. Bauhinus, & rectiùs noſtra ſententia ad Malum Limoniam refert. His adde è Ferrario 1. Malum Citreum vulgare belluatum. 2. Malum Citreum Cucurbitinum vulgare. 3. Malum Citreum digitatum ſeu multiforme. 4 Malum Citreum dulciſſimâ medullâ, apice non ità plerunque cuſpidato.

D. Tavernier in peregrinationibus ſuis per regnum *Tunquin* duo citriorum genera obſervavit, alterum flavum, alterum viride, utrumque adeò acidum & immite, ut mandi non poſſint aut deglutiri abſque inſigni offenſione ventriculi. Succus tamen, quemadmodum apud nos Aqua Fortis uſurpatur ad mundanda metalla, cuprum, ſtannum, ferrum, antequam deaurantur; ut & ad tincturas præcipue Serici. In uſu etiam ſunt pro lixiviis ad candorem linteaminibus conciliandum, eáque maculanda. Quin & per totum Magni Mogoris Imperium ſucco iſthoc Citriorum utuntur ad pannos lineos Calecuticos dictos candefaciendos, unde interdum adeò nivei & lucidi evadunt, ut ſplendore nimio intuentium oculos perſtringant & offendant.

Citrii Mali partes omnes, cortex exterior & interior, pulpa ſeu ſuccus, & ſemina, eximii uſûs ſunt in medicina; & contrarios ſibi invicem effectus producunt. Exterior cortex flaveſcens valdè odoratus eſt & aromaticus, ſapore amaro, exſiccatus cardiacum eſt inſigne & Alexipharmacum, ventriculum frigidum & flatuoſum calefacit & corroborat, flatus potenter diſcutiens, humoréſque crudos ibidem aut in inteſtinis contentos concoquens & digerens; maſticatus halitum oris emendat: ciborum concoctionem promovet, & melancholiæ conducit: in hypochondriacis morbis, ut in vaporibus, flatibus, palpitatione cordis, obſtructionibus & imbecillitate viſcerum plurimum commendatur ab experientia. *Herman. Grube de Malo Citreo, p. 36, 37.* Pulverem corticis exterioris Limonum & Aurantiorum ad eadem valere veriſimile eſt. Saccharo conditus inter bellaria menſis ſecundis infertur; Electuariis etiam cardiacis admiſcetur adversùs contagionem & affectus prædictos. Quinetiam alvo laxandæ conducit, in quem uſum ex eo paratur *Electuarium de Citro ſolutivum* ad humores frigidos & pituitoſos evacuandos utile: tutò etiam uſurpari poteſt cùm bilis phlegmati admiſcetur.

Interior & alba pars corticis pænè inſipida eſt, nec ullum habet in medicina uſum; inſervit tamen pro confectionibus dulciariis, & apophoretis.

Caro ſeu pulpa interior aut ſuccus inde expreſſus quamvis ſucco Limonum minùs acidus ſit, vi tamen refrigerandi ei plurimum antecellit, inquit Parkinſonus: in febribus ardentibus & peſtilentialibus apprimè utilis eſt, ad venenum reſtringendum, æſtum contemperandum, bilis efferveſcentiam & ſanguinis orgaſmum reprimendum, ſitim extinguendam, ſpiritus recreandos, appetitum acuendum: aiunt & ebrietati reſiſtere & vertigini conducere.

Semina cardiaca ſunt & alexipharmaca, adversùs ictus ſcorpionum aliorúmque animalium venenatorum, necnon peſtis & variolarum contagia cor muniunt; ventriculi & inteſtinorum vermes enecant, menſes provocant, abortum cauſant, humores crudos & ſeroſos digerunt & exſiccant tam internè in corpore, quàm externè in ulceribus humidis & ichoroſis.

Memorabilis inprimis eſt hiſtoria, quam Athenæo narravit civis quidam ſuus cui Ægypti mandata fuerat adminiſtratio. In maleficio deprehenſos quoſdam ille ad ſerpentum morſus damnaverat. Productis illis & ad theatrum euntibus deſtinatum latronum ſupplicio in via fortè caupona quædam, miſericordia commota, quod in manibus tum habebat Malum Citrium dedit. Acceptum verò illi comederunt; & paulò poſt ingentibus ac ferociſſimis anguibus oblati, commorsíque ab Aſpidibus nihil læſi ſunt: qui tandem cùm illorum cuſtodem militem interrogâſſet, nunquid bibiſſent aut ediſſent, ut id comperit quod id acciderat, nimirum, abſque dolo Citrium illis traditum fuiſſe, poſtridie alteri rurſùm dari juſſit alteri minime: percuſſus hic confeſtim periit, illæſo altero qui Citrium comederat: indeque multis & expertis cognitum eſt Citrium adverſari venenis omnibus.

Citria innoxia & quaſi recens collecta procul mitti poſſunt, ſi arboreo muſco ſingillatim involvantur ramulorum cæſuris cerâ vel cretâ ſuperlitis. *Ferrar. Heſperid.* l. 2. c. 19.

CAP. II.

De Malo Limonia. The Lemmon.

Malus Limonia Citriæ ſeu Malo medicæ congener eſt.

Limoniæ nomen haud temerè apud ullum probatum, vel Græcum, vel Latinum autorem invenias, videtúrque poſterioris ſeculi eſſe inventum.

Differt à Citria Malo fructu minore, cortice tenuiore, copioſiore pulpâ, eâque acidiore.

Malus autem Limonia magno caudice aſſurgit, [Circa lacum Benacum in eam ſeſe attollit proceritatem in quam aliis in locis Salices & Ulmi *Calzolar.*] ramóſque habet tenuiores, longos, firmis, longis, virentibus ſpinis armatos, [iíſque aliquantulum hamatis, multóque pluribus quàm Citria, quo fit ut ejus virgæ quandam Rubi imaginem referant. *Cord.*] *Folia* per ambitum nonnihil ſerrata, minora quàm Citriæ, conſimiliter foraminulenta, denſa, viridia, ac glabra. *Flos* purpuraſcens foris (J. B. purpureus) quàm Citriæ paulò minor, aliàs non diſſimilis. Forma Pomo oblonga, turbinata, rugoſa, & tuberculis inæqualis, ſed minùs quàm Citria; color pallidior, magnitudo minor: in eo etiam differt à Citrio, quòd cortice pulpoſo tenuiore, minúſque carnoſo, ſucco uberiore donetur, eóque acidiore, ut interdum nihil ferè niſi ſuccum contineat. *Semen* non multùm diſſimile amaricat.

Hujus etiam arboris plurimæ ſpecies ſeu varietates habentur: Quatuor recenſet Cordus.

1. Primum anſerini ovi formam ac magnitudinem habet, odore inter Citriam atque Arangiam Malum medio.

2. Secundum globoſum minúſque prædicto, utroque capite veluti eminente umbilico inſigne cætera ſui parte fruticoſum.

3. Tertium oblongum eſt Gallinarum ovi figurâ & magnitudine.

4. Quartum tertio æquale eſt, ſed globoſum, & ſuperficie magis æquali.

C. Bauhinus in pinace novem conſtituit ſpecies.

I. Malus Limonia acida, de qua dictum.
II. Malus Limonia major dulcis: fructu minore & oblongis Limis ſimili *Cluſ.*
III. Mal. Lim. folio ſerrato, fructu oblongo cortice tenuiſſimo, quæ Limas primum genus *Cluſ.*
IV. M. Lim. fructu rotundo orbiculato. Limas alterum genus *Cluſ.*
V. Limones prægnantes, alium fructum minorem in ſe continentes *Cluſ.*
VI. Limones variarum figurarum, toti fere carnei *Cluſ.*
VII. Malus Limonia minor dulcis, Limonis genus in Hiſpania, minimo fructu, vix nucis magnitudine, odore cæteris præſtantiore, excelſiore arbore.
VIII. Limonum Sylveſtrium in Syria provenientium inque Ægypto & Africa meminit Scaliger, pomis admodum exiguis acidiſſimis.

Limonum à Ferrario & Commelino deſcriptorum Catalogum ſequentem D. Tancredo Robinſon *debemus.*

Limon Liguſticus, inſigniter variat, ut Limon S. Remi, Cerieſcus ſeu Citriformis, Genuenſis, qui à fructu parvo rotundo *Puſilla Pila* nominatur.

Limones Neapolitani multum variant, ut *Limon Cajetanus* figurâ ultra vulgarem modum ovatâ, at cacumine faſtigiata: *Limon Amalphitanus* forma oblonga, apice admodum eminente: *Limon* perpuſillus *Calabrenſis* fructu ſubrotundo.

Limon Romanus à Rio vel Rivo, inſigniter cuſpidatus, nonnunquam digitatus.

Limon prægrandis Dominæ *Lauræ.*

Limon incomparabilis, figurâ inter oblongam & rotundam ovatâ.

Limon Imperialis, cæteris productior ſatíſque craſſus.

Limon medulla dulci duplex, vel vulgaris Italicus, vel Olyſſipponenſis, qui foliis & fructu facilè diſtinguuntur.

Limon Pyri effigie, vulgò *Peretta* ſive *Spatafora*, íſque major & minor, lævis vel ſtriatus.
Perettæ conſimilis Limon, ſed oblongior & anguſtior.
Limon Spatafora Rheginus, craſſo mucrone faſtigiatus, Aromaticus, cortice punctim lacunoſo.
Limon Rheginus fructu racemoſo oblongo, paulatim extenuato in apicem cuſpidatum.
Limon ſtriatus ſive *canaliculatus*, ſumma parte muliebrem in papillam extuberante.
Limon ſtriatus Amalphitanis, Mali Citrii magnitudine, cortice perquam verrucoſo & ſcabro.
Limon Sbardonius ſubrotundus, manente floris apiculo velut roſtratus.
Limon Roſolinus, umbone retortum in mucronem emiſſo bene faſtigiatus.
Limon Florentinus Barbadorus, foliis ſerratis, viridi atrore pictis, & Hyperici modo punctim per- ſis & tranſlucidis.
Limon Scabioſus Lepræ facie.
Limones varii *Citrati*, læves & ſcabri & alios Limones ſæpe includentes.
Limon Pſeudo-citratus Barberinorum.
Limon citratus ſylveſtris.
Limon globoſus Ponzinus, iſque quintuplex, Liguſticus, Rubens, Romanus, Chalcedonicus, Tri- litanus.
Limon ſponginus Calabriæ rugoſus.
Limon ſponginus (ſpongioſus) Liguriæ verrucoſus.
Lima eſt multiplex, dulcis, acris, agri Privernatis Romana, citrata.
Lima Citrata oblonga, ſcabioſa & monſtroſa, quandoque & ſubrotunda.
Lima ſubrotunda ſpinis craſſitie & longitudine vaſtiſſimis Piorum in hortis Romæ.

Gaudent Limones eodem cœlo calido, curâ ac cultu quo Citria. Ad nos deferuntur ex Hiſpania & Italia, in quas regiones ex Media & Perſia primùm invecta, nec enim ſponte ibi proveniunt. *Locus.*

Limonia cùm guſtu reliquis omnibus [Aurantio & Citrio] ſint acidiora, ideò ſucco frigidiore eſſe probabile eſt. Valent ad eoſdem uſus ad quæ Citria; ad venena tamen ut minùs efficacia, ità ad æſtuantes morbos potentiora habentur. Et hæc quidam comedunt, non integra, (ut Jo. Bauhi- s ait,) ſed cortice denudata & in laminas conciſa, aſperſo multo Saccharo, quomodo mag- m cum palato gratiam ineunt, ſitim potenter reſtinguunt & febrilem ardorem compeſcunt. *Vires & Uſus.*

Succi Limonum ſunt admodum efficaces in diſſolvendis calculis & detergendis partibus. *Herman.* *ube de Limon.* p. 10. Idem ſcribit *Crato*, aliíque, ut *M. Blegny* in *Zodiac. Med. Gallico* An. 2. p. 127.

Syrupus de ſucco Limonum magni fit ad calculum & obſtructionem renum; item ad ſitim & ſtum in febribus ardentibus: cordi & ventriculo robur addit, & bilis effervefcentiam compeſcit: óque haud infeliciter imbecillitates, lipothymias, fluctuationes, vomitus & ſingultus febribus arden- s ſupervenire ſolitos curat.

Cortices Limonum non minùs quàm Aurantiorum Saccharo condiuntur pro bellariis, & ad eoſ- n uſus valent. Condiuntur & parva integra ad varios uſus.

Aqua è Limonum, ut & Citriorum ſucco deſtillata coſmeticum inſigne habetur.

Succo Limonum ſcribuntur literæ occultæ, quæ igni admotæ manifeſtantur. Eorum acido ſucco elegantem purpureum colorem conſervæ Roſarum, aut etiam Violarum aliorúmque multorum ciliabis, ut nihil ſupra. Hinc & tinctoribus utilis eſt ad colores multos tranſmutandos aut fi- ndos, qui magnam ejus quantitatem inſumunt.

Ad nephriticos affectus ℞ Ligni querc. deraſi ℥ j. aq. font. ℔ vj. ſucci Limonum ℥ iiij. In- nd. omnia per 24 horas ſupra cineres calidos, poſtea coq. ad tertiæ partis conſumptionem: coletur. oſis ℥ vj. valdè prodeſt calidæ jecoris intemperiei, ulceribus renum, ardori urinæ, ſed præcipuè tuitam ſalſam & viſcidam è renibus & veſica evacuat. dyſur. & ſtrangur. cauſam. Poteſt ex hoc ecocto vinum dilui. Mihi communicatum à patre religioſo. *Cheſneau.* Excerpſit D. *E. Hulſe.*

2. *Mal-Naregam* * H. M. *Malus Limonia pumila ſylveſtris Zeilanica fructu monopyreno* D. Hermanni. * P. 4. T. 12. p. 27.

H. M.

Mediæ eſt magnitudinis, cortice glabro, cinereo, coloris ſaporíſque aromatici & acris obducta, no albicante, denſo, præduro, arctiſſimè unito; ramis foliaceis è caudice erumpentibus, ſpinis ri- is, è fuſco flaveſcentibus obſitis. *Radix* albicans, ſubrubro cortice tecta, odòris aromatici, ſaporis ari. *Folia* juxta ſpinas circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, denſa, glabra, n formâ, tum colore, odore, & ſapore Limonum puſillorum foliis haud abſimilia. *Flores* plures ul juncti extremis ſurculis inhærent, exigui, candidi, odorati, quatuor oblongo-rotundis, acumi- s, craſſis ac mollibus foliolis conſtantes, *ſtaminulis* multis, calycis in modum junctis, lium occupantibus; inter quæ *ſtylus* prodit craſſus, albicans, ſuperiùs planus ac rubeſcens. Floſ- s ſuccedunt *fructus* ovales, tum figurâ, tum magnitudine olivis haud abſimiles, at in vertice exi- ſpinulâ dotati, colore primùm viridi, in maturitate verò aureo ſeu citrino, uti Limonia: cortice ountur tenui, guſtu amaro, atque in mediis fructibus cavitas quædam eſt, ſucco acetoſo ac ſuba- o, ſuis membranulis contento plena; cui incluſus eſt nucleus oblongo-rotundus, acuminatus, al- ns, rufâ obductus pelliculâ, odore ſaporéque Limonum folia referens.

aſcitur locis arenoſis ac montanis ubique in Malabar. Floret plerunque Junio, Julio, Auguſto eptembri menſibus, atque dein maturos profert fructus. *Locus & Tempus.*

ecocta in oleo hujus arboris folia, ac capiti applicata cephalæam tollunt; eorundémque ſuccus ſtans habetur errhinum capiti purgando. Expreſſus è fructibus endemiæ illi cachexiæ (*pitao*) etur. E ſola deniq; radice pilulæ formantur antiſpaſmodicæ. *Vires.*

ic fructus quamvis in reliquis cum Limonio convenit, in eo tamen differt quod monopyrenos

3. *Malus Limonia Indica fructu puſillo. Tsjerou-Katou-Naregam* H. M. P. 4. T. 14. *H. M.*

Arbuſcula eſt humilis, ad ſex, ſeptemve circiter pedum altitudinem aſſurgens, caudice tenui, ramulis ſpinoſis, cinereo cortice obductis donato. Lignum flaveſcens, prædurum, inodorum, inſipidum. *Radix* fibrata, flaveſcens, ſaporis amari, odoris aromatici. *Folia* oblongo-rotunda, in ambitu leviter crenata, odorata, aromatica, petiolis alatis ſeu folioſis circa ramulos geminata proveniunt, duobus viz. tribúſve paribus, cum ſimplici plerunque folio in extremitate, adeo ut petiolos facilè quis folia judicaret, & tria extrema folia ſimul juncta vulgare pratenſe trifolium non malè repræſentent. *Flores* brevibus petiolis ad ſpinarum exortum in ramulis proveniunt, & calyci viridi, in quinque lacinias acuminatas ſecto inſident, candidi, ſuave-olentes, amari, quinque oblongo-teretibus, & in orbem expanſis foliolis præditi, ſeptem, octóve in medio albicantibus ac lanuginoſis *ſtaminulis*, flaveſcentibus *apicibus* dotatis præditi, inter quæ *ſtylus* emergit, itidem albicans, capitulo flaveſcente. *Fructus* puſilli Limones ſunt, rotundi, magnitudine uvarum æmuli, virides primùm albis interſtincti punctulis, dein aurei ſeu citrini: cortice ambiuntur Limonum cortici haud abſimili, atque in mediis fructibus cavitas quædam eſt ſucco acetoſo, ſubamaro ac aromatico, ſuis membranulis contento plena, cui immixta ſunt tria oblongo-rotunda, acuminata, & ex albo flaveſcentia *ſemina*, membranaceis pelliculis à ſe invicem diſtincta.

Locus. Provenit locis montanis ubique in Malabar, præſertim circa *Candenate*, ſempérque floret & fructus fert.

Vires. Hujus folia præſentaneum habentur curandæ Epilepſiæ remedium. Radix alvum movet, ſudores expellit, necnon cruciatibus colicis ac cardialgiæ medetur. Fructus ſiccati ſtomachum roborant, ac alimentorum in eo læſam fermentationem reſtituunt; adhæc aeri ex variolis febribúſque malignis & peſtilentibus contagioſo potenter reſiſtunt, atque variis venenis præſtantiſſimum cenſentur antidotum.

4. *Malus Limonia Indica, floribus umbellatis, fructu parvo. Moul-Ila ſeu Moul-Elavou* H. M. P. 5. T. 34. p. 67.

H. M.

Arbor eſt mediæ magnitudinis, quindecim circiter pedes alta, *caudice* craſſo, ramulíſq; geniculatis, in orbem longè latéq; diffuſis ornato, qui cortice viridi-fuſco ſaporis ſubacris & aromatici cincti, & craſſis, duris, rigidis acutíſq; ſpinis inſuper muniti ſunt. *Radix* rufeſcens, aromatica, ſubaſtringens. *Folia* in ramis viridibus, rotundis, bina oppoſita, oblongo-rotunda, acuminata, mollia, ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia, ſplendentia: Nervis aliquot è media coſta albicante, ac in averſa parte extuberante, in latera excurrentibus: ſapor ſubacris. *Floſculi* in umbellas expanſi extremis ramulis numeroſi proveniunt, quatuor oblongo-rotundis, ſubviridibus ac uniformibus foliolis conſtantes, totidem *ſtaminulis* viridi-albicantibus, flaveſcentibus *apicibus* ornatis, medium occupantibus; inter quæ *ſtylus* prodit exiguus, viridis. Floſculis ſuccedunt *Fructus* rotundi, cortice cincti viridi-fuſco, craſſo, inæquali, odore corticum Citri, ſapore quoque, at acriore & ardente, pulpâque intus referti ſucculentâ acidâ.

Vires & Uſus. Quam ob cauſam cibis incoquuntur Limonum & Piperis loco. Hinc & Saccharo vel melle condiuntur, & comeduntur ad ventriculum roborandum, coctionem promovendam & vermes necandos. Inſuper muriâ & aceto condiuntur in *Atsjaar* additis viz. Alliis, Sinapi, & Zinzibere.

Locus. Provenit in *Palattatsjirri*, ubi in hortis ſtudioſè colitur. Semper viret, floret, fructúmque fert.

CAP. III.

De Malo Aurantia. The Orange.

J. B.

PAradiſorum noſtri ſeculi, ubi id ſolum & cœlum concedit; deliciæ ſunt Medicorum malorum ſpecies, æternæ frondis virore, & fructuum ubere quovis tempore proventu & luxurie, aliis primùm è floribus eluctantibus, aliis adoleſcentibus, aliis maturis, atq; his quidem ſimul omnibu plerunq; placentes. Notiſſima verò reliquíſq; vulgatiora ſunt Aurantia dicta, quibus aureus ille & r tilus corticis fulgor nomen dediſſe potuit. Hæc aliis magis orbiculata, nonnihil compreſſa, parùm r goſo & foraminulento luteo cortice, interiùs tamen albicante non multùm ſpiſſo (fœminas vocan vel craſſo (mares dictitant) amariſſimo & evidenter calido teguntur, quæ tamen ante maturita viridis tegit cortex. Sapor ſucco pro maturitatis progreſſu aut generis varietate acidus, dulcis aut m dius, ſeminibus æqualibus, multâ medullâ farctis, amaris. *Folio* peculiaris forma, ſemper virenti, Hyperici inſtar infinitis propemodum foraminulis pervio, quippe quod gemellum videri poſſit, ma Laureo, acuminato, nec crenato, alio ceu corculo ſubjecto. *Flos*, ut & fructus, fragrantis odoris [Cordo cimicum virus nonnihil redolere videtur] coloris candidi, ſtaminulis multis medium o dentibus, pulchrior quàm in Citro, & odoratior, intus ſubcitrinus; per oram verò limbi purpuraſ tes. Arbori, quæ multò major quàm Citri, cortex viridis, ſpinæ rigidæ ſed raræ.

Aurantiam ab auri potiùs colore dictum puto quàm ab Orange Galliæ oppido, vel ab Ara Achaiæ urbe. Aurantiæ enim nomen priſcis incognitum, non ante in uſum venit quàm Auran oppidum deletum eſt.

J. Bauhinus Malum Aurantium potiùs quàm Citrium dictum, Theophraſti & Plinii Malum M dicum eſſe (ut ſuperiùs innuimus) ſuſpicatur; quòd Auctores hi Malum Medicum non comed cant, quod de Malo Aurantio verum eſt; de Malo Citrio minimè, quod totum manditur. Ve pace tanti viri Malum Aurantium cortice excepto eſculentum eſt, & vulgò comeditur pro cibo, non in condimentis tantúm. Pulpa enim interior Aurantii multo mitior eſt minúſque acida q vel Citrii vel Limonii : & nos in Italia & Sicilia obſervavimus ruſticos & nautas Aurantia mala cum pane pro refectione comedentes, nunquam verò vel Limonia, vel Citria. Dantur etiam mala Aurantia dulcia quæ mandi poſſe ipſe non negat. Eſt inſuper in Europam nuper invectum Aurantii quoddam genus, eſculentum, Chinenſe dictum, ſaporis delicatiſſimi, cujus etiam cortex unà cum carne comeditur. Quocirca quòd Domitianus Matianum malum ſuper cœnam ſumpſit, non obſtat quo minùs Malum Aurantium hodiernum vel Ceſtianum, vel Matianum Plinii fuerit.

Requirit idem, ut Scaliger vel alius aliquis ſubtilitatis profeſſor reſpondeat ſine cunctatione alteri argumento quo idem probare nititur. Aurantia (inquit) exſiccata vel in multos annos odorem ſuum retinent, ideóque veſtibus interponi ad odorem communicandum & arcenda noxia aptiſſima eſſe. Citria verò etſi exſiccantur quoque, ſunt tamen evanida, adeóque nec odore nec uſu ommendabilia.

Arantiorum plures ſpecies ſeu potiùs varietates eſſe nec pauciores quàm Citriorum aut Limonum onſtat.

C. Bauhinus iſta genera proponit :

I. Malus Arantia major. Cujus plura genera eſſe ait ab inſitione prodeuntia: pleraque cortice maro, craſſo, aureo : alia ſubvirente : alia cortice tenuiſſimo, ſubrubente, medulla dulci : aliqua cortice dulci : aliqua in uno pomo duo genera botrorum habent : alia abſque ſeminibus : Sic & ulpæ ſapore differunt; nam alia acida, alia dulcia, alia vinoſa, ſive media ſunt.

II. Malus Arantia humilis.

III. Malus Arantia cortice dulci eduli : an Chinenſe?

IV. Mal. Arant. unico grano.

His addit Parkinſonus Malum Arantiam ſylveſtrem, quæ tamen in Europa non invenitur.

Ferrarius has habet varietates.

Aurantium ſicciore medulla hybernum.

Aurantium ſemine carens, quod vel ſubrotundum, vel oblongum Limonis effigie.

Aurantium geminum & criſpo folio & flore duplici.

Aurantium ſtellatum & roſeum.

Aurantium virgatum & ſtriatum.

Aurantium fœmina ſive fœtiferum.

Aurantium hermaphroditicum ſive corniculatum.

Aurantium calloſum multiforme.

Aurantium Olyſſipponenſe, Sinenſe noſtratibus & Belgis, quòd è regno Sinarum Olyſſipponem anſvectum fuerit. Circinatæ eſt rotunditatis, mediocrem ſupra modum tumens. Caro cùm ip- cute confunditur, & editur jucundiſſimé. Novem ſpicarum medulla blandè mordacis dulcedinis n vehementer flaveſcit, ut aurum in eam diſtabuiſſe credas. Corticis inſuper ſeu potiùs cuticulæ britie & ſeminum paucitate à reliquis generibus diſtinguitur. Adde quod in hoc genus fructu lpam vitioſam, carioſam, aut corruptam nondum viderimus.

Aurantium Indicum ex inſulis Philippinis.

Aurantium dulci cortice & Sinenſe.

Aurantium omnium maximum.

Malum Aurantium Lauri anguſtis foliis.

Malum Aurantium umbilicum Roſæ inſtar gerens; fructus quidam monſtroſus aut præternaturalis e videtur.

Malus Arantia hermaphroditica, fructu medio Citrio, medióque Arantio, odoratiſſimo *Herman.* inſitionis ingenio producta videtur, applicatis ad ſe mutuò Mal. Citriæ & Aurantiæ ſurculis per edium ſecundum longitudinem fiſſis, alióve aliquo artificio permiſtis ſeminibus; ad eundem ferè odum quo Mulus Aſino equam ineunte generatur.

Hujus arboris deſcriptionem vide apud D. Hermannum in Catalogo Horti Lugd. Bat. qui habet alum Aurantiam Indicam fructu omnium maximo *Pupelmum* dictam medullâ palleſcente & ruf- cente.

Locus.

Gaudent Aurantia iiſdem locis ac regionibus quibus Mala Medica, ubi paſſim abundant in hor- & viridariis, maritimis præſertim tractibus, ut in Liguria circa Genuam, & in inſulis Stœchadi- *Hieres* dictis propè Olbiam Gallo-provinciæ, ubi adeò familiarem eſſe Aurantiam ſcribit Lobe- , ut ſemper virentium lucorum amœnitate & Pomorum fœtura perenni neutiquam inquilina vi- atur. Nos in inſula Melita in Magni Magiſtri viridario arbores ſatis grandes & proceras vidi- s malis majoribus æquales. Abundat etiam in Sicilia & Italia, nec minùs in Hiſpania. Hiſpa- ia apud nos in maximo pretio ſunt. Peregrinæ tamen ſunt hæ arbores in Europa & aliunde io advectæ, quemadmodum Citriæ & Limoniæ, nimirum ex Aſia. Aurea Heſperidum mala non- llis creduntur, quæ veriſimilius Cydonia fuere, ut alibi diximus.

Vires & Uſus.

Flores mali Aurantiæ odoris gratia in præcipuo honore ſunt : decerpti etiam per maria in lon- quas regiones perferuntur, & aqua quoque fragrantiſſimi odoris ex iis paratur arte deſtillatoria am *Napham* vocant : non tantùm ad delicias, ſed contra peſtem & morbos contagioſos utilem, cordi amicam, quæ & ſudores movet. Hiſpani parturientibus in difficili partu propinant cum xillo aquæ Pulegii.

Cortex amarior eſt ac proinde calidior Citri cortice, ſaccharo conditus verminantibus pueris lis futurus ni amarorem reſpuerent. Per aliquot dies aquâ infuſus amarorem deponit & edulis dit, deinde conditus ſaccharo non tantùm menſis ſecundis inter delicatiſſima bellaria infertur, & medicum uſum habet, in corde & ventriculo roborando, inque iis affectibus quibus Citria nducunt. Modum condiendi cortices Arantiorum & Limonum vide apud J. Bauhin.

Pulpa interior ſeu ſuccus mitior eſt minúſque acidus quàm Citriorum & Limonum ſuccus, fri- lus tamen & guſtui gratus, & ad appetitum excitandum utilis, ut & ad ſitim extinguendam in ribus. Nos certè in febrili ardore magnum inde ſolatium multoties ſenſimus.

Mala Aurantia ſcorbuto ſanando efficaciſſima eſſe perhibentur, ut quidam etiam ſolo eſu crudorum diuturno percurentur.

Malum Aurantium Hiſpalenſe integrum cum cortice & carne comeſtum ante acceſſum febris intermittentis, præſertim tertianæ, perſæpe paroxyſmum avertit, & febrem ipſam profligat.

Oleum è corticibus expreſſum igneæ pæne qualitatis eſſe comperti ſumus (inquit J. Bauhinus) quod facilè patebit ei qui corticem recentem juxta candelam preſſerit, ut exiliant guttulæ inſtar roris, videbit ſtrepitum & ſcintillulas flammeas excitari ac ſi pulverem ſulphureum in flammam injeciſſet. Sunt qui exiſtiment eodem modo expreſſos cortices in oculos clarificare viſum.

E tenellis deciduíſque Aurantiis fiunt globuli ad monilia, & ad preculas numerandas, odore ſuo commendabiles.

Semina verminantibus pueris utiliter dantur. Ex ſemine terræ commiſſo arbuſculæ primo anno prodeunt, quæ in acetarii modum comeſtæ, admodum palato ſunt gratæ, ventriculum inſuper corroborant & appetitum excitant, autore Dodonæo.

Ad lumbricos, ℞ Malum aureum, perforetur, & digitis comprimatur, ut ſuccus exprimatur. Deinde oleo Lini & ſuccó Abſinthii Rutæque paribus portionibus impleatur pauco Theriacæ & farinæ Lupinorum addito, parúmque bulliant. Hoc linimento pulſus, tempora, nares, ſtomachus & umbilicus linantur, & videbis mirabilem operationem. *Alexis.* Hoc remedium ſemper mihi placuit inquit Cheſneau. Habui à D. *E. Hulſe.*

2. *Aracynappil Malis Aurantiis parvis ſimilis fructus* J.B. *Malo Aurantio parvis fructibus ſimilis* C.B.

His fructibus, quos binos videbat J. Bauhinus, ſi non fuiſſet appenſa ſchedula, cui erat inſcriptum manu D. Paludani nomen *Aracynappil*, nihil aliud judicâſſet quàm parva Mala Aurantia; erant enim eodem modo orbiculares, rugoſi & nigricantes ſapore eodem.

3. *Arbor peregrina Aurantio ſimili fructu* Cluſ. J.B. C.B.

Palmaris erat hujus ramulus, quam vidit Cluſius apud Paludanum, è Nigritarum regione delatus, quadrangulus rugoſus, nodis diſtinctus fragilibus. Bini ſemper ex adverſo huic ramulo innaſcebantur ſurculi, ſuſtinentes brevi craſſóq; petiolo fructus, è calyce velut quatuor ſquamis conſtante prodeuntes, uncialis utplurimum magnitudinis, orbiculatæ formæ, rugoſos, nigros inſtar Arantii parvi reſiccati: intus plenos fungoſâ quadam pulpâ (cui commixta parva quædam grana, pæne ut in Ficubus) adſtringentis initio ſaporis. Nulla porro in eo ramulo foliorum veſtigia apparebant, ut dubitari poſſet, An hæc arbor ex illarum ſit numero, quæ pediculo ſive ramulo ἀφύλλῳ ſuos flores & fructus proferunt, ut Aromatici Caryophylli. Grana Ficuum ſimilia hujus fructus pulpæ admixta, arborem ad Ficûs potiùs pertinere arguunt quàm ad Aurantias.

CAP. IV.

Malus Adami C.B. *Poma Adami* J.B. *Malus Aſſyria vel Poma Adami* Park.

PRoxima Aurantiis ſunt Poma Adami nuncupata, ſi fructum ſpectes, orbiculatum illum quidem & aureum, æquabili Aurantiorum ſuperficie, ſed multis numeris majorem, & nonnunquam ad umbilicum veluti ambeſum, colore magis fulvo quàm Aurantia, & odore ignaviori, carne Citris ſimili, ſed guſtu inſuavi, multo interim ſucco prægnante, ſapore Aurantiis affini. At verò folium in Limonum aut Citriorum familiam cooptare jubet, ut cui nulla ſubjecta pinnula, nam pori quibus pertunditur omnibus communes ſunt, veluti & ſpinæ virórque pertinacis vitæ folii. *Flores* Citri.

Pomum Adami dictum volunt, quòd in ſuperficie ceu infixorum dentium veſtigia habere videatur, quaſi ab Adamo primo homine commorſum fuiſſet.

Ejuſdem originis eſt cum reliquis congeneribus & in eiſdem locis colitur, iis tamen minùs obvia, nec ità paſſim nota.

Vires. Viribus cum malo Citrio convenit: peculiariter autem ad ſcabiem valere creditur, ſi per medium ſectum, & tenuiſſimo Sulphuris flore aſperſum, deinde cinere ferventi calefactum corpori ſcabioſo affricetur. *Dalechamp.*

Notat Cluſius ſuccum hujus fructûs ut & Mali Aurantiæ brevibus folliculis comprehendi, cùm in reliquis generibus folliculi ſeu veſiculæ ſuccum continentes oblongiuſculæ ſint.

Cæterum Pomi Adami ſeu Paradiſi, Lumia dicta, variæ recenſentur & deſcribuntur ſpecies, nimirum

Pomum Paradiſi fructu oblongo.

Pomum Adami ſubrotundius, idque vel Rheginum, Neapolitanum, Romanum, vel fœtum ſive alia poma includens.

Lumia ſive Pomum Adami Spataforum nothum.

Lumia ſive Malum Aſſyrium Ollulæ aſpectu.

Lumia expers medullæ.

De ſitu, terra, fimo, ſatione, inſitione, propagatione, tranſlatione, collocatione, ſtercoratione, gatione, injuriis cœleſtibus, morbis, remediis & uſibus Malorum Citriarum, Limonum & Aurant rum prolixè agit Ferrarius in Heſperid. & nuperrimè Commelinus, quos conſulat Lector.

Vires. Olea expreſſa & deſtillata ex harum ſeminibus, floribus & corticibus, præcipui uſûs ſunt in Mechanicis & Pharmacia. Succi è medulla expreſſi juvant in febrilibus, ſcorbuticis & calculoſis affectibus. Cortices ſiccati & pulveriſati in affectibus ſtomachicis & flatulentis (præſertim in frigida intemperie) commendantur.

Turcæ populíque Orientales varias condituras ex hiſce præparant, & ſuum *Sherbet* ex horum ſuccis & Saccharo componunt.

Cap. V.

1. *Carcapuli* Park. J. B. C. B. *fructu malo aureo æmulo. Coddam-pulli* H. M. *P. 1. F. 24. p. 41.*

H. M.

ARbor eſt procera, denſis & opacis frondibus, latè ſparſis. *Radix* craſſa brachia ſeu ramos ſubtus ac ſupra terram latè diffundens, cortice albicante flavo, cruſta nigricante obducto, ligno albicante & ſubflavo: inciſa perviſcoſum humorem, qui ſaporis eſt nullius, exſudat. *audex* quantum duo homines amplecti poſſunt: cortice eodem quo radix, ligno albicante. *Folia* onjugatim bina ſurculis adnaſcuntur, petiolis brevibus, oblongo-rotunda, in medio latiora, ad utramq; xtremitatem ſenſim contractiora, cuſpide verſus unam partem nonnihil inflexa, textura craſſa, iſſa ac ſolida, ſupernè obſcuro virore nitentia, infernè dilutiora, venulis à media coſta obliquè rſum tendentibus infernè apparentibus, & nullis præterea conſpicuis; ſapore acido. *Flores* in ſum- is ſurculis breviſſimis inſident pediculis, incarnati & flaveſcentes, quatuor petalis rotundis, parum blongis & concavis, craſſis & denſis ſine venis.

In medio florum emicat globulus viridis, rudimentum fructus, in octo latera oblonga per ſtrias di- inctus, in vertice capitulo ſeu umbilico, quod ex gemmis albicantibus conſtat, donatus, quem rcumſtant *ſtamina* ſurrecta albicantia, apices flavo-rubros ſuſtinentia. Flores autem odoris ſunt llius & ſaporis ſubacidi. *Calix* quatuor pallidis concavis foliis conſtat. *Fructus* uncialibus petiolis penſi, grandes ſunt, rotundi, octo, novem, decemve coſtis extuberantes, capitulo in vertice par- , quod etiam coſtulis ſtriatum eſt, primùm virides, deinde flaveſcentes, cùm maturi albeſcentes, pore acido-dulci. In medio pulpæ *ſemina*, oblonga, magnitudine unius articuli, compreſſa, co- re cœruleo-nigro.

Fructus Acoſtæ Mali aurei cui cortex exemptus eſt, magnitudine & formâ, ex grumis pariter nſtans, ſed non ut in illo ſeparabilibus, tenui levíque & ſplendenti cortice tectus.

Siccus ex Malabar in alias provincias defertur.

Vires. Eo utuntur in cibis, magnáque apud incolas illius eſt laus in curationibus, ſed inter omnes quæ ex- rientiâ comprobatæ ſunt eminet profluvii albi cujuſcunq; generis conſtrictio, in iis præſertim qui ni- o Veneris uſu hoc malum contraxerunt. Editur verò aut ipſe fructus maturus, aut ejus ſuccus n oxygala ſumitur aut illius exſiccati pulvis: cum oxygala autem mixtus & cocta oryza mirificè petitum dejectum revocat. Utilis etiam eſt ejus ſuccus & exſiccati pulvis in oculorum caliginibus uffuſionibus. Familiaris eſt fructûs pulvis obſtetricibus, puerperis enim exhibere ſolent ad pellen- ſecundas, & ad purgationes atque lactis ubertatem præſtandam, tum etiam ad facilitandum par- m magna, ut aiunt, efficacia.

Carcapuli Linſchotani, *quem C. Bauhinus cum præcedenti conjungit. Carcapuli de Bry.*

Hujus fructus aliquot intus continet lapillos: guſtu eſt admodum auſtero, magnitudine Ceraſi, etiam arbor Ceraſo noſtro ſimilis eſt. *Linſchot.*

De hoc fructu & arbore in Annotationibus *D. Syen* ad *H. M.* hæc habentur, è *D. Hermanni* literis ipſum datis. C. Bauhinus in pinace utramque arborem Carcapuli *Acoſtæ* & Carcapuli Linſcho- i ſub eadem ſpecie perperam comprehendit. Differunt enim inter ſe flore ac fructu, licet in reli- s conveniant. Prior fructu eſt acido, ſulcato, aureo, mali magnitudine; altera fructu dulci, ro- ndo, Ceraſi magnitudine. Prior *Ghoraka* Cingalenſibus ſimpliciter dicitur, altera *Kanna Ghoraka.* traq; *gummi Gotta* fundit. Præſtat autem illud quod ex *Kanna Ghoraka.*

Confundi autem non debet (inquit D. Syen) gummi *Gotta* hîc deſcriptum cum vulgari, quod ab læ Indicæ affini planta colligi teſtatur Bontius cap. 57. & ab Indis vocari *Lonam Cambodja*, quòd in *mbodja*, vicina regno Indiæ provincia frequenter proveniat.

Cap. VI.

Caniram *H. M. *Malus Malabarica fructu corticoſo amaricante, ſemine plano compreſſo* D. Syen.

* P. 1. F. 37. p. 67.

H. M.

ARbor eſt procera, ramis denſis, latè ſparſis, naſcens in arenoſis. *Caudex* ambitu amplexum duorum hominum implet, éſtque ut & rami majores, cortice cinereo nigricante aut rubeſcente. Surculi teneriores ex viridi fuſci ſunt, nodoſi, cortice amaro. *Folia* ex nodis untur bina ſimul, oblongo-rotunda, in medio latiſſima, anteriùs rotundo-cuſpidata, plana, vi- e communi, ſupernè nonnihil nitente, inferius ſurdo, ſaporis valdè amari. Præter coſtam folii diam duæ aliæ hinc inde è petiolo egrediuntur minores, in ſupina etiam parte nonnihil eminen- ductu arcuato antrorſum excurrentes. *Flores* in ſurculis ex nodis umbellatim proveniunt, ſúntq; vi, quatuor, quinque, vel etiam ſex petalorum dilutè virentium, cuſpidatorum & craſſiolorum, cum pedunculo craſſo, parvo, viridi, calyci arcto quinque foliorum cuſpidatorum inſidentes formâ externâ haud diſſimiles Caryophyllis, odoris debilis, haud injucundi. *Stamina* quatuor vel quinque cum *apicibus* longis viridi-dilutis è medio emicant, inter quæ *ſtylus* viridi-dilutus ſupra apices eminens, qui è globulo viridi prodit. Flores cùm in gemmis promicant, omnibus foliis vetuſtis arbor eſt ſpoliata, ac cum gemmis florum ſimul tenella foliola velut nova germina prorumpere conſpiciuntur. *Fructus*, qui ſolitarii, vel etiam duo, tres, quatuor, pluréſve ſimul ſurculis petiolis curtis adnectuntur, rotunda mala ſunt, glabra, abſque rugis, colore aureo-flavo, carne per maturitatem candida & mucilaginoſa, cortice craſſiuſculo & fragili, ſúntque ſaporis valdè amari. *Semina*, quæ intra carnem fructûs conſita ſunt, formâ rotundiola plana ac compreſſa, cum planis ſuis ſuperficiebus jacentia in longitudine fructus, cortice exteriori per maturitatem inſtar *veluti* viridi, ſúntque pulpa valdè amara.

Tota arbor ob amaritudinem celebris eſt.

Tempus. Flores fert tempore æſtivo, pluvioſo fructus.

Vires. *Radix* vel in decocto vel in infuſo propinata cathartica eſt, prodéſtq; febribus pituitoſis, doloribus colicis, inteſtinorum torminibus, ventris fluxibus. Conducit in podagra ſi cum ejus decocto pars affecta foveatur; in vertigine ínque atra bile, ſi ejus decoctum cum lacte vaccæ mixtum ad delibutionem capitis adhibeatur. *Cortex* contritus & mixtus cum aqua in qua fuit Oryza flavæ bilis fluxum reprimit. Succus ex foliis expreſſus ac in decocto datus capitis dolores ſedat, largiùs epotus veneni vires habet, mortem inducens, in ſtercore hominis comeſto ſalus eſt.

Uſus ſeminum in fructibus per duos annos continuatus, ſumpto ſingulis diebus uno aut duobus numero, efficit ut morſus venenatus Colubri, vulgò *Cobra Capella* dicti, nullas noxas adferat: *ſi credere fas ſit.*

CAP. VII.

Laurifolia Javanenſis C. B. *Mangoſtans* Garciæ J. B. Bont. *l.* 6. *c.* 27.

PUſilla eſt arbor (inquit Garcias) Malo vulgari ſimilis, *foliis* Laurinis, *floribus* luteis [Cluſius *folia* Laurinis majora & latiora eſſe ſcribit, ampliſſimorum foliorum Mali formam magis referentia, ſex aut ſeptem craſſioribus venis ex utroque nervi medii latere procedentibus prædita, intercurſantibus creberrimis ſubtiliſſimíſque venulis, ut qua parte attrita erant folia ſubtiliſſimis filis contexto rete conſtare viderentur, ſapore acriuſculo. Quædam porro folia quatuor, quinque, aut ſex unciarum longitudinem habebant, trium latitudinem, aut ampliorem pro foliorum magnitudine, eáque in ambitu non dentata aut crenata.] Bontius folia hujus arboris, ut & truncum & ramos, niſi quòd ſpinoſi non ſint, Mali Citrei arborem æmulari ait, & niſi odore diſtinguerentur, qui in *Mangoſtan* foliis nullus eſt, proculdubio aſpectum fallerent. *Fructus* inter omnes Indiæ fructus longè ſapidiſſimus eſt. Cortice refert planè Malum Granatum ſeu Medicum, eodémque modo aſtringit cum paulo majore amarore. In baſi ſeu inferiore parte veſtitur circa caudam tribus vel quatuor, quaſi ſeparatis corticibus, minutioribus, ut in Roſa videre eſt. In vertice vero coronam geſtat, quæ quot radios habet tot nucleos in aperto Mangoſtano, candidiſſima carne nivis inſtar veſtitos reperies; ità aliquando ſex, aliquando octo, pro radiorum multitudine indubitato intus occluduntur.

Locus. In Java inſula circa *Bantam* emporium naſcitur.

CAP. VIII.

Tapia Braſilienſibus Marcgrav. Piſon. *Pomifera trifolia Braſilienſis fructu corticoſo multis oſſiculis pericarpio incluſis pleno.*

Marcgrav.

ARbor hæc in Fagi aut Quercûs altitudinem aſſurgit, cortice lævi, cinereo, ac multos habet ramos: *folia* autem in quolibet pediculo tria, ſibi oppoſita, lævia, ſplendentia, ſupernè ſaturatiùs, infernè dilutiùs virentia, quatuor aut ſex digitos longa. In extremitatibus ramorum 20, 30, aut plures pediculi ſunt Ceraſini, in quibus ſingulis *flos* conſtans quatuor foliolis albis, digitum longis; quodlibet habet ſuum petiolum, digitum ferè longum, figurâ ferè venabuli, & nervum ſecundùm longitudinem, ac venulas obliquas vireſcentes, ut folia alicujus arboris, & cum his alternatim poſita quatuor foliola brevia, vireſcentia: inter omnia hæc enaſcuntur *ſtaminula* multa, ſubruffa, circiter ſeſquidigitum longa: in medio denique horum erumpit pediculus duos aut ſeſquidigitum longus. *Fructum* fert rotundum, magnitudine mediocris pomi, qui quando maturuit flavet inſtar Aurantii, ac corticem illi æqualem habens; interiùs autem plenus eſt capillis duris, magnitudine ſeminum Ceraſorum, oblongis, flavis & nucleum continentibus album: circa lapides autem eſt pulpa alba, mollis, dulcis ſaporis ac nauſeabundi odoris. Edulis eſt fructus.

Lignum hujus arboris fragile, medulla alba, Sambucina.

Vires: Folia hujus arboris contuſa excellentiſſimum ſunt remedium contra malum hîc perfamiliare, quod vocant *Bichos de cu* ſi exteriùs applicentur; tædarúmque inſtar ano indantur: omnes deníque fervores refrigerio ſuo reſtinguunt, doloréſque mitigant. Præter hæc auribus indita reſtituunt dolores capitis ex calore natos.

Duæ hujus arboris reperiuntur ſpecies: Prioris lignum judicatur duriſſimum, omniúmque in his locis naſcentium graviſſimum; putredinis quaſi expers omni corruptioni reſiſtit, ac proinde navibus ſtruendis dicatum. Arbor habetur infrugifera.

Altera [Piſoni cognita] folio eſt glabro, magno, uno nervo recto & rarioribus venis obliquis prædito. Fructum fert Aurantio malo majorem, cortice craſſo, duro, fulvo, cinereíſque maculis variegato, quo melleus quidam liquor continetur, dulcedine ſua certans cum Saccharo, cui nuclei multi ſunt permixti, qui exiccato liquore Pomi ſtrepitum edunt ut capita Papaverum.

Pro pectoris morbis in uſu habetur. *Vires.*

Cap. IX.

Karin-kara H. M. *P.* 4. *T.* 23. *p.* 49. *Malus Indica, pomo corticoſo Juglandi pari, monopyreno. H. M.*

Arbor eſt mediocris magnitudinis, caudice mediocriter craſſo, candido; cortice furvo, ſcabro, inodoro, ac amaro obducto, necnon ramis viridibus in orbem diffuſis donato. *Radix* rufa, albicante cortice tecta. *Folia* ſine ordine brevibus, rotundis ac ſulcatis petiolis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, denſa, glabra, ſupernè atro virore ſplendentia, ſubtus viridi-flaveſcentia; coſta media albicat: ſapor amarus ac auſterus. *Flores* albicantes, magnitudine *Paenoe* floribus, formâ verò Geniſtæ aut Laburni ſimiles, aut in ramulorum extremis, aut è lateribus in tenui ligula dependent, atque calyci viridi, in quinque acuminata, magnitudine inæqualia foliola ſecto, inhærent, quinque oblongo-teretibus, craſſis, candidis foliolis conſtantes, ſupremo reliquis multò majore, lato, ſurſum reflexo, at inferiùs aperto hiatu dehiſcente; è quo numeroſa prodeunt *ſtaminula*, candida, apicibus ornata: odor ſuavis, ſapor amarus. *Fructus* nucibus Juglandibus magnitudine ſimiles, rotundi ſunt, globoſi, ac duabus protuberantiis ad verticem ſtriati, viridi-flaveſcente cortice cincti, carnéque intus albicante, primùm denſa, dein molli, pultacea ac ſubdulci referti, intra quam nucleus locatur rotundus, biſariàm aut triſariàm diviſus, ſubviridis, rufâ pellicula tectus, fabarum ſapore æmulus.

Creſcit in locis ſylveſtribus *Malabar*, perpetuò viret; non rarò bis in anno maturos fert fructus, menſibus, viz. Aprili & Octobri: at non diu ſuperſtes manet. *Locus.*

Cap. X.

1. *Pomifera Braſilienſis fructu tres nuces continente.*

Cortice eſt griſeo ſeu fuſco, hinc indè ramos ſuos directè projiciens. *Folia* habet in ramulis oppoſitis oppoſita, ad tactum dura & membranacea, longa, ſolida, foliis *Araticu ponhe* quodammodo ſimilia. *Fructus* maturus flavus, rotundus, Pomi magnitudine, cortice paris ferè cum Aurantio malo craſſitiei, qui inciſus facilè ſeparatur: Continet duas aut tres Caſtaneas, ovales, magnas, uno latere planas ubi invicem appoſitæ ſunt: has pauca ambit caro, albicans, ſaporis acris & ſubamaricantis, quæ comeditur. Caſtanea non eſt edulis.

Arbor inciſa lac croceum de ſe fundit.

Propè ſinum Aquapetida invenit Marcgravius, fructu maturo menſe Martio. *Locus & Tempus.*

* 2. *Pequea ſive Pekia ſecunda* Piſon. J. de Laet.

Folio eſt glabro, magno, uno nervo recto & rarioribus venis obliquis prædito. Fructum fert Aurantio malo majorem, cortice craſſo, duro, fulvo, cinereíſque maculis variegato, quo melleus quidam liquor continetur, dulcedine ſua certans cum Saccharo, cui nuclei multi ſunt permixti, qui exiccato liquore Pomi ſtrepitum edunt, ut capita Papaverum. Ab omnibus paſſim Barbaris eregrinantibus fructus ob dulcedinem gratam expetitus eſt: Europæis tantùm pro pectoris morbis n uſu habitus.

Cap. XI.

Pomifera Braſilienſis fructu corticoſo ovali, monopyreno. *Pitoma Braſilienſibus* Marcgrav. *Marcgrav.*

Arbor grandis eſt & ramoſa, cortice gryſeo, coryli noſtratis cortici haud abſimili. *Folia* inæqualis magnitudinis, à tribus, ad octo digitos longa, pediculis brevibus inſident, & bina ſibi opponuntur, quemadmodum & ramuli, hic illic tamen folium ſolitarium invenitur: nt autem oblonga, anteriùs acuminata, auris Aſininæ figurâ, ſupernè lætè viridia ut *Caju* folia, feriùs paululum pallida. Ad foliorum exortum duo ramuli enaſcuntur oppoſiti [interdum nicus] tres, quatuor vel quinque digitos longi, ſpicæ modo in totum numeroſis veſtiti *floſculis*, uorum quilibet ſuo inſidet pediculo brevi, parvulus, in quatuor crenas ſectus, *ſtamina* novem, midigitum longa, erecta, crocei coloris, *apicibus* tenuibus rubicundis, continet. Pediculus floris loris eſt melini, flos ipſe ejuſdem cum pauxillo rubro mixti. *Fructum* fert unumquemque ſuo diculo innitentem, ellipticæ figuræ, umbilico autem inſtar puncti eminente: exteriùs coloris eſt ſcurè flaveſcentis, cortice carneo, ſolido quidem, ſed fragili ferè, majoris craſſitiei quàm cortex t Caſtaneæ, ſub quo latet pulpa, pauca, albicans, gelatinæ conſiſtentia, ſaporis acidi grati & ad-ringentis, quæ ſponte à cortice fracto ſe ſeparat & comeditur. Continet denique in medio ſui nucleum magnitudine Caſtaneæ, ellipticæ figuræ, cuticulâ tectum flaveſcente; ipſe autem incarnati eſt coloris, pulpa albicante, & facilè in duas partes æquales diviſibilis; ſapore eſt amaro & adſtringente, miniméque edulis.

CAP. XII.

Cumbulu H. M. *P. 1. F. 41. p. 75. Nux Malabarica unctuoſa flore cucullato.* D. Syen. *An Adhatoda Zeylanenſium* Herman? *Append. H. L.*

H. M.

ARbor eſt procera, ramis ex medio caudice in altum, minùs verò in latum diffuſis, naſcens in arenoſis. *Radix* cortice albicante, craſſo, molli ac ſubamaro tecta, ligno albicante, fibras longas emittit. *Caudex* ambitu unius hominis amplexum excedit, cortice craſſiolo, molli, albicante obductus, intus albicans, odorem calcis æmulum fundens. *Rami* nodulis diſtincti, cinerei, ſurculi teneriores virides. *Folia* longis & craſſiolis pediculis nixa, conjugatim bina, alterno ordine è nodulis egrediuntur, ſpithamam & duos tréſve inſuper pollices longa, palmos duos lata, ad petiolum maxima latitudine, indéque ſenſim contracta in cuſpidem oblongam deſinunt: (cùm minora formæ rotundioris ſunt & minùs oblonga) tomentoſa lanugine obſita, maximè in averſa parte, supernè virore ſaturo & nonnihil nitente, ſubtus dilutiora, ſapore amaro, odore nullo. *Coſtæ* & *nervi* foliorum in averſa ſolum parte eminent, & à margine reflexi arcuatis multiplicibus ductibus in ſe invicem incurrunt; reliquam nervorum diſcursûs per folia deſcriptionem vide. *Flores* in ſummis ſurculis plures ſimul breviſſimis pediculis proveniunt, flavi, cucullorum formâ, laciniis quinque rotundiolis, craſſiolis, quarum una majuſcula eſt & latior ac cæteris longiùs propendens, quatuor reliquæ extrorſum reflexæ, inciſi, ſupernè quàm parte inferiori latiores, coloris interiùs flavo-clari, exteriùs, ubi tenuiter piloſi ſunt, flavo-fuſci, odore nonnihil debili & non injucundo. *Stamina* quatuor flavo-albicantia ac nonnihil inflexa versùs majorem laciniam, *apicibus* grandiuſculis ſubflavis dotata, ac inferiori cuculli parte interiùs inſerta. *Stylus* flavo-albicans, ſuperiùs bifurcatus viridi capitulo, quod rudimentum fructus eſt, inſidet. *Calyx* brevibus in oris eſt cuſpidibus, arctè flores includens. *Fructus*, calycibus primùm in totum & arctè excepti, oblongo-rotundi ſunt, parte ſuperiori craſſiores, hinc indè tuberculis exturgentes, carne intus ſucculentâ, flavâ, ſubdulci & amarâ, cujus humor expreſſus unctuoſus flavo intenſo ac rubeſcente colore manus tingit, cortice craſſo, primùm virides dein flavo-diluti, odoris quoque debilis non injucundi. In medio continetur unum oſſiculum, albicans, oblongum, durum, glabrum, pyriforme, ac acutis tuberculis hinc indè eminens, parum nuclei in ſe continens.

Bis in anno fert flores.

Vires. Radix in decocto data addito pauxillo Oryzæ prodeſt in febre ſymptomatica comitante arthritin. Eadem data in lacte acido vel in oleo *Sirchelim* proficua eſt in flatibus & dolore thoracis. Ejuſdem cortex contritus & in aqua decoctus juvat in febre frigida; per toſtionem in pulverem redactus ſervit in podagra, facta perunctione partis affectæ. In lacte acido datus inteſtinorum ſedat tormina, ad quod etiam confert ſuccus foliorum epotus.

Locus. Hanc plantam obſervavit D. *Tancredus Robinſon* ſimul cum aliis novis & rariſſimis plantis cultam ab ingenioſiſſimo Hortulano D. *Georgio London* in Horto Reverendiſſimi Epiſcopi Londinenſis D. *H. Compton* Præſulis nunquam ſatis laudandi: & ad nos ſcripſit hanc Arborem Malabaricam eſſe Adhatoda Zeylanenſium *Herman.*

CAP. XIII.

Courondi H. M. *P. 4. T. 50. p. 103. Arbor Indica fructu rotundo, cortice molli nucleum unicum nudum glandi ſimilem continente.*

H. M.

ARbor eſt procera, *caudice* craſſo, denſo, albicante, cortice obducto nigricante, ſcabro a aſpero, ramuliſque plurimis intus fungoſis donato. *Radix* albicans, cinereo cortice tecta, acris, graveolens. *Folia* geminata, ordine parallelo circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, in ambitu leviter crenata, craſſa, denſa, glabra, ſplendentia, ſupernè viridia, infern ſubviridia, nervis aliquot è media coſta in latera excurrentibus; ſapor aſtringens; odor nullu *Flores* exigui, viridi-flaveſcentes, vitis viniferæ floſculis haud abſimiles ad foliorum exortum cir ramulos proveniunt copioſi, hoc eſt, terni, quaterni aut plures ſimul ferè congeſti, quinque fo rotundis foliolis conſtantes, numeroſis *ſtaminulis* medium occupantibus, inodori, ſaporis adſt gentis. Floribus pari fertilitate *fructus* ſuccedunt rotundi, purpurei, craſſo, carnoſo, molli, in que croceo cortice cincti, Glandi ſimilem nucleum intus continentes, qui rufâ pelliculâ tect odoris ingrati, ſaporíſque aſtringentis eſt.

Locus & Tempus. Naſcitur locis montanis ac petroſis circa *Paracaro*; ſemper viret; ſingulis annis maturos fert f ctus, Decembri, viz. & Januario menſibus, diúque frugifera manet.

Vires. Succus è foliis hujus arboris expreſſus & cùm ſero lactis calidè exhibitus diarrhœæ & dyſent medetur: idem præſtant nuclei fructuum quoque modo ſumpti.

CAP. XIV.

Arbor Indica Mamei dicta C. B. *Mamay arbor* J. B. Park. The Mammee, Momin, or Toddy-tree.

VAriant in hujus arboris deſcriptione hiſtorici Indici. Gomaræ arbor eſt formoſa, ſimili modo virens uti Juglans, altâ latâque coma, ſed quæ in pyramidem aliquantulum deſinat, Cupreſſi modo. *Folium* longius quàm latum: materies ligni fungoſa: *fructus* rotundus & magnus [in inſulis, in continenti longus & craſſior & guſtu jucundiore. *Benzo*] carne Malum Cotoneum referens, ſed ſapore Perſici duracini: huic inſunt terna quaternáque oſſa, interdum plura, ſimul juncta, valdè amara.

Oviedus Arborem ſpecioſiſſimam eſſe ſcribit, magnæ Nucis Juglandis proceritate, *foliis* paribus aut majoribus, craſſioribus, altera parte viridioribus, palmum longis & ad proportionem latis.

Hujus *fructus* eſt omnium qui in inſula Hiſpaniola proveniunt guſtui ſuaviſſimus, quandoque perfectè, quandoque imperfectè rotundus, pugnos duos magnitudine æquans, aliquando minor; cortice contegitur fulvo, modicè aſpero, Pyrorum ſylveſtrium ritu niſi durior craſſiórque eſſet. Sunt qui unum, alii duos tréſve concludunt nucleos, in Pomi medio, interſtitiis diſtinctos, acinorum ritu membranula tenui opertos, delibratæ caſtaneæ colore, quorum pulpam ſi ſecueris judicabis caſtaneæ, præterquam ſapore ſimilem, ſed interior acinus fellis eſt amaritudine, delicatâ tuniculâ contectus; quam inter & priorem illam membranulam caro ſive pulpa intercedit ferè fulva, Perſici Duracini guſtu, aut meliore, non tamen tam ſucculenta eſt, neque tam odora. Pulpæ iſti digitalis eſt craſſitudo in majoribus, minor in minoribus pomis. Scaliger negat intra nucleum ſeu medullam alteram medullam latitare amariſſimam; ſe enim in nucleo diſſecto nihil tale obſervare potuiſſe: Verùm Oviedo potiùs credendum. Hugheſius noſter neque truncum, neque ramos, ſed præcipuè ramos, hujus arboris admodum ſolidos eſſe, ſed teneros, ſpongioſos & diſcindi faciles, ſcribit.

E ramis autem inciſis deſtillat liquor pellucidus copioſus, quem conſcenſa arbore, & ramo aliquo vulnerato, cucurbitâ appenſâ indigenæ excipiunt. Nôrunt illi ramum itá incidere, ut vulnus terum claudere & obturare poſſint, adeóque impedire nè liquor effluat: internoctu ergò vulnus pertum relinquunt, interdiu illud obturant, aliàs enim ſi interdiu permitterent extillare, ſolarium adiorum vis adeò copioſè ſuccum evocaret, ut arbor nimis exhauſta mori periclitaretur: quinetiam liquor interdiu emanans minùs ſalubris habetur, utpote cruda & inconcocta.

Liquorem hunc Vinum Mammeyanum [Momin or Toddy-Wine] vocant: parcè autem illud bibendum eſt, nec plus uno cyatho una vice. Eſt enim diureticum inſigne, facilè penetrat & incidit, calculo præcavendo & diſſolvendo efficax. Mirum alios nullam hujus vini mentionem cere. *Vires.*

E carne ſeu pulpa hujus arboris optimam efficiunt conſervam.

Duûm eſt generum, alterum fructu majore cujus oſſiculum falſo Avellanæ Indicæ titulo à * Cluſio depingitur & deſcribitur. Occurrit etiam elegans ejus & accurata icon in muſeo Calceolariano: Hujus deſcriptionem inferiùs inter fructus dabimus. Alterum fructu minore, cujus oſſiculum deſcribit Cluſius Avellanæ Indicæ minoris nomine erroneo.

* *Annot. in Garciæ lib.* 1. *cap.* 26.

SECTIO QUARTA.

Arbores Cucurbitiferæ.

ARbores Cucurbitiferas voco quæ fructus proferunt Cucurbitis aut Melonibus ſimiles, cortice per maturitatem duro cinctos, quorum plerique pulpam intus mollem, humidam, ſemina ambientem continent: quibus ob ſimilitudinem in reliquis unum vel alterum fructu ſicſubjungimus.

CAP. I.

Cucurbitifera trifolia Indica fructûs pulpâ Cydonii æmula. Cydonia exotica C. B. *Covalam* * H. M. *An Malum Cydonium Indicum* Bontii? *Beli ſeu Seriſole Bengalenſium, Cydonia eorundem Garciæ* J. B.

* *P.* 3. *T.* 37. *p.* 37.

H. M.

ARbor eſt procera, caudice ex albo flaveſcente, variegato, craſſo, præduro, multiſque ramis donato, qui cortice craſſo, lignoſo obducti, ac ſpinis oblongis aculeatis muniti ſunt. Rami autem vetuſtiores ſpadiceo-fuſci, teneriores ab una parte virides, ab altera, qua radiis Solaribus exponuntur, rubicundi, uti & ipſorum ſpinæ. *Radix* fibrata, albicans, ac o cortice tecta, odoris gravis, ſaporis dulcis, deinde amariuſculi. *Folia* terna ſimul ex eodem iculo naſcentia, oblongo-rotunda, in ambitu crenata, nitentia, ſuaveolentia, auſtera, mani- confricta unctuoſa. *Flores* ſuaveolentes ſex, ſeptemve uni pediculo inhærent, atque è calyce di in lacinias ſecto prodeunt, & quinque oblongo-rotundis, craſſis, reflexis, exteriùs viridibus, interiùs albo-viridibus conſtant foliolis, multis in medio ſubviridibus *ſtaminulis*, viridibus apicibus donatis, præditi, inter quæ *ſtylus* prodit oblongus, craſſus, ſurrectus, qui ipſius fructûs rudimentum eſt. *Fructus* mala rotunda externâ formâ referunt, quos tegit ſubviridis, tenuis cortex, cui ſubjectus alter prædurus, lignoſus, & pæne oſſeus, carnem continens viſcoſam, ſubflavam, humidam, ſaporis acidodulcis, intra quem *ſemina* plana, oblonga, alba, gummoſo pellucido ſucco intus turgentia, recondita ſunt

Locus. Naſcitur in Malabar ínque inſula *Zeilan*. Seminibus ſata ſexto vel ſeptimo demum anno fructus fert; quos tamen ſingulis annis Decembri & Januario menſibus maturos exhibet; ac integrum ſeculum frugifera manet.

Vires & Uſus. Fructus teneri ſaccharo vel aceto condiuntur, maturiores verò in deliciis comeduntur: immaturi diarrhœam ac dyſenteriam ſiſtunt.

Ex arboris cortice & radiculis cum aqua communi decoctum paratur, quod melancholiam hypochondriacam, cordis palpitationem & lipothymiam ſanat. Ex cortice pulveriſato & cum Melle mixto Electuarium conficitur, quod manè ſumptum alimentorum in ventriculo fermentationem promovet, capitis dolorem ac vertiginem tollit. Foliorum decoctum aſthmati medetur. Ex floribus aqua deſtillatur Cardiaca & Alexipharmaca.

Solent Guzaratenſes medici (ut ſcribit Garcias) uti hoc fructu tenero adhuc & immaturo, aceto vel ſaccharo condito in inveteratis alvi profluviis ſiſtendis. Quocunq; autem modo præparati in dyſenteria profligandâ magno cum ſucceſſu exhiberi ſolent. Plura videſis apud Garciam.

CAP. II.

Pomifera Indica tinctoria Janipaba *dicta. An Panitsjica Maram Malabarenſibus* * H. M? *Janipaba Braſilienſibus* Piſon. & Marcgr. *Genipat* Park. *Pomo ſimilis Braſiliana* C. B. *Junipapeeywa Braſilianorum, nucum foliis, ſive Genipat* J. B. *Junipa* Rochefort.

* P. 3. T. 41. p. 45. *H. M.*

ARbor eſt procera, altitudine 80, craſſitie quindecim pedes non raró ſuperans, multíſque ramis donata: Lignum prædurum, albicans, nigricante auſteríque ſaporis cortice obductum. *Radix* itidem albicans, nigricante cortice tecta, & fibris ſuis latè per terram diffuſa. *Folia* oblongo-rotunda, glabra, denſa, nitentia, craſſis, brevibus, viridi-flavis petiolis, rubicunda proveniunt, quæ tamen poſtea ſupernè atro-viridia, infernè ſubviridia evadunt; odoris & ſaporis ſylveſtris ac ingrati [Marcgravius folia *Janipabæ* linguæ bubulæ figurâ eſſe ſcribit, ſed in utraq; parte faſtigiata, pedem aut ſeſquipedem longa, ſuperius ſplendentia ac dilutè virentia, inferiùs ſaturatiùs & non ſplendentia] A pediculo ad apicem folii nervus decurrit conſpicuus, rotundus, viridi-albicans, infernè eminens, è quo plurimi exoriuntur nervuli, contortuplicati, exigui. *Flores* vel candidi, vel albo-flaveſcentes, brevi pediculo extremis ſurculis multi ſimul juncti inſident, atque è *calyce* viridi-flaveſcente prodeunt: conſtant ii unico folio, ſed in quinq; profundas lacinias diviſo, ſic ut plura videantur, numeroſis fibris pallidis erectis mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus. Odor ſuaviſſimus & aromaticus, necnon è longinquo nares feriens. *Fructus*, qui etiam plures ſimul floribus ſuccedunt, ac calyce viridi, grandiuſculo excipiuntur, exactè rotundi ſunt, & pilarum obtinent magnitudinem, in vertice umbilico præditi, & cortice primùm viridi, deinde rubro, villoſo ſeu lanuginoſo, tandem verò glabro & cinereo cincti, carne intus albicante, ſubviridi, & aquoſa ſeu potiùs glutinoſa, ſaporíſque valdè acidi primùm, deinde acido-dulcis referti; intra quam octo aut decem *ſemina* rubicunda, plana, oblongo-rotunda, fructuum *Cacao* æmula, ac utriculis incluſa in orbem locantur, eáque glutinoſâ fructûs pulpâ artificioſè obducta cernuntur. At verò immaturi cùm hi fructus ſint humore glutinoſo, gummoſo & aqueo-pellucido ità abundant, ut cortice pluribus foraminulis pertuſo guttatim exſudet, qui radiis ſolaribus in ſubſtantiam ſpiſſiorem concreſcens, ipſum fructum gummi inſtar oblinit: fructus autem cùm indies matureſcunt, viſcoſitas hæc, ut & humor ipſe minuitur, donec tandem modico ac grato ſucco repleti, eſui apti evadant.

Locus & Tempus. Naſcitur ubique in Malabar: quovis anni tempore fructus fert, quanquam Aprili & Octobri menſibus plurimum floret, atque à ſeptimo circiter ſationis anno ad centeſimum & ultra frugifera eſt.

Vires & Uſus. Arboris hujus folia tenella cum aqua trita (quam medicaminis formam pleriq; Aſiatici pro more habent) ac potui data, vel etiam ſuccus è fructibus tenerioribus expreſſus, egregium eſt ad aphthas & linguæ fiſſuras remedium, ſi ore contineatur. Idem ſuccus oculis inſtillatus ophthalmiæ conducit. Arboris cortex in pulverem redactus, ac cum Oryzæ infuſo, & expreſſo è matura nuce Indica lacteo ſucco mixtus, atque febricitantibus exhibitus, æſtum potenter extinguit: inſuper decoctum ex hoc cortice paratur, cui mel admiſcetur, idque aſſumptum ventris tormina ſedat. E ſeminibus oleum exprimitur, quod cum zinzibere & ſemine Cumini ſumptum hydropicis ſuccurrit, inſuper alvi cruciatus lenit, eandémq; evacuat. Fructus verò maturiores cum incluſis ſeminibus ſeu nucleis ab indigenis comeduntur. Succus deniq; glutinoſus, gummoſus, pellucidus, qui è fructibus haud maturis exprimitur, radiis Solaribus concreſcens ac rufeſcens, ſeu ex rufo-nigricans, & velut vireſcens, optimum evadit gluten, quo ad quæcunq; arctiſſimè conjungenda utuntur incolæ: quemadmodum Judæi & Luſitani in compingendis libris ſolo hoc glutine utuntur, quíque ob id teredini nunquam obnoxii ſunt, &c.

Janipaba. Immaturus fructus [Janipabæ] conciſus & cuti affrictus tingit colore ex nigro ſubcœruleſcente; quæ nullo modo elui poteſt, ſed poſt octo aut novem dies ſponte evaneſcit. Lignum ſeu ramus decerptus eodem modo tingit. Barbari in ſympoſiis ſuis, & ad bellum ituri ſolent ſe hoc liquore inficere ut terribiliores hoſtibus videantur. Mirum Horti Malabarici auctores nullam hujus qualitatis & uſûs mentionem facere, ſi modò eadem ſit arbor *Panitsjica-maram* & *Janipaba*, cùm omnes qui de *Janipaba* ſcripſerunt ejus meminerint, Cluſius, Thevetus, Lerius, Piſo, Marcgravius, Hernandez, Rochefortius. Ego cognatam potiùs quàm eandem judico: quocirca Janipabæ hiſtoriam è G. Piſonis Hiſt. nat. & medic. Ind. mutuatam ſubjiciam.

Una ex procerioribus Braſiliæ arboribus eſt *Janipaba:* quæ figurâ convenit cum Fago. Corticem habet griſeum ſeu canum; lignum fragile & medulloſum. Rami foliis veſtiti oblongis, linguæ bubulæ figurâ, ſed in utraque parte faſtigiatis, ſeptem, octo, vel novem juxta ſe diſpoſitis, unum aut ſeſquipedem longis, ſuperiùs ſplendentibus ac dilutè virentibus, inferiùs ſaturatè viridibus, quæ ſingulis annis, menſe imprimis Decembri, decidunt, non omnia quidem ſimul, ſed pars illorum diverſo tempore: Mox nova prioribus multò lætiora & majora acquirit, ídque ſingulis menſibus.

Florem gignit exiguum menſe Martio & Aprili, cæterùm Narciſſo haud multùm diſſimilem, qui odorem Caryophylli Carthuſianorum æmulatur; coloris albi cum unguibus interiùs flavis; in medio floris ſtamen craſſiuſculum flavum habens ac inſuper inter duo folia floris corniculum pallidum, è medio floris prodiens, deorſum incurvatum.

Fructus illius magnitudinem habet Mali Auraici, vel majorem, rotundus, * cortice tenui, lento, cinereo, ſub quo primùm continet carnem ſolidam, lentam, ſucculentam, flaveſcentem, ſaporis acidi & refrigerantis, odoris grati. In medio autem fructûs eſt cavitas repleta ſeminibus molliori pulpa circundatis, ejuſdem cum reliqua carne ſaporis. Seminis grana ſunt compreſſa & ſuborbiculata, ferè ut *Mangaiba*, quæ unà comeduntur. Immatura poma viridia ſunt, mox matura, Meſpilorum inſtar, putreſcunt, atque eſui apta fiunt. Cruda non cocta appetuntur, Saccharata & condita lautiora ſunt. Contra fluxum ventris feliciter exhibentur. Ardores palati & ſtomachi compeſcunt, saníſque & ægris ſolatio ſunt, niſi quòd fortioris ſint odoris, caput afficientis. Immatura poma trita, & in cataplaſmatis formam redacta, ulceribus malignis & clavis luis Venereæ imponuntur. Vinum quod ex illis exprimitur in eoſdem uſus reſervatur, ſed vetus redditum calidius exiſtit, minúſque adſtringens. Ex pomo nondum maturo vi ignis liquorem extrahunt * indigenæ, quo adversùs eadem mala utuntur.

* *Junipappeeywa Cluſii cortice erat denſo & duro, is autem ſiccus erat.*

* *Braſiliani.*

Rochefortius narrat Fructus hoſce inter decidendum ſtrepitum edere bombardæ non abſimilem; quòd indè accidere ait; quòd ſpiritus quidam ſeu flatus intra pelliculas ſemina involventes incluſi, caſu illo commoti veſiculis diruptis cum impetu egrediantur.

Fructûs hujus tinctura ſapone elui nequit, verùm intra dies novem aut decem ſponte evaneſcit. Cùm poma decidunt non aves tantùm ſed etiam porci qui illa comedunt, carnes atque etiam adipes colore violaceo tinctas obtinent.

Cluſius Exot. lib. 2. cap. 7. duos deſcribit fructus Janipabæ ſimiles.

Prior orbicularis erat pæne figuræ, è Braſilia allatus; formâ non valdè diſſimilis *Junipappeeywa* Braſilianorum, teneriore tamen cortice præditus, & ſuperna parte planus, atque quodammodo in tenerum umbilicum deſinens, continebat autem interna parte multa ſemina rugoſa, Staphiſagriæ ſeminibus non diſſimilia, nucleum continentia in binas partes diviſum. Pediculus cui inhærebat triuncialis longitudinis erat.

Alter, etiam ex Braſilia allatus, pæne ovali erat figurâ, inſtar Mali Citrii ſive Limonis, ſuperna tamen parte magis mucronatus, tres uncias longus, ejus ambitus ſex unciarum erat, duro lento tamen cortice præditus: intus verò pulpa nigra continebatur, quæ propter vetuſtatem in pollinem prorſus reſoluta erat. Cæterùm hunc fructum lectum fuiſſe arbitrabatur Cluſius antequam maturitatem adeptus eſſet, quandoquidem rugoſo erat cortice & pleriſque locis velut in lacunas contracto.

CAP. III.

1. *Arbor cucurbitifera Americana folio ſubrotundo. Cuiete* Marcgrav. & Piſon. *vulgò corruptè* Cochine. *Higuero Oviedi* J. B. Park. *Arbor Indica fructu Cucurbitæ formâ & ſapore* C. B. **The Calebaſh-tree.**

Marcgr.

Arbor cortice griſeo, ut Sambucus, contortè naſcitur, longos habens ramos, & in iis *folia* frondatim & alternatim poſita; nimirum rami habent alternatim tubercula digiti intervallo, & ad quodlibet ſex, ſeptem aut octo *folia*, arctè ſibi oppoſita, ſemipedem plus minùs longa, planè anguſta versùs exortum, versùs extremitatem verò ſenſim ampliantur, ſeſquidigitum lata ubi latiſſima, in acumen quoddam obtuſum deſinentia, ſupernè ſaturatè viridia & ſplendentia, inferne dilutiora, nervo conſpicuo & venis tranſverſis prædita. Non ſolùm in ramis ſed & in caudice paſſim proveniunt duo, tres vel quatuor *flores* juxta ſe poſiti, in pediculis digitum ferè longis, ipſi quoque duos & ſemis digitos longi, figurâ pænè Lilii, quinq; inciſuris in quinq; acuminata folia dehiſcentes, coloris ex albo & viridi mixti, & ſecundùm longitudinem valdè elegantibus nervis, ac hinc indè venulis dilutè purpureis variegati; in medio autem quinque *ſtamina* ejuſdem extant coloris, quorum quódque corpus in ſummitate habet flaveſcens, & lineolis nigris variegatum, quintum & medium ſtamen [ſtylus] figuram habet auriſcalpii; huic autem flos inſidet & detrahi poteſt, ut aſſum carnis fruſtum de veru: odoris flos eſt nauſeabundi.

Poſt florem ſequitur *fructus*, variæ magnitudinis & figuræ, vel ovi Struthionis, vel rotundus & magnitudine capitis humani, vel oblongus, initio viridis, per maturitatem niger ac durus, intus continens *ſemina* Cucurbitæ modo, fuſca ſeu obſcurè brunna, magnitudine ſeminum Cucumeris, ac nucleo flaveſcente; exteriùs autem quaſi faſcia ſimplici ſemen convolutum videtur. Immaturus fructus pulpam albam ſucculentam continet, odoris ferè ut Naſturtium, ſed cui dulcedo quædam eſt admixta; per totam denique pulpam non in medio tantùm ut in Cucurbita, ſemina illa diſperſa ſunt, quæ per maturitatem fuſca fiunt.

Saccharo immaturus fructus conditur, & in febribus uſurpatur: maturis utuntur incolæ patinarum, poculorum & lagenarum modo. Præparatur hoc modo.

Maturus fructus aquæ calefactæ immergitur, & plenè coquitur: hinc inciſo foramine ligno duro excavandus eſt; Sin ſecare in patinas aut alias figuras illas velis, funiculo craſſiore ſectionem quam propoſuiſti circumliga cocto fructui, & malleo ligneo pulſa funiculum, ſic ſponte ſecabitur; cultro ſi rem tentes operam ludes.

Arbor hæc certis anni temporibus omnia folia amittit, biduo autem pòſt iterum foliis onuſta cernitur. Per ramos inciſos, & terræ implantatos facilè propagatur.

Locus. Familiariſſima eſt arbor omnibus inſulis Americæ, & pæne toti continenti, & ſub nomine *Higuero* Oviedo deſcribitur.

Pulpa fructûs matura non eſt edulis, ſed ad placandos capitis dolores, præſertim ex fervore Solis natos, inſigne remedium: Si convenienter temporibus & fronti formâ cataplaſmatis applicetur.

Arborem hanc *Calebaſſier* titulo ſic deſcribit Rochefortius in Hiſtoria inſularum Antillarum. Altitudine, magnitudine & formâ Mali vulgaris majoris creſcit, ramis crebris; quibus *folia* oblonga, anguſta, glabra, obſcurè viridia, per extremum ſubrotunda agminatim adnexa.

Flores colore ſunt caneſcente (griſeum vocat) cum viridi mixto, maculis nigris, aut interdum violaceis guttati, quibus ſuccedunt *Poma*, brevibus pediculis nixa, magnitudine & figurâ adeò varia, ut difficulter invenias in eadem arbore bina paria & ſimilia. Hoc habent commune omnia, quòd cortice integantur duro, lignoſo, eâ craſſitudine & ſoliditate, ut pro vaſis [lagenulis, calycibus, ſcyphis, cochlearibus] inſerviant. Materiâ intus replentur fungoſa, per maturitatem violacei coloris, cui intermiſcentur granula aliquot dura, alba, quæ tardè matureſcunt: quin & liquorem quendam continent, odore vini æmulum, at ſapore non perinde grato, quem tamen Indi bibunt. Fructus hi ſeu poma initio viridia ſunt & mollia; adultis cortex ſeu cruſta exterior Cucurbitæ modo indureſcit. Cuticulâ viridi deraſâ cortex interior albus; unde ſi ſtylo ferreo per cuticulam adacto aliquid fructui inſcribas inſculpáſve, exſiccato eo pulchram & elegantem ſpeciem ſculptura exhibet. Fructu maturo pellicula exterior è viridi leucophæa evadit, magnitudine varia ſunt (ut diximus) hæc poma, à parvæ pilæ ad Melonis maximi molem; ut eorum nonnulla; medulla omni & pulpa interiore per foramen in extremitate parvum extracta, quatuor aquæ ſextarios [duas quartas Anglicas] capiant: quódque ad figuram attinet, alia oblonga ſunt, alia rotunda, alia ovalia.

Locus. In ſylvis copioſè inveniuntur hæ arbores, ſúntque per totum annum fructiferæ, pomis aliis recens natis, aliis adoleſcentibus, aliis maturis, aliis ὑπεράκμοις ſimul onuſtæ.

Indi fructus hoſce expoliunt, variis coloribus pingunt, aut etiam figuris perbellè inſculpunt, ex iiſque omnis generis vaſa efficiunt, pyxides, lagenulas, calyces, patellas, cymbia, cochlearia, &c.

Chivef Theveti foliorum reſpectu ad hanc arborem accedit: at fructus videtur eſſe Papayæ. Eſt enim (inquit) is magno Meloni par, ſuaviſſimus & cùm manditur Mannæ modo in ore liqueſcens, ſemina intus continens qualia in Cucumere noſtro reperiuntur, cortice cùm maturuit croceo, folio arboris eximiè viridi, exquiſitè rotundo, aureo nummo Gallico pari. In inſula *Zipanga* provenit: vide ſupra in capite 7. libri 24. p. 1372.

Hujus ſeminibus Canibales filum trajiciunt, cruribus alligant, & pro tintinnabulis utuntur.

Higuero Oviedi, cujus deſcriptionem dedi loco jam citato, huc referendam cenſeo, arborémq; à Mammoera toto genere diverſam exiſtimo.

2. *Arbor cucurbitifera folio longo mucronato ſeu Laurino. Arbor folio Lauri, fructu Cucurbitæ ex Guinea* J. B. *Laurifolia Guinenſis* C. B. *Arbor peregrina ex Guinea* Cluſ. *ex l. 1. c. 9. Q. an à præcedente diverſa, & Laurifolia Americana pomis capitis magnitudine* C. B.

Juglandis arboris magnitudinem æquare, nec diſſimili cortice tectam eſſe ferunt: folia Laurinis habere ſimilia, ad quorum exortum fructus in ramis naſceretur: Erat quem Cluſio miſit Garetus, magni mali inſtar, & orbicularis pæne formæ. Nam ductâ à pediculo per longitudinem fructus menſurâ ad alteram partem pediculo proximam, decem unciarum fuiſſe repertum eſt; quam ea quæ fructum per medium tranſverſum ambiebat vix ſuperabat. Levis erat pro ſua magnitudine, & craſſo ſatíſque firmo cortice præditus, foris lævi & ſplendente, ex flavo ſpadicei coloris, interdum etiam nigris maculis conſperſo, interna autem parte, fuliginoſi, & nihil continens præter nigrum quendam pulverem.

Proximè ad hanc accedit, ut ego eandem ſuſpicer, *Choyne* Americana Theveti & Lerii, fructum ferens magnitudine mediocris Citrulli [capitis infantis Lerio] formâ ovi Struthio-cameli, non edulem, cortice duro, quem perforant, & faciunt ex iis inſtrumentum iis *Maraka* dictum & pateras ad potandum. Arbor ipſa folio Lauri eſt. Idem ſuadet nomen vulgare corruptum præcedentis ſpeciei quod occurrit apud Piſonem, nimirum *Cochine*, non multum diverſum à *Choyne*. Hujus deſcriptionem ſuperiùs dedimus pag. 1372. lib. 24. cap. 7. Hujus etiam arboris, aut præcedentis potiùs ſpeciei, fructum eſſe ſuſpicor Lagenulas Americanas *Cluſ. exot. lib. 2. cap. 8.* deſcriptas, formâ pæne orbiculari, duro, lævi, ſpadicei coloris cortice præditas, extima parte funiculo trajectos & quodammodo connexos. Hæ fortè ſunt quarum meminit Americus Veſputius in Navigat. 2. quas viri de collo ſuſpendunt, quarum una herbâ plena eſt quam mandunt, altera farinâ quam bacillo madefacto herbæ aſpergunt.

Harum Arborum cucurbitiferarum mentionem fecimus inter Meloniferas & Papaias.

Cap. IV.

Macocqwer Virginienſium fortè * Cluſ. J. B. *Fructus orbicularis, granis cordis effigie* C. B. * Exot. l. 2. c. 2.

ORbiculari prorſus formâ erat, quatuor unciarum diametro, cortice duro præditus, foris lævi & ſubfuſco, internè nigrâ membranâ inducto, per quam ſparſæ quædam fibræ à pediculo ad ſummum; continebat verò pulpam nigram, (quia non recens ſed ſiccus & vetuſtus) acidíque & quodammodo ſalſi ſaporis, in qua plurima grana involuta, ſubfuſci coloris, plana, & cordis (ut vulgo pingitur) formam referentia, medulla albicante prædita.

Cluſius facilè ſibi perſuaderi ſiverit, hunc fructum illum eſſe quem Virginienſes Macocquer appellant, & (magno aliquo periculo liberati, vel bello defuncti, in lætitiæ ſignum ſtructo igni aſſidentes) pulpa ſeminibúſq; exemptis, implent lapillis aut craſſioribus quibuſdam granis, ut majorem ſtrepitum agitatus & commotus edat, bacillóque aptantes manu tenent, perinde ac Braſiliani ſuum *Tamaraca.*

Ego potius *Macocqwer* Peponis ſpeciem eſſe exiſtimo nam Macock Virginienſibus Peponem denotat, & * C. Bauhinus ex deſcriptione Virginiæ habet, Macocqwer peponibus, melonibus & cucurbitis valdè ſimilem eſſe, cujus unum genus menſtruo, alterum bimeſtri ſpatio matureſcit. Fructus autem deſcriptus à Peponibus valde diverſus eſt. * Pin. p. 311.

Idem Cluſius fructum hunc non valde diſſimilem videri ſcribit *Higuero* tetraſyllabo Ferd. Oviedi, quod ego non invitus conceſſerim: nam à Junipappeeuwya, quacum J. Bauhinus conferendam proponit, diverſam puto.

Cap. V.

Arbores duæ cucurbitiferæ imperfectè deſcriptæ.

1. *Arbor fructum Melonis facie proferens* J. B.

CElſa eſt hæc arbor in inſula S. Mariæ Indicæ proveniens, ex qua creſcunt fructus Melonis facie, cortice duro atq; lignoſo, plurima intus continentes grana, viſcida, lata, alvum cientia. *Linſchot.* ex brevi hac deſcriptione an hæc arbor eadem ſit alicui è Cucurbitiferis deſcriptis, an diverſa colligi nequit.

2. *Arbor Cucurbitifera Tabacenſium* * De Laet. * Ind. Occid. l. 17. c. 28.

Folia ejus longiſſima ſunt, ſed anguſtiora & obtuſa. Fructus trunco & majoribus ramis innaſcuntur, grandes cucurbitarum inſtar, & qui ſæpe duas ſtopas & dimidium, ut Hollandi loquuntur, capiunt. Cortice teguntur non quidem craſſo ſed duriſſimo & penè ligneo, qui pulpam ſpongioſam optimi ſaporis tegit. Singulis prope anni menſibus funditur.

Locis modice humidis naſcitur. Locus.

Succus dicitur alvum & ſanguinis profluvium ſiſtere. Vires.

An & quantum hæc à ſupra deſcriptis differat conſiderandum.

Cap. VI.

Juracatia Braſilienſibus Marcgrav. Piſo. *Arbor peponifera Braſilienſis ſpinoſa, fructu* Mamao *ſimili, ramoſa.*

Marcgr.

ARbor eſt alta, recta, *caudice* inferiùs craſſo, qui versùs faſtigium magis magíſque attenuatur, cortice griſeo, ligno molli & lacteſcente. Caudex autem & rami armantur ſpinis brevibus, craſſiuſculis, duris. Et ramos quidem in orbem projicit, ſed inordinatè, ſuperioréſq; in- erioribus breviores, neq; ramuli magis ordinati, in quibus *folia* in frondes congeſta, *Mandübæ* modo, igurâ & magnitudine, ſuperiùs ſplendidè viridia, inferiùs incaneſcentia, quinque, ſeptem, vel no- em in ſtellæ modum ſibi appoſita. Florem fert & fructum ut *Mammao* mas vel *Pinoguacu*, petiolo ongo dependentem, tres digitos longum, craſſitie duplici pollicis humani, ſtriis haud profundis ſe- undùm longitudinem, vel quaſi lineis ſolùm notatum, coloris exteriùs & interiùs crocei, ut *Mammao*, aporis ejuſmodi ſubſtantiæ, & ſimili modo granis refertum, magnitudine & figurâ grani Hordei, & arne haud manifeſti: immaturus adhuc lacteſcit ac vellicat linguam, maturus autem ſponte decidit comeditur crudus atq; coctus.

Folia amittit ſingulis annis, & menſe Martio nova protrudit, hinc floret & fructum fert qui fine prilis & Maio maturatur. Tempus.

Fœmina dicta per omnia minor eſt mare, aliàs ſimilis.

CAP.

CAP. VII.

Marotti * H. M. *Laurifolia Malabarica, fructu oſſeo, nucleos continente* D. Syen. *H. M.*

* P. 1. F. 36. p. 65.

ARbor eſt procera, ramis denſis & opacis, latè tranſverſim diffuſis, naſcens in arenoſis. *Radix* ei craſſa eſt, ramos latè ſpargens, cortice exteriùs nigricante, intus rubeſcente, ſaporis adſtringentis, ligno albicante. *Caudex* quantum unus homo amplectatur, ligno albicante, cortice exteriùs ex viridi nigricante, ſub exteriore cruſta rubeſcente. *Rami* cinerei, teneriores villoſi, ac ſpadicei, ſeu muſcoſi coloris. † *Folia* petiolis brevibus inſident, ſpithamam longa, quatuor vel quinque pollices lata, oblongo-rotunda, cuſpidata, circa margines denticulata, texturâ ſolida, craſſa, plana, utrinque nitentia, ſupernè obſcuriùs virentia, infernè clariora, odore nonnihil gravi. Nervorum in foliis ductus & diviſuras vide apud auctores. *Flores* in ſuperiori parte ramorum, tum è foliorum ſinubus, tum ex ipſo corpore exeunt, ſeptem, octóve plus minus ad eundem exortum, petiolis curtis, tribus petalorum ordinibus compoſiti, petalis in ſingulis quinque, *interioris* ſeriei petala minora ſunt, craſſa, cuſpidata, villoſa, ſpadiceo-fuſca & nitentia inſtar veluti: *mediæ* majora, rotunda, interiùs cochleato-cava, ſubrufa, ac pilis candidis, maximè in oris, obducta; *exterioris* cuſpidata, viridia, exteriùs viridi-muſcoſa: *Hæc pro calycis foliis habeo.* *Stamina* quinque, inferiùs craſſiola, viridia & piloſa, ſupernè tenuia & albicantia, apicibus rotundiolis albicantibus ſubflavis prædita, globulum viridem, qui fructûs rudimentum eſt, complectentia. *Gemmæ* florum rotundæ ſunt. *Fructus* petiolis curtis, craſſis, ipſis ramis fermè duplo craſſioribus appenſi, pandi ſunt, oblongo-rotundi, in ſummitate ſæpè curto ſeu oblongo nodo eminentes, cortice exteriùs rufo ac muſcoſo & ſcabro, intus viridi, qui in ſe includit os prægrande, durum, craſſum & ſubflavum, quod intus albâ, craſſiolâ & duriola carne obductum eſt, capacitate in medio ſatis grandi, nucleis decem, undecim, plus minus, ſine interſepimentis intermediis repletum; ſúntque nuclei primùm cortice craſſiolo, molli, albicantes & flaviuſculis pilis obſiti, formâ irregulares & anguloſi, intus repleti medullâ albâ, quæ primùm liquida eſt & mucilaginoſa; dein cùm planè maturi obtecti ſunt nucamento oſſeo ſcabro, ſúntque tum formâ oblongo-anguſto-rotundi & cuſpidati intus oleoſi.

† *Surculos foliaceos vocant Autores, & ut videtur rectiùs, quoniam flores & fructus producunt.*

Fructus ac præſertim nuclei gravis & ſylveſtris odoris ſunt, qui in foliis eſt debilior.

Flores hæc arbor toto anno uberi proventu fert, ût & fructûs copioſos.

Vires.

Oleum quod ex ſeminibus fructuum educitur dolores ſedat, ſcabiem & pruritum tollit illitu; oculis ſalſis humoribus infeſtatis confert: cum cinere mixtum vaccarùm cæterorúmque jumentorum apoſtematis commodè imponitur.

Icon fructum umbilicatum repræſentat. An verò flos ſummo fructui innaſcatur non conſtat; quin potiùs contrarium ex deſcriptione colligitur.

Ambigit quodammodo hic fructus, ut & ſequens inter Cucurbitiferas & Nuciferas.

CAP. VIII.

Cacao Ger. *Cacao ſive Cacavate* Park. *Cacao Americæ ſive Avellana Mexicana* J. B. *Amygdalæ ſimilis Guatimalenſis* C. B. **The Caco Tree.**

QUatuor hujus aboris ſpecies habentur, (nonnulli quintam addunt) magnitudine inter ſe differentes. Omnes locis riguis, pingui & uliginoſo ſolo gaudent: In nova *Hiſpania, Guatimala, Nicaragua, Hiſpaniola, Cuba, Jamayca,* &c. tum ſponte proveniunt, tum magno ſtudio coluntur. Omnium fructus ejuſdem fere ſunt facultatis, minorum tamen potionibus magis inſerviunt, majorum nummis atque commerciis. Omnes Solarium radiorum ardoris, nocturni frigoris & ventorum tempeſtatum adeò impatientes, ut ſpontaneæ nonniſi in vallibus umbroſis appareant, cultæ patulam quandam & umbroſam arborem juxta plantari requirant (*Cacaoquanantbli*, ſive matrem Cacaviferæ appellant,) ut à cœli injuriis ejus veluti ſub umbone tutiores ſint. Omnes facilè cicurari ſe patiuntur; Hiſpani certè integra ex ipſis arboreta & plantant & colunt, non ſecus atque in Europa vineta atque oliveta. A † ſecundo ætatis anno fructificant, & quolibet anno bis: vindemiantur enim primùm & uberiore fructu circa Junium, iterum circa Januarium. Ab anno vigeſimo devigeſcunt & ſterileſcunt.

† *A ſeptimo aut citius.* Hughes.

1. *Cacava quahuitl.*

Omnium maxima, Arbor eſt mediocris, trunco Pruni noſtratis craſſitie, non tamen uſque adeò procera, cortice glabro undique cincta, egregiè frondoſa, ramis quaquaverſum extenſis Ceraſum fructu cordiformi perbellè refert: eâ tamen, cùm penitus adolevit, aliquanto magis in circuitu patula, & tantillo elatior eſt. In foliis etiam non magna eſt diſcrepantia; hujus enim pariter acuminata ſunt, verùm circa margines æqualiora, obſcuriùs viridia, & Aurantiæ foliis ſimilia, ſed anguſtiora & longiora, nullo fere pediculo cauli adnata, nervo unico & recto prædita, ex quo multæ obliquæ venulæ ſurſum emergunt. *Flos* ei magnus, & colore ex flavo albeſcens inſtar Croci: quo deciduo remanent tenuia, viridia, oblonga & lanuginoſa filamenta. Ex his deinde proveniunt fructus turbinati, quos *Cacavacentli* vocant, ramis & ſurculis, * nullo interveniente pediculo proximè adhærentes. Hi cum maturuere Melonibus magnitudine, craſſitie, pondere non cedunt, coloréque ſunt croceo ex luteo albidi, inciſuris per longum variis: nuclei viceni, ſæpe triceni, qui racemi inſtar medio ſtipiti adhærent, Piſtaciis aut Ricini majoris ſemini ſimiles, paulò tamen grandiores, & pellicul

* *Pediculus cuique modicus*, Piſo.

pelliculâ fulvâ veſtiti, quâ ſublatâ videntur non abſimiles reni vaccino ſecundùm inciſuras quibus
ſunt diviſi. Subſtantia eorum intus eſt tenuis, & ſpadicei ferè coloris, in diſpares diviſa particu-
las, ſed quæ arctè inter ſe hæreant, adeóque ſit pinguis ut ſponte humor, quantumvis ſit lentus,
aliquando exſtillet; imò oleum ex ea abundantiùs quàm ex Amygdalis exprimi poſſit. Pulpa hæc
ſubamari, non ingrati tamen ſaporis, multi nutrimenti, temperamenti ſubfrigidi atque humidi.
Hugheſius noſtras fructum accuratiùs deſcribit, eſt is initio viridis, qui prout magnitudine augetur,
tà figurâ & colore variat ad perfectam uſque maturitatem. Nonnulli ſubrotundi ſunt Pomorum in-
tar, alii oblongi Cucumerum forma, verùm plerique ovati, Melonibus non abſimiles; magnitudine
arii, à Mali ſylveſtris ad Pyri maximi aut Melonis mediocris molem; ejuſmodi etiam cortice duro,
inùs tamen quàm in Melone craſſo, tecti: quo vel leviter inciſo nuclei ſtatim apparent. Præte-
a exterior pars fructûs ſeu cruſtæ tuberculis quibuſdam inæqualis eſt, ſecus quàm in Melone, ve-
t ornatûs causâ à natura factis, protuberantiis iis quæ in Pomis vulgaribus non raro cernuntur ſimi-
us, obtuſis, extremi digiti magnitudine. Color fructuum pro maturitatis ratione variat, ad quam
ò propiùs accedunt, eò colore rubente ſeu incarnato, ut vocant, magis ſunt tincti & ſtriati, præ-
puè ex parte ſoli obverſa ad modum Pomorum vulgarium; unde & maturitas cognoſcitur.

Nuclei *Cacao* dicti membranulis ſinguli ſingulis includuntur, gelatinam quandam lacteam inclu-
ntibus, quæ in ore illico liqueſcit. Nucleorum numerus pro fructuum magnitudine variat, à duo-
nario ad tricenarium & ultra. Magnitudine ſunt Amygdalarum vulgarium, non tamen adeò
mpreſſi, membranâ tenuiſſimâ ſeu cuticulâ cincti, ante maturitatem albentes, cùm plenè matu-
re obſcuriùs rubent; exſiccati & *Chocolatæ* conficiendæ idonei nigricant magis, & ad colorem re-
bovilli accedunt, quem & inciſuris ſuis imitantur: in primis autem hiſce ſeu fiſſuris pinguis qui-
n & oleoſus humor invenitur.

Cùm fructus collegerint corticem exteriorem (qui nullius ferè uſûs eſt) incidunt, & nucleis
mptis abjiciunt. Hos pelliculis exutos & à mucilagine adhærente deterſos, ſuper ſtoreis aut lin-
ninibus expanſos Soli exponunt, donec humore omni evocato perfectè exſiccentur.

uclei probè (ut loqui amant) curati guſtu (ut diximus) ſubamari ſunt & pingues ſeu oleoſi,
e temperati, ut nonnullis videtur ſicci & adſtringentes, quod non probat Hugheſius; uti nec
qui ſubſtantiam *Cacao* ex craſſioribus ſimul & tenuioribus partibus compoſitam tribuit. Nam in
erem (inquit) redigitur primùm, & ſolâ mox, etſi frequenti tuſione, pinſitur, & in maſſam cogitur:
d cùm fiat ſine ullius rei admiſtione ratio arguit aliquid ei ineſſe tenacis & bituminoſi humoris.
a inſuper eidem, quibuſcum ſuapte naturâ immiſcetur, inſunt ignea, quæ neceſſario incidere &
are debent corporis meatus, non verò præcludere, ut quidam volunt, niſi hoc intelligatur de
o, vel toſto, vel Saccharo condito, quo mulieres in Indiis nimiùm veſci amant, unde uteri, al-
hypochondriorum obſtructiones incurrunt difficillimas. Verùm totum hoc oritur, quòd inte-
ejus ſubſtantia dentium inciſione non exactè comminuitur, nec perfectè commiſcetur: requiri-
enim artificioſa molæ verſatilis contritio, atque tunc demum ſiquid noxiæ ſuperſit frigiditatis
m calidorum commiſtione temperatur. Hugheſius negat ullam, mulieribus Indicis ex horum
noxam accedere; ſéque ſæpiùs eſitâſſe crudos magno numero tum in Jamayca, tum inter na-
dum, nec tamen ullum indè nocumentum ſenſiſſe affirmat. Electione tamen utendum, nec
das mucidas, carioſas aut ullo modo corruptas ſeu vitioſas: verum integras, pingues, benè aſſer-
& ſapidas. Aſſerit tamen nuces haſce quantumvis diligenter curatas exſiccatas & reconditas à
â tamen aurâ, inter vehendum, aeríſque mutatione & humore nimio affici, ſitum contrahere &
tim corrumpi, ut multæ antequam huc appulerint carioſæ, mucidæ aut aliquo modo vitioſæ in-
ntur. Reſtat enim etiam in optimè aſſervatis unctuoſitas quædam, quæ eas cœlo humidiore ad
rem & corruptionem diſponit. Hinc maſſa Chocolatæ quæ in America conficitur longè præ-
creditur ei quæ ex nucleis huc tranſvectis in Anglia paratur. Aſſerit autem tum Hiſpanos, tum
Anglos arborum harum magna Pomaria inſtituere, in quibus eo ordine eâque diſtantiâ, plantas
unt quo noſtrates Cantiani Ceraſos ſolent in Ceraſetis. Solum autem initio lævigant, & ab
bus herbis expurgant, quas etiam deinceps curioſè evellunt, nè arbores eis ſuffocentur, aut de-
ntum capiant.

De Chocolata.

colata Hiſpanis reliquíſque Europæis, *Chocolatl* Mexicenſibus, accipitur vel pro Maſſa ipſa è
s *Cacao* vel Solis, vel cum aliis fructibus aut aromatis mixtis, confecta, vel pro potione inde
Simplicia alimentaria & aromatica quæ Chocolatæ compoſitionem ingrediuntur hæc recen-
ſo & Hugheſius.

Atolli, i. e. Mayzii ſive Frumenti Indici farina, in aqua ad modum pulticulæ ſoluta.

Achiote ſeu *Achiotl*, i. e. grana rubra fructuum *Urucu* è quibus paſtillos faciunt ad tingendum
quos & Chocolatæ admiſcent ad gratum ſimul ſaporem & colorem communicandum.

Chilli ſeu *Chille*, i. e. Capſicum ſeu Piper Indicum: quoniam valdè calidum eſt pauca quanti-
orexin excitandam Chocolatæ admiſcendum eſt, non tanta ut ſanguinem inflammet.

Mecaxochitl Mexicanis quam ſic deſcribit Fr. Hern. volubilis eſt herba, binos dodrantes longa,
rram repens, folia ferens magna, pinguia, obrotunda, odora & acris ſaporis, *caules* teretes,
tos, & præterquam unde pediculi oriuntur læves, per terram repentes, at circa ſingulos fo-
exortus radices oriuntur fibratæ, capilliſve pares. Fructus Piperi longo perſimilis eſt.
citur humectis locis regionum ferventium, qualis eſt *Quaubnahuacenſis* & *Hociacocothenſis*. **Locus.**
da eſt & ſicca, ad Piperis longi ſpecies attinens. Bibitur cum Chocolata, cui gratum ſapo- **Vires.**
nciliat, corroborat, ventriculum calefacit, oris halitum emendat; craſſos lentóſque humores
t, adverſatur venenis, iliacis & cholicis confert, urinam evocat, menſtrua ac partus emor-
hit cum Tlilxochitl, vivóſque accelerat, obſtructa reſerat, frigora & ex iis ortos dolores tollit,
s febrium opitulatur.

chinacatlis ſeu Flos auriculæ, *Orejuelas* Hugheſ. Oregioella *Cluſ.* ex.

Hujus florem ſolum Chocolatæ immiſcent, [olim immiſcere ſolebant] ad odorem & ſaporem ſuavem ei addendum.

* L.23.p.1330. 6. *Vaynillus* ſeu *Banillus*, i.e. *Tlilxochitl* Hernandez, de quo * alibi diximus.

7. Piper Tavaſci ſive Xoconochitl *Hernand.* Piper odoratum Jamaycenſe noſtratibus, Carpobalſamum *officin.* Hugheſius inter ſimplicia Chocolatam ingredientia recenſet, de quo alibi diximus.

8. His addit Piſo liquorem quendam reſinoſum, πολύχρηστον, quem Indi *Holli*, Hiſpani *Ulli* nominârunt, deſtillantem ex arbore *Holquahuytl* dicta, ſeu Chilli, quæ ſtipite eſt lævi, &c. Hic rariùs admiſcetur Chocolatæ, tunc potiſſimùm cùm Diarrhœæ aut Dyſenteriæ mederi volunt, nucleíſque quatuor *Cacao* uncia unica *Holli* miſcetur. Verùm *Cacao* nuclei ob pinguedinem, & gummi *Holli* ob tenaciſſimum gluten primùm debent torreri, ne viſcera obſtruant & cachexias producant.

Hæc aliáque vegetabilia (inquit Piſo) Novæ Hiſpaniæ patria, non idcirco putavi recenſenda, quòd omnis potio Chocolata ſimul ea recipere debet, ſed ut ex iis quiſque ſibi maximè conveniens eligat. Indi ante Hiſpanorum adventum ſimplici Cacao farinâ contenti à compoſitionibus abſtinebant, ſanitatis potiùs tuendæ ſoliciti, quàm palato gratificandi.

In Jamayca Cacao nuclei craſsè contriti in panes ſeu maſſas librales aut bilibres trilibréſve efformantur abſque ulla mixtura. Hanc paſtam antequam pro potu utuntur radula in ſcobem ſeu pulverem teniſſimum comminuunt. Atque hanc maſſam à mercatoribus & nautis in Angliam ſæpe allatam, ex optimis eſſe paſtis quæ Chocolatæ haberi poſſunt affirmat Hugheſius. Nec enim convenit, inquit, ut nuclei in tenuiſſimas particulas comminuantur, hinc enim aeris impreſſionibus magis obnoxia evadit maſſa, & ſpiritus ſoluti faciliùs evolant, relictâ paſtâ fatuâ & inſipidâ.

Varios Chocolatam parandi & componendi modos deſcribunt Piſo & Hugheſius.

1. *Cacao* nucleos probè curatos, & in Sole, vel ſupra lentum ignem in vaſe convenienti ſiccatos, detractis cuticulis in mortario marmoreo tundunt & comminuunt in particulas tenuiſſimas, paſtam inde efficientes quæ vel ſeorſim, vel addito ovo & farinæ Mayzii tantillo in rotulos, pilas, trochiſcos, aliáſve maſſas formari poteſt, vel in pyxides immitti; quæ ſuper aſſeres ſeu tabulas æquales ſuppoſito folio aliquo aut chartâ mundâ in umbra ſiccanda, (in Sole liqueſcunt) adeóque brevi indureſcit paſta, & ad hebdomadam, menſem, anni dimidium, aut etiam integrum annum pro uſu quotidiano ſervari poteſt.

Si nucleos in ſartagine ſupra ignem exſiccas cavendum tibi eſt nè adurantur. Nuclei non nimis tundendi ſunt, nè plus æquo oleoſi evadant. Panes & rotulæ Chocolatæ curioſè compingi & lævigari debent nè rimis aut fiſſuris hient, adeóque aere ſe inſinuante mucidi brevi fiant, nec diu durent.

2. Nonnulli ſupra lapidem amplum æqualem, lævem & perpolitum commolunt nucleos in tenuiſſimam farinam. Supra alium deinde quem in promptu habent lapidem aut laminam ferream farinam extendunt, & ſuppoſito lento igne quantus ſufficiat ad impediendum nè laminæ adhæreſcat, manibu ſubigunt & efformant in quaſcunque placuerit figuras, vel ſeorſim, vel cum tantillo *Notty*, quæ cardiaca eſt. Atque hæc (inquit) optima eſt Chocolatæ paſta, utpote ſimpliciſſima, quâque Ind olim ante Hiſpanorum adventum uſi ſunt. Tantùm enim abeſt (ex Autoris noſtri ſententia) u mixturæ illæ & varia ingredientia Chocolatam meliorem reddiderint, ut eam potiùs depravaverin & planè corruperint.

3. Hiſpani & noſtrates eos imitati nucleorum *Cacao* paſtæ adjiciunt vel *Chille*, vel *Achiote*, ve aliud quodvis à ſupradictis ingredientibus, vel plura eorum ſimul, quæ haberi poſſunt, pro guſt conficientis, vel pro utentium conſtitutione, vel medentis ſcopo addita tandem ſacchari q. ſ. Singul autem quæ maſſæ admiſcenda ſunt ſeorſim debent comminui & in pulverem ſubtilem redigi. Methodum conficiendi maſſam Chocolatæ compoſitam hanc tradit Jul. Piſo.

Cacacius cæteráque ad mixturam hanc pertinentia pinſuntur lapide quodam Metatis nomine dict ad hujuſmodi uſum excavato: Animadvertendum autem eſt 1. Ut omnia quo meliùs frangi poſſin ante torreantur ingredientia, præter *Achiotem*. 2. Ut diligentia adhibeatur nè adurantur nigrúmqu contrahant colorem, aut nimio admota calori inſitam ſuam exhalent virtutem, amarúmque acqu rant ſaporem. Præcedunt in comminutione Cinnamomum & *Chille*, quæ ſimul cum Aniſo molu tur; poſtremò autem loco *Cacacius* ipſe, qui paulatim confringendus reſtat; ſingulis quippe vicib quoties quid de eo molæ ſubjicitur circumagatur lapis ut faciliùs diſſiliat, meliúſque conteratu deinde in ahenum poſt Cacacii comminuti ingredientium pulveres injiciuntur, qui lignea quada ſpatula eidem permiſcentur. Coacta in unum maſſa lapidi rurſus ſubdita, cui ſubjectæ canden fuerint prunæ, perquàm optimè diluitur. Cavendum tamen eſt, nè vehementior ſupponatur ig ut butyroſus nimio calore efferveſcens humor effundatur, Achiotem velim Cacacio admiſceas, cum eo molatur, colorémque meliùs acquirat; cæteri pulveres cribro antequam confundantur ſec debent. Quòd ſi ſufficiens facta fuerit contritio (quod videbitur cùm nulla ampliùs putamina paruerint) ſpathula maſſæ pars eximitur, quæ ſtatim fundetur in orbem, atque in arculas tunc ponitur; cúmque congelaſcit dura conſiſtit. De modo exſiccandi arborum frondibus aut ch mundâ ſuppoſita eadem habet quæ ſupra ex Hugheſio retulimus.

E nucleis Cacao oleum exprimi poteſt quemadmodum ex Amygdalis, & ad eadem utile ad Amygdalinum, atque etiam efficacius.

Iiſdem etiam nucleis Mexicani olim aliæque nationes Americanæ pro nummis uſæ ſunt, etiamnum utuntur; eóſque imitati Hiſpani eos pro mercibus permutant. Modus quo ex maſſa C latæ potus paratur Gul. Piſoni duplex traditur. Primò quidem modo diluitur Chocolata cum frigida, ſpumeúſque ejus humor cuidam infunditur pollubro, id verò quod remanet igni admo una cum Saccharo. Hoc poſtquam incaluit cum ſpumea illa à qua ſejuncta fuit iterum confu atque ita ebibitur. Alter autem modus vult calefieri aquam, & in vaſe repoſitam Ch tam quantum ſatis eſt haberi, ſupérque illam parum aquæ fundi, ac verſatili diſpergi mola; tu tim atque bene diluta eſt reliquùm calidæ cum Saccharo in eadem *Chocolata* miſceri & hauri placuerit frigidam potare Chocolatam, dilues Chocolatam in aqua, molæque verſatilis ſubſid mam elicies, quæ magis augebitur quò diutiùs Cacacius ipſe comminuitur: effuſam in æquali ſpumam paulùm ſepones; id quod remanſit miſcebis cum Saccharo, ſupráque ſpumam immittes, frigidámque potabis. Verùm non convenit omnibus temperamentis hujuſmodi potio ob nimiam frigiditatem.

Uſitatiſſimus hujus potionis præparandi modus pro vulgo, agricolis & ſervis in Jamayca aliiſque inſulis noſtræ ditionis hic eſt, referente Hugheſio.

Rotulos vel maſſas Chocolatæ penitus exſiccatas & aridas (nam duas fere ſeptimanas à prima compoſitione requirit, ut probè fermentetur & eſui apta evadat) radula ſtannea in ſcobem ſubtilem deterunt, quantitate ſufficienti. Deinde aqua frigida clara quantâ opus eſt (quam in hunc uſum paratam habent) panis Caſſavæ dictæ æqualem aut paulò minorem quantitatem quàm ſit pulveris Chocolatæ infundunt; qui in frigida facilè liqueſcit & diſſolvitur. Soluta Caſſava aquam illam vaſi idoneo infuſam ſupra ignem ſuſpendunt, & cùm bullire incipit Chocolatam deraſam infundunt, & ad horæ pæne quadrantem decoquunt, ſæpe interim liquorem verſando. Decoctum in pelvim aut catinum effundunt, & pauxillo Saccharo edulcoratum, cyathis hauriunt & calidum ebibunt. Atque hoc quotidianum eſt jentaculum ſervorum & operariorum, ſine quo labores ſuos improbos & ærumnoſos tolerare nequirent.

Sunt qui pro aqua Chocolatam cum lacte temperant, aut lactis & aquæ æquis partibus. Verùm meliùs noſtro palato ſapit, minúſque obſtruit qui paratur ex aqua ſimplici edulcorata, Chocolata omminuta, & ovo uno aut altero. Ova enim efficiunt ut aqua & Chocolata uniantur & in unum orpus quaſi coaleſcunt. Alii *Atolle* ſeu farinam Mayzii, & Caſſavam contritam admiſcent.

Alios potionis parandæ modos vide apud Hugheſium.

Cæterùm potus hic moderatè admodum ſumendus eſt, quoniam obſtruentis naturæ eſſe videtur. Quinque vel ſex unciæ manè tutiſſime ſorbentur omni ferè anni tempore.

Poſt ſumptam potionem ſemihoræ aut horæ integræ ſpatio quieſcere oportet & à labore ceſſare, è concoctio impediatur aut turbetur: à cibo etiam aliquandiu abſtinere convenit. Cæterùm Cho- lata ſtomachum corroborat, ciborum concoctionem promovet, tuſſi & aſthmati conducit, ſitim irum in modum reſtinguit, continuato uſu corpus pinguefacit, diaphoretica etiam eſt & ſu- rifera, vaporibus blandis ad caput elevatis ſomnum inducit placidum & tranquillum, adeò copioſè trit & vires reficit ut commodè ſatis abſque ullo alio alimento eo bis in die hauſto vivi poſſit. bore immoderato defeſſos & exhauſtos mirificè recreat, & vires inſtaurat. Cuicunque conſtitu- ni & corporis temperamento convenit, & ſine periculo ſumi poteſt, à quovis ſexu, ætate, con- ione, etiam non obſervata exacta doſi, modo ad ſatietatem ſumpta non nimium gravet ventri- lum. Ut verbo abſolvam cardiaca eſt, & analeptica egregia, potio hæc verè nectarea, multi & imi nutrimenti pabulum, inquit Hugheſ. & ſupra aliud quodvis alimentum, præſertim intra li- tes Zonæ torridæ, corpus reficiens & pinguefaciens. Quin & ſummè commendatur (inquit roderus) ad roborandum vitæ balſamum, & Venerem proritandam. Reverà omnium qui in erica aliquandiu vixere unanimi conſenſu & teſtimonio ſaluberrimus eſt iis regionibus Choco- æ potus, adeóque neceſſarius incolis & advenis, ut ægrè ſine eo vitam tolerare, nedum labores s obire poſſent.

Medici ad varios morbos Chocolatam accommodant, medicamentis ſcopo ſuo convenientibus ad- tis, v. g. ad ventriculum roborandum Croco, ad fluxus alvi ſiſtendos Cinnamomo, nuce moſcha- aut limaturæ chalybis tantillo; ad tuſſim & raucedinem Amygdalis earúmve oleo, Saccharo aut charo cando, &c.

D. Quatremain M.D. Hæmorrhoidas ſeu ficos ani in ſeipſo curavit, partes affectas butyro nucis cao inungendo. *D. Stubbes* de Nectare Indico, p. 180.

Phthiſicus fere deploratus robori ſuo & ſanitati reſtitutus erat præter omnem ſpem à quotidiano uſu um Cacao, ſeu potionis Chocolatæ. *D. Mundy in lib. de potulentis.*

Chymicam inſuper analyſin nucis *Cacao*, è *Le Febure* aliorúmque Chymicorum ſcriptis excerptam me tranſmiſit idem eruditiſſimus Vir, D. T. R.

Nucleorum *Cacao* non decorticatorum unciæ octo in pulverem comminutæ & Retortæ inditæ, ſub- tiæ adeò fixæ & difficulter reſolubilis ſe eſſe prodiderunt ut modica ignis vi nihil redderent præ- album quendam liquorem aquæ inſtar clarum & pellucidum, idque pauca quantitate, quem pro gmate habuerunt: Aucto igne ad eum uſque gradum qui ſpiritui vitrioli eliciendo ſufficit ſepten- im horarum ſpatio elevatus eſt ſpiritus vaporum ſpecie lactei candoris, qui præter aliorum ſpi- m morem in phlegmate ſubſidit ad fundum vaſis recipientis; tandem adhibito igne vehemen- no reverberii in vegetabilium deſtillationibus minùs uſitato, aſcendit oleum intenſè rubicundum elut ſanguineum, verùm pellucidum valde, quod refrigeratum craſſeſcit inſtar olei ſeu butyri ceræ. illatione peracta Caput mortuum ℥ij & ʒvij. pendere deprehendebatur; Spiritus ℥ij: oleum reliqua materia in operatione aſſumpta. Spiritus non admodum fervidus erat ſed penetran- nus, nec guſtui, nec olfactui ingratus, quemadmodum eſſe ſolent è ſanguine aut carnibus eli- Oleum pariter mirificè pungit & penetrat, ſale volatili cujus magnam quantitatem continet dum ſeparato, éſtque valdè aromaticum & cardiacum. Spiritus brevi aceſcit, quo ſe acetum co- m continere prodit.

Cacao ſimilis fructus J. B.

J. B.

cao fructum magnitudine pæne æquabat, membranâ fuſcâ tectus, per medium ſecundùm lon- inem diviſibilis, ut Amygdalæ, Avellanæ, Glandes & ſimiles, non obliquè ut *Cacao*, ejuſdem n cum illo ſaporis, & forſitan ejus genus.

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER TRIGESIMUS

QUI EST

De Arboribus Fructu per maturitatem ſicco.

HÆ autem dividi poſſunt in 1. *Nuciferas*, quæ fructus majores producunt duro putamine nucleum continentes. 2. *Bacciferas*, Baccas voco fructus minores parvo-rotundos. 3. Fructu alato ſeu membranulis aucto donatas, cujuſmodi ſunt *Acer* & *Fraxinus*. 4. Lanigeras. 5. Multiſiliquas. 6. Dicoccas. 7. Tricoccas, &c.

Nos duobus prioribus quia numeroſæ ſunt duas Sectiones aſſignabimus: reliquas una Sectione comprehendemus.

SECTIO I.

De Arboribus Flore ad imum Fructum Nuciferis.

CAP. I.

De Arboribus Fructu ſicco ſquamoſis.

1. *Palma-pinus ſive conifera* J. B. *Palma conifera ex Guinea ſquamis ad pediculum converſis* C. B. *Yecotl, Palmæ montenſis Fructus* S. R. Muſ.

HUjus fructum ſic deſcribit J. Bauhinus, Figurâ ex magnitudine ovatus, cortice conſtat ful vo in ſpadiceum polito & ſplendicante, duro ſatis, tetragonis ſquamulis pyxidatim coaggeſtis artificioſiſſima compage, per quarum media ſingulis ordinibus *æquabilis canali*culus per univerſi fructûs longitudinem deſcendit, uno inſigni cæteríſque ampliore canali eodem ordine ac deſcenſu inter cæteros conſpicuo. Parte ſuperna apex eminet, circa quem longè minutiores ſquamulæ reliquarum ſeriem claudunt, & in dictum apicem faſtigiantur, pulchro prorſus & viſendo artificio. Ipſe fructus concuſſu ſonorus intus contentum nucleum prodit.

Fructum hunc cum ipſa arbore Lobel. & Pena in Adv. ſic deſcribunt, hujus arborem quaſi quan dam hybridam ex Palma & Pinu natura ludibunda conflâſſe videtur. Eſt quippe lignum ipſum fungosâ Palmæ prorſum texturâ, in villos dehiſcens & ſquamoſa cute loricatum, faſtigio termi numeroſis & in orbem exortis ſurculoſis ligulis 40 aut 50. compactili verticulorum & ſquamarum ſerie pyxidatim articulatis pedem longis, rotundis, parùm compreſſis: quarum ſingulis commiſſu ſinguli numeroſi coni altiùs inſeruntur, triceni aut quadrageni, qui mediocrem conum Cedri ema tiuntur, pulvillis in quincuncem digeſtis, reticulatóque & imbricatim extuberante ventrioſo nu cortice, fuſco, nitido, polito, craſſitie & concretione Nucis Indicæ; intùs nucleum glandem oblongam [ſeſquiunciam aut duas uncias longam] continente, præduro, inque farinam ægrè fri tili guſtu Glandis & Caſtaneæ, quæ ſunt ei genti panis ſupplementum.

Fructus hi cum ramo cui undecim inhærebant à Cluſio in *cur. poſt.* deſcribuntur, ſub titulo ex tici arboris aut fruticis rami cum fructibus ſquamoſis: locum vide.

Lobel. in Obſ. Avellanæ Indicæ genus oblongum *Cluſ.* idem cenſet eſſe cum nucleo hujus Palm pini, quod & D. *Arnold.* * *Syen* affirmat.

* *Notis in Hort. Malab.*

Miror D. Grew in *Deſcript. Muſ. Soc. Reg.* ſcribere nullum autorem ſitûs ſquamarum hu fructûs cum apicibus ſci. ad pediculum converſis meminiſſe, ſiquidem tum Cluſius tum Bauhinus meminerint.

2. Pa

2. *Palma conifera ſquamis ſurſum converſis* C. B. *Fructus peregrinus Abiegnæ nuci perſimilis* J. B. Cluſ.

Cluſ.

Cylindroide erat formâ, tres uncias longus, binarum unciarum ejus ambitus, multis veluti ſquamis, imbricum modo diſpoſitis conſtans, in medio nonnihil compreſſis, oris tenuioribus & quodammodo villoſis, inſtar pæne abiegni ſtrobili, ſed brevior colore ſpadiceo, gravis & nucem vel nucleum continens, nam agitatus crepitabat & ſonitum edebat; brevi fragilíque pediculo ſubnixus eſſe videtur. Nucleus oblongæ formæ eſt, durus, ſolidus, quíque confractus crebras venas oſtendit, quales nux Fauſel & nux moſchata habent: Deterſus & lævigatus pro inſigni aliquo & raro lapide ab impoſtoribus interdum obtrudi ſolet.

3. *Fructus ſquamoſus orbicularis major, Juglandis magnitudine* C. B. *Fructus alius peregrinus elegans* * Cluſ. *Fr. peregrinus elegans ſquamoſus* J. B. * *Exot. l. 2. c. 3.*

Formâ non diſſimilis erat proximè ſequenti, ſed longe major, ut qui Juglandem externum illum viridem corticem adhuc retinentem craſſitudine ſuperaret, orbicularis pæne figuræ, magis tamen depreſſæ, & quaſi in umbilicum ſidentis ſuprema & ima parte, (inter quas trium ferè unciarum erat interſtitium) & pæne ſex unciarum ambitu. Conſtabat verò veluti ſquamis eleganti ſerie in obliquum diſpoſitis ab extimo versùs petiolum tendentibus, illíſque quodammodo ſectis & lacunam habentibus per longitudinem: Squamulæ autem petiolo proximè ſurſum vergere nonnihil videntur: Nucis color ſplendens & ſpadiceus, eáque nucleum continebat: Nam commota & agitata ſtrepitum edebat: valdè tamen levis erat pro ejus craſſitudine.

4. *Fructus ſquamoſus orbicularis minor Avellanæ magnitudine* C. B. *Fr. exilis Cannæ de Bengala creditus* Cluſ. *Exot. l. 2. c.* 3. J. B. *An Fructus Cannæ ſeu Arundinis* Rotang *dictæ?*

Parvæ Avellanæ nucis magnitudine erat, valdè elegans, orbicularis, niſi extima pars in mucronem
biiſſet: Petiolus cui inhærebat brevis, tribus appendicibus velut calyce fructum imâ parte appre-
hendens, qui tanquam ſquamulis ſerie quadam in obliquum diſpoſitis conſtabat, ab extimo versùs
etiolum vergentibus. Flaveſcebat autem & inanis erat. Abdalu Guzaratenſis Cannæ de Bengala
ructum eſſe, ſed exilem & immaturum dicebat; quod & nobis videtur, & forte Cannæ ſeu Arun-
dinis *Rotang* dictæ, de qua inter Arundines egimus.

5. *Fructus ſquamoſus orbicularis ſulcis rectis, obliquis & tranſverſis* C. B. *Guyanæ fructus elegantiſſimus* * Cluſ. *Nux Indica teſſellata perelegans.* J. B. * *Exot. l. 2. c. 4.*

J. B.

Amplitudo ei quem deſcribit J. B. ſeſcuncialis, exactè propemodum rotunda, niſi utrinque leviter
ſſilis eſſet. Infernè ſinum & pediculi veſtigium habuit. In cortice decus præcipuum, qui cul-
um craſſus & firmus ſatis, exteriùs lævis, ſplendidus, ſpadiceus, totus teſſellatus, ſulcis ac ſtriis
preſſis per ſingulas teſſellas ſecundùm longitudinem excurrentibus, & rurſus aliis obliquè & inter-
ſatim, pulcherrimo mehercle naturæ emblemate. Corticis interna pars fungoſa, & eadem pæne
æ interioris corticis Caſtaneæ, tam colore quàm ſubſtantiâ, ſed denſior ac minùs villoſa Nucleum
ntinet, magnitudine ferè Juglandis, ſed rotundum aut certè rotundo proximum, ſupernè umbili-
præditum ſatis inſigni à quo per ejus longitudinem ſulcus inſignis deſcendit, ſubſtantiâ oſſeâ, qui
râ diſſectus ebur politum colore, lævore & duritie refert, ſapore quidem nullo manifeſto, aut
vetuſtate exoleverat.

In uno hujus generis fructu, quem vidit Cluſius, ſquamæ magis diſtinctæ apparebant, & à ſum-
ad imum progredi manifeſtè conſpiciebantur, non à pediculo ad ſummam partem; quod in
obus aliis obſervare non licuit adeò arctè & firmiter cohærebant, ut ipſum corium ſive integu-
entum ſulcis duntaxat diſtinctum videretur.

Locus Guyana.

CAP. II.

Malus Indica pomo cucurbitæformi monopyreno. Iripa H. M. *P.* 4. *T.* 31. *p.* 65.

H. M.

ARbor eſt procera, 60 circiter pedes alta, *caudice* craſſo, denſo, cinereo, cortice obducto nigricante, intus rubicundo, necnon ramulis cinereis & ſubviridibus plurimis donato. *Radix*
rubicunda, flaveſcente cortice tecta, necnon fibris ſuis latè per terram diffuſa, ſapor acris,
r nullus. *Folia* geminata ordine parallelo ramulis inhærent, oblongo-rotunda, glabra, denſa,
ernè colore atro-viridi nitentia, infernè viridi dilutiore; nervulis exiguis plurimis è media coſta
rona parte extuberante, & folium per longitudinem medium inæqualiter ſecante, obliquè in
a excurrentibus: Odor nullus, ſapor ſubaſtringens. *Flores* inter folia circa ramulos ſparſim
eniunt, exigui, candidi, inodori, è quatuor acuminatis foliolis conſtantes, quæ intercedunt
ſtaminula alba, *apicibus* rubicundis donata, medium occupante *ſtylo* candido, qui ipſius fru-
rudimentum eſt. *Fructus* oblongo-rotundi, compreſſi, inæquales, ac ſulco ſtriati, cucurbitis
nâ haud abſimiles, cortice craſſo, coriaceo, necnon carnoſo, molli, ac pulvinato tecti, Amyg-
in modum; qui fructibus in maturitatem tendentibus, in utroque latere dehiſcit, ſeſéq; ape-
ac *Nucleum* relinquit albicantem, tenui pelliculâ cinctum, denſum, compactum, inodorum,
ríſque adſtringentis.

Creſcit

Locus & Tempus. Creſcit circa *Repolyn*, aliiſque in locis Malabar; ſemper viret, quotannis floret & fructum perficit Auguſto, *viz.* & Novembri menſibus.

Vires. Arboris hujus radices alvum movent. E foliis in lotio vaccino decoctis addito melle potio paratur, quæ ſcabiem, lepram, alióſque cutaneos affectus ſanare dicitur. Ex iiſdem cum *Mangas* foliis in lacte dulci coctis apozema conficitur, quod ictero, aſthmati, læſæ in ventriculo alimentorum fermentationi, & inde nato capitis dolori medetur. E fructibus oleum fit contra ſcabiem alióſque cutaneos affectus.

CAP. III.

Abovai Theveti Cluſ. Park. *Abovai fructus venenatus* J. B. *Arbor America foliis Pomi, fructu triangulo* C. B. *Ahoay* Piſonis, *qui duplex genus diſtinguit* Ahoay guatuçu *ſeu majorem, &* Ahoay miri *ſive minorem.*

J. B.

FRuctus triquetræ figuræ deltoides eſt, mediocris Caſtaneæ magnitudine, duobus cornibus compreſſioribus, cæteroqui turgidulus, coloris rari, ſuperficie aliquantum inæquali: ac inter duo inferiora cornua rimam agit ad intima penetrantem: A ſummo apice, in quo foraminulum pervium, quatuor ducuntur ſulci, in totidem quadrantes fructum dividentes, qui concuſſu nucleum ineſſe teſtatur.

Arbori (inquit Thevetus) altitudo Piri, folium verò duos tréſve pollices longum, duos latum, mali noſtratis non abſimile, æterni viroris: Cortex albicat; rami vulnerati ſuccum lacteum manant: odorem autem ſpirant amputati inſigniter fœtidum [humanum ſtercus referentem] ut indigenæ eo nullo modo utantur, nè ad ignem quidem fovendum.

Vires. Fructus venenatus eſt & pernecabilis, veréque deleterius, potiſſimum nucleus; quo exempto ſylveſtres illi putaminibus tintinnabulorum more utuntur, quæ cruribus circundata nihilo remiſſius ſonant quàm Campanulæ noſtrates.

Ahoay duplex eſt, *major* & *minor*, Hujus fructus vix nucem Avellanam, cui multùm ſimilis eſt, adæquat: Illa plus quàm Caſtaneæ magnitudine nuces profert.

Nucula quædam falsò Higuero & Abovai putata J. B.

Fructus (inquit *J. B.*) quem *Higuero* nomine accepimus Phaſeoli vulgaris eſt magnitudine, nihilque aliud quàm putamen quoddam leviſſimum, nitidiſſimum, coloris ſpadicei obſcurioris, intrinſecùs ſtriatum, ruffum; gibbus foramine exiguo pertuſus: Sima pars tota patet, ut lembum mentiatur. Colliſu mutuo tinnulum ſonum reddunt. Foraminula arguunt ex funiculo trajecto pependiſſe.

Rectè J. Bauhinus fructus hoſce à fructibus *Higuero* Oviedi diverſos facit.

Non video cur lignum illud fœtidum, humanum ſtercus olens, quod *D. Philibertus* Vernatti ex inſulis *Solon* & *Timor*, ubi ſponte oritur petitum ad Regiam Societatem Londinenſem pro Muſeo ſuo inſtruendo miſit, non poſſit eſſe ex hac arbore. Ponderoſum eſt, durum, colore ligni Quercini, & per multos jam annos ſervatum de odore ſuo nihil remittit, ſed æquè validum & vehementem ſpirat, D. Grevio atteſtante, quamvis incenſum nullum odorem exhalet.

Vires. Nuclei Ahovai in pulverem redacti ſcrupulus unus ore aſſumptus graviora facilè ſymptomata, quàm ab aliis ullis venenis illata inducit. *Piſo.*

CAP. IV.

Arbor nucifera Braſilienſis fructu operculato, monopyreno. Ibiraba alba Braſilienſibus Marcgr. Piſon.

Marcgr.

CReſcit figurâ Pyri, cortice fuſco, ramis inordinatè poſitis, *foliis* ſolidis, ſaturatè virentibus, alternatim poſitis, Pyri ſimilibus, quæ pediculis innituntur. Fert *florem* amplitudine Roſæ, ſuaviſſimi odoris, & Roſam pænè ſuperantis, quinque foliis conſtantem, pallidè flavis: In medio flore eſt corpus flavum ſemilunare, more cochleæ in ſe convolutum, caſtaneæ magnitudine, quod citò decidit, & magnâ copiâ ſub arbore colligitur. *Fructum* fert inſtar poculi cum operculo ſuo plano, in medio paulùm turbinato: In circumferentia poculi exteriùs eminentiæ ſexangulares ſunt; magnitudo poculi eſt quaſi caſtaneæ: Cùm maturuit fuſcum fit & operculum ſponte diſſilit, & caſtanea quam continet unicam, excidit, magnitudine noſtræ Avellanæ; poculum adhuc in arbore pendulum ad tempus manet.

Uſus. Atramentum ex hoc fructu paratur.

Tempus. Naſcitur paſſim: Floret menſibus Octobri & Novembri.

Abirabam nigram non deſcribit Auctor.

CAP. V.

Arbor Braſilienſis nucifera, fructu geminum nucleum continente. *Anda* Piſonis & Marcgravii.

Piſo.

NON procul à litorenſibus, nunc mediocri, nunc ſumma altitudine pro terræ temperie exſurgit arbor *Anda*, quæ ligno eſt lævi, raro & ſpongioſo, multíque uſûs. *Florem* fert magnum & concavum, aurei coloris. *Folia* nunc copulata, nunc inordinatè & ſolitariè poſita, in extremitate acuminata, nervo recto & venis obliquis conſpicua. *Fructum* ſeu nucem fert cortice duplici, exteriore cinericeo [viridi inſtar Juglandis *Marcgr.*] interiore ligneo prædurо & perforato, [una extremitate acuminatum, & uno latere fiſſuram habentem;] quo duæ glandes continentur, jecinori leporino non valdè diſſimiles, & nuces Caſtaneas ſapore quodammodo referentes, licet virtute & qualitate differunt. Una ſiquidem atque altera cruda manducata alvum ducit, quibuſdam & vomitum excitat. Validæ eſt operationis, quamobrem ægris morbo fractis haud tutò exhibetur, niſi corrigatur & in Electuarii aut pilularum formam redigatur. ℞ duas vel tres Caſtaneas, contuſas & cum ſaccharo deſpumato excoctas, addito Aniſi & Cinnamomi momento, gratiſſimum non ſolùm erit medicamentum, ſed & tutiſſimum infantibus iíſque omnibus qui à purgantibus ſolent abhorrere. *Vires.*

* Lib. 17. c. 4. Ind. Occid.

Luſitani & indigenæ ex eadem nuce oleum expriment, quod lychnis affundunt, atque eo corpus inungunt. E cortice autem uſtulato incolæ optimum & familiare remedium contra ventris fluxum, iíſque quibus poſt aſſumptam nucem alvus immoderatiùs ruit, ſubminiſtrant.

Barbari cortice illius utuntur ad capiendos piſces, aquâ enim in qua maceratus fuerit omnia animalia ſoporantur.

CAP. VI.

Iba-curù-parî Braſilienſibus Marcgr. *p.* 119. *Arbor nucifera Braſilienſis fructu ſtriato cucurbitiformi multos nucleos continente.*

Marcgr.

ARbor *folia* habens in frondes congeſta, pedem longa, duos & ſemis digitos lata ubi latiſſima, linguæ figurâ, ad pediculos acutiora quàm in extremitate, figurâ foliis *Janipabæ* ſimilia, nervo ſubrufo ſecundùm longitudinem, & aliquot venis tranſverſis conſpicuis.

Fructus illius magnitudine reſpondet Aurantio malo, ſed figurâ ſimilis eſt parvo Peponi aut Cucurbitæ; nam rotundus eſt, & paulùm compreſſus, ac quaſi ſtriatus, tot ſtrias ſeu cavitates ſecundùm longitudinem habens, quot intus Caſtaneas continet, nimirum quatuor, quinque, ſex, aut ſeptem, magnitudine noſtrarum Caſtanearum: Cortex exterior viridis; interiùs in tot loculamenta dividitur. Quælibet caſtanea cutem fragilem habet, colore Iſabellino dicto, ſeu flaveſcente, & ſplendente: Nucleus albiſſimus edulis eſt.

CAP. VII.

Nucifera Braſilienſis cortice fructus ligneo quatuor nuces continente. *Jacapucaya arbor* Marcgr. *Jaçapucaio* I. Piſon.

Marcgr.

* Ephemer. German. An. 11. Obſ. 153.

ALtiſſima eſt arbor, cortice gryſeo, duro, & inæquali, inſtar veteris Quercûs, ex quo atramentum ſcriptorium conficitur. *Folia* juniora rufa ſunt, vetuſtiora viridia, Mori foliis ſimilia, in ambitu ſerrata, quodammodo contorta & incurvata, alternatim in ramulis ſibi oppoſita. Poſt florem (quem nondum videre licuit) *fructus* ſequitur, quilibet ſuo pediculo craſſo, ligneo dependens, magnitudine capitis infantis, figuræ ellipticæ, inferiùs veluti in conum obtuſum faſtigiatus, ſuperiùs ſive ad pediculum depreſſus, referens poculum cum ſuo operculo; cortice ligneo & duro, ochræ coloris: operculo autem remoto (nam ipſemet fructus maturus ſe aperit) decidit operculum, & fructus interiùs in quatuor interſtitia diviſus videtur: & in quolibet loculamento caſtanea nvenitur, pruni magnitudine, cortice ex flavo ſubcinereo, rugoſo, qui contuſus nucleum exhibet lbum, optimi ſaporis. Nuces pariter maturitatem conſecutæ excuſſo tegumento è calycibus ſponte ecidunt.

Semel in anno matureſcunt, media videlicet hyeme: *Tempus.*

Cæterùm arbor in ſaltibus & mediterraneis locis adeò luxuriat, ut juſto exercitui ſufficienti ſu-tentaculo fructus ejus aliquando fuerint. Sapore & excellentiâ Piſtaceis adæquantur, & Venerem opitam dicuntur excitare. *Locus.*

Potiones & pultes tam ad Medicinam quàm ad epulas ex illis comparantur. Oleum quoque pin-ue ex illis exprimitur, Amygdalino calidius: Præſtat aſſatis quàm crudis veſci quod caput infe-ent. Tantæ duritiei pyxides ſunt ut Tepuyeris non modò vaſa potoria, ſed & diſcos & ollas fficiant. *Vires.*

Duæ reperiuntur ſpecies ſibi ſimiles externâ figurâ, ſed qualitatibus internis diſcrepantes: nam ltera ſpecies calices magis deformes producit, eorúmque nuces dignitate inferiores habentur, quip-e ex immoderato illarum uſu quibuſdam capillos defluxiſſe incolæ teſtantur. *Altera ſpecies.*

Uſus. Utriuſque lignum putredini mirè reſiſtit, unde ob ſummam ſimul duritiem molendinorum ſacchareorum axes ex illo fabricantur, cæteráſque arbores multùm antecellit. E cortice exteriore ſiccato & contuſo fit ſtuppa ruſeſcens, quó ad obturamenta utuntur & naves.

CAP. VIII.

Arbor Totocifera Orellanenſium, indigenis Ademonie Totocke * *De Laet.*

De Laet.

* *Lib. 17. c. 4. Ind. Occid.*

ARbor eſt valdè procera & ramoſa, foliis grandibus, & quæ formâ non multùm abludunt ab Ulmi frondibus, obſcurè virentibus, niſi quòd poſtica parte nonnihil videntur candicare. Nullos fert *flores* ſed certas gemmas quæ colore nihil differunt à foliis, quæ ſenſim craſſeſcunt & protrudunt *fructum* grandem, mole interdum capitis humani, pæne rotundum, antica parte nonnihil compreſſum, cortice ligneo, duro & admodum craſſo, exteriùs ſtriato & tuberoſo, coloris fuſci & pæne nigri. Dividitur interiùs certis ſpatiis in ſex veluti regiones, in quarum ſingulis continentur octo, decem, & interdum duodecim nuces, arctè inter ſe conjunctæ, quæ ſingulæ iterum ligneo, duro, & ſatis craſſo cortice tectæ ſunt, & variæ formæ, pleræque tamen triangulares, una parte convexiore, cum tribus veluti ſuturis, valdè rugoſæ & aſperæ, minùs tamen quàm exterior cortex, tres uncias longæ, & ſeſquiunciam latæ, coloris roſſi & interdum cinerei aut fuſci. His continetur oblongus nucleus totas implens inſtar Amygdali, rubicundâ membranâ tectus, carne candidiſſima & ſolida, & nonnihil oleoſa. Sapore videtur magis accedere ad Avellanas quàm ad Amygdala. Horum tamen uſum in omnibus egregiè poteſt ſupplere, etiam ad tragemata facienda, uti à noſtris fuit obſervatum. Barbari attribuunt ipſi facultatem Venerem excitandi.

Quoniam arbores quæ hunc fructum ferunt adeò ſunt altæ, & fructus adeò gravis & durus, illis maturis non audent Barbari ſylvas ingredi, niſi validâ parmâ, aut alio tegmine caput tecti; nam fructus decidentes inſtar ſilicis caput illis comminuerent.

CAP. IX.

De Camphora.

CAmphora ſeu Caphura in panes fuſiles ingentes coacta importatur, pellucidos & candidos totos, factitii Nitri inſtar, qui pulſu etiam tinnitum edunt argutum, ſubſtantiâ pinguiuſculâ, & quæ facilè flammam concipiat, quam in mediis etiam aquis inextinguibilem pertinaciter retinet, ſub dentibus lenteſcens, & exigua portione totum os veluti inflammas, odore vehementi. *J. B.*

Cæterùm niſi diligenter aſſervetur, ex operculatis etiam capſulis nonnunquam evaneſcit. Aſſervatur tamen ſecurè vaſe marmoreo aut alabaſtrino, Lini & Pſyllii ſemine ſepulta.

Non una ex arbore colligitur: nam ex cortice radicis Canellæ Zeilanicæ deſtillando elicitur, ut in Hiſtoria ejus arboris oſtendimus: & ex radicibus arboris cujuſdam Japonicæ minutim conciſis & in lebetem æneum conjectis, quibus aquam ea quantitate ſuperaffundunt ut radices modicè obtegat. Lebeti autem imponunt pileum vel operculum ſtramineum, in acutum faſtigiatum, móxque ignem admovent modicum, cujus ope partes radicis volatiles ſeparantur, adſcendunt & dicto pileo cryſtallorum inſtar adhæreſcunt, qui viciſſim aufertur, mundatur, rursúſque superimponitur. In inſula Sumatra, ex alia arboris ſpecie obtinetur; non tamen deſtillationis ope; ſed ſponte concretam ex arboris medulla eximunt indigenæ; qui, referente * D. *Grimm.* poſtquam externis ſignis, illis notis, percipiunt arborem divitem eſſe Camphorâ, ſpoliant eam omnibus foliis, cortice, & externo ligno uſq; ad medullam, quæ ab eis finditur. In hac medulla Camphora eleganter in forma coagulata, inſtar tenuis cryſtallini foliati ſalis reſidet, quæ à medulla ab eis ſeparatur. Nobis autem videtur ut & prædicto D. *Grimm.* arborem Camphoriferam Borneenſem ſpecie diſtinctam non eſſe à Sumatrana. Siquidem modus colligendi Camphoram apud Borneenſes non admodum diverſus eſt à prædicto Sumatranorum, ut legere eſt apud Breynium, Cent. 1. c. 6. ex relatione *Matth. Sladi*, in Tractatu cujus titulus, *Recherches & Obſervations naturelles par M. Boccone*, his verbis, Caphura de Borneo, quæ melioris notæ & rarior eſt quàm Japonica [Libra ejus, teſte Garcia, tanti emitur, quanti centenæ libræ ejus quæ ex *China* adfertur] in ea inſula ab arbore ibi *Liono* dicta profertur. Huic arbori tunc temporis cùm Caphurâ abundare, & quaſi turgere, ὀργᾷν Græci eleganter dicunt, nôrunt, ſub ortum Solis aurem applicant, & notatu dignum ſtrepitum percipiunt; deinde ipſam amputatam in partes diſſecant, quas findunt, Solíque ut ſiccentur exponunt, ſiccatas in particulas comminuunt, & Caphuræ fruſtula eximunt, cribróque à ſordibus purgant; ſi majuſcula fruſtula offenderint, iis oculos leniter & leviter confricare ſolent. Hæc autem Caphura plurimùm à Japonica diſtat, magiſque clara & perſpicua eſt, nec ullo modo, ut Japonica, ſponte evaneſcit & conſumitur.

* *Ephemer. German. An. 11. Obſ. 153.*

Cæterùm (ut rectè annotat D. Grimm.) ſi Sumatrani & Borneenſes artem callerent deſtillatoriam, longè majorem quantitatem Camphoræ impetrare poſſent. Percepit enim ille, quod lignum illud, etſi odore Camphoræ videretur carere, multum tamen Camphoræ in ſeſe adhuc continere. Si enim tranſverſim (inquit) ſerrâ diſcinditur, ſpirat odorem, & multum oſtendit pinguedinis.

Mirum autem videtur quod ſcribit purificationem Camphoræ Japonenſes adhuc latere. Matthiolus tamen etiam ſcribit, Camphoram omnem rudem Venetias importari, ibique igne & arte vitreis organis ſic ut candeſcat elaborari.

Vires. Camphora Veteribus Græcis incognita, Arabibus primo celebrari cœpta eſt. Calidane ſit an frigida non convenit inter medicos. Vetuſtiores frigidam eſſe ſtatuunt, eo argumento quòd Venerem extinguat & libidinem compeſcat, quódque ophthalmiis & oculorum inflammationibus, tum etiam ambuſtis impoſita, nivis frigiditatem referat. Recentiores è contra calidam affirmant, quorum argumenta, Inflammabilitas eximia; odor aromaticus penetrantiſſimus, ac ſapor acer; facilis evaneſcentia ob partium tenuitatem; quæ ſententia nobis probabilior videtur: Ad contrariæ autem argumenta facilè reſpondetur. Dato enim quòd Venerem arceat, non tamen propterea neceſſariò frigidam concludi argumento ſunt Ruta, Vitex & ſim. At nec Venerem arcere conceſſerit Jac. Breynius; ſiquidem obſervatum plurimos Camphoram quotidie purificantes tamen fœcundos & multâ atque copioſâ ſobole felices exiſtere: Nec ſcio (inquit) an multa in medium exempla adduci queant, Camphoræ purificandæ operam navantes conqueſtos, ſe propter tractationem Camphoræ in opere conjugali impedimentum aut remoram aliquam ſenſiſſe. Et quanquam fortè non negandum, quoſdam dari quorum vis naturæ Camphorâ penitus extincta, tamen non neminem novi, qui contra Veneris irritamenta hac reſinâ uſus, queri ſolitus eſt, ſe multò magis ad talia opera incitatum. Deinde, quamvis in multis affectibus, ut in oculorum inflammationibus, Eryſipelate, æſtu febrili, &c. refrigerantem poteſtatem obtineat, attamen hoc (inquiunt) non per ſe, ſed per accidens ſolùm evenit, ac eo ferè modo (ut vult Breynius) quo per ignis calorem candelæque flammam aduſti membri inflammatio extrahitur, vel ut immoderato Piperis uſu calor nativus foràs pellitur, intúſque debilitatur, eâque ratione corporis temperies in frigidam mutatur. Alii alios modos quo hæc præſtare poſſit comminiſcuntur, quos partim quoniam non ſatisfaciunt, partim quoniam non omnino extra dubium eſt an in his affectibus conveniat Camphora, & annon potiùs obſit quàm proſit, omitto.

Camphora reſiſtit putredini ac venenis; unde frequens ejus uſus eſt in peſte, maligníſque morbis, & febribus putridis. Suffocationi uterinæ ſubvenit Aqua Meliſſæ in qua Camphora extincta fuerit propinata. Uſus externus crebrior eſt in Epithematis ſ. Frontalibus refrigerantibus & paregoricis, quibus ut commiſceatur ſolvi ſolet in ſpiritu Vini, vel conteri cum nucleis ſeu ſemine aliquo oleaginoſo, e. g. pineis, ſem. Citrull. & ſim. *Schrod.*

N. Spiritus vini Camphoram immiſſam brevi diſſolvet, quæ in formâ olei ſpiritûs ſuperficiei innatabit.

Camphoram ſaponariis pilis admiſcere ſolent ad cuti nitorem & lævorem conciliandum.

Somnum inducit Camphora foris aut intus exiguâ quantitate uſurpata: Siquis verò ſæpiùs odoretur & naribus adhibeat cerebrum exiccat & vigilias creat. *Garc.* Applicatur in inflammationibus & debilitatibus oculorum.

Camphora inter fortiſſima Alexiteria non immerito à viris doctis numeratur; putredini mirum in modum reſiſtit, vapores putrefacti & corrupti membri repellit aut corrigit, in magnis tamen capitis & ventriculi doloribus hâc cautè utendum eſt. *Fabr. Hildanus* De Sphacelo cap. 12. Camphora mihi nihil aliud eſſe videtur quàm Sal volatile oleoſum, ut ex ejus analyſi manifeſtum fit. D. *T. R.*

1. *Arbor Camphorifera Japonica* Breyn. *cent.* 1. *cap.* 6. & Hort. Leydenſ.

Arbor hæc exuberante copia in Satſuma Japoniæ provincia, Tiliarum noſtrarum inſtar ſpecioſa proceritate adoleſcit, materie firma, ponderoſa, ex rufo ſubfuſca, multis fuſcis ſegmentis, ligni nſtar Juglandis fermè, ſcarificata, ſaporis amariuſculi & aromatici, odoris vehementioris, neſcio quid d Juniperi lignum vergentis, quæ non ſolùm ciſtis aliíſque machinis, ſed extruendis etiam palatiis n illo Regno inſervit. Hujus ramus ex Japonia tranſmiſſus ſpithameæ circiter longitudinis tenuis rat, rotundus, lævis, extrinſecùs nigricans, intus albidus, ſapore aromatico ad Camphoræ acce- ente. Huic alternatim, inæquali ſerie ſeptena adnata ſunt folia, ſemunciali & tenui pediculo, x fuſco ſpadiceo prædita, Lauri Leodinenſis Batavorum, quà formam & magnitudinem non diſ- milia, niſi quòd magis plerunque acuminata, inferiori parte albidiora, ſubſtantia tenuiore, cum glandis foliis meliùs conveniente: per cujuſvis folii medium ſubrufus vel flaveſcens nervus por- gitur; ex quo alterno ordine, nonnullæ ejuſdem quidem coloris, ſed magis ad viridem tendentes næ conſpicuæ ſurſum in latitudinem ſparguntur; inter quas venulæ rurſus quædam teneræ, lati- dinem folii tranſeuntes, eâ quodammodo, ſi accuratè obſerves, formâ, quâ lineæ tranſverſæ in io arboris Canelliferæ apparent. Hæc verò folia contrita odorem ſpirant aromaticum, quemad- odum etiam ſaporem calefacientem, attenuantem & ad Camphoræ vergentem.

De floribus extremitati ramulorum innaſcentibus nihil adhuc memoratu dignum percipere po- . Fructus autem his ſuccedentes odore quàm folia fragantiores, è calyculo oblongo, verſus pe- ulum faſtigiato, petiolum tenerum atque parvum habente emicantes; ſub quo nucula orbicula- ex nigro fuſca, non valdè dura occultatur, intus coloris nigri & ſplendens, Nucleum conti- ns ſubalbidum, bifidum & pinguem, ſaporis aromatici, & acrimonia haud ingrata linguam ti- antis.

2. *Arbor Camphorifera Sumatrana* * Grimmii.

* *Ephemer. German. An.* 11. *Obſ.* 153.

Propè *Baros* in Occidentali parte inſulæ Sumatræ creſcit hæc arbor, magna & denſa, cujus lig- n ob duritiem & firmitatem ad ædificia perutile. Caudicem habet rectâ aſcendentem; ramos s ordinatè explicat, elegantis formæ. *Folia* magna & carnoſa, anteriùs acuta; quæ contrita rem ſpirant Camphoræ, qui tamen ceſſat, ſi aliquantiſper contineantur ob volatilitatem Cam- ræ. Formoſos producit *fructus*, parvæ nucis Avellanæ magnitudine, oblongo-rotundos, tenui câ indutos, quæ rurſus, inſtar Nucum Avellanarum alteri elegantis formæ tunicæ incluſa ja- quæ diverſos habet colores, ut rubrum, purpureum, flavum & viridem; integrum fructum egit, & inſtar Tulipæ ſuperiùs ſeſe aperit.

n ab hac diverſa ſit Camphorifera Borneenſis inquirendum, *Liono* inſulanis dicta.

æc deſcribente Matthæo Slado apud Breynium, arbor eſt minor graciliórque Japonica (quæ dum vaſtum Quercum æquat) ejúſque trunci diameter ſeptem præterpropter digitorum longitudinem obtinet; ipſa fungoſa eſt, medullæ Sambuci non valdè abſimilis; truncus ſicuti Arundo variis nodis diſtinguitur, illámque arborem, quæ *Pynak* dicitur, æmulatur.

CAP. X.

Belutta-Tsjampacam, ſive Caſtanea roſea Indica H. M. *P.* 3. *T.* 53. *p.* 63. *Caſtanea Indica florida. H. M.*

VAſtæ magnitudinis eſt, *caudice* furvo, variegato, craſſo, præduro, glabro, multíſque ramis, Tiliarum inſtar, in orbem diffuſis donato, qui cortice obducuntur craſſo, glabro, fulvo; odoris aromatici, ſaporis amari & acerbi. *Radix* fibrata, rufa, glabro & flaveſcente cortice tecta; ſapor amarus, odor aromaticus. *Folia* brevibus petiolis ordine parallelo ramulis inhærent, oblongo-rotunda, glabra, denſa, ſupernè viridia, infernè rore ſubcœruleo, (uti in uvis cernitur) obducta, nitentia, nervis aliquot ſubtiliſſimis & viſum pæne fugientibus è media coſta in latera excurrentibus; odor itidem aromaticus, ſapor amarus & acerbus. *Flores* forma & magnitudine Roſis ſylveſtribus ſeu Eglentinis perſimiles, calyci quadripartito, exiguo, denſo, viridi inhærent, quatuor candidis, rotundis, ac teneris foliis conſtantes, tenuium ac albicantium *filamentorum*, flaveſcentibus *apicibus* dotatorum congerie mediam floris cavitatem & umbilicum occupante: odor ſuavis, roſaceus ac violaceus, ſapor amarus. *Fructus* globoſi, quatuor angulis eminentibus ſulcati, in vertice acuminati, per initia cùm matureſcere incipiunt glabri & ſubvirides, maturitatem adepti rufi ac rugoſi, cortice primùm craſſo ac molli, dein ruſo ac duro, caſtanearum cortici perſimili, obducti; intus autem tres quatuorve continentur nuclei, tum formâ & magnitudine, tum ſubſtantia & ſapore Caſtanearum æmuli. Fructus verò teneriores circa baſin tenax & glutinoſum exudant *gummi*, cujus odor acris eſt & aromaticus.

Locus. Arbor hæc ubique in Malabar, præcipuè in Provincia *Mangatti*, ob florum jucunditatem ſtudioſè colitur, quos Julio & Auguſto menſibus fert. A ſexto ſationis anno quotannis maturos fructus exhibet, atque non raró terna ſecula frugifera manet.

Vires. Radix cum zinzibere recenti contuſa, ſi aſſumatur, ſudores potenter expellit. Similiter arboris cortex cùm aſſumptus, tum ſub pulveris forma vulneri adhibitus, ſerpentum morſibus medetur. Ex foliis in lacte dulci coctis, & addito oleo Palmæ contuſis cataplaſma conficitur, quod vertici impoſitum viſcidos & pituitoſos in cerebro collectos humores incidit, attenuat, & per nares expurgat: ipſum verò foliorum decoctum potum phlegmata incidendo, attenuando ac expellendo tuſſim curat. Fructus recentes cum melle cocti alvum emolliunt & laxant, ſiccati autem aſtringunt; ex iiſque oleum exprimitur, quod artubus illitum quoſcunque illorum dolores jucundè tollit.

CAP. XI.

Styrax arbor Ger. J. B. *Styr. arbor vulgaris* Park. *Styrax folio Mali cotonei* C. B. The Storax Tree.

Cæſ. J. B.

CAudice eſt Malo cotoneo ſimili, candidiori cortice *Cæſalp.* *Folio* etiam eſt Mali Cydoniæ, minore, ſubrotundo, vel in obtuſum mucronem deſinente, ſubtus cana lanugine pubeſcente, ſuperiùs glabro & viridi. *Flores* fert in novellis ſurculis Arantii, candidos, plures & ſimul junctos, pluribus foliolis conſtantes, odoratos: *Fructum* magnitudine Avellanæ æqualem, incanum, callo fuſco, amaricante, qui in duas, tres, quatuórve carinas dehiſcens exhibet lignoſum oſſiculum, buxei coloris, nucleum claudens aliquando unicum, quatuor lineis ſulcatum, aliquando geminum anguloſum, interdum & tertium: *Hoc accidentarium eſſe puto. Nam naturâ unicum oſſiculum unicum tantùm nucleum includit.* Medullâ interna inſuavis.

Locus. In Agro Romano & circa Tuſculum in ſepibus & ſylvis copioſè oritur; ubi & eam ante nos Cæſalpinus obſervavit.

Cordus fructum ut reperitur cum ſtyrace exactiùs deſcribit his verbis, Nux Styracina globoſæ figuræ fructus eſt, mediocris Avellanæ magnitudine, duplici cortice nucleóque conſtans: Exterior cortex carnoſâ ſubſtantiâ, & in viridi cæſio colore, ſupremum Amygdalæ putamen refert, is in maturitate tribus rimis in tres partes dehiſcit, alterum lignoſum, durum, flavum aut ſubruffum corticem oſtendens, quo contineatur nucleus pinguis, oleoſus, guſtu acris, odoratus, & reſinoſæ Styracis qualitatibus reſpondens, ſed multo acrior & fauces ſcarificans. Quæ deſcriptio adamuſſim congruit Styracis fructui à nobis circa Tuſculum collecto.

Styrax reſina duplicis generis in officinis proſtat, ſiccus & liquidus.

Siccus, Officinis Storax Calamita à Cannarum calamis ſic dicta, in quibus olim, (autore Galeno) è Pamphylia apportabatur, eſt arboris deſcriptæ gummeus reſinoſúſque ſuccus concretus, aridus, odoris ſuaviſſimi.

Non ſine cauſa in calamorum internodiis occluſus advehebatur Styrax, ſiquidem Parkinſonus noſter obſervatione & experientiâ propria Styracis gummi ſyncerum, arte & prælo ſolo à ſe depuratum & fluidum effectum, non ſolum commiſſuras & articulationes doliorum verùm lignum etiam ipſum æſtivo tempore penetrare, & effluere affirmat, adeo ut vitreo vaſe probè obturato illud reſervare neceſſe habuit. Cannarum autem internodia nullas habent rimas, nullas commiſſuras, ideóque ad gummi tam odoratum & ſubtile continendum commodiora ſunt.

N. Styracis arbor in Italia lachrymam paucam fert, ut aliæ multæ quæ in fervida regione multo ſucco abundant.

Cæteru

Cæterùm cùm Styracis ſimpliciter mentio fit, ea vox de Calamita accipienda eſt. Vim habet, teſte Dioſcoride, calefaciendi, exiccandi, emolliendi, concoquendi. Facit ad tuſſes, deſtillationes, gravedines & raucedines. Convenit etiam ad uteri præcluſiones & duritias: Et menſes potus & appoſitus ducit. Alvum quoque leniter mollit, ſi modicum ex ipſo cum reſina Terebinthina devoretur. Miſcetur etiam utiliter malagmatis diſcutientibus & acopis. Uritur autem & aſſatur & torretur, & fuligo ex ipſo fit velut ex Thure. Quod verò ex ipſo præparatur in Syria Styracinum unguentum calefacit & emollit fortiter, capitis tamen dolorem inducit, & gravitatem ac ſoporem efficit. *Vires.*

Invenio, inquit Plinius, potu modico [Styracis] triſtitiam animi reſolvi, largiore contrahi. Magni usûs eſt in odoramentis & ſuffumigiis.

Præfertur Styrax pinguis, lentus, fragmentis albicantibus ruſeſcens, vel flavo colore perſeveranti, qui dum molitur melleum liquorem reddit: improbatur furfuroſus, niger, ac inodorus. *Schrod.*

Storax rubra Officinarum, C. Bauhino cortex eſt arboris, quem Thus Judæorum & Thymiama vocant, quo Judæi in ſuffumigiis frequenter utuntur: an Νάσκαφθον ſeu Νάρκαφθον Dioſcoridi l. 1. c. 22. quod ex India defertur corticoſum, Mori libro ſimile, quod jucundi odoris gratiâ ſuffitur.

Styrax liquidus eſt liquor pinguis, inſtar Balſami craſſus, graveolens. *Schrod.* J. Bauhino melleæ & tenacis ſubſtantiæ eſt, coloris fuſci, aut ex fuſco rubentis, aut ex cinereo fuſci, odore valido, tque ob vehementiam fere ingrato, in quo tamen videtur apparere remiſſus ille Styracis calamitæ dor, multò tamen magis ſi linguæ admoveatur conſpicuus, dum in nares inde pauca quantitate nathymiaſis aſcendit, ſapore autem acriuſculo.

De Styrace liquida magna inter Autores diſſenſio eſt; Aliis, viz. nihil aliud eſt quàm Stacte, i. e. Myrrhæ colamen. Quod falſum eſſe indè conſtat, quod Myrrhæ lachrymæ ob ſubſtantiæ ſimiliudinem in quovis aquoſo liquore diſſolvatur, Styrax autem liquidus minimè, ſed in oleoſo & ingui, ut aliæ reſinæ. Aliis, ut Cordo, factitium quid ex Styrace Calamita in vino ac oleo ſolu, admiſtâque reſinâ Lariceâ excocta, quæ decoctio ubi refrixerit, Styrax liquidus ad fundum ſeedere dicitur, ad ſuperficiem mittens oleoſam ſubſtantiam liquidiorem; alii expreſſu idem moliunur. Serapioni Styrax liquidus eſt oleum ex nucleis arboris Storaciſluæ expreſſum; at cortex fruûs ex quo oleum expreſſum eſt, Styrax ſicca eidem dicitur. Avicennæ Styrax humidus fit per ecoctionem corticis, éſtque colore nigro.

Fæx remanens eidem Styrax ſicca dicitur, l. 6. c. 32.

Facultates Styracis liquidi iidem ſunt quas Dioſcorides oleo Styracino attribuit, de quo ſupra.

Styrax liquida C. B. *Styrax Aceris folio.*

C. B.

Ex *radice* rotunda, nigricante, rugoſo, ſtriato, & quaſi articulato cortice tecto, *folia* terna iam quina, oblongis, tenuibus, nigricantibus pediculis donata ex uno veluti tuberculo prodeunt, uæ Vitiginea ſunt, foliorum Aceris vel Platani inſtar, in lacinias ternas, etiam quinas diviſa, ervoſa, per circumferentiam crenata, & mucronato cuſpide.

Ab Honorio Belli habuit *C. B.*

In horto inſtructiſſimo Reverendiſſimi Epiſcopi Londinenſis D. *H. Compton*, culta eſt hæc plan- ab honeſtiſſimo viro & ingenioſiſſimo Hortulano D. *Georgio London*; tranſmiſſa fuit è Virginiâ D. J. Baniſter. Q. an ſit Acer odoratum Virginianum *Herman*? Fructum hujus Styracis Virginiaæ, conglobatæ & echinatæ figuræ eſſe, qualem in pilulis Platani & Sparganii videmus, mihi affirmavit . *Tancredus Robinſon*, qui eum obſervavit in celeberrimo Muſeo Clariſſimi D. *W. C.* Medii Tem-i; ideoque quærit an ſit Platano occidentali affinis, vel lanuginem ſeu pappum ferat?

CAP. XII.

Staphylodendron J. B. *Nux veſicaria* Ger. Park. *Piſtacia ſylveſtris* C. B. **The Bladder Nut-Tree.**

DEnsè fruticat Staphylodendron, nonnunquam in arborem adoleſcens, cortice virente aut ruffo, materie virenti, medullâ amplâ, albâ, molli. Folia Sambucinis proxima, vel Fraxini, acuminata, argutè crenata, quina aut ſeptena ad coſtam annexa, impari alam claunte. *Flores* longo & pendulo pediculo intervallis verticillatim oriuntur, itâ ut eminus intuenti cemulum mentiantur, odore Sambuci, quinis foliis radiatim expanſis, albis, mucrone interdum is nonnihil rubente, totidémque candidis, item ſurrectis, coeuntibus leviter mucronibus, ut convam urceoli figuram exprimere poſſe videantur, quæ intercedunt totidem ſtamina alba, apicibus eis donata, medium occupante *ſtylo* albido, bifido. Superveniunt veſicæ magnæ, virentes, in os loculos ceu ſcrotum diſpertitæ, in quibus duæ nuculæ cohærentes, putamine fragili & tenui [reùs Parkinſonus lento, duro & frangi contumaci] colore flavo aut ſubruffo, in quibus nuclei co- vireſcenti obtecti, ſapore nonnihil nauſeoſo. Ex nucleis calvariæ commodè exprimi poſſunt lptura levi.

In Anglia ſponte naſci hanc arborem pro certo affirmare non audemus, quamvis vidimus cir- Pontem-fractum Eboracenſis provinciæ oppidùm in ſepibus; & in Cantio circa Aſhfordiam opum ſpontaneum inveniri apud Parkinſonum legimus. At in Helvetia variis locis naſci idoos autores habemus. Provenit etiam in Italia & Germania. Videtur (inquit J. Bauhinus) udis humidis gaudere locis. *Locus.*

loret Maio, nucleos maturat Autumno, menſe Septembri, *J. B.* *Tempus.*

Scaliger hujus nucleos ſapore Piſtaciorum eſſe, ſéque ex hac arbore Piſtaciorum medullam eſitâſſe ſcribit. Fruatur ille, per nos licet, deliciis ſuis, tam lautum ferculum ei non invidemus: Quin veteribus contenti Piſtacias novas Scaligero cedimus, quibus ad ſatietatem ingeſtis palato ſuo quantum volet gratificetur. Nobis nauſeam potiùs commovere & ventriculum ſubvertere aptæ videntur quàm eſui idoneæ.

Nullum, quod ſciam in medicina uſum habent. Pauperioribus tamen multis in locis globulos precibus numerandis ex iis conficiunt.

CAP. XIII.

1. *Piſtacia* Ger. J. B. *Nux Piſtacia* Park. *Piſtacia peregrina fructu racemoſo, ſive Terebinthus Indica Theophr.* C. B. **The Piſtachio or Fiſtick-nut-tree.**

J. B.

Piſtachiæ arbor, tradente Rauwolfio, trunco eſt craſſo, ramis expanſis, cortice obductis cinereo: In longa coſta è ramis propagata *folia* conjugatim diſpoſita habet, quanquam non uſque adeò exactè ſemper reſpondeant ſingulorum foliorum ortus. Sunt ea verò nunc ſubrotunda, nunc in mucronem acuminata, nervoſa, Terebinthi foliis, niſi iis majora eſſent ſimilia. *Fructus* Officinis notiſſimi, Avellanæ magnitudine, oblongi, acuminati, una parte in gibbum criſtatum eminentiorem protuberantes, altera depreſſiori, in acutum faſtigiati, oppoſita parte, quà pediculi quo adhæſerunt veſtigium, obtuſi; lignoſo, lento, fractu contumaci, ac propemodum inter oſſeum & cruſtaceum medio cortice, ſed tenui, lævi, candido tecti, cui rugoſus alius, ac ferè aridus, coriaceus, tenuis & fragilis ſuperſternitur, colore ſupremo Amygdalæ putamini ſimilis, in exoletis niger. Lignoſus cortex nucum modo in duas partes ſeparari ſolet, interdum ſua ſponte hians. Nucleum continent ruffâ pelliculâ conveſtitum in flavo vireſcentem, dulcedinis ſuaviſſimæ, pinguem, halitum etiam maſticatu commendantem, præſertim recentiores. *Flores* racemoſi, purpurantes Terebinthi. *Ad.*

Rauwolfius folia rotunda huic arbori attribuit, & ſanè iis quæ ex nucum ſatu nobis ortæ ſunt talia fuere. Sunt nobis (inquit J. Bauhinus) rami Piſtaciæ in quibus folia acuta; & à Lobelio aliíſque folia acuta pinguntur. Quapropter diligentioribus conſiderandum relinquimus an ſit aliqua inter Piſtacias diverſitas.

Plerique Botanici hanc arborem pro Terebintho Indica Theophraſti habent. Et ſane Terebinthi Indicæ deſcriptio apud Theophraſtum ſatis convenit Piſtaciæ. Verùm cùm in ipſa quoque India reperiatur arbor correſpondens, & quæ nomine quoque conveniat, maluimus potius eò referre quæ de Terebintho Indica Theophraſtus ſcribit, quàm ad Piſtaciam. Arborem autem illam demonſtrat Rauwolfius, capite de Terebintho à nobis proponendam. Piſtacia Syriæ multis in locis reperitur. Rauwolfius narrat, cùm tenderet ex Tripoli in urbem Damandt & Halepum, ſe vidiſſe circa urbem *Sermin* ſylvas arborum Piſtachiorum, *&c.* circa Halepum quoque admodum vulgatam eſſe arborem.

Vires. Piſtacia ſtomacho grata ſunt. Eadem ſive edantur, ſive trita in vino bibantur contra reptilium beſtiarum morſus opem ferunt *Dioſc. Plin.* alioqui eoſdem effectus habere quos Pinei nuclei aiunt.

Galenus Piſtacias tenuioris eſſentiæ eſſe ſcribit, ſubamari quid & odorati habentis: Obſtructiones itaque liberare, maximè Jecoris; veruntamen etiam thoracis pulmoniſque, parùm nutrire. Verùm Recentiores plerique apprimè nutrire & Venerem ſtimulare volunt. Quibus de cauſis Bellariis inſtaurantibus & reficientibus admiſcentur tum ab Hiſpanis, tum ab Italis & Gallis medicis; imò tantum illis tribuitur, ut vix ullum ſit medicamentum analepticum ſine Piſtacio. C. Hofmannus è contra fidenter affirmat falſam eſſe opinionem de πολυτροφία, quinimo æſtuoſa eſſe ait in calidioribus non minùs quàm Amygdalas. At Venerem augent; & maximus earum uſus eſt in Italia, teſte Braſſavolo: Quicquid faciunt flatuando faciunt ob excrementitiam humiditatem. Hactenus *Hofmannus:* cui ut & Galeno & ſequacibus oppono quotidianam experientiam & Medicorum praxin; quibus plus tribuendum quàm Hofmanni auctoritati, aut ipſius etiam Galeni.

Oleum Piſtaciorum potum internos dolores ſedare perhibet Matthiolus, quibus origo ſit à pituita viſcida & flatibus: Idem prodeſſe contra ſpaſmum & paralyſin, & interno uſu facere ad generationem.

2. *Nucula exotica Piſtacii ſpecie* J. B.

Ad Piſtacium ſuo clauſum officulo accedit magnitudine & formâ oblonga, nonnihil anguloſa, & convexa, inæquali putamine fragili, fuſco, rugoſo nucleum comprehendente ſolidum, coloris obſoleti, pingui, rancido, [in noſtris ſaltem vetuſtiſſimis] ſapore præditum, quem obvolvit tenerior quædam pellicula coloris cinericei.

3. *Piſtachia Virginiana ſylveſtris trifolia H. Blaſ. Staphylodendron Virginianum trifoliatum* Herman. *H. Leyd.*

Foliorum ternâ diſpoſitione, ſeminumque in Veſicis parvitate à vulgari facile diſtinguitur. Veſicas eſſe tricapſulares ſeu tripartitò diviſas, & in unoquoque loculo ſeu ſcroto unam nuculam ſeu ſemen continere obſervavit vir in re Botanicâ maximè induſtrius *D. Sam. Doody.*

Hæc Piſtachia ſeu Staphylodendron referendum eſt ad arbores fructu ſicco tricocco.

C A P. XIV.

Caſtanea equina Ger. Park. *equina folio multifido* J. B. *folio multifido* C.B. **The Horſe-Cheſnut-tree.**

MAgna ſatis eſt arbor, quanta Morus, & valdè patula. *Folia* palmata ſunt, ex ſegmentis plurimùm ſeptem compoſita, quorum ſingula Pinnæ marinæ quodammodo æmula, ex anguſto admodum principio ſenſim dilatantur, tandem in obtuſum mucronem deſinentia, per ambitum ſerrata, longitudine dodrantali, qua parte latiſſima ſunt palmum circiter lata, à coſta media obliquis ordine nervis in ambitum directis, coloris ſupernè atro-virentis, infernè hilarioris, ſapore amaricante. Porro coeunt hæc omnia in unum communem longum pediculum; éſtque pediculorum ſitus oppoſitus. *Flores* multi ſimul in ramulo ex ala folii extremam rami partem occupante prodeunte, longiuſculis petiolis ſubnixi, quatuor foliis non valdè amplis conſtant, candidis, quorum bina ſuperiora reliquis paulò ampliora violaceas ex puniceo maculas orbiculatas in medio impreſſas habent, è florum autem umbilico plura flava ſtaminula prodeunt in aureos apices deſinentia. *Fructus* ipſe non ità in conum deſinit ut vulgatæ noſtræ Caſtaneæ, globoſior, altera parte ſpadiceus, quà vero echino adhæret impreſſionem cineraceam oſtentat, cui cortici nulla in- ercedente lanugine pulpa noſtratibus Caſtaneis ſimilis ſubjacet. Echinus ipſe multò craſſior & irmior quàm dictæ, exteriùs rufus, internè albus, durus, ſed rarioribus brevioribúſque pinis obſitus, rmis tamen & infeſtis, coloréque flavicantibus, qui per maturitatem in tres partes dehiſcens Nu- em oſtendit, ipſius lateri infima parte inhærentem, non à pediculo, ut reliquæ.

Hanc ſcribit Cluſius Autumno cùm folia amiſit, protinus amentaceum quiddam extremis ramu- s gignere, & turgidum quaſi parturiret, pingui ac lento humore conſperſum, in quo culices & hu- uſmodi inſecta hæreant, totâque hyeme ità perdurare, donec ineunte vere, & præmaturè admo- um gemmæ in folia ſe explicent. Corticem ramis tribuit, novellis quidem virentem, adultis au- m cinereum, ſub quo lateat alius ſucculentus, viridis, lignum ambiens, ut in Sambuco vel Ace- latifolia.

Locus.

Conſtantinopoli & in Creta naſci fertur: Certe Conſtantinopoli ad nos tranſmiſſa eſt, & ha- etur in hortis noſtris frequens. Frigoris patientiſſima eſt, umbrâque & aquâ ut Platanus dele- atur. Equina dicitur quia equis anheloſis prodeſt, Matthiolo & Cluſio tradentibus.

C A P. XV.

De Manihot ſive Yucca ex cujus radice fit panis Caſſava dictus.

QUamvis quem fructum proferat hæc arbor mihi non conſtet, quia tamen foliis digitatis Caſtaneam equinam æmulatur ei ſubjungendam duxi.

Manihot Indorum ſive Yucca foliis Cannabinis C. B. *Manihot Theveti, Yucca & Caſſavi* J. B. *Hiucca ſive Mandioca ex qua Caſſavi fit* Park. *Maniiba & Manduba Braſilienſibus, cujus radix Mandiboca.* Piſon. Marcgrav.

Piſon.

Frumento complures Indiarum regiones ad hæc uſque tempora caruerunt: ea tamen quibus ominum & animalium ſuſtentatur vita, frumentíque vicem ſupplent deſiderari benigna mater tura noluit. Radix enim ſativa ſeu altilis, quæ *Mandioca* Barbaris appellatur, in farinam re- cta, & in panem coacta cum optimo pane ſimilagineo certat. Quâ plantâ licet Angolæ & Hiſ- niolæ, atque aliarum inſularum incolæ gaudeant (ubi radicem hanc *Yuca*, aliis Mexicanis *Quauh- motli*, præparatam & in farinam redactam *Caſſavi* vocari Monardes teſtatur) Braſiliæ tamen na- ralem, ſummóque ſtudio ibi cultam conſtat. *Alii omnes Americæ populos à Florida ad Fretum ſque Magellanicum hoc pane uſos affirmant, quanvis Frumentum* Mayz *dictum illis non deeſſet.*

Plures hujus fruticis dantur ſpecies, quæ licet prima fronte inter ſe haud differre videantur, ta- en ab experientibus agricolis dignitate, caule & cortice diſtinguuntur. Prima ſpecies à maris colis Braſilianis vocatur *Mandiiba buara*, quæ albicantibus eſt radicibus & truncis: *Mandiibpara-*, *Mandiipeba, Mandiipucù, Mandiibimana, Aipi* (quæ iterùm plures habet ſpecies, quarum no- na vide apud Marcgravium) *Tapecima, Aipipoca, Mandijupeba, Aipimacaxera*, quæ omnes ru- ntibus ſunt & lacteſcentibus radicibus & caulibus. Omnium harum ſtirpium radicibus & cauli- s ſolum *Mandibocæ* nomen inditum, & alimentoſis, medicamentoſis, venoſiſque qualitatibus, et impari inter ſe gradu, pollent.

Frutex eſt ad quinque vel ſex, ut Rochefortius & Parkinſonus, ad ſex, ſeptem, vel octo, ut arcgrav. pedum altitudinem aſſurgens, caule lignoſo * tortuoſo nodoſo, fragili, medullam intra continente inſtar Sambuci. Ejus craſſities pro fœcunditate ſoli cœlique temperie varia. Supe- s in multos expanditur ramos, qui iterum ramulos habent, atque in horum quolibet tria, qua- r, quinque, ſex, aut ſeptem *folia* anguſta, oblonga, in ſtellæ formam diſpoſita, [ramuli quos cat nihil aliud ſunt quàm foliorum digitatorum prælongi pediculi. Folia enim ad Lupini aut llebori nigri modum ex pluribus foliolis digitatim diſpoſitis, aut ex ſummitate pediculi, quaſi ex lem centro egreſſis componuntur] ejuſdem ferè viriditatis cum Pæoniæ folio. *Floſculos* fert fla- pallidos, pentapetalos, multis ſtaminibus luteis in medio: *Semen* autem Ricini ſemini ſimile, ſed tile. Radicem Paſtinacæ haud diſſimilem producit, quæ lacteum trahens ſuccum ab oculis pro- pentibus, è trunci internodiis natis hoc liquore egregiè intumeſcit.

* *recto* Piſoni.

Terra minimè gleboſa aut irrigua ut Canna ſaccharifera gaudet, ſed ſicca potiùs, ſitiente & montoſa, atque in tuberculos, quaſi à talpis, egeſta. Adeò humiditatis omnis inimica eſt, ut æſtivis duntaxat menſibus terræ committi velit, idque locis apricis ac minimè umbroſis. Cùm autem adeò acclive ac arenoſum ſolum requiratur, malunt incolæ denſiſſima demoliri nemora, demolita exurere, eáque arvis & ſegetibus (*Chocas* Luſitanis) deſtinare. Extra terram duobus vel tribus ſurculis germinant, qui ubi octavo, decimo atque duodecimo menſe liqueſcere incipiunt pro ſemine ſunt. Hoc frugum noſtratium diſcrimine, quòd Mandihocæ nihil de fructu decedat ad ſui propagationem, noſtris decedat, quibus ipſi fructus ſementem faciunt. Per radicem nulla poteſt fieri tranſplantatio; nam ea extracta è terra, & tacta ſtatim moritur.

Tres hujus plantæ trunci, frondibus ſpoliati, figurâ propemodum pyramidali, haud profundè ſimul terræ grumis, trium circiter pedum inter ſe diſtantia inſeruntur, prominentéſque ad palmæ altitudinem ſuperiùs ſe invicem amplectuntur. Qui foliis licet denudati, novis tamen illico veſtiuntur, nec quicquam radix inde detrimenti patitur, modò caulis integer & illæſus maneat.

Dignitate & mole excellit *Mandihoca*, ſi anni terræque temperies ſicca fuerit. Tum enim quælibet radix ſeſquipedem, vel duos,, interdum etiam tres pedes longa evadit, craſſitiem habens brachii vel etiam cruris humani quando ſatis adoleverit.

Ratio habenda, ut ager à zizaniis, quæ valde ſuppullulant, ter quatérve repurgatur, donec plantæ adoleverint, ad octo nimirum vel decem menſium ſpatium. Maturitatem aſſecutæ radices, quod annuo circiter à plantatione fieri ſolet ſpatio, ad tertium vix ſub terra durant: altero tamen plerunq; anno pars illarum putreſcit & corrumpitur: ideò ad ſummum linquuntur annuo ſpatio, & de novo per taleas plantantur. Ingruente nimiæ humiditatis neceſſitate exſcindi ſtatim poſtulat ſexmenſibus ante juſtæ maturitatis tempus.

Mandiba quæ vocatur *Mandiibumana*, omnium citiſſimè creſcit & matureſcit, atque optima indè conficitur farina. Hæc planta maxime gaudet ſolo arenoſo, & magis ambuſto quàm reliquæ. Primaria omnium, ínque quotidiano uſu & lucro producitur promiſcuè in quavis terra, vocatúrq; *Mandiibparati*.

E terra evulſæ radices vix per triduum durant, etiam ſi fideliter horreis recondantur. Mundatæ & à cortice, quem tenuiſſimum habent, liberatæ, molæ truſatili, à duobus hominibus circumactæ admoventur, ferríque cuſpide conteruntur, & contuſarum radicum farinam excipit alveus. Raſura deinceps torculari vel prelo ſubjicitur, quo magna vi humor ille ſuperfluus & noxius exprimitur; ut ſicca atque abſque ulla humiditate maneat. Mox cribro *Urupeba* dicto percolatur. Exinde planefacto fictili aut æneo injicitur, in quo ſubſtructo igne circumagitatur tantiſper donec coquatur. Semicocta verò & adhuc mollis eſculenta eſt, & vocatur *Farinha relada*, quod eſt, Farina cocta non exſiccata. Reliquum quod ſupereſt, & reſervare volunt, ſupra majorem vel minorem ignem pro arbitrio miſcent, atque exactè ſiccant. Farina enim hæc quò plus exſiccata & excocta eò durabilior eſt. Optimè tamen ſiccata & fideliter ab aere defenſa, ultra annum vix ſervari poteſt; nam ſi vel leviſſima uligo eum infecerit corrumpitur, unde non parvam militum ſtragem in caſtris excitatam vidi. Quapropter noſtri Barbaros imitati eam in bolos, quos vocant *Bejus*, paſtillos & liba cogunt, ſupérque craticulas modico igne induratam in penu aliquandiu recondunt.

Ex hoc frutice expreſſo manat liquor *Manipuera* barbaris dictus, qui vaſi infuſus poſt duas horas fundo adhæreſcit: ex quo alia fit farina, melior priori, ac majori affluentia floris, quam cremorem de *Tipioca* vocant. Ex aqua farinæ in fundo ſubſidente bolos quoque conficiunt *Tipioceto* dictos, optimi ſaporis. Tum Gummi quoddam ſeu potiùs Amylum ex ea fit, atque eidem uſui inſervit. Hic liquor *Manipuera*, quòd dulcis ſit ſaporis ab Animalibus avidiſſimè hauſtus vi quadam venenata ea ſtatim extinguit: ex radice tamen non expreſſus (quod mirum) cætera animantia excepto homine nutrit. Præterea radice à ſole exſiccata alia fit farina & pollen albicans, imo & panis ſiligineus & biſcoctus, qualis è tritico (cui & ſimillimus eſt) pinſitur. Hoc alimentum integrum & non comminutum pro jumentis & pecoribus, quibus in pabulum cedit, reſervatur.

A vermibus & integris formicarum cohortibus hæc planta miſerè ſolet infeſtari, magno agricolarum incommodo: non ſolùm folia atque caulem, ſed ipſam quoque radicem depopulantur ferarum greges & animalia domeſtica. Ipſi Braſiliani, Æthiopes & noſtratium non pauci hujus plantæ folia amant adeò, ut contuſa, cocta & proba condita pro cibis & Lactucis apponant; quæ in maſſam efformata *Manicoba* nuncupant Braſiliani.

Porro radix hæc quatuor aut quinque dierum ſpatio in aqua macerata & emollita *Mandiopiba* dicitur, quæ aſſata maximè ab agreſtiori Indorum & barbarorum multitudine expetitur & manducatur. E ſedimento hujus conſiſtentiæ Farina mollis notæque melioris conficitur, quam Braſilianis *Vipeba*, Luſitani *Farinha freſca* cognominant.

Ex *Mandihoca* contuſa, butyro & ſaccharo inſignes fiunt boli vel paſtæ ad edendum optimæ.

Pultis deniq; genus paratur ex *Mandiopeba*, quod nomen accepit *Mingau petinga*.

Mandihoca illa mollis, illis *Puba*, igni impoſita exſiccatur, exſiccata appellatur *Carimà*. Ex h Afri panem optimæ notæ conficiunt, quem *Muſam*, vel *Angu*, interdum *Enfonde* appellant. O nium autem præſtantiſſimum pultis genus condiunt, quod vocant *Mingau de Carimà*, cui aromat loco momentum Piperis Braſilienſis, & floris *Nhambi* admiſcent, quod optimi cùm ſit ſaporis, nitatíque conducat, frequens in prandiis eſſe ſolet, nec ſuaviter ſe vivere exiſtimant, niſi hoc alim to utantur. Sanis æquè atque ægris ejuſmodi pultes, emulſiones, atque adeò ptiſanas ſaluberri inde confectas exhibent. *Tipioca* ſiquidem & *Carima* pota, vel Syrupi ſpecie cum aqua florum A riacorum & pauxillo Sacchari exhibita antidoti loco plerunque eſt. *Tipioca*, ſi multâ lotione def cata atque exſiccata probè ab omni humiditate reſervetur, tabidis & dyſentericis ex arte propin medetur. Febricitantes, animo deficientes, veneno infectos reſtituit. Præter hæc violento exerc fractis vires recuperat, ſudoréſque immodicos compeſcit Ptiſana illius ſimplex. Quaſcunque morrhagias, imprimis ex vulnere inflictas tum intus aſſumpta, tum emplaſtri modo applicata hibet.

Ex *Macaxera* optimum fit vinum, ſerum lactis ſapore referens. Mandihoca raſa vulneribus & ulceribus antiquis impoſita ea mundificat atque attemperat.

Manipuera cocta craſſeſcit pultis in modum, alimentóque convenienti exiſtit. Quod ſi Oryzam & ſaccharum cum aqua deſtillata ex floribus Aurantiorum ſuperinfundas conſervæ gratiſſimæ formam induet, mutatóque nomine *Marmelada de* Mandioca appellatur.

Poſtremo illa ſpecies *Macaxéra*, præterquam quòd vicem farinæ prædictæ ſuppleat, igne etiam aſſata abſque ulla alia præparatione comeditur, ac *Macapera* appellatur.

A cæteris radicibus abſtinendum eſt, quòd præſens ſint venenum. Dantur enim quædam, quas citiùs combuſſeris quàm ut virus ſuum deponant, & ad edendum idoneæ reddantur. Quin ipſi indigenæ olim minùs exercitati in ſeparatione alimentoſi & venenoſi, aliquoties mortem oppetierunt, nunc eruditiores facti, non ſolùm illis præcipuo exiſtit vitæ ſuſtentaculo, ſed omnibus Europæis in America degentibus: idque pani triticeo præferre non verentur licet minoris habeatur nutrimenti.

Æthiopes & Braſiliani inter edendum pugnos farinæ plenos in os injiciunt, ut manu quoque ab ore longiùs remota vix tamen mica pereat. Raro aut parùm inter prandendum potu utuntur, quòd farina aquam nimis imbibat & ſtomachum inflet. Cùm aratrum ejúſque uſus hîc ignoretur, & improbi ac multijugi laboris tædia declinent, facilem hanc & minùs ærumnoſam agriculturam, tam vitæ ac rei familiari tuendæ, quàm æri corradendo egregiè adhuc amplectuntur. Quippe unius duntaxat mancipii induſtria & labore centum tuberculos [monticulos] aliquando unius diei decurſu abſolvunt. Hujus autem farinæ una, quæ viginti cantharos noſtrates continet, aut ſeſqui *Alkeira*, h. e. modius unus aut ſeſqui homini robuſto & laborioſo in menſem integrum plerunque ſufficit. Quem modium ſex, aut ſeptem, aut ad ſummum octo ſolidis comparaveris. *Rochefortius unum terræ jugerum hac radice plantatum pluribus perſonis alendis ſufficere ſcribit quàm tria optimo frumento ſata.*

Hæc ſunt quæ uſu & ſedula in hanc radicem inquiſitione à ruſticis & experientia propria reſciſcere potuit Gulielmus Piſo.

Cùm autem uſus hujus farinæ tam latè pateat, ut non pauciores eâ mortales veſcantur quàm frumento ipſo, vaſtiſſimi nempe orbis Americani plerique incolæ, integram ejus hiſtoriam huc tranſcribere non piguit; præſertim cùm aliorum minùs accuratas hiſtorias & deſcriptiones conferendi & examinandi labore & tædio nos levet.

Alterius adhuc *Mandibocæ* ſylveſtris meminit, ejúſque iconem exhibet Piſo, quam fruticem arboreſcentem vocat, cæterùm ſativæ ſimillimam, ſi caulem & folia conſideres, verùm dignitate longè inferiorem.

Notandum autem quod omnium qui de Mandihoca ſcripſerunt conſenſu ſuccus è radice expreſſus omnibus animalibus venenum eſt præſentaneum; poſtquam tamen 24 horas ſteterit qualitatem ſuam malignam & pernicioſam amittit.

C A P. XVI.

1. *Guaiacum* Ger. *Guaiacum ſive Lignum ſanctum* Park. *Guaiacum magna matrice* C. B. *Fructus Guaiaci putatus & folia* J. B.

HAnc arborem plenè & accuratè deſcripſit Jo. Terrentius Lynceus, *notis in Res Medic. N. Hiſpan. Fr. Hernandez*; atque idcirco ejus deſcriptionem mutuabimur.

Guayacan eſt arbor Juglandis vel Ilicis magnitudine, cujus cortex colore extrinſecùs cinericeo, Betulæ ſimilis permixtis tamen multis maculis viridibus, intrinſecùs verò ſubruber, non admodum denſus, ſed immodicè durus, craſſitudinis nempe ſemidigitalis; is ligno recenter cæſo adeò firmiter hæret ut vix ferro ſeparari queat, progreſſu verò temporis facilè ſejungitur.

Lignum in extremis colore qui in Buxo internè nigreſcente conſpicitur, & meditullium ejus eſt maximum, totúmque adeò lignum ſplendida quadam donatum duritie.

Pinguitudo ejus reſinaceum quid ſpirat, uriturq; odore non inſuavi, & ab accenſo gummi profluit, quod prædurum eſt ubi refrixerit.

Pondus ejus quale nulli præterea ligno; nulla ejus quantumvis minima pars in aqua fluitat, ſed mergitur continuò & ſubſidit, unde lignum eſt fortiſſimum, quod duritie omne robur ſuperat, & idcirco quàm minimè hiat, neq; facilè videas quòd rimas traxerit.

Sapor non ingratus, amarus ſtatim, cum acrimonia miti palatum ac fauces compungens, qui ſemel cognitus nunquam errare ſinit emptorem in cognoſcendo.

Decoctum ejus æſtate ultra tertium diem non perdurat. *Folium* craſſum, parvum, durum, viride, multis venis diſtinctum, quidam Arbuto comparant, alii Buxo; in ramo ſitum habet ex oppoſito alterius, ut in Siliqua vel Lentiſco videre eſt; quaterna vel ſena ad medium nervum adnexa.

Flores multi, quaſi umbellam vel corymbum conſtituentes, pediculis viridibus inſiſtunt pallidè lutei hexapetali, multis è medio ſtaminibus prodeuntibus; in quorum medio rudimentum fructûs Burſam paſtoris effigie refert.

Fructus à quibuſdam Caſtaneis, ab aliis Prunis ſimilis refertur, duobus Lupinis ſibi conjunctis, aliquando etiam tribus, ut Cluſius refert; vel Aceris fructibus, ſed ſine alis conſtat, cordis figuram ele-anter referentibus; leviſſima porro diſtractione unum ab altero, ſicut & Aceris fructus, divi-itur.

Longitudo eſt tranſverſi digiti, latitudo paulò minor; color totius corii caſtaneus aliquantulum orrugatus Pruni inſtar. In conjunctione cum altero fructu membrana eſt, denſitate, odore, duritie erſimilis ei quæ Juglandis ſemen bifariàm dividit. Corium externum corrugatum mollius eſt, in-rnum verò nucis interno putaminum duritie & colore reſpondet.

Nucleus intus concluſus colore & variis venarum ductibus Nuci myriſticæ vel Buxi radici admo-m ſimilis. Hunc ſi diu in ore volvas pulpam quandam abradis quæ acrimoniam manifeſtam linguæ imprimit, & nucleus in recenti fructu manet coloris caſtanei, in aliis verò omnino niger.

Nucleum ſi ſecundùm longitudinem findas, duritiem Dactylorum offendes, totúmq; oſſeum, flavum in recente, cinereum in obſoleto. Albæ autem lineæ tranſverſim parallelæ totum pertranſeunt, ut admodum eleganter Lyncurium ſive Belemnitem radiis & ſplendore referat.

In medio ejus concavitas eſt longa à ſummo ad imum pertingens, ſed ſine ulla ferè latitudine, qualis in Euonymo etiam conſpicitur, ubi ſeminis duo ovalia ſed plana, viridia quaſi foliola ſejuncta in ſummo uniuntur, eóſque extrorſum versùs componunt, ad modum planè Euonymi, niſi quòd cor in Euonymo versùs pediculum ſit conſtitutum.

Locus. Creſcit hæc arbor in Hiſpaniola, Jamayca, & in Continentis regione *Nagrando* dicta tantâ copiâ ut numero ſuperent Pinus Hiſpaniæ.

2. ***Guaiacum propemodum ſine matrice*** C. B. ***Lignum Sanctum*** Terrentio *& aliis.* *Guaiaci genus alterum, quod Lignum Sanctum, illo præſtantius, & ex inſula S. Joannis de portu divite affertur, quo maximè utuntur.* Monard.

Arbor eſt admodum ſimilis Guaiaco, ſed minor, magnitudine Populi, ſtipitibus magis ſpinoſis: cortex magis quàm Guaiaci puſtuloſus, cætera ſimilis, cinereus maculiſq; conſperſus, intrinſecùs verò obſcurè rubet, & in recenti ligno etiam facilè ſeparatur.

Lignum à Guaiaco differt meditullio, quod in hoc eſt parvum & in ramis nullum. Ipſius ligni color magis albicat, & ad luteum quendam colorem vergit; meditullium porrò nigrum ad viride inclinat evidenter, imò cyaneum eſt in viridi.

Tractanti nullus odor occurrit, æmulatur tamen Guaiaci odorem, ut in decocto & oleo ejus deſtillato patet, qui tamen in integro non percipitur, adeò terreis partibus permixta eſt, ut nè ab inflammato quidem niſi parum admodum defluat, cùm tamen per deſtillationem plus det quàm à Guaiaco extrahatur.

Pondus Guaiaco idem eſt, æquè enim citò in aqua ſubſidit.

Sapor amarus, ſed acrimonia longè major & evidentior, adeò ut amaritudo ab hac oppreſſa non ſtatim percipiatur, ideóque Piperis inſtar fauces pungit, mordicat, & pulvis ejus naribus inditus ſternutamenta ciet, unde longè ab incolis ob vires Guaiaco præfertur tum in curanda Lue Venerea, tum in multis aliis morbis, quamvis immoderato uſu nimium calefaciat. Decoctum ejus & amarius eſt & magis odorum quàm Guaiaci, & intenſiùs flavet.

Folia exigua, Rutaceis paulò majora, Lentiſci modo bina ex adverſo poſita & ità ordinata ſunt, ut nullum ſit impar in extremo.

Flos Vincæ-pervincæ admodum ſimilis eſt colore & figura, ſed ſine aliqua longitudine, ejúſq; foliola quaſi duplicata ſibi ſuperpoſita apparent.

Naſcitur copioſè in inſulâ S. Joannis de *portu ricco.* J. Terrentius arbores haſce ſpecie differre concludit, licet genere proximo conveniant.

Notat C. Bauhinus hoc genus in plura alia genera dividi, eò quòd non unum colorem habeat; quoddam enim nigricat, quoddam etiam ſpadiceo colore flaveſcit, quoddam præterea omnes iſtos colores diſcretos habet: Quare Manardus & ex eo Matthiolus tria genera notârunt, quæ licet colore, magnitudine & pondere inter ſe diſcrepent, unius tamen eſſe arboris, contra quàm Fallopius credidit. Matthiolus ſtatuit; & cauſam refert in ligni maturitatem, quo enim maturiùs eò nigrius, & quanto minùs adoleverit tanto magis albicare aſſerit. Probatur maximè quod ruffum, ſpadiceum, flavum, lividúmque colores ſimul mixtos habet.

Vires. In lue Venerea curanda nullum eſt medicamentum decocto Guaiaci præſtantius aut certius. Nam ſi ut decet procedat curatio, ſuóque tempore decoctum illud propinetur, certiſſimum eſt huic morbo ſanitatem perfectam adferri; nec recidivam pati qui ſimili lue laborabat, modò in idem cœnum ſe non provolvat denuo.

Convenit item hydropicis, aſthmaticis, epilepticis, morbis veſicæ & renum, doloribus juncturarum, omnibus morbis ab humoribus frigidis & flatibus procedentibus & diuturnis, quibus inutilia fuerunt ordinaria medicamenta, præſertim ſi morbum Gallicum ſubſequantur. *Monard.*

Uſum decocti in curanda L. V. Hiſpani ab Indis edocti ſunt. Magnis doloribus morbi Gallici (quem ab Inda muliere contraxerat) Hiſpanus quidam torquebatur: ejus famulus Indus, in illa provincia medicum agens, aquam Guaiaci propinavit, quâ non ſolùm magnis illis cruciatibus liberavit, ſed priſtinæ ſanitati eum reſtituit. Hujus exemplo plurimi alii Hiſpani ſimili morbo infecti curati ſunt. Unde brevi per totam Hiſpaniam & univerſam orbem ejuſmodi cura evulgata eſt.

Morbus iſte Indiæ Occidentali familiariſſimus & endemius in hunc modum in Europam propagatus fertur.

Anno 1493. eo bello quod Neapoli geſtum eſt à Rege Hiſpaniæ adversùs Regem Galliæ cognomento magno capite *Chriſtoph. Columbus*, ex prima illa profectione, quam Novi Orbis inquirendi causâ ſuſceperat, rediit, & detectis S. Dominici aliiſque inſulis, indè Neapolin (ubi tum Rex Catholicus erat pace cum Gallo facta) viros & mulieres deduxit. Commeantibus ultro citróque exercitibus, Hiſpani primùm cum Indicis mulieribus, & Indi cum Hiſpanicis conſuetudinem habuerunt: deinde in Italos & Germanos ſerpſit hoc malum; poſtremò etiam ad Gallos & ſic per univerſum orbem.

Initio varia ſortitus eſt nomina, Hiſpani putantes ſe à Gallis contagium hauſiſſe Gallicum morbum nuncupârunt; *Galli* exiſtimantes ſe Neapoli eum conſecutos Neapolitanum vocârunt; Germani ab Hiſpanorum contubernio hanc ſcabiem ad ſe manâſſe videntes ſcabiem Hiſpanicam appellârunt. Alii rectiſſimo nomine Serpiginem Indicam eum vocârunt, inde enim prima hujus mali origo. Fruſtra etiam de cauſa & origine hujus morbi à medicis tunc temporis diſceptatum eſt.

Decoctum parandi modum & methodum eo utendi ad morbi hujus curationem non pigebit è Monardis hiſtoria huc tranſcribere.

Ligni minutim conciſi aut ejus ſcobis ℥ xij. corticis ejuſdem Ligni contuſi ℥ ij. in ſex aquæ ſextariis macerantur fictili novo, aliquantulum capaciore, 24 horarum ſpatio: fictili bene obturato lento & luculento igne coquantur ad quatuor aquæ ſextariorum conſumptionem. Cocta aqua refrigeratur, colatur, & fictili novo aſſervatur. Statim ſupra idem lignum quod decoctum fuerat injiciantur denuo octo alii aquæ ſextarii, coquantúrque ad duorum conſumptionem: coletur hæc aqua, & ſeorſim aſſervetur. Sumitur autem hoc modo.

Infirmus purgato corpore ex medici conſilio cubiculum deligit apricum, quo neque aer, neque frigus penetrare poteſt. Lectum ingreſſus diluculo aquæ prioris calidæ ℥ x. ſumat, & egregiè operiatur ut ſudare poſſit duarum horarum ſpatio: deinde ſudore abſterſo linteamina mutet, & induſium calefactum induat: quatuor deinde poſt horis uvæ paſſæ illi dabuntur & Amygdalæ, paníſque biſcoctus, neque affluenter, neque parcè, & de aqua ſecunda bibet quantum ſatis erit, etiam interdiu. Octo horis poſtquam comederit ex priore aqua calente denuo uncias decem hauriat, ſudabit item duabus horis & à ſudore uti ſuperiùs mundabitur. Unâ poſt ſudorem horâ de iiſdem paſſis, Amygdalis & pane biſcocto cœnabit, & ex aqua ſecunda bibet. Servabitur hic ordo quindecim diebus prioribus niſi vires nimium collabantur, quia eo caſu etiam præter ſupradicta pullus gallinaceus aſſus concedetur. In minùs robuſtis, qui extremam illam victûs rationem ferre nequeunt novem dies ſufficient, quibus elapſis pullus exiguus aſſus ſimiliter concedetur. Si verò æger adeò tenui eſt valetudine, ut prædictam iſtam victûs rationem nullo modo ferre poſſit, ab initio pullus gallinaceus exiguus illi dabitur, cibi quantitatem ſenſim augendo. Elapſis 15 diebus, 16^to^ purgabitur ʒ x. pulpæ Caſſiæ fiſtulæ per cribrum tranſmiſſæ, aut alio ſimili medicamento, & eo die tenuiorem aquam ſive ſecundæ decoctionis bibet: 17. die ad priorem ordinem redibit, ſumétque manè & veſperi aquam prioris decoctionis, ſudabit, eâdémque victûs ratione utetur, niſi quòd pulli loco dimidiam gallinam edere poterit, & ſub finem diætæ aliquanto plus; eámque victûs rationem ad vigeſimum uſque diem producet, quo tempore per cubiculum veſtitus & bene amictus ambulare poterit. Quibus elapſis denuò purgabitur, & per alios 40 dies aquam bibet, ſelectiſſimam victûs rationem obſervando in rebus non naturalibus, mulieribus abſtinendo & vino, cujus loco ſimplicem ejuſdem ligni aquam, aut ſi eam faſtidiat aquam in qua Aniſum & Fœniculum decocta ſunt bibet, erítque cœna ſobria & ſine carnibus. Hæc, inquit, methodus Luem cujuſcunque ſit generis radicitus extirpat. Alii aliter ſentiunt, neque hanc peſtem abſque ope Hydrargyri extirpari poſſe affirmant, ſi penitius radices egerit.

Cæterum de præparatione Decocti Guaiaci ejúſque utendi ratione in curanda Lue Venerea conſulantur Fernelius aliíque medici.

C. Bauhinus Guaiacum cujus ramulum cum floribus & fructibus pingit Cluſius notis ad Monardem à duobus prædictis diſtinctum facit, & titulo Guaiaci foliis Lentiſci proponit: quàm rectè ipſe viderit.

Palmæ ſanctæ ſimilis arbor J. B. *Guaiaco occiduo ſimilis arbor* Park.

Hujus ſurculi quos habuit Lobelius rami erant arboris grandioris, recti, cortice arboris Judæ, folio Citri, carnoſo, nudo, Lauro latiore, breviore, nervoſo, horum in ſummis hærent folliculi pallidi; co- iacei, circinatæ rotunditatis, admodum compreſſi, nummo Coronæ Gallicæ pares; quorum medio nſunt ſemina Lentis effigie & colore, compreſſiora, guſtu amaricante.

Hanc C. Bauhinus Guaiaci ſui ſecundi ſeu Guaiaci propemodum ſine matrice ſynonymam facit. Q. an rectè.

Palum ſanctum Indiæ Occiduæ Ad. Lob. Park. *Guaiacum Orientale* C. B.

Species eſt hæc à Guaiaco diverſa, quamvis ſimilis, nempe non vaſta ut Fraxinus, ſed minor & concolor cortice: folia cujuſmodi Plantago, ſed craſſiora, minora, pinguiora, breviora: fructus glandis magnitudine, alvo ſubducendæ idoneus.

Cap. XVII.

Andira vulgò Angelyn Piſonis Marcgrav. *Arbor nucifera Braſilienſis, fructu ovi figura & magnitudine. Piſo.*

DUæ ſpecies ſub nomine *Angelyn* in nemoribus conſpiciuntur. Utraque externa facie inter ſe ſimiles, ſed interna qualitate multùm differentes, quæ facilè utique dignoſcuntur, quòd alterius cortex, lignum, & fructus amariſſimi ſint, inſtar Aloes; altera major nullius ma- feſti ſit ſaporis, ex cujus fructibus feræ pingueſcunt. Utraque ligno eſt duro, & ad ædes fabricandas o, utraque cortice cinereo, foliis Lauri ſimilibus, ſed minoribus, oculis ſeu gemmis nigricantibus, uibus plurimi *flores* fragrantes, copulati, purpureo & cœruleo colore inſignes, prorumpunt. Fru- m profert ovi figurâ & magnitudine [figurâ Juglandis, ovi gallinacei magnitudine Marcgr.] mò ſaturatè viridem, ſed mox nigreſcentem, qui uno latere quaſi ſaturam monſtrat.

racto duro putamine nucleus apparet ex albo flaveſcens, amaricantis & ingrati ſaporis cum ad- ctione quadam, cujus pulvis ventris lumbricos expugnat, eâ tamen cautione, ut infra ſcrupuli dus exhibeatur, nè medicamentum in venenum abeat. *Vires.*

SECTIO SECUNDA.

De Arboribus Fructu ſicco Bacciferis.

CAP. I.

De Lauro.

LAurus, unde Laurea (inquit Voſſius) Græcum videri poſſet. Nam apud Heſychium legas Λαῦεγν τὴν δάφνην. Sed ſi à Græcis, potiùs putem eſſe à Pergæa voce λάφνη, quæ idem ſignabat, Heſych. Λάφνη δάφνη· Περγαῖοι. Sin Latinis originem debet, fortaſſe erat à *lavo*, id eſt, *purgo*, nam *ſanguinis purgendi habet poteſtatem*. Vel, ſi Veteres potiùs audiendi, priùs fuit *laudus*, eſtque id à laude. Servius ad Eclog. 8. *Cur tamen triumphantes Lauro coronantur hæc ratio eſt, quoniam apud Veteres à laude habuit nomen, nam Laudum dicebant.* Nec tantùm *laudum* pro *lauro*, ſed & pro *laurea* olim *laudeam* vel *ludeam* dixerunt.

Δάφνη Etymologo quaſi διαφώνη dicitur, hoc eſt ἐν τῷ δαίεσθαι φωνοῦσα, quia nempe ἠχεῖ καιομένη, quod Etymon non improbat Voſſius, apud quem plura vide.

Laurus Ger. J. B. *vulgaris* C. B. *major ſive latifolia* Park. *an minor* ejuſdem? The common Bay-tree.

J. B.

Laurus plerumque multis ſtolonibus luxuriat, vel mediocris arboris altitudinem aſſecuta; alioqui in juſtæ magnitudinis arborem excreſcit, præſertim regionibus calidioribus, caudice enodi, cortice tenui, materiâ rarâ, nec multùm validâ. *Radices* habet craſſas, inæquales & obliquas. Cæterùm perpetui viroris eſt, nitidi in junioribus, in adultioribus ſaturatioris. *Folia* ei oblonga, dura, acuminata, ſed mucrone aliàs acutiore, aliàs obtuſiore, ſeſcunciam aut duas uncias lata, palmo longiora, versùs pediculum & mucronem paulatim anguſtiora reddita, quæ ſecundùm longitudinem percurrit coſta recta, obliquos in margines nullo ordine nervos exporrigens: ſapor acer, aromaticus & ſubamarus. Adhærent autem folia ramis viridantibus brevi pediculo. *Flores* ſecundùm ramos exeunt conferti, hederaceis quadantenus ſimiles, majores, albi [Lobelio flaveſcentes] multis in medio apicibus: quibus ſuccedunt baccæ, Ceraſiis minoribus pares, oblongæ, colore primùm viridi, *ubi maturuerint* nigræ, quæ ſub cortice tenui nucleum bifidum calloſum ac durum, cum aliqua acrimonia amarum ac pinguem claudunt.

Laurus (inquit C. Bauhinus) quædam floret tantùm, flore copioſo, racemoſo, (uvam Theophraſtus vocat) & fructum non fert; alia fructum fert, in quo etiam differentia: alterius in rotundo modicè oblongus eſt: alterius oblongus, gracilis, & utrinque ovato mucrone turbinatus. Laurum fulmine non ici veteribus perſuaſum fuit. Hinc Tiberius Imp. qui tonitrua præter modum expavit & exhorruit, tonante cœlo, contra fulminum metus, nunquam non Lauream coronam capite geſtavit. Verùm quàm hoc falſum & ſuperſtitioſa credulitate fundatum experientia quam adfert Lacuna, elegantiſſimæ Lauri Romæ in palatio Ducis de Caſtro fulmine ictæ luculenter oſtendit.

Eadem ſuperſtitione nititur obſervatio illa de crepitu quem folia & virgæ Lauri inter urendum edunt. Nam ſi crepuiſſent abunde ac ſonantiùs haud dubiè portendi felicem eventum rebantur; quòd ſi tacita deflagrâſſent, triſtem & inauſpicatum.

Laurum Apollini ſacram inde fabulantur poetæ quòd virgo Daphne quam deperibat in hanc arborem converſa eſt. Vide Ovid. Metamorph. 1.

Triumphantes apud Romanos coronam Lauream geſtabant, vel Lauri ramum dextrâ tenebant. Sed & aliter præterquam in triumphis etiam victoriæ nuncia fuit Laurus: nam & tabernacula, & faſces, & literæ, & naves militúmque jacula, lanceæ, pila Lauro in eam ſignificationem adornata ſunt, ut & Plinius affirmat, & Ebrodunenſis hiſtoriæ auctores adductis exemplis oſtendunt.

Laurus cœli frigidioris impatiens eſt, minùs tamen quàm Myrtus. In Germania, Anglia, Gallia & Belgio nonniſi ſata & diligenter culta provenit. Quòd ſi in Germania hyeme tegenda & hypocauſto reſervanda eſt, rectè ſcribit Turnerus in Anglia feliciùs adoleſcere, viveréque quàm in Germania; apud nos enim eam curam & tutelam non requirit, ſed intecta & ſub dio relicta hyemem, niſi præter ſolitum aſpera ſit, facile tolerat. Quod ſi quando frigore peruſta & corrupta fi à radice denuo repullulat.

Locus. In Italia ſpontaneam obſervavimus non infrequentem in ſylvis & ſepibus. In monte Atho ingentes & præaltæ Lauri ſpontaneè naſcentes ardorem Solis omni tempore reprimunt, teſte Bellonio, qui quinque ſpecies in Græcia notavit: quem conſule pro uſu olei baccarum apud Monachos.

Tempus. Floret Martio & Aprili. Baccæ maturantur ſub finem Autumni cum Olivis, & niſi decerpan per totam hyemem ad ver uſque in arbore hærent.

Vires. Laurus excalefactoriam [emollientémque *Dioſc.* deſiccantem *Gal.*] naturam habet, & foliis, & cortice, & baccis. Itaque decoctum ex his, maximè è foliis, inſeſſu vulvæ ac veſicæ vitiis conveni Virentia folia trita & illita veſparum, crabronúmque ac apum, item ſerpentum venenis reſiſtun maximè Sepis, Dipſadis & Viperæ. [Proſunt & menſibus fœminarum cum oleo cocta *Plin.*] cu polenta autem quæ tenera ſunt trita ad inflammationes oculorum, cum Ruta teſtium, cum Ros co ceo capitis dolores, aut cum Irino. *Non temere utendum foliis Lauri exiſtimat* J. B. *in inflammationibus oculorum & teſtium, aut etiam in capitis doloribus, pro* inflammationibus *ergo* inflationes *legi mallet.* Eadem proſunt ſuſpiriis trita cum melle. Cortex radicis cavendus gravidis. Ipſa radix calculos rumpit, jecinori prodeſt tribus obolis in vino odorato pota. Folia verò pota ſtomachum gravant, & vomitiones movent. In Græco Dioſcor. legitur πραΰνει τὸν στόμαχον, id eſt, mitigat, pro quo legit Cornar. βαρύνει, i. e. gravat. Sanè in alterutro membro clauſulæ errorem ſubeſſe oſtendit eorum inter ſe repugnantia. Verùm is J.B. judicio, non in primo, ſed potiùs in poſtremo. Certum enim, inquit, eſt tum experientia, tum ex Galeno, Laurum aromaticam eſſe totam, & amaricantem cum nonnulla adſtrictione, hepati amicam, qualia ventriculum tantum abeſt ut ſubvertant, ut nauſeabundum corroborent potiùs: hinc Lauri folia à Recentioribus non rarò cum nonnullis cibariis, præſertim piſcibus coquuntur: nec ulla inde nauſea accedit, ſed cibus iſtis conditus ſapidior ac ventriculo gratior redditur; unde κινεῖ vocem in textum irrepſiſſe & expungendam eſſe, Plinium autem corrupto codice uſum exiſtimat. Verùm nos Plinium Dioſcoridi ſaltem coævum, ſi non antiquiorem, alibi ex Salmaſio oſtendimus; proinde Plinium & Dioſcoridem ex alio antiquiore autore quæ eadem habent exſcripſiſſe, ideóque cùm in facultate illa vomitus movendi Plinius & Dioſcorides conſentiant, poſterius clauſulæ membrum proculdubio ſanum eſt, prius corruptum & per illud emendandum, ut recte fecit Cornarius: ſive verùm ſit folia vomitum movere, ſive id res vera refutet. Caſp. Hofmannus propoſita quæſtione, conferántne an lædant ventriculum, reſpondet, Tot autoritates faciunt, ut credam hoc poſterius potiús. Ideò cum Marc. Vergil. & Cornario pro πραΰνει apud Dioſcoridem lego βαρύνει. Pergunt Dioſc. & Plin.

Baccæ magis quàm folia calefaciunt, menſes trahunt appoſitæ tritæ, vel potæ. In eclegmate tritæ cùm melle aut paſſo proſunt tabi, orthopnœæ & pectoris rheumatiſmis; tuſſi veteri detracto cortice in vino potæ: nam & concoquunt Pituitam & extrahunt *Plin.* Noſtra ætas non ad pulmonis & pectoris morbos baccis utitur, ſed ad ventriculi, jecinoris, lienis & veſicæ affectus tum baccas tum folia exhibet: refrigeratum ventriculum concalfaciunt; concoctionem crudorum humorum promovent, languentem appetitum excitant, cibi faſtidium pellunt; jecinoris ac lienis obſtructiones aperiunt, urinas cient, menſes movent, & ad ſecundarum expulſionem faciunt. *J. B.* Ad juvandum partum deglutiantur ſeptem baccæ Lauri ante ſomnum. *Cheſneau.* Contra ſcorpionum ictus ex vino bibuntur, & vitiligines emaculant: [Addit Plinius, Epinyctidas ex oleo illitæ, & lentigines & ulcera manantia & ulcera oris, & furfures. Cutis pruriginem ſuccus baccarum emendat & phthiriaſin.] Expreſſus ex iis ſuccus aurium doloribus auditûſque gravitati auxiliatur cum vino vetere & roſaceo inſtillatus. [Perunctos eo fugiunt venenata omnia. Prodeſt contra ictus & potus baccæ cum vino ſerpentibus & ſcorpionibus & araneis reſiſtunt. Ex oleo & aceto illinuntur & lieni & jecinori, gangrænis cum melle. Et in fatigatione etiam aut perfrictione ſucco eo perungi nitro adjecto prodeſt. Sunt qui celeritati partûs multum conferre putant radicem acetabuli menſura in aqua potam, efficaciùs recentem quàm aridam] Dioſcoridi cortex radicis calculos rumpit, partus necat & hepaticis prodeſt tribus obolis in vino odorato potus. [In remedio uvæ jacentis quadrantem pondo baccarum foliorúmve decoqui in aquæ ſextariis tribus ad tertias, eámque calidam gargarizare convenit.]

Laurus folia trita olfactáque ſubinde peſtilentiæ contagia prohibent, tantò magis ſi & urantur. Hinc Commodus Imperator, Herodiano tradente, tempore peſtis, conſulentibus medicis, ad loca Lauris abundantia laureatus ſeceſſit. Herbæ enim perpetuò virentes, autoribus S. *Grembs*, *Cardilucio* aliiſque Helmontianis, ſunt peſtis alexiteria, corruptioni reſiſtunt, ſéque defendunt contra æſtum & frigus, unde nobis planè ſignavit Deus, illas plantas perennes ſemper eſſe ad manum pro quotidiano uſu generis humani, continent enim in ſe balſamum, omnis corruptionis propugnatorem.

Adversùs boum coriaginem, tradente Colum. proderit Laurum decoquere, & eâ calidâ terga fovere, multóque oleo & vino confeſtim ſubigere, atque per omnes partes apprehendere & attrahere pellem; ídque optimè ſub dio Sole fervente.

Medicamenta varia ad Lachrymas Oculorum, Ambuſtionem, Aurium gravitatem & ſonos, Colicam, Uvulæ relaxationem, urinæ retentionem, partum facilitandum, capitis dolorem, hemicraniam, è baccis aut foliis Lauri parata vide apud J. Bauhinum Hiſt. plant. lib. 4. c. 1. p. 414.

Olei Laurini multiplicis mentio fit à Veteribus & Recentioribus. Aliud è baccis recentibus contuſis exprimitur, aliud è baccis contuſis vel etiam integris, in aqua fervente bullitis: oleum aquæ ſupernatans in vaſa colligitur. Aliud per deſtillationem elicitur ſic, ℞ Bacc. ℔ij. contuſis ſuper affunde aquæ tepidæ ℔iij. vel iv. Poſtquam aliquandiu ſteterint deſtilla per Alembicum vel Veſicam. Sic prodibunt oleum & aqua per tritorium ſeparanda.

Dicitur etiam oleum Laurinum quod fit è foliis aut baccis Lauri in oleo omphacino decoctis.

Oleo Laurino vis ineſt excalfaciendi, emolliendi, ſpiracula venarum aperiendi, & laſſitudines diſcutiendi. Quin & malis nervorum omnibus, doloribus aurium ac deſtillationibus confert: renum verò vitio ex frigore contracto laborantibus illitum eſt præſtantiſſimum, & maximè ſiquid aliud utile. Ob vim ejus excalfactoriam Paralyſi, Spaſmo, iſchiadicis ſugillatis, capitis doloribus inveteratis, deſtillationibus, auribus in calyce Punici calefactum illinitur. Colo dolenti clyſtere infuſum mirè prodeſt, ut & horrori febrili. Verùm in calidis & bilioſis temperaturis ab eo abſtinendum. Vermes & pediculos tam agreſtes, quàm domeſticos & lendes enecat [*Imò hoc facit oleum quodcunque*] In genere utile eſt in affectibus frigidis maxime exteriùs illitum; intus ſumptum nauſeam movet.

Schroderus de oleo ſtillat. hæc habet. Diſcutit inſigniter flatus & ventoſitates, præcipuè in ſpaſmis gravidarum, ut & in colica. Siderata membra illitu reſtituit, auribus inditum dolores compeſcit, auditúmque confortat, delet impetigines, lentigines & quaſcunque faciei maculas. Denique choroſis capitis doloribus medetur: phthiriaſin & tineas curat.

Emplaſtrum Laurinum ad Hydropen, ad dolores à flatibus aut cauſa frigida ortos, dolorémque olicum utile eſt.

Electuarium etiam de baccis Lauri flatus diſſipat.

Si Lauri exſiccatæ ramus ramo frequenter confricetur, ſuperaſperſo ſulphuris pulvere ignis ſtatim exſiliet; quod mirum, cùm Lauri lignum leve & ſpongioſum ſit. Sed nihil Hedera præſtantius quæ teratur, quæ terat Lauro. *Plin.* cùm attritio utriuſque ſit, quæ teratur, quæ terat perinde eſt, ut nobis quidem videtur.

In Catalogo Horti Academici Lugduno-Batavi à D. Hermanno edito has Lauri ſpecies ſeu varietates invenio.

1. Laurus Indica *Aldini.* Laurus Regia *Hort. Regii Pariſ.* Hanc nonnulli Perſeæ arbori Cluſ. eandem eſſe volunt. Laurus cujus cortex Caſſiæ ligneæ aſſimilatur *Park.*

2. Laurus latifolia, πλατυτέρα Dioſcor. *C. B.*

3. Laurus vulgaris *C. B.* & aliorum.

4. Laur. vulgar. folio undulato *Hort. Reg. Par.*

5. Laur. tenuifol. mas *Tab.*

In Tho. Bartholini Act. Medic. Ann. 1673. Inter Plantas à M. Stolle Hafniam allatus à Promont. Bonæ Spei invenio.

Laurum Africanam ſerratis foliis: cujus folium Londino ad me miſit *D. Tancr. Robinſon.* Erat id pro magnitudine anguſtius & longius Lauri vulgaris folio. Ramulum etiam ejuſdem habeo ex munere *D. Pettiver.* An Euonymo affinis Æthiopica ſemper virens fructu globoſo ſcabro, foliis Salicis rigidis ſerratis *Herman.* H. Leyd. Lauro ſerratæ odoratæ Stapelianæ ſimilis inodora Cap. Bon. Spei *Breyn.*

6. Bod. à Stapel habet Laurum ſerratam odoratam.

Alia ſpecies Lauri invenitur in Horto inſtructiſſimo Reverendiſſimi Epiſcopi Londinenſis D. H. *Compton,* ſub nomine Lauri Tulipiferæ baccis calyculatis, quam ingenioſiſſimus Vir *D. Baniſter* tranſmiſit è Virginiâ, folia ei integra, non tam viridia & craſſa quàm Lauro-ceraſo.

CAP. II.

Laurus Sylveſtres ſeu Laurus-tini.

1. *Laurus Sylveſtris Corni fœminæ foliis ſubhirſutis* C. B. *L. Tinus Luſitanica cæruleâ bacca* Park. *Lauri Tini ſylveſtris primum genus* J. B. *Tinus* 1. Cluſ.

Cluſ.

MAgnitudine Cornum fœminam æquat, virgáſque habet oblongas, quadrangulas, ramoſas; *Folia* ordine diſtincta, perpetuò gemina ſimul inter ſe adverſa, magna, lata, Cornus fœminæ foliis pæne ſimilia, ad Laurina tamen accedentia, perpetua, nigricantia & ſplendentia, nullo odore & amaro ſapore prædita cum nonnulla adſtrictione. Summis ramis *Florum* pentapetalorum umbellas profert, candidorum & odoratorum. Deinde *fructus* ſuccedit Myrti baccis paulò longior, planior, anguloſus, cærulei coloris elegantiſſimi.

Locus. Naſcitur præruptis & lapidoſis locis inter alios frutices, & in ſepibus circa oppida Luſitaniæ *Montemor ho novo* & *Tomar,* ubi cum ſuo flore & fructu collegit Cluſius menſe Novembri, tametſi aliàs Julio & Auguſto floreat, fructus Octobri maturus ſit.

2. *Laurus Sylveſtris foliis venoſis* C. B. *Tinus* II. Cluſ. *Laurus Tinus alter vel* 2. *Cluſii* Park. *Tinus altera* J. B.

Cluſ.

Eadem quæ ſuperior altitudine aſſurgit, frequentioribus & firmioribus ramis, cortice ex rubro vireſcente tectis: circa quos *folia* ſuperiore aliquantulum anguſtiora & oblongiora; pluribus venis diſtincta ſibi invicem oppoſita ut in priore. *Flores* extremis ramis etiam umbellatim naſcuntur, colore nonnihil foràs purpuraſcente, minùs odorati quàm ſuperioris: fructus etiam minor eſt, plenior, nigrior.

Locus. Uno duntaxat loco in Luſitania quodam monaſterio *Pera-longa* dicto locis incultis ſupra Ulyſſiponem recens extructo obſervavit Cluſius ſecundùm piſcinas & deinde Bæticæ maritimis. Hujus iconem habet Gerardus ſub Titulo Lauri Tini Luſitanicæ. Lauri-Tini fructum eſſe ſiccum, Monococcum & umbilicatum obſervavit *D. Sam. Doody*: ideoque ad bacciferas umbilicatas fructu ſicco referenda.

3. *Laurus ſylveſtris folio minore* C. B. *L. Tinus ſylveſtris alter ſive tertius* Park. *Tinus* III. Cluſ. J. B.

Cluſ.

Arbuſculæ magnitudine, minore eſt folio quàm ſuperiores, Laurino tamen latiore, lævi, nigricante, perpetuo, ramos ordine quodam per intervalla ambiente, ut in ſuperioribus generibus. Umbellæ florum nonnihil foras purpuraſcentium ſummos ramos coronant; deinde fructus ex cæruleo nigricans, lævis, minor quam in aliis. Bis plerumque floret, Vere & ſub hyemem.

Locus. In Italia circa Romam, Tybur & alibi frequens oritur. Obſervavimus etiam in Sylva Valena prope Monſpelium. Ego cum J. B. ſentio hanc ſpeciem eſſe quam Lobelius in Adv. Laurum Tinum cæruleâ baccâ vocat, & in Valenæ nemore Norbonæ plurimam, & pleriſque locis Ceti montis inter Cocciferas Ilices frequentem naſci ſcribit: quamvis C. Bauhinus & P. Magnol ad primum genus illam referant.

Vires. Baccæ deguſtatæ non ſecus ac Mezereonis aut Laureolæ os & fauces inflammant, eo ardore & vehementia, ut nonniſi diuturno tempore aut lacte in ore detento leniri & mitigari poſſit: intro aſſumptæ purgant deorſum non lævi totius corporis perturbatione, auctore Parkinſono. Unde miror Lobelium ſcribere ſturnos iiſdem valdè quàm libenter veſci, turmatímque ad illas convolare.

4. *Laurus Sylveſtris Cretica* Alpin. Exot. Park.

Naſcitur in montanis Cretæ inſulæ, pumila, fruticoſa, ferens virgas oblongas, graciles, nigro cortice obductas, denſis veluti nodulis inæqualiter utrinque & in medio poſitis inſectas, ligno albo, duro, feréque guſtu inſipido præditas, utrinque ramulos producentes, breves, virgis planè ſimiles, at graciliores, in quorum cacuminibus ſpectantur *folia* Lauri Sylveſtris figurâ, colore, craſſitie atque duritie ſimilia, ſed paulò minora, in acutúmque deſinentia, pediculis brevibus inhærentia, numero quinque aut ſex, aut plura etiam ſimul in ramulorum cymis inordinatim poſita, ferè omnino inodora, linguam excalefacientia cum levi adſtrictione. Singuli verò ramuli habent unum aut duos aut tres breviſſimos cauliculos, ſubtiles, duros, lignoſos, tribus vel quinque pediculis minimis præditos, ſingulis *fructum* rotundum ferentibus, Piperis magnitudine, in tres partes Lathyridis modo diſſectum, cortice tenui, rufo veſtitum, cujus quælibet pars continet ſemen unicum albicans, oblongum, magnitudine & figurâ Tritico valde ſimile, ſubſtantia fragili, non expers odoris gravis, guſtu amareſcens atque linguam excalfaciens. Ex foliorum, virgarum & quadantenus etiam fructuum cum Lauro Tino ſimilitudine, Laurum Tinum ſeu ſylveſtrem meritò vocandum cenſuit Proſp. Alpinus. Uſus in medicina nullus hactenus compertus. Conjecturas Alpini de viribus omitto.

CAP. III.

Coffee Frutex ex cujus Fructu fit Potus.

Bon vel Ban arbor J. B. *item Buna, Bunnu & Bunchos Arabum* ejuſdem. *Bon arbor cum fructu ſuo Buna* Park. *Euonymo ſimilis Ægyptiaca fructu baccis Lauri ſimili* C. B. *male Ægyptiacam, neque enim ſpontanea, neque culta in Ægypto invenitur, ſed in Arabia felice tantùm.* *Bunnu* Rauwolf. *Buna ex qua in Alexandria fit potio* Cluſ.

ARbor hæc (inquit Alpinus) cujus ſemina ex Arabia felice aſportantur, Euonymo ſimilis eſt, foliis craſſioribus, durioribus, viridioribus, perpetuóque virentibus. Nec flores, nec fructus deſcribit. Vidiſſe ſe ait in viridario Halybei Turcæ. Veſlingius cùm in Ægypto eregrinaretur in viridariis quæ ibi accedere licuit arborem hanc non ampliùs conſpexit.

M. *Du Four* Mercator Lugdunenſis qui tractatum de potu **Coffee** edidit, omnium qui de eo ſcripti tant optimum, arborem ſic breviter & imperfectè deſcribit. Ceraſos noſtrates minores proximè fert, tum ramis & foliis, tum magnitudine, ſiquidem Arbuſculæ modum non excedit. Rami us tenues admodum ſunt, folia parva, ſolida ſeu compacta, ſpiſſa, viridia, quæ ſubito decidunt, nde fructus in arbore nudi & ſolibus expoſiti ad perfectam maturitatem reſtant. Qualem ferat flom à nemine traditum invenio.

Fructum ſic deſcribit J. Bauhinus, magnitudine æquat aut certè parùm ſuperat Ricini noſtratis men, olivari figurâ, una parte ſulcatus, vel utraque, cortice exteriore craſſiore, nigricante, inriore tenuiore, & quà nucleum ſpectat rutilo, altera facie cinericea. Utroque cortice detracto ucleum comperimus durum, Dactyli officuli effigie, lacunâ ſecundùm longitudinem ſulcatum, llentis cinerei coloris, ſaporis amaricantis & ingrati. Ab umbilico ad oppoſitum mucronem endit gemina grana.

Rauwolfius fructum hunc in duobus locellis totidem grana flaveſcentia continere ait. Verùm fal eſt, non enim binis locellis diſtinctus eſt hic fructus, nec bina grana aut ſemina continet, ſed um & ſimplex granum ſeu nucleum in binas valvas ſeu lobos, exteriore parte gibba, interiore à committuntur plana, & in medio per longitudinem ſulcatos, ſulci ſeu foſſulæ labris marginiíſve introrſum convolutis, ut ſinguli lobi ſeorſim concham Veneream perbellè referant.

Ex his nucleis toſtis, in pulverem redactis & aquâ decoctis tum Arabes, tum Ægyptii quin & rcæ omnes per vaſtum illud imperium potionem parant *Coava* ſeu Coffee dictum, colore num, non tamen, ut vult Rauwolfius, atramenti inſtar nigerrimum, quem pitiſſando ſorbillant teſtis & porcellanis quàm poſſunt calidiſſimum, ſive inquit * Veſlingius, otii ſui oblectamenn, ſive bonæ valetudinis firmamentum quærant. Venditúrque hic potus in publicis tabernis, arum aliquot mille, eodem teſte, in una urbe Cayro habentur.

** Annotat. in Alpini lib. de Pl. Ægypt. c. 15.*

Vires,

Utuntur autem hoc decocto, Alpino autore, ad roborandum ventriculum frigidiorem, adjuvanmque concoctionem, & non minùs ad auferendas à viſceribus obſtructiones, inque tumoribus patis & lienis frigidis, & antiquis obſtructionibus. Uterum etiam excalfacit & ab obſtructione rat; unde in familiari uſu eſt apud omnes Ægyptias Arabáſque mulieres; ut ſemper dum flumenſes, ipſorum vacuationem, hujus decocti ferventis multum paullatim ſorbillantes adjuvent: promovendos etiam in quibus ſuppreſſi ſunt uſus hujus decocti, purgato corpore, multis diebus s eſt.

otus *Coffee* celebratur maximè vi antihypnotica, ut nemo ferè ſit ex ejus potatoribus qui virtuejus in ſomno abigendo ſatis efficacem in ſeipſo non ſit expertus. Hujus phænomeni ætioam quam reddit Clariſſ. Williſius, quoniam non uſque quaque mihi ſatisfacit, * apud ipſum reendum omitto. Quæ de ejus uſu obſervavit & præcepit adſcribam. Hic potus communiſſimo in uſu, ac in quibuſdam caſibus apprimè utilis & valdè medicus ſit, in aliis tamen forſan noaut minùs ſalutaris exiſtit. Nam ex vulgari obſervatione *Coffee* potatores nimii macilenti ſæpenumero,

** Pharmaceut. ration. Part. 1. Sect. 7. c. 3.*

numero, item paralyſi & Veneris impotentiæ obnoxii evadant. Prior effectus ità frequens & paſſim notus eſt, ut pluribus *Coffee* potum ideò tantùm interdixerim, quòd ad macilentiam diſponat. Quoad cerebri autem & nervoſi generis affectus, exiſtimo me ad eos interdum curandos hunc potum adeò frequenter præſcribere, ut non alius quiſpiam magis.

Profectò in ægritudinibus & morbis pleriſque cephalicis, viz. Cephalalgia, Vertigine, Lethargo, Catarrho, &c. ubi cum pleno corporis habitu & temperamento frigido aut minùs calido, atque ſanguine aquoſo adſint cerebrum humidius, & ſpirituum Animalium ſegnities ac torpor, potus *Coffee* ſæpè cum fructu ſumitur: nam aſſiduè hauſtus utramque animæ partem mirè clarificat & illuſtrat, atque functionum omnium nebulas diſpellit: verùm è contra qui graciles, & temperamenti bilioſi aut melancholici ſanguinem acrem & retorridum, cerebrum calidius, & ſpiritus animales nimis incitatos & irrequietos habent, à potu iſto prorſus abſtinere debent; utpote qui tum ſpiritus tum humores magis pervertit, & functionibus quibúſque obeundis inhabiles prorſus ſimúlque impares reddit. Obſervavi enim multos ſpirituum copiâ haud ſatis uberi præditos, ac inſuper cephalalgiæ, vertigini, palpitationi cordis obnoxios, artuúmque tremori aut ſtupori, à potu *Coffee* illico deteriùs habuiſſe quoad iſtos affectus, & ſtatim in toto corpore languorem inſolitum perſenſiſſe.

D. *Dufour* jam dictus in tractatu ſuo ſupra laudato de viribus & uſu potus *Coffee* magno cum judicio diſſerit, obſervationes & theorias experimentis inædificans aut confirmans. Utilem præcipuè eſſe oſtendit in digeſtione ciborum prava, appetitu languido, aliiſque viſcerum affectibus, quo in caſu memorabilem inprimis hiſtoriam narrat de ejus effectu in Marchione de Crillon, à quodam Profeſſore Monſpelienſi ſibi communicatam: præterea in Arthritide vaga ſcorbutica, in calculo & arenulis (cui populi Orientales idcirco minùs obnoxii ſunt) in fluxibus quibuſcunque, tuſſi, phthiſi, febribus intermittentibus, cephalalgiis, &c. & in ſingulis iſtis affectibus curationum exempla producit à multis è celeberrimis Europæ medicis ad ſe tranſmiſſa, addit inſuper teſtimonia & ſuffragia concordia D. *Spon*, D. *Thevenot*, D. *Jo. Chardin*, D. *Bernier*, qui in Oriente longè latéq; peregrinati ſunt. Tandem recenſet conſtitutiones corporis quibus minùs utilis aut etiam noxius ſit hic potus.

Cæterùm bonitas Caovæ præcipuè dependet à curioſa & exquiſita toſtione. D. *Bernier* affirmat duos tantùm homines in urbe Cayro fuiſſe qui Caovæ ritè præparandæ artem & myſterium callere reputabantur. Juſtum torrefactionis gradum modúmve pauci nôrunt; ſi vel nimiùm vel parùm torreatur corrumpitur. D. *Dufour* totum proceſſum deſcribit. Adulteratur cruſtis panis aduſtis, fabis toſtis & ſimilibus. Ad Coffeam decoquendam vaſis cupreis aut ſtannejs paſſim utuntur. Opinamur commodiora huic uſui fore figulina; quòd metalla non rarò liquorem ſuis qualitatibus imbuere veriſimile ſit. Obſervat idem *Dufour* mundæ & probæ Caovæ libram unam Lugduni, cautâ in vaſis diligenter occluſis deſtillatione ℥iv ß phlegmatis cum pauco volatili ſpiritu ſeu potiùs ſale admixto reddidiſſe: ℥ij & ʒ v craſſi & nigricantis olei, quod rectificando flavum evaſit: Caput mortuum quatuor circiter uncias pendebat; adeò ut quarta ferè pars inter deſtillandum abſumpta evanuerit, quantumvis vaſa exactè commiſſa & cæmento, ut vocant, inducto clauſa eſſent, argumento non inefficaci Caovam multas particulas egregiè volatiles & penetrativas in ſe continere, quibus ut veriſimile eſt ſomnum arcet. Caput mortuum ſalis fixi drachmam ſuppeditabat. Excerpta hæc è D. *Dufour* tractatu ad me tranſmiſit D. *T. R.*

Muis in Podalirio redivivo p. 57, 58. hæc adfert. Quid ſentiendum de potu *Coffee* & *Tee*? Ego cùm Lugduni Batavorum ſtudiis operam darem, per totum annum Cephalæâ miſerè laboravi, & poſtquam potui copioſiori Teé, & præcipuè quidem *Coffee* quotidie ſumendo aſſuevi, *ſemper immunis ab ea vixi*, non tantùm ſed & ab omni alio incommodo, quamvis antea ità vixerim, ut mortis haberet vices lenta quæ trahebatur mihi vita gementi, qui per totum quinquennium cum longa morborum ſerie acriter conflictavi.

Idem potum Coffæ multùm valere ait in Arthritide fixa.

Idem nonnullos inquit novi meorum familiarium antea haud parum à nephritide cruciatos, qui nullum incommodum indè amplius perſenſerunt, poſtquam potum Coffæ ſatis magnâ copiâ quotidie aſſumpſere. p. 85.

Complures hodiernarum puellarum ad nitorem dentibus conciliandum fricant eoſdem pulvere Coffæ toſtæ. Idem p. 45.

Quidam correptus eſt cholerâ atrociſſimâ, convulſionibus valde dolorificis utriuſque cruris ſtipatâ, ac ab interna cauſa exortâ, quem breviſſimè ac feliciſſimè ſanavi ſolo potu calido Coffæ copioſè aſſumpto, qui retinebatur in ventriculo; tincturâ opii, aquâ menthæ, ſero lactis, Cerevifia, vino per vomitum rurſus ejectis ac fruſtra uſurpatis. Idem p. 130. Communicavit D. *Edv. Hulſe.*

Qualitatum (inquit Veſlingius) quas manifeſtas vocant in hoc fructu harmonia diſpar eſt. Cortex enim frigidi particeps cum exſuperante tamen ſiccitate, nucleus verò moderatè calidus. Ille levi quadam aciditate, hic evidenti amaritudine linguæ ſenſum haud inclementer afficit. Corticis decoctum inter æſtivos ardores rectiùs febricitantibus exhibetur. Noſtrates cortices exemptos antequam nuclei torrefiant rejiciunt, nec ullius eis uſus ſunt.

Arbuſcula hæc in ea duntaxat Arabiæ felicis parte quæ intra Tropicos ſita eſt provenire dicitur: Arabes autem in vegetativa ſeminis vi deſtruenda ſeu coctione ſeu uſtione id fiat, nè alibi ſci. ſatum germinet, admodum diligentes ſunt. Nec ab re ſane; ſiquidem immenſæ opes ex unica hac merce Regionis Caoviferæ incolis accreſcunt; cùm in eam ex hujus proventu & venditione aut permutatione totius ferè orbis divitiæ confluant. Unde hæc ſaltem Arabiæ felicis pars verè φερώνυμος eſt, imò Feliciſſimæ nomen meretur. Nemo facile dixerit, & certè fidem omnem ſuperaret ſi dici poſſet, quot hujus fructûs millena modiorum millia quotannis divendantur & in exteras regiones exportentur. Per univerſas Imperii Turcici provincias frequentiſſimus ejus uſus eſt, adeò ut, teſte eruditiſſ. Veſlingio, mille aliquot tabernis decoctum ejus in una urbe Cayro divendatur. Nec minus frequentatur ejus potus in Barbaria magnâque parte Africæ. Quin & Europam non ità pridem invaſit, & in extremum uſque Septentrionem penetravit. In Anglia certè noſtra magni ex ejus vectigali & tributo reditus ad Principem accedunt: nec pauciores fortè in urbe Londini tabernæ Coffeariæ quàm in Cayro ipſa inveniuntur. Nec in Londino tantùm, ſed & in omnibus per totam Angliam urbibus & oppidis celebrioribus ejuſmodi tabernæ occurrunt. Mirum interim tantum theſaurum unius gentis peculium eſſe, támque lucroſæ ſtirpis plantaria intra unius provinciæ anguſtias coerceri. Mirum vicinas nationes extimulante invidiâ aut avaritiâ ea jampridem non vel vi depopulatos eſſe, vel ſemina aut viviradices dolo ſurripuiſſe. Mirum quem vigilem Draconem Caovetis ſuis tuendis præficiant indigenæ, qui omnes inſidiantium technas & conatus fruſtretur aut eludat. Nec enim dubito quin in eodem climate eadem ſoli conſtitutione & temperie cœli gaudente ſata, & feliciter adoleſcere & ad frugem pervenire poſſet. Mirum denique unius regionis meſſes totius Orbis expenſis ſufficere. Oportet utique ut & terra fertiliſſima ſit, & latifundia arbuſculis conſita ſpatioſiſſima.

Cap. IV.

De Buxo.

BUxus à Græco πύξος, foliis perpetuis parvis, odore gravi, materie ſolida ponderoſa flavicante, fructu tricuſpide & tricapſulari cum ſex intus ſeminibus lucidis ſpadiceis, ab alia quacunque arbore facile diſtinguitur.

A. 1. *Buxus* J. B. Ger. *arboreſcens* C. B. *arbor vulgaris* Park. **The Box-tree.**

Perpetuæ frondis arbor eſt, denſis ramis brachiata, cortice ſcabro, albo, materie duriſſima, flava, nullâ intus medullâ, valdè æquali, ponderoſa, adeò ut aquæ injecta rectà ſidat, imò nec cariem ſentire in aquis notat Matthiolus. *Folia* creberrima, æterni viroris, lævia, Myrtinis obtuſiora, firmiora, interdum concava, & quod notatu dignum duplicia, quæque diligenti vel cultello ità à ſe invicem ſeparari poſſunt, ut tenuiſſima & ferè pellucida alterius plantæ eſſe exercitatiſſimo cuique videantur: ſúntque Buxi folia odore parum grato, ſapore tamen ingratiore, quorum ortus, ſicut & ramorum ferè eſt adverſus: ex quorum alis ſecundùm ramulos globuli racematim cohærent, qui mox in floſculos ſtamineos flaveſcentes explicantur, quo vaſcula excipiunt, urceolis ſimilia, viridia, Myrti baccis paulò minora, ſuperiore parte umbilicata, & tribus vel quatuor veluti anſulis donata, in quibus *ſemen* continetur lucidum, Fraxinellæ ſemini ſimile, floſculi pentapetali herbacei aut luteoli baſin fructûs excipiunt, qui in ſummo tricuſpis eſt ſeu tribus anſulis donatus & in tres cellulas ſeu loculamenta diviſus, quorum unumquodque bina ſemina oblonga lucida continet. Radix magna ex parte nodoſa, tuberoſáque, parte præſertim ſuperna & ex parte eminenti, qua materies ejus criſpa & elegans ad varia opera expetita. Reliqua radix non magna, nec profunda, materie cum ligno eadem.

Locus.

In colle quodam propè Darkingham Surreiæ oppidum, **Box-hill** indè dicto copioſè provenit. Amat frigida, aprica, montes. Nulla magis quàm hac gliſcunt montes & colles in Delphinatu & Galloprovincia. Quibuſdam etiam alſioſis ad Septentriones, clivoſis, incultis fruteſcit & arboreſcit. In Helvetiæ, Sabaudiæ Burgundiæque montibus non infrequens. *J. B.* Nobis itinere à Geneva ad Lugdunum copioſum obſervavimus. Floret communiter Februario & Martio. Fructum fert Autumno, quo demum ſemen perficit, cum fructu diu arbori adhæſurum niſi avellatur. Aprili nova germina promit: ſed priùs lignum ſecare conſultum ſi magis flavum cupis.

Durities ligni cum amarore teredines in eo naſci prohibet. Ejus materies pertinaciùs ſerris reſiſtit, earúmque dentes replet æqualitate inerti, qua de cauſa artifices alterna inclinatione egerunt ſcobem. Imprimis verò (inquit Plinius) materies honorata Buxo eſt, raṙo criſpicanti, nec niſi radice: cætero lenis quies materiæ, ſilentio quodam & duritie ac pallore commendabilis, ipſa verò arbor topiario opere, *ad quod experientia teſte non alia accommodatior, ut quæ ob densè ſubnaſcentes ſurculos & frondes in animalium aliorúmve effigies componi & detonderi præ alia quæcunque apta eſt.*

Quidam (ut Amatus) erroneè Buxum cum Guaiaco eandem eſſe arborem putârunt: in lue Venerea idem præſtare decoctum ligni ejus cum decocto Guaiaci aſſerunt Amatus, Prævotius & alii. Lobelius quoque virgulta, lignum & folia decocta Guaiaci modo ſudores elicere ſcribit, hujúſque decocto famulam pauperculam Anglam à lue Venerea vindicatam. At Ditioribus propter ingratum & tetrum odorem rejicitur. Nunc dierum tam à pauperibus quàm à ditioribus repudiatur, nec in uſum medicum venit. Fernelius folia Buxi inter purgantia recenſet, verùm hodie ea nemo præſcribit.

Alii ligni ſcobem aſtringere atque exiccare aiunt, unde decoctam in aqua alvi profluvia ſanare tradunt, & cum vino rubro prodeſſe in doloribus dentium à frigidis fluxionibus.

Decoctum Buxi in lixivio pilos mirificè generare ab experientia confirmatur, *Ephem. German.* An. 12. Obſ. 155.

Infuſio foliorum teneriorum Buxi in vino albo, calidè colata & propinata citò ſanat colicam flatulentam. *Blegny* Zodiac. An. 2. p. 75.

Sunt qui oleum è ligno Buxi deſtillant ſummè narcoticum idque magnopere commendant in Epilepſia, Odontalgia, dentibúſque corroſis. V. *Quercetani Pharmacop. reſtitut.*

Hodie pectinum dote commendatur buxi materies ex qua laudatiſſimi fiunt: imò & olim fiebant. *J. B.* Fiunt & pyxides, nomine etiam communicato, cochlearia, cultrorum manubria, latrunculi, doliorum fiſtulæ, nucifrangibula, radii textorii, cochleæ, trochi, radii Mathematici, amuſſes, regulæ, Quadrantes aliaque inſtrumenta Mathematica & utenſilia innumera.

Et ut uno verbo dicamus, inquit J. Bauhinus, ad ea quæcunque torno elaborari poſſunt, nihil hoc ligno lautius, præſtantius, ſequacius. In hoc enim ligno ſculptores exercent artem: nam politiſſimas quarumcunque rerum icones, plantarúmque imagines ob inſignem ligni lævorem, ut vel vivas non rarò repræſentent ex eo parant.

Verùm radicum tophi ob varias maculas & intortos linearum diſcurſus ad lautiora opera præcipuè expetuntur.

Buxus aurata Park.

Naturæ luſus eſt, non alia in re à Buxo arborea vulgari differens quàm marginibus foliorum per æſtatem flavis & velut deauratis.

Buxus longioribus foliis in acumen luteum deſinentibus. *Herman.*

2. *Chamæbuxus minor* Park. *Buxus foliis rotundioribus* C. B.

Ad duos aut tres pedes tantummodo attollitur, ſed in latitudinem diffunditur: ramuli huic numeroſi tenues admodum; folia valdè parva Myrti Tarentinæ, rotundiora & dilutiùs virentia quàm Buxi arboreæ, crebros continuè ſurculos è radice emittit qui ſubinde radices agunt, unde facilè propagatur.

Magni ſuperiore ſeculo usùs erat in hortis ad areolas & pulvillos limitandos. Quoniam tamen quantum æterno virore & tonſili in elegantes Schematiſmos facilitate viſui adblanditur, tantum odore quem exhalat tetro olfactum offendit, delicatis præſentis ſeculi naribus faſtidita & faceſſere juſſa, à viridariis noſtris exulavit.

CAP. V.

De Tilia.

Tilia, ſi Papiæ credimus, quaſi *Telia*, quod lignum ejus ad telorum uſum ſit utile *ob levitatem ejus*. At Martinius à *πτίλον penna*, nempe ob foliola albicantia pennas referentia unde umbellatim floſculi efflorescunt.

Cæterùm Arbor hæc ligulis foliaceis oblongis communi floſculorum pediculo adnaſcentibus, floribus pentapetalis, fructu rotundo parvo monococco, cortice lento & ad funes texendos *habili*, à reliquis hujus generis non difficulter diſtinguitur.

A. 1. *Tilia vulgaris platyphyllos* J. B. *fœmina* Ger. *fœmina major* Park. *fœm. folio majore* C. B.

The common Lime, Line or Linden-Tree.

J. B.

Grata latè patentium, inque attegias fornicatorum brachiorum umbrâ placet Tilia, caudice mirum in modum grandeſcente; cujus cortici nigricanti & in vetulis craſſo ac rimoſo, in minoribus nec craſſo multùm nec ſcabro, ſed lævi ac ſubcinereo, ſubeſt tenuis, lentus ac dulcis liber totius arboris nomen indeptus, ſi non potiùs illa hujus: Philyram dicunt. Materia alba, mollis, facilè cælo cedit. Extremi ramuli fragiles ſunt. *Folia* lata, ex rotundo in acumen deſinentia, in ambitu ſerrata, inferna parte minùs hirſuta quàm ſuperna, quæ fere glabra. Ex horum alis oriuntur ligulæ longæ, albicantes, foliaceæ, ex quarum coſta media pediculus emicat, qui in tres, quatuor, quinquéve petiolos abit, quorum ſinguli florem ſuſtinent ſuaveolentem, quinque foliis ex luteo albicantibus conſtantem, *apicibus* compluribus luteis, ſtylo albicante: totum florem obvallant calycis dehiſcentis quinque ſegmenta, albida, pinguia. Fructus Piſo majori æqualis, rotundus, aliquantum in oblongum vergens, anguloſus, hirſutus, non durus, intus claudens ſemen vel nucleum ſubfuſcum, dulce.

Folia ſeminalia in hac arbore (obſervante J. Bauhino) in quinque communiter diviſuras veluti digitos diſſecta, extremis & media cæteras longitudine ſuperantibus, quod rarum & ſingulare.

Thalius excrementum ſeu vitium uvis Quercinis ſimile obſervavit in Tiliarum antiquarum radicibus.

Botanici multi Philyram Theophr. cum Phillyrea Dioſcoridis, quæ longè alia planta eſt, confundentes graviter lapſi ſunt, de quibus conſule ſi placet Joan. Bauhini hiſtoriam.

Locus. Tilia, Plinio autore, montes & valles diligit: item aquoſis gaudet montibus. Pingue lætúmque ſolum deſiderat, in ſtercorato optimè proficit: in aridis ac ſaxoſis ægrè adoleſcit. In toto Germaniæ tractu, in urbium & mœnium areis in deliciis habent, ob opacitatem, quam vel per ſe, vel in attegias diſpoſita, deambulantibus recubantibúſque tempore æſtivo præbet. *J. B.* In Hollandiæ urbibus præcipuis Plateas ad canalium eas medias dividentium ripas Tiliarum ordinibus utrinque conſitas obſervavimus. In Anglia etiam ad ambulacra expetuntur: Sunt enim ad aſpectum pulchræ, caudicibus rectis, cortice lævi & æquali [antequam vetuſtæ] folio amplo, ramis & frondibus ſeu comâ totâ in conum faſtigiatâ; nec olfactui minùs gratæ ſuaviſſimo florum afflatu, eodémque ſaluberrimo.

Turnerum & Gerardum erràſſe exiſtimo cùm in Eſſexia Angliæ hoc genus copioſè provenire aiunt, nam quamvis ipſe Eſſexiæ incola ſum, neque inibi neque alibi in Anglia Tiliam fœminam vulgarem platyphyllon ſponte naſcentem vidi. Quæ frequens in ſepibus & ſylvis apud nos inven tur Tilia eſt minore folio *J. B.* & aliorum.

Tempus. Floret Maio & Junio; fructum maturat Auguſto, qui mox Septembri adapertus fatiſcit ac fa ſponte decidit.

Hoc anno [1687] non ante finem Junii aut Julii initium florem explicuit, quinque petalis albi aut pallidis, latioribus paulò quàm calycis ſegmenta (quæ pariter quinque erant, & in flore expan

petal

ala alternatim interjacebant) conſtructum, cum plurimis intus ſtaminibus, luteis apicibus dotatis,
ſtylo longiore fructûs rudimento inſidente.

A. 2. *Tilia folio minore* J.B. *fœmina folio minore* C. B. *fœmina minor* Park. **The ſmall-leaved or wild Lime, or Linden tree.** *Arbor Pſeudopiperifera* Cat. Alt. *an Tilia foliis Ulmi* C.B.

J. B.
Non minùs patula eſt arbor quàm prædicta: *Folia* tamen multò ſunt minora, ad Betulæ accedentia,
lore ferè Populi Libycæ, nigriora quàm præcedentis, non perinde hirſuta, ſed firmiora, rigidio-
ue, & glabra: *Flores* tamen ſimiles niſi minores eſſent, coloris ejuſdem, pallidi, odorati, formâ
edentes ad Berberim, umbellam fere efficientes, ſex, ſeptem, octo, novem, aut etiam plures ex
eo foliolo ſeu amento prodeuntes, ſapore acido cum lentore: quibus ſuccedunt fructus parvi,
ſuti, anguloſi ut in alia. Materies ſimiliter alba, lenis, ſed cortice magis ſcabro obducta.
Hanc facilè crediderimus prædictâ firmiorem & duriorem: tota enim arbor toroſior.
Hæc eſt illa ſpecies quam in Eſſexiæ Angliæ ſylvis & ſepibus frequentem diximus, nec minùs in *Locus.*
colnia ubi à ruſticis (ut nos monuit D. *Martinus Liſter*) *Baſt* dicitur, quoniam ex ejus corticibus
es texunt; cui uſui & olim adhibebantur. Invenitur & alibi in Anglia multis in locis.
eriùs floret & fructum perficit quàm ſuperius genus.
Bacca ſeu fructus duplici tegumento, exteriore cutaneo & molliore, interiore ligneo & duriore, &
leo intus contento conſtat.

3. *Tilia maximo folio* J.B. *montana maximo folio, an mas Theophraſti* C.B?

C. B.
Tilia mas, nova arbor, craſſo caudice, ramoſa, materia ut Tiliarum robuſta [cæterarum alioqui
eries mollis, etiam priſcis & neotericis Herbariis teſtibus J. B.] cortice lanuginoſo ſubrufo: *foliis*
nis quæ vix rotundantur, ut in fœmina fit, ſed in acutum angulum deſinunt, Mori ſativæ foliis
ad formam ſimillima, eo excepto quòd profundè ſint ſerrata, ex virore nigricantia, prona verò
e ſplendentia, Tiliæ fœminæ vulgaris foliis triplo & quadruplo majora: in qua hactenus nec flo-
, nec fructum videre licuit: quam tamen ab annis 17 nunc obſervavi in monte Muteto, vix horæ
o ab urbe Baſilia diſtante. J. Bauhino folium hirſutius apparet in dorſo, quod nervorum eminen-
ecorat.

ortex & *folia* Tiliæ ſiccant, repellunt, urinam ac menſes cient. *Corticis* mucilago in ambuſtis ac *Vires.*
eribus magni eſt ſolaminis. [Cortex commanſus & illitus *Dod.*]
olia trita & aquâ conſperſa pedum tumores diſcutiunt, ad aphthas etiam & ſpaſmum flatulentum
ravidis ſingulare remedium habentur. Eorundem ſuccus expreſſus, cum vino mixtus, & calidus
bus infrictus ſpaſmo eidem bene facit.
ores partium tenuium & cephalici ſunt, eorundem odor perquam ſuavis eſt. Aqua deſtillata in
uenti uſu eſt ad Epilepſiam, Apoplexiam, Vertiginem. Commendatur etiam ad cordis tremo-
, uteri dolores, calculum renum ſanguinem contuſione aliqua concretum. Aliqui tritos Tiliæ
ones admiſcent. Doſis ℥j. aut ℥iß. Quidam adverſus ventris tormina exhibent. Mulierculæ
n eâ utuntur ad faciei fucum.
accæ in pulverem redactæ in dyſenteria aliiſque alvi profluviis ſummopere laudantur; cum aceto
& in nares inditæ ad hæmorrhagiam. Baccæ aliquot deglutitæ validè ſanguinis è naribus pro-
um compeſcere dicuntur.
cortice Tiliæ interiore, Philyra dicta, recenti adhuc olim ſcriptitatum. *Uſus.*
tores tabulis ex hujus ligno factis ad ſecanda coria utuntur, quoniam ob mollitiem cedit ferro nec
aciem retundit, contra ac veteribus viſum. Quin & ſculptores ſimulachrorum ex hujus materia
ia pæne ſimulachra exſculpunt. Levis enim eſt, tenax, facile ſecatur, diu durat, nec teredini
xia eſt.
arbones hujus omnium optimi ſunt pro pulvere pyrio conficiendo, item pro delineationibus pi-
bus expetiti.
cortice funes (ut diximus) & corbes, lagenæ, & cunæ, ut Theophraſtus, vel potius ciſtæ aliaq;
texuntur.
aſileæ & alibi pauperiores adventante hyeme Tiliæ folia recondere ſolent pro vaccarum & capra-
pabulo, uti refert J. Bauhinus.

Cap. VI.

De Vitice ſive Agno.

Hic frutex Ἄγνος i.e. Caſtus Græcis dicitur, quòd iis à quibus eſtur, aut bibitur, aut ſubſternitur
Caſtitatem conſervet, Galeno ſexto ſimpl. autore: quare matronæ Athenienſium in Theſ-
mophoriis Cereris ſacro ἁγνεύουσαι i.e. caſtitatem cuſtodientes foliis ejus cubitus ſibi ſter-
ſolebant, Dioſcoride & Plinio referentibus. Officinæ ineptè Agnum Caſtum appellant, non
tentes *caſtum* nihil aliud eſſe quàm expoſitionem Agni. Λύγος dicitur, quaſi vimen, ob invictam
um flexibilitatem. Vitex Latinis à vinciendo aut viendo ob eandem rationem. Semen quibuſ-
à Piperis ſimilitudine Piper Eunuchorum appellatur.
lio digitato, Cannabis æmulo, ſeminibus rotundis, calyce exceptis, nudis, viminibus lentis ab
rboribus diſtinguitur.

1. *Agnus folio non ſerrato* J.B. *Vitex foliis anguſtioribus, Cannabis modo diſpoſitis* C.B. *Vitex ſive Ag nus caſtus folio anguſto* Park. *Vitex ſive Agnus caſtus* Ger. **The Chaſt-tree.**

J. B.

Arbuſcula eſt frequentibus ramis brachiata, quos cortex cinerei coloris tegit. *Folia* adverſo ort uncialibus & ſextantalibus pediculis hærent, digitata, Lupini modo, in quinque ferè lacinias ſeu fo lia particularia ſubdiviſa, coloris ſubtus cinerei, ſuperiùs fuſci propemodum, per margines undiqu ſibi ſimilia. *Spicas* fert Lavendulæ, non ſingulares quidem ut illa, ſed ex ſingulis nodis conjugatim *florum* purpuraſcentium, quibus *grana* ſuccedunt numeroſa, Coriandrinis & rotunditate & magnit dine ferè paria, nec criſpa tamen, nec ſtriata, ſaporis acris. Notandum grana iſthæc floris calyc reſiduo excipi.

Locus & Tempus. In Sicilia & regno Neapolitano frequentem obſervavimus. Paluſtribus locis gaudere Dioſcori annotatum. Floret Auguſto.

Vires. Viticem ad impetus Venereos reprimendos & caſtitatem tuendam utilem eſſe jam dictum: und in abundantia ſeminis, & contra nocturnas Veneris per ſomnum imaginationes, & ſeminis incont nentiam ſanitati hominis non parùm confert.

Fructus epotus demorſis à ſerpente, ſed & lienoſis ac hydropicis opitulatur; lactis abundantiam facit, urinam & menſes ciet. Caput tentat vini modo, [ſoporémque infert,] nam & odor & ſ por ſimilis. *Plin.* Quòd caput tentet omnes affirmant, & de ratione ejus reddenda Galenus ſolicit eſt. Folia tum ſuffitu, tum etiam ſubſtrata venenata fugant, & contra venenatorum morſus adhib ta auxiliantur. Teſtium duritias cum butyro vitiúmque foliis emolliunt. Rimas ſedis ſemen cum aqua illitum mitigat; aliáque multa præſtat, quæ vide apud Plinium & Dioſcoridem.

2. *Vitex latiore folio* C.B. Park. *Agnus folio ſerrato* J.B.

Folio breviore & molliore, ut & latiore ac ſerrato à præcedente differt.

Verùm (inquit J. Bauhinus) expendant herbarum diligentes cultores, annon ſit fortè naturæ lu ſus, tempori, ætati, loco aut culturæ adſcribendus. Geſnerus Viticem alium arboreſcentem dicit alium minorem.

Variat quinetiam Vitex floris colore, albido & cœruleo.

CAP. VII.

Coccygria ſive Cotinus putata J.B. *Cocconilea ſeu Coggygria* C.B. *Coggygria Theophraſti, vel Co nus coriarius Plinii* Ger. *Coggygria ſive Cotinus coriaria.* Park. **Venice Sumach.**

J.B.

* 3. *Hiſt.* 16. HUnc fruticem * Theophraſti Κοκκυμηλέαν eſſe, ſeu potiùs, ut Ruellius legit, Κοκκυμηλέαν, ſe ut Plinius, Κοκκυγέαν, conſentiunt Botanici: Cotinum Plinii eſſe conſenſus non eſt ade unanimis.

Arbuſcula eſt fruticoſa, contortis caudicibus, non craſſis, ramis crebris, mediocris craſſitudinis quos rubens ruſtúſve cortex tegit, medullâ multâ farctos, quibus *folia* pediculis ſubrubentibus ſemu cialibus & uncialibus alternatim adnaſcuntur, ex oblongo rotundata, Piſtachiorum foliis paria, gl bra, nervoſa, odore quodammodo Lentiſcino, guſtúque adſtringente, non injucundo tamen. S æſtatis finem rubeſcunt, elegantiſſimóque nitore oculos oblectant, id adnotante Cluſio. Ramulo rum faſtigia infinitos propemodum mæandros tenuiſſimorum ſed rigidorum filamentorum latè diff ſos ſuſtinent, pilis plumatim obſitos, & in his obiter ſemina compreſſa, rubentia, Lenticulis aequa lia, Cæſalpino flaveſcentia, quaſi triangula, duro putamine, ſed ob tenacitatem impartibili (ut ill loquitur.) Materies flava ſolida, pectinibus rectis, externis orbibus albicantibus, interna parte uſqu ad matricem fungoſa. Flores ſcribit *Cluſ.* eſſe ex herbaceo palleſcentes: radicem duram, lignoſam raris fibris donatam, ut in Terebintho.

Locus & Tempus. Propè pontem quem tranſivimus eundo à Gratianopoli ad fontem quem vocant ardentem obſer vavimus. Copioſè naſcitur in Italia Lombardica inter ſepes, multiſque aliis in locis. Vid. *J.B* Floret circa Viennam Auſtriæ Maio, calidioribus locis maturiùs fructus: matureſcit Julio & Auguſto

Uſus. Radicibus utuntur infectores, illiſque pannum ruffo [roſſo] colore inficiunt. Foliorum etiam & ramulorum uſus apud coriarios in repurgandis coriis. *Ang.* Cluſius annotat hoc frutice ad paran da coria uti coriarios non minùs quàm Rhoe, cùm alibi, tum circa Viennam Auſtriæ, ibíque etiam Rhois vulgare nomen *Sumach* indidiſſe.

Corticibus decorticatis infectores utuntur, flavo enim colore tingunt. *Cæſ. Canepar. de Atram.*

Vires. Vis illi adſtrictoria inſignis, exſiccans cohibenſque: hinc foliorum decocto ſanantur in collutioni bus oris & linguæ ulcera, faucium & columellæ defluxiones, &c. Siccatorum pulvis ventri priùs ac to roſaceo illito inſperſus alvi defluxiones quaſcunque compeſcit. *Matth.*

Cap. VIII.

1. *Amomum verum* Ger. emac. Park. *racemoſum, quod verum credimus Amomum.* C.B. *Amomum novum, Cardamomi vulgaris facie, ſive Indicus racemus* J.B.

HUjus planta tota à nemine, quod ſciam, deſcribitur, ſed ejus fructus ſeu uva duntaxat à Nic. Maronea M. D. in ſuo de Amomo commentario his verbis, Eſt ille parvus racemus, abſque pediculis ex uno ſarmento enatus, ſibi ipſi arctè cohærens & convolutus in uvæ modum, conſtans decem aut duodecim ad ſummum acinis, ſeu folliculis fibroſis ſe mutuò comprimentibus, tanquam de communi loco inter ſe decertantibus, adeò ut ſibi invicem parvas cavitates imprimant. Racemum ſuſtinet lignum teres pollicari longitudine, fibroſum odoratum, acre, foliis confertim exornatum, tum puſillis ſquamarum ſerie diſtributis qua parte folliculorum eſt expers tum longioribus foliis ſenis ſingulos folliculos ambientibus, quæ vicem quandam præſtant calycis illius, quem in Nuce Avellana conſpicimus; ex longioribus foliis tria quidem conſtant longitudine ſemunciali, tria verò paulò breviora ſunt; eadem folia tenuia ſunt, fibroſa, acria, odorata: ſed quæ privatim folliculos complectuntur, æmula ſunt foliorum Mali Punici, ſuis cacuminibus ſæpe contracta, rarò integra, ut vix extra Amomi acinos emineant; quod evenire credendum eſt, quia mutuo attritu foliorum ſummitates confringuntur in longiſſimo itinere. Acinorum craſſitudo & figura orbicularis exiſtit qualis mediocris Uvei acini. Ornantur folliculi Amomi externis tenuiſſimis filamentis, ſeu nervis quaſi lineis per longitudinem ductis, ternis etiam præditi ſunt parvis ſulcis, totidemque intercedentibus exiguis eminentiis, quæ triplicem internorum ſeminum ſeriem circumſcribunt: ſingulos folliculos replent tres ſeminum phalanges, tenui membrana ab invicem ſejuncta, unaquæq; autem phalanx pluribus conſtat ſeminibus anguloſis eadem tenui membrana involutis, adeóq; ſtrictim ſibi cohærentibus, ut trium duntaxat ſeminum longiuſculorum ſpeciem præbeant.

Racemi totius & ligni color idem ſpectatur, in aliquo pallidus, in alio candidus, in alio verò ex pallido ad ſubrufum vergens, ſed in candido folliculo ſemina inſunt plerunque evanida, in ſubrufo ſemina ſolidiora & perfectiora frequentiſſimè obſervantur: ſeminibus anguloſis color externus ex rufo nigricans adeſt, internus albus. Semina interna eadem ſolida ſunt quidem, ſed frangibilia, non fractu contumacia ut Cardamomi ſemina. Racemo odor ineſt validus ſed εὐώδης, ingenitus verò non aſcititius, qui vulgarem Lavendulam quodammodo redolet, ſuavior tamen; exemptis à folliculo ſeminibus major odoris acrimonia ineſt, minor autem odoris gratia: eâdem ratione & racemus, & nuda ſemina acri ſapore ſunt prædita, ſed in racemo hebetatur acrimonia, in nudis ſeminibus vehementior percipitur, quæ vulgarem caphuram quodammodo ſapit.

Deinde oſtendit Maronea omnes notas, quas tum Dioſcorides, tum Plinius Amomo aſſignant, Indico huic racemo convenire, unde nunc dierum à peritioribus Botanicis pro genuino Antiquorum Amomo habetur, quamvis non deſint in contrarium rationes, quibus recenſendis & vel confirmandis, vel refutandis immorari non neceſſarium ducimus. Hic certè Cardamomi ſpecies videtur. Cardamomum autem & Amomum verum cognata eſſe vel nominum affinitas evincit. Aliorum opiniones, Amomum vel Roſam Hierichonticam, vel Cubebas, vel Piper racemoſum, vel Piper Æthiopicum, vel Pedem columbinum vel aliud quid exiſtimantium, refutatione non indigent.

Cæterum, (inquit Maronea) Amomi uva, cujus notitia injuria temporum deperdita per aliquot ſecula latuit, denuo in lucem prodiit opera Cerchini Martinelli Veronenſis Pharmacopœi, qui ex remotiſſimis Indiæ regionibus verum & legitimum Amomum ad nos tranſmiſit.

Amomum (autore Dioſcoride) vim habet calefaciendi, adſtringendi, ſiccandi, ſomnum inducendi, dolorem eximendi ſi fronti imponatur, inflammationes etiam ac melicerides concoquit ac diſcutit. A Scorpio ictis cum Ocimo impoſitum prodeſt. Podagricis auxiliatur, ipſóſque lenit: Oculorum item inflammationes & eas quæ in viſceribus ſunt cum Uva paſſa. Ad menſes & in peſſis & in inſeſſibus commodum eſt. Decoctum verò ipſius potum convenit hepaticis, nephriticis, podagricis. Admiſcetur etiam Antidotis & pretioſiſſimis unguentis. *Vires.*

Amomum Galeno Acoro ſimilem facultatem obtinet, niſi quòd Acorum ſiccius ſit, majore autem concoquendi facultate Amomum.

Præcipuus autem uſus Amomi apud Veteres erat ad unguenta. Quæ conſtant Amomo, inquit Plinius, omnia acutiora fiunt, maximéque nares feriunt: acerrima per ſe Amomo. Hinc Regale unguentum appellatum, quoniam Parthorum regibus ità temperatur, Amomo etiam conſtat.

2. *Amomum ſpurium* Ger. Park. *Amomum ſpurium folioſum* C. B. *Amomum verum quorundam* J. B. *Hamama Arabibus* i. e. *Pes columbinus.*

J. B.

Amomi nomine à Valerando Dourez inſigni Pharmacopœo accepi aroma quoddam magnitudine ſpicarum ſtœchadis Arabicæ, cujus tamen portiones ſeparatæ his anguſtiores erant: duas ſimul junctas vidi Pedem Columbinum hirſutum exprimentes. Conſtant autem foliolis multis ſquamarum imbricato poſitu compactis, ex luteo albicantibus, ſimile aliquid & colore & forma cum Origano habentibus, odoratis, ſapore viſcoſo amaricante & acri.

An hæc ſit Garciæ Amomum quo ſe à Nizamoxa rege Decan donatum ſcribit, quia deſcriptionem ejus non adjecit, neſcimus.

3. *Amomis ſive Pſeudamomum* J. B. *Amomis Cluſ. ad Garz.* C.B.

J. B.

Ab eodem Valerando pro Pſeudamomo & Amomide mihi exhibita ſunt fragmenta ſeu partes quædam nonnihil Amomo præcedenti ſimiles, inter quas ligneæ aliquæ portiones, nigræ, in quorum extremitatibus apparent partes ſquamoſæ, breviores quàm in Amomo, minus albicantes, ſaporis viſcidi, ut nobis quidem videtur.

4. *Amomum racemoſum ligno* Alpin. *De* Med. Egypt. *l.* 4. *c.*10. *Ægyptiis Hamama.*

Eſt, inquit, ramulus brevis, gracilis, multis obliquitatibus, atque parvis, denſis, contortis ramis præditus, veréque racemo uvarum figurâ ſimilis. Eſt tamen lignoſus, durus, frangibilis, colore corticis quidem nigro, ſubrubente: ligni verò vel albo, vel flavo præditus, valdè jucundum & aromaticum odorem ſpirans, ſed nullius ſaporis. Vide (inquit D. Jonſtonus in *Dendrolog.*) annon potiùs hoc pro Amomo Dioſcoridis ſeu Armeniaco, ſeu Pontico ſumere malis, ſine verborum violentiâ. Non alium fuiſſe credo Garciæ ramum quem collatum deſcriptioni Dioſcoridis venuſtiſſimè quadrâſſe refert.

CAP. IX.

Rhus myrtifolia Monſpeliaca C.B. *myrtifolia* Ger. *Plinii myrtifolia* Park. *Plinii putata* J.B.

J.B.

RAmulis quadrangulis bicubitalibus donata eſt, [*caudice* pollicem craſſo, fragili, cavo Sambuci modo, cortice cinereo maculoſo, membrana rufeſcente ſubjecta, tecto *Lugd.*] per quos ordine & ſerie quadam *folia* oriuntur bina ut in Nummularia & Jujubis; Jujubarum quoque foliis ſimilia, ſed acutiora & majora multo. *Flores* parvi, virides ſive chlori, racematim quaſi congeſti, cum apicibus multis, partim nigricantibus. *Fructus* Piſorum magnitudine, pentagoni, cujus ſeminula (ut notat Lobelius) intra anguloſam tunicam incluſa ſunt cochleata.

Locus. Circa Monſpelium copioſè provenit, præſertim ad ripas Ladi amnis.

Cùm frutex ſit, Rhus Plinii Myrtifolia eſſe nequit quæ herba. Verùm quia qualitatibus ſuis Rhoem æmulatur, & hoc nomen ſibi uſurpavit, per me licet etiamnum illud retineat.

Uſus. Uſus ejus nullus hactenus innotuit præterquam ad coria firmanda, quo nomine notiſſimam & uſitatiſſimam cunctæ Narbonæ dicit Lobelius. *J.B.* Verùm *D. Magnol* ad colorem nigrum, vulgo *Roudou*, tinctores eâ uti ſcribit. *Botan. Monſp.*

CAP. X.

Manjapumeram * H.M. *An Arbor triſtis Myrto ſimilis* C.B? *Arbor triſtis* Garciæ *&* Acoſtæ? J.B. *t.* 1. *l.* 4. *c.* 54. Park. Ger.

* P.1.F.21. p.35.

H.M.

ARbor eſt grandis, trium quatuórve hominum altitudine, denſis & opacis frondibus, latè ſparſis, naſcens in arenoſis: *Radix* ſubtus ſupráque terram ramos ſpargit. *Stipes* ambitu amplexum unius brachii æquat, cortice cinereo. *Garcias Arbori triſti magnitudinem Oleæ, folia Pruni tribuit; Acoſta magnitudinem & formam Pruni; Fabric. Mordente apud Cluſium altitudinem trium hominum, in quo pulchrè cum Autoribus noſtris convenit: folia Myrti. Surculi* quadrangulares, ac nodulati, ſpadiceo cortice obducti. *Acoſtæ rami tenues ſunt, & certa per ſpatia nodulis diſtincti. Folia* in nodulis pediculis brevibus craſſiolis per intervalla bina ſimul oriuntur oppoſita, ad pediculum lata curvitate, anteriùs in anguſtam cuſpidem contracta, texturâ craſſâ, ſuperficie aſpera, ſupernè obſcuro virore nitentia, ſubtus dilutiore, ſapore aſtringente & ſubamaro. *Acoſtæ folia mollia & lanugínoſa ſunt parte averſa, quemadmodum fere Salviæ folia, & viridia nonnihilque aſpera parte ſupina, non adeò ſerrata in circuitu ut Pruni folia, neque tam multis venis prædita:* quæ deſcriptio cum deſcriptione & icone *H.M.* convenit. *Flores* in ſurculis rigidis bino ordine ex alis foliorum egreſſis, obliquè extenſis, & in tres ramulos curtos brevéſque diviſis proveniunt, quini ſimul in ſingulis ſurculorum ramulis. *Acoſta paulò aliter, è ſingulorum foliorum ſede naſci ait pediculum, quinque capitula ſumma ſui parte ſuſtinentem, quæ quatuor foliolis ſubrotundis conſtant, è quorum medio quinque flores exiliunt, candidi, elegantes, Mali Aureæ floribus magnitudine pares, tenuiores tamen, elegantiores & odoratiores; pediculo magis ad rubrum quàm ad flavum colorem tendente, quo Indi edulia tingunt, quemadmodum nos Croco. Flores* odore ſuavi ſunt optimum mel æmulante, albicante & aqueo colore, ſex, ſeptem, octóve, petalis compoſiti, ad ungues ſtrictioribus, versùs apices dilatatis, ſummitate excavata in medio velut bicornibus, textura tenui & rigida, in Sole valde coruſcantibus, venulis vix conſpicuis, niſi ubi colore albicante attrito membranaceæ ſunt pelluciditatis.

Sunt autem pediculi florum, quibus è calyce oblongo profundo, viridi, orâ ſupernâ rotundo, emicant, vaginulæ breves, ſemunciales, croceæ, in quibus duo *ſtamina* flava, apicibus craſſis, ſurrectis, flavo-albicantibus dotata. Pediculi ſiccati croceum colorem acquirunt, iiſque Indigenæ cum ligno Santali mixtis atque tritis corpus inungunt. *Fructus* ſunt rotundo-plani ac compreſſi, colore viridi, in medio unâ ſuturâ extuberante ad verticem utrinque perducta: in quibus duo rotunda compreſſa *ſemina*, quæ utrinque ſub cortice extuberant, interſepimento medio à ſe mutuo diſtincta.

Acoſtæ Fructus magnitudine Lupini eſt, vireſcens, cordis effigie, per medium ſecundùm longitudinem ſectus, continens in utraque parte quoddam receptaculum, in quo ſemen occluditur, magnitudine ſeminis Ceratii, cordis effigiem retinens, album, tenerum, membranâ ſubviridi tectum, nonnihil amarum.

Ego cum *D. Syen* ſentio Arborem hanc eandem eſſe cum Arbore triſti Acoſtæ & aliorum, ob notas multas communes, ut deſcriptiones conferenti patebit.

Obſtat tamen defluxus florum Arboris triſtis de die, quamprimùm Solaribus radiis illuſtrantur, cujus nulla hîc fit mentio. Verùm cùm, Fabricio & Paludano teſtibus, illud eos duntaxat concernat flores ad quos Solares radii pertingere poſſunt, minoris facienda videtur hæc difficultas.

Flos ſapore eſt ſubamaricante, quem cor refocillare incolæ cenſent. Nam & Gentiles ibi medici ſemen ejus inter cardiaca referunt. Volunt etiam nonnulli aquam ſtillatitiam florum oculis utilem eſſe, admoto lineo panno hâc intincto: in quem uſum, & etiam propter odoris fragrantiam ſtudioſè colliguntur ab incolis.

CAP. XI.

Edera trifolia Canadenſis Cornuti. *trif. Virginienſis* Park. *Epimedium fruticans Canadenſe* Londinenſibus.

Corn.

FOlia habet Phaſeoli modo tripartita, palmaribus ferè pediculis nixa, qui ſucco turgent lacteo dum rumpuntur, verùm paullò poſt ità nigreſcente ut atramentum videatur. Cujus rei gratiâ à pleriſque habetur præcipuus tingendo capillitio, confectiſque ad id tincturis inſertus, nuper ad miraculum uſque id præſtitit. Ex tenui & pallido *flore* luteo-pallidos corymbos profert ſparſiore racemo, in quo pulpa nulla eſt, aut ſaltem adeò ſicca vix ut compareat; ſed in ejus acinis præter *ſemen* rotundum, duriſſimum, cineracei coloris, membranâ tectum aridâ & corrugatâ nihil contineri viſum eſt. Lignum obtinet ederaceum (longè tamen mollius ac medulloſius) quod mira varietate laſcivit, nunc enim viget ac ſine adminiculo ſtat, nunc ortis ab radice ſtolonibus per ſummam tellurem errat, ac ſi proximo pariete conſeratur tenaces in rimas ejus deducit fibras, ramulóſque mittit qui helicis modo radicantur.

Floret Julio menſe, ſemina matureſcunt Septembri. Folia quotannis amittit. *Tempus.*

Duplicem ſpeciem diſtinguunt, alteram virgultis procumbentibus, alteram virgultis erectis.

Jo. Bod. à Stapel notis in Theophr. hiſt. lib. 4. c. 5. p. 364. inter alias plantas exoticas & hanc deſcribit titulo *Apocyni trifoliati Indici vulgo Epimedii.*

Quærit D. Hermannus in *Cat. Hort. Leyd.* An erectior hujus fruticis ſpecies ſit Hederæ trifoliæ Canadenſi affinis Indica, Arbor venenata quorundam *Hort. Reg. Paris*; quæ culta eſt in Horto opulentiſſimo Reverendiſſimi Epiſcopi Londinenſis D. *H. Compton*, Rei Botanicæ Artiumque Mæcenatis Illuſtriſſimi.

Hæc arbor à quibuſdam nominatur Arbor Virginiana tinctoria.

CAP. XII.

Edera quinquefolia Canadenſis Cornuti. *Vitis ſeu potiùs Hedera quinquefolia Virginienſis* Park. parad.

Corn.

NOn enodi fruticat trunco, ſed *lignum* habet ſarmentoſum, geniculis articulatum, Vitis more medulloſum. Cute veriùs quàm cortice obducitur, lævi, ſimilique novellæ vitis palmiti, cùm teritur inter ſe, tardè friatur. Amplitudo fruticis tanta, quantus paries aut arbor quibus velut adminiculis ſuſtinetur. Pediculi longiores ex alternis geniculis inæquali ſitu prodeunt, rubri: quibus *folia* quinque ſingula per ſingulos petiolos inſeruntur. Adnaſcuntur hinc indè ex altera foliorum parte *claviculi*, qui in plures fibras criſpas ſparguntur, quarum extremitates limoſiore callo teguntur. His velut manibus proxima quæq; comprehendit, & parietum aſperitatibus illaqueat ſeſe, quos tam jucundo ſpectaculo obveſtit, ut ad topiarium opus nihil commodius natura produxiſſe videatur. Nec enim ruinoſa eſt ædificiis ut Edera noſtras, quam ob cauſam eam à domibus procul arcent qui earum diuturnitati conſulunt.

Sapor huic acidus ac parum acerbus. Nec florem, nec baccas vidit Cornutus. Folia ut præcedentis hyemem non ſuſtinent.

Flores, obſervante D. Hermanno, ut habemus ex Annotatis *D. Palmer*, corymboſi, muſcoſi; baccæ rotundæ Hederæ in modum. Fructum obſervavit eruditiſſimus Vir & inſignis Botanicus *D. Leonardus Plucknet*, & capſulas eſſe affirmat, multa minuta ſemina continentes.

CAP. XIII.

Spiræa Theophraſti Cluſ. Ger. Sp. Theophraſti forte Cluſio J. B. Park. **Spiked Willow of** Theophraſtus. *Frutex ſpicatus foliis ſalignis ſerratis* C. B.

Cluſ.

DUorum cubitorum altitudine aſſurgit, tenuibus ramis ſeu virgis, puniceo cortice obductis, per quos ſine ullo ordine ſparſa ſunt frequentia, longiuſcula & anguſta *folia*, ſalignis proxima, per ambitum ſerrata, ſupernè dilutiore viriditate prædita, infernè veluti ærugine aſperſa, exſiccantis cum quadam amaritudine conjuncti guſtûs. Extremi ramuli digitalis ferè longitudinis ſatis craſſam *ſpicam* ferunt exiguorum floſculorum, uvæ in morem congeſtorum, pentapetalorum, è quorum umbilico multa ſtaminula prodeunt, coloris cum ſuo flore ex albo rubeſcentis ſive carnei, nullo peculiari odore præditorum, niſi qualis ferè in florente Olea eſt. Illis evaneſcentibus ſuccedunt puſilla, pentagona capitula, quæ ad plenam maturitatem pervenientia tenuiſſimum & quodammodo pulvereum ſemen flaveſcens effundunt.

A Briga Sileſiæ ad Cluſium miſſus eſt. Menſe Julio floret, ſub Auguſti finem ſemen matureſcit. *Tempus.*

SECTIO TERTIA,

Arbores & Frutices Fructu ſicco diverſorum generum complectens. Ut v. g.

1. FRuctu membranulis extantibus velut alato donatas; cujuſmodi ſunt Acer & Fraxinus.
2. *Lanigeras*, ſeu Floribus & Fructibus ſpicatis ut *Tamariſcus*, ſeu in pillulas echinatas conglobatis, ut *Platanus*.
3. *Coniferas*, ut *Myrtus Brabantica*.
4. *Multiſiliquas*, ut *Syalita H. M.* & Anonymos foliis Ribeſii.
5. *Fructu Petaſoide* donatas, ut *Paliurus*.
6. *Fr. Bivalvi dicocco* præditas, *Carim Carini*.
7. *Fr. Tricocco*, ut *Codi-Avanacu*, *Tira-Calli* quæ ſunt Lathyridis ſeu Tithymali fruticeſcentis Indici ſpecies, Chamelæa tricoccos, *Canſchi H. M.*
8. *Fr. Pentacocco*, Pocatsjetti *H. M.*
9. *Thlaſpeos æmulis ſiliculis*, ut Roſa Hierichontica dicta, quæ vera & genuina Thlaſpeos ſpecies eſt.
10. Seminibus multis parvis in vaſculis ſiccis, ut *Cebipira* Braſilienſium, *Amvetti H. M.*
11. Vaſculo ſubrotundo ſemina parva continente in imo flore occultato, ut *Erica*.

CAP. I.

De Acere.

ACer hæc arbor Voſſio dicta videtur, quia acris, hoc eſt, duri admodum ligni ſit, potiùs quàm, ut Perotto videbatur, quia acria in ea artificum ingenia exerceantur juxta illud Plinii lib. 16. c. 15. *Acer ejuſdem* (ac Tilia) *amplitudinis, operum elegantiâ ac ſubtilitate* Citro ſecundum.

Aceris notæ ſunt folia laciniata aut anguloſa, ſemina bina juncta, vaſculis duris membranis extantibus alatis incluſa.

A. 1. *Acer minus* Ger. emac. *minus ſive vulgare* Park. *Campeſtre & minus* C. B. *Vulgare minori folio* J. B. **The Common Maple.**

J. B.

Caudice ramíſque eſt plurimùm ſulcatis rugoſíſque: materie alba, ſatis fragili, & fiſſili medulla farcta. Ramuli minores adverſo plerunque ſitu conjugatim oriuntur. Ramorum tenuiorum cortex tenuis, fuſcus, qui unguibus facile abraditur, ſubeſt alter etiam tenuis flaveſcens [Ramorum cortex nobis obſervantibus cinereus eſt cum aliqua ruboris tincturâ] *Folia* Hederæ foliis quodammodo ſimilia, quintuplici diviſura primaria inciſa, in principio tenera, molliáque, quo tempore lactei quiddam fundunt; temporis progreſſu rigidiuſcula, pediculis longis virentibus aut rubentibus hærentia (bina ſibi contraria) *Floſculi* ſimul multi ex pediculis lanuginoſis, interdum ramoſis, muſcoſi, in novem, decem aut undecim ſegmenta hirſuta, coloris herbacei, diviſi, ſtamina vireſcentia aut rubentia apicibus luteis unà cum ſtylo bicorni obvallantia. *Semen* conceptaculo gemino alis libellarum aquaticarum expanſis figurâ ſimili, hirſuto occluditur, in extremis membraneo, quà coitus eſt alarum turgidulo & nonnihil elevato, intus duro & pænè oſſeo, cavo, in qua cavitate ſemen medulloſum & virens vel palleſcens latitat, ſaporis ſubadſtringentis, non ingrati tamen. Aſtringentior eſt ſapor corticis & foliorum, nec ſine amarore.

Notatu dignum eſt quòd quamvis Acer majus & minus arbores ſint congeneres, plantula tamen ſeminalis longè aliter complicatur in unius quàm in alterius ſemine, ut examinanti & explicanti patebit.

Tragus Aceris folium Saniculæ non malè ſimile eſſe ſcribit; corticem incanum; arborem modò humilem, modò magnitudine inſigni: *rarò tamen apud nos in inſignem vel altitudinem attollitur, vel craſſitiem extenditur.*

Locus. Arbor eſt paſſim obvia & nemini non nota. Gaudet præruptis & ſylvoſis (inquit J. Bauhinus) at apud nos in ſepibus ubique occurrit, omni ferè ſolo.

Tempus. Floret Aprili & Maio, Septembri fructum maturat.

In vivario ferarum *D. Fr. Willughby* in agri Warwicenſis vico *Middleton*, non procul Tamwortha oppido viſcum ferens obſervavimus.

Veteribus ſeri ſolebat ad maritandas Vites non ſecus quàm Ulmus.

Vires. Aceris radix, Plinio prodente, contuſa è vino jecinoris doloribus utiliſſimè imponitur. Serenus:

> *Si latus immeritum morbo tentatur acuto,*
> *Accenſum tinges lapidem ſtridentibus undis,*
> *Hinc bibis; aut Aceris radicem tundis, & una*
> *Cum vino capis, hoc præſens medicamen habetur.*

Acer operum elegantiâ & ſubtilitate Citro, non Cedro ut vulgò corruptè ſcribitur, ſecundum: cùm maximè annoſum fuerit undatim criſpatur: plerunque apud nos lautioribus dicatur ſuppellectilibus, orbibus, menſíſque, &c. *J. B.* Excreſcentiæ tuberoſæ præcipuè commendantur ad ſcrinia, pugillares, reliquáque curioſa, ob intortum, criſpum, & variè undulatum macularum diſcurſum.

2. *Acer trifolium* C.B. *Monſpeſſulanum* J.B.

J. B.

Arbor eſt mediocriter procera, ramis ſatis explicatis, cortice quodammodo purpuraſcente; folio Aceri vulgari ſimili, in tres tantùm cuſpides ſive angulos diviſo, craſſo, venoſo, ex longo pediculo pendente, parvis intervallis utrinque ſito: fructu gemino, membranùlis duabus cohærentibus, alis muſcarum ſimilibus.

In Delphinatu non procul Gratianopoli eundo ad maximum Carthuſianorum cœnobium obſervavimus. Reperitur etiam in ſylva *Valena* non longè à Monſpelio; & in rupibus ad lævam *Caſtri novi*, juxta Ladum amnem. *Locus.*

A. 3. *Acer majus, multis falsò Platanus* J.B. *majus* Ger. *majus latifolium, Sycomorus falſo dictum* Park. *montanum candidum* C.B. **The greater Maple, commonly, yet falſly, the Sycomore Tree.**

J. B.

Arbor eſt ſpecioſa & procera, rubenti cortice intectis ramis affatim brachiata, materie alba nec multùm renitente: foliorum verò ampla latitudo, quæ vitiginea, aut Aceris vulgatiſſimi formâ, licèt acutioribus laciniis quinque prædita, ſupra atrovirentia, infra pæne incana, utrinque glabra, ſapore adſtringente cum amaritudine. Ob foliorum amplitudinem & formam Platani æmulam cum Septentrionalibus populis per æſtivos calores præcipuam init gratiam. *Flores* muſcoſi, ex herbido albidi, calyculo continentur lanuginoſo. At alati fructus ex vulgari cognitu ſunt faciles, per omnia majores, ex longo pediculo pendentes plures, ſed ſinguli bini foliacei bipennem expanſam & inverſam, aut Libellæ alas imitati, nucleos in medio quà alæ coeunt itidem gemino utriculo duro ſatis continent, magnitudinis ſeminum Arantiorum albicantes, guſtui non gratos.

Humectis & altiſſimis montibus gaudet. Nos in Saleva monte non procul Geneva obſervavimus. *Locus.* In Anglia non provenit ſponte, quod ſciam, adeò tamen frequens habetur in areis & cœmiteriis, hortorum ambulacris & circa nobilium ædes, ut merito pro indigena accipiatur. Nuper tamen minore in honore eſſe cœpit quàm olim, ob folia decidua quæ cùm initio hyemis primis ſtatim pruinis decutiantur, in terra jacentia humore in putrilaginem illico ſolvuntur, hortóſque & ambulacra inquinant & corrumpunt. Floret menſe Maio: fructum maturat Septembri.

Materies candidior ab arculariis & menſariis ad varios uſus expetitur. Quadræ & orbes ex ea laudatiſſimi fiunt. *Uſus.*

Veris initiis cùm germina novella turgeſcunt, antequam explicentur in folia, arbor hæc in trunco, ramis, aut radicibus vulnerata dulcem & potulentum ſuccum copiosè effundit, non ſecus ac Betula. Quin & Autumno quoque poſt delapſa ſtatim folia, & per totam etiam hyemem: quod primùm obſervavit & nobis indicavit Clariſſ. Vir, & chariſſimus amicus noſter, *D. Martinus Liſter.* Notandum tamen hoc ei non accidere quacunque cœli conſtitutione aut aeris temperie, ſed gelida tantùm & leviter pruinoſa.

Succus hic Saccharum non obſcurè reſipit, unde Canadenſes Americani ex eo Arundinum liquoris in modum decocto Sacchari quoddam genus conficiunt, ab arundineo diſcretu haud facile, cujus portiunculam munere ingenioſiſſimi & eruditiſſimi Viri *D. Franciſci Aſton* R. S. olim Secretarii, habemus.

Eſt Aceris occidentalis ſpecies folio minore ſubtus incano, ſuprà atro-virente, quæ Acer flo- floreſcens Virginiana audit; hæc inodora eſt.

4. *Aceris majoris varietas* J.B. *An Acer montanum* Park? *Acer montanum flavum ſive criſpum* C. B? *An Ac. mont. tenuiſſimis & acutis foliis* ejuſdem?

J. B.

Prædicto foliorum amplitudine minimè cedit, nec tam altis ſinuum diviſuris, nullis item ſerratu-is, ſed extremorum acutie exquiſitiſſima, ut cum quavis etiam acicula certet, pari nervorum diviſu-â, ſed minùs frequenti inferna parte: non incana ſunt ut prædicti folia, ſed dilutè viridia, ſplendi-antia; ſupernâ ſaturatiùs viridia, non tamen adeo ut priora. Tota cæterum folii facies mollior, elicatiorque, longioribus etiam hærent pediculis. An in flore & fructu aliqua ſit diverſitas non-um obſervavimus.

Habemus folia in montibus propè Genevam collecta, quæ deſcriptioni Bauhinianæ examuſſim uadrant.

Acer montanum fœmina *C. B.* colore eſt magis flavo quàm mas, ligno duriore & venoſiore ma-ſque criſpo, citiúſque floret. Germani, inquit, ob flexuoſos venarum diſcurſus ad opera lautiora untur, lignum nobile vocantes; ex hujus radicibus cochlearia pulchra conficiuntur.

In horto Edinburg. *Sutherland.* invenio Acer Maj. foliis eleganter variegatis. *Locus.*

5. *Acer majus folio rotundiore minus laciniato, an Opalus Italorum?*

Hujus folia habemus in Italia & Sicilia collecta quæ magnitudine ad Aceris majoris vulgaris folia cedunt, longis pariter pediculis nixa, verùm rotundiora, minùs profundè laciniata, laciniis etiam ſegmentis obtuſioribus.

Non pediculi tantùm ſed & venæ ſeu nervi foliorum inſigniores rubent.

Arborem ipſam, quod piget, non deſcripſimus, quia à Botanicis ante nos pridem deſcriptam fuiſſe non dubitavimus.

6. *Acer Virginianum ſive Canadenſe. Virginianum odoratum* Herman. Cat. app. *An Styrax Aceris folio?*

CAP. II.

De Fraxino.

Fraxinus Græcis Μελία & μελίη. Τρίοζος etiam cognominatur, i.e. trinodis, quod ramos ordinatos & numero pares habeat. Latini nominis Etymon probabile apud Grammaticos non invenio: nam à *Frago* dici, quod in fragoſis locis naſcatur; aut à φράξις *ſepimentum*, quod ad ſepes conficiendas utilis ſit, minùs placet.

Fraxini notæ ſunt folia pinnata, folliculi membranacei oblongi, ſemine extremum inferius ſeu quod ad pediculum eſt occupante, non ante Autumnum maturo; flores ſtaminei congeſti, ante folia erumpentes, & brevi evaneſcentes.

A. 1. *Fraxinus vulgatior* J. B. *excelſior* C. B. *vulgaris* Park. **Common Aſh-tree.**

Specioſæ proceritatis arbor craſſo, ſimplici, erecto, celſóque caudice adoleſcit, cortice cinereo, unde fortaſſe nomen Anglicum **Aſh**, materie alba, criſpo pectinum diſcurſu undulatâ, validis ramis, binis ex adverſo poſitis, brachiata. *Folia* itidem bino ordine inter ſe contraria, Sorbi modo pinnata, quadruplici, quintuplicíve, aut etiam ſextuplici pinnarum conjugatione ad coſtam annexa, quam impar folium terminat, lævia & interdum crenata, ſicco ſapore ſubamaro, acríque ac mordaci prædita; quem etiam ſaporem linguæ imprimunt quoque fructus qui peculiari ſurculo numeroſi dependent, quod inverſam avis linguam referant, inde in Seplaſiis nomen adepti. Ex his ſinguli ſeſcunciam circiter longi, parùm culmo latiores, infima parte [à petiolo remotiore] membranei, à medio ad pediculum medullâ farcti ſunt, alba, guſtu acri & amaro. Radices ſumma tellure gaudent, & in ſuperficie terræ latè extenduntur; unde & arbor ἐπιπολαιόῤῥιζα rectè à Theophraſto dicitur.

* In Hiſt. Lug. Scribit * Dalechampius ſe globoſos muſcos, quales tradit Theophraſtus, in Fraxino obſervâſſe, & collegiſſe hyeme jam deſinente: eſſe tuberoſos, velut ex reſiccato impenſiùs glutinoſo muſco concretos, guſtu nonnihil adſtringente, lignoſo intus nodo muſcoſum corpus ſuſtinente. Nec J. Bauhinus neque nos quicquam tale in Fraxino hactenus obſervavimus. Si quod tamen ejuſmodi ſit, nihil aliud eſt quàm excreſcentia quædam à punctione aut afflatu venenato inſecti cujuſdam excitata.

Cùm dicat Columella Ornum eſſe Fraxinum ſylvaticam ſeu montanam, ac Theophraſtus referat rupium Fraxinum colore eſſe luteo, & Germanorum *Wald-eſcher* montana ſit, colore luteo, ut experientiâ ſibi compertum eſſe ſcribit Turnerus, rectè nobis videntur facere, qui Fraxinum montanam & ſylv. Germanorum eſſe Ornum Latinorum & Fraxinum ſylveſtrem Theophraſti ſtatuunt. *J. B.*

Locus. Naſcitur Fraxinus æquè in montoſis (ſed humidis) ac planis; nec minùs in calidis quàm in frigidis regionibus: in Anglia ubique frequentiſſima eſt in ſylvis ac ſepibus. Auctu facilis eſt, & feſtinantiùs germinat.

Fraxinum duplicem faciunt nonnulli, *marem* ſeu ſterilem quæ floſculorum racemos nigros duntaxat fert, & *fœminam* ſeu fertilem, quæ ſemen ſeu linguam avis dictum producit. Nos in Fraxinis verno tempore ejuſmodi florum ſtamineorum congeſtorum racemos obſervavimus, ante folia erumpentes, & brevi evaneſcentes: nec tamen infrugiferæ, (quantum meminimus) fuerunt hæ arbores, verùm poſt flores etiam fructus protulerunt, quod & Parkinſonus affirmat.

Ligna Fraxini poſt vindemiam & Arcturum cædenda præcipit Theophraſtus: nam ſi vel citiùs, vel ſeriùs quàm par eſt cædantur, teredini obnoxia erunt.

Cortex interior Fraxini (ut refert Cæſalp.) aquam in qua maduerit cœruleam reddit.

Fraxinus Homeri præconio & Achillis haſtâ multùm nobilitata eſt. *Plin.* Porro tantus eſt materiei ejus uſus, ut Fraxinum præ aliis copioſiſſimæ materiæ causâ naturam generâſſe ſcribere non dubitârit Plinius: quippe quæ obedientiſſima ſit in quocunque opere, tandémque pro haſtis Corylo melior, Corno levior, Sorbo lentior. Eſt ſanè Fraxini lignum tenaciſſimum ac duriſſimum. Multùm tamen intereſt inter virgam ſeu ſtolonem è terra enaſcentem, & ramum è trunco arboris *Uſus.* adultæ decerptum lentoris reſpectu; hic enim valdè fragilis eſt, cùm ille tenaciſſimus ſit. Ad ephippia & ſariſſas conficiendas expetitur; ad aratra & crates, rotarum canthos & modiolos, ad rhedas, vehicula & ſcalas, ad menſas, cochlearia, pocula; ad circulos pro doliis, manubria & capulos organorum quorumcunque, pugionum, &c. ad ligones & palas, aliáque ferè omnia inſtrumenta fabrilia commodiſſimum eſt. Denique (ut pergit J. Bauhinus) Quicquid ex ligno fieri debet, ità ut ſubtile, fabrefactum, etiámque forte eſſe debeat ut magnam vim ſuſtinere queat, non meliùs ex alio quàm ex iſto parabitur.

Fraxini ſemina contrita & cum vino pota urinam ducunt. *Hipp.*

Vires. Cortices Fraxini in vino coctas per triduum da porcello, & in quarto die occide ipſum, & (credere fas ſit) non invenies ſplenem. *Gal.*

Foliorum Fraxini olim uſus fuit pro pabulo boum & caprarum: ſiccant validè, curántque ictus ſerpentum, ſi Veteribus fides. De antipathia inter ſerpentes & hujus arboris ramos foliáque mi

efert * Plinius, quæ quoniam ſe expertum affirmat adſcribere non pigebit. *Tanta eſt vis,* inquit, *Lib. 16.c.13.
*t nè matutinas quidem occidentéſve umbras quum ſint longiſſimæ, ſerpens ejus arboris attingat, adeò eam
rocul fugit. Experti prodimus, ſi fronde ea gyro claudatur ignis & ſerpens in ignem potiùs quàm in Fra-
inum fugere ſerpentem.* Idem etiam ſe expertum prodit Ambroſius Paræus. At Camerarius con-
rarius ſe expertum ſcribit in ſerpentibus Germanicis: & D. Charas in obſerv. & experim. de vipe-
is non ita pridem Gallicè editis aſſerit ſe facto circulo è foliis Fraxini, qui habuerat circa tres pe-
les diametri viperam vivam in eum immiſiſſe, quæ folia (ut videtur) nihil verita, illico ſub iis
ſeſe occultatum ivit. Vel ergo deceptus erat Plinius à magico quodam impoſtore, vel aliam arbo-
em intelligit.

Cortex & lignum Fraxini ſiccant & attenuant; lienis duritiem ſpecificè emollire creduntur, un-
e & in poculis ex ligno factis ſi quis aſſiduè bibat lienem extenuari aiunt, eóque nomine & corti-
is decoctum quidam exhibent, quo etiam aliqui vice ligni Guaiaci felici ſucceſſu utuntur. Corti-
em medianum Fraxini in exteris regionibus in Febribus intermittentibus frequenter præſcribi ob-
rvavit D. *T. R.* Eundem & in Anglia cum ſucceſſu exhiberi audiviſſe retulit idem, in Obſervatio-
ibus nobis communicatis. Foliorum & ſummitatum ſeu ſurculorum teneriorum ſuccus quotidie
anè paucâ quantitate potus hydropicis conducere dicitur. Sal Fraxini ſudores movet, diureticis
edicamentis mixtus: idem efficit & decoctum corticum.

Semen, *Lingua avis* dictum, calfacit & ſiccat validè; conducit epaticis, pleuriticis, calculoſis.
hymici moderni, & præ aliis Glauberus, ad calculum renum & veſicæ conterendum miris illud
rconiis extollunt. Cum nucleis Piſtaceis, Pineis & ſaccharo comeſtus coitum juvat. Exiccati
oſt plenam maturitatem pulvis non ad calculum tantùm, ſed etiam ad icterum & hydropem re-
edium eſt præſtantiſſimum, atteſtante D. *Bowle*, medico inſigni.

Semina Fraxini ad ℥j. cum vino exhibitum ex Plinio Hydropicos curat, & corpore obeſos ad
aciem reducit: Arabibus etiam maximè commendatur. Epiphanius Ferdinandus hiſtoria 82.
Hulſe.

Semina Fraxini viridia, ſeu potiùs fructus collecti ante maturitatem in Anglia muriâ ex aceto &
e condiuntur pro acetario.

2. *Fraxinus tenuiore & minore folio* J. B. *humilior ſive altera Theophraſti, minore & tenuiore folio* C. B. *ſylvatica ſeu petræa Germanorum Turnero forté.*

Varietas potiùs Fraxini eſt quàm ſpecies diſtincta, cujus folia pinnata ſegmentis dividuntur te-
oribus, ſtrictioribus, acutioribus, perinde tamen ſerratis ut vulgaris Fraxini. Rami pluribus &
brioribus tuberculis, foliorum pediculo ſedem daturis, inæquales.

Ex Lugduno vicinis montibus habuit J. Bauhinus. **Locus.**

3. *Fraxinus rotundiore folio* J. B. C. B.

Huic quoque folia conjugatim diſpoſita, ſed quæ Piſtaciorum folia referunt, ſubrotunda, minora
àm Fraxini vulgaris, in ambitu ſerrata, in quibus medietas interior ad nervi imum brevior quàm
erior ſæpe conſpicitur, id quod in Terebintho & Piſtaciis uſu venire ſubinde obſervamus.

Ex Italia attulit C. Bauhinus. **Locus.**

Ex hujus ramis & foliis in Calabria æſtivis menſibus exſudat Manna, & in granula Solis calore
ncreſcit. Nam Mannam vulgarem Officinarum non eſſe rorem cœleſtem aut mel aereum evi-
ntiſſimis argumentis & experimentis probat tum Altomarus, tum Pena & Lobelius, necnon
onachi qui in Meſuem commentati ſunt, nequicquam reclamantibus Matthiolo, Cæſalpino &
is. Quæ enim evidentior poteſt eſſe demonſtratio Mannam ipſius Fraxini humorem ſeu ſuccum
e, gummi modo exſudantem, quàm quòd è trunco aut ramis vulneratis extillat? quódve experi-
ntum certius & efficacius ad id evincendum eo quod Pena & Lobelius tradunt, Ramos magnos
icis & Fraxini præciſos, atque in vinariam cellam, quo æſtatis tempore Manna colligi ſolita eſt,
ortatos, Mannam poſtero die, quanquam non perinde nitidam oſtentâſſe.

Idem quoque mihi cùm in Italia peregrinarer confirmarunt tum alii Calabri, tum præcipuè eru-
iſſimus Vir & ſedulus naturæ operum indagator D. *Thomas Cornelius* M. D. Neapolitanus, Conſen-
Calabriæ oriundus, teſtis αὐτόπτης & omni exceptione major, qui in ramulis & foliis à ſeipſo
periundi causâ linteo circumvolutis & curioſè contectis Mannam ſæpiùs collegit: quod experi-
entum ante eum ab Altomaro aliíſque factum legimus. Fruſtra ergo vel huic veritati confir-
ndæ argumenta accumularemus, vel ratiunculis aliorum in contrarium allatis refutandis tem-
s inſumeremus. Quæ utrinque adductæ ſunt probationes reſponſionéſque apud J. Bauhinum vi-
ri poſſunt.

Mannam autem in Calabria ſingulis annis circa vel paulo ante caniculares dies & Sextiles plu-
s colligunt; cùm autem pluit ceſſat fluere.

Eſt autem Manna duplex: quæ è Fraxino colligitur.

1. *Spontanea*, eáque duplex, vel *corporis*, ut vocant, vel *folii.*
2. *Coacta*, quam *Sforzatellam* vocant Calabri.

Obſervant collectores in Fraxinis Mannam emanare ex ramis ea potiſſimùm parte quà foliorum
liculi eiſdem annectuntur.

Notandum etiam, non manè priuſquam Sol valdè perurat, ut quidam falsò retulerunt, colligi
annam, ſed meridie Soléque fervidiſſimo; non enim à Solis calore rareſcit, ſolvitur aut evane-
, ſed potiùs concreſcit, & durior ac candidior redditur. Atque hoc reſpectu, Altomari experi-
nto, differt Manna *Calabrina* à *Bombycina* dicta, &, ut veriſimile eſt, *Maſtichina*, reliquiſque
ientalibus, quæ fortaſſe ſunt rores cœleſtes concreti ſeu mella aerea. Hanc ſe ferro ac lateri ig-
o cum *Calabrina* granis quibuſdam injeciſſe refert, tam ejus quæ ex foliis, quàm quæ ex ramis

&

& caudice colligitur; illam autem protinus ſolutam & liquefactam: hanc verò aridiorem duriorémque redditum: Soli quoque expoſitam *Bombycinam*, non quidem ità repentè, ſed ſenſim liquefactam; Calabrinam verò duriorem redditam & albidiorem.

Notandum inſuper colligi Mannam omnem quidem ex Fraxino & Orno; ſed non ex omnibus individuis, unde in Calabria venduntur tales arbores quæ Mannam dant, ut ſcribit Altomarus.

Vires. Mannæ, referente Cæſalpino, uſus eſt in tota Italia ad alvum leniendam diſſolutæ jure aut ſero, pondere duarum unciarum aut trium, mitiſſimum enim eſt medicamentum, ſolùm tenues humores educens, bilioſos & ſeroſos. Tutò exhibetur ſenibus, pueris, fœminis etiam prægnantibus & delicatis. Non ipſe ſolus (inquit Altomarus) ſed omnes ante me & juxta me in hac regione Medici hac Mannâ bono ac felici ſucceſſu citra ullam noxam uſi ſunt, præſertim ad alvum molliendam. Lenit etiam thoracem & aſperam arteriam.

Cautelæ in ejus uſu (inquit C. Hofmannus) duæ ſunt. 1. Nè detur cruda ſed cocta. Habet enim non minùs quàm Caſſia flatuoſum quid. 2. Ut detur cum acribus, Thymo, Hyſſop. &c. ut actio ſit celerior.

Eligenda recens (anno non vetuſtior) granis minoribus & rotundioribus, qualis eſt Manna folii, candida, lucida, guſtu dulcis, & cum his omnibus ſolida.

Jam ſi quæratur, cur Fraxinus in Calabria Mannam fundat, in aliis regionibus non item, quæram & ego cur Lentiſcus in Chio inſula Maſtichen manet, in Italia aliiſque regionibus minimè. Reſpondeo autem id evenire vel ratione temperiei cœli, vel conditionis ſoli, vel utriuſque, vel fortè etiam peculiaris naturæ & conſtitutionis ipſarum arborum.

C. Hofmannus Mannam Orientalem & Europæam ejuſdem generis eſſe opinatur, ſed neutrum melleum quid, verùm ſuccum ſeu liquorem arboreum: cui ſuffragatur Garcias, in Hiſt. Arom. de Manna Orientali ſcribens, compertum ſibi, eſſe eam gummi vel reſinam arboris Perſicæ dictæ. *Quæſt*. Deinde, cùm certum ſit Europæam eſſe arboreum quid, Orientalis autem ſit illi per omnia ſimilis; quidni ſit ejuſdem naturæ? At verò ſi ejuſdem naturæ ſint, cur tanta diverſitas liquefactionis & indurationis reſpectu? Experientiam appellamus.

Locus. Obſervavit D. *Tancredus Robinſon* in Regno Neapolitano itinerans multas cicadas ſugere & depaſcere Fraxinum humiliorem, undè ſuſpicatur Mannam faciliùs extillare per aperta vulnera ſeu foramina ab hiſce animalibus perforata, ſicut in Indiâ Orientali *Lacca* ex arboribus ab inſectis exugitur, & præparatur.

Ante chartarum uſum veteres ſcripſerunt res ſuas in interiori cortice Fraxini, Tiliæ, Fagi, aliarúmque arborum, in arundinibus, papyro Niloticâ, palmarúmque foliis; poſteà metallicis (præſertim plumbeis) laminis, in linteis, & ceris, in membranis ſeu pellibus animantium.

4. *Fraxinus florifera Botryoides* Moriſ. *Fraxinus Americana florida. Moriſ.*

Hæc à vulgari Fraxino parum differt primo intuitu quoad foliorum diſpoſitionem & corticem; ſed florum profert racemos, dodrantales, albos, pendentes, ſiliquas ſeminales nondum vidimus. Hujus plantam ſiccam ad nos tranſmiſit D. *Hanſius Sloan* ex Horto Monſpelienſi.

Locus. In Hortis reperitur Fraxinus Halepenſis; an ab Orno diſtinguendus?

CAP. III.

De Myrica ſive Tamarico.

Μυρίκη fortè ἀπὸ τȣ̃ μύρειν, quod ſtillo & fluo denotat, nomen ſumpſit, quod juxta fluvios naſcatur. Rectiùs ἀπὸ τȣ̃ μύρειν, quod lugere ſignificat, quòd ut fabulæ tradunt, Cinyræ filia in hanc converſa ſit. *Heſych.* Erat autem Cinyras rex Cypri: vel quòd improborum eſſet corona: quódque lignum ejus infelix habitum eſſet. Vide *Jo. Bod. à Stapel.* comment. in Theophr. Hiſt. lib. 4. cap. 7. p. 408. qui plura habet.

Ejus notæ ſunt folia Cupreſſi ſeu Ericæ vulgaris, flores ſpicati, multa ſemina lanugine involuta, ſimul conferta racematim in ſummis ramis.

1. *Tamarix major ſive arborea Narbonenſis* J. B. *altera folio tenuiore ſive Gallica* C. B. *Tamariſcus folio tenuiore* Park. *Narbonenſis* Ger. *Myrica* 1. Cluſ. **Tamariſk.**

Magna ex parte tantummodo fruticat, interdum in vaſtam arborem adoleſcit [in Cotonei mag nitudinem caudicémque abit] ſcabro caudicis cortice, ramorum verò punicante. *Folia* habet C preſſi aut Ericæ humilis vulgaris, coloris ex viridi ad cinereum tendentis: *Flores* extremis ramis i oblongis pediculis confertos & racematim compactos, exiguos, foris purpuraſcentes, cùm expan ſunt candidos, pentapetalos, qui deinde in exiguum ſemen tomento involutum efformantur, exigu veluti valvulis incluſum; quibus maturitate dehiſcentibus effluit, ut in Salice, Populo & ſim. Te plerunque in anno floret, Vere, Æſtate, Autumno; recentibus floribus ſemen jam evaneſcens ſem per ſubſequentibus.

Locus. Ad mare prope Monſpelium abunde oritur.

Curæ Edmundi Grindalli Archiepiſcopi Cantuarienſis Tamaricem Angli debent, quam indu tam lienis paſſionem eximiè juvare expertus, primus in Angliam tranſtulit. *Cambden. Eliſabeth.*

Nuſquam eam neque in Hiſpania, neque in Gallia perpetuâ comâ virentem vidit Cluſius, ſed n vo vere ſingulis annis nova foliorum germina protrudentem.

2. *Tam*

2. *Tamariſcus folio latiore* Park. *Germanica* Ger. *Tamarix Germanica ſive minor fruticoſa* J. B. *fruticoſa folio craſſiore ſive Germanica* C. B.

J. B.

Aquas amat (inquit J. Bauhinus) Tamariſcus noſtras, *radice* craſſa, & quæ crus æquet craſſitudine, cortice craſſiuſculo, inſigniter amaro tecta, quæ multam ſtolonum veluti ſegetem emittit; virgultorum fragilium, purpuraſcente cortice obductorum, & in frequentes ramos diviſorum; per quos folia longa cohærent ſerie, Ericæ vulgaris, majora quàm Tamaricis Monſpelienſis, duplici verſu aſcendentia, colore ferè glauco, ſapore adſtringente, longitudinis palmaris aut ſemipedalis. *Flores ſpicatim* in extremis ramulis digeſti, foliolis conſtant externis vireſcentibus, aliis purpuraſcentibus, *apicibus* in medio luteolis. Sequuntur calyculi ſive pericarpia mucronata, quibus dehiſcentibus pappus evolat delicatiſſimus, candidiſſimus, appenſo ſemine minutiſſimo, coloris rari.

Cluſius Myricam Pannonicam magnum fruticem eſſe ait, nunquam arboreſcentem, brumam tamen ferentem: *Flores* ex albo purpuraſcentes quinque foliis conſtare Gallicæ Myricæ majoribus.

Secus profluentes amnes ac quandoque exorbitantes fluvios, non rarò etiam circa paludes naſcitur, ſolo frequenter ſaxoſo: humidiores ſiquidem & lapidoſos amat tractus, ut recte Dodonæus. Nos locis conſimilibus circa Auguſtam Vindelicorum, Lindaviam & Genevam obſervavimus. *Locus.*

Floret Maio & Junio, ac deinceps tota fere æſtate flores & ſemen proferre non deſinit. *Tempus.*

3. *Tamariſcus Ægyptia Gallifera* J. B. *Tamarix Ægyptia arbor* C. B. *Tamariſcus Ægyptia gallas ferens* Park.

Tamaricis domeſticum genus, autore Alpino, in Ægypto ſpectatur, proceritate figurâque admodum à ſylveſtri Europæa diverſum, quod ad magnæ Olivæ magnitudinem creſcat; audióque etiam, inquit, ſupra Ægyptum, in loco *Sabit* ab iis populis vocato creſcere ad magnæ Quercûs magnitudinem, cujus ex lignis carbones faciunt, quibus tota Ægyptus & Arabia utitur, ex eóque ligno multa vaſa conficiunt, ad multorum ægrotorum uſum. *Folia* fert ſylveſtris Tamariſci foliis proxima, tamen longiora & graciliora, apparéntque multa capillamenta viridia, qualia in aliquibus Equiſetis viſuntur, ramo appenſa, ſemper virentia. *Fructus* fert paucos, raros, virides, nucum magnitudine, duros, lignoſos, ſine nucleo, & videntur ejuſdem ſubſtantiæ eſſe cum gallis: omnes verò figurâ inter ſe differunt, quanquam in omnibus ſuperficies aſpera & inæqualis obſervetur, quando alii longi, alii breves, alii rotundi, alii lati, alii craſſi, aliíque graciles exiſtant. *Corpora hæc non veros fructus arboris eſſe exiſtimo, ſed excreſcentias præternaturales & genuinas gallas; quomodo ea vocat Bellonius, qui arbores haſce adeò multas ſubinde è ramis Gallas ferre ſcribit, ut onere earum gravatæ ferè fatiſcant.*

Hæc etiam ſpecies in Ægypto, autore Bellonio, locis humidis ſecus flumina oritur, non rarò etiam aridis & ſabuloſis. *Locus.*

Hujus Gallæ, ut & cortex, non paucam ſortitæ ſunt aſtrictionem, adeò ut gallæ omphacitidi ſint (inquit Galenus) niſi quia acerbitas evidens eſt in galla, at Myricæ fructui temperatura ineſt inæqualis: immiſſa enim eſt naturæ ejus multa partium tenuitas, atque vis abſtergendi, quod ſane gallæ non accidit. Attamen ubi galla ad manum non eſt eâ uti licet ad omnia ad quæ illâ utimur, ad eadem & cortice. *Vires.*

Decoctum foliorum in vino potum lienem abſumit. *Dioſc.* ſuccus expreſſus cum vino bibitus *Plin.* Adeóque mirabilem hujus arboris antipathian contra ſolum hoc viſcerum faciunt, ut affirment ſi ex alveo facto bibant ſues ſine liene inveniri. Hinc ex ejus ligno, ut olim ità & nunc dierum detornantur pocula, in quibus potus lienoſis præbetur. Cluſius Doliola è Myricæ aſſulis Francofurti ad Mœnum venalia memorat, quibus contentus liquor lienoſis prodeſt. Ejuſmodi etiam doliola ex Epiſcopatu Salisburgenſi artificioſè constructa Viennam uſque venalia deferri ſcribit J. Bauhinus. Conſimilium vaſorum uſus eſt etiam apud Ægyptios ad induratum lienem, autore Alpino. Eodem tradente Tamariſci ligni uſus eſt tum in Ægypto, tum magis ſupra Ægyptum, ubi harum arborum copioſus eſt proventus, ad ignem major, quando ferè nulla alia ligna ad comburendum habeant. Mulieres decocto ex cortice parato per os ſumpto utuntur ad ſiſtendas menſtruas purgationes, ex quo parant etiam inſeſſiones, & clyſteribus in uterum injiciunt decoctum: idem quoque fructus facere aiunt. Iis ſiquidem utuntur in ſputo ſanguinis, in lienteriis, & in menſtruis plus juſto fluentibus, atque hæmorrhoidum immodico fluxu: Dentes etiam commotos atque collabantes ipſorum decocto firmant, atque in iis concitatum dolorem demulcent. Utuntur etiam ad oculorum lippitudines incipientes in collyriis, atque ad oris ulcera. Cinis quoque corticum & fructuum ulcera curat. *Atque hæ vires & effectus ſunt quos Veteres etiam Tamarici tribuunt.*

De ligno multi decoctum, non ſecus quàm noſtri ex Guaiaco ad curandam Luem Veneream facere ſolent, quod exhibent leproſis, ſcabioſis, atque aliis multis puſtulis & ulceribus affectis, feliciori cum ſucceſſu: idémque faciunt in melancholicis, ictericis nigris & hydropicis ex refrigerato obſtructo atque indurato liene concitatis.

Luem impura Venere contractam verè ſcripſit Alpinus non ſecus Tamariſci quàm Guaiaci decocto profligari. Non enim adeò gravia ſunt quæ in Ægypto infecti patiuntur. Excludit mali impetum purior corporum conſtitutio, tum illa ſudorum per continuum aeris æſtum & balneorum frequentiſſimum uſum conſueta profuſio. Vidi ſæpius peſſimè affectos, & in oſſa ipſa fœde ſæviente morbo, cùm extrema omnia fruſtra alibi tentata fuiſſent, in hac regione citra magnam præſidiorum vim noxiam luem evaſiſſe. *Veſling.*

CAP.

CAP. IV.

De Platano.

PLatanus à πλατὺς dicta eſt, tum quòd folia habeat latiſſima, tum quòd ramis ſit patulis & latè diffuſis.

Notæ Platani characteriſticæ ſunt folia latiſſima, ſemina in pilulis lanigeris, conglobata.

1. *Platanus Orientalis vera* Park. *aliis autoribus ſimpliciter Platanus dicitur. Platan.* Orient. *pilulis majoribus* Herman. **The Plane-Tree.**

Platanus, deſcribente Cordo, arbor eſt magnæ, amplæ & in latitudinem diffuſæ Nuci ſimilis & æqualis. Caudice aſſurgit robuſto, non ità procero, ſed ſtatim in ramos diviſo. Cortice tegitur lævi, corio ſimilis, ſubinde ſingulis menſibus exteriores & ſcabriores tunicas exuente, unde ſemper ſub arbore hac adulta ſtrati conſpiciuntur cortices. Rami ejus nullo ordine in alios crebrò dividuntur ramos, ſurculi Nucis ſimiles. Virgæ & ſurculi ex intervallo nodis & geniculis præcinguntur, ex quibus ſingulorum annorum germinationes & acceſſus ſurculorum numerantur. *Folia* habet magna, lata, dura & robuſta, dodrantali plerunque quoquoverſus amplitudine, ſeſquiunciali, pediculo, aut longiore ſurculis adnata, in quinas aut ſenas partes inſtar palmæ humanæ diviſa, hyeme decidua, Aceri ſimilia, niſi ſingulæ eorum fibræ in plures partes utrinque diſſectæ eſſent. Venæ à pediculo ad omnes foliorum partes & eminentes angulos evidentes derivantur. Vere cùm germinaverit, ſecus folia etiam globulos quoſdam producit, longis & gracilibus dependentes pediculis, undique aſperis, & veluti lanugineis floſculis plenos, paulatim in majuſculas pilulas excreſcentes, parvo Caſtaneæ echino æquales. Sunt autem hirſutæ hæ pilulæ & lanuginoſæ, atque totæ ceu aculeis conſtantes, ſed mollibus, Sparganii ſimilibus. Cùm Autumno ad maturitatem perveniunt pilulæ totæ fatiſcunt & diſſolvuntur in totidem ſemina quot aculeis aſperatæ fuerant: Singula enim ſemina in ſuperficie pilulæ in acumen deſinunt. Porro ea ſemina parva ſunt & oblonga, undequaque flava, aſpera & papposa lanugine involuta; quo fit ut confractæ pilulæ nihil aliud quàm pappoſa lanugo eſſe appareat, Amianto contrito ſimilis: ea ſi caſu in aſperam arteriam recepta fuerit ſtrangulat, ideóq; inter venena à quibuſdam Veterum recenſetur. Materia arbori ſatis robuſta, mixtæ cum Fago & Quercu ſimilitudinis. Auctu facilis eſt arbor, ſi aptum nacta fuerit ſolum, quale eſt pingue, rarum, riguum; nam in aſperis & ſaxoſis contumaciter adoleſcit, & tortuoſa nudoſáque evadit. *Hactenus Cordus.*

Quod ad locum in genere attinet convenit inter omnes quòd gaudeat riguis & paluſtribus, aquarúmque ripis. In Italia ſponte non naſci teſtatur Anguillara; quod etiam è Plinii verbis colligitur. *Sed quis*, infit ille, *non jure miretur arborem umbræ gratiâ tantùm petitam ex alieno orbe. Platanus illa eſt, per mare Ionium in Diomedis inſulam, ejuſdem tumuli gratiâ, primùm invecta, indè in Siciliam tranſgreſſa, atque inter primas donata Italiæ*, &c. In Creta inſula ſponte provenit; item in Lemno; in Monte Atho ubi magnitudine comparari poſſint Cedris montis Libani, autore Bellonio; necnon in Caſtagna Macedoniæ monte, inque Tauro Aſiæ & alibi. Quinetiam in Sicilia ad radices montis Ætnæ naſci aiunt. De quo tamen dubito; cùm nullas in ea inſula ſpontaneas obſervaverim, & Plinius Siciliæ peregrinam faciat.

In urbe Roma multas vidi adultas & ſatis proceras hoc genus arbores. In Anglia etiam propè Verulamium multæ viſuntur, à Nobiliſſimo Viro, & toto orbe celeberrimo, D Franciſco Bacone, Barone Verulamii, Vice-comite S. Albani ſatæ; ut à D. Franciſco Willughby certior factus fui.

Locus. In Creta prope Cortinam urbem Platanus una eſt inſignis utriuſque linguæ monumentis, nunquam folia dimittens, alia in Cypro. An fuerint unquam iſtiuſmodi arbores, dubium nobis videtur: quod ſi fuere, eæ non peculiare aliquod genus Platani conſtituebant, ſed caſu quodam & extra ordinem naturæ tales evadebant; nec enim Plinio credimus ſemine ſatas regeneràſſe vitium, ut ille vocat.

Errant qui Aceris ſpeciem majorem pro Platano habent: quamvis enim foliorum aliqualis ſit ſimilitudo, aliis tamen notis à Veteribus Platano adſcriptis, ut v. g. fructus formâ, manifeſtè differunt.

Sed minùs adhuc ferendus (inquit J. Bauhinus) eorum error qui Tiliam Platanum eſſe putarunt, nam in hac nec folia conveniunt.

Vires. Tenerrima Platani *folia* [& cortex *Plin.*] in vino decocta mox illita oculorum fluxiones ſiſtunt, ac cùm œdemata, tum phlegmonas [viridia trita & illita *Gal.*] levant.

Cortex in aceto coctus ad dentium dolores colluitur, è vino Scorpionum ictus reſtinguit *Plin.* Sunt qui cum cortice combuſto medicamentum deſiccatorium & abſterſorium efficiunt, ut cum aqua lepras ſanet, per ſeſe autem illitum ob humorem nimium ulcera vetera & ſordida.

Pilulæ virides in vino potæ ſerpentum morſibus auxiliantur, exceptæ autem adipe igni ambuſta ſanant, vel frigore addit Plinius: tuſæ autem cum aceto acri, magíſque Scyllite, ſanguinem omnem ſiſtunt. Et lentiginem & carcinomata, melanias quoque [melandriáſque] veteres addito melle emendant. *Plin.*

Foliorum pilularúmque lanugo (in aures & oculos) illapſa auditum viſúmque labefactat: aſperam etiam arteriam inſpirata offendit.

Hæc è Veteribus Dioſcoride, Galeno, Plinio: Hodie nullus ejus, quod ſciam, in medicina uſus eſt.

In monte Atho, ut obſervavit Bellonius, cymbas parant ex magnis truncis Platani excavatis, ſine magno labore aut ſumptu.

Cæterùm Arbor hæc quòd vaſta eſſet, quòd patula, quod foliis ampliſſimis, umbræ faciendæ per-
commoda, à Veteribus Græcis & Latinis præcipuo in honore habita & literarum monumentis ce-
ebrata eſt. *Nunc eſt* (inquit * Plinius) *clara in Lycia gelidi fontis ſocia amœnitate, itineri adpoſita,* * *Lib.* 12. *cap.* 1.
omicilii modo cava, 80 *atque unius pedum ſpecu, nemoroſo vertice, & ſe vaſtis protegens ramis arbo-*
um inſtar, agros longis obtinens umbris: ac nequid deſit ſpeluncæ imagini, ſaxea intus crepidinis corona
uſcoſos complexa pumices: tam digna miraculo, ut Licinius Mutianus ter Coſ. & nuper etiam provinciæ
ius legatus, prodendum etiam poſteris putavit, epulatum, intra eam ſe cum duodeviceſimo comite, largè
ſa toros præbente fronde, ab omni afflatu ſecurum, optantem imbrium per folia crepitus, lætiorem quàm mar-
orum nitore, picturæ varietate, laquearium auro cubuiſſe in eadem. Aliud exemplum Caii Principis in
eliterno rure mirati unius tabulata, laxiſque ramorum trabibus ſcamna patula, & in ea epulati, cùm ipſe
ars eſſet umbræ, quindecim convivarum, & miniſterii capace triclinio: quam cœnam appellavit ille nidum.

Platanus Occidentalis aut Virginenſis Park. *Platan. Occident. pilulis minoribus* Herman.

Hæc etiam Arbor magna eſt & patula; folia præcedentis æqualia, non tamen adeò profundè in-
ſa aut laciniata. Pilulæ ſeu echini ſphæriceæ pariter rotunditatis, minùs tamen aſperæ & aculeatæ
nt; cætera ſimiles.

E Virginia in Angliam tranſtulit Joan. Tradeſcantius.

CAP. V.

A. *Rhus Myrtifolia Belgica* C. B. *Myrtus Brabantica ſive Elæagnus Cordi* Ger. *Rhus ſylveſtris, ſive Myrtus Brabantica vel Anglica* Park. *Gale frutex odoratus Septentrionalium Elæagnus Dod.* J. B. **Sweet Willow, Gaule, Dutch Myrtle.**

LIgnoſus eſt frutex, ſarmentoſus *Dod.* cubiti altitudinem raro attingens, [imò apud nos non raro ſuperans] in ramos multipliciter divaricatus, cortice rufo ad ſpadiceum vergente lævique. *Folia* quodammodo accedunt ad Vitim Idæam fruticoſam, vel ad parvam Salicem, gla-
, ſed quodammodo incana: atque in quibuſdam illorum ſerraturæ apparent. Ramorum extremis
ident *capitula* veluti Juli, multò minores quàm in Betula, ſquamati, perelegantes, quippe qui di-
o ſpadiceo ſplendicent. Cortex amaricat non ſine adſtrictione; materies candida.

Lobelio *floſculi* ſunt ex luteo pallidi, quibus ſuccedunt ſeminum crebri racemuli, conferti & con-
i quaſi ſpicis, in quibus *ſemen* pingue, odore Stœchadis citrinæ, ſed vehementiore, & Trifolii
odammodo.

Radix, teſte Dodonæo, ſubeſt lenta ac dura. Totus frutex cum gravitate quadam odoratus.

Gaudet locis incultis & ericaſtris, aquoſis & paluſtribus ut rectè Dodonæus. Invenitur plurimus *Locus & Tempus.*
inſula Elienſi, locis udis & paluſtribus, ſolo ſpongioſo: alibi etiam conſimilibus in locis reperi-
s, ut v. g. in Septentrionalibus Angliæ, & prope Wareham oppidum in Comitatu Dorceſtriæ.
io & Junio flores apparent, Julio & Auguſto ſemen perficitur.

Sapor egregiè amarus inſignem habere vim ſiccandi & diſcutiendi monſtrat; ſed præſertim va- *Vires.*
tam ſumptum, quàm admotum ad lumbricos necandos & pellendos Dal. prodidit.

Hujus foliis & ramulis ædium conclavia per æſtatem ornant noſtrates, odoris gratiâ, quem flores
ſummitates ſuaviſſimum exhalant: Eadem in arcis inter veſtimenta recondunt, non tantùm odo-
gratiâ quem communicant ſed & ad tineas abigendas.

Hujus uſu Polonos doctos eſſe enecare pediculos porcorum ſibi relatum ſcribit Simon Paul-
. Si enim ſuibus in haris ſubſternas Chamælæagnum, ſpatio aliquot horarum pediculi inter-
riuntur omnes, nec lendes poſt dein animantur. Quin & in ſaltibus in quibus Chamælæagnus
ſcit nunquam ſtabulantur aut cubilia ſua habent ſerpentes, imo nè quidem accedere ad eos, multò
nùs eos perreptare unquam viſi ſunt.

Flores nonnulli Lupuli vice Cereviſiæ incoquunt, qui caput admodum tentantem & citò temulen-
n inducentem eam reddunt.

In tractu Bergenſi & aliis Norwegiæ locis vulgus parare novit unguentum ex pulverata Chamæ-
gno & butyro Maiali admodum efficax adversùs contumaciſſimam ſcabiem: *S. Pauli, Quadrip.*
an. Claſ. 2. *p.* 45.

Nota ſunt hodie Theæ arboris folia à Sinis uſque ad nos delata, ex quibus in aqua communi de-
tis addito Saccharocando conficitur potio non injucunda, & ſalubris credita, cui ſimilem ex foliis
us fruticis exſiccatis parari aiunt. Quin Simon Paullus affirmat ipſius Myrti Brabanticæ folia eſſe
eæ dicta, tam longè petita, tantóque in honore habita. Verùm toto cœlo errat, & Thea arbor
longè à Chamælæagno differt, quàm China ab Europa diſtat.

CAP. VI.

Arbor Indica flore maximo, cui multæ innaſcuntur ſiliquæ. Syalita H. M. P. 3. T. 38, 39. p. 39.
H. M.

ARbor eſt procera, 40 aut 50 pedes alta, *caudice* admodum craſſo, cortice itidem craſſo munito, qui cuticulâ cinereâ ſquamoſâ obductus, intus albicans, ac copioſam aquam adſtringentem ubi inciditur exſudans. Similiter *radix* craſſa eſt, & tenui, rubro-nigricante, ſquamoſo, intus verò ad albicantem medullam purpureo cortice tecta, necnon fibris ſuis latè
erram diffuſa; ſapor acris, odor nullus. *Folia* oblongo-rotunda, ſingula craſſis, intus cavis ac
lanuginoſis

lanuginoſis petiolis inhærent, longitudine ſpithamam, latitudine palmum ſuperantia, ſupernè ſplendentia, infernè nequaquam, atro-virentia: Coſta media craſſa & in averſa parte altè extuberans, è qua nervi plures ordinatim fere bini & bini parallelo ductu ad prominentes dentatáſque oras exeunt: ſapo acidus. Inter ipſa autem folia è valido, craſſo, quadrangulo caule ſeu pediculo *calyx* prodit, qui ad mali Aurantii magnitudinem auctus ſeſe aperit, conſtans è quinque cochleato-cavis, viridibus, craſſis, validis, nitentibus foliis, ſeu potiùs cavis involucris, continentibus formoſiſſimum & admirandum *florem*, itidem è quinque albicantibus, glabris, cavis, rotundis, coriaceis foliis conflatum, plurimis in medio capillamentis albicantibus, aureis *apicibus* dotatis, præditum, quæ inſuper albicante umbilico ſtellato, eleganter è viginti angulis formato ſuperiùs ornata ſunt. Poſtquam verò flos ità apertus, ſuaviſſimo ac Liliaceo odore, ſeptem, octove dies elegantiam ſuam orbi exhibuit, quinque ejus albicantia folia ſtellatum umbilicum, ut & albicantia capillamenta inſtar ſativæ Braſſicæ arctiſſimè conſtringunt; dein craſſa, cochlearis inſtar cava, viridia, nitentia calycis folia omnes illas floris partes occludunt comprehendúntque, quæ unita ſingularum quæ in Flore ſunt partium complicatio Fructum efformat prægrandi malo ſimilem. Hujus fructûs partium omnium accuratam delineationem & deſcriptionem hîc vide. Stellatus floris umbilicus ex pluribus albicantibus ſeminum folliculis, inte ſe junctis exigua, albicantia, rotunda *ſemina* continentibus conflatur. *Semina* autem tenaci glutine tanquam piſcium ova cohærent, Tabaci ſeminibus haud majora.

Cæterum fructus hi noſtratibus Pomis vinoſis ferè aſſimilantur odore, ſapore & pulpâ; meditullium tamen paulò aliter hîc conformatur: etiam pulpa in fructibus hiſce maturioribus factis molliſſima evadit.

Locus. Creſcit in multis locis *Malabar*, præcipuè circa *Cochin* & provincias *Moutan*: ſemel in anno, Decembri viz. & Januario menſibus fructus fert, & à ſationis anno circiter quarto ad quinquageſimum & ultra frugifera eſt.

Vires. Fructus hi ob nimiam aciditatem in deliciis vix comeduntur, ſed in eduliis, præſertim indigenarum juſculis, uſurpantur. Ex arboris foliis lixivium fit, capillorum unctuoſitati, ac capitis ſordibus abſumendis, necnon argento decoquendo adeóque depurando accommodum. Succus è radicibus expreſſus cum linteis applicatus tumores phlegmonoſos ac œdematoſos reſolvit. E fructibus tenerioribus expreſſus ſuccus cum ſaccharo miſcetur, ac inde ſyrupus conficitur, qui phlegmata incidit & expellit, necnon faucium inflammationem ac aphthas tollit. Fructus autem maturiores laxam reddunt alvum, & diarrhœam non raro excitant. Denique arboris cortex cum Oryzæ infuſo, (quò indigenæ *Ambatacansja* nuncupant) tritus, partique affectæ illitus Arthritidi medetur.

CAP. VII.

Anonymos Ribeſii foliis. Icon. Robert.

FRutex eſt ſui generis, foliis Ribis, floribus pentapetalis dilutè albidis in umbellæ ferè aut Corymbi formam in ſummis ramulis coaggeſtis, pediculis tenuibus oblongis inſidentibus; calyc pentaphyllo. Singulis floribus ſuccedunt binæ interdum ternæ capſulæ ſeu Siliculæ, ut i Conſolidâ regali, in hortis noſtris ſemine caſſæ, quantum hactenus novimus, ob cœli, ut credibil eſt, inclementiam; deſcriptio eſt *D. Tancredi Robinſon*, qui hunc fruticem Pariſiis & in hortis diti ſimis Reverendiſſimi Epiſcopi Londinenſi D. H. *Compton* obſervavit.

A Canadâ & Virginiâ delata fuit hæc planta.

CAP. VIII.

Paliurus Lob. Dod. Ger. *Paliurus ſive Rhamnus* 3. *Dioſcoridis* Park. *Rhamnus ſive Paliuru folio Jujubino* J. B. *Rham. folio ſubrotundo, fructu compreſſo* C. B. Chriſts thorn. *J. B.*

NON ſemper humilis eſt, verùm interdum adeò excreſcit, ut arboris tueri nomen poſſit, materie perquam dura: virgas emittit rectas, & ab his ramos patulos, deorſum inflexos, ſubrubentes, quos tenues, rigidæ & mordaces armant ſpinæ. *Folia* Jujubinis tam ſimilia u nihil ſupra, quibus tamen nonnihil videntur minora, nec ità profundè per oras crenata, ſed minimùm ac interdum ferè nihil: cæteroqui Jujubini folii nervos tres per longitudinem decurrentes obtinent: Juxta quæ *flores* emicant parvi, ſtellati, orbiculati. Succreſcunt *fructus* lati, per margine membranacei, compreſſi, prominente utrinque umbone lignoſo, cujus medio pediculus inſeritur, q diffracti in geminis vel ternis loculis totidem oſtendunt ſemina, lubrico lævore, & colore ſeminu Lini, ſed rotundiora, toroſiora, pulpa dulci, coloris fere porracei.

Fructus (ut deſcribit Cæſalp.) depreſſus, ex tenui pediculo pendet, pulpa quadam fungoſa circumducta, oſſiculo intus duro, intra quem tria ſeminis conceptacula, ſingulis ſeminibus donata, quæ i ſuis alveolis tintinnabuli modo ſonant.

Facilè autem nobis cum J. Bauhino perſuademus Theophraſti Paliurum eſſe hanc plantam eandémque à Dioſcoride uno capite dici Rhamnum 3. alio Paliurum. Conſule Jo. Bauhinum.

Locus & Tempus. Circa Veronam, Bergamum Rom. & alibi in Italia, necnon circa Monſpelium in Gallia Nar Paliurum in ſepibus frequentem obſervavimus. Gaudet autem campeſtribus & incultis. Floret M & Junio; fructus Autumno matureſcit, & tota hyeme arbori adhæret. Hyemem etiam, niſi ſit adm dum acris, ferre poteſt, alioqui diligenter erit à frigore muniendus. *J. B.* Nonnullis *Spina Chriſti* citur, quoniam coronam ſpineam quâ Servatoris noſtri tempora violabantur ex ea nexam fuiſſe

tuman

tumant; nec enim ullum genus Rhamni aliúſve fruticis ſpinis acutioribus rigidioribusq; horridum nec impunè tractabile temere reperias: Hinc & ſepes vivæ hominum pecudúmque incurſibus arcendis commodiſſimæ ex eo parari ſolebant.

Vires. Adſtringunt, ventrem fluentem cohibent, digerunt & phymata curant Paliuri folia & radix. Fructus verò tantam obtinent incidendi vim, ut & calculos veſicæ comminuant, & pectoris pulmoníſq; excretionibus auxilientur. Semina contuſa ad tuſſim commendantur, iis etiam ad arenulas & calculum utuntur Monſpelienſes medici.

C a p. IX.

Carim-Curini H. M. *P. 2. F. 20. p. 31. Frutex Indicus ſpicatus floribus galeatis, vaſculo bivalvi dicocco.*

H. M.

R*Adix* ei fibroſa, albicans, ſaporis in cortice ſubamari. *Caudex* ſurculíque viridi-fuſci, geniculati & ſupra ſingulos geniculos extuberantes. *Folia* petiolis mediocribus, viridi-fuſcis, languidis bina adverſa, alternatim ſita hærent, oblongo-rotunda, & petiolum contracta, anteriùs in cuſpidem deſinentia, texturâ minùs craſſa, mollia, ſuperficie leni, ſupernè obſcuriùs viridia, parùm nitentia, ſubtus pallidiora, ſapore nullo. Coſta media & nervi inde egreſſi in ſupina etiam parte eminent. *Flores* è ſinubus parvorum & rotundo-cuſpidatorum foliorum, quæ ſurculos bina & bina, alternatim ſita, densè & ſurrectim circumſtant, exeunt, viridi-cœrulei, galeati, conſtantes tribus foliis, viridi-cœruleis, quæ ex galea ad unam partem protenduntur, ac pedunculo candido, nonnihil inflexo, ac ſuperiùs nodulato ac longiuſculo, quo calyci quinque anguſtiſſimorum, viridium & cuſpidatorum foliorum, tenuiter piloſorum & ſtriatorum inſident, habéntque in nodulo pedunculi cui galea cum ſtriis ex tranſverſo aſtricta eſt, bicornes eminentias ex viridi ſubcœruleas, & ad poſticam galeæ partem unam laciniam tenuem viridem, ſubcœruleam dependentem, ſúntque flores odoris nullius. Folia in medio interiùs ſtriata, duo oblongo-anguſta, & parùm cuſpidata, medium quoque oblongum & latum, orâ anterius rotundâ terminatum.

Per pedunculum albicantem tranſmittitur ſtylus albicans, qui è vertice germinis capſulæ ſeminalis oritur. Floribus deciduis è calyce prodeunt capſulæ ſeminales, quæ plano-rotundæ ac cuſpidatæ ſunt, ac haſtiformes, pediculo oblongo digitali conſtantes cortice viridi, intus lignoſo, ac in medio in longum ſtriati, ut & in oris unâ ſtriâ quæ utrinque per mediam ſuperficiem pedis excurrit. In ſingulis capſulis ſemina duo, ad utrùmque latus unum, conſita ſunt, per interſepimentum medium, quod ex oris capſulæ ubi ſtriata eſt inſtar latæ fimbriæ excurrit, à ſe mutuò diſtincta, valdè compreſſa, rotundiola, ac inſtar cordis cuſpidata, cum ſuo cuſpide capſulæ cuſpidem reſpicientia; per maturitatem ſubflava ſeu ſubruffo-pallida, ſuperficie ob punctula eminentia, maximè cùm ſicca ſunt, ſcabra, ſaporis nullius.

Radix decocta & ſumpta ſervit pro doloribus arthriticis, decocta cum oleo & butyro vires adauget; *Vires.* eadem trita & cum oleo *Sirgelim* data mitigandis podagræ doloribus ſervit. Decoctum ex *radice* & *foliis* epotum frangit calculos, eâdem quoque virtute ſunt *folia* contuſa & alligata ſuper ventre. Succus ex foliis extractus ſervit pro calculo. *Folia* in decocto data in dyſuria proſunt; eadem epota in aqua calida in tuſſi & doloribus calculi conducunt, quam etiam virtutem habent, ſi cum aqua calida ad perunctionem ventris adhibeantur.

2. *Bem-Curini* H. M. *P. 2. F. 21. p. 33. Frutex Indicus ſpicatus florum pediculis brevioribus.*

A præcedenti non differt niſi in foliis & capſulis ſeminalibus. *Flores* in ſummis ſurculis è nodulis, ad quos folia quaterna, parva, albicantia, cuſpidata ſita ſunt, exeunt [Sunt autem folia hæc tenuia & nonnihil tranſparentia, coſtis viridibus, quæ ex coſta media binæ ac binæ excurrunt, ac propè marginem in ſe mutuò arcuatim deferuntur, ſtriata, tria magis juncta ad floris exortum] & quidem ſinguli è ſingulis nodulis, albicantes, odore nullo, collo minùs longiuſculo, calyci, qui quinque viridium, cuſpidatorum foliorum eſt inſidentes, quatuor petaliis tenuibus conſtantes, uno ex collo ſeu pede ſurrecto, quod latiſſimum, interiùs concavum & in cuſpidem conſtrictum, tenuiſſimum & tranſparens, coſtâ media & duabus lateralibus versùs cuſpidem è collo inflexis exteriùs ſtriatum; tribus cuſpidatis ex collo tranſverſim ad unam partem expanſis, quorum quod medium latius eſt, & ſubrubris radiis ac undulis in colore albo tenuiter variegatum; éſtque collum florum nervis tribus, quæ ad tria tranſverſa folia excurrunt ſtriatum. *Stamina* duo albicantia, folio ſurrecto ex adverſo tractûs coſtarum lateralium ſtrictè adjacentia, ac cum apicibus ſubviridibus, quæ brevia filamenta tanquam appendices demittunt, arcuatim ad ſe invicem nonnihil inflexa; ac cum iis conſpicitur *ſtylus* ſeu filamentum albicans mediæ coſtæ folii ſurrecti ſtrictè accumbens, quod ex globulo oblongo viridi, qui in calyce eſt, excurrit. Floribus delapſis calyx ſe claudit gemmas oblongas ſeminales conſtituens.

Radix in decocto data inſervit pro febribus, ac capitis corporiſque malis affectionibus. *Folia* frixa *Vires.* n oleo, dein contrita ulceribus ſanandis applicantur.

CAP. X.

Codi-Avanacu **H.M.** ***P. 2. F. 34. p. 63.*** ***An Lathyris fruticeſcens fructu in foliorum alis echinato.***

SUffrutex eſt, naſcens in arenoſis, altitudine duûm triúmve pedum, ramis in latum diffuſis. *Radix* tenuis, fibráſque tenuiſſimas à latere ac ſubtus emittens, ac ſubrufa. *Folia*, quæ hinc indè in ſurculis breviſſimis petiolis proveniunt, valdè parva ſunt, anguſto-oblonga, plana, ad tactum lenia, mollia, in margine minutiſſimis condenſis, ac viridi-dilutis denticulis ſeu crenulis inciſa, habéntque coſtulam in averſa parte eminentem, quæ & in recta conſpicua eſt. *Flores* in brevibus petiolis è foliorum alis oriuntur, ſúntq; gemmulæ ex viridi-flavo dilutæ, petiolis circumpoſitæ. *Fructus* iis ſuccedunt ſingulares, fructibus *Avanacu* ſimiles, utpote tribus lateribus oblongo-rotundis circumſcripti, in medio laterum ac utrinque à ſtriis uno ſimplici ordine aculeorum ſeu minutiſſimorum ſpiculorum muniti, verùm parvi ſunt. *Semina* quoque in fructibus tria continentur, intra ſingula latera tanquam in propriis capſulis ſingula forma cylindrica, & magiscinerea, minúſq; de ſpadiceo participantia, coloris ſurdi. Flores & fructus toto anno fert, ſed tempore pluvioſo uberiori multitudine.

Vires. Totius plantæ ſuccus cum vino epotus fluxui ſiſtendo proficuus eſt: idem cum oleo coctus utiliter bibitur ad vires debiles reparandas. Oleum quod ex tota planta paratur capitis ablutioni commodum eſt ad ejus vertiginem tollendam.

** P. 2. p. 60.* ***Pandi-Avanacu*** ***H.M.** ***ſeu Ricinus vulgaris major.***

A Vulgari Ricino in eo tantùm differt quòd altiùs aſſurgat, quódq; ſtipitibus & ramis ſit valdè rubris ſeu miniatis & nitentibus: Foliis, floribus & fructibus paulò majoribus. Semina eadem, ſed majora & paulò planiora, & inter ſpadiceo-fuſcum & nitentem colorem cineris undulis rarioribus conſperſa. Rarior eſt quàm Avanacu ſive Ricinus vulgaris.

CAP. XI.

** P. 2. F. 44. p. 85.* ***Tiru-Calli*** *** H.M.** ***Tithymalus Indicus fruticeſcens.***

H. M.

RAdix tenuior fibras è latere emittit; *Stipite* aſſurgit ſimplici, tereti, craſſitie fermè unius brachii, minùs lignoſo, cortice viridi, ſubſpiſſo, ramulos emittente tenues virides, è nodulis, qui longiuſculè ab invicem diſſiti ſunt, ſingulis ſex ſeptémve, alios tranſverſim, alios ſurſum, alios deorſum, qui in ſummitate quoque ramulos minores ex eodem nodulo in tranſverſum diffundunt, ac hi in alios teneriores ſurculos dividuntur. Stipes ut & rami teneriores viridi-fuſci, vetuſtiores viridi-clari. *Folia* hinc indè rariſſimè conſita in cauliculis præcipuè tenuioribus, vel ſingula, vel in ſummitate plerunque tria quatuórve ſimul, minuſcula, oblongo-anguſta, longitudine unius fermè pollicis, plana, craſſiola, in interiore parte in medio ſulco ſtriata, colore viridi, ſubtus dilutiora. Totus frutex, ſtipes, rami, cortex, folia lacte acri, linguam adurente ſcatent. *Flores* in vertice ſurculorum proveniunt in ramulis craſſis, curtis, viridi-fuſcis, qui plures ſimul è vertice emicant, parvi, quatuor vel quinque petalis rotundiolis, magis arctè tanquam in unum nodum unitis, ſuperiùs planis, intus lacteis ac viridibus compoſiti. *Fructus* ſuccedunt oblongo-rotundi, ſimiles fructibus *Ana-Parua* forma & colore, includentes tria ſemina, ſimilia ſeminibus Naſturtii noſtri.

Vires. Radix in decocto data ſervit pro torminibus ventris. Lac ejus cum butyro decoctum purgativum eſt viribus quoque cum *Schadida-calli*, id eſt, Euphorbio iiſdem.

Locus. Naſcitur in arenoſis.

Tithymali propriè dicta ſpecies eſt.

CAP. XII.

Chamelæa tricoccos **J.B. C.B. Park.** ***Arabum tricoccos*** **Ger. Widow-wail.**

J. B.

FRutex eſt cubitalis ac bicubitalis, minor quàm Thymelæa Monſpeliaca, magis ſarmentoſus, rugoſus, lignoſus, intortus, in ramulos plures diviſus: *foliis* retuſioribus, latioribus, & viridioribus, tenuifoliam Phillyream referentibus: inter quæ *flores* parvi, luteoli, tripetali; quibus ſuccedunt *ſemina* tricocca, primùm viridia, maturitate verò ruborum induentia, pelliculâ amari ac fervidi guſtûs obducta, in frutice ſuo perennia ut ſunt Tithymali ſive Heliotropii verrucoſi, dura, dentibus fractu contumacia, medullam albam continentia, ubi exſiccata fuerint fuſca.

Locus. Inter Monſpelium & Frontignanam in collibus ſaxoſis plurimam obſervavimus. Squalidi, fervidi, ſaxoſi & maritimi ſoli amaſia eſt. Non in Gallia Narbonenſi tantùm, ſed & in Hiſpania à Cluſio inventa: at multò vegetior & viridior in Monſpeliano agro quàm in Hiſpaniis.

Vires. Qualitatibus magna ex parte cum Laureola convenit, eodémque modo corrigitur. Cùm dubium ſit an Veterum Chamelæa ſit nécne, vires Chamelææ à Dioſc. & Plin. attributas ei non adſcribemus. Magnus tamen (inquit J. Bauhinus) ſucci totius plantæ uſus etiam hodie, præſertim Monſpelii, ubi Pharmacopœi preſſum ſiccatúmque habent, monente primùm Rondeletio; cujus imitatione & nos ſæpius denſati ſucci recentis ʒj. aut ij. dedimus per ſe & ſæpiùs aliis Catharticis hydragogis mixtas, perbono ſanè eventu, ſed non admodum multum excernit, nec aliquo effræni motu, ut ſolent Laureola, Mezereon Germanicum, Gratiola & alia. Quin perparum aut nihil interdum movet, niſi remixtis quibuſdam lenientibus aut ſimilibus catharticis. Pueris etiam datus nec tormina, nec vomitiones facit, ſed aquas educit & ſerum: Admotum pubi & abdomini Hydropico, non ullum præſtantius ad urinas proliciendas, quo modo libentiùs utebatur Rondeletius. *J.B.*

Cap. XIII.

Canſchi * H.M. *Arbor racemoſa Malabarica fructu triquetro* D. Syen.

*P.1. F.42. p.76.

ARbor eſt procera, naſcens in arenoſis. *Radix* craſſa, ramos fibroſos quaquaverſum ejiciens, cortice exteriùs cinereo-fuſco, intus rubeſcente, ligno albo. *Caudex* ambitu unius hominis amplexum implet, cortice cinereo, intus viridi cum ramis majoribus tectus; ſurculi novelli virides, & nodulis diſtincti, medulla ramorum & ſurculorum fuſca. *Folia* è nodis exeunt, petiolis longis, ſpithamam & ampliùs longa, duos fermè palmos lata, oblongo-rotunda, ad petiolum latiſſima, anteriora versùs in cuſpidem oblongam contracta, tenuia & mollia ſupernè obſcuriùs, ſubtus dilutiùs viridia, utrinque parum ſplendentia, ſapore adſtringente & amaro. E petiolo quinque coſtæ ſeu nervi exeunt in ſupina parte folii nonnihil eminentes, quarum diſcurſus diſtributiones per folium & concurſus vide. E foliorum ſinubus exeunt ſurculi floriferi, in quibus *flores* racematim brevibus & tenuibus pediculis inſidentes naſcuntur, petalis cuſpidatis tribus, rariùs quatuor conſtantes, numeroſis intus *ſtaminibus*, viridi-dilutis, ſtylo viridi circumpoſitis, ac *apicibus* viridi-dilutis, ſeu etiam flaveſcentibus ac rufeſcentibus dotatis, haud diſſimiles floribus *Cit-Avanacu*, odoris nullius. Sub tempus explicationis gemmarum in flores omnibus foliis ſpoliatur, quæ rurſus tempore fructuum reſumit.

Fructus, qui è longiuſculis, viridibus petiolis dependent, ſunt plano-rotundi, trium laterum, quæ ſtriis diſtincta ſunt, atque in vertice ubi ſtriæ concurrunt gemmulâ eminentia, carne denſa, etiam per maturitatem colore viridi.

Intus in medio continentur tria *ſemina*, per tenue interſepimentum à ſe mutuo diſtincta, quæ forma trilatera ſunt, uno latere exteriori rotundo, ac duobus quibus interſepimenta contingunt planis.

Cap. XIV.

Frutex Malabar. flore pentapetalo ſtellato, fructu pentagono & pentacocco. Pocatſjetti H.M. *part. 5. tab. 52.*

H. M.

ARbuſcula humilis eſt, decem circiter pedes alta, *caudice* haudità craſſo, albicante, cortice obducto rubicundo, ramuliſque viridibus, fungoſâ intus medullâ refertis, pluribus donato. *Radix* fibrata, albicans, ruſo cortice tecta, amara: *Folia* ſine ordine circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, in ambitu leviter crenata, glabra, denſa, fragilia, ſplendentia, inodora, amara: nervis aliquot exiguis & pæne inviſibilibus è media coſta in latera excurrentibus. *Flores* petiolis oblongis circa plumoſas virgulas proveniunt, inodori, quinque luteis, acuminatis, & ſtellæ in modum expanſis foliolis conſtantes; quibus totidem alternatim poſita calyculi foliola viridia ſubjiciuntur, novem *apicibus* luteis umbilicum incurvum viridantem cum *ſtylo* candido quinquangulo occupantibus. Singulis floſculis ſinguli ſuccedunt *fructus*, ſeu ſingulæ *ſiliquæ* quinquangulæ, rubentes, totidem diſtinctis loculis *ſemina* parva ſolida continent, cuticulâ ruſâ intecta, medullâ alba, figurâ ex rotundo oblonga, ſapore nauſeabundo.

Locus & Tempus. Provenit locis montanis & petroſis circa *Kandenate*. Quotannis bis floret fructúmque fert, Martio viz. & Septembri menſibus, at diu ſuperſtes non eſt.

Vires. Folia contuſa, in pulverem redacta, & ulceribus inſperſa luxuriantem ac fungoſam carnem tollunt. Eadem aſſumpta ſudores movendo Febris intermittentis paroxyſmum minuunt.

Ex cortice & radice pulveriſatis ac cum oleo mixtis unguentum conficitur ad ſcabiem ſiméleſque cutaneos affectus.

Cap. XV.

Roſa Hierichontea vulgo dicta C.B. Park. *Roſa Hiericho* J.B. *Thlaſpi Roſa de Hiericho dictum* Moriſ. **Roſe of Hiericho.** *An Myagrum Arabicum?* Zanon.

J. B.

LIgnoſis & confertis ſtatim à radice natis fruticat *ſtolonibus*, palmaribus aut paulò majoribus, craſſis, cinerei coloris, in numeroſam ramulorum ſobolem cancellatim divaricatis, ſuperiore parte omnibus in globum velut coeuntibus per quos *folia* rara, unciam ſeſcunciamve longa, ſemunciam lata, laciniata, cinerea, hirſuta. *Floſculi* intrinſecùs ſecundùm ramos ubique racematim quodammodo naſcuntur candidi: quorum unumquemque ſequitur *vaſculum* duobus loculis membranulâ diſcluſis totidem ſemina orbicularia, compreſſa, ruffa, acria continens, binis ſupra loculos extrinſecùs velut auriculis prominentibus, ex adverſo poſitis; ex intergerino calycis pariete ſurgente *ſtylo* longiuſculo. *Radix* ſatis craſſa, lignoſa, ſimplex.

Moriſonus ſingulis geniculis ſingula folia adhærere ait oblonga, anguſta, oleæ foliorum æmula, è quorum ſinubus ſingulis ſinguli exeunt floſculi, tetrapetali ex herbaceo colore albidi. Unde apparet eam veram & genuinam Thlaſpeos ſpeciem eſſe, & inter Thlaſpi ſpecies reponendam fuiſſe.

Abſurdè admodum & præter rationem Roſa dicitur hæc planta, cùm nihil cum Roſa commune habeat. Bellonius monachum quendam impoſtorem hujus nominis autorem fuiſſe refert, cùm tamen circa Hiericho nuſquam reperiatur, ſed in Arabia deſerta ad litora maris in ſabulo. Sylveſtrem tamen ejus ſpeciem in Syriæ tectis & ruderibus invenit Rauwolfius. Hanc à pluribus annis in horto meo colo, cum facilè & creſcat & floreat (inquit C. Bauhinus.)

Plantam hanc Amomum Veterum non eſſe, prout multi opinati ſunt, conſtat, quòd nec folia alba Vitis proferat, nec ullo ſeu recens ſeu vetus ſpirat odore.

Radice aquæ calidæ immersâ planta quamvis ſicca & contracta expanditur, quocunque tempore, non natalitiis duntaxat Chriſti, ut impoſtores vulgo perſuadere ſolent, nec pariendi horâ tantum partûs tempore immiſſa ſe expandit, ut illi fabulantur.

Roſa Hierichontea Sylveſtris C. B. Park.

Parvitate ſua & loco natali à præcedente differt.

Aphyllon Indicum J. B. *Roſæ Hierichunticæ exſiccatæ ſimilis* C. B.

In inſula S. Vincentii plantam Hollandi copioſè invenerunt, & vocârunt *Blatterlos*, quia nulla folia exactè habebat. Teneriores ramulos Scorbuti curationi abhibuerunt non ſine effectu. *Ind. Or.* Part. 1. Fig. 21.

CAP. XVI.

Arbor Braſilienſis floribus ſpecioſis ſpicatis, pericarpio ſicco. Cebipira Braſilienſibus Marcgr. *Cebipira-guacu, & Cebipira-miri* Piſon. *Marcgr.*

ARbor eſt grandis & ramoſa, quæ lignum habet durum, aſpectu ferè ſimile Fagino, ex quo rotæ machinarum & curruum fabricantur, cortice griſeo cum fuſco mixto. In ramis habet ramulos alternatim ſibi oppoſitos intervallo ſemipedis ferè, in quibus alternatim vel etiam directè ſibi opponuntur *folia* parva, duos digitos circiter longa, & $\frac{2}{3}$ digiti lata ubi latiſſima, figura * ſimilia foliis Buxi, ſupernè ſaturatè viridia & ſplendentia, infernè quaſi caneſcentia. Flores fert copioſiſſimos, in quolibet ramulo quindecim, viginti, aut plures, ſuo quoſlibet pediculo brevi inſidentes, magnitudine florum Pomorum, aut paulò majores, quinque petalis conſtantes, quæ prodeunt è nigro calyce, illíque inſident. Duo folia floris majora ſunt, & propè hæc octo aut novem parvula *ſtamina* alba, *apicibus* nigricantibus. Floris foliis decidentibus naſcitur è medio *Siliquula*, ex viridi ſubflaveſcens, in qua ſemen continetur. Foliola floris omnia ſunt corrugata ut pannus Goſſypinus Luſitanus: Color illorum dilutè cœruleus cum albo; ſuperius floris folium propè calicem maculam habet rufeſcentem, & eſt inodorus.

* *Similia foliis oleæ* Piſon.

Tempus. Floret menſibus Octobri & Novembri.

Vires. E cortice, qui amarus eſt & aſtringens, Balnea & decocta fiunt præſtantiſſima adverſus morbos à frigore natos, pedum & ventris tumores, doloréſque membrorum *Curimentos* Luſitanis dictos: ipſam denique Luem Veneream non inveteratam forinſecus & intrinſecus adhibita reſtituunt, ſudoréſque provocant.

Cùm verò adſtringendi facultate ſimul & acrimoniâ quadam agant, ſcabiei, tineæque, & aliis ejuſdem generis cutaneis affectibus medentur.

CAP. XVII.

Amvetti ſeu Vetti-tali H. M. part. 5. tab. 54. Arbor Indica floribus ſpicatis, ſeminibus parvis in vaſculis ſiccis.

KAri-vetti & Pe-vetti Tab. 54. & 55. part. 4. deſcript. ſpecies eſt, atque arbor humilior, 13. circiter pedes alta, caudice mediocriter craſſo, cortice cincto cinereo, intus rufeſcente, ramulíſque viridibus pluribus donato. *Radix* fibrata, rufeſcens, odoris & ſaporis ſylveſtris ac amari. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, glabra, atro-viridia ſupernè & ſplendentia, infernè ſubviridia; ſapore amaro. *Floſculi* inodori, viridi-flaveſcentes, ad foliorum alas circa ſurculos ſpicatim proveniunt: conſtant ii unico foliolo, ſed in quatuor profundas lacinias diviſo, ſic ut plura videantur; *ſtaminulis* albicantibus flaveſcentibus apicibus ornatis medium occupantibus. Floſculis emarceſcentibus *ſemina* perquam exigua, rufa, inodora, inſipida, vaſculis ſiccis per maturitatem incluſa ſuccedunt.

CAP.

CAP. XVIII.

De Erica.

ERicam Martinius ab ἐρείκω frango deducit, quia calculos frangendi vi pollet.

Ericæ notæ ſunt ſtatura humilis, folium perpetuum, flos nudus, & plerunque urceolaris: Vaſculum ſeminale in imo flore ceu calyce clauſum; in ſterilibus, ſqualidis & paluſtri ſeu ſpongioſo ſolo vigere, quod pauciſſimis plantis conceditur.

A. 1. *Erica vulgaris* Park. *vulgaris ſive pumila* Ger. emac. *folio Myricæ I, ſeu vulgaris glabra* C. B. *vulgaris humilis, ſemper virens flore purpureo & albo* J. B. **Common Heath, or Ling.** *J. B.*

Frutex humilis eſt, rarò ſupra cubiti altitudinem aſſurgens: [vidimus tamen in montoſis Septentrionalibus Angliæ putrido & ſpongioſo ſolo quæ etiam duos cubitos ſuperaret] *radicibus* longiſſimis, fractu contumacibus, ſpadiceis: *virgultis* numeroſis, lignoſis, duris, ramoſis, colore itidem ſpadiceo præditis, vel in nigro rubeſcentibus. *Folia* frequentia, ſemper virentia, quatuor verſiculis ſquamatim incumbentium foliolorum minimorum conſtant, ut supernè deorſum inſpicienti cruces continuæ videantur: ad Cupreſſum & Tamaricem accedunt, quæ (ut ait Cluſius) temporis ſucceſſu in ramulos efformantur. *Floſculi* velut ſpicam exprimentes ſecundùm ramulos à medio ad ſummum uſque propendent, bullati quodammodo, tetrapetali, elegantiſſimo purpuræ dilutioris colore, interdum albi, perbrevibus petiolis appenſi, quorum medium occupant *apices* ruffi.

Locus. Septentrionalibus regionibus, (ut rectè Cluſius) maximè familiare eſt, locis incultis: præſertim autem in montoſis frigidis, ſolo putrido cœnoſo & ſpongioſo, quod aquas combibit & humore perpetuo turget, ubi nullæ fere aliæ plantæ proveniunt, omnia latè occupat. Rarius in calidioribus invenitur.

A. *Erica vulgaris hirſuta* Ger. *Myricæ folio hirſuta* C. B. *Myricæ folio tomentoſis & incanis foliis Cluſii* J. B. *vulgaris hirſutior* Park. **Common rough-leaved Heath.**

Noſtrâ ſententiâ à præcedente non differt ſpecie: cùm, teſte Cluſio, præter hirſutiem ei per omnia ſimilis ſit; nec minùs frequens occurrat quàm vulgaris glabra, non locis tantùm incultis ſupra Windeſoram (ubi eam obſervavit Cluſius) ſed ubique in Anglia.

Vires & Uſus. Tum ſuccus Ericæ tum aqua florum deſtillata ruborem oculorum tollit & dolorem mitigat: quin & colicâ laborantibus utiliter exhiberi expertus eſt Tragus.

Fomenta & balnea ſudatoria è floribus confecta podagricis & paralyticis membris conducere creduntur. Aqua, in qua vulgaris Ericæ folia decocta ſunt, ſumpta tepidè tam manè quàm veſperi per triginta dies ℥v. pondere, tribus horis ante cibum valet ad veſicæ calculos comminuendos & expellendos, experimento Matthioli. Verùm id feliciùs ſuccedere idem notat, ſi poſt id tempus malè affecti in balneum decoctionis Ericæ ingredi, atque ibidem morantes ſuper Ericam decoctam ſedere jubeantur, idque pluries repetatur. Addit Matthiolus ſe noviſſe aliquos, qui ſervata victûs ratione, hujus tantum potu veſicæ calculos in minimas partes comminutos ejecerunt. *Quis hoc credat?*

Oleo ex Ericæ floribus confecto ad tollendos herpetes fœdos & inveteratos totam faciem occupantes Rondeletium magno ſucceſſu uſum ſcribit Cluſius.

Nec mel quod de Ericæ floribus legunt Apes in Anglia adeò improbum eſt, ut ſcribunt Dioſcorides & Plinius, ſed paulò duntaxat coloratius.

Ovium gregibus Erica hybernò tempore pabulum præbet, & ignibus fovendis inopiâ lignorum inſervit.

In Scotia materiarii è terra pulla inculcato ſtramine ex aqua ſubacta leviter, & alternis Ericæ ſtratis, extrorſum utrinque ſpectantibus comis, concurrentibus in medio lignoſis radicibus, parietes cùm caſarum ruſticarum, tum hortorum artificiosè extruunt: qui vinculo ſtraminis & Ericæ nec pluvias metuentes, nec atterentium jumentorum affrictibus concuſſi in multos annos durant. *Jac. Cargillus* apud *J. B.*

Scoti montani pro lecto ſæpe ſubſternunt Ericam, radicibus deorſum, frondibus ſurſum verſis: adeóque ſcitè hac ratione lectos concinnant, ut mollitie cum plumis certent, ſalubritate longè ſuperent. Erica enim naturali ſiccandi vi prædita ſupervacuos humores exhaurit, nervíſque eorum moleſtiâ liberatis ſuum vigorem reſtituit, ut qui veſpere languidi & feſſi decubuerint, manè vegeti & alacres reſurgant.

Quidam ex radicibus Ericæ calices affabrè componunt. *D. Sibbald. in Prod. Scot.*

A. 2. *Erica tenuifolia* Ger. *virgata ſive ſexta Cluſii* Park. *humilis, cortice cinereo, Arbuti flore* C. B. *ramulis ternis, floribus ſaturatioribus purpureis* J. B. **Fine-leaved Heath.**

Altitudine eſt pedali aut cubitali, plures ex eadem radice *caules* emittens, tenues, fragiles, cortice cinereo tectos; germina tamen novella rubeſcunt. *Folia* terno ordine per intervalla ramulos cingunt, minùs crebra quàm in quadrifolia paluſtri mox deſcribendâ, perexigua, anguſta, acuta, ſaturè viridia, glabra. E foliorum ſinubus exeunt *ramuli* terno pariter ordine: versùs caulium & ſurculorum ſummitates *Flores*, longâ interdum ſerie, crebri, tres tamen plerunque ſimul, brevibus & tenuibus pediculis rubentibus appenſi, monopetali, concavi, urceolos imitati, ſaturatius purpurei, è calyce quinque ſegmentis anguſtis compoſito. Flos quinque intus *ſtaminula* occultat apicibus nigricantibus inſignia. Stylus ſtaminulis longior è floris oſculo apparet. In imo flore vaſculum eſt ſeminale parvum, globoſum, *ſemina* parva continens.

Locus. In incultis & ſterilibus frequens occurrit.

A. 3. *Erica Brabantica folio Coridis hirſuto quaterno* J.B. *pumila Belgarum Lobelii, ſcoparia noſtras* Park. *ex rubro nigricans ſcoparia* C.B. *major flore purpureo* Ger. emac. *quoad deſcr.* **Low Dutch Heath, or Beſome Heath.** *Er. Coris folio* 13. Cluſ.

Humilior plerunque eſt quàm præcedens, [Erica ſexta *Cluſ.*] & in terram reſupina, pedalibus tamen interdum *caulibus*, ramoſis. Surculi minores rubeſcunt, minùs tamen quàm præcedentis, ſuntque incanâ lanugine hirſuti. *Folia* crebra, quàm illius latiora craſſioraque, hirſuta, quaterno ordine per intervalla ſatis crebra caules cingentia. *Flores* in ſummis caulibus & ramulis velut in umbellis conferti, & non ſecundùm longitudinem eorundem alii ſupra alios longa ſerie diſpoſiti, ut in præcedente, brevibus pediculis hærentes, majores quàm ſupradictæ, verum colore carneo aut rubro dilutiore, totidem *ſtaminula* occultantes cum vaſculo ſeminali ſimili: *ſtylus* quoque è floris oſculo eminet. *Capitula* antequam flores explicantur admodum hirſuta videntur.

Locus. In paluſtribus putridis frequens eſt.

Huc etiam puto referendam Ericam Anglicam parvam capitulis hirſutis *J. B.* quam ſe à D. Petro Turnero ex Anglia ſiccam accepiſſe ſcribit.

Johnſonus apud Gerardum hanc pro quarta deſcribit & figuram Ericæ ſecundæ Cluſii pro ea exhibet, ſed perperam. Quid velit C. Bauhinus per Ericam ſuam hirſutam Anglicam non intelligo.

4. *Erica Coris folio hiſpido Cerinthoides Africana* Breynii.

Breyn.

Ramum pedalem à Promontorio Bonæ Spei acceptum ſic deſcribit Jac. Breynius.

Lignoſus erat, durus, cortice ex ſubruſo griſeo & reticulato tectus: quem ex omni parte temere & ſine certo ordine multa ambiunt *folia*, viridantia, craſſa, nervo per longitudinem excurrente, Ericæ bacciferæ *Matth.* magnitudine & formâ congruentia, niſi in ambitu pilis quibuſdam rigidis, veluti ſpinulis, exaſperata eſſent. *Flores* Cerinthæ florum æmuli, in rami apice brevibus pediculis, deni & duodeni in orbem conferti, ex rubeo colore lepidè purpuraſcentes, hirſuti, fiſtuloſi, ventrioſique, in quatuor lacinias parvas ora diviſa habentes, & ex totidem foliolis hirſutis acuminatíſque, quaſi ex calyculo provenientes admodum magnificè ſe oſtentantes in quorum alvo *ſtamina* quædam apicibus parvis prædita cum ſtylo longiore occultantur.

Erica Africana umbellata flore purpureo Bartholin. *Act. Med. An.* 1673. Item

Erica Africana arboreſcens flore carneo ejuſdem *ibid.*

Has non deſcribit, ſed earum duntaxat icones exhibet, quas apud ipſum vide.

Prior harum præcedenti à Jacobo Breynio deſcriptæ eadem videtur.

5. *Erica Coris folio maxima alba* Park. *foliis Corios, flore albo* J. B. *major flore albo Cluſii* Ger. *folio Coridis I, ſeu maxima alba* C. B. **Great white-flowered Heath.**

Cluſ.

Hæc omnium quas unquam conſpexit Cluſius Ericarum maxima, humanam altitudinem interdum ſuperat, fruticoſa admodum, *ligno* duro, ex rubro nigricante, *foliis* exilibus & *brevibus*, quaterno ordine ramos obſidentibus, guſtu amodum adſtringente; *flore* copioſo racematim pænè totos ramulos occupante, ut interdum majores rami pedali longitudine onuſti conſpiciantur. Eſt autem flos concavus velut exiguum cymbalum, oblongus, odoratus, pulcher, albus.

Locus & Tempus. Naſcitur in Luſitaniæ ſolitudinibus inter Ulyſſipponem & Conimbricam celebrem ejus Regni Academiam: inveniebam etiam, inquit, circa Tagum decimo ab Ulyſſippone Milliari. Flore Novembri, Decembri & Januario.

6. * *Erica Coris folio maxima purpuraſcens* Park. *foliis Corios quaternis, flore purpuraſcente* J.B *maxima purpuraſcens longioribus foliis* C. B. *major flore purpureo* Ger. **Great purpl flowered Heath.**

Ejuſdem ferè altitudinis eſt cum præcedente, etiam fruticoſa, tenuioribus tamen ramis, ejuſde cum eo coloris, exilibus ſimiliter foliis quaternis ramulos ſimul amplectentibus, quorum extrem oblongiuſculi *flores* inſident, ſuperioribus ſimiles, colore purpuraſcente.

Tota etiam adſtrictionis particeps.

Locus. Provenit eiſdem quibus ſuperior locis: illa etiam frequentior, & eodem tempore floret; forte illi duntaxat varietas eſt.

A. 7. *Erica folio Corios multiflora* J.B. *Ericæ Coris folio ſecundæ altera ſpecies* Cluſ. *Junipe folia denſè fruticans Narbonenſis* Lob. *Rectiùs Erica Abietiformis diceretur.* **Juniper Firre-leaved Heath.**

J. B.

Hujus ſanè folia Abietina dicas, multis tamen numeris minora (inquit J. Bauhinus) [in N bonenſi à nobis obſervatâ minora quidem erant, ſed non totupliciter] nec enim multò longior latiora ſunt quàm in icone Ericæ ſecundæ *Matth.* In ſiccis ſuperiori parte una velut coſta appa in inferiore duæ. Crebra admodum ſunt folia, quæ in ramulis veſtigia relinquunt qualia in Ab

vel potiùs Pino relicta cernuntur: ramuli enim non manent politi illis decidentibus ut in majore
Monſpeliana. Extremitates ramulorum abundant copioſiſſimis *floribus*, ultra folia eminentibus.
Hi flores plures velut ex parvis nodis erumpunt, è pediculis tenuibus, longiuſculis pendentes, pur-
urei, calyculati, ex quibus *apices* multi prominent, oblongi, nigricantes. Hanc ſpeciem à J. Bau-
ino deſcriptam circa Pedenatium viâ quâ indè Monſpelium itur copioſam obſervavimus: item
undo à Monſpelio ad oppidum *S. Lupian* ſecus vias. Eandem ſed humiliorem in Anglia inveni-
nus eundo ab oppido *Helſton* ad Promontorium **the Lizzard Point** dictum in Cornubia.

Hæc planta diſtincta eſt ab Erica Coris folio II. à Cluſio depicta, nec in parem altitudinem aſ-
rgit, ſed plerunque intra cubitum aut ſeſquicubitum ſubſiſtit, quanquam in regionibus calidis
atior ſit quàm in Anglia. Cluſius hanc deſcribere videtur pro altera ſpecie Ericæ Coris folio ſe-
ndæ: non multùm inquiens diſſimilis, quæ Narbonenſi agro frequens, longiore paulò & copio-
re eſt folio; flore purpureo, minore, & extremis ramis confertim naſcente. Nullum, quantum
s in ſicca animadvertere poſſumus, certum ordinem in foliorum circa ramulos ſitu obſervat.
nt autem crebra admodum & conferta Abietinorum in modum ut ramulos occultent.

Huic ſimilem ſed minorem obſervavimus in rupibus inter Bolzanum & Tridentum menſe Februa-
o florentem.

8. *Erica major floribus ex herbaceo purpureis* C.B. Park. *Coris folio* 3. Cluſ. *foliis Corios quaternis, floribus herbaceis, deinde ex albo purpuraſcentibus* J. B. **Great Heath with purpliſh green Flowers.**

Cluſ.

* Præcedentibus perſimilis eſt, ſed paulò humilior: aliquantulum majora & latiuſcula nigrioráque ** Penultimæ*
bet *folia*, quaternis ordinibus circum ramulos naſcentia: plurimos *flores* per intervalla ſecundùm *& antepenul-*
mulorum longitudinem naſcentes, ſuperioribus formâ ſimiles, herbacei primum coloris, deinde ex *timæ.*
o purpuraſcentes. Tota etiam adſtrictoria facultate prædita.

Supra Ulyſſipponem frequens inter ſuperiores, pluribus tamen locis occurrit, uti etiam circa *Locus &*
gum. Floret Decembri & Januario. *Tempus.*

Gerardus pro Erica majore flore albo *Cluſ.* iconem habet hujus ſpeciei.

9. *Erica arboreſcens floribus luteolis vel herbaceis minimis* J. B. *ſcoparia* Park. *major ſcoparia, foliis deciduis* C.B. *pyramidalis* Ger. **Beſome-Heath.**

Cluſ.

Hæc etiam fruticoſa eſt, duorum cubitorum altitudine, nonnunquam amplior, fragili *ligno*, te-
ibus & minutis *foliis*, ut in Corruda prima ferè, viridibus, quæ in deſiccatis nonnihil ramis facilè
luunt, & veſtigia ſui relinquunt: iſtius *flos* reliquis minor eſt, cavus etiam & herbacei coloris.
Extremis ramulis capitula è multis foliis compacta nonnunquam gignit, his non multum abſi-
ia, quæ in vulgari & duriore Thymo aliquando conſpiciuntur. *Capitula hæc in hac ſpecie & nos*
m obſervavimus: ejuſdem naturæ ſunt cum roſis dictis in extremis Salicum virgis; ſúntque nihil aliud
m folia degenerantia ex Inſectorum puncturis.

Vulgare eſt autore Cluſio, toti Hiſpaniæ & Aquitaniæ: namque ſpatioſis illis ſolitudinibus & in-
is locis ſupra Burdegalam, nullum fere aliud virgultum conſpicitur: nota eſt etiam Narbonenſi
lliæ ſcopis faciendis maximè idonea. Nos in luco Grammuntio propè Monſpelium; ínque eri-
is propè Liburnum in Italia obſervavimus.

10. *Erica arboreſcens Monſpelienſis, flore purpuraſcente, ramulis ternis* J. B. *Er. ternis per intervalla ramulis* Ger. C. B. *Er. Coris folio* 5. *Cluſii* Park. **Heath with three Branches at a joint.**

J. B.

Hujus ramuli cuticulâ tenui cinericea ſunt inveſtiti, terni ſæpe majoribus circumpoſiti, *foliis* non
ique præditi, iis tamen Corrudæ ferè ſimilibus, longiuſculis, tenuibus, deciduis: in ramulorum
tremitate *flores* ex cœruleo purpuraſcentes, ſatis magni.

In montibus Liguriæ propè Genuam obſervavimus hanc plantam inſigni ſtaturâ, humanam alti- *Locus.*
dinem longè ſuperantem. Maxima eſt ex omnibus quas nobis hactenus videre contigit Ericis,
rtice cinereo hirſuto, foliis parvis, brevibus; floribus dilutâ purpurâ obiter tinctis. Loco præ-
to Aprilis menſis initio florere cœpit. In ſylva Grammontia propè Monſpelium ad tantam alti-
inem non aſſurgit. Alibi etiam in montoſis Galliæ Narbonenſis oritur, ínque incultis ſupra U-
ipponem in Luſitania.

11. *Erica procumbens dilutè purpurea* C. B. *Er. Coris folio* 7. *Cluſii* Ger. *foliis Corios, flore purpureo dilutioris coloris* J. B. *procumbens ſive ſupina pallidè purpurea* Park. **Pale Purple low Heath.**

Cluſ.

Multos teretes humique procumbentes *ramos* habet, pedales, interdum etiam cubitales, ex atro
rpuraſcentes. Hos plurima gracilia ambiunt *foliola*, Tertiæ *Cluſ.* foliis pænè ſimilia, paulo tamen
giora, quaternis plerunque, interdum quinis verſibus ordine diſpoſita, adſtringente guſtu. *Floſcu-*
n ſummis ramulis oblongi, concavi, purpurei dilutioris coloris, ex quatuor foliolis ejuſdem ferè
oris prodeuntes; qui maturi & reſiccati nigricans & minutum *ſemen* continent. *Radix* dura,
noſa, in diverſa tendens: ipſi tamen procumbentes rami humíque diffuſi tenues capillaréſque fi-
s nonnunquam agunt.

Copiosè admodum creſcit ſupra *Seehoft*, in aſcenſu *Herren alben*, magno mill. Germanico ſupra *Locus.*
mingam: invenit etiam Cluſius in Stiriacarum & Auſtriacarum Alpium prææltis jugis, ubi Ju-
& etiam ſeriùs floret: inter Pragam & Noribergam etiam Junio florentem collegit. Nos hanc
Alpibus Stiriacis collectam habemus, locum non recordamur.

12. *Erica tenuifolia calyculata* Ger. *ſcoparia altera* Park. *hirſuta Anglica* C.B. *ramulis & foliis Corios ternis, floribus ex rubro purpuraſcentibus majoribus* J.B. *Coris folio* 12. *Cluſ.*
Cluſ.

Cubitali pænè eſt altitudine, fruticoſa, tenuibus virgulis prædita, quæ ternæ ſemper circa majores ex intervallis naſcuntur: *folia* ſimiliter terna ramulis innaſcuntur, exigua quidem ſed latiora quàm in ſuperioribus, inferiore & terram ſpectante parte nonnihil candicantia, hirſuta, guſtûs adſtringentis. Summi ramuli ad foliorum exortus verticillatim exornantur per intervalla ternis perpetuò floribus, æquali inter ſe ſpatio naſcentibus, & in unam partem converſis, majoribus quàm in reliquis generibus, concavis, ventre magis turgido, coloris ex albo purpuraſcentis, numero ſex, novem, duodecim, quindecim aut pluribus.

Locus & Tempus. Iiſdem cum Erica baccifera Luſitanica Luſitaniæ arenoſis locis creſcit utplurimùm. Floret Decembri menſe, & ſubinde *ſemen* exiguum nigricans profert.

Miror cur C. Bauhinus hanc Anglicam denominaverit, cùm nullibi (quod ego unquam viderim aut audiverim) in Anglia inveniatur.

13. *Erica procumbens herbacea* C.B. *ſupina herbacea* Park. *parva foliis Corios quaternis, flore herbaceo, foliaceis capitulis* J.B. *ſupina herbacea* Park. *Er. cruciata* Ger. **Small green-flowered Heath.**
Cluſ.

Pedalem altitudinem raro ſuperat, magna ex parte humi procumbit, *foliis* quaternis ramulos contrario exortu ſemper ambientibus. *Flores* ſecundum ramulorum ſummam longitudinem inter folia dependent, cavi, puſilli, in quatuor angulos deſinentes, herbaceo colore præditi, deinde ſemen. *Radix* etiam dura & lignoſa.

Locus. In ſylvis montoſis non longè à Lindavia Germaniæ urbe collegimus ſub finem menſis Auguſti, jam tum florere incipientem. Ericæ ſcopariæ circa Monſpelium naſcenti ſimilis eſt ſed minor multo, foliis tamen longioribus & crebrioribus in caule & ramulis.

Maximâ copiâ naſcitur (inquit Cluſius) in aſcenſu montis illius qui ſuperandus eſt iis qui Gamingâ ad *Seehof* vicinâque loca proficiſci cupiunt.

14. *Erica procumbens ternis foliolis carnea* C.B. *parva Pannonica foliis Corios ternis, flore carneo, capitulis Thymi* J.B. *ſupina carnea* Park. *Coris folio nona Cluſii* Ger. emac. **Blush-flowered leaning Heath.**
Cluſ.

Æquali cum præcedenti excreſcit altitudine, tenuibúſque virgulis prædita eſt, humi diffuſis, ex purpura nigricantibus, quæ ſumma parte in multos plerunque ramulos dividi ſolent. *Folia* in ordines & verſus digeſta ut in reliquis, tenuia admodum, Ericæ ſextæ in Hiſpania & Gallia naſcentis foliis ſimilia, terna ſemper, quemadmodum in illa, æquali inter ſe ſitu virgulas ambiunt: Summi ramuli onuſti ſunt concavis & oblongis *floſculis*, extrema parte in quatuor angulos ſectis, coloris cum quatuor illis foliolis unde enaſcuntur carnei, octonis ſtaminulis nigricantibus, ſtilóque purpuraſcente è medio flore emergentibus: *Semen* maturitate nigricans exiguum habet: *Radicem* aliis ſimilem, lignoſam. Adnaſcuntur interdum hujus etiam ramulis viridia capitula, è latioribus foliolis compacta, capitulorum Thymi modo.

Locus. Invenit Cluſius apud arcem *Stichſtain* in ſylva illa imminenti, quà ad *Sneberg* ex arce iter eſt, alia item ad ſiniſtram oppidi *Neukirche* ſylva, & nonnullis montanis Pannoniæ ſylvis. Floret utplurimum Aprili & Maio, quo tempore aſpectu venuſtiſſima eſt.

Hæc eſt illa ſpecies quam nos ad latera montium eundo à Tridento ad Bolzanum & in rupibus Martio menſe abunde florentem obſervavimus.

A. 15. *Erica ſupina maritima Anglica* Park. *An Polygonum puſillo vermiculato Serpylli folio* Lob?

Cauliculos fundit plures, dodrantales, teretes, tenues, ramoſos, per vetuſtatem ligneſcentes, in terram provolutos, juniores rubentes & interdum velut farinâ albicante reſperſos, crebris geniculis diſtinctos. *Folia* ad ſingula genicula multa conferta velut in agminulis, vix tertiam unciæ partem longa, anguſta, marginibus reflexis, glabra, obſcurè viridia, ſapore nullo eminenti. *Flores* ſatis magni, & quantum memini pentapetali, pulchrè rubentes [D. Goodyerus apud Gerardum emac. Polygono puſillo &c. *Penæ* ramuloſè ſinubus ſeu agminulis mediis emergentes plures attribuit, in quorum uniuſcujuſque faſtigio flos unicus tetrapetalos, pallidè purpureus: radicem extrinſecùs nigricantem, in terram altè deſcendentem ſapore valdè amaro & nonnihil excalfaciente] Fructum aut ſemen nondum obſervavimus.

Locus. In paluſtribus maritimis, præſertim arenoſis, ſæpiùs occurrit: vidi in Lovinglandia Suffolciæ propè pontem Yarmouth ſeu Hieræ oſtii oppidi, item in paluſtribus Thurrington vici trans Colceſtriam in Eſſexiâ, necnon ad margines foſſarum in aggeribus arenoſis juxta viam quæ Camalodunum Goldhanger ducit, & alibi.

HISTORI

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER TRIGESIMUS PRIMUS.

QUI EST

De Arboribus & Fruticibus Siliquoſis.

SILIQUAS appellamus Folliculos ſeu ſeminum conceptacula in longitudinem producta, ſive ea membranacea ſunt aut coriacea, ſive cruſtacea aut lignea.

Notandum autem non omnes in univerſum fructus quos ſiliquoſis accenſemus in longitudinem productos eſſe, ſed nonnullos breviores & tumidiores, quos tamen quia reliquis notis cum ſiliquoſis conveniunt ab iis nullo modo ſeparandos duximus. Sic quæcunque plantæ folliculos habent bivalves cum ſeminibus ad rachin annexis uno ordine ſitis, cujuſcunque tandem figuræ ſive longæ ſivebrevioris & ſubrotundæ folliculi ſunt, Siliquoſæ nobis cenſentur.

Notandum etiam non omnes in longitudinem productos fructus ſiliquis adſcribendos, ſed ejus duntaxat plantæ generis cujus pleræque & potiores ſpecies iſtiuſmodi fructus producant. Sic cucumeris anguini v. g. fructum ſiliquam non dicimus quamvis longus & anguſtus ſit, quoniam Cucumeris vulgaris fructus ejuſmodi non eſt; ſemina autem in longo illo eodem modo diſponuntur quo in breviore.

Siliquæ autem nomen præcipuo jure & per antonomaſian quandam nobis convenire videtur folliculis bivalvibus, quorum ſemina rachi adnexa ſunt, & uno verſu in eadem linea diſpoſita.

Librum autem hunc in quinque Sectiones dividemus.

Prima erit De Arboribus ſiliquoſis flore papilionaceo.

Secunda De Arboribus folio decompoſito ſeu ramoſo, cujuſcunque formæ flos ſit.

Tertia De Arboribus ſiliquoſis flore pentapetalo.

Quarta De Arboribus fruticoſis miſcellaneis, ſeu anomalis & ſui generis ſeu minùs cognitis.

Quinta de Lobis ſeu ſiliquis quibuſdam, quarum arbores minus cognitæ necdum quod ſciam deſcriptæ ſunt.

SECTIO PRIMA.

De Arboribus & Fruticibus ſiliquoſis flore papilionaceo.

Cap. I.

De Arbore Judæ dicta.

Arbor Judæ Lob. Ger. Park. *Judaica arbor* J. B. *Siliqua ſylv. rotundifolia* C. B. *Cercis prior Theophraſti* quibuſdam, *Colytea* **Theophraſti* aliis.

* 3. *Hiſt.* 14.

CReſcit interdum in arborem juſtæ magnitudinis locis cultis, ſed neglecta & ſponte naſcens inter frutices potiùs quàm arbores plerunque cenſenda eſt. Rariores fert ramos, alternatim ex lateribus naſcentes, cortice ex purpura nigricante tectos, qui primo vere ante folia, aut iis primò germinare incipientibus inferiore parte ternos aut quaternos *flores* ſimul junctos ferunt, Geniſtæ aut Piſorum formâ, colore purpureo elegante, [*quinque foliis contexti, è quibus duo inferiora magnitudine ſuperant, reliqua tria ſuperiora ſimul juncta, apicibus è medio multis emicantibus *J. B.*] *Folia* deinde ex intervallis prodeunt, Aſari ferè, minùs tamen carnoſa, circinatæ propemodum rotunditatis, nervoſa admodum uti Ariſtolochiarum, & dura, ſuperiore parte viridia, inferiore verò nonnihil candicantia. Floribus ſuccedunt membranaceæ purpuraſcentes *ſiliquæ*, & quodammodo tranſparentes, compreſſæ, digitalis longitudinis [uncialibus & longioribus pediculis pendulæ, palmari aut ſeſquipalmari longitudine, membranaceæ, purpuraſcentes, compreſſæ, unciam fere latæ] in quibus *ſemina* coloris ſpadicei, dura, Lentibus majora, oblonga.

* *Aſt flores papilionacei (quales ſunt Geniſtæ aut Piſorum) tetrapetali ſunt; aut potiùs tetrapetaloides; & icon Cluſiana hujus arboris oſtendit florem tetrapetalum, ſuperiore petalo duntaxat bifido.*

Aliud genus.

Aliud genus invenitur per omnia ferè ſimile, præter florem, qui in hoc candicat, cùm in ſuperiore purpureus ſit, & corticem virgultorum, qui candicat potiùs quàm purpuraſcit.

Locus.

Sponte naſcitur primum genus Granatenſi regno, & quibuſdam aliis Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis locis inter ſegetes. Nos in collibus Romæ vicinis Tiberi imminentibus, poſtea in Apenninis montibus, vidimus.

2. *Siliqua ſylveſtris rotundifolia Indica* C. B.

C. B.

Semen nummi inſtar rotundum, planum, denarii magnitudine, craſſiuſculum, ruffum, à Terentio ex India accepit C. Bauhinus cum hac inſcriptione, Semen Nummulariæ eſt arboris Judæ Indicæ, cujus flos magnus, elegans & odorus eſt.

3. *Arbor Judæ Americana.*

Hujus ramulum floribus onuſtum vidimus in Muſeo inſtructiſſimo Ornatiſſimi Viri D. *Gul.* Courtine Armigeri; Folia ejus non perinde rotunda erant ac Arboris Judæ vulgaris, ſed acuminata, flores longè minores brevioribus etiam multò pediculis inſidebant.

4. *Siliquæ ſylveſtri ſimilis* C. B. *Acacalis quorundam ſive Keſmeſen foliis Ceratiæ* J. B. *An Dioſcoridis Acacalis?* C. B.

Ex octenni ſemine enata tenella planta inſtar Ceratiæ primùm erumpentis, rotundis foliis quaternis, utrinque coſtæ annexis binis: Cauliculus ſubhirſutus: quæ ſub Autumni initium rurſus exaruit. Semen altera parte rotundum latiuſculum, altera in mucronem collectum.

Semen hujus Cayrinæ & Kiſmeſen nomine à Paludano ex Syria reduce accepit C. Bauhinus.

Vires.

Tam vulgare Conſtantinopoli ad oculorum morbos eſt remedium, ut tritum ſit proverbium; *Si doleant oculi habes Cheſmeſen.*

CAP. II.

Siliqua arbor ſive Ceratia J. B. *Siliqua edulis* C. B. *dulcis ſive vulgatior* Park. *Ceratia ſiliqua ſive Ceratonia* Ger. *Caroba* Offic. *Panis S. Joannis* Germanis & Belgis. **The Carob-tree.**

J. B.

Arbor (inquit J. Bauhinus) cui fructus cornu modo intortus ſiliquæ & κερατίου nomen fecit [ſiliqua modicè admodum intorta & propemodum recta plerunque eſt] calidioris ſoli amantior, craſſo, ut tradunt, caudice in magnam excreſcit altitudinem, latè ramos ſpargens, longos, firmos. *Folia* in alam diſpoſita [Cluſ. alata ut Terebinthi aut Piſtaciæ, majora] quorum ſingularia brevi pediculo ad coſtam annexa, ſubrotunda, tres uncias plus minùs lata, paulo longiora, craſſa, rigida, nervoſa, crebris obliquis venulis in margines excurrentibus, ſuperiùs atro virore ſplendent, inferiùs pallidiori. Novemb. & Decemb. Julum inſtar Juglandis ferè in flores * ex rubro purpuraſcentes ſeſe aperientem emittunt: deinde ſiliquæ, non tantùm digito indici æquales, ſed & altero tanto interdum longiores, latiores, modicè intortæ, compreſſæ, callo dulci, eduli, ſemina claudunt membranis diſtincta, ſeminibus Caſſiæ ſolutivæ ferè æqualia, minora tamen, colore ſpadiceo obſcuriore, compreſſa modicè, altero fine in acumen leviter deſinentia, altero latiuſculo, pulpâ buxeâ, durâ, & leguminoſi quid reſipiente.

* *Veſling.* Floſculos *rubeſcenti thyrſo inſertos producere plurimos ſcribit, lacteo candore perfuſos, quorum foliolis dilapſis flaveſcentes apices ſuperſtites remanent, & ipſi tandem decidui.*

Quin hæc arbor ſit Siliqua Plinii, κεράτια & κερατωνία Græcorum, minimè dubium eſt.

Locus.

In Sicilia circa oppidum *Puzallu* frequentem, & ſpontaneam ſeu ſylveſtrem obſervavimus.

In Apulia & regno Neapolitano vel ſponte oritur, vel ſaltem frequens colitur. Itinere à Neapoli ad Romam obſervavit D. *Tancredus Robinſon.*

Veſlingius paucas harum arborum in Ægypto vidit, frequentiores in Palæſtina, plurimos in Judææ montibus, & circa ſacram ibidem urbem.

Vires.

Siliquarum (ut rectè Plinius) cortex ipſe manditur, éſtque melleo ac dulci ſapore. Virides ſumptæ, autor eſt Dioſcorides & poſt eum Plinius, ſtomacho incommodæ ſunt & alvum ſolvunt. Eædem ſiccatæ alvum ſiſtunt & ſtomacho commodiores ſunt, urinámque cient. Quamvis omnes qui de his fructibus ſcripſerunt, ſiccatos alvum ſiſtere affirment, nobis tamen contrarium evenit, ſiquidem quotquot Venetiis (ubi magnâ copiâ venales ſunt) de iis comedimus, non ſolùm nauſeam moverunt, ſed & alvum ſubduxerunt non ſecus ac pulpa Caſſiæ, ità ut ventriculus poſtea ab iis abhorreret. Non tamen negaverim poſſe impunè iis veſci qui aſſueverunt.

Ægyptii, tradente Alpino, mel ex ſiliquis extrahunt dulciſſimum, quo Arabes Sacchari loco Caſſias ſolutivas recentes ac parvas, Zingiber, Myrobalanos, Tamarindos atque alios multos fructus condiunt. Hujus quoque mellis uſus eſt frequentiſſimus ad clyſteres, & aliqui etiam per os ſumendum concedunt ad ſubducendam alvum: ipſo etiam alvus non minùs quàm pulpâ Caſſiæ ibi ad excretionem movetur. Utuntur etiam renum inflammationibus intus extraque appoſito.

Ad tuſſientes aſthmaticos ipſum non ſecus quàm Caſſiam exhibent, valdéque ipſos juvat: nec minùs decoctum ex ſiliquis eadem hæc præſtat.

In ardore & dolore ſtomachi ſiliqua Ceratia comeſta eſt egregia: item ſyrupus ex ſummitate Quercûs. *Etmuller. prax.*

Siliqua purgatrix C. B. *Caroba ſive Siliqua ex Guinea purgatrix* Park. Pona Ital.

Hanc loco ſuo naturali in arborem grandem excreſcere; quamvis in Italia minor plerunque & humilior fit. Creſcendi modo & foliis à præcedente non multùm differt. *Flos* qualis ſit à nemine hactenus (quod novimus) traditum aut obſervatum. Siliqua brevis, craſſa, incurva, &, ut ait Pona, Anacardio Cajous dicto nonnihil ſimilis, tres circiter uncias longa, exteriùs ſpadicea [brunneam vocant] quemadmodum vulgaris Carobæ: dorſo per totam longitudinem convexo ſeu arcuato, lineâ in ventre ſeu concava parte elatâ quatuor vel quinque *ſemina*, rotundiora minúſque compreſſa, ſumma parte magis circinata, imâ acutiora quàm Carobæ vulgaris, continens, ſapore, acriore, quíque guttur propemodum adurat.

E Guinea allata eſt hæc ſpecies. *Locus.*

Hanc arborem florem papilionaceum proferre aſſerere non auſim: alii obſervent quibus ejus copia facta eſt, & ſi loco alieno à me diſpoſita eſt in ſuum transferant.

Siliqua Africana fructu minore.

Hujus ſiliquas duplo triplóve minores Carobæ vulgaris ſiliquis vidi apud generoſiſſ. Virum D. *Gulielmum Courtine* Medii Templi, è *Sancta Cruce* urbe delatas.

CAP. III.

De Acacia Americana.

1. *Acacia Americana foliis Coluteæ Monococcos, ſiliquis echinatis* Hort. Lugd. Bat. Hermanni. *Acacia Americana Robini* Cornut. *Pſeudo-acacia Americana Robini* Park.

Cornut.

ARbor eſt caudice amplo & duro, cortice nitido & ſubnigro, nec ſpinis armato ut Ægyptiacæ aut Cappadocicæ [Acaciæ] ſed lævi. Firmiſſimis radicibus hæret. Cacumina longè latéque diffunduntur, multiplicibus diducta ramis, teneris, medulloſis, aculeis crebris & acutis horridis. Obſerva tamen aculeos non rotundo ſtylo minaces, ut Rhamni, ſed ex baſi in amplam latitudinem compreſſa acutè graciteſcentes ut Rubi aut Sentis caninæ. *Folia* in eodem nervo ſunt utrinque dena aut octona, uno ſemper extremum nervi claudente. Peculiaris eſt in is noctis ſenſus, ſtatim enim ſub veſperum in ſe adducta per media plicantur, donec ſequenti die Sol poſtliminio reverſus aperiat. Floret Auguſto: flos albus eſt, Piſo ſimilis, in uvam compoſitus, ut Cytiſi, non adeò tamen fragilis, nec deorſum nutans, ſed ſe in ſublime erigens. Succedunt *ſemina* Lenticulæ ſimilia, quæ ſingula ſingulis nucleis, duris admodum, & ex omni parte echinatis clauduntur.

Totius arboris foliorum ſuccus aut decoctum vi ſumma ad refrigerandum & adſtringendum eſt. *Vires.*

Hæc arbor non (ut vult Jo. Parkinſonus) ad ſpartum Spinoſum referenda eſt, ſed ad Glycyrrhizam echinatam pertinet, quacum & foliis & ſiliquis monococcis, erectis, echinatis, pluribus in eodem ſurculo ſeu communi pediculo glomeratis, in tantum convenit, ut non immeritò Glycyrrhiza echinata arborea dici poſſet.

2. *Acacia Virginiana ſiliquis glabris. Arbor ſiliquoſa Virginienſis ſpinoſa, Locus noſtratibus dicta* Park.

E Virginia in Angliam dudum tranſlata eſt arbor huic non multum diſſimilis, magnitudine & ſtatura eximia, cujus truncus cortice lævi integitur, ramuli juniores virides ſunt, & ad unumquemque articulum ſpinis acutiuſculis obſiti, unde & folia egrediuntur præcedentis ſimilia, eodémque ſitu ad rachin annexa, impari uno alam plerunque terminante, quod tamen interdum deeſt, breviora nonnihil & rotundiora. Nondum [tempore Parkinſoni] apud nos floruit, nedum fructum protulit. Quæ tamen ad nos è Virginia allatæ ſunt ſiliquæ tenues erant, oblongæ & aliquantulum compreſſæ, ad modum ſiliquarum Laburni, quibus tamen longiora, tenuiora & nigriora, ſemina parva, ſubcinerea, ſplendentia, rotunda, compreſſa claudentes.

Hæc Arbor ſæpiſſimè falsò vocatur Acacia Americana Robini ab Hortulanis noſtris, annotante ingenioſiſſimo Viro D. *Leonardo Plucknet*, M. D.

CAP. IV.

De Colutea veſicaria.

COluteam vulgarem Theophraſti κολοιτέαν non eſſe contendit Jo. Bodæus à Stapel. Colutea autem veſicaria inſigni nota, ſiliquis veſicularum inſtar tumidis, ab aliis omnibus arboribus fruticibúſve diſtinguitur.

1. *Colutea veſicaria* C. B. J. B. *Veſicaria vulgaris* Park. *Colutea* Ger. **Baſtard Sena.**
J. B.

Arbor eſt non magna, in multos ramos diviſa, materie fere Sambuci, duriore, intus non medullata ſed cava; cortice gemino, exteriore cinereo, interiore viridi veſtita. *Folia* multa; novem vel undecim ad unam coſtam alligata, ut plurimum oppoſita, Glycyrrhizæ, Hedyſari, aut Senæ modo, ſed Senæ foliis molliora, rotundiora, nec in acutum mucronem deſinentia, ſupernè glabra magiſque viridantia, infernè albidiora & hirſuta, guſtu amaro. *Flores* ex longo pediculo multi, ut in Piſis & Cicerculis, crocei, formâ ſimiles prædictorum floribus, & Geniſtæ anguloſæ ac rotundæ: Quibus decidentibus ſuccreſcunt folliculi, membranacei, pellucidi, interdum rubentes, ſpiritu veluti quodam diſtendente turgidi, ità ut preſſu digitorum cum crepitu, eliſo aere, diſſiliant: in quibus continentur *ſemina* ad folliculi ſuturam tanquam coſtam, quæ maturo ſemine dehiſcit, pediculis brevibus appenſa, formâ renis, antè maturitatem lutea, ſapore Fabarum ſeu Piſorum, per maturitatem minora, Lentes æmulantia quodammodo, minora tamen, rotunda, nec ità nigra fere, dura, compreſſa, lacunâ in medio prædita, ſaporem priſtinum retinentia; amaritudinem in iis non ſentimus, ut perhibet Matthiolus.

Locus. In Italia multis in locis invenitur, uno præ cæteris notabili, in lateribus & prope ſummitatem montis Veſuvii, in aſcenſu ad craterem, ubi nullæ fere aliæ plantæ. Obſervavimus etiam circa Monſpelium.

Vires. Hujus folia, ſed præcipuè ſemina, non ſolùm purgant per inferiora, ſed & vomitiones movent, veluti ſemina Geniſtæ; ſunt autem ventriculo & viſceribus inimica, ideóque nonniſi robuſtioribus exhibenda.

2. *Colutea Zeilanica argentea tota D.* Hermanni. Hort. Lugd. Bat.
Herman.

Fruticat altitudine humana: *radice* palleſcente, brachiata, lignoſa: *Caule* ſimplici, aliquando multiplici: *Ramis* non incomptis, incano molli tomento obſitis: *Foliis* perpetuis, ſubrotundis, craſſis, albentibus, lanuginoſis, ut plurimum ſeptendecim coſtam mediam binatim cingentibus, unico in ſummo impari: *Floribus* papilionaceis, luteis, Geniſtæ Hiſpanicæ amplitudine, in ſpica palmari affatim coacervatis, pendentibus ſingulis ex pediculis parvis, incanis, marginibus crenatis: *Siliquis* coriaceis, bivalvibus, teretibus, digitum longis, ventrioſis, aliquot quaſi iſthmis interceptis, deorſum ſpectantibus, intus & extus incani, albentis coloris, & in molliculum mucronem productis, claudentibus parte quæ protuberat *ſemen* globoſum, durum, fuſcum, magnitudine Ciceris.

Abundat in vepretis maritimis inſulæ *Zeylan*, dicta ab indigenis *Mundu Murungu*, i. e. Murungu

* L. Aromat. c. 35. maritima. Videtur enim habere quandam affinitatem cum Moringa * Chriſtoph. Acoſtæ, quam Zeylanenſes *Wattu Murungu*, i. e. Murungu hortenſe vocant.

Cæterùm guſtanti deprehenditur acris, amara, ingrata & nauſeoſa, virtute purgandi prædita, ſed ob ignaviam & malignitatem à foro medico proſcripta.

Propagatur facilè per novellos ſtolones à radice aſſurgentes, per ſubmerſionem aut circumpoſitionem, ut & per ſemina vere terræ commiſſa. Frigori ſubducta tota hyeme viget & viret.

D. *Hermannus* Coluteam dividit in *Veſicariam*, & *Siliquoſam*: Siliquoſam deinde in duo genera ſubdividit: quorum primum fert ſemina cylindracea, oblonga in ſiliquis bivalvibus articulatis: Alterum, cujus quatuor in Oriente offendit ſpecies fruticeſcentes, ſiliquas producit bivalves, ventrioſas, quaſi iſthmo interceptas, ſeminibus intus rotundis; cujuſmodi eſt planta deſcripta.

3. *Colutea Æthiopica flore purpureo* Breynii; *Cent.* 1. *Colutea Æthiopica flore Phœniceo Barba Jovis foliis* Breyn. *Prodrom.*
Breyn.

Planta Autori noſtro deſcripta ex ſemine Africano, circa Promontorium Bonæ ſpei collecto, enata, *caules* plures ſeſquipedales, lignoſos, ſtriatos, incanos, medullâ candidiſſimâ farctos proferebat, ſapore dulci: in quibus hinc indè ſparſa erant *folia*, è compluribus incanis foliolis, Ciceris ſylveſtris anguſtioribus, uni coſtæ quatuor unciarum utrinque inhærentibus, unóque extremam alam occupante, compoſita. E ſingulis fermè alarum cavis ſurculus prodibat, duorum aut trium digitorum tranſverſorum longitudine, floribus Coluteæ vulgaris longioribus, & florido colore ex ſuaverubente purpuraſcentibus à medio ad ſummum cacumen decoratus. Quilibet verò illorum florum ex incano, ſtriato, in quinque ſegmenta expanſo emergebat calyce: ex quo flore delapſo *Folliculus* Coluteæ vulgaris, tener, membranaceus pellucidúſque ſuccreſcebat: in quo *ſemina* ſicuti in vulgari continebantur compreſſa, reniformia, ſuturæ folliculi ſupremæ pediculis brevibus appenſa; quæ tamen ad juſtam perfectionem non pervenerunt.

Locus. In Hortis frequens eſt.

4. *Colutea humilis veſicaria Syriaca flore cœruleo* Breyn. *Cent.* 1.

Rarum hoc Coluteæ genus Syriæ in locis editis propè Halepum occurrit: *Radice* fuſca, ampla ad Rhaphani craſſitiem longitudinémque accedente; quæ *Coliculos* fundit palmares, terram versùs reflexos, quorum ſupremæ parti novem aut decem Lentis adhærent *folia* pennata: inter quæ *flores* emergunt Coluteæ Æthiopicæ aſt violacei coloris, ínque orbem diſpoſiti: quos folliculi excipiunt Coluteæ, ſed paulò minores.

Hanc in Herbario Rauwolfiano obſervavit D. Breynius, qui eam pro Aſtragalo Dioſcoridis (cui apprimè ſimilis) in Herbario pag. 116. deſcripſit.

Cap. V.

Barba Jovis C. B. *Jovis barba frutex* Park. *Jovis barba pulchrè lucens* J. B. **The Silver Buſh.**

J. B.

ARbuſcula eſt fruticoſa, altitudine humana [nos tam altam non obſervavimus] cujus materiem duram atque lignoſam ferè incanus & lanuginoſus tegit cortex Rami huic frequentes ſatis. *Folia* quinque aut ſex, aut ſeptem etiam conjugationibus contexta, quarum ſingularia Lentis foliis paria, villoſa argenteo colore fulgent. Ex pediculi foliorum ala appendices ſingulares exoriuntur, lanuginoſæ, quarum extremis inhærent acervatim congeſti *floſculi* lutei, quorum ſinguli non magnitudine ſed forma Geniſtæ flores æmulantur. Succedunt *ſiliquæ* anguſtæ, breves, molles, cinereæ, *ſemina* duo vel tria in rotunditate oblonga, ex cinereo nigricantia continentes. *Radix* dura, lignoſa. Admodum tenera eſt & frigoris impatiens.

Locus. In clivis maritimis Hetruriæ & Regni Neapolitani copioſam obſervavimus. In Promontorio Ceti prope Monſpelium, ubi eam oriri tradunt, nec nos nec D. Magnol invenimus.

De viribus aut uſibus in medicina nihil traditur.

Cap. VI.

Arbor ſiliquoſa trifolia Indica, flore papilionaceo ſiliqua grandi piloſa unicam intus fabam continente. Plaſo H. M.

H. M.

TRium hominum longitudinis eſt, unius craſſitiei, cortice exteriori cinericeo, ſicco, fragili, qui è nigro rubeâ inveſtitur tunicâ, interiore vero molli, quamvis craſſo, quo inciſo gummoſus, ſanguineus affatim exſudat liquor, ſapore ſubdulcis. *Radix* fuſca eodem cum caudice liquore eſt ſuccida. *Folia* craſſa, prægrandia, Braſſicæ Sabaudæ hybernæ imitantia, è lato rotunda, ſeſqui ferè ſpithamam longa, albo nerveo obducta limbo, tactu ſubaſpera, colore supernè è viridi-fuſco nitentia, infernè dilutiora, terna pedunculis rotundis craſſis, cubitalibus ſurculis inhærent. Venulæ quæ è media majori erumpentes in recta duntaxat parte viſuntur, in ſe invicem revolutæ ſupinam ſuperficiem ſtriant, aſperitatem dicto modo cauſantes; ſaporis expertia. Longiore denſóque è ramo, ſupra foliaceorum exſurgente, petiolis ſpiſſis, ſeſqui ferè uncialibus, parumper tomentoſis plures alterni proveniunt *flores*, papilionacei, grandiuſculi, tetrapetali, coloris coccinei, *Muricu* adeò ſimiles ut cætera exinde peti queant: odor ipſis acris. Calycis verò quinque cuſpidati petiolus parùm tomentoſus eſt. *Siliquæ* permagnæ, ſpithamam longæ, tres pollices latæ, nervis eminentibus, multis pilis dum adhuc virent decumbentibus obſitæ, lateribus pæne contiguis, perplanæ, cortice interiore cartilagineo, candido ſunt, odore ſubacri. Harum in vertice una valdè compreſſa ac complana reperitur *faba*, cortice tenui, rubro, pulpa in duas ſe dividente partes, albâ: maturis ſeminibus ſiliquæ rubent, quæ priuſquam faba conſpicitur in juſtam excreſcunt magnitudinem. Faba ſolitariæ magnæ incluſa ſiliquæ perdulcis eſt ſaporis, graveolens.

Creſcit in *Cranganron*, *Bellanga*, multiſque aliis Malabarici regni tam montanis, quàm apricis locis copioſa, ſemper frondens. Bimula flores Septembri & Octobri; fructus Januario ſequentibúſque fert menſibus. Quadragenaria emoritur. Aſt rami terræ impoſiti confeſtim radicantur. Lignum & folia gentilium cæremoniis inſerviunt. In pulverem redacti fructus aſſumpti lumbricos enecant; cortex eo modo cum zinzibere exſiccato, exhibetur in morſu viperino.

Cap. VII.

De Anagyride & Laburno.

ΑΝάγυρον dictum putant à natali ſolo, ut Anagyrum pro frutice non ſecus ſumamus, quàm Anticyram pro Hellebore. Stephanus ἀπὸ πόλεων Anagyrum locum eſſe ait in Attica, qui ad tribum pertineat Erechtheidem. Duplex eſt, non fœtida, quæ Laburnum Plinii putatur, & fœtens ſeu vera Dioſcoridis. Foliis in eodem pediculo ternis * floribus & ſiliquis in oblongo racemo pendulis ab hujus generis aliis diſtinguitur.

* *Hoc de Laburno tantùm accipiendum eſt.*

1. *Anagyris non fœtida major, vel Alpina* C. B. *Anagyris* Ger. *Laburnum arbor trifolia, Anagyridi ſimilis* J. B. *Anagyris non fœtida, ſive Laburnum majus* Park. **Bean-trefoil-tree, not ſtinking.**

J. B.

Arboris mediocris magnitudinem aſſequitur, ramis brachiatum, cortice virente, materie dura, ut ſtici palis ex ea confectis agros ſuos ſepiant. *Folia* ex uno tuberculo plura Trifolii Aſphaltii, innè ſubhirſuta & ex virore pallida, supernè glabra, ſatíſque ſaturo virore tincta, pediculo hirſuto, ui, tereti; longitudine varia, unciali & palmari: *Flores* ex eodem tuberculo cum foliis, aut in nulorum extremis, aut è lateribus, in longa, tereti, tenui, hirſutâque & incana ligula dependent, dodrantali, interdum breviore, flavi, Geniſtellæ floribus ſimiles, è foliis quaternis, ſupremo reliquis multò majore, lato, ſurſum reflexo, nigrore intus nonnihil maculoſo; bina à lateribus, quartum roſtratum, in quo *apices* crocei, complexu ſuo coercent: *Omnibus hoc genus ſtirpibus quas flore papilionaceo dicimus, bujuſmodi fere flores ſunt.*

Laburnum Plinii videtur eſſe hæc arbor: nec obſtat quòd Plinius florem longitudine cubitalem eſſe ſcribat, quæ in hac arbore palmi longitudinem non excedant, ut objicit Matthiolus; Nam fide digni reſque herbariæ peritiſſ. ſe in monte Jura cubito longiores florum racemos vidiſſe referunt, ut tradit Camerarius.

Locus. In montibus propè Genevam, Saleva & Jura, ſinque Alpibus Sabaudicis obſervavimus. Maio & Junio aut etiam Julio menſibus grato in montibus ſpectaculo floret. Ex ſemine facilè provenit.

Siliquæ Laburni, deſcribente Solerio apud *J. B.* Piſorum hortenſium ſiliquis ſimiles ſunt, compreſſiores, fractu contumaces. In extremis, ac nonnunquam intermediis ſpatiis continetur *ſemen* Lentis magnitudine, ex latitudine ſubrotundum, ima parte, quà *ſiliquæ* per petiolum hæret, tantillum excavatum, renis prorſus effigie, quod antequam maturuerit viret, poſt maturitatem varium, durum & ob lævorem ſplendidum eſt. Variat foliis variegatis.

2. *Laburnum ſpinoſum Mauritanicum fol. Glycyrrhizæ, flore albo* Breyn. Prod.

3. *Anagyris non fœtens minor* C. B. *Laburnum minus* Park.

Præcedenti, magnitudine excepta, per omnia ſimilem eſſe aiunt. Statura huic humilior. *Folia*, flores, ſemina dimidio minora. Non modò non ingrati, ſed nullius eſt hæc planta odoris.

J. Bauhinus duo Laburna eſſe vix putat, ſed duas figuras unius Laburni apud Matthiolum, qui confudit Anagyridis hiſtoriam cum Laburno: cum quo & ego lubens ſenſiſſem, ſi non obſervâſſem in Catalogo plantarum Horti Leydenſis à peritiſſimo Botanico D. *Paulo Hermanno* nuperrimè edito hanc pro diſtincta ſpecie propoſitam.

4. *Anagyris fœtida* C. B. Ger. Park. *Vera fœtida* J. B. The ſtinking Bean-trefoil. *J. B.*

Laburno ſimilis frutex eſt arboreſcens. [Fruticoſa ſtirps magis quàm arbor eſt, inquit Marcellus, Nos tamen vidimus tonſurâ putationéque coactam ad legitimam arboris altitudinem creſcere] ramis frequentibus ſatis donatus, cortice (inquit Cluſius) ex viridi nigricante, materie pallida. *Folia* terna, oblonga, acuminata, ſuperiùs virentia, inferiùs albicantia, odore adeò gravi & tetro prædita, potiſſimum ſi terantur, ut tranſeuntibus ſuo fœtore caput offendant, in unius pediculi uncialis caput inſerta. Ex foliorum ſedibus & alis flores ex calyce in quatuor lacinias ſecto, glauco & velut argenteo emicant bini, terni aut quaterni, oblongi, quatuor foliis conſtantes, Geniſtæ ferè aut Cytiſi modo, ſed quorum ſupremum, quódque reliqua integit, brevius eſt & minimè reflexum ut in illis, colore intenſè aureo, reliquis palleſcentibus, è quorum ſinu apiculi pluſculi emicant flori concolores. Floribus ſuccedunt *ſiliquæ* digitali longitudine, pollicari verò latitudine, cartilagineæ, in quibus terna aut quaterna *ſemina*, nonnunquam plura, ſatis magna, exiguis phaſeolis ſimilia, renis formâ, quæ initio albent, deinde colorem purpuraſcentem contrahunt, tandem per maturitatem ex cœruleo nigricant, ut aptiſſimè Dioſcorides ποικίλην dixerit, cùm in eodem fructu non bene maturo tres differentes colores conſpiciantur, ut diligenter notavit Cluſius.

Tempus & Locus. Floret Maio & Junio menſibus, grato inter alios frutices per ſylvas ſpectaculo. Nos in montibus ſupra Meſſanam, & alibi pluries tum in Sicilia, tum etiam in Italia obſervavimus. Cluſius in ſaxoſo colle propè Arelatem urbem in Gallia, tum frequentem circa Hiſpalin & alibi in Hiſpania.

5. *Anagyris fœtida altera rotundo folio* C. B. *Anag. Cretica à Cluſii diverſa* Honor. Belli ep. 2. *ad Cluſ.*

De hac J. Bauhinus, Licet, inquit, Honorius Belli ſe in Creta paſſim, ſecus vias differentem Anagyrin ab ea quam hîc deſcribo obſervâſſe dicat, quæ rotundiora proferat folia; non tamen ob ſola folia quæ parum variant, diverſam exiſtimo faciendam, cùm præſertim exoſus odor & facultates à Veteribus huic adſcriptæ eandem eſſe clarè demonſtrent. Facilior etiam naturæ luſus in foliis quàm in viribus.

Vires. Folia Anagyridis fœtidæ trita & impoſita tumores reprimunt: ſicca in paſſo pota menſes ac ſecundas movent, fœtum mortuum ejiciunt. Semen commanducatum vomitiones movet, nec ſemen tantùm ſed & folia, unanimi botanicorum conſenſu.

Accidit interdum (inquit Hon. Belli) ut capræ & oves in Creta fame vexatæ hujus folia depaſcant, licet odoris ſit ingratiſſimi, & poſtea ex harum lacte caſeus conficiatur: quo ſi fortè ignari aliquis veſcatur aut lac bibat, ſtatim excitentur tum vehementiſſimi vomitus tum fluxus ventris. Et cùm hoc ſæpiſſimè accidat, multi in diſcrimen vitæ veniunt, quam ob cauſam frutex omnibus ſit exoſus.

Quòd Laburni flores apes non attingant, Plinius eúmq; ſecuti recentiores Botanici affirmant. Sæpenumero autem Laburnum ob ligni duritiem & nigrorem pro Ebeno vænit, ex quo pulchræ fiun pectinum thecæ. *J. B.*

6. *Phaſeolus arbor Indica incana ſiliquis toroſis Kayan dicta. Thora Paerou* H. M. *Cajan arbor Indica, foliis Trifolii bituminoſi, ſiliquis Orobi* Breyn. Prod. *Piſum Arboreſcens quibuſdam. H. M.*

Arbor eſt fruticoſa, *radice* ruffa, obfuſco cortice, inodora, caudice ſeſquipedem craſſo. Fo Salicum effigiem habentia, ex oblongo anguſta, quinque pollices æquantia, aculeata, nervis stri ta, numero terna, bipollicaribus ſtriatis etiam è ſurculis breviſſimis pediculis dependent, ſupernè lenia, è viridi fuſca, infernè hyalina, odore ſimul & guſtu haud ingrata. *Flores* hic illic in extremitatibus ſurculorum, propè foliorum exortum expullulantium erumpunt papilionacei, tetrapetali, quorum unum aduncum, venis ſtriatum, lateribus albicantibus & tranſlucidis, intus flavum, circa medium oræ leviter ſinuatum exiſtit. Duo erecta, oblonga, flava foliola propè latus incurvatum circumplectuntur. *Stilus* hamato incumbens folio, candidus in novem filamenta, croceis apicibus donata, diviſus, ſtamine quod filamentum flavo capite ornatum tranſmittit croceâ gemmâ nodulato, obtegitur. Eorum calix venoſus hirſutúſque, odor autem nullus eſt. Succreſcentes floribus *ſiliquæ*, digitum auricularem tum longitudine, tum craſſitie æmulantes, piloſæ, maculis interſtinctæ, è viridi dilutæ ſunt, cortice ſubrubro, cartilagineo, ubi expanditur tranſparente, multis venulis intertextæ. His includuntur quatuor *Piſa*, cartilaginoſis interſepimentis à ſe mutuò diſtincta, immatura virentia, glabra, nitentia, matura rubentia, quædam ex albido flaventia, ſitum tranſverſum obtinentia, in edulia ob gratum ſaporem relata, quinimo propterea in agris pinguioribus ſedulò excoluntur, & ubivis venalia exponuntur.

Leguntur menſe Januario. Frutex ipſe ſemper frondens brevi emoritur. *Tempus.*

Apozema ex foliis aſſumptum hæmorrhoidum fluxum nimis copioſum retardat. Cum Pipere con- *Vires.*
trita folia gingivarum immunditiem, dentium tollunt dolorem. Decocta in Oryzæ lotura ſemina & cum butyro in linimentum redacta ſpontaneam ac doloroſam artuum propulſant laſſitudinem. Paratur inſuper ex iis quoque ſalubris contra variolas potio.

Hæc Planta crevit hoc anno 1687. in Horto *D.Doody*.

CAP. VIII.

Cytiſus ſpinoſus Acacia dictus. Acacia trifolia C. B. *altera trifolia* Ger. *ſecunda ſeu altera Dioſcoridis* Park. *Aſpalathus ſecunda trifolia, quæ Acacia ſecunda Matthiolo trifolia* J. B.

HUunc fruticem Hon. Belli ſic deſcribit, pro Aſpalatho ſecundo Dioſcor. vero & legitimo, quique in tota Græcia nomen adhuc retinet. Ligni materies alba, duriſſima & gravis eſt; medium autem ligni nigreſcit, odore carens: flores habet luteos, Geniſtæ æmulos, parùm odoratos: vento autem ſpirante eorum odor ſatis ſuavis manè longiùs percipitur, ſuccedunt parvæ *ſiliquæ* in quibus tria quatuórve ſemina continentur. *Folia* Rutæ ſimilia ſunt, terna ſimul juncta, licèt æſtate ipſa amittat ut Autumno aliis induatur. Spinis totus frutex ſcatet, validis, duarum triúmve unciarum, quarum nonnullæ bifidæ aut trifidæ, ſtriatæ, reliquóque ramo concolores, quarúmq; non commiſſuris modò, ſed ipſimet etiam medietati ex longiuſculis pediculis folia hærent, trifolia, exigua quadam ac vix quidem conſpicua hirſutie pubeſcentia. *Radice* nititur firma, lignoſa, odoris experte.

In Creta ex hoc ſepes conficiunt, totæque ſylvæ ex eo conſtare ſpectantur. Vere Lobelius univer- *Locus.*
ſum Tyrrhenum, Liguſticum atque Mediterraneum littus, uti pleraque Italiæ loca hoc frutice ſcatere ſcribit. Eundem etiam in Sicilia circa Meſſanam, & Gallo-provincia propè Tolonam portum obſervavimus.

Potuiſſet hæc planta Cytiſis annumerari, cum quibus in omnibus præterquam ſpinis convenit.

CAP. IX.

Cytiſus adulterinus ſive Alyſſon fruticans Ger. *Cytiſi facie quibuſdam Alyſſon fruticans* Park. *Cytiſi facie Alyſſon fruticans quorundam* Lob. J.B. *Pſeudo-cytiſus flore Leucoii luteo* C.B.

Lob.

EXoticus hic frutex floribus luteis Leucoii minoris æſtate lucet, è ſparſis, numeroſis, anfractuoſis Polemonii ſtriatis coliculis. *Folia* Cytiſi, habitiora, albida, hiſpida, ſetaceis pilis rigida: *Radice* lignoſa, duriore, & in folliculis ſemine.

CAP. X.

De Geniſta vulgari trifolia.

GEniſta à genu dicta putatur, vel quòd genu inſtar flexilis ſit, vel quod genubus medeatur dolentibus.

Foliis in eodem pediculo ternis, viminibus tenuibus anguloſis confertis ab aliis ſiliquoſis & flore papilionaceo donatis plantis diſtinguitur.

A. 1. *Geniſta anguloſa trifolia* J. B. *anguloſa & ſcoparia* C. B. *vulgaris & ſcoparia* Park. *Geniſta* Ger. *& etiam Chamægeniſta* ejuſdem *ex ſententia C. Bauhini & Johnſoni.* **Common Broom.**

J. B.

Fruticoſa ſtirps eſt, frequenter in magnam altitudinem elata, hominis ſtaturam attingens, interdum humilior multò, caudices habens tenues, lignoſos, à quibus plurimæ tenues ſparguntur virgulæ, anguloſæ, virentes, lentæ & flecti nectique faciles, non raro quoque in alias diviſæ, in quibus *folia* crebra, hirſuta, priora Trifolii, alia ſimplicia, acuminata. *Flores* ſpecioſi, aurei aut flavi, Laburni, majores, papilionacei, ſtaminibus recurvis cum apicibus croceis. *Siliquæ* compreſſæ, latæ, nigræ, hirſutæ, in quibus *ſemen* Coluteæ veſicariæ, fuſcum, compreſſum lucidum [alibi ſemen planum, durum, ſubruffum, Lente minus ei attribuit.] *Radix* multifida, nervoſa, lenta, flexilis, lutea.

Geniſta flor e albo Rara apud nos avis eſt, nigróque ſimillima cygno.

Locus & Tempus. Per univerſam fere Germaniam, Galliam, Angliam atque Belgium in paſcuis, præſertim arenoſis, glareoſis & ſterilioribus frequentiſſima habetur. Sponte naſcentis (quod mirum) nulla veſtigia obſervare potuit Cluſius in Pannonia & Bohemia, neque tota Auſtria & Moravia. Floret circa finem Aprilis & initio Maii, & interdum ſeriùs pro veris temperie.

Vires. De viribus Geniſtæ ſic breviter Schroderus. Geniſta vulgaris ſplenetica & nephritica cenſetur, hinc & hepatica. Calculum pellit, ſeroſos humores educit, tam per vomitum, quàm per alvum & urinas. Hinc uſus ejus inſignis in obſtructionibus epatis, lienis & meſenterii, adeóque in Hydrope, catarrhis & arthriticis affectibus. In uſu ſunt flores, ſemina & ſummitates.

Folia, ramuli & ſummitates Geniſtæ, cocta in vino aut aqua, eorúmve ſuccus utilia ſunt hydropicis, & omnibus obſtructionibus renum ac veſicæ; partim enim purgant omnes ſeroſos & aquoſos ac ſuperfluos humores per alvum, partim per urinas. Eadem præſtat ſemen, ſumptum circiter pondere drachmæ unius *Dod.* Purgat Geniſtæ ſemen non minùs potenter fere quàm Spartium aut Helleborus ʒj ß. pondere ex hydro melite ventriculo jejuno ſumptum. Quare ejus magnus eſt uſus hodie contra Podagram. *Matth.* Idem confirmat Lobelius, ſemine Geniſtæ ſcopariæ vomitum non ſecus ac Spartio Dioſc. ſæpius ℥ij decocto propinato citra magnam contentionem ſe moviſſe ſcribens. Verùm flores recèns decerptos ſæpiſſimè quamplurimos & per ſe acetariis inditos vorat (inquit) plebecula Arverna & Aquitaniæ maximâ copiâ innocuos non modò ſed etiam admodum guſtui ſuaves; nec quicquam vomitionis nauſeæve, aut commotionis movere ſolent. Quin apud Brabantos, & Anglos non minùs, gemmantes dum adhuc virides ſunt condiuntur ſale & aceto flores, menſiſque inferuntur, Capparum Olearúmve pari commendatione. Creduntur enim non modò cordi vires, ac ſtomacho appetitum augere, ſed etiam obſtructiones reſerare ac calculum frangere. Idcirco falluntur fallúntque qui hoſce flores Officinis vomitioni ciendæ ſiccandos præcipiunt.

Hinc patet diverſas partes ejuſdem plantæ diverſis imò planè contrariis facultatibus pollere. Eadem differentia obſervatur inter Betonicæ radices, ejúſque folia & flores, ut in ejus hiſtoria monuimus. E contra Lapathi ſemen alvum obſtruit, folia ſubducunt.

Electuarium florum Geniſtæ pulveriſat. & melle roſato except. ad ſcrophulas expertum, ſi eo quis utatur continué *D. Hulſe* è MS nondum edito. Ego non multum auxilii inde expectem.

Pulvis ſeminum cum hydromelite exhibitus in liene tumido, hydrope, ictero utroque mira præſtat.

Paratur ex Geniſtæ ramulorum ac virgultorum aridorum & combuſtorum cinere cum vino tenui albo lixivium quod ad cachexiam & Leucophlegmatiam à nonnullis valdè celebratur, & potenter quidem aquoſos & ſeroſos humores cum urina per veſicam expellit. *Cam.* Ego non multo plus ſperem ab hoc lixivio quàm ab alterius cujuſcunque fruticis.

Verùm iis quæ de Geniſta traduntur repugnat Caſp. Hofmannus, ſi Germanica intelligatur. Quia (inquit) de ſemine ejuſdem ſcimus habere quidem ἐμετικόν τι, ſed non quale Helleborus, verùm ut Rhaphanus, Oleum, Ficus & alia talia, & quidem in tripla aut quadrupla doſi, quis non ſtatim abjiciat ampla illa encomia quæ Geniſtæ noſtrati ab ignaris dantur. Idem dicit de virgarum ſucco. Summâ, ſe libenter abſtinere ait à Geniſta, quia omnia quæ ſcribuntur incerta & dubia ſunt. Verùm nos ei non penitus aſſentimur, cùm quæ de ſummitatibus & ſeminibus traduntur tot graves & fide dignos autores habeant: nec putamus Italicam Geniſtam tantum præſtare Germanicæ quantum ille vult; imo vix omnino præſtare catharticæ facultatis reſpectu crediderim.

Geniſtâ Arabicâ, quæ à noſtra diverſa, planities ad montem Sinai obſitæ ſunt, quæ etiam in Arabiæ ſolitudinibus naſcitur. *Bellon. obſ.* Sed quid? (inquit C. Bauhinus) qui hanc quintam ſuam Geniſtæ non ſpinoſæ ſpeciem facit.

2. *Trifolium frutex Geniſtæ folio* J. B.

J. B.

Ex Italia allatus eſt quem deſcripſit J. Bauhinus hujus Plantæ cubitalis ramus, *Geniſtæ* facie, ſtriatus, fungoſus, in alas alterno poſitu diviſus, quarum commiſſuris folia hærent, ima parte trifolia, extremâ ſingularia, Geniſtæ apprimè ſimilia. Ramorum extremis veluti ſpicatim, ſed majore poſitu, floſculorum capitula ex longiuſculis pedicellis alternatim hærent, flava (ut ſicca oſtendit) oblonga, ad quorum inſertionem minutiſſima foliola adnaſcuntur.

Cap. XI.

De Geniſta humili.

1. *Chamægeniſta foliis Geniſtæ vulgaris* C. B. *Chamægeniſta Pannonica* Park. *Chamægeniſta* Ger. *Geniſtella piloſa* J. B.

J. B.

SUffrutex eſt cubitalis & bicubitalis, *radice* longa, obliquè ſerpente, fibris aliquot donata. *Vimina* habet lenta, tenuia, teretia, in multos ramulos anguloſos, ſtriatos diviſa, per terram ut plurimùm ſe ſpargentia. *Folia* * admodum exigua, inferiùs lanugine cana pubeſcentia ſuperiùs glabra. *Flores* ad ramulorum latera multi, crocei, ex hirſuto calyculo. Aſpalathi Monſpelienſis, vel geniſtæ vulgaris formâ & odore, ſed multò minores, exteriùs piloſi, intus glabri. Succedunt *ſiliquæ* parvæ, unciales, latiuſculæ hirſutæ, in quibus plura *ſemina*. [Cytiſi generibus ſimilia *Cluſ.*]

** Bina, terna, aut quaterna ab eodem exortu* Cluſ.

In ducatu Wirtembergico & alibi in Germania: necnon in multis Pannoniæ locis ad viarum & ſylvarum margines, editis, ſiccis atque deſertis. *J. B. Cluſ.* Pluribus etiam in locis *Garrigues* dictis propè Monſpelium copioſè naſcitur. *Botan. Monſp.* Floret Maio, quandoque etiam Aprili.

Locus & Tempus.

Vel C. Bauhinus ex una ſpecie duas facit, cùm Geniſtam minimam *Lugd.* ſub titulo Geniſtæ ramoſæ foliis Hyperici proponit, & ſeparat à Geniſtella Pannonica *Tab.* cui titulum facit Chamægeniſta foliis Geniſtæ vulgaris: vel J. Bauhinus duas ſpecies confundit, & ad idem caput reducit.

A. 2. *Geniſtella tinctoria* Ger. *Geniſta tinctoria Germanica* C. B. *tinctoria vulgaris* Park. *Tinctorius flos* J. B. **Green-weed or Diers weed, or Woodwaxen.**

J. B.

E *radice* lignoſa, per terram plurimùm diffuſa, denſa viminum ſeges fruticat, tenuium, cubitalium & longiorum, teretium, quibus alternatim adnaſcuntur *folia* Hyſſopi, majora, interdum paria, ſupra infráque atro-virentia, fatuo lentore mandentis os implentia. *Flores* in thyrſis lutei, Geniſtæ anguloſæ ſimiles, verùm minores & nonnihil pallidiores: quorum ſingulis appoſitæ *ſiliquæ* unciam longæ, latiuſculæ, glabræ, in quibus multa *ſemina* parva.

In paſcuis nimis frequens eſt; ſiquidem vaccarum eam depaſcentium lac amarore inficit, unde & butyrum & caſeus ex èo facta amareſcunt.

Locus.

Herba ejúſve flos luteum vel flavum colorem præbet, Glaſto autem ſuperinducta viridem efficit. Solent enim pictores ex cœruleo & luteo ſimul contritis viridem efficere colorem.

Variat foliis latioribus & anguſtioribus, ramulis modò erectis, modò procumbentibus.

Ut formâ & temperamento Geniſtæ ſimilis eſt, ſic facultatibus haud dubiè eidem reſpondet.

3. *Geniſta tinctoria latifolia Lucenſis* J. B.

J. B.

Hoc nomine exhibita ab Agerio, in montibus Lucenſibus collecta, ſurculo eſt lignoſo, denſo, ſtriato, nodulis ab ima præſertim parte contorto. Quem ad intermedia mox alii ſtipant minores, ſatis numeroſi. *Folia* quàm in vulgari tinctoria dicta multò latiora, molliora, brevioráque, alternatim poſita, viridia, & averſa parte ſubcinericea, per ambitum leviter hirſuta, nervo inſigni per medium excurrente. *Flos* luteus, hians more reliquarum. In ſicca nullus guſtus notabilis.

4. *Geniſta tinctoria Hiſpanica* Park. *tinctoria fruteſcens foliis incanis* C. B. *Geniſtella tinctoria Hiſpanica* J. B. *infectoria* Ger.

Cluſ.

Ad duorum cubitorum altitudinem creſcit interdum hic frutex, nudo ſtipite, enodi, recto, digitali craſſitudine, candicante cortice tecto, qui in multiplices brevéſque ramulos tenellos & fragiles ſumma parte dividitur. Hos ornant *folia* Lini aut Thymelææ, frequentia, ſupernè virentia, infernè verò incana & argentei planè ſplendoris; guſtûs initio exiccantis & nonnihil adſtringentis, deinde ſubamari. *Flores* ſummis ramulis naſcuntur, ſpicatim congeſti, Geniſtæ tinctoriæ Germanicæ ſimiles, lutei. Tota planta elegans eſt aſpectu.

Quo tempore floret ſub ea creſcit Hæmodori quoddam genus elegans, pedalis altitudinis, brachialis interdum craſſitudinis, multis floribus à medio ſcapo ad ſummum uſque exornatum, magnis, oblongis, luteis, extrema parte hiantibus, & in quinque partes diviſis. Totum humidum eſt, pingui oleaginoſâque materiâ turget.

Nuſquam hujus fruticem conſpexit Cluſius quàm Murciano regno ſecundùm vias naſcentem, & Martio menſe florentem. Nos in montibus ſylvoſis ſupra Neapolin Italiæ versùs Camaldulenſium cœnobium obſervavimus.

Locus & Tempus.

Hunc fruticem quamvis elatior ſit quàm ut humilis dici debeat, quia tamen Geniſtellæ tinctoriæ ſimilis eſt, hîc locum habere permiſimus.

5. *Geniſtella montana Germanica* Park. *lagopodoides major* Ger. *herbacea, ſive Chamæſpartium* J. B. *Chamægeniſta ſagittalis* C. B.

J. B.

Herba eſt potiùs lignoſa quàm frutex, raró cubitum excedens. Ramuli molles hirſuti, duabus mbriis latis mollibus ornati, internodiis veluti diſtincti; ac ad ſingula internodia folium unum oblongum, obtuſum, piloſum, ſine pediculo, majus quàm in anguloſa, nec triplex ut in ea. In rgarum ſummitate *flores* parvi, lutei, hiantes, ſpicam fere efficientes, quibus ſuccedunt ſiliquæ aldè piloſæ. *Radix* lignoſa, cubitalis, in aliquot portiones magnas diviſa.

Clusio plano est eóque altero ex altero nascente folio, quod deinde in cauliculum convertitur.

Locus. In pascuis Germaniæ sterilioribus abundè provenit multis in locis : item circa Genevam.

6. *Geniſtella pinnata altera Hiſpanica* Park. *Geniſtella pinnata* Ger. *herbacea platyphyllos* J. B. *Chamægeniſta caule foliato* C. B.

Cluſ.

Chamægeniſta peregrina *Cluſ.* vix palmari magnitudine aſſurgit, admodum tamen fruticoſa, *foliis* Chamælææ proximis, brevioribus, duris & carnoſis, aliquantulum in ambitu ſinuoſis & criſpis, rigidiuſculiſque, uno ex altero è medio folii nervo prodeunte quemadmodum in ſuperiore, interdum etiam binis terníſve ſimul exorientibus : hic verò nervus paulatim intumeſcit, & in ramulum convertitur ; ſic cùm tota planta folioſa ſit, & nonniſi foliis conſtans videatur, fit tandem admodum fruticoſa. In extremis iſtis foliis quini ſeníve aut plures *flores*, ſimul juncti ex villoſis calyculis naſcuntur, minores quàm in Geniſta, aurei planè coloris, niſi bina inferiora folia incanâ lanugine pubeſcerent.

Deſcriptio J. Bauhini nonnihil variat à Cluſiana, quam vide apud ipſum.

Locus. Chamægeniſtam peregrinam in ſolis Valentini regni locis incultis & aſperis florentem obſervavit Cluſius menſe Martio.

7. *Chamægeniſta Cretica* C. B. Park.

C. B.

Hæc *virgulis* eſt palmo minoribus, humi diffuſis, tenuibus, rotundis, ſubcanis, in ramulos aliquot duarum triúmve unciarum diviſis : *foliolis* oblongis anguſtiſſimis, binis aut ternis ab eodem exortu, ſed altero ſemper longiore prodeuntibus, incanis. Ex foliorum alis *floſculi* terni aut quaterni, parvi, lutei, Geniſtæ floribus æmuli. Siliquas non vidit deſcriptionis autor *C. B.* E Contareni horto habuit. Parkinſonus hanc habet pro Spartio Cretico Alpini *Exot.* His addit C. Bauhinus

8. *Chamægeniſtam folio articulato, i. e. Chamæſpartium Narbonenſe* Tab.

9. *Chamægeniſtam montanam hiſpidam, i. e. Geniſtæ minoris ſpeciem* Tab.

CAP. XII.

De Spartio non ſpinoſo.

1. *Geniſta Hiſpanica* Ger. *juncea* J. B. *Spartum Hiſpanicum frutex vulgare* Park. *Spartium arboreſcens ſeminibus Lenti ſimilibus* C. B. **Spaniſh-Broom.**

J. B.

FRutex eſt ad quatuor vel quinque cubitorum altitudinem excreſcens, interdum minor. Vimina juncea, teretia, obſequioſa, viridantia ; per quæ dum floret & novella adhuc planta eſt, ſparſa ſunt rara quædam *folia*, decidua, oblonga, ramis concoloria ferè. *Flores* in virgularum ſummitatibus multi, lutei, magni, aſpectu læto, floribus ſimiles Piſorum & Cicercularum, guſtu dulces. Floribus ſuccedunt *ſiliquæ* ſurrectæ, uncias quatuor vel quinque longæ, compreſſæ aliquantulum incurvæ, colore ferè Caſtaneæ. In iis ad 20 circiter *ſemina*, vel pauciora, compreſſa, rubentia, lucida, Lente minora, non ità circinata. Lentem potiùs referunt quàm Ervum aut Viciam, quicquid ſcribit Matthiolus. Sapor leguminoſus qualis piſorum.

Hanc plantam Dioſcoridis Spartium eſſe Botanici peritiores conſentiunt. Nec obſtat quòd Dioſcorides Spartii virgas ἀφύλλυς eſſe ſcribat : nam quamvis in hac primò exortu raris quibuſdam foliis veſtitæ ſint, ea tamen brevi decidunt, ut maximam partem foliis vidua cernatur.

Cæterùm ad Spartium Dioſcoridis Plinii Geniſtam omnino referendam eſſe exiſtimat J. Bauhinus.

Locus. In Italia, Sicilia & Gallia Narbonenſi vulgatiſſima eſt. In hortis noſtris ex ſemine facilè provenit, nec multam curam aut culturam exigit, verùm celeri auctu ad frugem brevi pervenit.

Vires. Viribus cum Geniſta vulgari convenit, quâ tamen efficacior eſt. Pituitam & ſeroſos humores vomitu & dejectione valenter expurgat, unde hydropicis, iſchiadicis, arthriticis opitulatur, urinam movet, & calculum in renibus frangit.

Hujus etiam flores, autore Dioſcoride, cum aqua mulſa obolorum quinque pondere poti vomitiones faciunt : Cùm tamen Geniſtæ vulgaris flores plenis diſcis multi in acetariis ex multo oleo vorent, nec quicquam nauſeent. Oleum è floribus extrinſecùs illitum lienis tumores diſſolvit. Flores quoque cum melle roſato aut ovo ſtrumas reſolvunt.

2. *Spartium Hiſpanicum lobis rotundiuſculis, flore luteo* J. B. *alterum monoſpermon ſemine reni ſimili* C. B. *Hiſpanicum minus, monoſpermon, flore luteo* Park. *Pſeudoſpartium Hiſpanicum ἄφυλλον* Ger.

Cluſ.

Cubitali plerumque ſtipite aſſurgit, pollicem craſſo, ſcabro & ſtriato cortice tecto, qui in pl res cubitales, virentes & ſtriatos ramos dividitur, & hi deinde in junceas, ſtriatas, virides vir las, quæ novellæ adhuc & primùm germinantes aliquot foliis exornantur, ſtatim atque planta flo rere incipit deciduis, ut tota deinde ἄφυλλ© conſpiciatur. E virgarum lateribus prodeunt longi p diculi, è quibus dependent aliquot exigui *flores*, Glycyrrhizæ vulgaris aut Trifolii pratenſis floribu pænè ſimiles, lutei, inodori. Succedunt cartilaginei, rotundiuſculi *lobi*, vulgari Fabæ, quæ in jumentorum pabulum cedit perſimiles, ex flavo rufeſcentes; in quibus unicum maxima ex parte *ſemen* (rarò bina) continetur, durum, nigrum, exiguo reni ſimile, quod in lobis agitatis aut concuſſis crepitat & ſonitum edit. *Radix* dura & lignoſa.

Variis Caſtellæ utriuſque locis creſcit, arenoſo ſolo, & Maio floret: Semen maturum eſt Junio. *Locus & Tempus.*

3. *Spartium Hiſpanicum flore candido* J. B. *Hiſpanicum majus flore albo* Park. *tertium flore albo* C. B. *Pſeudo-ſpartium album* ἄφυλλον Ger.

Cluſ.

Præcedente longè majus eſt, & hominis altitudinem ſuperans, *virgulis* quàm illius tenerioribus, lentioribus & magis obſequentibus, *flore* ejuſdem cùm ſuperiore formæ, ſed paulò majore & omnino albo: lobi etiam conveniunt, ſed minores ſunt & minus *ſemen* continent.

Gadibus duntaxat & locis vicinis aurâ marinâ perflatis Cluſio conſpectum eſt, arenoſo & ſteri-
i ſolo, ſuis floribus onuſtum Februario. *Locus & Tempus.*

D. Hermannus hanc ſpeciem pro præcedentis tantùm varietate habet. *Hort. Lugd. Bat.*

4. *Geniſtæ Hiſpanicæ affinis* C. B. *Pſeudo-ſpartium Hiſpanicum* Park.

C. B. prod.

Suffrutex eſt cubitum ſuperans, *caule* tenui, tereti, candicante cortice tecto, qui in plurimas vir-
as tenuiſſimas dividitur: quarum aliquæ palmum ſuperant, aliæ minores ſunt: circa quæ *folia*
ongiuſcula, anguſtiſſima & rariſſima, ità ut virgæ pænè nudæ appareant. Summis virgis ſingu-
s unicum capitulum rotundum, villoſum, molle inſidet, ut in Caryophyllo maritimo, ex pluribus
oribus Geniſtellæ tinctoriæ forma, ſed minoribus, pallidè luteis compoſitum. Nam quilibet flos
x calyculo villoſo, hirſutie albo prodit.

In montibus planè ſaxoſis ad aquas blancas D. Albinus collegit. *Locus.*

5. *Spartum triphyllon* C. B. *Chamæſpartum montanum triphyllon* Park. *Geniſta radiata ſive ſtellaris* J. B. *An Spartum minimum montanum triphyllon* Col?

J. B.

Pulchra eſt planta, ramoſa: *Caulis* unus in tres dividitur ramos, hi rurſum in alios bis, aut ter,
t quater, ſemper ternos: internodia duas uncias longa: *folia* ad unumquodque geniculum ſex
rticillatim, cauli circumpoſita, ut in Gallio vel Aparine, latiora quàm Gallio & molliora, inca-
a, hirſuta, uti tota planta. In viminum valdè tenerorum anguloſorúmque extremis *flores* denſi
eniſtarum, eo ordine quo in Anthyllide leguminoſa, lutei ſi rectè memini.

Spartium ſuum minimum triphyllon ſic deſcribit Columna, Frutex eſt amplus, Æquicolorum
ontibus *Cornino* ſaxoſis nudis devexis, in imo lignoſus, innumeris alis diviſus, comam conficiens
tundam. Caules primùm juncei velut Junci folia, qui deinde lignoſi, ſtriati, flaveſcentes ex vi-
di fiunt. E ſummo verò tribus geniculis vireſcentes, atque lanugine alba obſiti atque ſtriati:
ngulis verò geniculis alæ aut auriculæ hærent craſſæ, duræ, in imo nudæ, lignoſæ; ex quibus cùm
nerior eſſet anno priore planta foliola terna, utrinque admodum tenuia, albicantia, ac veluti ca-
llaria, Abrotani maris minora producebantur, ſicuti in plantæ cacumine conſpiciuntur. Alarum
rò ſummum aut acutum eſt, aut in minima foliola deſinit; aut capitula quatuor vel quinque
mul congeſta, in quibus *flores* lutei Sparto & Geniſtæ ſimiles ex utriculis parùm hirſutis, minúſ-
e luteis albicantibus, ad invicem oppoſitis: quibus ſuboriuntur *ſiliquæ*, breves, unciæ longitudi-
, hirſutæ, ex viridi albentes, in acutum deſinentes gladii modo, parùm convexo dorſo circa
iem, in quibus quatuor includuntur *ſemina* dependentia, cordis figuram imitantia. Tota plan-
bicubitalis ad ſummum, caudice craſſeſcente fruticis inſtar.

6. *Geniſta ſive Spartium purgans* J. B.

Duos ramos deſcribit J. Bauhinus. Prior ſeſquicubitalis erat, firmus, rigidus ac penitus ligno-
, cortice craſſo amaricante, ligno internè albicante, in numeroſam virgarum prolem temere
nullo ordine divaricatus. In virgarum extremis aculei quidam apparent. Totus porrò ramus
rgultorum denſo ſtipatu Uvæ marinæ adſimilis quodammodo eſt, niſi quòd nuſpiam uno ex
ticulo gemini aut plures prodeant ſurculi. Ramorum extremorum potiſſimum geniculis *folia*
rent parva, anguſta, cineritiâ quadam lanugine veſtita: Iiſdem quoque *flores* ex longiuſculis
dicellis hærent lutei, Geniſtæ vulgaris.

Poſterior colore & ramorum diviſurâ ſimilis, verùm quàm illa ſenticoſior & ſtrigoſior, quippe
meroſioribus ramulis veluti in ſpinas deſinentibus, quæ facilè rumpuntur, innumeris nodulis to-
ſus, vix pedalis, incurvo ligno, &c.

J. Bauhinus hanc Lobelio in *Adv.* deſcriptam putat nomine Spartii aphylli fruticoſi junceis acu-
, lanatis capitulis; quam Lobelius perperam pro Erinacea Cluſii habet. Conſule J. Bauhinum.

7. *Spartium Creticum* Alpin. exot.

Alpin.

Planta eſt procera, denſiſſimè fruticans, ſurculoſa; quippe ramulis à craſſis veluti caudicibus ro-
ndis, viridibus, denſè maculis parvis albis punctorum alborum modo infectis, naſcentibus, longis,
tilibus, ſurſum rectè actis, flexilibus, rotundis, cortice viridi prædita. Hi deorſum ramulos mul-
habent, utrinque inæqualibus intervallis inordinatim poſitos, & in medio ramis, foliiſque nudi
t, & poſtea ſurſum in ſpinis denſè fruticant. Folia, flores & ſiliquæ Aſpalathi ſunt.

Tenera germina, flores & ſemina valenter per alvum & vomitum pituitam & ſeroſos humo-
purgare dicuntur. *Vires.*

8. *Geniſta arborea Cretica folio perpetuo* Zanoni.

Zanon.

In horto Autoris Arbuſculæ formâ ad trium cubitorum altitudinem, trium quatuórve unciarum craſſitiem excrevit, *caudice* ab imo ad ſummum uſque ramoſo, ramis valdè lentis & flexilibus, cortice ſcabro ferrugineo, venis luteis obſcuris ſtriato, quique facilè à ligno abſcedit. Lignum cortice denudatum foris viride apparet, intus coloris paleacei. Rami in multos ramulos minores pariter lentos & plicatiles variè dividuntur, & hi demum in ſurculos *foliis* plurimis veſtitos, parvis, anguſtis, oblongis, craſſis & carnoſis, nullo ordine poſitis, cum marginibus reflexis, ut folia conchæ formam imitari videantur extremis tamen ſubrotundis & retrorſum reclinatis, in aculeum ſolidum & durum, non tamen pungentem terminatis; lanugine inſuper albicante teguntur hæc folia & ad baſin duas interdum appendices ceu auriculas obtinent. E foliorum alis in ſupremis ramulis exeunt ſurculi nudi, lanuginoſi *flores* in pediculis bino ordine è ſurculis exeuntibus duo, tres, quatuórve ſimul juncti, flavi, valdè exigui, odore admodum grato Geniſtæ æmulo, papilionacei. Floribus delapſis reſtat in calice una ſola *ſiliqua* perexigua & brevis, è flavo rufeſcens, apice acuto, unicum tantùm ſemen continens, rotundum, planum, lucidum colore obſcuro. Sapor foliorum aſtringens, acidus & exſiccans; florum fabas recentes refert. Planta eſt perennis, foliis perpetuis.

Differt autem multimodis à Spartio ſpinoſo Alpini, ut deſcriptiones conferenti patebit.

CAP. XIII.

Geniſta argentea J.B.

J.B.

SUrculo hæc adoleſcit lignoſo, multiplici, in multas alas tranſverſas diviſo, tereti, argenteo. Ad ramulorum exortum *folia* hærent ſingularia, oblonga, anguſta, argenteâ hirſutie obſita. *Fructus* ſurculorum internodiis atque extremis hæret ſimilis Carpobalſami Officinarum vulgaris, calyculo foliato contentus, ſpadicei coloris, corticoſus, in ſummo apiculâ acutâ donatus: in quo *ſemen* continetur nigrum, rotundum, rugoſum, ac ferè evanidum [in ſicca quam deſcripſit J. Bauhinus] ac proinde nullo ſapore effatu digno præditum. Surculi & folia modicè amaricant.

Locus. Vel hanc, vel ei ſimilem plantam propè Monſpelium in planitie quam tranſivimus eundo ab oppidulo S. Lupiani ad montem Lupi obſervavimus.

CAP. XIV.

De Geniſtella ſpinoſa.

1. *Geniſta aculeata* Ger. Park. *aculeata folioſa* J. B. *ſpinoſa minor Germanica* C.B.

J.B.

HOrridus frutex eſt Geniſtella aculeata, Geniſtâ trifoliâ anguloſâ minor, denſis tamen ramis fruticans, in quibus *folia* hirſuta alterno poſitu naſcuntur, Geniſtæ vulgaris formâ, acuminata: ſed præter folia longis creberrimíſque ſpinis minacibus armatur, majoréſque ſpinæ minorum ſobolem infeſto mucrone pungentium è lateribus pariunt. *Flores* lutei, ſpicati, Geniſtæ tinctoriæ vulgaris. *Semen* in exiguis ſiliquis. *Radix* lenta & ſublutea.

Botanici noſtrates (Gerardus & Parkinſonus) plantam hanc cum Geniſta minore aſpalathoide imperitè confundunt.

Locus. In Germania paſſim occurrit, præſertim in arenoſis, ſecus vias, &c.

Vires. Adſtringentem cum amaritudine facultatem obtinet, ac proinde valenter & citra mordacitatem exſiccantem. Ut rem in pauca contraham (inquit J. Bauhinus) idem Geniſtella quod Hippuris poteſt.

2. *Geniſtella ſpinoſa montis Ventoſi* J. B.

J.B.

Frutici huic (cujus ramus palmaris J. Bauhino datus) priores ramuli plures, duas uncias longi, ſpinis Juniperinis ornati, alii longiores quatuor unciarum circiter, *foliis* hirſutis, longiuſculis & latiuſculis, ſed quàm in vulgari geniſtella ſpinoſa anguſtioribus. *Flores* in ſummitatibus aliquot aurei, majores quàm in prædicta Geniſta.

Si hæc non eſt particularis Geniſta, certè egregia eſt varietas.

3. *Geniſtella Monſpeliaca ſpinoſa* C.B. prod. *Spinoſa minor Hiſpanica villoſiſſima* C.B. pin. *An præcedenti eadem?*

C.B.

Viticulis eſt palmaribus, in terram reflexis, quorum pars inferior in breviſſimos ramulos ex parvi ſpinulis conſtantes dividitur, à medio verò ſurſum villoſi ſunt, quandoque in ramulos brachiati, oblongis, viridibus *foliis*, minoribus ſæpe additis, veſtiti, ſpiniſque carentes. Summitatibus *flores* pallid lutei, formâ Geniſtæ ſpinoſæ vulgari ſimiles, inſident.

Hanc quidam Monſpeſſuli Corrudam luteam vocabant, quæ etiam in Ventoſo monte reperitur.

Locus. Rariùs occurrit in incultis montis Lupi, copioſiorem vidimus ultra montem *Eſperou* circa urb *Meyriols*, inquit D. Magnol.

Similem ſed per omnia majorem, caulibus pedalibus, foliis rarioribus, ſpinis longioribus, minúſque pungentibus, floribus majoribus & aureis, quaſi in ſpica diſpoſitis. Ex Hiſpania habemus, inquit C. Bauhinus.

C A P. XV.

De Geniſta ſpinoſa ſeu Scorpio.

A 1. *Geniſta ſpinoſa vulgaris* Ger. emac. *ſpinoſa major longioribus aculeis* C. B. *ſpinoſa major vulgaris, ſeu Scorpius Theophraſti, quem Gaza Nepam tranſtulit.* Park. *Geniſtellæ ſpinoſæ affinis Nepa quibuſdam* J. B. **Furz, Whins or Gorſs.**

Cluſ.

CUbitali aut ampliore [ſupra Burdegalam Bayonenſi itinere tanta altitudine aſſurgit, ut duorum hominum altitudinem æquare nonnunquam viderim, craſſitudine verò brachium humanum *Cluſ.* parem etiam in Anglia ſi permittatur ſtaturam & magnitudinem aſſequitur.] altitudine aſſurgit, multis virgis ex atro virentibus, ſtriatis, denſiſſimo ſpinarum vallo obſitis fruticoſum. [Ramuli adeo conferti ſunt, & ſpinæ denſæ, ut totum caudicem & ramos contegant, & vix lumen ipſum nedum oculi aciem tranſmittant] Spinæ autem robuſtæ ſatis, viridantes, ſtriatæ, glabræ ſæpius, aliàs pilo brevi obſitæ, nova ſpinarum minorum è lateribus egredientium ſobole fœcundæ. *Folia* nulla niſi primo vere apparent, brevi decidua. *Flores* Geniſtæ minores, pallidi, interdum tamen adeò rufeſcentes ut rubere videantur, præſertim ſub Autumnum: *Siliquæ* deinde ſuccedunt breves, cylindraceæ, magna ex parte inanes, aliquando tamen ferentes exiguum *ſemen*, pallidum aut ſubfuſcum ut Geniſta vulgaris Septentrionalium. *Radix* ſingularis in alias tenues ſe ſpargens, & interdum latè ſe propagans.

Non deſtituitur foliis hic frutex, nec ſpinam pro folio habet, ut nonnulli exiſtimârunt, ſed vere folia emittit in ſurculis tenellis, parva, ex rotundo acuminata, interdum longiora & anguſtiora, ſupernè ex cinereo viridia, ſubtus argentea aut incana, quæ brevi decidunt. Floret Maio & deinceps per totam æſtatem ad Autumnum & Hyemem uſque.

In Anglia locis incultis, arenoſis, ſqualidis & ſterilibus frequentiſſima eſt, nec minùs in Belgio, Gallia & Germania. Quin & in Gallo-provincia regione æſtuoſa ipſiſſimum hunc fruticem obſervavi. *Locus.*

Uſus hujus eſt ad ſepes, & exſiccatæ ad fornaces calefaciendos.

2. *Geniſta ſpinoſa arboreſcens Africana Bartholin. Act. Med. An.* 1673.

A Promontorio Bonæ Spei Hafniam allata eſt à *D. Stolle* cum aliis multis quarum figuras ibidem exhibet Bartholinus.

3. *Geniſta ſpinoſa floribus rubris* D. Wheeleri *Itinerar. p.* 52.

4. *Geniſta ſpinoſa major brevibus aculeis* C. B.

Non videtur nobis à præcedente ſpecie differre. Obſervavimus equidem in Anglia Scorpii varietatem priore humiliorem, ſpinis brevioribus, tenuioribus, pallidiùs virentibus, non tamen minùs crebris, quæ ſub Autumnum præcipuè floret, quando prior maximam jam partem florere deſiit: verùm cùm noverim quot eadem planta pro loci diverſitate aliiſque accidentibus facies induat, hanc ab illa ſpecie diverſam eſſe aſſerere non auſim. Utcunque ſive ſpecie differant, ſive non, Hæc eadem omnino eſt Scorpio minori in Gallo-provincia naſcenti, hoc eſt Geniſtæ ſpinoſæ majori brevibus aculeis *C. B.* nec enim ullam ego, qui utramque in loco natali florentem vidi, differentiam obſervare potui.

Scorpium ſive Nepam Anguillaræ hujus Synonymam facit C. Bauhinus; verùm floris color non convenit. V. *J. B.*

C A P. XVI.

De Aſpalatho, & variis Spartii & Geniſtæ ſpinoſæ ſpeciebus.

1. *Aſpalathus* 2. *Monſpelienſis* J. B. *alter Monſpelienſis* Park. *Geniſta-ſpartium ſpinoſum majus flore luteo* C. B.

Cluſ.

TOta planta cubitum non excedit, fruticoſa admodum & ramoſa, multis horrens ſpinis deorſum inflexis, firmis, acutis, in quibus enaſcuntur puſilla *folia* Lentis magnitudine, viridia, qualia etiam (ſed teneriora) fert in novellis ramulis, quibus ſubſunt recens nati aculei. *Flores* in firmioribus & rigidioribus ſpinis terni, quaterni aut plures ſimul naſcuntur, Geniſtæ ſimiles, minores, coloris nunc lutei, nunc palleſcentis: *Semen* in parvis *ſiliquis* exiguum.

Aſpalathus ſecunda nobis obſervata in aridis & ſterilibus ſaxoſis collibus circa Monſpelium, Nemauſum & alibi in Gallia Narbonenſi, planta erat bicubitalis, ut rectè J. Bauhinus: qui floribus odorem Meliloti Officinarum aſcribit, ſaporem nullum manifeſtum.

Floribus cum Saccharo fermentatis ad firmandas & reſtaurandas collapſas vires utuntur Salmantienſes, *Cluſ.*

2. *Aſpalatho Monſpelienſi affinis Scorpius* 2. *Cluſio* J. B. *Geniſta-ſpartium ſpinoſum minus* C. B. Park. *Geniſta ſpinoſa minor ſiliqua rotunda* Ger.

Cluſ.

Pedis altitudinem rarò ſuperat, totum denſiſſimis ſpinis horrens, quæ non confuſo ordine, ut in ſuperiore [Geniſta ſpinoſa ſeu Scorpio vulgari] naſcuntur, ſed ſeriem quandam ſervant, & ſemper contrario inter ſe exortu binæ naſcuntur, virentes quidem, ſed languidiùs quàm ſuperioris, neque aliæ ex aliis. Summis ramulis inhærent, bini aut terni *flores*, ſuperiori ſimiles, lutei coloris, menſe Martio, quo tempore exiguas brevéſque *ſiliquas*, vel potiùs *ſemina* Ervi magnitudine, incluſa membranâ quadam multa incanâque lanugine hirſutâ deprehendebam, denſiſſimis ipſius plantæ ſpinis occultata, ut ex ſuperiore æſtate deciderant: adeò verò caneſcebant, ut initio Aranearum telas eſſe exiſtimabam. *Radix* ſingularis, ſed in plures deinde propagines ſparſa, dura & lignoſa eſt.

Locus. Collibus Granatæ vicinis itinere Cordubenſi, nec uſquam alibi Cluſio conſpectum eſt hoc genus. Dubitat Cluſius an ſit Echinopoda Cretica Hon. Belli; plurimùm certè (inquit) ad illam accedere mihi videtur.

3. *Aſpalathus alter ſecundus Cluſii* Park. *Geniſta-ſpartium ſpinoſum majus* 2. *flore pallido* C.B.

Cluſ.

Aſpalatho altero primo *Cluſ.* robuſtius & aliquanto firmius eſt, nonnunquam altiùs excreſcens: *Flos* perpetuò pallidior eſt, alioquin ei non multùm diſſimilis.

4. *Aſpalathus alter tertius hirſutus* Park. *Abrotani facie incana* J.B. *Geniſta-ſpartium ſpinoſum majus tertium hirſutum* C. B.

Cluſ.

Ad cubiti nonnunquam magnitudinem accedit, plerumque tamen minor eſt, & pedalis tantùm altitudinis, totum etiam tenerius: ramuli in multò plures ſpinas diviſi, iſtæ denuo in alias, ſic ut ſingulæ ſpinæ totidem Abrotani multifida folia videantur, niſi aculei obſiſterent, qui à negligentiùs intuentibus vix obſervantur. Vere ex ramulorum lateribus exigui alii prodeunt ramuſculi incani & hirſuti, quibus adnata ſunt mollia & incana Lentis *folia*, majora quàm in primo genere: in ſummis illis ramuſculis *flores* priori ſimiles, priore majores, lutei naſcuntur.

Locus. In Cantabris duntaxat, tertio à Victoria urbe milliari, ad radices Pyrenæorum, quà Hiſpaniam ſpectant, obſervavit Cluſius.

5. *Geniſta erinacea* J. B. *Erinacea Hiſpanica Cluſii* Park. *Geniſta ſpinoſa humilis* Ger. *Geniſta-ſpartium ſpinoſum, foliis Lenticulæ, floribus ex cœruleo purpuraſcentibus* C. B.

Cluſ.

Planè nova & tota elegans eſt hæc planta, dodrantalis, in orbem per ſolum diffuſa, multis ſpinis virentibus, ſive aculeis horrida. *Flores* Geniſtæ, ex cœruleo purpuraſcentes, minores, calyculis incluſi hiſpidis, villoſis, omnino ferè incanis, bini aut terni ſimul ſemper conjuncti. *Foliola* interdum dum floret producit, ſed raro, eáque perpauca, Lenticulæ ſimilia, quæ cùm brevi marceſcant & decidant, tota planta maxima ex parte ſine foliis ſpectatur, & multiplici ſpinarum vallo Erinaceum in ſe convolutum repræſentat. *Radix* lignoſa & magna eſt pro plantæ proportione.

Locus. Naſcitur regno Valentino, affluenter autem circa *Siete Aguas* oppidulum, ſeptimo ab urbe Valentia milliari, Madritiano itinere, aſperis locis & ſecus vias. Aprili florentem obſervavit Cluſius: Semen videre non potuit.

Incolæ *Erizo*, hoc eſt Erinaceum vocant, ob rationem modo dictam.

6. *Echinopoda Cretenſibus* J.B. *Echinopoda frutex Creticus* Park. *Geniſta-ſpartium ſpinoſum aphyllon alterum, tribus aculeis ſemper junctis, floribus luteis* C.B. *An Scorpius ſecundus* Cluſ.

Bel.

Echinopoda (inquit Honor. Bellus) vulgatiſſima in Creta planta eſt, & multùm cum Erinacea Cluſii convenit, niſi quòd foliis caret, & flores luteos profert, totáque viridi colore cernitur in orbem diffuſa, & Erinaceum mirum in modum multitudine ſpinarum repræſentans. Spinæ ternæ ſimul in ramulis naſcuntur. *Flores* in ſummis ramulis proveniunt, non tamen plures ſimul conferti, ſed pauciores: quos apes nunquam attingunt.

Locus. Planta hæc non in Creta tantùm ſed & in Chio inſula & per totam Græciam vulgatiſſima eſt.

Fallitur (inquit H. Belli) Dalechampius Athenæi interpres, quòd per Echinopoda Cardui Chii genus intelligeret; cùm ea revera fruticis genus ſit non Cardui.

7. *Geniſta-ſpartium ſpinoſum foliis Polygoni* C. B. *ſpinoſum Syriacum* Park. *Agul & Almagi Arabibus, Planta ſpinoſa Mannam reſipiens* J.B.

J.B.

Frutex eſt cubitalis aut altior, denſiſſimo ſpinarum acutiſſimarum, gracilium, flexiliúmque ſtipatu refertus. Ex quibus plurimi pendent *flores* rubelli: queis decidentibus ſuccedunt *ſiliquæ* rubentes, quales in Scorpio Monſpelienſi me vidiſſe memini, ſemine concolori farctæ. Ex hac Halepi incolæ novum quoddam Mannæ genus legunt, cujus grana Coriandro noſtro majora paulo, adeóque figurâ & ſapore Mannæ noſtræ Laricеæ perſimilia. Surculis porro infinitis propemodum donatur, teretibus, & à trunco eleganti ordine hinc indè ſparſis, majori fere parte Cuſcutâ obſitis, velut in Thymo. Folia ad ſpinarum exortum hærent oblonga, Polygoni figurâ, cinerea. *Radix* ſatis longa, purpurea.

Manna in hac arbuſcula inventa *Tereniabin* aut *Trangebin* Arabibus dicitur.

Locus. Provenit in Perſia & circa Halepum: item circa *Kacka* urbem Meſopotamiæ.

Folia ejus calidæ ſunt ſiccæque naturæ. Florum uſus incolis ad purgandum; quibus ſe purgaturis manipulus unus ex aqua coctus in ſingulas doſes ſufficit. *Vires.*

8. *Spartium ſpinoſum Creticum* Alpin. exot. Park.

Alpin.
Stipite lignoſo aſſurgit, nigricante cortice tecto, multos nigros ramos ſpargente, in virgas junceas ſubtiles, nigreſcentes iterum diviſos, quibus in cacumine ſpinæ duræ, nigreſcentes, triangulæ. In ſurculorum exortu folia in eodem exortu quina, parva, tenuia. *Flores* lutei, parvi, Spartii Cretici ſimiles, quibus *ſiliquæ* parvæ ſuccedunt.

9. *Spartium ſpinoſum ſecundum* Alpin. exot. *ſpinoſum aliud Creticum.* Park.

Alpin.
Ramos poſſidet craſſos, rotun dos, aſperos. *Virgæ* in *ſpinas* acutas, triangulos multos facientes deſinunt. *Foliis* duplex ordo. Ad exortum ſurculorum ex ramis Spartii ſunt ſimilia, ſed tenuiora, ex uno exortu trina, quaterna vel quina, poſt in virgis rectis utrinque crebra Tragacanthæ modo, uſque ad apices fere virgularum, quibus ſubtiles, duræ & acutæ ſpinæ ſuperſunt.

Naſcitur in Creta cum priore. *Locus.*

A. 10. *Geniſta minor aſpalathoides ſeu Geniſta ſpinoſa Anglica* C.B. *Geniſtella minor Aſpalathoides* J.B. *Geniſta aculeata* Ger. *Geniſtella aculeata* Park. **Needle Furz or Petty Whin.**

Virgæ cubitales & altiores, ramoſæ, cortice cinereo tectæ è radice exeunt. *Folia* glabra, glauca in ſurculis novellis & vegetis parva, ſubrotunda, Chamæſyces paria, in adultioribus aut vetuſtioribus plantis anguſtiora & acutiora. Ex alis foliorum egrediuntur aculei, foliis aliquot minuſculis veſtiti, & ipſi interdum alias parvas ſpinulas [duas aut tres] è lateribus emittentes. *Flores* in ſummis ramulis velut ſpicati, papilionacei, flavi, è ſingulis foliorum alis ſinguli, quibus ſuccedunt ſiliquæ breves, habitiores.

In ericetis & humidioribus ſolo ſpongioſo frequens occurrit. *Locus.*

CAP. XVII.

Arbores & Frutices nonnullos exoticos Geniſtæ & Spartio affines complectens.

1. *Babel-Schulli* * HM. *Geniſta ſpinoſa Indica verticillata, flore purpuro-cæruleo, ſeu Spartium ſpinoſum ſiliqua geminata.* * P. 2. F. 45. p. 87.

FRutex eſt ſpinoſus, naſcens in aquoſis; *radice* fibroſa, capillata, albicante. *Caules* geniculati, ſupernè plani, ac utrinque ſulco ſtriati, virides ac etiam rubeſcentes, pilis longis & albicantibus denſè obſiti, intus lignoſi cum corculo aqueo & viridi, ſeu etiam albicante, è geniculis ramos paſſim binos ac alternatim emittentes, ac in geniculis ſingulis ſpinis ſex, hinc inde tribus, longiſſimis, lignoſis, duris, ac leniter verſùs inferiora inflexis, aculeiſque à ſe mutuo averſis muniti. *Folia*, quæ in nodis plura ſimul ad ſpinas cauliculis circumpoſita ſunt oblonga & valdè anguſta, piliſque longis albicantibus in utraque parte obducta, parùm aſpera, in margine criſpa, teneriora ex viridi rubeſcentia: Coſta media viridi-dilutior eſt, ſubtus eminens & craſſiuſcula. *Flores* verticillatim è geniculis prodeunt ſupra ſpinas, octo plus minus ſimul, papilionacei, collo brevi albicante è calyce foliis oblongis, cuſpidatis valdè piloſis, viridibus ac etiam rubeſcentibus compoſito erumpentes, petala duo lateralia cœrulea ſunt, ſubpurpurea; petalum, quod clypeum vocamus, in ſuperiore ora in tres lingulas ſeu foliola, quæ verſùs exteriora reflexa ſunt rectis inciſuris profundè diſciſſum eſt, colore cœruleo-purpuraſcente, maximè in lingulis; petalum quartum anguſtum, cœrulei quoque ſubpurpurei coloris eſt, in duas lingulas ſeu foliola, quæ verſùs exteriora reflexa ſunt, rectâ inciſurâ diſciſſum eſt. *Stamina* quatuor albicantia, craſſa, arcuatim inflexa, *apicibus* longis, ſurrectis & cœruleis dotata ſunt: cum iis ſe prodit filamentum longiuſculum, albicans, è rudimento fructûs ortum. Sunt autem flores odore nullo.

Semina in *ſiliquis* lignoſis, nonnihil cuſpidatis, in duo latera [loculamenta] per ſtrias intermedias diſtinctis, ex ſiccitate rufeſcentibus, ac foliis calycis, quæ etiam rufeſcunt, ferè obtectis, in ſingulis lateribus [ſeu loculamentis] tria quatuórve, forma rotundiola, ſeu etiam longa, plana, coloris cùm ſicca ſunt fuſci ſeu ſpadicei.

Eſt & alia ſpecies *Babel-Schulli*, naſcens in arenoſis, quæ cauliculos & *folia* habet viridi-clara, *flores* verò albos ad cœruleum nonnihil vergentes. *Altera Species.*

Radix in decocto data urinam provocat ac ſuppreſſam ciet, unde & hydropem curat, præſertim ſi cum oleo Ficûs infernalis decoquatur. Eadem præſtant folia decocta & condita cum aceto. Ex olis fit pulvis, qui cum oleo expreſſo ex floribus Ficûs infernalis epotus tumori pudendorum virilium ſolvendo conducit. *Vires.*

2. *Geniſtella ſpinoſa Africana Laricis folia* Breynii.

Breyn.
Suffrutex eſt lignoſus & ſpinis horridus, Geniſtellæ minori Aſpalathoidi *J. B.* quadantenus ſimilis, ui in multos diſpeſcitur ramos: horum minores incani, in quibus ſpinæ acutæ & tenues, ſemunciam ongæ, alterno ordine, æquali quodam intervallo circumpoſitæ cernuntur. Singularum ſpinarum xortui *Foliola* viridia & tenuia ſubnaſcuntur, numero decem aut tredecim, plura pauciorâve ſemper conjuncta,

conjuncta, ex uno tuberculo, ut in Larice, aut Corruda 3. *Cluſ.* quibus ſimiliora, prodeuntia. *Flores* verò ſemper ſuper ipſa ſpinarum ſede, plerunque ſolitarii, ſæpenumero etiam bini oriuntur, neque quicquam à Geniſtellæ aculeatæ recedunt. Hi in *ſiliquis* ſemuncialibus & incanis Spartii minimi montani triphylli Col. non autem mucrone ſurſum reflexis, *ſemina* tria vel quatuor flaveſcentia Geniſtellæ relinquunt.

Locus. Propè Caput bonæ ſpei oritur.

3. *Myrto-geniſta Cap. bonæ ſpei* Breynii, *Cent.* 1.

Breyn.

Frutex eſt arboreſcens, ramis multis, quorum juniores fragiles & Geniſtæ inſtar anguloſi: quos inconditâ ſerie diſpoſita, nullis intervenientibus pediculis ambiunt *folia* carnoſa, Myrti Laureæ foliis ſimilia, vel majora, quorum medium in longitudine nervo ſulcatur, ex quo venulæ complures diffunduntur, quæ omnes extremitatibus ſuis non procul à folii margine ſingulari ordine & ſerie concurrunt. E ramorum apicibus & ad foliorum ſingulorum exortum petioli exeunt duo, tres aut quatuor, ex quibus *flores* aureo colore fulgentes propendent ſolitarii, Geniſtæ aut Cytiſi florum effigiem repræſentantes; quibus delabentibus *ſiliquæ* prodeunt longæ & compreſſæ, Geniſtæ etiam reſpondentes, quantum ex nonnullis minus maturis colligere licuit.

4. *Geniſta arboreſcens Africano Styracis folio, flore cæruleo* Breyn. Prodr. *Arbor ſiliquoſa Africana Geniſtæ ſemine Barth. Act. Haſn. Ann.* 1673. *Obſ.* 131. *Crotalaria arbor Africa Styracis folio molli, incano, flore cæruleo* Amman. Charact. Plant.

Herman.

Malo Cotoneæ ſeu Styraci arbori ſimilis videtur hæc Geniſta, *Radice* lignoſa, alba, caudice recto, pollicem craſſiori, lignoſo, cortice in viridi palleſcente, ramulis frequentibus, vimineis, obſequioſis, ad cacumina incanis, quos denſo alternatóque ordine ambiunt folia Styracis facie, rotunda, craſſiuſcula, candida ſericeâ lanugine pubeſcentia; inter quæ erumpunt *flores*, plerunque ſingulares, raro bini ternive, papilionacei, cœrulei, exiguis fulti petiolis. Hos excipiunt *ſiliquæ* bivalves, breves, tumidiuſculæ, incanæ, claudentes ſemina reniformia, fuſca, depreſſa.

Locus. Gaudet irriguis ad Promontorium Bonæ Spei. Vires cum Geniſta conveniunt.

Et Synonyma & deſcriptionem D. Hermanno debemus, apud quem etiam iconem vide in Deſcript. *Hort. Lugd. Bat.*

Hæc arbor culta eſt in Horto refertiſſimo Reverendiſſimi Epiſcopi Londinenſis *D. H. Compton.*

5. *Geniſta-Spartium cæruleum Capitis Bonæ Spei* Breyn.

Breyn.

Geniſtæ vulgaris fermè facie naſcitur hic Frutex, denſis & crebris *ramis*, anguloſis, flexilibus, non omnino lanugine quadam deſtitutis, guſtu aromatico; quos *Folia* veſtiunt, unguem humanum ferè longa, anguſta, in fruticis inferiore parte terna ſimul uni petiolo inhærentia, in ſuperiore verò ſolitaria, appendiculas juxta baſin anguſtiſſimas Trifoliorum ritu habentia. Ex ramorum lateribus, necnon aliquando ſummitatibus ſurculi, denſâ lanugine adeò pubeſcentes, ut caneſcant, copioſiſſimè pronaſcuntur, foliolis incanis ac carinatis inſtar Sabinæ pænè ramulorum ſquamati. *Flores* in ſummis ramulis veluti ſpicatos, vel acervatim, ex cœruleo purpuraſcentes, & figurâ quâ Erinaceæ *Cluſ.* gerit, è calyculis ſtriatis guttatiſque in quinque ſegmenta deſinentibus, ac Hyperici foliorum inſtar infinitis propemodum foraminibus perviis, emicantes. Hoſce *ſiliquæ* excipiunt exiguæ, perbreves, Scorpii 2. *Cluſ.* ſed glabræ & ſpadicei coloris; in quibus è fuſco ſpadiceum *ſemen*, renis inſtar formatum, Spartii 2. Hiſpanici *Cluſ.* perquam ſimile, ſapore viſcido & leguminoſo.

6. *Geniſtæ affinis arbor Africana monoſpermos, flore cœruleo, foliis pinnatis* Hort. Lugd. Bat. D. Hermanni. *Geniſta-ſpartium cœruleum Africanum foliis pinnatis* Breyn. Prodr. *Geniſta Ruteri vulgo.*

Herman.

In teſquis & marginibus rivulorum Promontorii Bonæ Spei luxuriat hic frutex unà cum præcedente, à quo & facie, & creſcendi modo non multùm abludit. *Folia* profert in principio terna, uni petiolo adſtantia, in progreſſu verò pinnata, viridia, anguſta, aſperiuſcula, ramulos denſiſſimo ordine veſtientia: quibus & ab imo ad ſummum uſque circumſtant *flores* coacervatim papilionacei, pallidè cœrulei, prodeuntes ex *utriculis* oblongis, membranaceis, quinquifidis, ſubhirſutis, claudentibus ſingulis *ſemen* unicum, nigrum, lucidum, reniforme, tenui fuſca membrana, quaſi peculiari ſiliculâ, tectum.

CAP. XVIII.

Anonymus flore Coluteæ Cluſii, Myrto-geniſta quibuſdam. *Chamæbuxus ſive Chamæpyxos quibuſdam* J. B. *Chamæbuxus flore Coluteæ* Ger. C. B. *Pſeudo-chamæbuxus* Park.

J. B.

MUltis virgultis, tenuibus, lentis, ſpithamam circiter longis prædictus eſt, quæ ubi terram attigerunt fibris demiſſis radicantur: alioqui & *radicem* habet ſæpe non multò ipſis virgulis breviorem, lignoſam; ex cujus capitibus (quæ plura poſſidet) ipſæ emergunt. *Folia* per ramos incondita, Buxeis quodammodo ſimilia, magis acuminata, carnoſa, pediculis breviſſimis hærentia [guſtantibus primùm ingrata, deinde amara & acria *Cluſ.*] amaricantia, ex quorum alis in ramulorum extremis *flores* emicant, Coluteæ ſcorpioidis floribus ſimiles, ſimul plures juncti, qui, teſte Cluſio, odoris expertes, nonnullis verò locis odoratiſſimi, & Narciſſinam quandam fragrantiam æmulantes, tribus foliolis conſtant, quorum duo alba ſunt, & alarum modo ſurſum expanſa, galeolâ exalbidâ eorum exortum integente: tertium folium in oblongum veluti tubulum convolutum eſt, ſurſum per lanuginem apertum, per extremitatem braccæ modo efformatum, atq; luteum, & vetuſtate interdum omnino purpuraſcens aut rubeſcens. Floribus ſuccedunt latæ & compreſſæ *ſiliquæ*, Thlaſpi latifolii ſiliquis paulò minores, virides, quæ bina plerunque [interdum unicum tantùm] continent grana, exigui Ervi magnitudine, colore ex cinereo nigricante, hirſuta, & veluti quoddam animalculum ementita, Polygalæ vulgaris majoris rubræ ſeminibus haud abſimilia, ſed minora, quæ aperientibus ſeſe per latera loculis ſponte decidunt.

Variat interdum floris colore ex purpuro-rubente & flavo vario.

Fruticulum hunc variis Germaniæ in locis obſervavimus. 1. In ſylvis montoſis Scaphuſiam inter & Conſtantiam: deinde in planitie quadam prope Auguſtam Vindelicorum itinere Monachienſi: tandem in montoſis non longè à Tiguro Helvetiæ urbe plurimum menſe Maio florentem. Loca vid. apud *Cluſ.* **Locus.**

Cap. XIX.

1. *Frutex Indicus, flore papilionaceo ſanguineo, foliis pinnatis, fructu viduus. Tsjude Maram* H. M. P. 6. T. 60. p. 111.

H. M.

Frutex eſt humilior, ramis geniculatis, cortice candido, teneriore, ligno pauxillo, medullâ ſucculentâ, è viridi diluto, in internodium ima parte quodammodo turgeſcentibus. *Folia* ex anguſto in cuſpidem exeuntia, plana, glabra, craſſiola, coſtâ ſtriatâ utrinque eminente, è virore cùm teneriora ſunt nitentia, dein obfuſca, colore variegata flaveſcente, ubi vetuſtiora in album vergentia, ordine geminato coſtis craſſis, interiùs planis & candidis, aliquando rubeſcentibus, ramis adhærent; ſaporis ſunt non planè ingrati. *Flores* tetrapetali, in exortu in ſanguineum vergunt colorem; unum eorum petalum retro incurvatum, interiùs cochlearis cavitatem exhibens, ſupernè bifidum eſt, coſta intermedia eminente, cæterorum trium è longo anguſtorum, in tranſverſum jacentium duo quæ ad latus ſita ſunt, magis coarctantur. Inter *ſtamina* duo, *apicibus* oblongis rubris, ſtriatis capitata, *ſtylus* procerior obſervatur.

Arenarum amans, oriundus ex *China* & *Manilhas* in Malabaricum invectus regnum eſt. Perennis in hortis colitur, vires ignorantur. **Locus.**

2. *Tsjere-Maram* H. M. P. 6. T. 61. p. 109.

Hujus fruticis ramus corticis rufi diluti flaveſcentis parúmque albentis eſt. *Radix* albicans, denſa, fibroſáque. *Folia* planè ut in *Tsjude-maram* ſeſe habent, excepto quòd longè ſunt anguſtiora, magíſque flaveſcentia, & ordine confuſo prodeuntia. Floribus ſimul ac fructibus deſtituitur; *nobis non videtur hoc verum; potiùs quòd peregrinus ſit fructum in Malabara rarò profert.* Allatum è China Malabarenſes in hortis colunt. Virium planè eſt ignotarum.

Cap. XX.

Pongam ſeu Minari H. M. P. 6. *Arbor Siliquoſa flore papilionaceo: fabis longis & latis plana parte ſibi invicem incumbentibus.*

H. M.

Arbor eſt excelſa, craſſiore matre quam ut homo complecti queat, ligno candido mollioríque, cortice gemino, exteriore qualis in ramis vetuſtioribus, è cinereo obſcuro, interiore è viridi læto, fragranti odore Glycyrrhizam recentem referente. *Rami* pæne inodori, teneriores corticem habent praſinum. *Radix* villoſa, nigricans, acris, graveolens. *Folia* grati odoris, nullius ſaporis, cuſpidata, mollia, glabra, ſupinâ fuſca, pronâ parte dilutiora ſunt, quina aut ſeptena, impari è ſurculi lætioris ſummitate dependente, numero, paſſim prodeunt, medianâ flavente coſtâ intertexta. *Flores* tetrapetali, quorum gemmæ aculeatæ convoluti folii adinſtar emicant, odorati, papilionacei, *Cametti-valli* proximi, albicantes, digitalibus petiolis, ſurculis complures adhærent. Horum duo roſei coloris oblonga *folia*, tertium patulum, frequentiſſimis venis lineatum, quartum planè incurvatum eſt. *Stilus* denſior, exalbidus in novem *ſtaminula* rubellis *apicibus* dividitur; è quibus unum hirſutum eminet geniculatum, fructûs germen continens. *Fabæ* noſtrarum æmulantes ſaporem, acres auſteræque ſunt, duos admodum pollices longæ, unum latæ, ea qua planæ ſunt parte ſibi invicem incumbentes, in longum ſitæ, ità tamen ut earum umbilicus ſiliquarum reſpiciat dorſum; primùm virides, ſiccæ rubentes, rugis tranſverſis inæquales. Inſuper quoque flores ſpurios fundunt ructus, qui ſunt noduli cinericei, candidâ pulpâ, nunquam ſiliquas edentes.

Locis montanis petroſiſque in provinciis *Paracaro* & *Mangatti* provenit; idque tam facilè ut el terræ impoſitus radicetur ramus. Ab anno decimo quinto fructifera, ad quinquageſimum ſu-erſtes eſt. Flores fructúſque ab Aprili uſque Januarium exhibet, frondes ſemper virentes. **Locus & Tempus.**

Lignum foco inſervit. Balneum ex foliis paratum flatus Arthritidíſque dolores, ſuffitus febrim epellit. Eorundem ſuccus in tempore adhibitus venenatos curat ſerpentum morſus. **Vires & Uſus.**

CAP. XXI.

* P. 1. F. 55. p. 103.

Colinil * H. M. *Polygala Indica minor ſiliquis recurvis* D. Syen. *Nil ſive Indigo ſpuria. H. M.*

IN duum triúmve pedum altitudinem aſſurgit; *radice* fibroſa, albicante ſeu ruffa, ſapore amaro & ſubacri, odore nullo; ſtipite quatuor digitos craſſo, ramos tranſverſos emittente, cortice cinereo amaro & mordaci, ligno duro. *Folia* pinnata, pinnis ad coſtam mediam adnexis brevibus petiolis, parvis, oblongo-rotundis, ad apicem ſubrotundis & latioribus, ad petiolum in anguſtum rectis oris contractis, ſupernè viridibus, ſubtus hyalinis ſeu ex viridi ſubcœruleis, ſaporis ſubacris & ſubamari, ac languidi ardoris ſi diutiùs maſticentur. E media coſta ſeu nervo venæ multæ tranſverſæ obliquo ductu parallelæ versùs marginem excurrunt, utrinque conſpicuæ. *Flores* papilionacei ſunt, folio inferiore carinato ex viridi albicente; lateralia duo valdè ſaturo & roſaceo rubore tincta ſunt. *Stylus* viridis, cavus inſtar thecæ, filamentum viride quod è germine ſiliquoſo prodit [hoc propriè ſtylus eſt] complectens, ac ſuperiori parte in parva ac tenuia ſtamuncula *apicibus* flavis dotata fiſſus, uno ad concavam partem filamento libero. Floribus ſuccedunt *ſiliquæ* anguſtæ, tenues, planæ & ad unam partem nonnihil inflexæ, duos tréſve pollices longæ, glabræ, ex rubro fuſceſcentes. *Semina* intus ſejuncta, oblongo-rotunda plana; longitudine ſua ad ſiliquæ longitudinem parallela, per maturitatem nigricantia.

Præter ſiliquas Fructus nothi, virides, tenuiter piloſi ac durioli ſurculis ſæpe inſidere conſpiciuntur qui in vertice ſunt foramine pertuſi & intus cavi. *Hi nihil aliud ſunt quàm Gallæ quædam ſeu excreſcentiæ tumoréſve è puncturis inſectorum ortæ.*

Vires.

Succus è planta extractus addito momento mellis ſervit pro oris puſtulis, ore cum eo peruncto. Radix trita & decocta in lacte Coqui Indici conducit in morbo ſacro, facta perunctione.

CAP. XXII.

Noelvalli & Panni-valli H. M. P. 6. T. 22. p. 39. *Siliquoſa Indica flore papilionaceo. Siliquis planis brevibus duo aut tria ſemina iſthmis diſtincta continentibus. H. M.*

HIC frutex ramuſculis ſuis proximas maritat arbores: cortice eſt nigricante, rubris inſperſo maculis, ligno viridi medulla perterebratos, radice ſubſalſa atque inodora. *Folia* Fraxini ſimilia ſulcatis inhærent ſurculis, craſſiora, ſolida, glabra, nitentia, ſupernè magis fuſca, infernè dilutiora, ubi & coſta eminet lignoſa, flaveſcens; ſapor iis ſubacris. Inodori *flores* è calyce monophyllo rubicundo papilionacei, longis è ſurculis dependent, candidi, tetrapetali, quorum unum latius rotundiúſque & inciſum in cacumine leviter quodammodo inflectitur, duo lateralia oblongiora exteriora verſus incurvantur. *Stylus* ut in *Wellia Tagera*, haud abſimilis exalbidus minorem in ſe continet alium ſubviridem è calyce erumpentem. In gemmis compreſſis unum latius folium cætera complectitur. *Siliquæ* longitudine & gracilitate digitali, perplanæ, duo tria iſthmis diſtincta ſemina, fabarum rudimenta intus includunt. Ipſæ fabæ ſole percoctæ cinericei ſunt coloris, ingrati ſaporis.

Tempus & Locus.

Auguſto flores, permaturos fructus Decembri & Januario menſibus, frondes perpetuas promit. In inſula *Baypin* cæteríſque locis fluviorum ripas obveſtiunt.

Vires & Uſus.

Comeſtæ immites fabæ alvum cum torminibus ſolvunt. Folia in cataplaſma redacta Eryſipelati conducunt. Cortex Cannabinum æmulans in funes redigitur.

CAP. XXIII.

* P. 1. F. 52. p. 95.

Agaty * H. M. *Galegæ affinis Malabaricæ arboreſcens, ſiliquis majoribus articulatis* D. Syen.

QUatuor vel quinque hominum altitudine eſt, trunco quantum homo amplecti poteſt: ramis è caudicis ſummitate & ex medio corpore ſurrectis in altum, in latum minus expanſis, naſcitúrque in arenoſis. *Radix* fuſca, fibras capillatas longè latéque diffundens, ſapore adſtringenti. Lignum molle, corculum intus molliſſimum cortice inciſo extillat humor tenuis & aqueus, qui poſtea incraſſeſcit & gummoſus redditur. *Folia* pinnata, ſeſquiſpithamam fermè longa, pinnis ad coſtam mediam adnexis binis è regione adverſis, pediculis breviſſimis, anteriùs vergentibus, ſúntque pinnæ parvæ, oblongo-rotundæ, extremâ orâ etiam ſubrotunda, ſeſquipollicem fermè longæ, digitum tranſverſum latæ, à baſi ad apicem æquali ferè latitudine, texturâ craſſiola & valde mollia, ſuperficie leniſſima, ſupernè ſaturatius, infernè dilutiùs viridia; odore ſi terantur fabaceo. E coſta media venulæ ſubtiles egreſſæ folium permeant. Folia internoctu pinnis oppoſitis ad ſe mutuo adductis clauduntur. *Flores* in ſurculo ſeu petiolo communi è foliorum alis egreſſo quatuor, quinque, pluréſve unà proveniunt, papilionacei, [petala autem hoc peculiare habent, quòd ſurrectum & duo lateralia anguliformis curvaturæ ſint, ſíntque craſſiola, albicantia, ac in longum venis ſtriata: quartum latiſſimum, oblongo-rotundum, venulis ſubtilibus numeroſis ex unguiculo in longum ſtriatum, colore primùm albicante, dein flaveſcente, poſtmodùm rubeſcente ac ex rubro purpuraſcente,] odore nullo. Stamen anguliforme, in ſummitate fiſſum in filamenta apices flavos oblongos geſtantia diviſa; reliqua non ſatis capio. Calyx profundus eſt, quatuor brevibus rotundiolis foliis ungues petalorum circundans, colore dilutè viridi. Floribus ſuccedunt *ſiliquæ*, quatuor ſpithamas longæ, digitum tranſverſum latæ, teretiuſculæ, rectæ, virides, cortice craſſo: in quibus *Fabæ* oblongæ, ſingulæ in propriis loculamentis parietibus carnoſis ſejunctis, cum ſua longitudine in longitudine ſiliquarum conſitæ, nonnihil extuberantes, ſaporis fabacei, & ſimiles planè Phaſeolis noſtris, niſi quod minores, per maturitatem albicantes ſeu ex albicante ſubvirides; ſúntque in eduliis.

Flores & fructus fert tempore pluvioſo duabus tribúſve in anno vicibus, etiam toto anno, ſed rariús.

Radix mixta cum urina vaccæ & impoſita tumores diſcutit. Corticis ſuccus cum melle permiſtus *Vires.* in collutionibus anginæ & oris puſtulis prodeſt. Cortex coctus cum aqua & comeſtus pro variolis conducit. Foliorum ſuccus naribus attractus juvat in Febribus quartanis & inveteratis die paroxyſmi. Decoctum foliorum pituitam & phlegma, necnon bilioſos humores expurgat: in vertigine capitis & cholera conducit ſi folia cocta in aqua edantur. Flores in decocto dantur pro catarrho, quomodo etiam ad luxuriam incitare ferunt. Eorum ſuccus oculis immiſſus pellit nubeculas & viſum reddit.

CAP. XXIV.

Biti Malabarenſibus H. M. *part.* 5. *Tab.* 58.

ARbor eſt procera, caudice craſſo, multíſque ramulis in orbem diffuſis donato. Lignum atrorubeſcens ac purpureo-ſtriatum, denſum, ponderoſum, ſubacidi odoris ſaporíſque, cortice munitum cinereo. *Radix* itidem atro-purpurea. *Folia* oblongo-rotunda, denſa, glabra, ſupernè coloris ſubcinerei, infernè cinereo-viridia, nervis aliquot è media coſta in latera excurrentibus, odor gratus. *Flores* papilionacei, flaveſcentes, racemis oblongis numeroſi proveniunt, quibus Siliquæ ſuccedunt.

Creſcit locis montanis in *Calicolan*, *Atsjencoil* & alibi: ſemper viret, quotannis floret & fructum *Locus.* fert, diúque ſuperſtes manet.

Lignum ob ſingularem ejus duritiem operæ fabrili accommodiſſimum cenſetur, ex eóque varia *Uſus.* fiunt domeſtica inſtrumenta.

CAP. XXV.

Karin-Tagera H. M. *P.* 6. *T.* 25. *p.* 45.

HÆC ſpecies humilis eſt, Corylo ſimillima. Cum præcedente, quod ad *folia*, planè convenit, excepto quòd hujus rotundis oris leviter ſinuatis ſunt. *Flores* papilionacei, difformes, candidi, tetrapetali apparent. *Siliquæ*, cùm cæterarum rectæ ſunt, hæ incurvatæ fabas furvas nitentes continent.

Montoſis locis in *Candenate* aliíſque regionibus familiaris eſt, ſemper virentium habetur in numero. *Locus.*

Uſus planè ignotus, niſi quòd è radice paratum oleum capillorum reſiſtat profluvio. *Vires.*

CAP. XXVI.

Kedangu H. M. P. 6. T. 27. p. 49. Siliquoſa Malabarica ſiliquis ſpithamæis anguſtiſſimis contortis. H. M.

FRutex eſt duos homines altitudine æquans, trunco craſſo, ſemipedali, ligno candente, medullâ verò viridi; libro ubi ſiccus eſt cinereo, intus virente. *Rami* autem cortice glabro nitente, venis rubentibus ſtriato, tenuiores hirſuto, obducuntur. *Radix* perquam fibroſa in tranſverſum diffunditur. *Folia* tenuia, lenia, è longo anguſta, pollicem longa, anteriùs rotunda, ſupina parte fuſca, prona verò dilutiora, hirſuta, ubi talis quoque in cuſpidem exiens multipliciter diviſa coſta conſpicitur; *Tſiapangam* modo communibus ſurculis adhærent, deceſſóque jam die collabuntur: ſapor iis ſubaſtringens. Inodori, flavi, papilionacei, plures ex uno prorumpunt petiolo *Flores* tetrapetali; quorum unum exteriùs internigrans, interiùs flaveſcens folium eſt, duo verò anguſtiora atque erecta, flavo colore ſatura, quartum è viridi atque albido nitens, ſunt. *Stilus* ex albo nitens, & circa medium inflexus in novem filamenta *apicibus* flavis dotata finditur. *Siliquæ* ſpithamâ longiores, quamvis anguſtiſſimæ valdéque contortæ, dura ac ſpinoſa cuſpide donatæ, virides primò languidæque ſunt, ſeminalibus loculis ab interiore cartilaginea contracta pelle productis ſepimenta ſeminum efficientibus, protuberantes; aſt veteraſcentibus iis evaneſcunt ac ſubſident extuberantiæ, ipſæ vero ſiliquæ elongantur, rigidâque incurvaturâ inflectuntur. *Fabæ* primùm è viridi nitentes, exſiccatæ perquàm parvæ ſunt; coloris è cinereo fuſci nitentis, ſaporis nullius, vel planè ſylveſtris.

Natale ſolum diligit limoſum udúmque, ad urbem *Cochin*, *Nari*, aliíſque frequens eſt locis, florens menſe Martio: fructus Decembri leguntur. *Locus & Tempus.*

Balneum è foliis confectum omnes diſcutit tumores. Epilepſiâ aphthíſque laborantes pueri florum ſucco facillimè curantur. *Vires.*

SECTIO SECUNDA.

De Arboribus & fruticibus ſiliquoſis folio decompoſito ſeu ramoſo.

CAP. I.

*P. 5. T. 7.

Siliqua ſylveſtris ſpinoſa, arbor Indica C. B. *Coral arbor ſiliquoſa* J. B. *Arbor Corallii* Ferrar. Flora. *Siliquoſa & ſpinoſa trifolia Indica, Coral arbor dicta* Park. *Tuinamtiiba* Marcgrav. *Mouricou* * H. M. *Arbor fabifera Javanica Boa Tſinkring dicta* Bontii *l.* 5. *p.* 134.

Marcgr.

ARbor eſt cortice cinereo, ligno fragili, in Mali ſylveſtris amplitudinem excreſcens; cui rami deciſi & terræ infixi novas progenerant arbores, ideóque ad vivas ſepes ab indigenis uſurpantur. Juniores arbores ſpinis acutis in caudice & ramis armatæ ſunt, adultiores amittunt ſpinas, & in ramos variè diſtribuuntur: illæ nunquam florent, hæ contra: illæ ſemper habent folia, hæ interdum nulla, ſed tantùm flores, nimirum Decembri & Januario: poſt flores demum erumpunt folia floribus decidentibus: utrarumque *folia* ſunt ſimilia, ſubrotunda, ſeu potiùs cordis ſublatioris figurâ, inferiùs tomentoſa, supernè glabra & dilutiora, tria ſemper ſibi appoſita more Phaſeolorum, in pediculo ſemipedem circiter longo; & talium pediculorum tres, quatuor, quinque ſibi appoſita ſunt in frondis modum.

Flos magnitudine Iridis florem fermè æquat, unico conſtans folio, crenato, ſurſum erecto, ad cujus latus interius cum adjacente tunica è qua prorumpit dulcis liquor continetur, ut in flore *Paco*, formicis gratiſſimus; & ex eadem multa habet *ſtamina* carinæ in modum ad latus ſenſim prodeuntia, coloris inſignis miniati, ſine odore tamen: ſtamina vergunt ad brunnum. Arbores florentes longè conſpici poſſunt, inſtar panni miniati expanſi.

Floribus citò & copioſè decidentibus ſequuntur fructus, viz. copioſæ *ſiliquæ*, ubi maturuerunt fuſcæ, ab uno ad quinque digitos longæ, digitum craſſæ, teretes, & in tot ventres elatæ, & loculamenta diviſæ quot continent phaſeolos, quorum quilibet magnitudinem habet nuclei Avellanæ aut Fabæ ſeu Phaſeoli vulgaris. In totum eſt miniati coloris & propè hilum qua fuſceſcit parvam habet maculam nigram: interiùs autem ex albo flaveſcit. Nullus ejus uſus apud incolas. Turdi, teſte Bontio, eo avidè veſcuntur.

Ex deſcriptione Marcgravii & figurâ & deſcript. Cluſii folia hujus arboris videntur eſſe bicompoſita ſeu ramoſa. Privata ſeu particularia folia in arbore juniore, deſcribente Ferrario, nullis inciſuris interrupto, ſed æquabili & prope rotundo ambitu circinata leviter faſtigiantur; ipſius etiam Hederæ rotunditatem, amplitudinem, craſſamentum, duritiámque referunt.

Mouricou *H. M.* in nonnullis differt à Tuinamtiiba Marcgrav. ut dubitem an ſpecie eadem ſit. Cæterùm *Mouricou* Malabarica Elephantis arbor Belgis dicitur, quia Elephantes ſummopere hoc delectantur ligno, utpote leni ac molli.

Vires & Uſus.

Lignum Malabarenſes in enſium ac cultrorum efformant vaginas: unà cum cortice ad veſtium *Saraſſas* dictarum lotionem, flores in confectionem *Caryl* adhibent. Cæterùm folia pulveriſata ac matura cum nuce Indica cocta donec unguenti craſſitudo fit, Veneris conſumunt bubones, dolores oſſium ſedant. Contrita temporibus applicata cephalææ opitulantur & ulceribus. Mixta cum Saccharo *Jagra* dicto ventris dolores, præſertim fœminis reprimunt, quod præſtat cortex aceto lævigatus, & nucleus pelliculâ rubrâ denudatus, ſi deglutiatur. Foliorum ſuccus cum oleo *Sergelim* aſſumptus dolores levat Venereos; cum Oryzæ infuſione hauſtus fluxus tenet, cum foliis *Beteleiræ* in pultem redactus vermiculos in vetuſtis ulceribus præfocat, ex oleo coactus pſoram & pruritum tollit.

Tres varietates Arboris Coral dictæ recenſet *Hermannus* in Cat. Hort. Lugd. Bat. I. Spinis ex albo virentibus & ſeminibus rubentibus, *Erabudu* Zeylanenſium dictam. II. Minorem ſpinis & ſeminibus nigricantibus, Jacerabuda Zeylanenſ. III. Maximam Americanam.

Arbor Coral in Hortis frequens eſt.

CAP. II.

De Braſilia arbore dicta.

1. *Braſilia arbor* Park. *Braſilium lignum* J. B. *Pſeudoſantalum rubrum ſive Arbor Braſilia* C. B. *Ibira-pitanga Braſilienſibus* Marcgrav. *Ibira-pitanga ſive Lignum rubrum* Piſon. Braſil wood.

Marcgr. Piſon.

ALta eſt & vaſta, tantæ interdum craſſitudinis ut tres homines amplecti vix poſſint: *cortice fuſco*, brevibus ſpinis armato; ramis alternatim oppoſitis, in quibus & ramuli itidem oppoſiti, utì & folia ad eundem modum, inæqualia nimirum paria in eodem ramulo, circite digitum longa, figurâ Buxi foliis ſimilia, craſſiuſcula, ſaturatè viridia ſplendentia, ſine petiolis ramulis innitentia & quidem non extremitate quæ medio folii reſpondet ſed versùs alterutrum latu *Hæc foliorum deſcriptio ſubobſcura eſt; videntur tamen tum ex figura, tum ex deſcriptione folia bicomp ſita eſſe, ut in Filice aut Planta ſenſitiva, primum ex ſurculis ſeu ramulis (alii tarſos vocant) deinde pinnulis, ità ut ſcapus ſeu coſta media hinc indè emittat ſurculos, & unuſquiſque ſurculus hinc indè pi nulas ſeu foliola, abſque impari tamen in extremis coſtis folio.*

Hin

Hinc indè etiam in ramis prodeunt ramuli, ſeſquidigitum & ampliùs longi, multis floribus quaſi in unum congeſtis onuſti, pediculis ſemidigitum longis inſidentes, quinque foliolis conſtantes, quatuor vulgariter cavis, & quinto repando, quod rubrum, & in extremitate ſua flavum, reliqua flava; duo repando proxima ungues habent rubros; in medio ſtaminula flavo-pallida, apicibus flaveſcentibus: odoris ejuſdem, at fragrantioris, quàm Lilium convallium.

Sequuntur flores *ſiliquæ* oblongæ, duorum circiter digitorum, planæ, compreſſæ, exteriùs aculeatæ, obſcurè fuſcæ, in ſe continentes fabas aliquot exiguas, ſplendentes.

Locus & Tempus. In locis mari vicinis non apparet, ſed tantùm in mediterraneis ſylvis, unde magno labore ad littoralia vehitur. Floret Decembri.

Vires & Uſus. Tinctura hujus ligni rubra toti orbi eſt notiſſima. Sed minima moles tam vaſtæ arboris tingit, dempta enim magna parte ligni ſuperioris ſola matrix tibiam circiter craſſa rubri eſt coloris, & ad tingendum utilis.

Lignum eſt frigidum & ſiccum; mitigat febres, reſtringit & corroborat inſtar Santali. Macerata in frigida inter collyria contra ophthalmias uſurpatur cum ſucceſſu.

Ligni uſus eſt ad multa opera fabrilia, ſphæras luſorias, cultellorum & gladiorum manubria, bacillos, &c. eſt enim valdè denſum & ponderoſum, necnon politurae capax.

2. *Braſilio ſimile lignum Vernimbock Germanis dictum* J. B. *An* **Redwood** *noſtratibus?*

Hoc lignum (inquit J. B.) à Braſilio nobis Genevæ pro Santalo rubro exhibito differt, quod non fidit, habétque quo cum Fagineo ligno nonnihil conveniat [ſi colorem demus] præſertim maculis illis tranſverſis atque criſpantibus per ſubſtantiam ejus ſparſis neque dulcorem illum maſticatum præfert. At ſuperiùs paulo dixerat lignum *Vernimbock* ponderoſum admodum eſſe, & in aquam injectum ſtatim ſidere, ſolidum Ebeni inſtar, rubens; infectores eo uti ad tingendum: addito gummi & alumine elegantem colorem rubrum pro ſcriptura præbere.

Vernimbock nomen accepit à Fernambuca arce Luſitanorum in Braſilia conſtructa, ubi Braſilienſes indigenæ cum iis mercimonia exercent.

CAP. III.

Ligno Braſiliano ſimile, ſeu Lign. Sapou, lanis tingendis percommodum C. B. *Tſiapangam* H. M. *part. 6. tab. 2. cujus lobus* * *Cluſio ſub nomine Lobi membranacei nigri deſcribitur & depingitur. An* **Logwood** *noſtratium?* Raſhphout *Belgis. Acacia tinctoria* Herman.

* *Exot. lib. 3. cap. 16.*

INtra binorum hominum altitudinem proceritas, intra palmam craſſities ſubſiſtit. Cortice eſt cinereo, intus fulvo, ligno admodum duro, rubello, matura ætate ruffo: *Ramis* in latera pronis, intro albicantibus, ſpinis intercurrentibus curtis & deflexis: *Radice* fibroſa, ex albo rubicunda, inodora, cortice croceo, nigricante obducto pellicula. *Folia* pollicem longa, digitum lata, rotundiuſcula, Orni more, craſſiore ſurculo, ſpinis privato, ex ordine appendentia, mediâ coſtâ ab averſa parte multas venulas fundente dividuntur. Odor iis gratus, ſapor verò ſubacris & amaricans. Sole occidente inteſtinis lateribus ſe includunt contrahúntque. *Flores* inodori, flavi, racematim è ramorum foliis deſtitutorum extremis ſurculis erumpunt plures, decapetali, petalis pæne rotundis, tenuibus, quorum quina exteriora cuſpidata parùm ac ſubviridia ſunt uno medianorum exiſtente, venulis trajectis roſeis, minuſculo, cui adſtat oblongum, viride, totum florem ſuccingens folium. Emicant ex floribus decem geniculata, è flavo viridia *ſtamina*, nigris ſemilunulatis *apicibus* incurvatis inſtructa, uti & pede communi plano, lanugine albido fructûs primordium continente. Æquabiles, compreſſæ, ſuccretæ *ſiliquæ*, petiolis adhærentes pollicaribus, quatuor tranſverſos pollices longæ, duos propemodum latæ ſunt, dorſo craſſiore, cuſpidato, ventre pauxillum incurvo; maturæ & ſiccæ cortice ſunt duro & corneo, è furvo nitente, intrinſecùs candida obducto cartilagine, quæ ubi teneriores ſunt tranſparet, poſtea verò involvit atque disjungit *ſemina* oblonga, ſubplana, è cinereo fuſca, è tranſverſo lingulis ſiliquarum dorſo adhærentia.

Locus & Tempus. Arenarum cupida per univerſum Malabar ob ornatum uſúmque frequens colitur. Sponte in *Trevancoor*, provinciis *Goendre* & *Ellé de Soroan*, aliíſque montanis naſcitur locis. Ab Aprili in Septembrem uſque floret. Fructus carpuntur exeunte anno. Trima fructifera, vitam in 100 trahens annos, quibus nunquam deſtituitur frondibus.

Uſus. Ex ligno, quod ubique venale exponitur, rubro, aquæ incocto tinctura elicitur nigra (Atramentum vocant) quæ cum Alumine diluta rubricoſa evadit, maximóque ad lintea & alia rubello co-ore imbuenda in uſu eſt, calce verò obſcuratur. Quòd ſi ſurculorum lignum albicans calce per-rixeris ilico rubeſcit, quo exiſtente molliori flavet. Ad opera pretioſiora magíſque ſubtili elabo-anda manu, hoc lignum adhibetur.

Figura exhibet folia bicompoſita ad modum Acaciæ aut Fruticis ſenſitivi.

CAP. IV.

Glans unguentaria C.B. *Nux Ben ſive Glans unguentaria* Park. *Balantis myrepſica* Ger. *Nux unguentaria* J.B.

J. B.

NUces unguentariæ dictæ oblongæ ſunt, nuclei Avellanæ magnitudine, aut etiam nuclei cum ſuo putamine ſed minoris, figurâ triquetrâ: putamine teguntur albicante, mediocriter craſſo, fragili, cui nucleus ſubeſt craſſiuſculâ fungoſâ pelliculâ, nivei coloris obductus, albidus, Avellanæ nuclei aut Amygdalæ conſiſtentiâ, pinguis, quíque nobis jam in nucibus ante 30 annos repoſitis non ranceſceret, ſapore tantùm amaro præditus. Hujus generis nuculæ aliæ ſeſſiles, aliæ oblongæ, majores, minores; effigies triquetra, ſed rotunda & glandis æmula huic nomen generis aptavit.

Naſcitur autem in ſiliqua admodum eleganti, palmum longâ, carinula bifori conflata, tereti, gracili, biníſque loculis ventrioſa, nempe ima mediâque ſui parte quà protuberat, glandem ſingulam ſingulo claudens, ſumma verò acuto ſtylo roſtri inſtar, vel Rhododendri, vel Periplocæ repentis, acutum mucronem protendit: intus ſubruffo colore, foris pullo, cinereóve, & ſecundùm longitudinem ſtriis rugíſque exarata: coriacea tota, flexilis & corticoſa, inſipida, ſubaſtringens & ſicca.

Veteres in Deſcriptione arboris inter ſe non conveniunt: Theophraſtus folia Myrti ei attribuit, Plinius Heliotropii, Dioſcoridis Myricæ. Aſt dicendum, Myrti & Heliotropii folia, quod ad figuram attinet non multùm inter ſe differunt, & quoniam μυῤῥίνης & μυρίκης voces quoad elementorum quibus ſcribuntur formam affines & ſimiles ſunt, facilè à librariis hæc pro illa in Dioſcoridis textu poni potuit: vel dicendum Dioſcoridem inter ipſas arbores, non inter earum folia comparationem inſtituiſſe.

Arbor ipſa, tradente Bellonio, Betulam refert tum magnitudine, tum ramis ſimilibus, & trunco albo, ità ut è longinquo videntes certò crederent eſſe Betulam. Tobias Aldinus, ſeu potiùs Petrus Caſtellus, arbuſculam in horto Farneſiano è ſemine natam accuratiùs deſcribit. Foliis autem erat bicompoſitis ſeu ramoſis. Nam nervus ſeu coſta media totalis folii ſurculos ſeu nervos hinc inde emittit juncis non majores, quibus ad intervalla longiora bina conjugatim adnaſcuntur foliola, nullo impari alam terminante ſed nervulo medio in tenuem ſetam exeunte. Foliola in ſurculis ima rotundiore cuſpide ſunt, Heliotropii foliorum inſtar, media acutiora & Myrtinis ſimiliora, ſumma minora & anguſtiora, ad Polygoni folia accedentia: Omnia hyeme decidua cum ſurculis etiam & coſta media.

Lacuna duas Nucis unguentariæ ſpecies facit, *Majorem*, magnitudine Avellanæ, cortice fragili, triplici coſta, medullâ albâ, tenera, oleaginoſa, acri cum levi amarore: *Minorem*, Ciceris magnitudine, cortice ad nigrum accedente, medullâ ingrata, quam pernicioſam exiſtimari ait: majorem ſolam eſſe in uſu. Fortè in hoc Meſuem ſecutus eſt. In magnitudine differentiam agnoſcimus, at ſpecies diverſas dari non concedimus, nec tamen præfractè negamus.

Locus. In Arabia prope *Pharagou* in itinere à Cayro ad montem Sinai naſcitur, autore Bellonio. Adfertur verò ex Syria & Ægypto in Europam, atque illuc putat Matthiolus ex Arabia advehi, & fortè etiam adhuc ex Æthiopia, ubi ait Dioſcorides naſci. *J. B.* In India non naſci opinatur J. Bauhinus, quia neque Veteres neque Garcias inter Indicas plantas eam recenſent, aut in India naſci tradunt.

Vires. Dioſcorides aliíque è Veteribus multas ei vires adſcribunt. Purgat ſupernè & infernè, educítque bilem ac pituitam.

Uſus. Meſue Glans ipſa humiditatem habet excrementoſam & acrem, quâ ventriculum ſubvertit, nauſeam excitat & viſcera conturbat. Pituitam craſſam & lentam vomitu ac dejectione purgat: quare confert colico affectui pituitoſo ſumptus, balano clyſtere injectus, cataplaſmate ex ipſius medulla, hordei farina & melle appoſitus, & calore ſuo nervorum frigidis affectibus, ſpaſmo, tetano, contractioni. Tumores quoque duros, ſtrumas, nodos reſolvit cum melle: Hepati aut Lieni obſtructo & indurato cum farina Lupinorum & ſpica confert impoſita. Dioſcorides tritam & ex poſca drach. pondere potam lienem abſumere ſcribit. Oleum auri infuſum tinnitui, ſibilo, ſurditati auxiliatur: Cicatrices fœdas, lentigines, alphos & cætera cutis vitia emendat. Parvus autem fructus ad omnia eſt valentior, moleſtè purgat, vires dejicit, ſudoremque frigidum movet. Magnus ne ventriculo noceat facit aſſatio. Ea enim humiditatem excrementoſam & acrem, horum ſymptomatum cauſam coquit & reſolvit, túncque ſolùm dejectione purgat. Adduntur præterea ipſi, præſertim coquendo ſemen Aniſi & Fœniculi. Hinc etiam Meſue, & rectè, Ben antiquam recenti præfert in uſu medico, quia in prædicta humiditas aquea evaporando conſumpta eſt. Eundem in modum Aſari etiam folia & radices violenter purgant per ſuperiora & inferiora ubi virent, propter tale aliquod ſerum acre; ſi exiccentur amittunt vim illam malignam & vehementem. Quod idem evenit quoque Iridi, quæ virens urit & pungit violenter, exiccata non item *J. B.* Idem etiam obſervavit D. Grevius de radice Ari, quæ exiccando acrimoniam ſuam amittit.

Unguentarii oleo utuntur pro conficiendis odoratiſſimis unguentis, in quæ & moſchum, ambram & zibethum addunt pro chirothecis & manicis, aliíſque ſuffitu perfundendis aut illinendis. Porro præ omnibus aliis oleis hoc potiſſimum celebrant unguentarii, non quòd aliqua odoris præſtantiâ commendetur, ſed quòd ſolum nunquam vetuſtate rancorem contrahat. *J. B.* Alii tamen ejus loco addunt oleum expreſſum è nucleis Ceraſorum, in quo ſolvunt Benjoinum. *Heurn. in Med. pract.*

2. *Nux Been Zeylanica, ſiliquâ triangulâ, ſeminibus alatis,* Moringeros *Luſitanis*, Katu Murungha *Zeylanenſium* Herman. Cat. App.

Hujus deſcriptionem expectamus in Muſeo Zeylanico D. Hermanni.

CAP. V.

Acacia Malabarica globoſa Intſia dicta.

H. M.

Binorum hominum implet complexum: libro eſt cinereo, ligno candido, ſulcis quinque, è quibus ſpinæ erumpunt ſtriato. *Radice* eſt adſtringente, fibroſa, nigro cortice, intus rubente. *Rami* cinerei, ligno albidiore, pronis ſentibus duobus in ſulcis frequenter obſiti. *Folia Nilicamaram*, niſi breviora eſſent, poterant videri, infernè ſtriati, uno nervulo in exortu, ut & multis venulis donata, infernè dilutiora, ſupernè ſummè ſunt virentia. *Flores* odorati, candidi, rubris è gemmis erumpentes, Acaciæ Indicæ in modum foliorum acuminatorum, ſinguli, bini, nonnunquam terni, pedicellis pollicaribus in extremitate ſurculorum prodeuntes, penicillis tenuium filamentorum, quæ minutiſſimis capitata apicibus verſus omnes ſeſe extendunt partes, ornantur. Fructus perplanæ & longæ ſunt *ſiliquæ*, utrinque cuſpidatæ, cortice craſſo, duro, ſubpurpuraſcente nervo, obſeptæ, ſingulæ aliquando geminæ è ſurculo dependentes. Ipſæ autem fabæ molles, ſubamaræ, oblongæ & planæ, tranſverſariæ bolbiticanon imitantes in carne albicante includuntur.

Locus & Tempus.

Naſcitur, quamvis ſparſim, in multis arenoſis petroſiſque *Malabar*, ut & *Cranganoor* locis, nunquam in caudicem adoleſcens. Floribus induitur Julio & Auguſto, fructibus maturis ſub hyemem; frondibus ſemper virentibus, quæ decedente die ſe complicant. Horum velut & corticis ſuccus cum pauxillo ſalis exhauſtus ventris ſedat dolores: ipſe cortex capitis lavamento utilis additur, qui in pulverem redactus ſummo cum levamine ulceribus inſpergitur.

CAP. VI.

Acaciæ foliis frutex Meſopotamicus Columnæ *notis in Recchum p.* 867.

Col.

Elegans hæc & rara planta, Acaciæ foliis & ramulis adſimilis, nec amarorem, acrimoniam aut Allii fœtorem refert, nec manifeſtam adſtringentiam obtinet; *foliis* eſt pennatis, & ſenis pennarum ordinibus utrinque diſſectis, ac lobulis ferè viginti admodum exiguis, ut vix pictura rectè exprimi potuerint, inciſis. Spinas ex lignoſis ramulis ulmeo cortice veſtitis non ſimul binas in exortu foliorum, ſed diſtinctas habet, & unicam tantùm in illorum exortu. *Semina* pauca profert effigie Pyri ſed majora, minora parùm Ægyptiæ Acaciæ, compreſſa, lævia, nitida & colore ſpadiceo, ſiliquis ſive craſſis lobis contortis, obeſis, medulla pallente fungoſa turgidis, obliquè diſpoſita incluſa; nec ut in Acacia Ægyptia vera, cujus ſiliqua eſt depreſſa latitudine contenta. *Florem* ignoramus cujus ſit generis, nam in ſicco ramulo non aderat. Fruticem amplum, non arborem ſublimem eſſe Petrus de Valle Romanus eques, qui collegit & attulit Columnæ aſſeruit, humanam altitudinem non excedere, & juxta flumen Tigridem in Meſopotamia, & in deſerta Arabia juxta Euphratem vel parum diſſito loco reperiri, cujus ſiliquam ab incolis ad ſanguinis fluxum cohibendum utilem uſurpari accepit, & vulgariter ſiliquam hanc, etiam ut Ceratonium *Charnub* dici, generico forſan nomine ſiliquarum.

CAP. VII.

Uty Braſilienſibus Marcgr. *Acaciæ affinis foliis & floribus.*

Marcgr.

Arbor eſt ſaturatè virens & ſpinoſa, Scorbo Aucupariæ naſcendi modo figurâque ſimilis: in multos diſpeſcitur ramos, & ferè rotunda eſt, & in ramis etiam ramuli alternatim ſunt oppoſiti. *Folia* habet minima, eodem modo diſpoſita quo in herba viva, & in extremitate dua quaſi bicornia quo differunt à foliis Tamarindorum, quæ pariter ſaturatè viridia, & præterea acidi ſaporis, cùm hæc nullum ſaporem habeant manifeſtum. Si ſapore eſſent acido & ſiliquas ferrent, cum Acacia conveniret. Non tamen ſemper æqualia folia in hac arbore ſibi opponuntur, ſed interdum ſolitarium eſt in extremitate ramuli. Fert floſculos prope ramulos in uvam congeſtos, albos, longis ſtaminulis, ità ut piloſi ſeu ſpinoſi videantur. Lignum album eſt ac lentum, cortice ex gryſeo ſubfuſco ut Sorbus aucuparia.

CAP. VIII.

Mimoſa Malabarica flore pentapetalo, ſiliquis lanuginoſis. Kal-Toddavaddi H. M.

H. M.

AD tres quatuórve pedes aſſurgit. *Radix* ruffa & capillaris. *Ramis*, qui primùm rubei, deinde virides, pilis non modò, ſed etiam ſpinis diverſæ magnitudinis innumeris, deorſum deflexis obſepti ſunt; adhærent ſurculi ferè digitales, foliacei, ex adverſo gemini, rubeſcentes, ſpinulis quoque ejuſdem coloris hirti. *Folia* proxima *Intſiæ*, per ordinem contrariis inter ſe pediculis annexa ſurculo, elonga, anguſta, anteriùs obtuſa, pertenuia, lenia, nervo ſubtili attamen ramoſo prædita, ſurdi ſunt viroris. Quæ ſi tangantur illico, more *Toddavaddi*, veluti complicandæ manus ſe demittunt, & cum oppoſitis foliolis ſeſe quaſi complicant, mox tamen attolluntur, atque in Solis occaſum explicantur, quo diſceſſo ſponte collabaſcunt. *Flores*, qui in petiolis longiuſculis, rigidis atque ſpinoſis, ſubpurpureis hic illic proveniunt, quinis conſtant petalis, quorum quatuor tenuia, lenia, latiora, ad unguiculos verò ſtrictiora, circa ambitum exiguis rugis criſpata, flavi coloris, ſed ab utraque facie internigrantia ſunt: ex his duo anteriora explanata ad petiolum ſeſe reclinant; duo poſteriora obliquè erecta ſeſe mutuò reſpiciunt. Quintum inter duo emicans rigidum craſſúmque eſt, ejuſdem at dilutioris coloris. Ex medio prominentia *ſtamina* infernè arctè compacta & lanugine obſita albicante decem ſunt, è viridi albentia, ſupernè tenuia, internigrantibus flavis apicibus dotata. Calyx quinquies inſectus, permollis & purpureus. Succreſcentes *Siliquæ* duos digiti articulos longæ, lanuginoſæ, & atris interſperſæ maculis binas, ternas, rariùs unicam includunt fabam, tranſverſariam, acerbam, ſubviridem, maturam in nigredinem vergentem. Sapore noſtrates referunt.

Locus. Naſci amat locis petroſis umbroſiſque. In *Candenate*, *Teckencour*, aliiſque locis plurima eſt. Semperfrondet.

CAP. IX.

Guaibi-pocaca-biba Braſilienſibus Piſonis *&* Marcgrav. *Arbor Siliqua tortuoſa putreſcente, Fraxinellæ foliis* Breyn.

Marcgrav.

ARbor eſt ligno, cortice, medullâ, odore, & fragilitate Sambuci æmula, elegans,, in multos ramos diviſa, qui in extremitatibus ſuis longa germina protrudunt, in & iis multos *ramulos*, ternos aut quaternos juxta ſe poſitos. Bina *folia* ſemper ſibi opponuntur, brevibus pediculis innitentia, ad tactum dura inſtar membranaceæ chartæ, exteriùs Salviæ foliis recentibus venis & viriditate ſimilia, ſuperiùs dilutè viridia, duos aut paulò ampliùs digitos longa. Inter ramulos etiam foliorum prodeunt pediculi, duos aut tres digitos longi, qui 22 aut 24 *floſculos* umbellatim congeſtos ſuſtinent, figurâ florum Primulæ veris, quorum quilibet conſtat quinque foliolis, dilutè flavis: in medio autem ſtaminum loco propendent multa filamenta, ſeſquidigitum longa, quæ quoad medietatem lutea ſunt, exteriore medietate Crocum Orientalem ruſo colore & criſpitudine referunt, & in extremitate cujuſque viſitur punctulum flavum. Floſculi ſunt ſuaviſſimi odoris. *Fructus* fert in *Siliquis* quatuor aut quinque digitos longis, anteriùs faſtigiatis, cætera parallelogrammis ac paullùm compreſſis. In utraque laterali extremitate quaſi ſuturâ ſutoribus uſitatâ ſunt clauſæ [Piſo Arborem Siliquæ dulci dictæ comparat, ſunt enim, inquit, illius Siliquæ dulces, tortuoſæ & deformes, primùm quidem virides, mox maturitatem conſecutæ fiunt nigræ & putreſcunt.]

Locus. Apricis gaudet campis, mirificéque peregrinantes delectat florum elegantiâ & odore.

Vires. Radicis medulla ex albo flaveſcens, à leviori cortice liberata in taleolas diſſecatur, eáque aquâ fontanâ macerata per noctem ſub dio, & aliquoties pota non uni malo medetur. Urinam enim cunctantem ciet, renum & veſicæ obſtructionibus opitulatur, ejúſque decoctum vel ſolum gonorrhœas reſtituiſſe vidi. Succus corticis recens oculis inditus earum inflammationes tollit.

Folia hujus arboris accuratiùs deſcribit Jac. Breynius his verbis, Frondes ſeu folia ramoſa quibus obumbratur hæc arbor à Sambucinis foliis longè ſunt diverſa. Quælibet enim illorum pediculo rotundo, ſtriato, leniter hirſuto, dilutè viridi, dodrantalis longitudinis, candidiſſimâ medulla farcto, conſtat: in quo Suffragines tres aut quatuor, holoſericeæ utrinque ex oppoſito, per interſtitia uncialia & ſeſcuncialia, ſummo ordine diſpoſita cernuntur. Ex his ſuffraginibus, infimæ plerunque rarò longiores unciâ: ſecundæ duplò majores: tertiæ tertia adhuc parte; ſed quæ quarto aut ultimò locatæ breviores iterum ſe ſiſtunt. Minimarum aut infimarum ſuffraginum unaquæque foliis uno aut duobus, ſubſequentium tribus aut quatuor; reliquarum quatuor aut quinque, Fraxinellæ figura & magnitudine æqualibus, utrinque ſibi mutuo oppoſitis alata eſt. Reliqua videſis apud Breynium.

Cap. X.

1. *Palega-Paianeli* * H. M. *Arbor ſiliquoſa Malabarica, cordato folio, fructu maximo oblongo plano, ſemine membranaceo.* D. Syen.

* P. 1. F. 43. p. 77.

H. M.

ARbor eſt procera, naſcens in arenoſis, ramis minùs in tranſverſum diffuſis. *Radix* fibroſa, ramos quaquaverſum emittens, *cortice* craſſo, molli, exteriùs rufo, intus ex viridi flaveſcente, ſapore ſubamaro, ligno albicante ac molli, quod facilè in filamenta protrahitur. *Caudex* ambitu unius hominis amplexum implet, iſque & rami majores cinerei, teneriores virides, * ſcabri & punctulis aſperi, grandibus nodis, ex quibus ramulos tranſverſos binos & binos ejiciunt, extuberantes; medullâ fungoſâ & albicante ligno pauco, atque adeò valdè leves: cùm vetuſtiores ſunt, decidunt, notas relinquentes, in quibus etiam novi erumpunt. *Folia* pinnata Fraxini modo, coſtâ mediâ, cui pinnæ ſeu foliola utrinque adnectuntur, quinque, ſexve cubitos plus minus longâ; pinnis in petiolis curtis adhærentibus numero ternis, quinis aut ſeptenis, una ſemper extremam coſtam occupante, cordis humani figurâ circumſcriptione ad petiolum rotundis, anteriùs cuſpide anguſtâ eminentibus, texturâ tenuibus & mollibus, ſuperficie leni, supernè ſaturatiùs, ſubtus pallidiùs virentibus, ſapore ſubamaro, odore gravi. Coſtæ & nervi pinnarum in averſa ſolùm parte eminent. *Flores* in ſummis ramis plures unà proveniunt, in petiolis craſſiuſculis, grandes, campaniformes cum collo oblongo, & ad unam partem nonnihil inflexo, calyci oblongo-rotundo & profundo inſidentes, ſex petalis craſſiolis compoſiti, quorum quatuor quæ ad concavam colli partem ſunt, exteriora versùs maximè reflexa, reliqua duo ſurrecta & minùs inflexa, omnia fungoſa non venoſa, ad oras criſpa, duabus tribúſve liris profundis exteriùs per longum ſtriata, colore, maximè interiùs ex albicante ſubflavo; exterius in colli convexa parte, foliiſque ſurrectis, quæ versùs eam partem ſita ſunt, ſtriis rubeſcentibus tincti, odore fœtido. *Stamina* quinque craſſiola, & nonnihil reflexa, ex albicante ſubflava, quibus incumbunt apices lati, flavi, bifidi. *Stylus* tenuis, albicans, ſummitate in planum extenuatus, è plano albicante & ſubflavo capitulo, in fundo calycis ſito, quod rudimentum fructûs eſt, erumpit. *Calyx* craſſiolus laxè collum floris excipiens, in ora parùm cuſpidatus eſt. *Fructus* floribus deciduis ſuccedunt prægrandes, formâ velut machæræ, tres ſpithamas longi, palmum lati, digitum fermè craſſi, cum oris ad unam partem nonnihil reflexis, cortice craſſiolo viridi, tenera ac humida carne, quæ dein in lignoſam duritiem evadit, in cortice exteriùs in medio in longum in utraque parte uno ſulco ſtriati. Membrana lata coriacea medium fructum, juxta ejus latitudinem in planum extenſa, in duo loculamenta dividit, in quibus ſingulis *ſemina* innumera continentur, lato-rotunda & valdè plana ſeu compreſſa, cum umbilico longiuſculo membranaceo, albicante involucro amicta, & latâ membranâ pellucidâ, albicante circumcincta, jacéntque ſeriatim in planum in ſuis involucris, alia proximè ad unam, alia ad alteram oram: nudata ſuis involucris viridia ſunt & denſæ carnis, ſaporis nullius.

* *Verbis ſequentibus foliorum pinnatorum coſtas quibus pinnæ utrinque adhærent deſcribere videntur: nec enim rami, neque ſurculi decidunt in quacunque planta, ſed folia tantùm.*

Vires.

Cortex arboris ſervit pro conſolidandis fracturis & ſciſſuris tritus & cum vino impoſitus. Radix in decocto data in hydrope prodeſt. *Folia* tenella trita & cum Croco Malabarico ulceribus admota ad ſanationem conferunt.

2. *Pajaneli* * H. M. *Arbor ſiliquoſa Malabarica, folio majore mucronato, fructu maximo oblongo plano, ſemine membranaceo* D. Syen.

* P. 1. F. 45. p. 79, 80.

H. M.

Eſt arbor procera, ramos in altum, minùs in latum diffundens, naſcens in arenoſis. *Radix* in ramos ſparſa, ex quibus hinc inde circa caudicem novæ ſtirpes expullulant, cortice craſſo ex cinereo nigricante, intus albicante, ſaporis ſubamari, ligno albicante, laxiore, quod in filamenta facilè protrahitur. *Caudex* craſſitie * præcedentis, ligno quoque fragili, & in filamenta ſe findente, cortice cinereo-fuſco. *Folia* è caudice egrediuntur, ut in præcedente, pinnata, coſtâ mediâ longitudine pari, viridi-diluta, & nonnihil ſcabra ſeu punctulis aſperâ, rotundiolâ ac in unâ parte, quæ cum interiori petalorum convenit angulo acuto eminente, nullis extuberante nodulis, ut in prima ſpecie. Pinnæ ſeu foliola bina & bina adverſa, multo majora ſunt quàm in prima ſpecie, ſpithamam & ampliùs longa, formâ oblonga, laterum difformium, quorum quod caulium faſtigium reſpicit, duplo fermè amplius eſt & rotundioris oræ reliquo, ac ex inferiore parte petioli egrediens, odoris maleolentis, texturæ craſſioris, ſuperne viridi-fuſca, ſubtus clara. *Flores* præcedentis ſimiles, in quinque lacinias ſeu folia inciſi, petala quàm illius multò craſſiora, magis fungoſa, ac in oris piloſa, ſeu lanuginoſa ſunt. *Stamina* tantùm quatuor *apicibus* albicantibus. *Calyx* ſpiſſo ac mucoſo acte, quo etiam florum exterior ſuperficies inuncta, intus obductus: ſúntque flores, uti folia, odois male-olentis ſeu fœtidi. *Fructus* plane iidem.

* *Palega Paianelli.*

Vires & Uſus.

Foliis ejus piſtis & tritis, & unà cum Cardiaca, id eſt, Myrobalano citrino maceratis in piru-is utuntur ad tingenda linteamina colore nigro, quæ in ſuis exſequiis gerunt.

Radix trita & decocta in oleo pro capitis dolore & gravedine ſervit facta perunctione: Cortex adicis in decocto datus tumoribus reſolvendis commodus eſt. Decoctum ex cortice & foliis ſimul itis in unctione corporis pro puſtulis ac ulceribus ſervit.

Quamvis arbor hæc non ſit folio decompoſito ſeu ramoſo, quia tamen ſiliquâ omnino cum præce-ente convenit, & eodem nomine ab Indis inſigniatur unà tradendam duximus.

Fructum huic valde ſimilem, exceptâ ſuperficie ſcabrâ, vidi in Muſeo ditiſſimo excellentiſſimi iri *D. Guilielmi Courtine* Medii Templi.

SECTIO TERTIA.

De Arboribus & Fruticibus ſiliquoſis flore pentapetalo.

CAP. I.

De Sena Alexandrina & affinibus.

QUamvis Sena revera herba ſit, non Arbor aut frutex, quia tamen à Botanicis fruticibus annumerari ſolet, & à nobis in hiſtoria herbarum per oblivionem omiſſa eſt, hoc in loco ejus hiſtoriam trademus.

Senæ nomen ab Arabibus fluxit, ſiquidem Sena Veteribus Græcis & Latinis incognita & indicta. Senæ notas characteriſticas facit Paulus Hermannus Stamina falcata è flore exſerta & ſemina in ſiliquis bivalvibus unicapſularibus, quaſi per articulos junctis.

1. *Sena Alexandrina ſive foliis acutis.* C. B. *Sena* J. B. Ger. *Sena Alexandrina* Park. *J. B.*

Sena quam ex Oriente inſtitores important primæ eſt notæ: *caulibus* cubitalibus aut paulò altioribus, ligneſcentibus ex quibus alternatim exeunt pediculi tenues, palmo longiores, ad quos ex mediocribus intervallis adnexæ ſunt foliorum quatuor aut ſex conjugationes, nullo impari alam claudente, quod animadverterimus adhuc. Singularia autem *folia* ex viridi in flavum declinant, proximéque coſtæ adhæreſcunt, Glycyrrhizæ foliis ſimilia ſed acutiora, guſtûs nonnihil viſcidi & amari, non ſine nauſea aliqua. *Siliquæ* falcatæ, compreſſæ, nigricant, *ſemen* continentes parvum, gigartis ſimile, ſed compreſſum, album vel nigricans.

Cordus flores luteos & palleſcentes, quinque foliis in cavitatem aliquam reflexis conſtantes Senæ attribuit; Matthiolus pariter *flores* luteos, pentapetalos, Braſſicæ ſimiles.

Sena Græcis & Latinis Antiquis nuſquam deſcripta invenitur: nam & Averrhoes novam herbam eſſe adſtruit, & Priſcis ignotam.

Camerarius Senam Alexandrinam, nè quidem in Italia, ultra annum durare, ideóque pro frutice haberi non poſſe ait. Nec ſcio an in loco natali longioris ævi ſit.

Locus. Amat calidas regiones, frigoris impatientiſſima eſt. In Septentrionalibus provinciis ſata provenit quidem, verum ad frugem non pervenit, imo tantùm abeſt ut nec ſiliquas, nec flores promat. Seri aiunt in Syria, Perſia, Arabia, inde in Ægyptum deportari, ad Alexandriam, unde ad nos defertur.

Vires. Purgat Sena non tantùm bilem utramque, ſed & pituitam: imò in melancholia & atra bile creditur habere Prærogativam quandam. Vim ejus catharticam ad ſtuporem uſque extollunt plerique. Ego verò expertus ſum, & ante me alii, eſſe inſigniter flatuoſum, inquit * C. Hofman. & Lobelius Matthiolum reprehendens, folia ſi per ſe, pulvere, infuſo aut decocto dentur turbarum multum ciere, & inteſtina ſtomachúmque torquere aſſerit, ut vel plebecula conqueritur. Hoc ratio etiam dictat: Viſcoſum enim illud quod in lingua relinquit planè adſtipulatur experientiæ: aſtipulatur etiam viroſus ille odor, Cynogloſſi aut Punicæ ferè ſimilis; quale quid etiam tam in infuſo quàm in decocto ſentitur. *C. Hofman.*

** Medic. Officin.*

Quia calida & ſicca eſt corrigitur flor. Viol. Borag. Prun. & quia flatulenta, quò minùs Ventriculo obeſſe poſſit, Cinnamomo, Galanga, Zingibere.

Quocunque autem modo datur, in decocto quidem minùs flatulenta eſt ſed debilior; in infuſo autem flatulentior ſed fortior. Debet autem decoctio eſſe mediocris, ut Meſue præcipit: nam cùm facultas purgatoria ſit in ſuperficie diutina coctione evaneſcit.

Datur in ſubſtant. ab ʒß. ad ʒjß. in infuſ. à ʒij. ad ʒv. vel ad ℥j.

Exhiberi poteſt (inquit Schroderus) omni ætati & vel ipſis prægnantibus; debito modo correcta.

Inſignes ei vires adſcribunt medici tum veteres, tum recentiores. Mirificè prodeſt capitis dolori, delirio, amentiæ, Epilepſiæ, reſolutioni nervorum, ſciſſuris totius corporis, Phthiriaſi, ſcabiei, puſtulis, pruritui, &c. cor exhilarat, viſum acuit, & auditum firmat quoquo modo ſumpta, viſcerum obſtructiones aperit, auget juventutem, ſeniúmque retardat. Folia in capitis perfuſionibus utiliter decoquuntur, præſertim addita Anthemide.

Folia exhibentur à ſtipitibus ſeu pediculis avulſa, rejectis ſtipitibus.

Ad Senæ præparationem purgantem ſine igne. ℞ Folior. Sen. mund. q. ſ. Ponatur in lagena vitrea ſatis capaci affundendo aquam vitæ, tinctura Cinnamom. imprægnat. ità ut quatuor vel quinque digitis excedat, dein vaſe bene clauſo ſinatur per biduum, & poſtea utere. Doſis coch. ij. cum juſculo. D. *Hulſe* è Cheſneau.

2. *Sena Italica* Park. *Italica foliis obtuſis* C. B. *Florentina* J. B. *Cæſ.*

Caule conſtat cubitali; *foliis* ſimiliter diſpoſitis ac in Sena Orientali, ſed multò majoribus, nervoſioribus, non acuminatis, ſed per extremum latis ac pæne cordatis, guſtu glutinoſo. *Flores* fe luteos, *ſiliquas* compreſſas & falcatas, anguſtiores Orientali, lineâ utrinque per medium inæqualit extuberante, *ſeminibus* nigris compreſſis, figurâ cordis. Utuntu

Utuntur hac Medici loco Senæ Orientalis ad purgandos acres humores, ſed longè inefficacior eſt ad eum uſum.

3. ***Sena Orientalis hexaphylla, Tala Zeylonenſibus*** Hermanni. Hort. Lugd. Bat.

Herman.

Radicem fert albam, tenuem, fibroſam, annuam: ***cauliculos*** dodrantales, herbaceos, primùm erectos, poſtmodum reclinatos: ***Folia*** in qualibet coſta ſex, bina ſibi oppoſita, ſubrotunda, unguem lata, pinguia, ſaporis ſubacris, ingrati, cocta verò Oleracei haud ingrati. ***Flores*** congeneribus ſimiles, aſt minores, pentapetalos, ſtaminibus in medio concoloribus, & ſtylo falcato, longiori: ***Siliquas*** compreſſas, anguſtas, recurvas, unicapſulares, bivalves, quaſi articulatas ſeu iſthmis interceptas; in quibus ***ſemina*** oblonga, teretia, lucida, fuſca.

Sennæ ſpeciebus tum ob ſtamina falcata quæ ex flore exſeruntur, tum etiam ob ſemina in ſiliquis bivalvibus, unicapſularibus, quaſi per articulos junctis, annumerat D. *Hermannus*.

1. Paiomiriobæ primam ſpeciem *Piſonis*; quam vocat ***Sennam Occidentalem,*** *odore Opii viroſo,* ***Orobi Pannonici foliis mucronatis, glabram:*** Cujus deſcriptionem vide in lib. 18. p. 912. Hiſt. noſtræ.

2. Paiomiriobæ ſecundam ſpeciem Piſonis; quam ***Sennam Occidentalem,*** ***odore Opii minùs viroſo, foliis glabris obtuſis*** appellat; cujus deſcriptio Hiſt. noſtræ loco citato habetur.

3. Loto affinem Ægyptiam *C. B.* quam Sennam Orientalem tetraphyllum ***Abſus*** dictam nuncupat. Deſcribitur Hiſt. noſt. lib. 18. p. 922.

4. Galegæ affinem Sopheram dictam *C. B.* quam ***Sennam Orientalem fruticoſam Sophera dictam*** inſcribit; & Ponnam Tagera *Hort. Mal.* Tom. 2. p. 101. facit Deſcriptionem vide Hiſt. noſt. lib. 18. pag. 911.

5. Chamæcriſtam Pavonis Americanam ſiliqua multiplici ***Breyn.*** cui ***Sennæ Occidentalis ſiliqua multiplici foliis Herbæ mimoſæ*** titulum facit.

6. Chamæcriſtam Pavonis Braſilianam ſiliqua ſingulari ***Breyn.*** Cent. 1. p. 64. quarum duarum deſcriptiones habentur Hiſt. noſtræ p. 982, 983.

CAP. II.

Tagera. H. M. *P.* 2. *F.* 52. *P.* 103. ***Sena ſpuria Malabarica.***

H. M.

PLantula eſt altitudine trium quatuórve pedum, naſcens in arenoſis. ***Radix*** fibroſa, nigricans ac lignoſa. ***Caules*** teretes, lignoſi, virides. ***Folia*** in caulibus, qui ad exortum nonnihil extuberant, & interiùs ſtriata ſunt, brevibus pedunculis in duabus ſeriebus bina & bina proveni- nt, oblongo-rotunda & lata, anteriùs rotundâ orâ, ad petiolum ſtriata, textura craſſiola, ſuperficie lana, ad tactum lenia, viroris ſurdi. E coſta media quæ in ſupina etiam parte nonnihil eminet, ervi fermè paralleli, qui ſolùm in prona eminent, annulari ductu exeunt.

Flores formâ & colore * præcedentis ſimiles ſed minores. ***Calyx*** viridis quinque oblongo-rotun- otum & viridium foliorum. ***Siliquæ*** floribus ſuccedentes, rectæ quoque & oblongæ, ſed plani- res & anguſtiores quàm illius, ſeptem pollicum. ***Fabæ*** quæ in iis continentur, rotundiolæ ſunt, um ſua longitudine jacentes in longitudine ſiliquarum; ſaporis ſubacris, primùm virides, deinde nereæ & nitentes.

** Ponnam Tagera hoc eſt Sopheræ.*

Vires. Folia trita ſerviunt pro ictu apum in inunctione partis affectæ. Semina trita ac cum croco uſur- ata conducunt pro puſtulis & ulceribus, & cum ſucco plantæ ***Vetla-Caitu*** ſervit pro malo nato unguibus iis appoſitæ.

CAP. III.

1. ***Arbor exotica ſpinoſa foliis Lentiſci*** C. B. *ſpinoſa* ***Indica muricatis ſiliquis*** Park. ***Lobus ἐχινώδης cum Piſo duro cinerei coloris*** J. B. ***Lobus echinatus*** Ger. emac. ***Bonduch Indorum*** Ponæ Ital. ***Caretti*** * H. M. ***Lobum echinodem Cluſii producens ſpina, Inimboy Braſil.*** Marcgr.

** P. 2. F. 22. p. 33.*

H. M.

AD humanam altitudinem aſſurgit, inferiori parte caulium repens ſuper terram. ***Radix*** ei fibroſa, nigricante & tenui cortice, ligno intus albo, odoris nullius. ***Stipites*** virides, denſis aculeatis ſpinis in totum muniti, intus corculo fungoſo albo. ***Folia*** pinnata, bina in ramulis ex adverſo ſita, è pluribus pinnarum conjugationibus, breviſſimis petiolis hærentium mpoſita, duabus ad exortum ſpinis rubeſcentibus & deorſum inflexis. Sunt autem pinnæ ſeu fo- a parva, oblongo-rotunda, utraque extremitate ex rotundo cuſpidata, versùs interiora nonnihil uſa ſeu criſpa, texturâ ſolidâ, craſſitie mediocri, ſuperficie plana, glabra, ſupernè ſaturatiùs vi- a, ſubtus lucidiora, ſapore amaro & ſubacri, odore nullo, ſubtiliſſimis nervis & venulis intertexta. *es* ſpicatim proveniunt in ſurculis propriis è foliorum ſinubus ſolitariis, binis, vel ternis ſimul untibus, duas fermè ſpithamas longis, incurvis, aculeatis, inferiùs raris pilis obſitis, ſtriatis, vi- dilutis, in vertice ſpicarum numeroſis foliis anguſtis ac cuſpidatis veſtitis. Sunt autem *flores* fla- quinque petalis anguſtis, oblongo-rotundis & à ſe mutuò nonnihil diſtantibus, quæ venulis ob- è anteriora versùs in longum ſtriata ſunt compoſita, unum quod minuſculum & latiuſculum ac interiora versùs nonnihil inflexum ſeu concavum lineis rubris tranſverſis variegatum eſt. Stamina decem ſurrecta, albicantia, dilutè viridia, piloſa, apices obſcurè flavos geſtantia.

Calyx quinque foliis oblongo-rotundis & denticulis nonnihil inciſis, verſùs inferiora nonnihil reflexis conſtat. Poſt flores *fructus* è calyce erumpunt echinati, oblongo-rotundi, valdè plani, exteriùs in utroque latere numeroſis ſpinis longis, acuminatis, rigidis ac ſurrectis obſiti, primùm virides, poſtea ex cinereo nigricantes, duri, interiùs ad corticem carne craſſiola viridi, quæ plurimis guttulis hinc indè circundantibus eſt irrigata obducti, ac lata in medio cavitate.

Fabæ intus duæ, tres, quatuórve ac etiam ſolitariæ, umbilicis, tenuibus, albicantibus, echini dorſo annexæ, oblongo-rotundæ primùm virides, maximè verſùs umbilicum, cùm maturæ ac ſiccæ ſunt cortice duro, albo cinereo, venulíſque nigris undulantibus ſtriato, intus albiſſimæ ſunt.

Putamen adeo ſolidum & durum eſt, ut fructus ſaxei videantur, & cum difficultate confringi poſſint. Hinc ex America miſſum accepimus titulo fructûs lapidei, ſúntque qui nucem Bezoardicam appellent. Nucleus guſtu eſt impensè amaro inſtar Lupini. Hic fructus J. Bauhino *Hiſt. lib.* 3. deſcribitur ſub titulo Fructûs peregrini tanquam torno elaborati argentei: eſtque fructus 1. cap. 30. lib. 2. *Exot. Cluſ.*

Multis in locis tam in America, quàm in India Orientali naſcitur.

Fructus è ſiliquæ exemptus, & à D. *Georgio Wilmer* Stratfordiæ propè Londinum ſatus, eâdem æſtate non germinavit tantùm, ſed ad bicubitalem ferè altitudinem excrevit, quaquaverſum ramos ſpargens; parvis, acutis, aduncis ſpinis tam per caulem, quàm per ramos obſitus, foliis alatis ſeu pinnatis, *Locus* Virginiani æmulis veſtitus. Sequens hyems plantam corrupit. *Park.*

Hujus etiam generis eſſe puto fruticem quem depingit & deſcribit J. Bauhinus lib. 3. cap. 47. ſub titulo, Fructus omnino rotundus luteus non ſplendens cum ſuo frutice.

Radix & *Cortex*, contriti, necnon folia trita ſeu in decocto epota, ſeu externè impoſita; item Fabæ ſeu cum lacte *Coqui Indici* tritæ & impoſitæ, ſeu in pulverem redactæ & cum vino epotæ hernioſis tumoribus conducunt, ac inſuper flatus diſſipant, dolorem colicum ſedant, ſtomachum debilem confortant, menſes movent, &c. in calculo etiam prodeſſe dicuntur.

Johnſonus apud Gerardum ſibi à nonnullis relatum ſcribit hos fructus venenatos eſſe; ab aliis, vomitum validè ciere.

Hanc plantam Marcgravius ſic deſcribit:

In Cynosbati magnitudinem excreſcit. *Caudex* & ramuli pleni ſpinulis hepatici coloris, lignum autem intus medulloſum inſtar Sambuci. Habet in quolibet ramo multos ramulos ſibi invicem oppoſitos; in ramulis porro *folia* itidem oppoſita, à quatuordecim ad viginti in uno ramulo, qui inter quodlibet par foliorum duobus munitur aculeis. Sunt autem *folia* lætè viridia, ſplendentia, ferè cylindracea, & unum circiter digitum longa. *Flores* fert in ſpicam congeſtos, luteolos. Hos ſequuntur lobi, ſpinoſi, hirſuti, coloris cùm maturuerunt hepatici, in quibus ſingulis continentur duo globuli duriſſimi, cinerei coloris, glabri & ſplendentes, qui quaſſato lobo ſtrepitum edunt: nucleus interior ex albo flavus, amari ſaporis, inſtar Lupinorum. Lobus autem per maturitatem diſſilit & effundit globulos.

J. Bauhinus duas alias hujus fructûs varietates deſcribit lib. 3. c. 48. alterum titulo Fructûs peregrini tanquam torno elaborati flavi: alterum tit. fructus Indici tanquam torno elaborati viridis.

2. *Arbor ſpinoſa Indica ſiliquis villoſis monoſpermis, Ban karetti dicta.* H. M. *P.* 6. *T.* 20. *p.* 35. *H. M.*

A præcedente differt, quòd hæc flores proferat ſimplices, juxta ſurculorum exortus poſitos, decaphyllos è viridi luteos, ſtilum rubrum emittentes. *Siliquæ Kakamulla* effigiem habent, cortice ſunt denſo, ſubfuſco duro, intus helvolo, foràs villoſæ, non autem echinatæ, unicam duntaxat fabam continentes, quæ perplana piloſáque eſt, ſed prædura & apud medicos in uſu.

Locus.

Naſcitur propè montes denſiſſimis in ſylvis, in Provinciis *Candanata*, *Cottate*, ut & aliis locis. In hac alii matureſcunt fructus, alii turgeſcunt, alii florent.

Fructus hujus arboris extat in Muſeo refertiſſimo Clariſſimi viri *D. Gulielmi Courtine* Medii Templi.

3. *Lobus echinatus Molucenſis* Ponæ. *Lobus orbicularis fuſcus, ſpinoſis tuberculis obſitus binos phaſeolos nigros continens* C. B. *Fructus* 4. *l.* 2. *c.* 15. Exot. Cluſ. *qui Indis Samparantam. Cluſ.*

Orbicularis erat hic fructus ſive lobus, uncialis magnitudinis, infima parte in mucronem deſinente, ſpinoſis ſubrubentibúſque tuberculis undequaque obſitus, cultelli dorſo non craſſior, pediculum ad orbis latus habens, & totius lobi color fuſcus. Omnes autem hujus generis quos conſpicieba Cluſius in medio pertuſi erant, ut funiculo trajecti ad commodiùs & faciliùs (ut arbitrabatur) re ſiccandum ſuſpenderentur. Singuli verò lobi ſive fructus binos phaſeolos continebant, ſeminu Anagyridis formam & magnitudine, prorſus nigros, ut conjecturam faceret eos lobos antequa pertunderentur, non adeò planos fuiſſe, ſed aliquatenus tumentes. Indi *Samparantan* appell bant: Quandoquidem autem filo trajecti adſervabantur, apud illos aliquo in uſu fuiſſe neceſſe eſ ſed quali intelligere nequivit Cluſius.

C a p. IV.

Moringa Lentiſci folio, fructu magno anguloſo, in quo ſemina Ervi J. B. *Arbor exotica Lentiſci folio* C. B. *Moringa* Ferrar. Flor. Park. Acoſt. *Mouringou* H.M.

H. M.

QUinos homines longa eſt, unius complexum craſſa, cortice obducta nigricante, intus albido, odore & ſapore Naſturtio aut Rhaphano ruſtico ſimillimo. *Rami* ſunt ligno albicante, libro viridi. *Radix* veſtitur cortice ex albo flaveſcente, trunci ſaporem referente. *Folia* bina ſibi invicem oppoſita, communibus petiolis ſpithamam fere longis, cubitalibus ſurculis ad verticem uſque adnaſcuntur, diminutis ſenſim petiolis: ſúntque è longo obtuſa, tenuia, mollia tactu & lenia, media coſta prominente, nervis aliquot in latera excurrentibus donata, ſupernè è praſino fuſca, infernè ex viridi lætiora: odor Fabis ſylveſtribus proximus. *Flores* candidi, decapetali, petiolis incurvatis è ramorum cacumine dependent; quina externa foliola oblonga, extrorſum ſtellæ in modum expanſa reflectuntur; quorum bina poſteriora majori, trina anteriora minori diſtant intervallo. Intimorum latiorum quatuor inferiora obtegunt, quinto ex inferiorum medio prodeunte, è regione arrecto. Hæc inter, elevatum foliolum proximè, medianus ſe erigit colus in decem ſtaminula è viridi albula extrorſum inflexa diviſus, quorum paria uno grandiuſculo, flaveſcente obteguntur apice. Foliola denſa, maximè interna rigida ſunt. Calicis latioris, ac è viridi fuſci umbilico inſidet globulus, fructûs germen, oblongus, quadantenus piloſus, filamentum prodens albugineum. Odor iis gratiſſimus & melleus. Deciduis ſuccedentes floribus *fructus* ſunt, porcis altioribus ſtriati, ſeſquicubitales, cortice coloris herbacei, intus carne exalbida, *ſeminibus* repleti candidis: in deliciis ob gratum ſaporem habiti, graciles; quippe vetuſtiores, eminentibus ſingulis in lateribus coſtulis ligneis, craſſeſcunt, ſiccíque rubent. Tribus fructûs lateribus trigona incluſa ſunt ſemina, cartilagineâ pelliculâ, nucleo intus albente, membranis alatâ tenuibus, ſecundum ſiliquarum longitudinem diſpoſitis.

Acoſta tum ipſum fruticem, tum ejus ramos valdè fragiles eſſe annotat, fructum pedalem, Rhaphani craſſitie, octo angulis inſignitum.

Locus. Arenarum amans non modò in Malabariæ, verùm & in Zeyloniæ, aliorúmque Indiæ locorum hortis ac villis ob fructus ſolummodo colitur, qui Fabarum more venales quovis mittuntur. Floret menſibus æſtivis. Fructus nunc in anni exodio, nunc exordio, aliquando in utroque leguntur. Septuagenaria vel octuagenaria extinguitur. *Folia* ſuccreſcentibus novis ei decidunt.

Vires & Uſus. Ex foliis, radicibus, cortice & fructu parantur pilulæ antiſpaſmodicæ. Hujus arboris radix (teſte Acoſta) Unicornu & Lapidis Bezaar vices ſupplet, veráque theriaca eſt, quâ vulgo Malabarenſes utuntur cùm adversùs omnis generis venenum, tum ad morſus Serpentium maximè noxiorum vulgò *Cobras de Capellas* dictorum, aliorumque inſectorum & virulentorum animantium, tum intro ſumpta, tum foris applicata. [*H. M.* corticis ſuccum merum cum aqua & Allio commixtum hos ſerpentes ex ædibus expellere tradit.] In cholerica quam vocant paſſione ſingularis efficaciæ eſſe deprehendit Acoſta. Foliorum ſuccus unà cum Pipere oculis immittitur contra vertiginem; qui Zinziberi ſi addatur fugat febres. Radix probè nota eſt elephantiaſi laborantibus, quorum plurimos continuo ejus uſu ſanari perhibent: *Acoſt.* ſuppoſita abortum cauſat *H. M.*

Alios uſus corticis triti ex aqua Oryzæ ad œdemata, & adjecto Cumino ad odontalgiam, ad venenatum glirium morſum, ſucci ejus naribus hauſti ad maniam; epoti ad lancinationes artuum ex frigore; Foliorum ad tumores Venereos diſcutiendos, ad pedum lumbricos; Succi arboris ad dolores Venereos, foliorum ad vermes in ulceribus enatos,&c. vide in *H. M.*

C a p. V.

Siliquoſa Indica flore Papilionaceo decapetalo ſiliquis latis monoſpermis. Kaha Mullu vel Kaka Moullou H. M. *P.* 6. *T.* 19. *p.* 33.

H. M.

BRachium craſſa eſt, ligno candido, cortice leucophæo & ſcabioſo. *Rami* ejus ſpinoſi, medullâ perfoſſi, aliquantulum contorquentur. Radix odoratius vibrat, ſubſalſa. *Folia* ſpiſſa, ſolida, glabra, ſummè viridia, è longo aculeata, ex adverſo gemina, ſurculis, qui duobus ſpinis gaudent affiguntur, primùm leniter conſtrictiva, ubi manduntur ſubacria, inodora. E gemmis ulvis *flores* papilionacei, lutei, ſurculis pollicaris longitudinis juxta florem inflexis è pedunculis adhæ- eſcunt polyphylli: Decem namque *Mouringo* haud abſimiles conſtant foliolis, quorum ex inferiori- us unum inflectitur, cæteris cochleari ſimilibus, quatuor interiora è longo latiora ſunt. *Stylus* hir- itus ut *Mouringo*, niſi quòd in novem findatur *ſtamina*; odoris, licet languidioris, gratiſſimi. *Sili- uæ* latiores, duro cortice, intus exalbido, ſingulæ unam ſolummodo grandiorem involvunt *fabam*, x albo nitentem, quæ ſaporis ſubacris aromaticíque eſt.

Locus & Tempus. Arbor paluſtrium cupida in Mali excreſcit altitudinem; vivit prope *Chenotti*, *Parou*, *Warapoli*, ali- que in locis ad fluminum ripas. Effloret Junio Julióque. Fructus edit ſub anni initium maturos. ondibus nunquam nudatur.

Vires. Medicus ejus uſus planè incognitus, niſi quòd cortex ex lacte contritus vaccino diabetem gonor- œámque perſanet.

Hujus ut & præcedentis arboris flores decapetali eſſe dicuntur. Verùm forte quinque exteriora pe- a dicta ſunt potius calycis quàm floris.

Lobum huic valde ſimilem vidi in Muſeo inſtructiſſimo eruditiſſimi & ornatiſſimi Viri *D. Gulielmi Courtine* ſub nomine *Bonduch* lævis.

CAP. VI.

Arbor Indica ſiliquoſa flore pentapetalo, ſiliquis in ſpiram contortis lanuginoſis. Katou-Conna H.M. *H.M.*

ARbor eſt præcelſa, craſſiórque quàm ut duo homines complecti poſſint; ramis patulis umbroſíſque, cortice & ligno ſpadiceo, rubrâ medullâ donato: *radice* longè aberrante, cortice ac ligno rubro, ſapore inſipido, odore gravi atque ingrato. *Folia* oblonga, cuſpidata, tenuia, rigida, ſupernè è fuſco nitentia, infernè dilutiora, venoſáque, gemina utplurimum, parvis incurvatíſque petiolis, ſurculis adhærent. *Flores* candidi, odoríſque expertes, è ſurculis ramoſis, quinque oblongis conſtantes foliolis, cuſpidem deorſum demittentibus, conjunctim enaſcuntur. Horum è medio, ſtaminum vice, faſciculus filamentorum tenuiſſimorum eminet. Calix autem parvus, quinque habens cuſpides, florem arctè involvit. *Siliquæ* figurâ ſpirales, contortæ, craſſioribus nervis extuberantibus ſimul & lanugine obſitæ, apertis oris criſpatæ, internum è croceo rubeſcentem oſtendunt corticem. *Fabæ* in ſiliquis protuberantes, latioribus intervallis à ſe invicem disjunctim gemmularum more dependent, glabro atróque cortice nitentes; pulpam habentes praſinam, duabus viſibilibus pelliculis diſtinctam. Odor iis gravis, ſapor planè ſylveſtris.

Locus. In quovis proveniunt ſolo, præcipuè circa *Parou* & *Repolin.* Fructibus aut floribus ſemper virens jugiter veſtitur.

Vires. Foliorum decoctum canitiem avertit, lepram ſanat, quod præſtat & cortex cum Saccharo in paſtam redactus.

CAP. VII.

Wellia Tagera H. M. P. 6. T. 9, 10. p. 17. Siliquoſa Malabarica flore pentapetalo, ſiliquis longis, planis, diaphragmatis ſemina ſecludentibus interceptis.
H. M.

IN craſſitudinem brachii, altitudinem hominis adoleſcit, viridi involuta cortice, ligno admodum pauco, ramis rotundis atque viridibus. *Folia* è longo rotunda, permollia ac glabra, pluribus venis, media è coſta exortis ſtriata, glauca, foliis *Tageræ* proxima, communibus petiolis praſinis, ſulcatis, contrariis, inter ſe pediculis adhærent. *Floribus*, qui minores, foliola quæ arboris poterant videri, quina ſunt, lutea, ſingula tribus nervulis parumper eminentibus intertexta, & calyce pentaphyllo obſepiuntur. Horum in medio decem ex albo viridantia, oblongis majoribus, flavis, poſtmodum obfuſcantibus donata *apicibus*, conſpiciuntur *ſtamina*, eminente uno viridicato, oblongiore atque incurvo fabagineo germine. Succedentes floribus *ſiliquæ*, duas palmas propemodum longæ, perplanæ, digitum tranſverſum latæ, læves, in tranſverſum poſita includunt *ſemina* elonga, tranſverſis quoque interſepimentis à ſe invicem ſecluſa, aliquantulum ſub cortice extuberantia.

Locus & Tempus. Colitur ob ſolam elegantiam in hortis, in quos è ſylvis circa *Panam* ac *Pettette* traducitur. Præcipiti flores exhibet æſtate, ſeu menſe Sextili: Semen maturum Novembri & Decembri menſibus, arenoſos amantes locos, ſempiternâ virent comâ.

Vires. Si radicem excipias, quicquid ex arbore exhibeas, addito Cumino, Saccharo candido & lacte finit gonorrhœam virulentam. Folia lacti incocta vaccino vel in balneum parata articularem expellunt morbum. Cortex cum Saccharo & aqua lævigatus Diabete commodus eſt. Radicis cortex cum Croco virente lacte exceptus Podagræ nodoſæ *Sonida badda* Malabarenſibus dictæ ſuccurrit.

CAP. VIII.

* *P. 1. F. 22. p. 37.*

Caſſia fiſtula Alexandrina C. B. *fiſtula* Ger. *purgatrix* J. B. *ſolutiva vulgaris* Park. *Conna* * H. M.
The ordinary purging Caſſia or pudding-pipe-tree.
H. M.

ARbor eſt procera, [Juglandi trunco, ramis, foliíſque proxima *Alpin.*] *Radix* cortice eſt fuſco, ramos tranſverſos ſpargens. *Caudex* ambitu unius hominis amplexum excedit, cortice cinereo, ut & rami majores, obductus, ſurculi novelli virides ſunt. Cortex adſtringit & ſubamarus eſt. *Folia* è quinque pinnarum paribus impari coſtam finiente compoſita, pinnis ſeu foliis partialibus ad baſin latis, ad cuſpides ſtrictioribus & acutis, ſecus quàm in Caroba, mollibus, denſis, mediocriter craſſis, glabris; ſupernè ſaturatiore virore nitentia, ſubtus pallidiora, ſapore ſubdulci & ſubamaro. *Flores* * longis tenuibus, viridibus ſurculis ſeu pediculis hærent è foliorum alis exeuntibus, plures juncti velut racematim, eo modo quo flores Laburni, ſinguli petiolis triuncialibus hinc inde appenſi, flavi, quinque petalis oblongo-rotundis & nonnihil criſpatis, anguſtis inferiùs unguibus, ex vena media latiore venis obliquis ſtriatis, compoſiti. Medium florem *ſtamina* occupant decem, tria majora flava cum grandibus apicibus flavo-fuſcis, &c. ſeptem minora flava cum grandibus pariter apicibus, ſeu ſemibifidis flavo-fuſcis linguis. Ex medio longum ſiliquarum viride germen prodit, verùm non ex omnibus floribus. *Calyx* quinque cuſpidatis foliis conſtat. Siliquæ floribus ſuccedentes ad duûm cubitorum paulatim longitudinem excreſcunt, formâ cylindraceâ, diametro unciali, colore per maturitatem nigricante, cortice lignoſo, ſeu potiùs cartilagineo duro conſtantes, interiùs diſtin-

* *Duas ſpithamas longis.*

ctæ in loculamenta per diaphragmata ſeu orbiculos cartilaginoſos, tranſverſos ac parallelos, qui cortici interiori affixi, & in medio rectâ fiſſurâ, ad eandem cortis partem ſtriati. Orbiculi hi pulpa ſubdulci, quæ primùm albicat, dein flaveſcit, poſt ex rubro nigricat obducti ſunt. In pulpa fabæ involutæ ſunt, oblongo-rotundæ, orbiculis adjacentes inferiore parte, & cum ſua longitudine reſpondentes longitudini fiſſuræ; teneræ cortice albicante ſunt, pulpa intus viridi ſubacida, quæ carne pellucida & nervoſa circundata eſt, ſapore nullo; cùm maturæ & ſiccæ ſunt cortice duro, rubro-fuſco obducuntur.

Locus. In regionibus calidis, ut Ægypto, & omnibus ferè Indiæ Orientalis provinciis, oritur.

Vires & Uſus. Ægyptii diluculo per Caſſiarum loca deambulare ſæpius odoris causâ conſueverunt: quippe aurâ à Caſſiis, eximium ac graviſſimum, Oriente præſertim ſole, odorem ſpirantibus, ad ipſos delatâ oblectantur.

Quod ad electionem attinet, ea eſt vel Fiſtulæ, vel ſucci nigri & dulcis.

Fiſtulæ bonitatis notæ ſunt, 1. Ut ſit recens, h. e. ut non diu repoſita fuerit. Ægyptii autem non utuntur recentiſſimis, ſed ſaltem poſt quartum menſem, quandoque juniores recentioréſque inutiles neque à noxa immunes obſervantur.

2. Qui fiſtulam quò majorem eò meliorem pronunciant falluntur & fallunt. *Alp.* Eadem nigredinis ratio eſt. Verus color eſt cum rubedine nigreſcere.

3. Alpinus, Quod aliqui cannas optimas manibus concuſſas ſonum non edere aiunt, falſum pronuntiat. At eruditiſſimus Veſlingius crepitantes à concuſſu fiſtulas optimas eſſe vendaces quoſdam Ægyptios Alpino perſuaſiſſe dicit; cautiores enim mercatores crepitacula illa à ſolidiore fructu ſecernere ſe vidiſſe, & ſiqua fiſtulæ parte ſe diſtinctiùs offerant eatenus obrumpere: Arida enim intra ſeptum ſemina continent, & pulpamento melleo deſtituta, humore tenui quo redundabant diſcuſſo.

Pulpa ipſa tres notas habet, præ nigredine ſplendens & pinguis ſit: dulcis ferè ut Pruna, ſed cum aromatica quadam acredine. Quæ enim vel acerba ob immaturitatem, vel acida ob vetuſtatem in vitio eſt. Summâ, Quæcunque Caſſia cum dulcedine quodam æqualiter afficit fauces, nullo modo mordicans, illa eſt bona, qualiſcunque ſit fiſtula. *C. Hofman.* Et paulò poſt, quamdiu dulcis eſt, tandiu ſecurus eſt ejus uſus.

At Fallopius maturitatem Caſſiæ ex aciditate dijudicandam eſſe ait: ſi enim mordicet valdè fauces, indicare quòd ſit matura. Nos cum C. Hofmanno ſentimus.

Collectas ſiliquas Ægyptii continuò in opportuna loca ſic claudunt, ut nullus aer ingrediatur, cùm ex minimo aeris contactu Caſſiæ corrumpantur. *Alpin.*

Pulpa Caſſiæ purgat bilem & ſeroſos humores, & convenit in ardoribus tum externis, tum internis, ſanguinem contemperans & puriorem reddens. Affectibus pectoris à deſtillatione acutorum humorum concitatis mirè ſubvenit. Pulpâ hâc cum Saccharo cando & liquiritia pro ſecreto uti ſolent Ægyptii ad renum veſicæq; vitia. Proinde ejus frequenti uſu ſe à calculo præſervant. Monardes & cum eo Matthiolus pro infallibili præſervativo habent ʒiij quotidie tribus horis ante prandium.

Tamen monet Fallopius, intutum eſſe uſum ipſius in ardore urinæ, quòd ducat ad locum affectum & morbum augeat. Idem obſervavit Fabric. Hildanus *Epiſt.* 35.

Habet Caſſia hæc duo mala, Humiditate enim ſua diſſolvit tonum ventriculi, & flatus gignit: Unde nec humidis ventriculis, nec hypochondriacis & flatulentis, niſi carminativis & ſtomachicis (v. g. Cinnam. Maſtich. ſem. Aniſi) correcta convenit. *Schrod.* Præſtat tamen (inquit C. Hofmannus) abſtinere ab illa in hypochondriacis ob inteſtinorum debilitatem.

Caſſia etiam utuntur (verba ſunt Alpini) ad tuſſim antiquam, dyſpnœam, aſthma & orthopnœam cum Agarico: pro calidis articulorum doloribus, maximéque in podagra, dolentibus partibus emplaſtri modo ipſam adhibent.

Saxoniam pro lectione dixiſſe meminit C. Hofmannus, Capitis dolores poſt cibum non curari feliciùs quàm Caſſia poſt cibum: quod poſtea invenit apud Helidæum; qui curâſſe ſe ait hoc modo pertinaciſſimam ophthalmiam.

Omnia lenientia & inter ea Caſſia ſumi debere aiunt modico ante cibum tempore, quod alii bihorio, alia unâ horâ, alii ſemihora definiunt. Vid. *C. Hofman.*

Errare eos ſcribit Camerarius, qui exiſtiment ſemina Caſſiæ purgare, cùm potiùs aſtringant: cujus contrarium ſe expertum affirmat Fallopius. Garcias etiam Monardi idem aſſerenti contradicit.

Cortices ſiliquarum movere menſes & pellere ſecundinas quamvis Ambroſius Paræus, Sepulveda & alii affirmant, maxima tamen pars medicorum negat.

Siliquas Caſſiarum, perinde ac Phaſeoli, parvas, virides, in aqua priùs parùm bullitas, & mox in umbra ab humiditate ſiccatas ſaccharo vel melle condiunt, atque ad uſum ſervant puerorum delicatarúmque mulierum. Exhibent verò ad ſummum èas ad ℥iiij, atque ad ℥j pueris, ad ſupradictos affectus.

2. *Caſſia fiſtula Braſiliana* C.B. *ſolutiva Braſiliana* Park. *Caſſia ſiliqua Braſiliana purgatrix compreſſa* Lob. in Pharmac. Rond. *Tapyracoaynana Braſilienſibus* Marcgrav. *&* Piſon. *Caſſia fiſtula Braſiliana flore incarnato* Breyn.

Marcgrav. Piſo.

Arbor eſt alta & magna, atque in plurimos ramos latè expanſa, colore exteriùs ex cinereo albicante, *Folia* fert ordine ſibi oppoſita, paulatímque ſurrectim ſtantia, figuræ cylindraceæ, duos digitos longa, & ⅔ digiti lata, breviſſimo pediculo innitentia inſtar foliorum Senæ, dilutè viridia, ſubtiliter hirſuta, ad tactum mollia, rubeſcente nervo ſecundùm longitudinem, & venulis ſecundùm latitudinem ordine poſitis prædita. *Flores* fert ſpicatim congeſtos ſine ramulis, pentapetalos, cum tribus ſemilunaribus corniculis, quæ cum *ſtaminibus* junctim poſitis ſurrecta ſtant, colore incarnato elegantiſſimo, ob quem à longè conſpiciuntur. Succedunt *ſiliquæ*, immaturæ quidem virides, maturæ nigræ ſeu fuſcæ, deorſum propendentes, duos circiter pedes longæ, quinque digitos craſſæ [in ambitu] paululum incurvæ: in uno latere eminentia duplex eſt ſecundùm longitudinem, in altero ſimplex, quaſi chorda agglutinata eſſet ſub cortice; non exactè teretes ſunt, ſed paulum compreſſæ, nam tranſverſa inciſio ellipſin deſcribit. Cortice ſunt duriſſimo, lignoſo, qui ut frangatur malleo concuti debet. Siliqua porro intus multas habet cellulas, craſſitie pennæ anſerinæ, diaphragmatis diſtinctas, in quarum qualibet nucleus latet Amygdalæ magnitudine & figurâ, coloris ex albo flaveſcentis, ſplendens, lævis, durus, per longitudinem lineâ ſubrufâ in uno latere diviſus, medullâ intus albâ, corneæ ſubſtantiæ, pulpâ immerſus glutinoſa, nigricante, inſtar Caſſiæ ſolutivæ, ſed ingrati & amari ſaporis, *Vires.* quæ ante maturitatem aſtringit, poſt laxat alvum. Summitates foliorum vulneribus & puſtulis medentur.

Foliorum & florum hujus arboris pleniorem deſcriptionem vide apud Breynium Cent. 1. cap. 21.

Hujus pulpæ uncia una, adnotante Lobelio, plus purgat quàm unciæ duæ alterius Caſſiæ, nimirum Ægyptiacæ.

3. *Caſſia Americana fabacea* D. Syen. *in Hort. Malab.*

Siliquarum loco fabas longiuſculas & vulgaribus non diſſimiles profert, quibus continetur pulpa ejuſdem fermè cum vulgari ſaporis & efficaciæ. Ipſa arbor *radice* nititur craſſa, rotunda, quæ in plurima filamenta cortice nigricante obducta deſinit. *Caudex* cinerei eſt coloris, ſcaber, ſubſtantiæq; medulloſæ; quem ramuli inordinatè ambiunt, foliis veſtiti ſubrotundis, ex glauco viridibus, breviſſimiſque pediculis donatis. *Flores* videre non contigit. *Semen*, quod pulpæ involvitur ſubrotundum eſt, compreſſum & nigricans, Piſi minoris magnitudine, ex Americæ inſulis, quas Galli *les Antilles* vocant, allatum.

CAP. IX.

1. *Tamarindus* Ger. Park. J. B. *Siliqua Arabica quæ Tamarindus* C. B. *Balam-pulli, ſeu Maderampulli* H. M. *P.* 1. *F.* 23. *p.* 39. **The Tamarind Tree.**

ARbor eſt grandis, ramis denſis, in latum diffuſis, Alpino Pruni, Garciæ Fraxini, Juglandis, Caſtaneæve magnitudine, Marcgravio Tiliæ maximæ. *Radix* craſſa eſt, brachia latè diffundens, cortice rubeſcente. *Stipes* craſſus, ambitu duorum hominum amplexum æquans, cortice craſſo, cinereo in trunco & ramis vetuſtioribus, in ſurculis minoribus viridi, materie firma non fungoſa. *Folia* pinnata, Filicis fœminæ foliis ſimilia *Acoſtæ*, pediculo communi & coſta cui pinnæ adnectuntur vix ſpithamam longo, in quo ordinatè poſita pinnæ ſeu foliola parva, pollicari fermè longitudine [paulò plus ſemidigitum longa *Marcgr.*] latitudine fermè ſemidigitali, æqualis undique latitudinis, paulò tamen verſus apicem anguſtiora quàm ad pediculum; bina autem exactè ſibi ubique opponuntur, & nullis ferè pediculis innituntur, ac arctè ſe mutuò attingunt, apicibus ſubrotundis. Sunt autem *foliola* tenuia, texturâ ſolida, plana, infernè dilutè viridia, ſupernè ſaturatiùs: ac infernè nervo ſecundum longitudinem eminente, & venulis tranſverſis ſecundùm latitudinem, ſed valdè exilibus prædita, quæ ſupernè vix conſpiciuntur. Egregiam aciditatem ſapore referunt, & ideò in febribus ſitis extinguendæ gratiâ manducantur. *Flores* in ſurculis ſeu pediculis è foliorum ſinubus egreſſis octo aut decem ſimul, Aureæ Mali floribus admodum ſimiles formâ exteriore & odore *Acoſtæ*, octo petalis [H.M. ſeptem] conſtantes, è calyce craſſiolo & rotundo, [odore nullo H. M.] petala quatuor exteriora candida poſtmodum parùm ſubflaveſcunt, oblonga, cuſpidata, tenuia, nullis venis ſtriata, [Acoſtæ quatuor interiora alba ſunt & craſſiora] tria interiora extremo rotundiora, in oris tenuiter criſpata, colore albo venis rubris variegato, duobus tertio longioribus & latioribus tertium autem ſurrectum eſt minuſculum, concavum, cuſpide parvo ac ſufflavo eminens. Acoſtæ bina è petalis exterioribus eleganti nervo radiata ſunt.

E medio flore [Acoſtæ quatuor] tria enaſcuntur *ſtamina* tenuia & incurva & viridia [Acoſtæ candida & corniculorum modo inflexa] primò in unum juncta, poſt versùs folium ſurrectum divaricata, exteriora, *apicibus* primò flavis, poſtea cùm flores ſubflaveſcunt rubro-fuſcis dotata. *Stylus* ſtaminibus craſſior, inter hæc & folium ſurrectum prodit, qui ſiliquoſum germen eſt.

Fructus lignoſis & craſſiuſculis petiolis ramis appenſi ſunt; *ſiliquæ* oblongæ, craſſæ, in glandulas tres quatuórve extuberantes, cortice craſſiolo, exteriùs ruſo, interiùs viridi, fragili, pulpâ per maturitatem molli, & flavo ſeu rubro-fuſcâ, ad corticem ex petiolo lignoſis filamentis ſed raris in longum pertextæ, acidi ſaporis gratiſſimi; ſub carne ſiliquæ in membranacea loculamenta in quibus ſemina, diſtinctæ ſunt.

Semina quadrata ſunt & plana, Lupinorum æmula, dum adhuc immatura ſunt cortice viridi, diluto & nitente, amaro, pulpa intus alba, ſolida & denſa, ſapore adſtringente, maturitatem conſecutæ in oſſeam duritiem cortice rubrofuſco evadunt.

Floret ſemel in anno, menſe Novembri.

Folia Sole occidente ut in Acacia aliíſque ſeſe contrahere ſolent, eóque oriente aperire, ut tradit Alpinus. At verò fructum ſive ſiliquam frigoris vitandi cauſâ foliis ſeſe involvere ut Alpinus & Acoſta ſcribunt & miraculi loco habent, mihi cum *D. Syen* fabulam redolere videtur.

Locus. Creſcit hæc arbor in Arabia felici, inque India Orientali & Occidentali ſive America.

Vires. Tamarindi humorum acrimoniam temperant, bilem purgant, ejúſque & ſanguinis fervorem compeſcunt, febres acutas & icterum ſanant, ſitim ac omnem ventriculi hepatiſque ardorem extinguunt, vomitum ſiſtunt.

Turcæ & Arabes æſtate longinquum iter ſuſcepturi (ait Bellonius) Tamarindos coemunt, magni in Turcia uſûs, non medicinæ, ſed ſitis reſtinguendæ gratiâ.

Utuntur Ægyptii, referente Alpino, foliis Tamarindi in pueris ad vermes necandos, atque ipſorum vel infuſo, vel decocto ad ſolvendum alvum. [Medici Indi (autore Garcia & Acoſta) folia trita partibus corporis Eryſipelate infectis imponunt.]

Arabes condiunt ſiliquas parvas ac virides ſaccharo vel melle *Carob*, tum etiam grandiores factas atque maturas condiunt ipſarum pulpam Sacchàro, quam per itinera, quæ in deſertis Africæ locis conficiunt, ſecum viatores deferunt. Quâ ſæpe calefacti ac ex calore itineréque inflammati valdè ſitientes refrigerantur, atque ſitim reſtinguunt, per alvum plurimum calidorum humorum ſubducentes atque evacuantes.

In febribus verò peſtilentibus, atque omnibus aliis ex putridis exurentibus, aquam in qua multa copia Tamarindorum infuſa fuerit cum Saccharo ebibunt: potus ſiquidem ex calore ſitientibus jucundiſſimus eſt, maximéque refrigerat & ſitim extinguit. Præterea ad gonorrhœam uſum Tamarindorum frequentant. Fallopius etiam in gonorrhœa bilioſa laudat.

In bilis redundantia, ſanguinis fervore & ebullitione, ſiti infeſta, morbis cutaneis & præſertim Ictero ſimplex medicamentum ex Caſſia fiſtula cum Tamarindo, unà cum Saccharo vulgo dicto *Jagra de canna* ab Indis datur, quod leniter alvum ſolvit. *H. M.*

Affertur ad nos Tamarindi fructus, non integer, ſed contuſus, ut benè compactus non admittat aërem externum.

Annos tres ſervantur in vaſe vitreato, ſtricti oris, & bene obſtructo, & in locum purum & perflatilem ſepoſito, niſi externus vel calor vel humor putredinis initium ipſis attulerit.

Nonnulli Tamarindum Arabicam ab Americano diſtinguunt. Nobis una eadémque ſpecie Arbor videntur. Siliqua tamen *Jutay* ſive Tamarindi Braſilianæ *Piſon.* brevior & magis compreſſa eſſe videtur.

2. *Tamarindi facie fructus Indicus* J. B.

J. B.

Tamarindi ſeminis majoris ferè figurâ erat, unciam longus, tertiam unciæ partem latus, compreſſus, fuſcus & paulò minùs quàm niger, ſupernè quà adhæſiſſe videtur leviter umbilicatus, infernè acutus, utrinque linea ovata ad fructus figuram impreſſâ notatus.

Cap. X.

Carandas Garciæ C.B. *Car. Indica Arbuti facie* J. B. *Caranda* Bontii. *An Auzuba* Oviedi?

Garc.

ARbuſcula eſt Arbuti magnitudine, foliis ſimilibus, copioſo flore, odore Periclymeni; fructu exiguis Malis perſimili, nigricante per maturitatem, gratiſſimóque uvarum ſapore, ex quo à nonnullis vinoſus ſuccus exprimitur. Fructus autem virens magnitudine eſt nucis Ponticæ cum ſuo putamine, interdum major, ſuccum nonnunquam exſtillans viſcidum & lacteum. Editur à nonnullis fructus maturus cum Sale. Solet tamen, cùm viridis eſt, muriâ aut aceto condiri, & ita aſſervari ad excitandam elangueſcentem appetentiam.

Naſcitur tum in Continenti, tum in *Balagate.* *Locus.*

Niſi ipſe eandem dixiſſet, aliam arborem exiſtimâſſem quam deſcribit Bontius hoc nomine. *Folia*, inquit, *Caraudie* Malaiis dictæ cum Tamarindi arboris foliis planè conveniunt. *Fructus* maturi nucibus tanquam nuclei incluſi, ſinguli ſingulis, ſecus ac in Tamarindis. Colore hic fructus eſt, aperto nucleo, aureo, quem **Orange** noſtrates vocant, & caro ejus exterior gratiſſimi eſt ſaporis, neque dentes tam acidos reddit quàm Tamarindorum pulpa, ſed de dulci ſapore participat, neq; laxativa facultate prædita eſt ut Tamarindi.

Cluſius Auzubam Oviedi l. 8. c. 12. huic fere ſimilem ait. At illa vaſta eſt arbor pulchráque (cùm hæc pumila ſit) materie firma & utili: fructu longè ſuaviſſimo, ut ſunt pyra Apiana, muſchatellina dicta, ſed qui lacteo ſucco, eóque viſcido & glutinoſo abundet, qualis eſt qui in ficubus immaturis; idcirco moleſtus his qui eo veſcuntur, niſi priùs fructum in aquam injiciunt, & lacteum ſuccum digitis exprimunt, qui in aqua ſidit.

Fructum huic ſimilem obſervavi in Muſeo D. *Gulielmi Courtine* Armigeri ſub nomine Tamarindi American.

Cap. XI.

Pala H. M. *P.* 1. *F.*45. *p.* 81. *Arbor Malabarica pentaphyllos lacteſcens, ſiliquis anguſtis longiſſimis.* D. Syen.

H. M.

EST arbor valdè procera, ramis tranſverſim latè ſparſis, naſcens in arenoſis. *Radix* altè in terram deſcendit, radiculas latè diffundens, cortice ruſo, lactifluo, & valdè amaro. *Caudex* craſſus ad duûm triúmve hominum amplexum cortice, uti & rami, cinericeo ac lacteſcente, ligno levi. Rami veteres è nodis plerunque tres quatuórve ſurculos diffundunt. *Folia* terna, quaterna, quináve ſimul ſummis ſurculis in nodo inſident, tranſverſum in orbem expanſa, oblongorotunda, extremo ſubrotundo aut etiam cuſpidato, ad petiolum anguſta, texturâ ſolidâ, denſâ ac lacte turgentia, ſuperficie plana ac glabra, ſuperne obſcuro virore nitentia, ſubtus dilutiore & albicantia, ſapore amaro. E *coſta* craſſa, viridi-albicante, craſſiuſcula & lata, etiam in ſupina parte nonnihil eminente Venæ ſubtiles numeroſæ tranſverſim recto ac parallelo tractu proximè ad marginem progrediuntur, indéque reflexæ in ſe invicem incurrunt. *Flores* faſciculatim proveniunt in ſurculis nodoſis & viridibus, qui ſupra folia è nodulis ramorum quos complectuntur rectà prorumpunt. Quattuor ſci. vel quinque ramuli floriferi è ſingulis nodulis exeunt, ſinguli quinque vel plures ſimul flores in ſummitate geſtantes è viridi albicantes, quinque petalis rotundiolis, versùs unguiculos anguſtioribus, ad oras criſpis ac rigidè extrorſum inflexis, non ſtriatis compoſitos, pediculo albicanti, infernè & ſupernè craſſiori inſidentes, calyci arcto quadrifolio cinctos, odoris jucundi & fortis, ſed gravis, qui catarrhos & gravedinem excitat, & caput offendit. *Stamina* quinque tenuia, pilis albicantibus obſita, apicibus flavis & liberis donata; intérque ea ſtylus albicans, tenuis & liber, nodulo albo capitatus, è capitulo parvo viridi quod rudimentum fructûs eſt, & in calyce ſitum, ortum ducens. *Fructus*, qui plures ſimul in ſurculis naſcuntur, *Siliquæ* ſunt, cubitum fermè longæ, anguſtæ, compreſſæ virides, lacte turgidæ, in ſe recondentes numeroſa *ſemina*, parva, plana, oblonga, cum ſua longitudine jacentia in longitudine ſiliquarum, ac ex anteriori & poſteriori oculo penicillum argenteorum filamentorum ejiciunt, in unam ſeriem per filamenta implicita, colore viridi-flavo ſeu rufo.

Tempus. Flores fert ſemel in anno, in Januario.

Vires. Cortex tritus & in decocto datus commodus eſt ventri leniendo, ſtamacho roborando, (addito momento ſalis, & piperis) flatibus diſcutiendis, ac ardoribus jecoris reſtinguendis: *idem* tritus & in aqua calida potus lumbricos enecat: cum aqua tritus & impoſitus ulcera purgat & ſanat, & dolorem arthriticum lenit: *idem* cum ſemine *Cudu-Pariti* coctus in oleo auribus inſtillatus ſurditati confert.

CAP. XII.

Perin-courigil H. M. P. 6. T. 24. p. 43. *Siliquoſa Malabarica pentapetala, ſiliquis tomentoſis. H. M.*

ARbor eſt Pruno ſimillima: *Radice* ligni albicantis atque in circulos diſtincti, libro quod ad colorem ſanguineo, cruſtâ obducto atrâ, nullius odoris, ſaporis acris. *Ramis* ligno candido medullato, cortice ſpadiceis. *Folia* longiora, anguſto cuſpide aculeata, ſuperficie glabra, ſpiſſa, rigida, Pyri paulò breviora, numero quina, virore ſupina parte ſaturo, pronâ dilutiora, utrâque nitente ſunt: venulæ utrinque conſpicuæ frequentes per totum oberrant folium, cui ſapor nonnihil pungens, odor lentiſſimus. Exigui perianthio quinquies inciſo ſtelliformes, candidi, pentaphylli flores perfecti, in ſurculorum cacumine ramulis innati, dena nivea flavis decorata capitibus habent *ſtamina*, quorum quina, petalorum ex unguiculis quæ exeunt, paulò planiora ſunt; *Stylum* inſuper albentem, craſſum. *Siliquæ* verò cortice coloris aureoli, interno rigido, cano, externo tomentoſo, nitente, in dorſo, ubi maturuere hiantes, fabaceum includunt *ſemen* è longo rotundum, pelliculâ tenui, nigella, ſplendenti involutum pulpa conſtans, in viridem inclinata, umbilico ſiliquæ in angulo extuberanti, duos in lobos diviſum, adhærens.

Locus & Tempus. Arenoſis *Ange-caimal* vicinis, aliíſque ut in inſula *Zeylon*, *Panitare* & *Alican* pratis abundantiſſimè provenit: florifera Auguſto, Decembri vero, nonnunquam bis in anno maturos fert fructus. Cæterùm è nimio rigentibus frigore membris motum reſtituunt contuſi fructus, quorum è lobis exprimitur oleum aphthis convenientiſſimum. Folia in balnei formam decocta tumores reſolvunt œdematoſos, incantatiſque ſuccurrunt hominibus; quod idem præſtat ex aqua Oryzæ contrita radix, aliàs oleorum inſerviens coctioni.

CAP. XIII.

Padri H. M. P. 6. T. 26. p. 47. *Siliquoſa flore pentapetalo, ſiliquis longis anguſtis, quadratis intortis. H. M.*

HUic arbori decem hominum altitudo eſt, craſſities unius. *Rami* teneriores virides, ligno ſimilíque medulla circa medium flavâ conſtant. *Radix*, cortex, folia, fructus planè inſipida atque inodora. *Folia* è rotunda baſi acuminata, ſpiſſa, mollia, prona parte dilutiora, ſupina fuſca, (ubi venarum porcis medianâ lignoſâ è coſtâ aliquot numero diductis ſtriantur) gemella ubique, pedunculis è ſpadiceo nigris, communibus cubitum propemodum longis, ſpadiceis quoq; geniculatiſque adhærent ſurculis. Aſt propriis ſurculis plures ordine geminato tenuibus petiolis adfiguntur perfecti *flores* lutei, Caryophyllos imitantes, quinque è calyce ſubruffo prodeuntibus foliis, circum oras, ubi pallent, criſpatis, venulas in averſo latere habentibus, lanugine cana ac molli obductis. Quatuor iis tenuia, candida, longioribus croceis inſtrata *apicibus ſtamina* ſunt. *Stylus* paulò eminentior è viridi albens, circa imam craſſior, ſupremam ſtrictior partem. E floribus prognatæ *ſiliquæ* è longo anguſtæ, longitudinis trium ſpithamarum quadratæ ſunt, angulis ipſis acutis eminentibus, contortæ, cortice è fuſco nitente, maculis interſperſo, ſubſtantia duro, filamentis intus pertexto ligneis. *Semina* ipſa oblonga, lignoſaque ſunt, inſipida, odoris exſortia.

Locus & Tempus. Montoſis frequens locis in *Teckencour*, *Calicolang* aliíſque provinciis exſurgit. Floret Januario; fructus leguntur Aprili Maióque. Longæva in præcelſam excreſcit altitudinem.

Vires. Foliorum decoctum viſcerum rigorem intolerabilem expellit. Limonis hujuſque commixti ſucci medentur maniæ. Corticis verò ſuccus cum fructu *peræ* ſubactus immodicum inhibet fluxum menſtruum. Radicis cutis cum calamo aromatico & zinzibere contrita, foliorúmque *Padri* ſucco admixta exhibentur morſis à putrefaciente colubro, Malabarenſibus *Polenga* dicto.

Cap. XIV.

De Mandaru ſeu Arbore ſiliquoſa Malabarica foliis bifidis.

ARbor hæc à Jacobo Zanoni Hiſtor. ſuæ capite 20. depingitur ſub titulo Aſſitræ ſive Arboris S. Thomæ. Eodem arboris S. Thomæ nomine primæ ſpeciei ramulus à D. *Paul. Herman.* ad D. *Arnold. Syen* ex inſula Zeylan tranſmiſſa eſt, addita ratione, quòd in floribus apparerent ſanguineæ ſtriæ, ab effuſo D. Thomæ ſanguine enatæ. Docuiſſe enim creditur D. Thomas in Malabar & Zeylan. Haſce autem arbores eaſdem non eſſe cum Arbore S. Thomæ Acoſtæ ſive Macere Zononius & Syenius cenſent.

1. *Chovanna Mandaru prima* * H. M. *Arbor S. Thomæ* D. Hermans. *Arbor ſiliquoſa Malabarica; foliis bifidis, flore purpuraſcente ſtriato* D. Syen. * P. 1. F. 32. p. 57.

H. M.

Arbor eſt altitudine quatuor hominum, frondibus denſis & opacis, latè ſparſis: *Radice* craſſa, in latum ſua brachia diffundente, cortice ſub exteriore cruſta nigricante-rubro: Caudice unum fermè pedem craſſo. *Folia* petiolis brevibus inſident, extremo bifida, ut caprarum pedes, ob id Luſitanis *Peè de Capra* dicta, interiora versùs nonnihil clauſa, lateribus oblongis ac rotundis, antrorſum leniter contractis, rotundæ ad baſin incurvaturæ, ſupernè plana, colore viridi-ſurdo, ſubtus viridi-ſubcœrulea, ac in margine nervo ſubtili viridi-diluto circundata. E petiolo nervi undecim, nimirum coſta media in fiſſuram terminata, & ad eam hinc inde quinque, flaveſcentes. *Flores* in petiolis longiuſculis ſupra ex origine foliorum proveniunt, odore fragranti ac roſaceo, petalis quinque rotundiolis & parum oblongis, ad unam partem magis ſitis compoſiti, quorum unum quod majus eſt ac latius & rotundius cæteris, ſurrectum, colore intus purpuro-rubro, ad umbilicum floris flavo purpureis maculis hinc indè notato, & venulis purpureo rubris variegato; ad oras purpureo dilutiore tingitur, exteriori ſuperficie magis albicante: cætera quatuor oblongiora, colore intus roſaceo ſaturo, exteriùs diluto; horum duo quæ majori proximè adjacent, interiùs in ima parte ſunt colore albicante, reliqua duo interiùs in totum colore fermè roſaceo: ſúntque venulâ mediâ latiori, ex quâ venulæ obliquæ anteriora versùs excurrunt, ſtriata. *Stamina* in medio quinque vel ſex, *apicibus* ſurrectis ac viridi diluto flaveſcentibus dotata, verſus petalum ſurrectum reflexa, quorum duo vel tria minora ac magis incurvata colore candido, tria reliqua roſaceo, ac cum eis *ſiliquæ* germen in ſuo petiolo ſe prodit. Calyx unifolius ſtriatus à parte petali ſurrecti florem ſuccingens. Poſt flores *ſiliquæ*, valdè compreſſæ, rectæ, glabræ, ſeptem aut octo circiter pollices longæ, prodeunt: *fabas* continentes planas ac oblongo-rotundas, per maturitatem ruffas, ſeu flavo-rubeſcente obſcuro colore ad ſpadiceum vergentes, in propriis loculamentis longitudine ſua ad ſiliquas tranſverſis, corneo ac duro interſepimento à ſe invicem ſejunctas, cum parvo in vertice umbilico ſiliquarum dorſo adhærentes.

Toto anno hæc arbor fert flores, tempore pluvioſo uberiore proventu. In arenoſis & petroſis naſcitur. *Tempus & Locus.*

Flores cum Saccharo decocti proficuè uſurpantur loco ſacchari roſati pro leni purgativo. *Vires.*

2. *Chovanna Mandaru ſecunda* * H. M. *Arbor ſiliquoſa Malab. foliis bifidis majoribus, flore intenſiùs purpuraſcente.* * P. 1. F. 33. p. 59.

Hæc quoque procera eſt arbor, denſis frondibus, late ſparſis, naſcénſque in arenoſis. A præcedente differt *Foliis* majoribus, profundiore fiſſura inciſis, lateribus antrorſum paulo contractioribus, tactu lenibus, in averſa parte, ubi venulæ inter coſtas mediæ minùs extant, colore magis hyalo, at in ſupina parte ſaturatiùs viridi. 2. *Floribus*, qui unifolio, viridi-flaveſcente & rubeſcente calyce, craſſiolo, plicato, & ſegmentis in inferiori parte feneſtrato ſuccinguntur; petalis oblongo-anguſtioribus, unguibus longiuſculis & anguſtis conſtant, colore purpureo valdè rubicundo, quo eorum quatuor tota ſuperficie tam exteriori quàm interiori imbuuntur, unum ad unguem intus & extra ſtriis albis venulas inter purpureas depictum ac variegatum eſt. *Staminibus* craſſioribus, & ad exortum ſex, ſeptemve parvis filamentis comitatis, colore purpureo valdè diluto ſeu albicante. *Gemmis* florum quinquangularibus. *Siliquis* omnium longè maximis, 1½ aut etiam 2 ſpithamas, æquantibus, latitudine pollicari.

In reliquis conveniunt.

Radix maſticata confert in dentium & capitis doloribus; trita & impoſita, in dolore podagrico cum gingibere ſicco trita & in unctione adhibita. Foliorum decoctorum vapor dolores corporis ſedat in parte affecta exceptus. *Flores* ſimpliciter comeſti purgativi ſunt. Cortex flores & fructus ſimul triti & mixti cum aqua in qua macerata fuit Oryza ſerviunt apoſtematis aperiendis & maturandis. *Vires.*

3. *Velutta Mandaru* * H. M. *Arbor ſiliquoſa Malab. foliis bifidis minor, flore candido, ſtriato.* D. Syen. * P. 1. F. 34. p. 61.

Præcedentibus humilior eſt & minor, altitudine unius hominis, *Radice* minùs craſſa, nec profundè terram deſcendente, *Caudice* unum circiter brachium craſſo, *Foliis* profundiùs inciſis, longiorius & versùs ſummitatem in cuſpidem contractis, ſupernè ad ſtrias coſtularum nitentibus, ſubtus ex ridi flaveſcentibus, nerviſque craſſioribus extantibus inter coſtas ſtriatis. *Floribus*, qui calyce feſtrato viridi & tenui ſuccinguntur, albiſſimis, nullis maculis tinctis, inodoris, petalis quinque rotundiolis, parùm oblongis, venulis ſubtilioribus ſtriatis compoſitis. *Staminibus* decem candidis cum *apicibus* flavis ac nonnihil ſurrectis in faſtigiis, inter quæ tenerum ſiliquarum germen, è cujus vertice filamentum craſſiuſculum exit. *Siliquis* cæteris minoribus, longitudine quatuor aut quinq, pollicum, latitudine quoque pollicari, nonnihil incurvis verſus unam partem, ac dorſo rotundo latóque circumſcriptis. *Fabis* oblongo-rotundis, craſſiolis ſeu minùs compreſſis iis *Chovanna Mandaru*, ac multò minoribus, coloris flavi minùs rubeſcentis.

Flores bis térve in anno fert, tempore pluvioſo uberiore proventu.

Viribus ferè convenit cum præcedentibus ſpeciebus.

* P. 1. F. 35. p. 63.

4. *Canſchena-pou* * H. M. *Arbor ſiliquoſa Malabarica, foliis bifidis minoribus, flore albo flaveſcente ſtriato* D. Syen. *Mandaru quarta ſpecies. Flos Divi Thomæ.* *H. M.*

Arbor eſt altitudine duorum fermè hominum, ramos quoque denſos tranſverſim diffundens; *caudice* fermè ſemipedem craſſo. *Radix* intus corculo eſt flavo. *Folia* quàm præcedentium, multò minora, antrorſum rotundiola, rectioribus ad petiolum oris, nullo ferè angulo incurvatis utrinque valdè lenia & lanugine piloſa, odore forti, maximè cùm teruntur nocturno tempore duobus lobis adductis ſe claudentia. *Flores* calyce unifolio viridi ſuccinguntur, albo flaveſcentes quinque petalis oblongo-rotundis, lateribus unguibus mutuo convolutis, compoſiti; è petalis quòd magis ſurrectum eſt & anguſtius, & oris ad interiora contractis, ad unguem inſignitum eſt maculâ purpureo-rubicundo-obſcuri coloris, quæ folium parvum in ſummitate acuminatum repræſentat. Odor eis nullus. *Stamina* decem, ut in reliquis, albo-flaveſcentia, pariter incurvata, apicibus oblongis & flavis ornata; cum germine ſiliquæ in medio.

Siliquæ longitudine ſunt ut illæ primæ ſpeciei, exterius valdè lenes & lanuginoſæ cum teneriores ſunt.

Fabæ valde parvæ in loculis ſatis latis interſepimentis diſtinctis, eodem ſitu quo in ſuperioribus.

Flores bis térve in anno fert, tempore pluvioſo uberiore proventu.

Quæ de viribus habent vide apud auctores noſtros.

In Horto Reverendiſſimi Epiſcopi Londinenſis *D. H. Compton* crevit hoc anno 1687.

CAP. XV.

Moullava H. M. *P. 6. Siliquoſa Indica flore pentapetalo luteo, ſiliquis lenibus tetraſpermis fere.*

HUic ſeſqui-hominis altitudo, duarum palmarum craſſities eſt. Graveolenti libro circumtegitur ſubfuſco; ligno eſt ſolido & albente, nuſquam non ſpinis duris & acutis *obſita*: *Radice* lignea, gravi, ingrata, terræ irrepente, reſinoſa, ubi læditur, adhærente; gravi cùm odore, tum ſapore. *Folia* Buxo proxima, rigida, ex adverſo gemina, ſupina parte è viridi nitentia, pronâ dilutiora ſunt; mediam coſtam eminentem ſæpius ſubdiviſam habentia. Inodori, lutei, profundo è calyce prodeuntes *flores*, quinque foliis Hyacinthina imitantibus conſtantes, oblongis, longa ſerie in modum coronæ ſurculorum foliaceorum ſummitatibus adhæreſcunt. *Stamina* iis quina, inferiùs alba lanugine, ſuperiùs *apicibus* obſcuris ornata. *Stylus* ejuſdem, niſi quòd vertex albicet, generis ac coloris eſt. *Siliquæ* autem ſubpurpureæ, tactu leniſſimæ, lato è calyce, brevibus petiolis ſurculis inhærentes, quatuor plus minus oblongas, furvas, inſipidas, ingratáſque tranſverſarias includunt *fabas*.

Locus & Tempus. In inſula *Baypin* aliíſque arenoſis, aſt raris creſcit in locis. Vernat ubi tempus hyemat: fructus maturi colliguntur Novembri & Decembri menſibus: ſempiternam habet comam.

Vires. Medicum nullum præſtat uſum, niſi *Pollias*, id eſt, pauperibus, qui foliorum fumo naribus admiſſo capitis dolores vertiginéſque ſibi adimunt.

CAP. XVI.

Mandsjadi H. M. *Arbor ſiliquoſa Indica flore ſpicato pentapetalo, ſiliquis longis, nodoſis fabis coccineis.* *H. M.*

PRocera eſt arbor, binorum hominum craſſa complexum ligno duro, libro craſſo, fuſco, ſqu moſo, intus rubente, qualis ferè radicem obvolvit, qui tamen proximè lignum albicat. Ra ligno admodum pauco, è viridi fuſco, glabro tamen nitent cortice. *Folia* obtuſis oris ob longa, tenuia, mollia, lenia, ſupinâ intensè virentia, pronâ parte dilutiora, alternatim viridibus ſu culis, ſpithamam propemodum longis; qui binarii è ſpadiceo rubeſcentibus quoque aliis, interiùs fu co ſtriatis, è ſurculis prodeunt, appendentia conſpiciuntur. Odoris ſunt Fabacei, guſtûs ſubamar Arcto brevíque è calyce ſubcrocei pentapetali *flores*, anguſtis foliolis acuminati, extrorſum reflex frequenti numero, tenuibus ſimul ac brevibus pediculis, ſurculo duas palmas excedenti, agglutinant *Stamina* unà cum *ſtylo* eminente viridi, qui fructûs primordium eſt, decem iis ſunt ſurrecta, fla quoque exornata capitulis; odor melleus. *Siliquæ* tres palmas longæ, tranſverſum digitum latæ, *mina* ſeu fabas includunt altè extuberantes: ſúntque cortice primùm è viridi fuſco, ſiccæ è ſpadic nigricante, nonnullis venulis pertexto. Semina rotundis ſpatiis inter ſe diſſidentia, oſſis ad inſt prædura, tunicâ craſſa, coccinea, glabra nitentia, ſapore Fabarum ſimillima ſunt.

Arb

Locus. Arbor hæc inter proceriores Regni Malabarici arbores caput extollens quocunque creſcit ſolo, maximè tamen in *Mangatti, Cochin, Perquencour* aliiſque locis frequens. Anno demum à ſatione vigeſimo flores Septembri menſe; maturi fructus in fine atque initio, quamvis & aliis tempeſtatibus anni, frondes ſemper conſpiciuntur. Uſque adeò longæva eſt, ut 200 annos perdurare putetur.

Uſus. In uſu quotidiano lignum ob ſoliditatem variis operibus inſervit. Foliis in pulverem redactis Ethnici in cæremoniis utuntur. Semina verò haud ingrati ſaporis, præterquam quòd à plebeiis ſive cocta, ſive comminuta in farinam, comedantur, magnum præſtant uſum aurifabris & gemmariis, quippe ob æqualitatem granorum vice in ponderandis mercibus adhibentur. Singula namq; *Maſjelina* quatuor pendent grana, quibus utuntur Aurifabri; qui quoque ex contuſis hiſce ſeminibus aquâ madefactis unà cum borace gluten ad elegantiora tum nova tum diffracta vaſa conglutinanda conficiunt. Medici vero è foliis contritis potionem lumborum ſedantem dolorem parare nôrunt.

Hæc arbor folio eſt bicompoſito ſeu ramoſo.

CAP. XVII.

Arbor Indica ſiliquoſa, floribus racemoſis, pentapetalis, ſiliquis foliaceis, ad ſingulos flores ternis. Pongelion ſive Perimaram H. M.

H. M.

ALiquando, priuſquam in ramos ſe diffundit ad 50 longitudine, craſſitie ad duodecim & plures excreſcit pedes. *Cortice* eſt cinereo, ſcabro, propè radicem, ubi excepta craſſitie quæ illic major eſt, idem eſt, graveolenti. *Folia* extrorſum criſpata, acuminata, denſa, glabra, ſupernè nitentia, infernè paululum dilutiora, falciformia, gemina, plerunque brevibus pedunculis communibus è ſurculis lignoſis dependent. Coſta verò intermedia averſa, in parte ſummè eminens ad oras uſque extenſa, arcuatim reflectitur, multas ſubtiles fundens venulas. Odor ipſius nullus. Inodori, abſque calyce pentapetali prodeunt exalbidi *flores* plures racematim petiolis viridibus rotundis ſupernè angulatis inſiſtentes. *Stamina* ut in *Mandsjadi* colore & numero æqualia ſunt: *ſtylus* in vertice tricuſpide plano ac viridi capitulo coronatur. *Siliquæ* foliaceæ tenuitatis è ſingulis florum pedunculis ternæ prodeunt, lateribus carne intermedia tenui & pauca conglutinatis, digiti fermè quatuor articulos longæ, pollicem latæ, ſubvirides, craſſiori nervo, qui unà cum cæteris ſurculum pænè efficit, donantur. Hic locis ſingulis in ſiliquis annectitur *ſemen* è rotundo aculeatum, quod totum circulum penè implet, viride. Sapor leguminoſus ſed languidus, ipſi fructus perquàm pituitoſi ſunt. Siliquæ omnes ad maturitatem perveniunt, externarum enim una vel altera decidit.

Locus. Creſcit pinguiore ſolo circa *Moutan, Parca & Bardelle,* ut & pluribus aliis locis. Flores Maio Junióque, fructus verò Novembri & Decembri ferè menſibus, frondes ſemper, quæ & flores è finibus erumpunt ramorum, qui exinde elongantur. Longævis annumeratur.

Vires & Uſus. Lignum in cultrorum enſiúmque formatur vaginas. Folia contrita aquam eleganter tingunt. Contuſo è cortice excoctum oleum corpori illitum humores vitioſos educit. Extillans ex arbore ſuccus, cum lacte ebutyrato epotus, flatus diſcutit. Fructus cum *Munja* triturati, Oryzæque decocto immixti cephalalgiæ ac ophthalmiæ oculis injecti medentur.

CAP. XVIII.

Nagam H. M. P. 6. T. 21. p. 37. *Siliquoſa flore umbellato pentapetalo, ſiliquis digitalibus, ſpadiceis, monoſpermis, ad unum florem pluribus.*

H. M.

ALtitudine quatuor, craſſitie unius hominis eſt, ligno candido, rubeâ medullâ trajecto, cortice cinereo: *radice* odore guſtúque ſylveſtri. *Folia* ejuſdem ac radix odoris ſaporiſque, oblonga, cuſpidata, denſa, rigida, in ſuperiore parte glabra, ſubobſcura, inferiore cinerea ſunt, coſtâ donata craſſiori, in ligneos nervos porrectâ. *Flores* umbelliferi, pentapetali, rubei, ſurculis ramuloſis inſidentes, globulum rufum ſtylúmque breviorem includunt. Floribus è ſingulis quaterni ò quini exoriuntur fructus. *Siliquæ* digitali longitudine, ſpadiceæ, cortice ſubamaro, unam ſingulæ inveſtiunt fabam, pelle candidam, intus mollem & fungoſam, guſtu amaram & adſtringentem.

Locus & Tempus. Arenoſis licet, paludoſis tamen, gaudet locis, in inſulis *Bendurti, Aroe,* aliiſque intra *Cranganoron Porta* ſitis frequens, Auguſto, Septembri, Novembri florifera, Martio & Aprili fructifera, perpetuò ndens eſt.

Vires. Foliorum ſuccus cum Nucis Indicæ oleo ventri illitus lunaticam ejus intumeſcentiam diſpellit.

CAP. XIX.

Codaga-pala H. M. P. 1. F. 47. p. 83. *Arbor Malabarica lacteſcens, Jaſmini flore odoro, ſiliquis oblongis* D. Syen.

H. M.

PRæcedentis [Curutu-pala] altitudine eſt & craſſitie, colore corticis in radice rubro-fuſco, in caudice ruſo, & ſapore minùs pungenti ab ea differt. *Folia* in ſurculis bina oppoſita, petiolis curtis appenſa, *Curutu-pala* foliis ſimilia, verùm majora, latiora, texturæ minùs ſolidæ, ac venulis numeroſioribus inter nervos tranſverſos pertexta. *Flores*, qui ſupra ex origine foliorum uncialibus petiolis proveniunt, à *Curutu-pala* floribus differunt petalis texturâ denſioribus, & in oris haud criſpatis, anguſtioribus, calyci arcto inſidentibus, odore fragranti. *Stylus* & *ſtamuncula* quinq; parva, ut in flore *Palæ*, *Siliquæ* quoque oblongo-anguſtæ ſunt, *Palæ* ſiliquis ſimiles, ſed craſſiores ac minùs compreſſæ, virides, ſpithamam plus minùs longæ. *Semina*, quæ quoque numeroſa in ſe recondunt, ſunt etiam plana & oblonga, ac paulo majora *Palæ* ſeminibus, cum ſua longitudine jacentia in longitudine ſiliquarum, ac ex ſolo anteriore oculo penicillum argenteorum filamentorum emittentia, pérque ea in unam ſeriem implicita, colore cùm vetuſtiora ſunt viridi-flavo ſeu ruſo. Naſcitur in arenoſis.

Vires. *Cortex* ſeu trunci ſeu radicis tritus & epotus in lacte acido, alvi fluxum quemcunque, ut & hæmorrhoidum, ſiſtit. *Radix* trita, & cum aqua in qua Oryza fuit lota decocta anginæ aliíſque tumoribus corporis fotu conducit; dolori arthritico parti affectæ impoſita, dentium dolori in ore detenta; lumbricos quoque enecat.

CAP. XX.

Curutu-pala H. M. P. 1. F. 46. p. 83. *Arbor Malabarica lacteſcens fimbriato flore, fructu circa cuſpidem reflexo* D. Syen.

H. M.

ARbuſcula eſt unius duorúmve hominum altitudine, *caudice* pedem craſſo, cortice fuſco, lacteſcente in ramis cinereo: *radice* minùs altè demiſſa, ramulos laterales latè diffundente. *Folia* petiolis brevibus ac craſſis inſident, oblongo-rotunda, ad petiolum contracta, & anteriùs in cuſpidem oblongum deſinentia, texturâ ſolida, lactiflua, ſupernè ſaturo virore nitentia, ſubtus pallidiora. Coſta media albicat, ac in ſupina parte nonnihil eminet, unde plures nervi obliquo annulari & ſatis parallelo ductu ad marginem ferè excurrunt. *Flores* in ſuperiori ſurculorum parte proveniunt in petiolis rotundis, tenuibus, languidis, quàm præcedentis majores, in totum albi, quinq; petalis oblongis, ad ungues ſtrictis, ad unam partem inflexis, (oris ab inflexura ſubrotundis, criſpis & tenuibus, in medio craſſiolis) nullis venulis ſtriatis, compoſiti, quinque calycis foliis viridi-dilutis & cuſpidatis ſuccincti; odoris grati & debilis, *Stamina* quinque *apicibus* flavo-albicantibus dotata, ac inter ea *ſtylus* viridi-dilutus, bifidus, utroque cuſpide nodulo terminato, è globulo oblongo-rotundiolo ac viridi, qui fructûs germen eſt, erumpens. Succedunt *fructus* bini ac bini ex tranſverſo ſiti, oblongo-rotundi, exteriùs cuſpidati, ac deorſum maximè ad cuſpidem reflexi, duobus lateribus rotundis, quæ acuto margine coeunt, conſtantes, & ſuperiori latere protuberantes, cortice craſſo, dum immaturi ſunt lacte manante & obſcurè viridi, cùm maturuere exteriùs flavo-aureo, intus flavo dilutiore, aperiúntque ſe in ſuperiore latere, ubi ſatura per mediam longitudinem ſtriata ſunt. Semina intus quinque, ſex, ſeptemve, oblonga, figurâ valdè irregulari accommodata ad aliorum ſeminum circumpoſituram, membranula exteriore Corallina obducta, ac intus conſtantia oſſiculo fuſco minus duro, in quo nucleus albus continetur.

Flores fert toto anno, maximè tempore pluvioſo.

Vires. Radicis cortex tritus & epotus in aqua calida fluxum ventris ſiſtit, ac prodeſt in dyſenteria in lacte datus. Idem tritus cum aqua & apoſtematis appoſitus ea reſolvit.

CAP. XXI.

Arbor ſiliquoſa Malabarica pluribus ad ſingulos flores lobis. *Cavalam* H. M. P. 1. F. 49. p. 89. *Nux Malabarica ſulcata, mucilaginoſa fabacea.* D. Syen. *An Telabo Cingalenſium.*

H. M.

ARbor eſt procera, ramis denſis, tranſverſim ſparſis, naſcens in petroſis & arenoſis. *Radix* craſſa, rectà in terram deſcendens, hinc indè, à latere ac ſubtus fibris veſtita, cortice albicante craſſo ac minùs duro, qui ſaporis eſt aquei & ſubamari. *Caudex* quantum homo amplecti poteſt, cortice craſſo exteriùs cinericeo, ac ſubcinericeo viridi, ligno albo, quod confractum in filamenta protrahitur. *Folia* petiolis mediocriter longis, ad exortum atque ad folium extuberantibus inſident, ſpithamam, & duos tréſve inſuper pollices longa, latitudine longitudinis ferme ſubtripla, rotundis ad petiolum oris & tenuiter contractis, ac anteriùs in mucronem parvum, versùs unam partem reflexum deſinentia, craſſitie mediocri, plana, lenia, glabra ſuperne & nitentia, colore utrinque obſcurè viridi, ſed ſupernè ſaturatiore. *Flores* in ſurculis ramoſis, viridibus ac piloſis, vel ſolitarii, vel etiam bini & bini in ſummis ſurculorum ramulis erumpunt, quinque petalis anguſtis & cuſpidatis, cuſpidibus introrſum flexis, ac mutuo ad unum nodulum unitis & clauſis quo roſam feneſtratam repræſentant, ad oras extrorſum reflexas pilis tranſverſis longiuſculis obſi

exteri

exteriùs viridi-fuſcis ac ſubruffis, interiùs ex viridi flaveſcentibus, oris valdè lenibus, rubro-fuſcis, quæ inſtar rubri Veluti ſunt. E medio ſtaminulum viride exit, cum apice ſeu nodulo craſſiolo & flavo. Ubi flores in gemmis prorumpunt foliis omnibus nudatur arbor, quæ cum fructibus rurſus reſumit. Floribus ſuccedunt *fructus* duo, tres, quatuor, aut quinque ſimul, rariùs ſolitarii, initio in unum capitulum ſpadiceum & villoſum, totidem laterum quot fructus ſunt arctè juncti, tandem cùm juſta magnitudine ſunt, relaxato capitulo in tranſverſum rotundi ac parùm oblongi evadunt, cortice craſſo ac duro, aureo, qui carne interiore albicante eſt, ac intus membranâ lacunoſa, cartilaginea ac ſubflava obductus, ab una parte dorſo emicantes, ab altera ſutura ex pediculo in ventre per medium in longitudine ſulcati, quâ præ maturitate laxata defluit materia viſcoſa ſeu gelatina, quæ inſtar mucilaginis exteriorem ſeminum ſuperficiem lubricat, eámque hinc inde obducit.

In hiſce fructibus, qui lata capacitate ſunt, Fabæ, novem circiter vel decem, oris ſuturæ umbilicis affixæ ſunt, utrinque quatuor vel quinque, verſùs dorſum dependentes, craſſæ rotundæ & oblongæ pollicem ferè, ac glabræ, cortice duplici tectæ, exteriore inſtar cuticulæ tenui, & per fabæ maturitatem nigerrimi, nitentis, adeò fragili ut in minuta fruſtula, velut cortices igne aſſati, ex attritione hiſcat; interiore craſſiore, duriolo ac puniceo, exteriùs obducto pulpa mucilaginoſa & albicante, intus veſtito tenui & ſubruffa pellicula, quæ nucleum ſeu pulpam Fabæ albam ambit; ſuntque Fabæ toſtæ in eduliis.

Ego hoſce fructus pro lobis potius quàm pro nucibus habendas cenſeo ob ſiliquas bivalves & ſimilem intus ſeminum ſeu Fabarum dorſo ſiliquæ annexum.

C A P. XXII.

Cara-Schulli H. M. *P.* 2. *F.* 47. *p.* 91. *Frutex Indicus ſpinoſus Capparis forma, Siliqua bivalvi brevi.*
H. M.

FRutex eſt ſpinoſus, naſcens in arenoſis; *radice* fibroſa, capillata, albicante, dein ruſeſcente. *Caules* lignoſi, nodoſi, piloſi, virides, corculo in medio albicante, fungoſo, in nodis ſpinis lignoſis, longiuſculis, tenuibus, acutis ac nonnihil inferiora verſus inflexis muniti; quæ binæ & binæ prodeunt, ad diverſas partes tendentes. *Folia* è nodis ad exortum ſpinarum prodeunt, parva, craſſiola, rotunda, parùm oblonga, piloſa lanugine prona maximè parte obducta, ſapore ſubamaro & ſubacri. *Flores* in ſummis ramis ex origine foliorum, è medio duarum ſpinarum exeunt, pentapetali, colore planè cœruleo, pede longiuſculo candido & nitente calyci inſidentes, odore quoque nullo: ſunt autem petala oblongo-rotunda, tenuia, venulis ſuis obliquè in longum ſtriata. E medio florum emicant duo *ſtamina* candida cum *apicibus* oblongis, ſurrectis, fuſco-cœruleis, & cum iis filamentum tenue, albicans, è globulo viridi, qui capſulæ ſeminalis rudimentum eſt, emergens. Calyx quatuor foliis conſtat, duobus grandiuſculis oblongo-rotundis, totidem minutis cuſpidatis, utriſque piloſis, quorum pleniorem deſcriptionem vide. *Capſulæ* ſeminales oblongæ, quadrilateræ, & in planum compreſſæ, in lateribus planis ſeu latioribus viridi-diluti, in anguſtioribus viridi-fuſci coloris, cortice lignoſo ac duro, in duas camerulas oblongas, in quibus *ſemina* continentur, bina in ſingulis, plana, rotundiola, lanuginoſa, primò argentea, deinde ruſeſcentia, ſapore ſubamaro, interſtitio lignoſo, ex medio anguſtiorum laterum producto, diſtincta.

Vires. Tumoribus reſolvendis, ſi in pulverem per ignem redacta ac aceto permixta adhibeatur in perunctione corporis: In pulverem contrita & mixta cum liquore *Surie* dicto ex Coco Indico apoſtematibus maturandis ac aperiendis ſervit. Radix in decocto data urinam ſuppreſſam movet; addito momento Oryzæ proficuè datur pro tumore ventris. Foliorum quoque decoctum cum momento Oryzæ intus ſumptum membris tumefactis extenuandis commodum.

C A P. XXIII.

De Balſamo.

BAlſamum dicitur ἀπὸ τοῦ βαλοῦ ϗ ἀμᾶσθαι, quòd cœleſtem divinámque meſſem reddat. Heſychius βαλὸν οὐδὸν ϗ οὐρανὸν, *Solum, Cœlum.* Rectiùs Balſamum eſt vox Orientialis, q. *Belſamin*, quod in Orientalibus linguis Principem aromatum ſignificat; imò pura puta vox Hebraica eſſe videtur Βάλσυμον, *Bal* enim ſeu *Baal* Dominum ſignificat, *Samen* pinguedo, oleum, unguentum, quaſi unguentorum Princeps ſeu Dominus. An Balſamum hic rectè collocaverim neſcio, qualem enim florem producat nondum diſcere potui.

1. *Balſamum verum* J. B. *genuinum Antiquorum* Park. *Syriacum Rutæ folio* C. B. *Balſamum* Alpini Ger. emac. **The true natural Balſom Tree.** *Alpin.*

Arbuſcula eſt viticoſa, quæ excreſcit ad altitudinem *Elbanne* ſeu Liguſtri vel Cytiſi, *folia* pauciſſima gerens, Rutæ proxima, non tamen iis candidiora, ut Dioſc. Sed potiùs Lentiſci foliis ſimilia, ſcil. colore viridi-ſubalbido, perpetuóque virentia. Ejus lignum gummoſum leneque apparet, colore exteriùs ſubrubro, cujus ramuli eodem colore conſpicui ſunt, longi, recti, graciles, paucis foliolis ordinatim referti, foliáque ſimul terna aut quina aut ſeptena alæ adnata, aliquo pacto Lentiſci foliorum æmula. Sunt autem ramuli odorati, gummoſi, digitiſque contrectati eis tenaciter adhærentes. *Flores* fert parvos, albos, Acaciæ floribus proximos, ternos ſingulis alis appenſos, quaſi in Umbellæ forma, ſummè odoratos (odor paululo temporis reſolvitur) à quibus *ſemina* promanant flava, folliculis nigris ſubrubeſcentibus contenta, valdè odorata, intúſque humorem flavum, melli perſimilem habentia, ſapore ſubamaro parúmque acri linguam ferientia, Opobalſamúmque redolentia, Terebinthi fructuum figuræ & magnitudinis æmula, extrema aculeata & medium craſſum obtinentia.

Opobalſamum, cùm primùm eductum, colore, ut audio, eſt albo, qui paulò poſt in viridem, tertiò in aureum, & demum in melleum mutatur [longo tempore:] Ejus ſucci etiam ſubſtantia inprimis turbida craſsáque ut oleum ſtatim ab Olivis expreſſum cernitur, poſtea tenuiſſima atque clariſſima, demum Terebinthi modo craſſeſcit, odore eximio inprimis atque acutiſſimo Terebinthum redolens cum ſuaviore odoris fragrantia cernitur, ſaporéque amaro, acri & adſtringente. Leviſſimum eſt in primis diebus, atque uſque adeò validi & acuti odoris, ut aliquibus inter odorandum ſanguis è naribus eruperit, & præ multa ejus levitate in aquam ſtillatum non deſidet, ſed ex alto in eam projectum parumper in ipſa mergitur, feréque continuò aſſurgens ſupra totam aquæ ſuperficiem totum expanditur, eíque miſcetur, & citiſſimè in ea diſſolvitur, ut ab aqua maxima cum difficultate ſeparetur: in qua paulò poſt concreſcit atque coagulatur, coagulatúmque ſtylo totum ab aqua eximitur, quod tunc colore lacteſcit, ſeu album quale lac viſitur. Quò hic ſuccus annoſior eſt eò fit inodoratior, atque ad motum ſegnior, & ſenio confectus craſſus velut Terebinthina evadit.

Bellonius ubicunque naſcantur hi frutices duorum aut trium cubitorum altitudinem eos non ſuperare ſcribit, & pedali altitudine cùm ſint, in multos graciles ramulos, anſerinæ pennæ caule haud craſſiores findi. Alpinus in Arabiæ ſolo ad Lycii, Terebinthi & Pyracanthæ magnitudinem, & majorem etiam excreſcere audivit.

Bellonius folium accuratiùs deſcribit, Folia utrinque in nervo nata, ut in Roſarum, vel Fraxini, vel Juglandis foliis videre eſt; Ciceris tamen foliorum magnitudinem non excedebant, ſicque conſtructa erat ipſorum ſeries, ut poſtremum foliolum extremam illam occupans imparem numerum efficeret, erátque reliquis majus; facto enim ab illo progreſſu aliqua ſenſim minutiora fiunt.

Locus. Quod ad locum Balſami attinet ſcribit Plinius Balſamum uni terrarum Judææ conceſſum, quondam in duobus tantum hortis, utroque Regio. Theophr. pariter in valle Syriæ gigni ſcribit, in duobus tantùm, uti ferunt, hortis. His etiam conſentanea ſcribit Juſtinus.

Dioſcor. non ſolùm in convalle quadam Judææ ſed & in Ægypto naſci teſtatur, aliíque in eadem ſententia ſunt.

Strabo, Pauſanias aliíque non in Syria tantùm ſed & in Arabia quoque, Sabæorum tractu maritimo provenire tradunt. Petrus Bellonius & Proſper Alpinus Arabiam felicem Balſami locum patrium ſemper fuiſſe, nunquam Ægyptum aut Judæam contendunt: quòd ſemper tum in Judæa, tum in Ægypto planta hæc in hortis culta fuit. Non ſolent autem ſpontaneæ plantæ tantâ diligentia coli, neque enim eâ indigent: quodque in Judæa dudum periit & evanuit; ínque Ægypto ſæpius, novis plantis denuo ex Arabia advectis. Joſephus etiam, *Balſami plantam* (inquit) *cujus hodie ferax noſtra regio eſt, Reginam Sabæ in Judæam attuliſſe aiunt.* Quo cum Strabone conſentit. Sic rem expedit Bellonius, quanquam putârit Theophraſtus Balſamum nuſquam ſylveſtre reperiri, conſtanter tamen affirmare audemus, & olim, & etiamnum in Arabia felice exiſtere, unde lignum & fructus ab omni antiquitate cum aliis mercibus Arabicis deferri ſolita, quod ex Mithridatica Antidoto, ex Dioſcor. Diodor. Siculo, Pauſania, Strabone, Corn. Tacito facile eſſet probare, adeóque inſtitores Cayrini de Balſamo interrogati reſponderunt quicquid Xylobalſami aut Carpobalſami unquam vendiderunt, cum aliis medicamentis Mechâ Arabiæ delatum; ubi creſcunt in monte quodam arenoſo prope urbem: arbuſculas autem quæ Matereæ Ægypti viſebantur, magnis ſumptibus hinc tranſvectas.

Liquor hic precioſus inciſione facta è virgis emanat Junio, Julio & Auguſto menſibus, tradente Alpino. Inciſura autem, ut vult Theophraſtus, unguibus ferreis faciendo, quocum conſentit Dioſcorides. At Plinius, inciditur, inquit, vitro, lapide, oſſeíſve cultellis, ferro lædi vitalia odit: Quod & Solinus confirmat. Ego cum recentioribus perinde eſſe exiſtimo ſive ferro, ſive *alia re* quavis inciſio fiat, modò, ut Plinius, incidentis manus libretur artifici temperamento, *nè* quid ultra corticem violet. Alpinus partim ſponte, partim ſtipite ferro ſcarificato opobalſamum deſtillare & in vitrea vaſa recipi ſcribit.

Folia, ut tradunt Pena & Lobelius, exuit Decembri, quibus nonniſi menſe Martio nova ſufficiantur. Quod ſi verum, jam corruit omnium tam priſcorum, quàm neotericorum recepta opinio eſſe perpetuifolium. Et ſanè inter notas à veteribus proditas, quibus Balſamum dignoſci poſſit, una eſt, ut perpetuò vireat. *J. B.*

Opobalſamum, ad vulnera ſananda omni ævo celeberrimum, tantæque efficaciæ habitum, ut aliis unguentis oleíſque vulnerariis pretioſiſſimis nomen ſuum communicavit; ideóque Empirici & Agyrtæ ut medicamenta ſua commendatiora apud vulgus redderent ea Balſamorum appellatione honeſtârunt. Nec deſunt exempla vulnerum etiam periculoſorum brevi temporis ſpatio Balſami liquore perſanatorum. Quin & ſordida ulcera expurgat, ut poſt Dioſcoridem Alpinus ſcripſit: cujus de viribus & uſu Balſami hodierno apud Ægyptios verba adferemus. In venenatis & demorſis à ſerpentibus atque ictis à ſcorpionibus tum epotum, tum illitum maximè juvat, quod & veteres Dioſcor. & Plin. teſtantur. In peſte ut ab ejus contagio defendantur, nihil majus habent quo utiliùs & tutiùs utantur, ſingulis diebus ejus ſemidrachmam deglutientes. Multáſque etiam putridas febres eo epoto illi ſanant, largiore ab ipſo erumpente ſudore. In Chronicis febribus à crudis frigidíſque humoribus obſtructionibuſq; viſcerum nihil utilius & præſtantius experiuntur quàm Opobalſami hujus binos ſcrupulos vel drachmam per os quotidie exhibere. Oculis viſum deperditum, atque auribus auditum inſtillatum reſtituit, auriúmque dolorem aufert. *Modeſtiùs Plinius oculorum claritati plurimum conferre, caliginem diſcutere & auribus perquam utile eſſe ſcribit.* Præterea ad convulſos ex humiditate ac frigiditate, ad vertiginoſos, epilepticos, reſolutos, trementes, ad tuſsímque ex frigido humore, orthopnœam, & omnem ſpirandi difficultatem, pulmonum fluxiones, humiditates & dolores, ad ſtomachi frigiditatem, cruditates, atque ad omnes flatuum moleſtias, ad uteri frigidam humidámque intemperiem, ad præfocationes, dolores, ſterilitatem, albos fluores, ad interceptam urinam ex frigiditate, flatu vel lapidibus, ad calculóſque in renibus valenter frangendos ac abſtergendos uſus Opobalſami eſt apud omnes illos populos notiſſimus, & ad hæc omnia mala præſtantiſſimum illi auxilium experiuntur. Mulieres verò Ægyptiæ ſteriles eo tum ſuppoſito, tum epoto, tum ſuffito feliciore ſucceſſu ſæpe ad removendam ſterilitatem utuntur.

Pro Coſmetico etiam inſigni à mulieribus habetur: utendi modum vide apud *Proſp. Alpin. In Gonorrhœa datur præmiſſis præmittendis.

Carpobalſamum. *Carpobalſami* nomine in officinis habentur ſemina Terebinthi acinorum oblongâ formâ & magnitudine, pediculo brevi donata, cortice rugoſo fuſco, quatuor coſtis in totidem quadrantes diſtincto, cui ſubeſt tenerum putamen album, ſæpe caſſum, interdum nucleo pingui, dulci, niſi vetuſtate nimia ranceſcat, gravidum: alioqui ſapor effœtis, cujuſmodi in officinis aſſervari ſolent grana, nullus; nullus odor. Alpinus duplex genus diſtinguit, jam deſcriptum, & alterum oblongius, & ex medietate folliculo tectum, odoratum tamen & aromaticum.

Xilobalſamum. *Xylobalſami* nomine venditantur exoleti ramuli, qui nec ſaporem, nec odorem ullum evidentem ſenſibus ingerere ſolent, contorti, digitali craſſitie, duplici cortice intecti, exteriore tenuiore, rugoſo, cinereo, interiore craſſiore, fuſco, texturâ ſatis compactâ: nodoſi ſunt admodum, & multis tenuibus ramulis brachiati. Hos, ut & fructus prædictos, pro falſis, adulterinis & ſuppoſititiis habent plerique Botanici. Verùm Proſp. Alpinus, qui omnium optimè novit, verum eſſe Antiquorum tum *Xylobalſamum* tum *Carpobalſamum* affirmat. Virgæ autem parvo tempore omni odore ac ſapore deſtituuntur. Tanta eſt enim (inquit) illius humidæ ſubſtantiæ, in qua odor ſapórque fundatur tenuitas, ut citò exſolvatur, ſimúlque cum ea ſapor atque odor evaneſcat. Cæterum ſemina & lignum Balſami iiſdem facultatibus donata ſunt quibus ſuccus: verùm efficaciſſimam vim habet liquor, proximam huic fructus, minimam verò lignum. *Dioſc. Alp.* Ad robur ſtomacho conciliandum horum pulverem cum decocto ſpicæ Nardi ad binas drachmas exhibent: idem præſtat decoctum: utuntur & eo in ſpirandi difficultate & tuſſi frigida: uſum etiam frequentiſſimum habent pulvis & decoctum ad humiditatem uteri exſiccandam, ejúſque calorem fovendam. Suffitum ex his frequentant ad omnes uteri morbos à cauſa frigida concitatos. Hæc Alpinus de Ægyptiis.

Apud antiquos Balſamum ob odorem præcipuè expetitum ad unguenta. Plinius omnibus odoribus prælatum affirmat: unde & liquor iſte interdum duplo rependebatur argento.

Qui plura de Balſamo velit, Lobelium conſulat, qui integrum de eo libellum conſcripſit; & Alpinum, qui Dialogum de Balſamo reliquit. Et Veſlingii Opobalſam. Vindic.

Lobelius Opobalſami cujuſdam craſſi ſeu concreti à ſe aſſervati meminit, Terebinthinæ Cypriæ veteris ſive vietæ aut Reſinaceorum liquorum inſtar denſati, glebæ Benzoini fere concretione, ſapore acri & colore fulvo, maſticanti ut Maſtiche lenteſcente.

Huic fortè idem Opobalſamum ſolidum *J. B.* à Paludano ad Ducem Wirtemberg. miſſum, quod ità ſolida eſt ſubſtantiâ ut flexioni interim non reſiſtat, pellucida & digitis ductili, non friabili ut Colophonia, quam colore rutilo egregiè refert, uniformi, odore ſuavi Benjoini, quem fragrantiorem cùm adoletur adſpirat naribus, nec ſegniter flammam concipit. Sub dentibus lenteſcit atque iis inhæreſcit.

Balſamiferæ Arbores Americanæ ad hoc genus nòn pertinent; quin & ipſæ inter ſe genere differre videntur: aliæ enim ſiliquoſæ ſunt, aliæ potiùs nuciferæ. Verùm quoniam omnes Balſamiferarum titulo ſuperbiunt, non ſeparandas duxi.

2. *Balſamum ex Peru* J. B. *An Cabureiba ſive Balſamum Peruvianum* Piſoni? *Cabui Iba* Marcgrav.
Forte differentia ſola eſt in loco natali.

Piſ.

Folio eſt exiguo inſtar Myrti, cortice cinereo, digitum craſſo, tenui membranâ miniati coloris exteriùs cooperto, ſub qua flavus liquor, quo totus cortex turgere ſolet, latitat, qui vetus gratiorem ſpirat odorem quam ſi recens ſit, ſitque conſiſtentiæ craſſioris & coloris puniçei: Cortex contuſus & n maſſam redactus ſuaviſſimos efficit globulos & alia multa. Lignum illius ſingularem uſum præbet n ædificiis.

Revireſcente arbore circa Februarium & Martium Lunâ plenâ, ex læſo cortice deſtillans pendus vaſculis excipitur Balſamum hoc fragrantiſſimum *Cabureieica* dictum.

Ædes non ſolùm, ſed lucos integros gratiſſimo odore, Peruviano perquam ſimili, inficit. Subantia eſt compacta & tenaci, ſed calefactum ſequaci & ductili.

Locus. Circa fluvium potiſſimùm *Jeneiro*, & in diſtrictibus D. Vincentii & Spiritûs Sancti quàm in Parambucenſi crebriùs reperitur.

Vires. Ad internos & externos affectus non inferiori gaudet qualitate quàm *Copaiba*, calidum eſt & ſicm, diſſolvit, digerit, confortat. Aliquot illius guttulæ per os jejunis exhibitæ Aſthmati proſunt, temperiem quoque ventriculi, viſcerum languores inveteratos corrigit: tepidum pectori & hypoondriis illitum eorum oppilationes & frigiditates tollit. Irrigatione & frictione capitis & cerebri ex nno rubro corroborat cerebrum & præſervat à Spaſmo & Paralyſi, imò debilitatum omne nervon genus in priſtinum vigorem reſtituiſſe ſæpiſſimè ſumus experti. In nervorum puncturis acrimom ſaniei, unde tot dolores & convulſiones oriri ſolent retundit. Cæterùm Luſitani æquè ac ſiliani adversùs vulnera & morſus venenatorum animalium ineſſe illi virtutem quendam ſinarem teſtantur: ad quam Animalia inſtinctu ſolo naturali confugientia, corticémque deterenparti læſæ præſentiſſimum inveniunt remedium.

Alia eſt ſpecies hujus arboris, rubeſcentis coloris, odoréque Cedro Braſilienſi, quæ incolis *Acaia caa* dicitur, non diſſimilis. *Hæc omnia Piſo.*

---

* *De Plantis Ægyptiacis*

Franc. Hernandez Arborem Balſami Indici, Mexicenſibus *Hoitziloxitl* dictam, id eſt, reſinâ affluentem, ſic deſcribit:

Balſamum Novæ Hiſpaniæ. Mali Medicæ magnitudine eſt, *foliis* Amygdali, majoribus tamen, rotundioribus & magis acuminatis, *floribus* in extremis ramorum flagellis luteis, initio loculorum oblongorum formâ, ſed procedente tempore quorundam veluti foliorum cæteris longiorum & latiorum, in quorum extremitatis cavitate *ſemina* incluſa continentur, candicantia, & in quendam pallorem inclinantia, oblonga & pauliſper contorta, ſeminibus Mali Medicæ ſimilia, aut veriùs his quæ Haytini vocant *Manies*, & ſaccharo incruſtare ſolent.

Inciſo hujus arboris cortice ſtipitéve quovis anni tempore, ſed præcipuè exactis jam imbribus, liquor ille nobilis deſtillat.

Regionibus provenit calidis, qualis eſt Pannucina.

Icon repræſentat florem papilionaceum, cui proculdubio ſuccedit ſiliqua ſeu lobus.

Hæc arbor eſſe videtur quam deſcribit Monardes cap. 9. ſub finem, eíque duplicem tribuit corticem, unum craſſum Suberis modo, alterum verò tenuem; fructum Ciceris aut Piſi grano non majorem in extremâ ſiliqua, anguſtâ, digitum longâ, albâ, tenuitate regalis ſimplicis.

Balſami duo genera ſunt, alterum quod ex inciſa arbore ejúſve cortice exſtillat, tenax, albidius quod præſtantius; alterum coctione, modo Indis uſitatiſſimo, elicitur, ex rubro ad fuſcum vergens, quod vilius. Balſamum ex Peru J. Bauhinus ſic deſcribit, Liquor eſt ponderoſus, melleæ conſiſtentiæ, denſus, lentoris reſinacei: color ex ruffo ad nigrum vergens: odor fragrantiſſimus Styracis, ad Benzoini ſuavitatem nonnihil accedens, & qui ſuâ fragrantiâ totum adeò conclave perfundat, diúque perſeveret, ſapor ſubacris, linguam mordicans. Dentibus attritus, lentus, nec illico ſeparabilis adhæreſcit. Flammam facillimè concipit igni admotus, ſuavitérque olentem ſimiliter fumum ſpargit. Aquæ injectus mox fundum petit, in qua exiſtens ſi vel ſtatim digitis atteratur albeſcit; nec ideo lentorem deponit, ſed inſtar Reſinæ digitis etiam magis quàm dentibus adhæret.

Monardes eúmque ſecuti C. Bauhinus aliíque Botanici duplex Balſami Indici genus diſtinguunt, quæ fortè non aliter quàm eliciendi modo differunt.

1. *Balſamum Indicum ex arbore Punica malo majore, Xylo dicta, foliis Urticæ* C. B. *Balſamum Peruvianum* Park.

Pro hujus arboris fructu depingit Parkinſonus ſiliquam longam anguſtam, colore pullo, qui Balſamum Peruanum aut Benzoinum odore adeò referebat, ut ſibi planè perſuaſerit ejuſdem arboris fructum eſſe.

Cluſius eandem hanc Siliquam lib. 3. Exot. cap. 18. Lobi oblongi aromatici titulo deſcribit, & in *Cur. poſt.* ejus iconem à Joan. Pona ad ſe miſſam ſcribit pro effigie fructûs Balſami Peruani, cujus deſcriptionem vide inter lobos.

2. *Balſamum purius* Monard. *Balſ. album* Park. *Americanum* C. B. *Goaconez* Oviedo.

Sunt (inquit Monard.) eæ arbores ex quibus hoc genus elicitur in Americæ continente, vaſtæ magnitudinis & ad radicem uſque ramoſæ, duplici ſeptæ cortice, altero craſſo Suberini modo, altero tenui interno, materiem arboris complectente. Ex eo quod inter utrumque corticem eſt ſpatio inciſione Balſamum educitur, alba limpidiſſimáque lachryma, ſuaviſſimi odoris, quod inſignes facultates ſtatim prodit. Et certum eſt illius guttulam potiorem eſſe alterius quod decoctione extrahitur arrova ſeu 25 libris, tametſi miraculoſos ejus viderimus effectus. Fructus hujus Piſi magnitudine, amarâ, qui albâ ſiliquâ digitum longa includitur ſimplicis Regalis Hiſpanici tenuitate.

C. Bauhinus huc refert Lobum oblongum aromat. *Cluſ.* male noſtro judicio, ſi modo hujus arbor à præcedente diſtincta eſt, quod mihi non conſtat.

Balſami Peruani fructus * *Cluſ.* J. B. ** Exot. l. 2. c. 29. fr. 1.*

Item

Balſami Peruani fructus metæ formâ J. B. *fructus minor* 3. *Paludani* Cluſ. *Exot. l. 2. c. 20.*

Item

Avellana Indica pro Balſami fructu miſſa, ejúſque ſpecies alia minor J. B.

Item

Nux ſive oſſiculum Cypote *ſimilis Nuci Balſami Peruviani* J. B. Cluſ. Exot. lib. 2. c. 18.

Horum omnium deſcriptiones vide inter fructus exoticos. Ex his autem aliíſque ſuperiùs allati deſcriptionibus conſtat Balſami Peruviani arborem ſiliquoſam eſſe.

Vires. Cæterùm de Balſami Peruviani viribus eadem habent Monardes & Hernandez, quæ Piſo & multò adhuc plura, nam intus ſumptum ad urinam educendam commendant, ad juvenilem vigorem diutiùs conſervandum, quod exemplo confirmat Monardes, ad colorem emendandum: in peſſ los efformatum ac vulvæ obditum, ſecundas & fœtum mortuum trahere, & ſterilitatem à frigid cauſa profligare affirmant, aliáque inſuper juvamenta præſtare, quæ apud ipſos vide.

3. *Balſamum de Tolu* J. B. Park. *Tolutanum, foliis Ceratiæ ſimilibus, quod candidum eſt* J. B.

Arbores è quibus colligitur hoc Balſamum pumilis Pinis ſunt ſimiles, plurimos ramos quaqu verſum ſpargentes, foliáque Ceratiæ ſimilia obtinentes, ſemper virentia. Inciditur tenuis & ten lus cortex ferventiſſimo Sole (nam nocte ob frigiditatem nihil effluit) liquor effluens cochlear è cera nigra factis excipitur: colore eſt rubro ad aureum tendente, mediæ inter denſum & liquid conſiſtentiæ glutinoſus admodum & ubicunque reponatur firmiter inhærens, ſapore dulci & gra nec ſi ſumatur nauſeam movente, quemadmodum reliqua Balſama, odore excellentiſſimo, & Limonum fragrantiam quodammodo referente.

Earundem ferè virium eſt cum Balſamo Peruviano, quas prolixè deſcribit Monardes, quem conſule: eas paucis complectitur Schroderus.

Advehitur ex continentis quadam provincia inter *Cartagena* & *Nombre de Dios* urbes ſita *Tolu* ab Indis dicta.

Antecellere videtur facultatibus ei quod è Nova Hiſpania adfertur (Peruviani nomine) efficáxque *Vires.* eſt ad omnia ad quæ Balſamum Arabicum. Calf. & ſicc. attenuat, reſolvit, vulnerarium eſt, pectus expurgat, &c. Uſus præcip. in Aſthmate & Phthiſi, in ventriculi cruditate & dolore. Extrinſecùs doloribus à cauſa frigida quibuſcunque & inprimis capitis, Arthriticis & Nephritico: in defluxionibus ad oculos cohibendis, in paralyſi, in ventriculi imbecillitate, dolore, inflatione (inunctum cum oleo Nardino) in lienis imbecillitate, in tumoribus quibuſcunque ac œdematibus, in contractura: parotides inſuper ſeu ſcrophulas cœcas curat. Inprimis autem celebratur in vulneribus conſolidandis, defendendis, præſertim ſi oſſa quoque ſunt confracta (quippe fragmenta expellit,) in vulneribus articulorum, ſectionibus nervorum, puncturis, contuſionibus, &c.

4. *Copaiba* Piſon. & Marcgrav. *Arbor Balſamifera Braſilienſis fructu monoſpermo. Balſamum certarum quarundam plantarum quas Copaibas vocant* [*Braſiliani*] J. B. *è Maffeo. An Fr. min.* 3. *c.* 20. *l.* 2. Exot. Cluſ.?

Marcgr.

Arbor eſt ſatis procera, cui lignum rubrum, quaſi minio vulgari ſaturatè tinctum, duritie Fagino æquale, ex quo aſſeres lati fiunt ad varios uſus. *Folia* fert obrotunda, aut etiam ovalia, quatuor aut quinque digitos longa, duos aut duos & ſemis lata ubi latiſſima, in pediculis digitum longis, craſſis, uti ſunt & nervi, poſtica parte maximè eminentes. *Florem* fert mediocrem, quinque foliis obrotundis conſtantem. *Fructus* eſt ſiliqua obrotunda, magnitudine unius digiti, fuſca, quæ ſi digito prematur facilè aperitur, continens nucleum Avellanæ nucis magnitudine & figurâ, cuticulâ nigrâ membranaceâ tectum, quæ ad medietatem veſtitur paucâ pulpâ, luteâ, lentâ, molli, odoris inſtar Piſorum contuſorum: ipſe nucleus conſtat carne lenta, inſtar cornu emolliti, cedente dentibus, ſaporis haud manifeſti, coloris aquei, qui comeditur. Siliquæ maturæ decidunt. Simiæ has ſiliquas depopulari amant.

In denſis nemoribus mediterraneis reperitur; in inſula *Maranhou* valdè luxuriat. *Locus.*

Oleum ſeu Balſamum dat limpidiſſimum, conſiſtentiâ & odore olei Terebinthini deſtillati. Ab ** Caudice.* inciſo * cortice ad medullam uſque Lunâ plenâ tanta quantitate deſtillat, ut ſpatio trium horarum ad duodecim libras olei effundat. Si nihil fortè profluat, ſtatim vulnus cerâ aut argillâ obturandum eſt, ne quid effluere poſſit, & duabus poſt hebdomadis cum fœnore moram compensâſſe videbis.

Non ſolùm mirifica pollet vi mundificandi & conſolidandi, & ad quævis vulnera, (inprimis ner- *Vires.* vorum) prima intentione reſtituenda, morsúſque ſerpentum curandos & cicatrices tollendas, ſed & internè exhibitum inſignem præbet utilitatem; quippe tres vel quatuor guttulæ in ovo ſorbili bis vel ter manè ſumptæ dyſenteriam vel alios ventris fluxus ſiſtunt, fluxiones etiam muliebres & gonorrhœam.

Ejus ſalutares vires in circumciſione experiuntur Judæi, ſanguinem ex crudeli illo vulnere, antea non paucis exitiali, profluentem eo coercentes.

Plerique Americani, adnotante G. Piſone, communi nomine omnes Reſinas odoratas & gummi vocant *Copal*; variáſque illarum ſpecies peculiaribus diſtinguunt nominibus. Ità Braſiliani arborem hanc, reſiniferarum facilè principem, *Copaliba* vel *Copaiba* nominant.

Hæ plantæ, Maffeo perhibente, cernuntur affrictu animalium attritæ, quæ à ſerpentibus venenatis aut à feris icta ad remedium illud naturæ inſtinctu ſe conferunt. Idem tradit Guil. Piſo de Cabureiba.

5. *Balſamum fructu racemoſo ex Hiſpaniola* C. B. *novum fructu racemoſo* J. B. *Maripendam* * *de Laet.* ** Ind. Occid. l. 5. c. 23.*

J. B.

Ad duorum hominum proceritatem interdum aſſurgit, caulibus cinereis, *foliis* viridibus, ſuperiore parte magis quàm inferiore, grandibus, coſta craſſiore & elatiore per medium diviſis, pediculis non virentibus ſed rubeſcentibus. *Fructus* eſt racemoſus, longus, inſtar manus digitatæ; acini ejus rari, virentes, & quandoque rubeſcentes, qui matureſcendo magis ac magis rubeſcunt. Succum ex eo hoc modo extrahunt, Cymas & aſparagos teneros colligunt, alii racemos addunt, & ex his ſuccum exprimunt, quem in aqua coquunt ad dimidias, deinde magis ac magis ad Sapæ aut Mellis craſſitudinem. Reſidere ſinunt & ad uſum reponunt. Vulneribus & ulceribus mirificè medetur, ea extergens & ſanguinem reprimens. Ex ejus ſummitatibus deſtillatur aqua, præſtantior aquâ vitæ, vulneribus utiliſſima, & morbis omnibus qui à frigore ortum habent, uti dolori ventriculi aut partis alterius, ſi aliquot diebus bibatur. Foliis Æthiopes loco fiſtularum ad hauriendum fumum *Tett* utuntur.

Maripendam ſeu Balſamiferam arborem III. Franc. Hernandez ſic deſcribit,

Frutex eſt ſtipites ferens viginti fere dodrantum altitudinem habentes, ramóſque fuſcos, ac folia haſtarum mucronibus paria craſſa latáque, ſed ſuperna parte virentiora, & ſparſim purpuraſcentia è rubeo, & appenſa pediculis in coccineum colorem inclinantibus; fructu racematim dependente, & octo pænè uncias longo, concinnato acinis uvarum ferè ſimilibus, ſed tamen rarioribus, initio virentibus, deinde rubeſcentibus & tandem è purpureo nigricantibus.

Superior deſcriptio ab hoc fonte profluxiſſe videtur.

SECTIO QUARTA.

Arbores ſiliquoſas Miſcellaneas, vel anomalas, vel ob deſcriptiones imperfectas nobis nondum ſatis cognitas & perſpectas, complectens.

CAP. I.

De Locuſtâ arbore noſtratibus dicta, cujus ſiliqua Lobus ex Wingandecaouw Cluſio, ex ſententiâ eruditi Botanici D. Leonardi Plucknet, *M. D.*

QUalem ferat florem hæc arbor nondum diſcere potui, culta eſt in Horto inſtructiſſimo Reverendiſſimi Epiſcopi Londinenſis *D. H. Compton.*

Arbor ſiliquoſa ex Virginia lobo fuſco ſcabro C. B. *item arbor ſiliquoſa ex qua gummi Animie elicitur* C. B. *Jetaiba Braſilienſibus* Piſon. & Marcgr. *Arbor Braſilienſis ſiliquoſa & gummifera, gummi Anime ſimili.* *Lobus ex Wingandecaouw* J. B. **The Locuſt Tree.**
Piſo.

Ligno eſt duro, albo, ædificiis & machinis aptiſſimo, cortice lento, punctulis ex albo flaveſcentibus variegato, & hinc inde clypeiformibus maculis ex albo ſubflaveſcentibus. In ramis continet *folia* duo vel tria ſibi oppoſita, figurâ parva, ſed oblonga, viridia, ad tactum lævia, nervo ſecundùm longitudinem, & venulis tranſverſis infernè conſpicuis prædita. Fructum fert in *ſiliquis* oblongis, compreſſis, duriuſculis, coloris hepatici & quaſi lævigati. E ſiliqua fracta promanat ſubſtantia molliſſima, filamentoſa, ſubincarnati coloris, ſaporis farinacei & ſubdulcis, quæ cruda edulis eſt. Huic farinaceæ ſubſtantiæ tres utcunque lapides, compreſſi, glabri, * nigri involvuntur, † figuræ & magnitudinis dactylorum.

* *Coloris caſtanei* Marcgr.
† *Magnitudine dactylorum, figuræ ovalis.* Marcgrav.

Vires.

Hæc arbor reſinam dat odoriferam, quam Braſilienſes vocant *Jetica-Eica*, Luſitani verò *Anime*, ob ſimilitudinem quam habet cum *Anime* novæ Hiſpaniæ. Eo non ſolùm medici, ſed & vulgus familiariter utuntur, præcipuè in capitis doloribus à frigore ortis. Solus autem illius ſuffitus ad roborandum non ſolùm caput, ſed & reliquas corporis partes frigore affectas valet. Suaviſſimi eſt odoris & facilis conſumptionis. Vi quadam aromatica & peculiari ſuo calore hoc gummi præſtare, ac partibus nervoſis illitum, vel emplaſtri formâ applicatum prodeſſe multi mecum experti ſunt.

Folia arboris contuſa lumbricos enecare, ſi exhibeantur, conſtanter indigenæ teſtantur.

Interior corticis ſubſtantia raſa, & aquæ impoſita contra ventriculi ventoſitates ad potiunculæ formam præparatur, alvúmque ſimul movet.

Locus.

Arbor hæc ſpiſſa & ſpecioſa in Paraybæ præſertim diſtrictu provenit.

Gummi per meatus corticis interiores decidere certiſſimum eſt; illud enim tellure effoſſa, ſub arboris trunco & radice occultatum extrahere ſolent. Quod potiſſimùm fit ſub finem æſtatis, menſe Februario. Monardes ex vulnerata arbore in Nova Hiſpania colligi teſtatur, haud aliter quàm Maſtiche aut Thus.

Hujus arboris lobus à Jo. Bauhino accuratiſſimè deſcribitur & depingitur lib. 12. p. 436. appicta etiam planta novella è ſemine ortâ.

Arborem noſtratibus **the Locuſt Tree** eandem cum hac eſſe mihi perſuadeo: namque & figura & deſcriptio fructûs apud J. Bauhinum Locuſtæ noſtræ fructui conveniunt, & *folia* arboris tenellæ foliis Jetaibæ apud Piſonem.

Hujus arboris lobus, ſed ſeminibus exhauſtus ad me tranſmiſſus eſt à peritiſſimo Botanico *D. Doody*, Pharmacopœo Londinenſi, qui iconi Lobi ex *Wingandecaouw* Cluſii ejúſque deſcriptioni ſatis bene reſpondebat. Folia arboris, quæ unà miſit, idem amiciſſimus Vir Jetaibæ arboris à Piſone depictæ foliis quoad formam ſimilia erant, niſi quòd nervus ſeu coſta, folium per longitudinem dividens, non medium percurrebat, ſed tela folii ad coſtam exterior multo latior erat quàm interior & arcuata. Erant autem *folia* glabra, denſa, ſupernè ſplendentia Laurinorum conſiſtentiâ, & quodammodo etiam figurâ, niſi quòd ob telam folii dictam in latitudinem evagantem ab uno latere magis prominerent & arcuata eſſent (An tamen hoc conſtans ſit in omnibus foliis hujus arboris neſcio) tres inſuper circiter digitos longa, ſeſquidigitum lata, erant hæc folia. Addit præterea idem *D. Doody*, ſe ab Amico quodam qui in inſulâ Antego aliquandiu vixit, à quo & folia accepit, edoctum, Arborem ipſam excelſam eſſe, caudice craſſo, comâ in cacumine frondoſâ & patula, umbram præbente ſpatioſam, ob quam præcipuè expetitur & in longinquas regiones, ut v. g. Novam Angliam, transfertur materie, alburno excepto, ſubrubente, dura, ſolida, & quando lævigata ac polita aſpectui pulchra, multi in mechanicis uſûs, præcipuè ad molendinorum Sacchareorum rotulas cylindróſve. Hinc etiam arborem hanc cum *Jetaiba* eandem eſſe conjicio, ſiquidem Jetaibæ lignum, tradente Marcgravio, valdè durum eſt, & ad trabes ædificiorum atque axes Machinarum uſurpatur. Cortice lævi, albicante. Florem ob proceritatem arboris ſe nunquam potuiſſe obſervare. Pulpam fructus, interiorem colore ſubluteo eſſe, ſapore acido, indéque ad ſitim extinguendam ab indigenis comedi. Hæc deſcriptio, (inquit *D. Doody*, cui & nos aſſentimur,) adeò exacte convenit cum Rochefortiana Arboris *Courbary* dictæ Hiſtor. Antill. cap. 6. Art. 10. ut dubitare nequeam eandem arborem eſſe. Vide & confer.

Hujuſmodi lobum prolixè ſatis deſcribit J. B. his verbis, Inſignis erat craſſitudinis, ſex uncias longus, tres latus [Cluſianorum alter ſex uncias longus erat, 2½ latus, alter quinque uncias longus, binas latus, uterque unciam craſſus] exteriùs ſubaſper, tuberculis minimis inæqualis, duriſſimus, Caſtanei ſaturati coloris una in parte, oppoſita verò fuſci nigricantiſque magis ac ſplendentis, in extremitate una ſecundùm longitudinem conſiderata ductu ſuo continuo in tumorem magis ac magis aſſurgit; ex oppoſita verò lobi parte ſulcus inſignis ipſi impreſſus conſpicuus apparet: in latitudine ejus lobi media parte evidenter intumeſcit, ad latera verò ſenſim detumeſcit, tumore ſolummodo in extrema longitudinis parte pediculo oppoſita liberaliùs excurrente: pediculum denique pluſquam uncialem obtinet, obliquè infixum, duobus internodiis præditum; ad lobum tenuior eſt & rotundus, aſperiuſculus fuſcúſque, ulterius verò progrediendo verſùs utrumque internodium craſſior & aſperior evadit, donec tandem in extremitatem latam teretemque abeat. Aperti jam lobi craſſities pennæ ſcriptoriæ vulgaris craſſitudinem adimplet, ſubſtantia albicante fuſcâque donata: cavitas ejus uncialis eſt, interiùs pluſquam fuſca nigricánſque, ad pediculi regionem extremum anguſtior fit, & in ſe omni ex parte coarctatur, in oppoſita verò parte finali rotundatur & arcuatur: Confricantis digitum tenuiſſimo pulvere fuſco aſpergit inficítque: cruſtam habet interiorem cavitatem undique ſuccingentem, quæ tenuior cùm ſit, levi opera à reliqua craſſiore ſubſtantia abſtrahi avellíque poteſt, cui ſubeſt ſplendens quædam ſubſtantia, fuſcedine itidem ſibi conſueta oblita imbutáque.

In Cluſii lobo latebant quinque aut ſex officula veriùs quàm Phaſeoli, uncialis longitudinis, Avellanæ magnitudine, dura, nigra, album nucleum continentia, Amygdalæ vel Avellanæ ſapore.

Alium hujus generis lobum habuit Cluſius ſeptem uncias longum, 3½ latum, minùs craſſum ſuperiore & coloris magis ſpadicei, qui plenam maturitatem nondum adeptus videbatur, ex inſula *Hayti* ſive Iſabellæ vicina deſerta & inculta delatus.

Cap. II.

Arbor ſiliquoſa Braſilienſis Caaroba dicta. Caaroba Piſon.

Piſ. ARbor ſylveſtris terris potiſſimùm gleboſis Parnambucenſis præfecturæ delectatur. Si minùs felici ſolo creſcat parvæ arbuſculæ vix æquatur. *Florem* fert è cœruleo purpuraſcentem, idque menſe Junio: Semen autem nigricans, quod matureſcit menſe Septembri: *Fructum* rarum, ſed inutilem, Phaſeolo maximo ſimilem, qui maturus factus aperitur manétque vacuus.

Ejus *folia* oblonga ſunt, linguæ figurâ, dilutè viridia, nervo ſecundùm longitudinem, & coſtis obliquis eminentibus prædita.

Guſtu ſunt amara; ſiccata ac contuſa fomentis ac balneis peridonea. Quæ ex illis conficiuntur remedia, etiam internè aſſumpta, exſiccandi, mundificandi ac ſanandi vi pollent: quod feliciter in plurimis chronicis & articularibus morbis, imprimis autem in Lue Venerea curanda, Piſo ſe expertum ait. Eadem trita, atque in emplaſtrum præparata, ulceribúſque applicata, mirificè proſunt, morbúmque radicitus ſæpe expugnant, præſertim ſi repurgato primùm corpore eorum decoctum per aliquot dies bibatur, & ſudores provocentur. E floribus quoque componunt conſervam ad eundem uſum. *Hæc omnia Piſo.* *Vires.*

Cap. III.

Planta leguminoſa Æthiopica foliis Ruſci Breynii.

Breyn. HUjus ramulum duntaxat dodrantalem vidit Breynius. Ille autem lignoſus erat, triangularis, & ſuperiùs in ramulos duos diviſus; circa quem ſine certo ordine ſparſa ſunt frequentiſſima *folia*, pediculis penitus carentia, dura, ſolida, Ruſci æmula, majora autem, &c, ſi accuratè eadem obſerves, in ambitu leniter ſerrata, anteriùs in mucronem acutiſſimum & pungentem exeuntia, in baſe ſinuoſa, & planè ſicut corculum quod pingi ſolet formata, multis nervis, ſecundùm longitudinem excurrentibus, pallidi coloris, tranſverſim venulas multas habentibus notata. Florum forma me latet. *Fructus* verò ramorum cacuminibus inſidentes, *ſiliquæ* ſunt teretes, uncialis longitudinis, rigidæ, tumidiuſculæ, membranaceæ, & ex purpureo ſpadiceæ, quæ è calyculis ejuſdem coloris & ſubſtantiæ, in lacinias quinque deſinentibus prominent, *ſeminibus* inanes, nempe priùs apertæ quàm à me conſpectæ.

Cap. IV.

Pentaphylla ſiliquoſa Braſilienſis caudice ſpinoſo media parte in ventrem intumeſcente. Saamouna Piſon.

SIquæ aſpectu mirabilis, excelſa & patula ſanè eſt hæc arbor, iiſdem ſylvis mediterraneis quibus *Cabireiba* conſpicienda; quæ ſuperiore & inferiore trunci parte ordinariæ eſt craſſitiei, ſed in medio duplo plus obeſa, inſtar amphoræ adeóque tumida apparet, ut peregrinantem attonitum remoretur. Ex ramis pediculi emergunt longi, *Pentaphyllum* quiſque protrudens, ornatè diviſum

ſum & ſerratum, multis obliquis venis veſtitum. *Siliquas* fert oblongas, Piſa rubra continentes. Totus truncus ſubſtantiâ eſt intus albâ, medulloſa & planè ſuberoſâ, exteriùs cinerei coloris, validis & horridis ſpinis à pede ad verticem uſque obſeſſa.

Vires. Ex turgidis ſpinis, raſis & contuſis ſuccus elicitur eximius, cujus vel exigua quantitas inflammatis & involuntariè lachrymantibus oculis affrictus medetur, tum manifeſtè quoque viſum acuit, & robur illi addit.

CAP. V.

1. *Arbor ſiliquoſa Braſilienſis foliis pinnatis, coſtâ mediâ membranulis utrinque extantibus alata. Ingæ ſpecies, Belgis vulgò Lotus* Marcgr.

Marcgr.

Arbor eſt haud magna, ramos & ramulos oppoſitos habens alternatim, & in * ramulis duo, tria aut quatuor paria foliorum acuminatorum, itidem oppoſita: *Caulis* ad quodlibet folium alatus cordis figurâ, ut & reliquæ ſpecies. Florem non deſcripſit Auctor. *Fructus* eſt ſiliqua fabacea, compreſſa, flava, duos, tres vel quatuor digitos longa, intus quatuor, quinque, ſex, vel plura *ſemina* tranſverſim poſita continens, veſtita pulpâ niveâ, quaſi holoſericeâ, ad tactum frigidiuſculâ, ſaporis dulcis gratiſſimi, quæ ſponte ſeparatur ab invicem pro numero granorum ſeminis, & dentibus ſeparatur à ſeminibus, & comeditur, éſtque boni ſaporis: Semen autem minimè, quod eſt olivacei coloris oblongum, fiſſile in duas partes ſecundùm longitudinem. Fructus maturatur Maio.

* *Quos ramulos vocat nihil aliud ſunt quàm folia pinnata.*

2. *Arbor ſiliquoſa Braſiliana, ſiliqua hiſpida ferruginea, Ceratoniæ facie* Breyn. *Inga Opea Piiba Braſilianorum* Marcgrav.

Breyn.

Arbor hæc Sorbi facie naſcitur, ramis plurimis laterorſum extenſis, cortice cinereo, & potiſſimùm circa faſtigia inſtar Rhois ſubhirſuto veſtitis: quibus *folia* alternatim adnaſcuntur, uni coſtæ, ſeſquipalmaris ferè longitudinis, craſſæ & hirſutæ, dena plerunque ex adverſo ſita, per intervalla inhærentia; ſingularia verò folia ad Sorbi quodammodo accedunt à quibus potiſſimùm diſcrepant, quòd latiora, nullo modo ſerrata, Myrti Laureæ effigie, ſed paulo majora, ac nervo rufeſcente, & venis, fibris, piliſque ferrugineis, tam in ſupina ſplendidiſſima, quàm in prona parte, dotatæ ſunt. *Flores* breviſſimos pedunculos, articulis duobus interceptos habentes in ramorum extremitatibus ſeptem pluréſve quaſi in ſpica brevi cohærent, ut credo, tubuloſi, & albi ſeu lutei coloris, in modum plerarúmque Ingarum Braſilienſibus. Hi locum ſuum poſtmodum ſponte concedunt *ſiliquis* ſubſequentibus, quatuor aut quinque uncias longis, unam latis, compreſſis, forma Ceratoniæ, anteriùs adunco apice prominentibus, & ſecundùm longitudinem ad utrumque latus, veluti Piſorum ſiliquæ, filo quodam circundatis; quod inviſibile interdum ob pilos hirtos ferrugineos ſiliquam hanc elegantiſſimam impensè itá veſtientes, ut tactu & aſpectu velut ex matèria holoſericea confecta videatur.

Cæterum *Inga-Opea-piiba* Braſilienſium ſic breviter deſcribit Marcgrav. Arbor eſt cortice cinereo, in multos ramos expanſa: *Folia* ſibi directè oppoſita habens, duos, aut duos & ſemis digitos longa, rufeſcente nervo, ac venis & pilis rufeſcentibus ſupernè & infernè; ramuli juniores item pilis veſtiti. Poſt flores proveniunt *ſiliquæ* parallelogrammi figurâ compreſſæ, & in totum pilis hirſutæ rufis, in quibus continentur ſemina.

3. *Inga alia ſpecies* Marcgr. *Siliquoſa Braſilienſis, Inga dicta, ſiliquis longiſſimis contortis.*

Marcgr.

Arbor eſt cortice fuſco, in multos ramos expanſa; *folia* oppoſita, & ramos alatos habens, ejuſdem pænè formæ & conditionis, nec diſtat multum à cæteris ſpeciebus præterquam fructibus qui flores ſequuntur, quinque, ſex, ſeptem, pedes longi, ex viridi ſubrufeſcentes, contorti, Sacchari penidiati figurâ, vel confectarum radicum Pimpinellæ.

4. *Arbor ſiliquoſa Braſilienſis foliis pinnatis, coſta media ad ſingula pinnarum paria appendicibus Aurantiarum æmulis alatis. Inga Braſilienſibus* Marcgrav.

Marcgr.

Arbor eſt cortice fuſceſcente ut Alnus, ligno lento. *Folia* habet longa, non ſerrata, viridia, ordine ſibi invicem oppoſita, & præterea ramulos inter folia appendicibus alatos, quæ cor effigurant, & viridia ſunt ut folia ipſa. Ad exortum autem ramulorum in ramis majoribus terni ſemper juxta ſe invicem proveniunt pediculi, ſeſquidigitum longi, in quorum ſingulis duodecim, quatuordecim aut quindecim, plures paucioréſve in uvæ modum enaſcuntur ovalia capitula, quæ ſeſe pandentia dant *florem*, conſtantem quinque foliis albis, leniter hirſutis inſtar ſerici, figurâ florum Lilii convallium pæne ſimiles. E medio autem floris exit manipulus filamentorum albiſſimorum, ſericeorum, longitudine duorum digitorum. Flos porrò dulcis odoris ut Tiliæ. Filamenta hæc in extremitate apices luteos obtinent, ac ſtant erecta inſtar plumarum, & decerpto flore marceſcunt.

Hujus generis plantam Romæ aliquando vidi in horto Henrici Corvini, qui eam pro China Chinæ oſtendebat.

Hæ Arbores Ingæ dictæ peculiarem habent foliorum ſtructuram. Eorum enim coſtæ mediæ ad quas pinnæ conjugatim annexæ ſunt, inter pinnárum conjugationes appendicibus ſeu alis utrinque aucta ſunt, iis ſimilibus quæ ad baſin foliorum Mali Aurantiæ cernuntur, duæ autem hujuſmodi appendices ſimul cordis figuram referunt. Hujuſmodi plantam Romæ cùm eſſemus nobis oſtendit D. Henricus Corvinus in horto ſuo creſcentem pro China Chinæ.

Cap. VI.

De Syringa.

1. *Syringa cœrulea* Ger. C. B. *flore cæruleo, ſive Lilac* J. B. *Lilac Matthioli, ſive Syringa flore cæruleo* Park. **Blew Pipe-tree or Lilac.**

J. B.

ARboris interdum magnitudinem acquirit, plerunque tamen fruticoſa eſt, *radice* multùm repтante & pullulante, eóque plurimùm multiplicante, *ſtolonibus* robuſtis: *cortice* exteriore in cinereo vireſcente detracto librum oſtentans viridem, ſub quo lignum ſolidum, firmum. In extremitate ramulorum ſunt craſſæ ac turgentes gemmæ. *Folia* bina adverſa, contrarióque ortu ſerie quadam cruciformi diſpoſita, Aſclepiadis foliis quodammodo ſimilia ſed latiora, vel Apocyni rotundioris aut Populi nigræ, ſubrotunda, in acumen tamen deſinentia, mollia primùm cùm floret, poſtea duriora & firmiora, utrâque parte glabra, pediculis uncialibus aut amplioribus appenſa, ſubamara & nonnihil acria. *Flores* ex privato ſurculo imbricato foliorum ſtipatu obvallato ſuaveolentes oriuntur, in jubæ formam diſpoſiti, numeroſi, ſine foliis, quorum ſinguli ad flores Laureolæ flore deciduo accedere videntur, oblongi, rubentes, aut ex rubore cœrulei, quinquepartiti, quatuor apicibus croceis, altè reconditis farcti. Subſequuntur veluti *ſiliquæ*, rubentes, compreſſæ, vix unguem longæ, ex brevibus pediculis, quæ maturæ in duas partes ſeparantur, & pulchrè hiant; in quarum interſtitiis ſecundùm longitudinem porrecta latitant *ſemina* longa, anguſta, compreſſa, foliacea, tenuia, Cluſio bina in ſingulis.

De loco hujus natali nihil certi traditum invenio, nec enim cauda vulpina Turcarum *Bellon. obſ.* eſſe poteſt, cùm ea ſit folio ſemper virenti. Cujuſvis tamen cœli patiens eſt. Aprili menſe floret. Et ob florum pulchritudinem & ſuaveolentiam in hortis colitur, quamvis nullius in medicina uſûs ſit.

Syringa Africum vocabulum C. Bauhino videtur. At Cluſio placet hanc arborem Syringam à virgarum rectarum longitudine & fungoſæ interioris medullæ copia dici, quâ exemptâ ramuli fiſtuloſi fiunt. Floris colore interdum variat. Habetur enim flore purpureo, & lacteo ſeu argenteo.

2. *Syringa Perſica ſive Lilac Perſicum inciſis foliis, Jaſminum Perſicum dictum* Park. *Agem Lilag Perſarum, ſive Lilac inciſo folio* Cornut. *Syringa cœrulea* Ger. J. B. *Liguſtrum foliis laciniatis* C. B. *Syringa Perſica-purpurea fol. laciniatis, & fol. integris.*

Frutex eſt nunc trium, nunc quatuor cubitorum longitudine, ligno molli, ſubalbo, multâque intus medullâ alba repleto, *cortice* pullo aut fuſcè rubente, milléque punctulis ſubluteis maculato. *Radix* ſubeſt lignoſa & fibroſa, ut Punicæ. Varietas eſt peculiaris in folio, quod in humiliori ramulo Gelſemini diviſurâ laciniatur; in editiori autem ſine laciniis eſt, refértque quodammodo Liguſtri vulgaris folium: cui magnitudine & figurâ eſt æquale. Biferum eſt: primus flos ante Solſtitium racematim cohærens dilutè purpuraſcit, efflátque odorem vulgari noſtro longè ſuaviorem. Alterum floris tempus, eſt ſerus Autumnus (quanquam apud nos id accidat raro, & ſi quando contingit tunc temporis in florem proſilire, non ille perfectus eſſe ſolet, nec pari copia ſubnaſcitur) Excipit florem ſiliqua brevis & latior, quæ acumine extenuatur, utrinque lineolâ diſcreta, qua parte per maturitatem media diffinditur: apparétque *ſemen* ſubnigrum, vulgari ſimile, ſed minus.

Foliis Jaſminum Catalonicum proximè æmulatur, unde à nonnullis Jaſmini nomen ei inditum. Verum nulla alia in re cum Jaſminis convenit, ſed in omnibus cum Syringa; floribus in ſpicas digeſtis, Syringæ cœruleæ adeò ſimilibus, ut vel obiter intuenti Syringam eſſe ſe prodat, quin & florendi tempore, & fructûs figura, (qui huic ſiliqua dura eſt & mucronata, Jaſmino bacca) à Jaſmino differt, & ligni natura, (quod huic album medulloſum, cortice lævi) & denique ſeminis totiúſque fruticis ſapore, (qui Lilac initio ſubaſper, tandem ſub finem leviter aſtringens, Gelſemino amarus, acer & mordicans, ac ſummopere adſtringens.)

Jaſminum cœruleum Serapionis eſſe videtur. *Agem Lilag* florem Perſicum ſignificat: *Agem* enim Perſidem ſignificat, *Lilag* florem.

Variat foliis integris, undè Agem Lilag Perſarum folio integro *Cornut.* Jaſminum Perſicum fol. non laciniatis *Sutherland.*

Cap. VII.

Syringa alba Ger. *alba, ſive Philadelphus Athenæi* C. B. *flore albo* J. B. *flore albo ſimplici* Park.

Cluſ.

VAldè elegans eſt hic frutex, multis ab radice longis virgis præditus, rectis, cinereo cortice tectis, digitalis aut majoris craſſitudinis (quæ tandem brachialis interdum evadit) nodoſis & quodammodo geniculatis, multam medullam in ſe continentibus: hæ demum in multos enellos virides ramos ſparguntur, quos ex intervallis bina ſemper *folia*, contrario pediculorum exrtu naſcentia exornant, Laurinis majora, oblonga, per extremum mucronata, rugoſa, viridia, in mbitu crenata, amariuſculi primùm deguſtantibus ſaporis, deinde acris. *Flores* extremis ramulis nſident, terni, quini, ſeptení, nonnunquam plures, bini ſemper inter ſe oppoſiti, extremo impare: onſtant ii quatuor foliis acuminatis, albis, numeroſis fibris pallidis mediam floris cavitatem & umbilicum

cum occupantibus: odor jucundè gravis, qualis in aureorum malorum & citriorum floribus. His ſuccedunt *capitula* è multis quaſi valvulis compacta ſupernè obtuſa, primùm viridia, deinde per maturitatem nigricantia, quibus dehiſcentibus oblongiuſculum & tenue ſemen excidit, quod plerunque novellam plantam procreat: naſcitur etiam avulſione, & ſtolonibus radices ſpargentibus mirè ſe propagat.

Tempus & Locus. Floret Junio, ſemen Auguſto maturum eſt. Locus natalis non traditur: in regionibus tam frigidis quàm calidis ſatis lætè viget, utriuſque (ut videtur) extremi patiens, & culturam libenter admittens. In Sabaudia propè montem Salevæ eam obſervavi, procul à domo quacunque, non tamen auſim dicere ibi ſponte ortam.

Vſus. Utuntur floribus recentibus ſæpius mutatis ad ſuavem odorem chirothecis communicandum.

Ad hunc locum non pertinet, verùm ob communionem nominis à Syringa cœrulea non ſeparandam duxi.

CAP. VIII.

Braſilienſis ſiliquoſa ſiliquis variè intortis. Avaramo-temò Piſon.

Piſon.

HÆc arbor mediocris eſt altitudinis, montoſis locis creſcens, *foliis* triſte viridibus, exiguis, buccini ſimilibus: *Siliquis* eſt inutilibus, ex minio nigreſcentibus, miris variiſq; modis incurvatis, quæ æſtivis menſibus conſpiciuntur, & acinis rubris exiguis repletæ ſunt.

Vires & Vſus. *Cortice* exteriùs & cinericeo, interiùs ſaturè rubente, quem ſolum expertiores in Medicinæ uſum receperunt, licet foliis eædem qualitates adſtringentes à nonnullis attribuantur. Cortex enim (qui guſtu amarus eſt) ſive in pulverem redactus, ſive excoctus & fomenti loco adhibitus, ulceribus inveteratis & malè moratis feliciter medetur, ipſúmque Cancrum ſubinde inſigni mundificandi & ſiccandi qualitate curâſſe fuit compertum.

Præter hæc, quia efficaciſſimè adſtringit, balnea ad firmandas effœminatas carnes ex illis conficiuntur. Potiſſimùm verò meretrices iis utuntur, ut laxis pudendi partibus tonum reſtituant; imò quà poſſibile virginitatem hoc dolo prætendant.

CAP. IX.

Arbor ſiliquoſa Indica ſiliquis longis contortis, in quatuor cellulas per longum diviſis. Nir-Pongelion H. M. *P.6. T.29. p.53.*

PYro haud abſimilis eſt, caudice decem plus minùs pedes alto, hominis unius complexum craſſo, cortice è viridi cinericeo obducto: *Ramos* habet patulos, qui teneriores ſpadicei internigrantes ſunt, vetuſtiores cinerei. *Radicis* villoſiſſimæ tam lignum, quàm graveolens acidúſque cortex albicant. *Folia* mollia, denſa, glabra, nitentia, ſubtus dilutiora, oblonga, propè pedunculum rotundiora, anteriùs acuminata, bina oppoſita, curtis fuſcíſque pediculis, communibus innituntur ſurculis, viridibus, alternatim prodeuntibus, ſulco ſtriatis. Purpurei coloris eminens coſta obliquè percurrit folia, quæ odoris ſaporíſque valdè ſunt acris atque infeſti, ubi tenuiora è ſpadiceo rubentia. *Flores* in ramorum ſummitatibus provenire ſoliti, utplurimùm propriis petiolis craſſis parumper propendentibus inſiſtunt, terni, tubæ formam referentes; quippe è calyce longo anguſtóque collo propendentes latum in orificium tetraphyllon deſinunt; folia craſſiola carnoſa circum oras criſpantur: hæcce inter *ſtamina* candidiſſima, ſpiſſa, acuminata levitérque inflexa eminent. Ex ipſo autem umbilico candicante erigit ſe elongus candens *ſtylus*, cujus caput explanatum eſt. *Inſequentes* floribus fructus inſtar Caſſiæ nigræ contortæ, mucronatæ, unum duóſve cubitos longæ *ſiliquæ* ſunt, cortice ab uno latere è rubro nigricante, ab altero è viridi fuſco, lignoſis intus filamentis pertexto, odore graveolenti: hæ carnioſo denſóq; juxta longitudinem interſepimento, in quatuor, mox tranſverſim in plures diviſæ cellulas, *ſemina* includunt, è longo anguſta, ſuperficie quà ſibi mutuò incumbunt valdè plana, materie duriora, lignoſa, primùm albidula, ubi ſicceſcunt rubentia.

Locus & Tempus. Humido limoſóque gaudens ſolo *Oedampere* aliiſque locis in fruticetis invenitur. Flores menſe Aprili ſequentibúſque, nonnunquam bis in anno prodeunt; Fructus Septembri Martióve menſibus. Semper virens, 30 complet annos.

Vires & Vſus. Fructibus delectantur Pſittaci. E ramis radicéque confecta retia corticis decocto ſubrubro ea conſervare aſſuevere piſcatores. Fructûs verò nucleus cum exſiccato Zinzibere, radice fructúve Pavettæ contritus, mediante Oryzæ lotura, ſpaſmodicis affectibus Malabaræi *Padda-venera* vocant, laboranti parti applicandum egregium linimentum ſuppeditat.

Cap. X.

Iſora-Murre H. M. *P.* 6. *T.* 30. *p.* 55. *Frutex Indicus, fructu è ſtyli apice egreſſo, ſextuplici funiculo, in ſpiram convoluto conſtante.*

H. M.

PRuni altitudinem æquat frutex iſte. *Ramis* eſt cortice craſſo, duro, colore cinereo, intùs virenti, ſapore ſubamaro, obductis; ligno duro candidóque. *Radix* flava, guſtu amara, olfactu haud ingrata. *Folia* craſſiora, rigida, ſupina parte hirſuta, aſpera, Mori æmula, lata, per ambitum crenata, vel plura, vel ſolitaria, brevibus capillatíſque pediculis è viridi fuſcis, ipſis ramis inſiſtunt; coſtæ utrinq; eminentes tres quatuórve è petiolo prodeuntes in minores ſe diffundunt, guſtu amaricante: *Flores* hinc indè ramorum è nodulis vel ſinguli, vel bini, vel terni pluréſve ſimul brevioribus, rigidis, ſcabris luteis petiolis erumpunt, inodori, tenuibus & tranſlucidis colore aureis conſtantes foliis: horum unum, ſtylo accumbens erigitur petalum, quatuor verò lateralium inſtar alarum expanſorum duo minora anguſtioráve obliquè attolluntur; duo inferiora latiora & ampliora ſubtus atris aſperſa maculis, deorſum incurvantur. Hæc inter aureolum, aſt inflexum, vireſcens procerior *ſtylus* extollit caput. Fructus autem ſtyli capitulo tranſverſi velut pedunculo inhærent digitales, è ſex velut funiculis, in quos præ ſiccitate poſtea ſe reſolvunt ſpirali modo in coni formam contorti. *Semina* plura è viridi fuſca funiculis ſingulis incluſa continentur.

Arenoſis proveniens locis ſingulare non poſtulat ſolum: conſpicitur inter *Cranganoor* & *Mangatti*, ut & in aliis regionibus, ſed rarior. Februario Sextilique menſibus flores, continuo fere maturum exhibet ſemen. Frondes ei nunquam decidunt. *Locus & Tempus.*

Vires egregias in empyemate ſtomachíque affectibus præſtant radicis ſuccus, vel ipſa forinſecus adhibita. In exanthemate quoque & Paneritio ſimilibúſque vitiis ſummopere convenire fertur. *Vires.*

Cap. XI.

Katou-Pulcolli H. M. *P.* 6. *T.* 23. *p.* 41. *Frutex Indicus flore dipetalo capſula oblonga, binis cellulis bina ſemina continente.*

H. M.

FRutex eſt hominem longus, cujus inodora è *radice*, fibroſa, ruffa geniculatus carinatúſque exſurgit *ſtipes* duntaxat unus, fractu perfacilis, ramulos è geniculis protuberantes habens gemellos oppoſitos. *Rami* ut & ſurculi pertenues ei ſunt, colore fuſci, teneri, pilis rugoſi. *Folia* hîc illic ſurculis inſident rara, è longo anguſta, longitudinis pollicaris, è viridi fuſca, infernè dilutiora, quæ lapſis floribus ramis decidunt. *Flores* purpurei è foliaceorum ſurculorum erumpentes extremitatibus, *folia* habent è longo anguſtiſſima, erecta, extrorſum criſpata, quorum unum anguſtius, infernè candidum venis ſtriatum, alterum latius eſt. *Stamina* bina exalbida, purpureis oblongis apicibus, duabus quoque gemmulis exornata, albens ſibi è calyce viridi exortum adjunctum habet filamentum. Decidentibus floribus è calyce *capſulæ* enaſcuntur ſeminales, ubi calyce excipiuntur è longo anguſtiores, capitulo compreſſo oblongóque ſunt, virides hirſutæ, ſiccæ lignoſæ, cortice albulo. Ipſa verò *ſemina* complanata, è ruffo fuſca, duabus in cellulis interſepimento quodam diſtinctis, prope capitulum bina utplurimum reperiuntur, fabæ figuram æmulantia, odore ſaporéque carentia.

Arenoſis ipſis frutex apricíſque gaudens campis circa *Cochin* & *Warapoli* multus eſt. Flores Januario, ſemen maturum Martio Aprilíque dat menſibus. Medicus internus uſus in ſtomachi doloribus atque interaneorum inflammationibus eſt: externus in ſcabie herpetiq; *Locus & Tempus. Uſus.*

Cap. XII.

Alpam H. M. *P.* 6. *T.* 28. *p.* 51. *Siliquoſa Indica flore tripetalo ſiliquis teretibus pulpa abſque ſeminibus repletis.*

H. M.

HUjus fruticis caudex bis términe diviſus cortice veſtitur è cinereo viridi, inodoro, acido adſtringentique. *Rami* ligno albicante, medulla viridi perfoſſo, nodis interſtincti ſunt. *Radix* rubra in capillaceas deducta fibras undique ſe diffundit. *Folia* ex oblongo anguſta, in cuſpidem exeuntia, ſupernè ſaturo virore nitentia, infernè ſurdiora, coſta majori ramuloſa, venis nervíſque intertexta, craſſis, curtis, interiùs planis, ſingula duntaxat adhærent petiolis. Odore ſunt haud ingrato, ſapore ſubacri. E purpureo nigelli, inodori, rotundis ac tenuiſſimis è petiolis prorumpunt *flores* bini terníve ſæpe conjuncti, tribus latioribus cuſpidatis conſtantes foliolis, externè niveis obductis pilis; quorum in medio conſpicitur trifariam oblongis, tranſverſis, rubris ſtaminibus diviſus *ſtylus*. Floribus cuſpidatæ teretéſque pulpam carnoſam abſque ſeminibus, ſaltem conſpicuis, ubcreſcunt *ſiliquæ*.

Locis delectatur arenoſis & apricis, in *Aregatti* & *Mondabelle* aliíſque locis copioſus eſt. Flores & fructus in anni tam exodio quam exordio, frondes ſemper apparent. *Locus.*

Quodcunque hujus fruticis cum oleo in unguentum redegeris ad pſoram vetuſtiſſimáque valet ulcera. *Vires.*

Foliorum ſuccus cum Calamo aromatico contra ſerpentium exhibetur venenum; ſpeciatim verò Reguli ſerpentis (*Cobra Capella*) veneno reſiſtit radix ex Limonis contrita ſucco, in nodulum ligata, naribúſque pro errhino immiſſa. Ejuſdem junioris colubri infringitur virus eadem radice cum vaccino lacte propinata: quem in finem etiam cataplaſmata è Calamo aromatico atque hac radice confecta adhibentur.

CAP. XIII.

Waga H. M. *Arbor Indica ſiliquoſa flore tetrapetalo ſtellato, ſiliquis bipalmaribus planis.*

H. M.

HÆc *Intſiæ* perſimilis eſt, attamen ſpinis carens, altas maritat arbores. *Rami* ejus virides, carinati, atque ubi novi prodeunt ſurculi binis donati ſunt foliis. Radix aſtringens & amara. *Folia* parva, è lato aculeata, uno è latere convexa, medio recto diviſa nervo, intus viridia, exteriùs rubea, petiolis rubicundis ejuſdem coloris ſurculo per ordinem adhærent; quæ vel ſola, vel cum ramis mota ſtatim, quod inclinato ſemper ſolent die, ſe contrahunt. *Flores*, qui odoris ſunt mellei, caliculo incluſi rotundo, conſtantes foliis quaternis oblongis, ſtellarum modo expanſis, tenuibus, mollibus, furvis, propriis racemoſis ſurculis ſuſpenduntur. *Stamina* 13 aut 14, eminentia, tenuia, lenia, quorum infimam partem obducit lanugo, *apicum* ſunt è rubro fuſcorum. Hæc inter caput ejuſdem coloris ſe effert *ſtylus* oblongior craſſiórque. *Fructus* binas palmas æquantes; *ſiliquæ* ſunt duos pollices latæ, tenues ac præplanæ, exſiccatæ rubeſcentes, cortice intus niveo, fabas adſtringentes, amaras, teretes, paululum planas, tranſverſarias, è virente ſpadiceas continentes. Floret ut *Intſia*.

Locus. Provenit quocunque è ſolo denſis ſylvis in *Warapouli*, aliíſque Malabarici Regni locis, ſemper virentium interponitur numero.

Vires. Hujus arboris ſuccus unà cum Limonis & virente Curcuma in Nucis Indicæ oleo diutiùs coctus illinendo prodeſt lepræ; multi inſuper uſûs eſt in ulceribus inveteratis.

CAP. XIV.

Arbor Malabarica flore vario, ſiliqua nuciformi. Karin-Nioti H.M. *P.*6. *T.*18. *p.*31.

H.M.

ARbor eſt tantæ proceritatis ut ſex hominum ſuperet altitudinem. *Caudex* ei hominis craſſitudinis; rami cortice nigro, ligno albo, ſed amaro; teneriores viridi ſunt. *Radix* tum odore, tum ſapore gravis atque amara. *Folia* peramara, craſſa, ſolida, glabra, vetuſtiora facile fragilia, oblonga, obtuſa, recta in parte è viridi fuſca, infernè dilutiora; è craſſis, rotundis, ferè pollicaribus proveniunt petiolis, coſtâ multas albidulas fundente venulas, diviſa. *Flores* circa ramorum ſummitates in ſurculo perlongo, rotundis, parvulis, purpureis petiolis plures conjunctim inhærent, tribus, & quatuor, & quinque interdum, ad invicem inflexis conſtantes foliis, ex anguſto latis & obtuſis, lenibus, colore ab uno latere ſubflavo in album vergente, ab altero propemodum ſanguineo, utrinque nitentibus, è calyce in quatuor lacinias diſſecto prorumpunt. *Stylus* mediaſtinus brevis craſſúſque, filamentum oblongum è fuſco flavum emittens, *ſtamina* oblonga, crocea, *apicibus* quæ donantur ruffis, comitatur: odoris planè expertes. Succeſſi floribus *fructus* pedunculis curtis, tomentoſis faſciati elongo cauli ſeu petiolo appendent nuciformes, quamvis aliquo modo planiores, cortice craſſo, lignoſo, fungoſo ac levi, qui includit unum nucleum duos in lobos cute è flavo rubente diviſum, guſtu amariſſimum.

Locus & Tempus. Arenarum amans propè littora invenitur in inſula *Baypin*, pone *Paloerti*, *Arregatti*, aliíſq; locis, ut & in inſula Zeylonenſi. Flores ejus Januario, fructus Martio Aprilíque menſibus, frondes ſemper viſuntur.

Vires. Folia balneum præſtant febres fugans algidas, contrita verò Eryſipelati occurrunt; temporibus adfricta colubri cujuſcunque adverſantur veneno. Eorum oleo incoctus ſuccus linimento Pſydraciæ eſt. E fructibus autem primò conficitur oleum articulari, dein potio choleræ medens morbo. Radici Boream versùs excreſcenti magicas Malabaræi attribuunt vires.

CAP. XV.

Paina-Schulli H. M. *P.* 2. *F.* 48. *p.* 93. *Frutex Indicus ſpinoſus foliis Agrifolii ſiliqua geminata brevi.*

FRutex eſt ſpinoſus, naſcens in arenoſis, radice fibroſa & capillata, albicante; cortice craſſiolo, albicante, molli tecta. *Caules* teretes ſunt, virides, nodulati, ſpinis quatuor, tranſverſis, duris, aculeatis, ac ſibi invicem fermè oppoſitis in nodulis circundati. *Folia* ex ſpinarum origine bina ſimul exeunt, petiolis brevibus & craſſis, denſa, rigida & nitentia, obſcurè viridia, ſeu flavo-viridia, utrinque in oris tribus cuſpidibus aculeatis eminentibus, qui alternatim versùs pronam & ſupinam folii partem contracti ſunt, cum uno in vertice, munita. E coſta media nervi in cuſpides exeunt. *Flores* in ſummitate caulium bini unà proveniunt, uno conſtant petalo grandiuſculo, latiori & oblongo, quod versùs exteriora cum ſuperiori parte ſuíſque oris nonnihil reflexum eſt, ac rigidum & craſſiuſculum, pilis interiùs albicantibus obductum, ungue rotundo calyci inſidens, colore

lore cœruleo ſubpurpureo: in medio longitudinis, ubi extuberant ac craſſiores ſunt & glabri ſine ſpinis, colore cœrulo-purpureo magis ſaturo, ſubtus dilutiore & albicantes ac nitentes, odore nullo. *Stamina* intus quatuor, longiuſcula, craſſa & albicantia, ſupernè barbata denſis, albicantibus ſeu etiam flaviuſculis ſpinis, ac bina & bina in ſe invicem decumbentia: inter quæ emicat filamentum tenue, albicans, in ſummitate bifurcatum, exortum è globulo ſeu capitulo oblongo in calyce ſito, quod rudimentum fructûs eſt. *Calyx* foliis rotundis & ſibi mutuo circumvolutis conſtat. *Capſulæ* ſeminales grandes ſunt, oblongo-rotundæ, inferiore parte paulò craſſiores, & nonnihil planæ, in duabus oppoſitis partibus, ubi rotundiori ſuperficie ſunt, in longum unâ ſtriâ notatæ, atque in vertice uno ſpiculo nigricante eminentes, cortice per maturitatem nigricante, in profundiolo, viridi-diluto calyce conſiti, formâ externâ & magnitudine fructus *Arequa* referentes. *Semina* in duobus loculamentis in quæ fructus per interſepimentum dividitur, continentur; in ſingulis bina, oblongo-rotunda, parte qua ad corticem fructûs adjacent convexa, cum immatura ſunt candida ac nivea, & cortice craſſiolo, candido & velut fungoſo, intus nucleo albicante ſubviridi, ſaporis ſubamari.

Cap. XVI.

Nir-Schulli H. M. *P.2. F.46. p. 89. Frutex Indicus flore dipetalo labiato, ſiliquâ geminatâ aculeata.*

H. M.

FRutex eſt ſpinoſus, in udis naſcens: *radice* fibroſa, capillamentis denſis veſtita, cortice albicante, intus lignoſa. *Caules* virides, geniculati, & ad articulos extuberantes lignoſi, corculo aqueo aut viridi ſeu albicante, ramulos è ſingulis geniculis binos emittentes, alterno ordine, ſupernè quadratos, & in lateribus ſulco ſtriatos. *Folia* pariter ad geniculos ſingulos bina, petiolis languidis innixa, oblongo-rotunda, anteriùs rotundis oris in cuſpidem contracta, ad petiolum ſtricta, tactu mollia, plana, glabra, ſupernè obſcuriùs viridia, ſubtus clariora, in margine limbulo rubro acuto circundata. E foliorum ſinubus *flores* plures, ut quatuor vel quinque ſimul prodeunt, dipetali inodori, *Babel-Schulli* floribus ſimiles ſed minores, collo anguſtiore, colore purpureo-cœruleo valdè diluto, & maxima parte albicante & nitente, petalis minùs profundè in oris ſeu labris inciſis, quod latius eſt, interiori parte punctis rubicundis ſeu nigricantibus, quæ pilos emittunt, notatum, nullius pariter odoris. *Stamina, apices* & *ſtylus* ità ſe habent ut in *Babel-Schulli.* *Calyx* foliis parvis, cuſpidatis glabris conſtat. *Siliquæ* ſurrectæ, quàm in *Babel-Schulli* longiores, teretes, lignoſæ, duræ, ſupernè aculeatæ ac pungentes inſtar ſpinarum, in longum ſex ſtriis ſulcatæ, calycis foliis rigidis maximam partem arctè contentæ, per maturitatem ruffæ, in duas cellulas ſeu loculamenta interſtitio lignoſo in longum diviſæ, in quorum ſingulis *ſemina* plerunque ſex rotunda, plana, ex rubro fuſca continentur. *Nir-Schulli* dicitur quia naſcitur in aqua: nam *Nir* Malabaribus aquam ſignificat.

Folia in pulverem trita, & cum oleo Ficûs infernalis mixta, tumores corporis & pudendorum virilium diſſipant; ut de foliis *Babel-Schulli* dictum eſt. *Vires.*

Cap. XVII.

De Nerio ſive Rhododendro.

FRutex hic ad Apocyni genus pertinet quocum partibus præcipuis ſiliquis & ſeminibus convenit. Verum quia locis nonnullis fruticis modum excedit & in arboream magnitudinem excreſcit, nec ſucco lacteo turgeat, Apocyni in modum ab herbis ſeparandum & cum arboribus conjungendum duximus.

1. *Nerium ſive Oleander* Ger. *Nerium ſive Rhododendron flore rubro & albo* J. B. *Nerium floribus rubeſcentibus, & Nerium floribus albis* C. B. *Oleander ſive Laurus Roſea* Park. **Oleander, or Roſe-bay.**

J. B.

Arborea eſt planta, *caudice* recto, rectíſque ac firmis ramis brachiata, croceis ſeu ex viridi palleſcentibus; in quibus *folia* multa acuta, longa, unciam circiter lata, utplurimum terna ſimul orientia, interdum bina, ubi rami dividuntur, tranſverſum ferè digitum invicem diſſita, rigida, dura, craſſa, ſuperiore parte atro-virentia, ut Lauri folia, infernè magis propter aſperſas hinc inde maculas, albida, exſucca. Supremi rami in ſurculos aliquot divaricantur; quibus inſident *flores* multi ſimul juncti, odori, pulcherrimè rubentes, quali ferè colore Roſæ incarnatæ conſpiciuntur, aut albi, diviſurâ quinquepartita Clematidis Daphnoidis: ſingulíſque diviſionis partibus interne adnata quædam triſulca appendix: in medio apices quinque ſimul juncti, albi, piloſi. Floris verò longi velut calycis imum extrinſecùs obvallant foliola intensè rubentia. *Siliquæ* marcidis floribus ſuccedunt quales Apocyni vel Aſclepiadis ſurſum ſpectantes, pappoſo ſemine plenæ.

Naſci in maritimis & juxta flumina autor eſt Dioſcorides, & experientia confirmat. Paſſim ad aquarum fluenta in Creta reperitur: Autores Anguillara & Camerarius: quin & in Sicilia ad rivos è monte Ætna delabentes: Ad Benaci ripas, & in Argentario promontorio in maritimis Senenſibus. *Matth.* In tractu Alpino & montuoſo Liguriæ inter Nicæam & Genuam cum ſiliquis copioſiſſimè *Ludg.* In montis Baldi parva inſula Monachorum minorum Franciſcanorum ex ſaxis nudis prope aquam pullulans abundanter provenit floribus rubris & albis. *Pona.* *Locus.*

In nonnullis Cretæ inſulis ad ædicularum trabes conficiendas aptum eſt, cùm alibi parvum fit. Vide Lib. 1. cap. 27. p. 51. *Uſus.*

Vires. Dioſcorides & Plinius Nerii flores & folia mulis, aſinis, canibus, ovibus & Quadrupedum plurimis venenum eſſe tradunt; hominibus verò contra ſerpentium morſus conferre è vino pota, & magis Rutâ additâ: imbecilles etiam animantes, ut pecus & capras, ſi aquam bibant in qua folia ea maduerint mori. Aſt Galenus, cui magis credimus, Nerion foris quidem illitum digerendi vim obtinere, intro verò in corpus aſſumptum pernicioſum ac venenoſum non ſolùm hominibus, ſed pleriſque etiam pecudibus eſſe.

Cæterùm Nerion Jo. Bodæo à Stapel dicitur hic frutex à νὴ particula privativa & ἔραμαι amo quaſi inamabilis herba: Alii à nymphis Nereidibus nomen impoſitum ſcribunt. Alii ἀπὸ τοῦ νὴ ῥεῖν, quòd corpus minimè fluidum reddat, ſed potum repentè intolerabiles excitet anguſtias: intumeſcit enim venter, & ſubſequitur univerſi corporis inflammatio, omníſque humidi exſtinctio. Rhododaphne dicitur à flore Roſæ ſimili & foliis Laurinis: Rhododendron, i.e. Roſea arbor, quòd alicubi in magnitudinem arboream excreſcat, & Roſeo flore ſit.

Ob florum elegantiam & perpetuæ frondis honorem in hortis noſtris ſtudioſè colitur.

2. *Nerio ſimilis arbor* C.B. *Nerii facie arbor* J. B. *Nerii facie arbor Indica* Park.

Huic arbori propendent ſiliquæ de ramis & ſurculis, Sambuci paluſtris, medulloſis, pallidis pullis, nodoſis, ſeſquipalmum & pedem longis vaginis, cutaceis, uno cohæſu ſeptenis aut novenis, ſingulis gracilem Lampetram effigiantibus: intus farciuntur pelliculis cepaceis & tomentoſis, adeò exuvium ſerpentis ementientibus, & quiddam cadaveruli anguini ſimile involventibus, ut pueris horrori ſit & illudat. Conſimili florum exortu exeunt calyculi herbæ ſanctæ aut Stramonii.

3. *Nerion Indicum anguſtifolium floribus odoratis ſimplicibus* Herman. Hort. Lugd. Bat.

Huic ſunt folia anguſta, flores incarnati, nonnunquam rubentes, odoris grati, cætera vulgaris Nerii omnino paria. In Belgiam advexit D. *de Reede*.

4. *Nerium Indicum latifolium floribus odoratis plenis.* Herman. Cat. Hort. Lugd. Bat.

Vulgare Nerium per omnia æmulatur, niſi quòd flores multiplici petalorum ſerie ſint constructi, ad amplitudinem Roſæ moſchatæ, coloris incarnati, propitiore cœlo dilutè rubelli, odoris ſuaviſſimi, ob quem de collo geſtantur ab Indis. Colitur in hortis Zeylonenſium aliorúmque Orientalium.

5. *Nerii ſiliquæ effigie Kaye Baka* J. B. *Fructus Nerii ſiliquæ figurâ* C. B. Cluſ. exot. l. 3. c. 19.

Cluſ. Teres, infráque digiti minimi craſſitudinem erat fructus, qui integer ſex unciarum longitudinem ſuperâſſe videbatur, immaturæ Nerii ſiliquæ formam quodammodo referens, denſo cortice præditus, foris rugoſo ſtriatóque & veluti innumeris tuberculis obſito, inſtar Onagricæ pellis, ſive corii è quo vaginas ſuis cultellis & acinacibus excipiendis tegunt Turcæ, nigro alioqui, niſi ea parte quæ pediculo proxima, illa enim ruffa erat. Adeo ſolidus erat unus ex his fructibus, quem per longitudinem ſecare tentabat Cluſius, ut frangeretur citiùs & in partes diſſiliret quàm ſciſſuram admitteret. In confracti tamen particulis lanuginem quandam obſervabat, illi non valdè diſſimilem quæ in Nerii ſiliquis conſpicitur. Dum recens eſt edulem eſſe affirmabat Abdala Guzarate oriundus.

CAP. XVIII.

De Gelſeminis ſpuriis ſiliquoſis.

1. *Gelſeminum Hederaceum Indicum* Cornuti. *Gelſem. Indicum maximum flore phœniceo* Ferrar. *Pſeudo-apocynum Virginianum, alias Gelſeminum maximum Americanum flore phœniceo* Park. *Tecomaxochitl Mexicanis.*

Cornut. Vivaci & lignoſo eſt *ſtipite*, ligno raro, ſarmentoſo, medulloſo, colore pallido, cortice aſpero, ſubnigro, multiplici, ut qui extimâ parte rimis hiulcus in plures fibras radicis ſpeciem gerentes finditur, Vitis in modum. Rami undiquaque luxuriant, Sambuci more, medullâ pleni, tenues, geniculati, herbacei [caulem plantæ tenuem, geniculatum, lentum atque erraticum tribuit Ferrarius] *Folia* utrinq; adverſa ad genicula oriuntur, Sorbi inſtar aut Mollis Cluſii more diviſa, ſimilitérque ſerrata, guſtu initio fungorum, tandem ſine morſu leviter ſiccante. Septembri menſe in apicibus ramorum corymbus denſior apparet, puniceis quibuſdam velut racemis in orbem circumactis: globuli illi *florum* gemmæ ſunt, qui ſenſim in calathos oblongos coloris punicei dilutioris extenduntur, formámque capiunt quam Digitalis Recentiorum [hiulco officulo in quinque labella reſupinato, imo ventre ſubſtricto, medio turgidulo, cervice anguſtiore: quibus defluxis, ex arido calyce *ſiliqua* porrigitur, in viridi ſubrubens, digitum longa, ima parte ſummâque tenuis, mediâ turgens, infra ſupráque intercurrente prominulo toro bipartita, *ſeminibus* gravis, ut in luteo Leucoio, minutis, ruſis, membranaceis. Quanquam hæc membranæ tenuis involucro circumſepta, multiplicique ſerie propè innumerabilia circa nigrum & molle diſſepimentum, lingulæ imagine interjectum, confertim conſertéque conſtipantur. *Ferrar.*] Ederaceum appellamus quòd ad ſingula internodia naſcatur aſperitas quædam, innumeris villis compoſita, qua proximo parieti aut adminiculo,

culo, aut propè conſitis arboribus adnectitur & tenaciſſimè adhæret, Hederæ inſtar, adeóque quanvis ſuapte naturâ caducum ad excelſa faſtigia evadit. Cirri autem hi quibus adminicula apprehendit, non è toto corpore ut in Edera, ſed ex unis geniculis oriuntur. *Radix* per humum ſummam repit; nec ſemine tantùm ſeritur, ſed & avulſis ramulis. Namque tot initia radicum habere videtur quot nodos in quibus aſperitates fibroſæ quas diximus ſi humo mandentur radicem aliquando efformant.

2. *Gelſeminum ſive Jaſminum luteum odoratum. Virginianum ſcandens & ſemper virens* Park.
Park.

E ſtipite propè terram mediocriter craſſo, lignoſo *virgæ* aliquot (Caules vocat autor noſter) exoriuntur, in plures ramos ſe dividentes, ſupérque arbores proximas aut aliud quidvis obvium latè expandentes: quibus ad intervalla brevia bina adnectuntur *folia* Myrtinorum æmula, majuſcula, glabra, inter ſe contraria, alia ſupra alia, quemadmodum in Syringa Arabica flore duplici, diſpoſita. *Flores* tres quatuórve ſimul in extremis ramulis, Gelſemineorum nonnihil ſimiles, è longo tubo in quatuor angulos exeuntes, non tamen in folia ſeu petala expanſi illorum inſtar, flavi, odorati: quibus ſuccedunt *ſiliquæ* parvæ flaveſcentes, glabræ, paululum compreſſæ & oblongæ, per longitudinem in medio diviſæ ſeu bivalves; ſeminibus parvis, compreſſis, ſubfuſcis, altero extremo membranulis velut alatis, & in utroque ſiliquæ latere aliis ſupra alia arctè velut aggeſtis ſeu coacervatis repletæ.

E Virginia, ubi ſponte oritur, in Angliam intulit Joannes Tradeſcantius ſenior.

Cap. XIX.

Arbor ſiliquoſa Braſilienſis flore campanulato. Quera-iba Braſilienſibus Marcgrav. & Piſ.
Marcgr.

ARbor cortice rugoſo & gryſeo, in ramis oppoſitos habens ramulos, & in his tria, quatuor aut quinque *folia*, in frondem congeſta, pediculis ſuis tres circiter digitos longis innitentia, pallidè viridia, figurâ Salviæ, ſemi aut digitum longa, ſolida, & ad tactum dura. *Flores* fert flavos, duos digitos longos, figurâ Campanæ, ſuperiùs in quinque partes ſectos, totidem intus ſtaminulis brevibus, flavis, apices pallidos geſtantibus; ità ut arbor florens tota flava appareat, inſtar arboris quam Luſitani vocant *Pao d' arco*: nam racematim congeſti ſunt flores, & arbores hæ pauca habent folia.

Flores ſequitur *ſiliqua* longa & compreſſa, nullius uſus.

Naſcitur locis graminoſis tam humidis, quàm ſiccis, & floret menſe Decembri. *Locus.*

Cortex contuſus & coctus oleum ſuppeditat ad vulnera ſananda, itémque ad ulcera in tibiis aut alis partibus efficaciſſimum. *Uſus.*

Cap. XX.

De Arboribus nonnullis Kandel Indis dictis.

ARbores hæ an Siliquoſis, an Cucurbitiferis fructu corticoſo annumerandæ ſint ambigimus.

1. *Candel* H. M. P. 6. T. 31. p. 57. *Frutex Indicus ramis demiſſis radices agentibus ſe multiplicans, fructu oblongo, terete, corticoſo.*
H. M.

Frutex eſt hominis complexum implens, tantóque numero novos è flagellis prono pondere deflexis, terræque ſuperficiei duntaxat leviter inſertis velut ſtolones erumpentes, emittit ſtipites, ut ipſam matrem difficillimè queas invenire. *Ramorum* geniculatorum lignum intus duritiæ firmæ, cortex cinericeus, intùs rubens, exteriùs fuſcus eſt. Ipſi autem rami, ut & ſurculi in conum faſtigiati, folioſo involucro tenerum germen involvente in ſuperiori parte foliis abundant, inferiori deſtituuntur. *Folia* gemella ordine decuſſato, petiolis longiuſculis è viridi dilutis, interiùs carinatis, longa, aculeata, denſa, ſolida, ſuperficie utrâque præplanâ glabrâque, virore in recta parte penè fuſco nitenti, in averſa dilutiore, è geniculis prodeunt, coſta media craſſa, in prona ſolummodo eminens, multas ſubtiles venulas intus ipſum folium ſubeuntes, externè haud conſpicuas, relicto ad marginem limbulo, parallelo ductu aſt obliquo, anteriora verſus decurrentes, producit. Sapor ſylveſtris & adſtringens. *Flores* roſis proximi, è flavo rubicundi, duodecim petalis rigidioribus, oblongis, erectis, introrſum quodammodo contractis, ac duabus cuſpidibus anteriùs eminentibus, ut & filamentis è croceo in fuſcum vergentibus conſtantes in foliorum exortu prorumpunt. Plurima verò in medio *ſtamina* longis elatiſq; *apicibus* è rufo albicantibus capitata conſpiciuntur. Inſuper languidè albens *ſtylus* ex umbilico aſſurgens. Eorum *calyx* oblongus in duodena anguſtiora, acuminata, craſſa, rigida diviſus *folia*, ex parte viridis, ex parte roſaceus externè, internè exalbicans eſt. Gemmæ verò elongæ, cuſpidatæ, duo ſtamina inter foliorum unguiculos recondita ſi diviſeris exhibent. Deciduis floribus ſuccreſcunt *fructus*, ſpithamam longi, pollicem craſſi, rotundi, clementer in acumen exeuntes, propè calicem craſſiores, cortice ſpiſſo & ſubfuſco, carne intus alba & lignoſa, quodammodo fungoſa, medulla intermediâ rubrâ; ſi quod facilè fit, frangas, intus vides pilis eminentibus leviſſimis candidis obſitos, germen velut ſurculum foliaceum viridem continentes. Hi ſi in terram arenoſam decidant ut cuſpis inhæreat, aculeo in commiſſura ſoluto, mox radices agunt, & in plantas adoleſcunt. Terra ſalſa & arenoſa huic arborum generi apta, unde in ripis ſalſorum lacuum cæteríſque locis paludoſis, præſertim *Cochin*, frequens eſt. A bimatu fert maxima parte anni fructum, flores autem ſemper: quinquagenaria moritur.

Locus.

Vires & Vſus. Radices lineorum inſerviunt tincturis, ut folia agrorum ſtercorationi. Cortex quo utuntur coriarii & lotrices ad veſtes purgandas, ſi ex oleo teratur donec craſſitudo ſordium fiat, illitu finit artuum laſſitudines. At lacte & butyro recente exceptus, opitulatur ex hepate albo (ut vulgus loqui amat) læſis.

2. *Karil-Kandel ſeu Kanil Kandel. Candela arbor floribus in eodem pediculo ternis, fructu anguſtiore.*
H. M.

Arbuſcula eſt cum præcedente planè conveniens, niſi quòd altitudine ternos ſuperet homines, neque in tot dividatur ſtipites. *Folia* figurâ prorſus eâdem aſt longè minora, adeò ut quatuor aut quinque demum pollicum ſint, petiolis minoribus imponuntur. *Flores* è calyce octo laciniis, quæ remanentes ſe retro flectunt prædito, candidi, ſupra foliorum exortus terni, rariùs bini pediculo innixi prodeunt, octo etiam habentes acuminata petala, ſtamina exalbida, rubris exornata apicibus. *Fructus* præcedenti per omnia iidem, excepto quòd digiti minoris latitudine craſſitiéque ſint, teneriores cortice viridi, vetuſtiores è rubro cœrulei. *Locus.* Loca uliginoſa valdè deſiderat, frequens ideóque in *Portea* aliíſque locis. Annotina fructifera fertur, ut & 50 implere annos. Decidui fructus ut in *Kandel* eodem modo ſe irradicant.

Vires. Teneriores in eduliis ſunt; Caril in ſole exſiccati etiam cum nucis nucleo eduntur. Cortex autem in ſero lactis decoctus inteſtinorum tormina, dolores flatúſque tollit. Huic ut & fructibus affuſus *Peladambu* ſuccus, oleum *Marotti* in vulnerarium unguentum coquuntur. Eidem ſi cortices minutulæ nucis Indicæ, ac viridi areſcæ fructui additi contritíque ex aqua decoquantur pura, aphthis, ſi os eâ alluatur, ſæpiùs medentur.

3. *Pee-Kandel* H. M. P. 6. T. 34. p. 61. *Candela Indica fructu longiore & craſſiore, flore tetrapetalo.*
H. M.

Proximè deſcriptarum ſpecies eſt, pluribus ſtipitibus fruticeſcens, trium hominum longitudine. *Folia*, quæ ni majora craſſioráque eſſent, mox enarratarum poterant videri, prona parte dilutiora, inter nigrantia, craſſis, è viridi albicantibus appendentia pedunculis, coſtâ perquam craſsâ atque eminente donantur: Sapor adſtringens. *Flores* è calyce craſſo rigido, quater, inſecto bini & bini erumpentes, candidi, poſtea tamen rubeſcentes, curto rubentéque pediculo communi virenti inſeruntur: conſtant hi quatuor, ex oblongo anguſtis, cuſpidatis, circa oras lanuginoſis, hirſutíſque petalis in calyce farinâ albâ quaſi conſperſis. *Apicibus* verò duodecim, decem, novem, rariſſimè undecim, elevatis, acuminatis, luteis, breviſſimis *ſtaminulis* inſiſtentibus, medium unà cum globulo fœtus primordium continente occupantibus. Odor quamvis debilis non equidem ingratus. *Fructus* oblongiores cæteris, longitudine enim duas, vel ſaltem ſeſqui-ſpithamam excedunt, craſſioréſq; ſunt, præſertim circa apicem leviter faſtigiatum. Teneriores virent, dein una ex parte cortice rubeſcente, capitulo craſſo, oblongo anguſtóque ſunt collo, cui mediante articulatione fructus alligantur; intra orificium ſuum ſurculum foliaceum exiguum, aculeatum rubrum, qui ex fructus procedit umbilico, recondentes. Eodem modo ut in aliis *Kandel* decidui fructus ſe ſolo irradicant.

Locus. Ad *Cochin* ac *Cranganoor* copioſa eſt. Viribus cum proximè deſcripta convenit.

4. *Tsjerou-Kandel* H. M. P. 6. T. 35. p. 63. *Candela Indica humilior flore exalbido pentapetalo, fructu majore.*

Hujus intra ſeptem pedes conſiſtit longitudo. *Folia* gemina oppoſita brevibus pedunculis inhærent, planè quod ad texturam eadem [præcedenti] niſi quòd longiora, oriſque ſunt rotundis. *Flores* exalbidi quina petala craſſa, rigidiuſcula ſtellæ in modum expanduntur; quorum ex interſtitiis numeroſa, nivea, productiora, fuſcis capitibus nodulata, filamentis criſpis & candentibus concomitata erumpunt *ſtamina*, quibus adeſt bifidus candens *ſtylus*: odor non ingratus ſed debilior eſt. *Fructus* ſunt ſimillimi *Pee-Candel*.

Locus. Salſa petit loca aquoſáque. In Paroe aliíſque locis plurima eſt.

Vires & Vſus. Lignum combuſtioni inſervit; cortex verò cum exſiccato Zinzibere aut Piperi longo, *tripali* vocant indigenæ, & aquâ Roſarum tritus diabetem curat.

5. *Pou-Kandel* H. M. P. 6. T. 36. p. 65. *Candela Indica floribus pentapetalis odoratiſſ. fructu minore incurvo.*
H. M.

Priorum ſimillima, altitudine duorum hominum eſt, paucioribus ſtirpibus è radice protuberans. *Folia* cùm ſingula, tum gemina rubris brevibúſque adnata petiolis, cæterorum formam & texturam habent, excepto quòd oris planè ſint rotundis. *Flores* præ cæteris teneri, candicantes, pentapetali, conjunctim è pedunculis gracilibus, è viridi dilutis dependent, foliis retro ſe flectentibus. *Stamina* quina, candida, *apicibus* grandiuſculis, ex albo cinereis, ſtriatis parumper & intortis, unà cum *ſtylo* niveo acuto prodeunt. Ob gratiſſimum odorem pluris veneunt. *Fructus* combinati eandem cum cæteris habent formam, quamvis paulò ſunt minores, levitérque incurvati, & in acumen deficientes.

Locus. Per totum Malabaricum regnum copioſè provenit. Frutici longævo ſemper flores ſunt, quibus Gentiles *Corinbins* dicti utuntur. Medicos non habet uſus.

6. *Kada-Kandel* H. M. P. 6. T. 37. p. 67.

Frutex hic ramos habet è fuſco atros: *Folia* craſſa, glabra, oblonga, anteriùs leviter ſinuoſa, rariúſque inciſa, alternatim ramos ambientia, coſtâ mediâ nullas conſpicuas fundente venas, ſubtus obducuntur. *Flores* quatuor, quinquéve foliorum, candidi, Hyacinthino more, propriis innitentes ſurculis, *ſtamina* quinque albula, rufis donata capitibus, è foliorum interſtitiis erumpentia, & *Stylum* habent viridiuſculum. Floribus inſequentes decidui virides, oblongi fructus ſunt, utrinq; perplani, duri, filamentis ligneis pertexti, virentem habentes medullam, in flore verò calyces conſtituentes.

Locus. Arenoſum diligit ſolum. Circa *Warapoli*, quamvis & aliis in locis, multa eſt.

Ignotarum habetur virium.

CAP. XXI.

Arbor Mexiocana fructu Caſtaneæ coccifera C. B. *Daburi* Cluſ. *ex. l. 3. c. 19. Bixa Oviedi* ejuſd. *ex. l. 3. c. 20.* J. B. *l. 12. Urucù Braſilienſibus* Marcgr. Piſo. *è qua fit tinctura* Orellana *dicta. Arbor finium regundorum* Scaligeri. *Achiotl* Hernandez. *Orleana ſeu Orellana folliculis lappaceis* Herman. **The Maucaw, or Roucou-tree.**

Frutex eſt arboreſcens, [Mali Medicæ magnitudine *Hern.*] ligno albo inſtar Coryli, cortice fuſco. *Folia* habet alternatim poſita, in pediculis tres, quatuor aut quinque digitos longis, etiam brevioribus, oblonga, mucronata, cordis ut pingitur figurâ, quinque, ſex, etiam decem & duodecim digitos longa, nervo ſecundùm longitudinem, & venis obliquis inferiùs prominentibus prædita, lætè viridia.

Ad extremitatem ramorum in brevibus pediculis multi enaſcuntur *flores*, in uvæ figuram diſpoſiti, quilibet magnitudine Roſæ, quinque foliis conſtans, albis incarnato dilutis: In medio ingens numerus ſtaminulorum luteorum, apicibus purpureis. Vix ſenſibilem aliquem habet odorem.

Florem ſequitur *fructus*, nimirum ſiliqua, Myrobalani, oblongi formâ, ſeu pyramidali rotunda, duos aut tres digitos longa, magnitudine Pruni [quatuor modicis diſtincta angulis, quæ ſecundùm longitudinem diſcurrunt *Hern.*] quæ immatura vireſcit exteriùs, matura rufeſcit, éſtque tota hiſpida ob fila quæ habet prominentia, ſed non aculeata. In qualibet ſiliqua ultra 30 aut 40 grana, ſuo quodque pediculo innitentia continentur, figuræ conicæ acutæ, aut exigui Piſi, at in duobus lateribus quaſi digito compreſſa. Granorum color inſigniter miniatus & ſplendeſcens, atque tali ſucco madens, ità ut ad tactum inficiat manus egregio miniato colore. Grana recentia mollia ſunt, inſtar granorum Pomi, quodlibet exteriùs punctulo argenteo notatum. Siliqua matura ſponte ſe aperit. Grana ſiccata evadunt obſcurò rubra; nihilominus tamen ut ante tincturam continent; & recentia ſive ſiccata uſurpari poſſunt Trita ſimpliciter in aqua ſimplici ſeu ſtillatitia egregiam dant tincturam miniatam, quæ pota per ſe prodeſt contra varia venena, & eſt boni ſaporis, ſubamara & quid aromatici ſapiens. Collecta in maſſam cogitur, ſphærulæque & tabellæ in multos annos durabiles indè conficiuntur, & in Europam tranſmittuntur. Cum urina mixta tam pertinaci colore tingit lineos pannos, ut in poſterum elui non poſſit. Magiſterium etiam indè, more Coralli, præparant, & in uſus reſervant. Braſilienſes patinas ſuas & lagenas è Cucurbitarum corticibus factas hac tinctura exteriùs tingunt.

Radix cocta cum carne Gallinacea vel alia tingit inſtar Croci optimi, & bonum ſaporem illi conciliat.

Barbari maximi faciunt hanc arborem, eámque colunt circa tuguria ſua: Viret toto anno, fructum autem fert Vere: & tum materies ejus cædi ſolet, quæ utilis eſt ad ignem eliciendum inſtar Silicis, confricando inter ſe. Hujus proprietatis & uſûs ligni mentionem factam invenio à *D. Rochefort* in Hiſt. Inſularum Antillarum, & *D. Hughes* in Medico Americano.

Cortex idoneus eſt ad funes & rudentes, quæ robuſtiores ſunt Cannabinis.

Tinctura cum aliqua aqua ejuſdem temperaturæ hauſta aut foris adhibita mitigat æſtus febriles, ſiſtit ſanguinolentas dejectiones, diſcutit tumores & abſceſſus, quapropter commodè miſcetur potionibus refrigerantibus, atque etiam cibis.

Miſcetur etiam delicatæ potioni è Cacao, *Chocolata* dictæ, ad refrigerandum & bonum colorem atque ſaporem illi conciliandum, efficítque nè quavis quantitate hauſta noceat: illius quippe ope facilè digeritur ſine ulla cruditate. Mitigat dolores dentium à calida cauſa natos, promovet urinam, ſedat ſitim.

Tincturam è fructu faciunt hoc modo, Sumunt grana benè matura, eáque infundunt aquæ calidæ, & ex ſubſidentia tabellas conficiunt.

Obſervandum tamen (inquit *Jo. de Laet.*) duplicem tincturam ad nos afferri; Unam ſimplicem & perfectiſſimam, coccineam, cujus uſus eſt ad fucum fœminarum, [inſulani etiam Americani corpora ſua eâ inungunt elegantiæ causâ & ad Bellum ituri ut terribiliores, hoſtibus videantur] alteram cum Reſina mixtam, & in magnos globos coactam, cui & credo ſuccum radicis admixtum; tingit enim croceo colore magis quàm miniato.

Granum parvum figura & colore *Urucu* non multum diſſimile ex inſula Barbados *Nottæ* nomine ad nos defertur, quo in panes coacto tinctores utuntur pro pannis colore Limonis inficiendis.

CAP. XXII.

Mangle Pyri foliis, cum ſiliquis longis, Ficui Indicæ affinis J. B. *Mangues ſeu Mangles tertia ſpecies Guaparaiba dicta* Piſon. *Paretuvier* Rochefort. **The Mangrove-Tree.**

Ovied. ARbor eſt inter eas quæ in Occidentali India vulgariter naſcuntur, ſelectiſſima, tum ad ædificiorum fabricas, tum ad reliqua fabrilia. Creſcit uliginoſis locis, litore maris, ſalſuginoſiſque fluminum & torrentium in mare delabentium ripis. *Folia* habet majoribus Pyri foliis ſimilia, craſſiora tamen & paulò longiora, *ſibi oppoſita, craſſo nervo ſecundùm longitudinem, & multis venis ſecundùm latitudinem, lætè viridia. Floſculos fert multos in calycibus oblongis*, Piſon. *Siliquas* binos palmos longas, aut majores, eáſque craſſas, Caſſiæ ſolutivæ fructibus pares, fuſci coloris, pulpam inſtar coaguli, ſive medullæ oſſium ſimilem continentes, quâ Indi aliorum eduliorum penuriâ veſcuntur. Etenim licet amara ſit, ſalubrem tamen cibum eſſe ferunt. Ego tamen (inquit Oviedus apud Cluſ. in exot.) ab ejus eſu in morbum incidi, tametſi adeò dedicatus non ſim, nec ab iis cibis abſtinere in penuria ſoleam, quibus alios veſci video, quinetiam nulla urgente neceſſitate deguſtare non piget, ut commodiùs deſcribere poſſim; eâque de cauſa hunc fruticem deguſtabam; ſed Brutorum animantium & ſylveſtrium hominum potiùs cibus dicendus videtur. [Fructus decidens Cancrorum terreſtrium potiùs quàm hominum eſt pabulum] Admiranda autem ejus arboris eſt natura, plurimæ enim ſimul creſcunt, multíque ejus rami deorſum vergere & in radices converti videntur: nam præter multos, quos erectos foliíſque onuſtos atque ab invicem ſejunctos, reliquarum arborum inſtar habet, frequentibus etiam aliis craſſioribus & tenuioribus ἀφύλλοις ſeſe ad aquam demittentibus, aut ſub terra aut arena radices figentibus prædita eſt: qui ubi apprehenderint, alios ramos ſurſum vergentes proferunt: etenim non minùs firmiter hærent quàm primarius arboris truncus, ſic ut ex multis caudicibus ſimul connexis videatur arbor. Lignum arboris eſt grave, ſolidum, & corticem habet brunnum, qui coriis præparandis & denſandis inſervit, Quercini loco. Nam Quercuum in hiſce terris nullus eſt proventus.

Vires. Radix arboris, quæ mollis eſt & humida, fiſſa & toſta, calida puncturæ venenatæ utriuſque piſcis *Niqui* applicata, ejus dolores ſedat, & membrum læſum reſtituit, licet prima fronte dolores exaſperet. Magnum ſanè remedium eſt, & à piſcatoribus primò inventum nobíſque traditum.

C. Bauhinus qui aliàs non parcus eſſe ſolet in ſpeciebus multiplicandis hanc arborem refert ad Ficum illam celebrem Indicam *Arbor de Rays* dictam. Verùm non hoc proprium eſt uni duntaxat arboris ſpeciei funiculis in terram demiſſis & radices agentibus ſe multiplicare, ſed pluribus commune, ut v.g. duabus tribúſve Ficus Indicæ ſpeciebus, huic arbori, Sedo arboreſcenti, Kaide, &c.

2. *Cereiba Braſilienſibus* Marcgrav. *Mangue ſeu Mangles prima ſpecies* Piſon. *Arbor Braſiliana foliis Salicis, in quibus Sal concreſcit, floribus tetrapetalis.*

Arbor inſtar Salicis pumilæ, tali ligno, ejus denique figuræ, foliis itidem ſimilibus, ſed paulò craſſioribus: *Folia* autem directè ſibi invicem oppoſita habet: in extremitatibus autem ramulorum, inter tria, quatuor & interdum duo folia, duo proveniunt pediculi, quilibet tres, quatuor aut quinque floſculos habentes congeſtos, ex albo dilutè flaveſcentes, tetrapetalos cum quatuor in medio *ſtaminulis* nigris ſurrectis, mellei odoris.

Folia hujus arboris lucente Sole ſalem albiſſimum continent in ſua ſuperficie, quando verò cœlum nubilum eſt, aut tempus nocturnum, ſal diſſolvitur & inſtar roris adhæret, interdiu autem ſiccus & albiſſimus digitis detergi poteſt: ac tantum ex duobus vel tribus foliis haberi poteſt quantum juſculo ſaliendo ſufficiat.

3. *Cereibuna, Mangue, 2. Species* Piſon.

Nec radices in terram agit, nec tam tortuoſo flexu luxuriat. *Folio* eſt craſſo, glabro, rotundo, dilutè viridi; *flore* albicante; exiguo *fructu* & valdè amaro, nucis Avellanæ magnitudine, quocum Palumbi & cæteræ volucres defectu melioris alimenti ſeſe ingurgitârunt, earum caro adeò amareſcit, ut vix eſculenta ſit. Cortice exiſtit rubro, ex quo Rhois coriaria, Europæa haud inferior, conficitur. Piſcatoribus quoque ad retia tingenda in quotidiano uſu eſt.

SECTIO

SECTIO QUINTA.

Lobos ſeu Siliquas quaſdam quarum arbores minùs cognitæ, necdum, quod ſciam, deſcriptæ ſunt continens.

Cap. I.

*De Lobis Braſilianis * Cluſii.*

* *Exot. lib.* 3. *cap.* 1.

1. *Lobus Braſilianus ingens* Cluſ. *Siliqua Acaciæ formâ* J. B. *Arbor ſiliquoſa Juglandis folio Braſiliana* C. B.

Cluſ.

PRæcelſa eſt arbor, in Braſilia naſcens, Juglandis foliis prædita, fructum in lobis aut ſiliquis gerens, articulatim diſtinctis inſtar ſiliquarum Acaciæ, ſingulorum articulorum etiam medio tumente, quo viz. ſemen continetur. Erat is quem deſcripſit Cluſius $2\frac{1}{3}$ pedes Romanos longus, quatuor uncias (ubi latitudo major) latus, atque planus, inſtar prædictarum ſiliquarum Acaciæ, cineraceo quodammodo colore præditus, qui tamen ante maturitatem lectus fuiſſe videbatur, nam ſemina contracta & rugoſa erant, orbiculari pæne figura, Nuci Vomicæ non valdè diſſimilia, quodam veſtigio impreſſo ea parte quâ lobo adhæſerant, coloris ex albo rufuſcentis. *Semen maturum coloris eſt ſpadicei ſeu leucophæi ſplendentis, diametro ſeſcunciali, craſſitie ſemunciali.* Muſ. R. S. Non probat ſiliquas à Bauhino articulatas dici D. Grevius, ſed potiùs inter ſemina iſthmis interceptas, numerandas cenſet.

2. *Lobus Braſilianus craſſus humidus, Citrii ſemine* J. B. *Arbor ſiliquoſa Braſiliana lobo latiſſimo* C. B. *Lobus Braſilianus alius* * Cluſ.

* *Exot. lib.* 3. *cap.* 2.

Duos hujus generis lobos habuit Cluſius, Alter octo unciarum longitudinem habebat, $2\frac{1}{2}$ latitudinem, planus, dorſo gibbero & alvo craſſioribus & magis tumentibus ipſo meditullio, quia fortè ad plenam maturitatem nondum pervenerat quum legeretur. Spiſſitas tamen dorſi & alvi à lacunarum in quibus ſemen latuerat cavo unciæ unius, materie adprimè fungoſâ conſtans; lacunæ binas uncias longæ, numero decem; in quibus *ſemen* quaſi quadrangulare, unciam longum, obliquè ſitum. Lobi color externè ex fuſco cineraceus.

Alter longè minor erat, colore ex fuſco rubeſcente foris præditus, qui per medium ſectus octo duntaxat lacunas oſtendebat, in quibus ſemen imperfectum, Citrii mali ſemini non valdè diſſimile. Uterque lobus è Braſilia allatus, & in præalta arbore natus.

3. *Arbor ſiliquoſa Guinenſis lobo ſpadiceo fuſco* C. B. *Magnus lobus ex Guinea* Cluſ. *Lobus magnus ex Guinea fœtidus cum granis Arboris Judæ* J. B.

Valdè planus erat hic lobus pro amplitudinis ejus ratione, nam cum decem uncias longus eſſet, & trium unciarum vel ampliorem latitudinem haberet, vix quadrantis unciæ erat ejus craſſitudo; maturum tamen fuiſſe ſemina in eo reperta evincebant. Lento autem & veluti cutaceo cortice conſtabat, ex ſpadiceo fuſci coloris, frequentiſſimis venis ab infima ſiliquæ parte ex pediculo dependente ſurſum & in latera utrinque ſparſis prædito atque quodammodo ornato: medullam ſive pulpam continebat palleſcentem, ſatis gravis odoris & caput etiam ferientis, imò cerebrum offendentis, quâ involvebantur aliquot grana dura, ex ſpadiceo fuſca, non valdè diſſimilia granis quæ in Arboris Judæ lobis reperiuntur.

Incolæ illius regionis in qua naſcitur grana fructu comprehenſa in pollinem comminuunt, quo *Uſus.* ad vulnera curanda utuntur, intra corpus verò non aſſumenda ſunt quia pernicioſa.

Cap. II.

Lobus quadrangularis magnus granis Lenticulæ nigris J. B. *Arbor ſiliquoſa lobo quadrangulo fuſco* C. B. *Lobus peregrinus quadrangularis* Cluſ.

LObus hic quadrangularis erat formæ, ſeptem uncias longus, pæne binas latus, prominentibus & protuberantibus quodammodo in acumen dorſo & ventre, ac longo utrinque ſulco à capite ad infimum lobum laterales alas ſuperante, ejus color fuſcus & ſplendens. Continebat autem hic lobus in media ſpina aliquot ſemina, horum unicum nigro & ſplendente cortice tectum erat, Lenticulæ ferè magnitudine, cui ſuberat alba membrana viridem pulpam continens non inſuavem, ſed inſtar nuclei Piſtaciorum, fervidiore tamen ſapore. Ipſæ lobi alæ intus inanes, nihilominus ubi circa ſulcos intumeſcebant, ſucco quodam dulci, qualis pæne Ceratiorum, præditæ eſſe deprehendebantur.

CAP. III.

De Phaſeolo Coles dicto.

1. *Arbor ſiliquoſa Africana, folio fere Pyri ſemine Fabaceo* C.B. *Phaſeolus* V. *peregrinus ſive Phaſeolus Coles* Cluſ. *Coles Cacao formam quodammodo referens, externa parte rugoſus & niger* J.B. *item Cola fructus ad ſitim* ejuſdem *lib.* 2. *cap.* 26.

* *Exot. lib.* 3. *cap.* 7.

COles (inquit Tobias Roelſius apud *Cluſium) fructus arboreus eſt: huícque arbori folia ſunt ferè Pyri, ſed longiora. Fructus Boonæ majoris ſive Fabæ noſtratis ſimilitudinem gerit, niſi quòd ſiliquæ Boonis Phaſeolíſve longiores majoréſque ſunt & colore candidæ, in quibus ſunt quatuor aut quinque ſemina ſeu fabæ: harum ſingulæ ſuo putamine albo fuerunt tectæ; quo ablato interior fructûs pars ex rubicundo colore purpuraſcit, cinnabaríſque ac minii colorem habet: Facile etiam decorticatus fructus in duas ſemiſſes ſponte finditur, uti noſtrates fabæ. Coles fructus exiccatus valdè durus ac ſolidus eſt, ut mirum ſit quod referant ſtomacho conducere, & quemlibet potum magis ſapidum fieri præmanſo Coles fructu. Sumunt autem hos fructus Africæ incolæ in tractu juxta Promontorium viride ſemper jejuni, perferúntque, ut perhibent jejunium, toto die ubi tres aut quatuor ederint.

Fructus hic, obſervante Cluſio, *Cacao* formam quodammodo referebat: magnitudine unciali aut minore, ſaporis non ingrati & adſtrictionis participe: gravis porro erat & in aquam injectus ſubſidebat.

Ex deſcriptione nomine & effectu ſitim extinguendi apparet Cola fructum ad ſitim *J. B.* huic eundem eſſe.

2. *Coles fructus alius ſimilis, niger, ſplendens cum macula ſubruffa* J.B.

Cum *Coles* (inquit Cluſius) quandam affinitatem habere videbatur hic fructus, ſeſcunciam longus, ſemunciam latus, dorſo tamen latiore, rugoſus aliquantulum & ſatis levis, ſolidus tamen, nec cavus, nec in binas partes dividuus, niger, ſplendens, ſubrufâ maculâ ſatis amplâ præditus, ea parte quâ putamini adhærebat: lobo enim vel ſaltem aliquo cortice tectus fuiſſe videbatur.

* *Exot. lib.* 2. *cap.* 14.

3. *Fructus peregrinus ex Bengala* * Cluſ. J.B. *oblongus cineraceus rugoſus & gibboſus* C.B. *Coles ſimilis.*

Quinque pæne uncias erat longus, totidem ambitu complectens una parte gibberoſus, rugoſo & inæquali cortice conſtans, ſatis craſſo, duro & lignoſo, cineracei ex fuſco coloris, qui binas nuces, ſive veriùs nucleos continuiſſe videbatur, eóſque uncialis longitudinis, in quatuor partes dividuos, valdè duros, coloris ex fuſco ſubruffi, ſaporis adſtringentis & linguam exiccantis, poſt aliquod tamen temporis intervallum non ingrati, ſed vires reficientis & ſitim ſedantis, quo in uſu apud indigenas eſſe mihi facilè perſuaſerim; certè & ſubſtantia & colore & ſapore plurimùm accedere videbatur ad fructum *Coles.*

CAP. IV.

Lobi membranacei.

1. *Lobus cortice cartilagineo rugoſo fuſco, duplici criſta ſinuoſa donatus* C.B. *Lobus cartilagineus ex inſula Mauritii phaſeolo ſive Faba nigra* J.B. *Tom.* 2. *p.* 272. *Cluſ.*

DUos hujus generis lobos nactus eſt Cluſius: Erant illi diverſæ quidem longitudinis, æqualis tamen latitudinis non valdè craſſo, ſed cartilaginoſo potius cortice tecti, brevi rufáque lanugine obducto, quam adhuc retinebat in lacunis, ubi attrita & deterſa non fuerat, ſupernâ & infernâ parte duplici criſta ſinuoſâ & ſemunciam ferè lata à pediculo ad mucronem uſque lobi producta prædito: Phaſeolos autem continebant pænè unciam latos, orbicularis formæ, non tumentes tamen in medio, ſed depreſſos, quia plenam maturitatem non erant adepti, in ambitu undequaque ferè veluti annulo cinctos, ut plerique ſimiles Phaſeoli, valdè duros & nigros, nucleo tamen albo præditos, quo recenti veſci licuiſſet, quia non erat ingrati ſaporis. Iſtorum autem loborum unus quaternas uncias longus erat, tréſque Phaſeolos continuerat; alter ternas duntaxat, & binos Phaſeolos habuerat: uterque autem binas pæne uncias latus.

2. *Lobus peregrinus cartilagineus, Phaſeolo ex puniceo nigro, tanquam annulo cincto* J.B. *peregrinus cartilagineus* Cluſ.

Quatuor uncias cum ſemiſſe longus erat hic lobus, binas aut paulò amplius latus, cartilagineo potiùs quàm duro & lignoſo cortice conſtans, dorſo inſignito duplici veluti criſta cartilaginea & ſinuoſa, ad extremum uſque lobum protenſa: rugoſus autem erat cortex, & coloris nigri veriùs quàm fuſci: licet porro ea longitudine eſſet præditus, tres tamen phaſeolos duntaxat continebat, orbicularis formæ, media parte aliquantum tumentes circiter unciam latos, in ambitu fere undequaque tanquam annulo cinctos, valde duros & ex puniceo nigros.

C. Bauhinus hunc Lobum & præcedentes ad idem caput reducit, nec ego abnuerim. *Maconæ* ſpecies eſſe videntur, & Leguminis ſcandentis non arboris fructus.

3. *Fructus ſubrotundus durus, eleganter rubens* C. B. *Fructus peregrinus* 10, *Mates nomine acceptus* * Cluſ. ** Exot. lib. 2. cap. 30.*

Caſſiæ ſolutivæ aut Ceratiorum ſemen magnitudine æquabat, cui etiam formâ ſatis reſpondebat, tumidum tamen aliquantulum & colore differens, qui in hoc egregiè ruber erat, ut in Oxyacanthæ vulg. fructu, ſolidus, durus atque in aqua ſubſidens & imum petens. Siliqua aut lobo aliquo incluſum fuiſſe veriſimile eſt.

4. *Lobus cortice membranaceo, atro, tumido* C. B. *niger primus tumidus* * Cluſ. *Fructus eſt Tſiapangam* H. M. ** Exot. lib. 3. cap. 16.*

Cluſ.

Binas uncias longus erat, unam latus, prorſus atri coloris, tumidus inſtar lobi Ciceris, nec formâ valdè illi abſimilis, major tamen, membranaceo cortice ſatis duro conſtans, qui præ ſiccitate dehiſcebat & convolvebatur, quemadmodum pæne leguminum lobi, *ſeminaque* continebat bina aut terna, nigra, circinatæ ferè rotunditatis, plana tamen (quod mirum in adeò tumido lobo) formâ non multùm diſſimili articulis Lobi Acaciæ, non adeò tamen turgentia in medio, tenui admodum membranâ tecta, eâque etiam nigrâ.

5. *Lobus membranaceus atro-ſpadiceus, planus Guinenſis* C. B. *niger* 2. *planus* * Cluſ. ** Exot. lib 3. cap. 16.*

Cluſ.

Hic lobus omnino planus erat, alioqui valdè ſimilis præcedenti, binarum etenim unciarum longitudinem habebat, unius latitudinem, extremitas paulo latior erat, color ex atro ſpadiceus.

6. *Lobus membranaceus planus niger* J. B.

Omnino planus erat, alioqui formâ valdè ſimilis Lobo quadrangulari *Cluſ.* Binarum unciarum longitudinem habebat, unius latitudinem. Extremitas paulò latior erat, color ex atro ſpadiceus. E Guinea delatus eſt.

Hos lobos arborum fructus eſſe conjectatur D. Grevius in Deſcript. Muſ. R. S. p. 214. ut & quartam ſpeciem quam ibidem deſcribit Fructus quadrati alterius lobi titulo, 1¾ unc. longam, una extremitate 1½ unc. latam, altera unciam tantùm, ſemunciam in medio craſſam, ubi utrinque intumeſcit. Duo margines oppoſiti convexi, reliqui duo concavi, glabram & ex ſpadiceo nigricantem.

Cap. V.

Lobi Miſcellanei.

1. *Lobus quadrangularis Cluſii Exot. l. 3. c.* 17. C. B.

Cluſ.

Lobus hic quadrangularis eſt, quatuor craſſioribus & eminentioribus nervis præditus, quadrantem longus, & circiter ſemunciam craſſus, cortice ſatis denſo pro legumine præditus, eóque obliquè ſtriato, coloris ex fuſco fuliginoſi, ſeptena grana continente quadrangula, in binas partes aliorum leguminum inſtar dividua, quæ vetuſtate duritiem contraxerant.

2. *Lobus oblongus aromaticus* Cluſ. *qui eſt fructus Balſami Peruviani arboris* Cluſ. cur. poſt. *Lobus aromaticus ſubfuſcus, Terebinthi corniculis ſimilis* C. B. *item Balſamum Americanum* ejuſdem. *Lobus longus Aromaticus, odore fere Belzuini* J. B.

Cluſ.

Quinos ſenóſve hujus generis lobos à Morgano habuit Cluſius, qui variæ erant magnitudinis, nonnulli ſex duntaxat digitos longi, alii ſeptem, quidam etiam octo uncias longitudine ſuperabant, ſinguli vix ſemunciam erant lati, omnes teretes & rugoſi, ſubfuſci coloris, ea parte qua pediculo inhæſerant nonnihil recurvi, extimâ parte obtuſa, breviter formâ non valdè diſſimiles quibuſdam teretibus & oblongis corniculis quæ in Terebinthi arbuſculis obſervantur, qui aperti (in binas enim partes æquales ſecundùm longitudinem aliorum loborum inſtar dividebantur) nihil continere deprehendebantur quàm tenuem quendam pollinem nigrum & ſplendentem, tenaciter interiori lobi parti inhærentem, odoris ferè Belzuini initio, ſed ſiquis naribus admoveret capitis gravedinem inducentem.

Hujuſmodi fructum polline albido refertum vidi in Muſeo D. *Gulielmi Courtine.*

3. *Siliqua Thymiamatis odore* J. B.

Cum J. Bauhinus hanc eandem eſſe cum præcedente facilè ſibi perſuaderi patiatur, non eſt cur nos de ea laboremus. Cava erat & plena minimis ſeminibus, minoribus quàm Peti, nigris, ſplendentibus, ſub dentibus ſtridentibus. Reliquam deſcriptionem vide apud * J. Bauhinum. ** Tom. 1. P. 2. p. 439.*

4. *Siliqua longa cinericea granis Coluteæ* C.B. *Siliqua Semine Coluteæ* Cluſ. J.B.

Cluſ.

Dabat Paludanus Cluſio ſiliquam tres uncias longam [licet interdum brevior reperiatur] ſatis gracilem, rugoſam & inæqualem, cineracea cute conſtantem, quæ ſecundùm longitudinem in binas partes dehiſcebat, multa grana continens, plana, dura, Coluteæ granorum ferè æmula.

*Exot.l.2.c.22 5. *Fructus compreſſus quadrangulus, venis candicantibus & nigricantibus ut* Coles *fructus diſtinctus.* C.B. *Fr.* 6. *Parduyni* * Cluſ.

Cluſ.

Hic nudus omnino & variæ formæ erat, quem lobo incluſum fuiſſe arbitrabatur Cluſius: Etenim nonnulli plani erant, & quaſi quadranguli, alii oblongiores, & altera parte obtuſi, eâ vero quâ ſe mutuò contigerant compreſſi, omnes tamen floris rugoſi, nigricantes, & candicantibus quibuſdam venis diſtincti, in binas partes dividui, ut reliqua legumina. Subſtantia autem interior ſubfuſca & ſolida, & ejus ſapor etiam aſtringens perinde ac fructus *Coles* ſuperiùs deſcriptus.

*Exot.l.2.c.21. 6. *Orucoria fructus ſiliquoſus* J.B. *Orucoria fructus arboris Juruwæ* * Cluſ.

J.B.

Siliquam refert majorem, craſſiuſculam, compreſſam, ſeſcunciam longam, unciam ferè latam, ſubluteam partim, partim autem ſubfuſcam, utrinque multis majoribus & minoribus, partim ad latera rectâ decurrentibus ſulcis, partim ad Siliquæ incurvæ ductum obliquè diſperſis: petiolum gerit exiguum, teretem atque fuſcum, *Siliquam* totam ſuſtinentem, à parte petioli ſuperiore pergendo deorſum, latiuſculam, unciámque ferè longam impreſſionem obtinet: quæ dein rurſus in aſcenſu ſuperioris partis gibberoſæ rotundatur & attenuatur. Partis exterioris circuitus pluſquam ſemicircularis in ambitu, magis quàm tres uncias longus eſt, latiuſculus, atque in medio nervum inhærentem ſortitur, qui ſi evellatur ſiliquam in duas partes æquales dividit atque ſejungit: Concuſſa ſeminis intus latentis manifeſtum præbet ſonitu argumentum. Siliqua vero iſthæc aliquid ſimilitudinis habet cum ſiliqua Senæ. Dum aperiretur facilè ſectioni cedebat, intus verò ſubſtantiam ſiliquæ, ſpiſſam ſatis, utrinque exhibebat & duriuſculam, unicum tantùm nucleum Phaſeolum æmulantem, compreſſum tamen continebat, lævi tenuíque tunicâ rugoſâ inveſtitum, colore aliquo modo violaceo imbutum, ſuperat pulpa duriuſcula, albicans, quæ nobis nonnullam dulcedinem guſtando imprimere videbatur.

Uſus. Fructûs contuſi vel confracti ſuccum in vulnera inſtillare feruntur Indi *Wiapock* incolæ ad ea conſolidanda.

7. *Siliqua oblonga cinericea granis Coluteæ* C.B. *Fructus* 12. *cap.* 20. *lib.* 2. Exot. Cluſ.

Cluſ.

Siliqua iſthæc tres uncias longa erat, licet interdum brevior reperiatur, ſatis gracilis, rugoſa & inæqualis, cineracea cute conſtans, quæ ſecundùm longitudinem in binas partes dehiſcebat, multa grana continens, plana, dura, Coluteæ granorum ferè æmula.

8. *Lobus fibroſus brevis* Muſ. R.S. *Fructus reticulato corio* Beſler.

Tres proximè uncias longus eſt, $1\frac{3}{4}$ latus, unciam ferè craſſus, valdè fibroſus & flexuræ renitens, tenui & valde lævi membranâ intus obductus, cavitas interna unica eſt, & non diſſepta aut in cellas diviſa; unde apparet unico intus nucleo peramplo repletam fuiſſe.

CAP. VI.

Fabæ purgatrices & affines.

1. *Fabæ ſive Phaſeoli purgantes* Park. *Phaſeoli purgatrices* Ger. *Phaſeolus Novi Orbis, ſive Faba purgans latiſſima cordis figura* * J.B. *Faba purgatrix latiſſima ex inſula D. Thomæ* C.B.

*Tom. 2. lib.17. p. 276.

J.B.

Hujus generis variæ magnitudinis habuit J. Bauhinus. Alias unciarum duarum latitudine, alias ſeſcunciali, utraſque orbiculatas fere, latiores tamen paulò, ubi ſinus parvus qua ſiliquæ adhæſerunt cavas, digiti fere craſſitudine, modicè compreſſas, ſpadiceo, duro ſtriato & lucente cortice intectas. Quod intus continetur, teſte Cluſio, album, firmum & in duas partes naturâ ſectile, ſapore primùm quali ferè ſunt omnia legumina, ſed illico linguam mordicante & acri, quo fit, ni fallor, ut purgandi facultate ſint præditæ.

Hujus lobi icon ad Cluſium miſſus quinque duntaxat unciarum longitudinem habebat, binarum latitudinem. Duro autem craſſóque cortice lobus conſtabat, coloríſque erat ex cineraceo fuſci, de craſſo pediculo pendens. Binos phaſeolos ſolummodo continuiſſe videbatur. Horum alter, ad Cluſium cum icone miſſus, binas uncias latus erat, ſeſcunciam longus, ſumptâ ab hilo quo lobo adhæſerat ad infimum fructum menſurâ, planus, medio tamen aliquantùm extuberans lævis, coloris nigri & ſplendentis, quia perfectam maturitatem adeptus erat, aliàs ex fuſco ſpadicei: plerique omnes quos vidit Cluſius, cordis ut vulgò pingitur formam habebant, hoc eſt, ea parte quâ lobo adhæſerant paululum erant cavi, atque propter hanc formam, & quia in inſula S. Thomæ naſcuntur *cor S. Thomæ* à quibuſdam appellantur.

Fabarum purgatricium ſolum fertile Carthago, Nomen Dei & inſula D. Thomæ dicta.

Cæterùm (ut Monardes præcipit) pellicula illa tenuis quæ per medium illas interſecat, & cæparum tuniculam exteriorem æmulatur cum cortice abjicienda eſt, alioqui tanta vehementiâ ſupernè & infernè purgant, ut in vitæ deſcrimen ſumentem conjiciant. Aſſandæ deinde ſunt ut illarum acrimonia infringatur, deinde in pulverem comminuendæ. Datur hic pulvis vino aut ſaccharo exceptus ad cochleare unum, deinde hauſtus vini ſumitur. Apud Indos hoc medicamentum celebre eſt ob ſumendi facilitatem: nam ſine moleſtia bilem, pituitam & craſſos humores multo leniùs & faciliùs quàm Avellanæ catharticæ aut Pinei nuclei cathartici purgat. Datur in febribus diuturnis, coli doloribus & inteſtinorum morbis. Doſis à quaternario numero ad ſenarium, pluriùmve aut pauciorum pro ægri viribus. *Vires.*

Hujus varietatem longiorem deſcribit J. Bauhinus quæ ab hilo, quod eminentius eſt, nec ſinum facit, ad oppoſitam partem $2\frac{1}{2}$ pollices lata erat, longitudo duarum erat unciarum ſic ut ab orbiculata ſuperiorum figura non parùm deſciſcat; color ſpadiceus dilutior, lubricitas & nitor, ut videtur, major, craſſities par.

2. *Phaſeolus peregrinus magnus, coloris Caſtaneæ cum magno hilo lævis* J. B. *Phaſ.* 3. *Nigritarum* Cluſ. Exot. *lib.* 3. *cap.* 11.

J. B.

Siliquæ iis ſimiles ſunt quæ à Lobelio pinguntur *Phaſeoli Braſiliani* Cluſii nomine, à Braſiliano tamen & purgatrice Faba diverſa grana continentes, hàc enim minora, illo majora; orbiculata, ſemunciali latitudine, cortice duro, lævi, ſpadiceo obducta, leviter compreſſa, quorum hilum profundius, canaliculatum, non pullum ut in Braſiliano ſed reliquo cortici concolor, nec ità etiam latum longúmve, ut quod duas duntaxat tertias orbitæ cingat, cùm Braſilianus Phaſeolus brevem iſthmum relinquat. Cortice ſeparato, qui craſſiuſculus multum de intenſo illo colore remittit, pulpa in conſpectum ſeſe dat, ſuperficie quidem tenus rari coloris, intrinſecus alba, dura, ſapore Viciæ.

3. *Phaſeolus ſive Faba arboreſcens ex Guinea latiſſima, ferè quadrata* J. B.

Purgatricibus Novi orbis Fabis compreſſior eſt, trium unciarum latitudine, acutior ad hilum, oppoſita parte latus, & tantùm non quadratus, longitudo ſeſcuncialis. Cortex Caſtanearum corticem craſſitudine æquat, ex ſpadiceo nigricans, obliquè ſtriatus, amareſcentem ſubſtantiam claudens, &c. A Paludano accepit.

Huic eandem eſſe non eſt cur dubitet J. Bauhinus Phaſeolum peregrinum 1. cap. 7. lib. 3. Exot. *Cluſ.* Utraque enim à Bern. Paludano miſſa eſt, Fabæ arboreſcentis ex Guinea appellatione, nec magnitudo, figura aut color multum diverſa. Variat autem nonnihil magnitudine, figura & craſſitie.

Nec dubium eſt quin Lobus hujus fuerit quem Cluſius capite præcedente deſcribit ſub titulo——

4. *Lobi Fabæ arboreſcentis, qui J. Bauhino Fabæ arboreſcentis longiſſimus lobus, Phaſeolis latis planis ſpadiceis. C. Bauhino Arbor ſiliquoſa Guinenſis fructu Fabaceo, folio longiſſimo.* C. B.

Cluſ.

Valdè magnus erat lobus, viginti unciarum longitudine, duróque & craſſo cortice præditus rugoſoque, coloris externa parte nigricantis & fuliginoſi, interna autem ferè ſpadicei, continens magnos ſeptem phaſeolos $2\frac{1}{2}$ uncias longos, $1\frac{1}{2}$ latos, valdè planos pro magnitudine, & minimè denſos, coloris ex ſpadiceo nigricantis & ſplendentis. In alio hujus generis lobo, quem videbat Cluſius, unciâ unâ præcedente breviore, color externè fuſcus erat, quem craſſiores venæ ſive ſtriæ nigræ à pediculo ad extremum uſque lobum ſecundùm longitudinem ductæ exornabant. Internus color ex ſpadiceo ad rubedinem tendebat; ipſe Phaſeolus planus erat niger & ſplendens. Hujus etiam generis ſunt

5. *Fabæ arboreſcentis fructus, Phaſeolus peregrinus ſecundus* * Cluſ.

Superiori non valdè diſſimilis, ſed longè minor; ſeſcunciam viz. tantùm longus, unciam latus, planus, rugoſus, ſpadicei quodammodo coloris, nervo qui eam ambiebat eminentiore. Item

6. *Phaſeolus peregrinus tertius* Cluſ. *Exot. l.* 2. *c.* 7.

Lobo incluſus fuiſſe videbatur, formà ovum columbinum ferè exprimebat, longior unciâ, ambitu ſeſcunciam ferè comprehendens, exalbidi coloris, cui flavi quidpiam circa extremam partem, quâ lobo inhæſerat permixtum; circum verò locum quo lobo adhæſerat fuliginoſâ maculâ erat inſignitus, lævis alioqui & ſplendens, gravis & ponderoſus. Necnon

7. *Phaſeolus peregrinus quartus* Cluſ. ibid.

Quem etiam lobo comprehenſum fuiſſe non eſt dubium; erat autem craſſiuſculus, ejuſdem pænè magnitudinis cum ſuperiore, totus niger præter exiguam maculam ſubalbam, quà proculdubio inhæſerat lobo, durus autem & ſolidus & in aqua ſubſidens.

Phaſeoli Exotici ſiliquam longam falcatam ſemine ex toto albo vidi in Muſeo celeberrimo . *Gulielmi Courtine* Armigeri.

C A P.

---

* *Exot. l.* 2. *c.* 7.

CAP. VII.

Piper Æthiopicum Matthioli Park. *Æthiopicum ſiliquoſum* J. B. *Æthiopicum ſive Vita longa* Ger. *oblongum nigrum* C. B.

J. B.

Siliquæ plures ex uno tuberculo pendent, unciarum duarum, trium, quatuórve longitudine, rotundæ, pennæ anſerinæ craſſitudine, nigricantes, incurvæ aliquantulum, thorulis pro contentorum ſeminum numero diſtinctæ, alioqui etiam rugoſæ, fibris longis, lentis, fractúque contumacibus contextæ: interior ſubſtantia ex rubro nonnihil eſt cinerea. Semina diſtinctis comprehenduntur loculis (carnoſo pariete unumquemque diſtinguente loculum) ex rotundo oblonga, difficulter è ſiliqua avellenda, magnitudine minimi Phaſeoli, foris nigra & nitida, materiâ duriuſcula, rufeſcente, texturâ cancellata, (præſertim juxta pediculum quâ integitur) favos apum imitata. Sapor tam ſiliquæ, quàm ſeminum ad Piperis nigri ſaporem accedit.

D. Grevius ſemina vel minimo Phaſeolo dimidio minora eſſe ſcribit; at neque ſaporem habere Piperis nigri, ſed potius Caryophylli, ut quod non valdè acre ſit, ſed admodum aromaticum, præſertim ad ignem excalefactum.

Lobus Piperi Æthiopico ſimilis Cluſ. Exot. *l.* 3. *c.* 16.

Cluſ.

Non valdè diſſimilis erat Æthiopici Piperis lobis; nam & illorum inſtar articulis diſtinctus, & grana in ſingulis continebat nigra, craſſiuſcula, rugoſa, acris ſaporis; alioqui lobus craſſior erat Piperis Æthiopici lobis, cortice denſo conſtans, foris rugoſo; coloris ex rufo nigricantis, ſuperna & inferna parte duplici nervo à pediculo ad extremum lobum excurrente. Pluribus aliquot articulis præditum fuiſſe veriſimile eſt, nam poſt quartum articulum præciſus fuerat.

HISTORIÆ PLANTARUM

LIBER TRIGESIMUS SECUNDUS,

Arbores & Frutices vel anomalas vel minùs cognitas exoticas novas & in Europam nuper illatas exhibens: Necnon Partes quaſdam Stirpium minùs cognitarum.

HUNC ergo Librum in duas partes dividemus, Altera erit De Arboribus partim anomalis, partim ob deſcriptiones imperfectas minùs diſtinctè cognitis, partim denique novis, exoticis & in Euproam nuper advectis, quæ nondum apud nos flores & fructus dederunt.

Altera de Partibus ſtirpium minùs cognitarum, nimirum 1. De Corticibus, &Lignis. 2. De Floribus & Foliis. 3. De Fructibus. 4. De Succis ſivè Gummi ſint, ſive Reſinæ, ſive mixtæ & mediæ inter utrunque naturæ.

PARS PRIMA.

De Arboribus nonnullis Exoticis.

CAP. I.

Arbores Indicæ & Exoticæ ex Hiſtoriis Aromatum Garciæ & Acoſtæ.

1. *Macer Veterum* C.B. *Macer Dioſcoridis & Græcorum* J.B. *Macer Græcorum* Park. *Ulmo affinis, fructu veſiculis membranaceis & ſemine intus incluſo compoſito.*

QUi Macerem Græcorum & Macin. *Offic.* unum & idem eſſe opinantur, tiæ illi multùm hallucinantur. Macer enim cortex craſſus eſt, contra Macis tenuis: Macer perquam aſtringit, Macis ſapore ſubacris eſt: Macer temperatus eſt, Macis calida. Præterea Arabes, ut Serapio & Avicenna, de iis, ut de rebus diverſis, diſtinctis capitibus agunt, & Avicenna Macerem *Taliſafar* radicis corticem vocat. Tandem Veteres qui de Macere agunt nullam Nucis Myriſticæ, cujus operimentum eſt Macis, mentionem faciunt, quod non veriſimile eſt eos ignorare potuiſſe, aut ſilentio præterire voluiſſe, ſi illorum Macer cum Maci idem fuiſſet. Quin Plinius apertè Macir corticem rubeum radicis magnæ eſſe aſſerit. Maceris arbor, deſcribente Acoſta, vaſta eſt, & multis ramis prædita, Ulmo multò major, cujus folia ſex aut ſeptem uncias longa ſunt, duas lata, exteriore parte dilutiùs virentia; interiore ſatura. Ea non alium fructum habere creditur præter *ſemen* quoddam, denarii magnitudine, tenue, cordis effigie, colore flavo, ſapore verò Amygdalæ, aut nuclei Perſicorum malorum, tenui & candidâ tunicâ tectum, quod veſicâ quadam ex tenuiſſimis duabus ſimul junctis & tranſparentibus membranis conſtante includitur: ea autem veſica in medio folio naſcitur, aliis magnitudine non diſſimili, ſed cuſpide obtuſiore & circa pediculum anguſtiore, colore medio inter rubrum & fulvum, inæquali, & multis fibris à pediculo ad extremitatem rectâ lineâ ductis criſpo & rugoſo, haud abſimilis illi quæ in Ulmo naſcitur, paulò tamen latior & planior.

Succo lacteo prædita eſt hæc arbor uti Morus, radicéſque habet Ilici perſimiles, magnas, craſſas, in latum & profundum diffuſas, & cortice tectas craſſo, aſpero, ſcabro, duróque, cinereo fo- is colore, interiùs albo dum recens eſt, cùm ſiccus flaveſcens & admodum aſtringens; Succo cum adſtrictione nonnihil mordicante, quæ tamen mordicatio brevi evaneſcit.

Vires. Radicis cortice recenti trito, cum oxygala ſeu lacte acido mixto omnis generis dyſenterias & alvi profluvia mirabili ſucceſſu curant omnes Medici, tum Brachmanes, tum Canarini, & Malabarici. Aliqui hujus corticis ſicci & in pulverem redacti ſemunciam per noctem macerant in ℥iv. ſeri lactis, eúmque bis in die propinant, manè & veſperi: deinde medicamento ſumpto Oryzam ſine ſale & butyro coctam, atque pullos gallinaceos coctos maceratos & tritos in Oryzæ decoctione ſtatim ægro exhibent: interdum ſi neceſſitas urgeat, Opium admiſcent. Solent verò etiam Arabes cujuſcunque generis alvi profluvia opio nuce moſchata admixta curare.

Hujus item radicis uſus ſalutaris creditur ad vomitus compeſcendos, & ventriculum roborandum cum aq. Menthæ & Maſtices pulvere. Plus autem pollere aſſerunt Indici *Jogues* hujus arboris portiunculam in compeſcendis vomitibus alvíque profluviis ſiſtendis quàm magnam quantitatem corticis Myrobalanorum, aut Arezæ, eámque præſtantiorem eſſe *Coru* Malabarico. Præterea *Macre* fructum omnis generis lumbricos in humano corpore natos necare, & calculum in renibus frangere: tum etiam eos qui ſingulis diebus manè uterentur liberos fore à calculo & à coli doloribus, nec inebriari poſſe.

Similitudo nominum Macer & Macre, & convenientia in viribus hunc corticem Dioſcoridis Macerem eſſe arguunt.

An *Cortex ad alvi profluvia in Novo Orbe* Monardis? Profert (inquit) novus orbis prægrandem arborem, foliis cordis effigie, nullo fructu. Ejus cortex digiti craſſitudine aut amplior, ſolidus, durus & ponderoſus, tenui candicante pellicula integitur. Similis eſt admodum cortici Guyacan, uti Gentiana amarus, manifeſtè adſtringens, grati tamen ſeu aromatici odoris particeps. Cæterùm amaritudinem Monardes cortici ſuo tribuit, cujus alii quidem non meminerunt, quantum quidem nobis conſtat.

2. *Mangæ affinis Ambare. Ambare Indica* J. B. *Arbor Indica foliis Juglandis, fructu* Nucis *magnitudine* C. B. *Ambares* Park.

Acoſta.

Craſſa magnáque eſt arbor, *foliáque* habet Juglandis foliis magnitudine reſpondentia, ſed non ejus formæ, dilutiùs virentia, & multis venis elaborata, quæ illis magnam gratiam addunt: *Flores* exiguos, candidos: *Fructus* nucis Juglandis magnitudine, dilutiùs virentes, & cortice quàm illa leviore, odoris gravis, & guſtûs acerbi dum adhuc virent: coloris verò flavi in maturo gratioris odoris, & guſtûs grata aciditate commendabilis, medullam continentes cartilaginoſam & duram, è duris nervis obliquè intertextis conſtantem.

Garcias fructum hunc immaturum adhuc cartilagineo quodam cortice vireſcente integi ſcribit.

Uſus. Propter fructûs gratam aciditatem eum Omphacii ſeu Agreſtæ modo cibis admiſcent Indi: maturum ex ſale & aceto edunt: excitat enim edendi appetitum. Adverſus bilioſos humores utilem eſſe perhibent. Sale & aceto conditus diu aſſervari poteſt.

Nobis Mangæ ſpecies eſſe videtur aut ad Mangam proximè accedere.

3. *Coca Indorum folio Myrti* J. B. *Myrto ſimilis Indica fructu racemoſo* C. B.

Acoſta.

Pumila eſt arbor, folio Myrti, vel (ut alii volunt) Rhois coriariorum [quod veluti aliud folium ſimili forma in meditullio delineatum habet] molli, dilutiùs virenti, fructu racematim cohærente, uti Myrti fructus, rubente quando matureſcit, ejuſdémque magnitudinis, quando verò plenam maturitatem adeptus nigricante: tum verò herbæ eſt meſſis, quæ collecta in caniſtris ad ſiccandum reponitur, ut meliùs conſervari poſſet. Hiſtorici Peruviani omnes referunt incolas iſtius regionis *Cocam* à ſummo manè ad noctem uſque perpetuo in ore retinere, tametſi eam neque mandant, neque deglutiant, quòd eam aſſiduè in ore habentes famem & ſitim abſque moleſtia facilè poſſint tolerare etiam per integrum diem. Hinc magnâ curâ ſeritur & colitur in convallibus montium *Andes* dictorum. Maximo in pretio apud Peruvianos eſt, unde multi ex ejus mercimonio ſolo ditiſſimi evaſere.

Uſus. Ex foliis dentibus attritis & cum aliquanto pulveris conchyliorum uſtoſtorum admixtis trochiſcos ſeu orbiculos conficiunt, & ſiccandos exponunt. Quando iis uti volunt unum orbiculum in ore ſumunt eúmque exſugunt, ſubinde in ore nunc hac, nunc illac verſantes, & quandiu poſſunt retinentes: uno abſumpto alium ſumunt, & deinde tertium, ſic pergentes toto tempore quo ii in longis itineribus conficiendis opus habent, præſertim ſi per loca fiant, ubi nulla aut cibi aut aquæ copia eſt. Si voluptatis gratiâ uti volunt, ſolam Cocam mandunt. Plura videſis apud Acoſtam.

4. *Arbor exotica fructu racemoſo Charamais dicta* C. B. *Charamei Acoſtæ folio Pyri* J. B. *Charamei* Park: *Turcis & Perſis Ambela.*

Acoſta.

Hujus arboris duo ſunt genera, unum meſpili amplitudine, foliis pyro ſimilibus, dilutè virentibus, fructu Avellanis ſimili, admodum flavo, eleganter in multos angulos deſinente, ſapore omphacii & grata aciditate, quem vel immaturum, vel maturum, vel ſale conditum vulgariter edunt, ad orexin excitandam: vel aliis eduliis quibus aciditatem conciliare volunt admiſcent. Alterum genus ejuſdem eſt magnitudinis, foliáque habet Malo minora, fructum verò priore majorem, cujus decocto cum Santalis adverſùs febres utuntur Canarini medici.

Locus. Creſcit in ſylvis & montibus procul à mari diſſitis.

Vires. E primi generis (quòd ſecundùm aquas naſcitur) arboribus ſeligunt Decanini & Canarini eam quæ longiùs à mari abeſt: hujus radicis corticem (cui lacteus ſuccus ineſt) quatuor digitorum longitudine ſumentes cum drachma Sinapi probè terunt & aſthmaticis exhibent: valenter enim purgat per alvum & vomitum. Quòd ſi immodica ſubſequatur evacuatio, *Carambolas* fructum unum viridem edunt, vel aceti Canarini hauſtum ſumunt (quod nihil aliud eſt quam aqua decoctionis Oryzæ, uno aut altero die reſervata donec aceſcat) & ſi profluvium non ceſſat, ægris caput frigidâ abluunt. At quis hoc auſit apud nos; aut quæ hujus medelæ ratio meritò quærit *J. B.*

Hæc omnia Acoſta.

5. *Avacari facie Myrti* J. B. *Myrtus Indica* C. B.

Garc.

In Malavarica Indiæ provincia puſilla enaſcitur arbor, major frutice *Coru*, quæ foliis, floribus & fructu Myrto perſimilis eſt. Fructus ejuſdem etiam eſt cum Myrto ſaporis, multò tamen aſtringentior. Hanc arbuſculam trifolium olere ferunt. Naſcitur in montibus. Aiunt miræ eſſe efficaciæ adversùs inveteratas dyſenterias, à cauſa frigida provenientes: ut & ſenex quidam Luſitanus in filia ſua expertus eſt, cortice trito & in aqua Oryzæ macerato.

6. *Coru Canarica Arbuto vel Malo aureæ ſimilis* J. B. *Coru, foliis Mali aureæ, flore luteo Acoſtæ* C. B. *Luſitanis Indiarum incolis Herba Malabarica. Coru arbor* Park.

Acoſt.

Arbor eſt pumila, Malo aureæ ſimilis, cui etiam perſimilia habet *folia*, ſed quæ medium nervum craſſiorem habent, aliis octo aut novem in latera excurrentibus. *Flos* luteus eſt, odoris ferè expers. At Garcias folia Mali Perſicæ, flores candidos, Periclymeni odorem æmulantes, ei attribuit. Radicis cortex diluto virore præditus eſt, levis & tenuis, qui ſi frangatur aut vulneretur multo lacteo ſucco manat, lentiore & magis viſcido quàm qui ex Macere fluit, guſtu inſipido, amaritudinis tamen alicujus participe, frigidus & ſiccus, plus tamen ſiccitatis quàm frigiditatis poſſidens.

Hujus virentis corticis ſucco, licet admodum ingrato, plurimùm utuntur Malabar incolæ, tum Gentiles, tum Chriſtiani, ob admirandos quos præbet effectus in omni genere profluvii, tum in Lienteria, tum in Diarrhœa & Dyſenteria, à quacunque cauſa prognata. Septem uncias manè, & totidem ſub veſperam exhibent, ſi neceſſitas urgeat. Sed quoniam ſuccus amarus eſt & ingratus, ab ejus potu ſerum propinare ad os colluendum ſolent. *Vires.*

Luſitani corticem radicis deſtillant, atque utuntur in hunc modum. ℞ corticis in pulverem triti ℥viij. Ammeos, Apii, Coriandri ſicci, Cumini nigri nonnihil toſtorum & in pulverem redactorum ana ℥iij. Corticum Myrobal. cheba ℥vij. Butyri vaccini non ſaliti ℥ij. Lactis acidi q. ſ. ad pulveres iſtos excipiendum. Deſtillentur in vaſe idoneo. Liquoris ſtillatitii unc. quatuor vel quinque, cum aqua Avellanæ Indicæ, vulgò *Areca* nominatæ, aut aq. ex pediculis Roſ. ℥ij. propinant alvi profluvio laborantibus, ſemel in die, vel bis ſi opus ſit: interdum ſi neceſſitas urgeat trochiſcos de Carabe vel de Lemnia terra admiſcent. Ilico autem poſt ejus ſumptionem Oryzam cum Oxygala exhibere ſolent. Clyſteres etiam ex eo confecti ſub noctem injiciunt.

Tametſi autem Garciæ ſemper bene ſucceſſit hujuſmodi aquæ uſus, fatetur tamen Malvaricam herbam ab ipſis Malavarenſibus præparatam magis præſentaneam opem adferre. Ea verò paratur ex iiſdem ex quibus dicta aqua rebus, tenuiſſimè tritis, & ſero aut juſculo Oryzæ probè coctæ maceratis. Acoſta huic liquori longè præfert Maceris corticem viridem, licèt multò ingratior & ſumptu difficilior ſit. Salutare etiam eſt hoc medicamentum debilitati ſtomachi, tum etiam vomitus compeſcit cum aqua Ment hæ & Maſtiches pulvere ſumptum.

CAP. II.

Arbores exoticæ à Jacobo Breynio deſcriptæ.

1. *Arbor Kauki Indorum* Breyn. *floribus odoratis.*

Breyn.

K*Auki* Indorum ob florum fragrantiam à Javanis, apud quos oritur valdè æſtimata, Tiliæ ferè ſpecioſæ magnitudine & formâ: Arbor eſt patula, ramis diffuſa, cujus juniores ramuli cortice lævi, ex-albido ac incano ſunt obducti. *Foliis* ornatur Pyri foliorum facie, ex circinato nempe oblongis ſeu ovalis figuræ, trium, interdum quatuor, unciarum longitudine, latitudine duarum, raró trium, nervum craſſum per longitudinem & nervulos tranſverſos habentibus; at onſiſtentia duriore ac firmiore, brevioribúſque pediculis inſidentibus. Ex foliorum alis & ramulorum apicibus *Floſculi* oriuntur orbicularis ferè formæ, parvi, Piſi majoris magnitudine, duo, tres, uatuor, pluréſve juxta ſe, petiolis brevibus, lanuginoſis inſidentes, ſimul poſiti: quorum quilibet x multis petalis anguſtis & parvis, è rubello albicantibus congeſtus; & calyculo foliolis octo, acu- inatis, lanuginoſíſque, alternatim poſitis conſtructo, penitus fere circumvallatus. Flores hoſce ob avíſſimum quem exſpirant odorem filis aut quorundam foliorum nervis cum *Mogori* & *Tſjampaca* oribus trajectos in urbis Bataviæ foro venales exponunt Javæ inſulæ indigenæ. Aqua etiam ex iis dorata & cordialis elicitur, ejuſdem pæne illis cujus nobis Roſarum uſûs.

2. *Sanamundæ tertiæ Cluſii affinis foliis Polii C. Bonæ Spei* Breyn.

Breyn.

Frutex eſt lignoſus, Roſmarini facie creſcens; cujus rami alba lanugine circundati, & foliis viibus, ſubtus autem candidis & lanuginoſis, conferti, Polii Lavandulæ folio *C. B.* perbellè referenti- , quibus verò magnitudine, non autem craſſitie, cedunt. Ex ramorum lateribus nonnunquam quot; ſed circa illorum faſtigia ſurculi multi inſtar Chryſocomes Columnæ in umbellam mor- atam diſpoſiti, unciales & biunciales, foliis minutioribus donati enaſcuntur; quorum quilibet runque unicum, (raró duo) Piſi magnitudine, circa baſin parvis anguſtíſque foliolis cinctum *Capitulum*, ex duodecim, tredecim, vel pluribus, Sanamundæ tertiæ *Cluſ.* planè convenienti- tubulis aut floſculis compoſitum; qui extrinſecùs planè albidi & tomentoſi, in quatuor aut quinque foliola per extremum ſubtiliter diviſi, atque inferiùs circa pedunculos ſquamis nonnullis minutiſſimis ferruginei coloris præditi.

Ad Libri XXVI. Part. 1. cap. ult. referenda eſt.

3. *Chamælarix ſive Chenopoda Monomotapenſis* Breyn.

Breyn.

Alunt, inquit, juxta Bonæ Spei promontorium deſerta Fruticem echinatum quendam, frequentiſſimis ramis undique piloſis divaricatum, qui per interſtitia brevia invicem ambiuntur à viridibus Laricis in modum in acervos congeſtis foliolis, ſemunciam vix attingentibus, anguſtis, piloſis, pallido anteriùs aculeo, & nervo per medium craſſo dotatis. Fert in ramis & ramulis, inter ſurculorum divaricationes globum album, hirſutum valdè ſive villoſum, Ceraſi magnitudine, ex foliolis compluribus, iis qui ramulos veſtiunt multò hirſutioribus, & arcuum modo inflexis contextum: in quo inter foliola *flores* flavi enaſci dicuntur.

Si fructus & ſemen cum Echino Alpini convenirent, Echini nomen huic inderetur frutici, eo aptiùs cùm folia & globi formâ Echini animalis in orbem congeſti ſe præſentent.

CAP. III.

Pruno ſylveſtri affinis Canadenſis C. B. *Hypericum fruteſcens Americanum flore albo* Park.

C. B.

FRutex eſt ſeſquicubitalis [plurimis virgultis ad humanam ferè altitudinem aſſurgens *Park.*] *caule* lignoſo, rotundo, atro-rubente cortice veſtito [cortice albicante *Park.* forte hic de adultioribus virgis, ille de novellis & junioribus loquitur] in ramulos brachiato. *Folia* habet Rutæ hypericoidi ſimilia [ex anguſto principio in ſubrotundum apicem dilatata *Park.*] *Flores* Pruni ſylveſtris floribus ſimiles, ſed multò minores, copioſos, candidos, pediculis oblongis uncialibus, & capilli modo tenuibus, calyculis virentibus ſuſtentati, inſidentes; in quorum medio filamenta plura exigua, & tenuiſſima. Flos nullo fructu ſuccedente in hortis noſtris decidit. Foliis etiam eſt deciduis.

CAP. IV.

Arbores exoticæ à Guliel. Piſone & Georgio Marcgravio exhibitæ.

1. *Cuipouna arbor Braſilienſis* Piſon.

DE hac arbore pauca hæc habet Gul. Piſo, Multi multis & eximiis dotibus excellere agreſtem hanc arborem teſtantur. Floribus flavis decoratur ſpecies illa cujus ſuccus è cortice raſo expreſſus & cum aqua limpida mixtus ulcera inveterata & purulenta mundificat eáque carne explet. Præterea ex eodem ſucco atramentum conveniens elicitur, quo etiam ad tingendos pannos utuntur. Gluten quoque efficax exinde concinnatur, in uſus familiares receptum.

2. *Mucuitaiba, & Mocitaiba Braſilienſibus* Marcgrav. *Pyriformis Braſiliana.*

Marcgr.

Arbor eſt figuram grandis Quercûs aut Pyri ſylveſtris habens, cortice cinereo, glabro: *folia* Pyri noſtratis ſimilia. *Flores* non deſcribit Auctor. Lignum ex albo ſubflavum eſt; medium autem ex rufo nigricat; optimum eſt & duriſſimum.

In ſummitate hujus arboris & ſummis illius ramis naſcitur planta illa ſpithamæ longitudine, quæ radiculis nititur in ramis, & radice paulo craſſiore: in hac ordine reperiuntur, *octo*, novem, vel decem globuli flavi, inſtar myrobalanorum ſtriati & ſuperiùs acuminati, in quo acumine folium extat ſex aut ſeptem digitos longum, anguſtum, dilutè viride, & ad flavum inclinans, nervo in medio ſecundùm longitudinem.

3. *Arbor Braſilienſis fructu ovali, Avellanæ magnitudine, Piperis guſtu, & qualitate. Ibira Braſilienſibus* Marcgrav. Piſon.

Marcgr.

Arbor Betulæ figurâ creſcens, cortice fuſco & punctulis albis notato, tenuiſſimo; ligno lento. In ramis ramulos alternatim poſitos habet, & novem folia itidem oppoſita, tres circiter digitos longa, anguſta, acuminata, figurâ foliorum Salicis, supernè ſaturatè viridia, glabra, ſplendentia, infernè cinerea; & mollibus pilis cinereis quaſi lanugine tecta: quæ ſtantia in arbore deorſum ſe inclinant. *Flores* fert albos, ſex oblongis foliis conſtantes, odoratos, ad ſingula foliorum par binos. *Fructus* eſt ovalis, & magnitudine Avellanæ, ſaporis aromatici ac acris, qui loco Piper in cibis uſurpatur ſiccatus & in pulverem redactus. Habet enim inſignem vim aromaticam, ne

* Capſicum. ità acris eſt ut * *Pimenta.*

Uſus. Cortex arboris detractus loco funium uſurpatur, eſt enim lentiſſimus. Ex eodem etiam fi funiculi ſulphurarii, ad ſclopeta explodenda neceſſarii. Quando detrahitur albus eſt ſeparato c teriori fuſco, & ſtatim fit ruſeſcens quadrante horæ.

Tempus. Floret menſe Februario.

4. Tupei

4. *Tupeiçava ſive Scoparia* Piſon. 246. *Luſitanis* Baſourinha.

Piſo.

Herba non ſylvis ſed apricis campis gaudet: vix cubitum alta, tenaci, lignoſo, unico plerunque *caule* aſſurgit, cui à fundo ad verticem uſque perpetui ramuſculi adnaſcuntur, ornatè expanſi ſupernè pyramidis inſtar: Qui undequaque plurimis anguſtis, exiguis & acuminatis *foliis*, ſtellatim compactis, hinc inde ſibi invicem oppoſitis veſtiuntur. His inſerti apparent infiniti oculi, virides, aciculæ capitis magnitudine, è quibus floſculi dilutè albicantes & cœrulei erumpunt: Et poſt illos rotunda corpuſcula inſtar baccularum, quibus continetur *ſemen* minimum, fuſcum. *Radice* eſt recta, brevi, candida, filamentoſa, quæ ſicut & tota planta manifeſto ſapore & odore caret.

Integræ herbæ, præſertim juvenis, decocta, balnea, ſuffumigia admodum ſunt anodyna, emollientia & attemperantia, ut tot inſignibus Malvis in Braſilia luxuriantibus præferri debeant. *Vires.* Nec memini me in teneſmo, hæmorrhoidibus, ani inflammationibus vel doloribus præſentius adhibuiſſe remedium, tam familiare, ſive externè ut ſupra dictum, admotum, ſive per clyſteres injectum.

5. *Gonandima Braſilienſibus* Marcgr. *Sorbo Aucupariæ ſimilis floribus umbellatis.*

Marcgr.

Procera eſt arbor, Sorbo aucupariæ ex parte ſimilis, cortice cinereo, caudice in multos ramos diſperſo. Lignum illius inciſum fundit de ſe luteum ſuccum, qui ſponte effluit, ac poſtea indureſcit, ità ut inſtar picis fit fragilis, nullius odoris, nec usûs, quod ſciam, apud incolas. Et quia hæc arbor ripas amnium amat, radices habet multas, variè extra ripas ſuper aquas contortè expanſas. *Folia* habet ſibi invicem oppoſita, anguſta, acuminata, ſolida, lævia, viridia, ſplendentia. *Flores* fert multos umbellatim, qui ità proveniunt; primò elegantiſſimi, miniati coloris in ſingulis pediculis ſaturatè rubentibus, ſemidigitum aut plus longis enaſcuntur, ſeptendecim, octodecim, viginti juxta ſe in una umbella; * rudimenta floris conſtantia ex foliolis complicatis ovalis ferè figuræ ſunt, & magnitudine Pruni ſylveſtris, eleganter quinque lineis obſcurè rubeſcentibus ſecundùm longitudinem quaſi diſtincta; hæc paulò poſt ſe pandunt in florem, quinquefolium, elegantiſſimè rubrum, conſtantem quinque foliis cavis ſeu ſemilunaribus, exteriùs curvatis: in medio extat ſtamen ſaturatè rubrum, figurâ planè ut Caryophyllus aromaticus, cui ſuperiùs adhuc quinquangularis ſtellula rubra impoſita cernitur.

* *Gemmæ.*

Fructus ab Autore deſcriptus non eſt inventus.

6. *Anil alia ſpecies* Marcgr. *Caachira ſecunda* Piſon. *An Glaſto affinis* C. B.

Marcgr.

Ad duorum aut plurium pedum altitudinem aſſurgit, *caule* rotundo, geniculato, lento, ſucculento, & quaſi ſpongioſo ſeu arundinoſo, viridi, & hinc indè breviſſimis pilis ruſeſcentibus veſtito. Ad genicula tam caulis quàm ramorum *folia* ſine pediculis duo ſemper oppoſita ſtant directè, tres vel quatuor digitos longa, anguſta inſtar foliorum Lyſimachiæ, viridia, & in utraq; planitie pilis albis brevibus prædita, ad tactum paulum hiſpida. Ad eadem genicula ubi folia ſunt hinc indè etiam duo pediculi juxta ſe poſiti, erectè ſtantes, duos vel tres digitos longi, ſuperiùs florem album circularem ſuſtinentes, magnitudine Bellidis, circumcirca minutis foliis albis; in umbilico minima ſtamina alba. *Radix* ſemipedem aut paulo plus longa, paullùm curva, paucas radiculas habens, lenta, lignoſa, cortice obſcuri coloris veſtita, quæ detrahi poteſt. Planta hæc tota cum ſua radice ſucculenta eſt, & ſiquis vel caulem, vel radicem frangat, ſtatim ſuccus effluit cœrulei coloris.

Fit ex ea *Anir* ſolùm herbam contundendo & aquam affundendo: linquitur ut ſubſideat, hinc detrahitur, & in Sole ſiccatur quod conſedit.

Hæc planta toto genere diverſa eſt ab Altera Anil ex qua *Indigo* fit.

7. *Trematè Braſilienſibus* Marcgrav. *Tremaè* Piſoni. *Frutex Braſilienſis flore compoſito, in pappos abeunte.*

Frutex arboreſcens Mali Punicæ figurâ eſt ſimilis, cortice Sambucino, ligno albo, & medullam continente. *Folia* obſcurè viridia, haud magna, ſeſquidigitum longa, ſine pediculis ramis adhærentia, aſpera, multis venis conſpicua. In extremitate ramorum fert multas umbellas magnas, floribus luteſcentibus onuſtas, quibus aliquid purpurei admixtum. In medio autem ſunt multa ſtaminula flaveſcentia, ut florum Hieracii, & eodem modo deſinunt in pappos: exactè odorem referunt Styracis, ut & folia trita. Poſt flores provenit in illis papposis capitulis ſemen minimum, rotundum nigrum, multò minus Papaverino.

Braſilienſes utuntur foliis contuſis in oculorum doloribus & rubedine. *Vires.*

8. *Guirapariba vel Urupariba Braſilienſibus* Marcgr. *Arbor Braſilienſis folio ramoſo, floribus magnis, pentapetalis flavis.*

Marcgr.

Arbor eſt alta, lata, & mediocris craſſitiei, *folia* ſua in frondes congeſta ferens, nimirum quælibet frons habet quatuor, quinque, aut ſex pediculos, unum aut duos digitos longos, in quorum quolibet quinque folia, quodlibet ſuo pediculo innitens, junctim exiſtunt (rariùs tria aut quatuor folia) inæqualis magnitudinis, oblonga, ſaturatè viridia, ſplendentia, ad tactum membranacea, nervo ſecundum longitudinem & venis obliquis prædita; Menſe Decembri arbor ſine foliis exiſtens, quæ amittit initio æſtatis, *flores* protrudit copioſiſſimos, flavos, magnos, tres aut ampliùs digitos longos, ſuperiùs in quinque quaſi folia ſectos, ſine ſtaminibus, inodoros. Florens, arbor tota apparet flava, & longiſſimè dignoſci poteſt ad tria vel quatuor milliaria. Floribus decidentibus folia iterum erumpunt.

Alia occurrit apud Marcgravium Guiraparibæ ſpecies Cap. 9. p. 108. deſcripta.

Arbor eſt magna & ampla, cortice ſimilis arbori Guayabæ. *Folia* fert parva, in ramulis oppoſitis oppoſita, in quolibet ramulo æqualia, paria, cylindracea aut ſimilia, ſaturatè viridia, nervo ſecundùm longitudinem, & venulis tranſverſis vix conſpicuis prædita. Lignum interius coloris eſt obſcurè olivacei, ad nigrum vergentis; exteriùs tamen ex parte eſt pallidum, & illud interius amari eſt ſaporis, ſi viride maſticetur.

Ebeni ſpecies eſt, quare & à Portugallis *Ebeno* vocatur.

Folio decompoſito ſeu ramoſo eſſe videtur.

9. *Viſqueiro Luſitanis* Marcgr. *Arbor Braſilienſis viſcifera fructu longo tubulo prædito. Marcgr.*

Altiſſima arbor & latiſſimè ramos ſuos expandens, cortice gryſeo aut ſubrufeſcente; in ramis autem alternatim poſitis fert ramulos, quoſdam directè, quoſdam alternatim oppoſitos inque his oppoſita ſibi folia parvula, foliis pæne herbæ vivæ ſimilia, lætè viridia. *Flores non deſcribit auctor.* Fructum habet longo tubo præditum.

Uſus. Hæc arbor dat copioſam reſinam, mollem, viſcoſam, inodoram, colore picis quâ utuntur ad volucres capiendas illinendo ſuper baculum ut nos ſolemus viſcum; radiis tamen Solis indureſcit, quare ii cavendi.

Duæ dantur ſpecies, mitis & ſylveſtris.

10. *Anonymos Braſiliana floribus umbellatis albis hexapetalis. Marcgr.*

Caudice eſt recto, & mediocris altitudinis, cortice cinereo, ligno fragili & medulloſo; ſuperiùs in multos ramos, ſed foliis ferè nudos diſpeſcitur: *folia* tamen habet in illorum extremitatibus in frondes congeſta, quinque, ſex, ſeptemve juxta ſe, ſupernè dilutè viridia, infernè albicantia, quædam oblonga, quædam pænè rotunda, nervo ſecundùm longitudinem, & venis tranſverſis ordine ſibi oppoſitis. Inter folia in frondibus etiam proveniunt pediculi duos circiter digitos longi, qui ſuperiùs multos *floſculos*, oblongos, in umbellam congeſtos ſuſtinent, albos, hexapetalos, ſuavis odoris.

11. *Anonymos baccifera foliis ſalignis Braſiliana* Marcgr. *Marcgr.*

Cortice eſt cinereo albicante, multis ramis variè inflexis prædito. Lignum lentum, quaſi Salignum obtinet: *folia* autem oblonga, directè ſibi invicem oppoſita, ſolida, lævia, ſupernè egregiâ viriditate ſplendentia, & ad tactum inſtar holoſerici. In extremitate ramorum fert multos *floſculos*, ſpicatim ſeu racematim congeſtos, ſuo pediculo, deorſum incurvato inſidentes, lutei coloris, & racemus florum elegantiſſimè eſt diſpoſitus: poſt flores naſcuntur baccæ Ribium magnitudine.

12. *Maratatabiba Braſilienſibus* Marcgrav. *Arbor Braſilienſis foliis digitatis. Marcgr.*

Arbor caudice recto aſſurgit, non craſſo, cortice cinereo, ſuperiùs autem duorum aut trium pedum longitudine pediculi enaſcuntur, in orbem poſiti, quorum quilibet continet ſeptem, octo, novem aut decem folia in orbem diſpoſita, ſex, ſeptem, octo aut novem digitos longa, ſupernè viridia, infernè inſtar Serici glabra, inſigni nervo & conſpicuis venis prædita, foliis Ambaibæ ſubſtantiâ & colore fermè ſimilia, pediculo inſidentia duos aut tres digitos longo, cui è longinquo eadem Arbor videtur.

13. *Tangaraca I.* Piſonis. *Erva do Rato* Marcgr. *Frutex Braſilienſ. venenoſus, floribus umbellatis rubris.*

Frutex eſt arboreſcens. Lignum habet lentum, & in ramis ramulos oppoſitos, & duo ſemper ſibi oppoſita, vel etiam tria ſibi oppoſita foliola oblonga profert, dilutè viridia, eminente nervo ſecundùm longitudinem, & conſpicuis coſtis ſecundùm latitudinem prædita. In ſummitate ramorum ſpica naſcitur ex floribus multis umbellatim poſitis conſtans, oblongiuſculis, cylindraceis, rubris: pediculi autem florum crocei coloris & longiuſculi ſunt.

Vires. Flores & folia præſentiſſimum ſunt venenum. Radix verò mox exhibita tutum apud incolas remedium.

14. *Tangaraca III.* Piſonis. *Frutex Braſilienſis venenoſus floribus umbellatis aureis.*

Planta eſt fruticeſcens *radice* craſſa, *foliis* nunc alternatim, nunc ſibi directè oppoſitis, cæterùm craſſioribus & rotundioribus quàm priores Tangaracæ. In extremitatibus ramorum pediculi longi, ex quibus *floſculi* umbellati producuntur, primò albicantes, mox aureo colore relucentes. Unde advenæ ignari, gratóque illecti colore, temeritatis ſuæ nimis magnas pœnas aliquando dederunt, modò eos olfecerint aut tractârint.

Vires. In harum foliis, floribus & ſeminibus tam altè poſita eſt vis deleteria, ut vel ex leviſſimo eorum guſtu corpus intumeſcat, mens turbetur, oculi incipiant caligare, vertigines animíque deliquia oboriantur, denique mors ipſa ſequatur, niſi quantociùs præſentiſſimo remedio obviam eatur.

Antidota præſtantiſſima ſunt radices *Ipecacuanha* & *Caapia:* His proxima radices *Jaborandi* & *Jambu*. Quin ipſius *Tangaracæ* radices tutiſſimum cenſentur remedium, magna quantitate exhibitæ.

15. *Curupicaiba Braſilienſibus* Marcgrav.

Arbor cortice fuſco, & inſtar Betulæ creſcens: *folia* habet oppoſita, quinque aut ſeptem in uno ramulo, ſplendentia, acuminata, non ſerrata, Betulæ foliis viriditate ſimilia. *Florem Auctor non deſcripſit.* In interioribus ramulis proveniunt folliculi, primùm virides, deinde rubicundi, magnitudine & figurâ Piſtaceorum; qui quemadmodum & lignum ſpirant odorem ferè ut *Icica.*

16. *Guapereiba Braſilienſibus* Marcgrav.

Arbor eſt ligno gravi & ſolido, cortice brunno. Ramos & folia habet oppoſita, atque hæc quidem craſſa, nervo ſecundùm longitudinem, & multis venis ſecundùm latitudinem, adhæc lætè viridia, magnitudine Pyri foliis æqualia. *Floſculos* fert multos in calycibus longiuſculis, ex viridi ſubluteos. *Fructus* (*quem tamen auctor non deſcribit*) decidens Cancrorum terreſtrium eſt pabulum.

17. *Jecuiba Braſilienſibus* Marcgrav.

Marcgr.
Arbor ſatis alta, cortice ſubcano: *folia* fert in ramulis alternatim oppoſitis, ſibi invicem directè, vel etiam alternatim oppoſita, & in extremitate unum ſolitarium, tres digitos circiter longas, acuminata, nervo ſecundùm longitudinem & venis tranſverſis. *Florem* fert cœruleum. Lignum hujus arboris egregium eſt ad varia ſculpenda, nam ex ruffo brunnum eſt, & nigro undatum.

18. *Frutex anonymos Braſilianus flore Keiri* Marcgrav.

Marcgr.
Cortice eſt gryſeo; *folia* habet alternatim oppoſita, carinata, ſcaphæ figurâ, circa extremitatem autem dentata, lætè viridia, ſplendida, venulis obliquis, elegantibus prædita. In extremitate ramorum ſpicatim proveniunt *flores*, & ſpica floribus adhuc clauſis coloris eſt ſanguinei elegantiſſimi, hinc fit flava, & flores ſe pandentes ſunt flavi, pentapetali: cuilibet autem petalo ſubjacet folium acuminatum pallidum; in medio floris *ſtamina* lutea congeſta. Flos ſuavis odoris, ut Keiri noſtras.

19. *Ibera-puteruna Braſilienſibus* Marcgrav.

Ligno eſt duriſſimo, ità ut aciem cultri retundat. Arbor magna & ramoſa; fert *folia* alternatim in ramis oppoſita, tres aut quatuor digitos longa, figurâ cordis, ſed in extremitate acuminata, tenuia, ſuperiùs dilutè viridia, inferiùs paulùm pallida.

20. *Pyri ſylveſtris facie frutex Braſilianus innominatus* Marcgrav.

Marcgr.
In modum Pyri ſylv. creſcit, ligno fragili, cortice cinereo. *Folia* fert Pyri foliis ſimilia, denſa, ſuperiùs ſplendidè viridia, inferiùs dilutiùs, alternatim ordine quæque ſuo pediculo craſſo brevi appenſa & deorſum inclinata. In extremitate ramorum proveniunt quatuor, quinque aut ſex in racemum diſpoſita corpuſcula elliptica, Piſo majora, quæ ſeſe aperientia *florem* promunt tetrapetalon, petalis albis, craſſis, interiùs ex albo viridantibus, magnitudine Lychnidis, inter quæ in circulum diſpoſita ſunt ſtamina alba, alta, 120 & ſupra numero, ſeſquidigitum longa, fili Serici craſſi craſſitie, ſuperiùs flaveſcentem ſpongiolam adjunctam habentia. In medio autem floris & horum ſtaminulorum aliud ſtamen, duos digitos longum, fortius, flaveſcens, erectum ſtat, ſuperiùs habens cylindraceum capitulum. [Stylus hoc non Stamen] Flos & viſu jucundus eſt, & ſuavi Roſæ odore præditus ſed non ità forti. (*Reliqua non ſupplevit Autor*) Ramulos, inquit, hujus plantæ appenſos habui in muſeo meo ad libros; noctu ad quemlibet exortum pediculi cujuſque folii, ut & ad quodlibet folium floris exſudârat guttula ſplendidi cryſtallini humoris, quaſi plantæ affixa eſſet, ſeminis majoris Sinapi mole.

CAP. V.

Arbores quædam ex Horto Malabarico quæ ſteriles, floréque & fructu aut ſaltem fructu viduæ eſſe feruntur.

ARbores hujuſmodi tota ſpecie ſteriles & fructu omnino deſtitutas dari neutiquam concedimus; nonnullas tamen rariùs fructum proferre agnoſcimus, quæque hujuſmodi ſunt quia earum fructus ab indigenis non fuerint obſervatæ, pro ſterilibus habentur.

1. *Nandi-Ervatam* * H. M. *Syringa Malabarica lacteſcens, flore niveo, pleno, odoratiſſimo* D. Commelini. * *P.* 2. *F.* 54. *p.* 105.

Fruticulus eſt quatuor pedes altus, naſcens in arenoſis. *Radix* fibroſa, cortice albicante ſeu ſubrufo, in ramos ſe diffundens. *Stipites* ex radice aſſurgentes cortice ſunt ſcabro, cinereo, cum ramis ſuis nodulati. *Surculi* tenues & novelli virides. *Folia* è geniculis ex adverſo bina petiolis brevibus & viridibus exeunt, oblongo-anguſta, rotunda, anteriùs cuſpide parvo & anguſto, qui versùs unam partem maximè inflexus eſt, eminentia, ad petiolum ſtricta, intus lactea, mollia, ſuperficie lenia, ſupernè obſcuriore virore, ſubtus dilutiore nitentia. Coſta folii media, & nervi laterales etiam in ſupina parte eminent. Folia odoris & ſaporis nullius ſunt niſi ſylveſtris. *Flores* in petiolis, qui ſupra ex origine foliorum etiam duo, tres vel plures ſimul oriuntur, plures junctim proveniunt, roſarum æmuli, in totum candidi ſeu nivei, odore ſuavi & grato, decem petalis oblongis compoſiti, anteriùs latioribus, craſſiolis, rigidis, ac venis ſubtilibus ſtriatis, duplici ordine poſitis, quæ in exteriori ordine ſunt quinque, in uno latere rectiori linea ſtriata ſunt, ac magis craſſiola, in altero latere rotundiori ac tenuiori margine, & criſpo ſeu corrugato, exteriùs nervulo ſtriata, qui proximè marginem rectum exortus in eum ductu inflexo incurrit; quinque illa quæ in interiori ordine ſunt, lateribus in utraque parte rotundiolis, ac non exactè uniformibus circumſcripta, ac in oris undique corrugata. Flores autem calyci quinque parvorum foliorum, pedunculo ſeſcunciali, qui exteriùs viride dilutus & ſubflavus, interùs flavo ac croceo rore, quo ungues foliorum tingit, conſperſus eſt, inſident, Gemmæ florum conicæ.

Sub tempus quo florum exortus inſtat, folia omnia decidunt, nováque ſimul cum floribus erumpunt.

Fructus num ferat dubium: *imò ferre certum, licet ab Autoribus noſtris non fuerint obſervati.*

Hic fruticulus totus lacteſcit, in anno bis térve flores ferens.

Vires. Succus ex ea expreſſus ac cum oleo mixtus dolores oculorum ſedat facta capitis perunctione. *Radix* maſticata,& in ore detenta dentium dolores ſedat vermes enecando: cum oleo decocta ſervit pro omni indiſpoſitione capitis, & præſertim ejus dolorem ſedat, facta perunctione: eadem trita & in aqua epota lumbricos enecat: trita cum ſucco Limonis & oculis indita nubeculam tollit.

2. *Nandi-Ervatam minor* H. M. *Jaſminum Malabaricum foliis Mali Aurantii flore niveo odoratiſſimo* Commelin.
H. M.

A priore tantum differt, quòd foliis ſit nonnihil minoribus, quódque flores ſimplicioribus ac minoribus foliis conſtant, putà tantùm quinque quæ ſunt ſimilia foliis florum prioris ſpeciei, qui in exteriori ordine ſita ſunt.

Joan. Commelinus hanc plantam pro Jaſmini ſpecie habet, quoniam flores Jaſmini floribus ſimiles ſunt, cúmque folia foliis Mali Medici reſpondeant, appellari poſſe cenſet, *Jaſminum Malabaricum foliis Mali Aurantii flore niveo odoratiſſimo:* à præcedenti autem omnino differre judicat. Nos potiùs aſſentimur Autoribus noſtris teſtibus αὐτόπταις congenerem eſſe affirmantibus.

3. *Ben-Kaleſiam* H. M. P. 4. T. 34. p. 71. *Arbor Indica foliis alatis, flore & fructu vidua.*
H. M.

Arbor eſt mediocris magnitudinis, caudice mediocriter craſſo, ſcabro & nodoſo, multiſq; ramis viridibus ac nodoſis, in orbem longè latéque diffuſis donato; Lignum albicans, odorum, cortice obductum craſſo, cinereo, intus candido. *Radix* craſſa, fibrata, albicans, cortice rubicundo ſquamoſo obducta; odor ſuavis, ſapor acris & aromaticus. *Folia* geminata ordine parallelo ramulis inhærentia, (*quos ramulos vocant nihil aliud ſunt quàm foliorum compoſitorum coſtæ*) oblongo-rotunda, glabra, ſupernè atro-viridia & ſplendentia, infernè ſubviridia & lanuginoſa, in ambitu quodammodo crenata, odor ſuavis, ſapor aſtringens. *Flores* aut nullos fert, aut inconſpicuos, nec magis fructus; nam quos pro fructibus deſcribunt excreſcentiæ ſunt Gallarum æmulæ, inſectorum matrices, ad foliorum ortum, vel ipſis foliis innaſcentes, oblongo-rotundæ, acuminatæ, primùm virides, dein purpuraſcentes, glabri, nitentes, intus cavæ, ac ſubſtantia farinaceâ refertæ, intra quam unum alterúmve inſectum volatile è Papilionum genere hoſpitatur: ſapor aqueus & ſubaſtringens.

Locus. Naſcitur ubique in Malabar, & frequenter in agris colitur ob folia, quæ eum in finem colligi ſolent, ut iis agri ſtercorentur. Semper viret diúque ſuperſtes manet.

Nos negamus ullam arborem dari tota ſpecie ſterilem, ideóque & hæc proculdubio fructus fert quamvis nondum fuerint animadverſi.

4. *Aſjogam* H. M. *part.* 5. *tab.* 59. *Arbor Indica foliis adverſis, flore flaveſcente tetrapetaloide, odorato, fructu nondum comperto.*
H. M.

Arbor eſt mediæ magnitudinis, quindecim circiter pedes alta, caudice mediocriter craſſo, albicante, fuſco-nigricante cortice cincto, ramuliſque paucis in orbem diffuſis donato. *Radix* albicans, nigricante cortice tecta, inodora, profundè terræ inhærens, fibríſque ſuis latè per eam diffuſa. *Folia* ex adverſo bina circa ſurculos proveniunt, oblongo-rotunda, craſſa, ſpithamam circiter longa, mediâ coſtâ viridi-albicante: odor & ſapor ingratus. *Flores* odori, flaveſcentes, in faſcias collecti, numeroſi circa ramulos proveniunt, conflantur ii è tubo oblongo, in quatuor ſubrotunda ſegmenta expanſo, octo tenuibus, rubro-ſplendentibus ac longis *ſtaminibus*, atro-purpureis *apicibus* ornatis medium occupantibus; inter quæ *ſtylus* prodit viridi-albicans, craſſus, ſurrectus, acumine tereti. Quales fert fructus nondum compertum eſt.

Locus. Provenit variis Regni Malabarici locis circa Ethnicorum templa, qui iſtiuſmodi arbores ſtudioſè ibi colere ſolent, earundémque foliis & floribus uti in cæremonis ſuis ad templa ornanda. Semper viret, quotannis floret, Decembri viz. & Januario menſibus, diúque ſuperſtes manet.

Vires. E foliis contuſis ſuccus exprimitur, qui cum ſeminis Cumini pulvere exhibitus colicam paſſionem ſanare fertur. Foliorum pulvis cum Santalo citrino ac ſaccharo aſſumptus ſanguinem reficere ac purgare dicitur.

5. *Talijr-Kara* H. M. *P.* 5. *T.* 38. *p.* 75. *Arbor Indica ſpinoſa flore & fructu vidua.* *H. M.*

Arbor eſt procera, 30 circiter pedes alta, *caudice* craſſo, albicante, cortice cincto cinereo-furvo, glabro, ramuliſque pluribus, in orbem longè latéque diffuſis donato, qui oblongis, duris, rigidíſque ſpinis inſuper muniti ſunt. *Radix* albicans, furvo cortice tecta, odoris gravis, ſaporis adſtringentis. *Folia* oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu leviter crenata, craſſa, denſa, ſplendentia, supernè viridia, infernè ſubviridia; nervis aliquot è media coſta in latera excurrentibus: odor gravis, ſapor ſylveſtris ac adſtringens. At verò folia teneriora è vertice ramorum prodeuntia plerunque rubro-purpurea ſunt. *Flores* & fructus, quod hactenus ſaltem innoteſcit, non fert.

Provenit variis regni Malabarici locis, præſertim circa *Warapouli*; ſemper viret diúque ſuperſtes manet. *Locus.*

E radice in aqua cocta potus conficitur, qui acidos ſalſóſque humores per diaphoreſin potenter evacuat. Ex foliis cum viridi curcuma in oleo frixis paratur linimentum, quod ad ſcabiem tollendam valdè laudatur. *Vires.*

6. *Ben-Moenja* H. M. *part.* 5. *tab.* 57. *Arbor Indica foliis alatis, flore & fructu vidua, Ben-Moenja dicta.* *H. M.*

Arbor eſt procera, triginta circiter pedum; *caudice* mediocriter craſſo, furvo cortice cincto, ramuliſque rufis, lignoſis ac geniculatis pluribus donato. *Radix* albicans, amara, aromatica. *Folia* geminata in ſurculis proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, tenuia, lenia, glabra, ſupernè viridia, infernè ſubviridia: odor gratus, hortenſis. Nec flores nec fructus Auctoribus noſtris innotuere.

Provenit variis Regni Malabarici in locis, præſertim circa *Aroe* & *Poedegoyl*. Semper viret. *Locus.*

Ex radice cum aqua decoctio fit alexipharmaca, quæ in febribus malignis valdè extollitur. Ex cortice cum calamo aromatico & ſale in Oryzæ infuſo cocto potus conficitur, qui vomitum ſanguineum è morſu ſerpentis excitatum protinus ſanare fertur. *Vires.*

7. *Amelpodi* H. M. *part.* 5. *Tab.* 51. *Arbor Indica ἄκαρπος floribus umbellatis, tetrapetalis.* *H. M.*

Arbor eſt juſtæ magnitudinis, *caudice* albicante, cinereo cortice obducto, ramuliſque viridibus & geniculatis pluribus donato. *Radix* fibrata, flaveſcens, inodora, amara. *Folia* geminata ordine decuſſato petiolis rufis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, craſſa, denſa, mollia, glabra, ſupernè ſplendentia, infernè nequaquam: nervulis aliquot è media coſta in latera excurrentibus, ad quorum exortum noduli exigui, virides in averſa folii parte conſpiciuntur; odor acidus. *Flores* exigui, candidi, extremis ſurculis numeroſi proveniunt, porrectíſque columellis umbellæ ſpecie panduntur, quatuor acuminatis foliolis conſtantes, inodori, ſapore ſubamaro.

Creſcit locis petroſis ac montanis circa *Candenate*: ſemper viret. Junio, Julio, Auguſto menſibus floret: *Fructus* verò nullos fert, affirmantibus indigenis: *quibus tamen fides minimè habenda eſt.* *Locus.*

Radix verò hujus arboris ſecum geſtata Antidotum habetur ſerpentibus venenatis, atque ideò magni vulgò æſtimatur. *Vires.*

Cum cæteris Amelpodi ſpeciebus (annotante D. Comelino) nullam planè habet ſimilitudinem.

8. *Belutta Amelpodi H. M. P.* 6. *T.* 48. *p.* 83. *Frutex Indicus ἄκαρπος foliis binis adverſis, floribus pentapetalis candidis, unguibus luteis.* *H. M.*

Frutex eſt ramis ſubviridibus. *Folia* contrariis inter ſe pediculis ſurculis innitentia gemina, è longo anguſta, acuminata, ad pedunculum quoque ſtricta, mollia, ſpiſſa, glabra, in ſuperiore parte ſubviridia, inferiore dilutiora. Coſta, quam in recta etiam prominentem habent, in plures diſpertitur. Saporis expertia, intùs parùm lactea ſunt. *Flores* in ſurculorum ſummitate provenientes, quinque habent petala oblonga, candidiſſima, ab uno latere ſinuata, ad unguiculos croceo colore leviter tincta. Odor ipſis nullus.

Montanis gaudet locis: Reperitur in *Teckencour*, aliíſque locis pluribus. Floribus exhilaratur menſe Julio & Auguſto, frondibus ſemper, fructibus verò nunquam, *ſi credere fas ſit iis qui retulerunt, proculdubio deceptis.* *Locus.*

Ex aqua, ſi uſum roges medicum, contrita & aſſumpta radix ſerpentium occurrit morſibus, ſi ſuperimponas arthritidi. *Uſus in medicina,*

9. *Tondi-Teregam* H. M. *P.* 4. *T.* 60. *p.* 123. *Arbor flore tetrapetalo odorato, fructu nullo.* *H. M.*

Arbor eſt procera, 60 circiter pedes alta, *caudice* craſſo, ramulis rectis, longis, atro-viridibus, lanuginoſis, aſperis, fungoſâ intus medullâ refertis, plurimis donato; lignum albicans, nigricante cortice cinctum. *Radix* fibrata, albicans, lacteſcens, rufo, intus croceo, cortice tecta, inodora, ſaporis acris. *Folia* geminata ordine parallelo, petiolis longis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda, acuminata, in ambitu crenata, craſſa, mollia, glabra, ſupernè viridia & nitentia, infernè ſubviridia & lanuginoſa: odor ſuavis, ſapor aromaticus. *Floſculi* pediculis oblongis è foliorum interna ſede circa ramulos proveniunt, terni aut plures ſimul congeſti, purpurei, manibus confricti ſuaveolentes, calycíque viridi, lanuginoſo ac quadripartito inhærent, quatuor acuminatis foliolis conſtantes. Foliola hæc intercedunt totidem *ſtaminula* purpuraſcentia, medium occupante *ſtylo* pulchrè rubente, capitulo albicante.

Fructus hunc arborem nullos ferre Malabarenſes teſtantur: *at nobis fidem non faciunt.*

Locus. Creſcit locis arenoſis & petroſis in Mangatti. Semper viret. Julio & Auguſto menſibus flores fert, diúque ſuperſtes manet.

Vires. Ex arboris foliis in lactis ſero coctis fit oris collutio pro aphthis. E cortice & radice in aqua decoctis Apozema conficitur, quod æſtum febrilem temperat, hepatis obſtructiones reſerat, necnon herpeti, ſcabiei, ſimilibúſque affectibus medetur.

10. *Arbor Indica ἄκαρπος, floribus odoratis pentapetalis, petalo uno luteo, reliquis candidiſſ. Sida Pou* H.M. *P.*6.*T.* 59. *p.* 109.

H. M.

Rami ligno albicante, medulla viridi, cortice fuſco obducti ſunt. *Folia* acuminata, ſpiſſa, ſolida, glabra, è viridi umbroſo ſupernè nitentia, infernè ſurda, coſtâ albulâ, veníſque ſubtiliſſimis ſupina in parte conſpicuis intermixta, è craſſis contrariis inter ſe pediculis gemina, ramis inhæreſcunt. *Flores* numero plures è calyce quinquepartito, in petiolis communibus provenientes, texturâ & aſpectu gratiſſimi, odore amœniſſimi, quinque latioribus, anteriore in parte innumera in filamenta diviſis, quorum unum luteum, quatuor alia candidiſſima tranſverſim quaſi obtegit, conſtant foliolis; *ſtaminibus* verò denis, candidis, craſſioribus, ſurrectis, croceis capitibus, *ſtylo* medium occupante viridi, eminentiori, levitérque inflexo. Floribus deciduis tres *gemmulæ* virides, altæ, quæ introrſum folio ſunt erecto, conſpiciuntur. Prorſus tamen habetur ſterilis, quamvis quidam in ſenectute fructiferam prædicent.

Tempus & Locus. Floret menſe Maio, Junio, Julióque. Petroſis, glareoſis delectatur locis, quapropter in montibus *Paracari, Mangetti* & *Panpani* viſitur. Rariſſima, ob florum elegantiam, odoríſque jucunditatem in ſummo honore eſt. Nullum mechanicum nec medicum habet uſum.

CAP. VI.

Arbores quædam Chinenſes.

1. *Pipa arbor & fructus Sinenſis* Michael. Boym *in Flora Sinenſi* Jonſton. Dendrolog.

FRuctus cùm matureſcit ad flavum colorem declinat. Noſtratia Pruna ſapore imitatur. Arbor pulcherrima eſt, foliis & floribus conſpicua jucundum præbet aſpectum. Officulum ſolidum & ovalis figuræ habet.

Plerique colligunt fructum Februario & Martio. Dulciſſimi eſt ſaporis, & pelliculam ſimilem Prunis continet.

2. *Fructus innominatus Sinenſis* M. Boym *in Flora Sinenſi* Jonſton. Dendrol. *Ficus Sinenſis florida è radicibus fructum emittens.*

Arbor eſt procera, folia maxima, quæ medium hominem contegere poſſunt, producit: hoc admirabile habet quod media radice tellure inhæreat, ex alia autem parte radicis patente *flores* rubros & ſimul fructus ſimiles Europæis ficubus progenerat, qui cum matureſcunt rubent paululum, ſed interior caro & ſapor eorum figuram & ſaporem ficuum repræſentat. Julio & Auguſto matureſcunt.

3. *Ceraſus Sinenſis fructûs pulpâ ſebaceâ.* Johnſton. Dendrol. *Item, Arbor Sinenſis pinguedinem Sebi inſtar ferens* Martin. Atl. Sin. *ejuſdem.*

Quod nos in ingentem ſæpe perduxit admirationem (inquit Autor Atlantis majoris, tomo Sinenſi p. 119.) eſt illud, quòd pinguedo in arboribus creſcat, ex qua velut è ſevo candelæ optimæ albentes, tactæ manum non polluentes, extinctæque fœtorem non emittentes, à Sinenſibus *Kienyeu* vocatæ, parantur. Arbor eſt ſatis magna, Pyris noſtris *folia* & figuram non diſſimilis: album edit *florem* uti Ceraſus. Florem ſubſequitur *baoca* admodum rotunda, Ceraſi magnitudine, corticem tenuem & nigricantem induta: caro contenta albet, nucleo prægnans, quem baccis maturitatem adeptis per corticem rimam concipientem videre eſt. Baccas haſce colligunt, & ſi in calida aqua coquantur caro diſſolvitur; extemplo tamen à refrigeratione iterum, uti ſevum, congelat. Tunc reſiduus eſt nucleus, quem imponunt aquæ, uti nos Olivas, ut oleum exprimere queant, quo tamen, non pro cibo, ſed in lampadibus utuntur. Hyberno tempore folia hujus arboris planè ceu cuprum rubeſcunt; tandem decidunt, præbéntque (cum pinguedinis quiddam habeant in ſe) mirum quantum laudabile vaccis & ovibus pabulum.

Poterat hæc arbor ad Ceraſos referri.

Cap. VII.

Arbores Exoticæ è Jo. de Laet. Deſcriptione Indiæ Occidentalis & Nierembergii hiſt. Exot. Cluſio, J. Bauhino *& aliis.*

1. *Murucugifera arbor* * De Laet.

* *Ind. Occid. l.* 15. *c.* 7.

ARbor eſt in Braſilia procera, & Pyro ſylv. admodum ſimilis. Fructus, qui incolis *Murucuge* longum ſcapum habet. Decerpitur viridis, & bene mitigatus & ſapit & digeritur. Quia ut faciliùs colligatur proruuntur arbores, ideò rariores extant. E trunco inciſo lacteus emanat liquor, qui conſtipatus uſum ceræ in tabulis conſignandis præbere poteſt.

2. *Irucaba inſulæ Maragnanæ* * De Laet.

* *Ind. Occid. l.* 16. *c.* 11.

Arbor eſt vaſta, & patulâ ramorum opacitate in vertice laſciva; foliis pæne ficulneis, floribus flavis, fructu Pyri formâ, cortice ſubflavo, carne intus ſapida & optimi nutrimenti, ut credunt.

3. *Copovich Occaſſou* ejuſdem *ibidem.*

Pyro frondibus & fructu ſimilis eſt, niſi quòd hic flavior & oblongior, & tria intus perdura oſſicula continet. *Oumery* fructum fert, magno Pyro ſimilem, qui ubi plenè maturuit inter optimos primum locum ſibi flagitat.

4. *Paltifera arbor* De Laet. *Ind. Occid. l.* 10. *c.* 3.

Arbor eſt grandis & ramoſa; fructum ter quatérve mole Pyra Europæa excedentem producit. Quia colore & formâ noſtris ſimilis eſt Pyrum ab Hiſpanis vocatur. Peruani nomen Paltæ à provincia ubi copioſè naſcitur indidere. Corticem habet tenerum & lævem. Medulla tranſverſi digiti craſſitie oſſiculum ejuſdem cum fructu formæ ambit. Cum Saccharo condita exhibetur ægris. Fructus in inſula Hiſpaniola butyrum emulatur maturus: In Mexicana minor eſſe, & cutem teneriorem habere dicitur.

5. *Agnacat Scaligeri Pyri ſpecie.*

In ea Indiæ provincia, quæ ſub terra Laboratoris eſt verſus Iſthmum Dariem, arbor eſt Pyri facie & magnitudine, perpetuo folio, viridiſſima nitidiſſimâque ſuperficie. Fructus quoque Pyri ſpecie ſed colore viridi, etiam cùm maturus; medulla intus concolor, dulcis, pinguis, butyri ſaporis. Validos adeò efficit ad coitum ut propius miraculo ſit ejus efficacia.

6. *Amatzquitl ſeu Unedo papyracea* * Nieremberg.

* *Hiſt. Exot. l.* 15. *c.* 71

Huic materia eſt levis & parùm à Ficulnea diſtans: folia Limonis, ſed magis acuminata, comata: *fructus* Nucum Ponticarum magnitudine, candidis diſtincti punctis, & granula Ficulneis formâ & naturâ ſimilia in ſe continentibus. Provenit locis calidis qualis eſt Chietla. Jus decocti corticis radicum febrientibus valdè prodeſt. Folia umbræ tantùm gratiâ expetuntur.

7. *Yzamotl, quam Haitini Ceibam vocant* Nieremb. *l.* 15. *c.* 72.

Arbor eſt magnitudinis vaſtæ, materie lenta ac brevi, foliis novaculæ formâ. Duæ ejus ſpecies: Altera foliis Mali Medicæ, quæ largos imbres dum viridia & tenera ſunt effundunt: fructu orbiculari albis maculis diſtincto, ac granulis granis ficuum ſimilibus referto, eduli, & ſaporem noſtratium referente. Indigenæ Hiſpani Ficum Indicam vocant. *Altera* latioribus, ſed tamen obtuſioribus & nigrioribus, unde *Tlimatl* vocare malunt, fructûque minori. Hoaxtepecenſes Mannam ſuper eam cogunt noſtræ & formâ & viribus ſimilem, ſed paulò duriorem & glutinoſiorem.

8. *Jaruina* Nieremberg. *l.* 14. *c.* 104.

Jucaiæ inſulæ arbor eſt, Ficui ſimilis, eodem modo frondoſa, & Populi altitudinem ſuperans, non ſolida quidem more aliarum arborum, nec inanis tamen utì Arundo, ſed utì Ferula potiùs aut Sambucus; cortice lubrico aut lævigato. Fructum creat ſeſquiſpithamalem, mollitie Ficûs, ſapidum & ſalubrem ſanandis vulneribus. Folia divulſa ferè à ſe invicem membra reſtituere dicuntur.

9. *Arbor Sycomoro ſimilis in inſula Mayo Ind. Orient. pag.* 4. *fig.* 19.

Arbor eſt patula, & quæ ex taleis in terram depactis oriatur, foliiſque minoribus quàm Ficus veſtiatur. Fructus fert parvos, luteos, ſine granulis, abſque quibus haud facilè invenitur, adeò fructifera eſt. Hoc peculiare in ea quòd fructus nunquam ad maturitatem perveniat.

* *Ind. Occid. l.* 18. *c.* 4.

10. *Cumana arbor dicta* * De Laet. *Gacirma* Nieremberg. *l.* 14. *c.* 5.

Arbor ipſa & fructus Mori ſimilis. E fructus ſucco ſyrupus paratur contra tuſſim & raucedinem. Materies arboris adeò dura eſt ut exſiccata & colliſa ignem ſilicis inſtar ejiciat.

* *Ind. Occid. l.* 15. *c.* 8.

11. *Jequitinguacu arbor* * De Laet.

Fructus fert fragis ſimiles, quibus ſeminis loco continetur duriſſima faba, orbicularis, nigra, & inſtar Thracii lapidis reſplendens amariſſimo cortice. Supplet egregiè vicem Saponis, & validius quàm optimum ſmegma Luſitanicum detergit. Braſiliæ indigena.

12. *Onbou* De Laet. *Ind. Occid. l.* 16. *c.* 11.

Mangaæ foliis ſimilis eſt. Fert fructus Perſicis ſimiles, intus & extus, ubi maturuerint plane luteos: nec niſi cùm ſponte decidunt edules.

13. *Curupicaiba* De Laet. *Ind. Occid. l.* 15. *cap.* 8.

Folia Malo Perſicæ ſimilia habet: cortex vulneratus viſcum, quo Barbari in aucupiis utuntur fundit: ipſa ſuccum lacteum ficulneo ſimilem, ſingulare adverſus vulnera & puſtulas remedium largitur. Differre videtur ab illa quam Marcgravius deſcribit, Lib. 3. cap. 17. p. 132.

* *Ind. Occid. l.* 3. *c.* 25.

14. *Duchaminifera Virginiæ* * De Laet. *An Piſhamin Virginianum* Park.? *Loti Africanæ ſimilis arbor* C.B.?

In Palmæ altitudinem adoleſcit, & fructum fert Meſpilo quidem non abſimilem, primò viridem, deinde flavum, ubi maturuerit ſubrubicundum: qui tamen inter Pruna computatur. Immaturus auſterior eſt, & ſi maſticetur os cum exquiſito dolore aſtringit, maturus gratiſſimi eſt ſaporis, & omnino præcocibus ſimilis. Incolæ *Puchamias* vocant.

15. *Prunorum Indicarum in inſula Maragnana naſcentium decem genera recenſet* J. de Laet. *Ind. Occid. l.* 16. *c.* 11.

1. *Pitom*, mole, frondibus & fructibus Pruno ſimilis, ſed fructus ſuavior eſt.
2. *Avenon bovib Acajou*, Pomo valdè ſimilis, ſed fructus illius ſimiliores ſunt Prunis, niſi quòd crocei ſunt coloris, ſuaviori ſapore, oſſiculo perexiguo.
3. *Yachica*, Pruno admodum ſimilis, floribus flavis quidem, ſed fructus illius Prunis omnino ſunt ſimiles, lutei coloris, nucleo candido & ſuavi.
4. *Cayoveen* & 5. *Mukay-ene* parùm differunt à præcedentibus.
6. *Ovagiron*; naſcitur utplurimum in arenis ad litus, nec adoleſcit ſupra fruticis modum. Fructum fert inſtar majoris Pruni, rubri coloris.
7. *Morecii*; itidem amat arenoſum litus. Fructus illius acrioris eſt ſaporis.
8. *Muroure*, non multùm quoque abludit à Pruno; flores fert luteos, fructus inſtar Ceraſorum longis pediculis, oſſe exiguo, carne crocea & ſuavi.
9. *Uva-ovaſſoura*, ingens arbor, frondibus Pyri, floribus candidis; fructum fert *Paucoril* non abſimilem, cute flava, dulcis ſaporis, oſſe interiùs facto ad Perſicorum modum, nucleo Amygdalis paulò majore & ejuſdem ſaporis.
10. *Copovich ajoup*, Pruni arboris mole, frondibus caſtaneæ, floribus candidis & luteo colore mixtis. Fructum fert inſtar minoris Pomi, flavum, oſſiculo intus exiguo, nucleo autem eduli.

His adde 11. *Jacarandam* Pruno arbori admodum ſimilem, ſed foliis latioribus, flore candido; quæ fructum fert duorum pugnorum magnitudine, & ubi coctus fuerit edulem. Barbari coquunt ex illo pulmentum quoddam ſtomacho inprimis amicum & ſalubre, quod vocant *Manipoy*. Ob nominis convenientiam ſuſpicor hanc arborem eandem eſſe Jacarandæ *Marcgrav. l.* 3. *c.* 13. *p.* 136.

* *Hiſt. Exot. l.* 14. *c.* 318.

16. *Macaxocotlifera arbor* * Nieremberg.

In parem cum noſtris Prunis attollitur magnitudinem, ſimili etiam conſtat materie. Radices & folia ſibi reſpondent. Fructus *Macaxocotl* ſeu *Pomum cervinum* dicitur. Commune eſt omnibus fructum adhæreſcentem ſtipitibus ramíſque priùs quàm folia proferre, quod paucis admodum arboribus evenire ſolet: è foliis ſalſamenta condimentáve acida concinnari, emollire alvum: non admodum ſuave aut ſalubre præſtare alimentum; atque earundem arborum cineris ope puellarum flaveſcere capillos. In quintuplici verò ſunt hæc Poma differentia. 1. *Cacaxocotl* dicta, quæ rubra ſunt & in longam protracta formam, nucum Juglandium mediocrium magnitudine, oſſibus magnis, firmis, extra & intra lentis, ſtriatis, Dactylorum formâ, callo modico mollique & ſucco manante, intus luteo, quale eſt ipſum Os. In cibi hæc uſum veniunt, & ab aſſuetis noſtris præferuntur. Alvum emolliunt, & dulci acidóque ſapore palato ſunt grata. 2. *Atoyaxacotl*, quæ longè minora, colore luteo, orbiculari forma, odore præſtantiore, minore nucleo, rotundóque & guſtu jucundiore. 3. *Coztieczocotl*, ut Mexicani vocant, quæ à multis in Myrobalanorum referuntur genera. Pallidiora ſunt, majora, maculis perſperſa, gratioríſque calli. 4. *Atoyaxocotl chichiltic*, minima omnium, coloris coccinei, ſed quæ ſuavitate odoris reliqua vincunt. 5. *Chichiaxocotl*, h. e. ſudore manantia, nucum Juglandium magnitudine, colore Paſſeo, uberiore quàm reliqua callo & minore nucleo,

nucleo. Naſcuntur in calidis quibuſque locis, campeſtribus, hortenſibus & humectis. Corticum arborum decocti jus ſcabiem ac crurum tumorem curat, pulvis verò ulceribus medetur.

17. *Tzopilotl Ximenis* * De Laet.

* *Ind. Occid. l. 7. c. 10.*

Arbor eſt grandis, foliis longis & anguſtis; fructu longo & grandiuſculo, oſſicula quædam amara, moſchum redolentia, Amygdalorum amarorum ſapore, quem putridum poſt ſe relinquunt, continente. Extrahitur ex illis liquor quidam oleoſus & emolliens, quíque Amygdalarum amararum facultates obtinere videtur.

18. *Ajubatipita Braſilienſium* ejuſdem.

Arbuſcula eſt quinque aut ſex palmos alta, fructu Amygdalis ſimili, ſed nigro; ex quo oleum ejuſdem coloris exprimitur. Eo artus infirmorum inungere Barbaris ſuetum.

19. *Amygdala Granatenſis* De Laet.

Tereti eſt trunco Pinûs inſtar, & genus quoddam Amygdalorum profert renum Ovillorum effigie, oblongum, ſapore ſuavi & Hiſpanienſibus æmulò.

20. *Jucaiæ arbor* Nieremberg.

Malo Punicæ ſimilis eſt, ſed frondoſior. Cortex Caryophylli odorem præ ſe fert, cinnamomi ſaporem, & zinziberis amaritiem: quotannis nullâ glandium jacturâ detrahitur. In ramis columbarum hoſpitia, & quidem tam multarum, ut eò ex proximis regionibus venatum trajiciant, & naves columbis onerentur.

21. *Arbor Naldivenſis Candou* Durchaſii Jonſt. Dendrol.

Suberi ligno affinis eſt, par Juglandi proceritate: caudici, qui fungoſus & Subere levior, cortex candicans: fructus nullus. Lignum in aſſeres ſecatur & exuritur, miri de cætero uſus. Ejus enim beneficio graviſſima quæque etiam mille pondo de maris profundo educuntur. Cingitur primò fune quod ſubmerſum eſt hinc per lignum perforatum funis trajicitur, additis tot ejuſdem particulis quot neceſſaria operi exequendo eſſe nôrunt.

Uſus.

22. *Platanus Indica Acaba dicta* Nieremberg. Hiſt. exot. *l.* 15. *c.* 83.

Similis eſt cæteris Platanis, anguſtioribus tamen foliis, fructu triangulari, decem unc. longo, candido callo, ac nucleis multis & nigris, Cicere paulò minoribus mollioribúſque & orbicularibus: ex quo Platani genere lintea conficiuntur.

23. *Platanus Ind. fulvo maculata* ejuſdem *ibid.*

Fructu parvo eſt & tenui, in tres præcipuas differentias dividitur, *Tologdato, Goyot* & *Bolongon* vocatas, fructu odoro, & oris halitum in multas horas commendante, ſaporis grati & noſtris Apianis malis, ſi exquiſitè maturuerint minimè cedente, coloréque extra viridi, ac diverſa magnitudine, temperatâ naturâ, aut paululum frigenti, ſed aliquanto humidiore. Flatum & pituitam generat, ventrem emollit, & oris commendat halitum: quin poſt eſum mos eſt Indigenis ab omni potionis genere, nè ob immodicum humorem putreſcant, abſtinere.

Vires.

24. *Unni Chilenſium* * De Laet. *Hiſpanis Murtilla.*

* *Ind. Occid. l. 12. c. 7.*

Fructus fert uvarum in modum racematim collectos, Piſorum magnitudine, granorum Mali granati formâ & colore, ſapore inter ſuavem & acrem medio. Exprimitur ex eo liquor clarus, ad vinum quam proximè accedens, qui fæces ſua ſponte egerit: fit & laudatiſſimum acetum.

25. *Guvavirap Braſilienſium* * De Laet.

* *Ind. Occid. l. 16. c. 11.*

Arbor eſt procera & vaſta, frondibus perexiguis, floribus rubicundis, fructu uvam criſpam referénte.

26. *Johualxochitl, aliis Colcaquahuitl, ſeu Flos orbicularis* * Nieremberg.

* *L. 14. c. 37.*

Sambuci Ebulíve folia fert; Umbellæ floſculis orbicularibus ac pallentibus, interdiu contractis, nocte hiantibus coacervantur, unde acini racematim dependent, initio virides, dein coccinei, purpurei tandem. Radix eſt reſinoſi ſaporis. Dicuntur folia impoſita pectori ſyncopen tollere; ex aquæ epota ſudorem ciere, frixa expreſſo priùs ſucco corpus impinguare, pulvis inſperſus ulcera inſanabilia curare, & reſolutis ac uterino affectu laborantibus prodeſſe.

Vires.

27. *Enguamba Uruvapenſium* * De Laet.

* *Ind. Occid. l. 5. c. 25.*

Arbor eſt mediocris cortice rubeſcente, ligno fuſco, medulla palleſcente, foliis latis & concavis, quæ diſtinguuntur nervulis partim flavis, partim rubris; floribus racematim pendulis & herbaceis, fructu nigro, pleno granis, è quo exprimitur oleum flavum ad tumores reſolvendos & adverſus plagas. Naſcitur in ſaxoſis locis.

* *Hiſt. Exot. l. 15. c. 9.*

28. *Pilipoc Philippinarum inſularum* * Nieremb.

Duo genera ſunt, *Mas & Fœmina.* Major ille & amplioribus foliis, intérque ſaxa naſcitur: minor hæc & in planis. Utriuſque radici tubercula fuſca, pugni magnitudine, innaſcuntur. *Stipites*, qui fuſci & enodes, tranſverſim ſi ſcindas, in pelliculas quaſdam membranis ceparum ſimiles dividuntur. Folia Laurinis ſimilia, ſumma parte impensè acuminata. Proveniunt in humectis umbroſiſque locis, & arboribus advolvuntur. Uſus radicis in venenatis morſibus & potionibus, ſed lentè operatur.

29. *Arbor Laurifolia Sinenſis* Martin. *Atl.* Sinic.

Arbor eſt procera & magna, foliis Lauri ſimilibus. In ramorum ſummitatibus racemi prodeunt, in quibus, ut in uvis *fructus*, ſed rarior in longis pedunculis dependet, figurâ Cocculi, magnitudine Nucis Juglandis, nuci Pineæ parvæ æmulus, ſquamoſo cortice ad membranæ craſſitiem accedente, cui intus nucleus ſucculentus, albi coloris, odoris ac ſaporis roſacei. Maturus purpurei eſt coloris. Oſſiculum intra carnem occulitur. Vocant Sinenſes *Lichi*, Luſitani *Lichias*. Naſcitur in *Foquien*, præcipuè in *Focheu* metropolis territorio copioſé. Nucleus ad inſtar tragematis roſacei congelati liqueſcit in ore.

Eſt & altera ibidem, quæ flores *Quei* profert, arbor procera, foliis Lauri aut Cinnamomi. Flos minimus, flavus, in racemulos diſperſus, ſuaviſſimi odoris; apertus in ipſa arbore diu perſtat integer, nec flacceſcit. Ubi decidit, interjecto menſis ſpacio, repullulante arbore rurſum novus Autumnali tempore gignitur: Turcæ Limonum ſucco maceratum ad tingendos equorum crines adhibent. Sinis multa bellaria ex eo. Prodit per totam regionem copioſiſſimus in *Quangſi.*

Addi his poteſt fructus Sinenſis *Lungyen* ſeu Draconis oculus dictus, ſuperiore minor, cortice duriore magíſque ſquamoſo, ex quo liquor, vinum incolis, exprimitur, ſed rariús. Diſtrahitur per totum imperium, ſed ſucco evaneſcente non tam gratus.

* *Ind. Occid. l. 17. c. 28.*

30. *Arbor Uvifera Tabacenſis* * De Laet.

Materie eſt rubra ligni Braſiliani inſtar: folia pæne orbiculata, fructus uvis haud diſſimilis, ſaporis gratiſſimi. Naſcitur potiſſimùm juxta litora.

* *Ind. Occid. l. 15. c. 8.*

31. *Igciga & Igtaigcica* * De Laet.

Illa producit ſpeciem Maſtiche gratiſſimis odoris; cortice illius contuſo edit liquorem quendam album, qui condenſatus ſupplet vicem thuris, & emplaſtro adhibetur utiliter in affectibus frigidis. Eſt & alia ejuſdem ſpecies quam Igtaigcicam, id eſt, Maſtichen duram inſtar lapidis appellant; adeò enim dura & pellucida eſt illius reſina, ut pæne vitrum eſſe videatur: Barbari communiter utuntur illa ad fictilia vaſa incruſtanda.

32. *Ambulon Scaligeri* C. B. 459.

Scal.

Aruchit inſula fert arborem, cujus è cortice fructus exit candidus, Sacchari ſpecie, & magnitudine Coriandri, Ambulon ei nomen eſt.

* *Ind. Occid. l. 10. c. 11.*

33. *Ovajerova Maragnanæ inſulæ* * De Laet.

Arbor eſt alta & vaſta, foliis Quercûs, ſed paulò majoribus, floribus dilutè flaveſcentibus. Fructum fert, pedem longum, majorib. melonib. parem, extra & intus flavum, ſuaviſſimi & fragrantiſſimi odoris, ſed exilibus & nigricantibus nucleis plenum.

* *Hiſt. Exot. l. 14. c. 62.*

34. *Texoctlifera Mexicana* * Nieremberg.

Arbor eſt mediocris, permultis ſpinis horrens, foliis Malorum noſtratium ſed aſperioribus & ſerratis. Mala fert noſtratibus ſimilia ſed parva, nec nucibus Juglandibus majora, lutea, ante maturitatem prædura, poſtquam maturuere adipi mollitudine quadam paria, ingrato ſapore, ſed qui à multis non habetur inſuavis. Semen (quod in ſingulis pomis triplex) lunatum, magnum, duobus angulis & uno dorſo inſigne, lapidi duritie non cedit. Mexicani permiſſa prius putreſcere in emporiis venditant. Diutiùs ut in corrupta ſerventur aquâ nitri conſpergunt. Germina tuſa & ex aqua ſumpta exanthematis medentur. Montoſis locis ſponte provenit.

* *Ind. Occid. l. 16. c. 11.*

35. *Pacourii inſulæ Maragnanæ* * De Laet.

Vaſta eſt arbor, Pomi frondibus, flore albo, fructu duorum pugnorum magnitudine, cortice dimidium pollicem craſſo: binos aut ternos haud inſuaves nucleos continet. Cortex coctus, aut ſaccharo conditus in deliciis.

* *Ibid.*

36. *Wamcabec inſulæ Maragnanæ* * De Laet.

Magnitudine, frondibus, floribus atque fructibus à Pomo non multum abludit. Sunt iſti crocei, ſed nuclei ob inſignem acrimoniam non manduntur.

37. *Uva-Cava ejuſdem inſulæ* * De Laet. * *Ibid,*

Pomi arboris eſt magnitudo; frondes Aurantiæ, flos ſubcroceus; fructus inſtar ovi oblongus, flavus, & palato gratus.

38. *Uva-pyrup ejuſdem inſulæ* * De Laet. * *Ibid.*

Arbor eſt aculeata, foliis Juglandis, floribus è flavo, cœruleo & rubro colore eleganter diſtinctis, Fructus, quem fert orbicularem & menſis pergratum, nonniſi pluviis menſibus decerpitur.

39. *Locos fructus in inſula* Magador, *in arboris ramis & foliis carentis cacumine putamine fibroſo; nucleo Amygdalino part.* 8. *Ind. Occid. Fr. capitis magnitudine* C. B.

40. *Igbucami Braſilianorum* * De Laet. * *Ind. Occid. l.* 15. *c.* 8.

Arbor eſt præfecturæ S. Vincentii perfamiliaris. Fert fructum exiguis Malis ſimilem, intus exiguis granis refertum, præſentiſſimum (ut fertur) adverſus dyſenteriam remedium.

41. *Melocorcopali* Scaligero. *Corcopal Theveti* Lugd.

A Corcopal Indiæ provincia nomen ſumpſit. Cydoniæ eſt magnitudine & foliis. Prægrandem gerit fructum, Melonis figurâ, eodémque ſulcatum modo, intra quem terna quaternáve grana, acinorum uvæ facie, acore Ceraſi. Eſt & edendo quia ſuaviſſimus, & ad medicinas quia pravos humores per alvum expurgat utilis. Ex nominis identitate Carcapuli eandem ſuſpicamur.

42. *Quauhyyac Oculenſium* * Nieremberg. * *Hiſt. Exot. lib.* 14. *c.* 74.

Arbor eſt magna, ferens Mali Medicæ folia, ſed tamen acuminata. Cortex adſtringit, gravem odorem ſpirat, calidâque & ſiccâ conſtat temperie. Fluxum alvi coercet ac elicit ſudorem. Naribus inſtillatus ſuccus ſternutamentum excitat, caput purgat, atque ita febres tollit & capitis arcet dolorem; quarum rerum gratiâ in annuos uſus recondi conſuevit. Naſcitur Oculæ ſaxoſis locis.

43. *Pequea Braſilienſium* * De Laet. *Pequea ſive Pekia Piſonis, de qua ſupra.* * *Ind. Occid, l.* 15. *c.* 7.

Duæ ſunt ſpecies, *Una* fructum Arantio malo ſimilem, craſſo cortice, quo melleus quidam cum ſaccharo certans dulcedine humor continetur, cui nuclei aliquot ſunt permixti, producit. Alterius lignum (quod Luſitanis *Setim*) omnium quæ in Braſilia naſcuntur duriſſimum & graviſſimum, idemque omnis putredinis expers judicatur; proinde navibus fabricandis expetitur.

44. *Gojave Maragnanæ inſulæ* * De Laet. * *Ind. Occid. l.* 16. *c.* 11.

Fruticis eſt ſpecies quæ arbores complectitur, foliis Campanellæ, flore eleganti & palmum lato, echinatis & ſtellæ in modum diductis foliis, purpurei coloris. Fructum fert ovi magnitudine, ſed rotundiorem, granis plenum.

45. *Uvavytou ejuſdem inſulæ* De Laet *ibid.*

Folia fert longa, flores cœruleos, fructus Aurantiis haud abſimiles, ſed ſuaviores.

46. *Caoup ejuſdem inſulæ* De Laet *ibid.*

Frondibus eſt Pomi ſed magis patulis; floribus è luteo & rubro mixtis. Fert fructum Malo Aurantio forma & ſapore haud diſſimilem, nucleis plenum.

47. *Vencu Sinenſium* Martin. Atl. Sinenſ. *Luſitanis* Jamboa.

Arbor ſpinoſa, Limoniâ major: flores albi ſuaviſſimi odoris. Fructus capitis magnitudine: cui cortex Pomorum aureorum, pulpa rubeſcens, uvæ non omnino maturæ ſapore, qui ſuſpenſus domi ad annum durat. Provenit in *Fokien.* Ex floribus fragrantiſſima aqua elicitur. Ex fructu liquor pro potu exprimi ſolet.

48. *Pytabaia* * Nieremberg. * *Hiſt. Exot. l.* 14. *c.* 80,

In ſciſſuris ſaxorum naſcitur. Odit pingue ſolum: fructus acro-dulci mixtus, ſapidus quemadmodum malum Punicum: Rubri coloris intus & extra eſt: Malum aureum æquat magnitudine.

49. *Pekey inſulæ Marignanæ* * De Laet. *eadem videtur cum Pequea ſive Pekia Braſiliæ.* * *Ind. Occid. l.* 16. *c.* 11.

Tam craſſum habet truncum, ut vix trium quatuórve hominum complexu ambiri poſſit. Frondes fert Pruni; fructus duorum pugnorum magnitudine, cortice craſſo duróque, qui intus tres quatuórve fructus, luteos, forma renis, optimi odoris, ſaporis non ingrati, oſſe aculeato continet.

50. *Agouti treva ejuſdem inſulæ* De Laet *ibidem.*

Foliis eſt Aurantiorum, ſed levioribus, floribus roſcidis, fructu amplo, cortice viridiore. Concludit intus acinos Granatorum inſtar, exiles, dulces & palato non ingratos.

51. *Ubebehaſou Theveti* J. B. *Arbor Braſſicæ folio excelſiſſima Americana* C. B.

Miræ altitudinis eſt arbor, cujus rami alii alios ſubeunt, *folia* habet Braſſicæ: ſingulos ramos onerant fructus pedem longi: fert & eadem gummi rubrum. Dum in America eſſet Thevetus, ſex m. p. ab eo loco quo ſubſiſtebat, obſervatam ſibi hanc arborem tradit, quam eminus artificio potius quam naturâ arbitraretur quiſpiam effictam.

Ad hujus arboris fructum (inquit) innumeræ convolant apes ex eo alimentum petentes, in foramen ejuſdem arboris ſe recipientes, ubi mellificio & ceræ incumbunt. Harum apum duo genera deſcribit, Aliæ noſtrarum apum magnitudine ſunt, quæ mel optimum conficiunt, ceram flavam. Aliud genus dimidio minus, quarum mel bonitate ſuperat, cera tamen carbonis inſtar nigræ eſt. Harum favos depopulatur beſtia quædam *Heirat* dicta [*Tamandua*] i. e. Beſtia mellis, de qua agere non eſt hujus loci.

Fructus *Ubebaſo* quamvis ab apibus appetatur, hominibus tamen non eſt edulis, propterea quod non facilè matureſcit.

52. *Pimpinichi arbor lacteſcens* * J. B.

* Lib. 1. cap. 68.

In omnibus continentis Indiæ oris (inquit Monardes) lacteus quidam ſuccus elicitur ex arbuſculis Malorum ſimilitudine; Indi *Pimpinichi* vocant, è cujus ramis reciſis lacteus humor illico manat, aliquantulum denſus & viſcoſus.

Hujus ſucci tres aut quatuor guttæ ſumptæ validiſſime per alvum purgant bilem & aquas. Bibitur ex vino aut deſiccati pulvis deglutitur, pauca quantitate propter nimiam vehementiam. Vino aut juſculo aſſumpto ejus operatio infringitur & ceſſat ſubito. Idem traditur de Ricino Indico *Hernandez.*

53. *Arbor vinifera Couton, Juglandi ſimilis* J. B.

In Canada provenit arbor (inquit Thevetus) craſſitudine & figurâ ſimilis Juglandis, cujus uſus diu incognitus manſit, donec quidam exſcindendo arborem obſervavit fluere ſuccum boni ſaporis, qualis optimi vini Aurelianenſis aut Beaunenſis. Ejus ſucci ſubitò collegerunt quatuor aut quinque magnas amphoras.

54. *Arbor Braſiliana Juglandi ſimilis nucibus carens* C. B. *Lignum Copau ſimile Juglandis ligno* J. B.

Scribit Leri in Braſilia provenire lignum, quod nominant Copa-u cujus arbor ſimilis quodammodo Juglandi, non tamen nuces ferens. Aſſeres, uti vidit, pro utenſilibus adaptati eaſdem cum Juglande venas ſive fibras habent.

55. *Arbor tinctoria* J. B.

Thevet.

Glandiferarum noſtrarum craſſitudine eſt, fructum ferens Dactylis parem, ex cujus nucleo oleum exprimitur, miris virtutibus præditum. Aquæ permiſtum eam croceo colore planè inficit, quo tingunt pocula ac pileos quoſdam ex Junci vel Oryzæ paleis contextos. Præterea id oleum odore eſt Violæ Martiæ, olei noſtri ſapore. Quamobrem multi piſces, Oryzam alióſque cibos eo condiunt.

Locus. Oritur in Senegæ regno ubi Æthiopes degunt.

56. *Baxana arbor venenata* J. B. *Arbor fructu venenato, radice venenorum antidoto* C. B.

In inſula deſerta prope *Ormuz* Queionne dicta arbor eſt *Baxana*, cujus fructus vel minimum deguſtatus mox ſuffocat: id quod ipſius etiam umbra præſtat, ſiquis vel quadrantem horæ ſub ea moretur. Cùm tamen aliis in regionibus ejuſdem arboris radix venenorum omnium ſit Antidotus, illic lethalis, necnon & folium ipſius & fructus qui *Rabuxit* vocatur. Hæc nobis non videntur veriſimilia.

57. *Juwb Amazonum* Cluſ. *Arbor exotica foliis alatis* C. B.

Cluſ.

Hujus ſpecimen accipiebat Cluſius, teretes, inæquales, anguloſos bacillos, rufeſcentes, in quibus inter binas appendices alternis naſcebantur alata folia, ſive veriùs alæ tenuiſſimæ & firmiſſimæ, quinquagenis & pluribus foliolis ſingula latera occupantibus præditæ, ut avicularum pennas opinari quiſquam poſſet, magna quidem ex parte deciderant illa, veſtigia tamen ubi hæſiſſent ſatis adhuc manifeſtè apparebant. Iſtis alis tanquam penicillo nobiliores incolæ uti dicebantur ad corpora ſua variis coloribus pingenda.

58. *Mippi, nonnullis Indis Cajahaba* C. B. Cluſ. Exot. *l.* 4. *c.* 14.
Cluſ.

Ad arbores ſe applicare Hederæ inſtar referebant nautæ, ejúſque adhuc viridis & recentis taleas ab incolis tenuiter contundi, & ſupra fracturas alligari; oſſa enim fracta ferruminare. Internè multis fibris conſtabat fruſtum ad Cluſium miſſum, quibus incolas uti intelligebat ad colliganda tigna in ſuis ædificiis.

59. *Frutex Indiæ Orientalis Lavendulæ folio* C. B. *Arbor Lavendulæ folio* J. B.
Cluſ.

Admirandæ naturæ erat arbor ſive frutex, cujus ramus trium pedum longitudinem non excedebat, craſſitudinis diameter circiter duarum unciarum erat; cujúſque faſtigium in nodoſum caput nonnihil extuberans deſinebat, è quo ſeſquipedales quinque minores rami proſiliebant, adeò eleganti ſerie ac ordine diſpoſiti quaſi humanâ induſtriâ fuiſſent inſiti, inferiori ramo facie quidem ſimiles, ſed molliores magíſque ſucculenti. In horum comoſis faſtigiis *folia* adhuc inhærebant, virentia, formâ, magnitudine & colore Lavendulæ folia valdè referentia, ſed ſucci plena, aromaticum quidpiam ſpirantia, medium inter Angelicæ ſylveſtris radicem, gummi quod vocant Elemi, & Kunigundis herbam qualibus totum ramum veſtitum fuiſſe ipſa in ramis veſtigia indicium faciebant. Quantum verò ex reſectione ramorum Cluſio colligere licebat, denſâ ſpiſſâque medullâ inſtar Sambuci ramorum præditi fuiſſe videbantur.

Ex India Orientali in Angliam delatus eſt hic frutex, & à Jac. Gareto ad Cluſium tranſmiſſus. *Vires.*

60. *Oxyacantha Americana Galli calcar dicta* R. S. Muſ. *An Meſpilus Virginiana fructu coccineo* D. Plucknet.

Hujus baculus ulnam longus, abſque ullis enatis ramis in Muſeo Reg. Societ. aſſervatur, diametro unciali, conſiſtentiâ ſeu ſoliditate Ligni Oxyacanthini, ſpinis validis cinctus, alternatim undique poſitis, eo ordine aſcendendo, ut in eodem latere ſuperior ab inferiore $4\frac{1}{2}$ circiter uncias diſtet; craſſitie Galli calcaris majoris, & rectiſſimæ; non merè corticales ut in *Rubo* & *Uva* criſpa, ſed ex ipſo ligno egreſſæ ut in Oxyacantha vulg.

Hujus Oxyacanthæ ſeu Meſpili folia & fructus ad me tranſmiſit ingenioſiſſimus Vir D. *Sam. Doody*; folia denticulata. Spina eſt craſſitie & figurâ Galli calcaris: fructus Sorbi aucupariæ baccam refert.

Planta Indica ſanguinea panacea Park. *i. e. Pl. ſanguineas ſudores excitans* Monard. *in Epiſt.* C. B. *Herba mortem aut vitam in morbis prænuntians* Monard. Lugd. C. B. *Arbor Venereos ſtimulos domans in Epiſt. ad* Monard. C. B.

De his conſulatur Monardes, apud quem nullæ earum deſcriptiones occurrunt: Mihi certè magna ex parte fabuloſæ videntur ejuſmodi narrationes. Idem dictum ſit dè Arbore aquam fundente.

Herba Indica ad rupturas utilis Monard. Park.

Hujus formam obſervare non potuit Monardes, tantùm dicit miram habere facultatem in rupturis puerorum & adultorum, eâque uſum Indum quendam recenti contuſa & rupturæ impoſita, adhibito miro quodam ligaturæ genere, quo ſine braccis non minùs firmiter ligati incedunt quàm ſi braccati eſſent. Fortaſſe ligatura ſola ad curam ſuffeciſſet ſine herba.

CAP. VIII.

Arbores Papyriferæ.

1. *Papyracea arbor Guaiabara* J. B. *Guaiabara in inſula Hiſpaniola ex Oviedo Lugd.* C. B.
Ovied.

Hiſpanis *Uvero* dicta eſt hæc arbor ab uvis, quòd pro fructu uvas ferat. Materia eſt rubeſcente, rotunda, denſa, atque ideo optima, præſertim ad carbonem, ramis expanſis. Uvas edit rariùs ſparſas, atque à ſeſe diſtinctas, Moris ferè concolores, exigua earum parte eſculenta; nam Acini ſunt Avellanæ nucis magnitudine, nucleum tam craſſum concludentes, ut parùm carnis ſuperſit. Folium maximum, palmæ manûs magnitudine par eſt, viride, aliquando rubrum, craſſum & æquè ſpiſſum ut eſſe poſſunt duo Hederæ folia ſimul juncta. Hiſpani in Hiſpaniola eo pro charta utebantur, tam prona quàm ſupina parte literas acicula pingentes, modo recens eſſet folium & eodem die decerptum: venulæ autem cùm tenues ſint, ſcribentis manum parùm aut nihil remorantur. *J. B. ex Oviedo.*

2. *Papyracea arbor Copeia* J. B. *Copey in inſula Hiſpaniola* C. B. *Copeia Americanorum* Nieremberg.
Ovied.

Guaiabarâ procerior eſt; folio ſpecie quidem ſimili ſed duplo majore [ſpithamæum latitudine & otundum ferè] craſſiore, & ad ſcribendum aptiore cum acicula aut ſtylo; & quòd venulæ tenuiores unt minùs ſcribenti impedimentum afferunt. Chartæ luſoriæ ex illis ab Hiſpanis fiebant. Fructus arvus eſt uti Prunum, eſui ſatis aptum. Ex hac arbore pix non aliter elicitur quàm è Pinu. Vide ieremberg. *Hiſt. Exot.* lib. 14. cap. 85.

Papyracea arbor ampliſſimis & tenuiſſimis foliis Nic. Coſtini apud *J. B.* & *C. B.* non alia eſſe videtur quam *Codda Panna* Malabarenſium, quamvis Papyri uſum Malabaribus aut Ceylonenſibus præſtare non legerim.

Papyracea arbor *Tal.* in provincia Magni *J.B. C.B.* quænam arbor ſit ex imperfecta & obſcura deſcriptione Theveti colligi nequit. Quod dicit chartæ uſum præſtare in tota India, Palmam *Lantor* dictam eſſe ſuſpicari quis poſſet.

3. *Xagua Martyris* Nieremberg. *l.* 14. *c.* 86. *Arbor Papyrifera* Xagua *dicta.*

Non multum differt à Muza. Habet folia tam grandia ut quódque à pluvia tutetur in caput pertentum hominem totum ác ſi laneam penulam tergo injeciſſet. Mirum quod de eo ſcribitur, Folio à radice quà eſt arbori compactum eruto (facilè namque per demiſſam cuſpidem captum folium detrahitur ab arbore) in interiore illius tergo philyra albuminis ovi pelliculæ ſimilis reperitur candida; ea, ut ex arietis jugulati corpore pellis, excoriatur, tollitúrque à ſuo cortice integra, nihilo minor Arietina vel caprinâ membranâ, cujus operâ utuntur omnes ac ſi membranas ipſas aſſequerentur, neque minùs tenacem eſſe inquiunt eam philyram. Forcipibus tantum ſcindunt quantum ad præſentem ſcribendi neceſſitatem ſufficiat. Fructus porcos pinguefacit, éſtque hominibus incommodus. Palmæ potiùs quàm Muſæ ſpecies videtur.

4. *Papyrus arborea tenuiſſima ex Java* J.B. *Papyrus ex Java* C.B.

Cluſ.

Librum arboris ſcribit Cluſius habuiſſe ſe, tenuiſſimæ membranæ inſtar candidum, quo omnis generis ſcriptura perinde atque vulgari Papyro excipi queat. Eum in Java inſula aliarum mercium permutatione Franc. Draci comites acceperunt. An pannus è libro arboris quo in inſula *Tidore* fœminæ pudenda tegunt; qui hoc modo fit. Delibratur cortex, & aqua maceratus donec molleſcat ligno tunditur, atque qualibet longitudine ac latitudine diducitur, adeò tenuiter, ut Serici veli inſtar venis tranſverſim diſcurrentibus contextus videatur. *Pigafeta.*

5. *Papyracea arbor cujus liber ſubpunicei coloris* J.B. *Arboris liber ſubpunicei coloris* C.B.

Cluſ.

Libri hujus fragmentum Cluſio deſcriptum pedalis ferè longitudinis erat, quatuor uncias latum, adeò lævis ubique & æquabilis ſuperficiei, ut nè charta quidem ſcriptoria magis æqualis ſit. Id tametſi neque denſum, neque craſſum in 6 tamen pagellas nullâ difficultate ſeparari potuit, quæ perbellè ſcripturam admitterent perindè ac charta ſcriptoria, nec atramentum tranſmitterent. Et ſiquis (inquit) majorem curam in ſeparando adhibere voluiſſet, in plures adhuc pagellas haud dubie dividere potuiſſet.

6. *Filum arboreum tenuiſſimum & candidiſſimum* J.B.

Candidiſſimi fili glomus à Gareto ad Cluſium miſſus quem ex arboris cortice confectum ſcribebat, candidiſſimis, validis tamen ſtaminibus conſtabat, filo etiam à Lino aut Cannabe deducto longè validioribus, $3\frac{1}{2}$ pedes longis, ex una parte reſectis, ut longiora fuiſſe veriſimile eſſet, ex quibus vittæ & ſimilia ad muliebrem ornatum pertinentia commodiſſimè fieri poſſent. *Cluſ. Exot. l.* 1. c. 4. Hujuſmodi fili ſtamina ex Anglia habuit *J. B.* tres ulnas longa, alba, Serici modo tenuia & firma: non monitus judicaret eſſe Cannabina.

CAP. IX.

Arbor febrifuga Peruviana China Chinæ & Quinquina & Gannanaperide dicta, Hiſpanis Palos de calentura, Cortex arboris Cortex Peruvianus vulgo dicitur, inque pulverem redactus Pulvis Patrum [Sci. Jeſuitarum] & Pulvis Cardinalis de Lugo. Angl. The Jeſuits Powder.

HUjus arboris ramuli iconem ex Italia ad Regiam Soc. Lond. miſſam *nobis* communicavit Cl. Vir. D. *Goodall* M. D. quæ vera & genuina videtur; maximè quod conveniat cum deſcriptione D. *Badi*, qui ſe iconem arboris exactam Romæ, è Collegio Romano Jeſuitarum nactam refert. Videtur (inquit) hæc arbor aliquam habere ſimilitudinem cum noſtratibus. Nam *folia* ejus videntur ſimilia cum his quæ ſunt Prunorum rubeorum, ſci. nec nimium patulis, nec acuminatis, præterea filamentis intertexuntur ambo, & per lineas ſinduntur. In floribus videtur mihi convenire cum floribus Malorum Punicorum, qui caliculum coronatum rêferunt. Hanc aliquando unà cum aliis in æs inciſam, Deo volente, publico exhibere cogitamus.

Antonius Bollus Mercator celebris, honeſtus vir, qui multos annos in Peruvia commoratus eſt, & hiſtoriam arboris Italicè conſcriptam publicavit, referente Bollo, naſci eam ait in Regno Quitenſi, peculiari quodam loco, qui patrio Indorum ſermone dicitur *Loxa* ſeu Loia, diſtátque 60 leucas ab urbe *Quito*: locúmque obtinere inter montium coronam.

Vires. Corticis pulvis debita doſi exhibitus adversùs febres omnes intermittentes tutum, certum & minimè fallax eſt remedium, etiam experientiâ noſtrâ. Egregius Vir D. *Thomas Sydenham* M.D. ſummum ad Febres intermittentes Specificum vocat, cujus ope nos nunc temporis tum humores illos in quorum redundantia febrium eſſentiam collocabant medici priores, tum etiam Diætam & regimen quodcunque ſuſque deque habentes, ac nihil niſi methodum pulveri exhibendo debitam obſervantes, ſcopum rectà attingimus, vix ab illo aberrantes unquam niſi ægrum lecto nulla neceſſitate addicimus dum in ejus uſu eſt. Tanta tamen eſt hujus remedii vis, ut non obſtante eo incommodo

quò

quòd ſci. Febris à lecti calore plus quam erat opus intendatur, ægrum nihilominus ad ſanitatem utplurimùm reducat.

Pulverem hunc ante triginta annos, cùm primò in Angliam invectus eſſet, ad febrium intermittentium curationem in magna exiſtimatione & frequenti uſu fuiſſe memini. Verum animadverſo eum, quòd ſci. nimis parca doſi exhiberetur, paroxyſmum tantùm unum vel alterum aut forte plures avertere, nec febrem penitus expugnare, verùm ægrotum plerunque recidivam pati; ob ſuſpiciones neſcio quas in crimen adduci cœpit, & paullatim in deſuetudinem abire: Donec nuperis annis D. *Robertus Tabor*, doſi ejus valdè aucta, non minùs felici ſucceſſu quàm incepto audaci, Febribus omnibus profligatis, uſum reſuſcitavit. Hic enim non intra ſcrupulos ſubſiſtebat, ſed ad drachmas & uncias aſcendebat, indéque voti compos factus, magnam & ſibi & pulveri famam conciliabat.

Vinum Gallicum à cortice Peruano intra breve tempus rubore pellucido tingitur, ut & pluvialis aqua, ſed diluto magis, rectificatus autem vini ſpiritus multo intenſiore: hinc ut pateat hunc ſpiritum corticis Peruanæ tincturæ extrahendæ genuinum menſtruum eſſe. Notatu dignum tincturam ad febres ſedandas æquè efficacem eſſe ac corticem, qui extractâ tincturâ viribus deſtitutus reperitur. *Antonius de Heide* in Centuria Obſervationum Obſ. 70. Verùm quicquid dicat hic autor, ego [D. *Hulſe*] aliique medici quibuſcum conſuetudinem habui corticis pulverem in ſubſtantia exhibitum efficaciſſimum eſſe ſemper comperimus, etiam adversùs contumaciſſimas febres & quæ infuſo ejus minime cedebant. Quin & inſigniſſimus Vir D. *Martinus Liſter* M. D. mihi aſſeruit infuſum nihil valere, totámque ejus operationem ſubtilioribus pulveris partibus in liquore adhuc à defæcatione reſiduis deberi.

Ab eodem etiam edoctus ſum pulverem corticis vetuſtioris experientiâ propriâ non minùs efficacem eſſe ad profligandas febres quàm recentis, aliquo etiam reſpectu commodiorem, ſiquidem diuturnitate temporis vis illa cathartica quæ in recenti obſervatur, & aqueæ ut veriſimile eſt parti inhæret, paulatim evaneſcit.

D. *Spon* in libro Obſervationum *ſur les fievres & les febrifuges*, ſe accurata & diligenti inquiſitione habita comperiſſe ait, Corticem Peruvianum dictum non trunci aut ramorum arboris eſſe, ſed radicum; illorum enim, ut in particulis quibuſdam ad ſe miſſis expertus eſt, minimè amarum eſſe. Quæ obſervatio alicujus uſûs eſſe poteſt iis qui in noſtro orbe hujus corticis ſuccedaneum quærunt. Ego (inquit) nonnullarum periculum feci. Radicum Perſicæ cortex aſperitatis multum obtinet, parum amaroris; unde apparet conducere eum ad diarrhœam: Radicum Fraxini pariter aſperitatis plurimum & acredinis pungentis ob copiam Salium quam continet, quæ febrifugam ſuam vim ei confert: Denique Ceraſi nigræ radicum cortices & aſperitatis & amaroris participes ſunt; earum itaque pulvis in febre Quartana exhibitus illam quidem diminuit, non tamen planè ſuſtulit; ut non dubitem eum debito modo uſurpatum, & juſta doſi exhibitum ad febres ſanandas utiliſſimum fore. Qui plura de hoc Cortice velint, conſulant medicos qui de eo ex profeſſo ſcripſerunt.

Nos commonefecit D. *Tancredus Robinſon* M. D. iconem folii arboris febrifugæ in Muſæo *Cl.* Viri D. *G. Courtine* aſſervatam non benè quadrare figuræ D. *Goodall*, & D. *Redi*, quia folium non uſque adeò acuminatum, ſed acutius & ſubrotundum eſſe videtur, quale ferè cernitur in *Ponnâ* & *Tſierou-Ponnâ* Hort. Malab. quæ in India appellatur *Kina* ab Indigenis, ex obſervatione ejuſdem Amici. Sunt qui dicunt eandem ſemini arboris (quod Hiſpani Patrio ſermone *Pipitas de Quina* vocant) fugandarum febrium vim ineſſe; eſtque ſimile (ut aiunt) ſemini cucurbitæ: Alii dicunt *Pipitas* fructum eſſe illius arboris; addunt etiam reſinam quoque ineſſe arbori, neſcio an ejuſdem virtutis cum cortice & ſemine, fruſtula quandoq; ligni admiſcentur cum cortice, ſed nulla amaritie aut viribus donantur. Obſervavit Bollus arbores febrifugas Peruvianas plerunque omni cortice ſine noxa ſpoliatas cerni, quod & Suberi commune eſt quod ſic potius juvatur exuta, ut ſcribit Plinius.

CAP. X.

Fruticulus Alpinus floribus umbellatis folio Spirææ minore & anguſtiore.

SEmipedalem altitudinem aut ſpithamiæam vix excedit, virgulis pluribus aſſurgens teretibus, rubentibus, foliis veſtitis alternatim poſitis, non admodum crebris, ſeſcunciam longis, ſemuncias latis, acutis mucronibus, ad margines ſerratis, denticulis acutis non tamen æqualibus, glabris quantum in ſicca diſcernere licet. Summas virgulas occupant *flores* velut in umbellas diſpoſiti, qui cum plantulam invenimus Septembri menſe jam præterierant. Semina ut & vaſcula ſeminalia qualia ſint ob parvitatem eximiam in ſicca clarè diſcernere non poſſumus.

Hanc ſtirpem itinere à Vienna ad Venetias in ſummis Alpibus loco confragoſo prope Pontebam Imperialem dictum oppidum invenimus cum aliis multis rarioribus. Qui per ea loca iter facient, eam inveſtigent, diligentiùs obſervent & deſcribant. *Locus.*

CAP. XI.

Arbores & Frutices rari & exotici à nobis nuperrime obſervati in horto cultiſſimo noviſque & elegantioribus magno ſtudio nec minore impenſa undique conquiſitis ſtirpibus refertiſſimo Reverendiſſimi Domini D. Henrici Compton *Epiſcopi Londinenſis, qui & ipſe, quoties à gravioribus curis vacat iis contemplandis animum oblectat, & aliis curioſis & induſtriis libero ad eas obſervandas deſcribendáſque aditu permiſſo Hiſtoriæ Plantarum augendæ illuſtrandæque deſignat.*

1. *Angelica arboreſcens ſpinoſa, ſeu Arbor Indica Fraxini folio, cortice ſpinoſo.*

HÆC folia habet ampliſſima, ramoſa ad inſtar Angelicæ; Lobi ſeu folia partialia Angelicæ æmula, ſed glabriora; coſtæ foliorum ſpinis obſitæ ſunt, non admodum crebris, uti eſt & truncus arboris. Foliorum inſuper pediculi latiuſcula & velut membranacea baſi caudici & ramis adnexi ſunt. Folia hyeme decidunt. Vidimus in horto Chelſeiano hujus generis arborem, quæ ſtaturâ humanam altitudinem, craſſitie brachium ſuperabat, ſumma parte in ramos diviſam. Sunt autem germina ſeu ſurculi, quos quotannis emittit, admodum craſſi, foliis crebris obſiti. In quantam altitudinem excreſcat, quo ætatis ſuæ anno florere incipiat, cujuſmodi florem & fructum producat, quámque diu duret neſcimus: umbelliferam tamen eſſe ſuſpicamur.

A D.Baniſter è Virginia tranſmiſſa eſt.

2. *Arbor Tulipifera Virginiana tripartito Aceris folio, mediâ laciniâ velut abſciſſâ.*

Herman.

In proceram, Juglandis æmulam arborem adoleſcit, cortice [in junioribus arboribus] lævi, fuſco, aliquot cineraceis maculis aſperato, odoris ignavi aromatici, nonnihil ad *Saſſafras* accedentis, materie pallida, molli, medullâ paucâ ruffâ. *Ramos* ſpargit inæquales, ordine inconcinno: ad quorum nodos è digitalibus pediculis prodeunt *folia* inſtar Aceris minoris, trilobata, nitida, quaſi forfice eſſent reſecta, palmum ampla, ſupernè viridia, infernè incana, aliquótque nervis ex dorſo craſſiore prodeuntibus inſcripta, ſuperiori & intermedio lobo productiori, frontato, binis lateralibus in parvum obtuſum mucronem abeuntibus. Singulos vero ramos & folia excludit parva oblonga theca, in duas foliaceas pinnas dehiſcens, quæ ramis & foliis adoleſcentibus exareſcunt & decidunt. *Flores* formoſiſſimos Tulipis ſimiles profert, quos ſiccatos vidimus. Floribus omnium quos conſuluimus Virginiæ incolarum & advenarum conſenſu ſuccedunt pro fructu Coni erecti, & ut videtur ſquamoſi, ſub ſingulis ſquamis bina ſemina, alis membranaceis donata, ut in aliis Coniferis claudentes. Huic ob convenientiam in partibus præcipuis adjungemus aliam, quamvis in horto prædicto non reperiatur.

3. *Arbor Tulipifera Virginiana Aceris majoris folio, conis erectis.*

Arbor hæc à præcedente differt foliis in plures lacinias, minùs tamen profundè ſectis; mediæ laciniæ apice tantùm, eoque non ut in præcedente rectâ propemodum lineâ abſciſſo, ſed angulo obtuſo inciſo. In medio flore coni rudimentum conſpeximus.

Hujus ramulum ſiccum vidimus apud illuſtrem Virum D. *Gulielmum Courtine* Medii Templi Lond.

4. *Laurus Tulipifera foliis ſubtus ex cinereo aut argenteo purpurantibus.*

Hujus arboris folium tum formâ ſuâ, tum conſiſtentia & glabritie ad Lauri folium accedit, éſtq; pariter ad margines æquale & minimè inciſum, verùm pronæ ſuperficiei colore ex argenteo pulchrè purpuraſcente ab eodem differt. Florem autem ſpecioſum Tulipæ æmulum proferre nomen arbori impoſitum indicat. Fructus hujus non conus eſt ut præcedentium, ſed bacca calyculata, autore D. *Jo. Baniſter*, qui Arborem ipſam, ni fallor, Laurum Tulipiferam baccis calyculatis inſcripſit.

5. *Cedrus à Goa falsò dicta, rectiùs Sabina Goenſis.*

Hæc arbor nec Cedrus eſt, neque Juniperus, ſed potiùs Sabinæ Indicæ Species. Non enim baccas producit, ſed conos è ſquamis compactos, aliarum Coniferarum inſtar. Folia, odor, fructus, (qui & Sabinæ vulgari ſteriliſ creditæ * conulus ſquamoſus eſt) Sabinæ ſpeciem eſſe arguunt.

Hanc arborem in Hiſtoria ex ſententia Hermanni pro Juniperi ſpecie deſcripſimus.

* *Ex obſervatione accurata* D. Dale.

6. *Nux Juglans Virginiana nigra.*

Hujus in hiſtoria Juglandium ſuperiùs mentionem fecimus, eámque D. *P. Hermannus* in Catalogo pleniùs deſcribit: cujus deſcriptioni adde Folia è duplo pluribus pinnarum conjugationibus quàm vulgaris Juglandis componi. Nam cùm vulgaris noſtratis folia quatuor duntaxat paribus conſtent: Virginiani hujus octo plurimùm componuntur: ſunt etiam pinnulæ minores & per ambitum ſerratæ, colore viridiore; ut cùm arborem primò viderem Juglandis ſpeciem eſſe vix credere potuerim: reliquam deſcriptionem vide in Appendice.

7. *Arbor exotica foliis Fraxini inſtar pinnatis, & ſerratis, Negundo perperam credita.*

Folia, quatenus obſervavimus in planta juniore, duabus pinnarum conjugationibus conſtant, folio [partiali] impari extremam coſtam quibus pinnæ adnexæ ſunt, terminante. Pinnæ ſingulæ Fraxinearum magnitudine aut ampliores, in acutos mucrones exeunt, dentibúſque majoribus & etiam minoribus inordinatis obiter inciſæ ſunt, ſumma præſertim parte. Folium impar, quod diximus, extremam coſtam terminans ab anguſto principio ſenſim dilatatur ultra mediam partem. E *Virginiâ* (ni fallor) delata fuit.

An Arbor hæc Garciæ & Acoſtæ Negundo ſit neſcimus: Folia ab eorum deſcriptionibus abludunt.

8. *Styrax arbor Virginiana Aceris folio, potius Platanus Virginiana Styracem fundens.*

Folia quinquepartitâ diviſurâ ad Aceris accedunt, media lacinia productiore, per ambitum ſerrata, majora paulò, longis pediculis nixa, nervis purpuraſcentibus. Fructus pilulæ ſunt rotundæ, Platani pilulis ſimiles, proinde ad Platani genus nobis referenda videtur.

Plenam & accuratam hujus aliarúmque ſtirpium Virginianarum deſcriptionem & hiſtoriam ab eximio Botanico D. *Joan. Baniſter* expectamus.

9. *Corylus maxima folio latiſſimo Virginiana.*

Hujus virgas tantùm juniores & folia vidimus, quæ & forma & conſiſtentia ſua textura ſeu ad Coryli folia proximè accedunt.

Loto affinis Coryli folio *Dodart.* Icon. Robert. non eſt hæc planta, eſt enim annua, flore albo papilionaceo, maculâ violaceâ notato; cui ſuccedunt ſiliquæ, ſemina nigra continentes.

10. *Oxyacantha, Spina ſancta dicta. Meſpilus Virginiana fructu coccineo* D. Plucknet (*rutilo* C.B.)

Folia hujus magnitudine & aliquatenus etiam formâ ad Ribeſii folia accedunt, minùs laciniata circumcirca argutis denticulis inciſa. Spinæ validiſſimæ, prælongæ, acutæ, ſurculos etiam ipſos quibus adnaſcuntur craſſitudine æquantes è foliorum ſinub. exeunt. Fructus plures ſimul in ſummis virgulis, umbilicati, pulchrè rubentes, ſeu coccinei, pauca pulpa quinque intus oſſicula arctè invicem commiſſa, dura & frangi contumacia continent, Meſpilorum in modum.

Hæc (ni fallor) eſt Oxyacantha Americana Galli calcar dicta, cujus mentionem fecimus inter Arbores imperfectas, N. 64.

11. *Arbor trifolia venenata Virginiana folio hirſuto.*

Foliis hirſutis, eorundémque pediculis & coſtis mediis nerviſque rubentibus à Vite Virginiana trifolia differt.

12. *Rhus Virginianum Lentiſci foliis.*

Folia integra ex pluribus pinnarum conjugationibus componuntur; quinque aut ſex numeravimus. Coſta media quibus pinnulæ adnectuntur, membranis foliaceis anguſtis utrinque extantibus à conjugatione ad conjugationem extenſis augetur, Ingarum in modum aut etiam Lentiſci; eáque ut & nervi pinnarum ſeu foliorum partialium medii rubent. Folia minime ſerrata ſunt quò à Rhois vulgaris & Virginiani differunt, multò etiam minora ſunt & breviora hujus foliis; in acutos tamen pariter apices deſinunt. *Flores* racematim in extremis ramulis naſcuntur: Nam in horto Fulhamenſi floruit. Arbor eſt gummifera.

13. *Amomum Virginianum Corni fœminæ facie.*

Hunc fruticem olim Londini accepimus Amomi Novæ Angliæ nomine. Virgis rubris & foliorum figurâ Cornum fœminam refert. Obſervante Cl. Viro D. *Leon. Plucknet*, fructus ſparſim è foliorum alis exit. Quantum hactenus vidimus humilior eſt multò Corno fœmina vulgari.

14. *Senecio arboreſcens Virginiana Atriplicis folio.*

Herba eſt fruticeſcens, virgultis ligneis, humanam altitudinem ſuperans. *Folia* crebra Atriplicis Pes anſerinus dictæ æmula, ſed rigidiora nullo ordine ramulos cingunt. Summas virgas occupant flores coacervati lutei, nudi.

15. *Solanum pomiferum fruteſcens Africanum ſpinoſum nigricans Boraginis flore, foliis minùs profundè laciniatis, ſpinis multò longioribus majoribus & crebrioribus horridum.*

Differt ab hujus generis Solano ſeu Chunda ab Hermanno in *Cat. Hort. Leyd.* deſcripta foliis minùs profundè laciniatis, ſpinis per caules & folia longioribus & crebrioribus.

Colitur etiam in Horto Epiſcopi, Chundæ ſpecies nullis præterquam in floris calyce ſpinis donata. Aliam plantam ibidem conſpexi, quam Solanum Betæ folio vocant.

Multarum è prædictis arboribus folia & ramulos habeo ex dono amiciſſimi Viri & diligentiſſimi Botanici D. *Sam. Doody*.

CAP. XII.

Arbores & Frutices rariores, quorum partes aliquas exſiccatas [ligna, ramulos, folia, fructus] vidimus in illuſtris Viri D. Gulielmi Courtine *Medii Templi Londinenſis Muſeo, ingenti ſupellectile Rerum naturalium, atque etiam artificialium, rariorum & ſelectiorum inſtructiſſimo, earúmque tam curioſe nitidè & eleganter aſſervatarum, ut per totam Europam haud temere reperias quod ei conferri nedum præferri poſſit.*

1. *Arbor Tulipifera Aceris majoris folio, conis erectis è Virginia vel Carolina, ſuperius memorata.*

2. *Arbor pentaphyllos Virginiana, floribus ſpicatis monopetalis.*

Folia habet in eodem pediculo quina, acuminata, ſerrata, ad modum *Samounæ* Piſonis.

3. *Arbor conifera odorata, foliis Salicis rigidis, leviter ſerratis, è Carolina.*

Folia longa anguſta, hic illic leviter inciſa aut ſerrata; manui affricta odorem ſuavem exhalant. Coni numeroſi, præparvi, è plurimis ſquamulis compactiles, Elæagno Cordi ſeu Myrto Brabanticæ dictæ quadantenus affinis D. *Tancr. Robinſono* videtur.

4. *Arbor ſpinoſa Virginiana, caudice & ramis Lanigeræ ſpinoſæ Malabaricæ ſimilis; an Herculis clava* Muſ. Societ. Regiæ?

Corticis ſapore acri & fervido à prædicta arbore Malabarica differt. Truncus quem aſſervat hujus arboris *D. Courtine*, tredecim uncias ambitu ſuperat. Spinæ incurvæ tertiam digiti partem longitudine non excedentes tuberculis obtuſis pyramidalibus digitum & amplius altis innaſcuntur. Sunt autem tubercula hæc ſeu ſpinarum baſes, quantumvis magnæ, merè corticales, nec è ligno ortum dicunt.

Qualem florem aut fructum producat nobis incompertum. Eandem eſſe putamus arborem quam deſcribit D. *Grevius* in *Muſeo Societat. Reg.* Londin. Clavæ Herculis appellatione.

5. *Fruticis exotici ramus in clavatam echinatam ſiliquam terminatus.* **The Torch-pod.**

E craſſo & lignoſo principio in ſiliquam teretem lignoſam clavatam, ſpinis undique obſitam dilatatur. Spinæ crebræ duas tréſve uncias longæ, è vertice oblongi velut pediculi plures huc illuc ſparguntur. Siliqua intus membranaceis rotundis tranſverſis laminis, pluribus unà commiſſis, repletur: Membranas ſeminula interjacere videntur. Prima facie nemo ſiliquam eſſe ſuſpicaretur, ſed ligni duntaxat extumeſcentiam.

6. *Tamarindus Occidentalis ſiliqua ſubrotunda, Carandas fortè Bontii.*

7. *Bonduch Indorum, Siliqua minime ſpinoſa.*

8. *Ramus Arboris peregrinæ fructum Ficui ſimilem gerentis, fructibus onuſtus.*

Non eſt autem hæc arbor Ficûs ſpecies, ſed Pruni cujuſdam fructu Ficiformi, aut forte Palmæ: Fructus enim non grana ſeu ſemina parva, ſed unicam intus nucem ſeu oſſiculum grande continet; proinde minùs rectè à nobis Commelinum ſecutis p. 1438. cum *Hondir-Alou* conjungitur.

9. *Fructus oblongus utrinque acuminatus ſeu conicus, lævis, ſplendens, ſpadiceus, quæ Caſtaneæ ſpecies videtur.*

Putamine cruſtaceo Caſtaneæ in modum tegitur. Putamen autem illud prope alteram extremitatem latè dehiſcit, quà adhæſiſſe videtur vel ſurculo, vel alii cuidam exteriori tegumento.

10. *Fructus tetrapyrenos ſub putamine ligneo pulpam mollem continens.*

Nuclei quaterni oblongi ſunt in ſingulis cellulis ſinguli, validis interſepimentis à ſe invicem ſecreti. Alios præterea multos fructus apud eundem vidimus, quos partim quia jam ab aliis deſcripti ſunt, partim quia deſcriptos ſuſpicamur, omittimus. Multas inſuper Corallii, Corallinæ & Spongiæ ſpecies de quibus in Appendice.

Caroba ſiliqua minore & Arbor Judæ Virginiana ibidem viſæ, ad congeneres referendæ ſunt.

CAP. XIII.

Arbores quarum ramulos exſiccatos vidimus apud Inſignem Botanicum, D. *Leonardum Plucknet* M. D.

1. Quercus Virginiana Caſtaneæ folio.
2. Arbuſcula Zeylanica Aceris folio baccifera Hermanni. Hujus multæ ſpecies foliis adverſis, & alternis; glabris, & hirſutis.
3. Ejuſdem alia ſpecies ſpinoſa, foliis alternis.
4. Laburnum ſpinoſum Americanum flore rubro Muntingii.
5. Rhamnus Virginianus, Pruni folio, fructu nigro, oſſiculo compreſſo D. *Baniſter*.
6. Thymelæa Africana floribus rubetrimis Hermanni.
7. Acer Bengalenſe foliis Laurinis.
8. Rhamnus Orientalis Liguſtri foliis, ſpinis atro-purpureis recurvis.
9. Arbor è *Cormandel* fol. amplis Myrſinites rigidioribus.
10. Arbor Indica Juglandis folio balſamifera; quæ ſuccrevit in Horto maximè Reverendi Epiſcopi Londinenſis D. *Henr. Compton*.
11. Arbor Aromatica è *Cormandel* laurinis foliis binis ternisve.
12. Arbor venenatæ ſimilis è *Madraſapatan*: an Katou-mail Elou H. M.
13. Frutex aculeatus Orientalis Ilicis folio: an ſit baccifer non bene memini.
14. Frutex baccifer foliis Mali Granatæ è Cormandel.
15. Frutex baccifer foliis Roriſmarini obtuſis, & carnoſis, plurimis ex uno puncto prodeuntibus. E *Cormandel*.
16. Frutex baccifer foliis Lini vel Caſſiæ Poeticæ. Ex eodem loco.

Præter alias multas, quas in Horto ſuo ſicco, omnium quos unquam vidimus domeſticis & peregrinis ſtirpibus refertiſſimo, curioſè aſſervatas idem eruditiſſimus Vir nobis conſpiciendas benignè obtulit: Nos autem ob anguſtias temporis quibus premebamur obſervare & adnotare non potuimus. Earum Catalogum brevemq; Hiſtoriam ab ipſo D. *Plucknet* expectabimus.

PARS SECUNDA.

De Partibus ſtirpium minùs cognitarum.

SECTIO PRIMA.

De Corticibus nonnullis exoticis.

1. *Caſſiæ adulterinæ vel Pſeudo-caſſiæ nomine datus cortex* J. B. *An Cinnamomum ſeu Caſſia craſſior, Pſeudo-caſſia* C. B?

HOC nomine exhibitus cortex, craſſitudine ferè ſemunciali, Maceris æquat corticem, coloris ferruginei, punctulis albicantibus aſperſis, ſuperficie tam convexa quàm concava lævi, ſubſtantiâ nullis fibris intertextâ, ſapore nullo evidenti.

2. *Lignum aromaticum ſeu potiùs cortex Monardis* J. B. *Canella ex arbore* Cluſ. C. B. *Monard.*

Lignum hoc, quod quis primo intuitu Guaiacum putaret, adoleſcens candela fragrantiſſimi odoris fumum excitat, alioqui inſipidum & inodorum haud ſecus ac lignum commune aliquod. Corticis verò odor aromaticus præſtantiſſimus, ſapor Macis aut Nucis moſchatæ, eóque etiam vegetior ac ſuavior, aromaticâ ſuâ gratiâ vel quodvis Cinnamomum & acrimoniâ ipſum adeò piper ſuperans, & vel ex levi dentium attritu omnes fauces pervadens ac tota ferè die imbuens.

Lignum quod pro hoc habuit Cluſius non minùs grave erat quàm Guaiacum, candidius tamen, licet nigricantibus aliquot venis diſtinctum; illius etiam cor nigrum erat inſtar Guaiaci, odor autem valdè tenuis erat, ut qui vix percipi poſſet, ſapor verò nonnihil calidus.

Cluſius in ea opinione eſt ipſi ligno aliquas ineſſe facultates illis quæ Guaiaco tribuuntur non diſſimiles.

3. *Laurifolia Magellanica cortice acri* C. B. *Cortex Winteranus acris ſive Canella alba* J. B. *An Ligni aromatici Monardis cortex? Cluſ.*

Willielmus *Winter* qui D. *Franc. Drake* ad Magellanicum uſque fretum comitabatur Anno 1567, ulteriùs non progreſſus, navim cujus præfectus erat Anno inſequente in Angliam reducebat, atque collectum iſthic corticem referebat, viliori Canellæ cùm ſubſtantiâ tum colore non valdè diſſimilem, plerunque tamen craſſiorem & cineracei coloris, vel fuſcum externa parte & Ulmei corticis inſtar ſcabrum, interna verò nonnunquam diſſectum & multis rimulis hiantem Tiliæ corticis modo, aliquando valdè ſolidum & durum, odore non ingrato, ſed perquam acri ſapore, linguámque & fauces non levius urentem quàm Piper.

Plurimum accedere videtur ad Ligni aromatici Monardis corticem, quamvis ſingularem illam odoris fragrantiam, quam ſuo tribuit Monardes in hoc cortice deprehendere non potuit Cluſius.

J. Bauhinus hunc corticem ſic deſcribit. Canulatus eſt, craſſitudine Caſſiæ ligneæ fuſcæ, fragilis, coloris parte gibba cinerei, convexâ fuſci, per ſubſtantiam cinerei & fulvi. Saporem imprimit è veſtigio luculenter acrem ſubamarum & aromaticum, qualem haberet Zingiber multum cum Zedoaria pauca confuſum. Sed cum tenuium ſit partium, fervida ejus acrimonia, non ità multò poſt evaneſcit, remanente ſuavi ſapore cum amaritudine grata.

Arboris ipſius folium è viridi albicat, Populi in modum: baccas fert racematim compactas, vel plures ſimul confertas Oxyacanthæ inſtar, cum pluribus in ſingulis granulis.

Corticem hunc Canellam albam non eſſe, ut à multis falsò creditum fuit, oſtendit Parkinſonus. Nam Canella alba dicta cortex eſt albus, in tubulos convolutus ad modum Cinnamomi, nec eo multò craſſior, ſaporis quidem fervidi, ſed neque Cinnamomum neque Piper referentis. At cortex Winteranus multò craſſior eſt, nec in tubulos convolvitur, ſapore acriore, colore obſcuriore & ad Cinnamomum accedente.

Vires. Hoc cùm recens eſſet nautæ, partim mellè condito ut acrimoniam deponeret, partim exſiccato & in pollinem trito, ut in edulíis Canellæ aliorúmque aromatum vicem præberet, uſi ſunt; poſtea tamen adversùs Scorbutum, quo eorum nonnulli in illa navigatione affecti fuerant, optimo ſucceſſu eum uſurpârunt.

4. *Canella alba* Park. *alba quorundam* J. B. *Cinnamomum ſive Canella tubis minoribus alba* B. C.

In oblongos tubulos Cinnamomi in modum convolvitur tam extus, quàm intus alba, Cinnamomo craſſior & lentior, ſapore acri, aromatico, Caryophyllos referente potiùs quàm Cinnam. ſed remiſſiore.

Cluſius duo ejus genera obſervavit. Unum majoribus, longioribúſque tubis, & etiam craſſius, quod ferro Alterum tenuius minoribúſque tubis, quod præferendum. Utrique generi extimus cortex ſcaber vilius: alióve inſtrumento deterſus & æquatus videbatur. Craſſiori color minùs albus, minórque acrimonia: tenuiori major acrimonia, & color magis candicans majórque fragrantia.

5. *Cortex eriophorus* J. B. *cinereus acri ſapore* C. B.

Cluſ.

Hujus corticis fragmenta ad Cluſium miſſa veluti in tubos media ex parte convoluta erant, cineraceo colore, ſatis verò acri ſapore prædita erant, valdè fragilia; quæ vel in minutas etiam partes fracta & protracta velut tenuiſſima ſtamina, inſtar telæ Aranearum, ut lana autem candida oſtendebant, quemadmodum Eriophori bulbi folia & ſquamæ radicis ipſius. An à radicibus, an ab arboris alicujus ramis defracta fuerint ignoravit Cluſius.

6. *Cortex antirheumaticus* J. B. *Cortex arboris Ulmo ſimilis ad catarrhos* C. B.

Refert Monardes è Peru miſſum eſſe craſſum quendam corticem, ex vaſta arbore Ulmo ſimili tum amplitudine tum forma detractum. Ferunt naſci ad ripas fluminis cujuſdam 25 leucis à Lima diſtantis, nec alibi facilè in India reperiri. *Vires:* Indos capitis defluxionibus, rheumatiſmis, aut alioqui capitis gravedine laborantibus hujus arboris corticem in pulverem tenuiſſimum comminutum naribus indere: humores enim inſigniter educere, eâque ratione liberari: quod verum eſſe expertum ſe teſtatur.

7. *Pacal arbor* J. B. *Pacal Indis arbor jam deſcriptâ minor* C. B.

Arbor eſt proximè deſcripta multò minor. Naſcitur etiam ad fluminis cujuſdam ripas 25 leucis à Lima diſtantis.

Vires. Hujus ligni uſti cineribus cum ſapone mixtis Indi ad tollendos lichenes etiam ſordidiſſimos utuntur, cùm qui in capite naſcuntur, tum qui reliquas partes corporis occupant.

8. *Pinûs cujuſdam è Nova Scotia cortex.* Muſ. Reg. Lond. Grevii.

Huic innaſcebantur hinc indè tubercula multa ſeu nodi, *Fabæ equinæ* magnitudine, concavi, & Terebinthinâ quadam liquidâ, pellucidâ, fragrante repleti, quam prout deſtillat incolæ colligunt, & pro Balſamo utuntur.

Maſſoy. In Ephemerid. German. An. undecimo mentionem factam invenio cujuſdam corticis *Maſſoy* dicti, ex occidentali parte Novæ Guineæ in Indiam delati, quo trito & cum aqua in pultem redacto incolæ corpus inungunt tempore frigido aut pluvioſo: Eximiè enim calefacit, punctiones & tormina ventris ſedat, gratæque eſt fragrantiæ. *Culilawan.* Indi plerunque alium corticem adjungunt ſimiliter calidum & aromaticum in inſulis Moluccis naſcentem, & *Culilawan* vocatum.

9. *Arboris Ygæ cortex ad navigia.* J. B.

J. B.

Sunt arbores (inquit Jo. Stadius) in regione *Yga Yuera* dictæ, háſque integras decorticant à ſummo uſque ad imum, & ut cortex illæſus detrahatur peculiari apparatu arbores cingunt; hinc cortices detractos in montes prope mare ferunt, & ignibus excalefactos in utraque extremitate multùm incurvant: per medium ligna tranſverſa religant nè dilatentur; & ſcaphas ità conformant, quarum ſingulæ vel 30 viros armatos bello invehere ſufficiant.

Cortex hic pollicaris eſt craſſitudinis, latus quatuor circiter pedes, longus 40, alii etiam longiores ſunt, alii breviores. Has illi ſcaphas ſumma agilitate impellunt, & quolibet locorum iis vehuntur. Si mare impetuoſum eſt ſubtrahunt eas in terram donec ſerenitas redeat. Ultra duo milliaria in altum non progrediuntur, ſed ſecus litus pro libitu procul excurrunt.

10. *Lawang arboris dictæ cortex è Java majore miſſus* Hiſt. Muſ. Reg. Soc. Lond. Grevii.

Probe maſticatus eundem planè ſaporem reddit quem cortex ligni *Saſſafras*; ut arborem ipſam vel Saſſafræ ſpeciem, vel ei congenerem eſſe veriſimile ſit.

SECTIO SECUNDA.

De Lignis Exoticis.

1. *Peno abſou arbor Americana* J. B. *Arbor fructu orbiculari venenato* C. B. *Thevet.*

Cortice eſt odoris planè admirandi, foliis Portulacæ, valdè ſpiſſis, perpetuò virentibus. Fructus edit magnos, grandioris Pomi magnitudine, orbiculatos pilæ luſoriæ modo, minimè edules, imò venenatos. Singuli ſenas nuces intus habent, Amygdalis noſtris ſimiles, niſi quòd latiuſculæ ſunt & magis compreſſæ: in ſingulis ſinguli nuclei conduntur. *Vires.* Hi ad ſananda vulnera mirificè proſunt, quibus etiam utuntur Barbari, ſagittis icti, aut quovis alio modo in præliis vulnerati. Ex his contuſis oleum exprimitur rufum, eóque vulnera illinuntur.

2. *Goan arbor Tutiæ cui nucleus cum putamine* J. B. *Goan arbor & fructus, è cujus cineribus Tutia Alexandrina conficitur* Garciæ.

Tutia quâ nos (inquit Garcias) hîc in India utimur, &c. è metallicis conflata non eſt, ſed ex eorum eſt genere quæ Dioſcoridi ἀντίσποδα appellantur; nam ut retulit mercator quidam, Tutia hæc in *Quirimon* Perſiæ regione, & *Ormuz* finitima conflatur ex cineribus arboris cujuſdam iſthic naſcentis nomine *Goan*, quæ fructum ejuſdem nominis profert, cortice & putamine conſtantem: corticem verò & nucleum putamine clauſum edules eſſe. Hanc Tutiam Alexandrinam vocari, non quòd in Alexandria fiat, ſed quòd è *Quirimon* Ormuz delata, deinde in Alexandriam exportetur; ex qua tandem & Italiæ & Galliæ communicatur. At nos (inquit J. Bauhinus) non vidimus ullam hactenus in Officinis Germaniæ, Galliæ & Italiæ Tutiam præter Cadmiam botryiten.

3. *Lignum Molucenſe, Pavana dictum, fructu Avellanæ* J. B. *Moluccenſe, foliis Malvæ, fructu Avellanæ minore, cortice molliore & nigricante,* Pavana *incolis* Lugd. C. B. *Acoſta.*

Arbor eſt domeſtica, Mali Cotonei magnitudine, cujus folia Malvæ vulgaris foliis ſunt ſimilia, fructus verò Avellanis, ſed minor, molliore cortice & nigricante.

Locus. Invenitur in Moluccis. Seritur colitúrque in hortis diligenter, nec alibi facilè invenias: tanti enim ab incolis æſtimatur, ut peregrinos nè ad ejus quidem conſpectum admittant.

Vires & Uſus. Semen ad aucupia utile eſt. Ejus pauxillum cum Oryza cocta mixtum avibus ſylveſtribus exponunt, quæ eo deguſtato illico decidunt ſopitæ & ſtupidæ; quæ verò avidiùs id edunt moriuntur, antequam illis auxilium præberi poſſit, quod eſt ut frigidâ caput perfundatur.

Lignum in pulverem pelle caniculæ marinæ aut limâ ferreâ redactum, intus ſumptum aut foris impoſitum, omnibus venenis reſiſtit. Ad viperarum, regulorum, aliorúmque ſerpentum morſus intrò aſſumitur magno commodo ex aqua roſarum vel vulgari, aviúmque juſculo pulveris apta quantitas pro neceſſitate & natura ægri, modò x gr. non excedat: ipſíſque morſibus inſpergitur. Eadem ratione uſurpatur ad vulnera à ſagittis toxico illitis facta.

Robuſtiſſimo cuique pulveris dimidius ſcrupulus ſummo manè datus (cœna autem diei præcedentis parca eſſe debet) evacuat omnes humores, præſertim craſſos, lentos, & melancholicos: convenit quartanis diuturnis, febribus continuis, Iliacis colicíſque doloribus, flatibus, hydropiſi, arenulis, renum calculis, urinæ difficultatibus, ſæviſſimæ cholericæ paſſioni, articulorum & tibiarum inveteratis doloribus, ſcirrhis & ſcrophulis. Omnis generis lumbricos necat, & appetentiam dejectam revocat. Obſervavit etiam illius præſtantiam Acoſta, in inveteratis capitis doloribus, hemicrania, apoplexia, aurium tinnitu, arthritide, ventriculi & uteri affectibus & aſthmate. Si nimia fiat evacuatio * bibat æger dimidium cyathum *Caniæ*, h. e. decocti Oryzæ, aut aviculam comedat & citò ceſſabit. Accedit, quòd neque fœtorem, neque tædium, neque metum dum ſumitur pariat, poſſitque ſine Diætæ obſervatione, etiam iis qui ſua negotia foris peragunt propinari. Exhibendus eſt ſummo manè, nec cibus aut potus concedendus donec purgati ſint quantum neceſſarium videtur, tum demum cyathus juſculi gallinarum tepidè detur, reliquam diætæ obſervationem vide apud Autorem. Bilioſis calidíſque ventriculis nonnihil moleſtiæ parere donec cibum ſumunt & nonnullis vomitum excitare viſus eſt. His pulverem nonnunquam dedit Acoſta ſyrupo acetoſo aut Carambolâ conditâ exceptum, aut in catapotia cum ſaccharo roſaceo efformatum. Solet interdum in nonnullis ani pruritum & excoriationem excitare, atque in aliquibus, (ſed paucis admodum) hæmorrhoidas.

* *Idem traditur de Ricino Americano Hern. & de Pimpinichi Monardis.*

4. *Lignum nephriticum* Park. *nephriticum cæruleo & flavo tingens* J. B. *peregrinum aquam cæruleam reddens* C. B. *Coatli ſeu Aqueus ſerpens* Hernand.

Hernandez.

Aliis *Tlapalezpatli*, ſeu medicina ſanguinis coccinea. Frutex eſt magnus, ſtipitem ferens enodem, craſſum. Materia Pyri eſt, foliis Ciceris, minoribus tamen, Rutaceiſve ſed majoribus; flore luteo, elangueſcente, parvo & longiuſculo, compoſito in ſpicas.

Locus. Provenit regionibus moderatè calidis, qualis eſt Mexicana; & interdum etiam fervidioribus, qualis eſt Quauhchinacenſis.

Vires & Uſus. Ejus uſus (inquit Monardes) jamdiu receptus eſt [in Hiſpania] ad renum vitia, urinæ difficultates & incommoda: poſtea experimento compertum eſt, ejus aquam in jecoris & lienis obſtructionibus utilem eſſe. Fit autem hoc modo, Lignum aſſulatim & minutim conciſum in optima & limpidiſſima fontana aqua maceratur, atque in ea relinquitur donec aqua à bibentibus aſſumpta ſit: deinde novam aquam ligno affundunt, atque hoc toties repetunt donec lignum nullam ampliùs tincturam reddit. Dimidia circiter hora poſt injectum lignum cœruleum aqua colorem dilutiorem contrahit, qui ſenſim pro temporis diuturnitate intenditur. Adulteratur ligno illi ſimili, quod aquam croceo colore inficit. Addit Hernandez febres extinguere & colicis mederi; atque hæc potentiùs præſtare ſi radices *Metl* adjiciantur, quanquam ventriculum laxent. Exoleſcit poſt quindecim dies virtus. Mirum verò quòd ſaporem aquæ non mutet.

Ex noſtra obſervatione lignum hoc aquam cui infunditur flavo & ſi diutiùs relinquatur croceo colore tingit. Si aqua ſci. colorata phialâ vitreâ excepta inter lucem & oculum collocata per radios refractos ſpectetur. At verò ſi oculi ſitus ſit inter phialam & lucem, & aqua per radios reflexos ſpectetur cœrulea apparet tinctura; ut cuivis volenti facile eſt experiri. Quod idem in vitro croceo colore tincto obſervatur: quotquot enim radii à vitro ad oculum reflectuntur cœruleum colorem exhibent, quotquot verò per vitrum ad oculum tranſeunt colorem flavum croceúmve repræſentant, ut totum vitrum in hoc ſitu flavum, in illo cœruleum appareat.

5. *De Santalo.* **Saunders.**

Apud antiquiores Græcos nullam Santalorum mentionem invenimus; ſed apud Arabes, qui ea nobis oſtenderunt, & tria genera fecerunt, *Album, rubrum* & *citrinum*.

Santalum citrinum Park. J. B. *pallidum* Ger. C. B. **Yellow Saunders.**

J. B.

Decorticata Santali citrini quæ adferuntur fragmenta truncum arguunt ſatis craſſum. Eſt autem lignum ſolidum, ponderoſum *, pectinibus rectis, quo fit ut haud difficulter in rectas aſſulas findatur: colore ex pallido rufeſcente, aut veriùs flaveſcente, ac nonnihil in citrinum vergente, unde nomen; ſapore aromatico, amaricante, cum acrimonia totum os implente, & ad caput uſque penetrante, ſuavi, odore fragranti, moſchum nonnihil æmulante, aut ſane ex eo ad roſarum odorem nonnihil vergente.

* *Ut aquæ immiſſum fundum petat.*

Santalum album J. B. C. B. Ger. Park.

Parum colore differt à citrino, magis palleſcit, Pyri ligno quod pallidum ſit colore ſatis ſimile: alioqui eadem ſubſtantia, eadem textura, & pectines iidem. Sed odore inferius, quippe qui debilis vix percipiatur, uti nec ſapor.

Scribit Garcias inter utriuſque Santali [albi & pallidi] arbores tantam eſſe affinitatem, ut pallidum à candido diſcerni non poſſit, niſi fortè ab ipſis incolis qui eas mercatoribus vendunt.

Cæterùm (inquit) Santalum in Nucis Juglandis magnitudinem attollitur; foliis admodum virentibus, Lentiſci æmulis: *flos* ex cœruleo nigricat: fructus Ceraſi magnitudine, primùm viridis, deinde niger, inſipidus & admodum caducus. Inodoram ferunt eſſe arborem niſi detracto jam cortice exſiccatam.

Locus. Naſcuntur hæc genera in India ultra Gangem, plurimum verò in Timor inſula quæ undique portuoſa eſt: inveniuntur etiam in Verbali portu Javæ, vehementer quidem odoratum, ſed brevi feneſcens. *Garc.*

Quantum ex hac Sandali deſcriptione colligere licet, inquit Cluſius, valdè *erit* dubitandum, an legitimum Sandalum pallidum habeamus; quandoquidem ſcribit vix in Luſitaniam deferri, quum ejus pretium majus ſit apud ipſos Indos quam apud Luſitanos. Fieri igitur poterit, ut aliquod aliud odoratum lignum nobis pro Santalo legitimo obtrudatur.

Vires. Ligna hæc epatica ſunt ac cardiaca: Uſus præcip. in lipothymia, palpitatione cordis, obſtructione epatis. Extrinſecùs in catarrhis, cephalalgia, vomitu, Epatis intemperie calida (in Epithem.)

Arabes eóſque ſecuti plerique medici recentiores Santala frigida eſſe ſtatuunt: Verùm J. Bauhinus aliis, & quidem rectiùs ex guſtu & effectis ea calida eſſe decernunt. Electuarium Diatrion Santalῶn, quod ab his nomen accepit, præſcribi ſolet à medicis adversùs calidam hepatis intemperiem, ejúſque obſtructionem & icterum, necnon ad ventriculi & viſcerum debilitatem.

Garcias magnam Santali albi & citrini quantitatem per univerſam Indiam abſumi ſcribit, quia omnes fere ejus incolæ, ſive Mauritani, ſive Gentiles illo in mortariis lapideis contuſo & aqua macerato ſibi univerſum corpus inungunt; deinde ſiccari ſinunt ad æſtus corporis tollendos, & odoris conciliandi cauſâ. Indi enim plurimùm odoribus delectantur.

Sambarana. Invenitur (inquit idem) & in Malabar odorati ligni genus, Santalo albo perſimile, quo ſe in febribus indigenæ inungunt, lingua Malabarica *Sambarana* appellatum. Commendatur ad Eryſipelata & inflammationes, atque Santali rubri modo eo utuntur.

Parkinſonus Santalum album in pulverem redactum & vel in ovo ſorbili ſumptum, vel in vino rubro ſuper cineres calidos per noctem infuſum & hauſtum ad ſpermatis fluxum in utrovis ſexu commendat.

Santalum rubrum J. B. C. B. Ger. Park. **Red Sanders.**

Lapideæ ferè duritiei & ponderis ſunt è Santali rubri truncis fruſta, quæ delibrata importantur, colore intenſius rubente quàm lignum Braſilium, ut ferè nigreſcant, pectinibus rectis denſiſſimis, interdum criſpis tuber aut nodoſitatum veſtigia imitantibus. Odorem nullum evidentem ſpirant, ſapore ferè fatuo cum levi adſtrictione. Commanſum vix modicùm ſalivam rubeo colore tingit, at linteo affrictum tingit.

Garcias Santalum rubrum & lignum Braſilium eo inter ſe differre ſcribit, quòd Santalum rubrum neq; dulce ſit, neque inficit; at lignum Braſilium utrumque. At vero Santalum rubrum quod ad nos adfertur rubro colore inficere Botanici pleriq; teſtantur, & experientia confirmat, quamvis aliud magis, aliud minus.

Locus. Porro rubrum Santalum non naſcitur in *Timor*, ſed loco valdè diſtante, viz. in India intra Gangem fluvium, in Tanaſarim & maritimis quibuſdam Charamandel. Ex his locis omne Santalum rubrum adferri pro certo aſſerit Garcias.

Vires. Hoc genus Santali refrigerat & aſtringit: unde quicquid virium Arabes aliíque adverſùs ardores alióſque morbos calidos Santalis attribuunt, huic potiſſimum conveniunt. Rubri Santali (inquit Garcias) apud Indos exiguus eſt uſus & rarus. Utuntur tamen contra fervidas febres eo tempora, frontem & arterias inungentes.

Abelicea ſive Santalus adulterina Cretica J. B. *Pſeudoſantolum Creticum* C. B. *Pſeudoſantalus Cretica Abelicea dicta* Park.

Abelicea, autore Hon. Bello, arbor eſt magna, recta, multis ramis prædita, adſpectu pulchra, cui folia Alaterni, ſed rotundiora, profundè ſerrata [quos flores proferat ignorare ſe fatetur.] Fructus magnitudine Piperis, figurâ quaſi rotundus, colore inter viridem & nigrum medio. Materies ligni dura & paululum odorata: pulvis enim hujus Santala imitatur.

Locus & Uſus. Arbor hæc in ſolis montibus Leucis, eorúmque altiſſimis jugis provenit: & ex ea trabes fiunt. Antiquis ignotum fuiſſe putat Honor. Belli, ni ſit Ulmus montana Theophraſti, lib. 3. c. 14. Sed folia neque leviter ſerrata ſunt, neque magna, ut Pyri, verùm longè minora.

6. *Ebenus* J. B. **Ebony.**

Hujus duo genera deſcribit J. Bauhinus, Verum ſeu genuinum, & Sylveſtre.

Verum dictum ſylveſtri ponderoſius eſt, nigrum, alicubi interdum colore nucis Juglandis, aut etiam pallidius; quam coloris varietatem in bonitatis notis habent: paſſim ceu minutis quibuſdam ſegmentis ſcarificatum longè frequentibus, aliis ſplendicantibus nec impreſſis refertum. Schickardus Architectus aliquando ſed rarius hominis craſſitudine truncos ſe vidiſſe teſtatur, ſed nullum unquam quod non putredinis aliqua labe alicubi fuerit infectum; quale & nos aliud habemus (inquit J. Bauhinus) ac Suberis quodammodo fungoſâ ſubſtantiâ in parte quadam; quod ætati & corruptelæ tribuiſſemus, ni is monuiſſet aliter.

Sylveſtre vocatum prædicto nigredine ac pondere cedit, ſed vix elegantia ac ſplendore: paſſim quoque lineis, ceu ſcarificationis quibuſdam veſtigiis, verùm non ut in priori profundis aut inciſis, nihilominus tamen ſplendentibus, conſpicuum. Veri portio adoleſcens flamma non injucundum ſpirat odorem, ut nobis quidem videtur, non tamen ſine odoris quadam gravitate peculiari. Utrumque aquæ injectum protinus ſidit, & vix aliud è lignis invenias ponderoſius. Videtur tamen ſylveſtris nonnihil pinguior & oleaginoſior eſſe.

C. Bauhinus etiam duo genera habet, ea ſunt,

1. Ebenus Theveto in Indiæ inſula Palmobotere præſtantiſſima & nigra. Val. Cordus ſcribit quoſdam Guaiacum lignum Ebenum eſſe contendere, & Pena cenſet Officinarum Ebenum ſpeciem Guaiaci eſſe. Verùm meminerimus (inquit J. Bauhinus) ab Autoribus prodi frondes Ebeni Buxo ſimiles; at Guaiacinas allatas vidimus Comari Laurive facie. Præterea Guaiacum neque nigra materie eſt, & venas pectinum modo diſcurrentes habet.

2. Lignum pice ferè nigrius & polito ebore lævius: arbor craſſo cortice veſtita: in cujus intimis Ebenus clauditur. Ejuſdem generis ligna rubentia, & ceræ modo flaventia reperiuntur in inſula Mauritiana.

Theophraſtus Ebenum Indiæ peculiarem eſſe ſcribit, cujus duo genera, alterum præſtanti pulchróque ligno, alterum vile ac ignobile; ipſa arbor fruticoſa eſt velut Cytiſus. Virgilius quoque, *Sola India nigrum Fert ebenum,* inquit. Verum obſervante Plinio, Herodotus eam Æthiopiæ intelligi maluit, & in tributi vicem regibus Perſidis è materia ejus centenas phalangas tertio quoque anno penſitaſſe Æthiopas cum auro & ebore. Et Dioſcorides, qui duplicem Ebenum deſcribit, alteram eámque optimam Æthiopicam facit; alteram bonitate inferiorem Indicam.

Plinius duo genera ita diſtinguit, 1. Rarum id quod melius, arboreum, trunco enodi, materie nigri ſplendoris, ac vel ſine arte protinus jucundi; 2. Alterum fruticoſum Cytiſi modo, & tota India diſperſum.

Ebenum foſſile & lapideum, quod Georg. Agricola deſcribit ad ſeptimi libri De nat. Foſſilium fere calcem, alia longè res eſt ab Ebeno vulgaris hodie uſus & notitiæ.

Vulgare Ebenum non eſſe Æthiopicum Dioſcoridis vel his argumentis probatur, quòd guſtu non ſit mordax, nullam dum manducatur oſtendat acrimoniam, nullum igni injectum emittat odorem, nec ullam pinguedinem, ſi accendatur, fundat. *Jo. Bod.*

Theophraſtus Ebenum coloris gratiam reconditam & aſſervatam non acquirere ſcribit, ſed naturâ ſtatim. Verùm D. *Tavernier* inſignis peregrinator, de Mauritii inſula agens, affirmat, Ebeni arborem quamprimum cæſa eſt in aſſeres ſerra diſſecandam eſſe; aſſeres autem illos per biennium, & interdum etiam triennium ſi lignum denſius ſit, ad ſeptem aut octo pedum altitudinem in terram humidiorem demerſos ſepeliendos eſſe, antequam materia tractabilis & operibus fabrilibus idonea evadat, inque aſſulas fiſſilis, & polituræ capax fiat. Addit inſuper Ebenum diſcindendi & ad uſum præparandi opus valdè difficile & laborioſum eſſe, etiam præ remigatione in triremibus, ideóque ſolis ſervis & mancipiis à Belgis deputari.

Alia etiam ligna hoc modo in terra defoſſa diuturnitate temporis & colorem nigrum & duritiem Ebeno parem contrahunt, ut Ebenum genuinum mentiantur.

Vires & Uſus. Ebenus conſentiente Veterum teſtimonio oculis utilis eſt. Scobem ejus oculis unicè mederi dicunt, lignóque ad cotem trito cum paſſo caliginem diſcuti. *Plin.*

Hodie varia opera ex ea fiunt, thecæ, arculæ, abaci, capſellæ, ſpeculorum thecæ, pectines, tragematothecæ, ſellæ plicatiles, imagines, & alia propemodum infinita, eáque vel per ſe pura, vel auro, argento aut ebore vario artificio adornata, qualia Venetiis & Auguſtæ Vindelicorum videre licet. *J. B.*

Anglus quidam ex brevibus intervallis convulſione flatulenta premebatur, poſt varia auxilia quæ mucoſum vacuarent humorem, & roborarent nervos ſolo Ebeni decocto ad 40 dies, cujus uſu copioſus ſudor proliciebatur, convaluit. Zacut. prax. Obſ. 44. ex Adverſ. *D. Edw. Hulſe.*

7. *Lignum Breſilio ſimile cæruleo tingens* J. B. *An* **Logwood** *noſtratium ?*

Haud ità diſſimile Breſilio eſt, colore & pectinibus iiſdem; ſapore tamen luculentiore, & cum dulcedine nonnihil acri, & odore grato, quem acquiſitum negant: ſed lignum eſſe recentius quo odoratius. Hoc leniter maſticatum cœruleo colore tingit, ideò à tinctoribus expeti aiunt ad coriorum & telarum tincturam.

8. *Lignum candidum fungoſum, cotis vicem præbens* J. B. *Lig. leve fungoſum è Java majore.*

Hoc, autore Cluſio Exot. l. 1. c. 8. valde leve erat, ut nihil niſi Sambuci medulla quodammodo videretur, fungoſâ materiâ conſtans & candidâ, cortice admodum tenui, & quaſi membranaceo tecta, cineracei coloris, ad cultrorum obtuſam aciem exacuendam valdè commoda.

9. *Lignum leviſſimum* J. B. *Suberi affine lignum, fomitis vicem præbens* C. B.

A Jac. Gareto habuit Cherlerus hujus ligni fragmentum, quod leviſſimum erat, per tranſverſum ſecta rotula ſui circumferentia majori ex parte rotunda, in quadam parte totum fungoſum, cujus ſupereſt etiam aliquid corticis tenuis, cinerei, totum Suberi ſimile, flaveſcens, diſtinctum circularibus lineis, ignem facilè concipiens, odor nidorulentus. Deſcribitur idem Cluſio Exot. l. 1. c. 8. Utile eſt ad ignem conſervandum fomitis loco, non ſecus ac fungus aut ellychnium.

10. *Citra Indis lignum* J. B.

Hujus fruſtulum ad J. Bauhinum miſit Coldenbergius, pectinibus contextum Faginis, tranſverſis micis interlucentibus, odorum, colore ſubrubente, ſapore nonnihil aromatico cum quadam ſalſedine quam accidentariam ſuſpicabatur. J. Bauhinus. Idem Coldenb. diſquirendum propoſuit num eſſet Veterum Citrus arbor, ex qua menſæ pretioſiſſimæ parabantur.

11. *De Ligno Colubrino.*

Lignum colubrinum dictæ ſunt hoc genus ſtirpes quòd ſingulæ mirum in modum utiles ſunt adverſus colubrorum virulentos ictus & morſus. C. Bauhinus Clematitides vocat quia pleræque ſarmentitiæ ſunt & per arbores repant.

Hoc autem lignum quomodo deprehenſum ſit ſerpentium morſibus prodeſſe vide apud Garciam: nobis enim fabulam reſipere videtur ea narratio.

Lignum colubrinum I. Garciæ J. B. Park. *Clematitis Indica foliis Perſicæ, fructu Periclymeni* C. B.

Duûm aut triûm palmorum altitudine aſſurgit, paucis virgulis, quatuor aut quinque duntaxat, tenuibus. Radix, quæ maximè in uſum venit, veluti tenuiorum noſtrarum Vitium radices, multis capitibus aut nodis ſe propagans, ità ut ſemper radix aliqua extra ſolum ſe exſerat, & radice una exempta aliæ in ejus locum ſuccedant. *Radix* hæc candido-cinerea eſt, ſolida, admodum amara guſtu. *Folia* Perſicæ mali, magis tamen virentia. *Flos* longè à foliis racematim cohæret pulcherrimo colore rubens: Fructus Sambuci, ſed rubens,& durus, racematim cohærens, velut in Periclymeno: in inſula Zeilan & multis aliis regionibus & in Goæ continenti naſci tradunt.

Vires. Teritur primùm hæc radix, & ex vino aut aqua cordiali propinatur à ſerpente percuſſis; teritur etiam ad cotem Santali modò, & vulneribus inſpergitur.

Colubrinum lignum II. Garciæ, Cluſio ſcandens J. B. *Clematitis Indica ſpinoſa foliis luteis* C. B.

Arbor eſt (cùm ſola provenit nullis vicina arboribus) Malo Punicæ ſimilis, ſpinis brevibus & firmis horrida; cortice candido, denſo, rimoſo & amaro, non tamen veluti prioris cortex: *Foliis* eſt luteis, aſpectu pulcherrimis. Hanc autem (ſi juxta aliam quampiam arborem proveniat) per ſummos ejus ramos ſerpere, atque Cucurbitæ modo amplecti ferunt. Materies *Cluſ.* firma, candida, venis quibuſdam diſtincta, non diſſimilis Fraxini ligno; cortex candicans & quaſi cinereus: utraq; verò deguſtata amaro ſapore eſſe deprehendebatur.

In inſula Goæ naſci ferunt, ſed nunquam Garciæ videre contigit.

Commendatur adversùs venena velut primum, & eodem modo uſurpatur. Solent ipſum lignum *Vires.* cum cortice & radice permixtum exhibere: præfertur tamen radix.

Lignum Colubrinum III. Garciæ Park. *Col. Lign.* 3. *Garc. foliis Lentiſci* J. B. *Clematitis Indica foliis Lentiſcinis candidis maculis aſperſis* C. B.

Ramos habet paucos, tenues, quatuor aut quinque digitorum longitudine, qui niſi alligati ſuſtentare ſe nequeunt, ſed per ſolum ſeſe diffundunt. *Folia* rara, Lentiſcinorum effigie, oblonga, non viridia ſed maculoſa, ſive nigricantibus ex candido maculis reſperſa. Radix tenuis eſt, dura, nigra & odorata.

Cùm Prorex in Jaſanapatan inſula *Zeylan* contermina eſſet, dono data eſt illi hæc radix, quam mirificè adversùs venena prædicabant. Similem in Continenti Goæ naſci ferunt.

Colubrinum lignum hederaceum foliis Brioniæ, Acoſtæ I. J. B. *Lign. Col. I. Acoſtæ* Park. *Clematitis Malabarenſis foliis Vitis, colore Dracunculi* C. B.

Naſcitur in Malabar Hederæ modo, colore Dracunculi majoris ſive Serpentariæ. *Folia* illi ſunt Bryoniæ ferè ſimilia, integra tamen initio, nervóque prædita per longum excurrente, & quinque aut ſex venis in latera vergentibus. Succeſſu temporis accedunt exigua foramina, quæ paulatim cum foliis incrementum ſumunt, donec tandem omnino folia ſcindant eáque Vitis foliis ſimilia reddant. Conſpiciuntur etiam interdum in eadem ſtirpe folia integra, alia exiguis, nonnulla majoribus foraminibus prædita, omniáque adeò inter ſe diſſimilia, ut ejuſdem plantæ folia minimè eſſe videantur. Tantam verò habet hoc lignum cum colubro ſimilitudinem, ut (Acoſta tradente) qui non nôrit aut de die non viderit, ſi ad Lunæ ſplendorem noctu conſpicit, vivum colubrum eſſe exiſtimet.

Solo hujus ligni odore ſerpentes fugari aiunt, idcirco incolæ maxima ex parte illud circumferre ſolent.

Colubrinum lignum Dudaſali Canarinis, Acoſtæ II. J. B. *Lig. colubr.* 2. *Acoſtæ* Park. *Clematitis Malabarenſis altera, radice ſerpente* C. B.

Planta admodum brevis eſt & tenuis, triáque ſolummodo *folia* habet mollia, lævia, ſaturatiùs virentia. *Flos* aut fructus non conſpectus, nec quiſquam ſe vidiſſe aſſerit. *Radix* oblonga & tenuis eſt, minimo digito minor, hinc indè nonnunquam extuberans & ſumma tellure ſerpens: cæterum ejus cortex valdè tenuis eſt, & cinereus, nullo dum guſtatur manifeſto ſapore præditus, deinde tamen guſtum in ore relinquens ſuavem, & uti Moſchus odoratum. Fiſſus eſt undique hic cortex, & ſponte ſeſe expedit ab alio craſſiore flavóque cortice ſubtus naſcente qui odorem Trifolii odorati vulgaris refert, & ſaporem Glycyrrhizâ dulciorem: præmanſus odore admodum ſuavi, nec injucunda mordicatione, momentanea tamen præditus eſſe deprehenditur: ipſa materia lignoſa eſt, candida, dura & inſipida. Folia napi ſaporem referunt. Germen producit radix hæc ſupra terram, circiter quatuor uncias longum in caput extuberans.

Invenitur in Malabar locis humidis, & inter arbores, præſertim verò circa illas quæ Angelins nuncupantur, nec procul à mari. *Locus.*

Ad eadem valet ad quæ præcedentia.

Colubrini ligni tertium genus in Malabar vaſtæ arboris magnitudine Acoſtæ C. B. *Colubrinum lignum Cluſii Pao de Cobra dictum, forte III. Acoſtæ* J. B.

De hac arbore in alio libro (qui tamen nunquam quod ſcimus editus eſt) ſe acturum ſcribit Acoſta. Pingitur à Cluſio notis ad Acoſtam fragmentum ligni cum tubere ſive ſuperiore radicis parte in nodum coacta, quod Colubrino 3. Acoſtæ idem eſſe ſuſpicatur. Similis ferè ligni fragmentum à Jac. Gareto acceptum à Cluſio, per medium ſecundum longitudinem ſectum, coloris erat pallidi; ipſum quidem lignum amarum, ſed cortex paulò amarior, cujus ſuperficies quodammodo flaveſcit, ipſe verò ex candido cineracei coloris eſt.

Harum omnium ſtirpium lignum ſive potiùs radix, non modò adversùs animalium virus ejaculantium morſus ictúſve efficax eſt, ſed etiam ejus pulvis lumbricos necare, papulas, exanthemata & impetigines tollere creditur, & cholericam quam vocant paſſionem (incolæ *Mordexi* dicunt) ſanare. Similiter utile eſſe medicamentum ferunt adversùs febrium circuitus unciæ pondere propinatum, priùs tamen tritum & aquâ maceratum, per vomitus expurgata multâ bile: Addit Acoſta, Syncopen, ventriculi debilitatem & cordis tremorem. Hinc conjectatur D. Grevius, vel cognata eſſe hæc ligna arbori ex cujus cortice pulvis Patrum fit, vel ejus in febribus intermittentibus vim experiundi & inveniendi occaſionem Indis dare potuiſſe.

Attendamus experimenta Antonii de Heide in centuria Obſerv. 7. quæ ad me tranſmiſit *D. Hulſe.* Ad febrem quotidianam ſedandum Ligni Colubrini pulverem aſſumit Tornator quidam circa veſperam. Subſequente nocte ſeſe ſatis bene habuit, ſed mane ſurgere vel corpus movere ſatagens ſentiebat tremorem in membris: accerſitus exhibui mixturam hypnoticam, & intra paucas horas tremore liberatur æger. Ejuſdem ligni ʒſſ. aſſumpta à muliere cachectica præter tremorem excitavit & ſtuporem, ita ut ægra nullius rei curam haberet, neſciens (ut mihi retulit) ſe eſſe in mundo, vel vivere. Curatur mixturâ hypnoticâ.

Retulit mihi illuſtris Domina famulum ſuum ab aſſumpto hoc ligno inſtar fatui extitiſſe. Hæc penſiculans & conferens cum ſymptomatis à nuce vomica in cane excitatis Obſ. 50. exaratis [quæ nos in Hiſtoria Nucis vomicæ retulimus] libenter ſubſcribo aſſerenti nucem vomicam eſſe fructum Ligni Colubrini. Hæc mera eſt conjectura.

12. *Lignum Angolenſe Tacuſa Indigenis dictum* R. S. Muſ.

Valdè ſolidum eſt & ponderoſum Ligni Vitæ inſtar, pectine nigricante.

13. *Lignum Angolenſe aliud* Chicengo *dictum* R. S. Muſ.

Duriuſculum eſt & ponderoſum, colore Quercus Hiſpanicæ: in pulverem redactum ſaporis amaricantis.

14. *Agallochum Officinarum* C. B. *Lignum Aloes* Park. *Lignum Aloes Officinarum & Agallochum pleriſque putatum* J. B.

J. B.

Lignum peregrinum, quod Xylaloen vel Lignum Aloes vocant Officinæ pectinibus plerunque denſis & rectis eſt pertextum, quódque tranſverſim ſectum Quernei ligni pectines æmulatur, partim albicans, durum, grave, pingue, ſapore amaricante cum quadam acrimonia aromatica; prunis injectum bullas agit, totúmque ſenſim colliqueſcit, ſuaviſſimum ſpirans odorem, tandem verò ſi ſufflando pergas flammeſcit.

Hujus Ligni fruſta raró magna ad nos advehuntur, ut plurimum enim in fragmentis nobis tranſmittitur, quæ optima cenſentur nigro-purpurea, venis cinerei coloris interſecta, amara, ponderoſa, aquæ tamen ſupernatantia, liquorem ſi Prunis candentive ferro imponantur exſudantia, ſuavem, ac acidulum, fumum ſi incendantur præbentia, bulluláſque ſimul poſt ſe relinquentia. *Schrod.*

Ipſa arbor, teſte Garcia, Oleæ ſimilis eſt, interdum major. Vidit enim ramum ejus cum foliis; Fructum aut florem videre non contigit, ob difficilem & periculoſam hujus arboris diuturnam obſervationem, frequenter in illis locis ubi creſcit graſſantibus Tigribus. Ferunt autem recens diſſectum Agallocum nullâ odoris fragrantiâ gratum eſſe, nec niſi ſiccatum odoratum eſſe, imo eum odorem per univerſam ligni materiem non diffundi, ſed in ipſo arboris corde ſive matrice coacervari. Craſſum enim eſſe corticem, & ligni materiem odoris expertem.

Sethi & Serapio exciſos arboris ramos terra obrui ſcribunt, ut putredinis interventu corrumpatur id quod inodorum, nempe cortex & exterior ligni pars, quod nobis minimè videtur veriſimile.

Locus. Legitimum Agallochum in Malacca & Sumatra inſula naſcitur, inque Cambaia & Siana. Garcias unicum genus Indicum novit; alii multa diſtinguunt, præſertim Arabes.

Officinæ, ex obſervatione Cluſii, demonſtrant duo genera Ligni Aloes, præter lignum Rhodium, quo uſæ ſunt loco Ligni Aloes. 1. Uni diverſi colores ex venis fibríſve albis aut ex luteo pallidis; ſive ex nigro ruſeſcentibus ſimul mixtis, magis in ramis quàm trunco. Hoc genus quidam docti Thuiæ lignum exiſtimant, alii Aſpalathum Dioſcoridis. 2. Lignum Aloes aliud ex nigro ruſeſcit, reſinoſum, quod uſtum gratum ex ſe reddit odorem, ponderoſum, & aquæ fundum petens. Hoc quidam putant ſpeciem Ebeni Dioſcor.

C. Bauhinus ex autoritate Ludov. Romani & Jo. Linſcotani triplex genus diſtinguit,

1. Primum vocat Agallochum præſtantiſſimum, quod *Calampart* vocatur, & ſolùm inter Reges Indiæ diſtribuitur, cujus fragmentum duarum unciarum manibus contrectatum inenarrabilem odoris ſuavitatem ſupra omnia ſuffimenta ſpirat. De hoc Scaliger, Agallochum noſtrum quod habemus leve eſt, odoratúmque adeò ut ſolâ tractatione, ſine ullo ſubjecto igni ſpiret admodum validè ſed jucundé. Hoc genus, tradente Linſchotano, Calamba vocatur, quod ſincerum cum auro argentóve perſæpe deponderatur.

2. Secundum Agallochum Officinarum eſt, *Palo de Aguilla* Linſchotano, de quo egimus.

3. Tertium Agallochum ſylveſtre, *Aguila brava.* Ex hoc ſphærulæ precatoriæ, odoris jucunditate & pretii magnitudine commendabiles conficiuntur: magno item in pretio eſt, quod ex eo Indi ſatrapis & ſacerdotibus inde rogum defunctis ſtruant, pari honore quo apud nos marmorea ſepulchra celebrantur.

Vires. Cæterùm Lignum Aloes calfacit & ſiccat: confortativum eſt omnium viſcerum ac præcipuè cordis ac uteri. Spiritus vitales ac animales recreat: hinc medetur lipothymiæ; amaritudine ſua lumbricos necat. Externè creber ejus uſus eſt in cucuphis & epithematibus cordialibus.

Agallochum Dioſcoridis commanducatum, itémque decocto collutum halitum oris commendat, ac toti quoque corpori ſiccum tritúmque odoris gratiâ inſpergitur: ad ſuffimenta denique Thuris inſtar adhibetur. Radix vero drachmæ 1. pondere pota ſtomachi ſuperfluos humores imbecillitatem ardorémque mitigat: Iis quoque quos lateris & jecinoris dolor excruciat, ac Dyſentericis aut torminoſis ex aqua bibita opitulatur.

Agallochum Antiquorum plerique Botanici idem eſſe putant cum Xylaloe ſeu Ligno Aloes Officinarum. Xylaloen autem ob amaritudinem dictum volunt. Hermolaus à nonnulla ſimilitudine coloris.

Ligni Aloes fruſtum cum gummi adhærente à nobiliſſimo Viro D. Rob. Boyle Muſeo Reg. Societatis donatum meminit * D. Grevius. Erat autem iſtius gummi ſapor Ligni unde exudavit prorſus ſimilis, color Aloes puriſſimæ lucidæ, Socotrinæ dictæ, ſiquidem radiis reflexis ſpectatum Picem referebat, refractis verò, inter oculum & lucem ſuſpenſum Carbunculi inſtar ſplendebat; in pulverem redactum fulvum apparebat. Hoc aliúdve ſimile gummi aromaticum antiquam Hebræorum Aloen fuiſſe aſſerit prædictus eruditiſſimus Vir, à cujus ſimilitudine vulgaris Aloe nomen accepit.

* *In Deſcript. Muſei Reg. Soc.*

Ex relatione D. Philiberti Vernatti lignum hoc lac manat adeo virulentum ut ſi in oculos incidat cæcitatem cauſat, ſi in ullam aliam corporis partem puſtulas excitet, cutem inflammet: quod idem de ligno arboris Mancinelli dictæ in India Occidentali traditur. Hoc (inquit *D. Grew*) neque de ligno interiore neque de alburno accipiendum eſt, ſed de cortice ſolo, ſe enim in nullius arboris ligno vaſa lactea hactenus obſervare meminiſſe, ſed in cortice tantùm.

15. *De Aſpalatho.*

Aſpalathus Theocriti Scholiaſti dicitur, διὰ τὸ μὴ ῥαδίως ὑπὸ τῶν πληγέντων ἀποσπᾶσθαι, ἤτοι ἀφαιρεῖσθαι, à percuſſis difficulter avellitur vel aufertur.

Aſpalathum Veterum Officinis incognitum eſſe Matthiolus aliíque exiſtimant.

Ruellius lignum Rhodium Officin. Aſpalathum eſſe multis probare nititur: cui ſe opponit Cordus & Lignum Rhodium Offic. pro Xylaloe à nonnullis venditam Aſpalathum non eſſe contendit & Ruellii argumenta refutat. Matthiolus etiam Ruellium erroris arguit, qui tamen in tradendo ligno Rhodio Cordo contrarius eſt, cùm ei deneget acrimoniam & amaritudinem, quas ei tribuit Cordus, tanta, inquiens, ei ineſt amaritudo ut nullius guſtum effugere poſſit, cui adjuncta eſt cum aliqua adſtringendi vi manifeſta acrimonia quæ paulatim incipiat donec prorſus excalefactas fauces propemodum ut Coccognidium exaſperet & fervore detineat; ut demonſtret ſci. Lignum Rhodium eſſe Oleam Æthiopicam. Utri (inquit J. B.) credendum.

Matthiolus Ligni Rhodii plantam Oleaſtri in inſula Rhodo naſcentis ſpeciem eſſe ait, cujus etiam deſcriptionem & hiſtoriam dat à Rhodiis ſibi communicatam: Anguillara etiam ejus deſcriptionem tradit à Rhodienſi quodam pharmacopœo ſibi miſſam. Invenitur in inſula Rhodo frutex ſpinoſus, foliis Oleæ ſed paulo minoribus, flore albo odoratiſſimo, cortice albicante & aſpero. Reperiuntur interdum arbuſculæ quædam quæ detracto cortice coloris ſunt rubeſcentis; quo vetuſtiores eo vegetior color. Totum lignum non rubet ſed ſolùm partes quæ adhærent cortici. Non reperitur in tota inſula Rhodo lignum ullum ibi naſcens odoratum excepto hoc, ex quo Turcarum nobiles ſingularem parant compoſitionem ad ſuffumigia, cujus deſcriptionem vide apud J. Bauhinum.

Honorius Belli Lignum Rhodium *Matth. & Officin.* à plurimis pro legitimo Aſpalatho in Theriacis uſurpatum, nil aliud eſſe affirmat quàm Cytiſi veri à Marantha deſcripti lignum, qui in inſulis Rhodo propinquis & Rhodo ipſa *Caloieri* oritur. Patmi in ſphærularum precariarum uſum convertutn.

Erravit (inquit) Matthiolus credens lignum ſpinoſum eſſe, & Oleæ ſpeciem: non eſſe autem Aſpalathum rectè judicat. Erravit & Anguill. cum ſuo Rhodienſi pharmacopœo, qui illud ſuffumigii genus ſomniavit, &c.

J. Bauhinus pro Aſpalatho obſervavit in quadam Officina Lignum quoddam validiſſimum & ſolidiſſimum durum, grave, tortuoſum, nigricans partim, partim albicans, alternantibus interdum utriuſque hujus coloris venis, alicubi flaveſcens, ſubinde tranſverſis micis pectines ſecantibus, odore nullo, ſapore amaricante.

Conſiderandum proponit, an hoc lignum traditum ſit à Botanicis nomine ligni Rhodii & Oleaſtri.

Lignum Roſæ odore, aliis Lignum Thuris, aliis Aſpalathus J. B. *Aſpalathus colore Buxi* C. B. *item Aſpalathus albicans torulo citreo* ejuſdem.

J. B.

Durum & ſolidum eſt, Guaiaci ferè texturâ, pectinibus utcunque rectis, ſecundum quos finditur, ponderoſum odore Roſarum: bicolor quemadmodum Guaiacum, in medio fulvum, in ambitu album, cortice adhuc alicubi adhærente ſatis craſſo, ſcabro, coloris ex fuſco cinerei, ſapore paulò acriore nonnihil amaricante. Sapor ligno aromaticus primùm amaricans, poſt acer, ad Schœnanthus ſaporem quodammodo accedens. Prunis impoſitum flammam celeriter ſatis concipit, & quidem ἄκαπνον, ſed nihil reſinoſi aut pinguis fundit. Fragmentum brachiali craſſitudine habuit J. Bauh. Ruellio Lignum roſaceum dicitur à novo Orbe delatum, qui & bis illud deſcribit. V. *J. B. Hiſt.*

Lignum quod deſcripſimus (inquit J. B.) optimè reſpondet Aſpalatho 1. *Adverſ.* cui forte congener ſi non eadem Aſpalathus 3. *Lob.* C. Bauhinus eas diſtinguit & diverſas facit, uter rectiús. Rectè tamen J. B. vel Cherlerus C. B. reprehendit, quod Cordi Lignum Rhodium, ſive Rhodium Oleaſtrum Aſpalatho 3. Lob. idem fecit, cùm hæc albida foris, intus ſubflava: illud venas habeat partim albicantes, partim fuſcas & nigras, multúmque differat à Santalo albo & citrino: in hac odor Roſæ, in illo nihil tale prædicetur; hæc careat manifeſta qualitate, illud amarum ſit, &c. ut deſcriptiones eorum apud Cordum & Lobelium conferenti patebit.

Aſpalathus rubeus C. B. *Aſpal. Rhodius rubens, odoratiſſ.* J. B.

Lob.

Hujus apud Nic. Comaſcum medicum Venetum Rhodo advectum truncum maximum vidit Lob. cortice exutum, rubentem, Taxo concolorem, odore adeò fragrantem, ut quàm latè patebat cœnaculum eximio imbueret odore.

Aſpalathi nomine datum lignum graviter olens J. B.

J. B.

A Valerando Dourez Aſpalathi nomine nactus eſt Jo. Bauhinus hoc ligni genus, cujus fragmenta dura, contorta, nodoſa, micis per tranſverſos pectines apparentibus, ut in Fagino ligno, colore per meditullium aliquatenus fuſco, per reliqua cineraceo exalbido, odore gravi hircoſo, quem & per ſe, & prunis impoſitum ſpirat, ſapore ingrato. Ex fruſti (inquit) noſtri conſideratione facilè dijudicamus ſive truncum ſive ramum brachialis craſſitudinis fuiſſe.

Aſpalathus prima Dioſc. Plinii & Galeni, legitima Ponæ J. B. *Aſpal. cortice cinereo, ligno purpureo* C. B. *Aſp. primus Dioſcoridis odoratus* Park.

Pon.

Hæc ſubſtantia non eſt tam compacta, ut injecta in aquam proruat in fundum, ſed ſi conferatur cum multis aliis lignis ſatis compacta & gravis dignoſcitur: cortex ipſius ſuperior eſt colore cinereo nigricante, & quadam acrimonia adſtringente præditus. Hoc cortice exempto offert ſeſe membrana quædam fibroſa, longè efficacior ſi deguſtetur primo cortice, colore rubro ignem imitante, quo dempto ex parte inhærente lignum in ſuperficie ad purpuram vergens detegitur, intus palleſcens, pars verò interna ad nigrum vergens. Lignum hoc totum eſt qualitatis valdè aſtringentis cum aliqua acrimonia mixtæ. Odoratum eſt, validi odoris & qui nares ferit tam citò & profundè quàm Caſtoreum; iſtud eſt ſarmentoſum, ſpinis quibuſdam oppletum.

Miratur Johan. Bauhinus Ponam non adnotare unde delata ſit & ubi obſervaverit ſuam Aſpalathum.

Aſpalathus Cretica Alpini odoris perſuavis J. B.

Frutex eſt denſis ramis, ſpinis albis, duris, horridis; cortice caudicis albo, ad trium plus cubitorum altitudinem in altum aſſurgens, floribus multis, parvis, croceis, Spartii ſimilibus ſed ſummè odoratis. Hujus arbuſti radices duræ, longæ, craſſæ, colore flavo atque cortice ſummè odorato ab Alpino fuere obſervatæ.

Prope Fraſchyæ portum in quodam colle virentem atque florentem ſæpe inſpexit Autor.

Cùm tot difficultatibus intricata ſit Aſpalathi hiſtoria tam in Antiquorum quàm in Recentiorum ſcriptis, rem dignam induſtrio Botanico præſtitiſſet Alpinus, ſi diligentiùs paulò Aſpalathum ſuam Creticam deſcripſiſſet, ac demonſtrâſſet, folia, florum formam & totiùs plantæ ſaporem. Mirum præterea hunc fruticem tam ſuavis odoris non obſervatum in Creta per Bellonium & Honorium Bellum. *J. B.*

Aſpalatho adjungit C. B. tria alia Ligni Indici genera.

16. *Lignum Americanum album* C. B. *Candidiſſimum Lignum Braſilianum* J. B.

In Braſilia ſcribit Lerius vidiſſe ſe lignum candidum ut charta. Thevetus quoque tradit in America naſci arbores ligno candidiſſimo & tenerrimo, nullius tamen apud Americos pretii.

An populo ſimilis *Tocot-guebit, cui reſina thuris candidior? *J. B.* Hanc in India Occidentali inveniri Fragoſus refert, Populo ſimilem ſummi candoris, cujus materies ob candorem, lævorem & ſplendorem ſummè expetebatur ad idola fabricanda. Sub ejus cortice naſcitur gummi ſeu reſina Thuri noſtro ſimilis, ſed candidior & minoribus fragmentis, quo iſthic utuntur ut nos Thure.

** Id eſt Lignum deſiderii.*

17. *Lignum Americanum violaceum* C. B. *Violaceum Braſilianum* J. B. *An Lignum colore purpureo Theveti?*

18. *Lignum Feixo, quod inſula Pico promit* Linſchot: *adeò durum ut ferrum æquet, interius coccinum undulatum expreſſiſſimè referens.*

19. *Lignum ferri duritiem æmulans, noſtratibus* **Iron-Wood** *dictum. An Lignum de* Cochi *quod ejuſdem cum ferro ponderis ex quo anchoras conficiunt, & à Luſitanis* Pao di ferro, *hoc eſt, Lignum ferreum vocatur* C. B.? *ex part. 7. Ind. Or. c.* 44.

Lignum ferreum dicitur ob extremam duritiem cum gravitate conjunctam, unde ad ædificia minus commodum eſt, & inſtrumentorum aciem rotundit, ob id operariis & architectis inviſum.

A Sole & pluvia nihil patitur, unde ad opera externa & aeri expoſita convenit, præcipuè ad dentes Rotarum molendinarium.

20. *Arbor Populo ſimilis reſinoſa* C. B. *Tocot Guebit* Cluſ. *Not. in Monard.*

Cluſ.

Refert Fragoſus in India Orientali arborem reperiri, *Tocot guebit*, i. e. lignum deſiderii ſeu exoptatam dictam, Populo ſimilem, ſummi candoris; cujus materies ob candorem, lævorem & ſplendorem ſummè expetebatur ad idola fabricanda. Sub ejus cortice naſcitur gummi ſeu reſina Thuri noſtro ſimilis, ſed candidior & minoribus fragmentis quo iſthic utuntur ut nos Thure.

21. *Lignum noſtratibus* **Fuſtick Wood** *dictum ex Indiâ Occidentali ad nos transfertur, tinctoribus expetitum ad colorandas lanas flavo colore.*

Flores & Folia quædam Exotica.

1. *Mogori flores odore florum Mali aureæ* J. B. C. B.

Mali aureæ floribus multò odoratiores eſſe dicuntur, quorum ſtillatitius liquor eundem apud Indos uſum obtinet, quem apud Hiſpanos florum Mali aureæ aqua.

Plantam hos flores ferentem depictam exhibet Jac. Breynius, & deſcribit his verbis,

Frutex eſt quinque cubitorum altitudine, ramoſus, foliis binis (partim rotundioribus & obtuſioribus, partim longioribus & magis acuminatis) ex adverſo ſitis, Jaſmini Arabici *Cluſ.* majoribus, ſubſtantiâ tenuioribus, fibris denſioribus ac ſubtilioribus diſcurrentibus præditus: *Floribus* item plurimis in ramulorum cymis, perelegantibus, candidis, admodum ſuaviter olentibus, Violarum, Jaſmini & Malorum Aurantiorum flores longè ſuperantibus, tubuloſis, in decem folia diviſis, duplici ſerie diſpoſitis onuſtus; è calycibus in tenuiſſimas, filo ſimiles lacinias diductis,, quaſi barbatis, exeuntibus. Hi floſculi magnitudine paululùm excedunt Jaſmini Arabici memorati, cum quibus planè conveniunt, cui hic frutex, niſi unus idemque ratione tantùm loci variat, affinis.

2. *Tianche floſculi Indici* J. B. Cluſ. Exot. *l.* 2. *c.* 15. *fr.* 16.

Cluſ.

Arboriſne an herbæ flores eſſent Cluſium latebat, color etiam in exſiccatis evanuerat: calyces habebant è quatuor veluti ſquamis compactos, & brevibus petiolis præditos, in quibus flores quatuor foliis longioribus & calyces ſuperantibus conſtabant anguſtioribúſque quàm calycum ſquamæ, decuſſatim compoſitis, protuberante in medio umbone, ut in Malorum Aureorum & Citriorum floribus: Odor ſi quem habuerant evanidus, quemadmodum & ſapor propter ſiccitatem. Ab incolis tamen [inſulæ Madagaſcar] in aliquem uſum adſervatos fuiſſe veriſimile eſt.

3. *Arbor violarum Indica* J. B.

Arbor eſt Indica, flores ferens, quibus Pharmacopolæ Violarum loco utuntur, quorum tamen uſum non admittit Garcias, (quia diverſæ planè facultatis ſunt à noſtris Violis) niſi in iis medicamentis quæ foris applicantur.

4. *Champacca flos Bontii.*

Creſcit in arboribus non abſimilibus Perſicæ Malo, foliis eodem modo oblongis & in cuſpidem pyramidaliter deſinentibus. Colore flores ſunt duplici, viridiori & aureo; forma florum Colchici aut Croci Anglici; odore Roſam cum Viola mixtam æmulante. Unde etiam fœminæ Indicæ iis in nobili ſuo unguento Borborii dicto utuntur, ut corpus à capite ad calcem eo inungunt. Nominis convenientia cum Champacam *H. M.* & florum gratiſſimus odor hanc ei eandem eſſe arguunt, ut in Hiſtoria Champacam diximus, licet deſcriptio Bontiana imperfecta & vitioſa videatur.

5. *Benjoino obvolutum folium maximum* J. B.

J. B.

Arboriſne an herbæ folium eſſet incertum: apparuit tamen ex fragmento quod habuit J. B. maximum fuiſſe, adeóque & Muſæ fortè folio majus. Erat autem colore rufeſcente, coſta elata poſteriorem folii partem ſecundùm longitudinem percurrente, à qua nervi elati, & ipſi ſæpiùs oppoſiti, aliquando inæquali ortu, omnes obliqui prodeunt, inter quos ſpatium intercedens unciam unam latum eſt, interdum tres, ſubinde palmare, áque nervis obliquis ultro citróque diſcurrunt venulæ tranſverſæ ſemunciâ aut paulò plus inter ſe diſtantes, aliquando brevioribus intervallis diſſitæ: quo nomine à Muſæ quoque foliis diſtat, quæ à coſta quidem longitudinem percurrente, obliquis illis nervis carent, tranſverſiſque ut diximus, venulis deſtituuntur.

6. *Nucis Indicæ folium quibuſdam* J. B.

Debemus (inquiunt Pen. & Lobel.) Occiduis Indiis iſtud concavum folium, cui ſimile aut par latitudine aut craſſitie nullum novimus. E Palmæ congenere arbore avulſum videtur: quin ipsâ totâ texturâ aſſerem binos cubitos latum, aut potiùs tegetem quaternos aut quinos cubitos longum refert, tegulæ modo fornicatum, & mediâ ſecundùm longitudinem coſtâ ſemidigitum craſſâ carinatum; ſupernâ orâ quaſi præſectum eſſet, margine tenuiore duriore clauditur. Univerſum folium à ſummo ad imum in villos iis quodammodo ſimiles qui obducunt Nucem Indicam, aut capillitium texendis funibus aptum diſcerpitur, quemadmodum totum eſt tectoriis ædium & ſtoreis accommodum.

An Palmæ alicujus folium fuerit neſcimus: certe Cocci Indici dicti (ut ſuſpicatur J. B.) folium non eſt.

SECTIO TERTIA.

Fructus ſtirpium minùs cognitarum è Cluſii Exot. J. Bauhini Hiſt. Plant. Grevii Muſei Soc. Reg. & aliis.

CAP. I.

Fructus Officinales.

1. *Cocci Orientales* J. B. Ger. *Coculus Indus* Park. *Cocculæ Officinarum* C. B.

J. B.

CIceribus paria ſunt aut majora, renis fere figurâ, deſcribente J. Bauhino, [baccarum Lauri magnitudine, ſed rotundiores] fuſco rugoſo cortice exteriore, interiore craſſiore, cinericeo, itidem rugoſo, utroq; lento, nucleum claudente fragilem, obſoleti coloris, Lenticulari apophyſi, quam geminæ ex umbilico corticis partes emittunt, circumjectum. Cohærent autem cocci interdum bini aut terni, cruſculis totidem hærentes, utplurimum ſingulares. Suſtinentur pediculis uncialibus, unico nodo articulatis, qui ſanè lignei cùm ſint arboris fructus eſſe haud obſcurè inſinuant. Sapore ſunt admodum amaro.

Hi ſæpe racematim pediculis adhærentes (verba ſunt *C. B.*) hæderæ corymborum modo ex Alexandria adferuntur. Quidam Solani maniaci, quidam Tithymali alicujus, quidam Clematidis fructum opinantur. Nobis J. Bauhini ſententia veriſimilior videtur, Arboris alicujus fructum eſſe.

Vires. De baccarum harum loco natali nihil certi traditum invenio. Quod ad vires attinet certum eſt earum pulverem capiti inſperſum pediculos interimere. Condronchius (qui peculiarem de illis tractatum ſcripſit) millies expertum in puerulis tradit pulverem harum baccarum etiam in exigua quantitate cum adipe ſuilla vel pomo decocto & ſimilibus permixtum & capiti appoſitum egregiè pediculos in capite ortos interficere, & feliciùs quàm Staphidem agriam, tutiúſque quàm hydrargyrum.

Uſus. Verùm præcipuus earum uſus eſt ad piſces capiendos. Compoſitio Cardani ad piſces capiendos experta hæc eſt. Baccarum Orientalium quadrans unciæ, Cymini & aquæ ardentis ſingulorum ſextans, caſei uncia, farinæ unciæ tres: Digeruntur contuſa in paſtillos. Solent alii Coccos Orient. miſcere cum veteri caſeo, melle & farina tritici, & inde pilulas formare piſcibus projiciendas. Alii multo adhuc plura Cocculis admiſcent. Verùm non opus eſt tanto apparatu, nam noſtra experientiâ, ſimplex paſta è pulvere baccarum & farina tritici aquâ contemperatis facta paris efficaciæ eſt ad piſces attonitos reddendos & tandem interimendos. Nam quòd nonnulli ſcribunt piſces ex hujuſmodi pilularum eſu ad tempus duntaxat vertiginoſos & ſtupidos reddi; pleroſque autem brevi ad ſe redire & quaſi reviviſcere, nobis non probatur. Experientia enim noſtra piſcatorum apud Condronchium opinioni ſuffragatur, nimirum piſces ab iſto medicamento brevi etiam temporis curriculo necari; an vero (ut illi etiam affirmârunt) niſi quamprimum capiantur facillimè putreſcant & in partes dividantur nobis incompertum. Et ſi quis objiciat infit Condronchius, piſces per aquam diſcurrere & volutari aſſumpto pulvere, & id ratione ebrietatis aut vertiginis evenire, illis dicam ego, non harum ratione ſed doloris quem percipiunt à contrario illo ſic agitari & volutari, ut unumquodque animal facere & præſertim homines ſolent cùm dolore aliquo torquentur. Ego piſces primo velut ebrios & vertiginoſos fieri ab aſſumptis pilulis conceſſerim, poſtea nihilominus deleteria earundem qualitate interimi. Nam piſces ab acri & amara qualitate baccarum tantùm interfici non conceſſerim, quin potiùs baccas ſpecifica quadam & incomperta qualitate piſces vertigine afficere & tandem enecare crediderim. An verò piſcibus ſic captis tuto abſque ulla veneni ſuſpicione nos veſci poſſimus, non facilè dixerim, puto tamen cum Condronchio ſi quum primùm capti ſunt eviſcerentur & coquantur abſque periculo comedi poſſe.

Quòd verò cocculæ hæ calidæ ſint, & minimè ut Matthiolus contendit frigidæ, non obſtante ſoporifera earundem vi, à ſapore acri & amaro, necnon ab effectis manifeſtum eſt, ut luculenter demonſtrat Condronchius.

Baccas haſce nullò pacto facultate deleteria vel venenoſa præditas eſſe, neque hac ratione verùm merito primarum qualitatum & ſuæ amaritiei animalia iſta interficere, opinatur idem Condronchius. Verùm ſententiæ ſuæ minùs firmam probationem affert. Mihi ex Amati experimento contrarium potiùs colligi videtur, Pædagogus quidam Cubebas poſcens ex imprudentia Pharmacopolæ fructum accepit, quem piſcatores vulgo Coccum vocant. Cujus cùm quatuor ad ſummum grana avidiſſimè comederet, ille in nauſeam & ſingultum & animi anguſtias incidit: mox ei vomitorium exhibitum, quo vel intra horam ab eo periculo & agone liber eſt factus.

Cocculi Indici aromatici Muſ. R. S.

Rotundi ſunt & aromatici, nonnulli Piperis nigri grano non multo majores ſunt, alii Ceraſi nigri propemodum magnitudine, omnes Caryophyllorum colore.

2. *Anacardium* J.B. C.B. Ger. Park. **Anacardiums or Malacca beans.**

J. B.

Anacardio fructui nomen dediſſe videtur forma aviculæ cordis æmula, compreſſo, unciam longo, aliquando majori, in obtuſum mucronem deſinenti, ex pediculo rugoſo, totam baſin occupante appenſo, colore nigro aut fuſco ſplendenti. Inter externum corticem & alterum nucleum immediatè ambientem clauditur liquor glutinoſus, ſeu melligo nigricans, cui alii vim cauſticam, Cordus ſaporem primùm dulcem, mox acrem, deinde vehementiſſimè adſtringentem, adeò ut fauces in anguſtiam conſtringat, adſcribit.

Garcias Anacardio, inquit, nomen indiderunt recentiores Græci (nam Veteribus incognitum fuit) à cordis [præſertim exſiccati *C.B.*] tum ſimilitudine, tum colore, Arabum veſtigia ſecuti. Luſitanis *Fava Malaqua* dicitur, quod viridis & in arbore pendens ſimilis ſit majori noſtrati Fabæ. Miramur (inquit J. Bauhinus) neque Garciam, neque Acoſtam arborem Anacardiorum deſcripſiſſe; ſi modò arbor ſit, de quo valdè dubito, cùm in *Hort. Malabar.* nullam ejus inter arbores mentionem inveniam. Et tamen Acoſta magnam refert eſſe copiam horum fructuum in Malabar.

In multis Indiæ provinciis naſci conſentiunt Autores. An verò in Siciliæ monte Ætna; ubi referente J. Bauhino, Paludanus ſe virides ex arbore pendulos vidiſſe teſtatur, vehementer dubito, quantumvis id confirment Monachi in Meſuem, Serapio, & Curtius, qui in Apulia etiam provenire tradit. *Locus.*

Arabes Anacardia calida & ſicca eſſe uſque ad quatuor gr. proinde vim cauſticam habere, delere verrucas & exulcerare cutem; quod repugnat experientiæ. Eorum etiam melliginem exulcerare, inflammare, ſanguinem & humores adurere ſtatuunt, quod Acoſta etiam confirmat, & totâ provinciâ Malabar ejus uſum eſſe cauſtici vice ſcribit. Siquis inſtillet in putridum & cavum dentem urit frangitque & corrumpit facilè. Calce addita ad bombycinos pannos obſignandos, & alias res quaſlibet notandas utuntur. Etenim notam adeo firmam imprimit, ut nulla lotione eximi queat. *Vires.*

Idem Garcias fructum ipſum deleteriam facultatem habere negat, & ad experientiam provocat: ſiquidem in Indiis è lactis ſero maceratum aſthmaticis dari & adverſus lumbricos ſcribit. Præterea iis viridibus (addit) & ſale conditis utimur in cibariis, olivarum conditarum modo. Cauſticam tamen vim ſiccato ineſſe concedit. Quinetiam Acoſta non tantum viridem fructum edulem eſſe ait, & ad excitandum appetitum, non ſolum quidem edi, ſed coctæ Orizæ admiſceri ad modum *Mangas*, &c. ſed & in deſiccato medullam internam edi ad bibendi appetitum irritandum affirmat, ſolam melliginem quæ inter duos cortices continetur cauſticam eſſe.

Meſues Elect. Anacardino has vires attribuit, Ventris totius inferioris, & cerebri affectus frigidos compeſcit, ſanguinem reddit puriorem, & indè ſpiritu animali reddito purgatiore & tenuiore, ſenſus omnes, apprehenſionem, intellectum & memoriam juvat, colorémque vividum corpori tribuit.

E contra Caſp. Hofman. non admittit Anacardios quovis modo præparatos, imò damnat penitus confectionem Anacardinam, quamvis *ſapientum* dicatur: imò, inquit, eſt *confectio ſtultorum.* Habeo enim ab amicis, quoſdam ab ejus uſu maniacos eſſe factos, & catenis opus habuiſſe; & à quodam Joh. Heldero præceptore ſuo multa exempla propoſita eorum quibus malè ceſſerit. Interim tamen Hiſtoriam narrat oppidò mirabilem de quodam ex ordine ſuo cui alter præceptor confectionem hanc dediſſe ferebatur. Hic enim cùm antea ſciebant eum omnes aſinum fuiſſe, à ſumpto Elect. intra paucos menſes eò doctrinæ provectus eſt, ut J. C. factus ad Profeſſuram Wittebergenſem aſpiraverit. Sed intra paucos annos ità exſiccatus eſt, ut cùm perpetua ſiti premeretur, quotidie ad ebrietatem uſque biberet, itaque & ſibi & ſuis inutilis factus tandem miſer perierit.

Solent interdum Indi nonnulli hunc fructum cuſpidi cultelli infixum candelæ ardenti imponere, qui dum uritur mirum quos ſtrepitus edat, quas ignis ſcintillas quaſi fulmina ejiciat variorum colorum, eaque ratione impoſtores mulierculis & rudioribus imponunt, &c. Vide Acoſtam.

3. *Cubebæ* J.B. Ger. Park. *Cubebæ vulgares, nec Arabum Cubebæ, nec Galeni Carpeſium* Matth. C.B. **Cubebs.**

Cubebæ grana ſunt Piperi ſimilia, interdum paullo majora, pediculo longo ſtili inſtar donata, cortice fuſco, rugoſo, interdum erugato extenſoque, nucleo ſubjecto exiguo, rotundo, foris nigricante, intus albo; aliquando caſſa reperiuntur, æquè efficaci, vel etiam efficaciore ſapore prædita quàm nucleata, ſuavi, aromatico acri, ſed qui Piperis acrimoniæ multùm cedat, pertinaci tamen.

Arbores earum Pomis noſtris haud abſimiles ſunt, racematim cohærent grana ſicut uvæ vitium, quæque tamen proprio hærent pediculo. Javæ incolæ Cubebas coquunt antequam divendant, nè & alibi locorum ſeminentur atque proveniant. Creſcunt (tradente Linſchotano) in Javæ ſylvis ſua ſponte ad ripam Sundæ. Fructus autem neque Piperis genus ſunt, neque Oxymyrſines, neque Carpeſium, neque Viticis ſemen, ut facile eſſet oſtendere.

Cubebæ calfaciunt & exſiccant. Languentem ex pituita ventriculum vel etiam ex flatu roborant, *Vires.* pectus à lentis craſſiſque humoribus expurgant, lienem juvant, flatus diſcutiunt, & frigidis uteri affectibus auxiliantur. Diu cum Maſtiche manſæ pituitam à capite trahunt & cerebrum roborant. *Matth.*

Cubebarum, inquit Garcias, magnus in vino maceratarum eſt uſus, ad excitandam Venerem, tum etiam in Java ad excalfaciendum ventriculum.

Cubebæ ſi ore contineantur claram vocem facere pronunciantibus perhibentur; quin & majorem in coitu voluptatem inde ſentiri: quaſi verò (inquit J. B.) non ſit in ea titillatione mens commota ſatis, niſi doceamur quemadmodum nos Venus adminiculatior & violentior tranſverſos auferat.

Cubebæ ex autoritate Avicennæ, urinæ vias emundant, arenulas exergent, calculos pellunt tam Renum quàm Veſicæ.

4. *Fagara major* J. B. *Cubebis affinis Fagara major* C. B. *Fagara* Ger. *Fagara Cocculo Indo ſimilis fructus* Park.

Ciceris arietini, deſcribente Cluſio, magnitudine eſt, cortice tenui conſtans ex cinereo nigricante, cui ſubeſt putamen, nucleum continens ſatis ſolidum, & tenui nigrâque membrana obductum. Integer fructus tum magnitudine, tum forma & colore adeo ſimilis eſt Cocculo Indo, ut primo aſpectu fallere & pro eo ſumi poſſit.

J. Bauhinus à Cortuſo ſibi miſſa ait Fagaræ Avicennæ nomine putamina Piſis paria, rugoſa, fuſca, in geminas carinas ad mediam uſque dehiſcentia, pediculo tenui donata, intrinſecùs lævia.

Fagara minor J. B. *Cubebis affinis Fagara minor* C. B.

Sunt, inquit, nobis præcedentibus ſimiles cortices, ſed minores multò, quales Imperatus pingit pro Fagara minore: Cortice quoque ſunt bivalvi, hiante, foras aſpero, intus pellicula candicante interſepto, ſapore aromatico, ſubamaro, linguam calore ſuo vellicante, non ingrato tamen, ſimili ferè corticum Arantiorum.

Linſchotanus in Java creſcere ait.

Vires. Temperamento & viribus cum Cubebis fere convenit: ad alvi fluxiones confert & concoctionem adjuvat.

5. *Nux Vomica* Ger. Park. *Vomica in Officinis* C. B. *Vomica vulgò Offic. compreſſa, hirſuta* J. B. *J. B.*

Nux vomica perperam vocatur hic fructus cùm vomitum non moveat. Eſt ea orbiculata, nummo aureo quem ſcutatum vocant æqualis, ſubinde minor, compreſſa, calamum ſcriptorium vix craſſa, tenera & tactu molli ſuperficie, villum holoſericeum imitata, coloris ex cæſio cinerei, & vario lucis objectu renidente, umbilico utrinque medium occupante, ſed altera facie expreſſiore. Villus deraſus comminuto Adianto ſimilis quodammodo Cordo teſte. Fiſſa in geminas abit cruſtas, duritie ferè cornea, coloréque ex fulvo candicante, ſapore inſigniter amaro. Ipſa ſubſtantia tritu & contuſu contumax, adeò ſolida lentáque eſt, nec niſi probè ſiccata fruſtula, & ea quidem vix ac nè vix contundi ſeu in pulverem redigi apta. Cùm in duos orbiculos finduntur uterque in orbis circumferentia exiguum foramen habet, quo continetur (ut annotat Cordus) germinaturæ & ex ſemine hoc ſato exituræ plantæ rudimentum, exiguo pediculo & veluti parvo Tiliagineo aut Hederaceo, venoſo, duplicíque folio conſtans, tam exquiſitâ perfectâque figurâ, ut cum veri folii conſummata forma de perfectione certet. Ejus unica tantùm pars, hoc eſt, pediculus prædicto foramine vel caverna continetur, foliola vero duplicis fructus commiſſurâ clauduntur.

Reperitur ſed rariùs formâ oblonga.

Nonnulli Nucem vomicam radicem eſſe opinati ſunt, ſed erroneé: at neque fungus eſt, ut aliis videtur: fructum eſſe ex deſcriptione patet, verum an arboris an herbæ incertum.

Nucem *Metel* Arabum nonnulli cum Nuce vomica eundem eſſe volunt, verùm deſcriptiones ei non conveniunt.

Vires & Uſus. Nux vomica narcotica eſt, virulenta, & vel Opio deterior, in pulverem redacta & cum cibo exhibita canes & feles interimit: exempla habes apud Geſnerum & Jo. Bauhinum, quibus addemus ea quæ nobis communicavit D. E. Hulſius, excerpta ex *Antonii de Hude Centuria Obſervationum* Obſ. 50. Duas (inquit ille) nuces vomicas, in fruſta inciſas, pani butyrato mixtas cani appoſui, qui ea avidè devorabat; poſt ſemihoram ingurgitabat ſe oſſibus & cartilaginibus coctis, ſed alterâ elapſâ ſemihorâ tremebat totus, de loco in locum diſcurrens; erectus ſtare haud potis erat, niſi fulcro innitens: Rigore & convulſionibus crura afficiebantur: Tertia ſemihora finita ut mortuus corruit; brevi poſtea reſpirare cœpit celeriter, & adjutus pedibus inſiſtebat; ad minimum rumorem horrere videbatur, & celeriùs reſpirare. Hoc in ſtatu per quartam ſemihoram ſuperſtes manet canis, & tandem ſubito moritur. Diſſecanti mihi canis cadaver hæc occurrere phænomena. Stomachus ingurgitato cibo refertus erat admixtis nucis Vomicæ ſegmentis, quæ nullam mutationem paſſa videbantur, quàm quod molliora eſſent: idem acciderat ſegmento per idem temporis ſpatium in aqua calida detento. Porro ſtomachus, œſophagus & inteſtinum naturali conſtitutione gaudebant: Vaſa lactea in meſenterio turgebant chylo: pulmones ſolito rubicundiores, & cordis ventriculi ejúſque auriculæ debito tumidiores erant. Ex diſſecto cordis ventriculo dextro, vena cava aſcendente & deſcendente ſtricta magna ſanguinis copia effluebat, in thoracis cavitate ſtatim coagulans. Circa cerebrum nihil præter naturam notare potui. Felis ab aſſumpta nuce vomica aliquandiu in aqua macerata, & partim excoriata iiſdem Symptomatis impetebatur ac prædictus canis, ut & alius canis, qui tantùm reliquias à fele prætermiſſas devorabat. Defuit occaſio inveſtigandi doſin hujus nucis Vomicæ requiſitam ad animal interimendum. Ex obſervatis patere putem hanc nucem virulentam potiſſimum inficere fluidum cerebrum nervóque irrigans: Hinc enim inquietudo, rigor, convulſiones, horror, tremor & reſpiratio inordinata facilè derivantur. Prædicta ſymptomata me ab uſu hujus nucis in homine abſterrent, licet beſtiis non hominibus eam noxiam ſtatuant quidam. At ſtatuant illi quid velint, mihi minimè dubium eſt quin eoſdem in homine haberet effectus; Avibus certè non minùs pernicioſum eſſe conſtat quam beſtiis: noſtrates enim ejus pulvere carnibus inſperſo Corvos, cornices, aliáſque aves noxias ineſcare & perdere ſolent. Adolphus Occo in ſua Pharm. teſtatur Julium Alexandrin. ad ſe ſcripſiſſe, Nucem vomicam ablegandam, nec ad compoſitionis ullius uſum admittendam, quippe adverſaturam ſemper naturæ humanæ, nec quicquam tamen interea unquam commodi allaturam, quæ doctiſſimi Viri ſententia (inquit J. Bauhinus) nobis perplacet; nec quenquam hactenus vidimus, qui ſuo experimento aliquid laude dignum illorum uſu perfeciſſe prodiderit. Hinc non immerito nuperi medici in Pharmacopœis ſuis in Electuarii de ovo (quod olim ingrediebatur) deſcriptione eam omiſerunt.

Si pulverem Nucis vomicæ velis ea radula deterenda eſt, nam in pila tundendo ob corneam ſubſtantiam comminui nequit.

6. *Nux Metel Officinarum oculata* C.B. *Nux peregrina oculata compreſſa* J.B. *Fructus peregrinus* 6. Cluſ. Exot. *l.* 2. *c.* 30.

J. B.

Major eſt Nuce Vomica Offic. dicta, quæ hirſuta eſt, hæc verò circumſcriptione haud ità rotunda, ſed per ambitum nonnihil ſinuata, altera parte in gibbum extuberante, altera compreſſa. Color cinereus, vel in ruffum declinans: Gibbus per declivia ordine poſitos habet ocellos quinque impreſſos, compreſſa pars ſcrobiculos habet inſculptos, in umbilico quidem unum; unde pediculus videtur prodire, in marginibus autem multos incerto numero. Ocellis reſpondent totidem loculi diſtincti, in quorum unoquoque *ſemen* unicum, Pomorum aut Pyrorum ſeminibus ſimile, ſed habitius, ſubſtantia pingui, oleoſa, ſapore Avellanæ: circumjecta omnis ſubſtantia lapideæ eſt duritiei.

Hic fructus meliùs reſpondere videtur Nuci Vomicæ Serapionis quàm ejuſdem Methel.

7. *Juglandis fere facie fructus exoticus, ſulcatus, tuberoſus* J. B.

Magnitudo nucis Juglandis majoris habitioríſque cortice tectus non duro, ſed gallarum inſtar fungoſo, quaſi recens putamen carneum fuerit: Totus per longitudinem ſpecioſè ſulcatus eſt; ſulcóſque rectos decem in hoc numeravimus, nec ſine eminentiis extraordinariis, inæqualibus, tuberoſis. Ima parte quà ſulci conveniunt ſcrobiculus eſt, oppoſita gibbus. Si acu ſubſtantiam ejus confodias interiora dura deprehendes.

Huic alium ſubjungit fructum J. Bauhinus, quem vocat Nucem Indicam oblongam cortice contectam quem præcedentis ſpeciem videri ait, ſi non eadem ſit. Hiſt. lib. 3. cap. 205.

8. *Beretinus fructus* Cluſ. *Exot. l.* 2. *cap.* 27. *Laurifolia Terenatenſis* C.B.

Cluſ.

Arbores hos fructus ferentes foliis Laurinis præditæ eſſe dicebantur, craſſis, ſplendentibus, in ambitu minimè ſerratis, oblongiuſculum fructum, exiguis Iligneis glandibus ſimilem ferentes, nullo tamen calyce (ut affirmabant qui inveniebant) incluſum, tenui cortice, cineracei coloris, interdum etiam atri tectum, nucleúmque continentem oblongiuſculum, candidum, nullo manifeſto ſapore (quia præ ſiccitate induruerat) præditum, & ut ab incolis Beretinæ inſulæ edocebantur edulem, ſeu more leguminum elixum, ſeu in farinam tritum & pultis inſtar inſpiſſatum & coctum.

In deſerta primùm inſula, deinde in Beretina dicta, & in Moluccis à Fran. Draci comitibus inventus & relatus eſt.

Glandi Ilignea quodammodo ſimilis fructus, cortice fragili J. B.

Ipſo fatente Beretino præcedenti ſimilis videtur.

Nucula Indica cortice tenero, forte Beretinus fructus J. B.

Olivæ magnitudine, qua adhæſit latiuſcula, altera parte in acumen deſinente, ſex coſtis rectis parvis diſtinctus, ſonorus. Cortex cedit ungue compreſſus.

CAP. II.

Fructus rotundi & orbiculares C. B. p. 405.

1. *Fructus magnus ex rotunditate compreſſus cortice rugoſo fuſco* C.B. *Peregrinus fructus craſſus* * Cluſ. *Peregr. fructus cr. in quo magnus nucleus* J. B. * Exot. l. 2. c. 7.

Cluſ.

VAldè craſſus erat hic fructus, nam geminum pugnum magnitudine æquabat, orbiculari pænè figura, ſed latior ſive craſſior quàm longior, ut cujus circumferentia eſſet decem unciarum, longitudo verò à pediculo utrinq; ad ſummum faſtigium duntaxat novem: craſſo rugoſóq; cortice, illóq; fuſco, cavum orbem umbilici inſtar circa pediculum habente, ſuperna autem parte tuberculis quibuſdam obſito: internè magnum continebat nucleum, in binas partes ſectum, valdè rugoſum, fuſci (quia ſiccus) coloris externè, ex atro verò rubentis interne, adſtringentis initio ſaporis, deinde ſubdulcis. De loco nihil habet.

2. *Fructus rotundus cortice fungoſo ſubpurpuraſcente* C. B. *Fr.* 1. *à Gareto* * Cluſ. *Fr. planus ſubpurpureus, nucleo impensè amaro* C. B. * Exot. l. 2. cap. 16.

Cluſ.

Planus erat, & circino ductæ fere rotunditatis, quem non ſingularem, ſed plures ſimul connexos alio fructu incluſos fuiſſe arbitrabatur Cluſius: nam alia aliis quaſi incubuiſſent, veſtigia in nonnullis adhuc apparebant. Erat verò craſſo quidem ſed fungoſo cortice præditus, ſubpurpuraſcentis coloris, levis, ſeſcunciam latus, nucleum continens planum, candicantem, impensè amarum.

Nullum nec nomen, nec locus adſcriptus.

3. *Fructus*

*Exot.l.2.c.25

3. *Fructus orbicularis ſpadiceus lævis* C. B. *Fructus miſcellaneus* 3. * Cluſ. *Fr. orbicularis perpolitus mucrone glandis* J. B.

Cluſ.

Orbicularis erat formæ, uncias pæne tres ambitu comprehendens, lævis & perpolitus, ſpadicei coloris, ſuperna parte exiguo mucrone (veluti glandes) præditus, inferna veſtigio quodam cui pediculus inhæſiſſe videbatur, levis & aquæ innatans, tametſi nucleum aut pulpam continens, ut ex ſtrepitu deprehendebat Cluſius.

*Exot.l.2.c.25

4. *Fructus orbicularis fuſcus nucleo ciner aceo* C. B. *Fr. miſcellaneus* 4. * Cluſ. *Fr. ſublongus cortice duro, fuſca tectus epidermide* J. B.

Cluſ.

Deſcriptio non valdè diſſimilis erat, paulò tamen minor & oblongior [interdum æqualis] Corticem verò habebat duram, pæne inſtar putaminis nucis Ponticæ, fuſca tectum epidermide, internam autem partem cineracei coloris: aquâ merſus non ſubſidebat, ſed innatabat, licet nucleum continebat Avellanâ non minorem, cineraceum, rugoſum ob vetuſtatem, non adeò ſolidum ut primo intuitu apparebat, ſed qui cultello facilè ſecaretur, ſubflava carne ſive ſubſtantia, quæ manducata ſatis acris deprehendebatur.

*Exot.l.2.c.29

Fructus orbicularis flavus, maculâ ſubfuſcâ notatus C. B. *Fr. peregrinus* 6. * Cluſ. *Fructus peregrinus tanquam torno elaboratus flavus.*

* Tam corticis exterioris quàm nuclei pulpæ.

Non alia in re quàm colore * flavo à fructu Lobi *ἐχινώδεος* *Cluſ.* ſeu Caretti *H. M.* differt. Per extremitatem qua lobo adhæſerat macula ſubfuſca notatus erat.

6. *Fructus orbicularis ſpadiceus nucleo duro* C. B. *Fructus exoticus* 4. Cluſ. *Exot. l.* 2. *c.* 19. *Nuci Cypote accedens fructus, orbic. lævis, ſpadicei coloris* J. B.

Orbicularis pæne erat formæ, quatuor verò unciarum ejus ambitus; cortice ſive veriùs putamine quidem duro, ſed non valdè craſſo tectus, qui ſuperna parte lævis & ſpadicei coloris, infernâ rugoſus & fuſcus, nucis Cypote ferè inſtar, nucleum continens durum, foris fuſcum, intus album, non ingrati ſaporis, ea parte qua levi putamine tectus fuerat ſtriatum, altera prorſus rugoſum.

7. *Fructus orbicularis ex ruffo nigricans* C. B. *Fr. peregrinus* 3. Cluſ. *Exot. l.* 2. *c.* 30. *Fr. peregrinus orbiculatus cuſpidatus* J. B.

Cluſ.

Mediocris Avellanæ magnitudinem non excedebat, pæne orbiculari erat forma, niſi inferna pars paulo anguſtior in triangularem quaſi mucronem deſiiſſet; color ex ruffo nigricans, & tametſi levis nihilominus in aqua ſubſidebat. Duro craſſoque putamine conſtabat, & nucleum candidum tenui fuſcâ membranâ tectum continebat. Ex Guinea delatus erat.

8. *Fructus orbicularis fuliginoſus* C. B. *Fr.* 15. *à Ja. Gareto* Cluſ. *Exot. l.* 2. *c.* 16.

Cluſ.

Orbicularis erat & ſemuncialis magnitudinis, duro cortice tectus inſtar fructûs Styracis, duplo tamen major, coloríſque minus illo ſplendentis & quaſi fuliginoſi, nucleum aliquem continens, quia agitatus ſtrepitum edebat.

*Exot.l.2.c.13

9. *Fructus orbicularis ater & acidus* C. B. *Fr. peregrinus acidi ſaporis* * Cluſ. *Pruni parvi magnitudine fructus ſonorus acidus* J. B.

Orbicularis ferè erat formæ, unciam viz. longus, tantundem latus, paulo tamen planior, utrinque tumens pulvini inſtar, ater omnino, è tenui curvóque oblongo petiolo pendens, tenui fragilique cortice præditus, qui preſſus illico frangebatur, & pulpam continere deprehendebatur fungoſam & friabilem, ſubrubentis coloris, atque valde acidi ſaporis Tamarindorum pæne inſtar, (propterea valdè commodam meo judicio ad ſedandam & extinguendam ſitim) in cujus meditullio ſemen planum, fuſci coloris, candicante membrana involutum erat.

De arbore aut loco nihil reſciſcere potuit Cluſius.

*Exot.l.2.c.15

10. *Fructus orbicularis cinericeus ut Chamærrhiphes nucleus* C. B. *Fr.* 12. *navigat. Bat.* * Cluſ. *Chamærrhiphes oſſiculo non diſſimilis, ſed major, orbicularis pæne* J. B.

Cluſ.

Orbicularis pæne formæ erat, Chamærrhiphes fructûs oſſiculo non diſſimilis, ſed major, lævis, cineraceo colore præditus, putamine ſatis tenui, quod fungoſâ quadam materiâ ſuffultum, interna, qua nucleus includebatur læve & fuſcum erat: ipſe etiam nucleus fere orbicularis formæ; infima tamen parte in mucronem deſinens, qui in binas partes dividuus erat inſtar glandis & ſimilium. Ejus ſubſtantia dulcis ut Amygdalæ fere, ſubflavi coloris.

*Exot.l.2.c.20

11. *Arantii formâ coloris cineracei fructus ſtrepitum edens* J. B. *Fructus orbicularis Arantii formâ cineraceus* C. B. *Fr. minor* 7. *Paludani* * Cluſ.

Cluſ.

Prorſus orbicularis erat, parvi Mali aut Aurantii formâ, quatuor uncias ambitu continens, levis, coloris fere cineracei, ſolidus & durus, pulpam aut nucleum jam reſiccatum continens, quoniam commotus ſtrepitum edebat.

12. *Fructus rotundus parvus, putamine ſpadiceo flaveſcente, nucleo ſubacido* C. B. *Fr.* 7. *à Jac. Gareto* * Cluſ. * *Exot. l.* 2. *c.* 16.

Cluſ.

Lobo incluſus fuiſſe videbatur, aut ſaltem alio operimento: nam veſtigium ſupina parte retinebat, qua alteri rei inhæſerat, alioqui firmo putamine præditus erat, licèt valde tenui & præ politura ſplendente, coloris ex ſpadiceo flaveſcentis, nucleum putamini non adhærentem continente, in binas partes dividuum, interne candicantem, ſubacido ſapore.

13. *Fructus orbicularis compreſſus cineraceus* C. B. *Fr. minor* 1. *Paludani* * Cluſ. *Fr. rugoſus, parvus, gravis, orbiculatæ pæne figuræ, quaſi compreſſæ* J. B. * *Exot. l.* 2. *c.* 20.

Cluſ.

Gravis erat, orbiculatæ pæne formæ, planioris tamen & quaſi compreſſæ, rugoſus, cineracei ferè coloris, durus & ſolidus, aquâ tamen merſus non ſubſidens.

Et nomen & locus Paludano ignotus.

Cap. III.

Fructus orbiculares ſulcis nerviſve diſtincti C.B. p. 405. *Nucula Taphet Herc. Saxoniæ* J. B.

J. B.

MAgnitudine ſua unguem medii digiti æquat. Seſſilis eſt modicè, in gibbum hemiſphæricum pænè elata, ita ut per medium ſectum globum ferè repræſentet. Cortice munita eſt duro, cinereo, perinde ac Nux Vomica. In centro partis planæ foramen umbilicale impreſſum. Subſtantia interna nigra eſt, duritie corneâ, ſine ſapore notabili. Ad nucem vomicam referenda videtur. An granum nucis ſequentis?

1. *Fructus orbicularis major fuſcus ſtriatus* C. B. *Fr. orbic. peregrinus* 1. Cluſ. *Exot. l.* 2. *c.* 9. *Fr. orb. pereg. cum granis nucis vomicæ ſimilibus* J. B.

Cluſ.

Orbicularis & ſphæricæ prorſus formæ erat. Dimenſi, ſive per longitudinem linea ducta, ſive per tranſverſum, ambitus erat pæne unciarum novem, nonnihil tamen ſtriatus erat, circa eam partem quà pediculus adhæſerat coloris fuſci, lævis & intus cavus, aliquid tamen continens, ut ex ſtrepitu quem agitatus edebat conjecturam facere licebat. Ex illo pertuſo educta ſunt multa grana plana nucis vomicæ formam perbellè referentia, niſi minora fuiſſent, & oras minùs craſſas habuiſſent, ſaporémque minimè ut illa amarum: oſſea tamen eorum durities.

2. *Fructus orbicularis minor cineraceus ſtriatus* C. B. *Fr. orbic. peregrinus* 2. Cluſ. *Exot. lib.* 2. *cap.* 9.

Prorſus orbicularis erat etiam hic fructus, ſed minor, ut cujus ambitus quatuor duntaxat unciarum eſſet. Pulvinato aliquo integumento incluſus fuiſſe videbatur, conjectura factâ è fibrarum, quibus putamen (quo incluſum erat) præditum fuerat veſtigiis ipſi impreſſis. Cineracei coloris erat externa ejus pars, interna cava & nucleum continens, quia ſtrepitum agitatus edebat. Si habuiſſet ea foraminum veſtigia, quæ ſunt in magna illa Nuce Indica, parvum Coccum quiſpiam exiſtimare potuiſſet.

3. *Fructus orbicularis ſubniger & ſplendens, ſulcis diſtinctus* C. B. *Fr.* 1. *Guil. Parduyn.* * Cluſ. * *Exot. l.* 2. *c.* 22.

Orbicularis pæne erat figuræ, una tamen parte ſeſſilis & quodammodo planus, altera in orbem aſſurgens, creberrimiſque ſubnigra ſplendentéque quâ tegebatur cute ſive membrana, quaquaverſum velut ſulcis diſtinctus, verùm longè major, nec adeò turbinatus. Gravis erat, cortice fuſco præditus eóque quem dixi modo ſulcatus: interna pulpa ſive ſubſtantia dura candicans, ſalſi initio ſaporis, deinde adſtringentis. Ex India.

4. *Fructus ater ſplendens, quatuor ſulcis diſtinctus* C. B. *Fr.* 9. *à Jac. Gareto* * Cluſ. *Fr. ater, quatuor ſulcis diſtinctus* J. B. * *Exot. l.* 2. *c.* 16.

Prorſus ater erat, læviſque & ſplendens, quatuor ſulcis ſupernè diſtinctus, (tanquam in quatuor partes diviſus eſſet) quorum bini ad partis adverſæ umbilicum uſque ducti, planus alioqui, & orbicularis pæne formæ, unciâ paulò minor, ſuperna parte aliquantulum tumeſcens & quaſi pulvinatus, niſi qua parte ſulci deprimebant: adverſa pars veſtigium retinebat fuſcum, quo fructui ſive cortici qui tegebat firmiter inhæſiſſe videbatur, quale in Caſtanea equina conſpicere eſt, verùm non adeo amplum, durum tamen & ſolidum deprehendebam, adeo ut etiam limam quodammodo reſpueret: eam ob cauſam quem nucleum contineat mihi incompertum.

5. *Fructus orbicularis in ſummo lineâ trigonâ diſtinctus* C. B. *Fr.* 10. *à Jac. Gareto* * Cluſ. * *Exot. l.* 2. *c.* 16.

Cluſ.

Paulò major erat ſemunciâ, orbicularis pæne formæ, fuſci coloris, qui an oſſiculum duntaxat alicujus fructus eſſet nécne dubius eram; mirabilis enim erat ejus forma; nam ſuperna parte in tres æquales partes lineâ trigonâ quodammodo diſtinguebatur, illa viz. à ſummo in quo foramen ducta: infima autem parte tres illæ lineæ, æqualiter latera ſecantes ferè ad umbilicum pertingebant, h. e. ad duplicatas alias lineas quæ triangulum conſtituebant, in quarum medio erat umbilicus ſive foramen magis amplum quàm in ſuperiore parte, non tamen pervium, & interſtitium illud duplicatas lineas triangulum efficientes occupans paulò candidioris erat coloris quàm reliquus fructus: an verò nucleum contineret ignorabat Cluſius, quia motus aut agitatus nullum ſtrepitum edebat, aquâ tamen merſus ſubſidebat.

* Exot. l. 2. c. 19. 6. *Fructus orbicularis Arantium ſiccum referens octo venis diſtinctus* C. B. *Fr.* 2. *Jac. Plateau* * Cluſ. *Fr. Malo Aurantio reſiccato ſimilis, levis, aurei coloris, octo nervis diſtinctus* J. B.

Prorſus orbicularis erat formæ, quatuor enim unciarum erat ejus ambitus, ſive à pediculo circumferentiam metireris, ſive medio corpore, corio ſive cute tectus coloris ex aureo flaveſcentis, ut exiguum aureum Malum reſiccatum videretur; octo tamen nervos ſatis craſſos à pediculo ad ſummum fructum omni ex latere ductos habebat, eorúmque nonnullos geminos, alios quaternos ſimul junctos, alios ſingulares: valdè autem levis erat quia reſiccatus: breviter omnes notas habebat Mali Aurantii præter illam nervorum diſtinctionem.

7. *Fructus orbicularis fuſcus ſenis nervis diſtinctus ex Guinea* C. B. *Fr. orbicularis peregrinus* 3. Cluſ. *Ex. l.* 2. *c.* 10. *Fr. peregr. orbicularis ſenis nervis diſtinctus* J. B.

Cluſ.

Hic etiam prorſus orbicularis formæ erat, ſed ſenis duntaxat nervis diſtinctus, ab infima ſede ad extremum uſque per longitudinem rectâ lineâ excurrentibus, ſeſcunciam longus & craſſus, fuſci coloris, aliqua tamen ex parte cineracei, nucleum vel pulpam à cortice ſejunctam & liberam continens: levis tamen erat, & aquâ merſus innatabat.

8. *Fructus orbicularis ſpadiceus novem venis diſtinctus major* C. B. *Fr. orbic. peregr. nervis diſtinctus* 1. Cluſ. Ex. *l.* 2. *c.* 10. *Fr. peregr.* 9 *nervis diſtinctus* J. B.

Cluſ.

Non inelegans erat hic fructus, formæ orbicularis, ſex uncias in ambitu craſſus, tres longus, ductâ à petiolo cui inhærebat ad extremum fructum lineâ, h. e. in toto illo ambitu ſex unciarum longitudinem explens, novem nervis à ſummo ad pediculum, ſemunciam pæne longum, ductis diſtinctus; fuſci vel ſpadicei quodammodo coloris, levis, prægnans tamen, & nucleum vel pulpam reſiccatam cum ſeminibus continens, quia agitatus ſtrepitum edebat.

9. *Fructus peregrinus orbicularis novem nervis diſtinctus minor cum oſſiculo anguloſo* J. B. *Fructus orbicularis minor, novem venis, ut & ſemen, diſtinctus* C. B. *Fr. orbicularis peregr. nervis diſtinctus* 2. Cluſ. *Ex. l.* 2. *c.* 10.

Cluſ.

Orbicularis erat formæ, novem ſimiliter nervis à ſummo ad petiolum diſtinctus, minoribus tamen neque adeò eminentibus, longè etiam minor: nam trium duntaxat unciarum quaquaverſum ejus ambitus, nec ſtrepitum ullum edebat agitatus, quia maturitatem forſan nondum adeptus, & levis ut præcedens: hunc aperiebat Cluſius, & in eo multam pulpam cortici adhærentem inveniebat cum oſſiculo valdè inæquali, & totidem angulis quot fructus nervos habebat ad ſummum corticem pertingentibus diſtinctum, cui ſimile oſſiculum nullum vidiſſe meminit: qualem vero nucleum continere ignorabat quia confringere noluit.

CAP. IV.

Fructus figurâ oblongâ ovali C. B. pag. 405.

* Exot. l. 2. c. 13. 1. *Fructus ovi anſerini magnitudine fuſco-cinereus* C. B. *Fructus peregrini pulpa* * Cluſ. *Fructûs peregrini nucleus* J. B.

Cluſ.

ANſerini ovi magnitudinem æquabat, imò ſuperabat, quinque videlicet uncias pænè longus, $7\frac{1}{2}$ craſſus, ſive totidem ejus ambitus comprehendebat, valdè gravis, nucleus ſive pulpa cujuſpiam fructus veriùs quàm fructus cenſendus: nam mollis erat, tenui quadam & rugoſa membrana ex fuſco cineracei coloris tecta, unguibus (ſiquis premeret) cedens, coloris ſubflavi, ob vetuſtatem fortè, & ſalſi quodammodo ſaporis, qui an naturâ ipſius pulpæ, an arte acquiſitus ignoro: ſed haud dubiè aliquo putamine clauſa fuerat; nam membrana eum tegens veſtigia adhuc retinebat impreſſa à craſſioribus ipſius nucis internis nervis.

2. *Fructus ovi anſerini formâ* C. B. *Fr. orbicul. peregr.* 3. *Cluſ. Exot. l.* 9. *c.* 9.

Non valdè diſſimilis erat Fructui minori orbic. cineraceo ſtriato *C. B.* ſed longior & craſſior, ovi Anſerini forma & magnitudine: adſervabatur in eo Balſamum Peruvianum.

* Exot. l. 2. c. 16. 3. *Fructus ovalis fuſcus, nucleo Avellanæ ſimili* C. B. *Ja. Gareti* * Cluſ. *Fr. exoticus inæqualis coloris* J. B.

Cluſ.

Duro, denſoque cortice præditus erat, eóque inæquali & fuſci coloris, internè læviore & quodammodo cineraceo, media ejus parte fibroſa & firma: nucleum autem continebat Avellanæ ſuo

Putamine incluſæ magnitudine, gravem, durum, rugoſum (quia reſiccatus) in binas partes diviſum, ſolidum, interiore parte albicantem, in quo nullum manifeſtum ſaporem deprehendere poterat Cluſius, quia omnis vis ob vetuſtatem fortè evanuerat.

4. *Fructus ovalis putamine craſſo fibroſo* C.B. *Fr.* 3. *Jac. Gareti* Cluſ. *l. c.*

Oſſiculum veriùs alicujus fructus quàm fructum dici poterat, idque valdè duro & craſſo putamine præditum, quod externa parte multis fibris conſtabat, internâ verò nigrum & quodammodo ſaxeum, nucleum craſſum, durum & rugoſum continens. Ovali porro erat illud oſſiculum formâ, ſeſcunciam longum, unciam craſſum.

5. *Fructus ovalis fuſcus* C. B. *Fr. Miſcellaneus* 1. Cluſ. *Ex. l.* 2. *c.* 25. *Fr. Indicus ovalis rugoſus* J.B.

Seſcuncialis erat longitudinis, binas uncias aut amplior ejus ambitus; duro, inæquali, rugoſóque cortice conſtans, fuſci coloris, gravidus, h. e. alium fructum vel oſſiculum ſive pulpam continens, nam agitatus ſtrepitum edebat. Apertum nucleum continere deprehendit Cluſius, craſſum, ejuſdem cum ipſo fructu formæ, cavum intus & inanem, ſubſtantiâ tamen fuſcâ conſtantem, & ſapore quaſi vetuſtæ & rancidæ Amygdalæ.

6. *Fructus ovalis lapidi Judaico ſimilis ex fuſco nigricans* C. B. *Fr. peregrinus ovatus, ſimilis lapidi Judaico* J.B. *Fr.* 2. *cap.* 30. *l.* 2. Cluſ. *Exot. Cluſ.*

Judaico lapidi magnitudine par erat, & ejus formam exceptis ſtriis pulcherrimè exprimens, ex rufo nigricantis coloris eſt, ut majores nonnullæ gallæ, levis & aquæ impoſitus ſupernatans, duro putamine conſtans, ac nucleum continens.

E Guinea delatus erat. *Locus.*

7. *Fructus olivæ oſſiculum referens* C. B. *Fr. minor* 5. *Paludani* Cluſ. *Exot. l.* 2. *c.* 20. *Baccæ cujuſdam prægrandis oſſiculum* J. B.

Baccæ cujuſdam prægrandis oſſiculum videbatur, formâ Olivæ oſſiculum utcunque referens, longè tamen majus, utpote ſeſcuncialis longitudinis, uncialis verò latitudinis, rugoſum, ſolidum, nucleum in ſe continens ut ex agitati ſtrepitu conjecturam facere licebat *Cluſio.*

8. *Fructus ovalis ſpadiceus* C. B. *Nux peregrina* 2. Cluſ. *Ex. l.* 2. *c.* 13. *Nux orbicularis peregrina, glabra, ſpadicea* J. B. *Cluſ.*

Nux hæc orbicularis pæne formæ erat, paulò tamen longior: nam illius ambitus, ſumptâ utrinque per longitudinem menſurâ 5½ uncias continebat, vix autem quinque unciarum erat circumferentia; inferna parte nonnihil mucronata, ſuperna verò obtuſiore, duro & ſatis glabro putamine conſtans, ſpadicei coloris & nucleum continens, ut ex agitatæ ſtrepitu conjecturam facere poterat Cluſius: alio verò involucro tectam fuiſſe certum eſt, quale porro id fuerit, aut quali in arbore nata intelligere nequivit Cluſius.

9. *Fructus oblongus fuſcus ſtriatus* C.B. *Fr. exoticus* 3. *Petri Paauw* * Cluſ. *Fructus fuſcus durus ſtriatus ſtrepitum edens* J. B. * *Exot. l.* 2. *c.* 24.

Paulò longior erat unciâ: trium verò unciarum ambitum (qua parte craſſior) continebat, colore fuſco præditus, durus, ſtriatus, in obtuſum mucronem deſinens, in quo oſſiculum vel nucleus incluſus, quia agitatus ſtrepitum edebat.

10. *Fructus oblongus arcuatus fuſcus* C. B. *Fr.* 1. *è navigat. Batav.* * Cluſ. *Fr. exot. prona parte in arcum elatus, ſupina planus, fuſcus* J. B. * *Exot. l.* 2. *c.* 15.

Binas pæne uncias latus erat, paulò autem longior, prona parte in arcum elatus, ſupinâ planus, denſo, craſſo, duróque cortice præditus, fuſci coloris & quando immaturus quodammodo ſpadicei, materiâ ſpongioſâ, firmâ tamen conſtans; nucleum verò continebat uncialem, planum, durum, fuſci coloris externa parte, ſubrubentem internâ, in binas partes diviſum, quadam adſtrictione initio præditum, deinde ſalivam cientem, tenui ſpadicea membrana involutum.

Ex Java. **Locus.**

11. *Fructus oblongus fuſcus ſplendens* C.B. *Fr.* 1. *cap.* 18. *l.* 2. Cluſ. Exot. *Coxco Cypote dictus; Nux ſive Oſſiculum Cypote, ſimile Nuci Balſami Peruviani* J. B.

Non valdè abſimilis erat illi, qui Cluſio aliquando miſſus pro fructu ejus arboris, quæ liquorem illum Balſami appellatione donatum in inſula *Hayti* ſive Hiſpaniola profert, ſed minor, nec ſpadicei ut ille coloris, ſed fuſci prorſus, & præ lævore ſplendens, ventre ſive inferna parte cineracei coloris, non lævi ut ſuperna, ſed ſcabra. Alio fructu haud dubiè incluſus fuerat, nam oſſiculum duntaxat erat alterius fructûs: qualis autem fuerat arbor quæ fructum pertulit, aut qua in provincia nata, nihil erat adſcriptum. Agitata nullum ſtrepitum edebat, nec in aqua ſubſidebat.

* Exot. l. 2. c. 22. 12. *Fructus oblongus cineraceus nervis craſſis* C. B. *Fr.* 3. *Parduini* * Cluſ. *Cunane nuci ſimilis cinerei coloris* J. B.

Longus erat $2\frac{1}{2}$ uncias, quâ parte latiſſimus unciam aut paulò amplius latus; forma ei nonnihil convexa, dorſum elatum & aſſurgens, arctius caput, infima pars in mucronem deſinens, cineraceus color, craſſiores eminentioréſque nervi, à ſummo capite ad infimam partem per dorſum excurrentes, tanta arte expreſſi ut humanâ induſtriâ ſculptos quis arbitrari potuiſſet: Alio autem cortice tectum fuiſſe veriſimile eſt, qui aſſidua à fluctibus marinis in litore volutatione attritus fuerit: conſtabant verò illi nervi ex fibroſâ materie, quemadmodum infima pars nonnihil attrita fidem faciebat. Ad nucis porrò *Cunane* formam valde accedebat, excepta illa nervorum eminentia, tum etiam colore, qui in *Cunane* prorſus ater erat.

* Exot. l. 2. c. 16. fr. 12. 13. *Fructus oblongus cineraceus acidulus* C. B. *Oregioella ex quo Cacao potionem conficiunt* * Cluſ.

14. *Fructus oblongus cortice flavo-ſpadiceo* C. B. *Fr.* 13. *cap.* 16. *lib.* 2. *exot.* Cluſ. *Fr. Braſilianorum pernicioſus* J. B.

Uncialis longitudinis erat, non tam denſo quàm lento cortice tectus, ſpadicei ex flavo coloris, nucleum continens cineraceo colore præditum, & tenui nigerrimâque & ſplendente membranâ obvolutum, præterquam infima parte, quæ aut candicans, aut (detersâ membranâ) nuda, quantum Cluſio obſervare licebat in fructu imperfecto.

Braſiliani pernicioſum eſſe dicebant.

15. *Fructus oblongus lobum referens niger* C. B. *Fr.* 14. *c.* 16. *l.* 2. *exot.* Cluſ.

Splendens præ nigredine erat, uncialem fermè longitudinem, & minimi digiti craſſitudinem æquans vel etiam amplior, parvum quendam lobum formâ referens, mucrone roſtellum aviculæ quodammodo repræſentante: exalbidam pulpam continebat, in qua latebant bina aut terna ſemina ſpadicei coloris, Malorum vulgarium ſeminibus pæne ſimilia.

CAP. V.

Fructus Pyriformes C. B. p. 406.

1. *Fructus pyriformis major rugoſus niger binis cellulis diſtinctus* C. B. *Fr. exoticus* 1. *cap.* 24. *lib.* 2. Cluſ. exot. *Pyriformis fructus rugoſus niger, duro corio tectus* J. B.

Cluſ. TUrbinatus erat, Pyrique formam æmulabatur, $2\frac{1}{2}$ uncias longus, $4\frac{1}{2}$ ambitu, levis tamen, rugoſus, prorſus niger, adeò duro & tenaci corio tectus licet non valdè denſo, ut difficulter cultro niſi malleoli vi adacto aperire poſſet Cluſius. Apertum binas cellas habere deprehendebat, membrana quadam fuſcâ & ſplendente diſtinctas, in quarum ſingulis nucleus bifariam diviſus, media etiam intercurrente membranâ, quemadmodum ferè in Nuce Juglande. Totus nucleus ſitum vetuſtate contraxerat, & initio quidem ſapore nullo manifeſto præditus videbatur, diutiuſculè tamen in ore retentus quandam acrimoniam habere, & tandem fauces quodammodo urere comperiebat.

2. *Fructus Pyriform. minor ſpadiceo-cinereus* C. B. *Fr. exot.* 2. Cluſ. *l. c. Pyriformis fructus levis, ſpadicei coloris, fragili cortice tectus* J. B.

Cluſ. Hic etiam $2\frac{1}{2}$ uncias longus erat, minùs tamen craſſus; nam ambitus ejus trium duntaxat unciarum erat, lævis totus & ſpadicei cum cinereo mixti coloris in longum mucronem deſinens, fragili cortice conſtans, qui an alio operimento tectus fuerat Cluſium latebat: Pulpam autem continebat nigram in qua oſſiculum latebat, uncia magis longum, durum, cineracei ex fuſco coloris, obtuſo mucrone præditum, & ſumma parte in uno latere veluti exſculptum; in quo haud dubiè nucleus latebat, licet nullum agitatus ſonitum ederet.

CAP. VI.

Fructus orbiculares & rotundi & ovales tuberculis obſiti C. B. p. 406.

* Exot. l. 2. c. 22. 1. *Fructus orbicularis fuſcus tuberculis obſitus* C. B. *Fr.* 2. *Parduini è Guinea* * Cluſ. *Oſſiculum fructus orbiculare, aliquantulum mucronatum, tuberculis obſitum fuſcum* J. B.

Cluſ. UNcialis erat longitudinis, ſed oſſiculum fructûs veriùs quàm fructus, orbiculari pæne formâ præditum (niſi qua parte fructus ipſe quo continebatur è pediculo pependerat, & extima, quæ aliquantum mucronata) trium ferè unciarum ambitu, fuſci coloris, durum & perpetuis tuberculis obſitum, in quo tamen apparerent veluti triangularis formæ veſtigia in utraque extremitate, ſolidum, grave, aquæ tamen innatans, nec ſidens etiamſi eâ mergatur.

Locus. E Guinea allatus eſt.

2. *Fructus orbicularis cineraceus tribus foraminibus donatus* C. B. *Fr.* 8. *cap.* 16. *l.* 2. *Exot.* Cluſ. *Fr. orbicularis ferè cum tribus ſulcis & tribus foraminibus* J. B.

Cluſ.

Formam orbicularem habebat, paulò tamen planior erat ſuperna & ſeſſili parte, unciam latus, ſolidus, nec ullum ſtrepitum dum agitaretur edens, cineracei coloris, tribus canaliculis ſive ſulcis diſtinctus, à ſummo uſque ad tria foramina quæ in lateribus obtinebat, tribus aliis minoribus ſumma parte præditus.

3. *Fructus rotundus flavus tuberculis obſitus linea eminentiore tranſverſa* C. B. *Fr. peregrinus* 4. Cluſ. *Exot. l.* 2. *c.* 30. *Fr. peregrinus tuberoſus major Cluſio* J. B.

Cluſ.

Huic ſphærica ferè erat forma, magnitudo pæne uncialis, putamen admodum craſſum & durum, perpetuis tuberculis undique obſitum, flaveſcentis coloris, linea eminentiore tranſverſum ſecante, quam ut in Juglandibus putaminis conjunctionem & commiſſuram eſſe arbitrabatur Cluſius.

4. *Fructus rotundus flavus tuberculis obſitus* C. B. *Fr. peregrinus* 5. Cluſ. *l. c.*

Cluſ.

Sphæricæ prorſus erat huic formæ, magnitudo globuli minoris ſclopi, putamen ejuſdem cum præcedente coloris & perpetuis etiam tuberculis, non adeò tamen craſſis, obſitum, nullâque lineâ cinctum.

5. *Fructus ovalis ex fuſco ſubrubens, tuberculis mucronatis obſitus* C. B. *Fr.* 5. *c.* 1. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *Fr. Exot. Stramoniæ modo tuberculis obſitus* J. B.

Cluſ.

Seſcuncialis erat longitudinis, unciam latus; paulò enim planiore erat formâ, colore ex fuſco ſubrubente, totus tuberculis leviter mucronatis obſitus, perinde fermè atque Stramoniæ fructus. Nucleum autem continebat fuſcâ quadam membrana tectum, oblongiuſculum, lævem, ſpadicei coloris, qui albeſcentem medullam continebat, ſed duram quia ſicca & quodammodo inſipidam.

6. *Fructus Olivæ oſſiculum referens, tuberculis obſitus* C. B. *Fr.* 6. *cap.* 20. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *Fr. Olivæ oſſiculum referens, rugoſus cum tribus lineis* J. B.

Unciam craſſus erat, ſeſcunciam ferè longus, formâ etiam Olivæ oſſiculum quodammodo referens, minor tamen, rugoſus, & veluti frequentiſſimis tuberculis obſitus tribus nervis ſecundùm longitudinem diſtinctus; extrema altera parte obtuſa, altera verò mucronata, ſatis gravis, & nucleum aut tale quidpiam continens, ut ex agitatione conjiciebam; in aquam injectus non mergebatur. Alterius fructus haud dubiè oſſiculum.

7. *Fructus oblongus cineraceus durus tuberculis exaſperatus* C. B. *Fr.* 1. *cap.* 19. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *Fr. Exot. cinereus cum lineis & tuberculis duris* J. B.

Binas uncias cum ſemiſſe longus erat, quatuor in ambitu craſſus, cineracei coloris, quem aliquo operimento tectum fuiſſe arbitrabar: in quinque partes dividi poſſe venæ per longitudinem ductæ indicabant, alioqui eminentibus aliquot tuberculis inſtar veſicularum obſitus erat, quæ aperta inanes & inæquales lacunas oſtendebant, ſpadicei coloris & ſplendentis, quaſi ſemen aliquod continuiſſent. Valdè durus autem erat is fructus & adſtringente facultate præditus.

8. *Fructus cordis formam referens, fuſcus tuberculis inæqualis* C. B. *Fr. minor* 2. *cap.* 20. *lib.* 2. Cluſ. *Exot. Fr. planus formâ cordis cum multis tuberculis* J. B.

Cluſ.

Planus erat, binas uncias longus, totidem latus ſumma parte, cordis, ut vulgo pingitur, formam quodammodo referens, multis tuberculis eminentibus inæqualis, fuſci coloris, levis, aliquantulum carioſus, quia immaturus collectus fuiſſe videbatur. An aliquo putamine incluſus fuerit me latet, inquit Cluſius: quia nullum petioli à quo pependiſſet veſtigium in eo apparebat.

CAP. VII.

Fructus angulis donati C. B. p. 406.

1. *Fructus orbicularis fuſcus trifidus, granis refertus* C. B. *Fr.* 5. *cap.* 25. *l.* 2. Cluſ. *Exot.*

Seſcunciam longus erat, media parte craſſior, extremis gracilioribus, qui è multis fibris contextus videbatur, ſed adeò firmis, ut fruſtra cultello aperire tentaret Cluſius, coloris fuſci, pelle tamen ſpadicea lævi & ſplendente tectum fuiſſe reliquiæ quas adhuc retinebat indicium faciebant; atque licèt non adeò gravis videretur, aquâ tamen merſus ſubſidebat.

2. *Fructus rotundus inæqualis cineraceus ſaxeus* C. B. *Fr.* 6. *Camiri Indis* Cluſ. exot. *l.* 2. *c.* 15. *Fr. Juglandis ferè magnitudine duriſſimus, Indis* Camiri, *ſapore nucis moſcatæ* J. B. *Cluſ.*

Uncialis erat magnitudinis, Nuci Juglandi ſuo illo viridi externo cortice exemptæ non diſſimilis, inæqualis, ſumma parte latior, infima in obtuſum mucronem propemodum deſinens, putamine ſatis craſſo ſaxeæ duritiei præditus, nucleum continente album, Amygdalæ pæne ſapore. Alio fructu ſeu externo cortice opertus fuiſſe videbatur, quia depreſſioribus putaminis locis cineraceam quandam materiam adhuc inhærentem retinebat. Uberiorem hujus fructûs deſcriptionem vide apud Cluſium Exot. lib. 2. cap. 29. Fr. 2. p. 57. aut J. Bauhinum Hiſt. lib. 3. cap. 40.

3. *Fructus in gibbum extuberans cortice reticulato villoſo* C. B. *Peregrinus fructus reticulato corio* * Cluſ. *Fr. reticulato corio peregrinus* J. B. *Cluſ.*

* *Exot. l.* 2. *c.* 11.

Duro corio, & multis fibris retis in modum quodammodo inter ſe intertextis & duris contecto præditus erat, foris quidem inæquali & rudi, intus verò lævi & ſplendente, coloréque ad ſpadiceum tendente, 3½ uncias longus, binas & ampliùs latus, ſupernè in gibbum extuberans, infernè planus ferè, nucleum continens craſſum, plenum, ſucculentum, & qui in navi, quâ recens ex Guinea advectus fuerat, jam germinare inceperat.

Alterius ejuſdem generis fructus nucleus ſolidus erat, quia tamen vetuſtus, rugoſus foris. Non eſt autem hic fructus Nux ſed Pruni cujuſdam Indici oſſiculum: Ad Mangam det referri.

4. *Fructus anguloſus cineraceus cortice fibroſo* C. B. *Fr. miſcellaneus* 2. *cap.* 25. *lib.* 2. Cluſ. Exot. *Fr. exot. oblongus, anguloſus, cineraceus* J. B. *Cluſ.*

Seſcuncialis erat longitudinis; binas uncias aut amplior ejus ambitus, non in rotunditate oblongus, ſed anguloſus, cortice inæquali & valdè fibroſo, cineracei foris coloris, internè fuſci, levis, aquæ dum eâ mergebatur innatans, nucleum continens prorſus rugoſum, (quia fortè antè maturitatem lectus) & ſubſtantia rufeſcentis, adſtringentíſque ſaporis.

5. *Fructus niger in duas partes ſeparabilis acidiuſculus* C. B. *Fr.* 18. *cap.* 16. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ.

Valdè rugoſus nigríque coloris nucleus erat, in binas partes ſeparabilis, exilis, ſubſtantiâ, quia reſiccatus, durâ, acidiuſculi ſaporis, an aliquo oſſiculo aut putamine tectus fuerat Cluſium latebat.

6. *Fructus Avellanæ magnitudine, putamine velut in duas partes diviſo* C. B. *Fr. peregrinus* 4. *c.* 29. *l.* 2. *Exot.* Cluſ.

Ponticæ nucis magnitudine erat, ejuſdem coloris, putamine duro, velut in duas partes diviſo, nucleum continens, ut ex ſtrepitu conjiciebat Cluſius. Nucleus albus, dulcis, quem ad Unguentariæ nucis genus aliquod referendum eſſe cenſebat idem.

Ex Africa delatus eſt.

7. *Fructus ſubrotundus cineraceus duplici angulo* C. B. *Fr. exoticus* 9. *cap.* 15. *lib.* 2. Cluſ. exot. *Fr. exot. duobus angulis diſtinctus* J. B.

Unciam longus erat, minus uncia latus, cortice denſo conſtans, cineracei coloris, duobus angulis diſtinctus, & extima parte mucronatus, levis & in aqua haud ſubſidens, tametſi eâ mergeretur, durus tamen & agitatus ſtrepitum non edebat.

8. *Fructus triangularis fuſcus* C. B. *Fr. peregr. minor* 4. *cap.* 20. *lib.* 2. Cluſ. exot. *Fr. triangularis ſciſſuras oſtendens* J. B.

Triangularis formæ erat, eminentibus tribus angulis, & ſciſſuras oſtendentibus, ex quibus in ternas partes facilè dividi poſſe intelligere licebat. Levis erat, & aquæ innatans, nec imum petens, tametſi diuturno tempore in ea hærens; foris fuſci coloris, an quicquam interiore parte contineret ignorabat Cluſius, arbitrabatur tamen pulpam continere, licet agitatus nullum ſtrepitum ederet.

9. *Fructus pentagonus tuberibus inanibus obſitus* C. B. *Fructus minor* 9. *cap.* 20. *lib.* 2. Cluſ. exot. *Fr. pentagonus vel oſſiculum* J. B. *Hiſt. lib.* 2. *cap.* 23.

Pentagonus erat hic, veriùs fructûs oſſiculum dicendus, uncialis longitudinis, quod ex quinque velut longis teſſellis compactum, quibus ſublevatis longus nucleus in ſingulis apparebat, ſed inanis & membranaceus duntaxat, totum oſſiculum tuberibus inanibus erat obſitum: Illud unicum habebat, & quidem vetuſtate velut attritum.

10. *Fructus oblongus pentagonus fuſcus* C. B. *Fr. exoticus* 2. *cap.* 15. *lib.* 2. Cluſ. exot. *Fr. exoticus Bamiæ inſtar anguloſus* J. B. *Hiſt. l.* 3. *c.* 108.

Binas ferè uncias longus erat, unam craſſus, in quinque angulos diſtinctus, inſtar pæne fructus Bamiæ, durus, fuſco colore (cui albedo permixta) præditus, ſolidus, h. e. nullum ſtrepitum quamvis agitaretur edens, levis & in aqua non ſubſidens.

11. *Fructus criſtatus ſpadicei coloris* C. B. *Fr.* 11. *cap.* 15. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ.

Cujuſdam fructûs oſſiculum videbatur, uncialis fere longitudinis, ſemuncialis craſſitudinis, lævi ſpadiceíque coloris putamine tectum, ſupernè quodammodo criſtato, & coloris albi, atque paulò infra conum illum ad latus veſtigio apparente quo pediculo ſuo inhæſerat.

Inter Aromata repertum fuerat cum ſeminibus Tamarindorum.

Cap. VIII.

Fructus exotici miſcellanei è Cluſio, Jo. Bauhino & aliis.

1. *Fructus in orbem convolutus fuſcus* C.B. *Fr. minor* 11. *cap.* 20. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *Nucleus nucis quodammodo convolutus* J. B.

IN orbem quodammodo convolutus erat, nucleus veriùs quàm fructus, qui putamine aut nuce aliqua concluſus fuiſſe videbatur; ſolidus tamen, & fuſci exteriùs coloris, internè albus, non ingrati quidem ſaporis, ſed acidiuſculi, quem tamen vermiculi albi, iis non diſſimiles qui in Ponticis ſive Avellanis nucibus generantur ſed minores valdè appetebant, & brevi totum erodebant.

2. *Fructus è* 4 *membranaceis foliis compoſitus, nucleo orbiculari* C. B. *Fr.* 17. *cap.* 15. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *Admirabilis fructus Indus* J. B. *hiſt. l.* 3. *c.* 15.

Admirabilis erat formæ; quatuor enim membranaceis foliis ex adverſo inter ſe oppoſitis ex eodem tamen pediculo prodeuntibus conſtabat, quæ ſuperna & extima parte velut coeuntia, oſſiculum infima parte ipſi inhærens & fragile occultabant, in quo nucleus orbicularis formæ, Nucis moſchatæ magnitudine continebatur, foris fuſcâ & fungoſâ quadam materiâ obſitus, durus, ut qui reſiccatus internè albus, & corneæ duritiei. Membranacea illa folia multis nervis erant diſtincta, & rhomboidis formæ, atque uncialem longitudinem & latitudinem habebant. Ex India Orientali.

3. *Fructus è multis fibris contextus ſpadiceus. Fr.* 6. *cap.* 25. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ.

Cluſ.

Seſcunciam longus erat, media parte craſſior, extremis gracilioribus, qui è multis fibris contextus videbatur, ſed adeò firmis ut fruſtra cultello aperire tentaret Cluſius, coloris fuſci, pelle tamen ſpadicea, lævi & ſplendente tectum fuiſſe reliquiæ quas adhuc retinebat indicium faciebant: atque licet non adeò gravis videretur, aquâ tamen merſus ſubſidebat.

4. *Fructus metæ figuram referens cineraceus* C.B. *Fr. minor* 3. *cap.* 20. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *pro Balſami Peruani fructu miſſus. Balſami Peruviani fructus metæ formâ* J. B.

In aquam conjectus non mergebatur, licet ſatis gravis & nucleum contineret, ut ex ſtrepitu quem agitatus edebat conjectabatur Cluſius: uncialem ſuperabat magnitudinem, metæ formam quodammodo referens, h. e. ab ampla baſi ſenſim gracilior aſſurgens, cineracei ferè coloris. Ad Paludanum miſſus eſt pro fructu Balſami Peruviani & ſane convenire videtur cum fructu Balſamiferæ arboris *Copaibæ* dictæ apud Piſonem.

5. *Fructus Javanenſis quadrangulus, cortice reticulato ſpadiceo* C. B. *Fr. peregrinus tetragonus* J. B. Cluſ. *Exot. l.* 2. *c.* 5.

Quadrangularis erat formæ, nitido & lævi cortice tectus, ſeptem uncias à ſummo faſtigio ad pediculum uſque longus, pedem cum ſemiſſe craſſus, ſive ſeſquipedalis ejus ambitus, ſinguli enim anguli $4\frac{1}{2}$ pæne uncias diſtabant ab invicem. Cortex valdè denſus, ex multis fibris, retis quodammodo forma contextis conſtans materiam fungoſam intermixtam continebat, corioque ut dixi lævi & ſplendente, ſpadicei coloris exteriore parte tectus erat. Tota tamen nux valdè levis pro ſua magnitudine. Intus oſſiculum continebat [minor ejuſdem generis quem aperuit Cluſius] ab infima ſede latiore in metam aſſurgens, craſſiuſculum, molle tamen (quia fructus immaturus) ſubrubente cute tectum, acidi ſaporis, ſicut etiam nucleus qui in eo continebatur candidâ membranâ tectus.

Prægrandis alicujus Palmæ fructum eſſe conjectabatur Cluſius.

6. *Nux ſive oſſiculum fructus ex Palmarum genere* J. B. *Fr.* 3. *tabellæ* 3. *cap.* 14. *lib.* 2. Cluſ. exot.

Cluſ.

Nux aliqua erat ſive oſſiculum fructûs ex Palmarum generibus, cui villi qui illam veſtiebant adempti fuerant; nam valdè terſa & polita erat, multíſque venis nigris à ſummo ad imum diſtincta, præſertim iis quæ à tribus veluti umbilicis, æquali propemodum ſpatio ab invicem diſcretis, originem ducebant, & magnam venuſtatem nuci adferebant. Alioqui nux binas uncias longa erat, ejus ambitus $3\frac{1}{2}$ continebat; umbilici autem pæne unciam ab invicem diſtabant. Duro cortice nux illa erat prædita, & nucleum continere ex motu ſtrepitum ciente manifeſtum erat.

7. *Semen Tamarindi ſemini ſimile, una extremitate dentatum* J. B. *Fr.* 20. *c.* 16. *l.* 2. *Exot.* Cluſ. *Tamarindus ſimile ſemen ſpadiceum.*
Cluſ.

Hoc ſemen (inquit Cluſius) cujus fructûs fuerit ignoro, quòd quidem Tamarindi ſemini non valdè diſſimile erat figurâ, ſed magis planum & oris magis compreſſis, cortice ſpadicei coloris tectum, ſemen continente album, durum & ob vetuſtatem rancidum. Ipſum ſemen cum ſuo cortice ab una extremitate dentatum.

8. *Semen fructûs exotici, fortè Cucurbitacei* J. B. *Fr.* 19. *cap.* 16. *lib.* 2. *exot.* Cluſ.

Non fructus, ſed alicujus fructus ſemen videbatur Cluſio, vel Cucurbitacei generis, vel alterius cujuſpiam; nam ſimilem quodammodo formam habebat, licet aliquantulum craſſior, nec adeo rugoſus, verùm lævi, colorīſque vel ſpadicei vel ex ſpadiceo flaveſcentis cortice tegeretur: ſed nec hujus generis ſemina ejuſdem erant magnitudinis.

9. *Cucurbitacei generis peregrinus fructus à Franc. Peninio Cluſ. exot. l.* 2. *c.* 12. *Fr. Indicus Pyriformis, granis intus nigris, Cucurbitini generis* J. B.

Quinque pæne unciarum longitudine erat à pediculo ad ſummum mucronem: ambitus qua parte craſſior fructus 9½ uncias explebat, à pediculo ſatis craſſo ſenſim tumeſcens, deinde à medio corpore paulatim in acutum mucronem deſinens, fuſco duróque cortice conſtans, cujus interna pars valdè levis erat, cineraceique ex fuſco coloris, continens pulpam ſpongioſam nigram mollem, acidiuſculi ſaporis, in globum compactam, in qua latebant aliquot grana nigra, pæne orbicularia, compreſſa tamen & magis lata quàm longa, in binas partes ſectilia, quemadmodum Cucurbitarum & ſimilium ſemina, ſic ut Cucurbitacei generis alicujus plantæ fructum eſſe ſibi perſuaderet Cluſius.

10. *Peregrina nux* 1. Cluſ. exot. *l.* 2. *c.* 13. *Fructus ſubrotundus rugoſus ater* C. B. *Fr. planus, rugoſus, niger, ſemina continens* J. B.

Planus erat, duas uncias longus, paulo plus quàm duas latus, ſemunciam craſſus, totus rugoſus & ater, denſo duróque putamine conſtans, & ſemina continens, ut ex ſtrepitu quem agitatus faciebat deprehendere poteram, inquit Cluſius. Alio integumento haud dubie tectus fuerat; nam alterius fructus oſſiculum ſive nucem eſſe apparebat.

11. *Fructus* 2. *cap.* 14. *lib.* 2. Cluſ. exot. *Nux orbicularis cineracei coloris* J. B.
Cluſ.

Fructus hic, ſeu veriùs nux, orbicularis erat formæ, variæ tamen magnitudinis (plures enim conſpiciebat Cluſius) quorum nonnulli ternas, alii binas duntaxat uncias ambitu comprehendebant, omnes duro ſed non craſſo præditi cortice, cineracei foris coloris, & qui alio operimento tecti fuiſſe viderentur. Interna nucis pars fuſca & ſplendens, atque nonnulla ex parte (qua videlicet nuclei quem continebat faſtigium tegebat) fungosâ materiâ plena: nucleus autem inferiore parte craſſior erat, deinde in metam quodammodo aſſurgebat, & in nutantem mucronem deſinebat, coloris exteriùs ſubpunicei, ſubſtantia ſatis molli, & interiore parte flaveſcente præditus, injucundi odoris, & valdè ingrati ſaporis, ut non mirer eos qui ediſſent malè affectos fuiſſe, quemadmodum mihi referebant qui obſervaverant.

12. *Fructus primus tabellæ* 2. *cap.* 14. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *Nucis Amygdalinæ pæne cortice fructus, rugoſus, ſubrufi ex fuſco coloris, unâ parte planus* J. B.
Cluſ.

Fructus hic ſive Nux (nam alio operimento tectus fuiſſe videbatur) 2½ uncias longus erat, ſeſcunciam latus aut paulo amplior, Amygdalinâ pæne formâ, rugoſus, dorſo aliquantulum ſublevato, ſupina parte plana, & infima latiore quam ea qua è pediculo pependerat, ſubrufi ex fuſco coloris, non valde gravis, licet denſiſſimo corio conſtans, ut quòd ſemuncialis fere eſſet craſſitudinis, multīſque fibris obliquè & tranſverſim ſeſe ſecantibus contextum, & adeò durum ut aperire nequiverit Cluſius ad conſpicandum quid contineret, niſi cultro magna vi cum malleo adacto: geminum autem& oblongum nucleum continere deprehendit, nigrâ membranâ ſeptum, interna quidem parte albicantem, dulcīſque ut Amygdala ſaporis, niſi ranciditatem ob vetuſtatem contraxiſſet.

13. *Fructus ſecundus tabellæ* 2. *cap.* 14. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *Fr. inferna parte planus membranâ ſpadicei coloris tectus* J. B.
Cluſ.

Ejuſdem erat longitudinis, minùs tamen craſſus, inferna parte planus, ſuperna in gibbum aſſurgens, infima parte qua pediculo adhæſerat latior quàm extima, quæ in obtuſum mucronem deſiiſſe videbatur: membrana autem dura & ſplendens ſpadiceīque coloris fuſcum corticem tegebat, continentem nucleum ſive pulpam quandam cineracei ex albo coloris, quæ ore aliquantulum retenta in farinaceam materiam reſolvebatur, quadam acrimoniâ præditam.

14. *Fructus tertius tabellæ* 2. *cap.* 14. *l.* 2. *Exot.* Cluſ.

Meſpilo Setanio non erat valdè diſſimilis, ejuſdémque pæne magnitudinis, capite tamen non plano ut illud, ſed in anguſtum contracto; vetuſtate rugas contraxerat, & ſatis fragili cortice conſtabat,

bat, fuſco, nullius ferè ſaporis, qui tamen ore retentus nonnihil adſtrictionis cum pauca acrimonia conjuncta poſſidere videbatur. Quina introrſum oſſicula Meſpili inſtar continebat, ſed majora & non rugoſa ut illa, verùm valdè lævia & ſplendentia, ſpadiceíque coloris, & nucleum continentia.

15. *Fructus quartus tabellæ* 2. *cap.* 14. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *Fr. orbicularis ferè formæ, fuſci coloris* J. B.

Cluſ.

Præcedente minor & fere orbicularis erat figuræ, uncialis magnitudinis, lævis, fuſci coloris, brevi quidem ſubnixus pediculo, ſed cortice ſatis duro, tametſi non valdè craſſo præditus, qui apertus (nam in binas partes dividi poſſe ex ſignis apparebat) quatuor grana nigra continere deprehendebatur, ſemunciam lata & longa, cordis humani formam quodammodo referentia, ſed magis plana, binis duris membranis, ut in nuce Juglande, illa ſeparantibus.

16. *Fructus primus tabellæ* 3. *cap.* 14. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *Fructus oſſicula terna aut quaterna ſimul juncta continens, &c.* J. B.

Hic ſive fructus, ſive veriùs oſſiculum fructûs (terna enim aut quaterna ſimul conjunctim nata fuiſſe videbantur alio quodam fructu incluſa) binas uncias longum erat, totidem latum, media parte tumente & ſeſe attollente planis & compreſſis lateribus, quæ fidem faciebant bina minimùm alia adjuncta fuiſſe, cortice non valde duro præditum, externa parte rugoſum & ſcabrum, cineraceíque coloris, internâ autem læve & candidum, magnum nucleum continens, prorſus implentem corticem, ſolidum quidem, non tamen durum, tenui membrana tectum: ipſi autem interna materia ſive pulpa nucis unguentariæ pæne odorem habebat, ſed acriuſculum ſaporem, an ob vetuſtatem ignorabat Cluſius.

17. *Fructus ſecundus tabellæ* 3. *cap.* 14. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *Fr. orbicularis craſſi corticis, tuberculoſi, nigri coloris* J. B.

Orbicularis propemodum erat, binas uncias longus, quatuor unciarum ejus ambitus, craſſo præditus cortice, inæquali & multis tuberculis obſito, nigri extrinſecùs coloris; intrinſecùs ſubruffi, continens nucleum tenui, cineracei coloris membranâ tectum, odoris non inſuavis, ſed violam quaſi referentis, & non ingrati ſaporis. Craſſo pediculo ſubnixum fuiſſe videbatur, ut ex veſtigio cui inhæſerat conjecturam faciebat Cluſius.

18. *Fructus quartus tabellæ* 3. *cap.* 14. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *Fr. peregr. exiguus orbicularis cum ſex nervis* J. B.

Valdè exiguus erat, & orbicularis pæne formæ, vix ſemuncialis longitudinis, lævi cortice præditus, & ſex quaſi nervis eminentioribus, à pediculo ad ſummum caput æqualiter diſtante fere ſpatio excurrentibus diſtinctus, fuſci coloris: quid verò contineret me fugit (inquit Cluſius) quia agitatus & commotus nullum ſtrepitum edebat.

19. *Fructus quartus cap.* 15. *lib.* 2. Cluſ. exot. *Lobus orbicularis fuſcus, ſpinoſis tuberculis obſitus, binos phaſeolos nigros continens* C. B.

Orbicularis erat fructus ſive lobus, planus, uncialis magnitudinis, infima parte in mucronem deſinente, ſpinoſis ſubrubentibúſque tuberculis undequaque obſitus, cultelli dorſo non craſſior, pediculum ad orbis latus habens, & totius lobi color fuſcus. Omnes autem hujus generis quos conſpiciebat Cluſius, in medio pertuſi erant, ut funiculo trajecti ad commodiùs & faciliùs, ut arbitrabatur Cluſius, exſiccandum ſuſpenderentur. Singuli verò lobi ſive fructus binos phaſeolos continebant ſeminum Anagyridis formâ & magnitudine, prorſus nigro; ut conjectaretur Cluſius eos lobos ante quam pertunderentur non adeò planos fuiſſe, ſed aliquatenus tumentes. Indi Samparantan appellabant. Quandoquidem autem filo trajecti aſſervabantur apud illos in aliquo uſu fuiſſe neceſſe eſt, ſed quali intelligere nequivit Cluſius.

20. *Granis Paradiſi ſive Melegetæ affinis fructus* C. B. *Fr.* 14. *ſive Melegueta ſpuria* Cluſ. *exot. l.* 2. *c.* 15.

Elegantis alicujus plantæ hunc fructum fuiſſe rebatur Cluſius, quæ fortaſſe creſcat Cannæ Indicæ vulgò vocatæ modo: nam caulis ſuprema pars capita ſive ſiliquas ſuſtinens prorſus ſimilis mihi videbatur, lenta ut illius & fibroſa, multíſque foliolis ceu appendicibus ſepta. Quæ folia, quem florem proferat nemo Cluſio indicare poterat. Erant porro hæc capita binas uncias longa, infima parte craſſa, deinde paulatim ad ſupremam uſque partem gracileſcentia, quaſi triangulari forma prædita, obtuſis tamen angulis, cartilaginoſa, externè fuſci ex rufo coloris, internè veluti in ternas cameras ſecundùm longitudinem membranacea quadam cartilagine diviſa, atque plena nigris ſplendentibúſque ſeminibus, Milio majoribus, denſi ſimul congeſtis, & tenui membrana involutis, intus albis & quadam acrimoniâ præditis. Naſcuntur autem ea capita in ſummo caule, quaterna aut quina, atque veluti ex eodem ortu prodeunt.

A Cardamomo majore ſive Melegueta differunt, quòd Meleguetæ fructus magna ex parte brevior & craſſior ſit, hic verò gracilior & oblongior. Meleguetæ cortex etiam minùs illius cortice durus aut ſatis fragilis. Hujus præterea grana non tam numeroſa quàm in Melegueta, majora tamen, fuſca & ſplendentia, ſingulari candicante membrana involuta. Meleguetæ verò grana, licet

trifariam

triſariam quadam cartilagine diſtincta ſunt, & ſingula ſua peculiari membrana involuta videantur, minora tamen ſunt, magis rugoſa & dura iſtius fructûs granis; præterea non ità ſplendent, & ſubrufi ſunt coloris acerrimique ſaporis.

21. *Fructus quintus cap. 16. lib. 2. Exot.* Cluſ. *Fr. totus niger, binis foraminibus inſignitus* J. B. *Cluſ.*

Unciâ major erat, circiter unciam latus, totus niger & ſatis lævis, anteriore parte binis foraminibus inſignitus, poſteriore veſtigium retinens, quo vel petiolo inhæſerat vel ſuo lobo, ſi aliquo lobo incluſus fuerat. An nucleum contineret ignorabat Cluſius, agitatus enim nullum ſtrepitum edebat, & in aquam conjectus non mergebatur.

22. *Fructus undecimus cap. 16. lib. 2.* Cluſ. exot. *Fr. pyriformis fuſcus, lævis, ſtriatus, cum coronula, in quo nucleus* J. B.

Uncialis magnitudinis erat, prorſus fuſcus, pæne orbicularis, ſtriatus, levis admodum & in aqua ſupernatans illa merſus, tametſi nucleum continere ex agitatione deprehenderetur, anteriore parte veluti coronulam ſtriatam habens, in qua florem ſediſſe veriſimile eſt, poſteriore autem in oblongiuſculum pediculum deſinens.

23. *Fructus Juli formam quaſi exprimens cineraceus grana ſpadicea continens* C. B. *Fr.* 8. *c.* 25. *l.* 2. Cluſ. exot.

Lobi quodammodo formam habebat, & uncialem longitudinem, Juli figuram quaſi exprimens, gracilis, cineracei coloris, aliquot grana (ut ex involucri ruptura apparebat) ſatis craſſa continens, ſpadicei coloris, lævia, ab altera parte plana, inſipida, vieta & vetuſtate evanida.

24. *Baruce fructus primus cap. 21. lib. 2. Exot.* Cluſ. *Baruce fructus è pluribus nucibus arboris Huræ* J. B.

Admirabilis erat formæ, & in Guyana naſci ferebatur ſatis celſa arbore *Hura* nuncupata. E multis autem veluti nucibus uncialis magnitudinis, mirabili modo ſimul junctis & connexis conſtabat, quæ in bina lignoſa duráque putamina dehiſcebant, & orbicularem planúmque nucleum continebant, cineraceâ membranâ tectum. Eum verò fructum tot nucibus ſimul junctis, & velut in unum caput coactis interdum creſcere intelligebam, ut tanquam orbicularem clavam geminum pugnum craſſitudine æquantem, & in multos angulos deſinentem referre videatur. Hujus fructus nucleo incolas uti dicebant ad corpus vomitu & alvi dejectione purgandum.

25. *Arara fructus ſecundus cap. 21. lib. 2. Exot.* Cluſ. *Arara fructus Americanus* J. B.

In Kayana creſcit, arboréne an herba non erat deſcriptum. Erat verò uncialis longitudinis, cute rariùs quàm putamine conſtans, ſatis durâ tamen nigraque, longiore pediculo & inæquali nitens, ut plures flores inhæſiſſe viderentur. Incolæ ejus confracti & in aqua elixi decocto maligna ulcera lavant ad ea curandum: aiebant etiam utilem ad alvum emolliendam, quod de nucleo intelligendum arbitror.

26. *Cunane fructus 4. cap. 21. lib. 2. Exot.* Cluſ. *Cun. fructus arboris Morremor, longus vel ovalis, ferè niger.* J. B.

Binas uncias longus erat, unciam ſummo capite latus, deinde paulatim ad infimum uſque gracilior fiebat, dorſo paulo elatiore, levis, niger & ſplendens, tribus foraminibus ſummo capite præditus, uno ſupernè, binis infernè. Illum in pumila arbore naſci ferebant, cui nomen *Morremor*, immaturus autem erat, ſed plenam maturitatem adeptam duplo majorem aſſerebant, eumque ſupra prunas toſtum manducari ab incolis adversùs capitis dolores.

27. *Waricoramori fructus 5. cap. 21. lib. 2.* Cluſ. exot. *Waricor. rugoſæ glandi ſimilis fructus* J. B.

Secundùm flumen *Arriwari* creſcere adſcriptum erat, ad quam tamen rem utilis eſſet ignorari. E binis quos habebat Cluſius unus binas ferè uncias longus erat, alter uncialem longitudinem non ſuperabat: uterque tereti & rugoſæ glandi ſimilis, adſtrictoriæ facultatis, qui alio cortice ſive putamine tectus fuiſſe videretur.

28. *Cropiot rugoſus fructus acerrimus, ſemine ſimili Piperi Æthiopico* J. B. *Fr.* 6. *c.* 21. *l.* 2. *Exot.* Cluſ.

Parvus & rugoſus fructus erat, non valdè diſſimilis ſingularibus ejus fructus articulis, quem Piper Æthiopicum appellant, magnâ acrimoniâ præditus, nigrúmque ſemen continens ut Piper Æthiopicum. Solere autem incolas eum fructum admiſcere Tabaci foliis adſcriptum erat, cùm illius fumum haurire vellent ad capitis dolorem leniendum. Erant autem aliquot ejus fructus funiculo trajecti, quod incolas feciſſe arbitror ad eos commodiùs reſiccandum, vel ut in promptu haberent quando illis utendum.

29. *Phaſeolus orbicularis niger Americanus* C. B. *Parapar Cluſ. l. 2. Exot. c. 21.*

Cluſ.

Phaſeoli quoddam genus erat, orbiculare, nigrum, ſplendens, quod lobo incluſum fuiſſe videbatur, ut ex hilo quo præditus conjecturam faciebat Cluſius. Plures ſimiles fructus per medium pertuſos funiculo trajecerant incolæ, ut ornatûs gratiâ è collo ſuſpenſos ſub ſiniſtrum brachium admitterent, obliquè torquis inſtar ſupra pectus recumbentes.

30. *Fructus 4. cap. 22. l. 2. Exot.* Cluſ.

Cluſ.

Exilis erat, ſemunciam magnitudine non ſuperans, exiguæ & immaturæ nuci *Fauſel* non valdè diſſimilis, exalbidi coloris, calyce præditus quatuor ſquamis conſtante, continens aliquot grana fuſca, rotunda inſtar Piperis nigri, ſed valdè rugoſa quia forſitan immatura, intus alba, acris ſaporis. An Braſma apud Dioſcor. cap. de Pipere.

31. *Cardamomi facie fructus triangul. malignus* J. B. *Fructus 5. cap. 22. l. 2. Exot.* Cluſ. *Bacca eſt Amomi racemoſi* C. B. *ſeu veri* Ponæ.

Cluſ.

Triangularis erat formæ, ſemuncialis etiam magnitudinis, exalbidi coloris, tenuíque membrana tectus, Cardamomi Officinarum fructum perbellè referens, continénſque multa grana rugoſa, cineracei foris coloris, intus albi, omnia in globum congeſta, ſatis validi & gravis odoris, & acris ſaporis, qui breviſſimo & vix apparente petiolo plantæ inhæſerat, calyce tribus foliis conſtante incluſus. Qui mittebat (ad Cluſium) Conſulem ſuæ urbis unum ex his fructibus ediſſe ſcribebat, ex cujus eſu morbum contraxiſſet. Vide *Cluſ. cur. poſt.*

32. *Fructus 6. cap. 22. lib. 2. Exot.* Cluſ.

Nudus omnino & variæ formæ erat, quem lobo incluſum fuiſſe arbitrabatur Cluſius. Etenim nonnulli plani erant & quaſi quadranguli, alii oblongiores & altera parte obtuſi, eâ verò qua ſe mutuò contigerant compreſſi, omnes tamen foris rugoſi, nigricantes & candicantibus quibuſdam venis diſtincti, in binas partes dividui, ut reliqua legumina. Subſtantia autem interior ſubfuſca & ſolida, & ejus ſapor etiam adſtringens, perinde ac fructus *Coles*.

33. *Fructus 1. cap. 23. lib. 2. Exot.* Cluſ.

Pruni ferè magnitudine & forma erat, duas pæne uncias longus, ſeſcunciam latus, infima parte mucronatus; cortice ſive ipſo corpore ſatis craſſo, & veluti fungoſa materiâ conſtante, foris aliquantulum rugoſo, & ſubfuſco colore, internè cavo & pulpam quandam continente in globum convolutam, albicantem, friabilem, inſipidam, in qua tenella quædam ſemina.

34. *Ricino affinis fructus* C. B. *Exoticus fructus 4. lib. 2. cap. 24.* Cluſ. exot.

Ricini fructum valde æmulabatur, nam triangularis erat, & in tres cellulas diſtinctus; quarum ſingulis ſemen continebatur rugoſum, ut ante maturitatem lectus fuiſſe videretur, nigrum: exterior cortex fuſcus & glaber erat, pendebátque inter quinque folia longiuſcula & latiuſcula (quæ medium fructum tegebat) è pediculo ſemunciali, ſatis firmo.

35. *Daturæ ſemine fructus* J. B. *Fr. minor 8. cap. 20. l. 2.* Cluſ. exot.

Orbicularis ferè formæ erat, & tenui veluti membranâ conſtabat, brevi petiolo præditus, pæne cineracei coloris, intus inanis, niſi quædam rugoſa granula continuiſſet, iis quæ in Stramonio conſpiciuntur non valdè abſimilia: inhærebat autem ſarmentis quibuſdam Vitis Viniferæ ſarmenta referentibus.

36. *Fructus hepaticus Indicus* J. B.

J. B.

Figura hepati quodammodo reſpondet: Eſt enim altera parte gibba ſive convexa, altera ſinuata, & concava, figura oblonga, magnitudo Caſtaneæ majoris, eíque concolor, h. e. ſpadiceus, ſed ad pullum accedens: ſuperficie tenus inæqualis, rugoſus, nihil corticoſi habet, eadémque ferè ſubſtantia interna. An alio cortice fuerit comprehenſus nobis incertum. *Nobis videtur nucleus fuiſſe alicujus fructûs.* Bivalvis eſt, aut geminus potiùs, fuſco tamen ſatis inſigni in ambitu cohærentiam deſignante, nec multa vi dividuus. Subſtantia tota glanduloſa, Querneæ glandis ſiccatæ, durior, præter levem quandam quam præbet adſtrictionem, nullo nec guſtu, nec odore inſigni.

Fructu hoc Indi in obſtructionibus hepatis uti dicuntur, referente Robino, qui fructum ad J. B. tranſmiſit.

37. *Fructus 5. cap. 25. lib. 2.* Cluſ. exot.

Uncias pæne tres ambitu comprehendebat, & ſphæricæ formæ erat, putamine conſtans quali Nux Juglans, firmo, fuſci externa parte coloris, interna ſpadicei, qui in tres æquales partes dividebatur, & interna parte in tres veluti concamerationes vel loculos ſeparabatur, in quibus ſingularia grana, Malorum vulgarium ſeminibus non valdè diſſimilia.

38. *Fructus Ind. rotundus tuberculis aſperatus niger* J. B.

J. B.

Adſpectu non uſque adeò ſpecioſus eſt, circinatæ fere rotunditatis, uncias duas pænè latus, compreſſus, ſed eò ut unciam mediam craſſitie adæquet, præſertim parte gibboſiore, nam utrinque ceu gibbus quidam eminet. Cortice veſtitur nigro, tuberculis quibuſdam aſperato, duro, ſupernè umbilicatus; ſub cortice tunica intermedia albicans ſubſtantiam internam nucleatam involvit.

An Nux eſſet, an de Phaſeolorum genere pro certo aſſerere non potuit J. Bauhinus.

39. *Fructus Guyanenſis ovalis cineraceus* J. B. *Guyanenſis fr.* 2. Cluſ. exot. *lib.* 2. *cap.* 6. *Pruno ſimilis ovalis cortice & nucleo cinereo* C. B. *p.* 444.

Cluſ.

Valde ſolidus & gravis erat, ovalis formæ, pæne binas uncias à pediculo ad extimum mucronem longus, tres cum ſemiſſe medii corporis ambitu complectens, corio denſo, fibroſo, cineracei coloris tectus, ambiente putamen craſſum admodum, durum & nigricans, quod nucleum continebat, ferè orbicularem, durum, cineracei pæne coloris. *Ad pruna aut potiùs Myrobalana referri poteſt.*

40. *Nucleus ex Guyana, ſpadicei coloris membranâ tectus* J. B. *Nucleus ex Guyana* Cluſ. exot. *l.* 2. *c.* 6. *Pruno ſimilis oblongus, ſpadiceus, pulpâ albâ* C. B. *p.* 444.

Cluſ.

Paulò longior erat ovali: nam duarum unciarum longitudinem ſuperabat, non adeò tamen craſſus ut ſuperior, & magis inæqualis, ut veriùs dici mereretur nucleus alicujus fructus, quàm fructûs ſpadicei coloris membrana tectus, qui haud dubiè aliquo fructu aut nuce erat incluſus, medullam ſive pulpam continens albam, non ingrati ſaporis, licet vetuſtate contractior eſſet, & ejus meditullium in lacunam dehiſceret.

41. *Avellana Indica oſſiculo trifido* C. B. *Avellana Ind. Mehembethene Cortuſ.* J. B. *Mehembethene* Park.

J. B.

Æquat magnitudine parvam Juglandem, formâ fere ovali, in cujus baſi triquetrum patet foramen, producens ex ſingulis angulis coſtam, itâ ut præter ternas illas coſtas totidem aliæ alterno ſitu per longum conſcendant. Putamen durum, craſſum, nonnihil inæquale, ex cinereo flaveſcit; quo effracto tres cellulæ ſeſe oſtentant, nucleum continentes oblongum, album ac dulcem.

Matthiolus (ſi modo hanc intelligit) tegumentum [exterius] læve molléque, colore ſubpallido, nec folio Palmæ craſſius ei attribuit.

42. *Avellanæ prædictæ affinis fructu ſpadiceo velut in binas partes ſecto* C. B. *Avellanæ Indicæ Mehembethenæ valdè ſimilis fructus* J. B. *Fructus miſcellaneus* 7. *Cluſ. exot. lib.* 2. *cap.* 25.

Inter Aromatum Tripoli allatorum purgamenta inventus eſt. Erat autem figurâ orbiculatâ, cortice ſpadicei coloris eóque lævi conſtans, atque veluti in binas partes ſecto. An verò alio cortice ſive involucro tecta fuerit hæc nux (ut veriſimile eſt) me latet: alia tamen addita erat minùs craſſa ſed paulò oblongior, neque adeo ſpadicei coloris, quæ media ex parte tecta erat ſuo involucro nigro & rugoſo, cui petiolus adhuc inhærebat quo in ramo firmata fuerat.

43. *Avellana Indica villoſa, foraminata* J. B.

Tribus lateribus elatioribus, atque itidem tribus foraminum veſtigiis, utì Nux Indica ſive Coccus, conſpicua, villoſo quodam involucro, veluti *Fauſel* ferè, tecta, nucleum continens dulcem, tenui candicante membrana incluſum. Hanc Lobelius non ſeparat à Mehembethene ut Cluſius, ſed eandem facere videtur, varietate tantùm diſtinctam; quocum conſentit etiam C. Bauhinus.

44. *Avellanæ Mehembethene Cortuſi ſpecies alia nuda & veſtita villo* J. B.

Mehembethene ſuperiùs deſcripta ſpecioſior eſt, & altero tanto craſſior, minúſque longa. Reliquam deſcriptionem vide apud *J. B.* Magnitudine præcipue à Mehembethene differre videtur.

45. *Avellana quadrifida* C. B. *Fructus exoticus* 6. *cap.* 16. *lib.* 2. Cluſ. exot. *An Avellana purgativa* Oviedi? *Fr. Indicus decuſſatus* J. B?

Cluſ.

Elegans erat fructus, & velut ex quatuor Avellanis ſimul connexis conſtans, lævibus, ſpadicei coloris, qui alio operimento tectus fuiſſe videbatur. Nam inter interſtitia quibus ſingulæ nuces ab invicem ſeparatæ reſtabant adhuc membranaceæ cujuſdam fuſcæ cutis partes, qua tuti fuerunt. Conſtabant porro ſingulæ iſtæ Avellanæ putamine ſpadicei (ut dixi) coloris, firmo quidem ſed non valde denſo, in quo nucleus continebatur craſſus, durus, foris ſubrufus interna parte candicans, nec ingrati ſaporis. Vide deſcriptionem *J. B.* quæ alterius fortaſſe fructûs eſt. Renis ovilli, inquit, formam habet, &c.

46. *Nux purgatrix* C. B. *Fructus* 17. *cap.* 16. *lib.* 2. Cluſ. exot.

Non valde diſſimilis erat hic fructus oſſiculo Baccæ Saponariæ: etenim orbicularem, ut illud, habebat formam, & eandem magnitudinem. Hujus tamen color non adeò niger ſed fuſcus potiùs, in quo apparebant ſubflaveſcentes quædam venæ. Alio autem fructu comprehenſum fuiſſe, & nucleum duntaxat alicujus fructûs eſſe apparebat; nam ſectus verſicolore ſubſtantiâ conſtare deprehendebatur, magnis maculis albis fuſcæ ſubſtantiæ & ſatis molli, (ut quæ cultello ſine difficultate incidi poſſet) permixtis.

47. *Avellana Indica major ſubrufa* * *Cluſii* J. B. *Avellanæ Indicæ* 3. *genus Matth. Lugd.* C. B. *Mamay fructûs oſſiculum D. Grevio in* Muſ. Soc. Reg.

* *Annot. in Garc. l. 1. c. 26.*

J. B. Cluſ.

Tres uncias longus erat, duas ferè craſſus, inferiore parte ſeſſilis, rugoſus ſcabérve, & cineracei coloris, ſuperna autem & eminentiore ſive protuberante parte lævis, ſubruffíque coloris, ut animalculum duro corio tectum videri poſſit. Nucleum in ſe continet.

Huic deſcriptioni addit J. Bauhinus corticem eſſe fragilem inſtar ferè teſtæ ovorum, minùs tamen cum ſit ſpiſſior. Continet nucleum magnum, tectum tenui membranâ cinereâ, in qua ſaporem inſignem non animadvertimus: nucleus autem magnus, rugoſus, firmus, Amygdalæ modo, ſapore non ingrato.

Mammei fructus oſſiculum eſt, & erronee pro Nuce accipitur à J. Bauhino & Matthiolo. *D. Grew.*

48. *Balſami Peruviani fructus* Cluſ. J. B. *Fr.* 1. *cap.* 29. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ. *Avellanæ Indicæ* 3. *genus Matth. Lugd.* C. B.

Ex eodem cum præcedente genere eſt, [nec ut nobis videtur ſpecie diverſus] ſed longè amplior, utpote qui ternas uncias longitudine ſuperaret, latitudine unam, altitudine pæne duas æquaret, alioqui forma & colore eidem planè ſimilis: nempe craſſo cortice ſive putamine conſtans, inferiore ſive ſupina parte ſeſſili, rugoſo ſcabróve & cineraceo, ſuperna autem ſive gibba lævi, ſubrufo, vel potiùs ſpadiceo, ità ut animalculum duro cortice tectum videretur. Nucleum continere deprehendebat Cluſius binas uncias longum, unam latum, gemellum, ſed extima parte ſimul cohærentem, tenui cineraceâque membrana tectum, ſubſtantiâ firmâ, ut Amygdalæ aut Caſtaneæ recentes, ſubfuſca, pingui & oleaginoſa, odore ſatis jucundo prædita, & ſapore non ingrato.

Pro fructu Balſami Peruviani accepit Cluſius. Verùm non convenit cum deſcriptione Balſami apud Monardem aut G. Piſonem.

Aliam adhuc Avellanam Indicam ab Hercule Saxonia miſſam pro Balſami *Petri de Frias* fructu minore, ejúſque ſpeciem aliam minorem deſcribit J. Bauhinus, magnitudine digitum ferè æquantem, quæ ſi competentem haberet craſſitiem atque rotunditatem galeam quodammodo repræſentaret. Teſtâ conſtat lævi, ſplendida, ex ruffo ad ſpadiceum vergente, craſſo ſatis, ſubſtantiâ oſſeâ. Nucleus intus latet Amygdalini facie ſed latior, in cæteris proportioni nucamenti reſpondens, ſapore rancido, quippe exoleto.

Minor ſpecies concolor erat, ſed figurâ nonnihil evariabat, potiſſimùm hili illud veſtigium quàm in Fabis noſtris vulgatis non latius, nec ut in prædicto eminet. Teſta tenuior multò nucleum quoque parvum, ſibíque proportionatum continet.

49. *Nux Indica non biforis Juglandi ſimilis* J. B.

Ad.

Advehitur quidam fructus ex occiduis, adeò Nuci Juglandi ſimilis, ut nondum introſpectum ſæpiùs putaverimus nucem Juglandem eſſe: ſed effracto caro fuit veſca, intus albida, Caſtaneæ ſapore, nullis diſtincta nucleis, putamine & teſta utraque craſſiore quàm Nucis Juglandis.

50. *Fructus bivalvis Indicus niger* J. B.

J. B.

Levitatis præcipuæ fructus anonymos bivalvi tegitur cortice, non duro, & uti videtur fragili, hiantibus jam medio tenus valvis, ſubſcabris, figurâ oblongâ, utrinque exacuta, modicè compreſſa, alioquin ovatam relatura; Latitat intus neſcio quid nuclei.

51. *Fructus Indicus, vel nucleus luteus parvus, Avellanæ oblongæ facie compreſſus* J. B.

J. B.

Unciam fere longus erat, flavus, lævis, lucidus, Ricino majori aliquo modo accedens, uncia ſemis anguſtior, pæne compreſſus, utrinque tamen ferè in medio elatior, una parte paulò latior & rotundior, parte autem quà hæſiſſe apparet nonnihil anguſtior, & non ità rotundus, aſperior. Cortex facile acicula perforatur, in eo nucleus; qualis medulla nobis nondum conſtat. Alius hujus generis fructus, quem apud fratrem *C. B.* vidit, brevior erat, minùs compreſſus, multò quâ adhæſit parte anguſtior, quaſi umbilicus aut oculus, criſta item non ità apparet. Repræſentat Staphylodendron.

52. *Fructus peregrinus Jeraſoy* J. B.

J. B.

Jeraſoy dictus fructus è rarioribus quoque eſſe videtur: Per medium ſectus cavus apparet, ſed binis cellulis intergerino pariete interveniente diſtinctus, aut ſi integer eſſet quem vidimus (uti non eſſe conjectamur) quaternis. Extima facie lævis, ſed ſquamatus, albicans, pediculo craſſiuſculo.

Roſæ nondum expanſæ, ac per medietatem ſectæ figuram nonnihil referret, niſi eſſet cavus; ita ſquamata eum extrinſecùs ambiunt foliola.

53. *Fructus exoticus latus compreſſus, colore Suberis.* J. B. *hiſt. lib.* 3. *cap.* 150.

J. B.

Duas uncias latus erat ac paulò longior, æquabili ferè ambitu ad orbicularem figuram accedens, præterquam quòd parte ſuperna [ubi fortè adhæſit] exiguum quendam ſinum umbilicali ſpecie impreſſum habebat. Compreſſus erat, medium craſſitudine unciam vix æquans, modicè incurvus, ut altera facies concava, altera in gibbum ſublata convexa videretur. Cortice conſtabat colore Suberis ferè, non valdè duro, ſed vel mediocri compreſſu fragili, nucis Avellanæ craſſitudine, fungoſo quodammodo, ſed interior pars magis fungoſa erat, fuſca, inſipida, quia evanida & magna ex parte cava, unde & pro magnitudine admodum levis.

54. *Cordis figura nux plana cineracei coloris* J. B. *Fructus* 3. *cap.* 26. *l.* 2. Cluſ. exot.

Cluſ.

Nux erat plana cineracei coloris, formam cordis (ut pingi ſolet) referens, & quibuſdam locis tumeſcens, adeóque lento cortice conſtans ut maxima cum difficultate aperiretur. Reperit autem ſub eo Cluſius alium corticem, non minùs lentum ſuperiore ſubflavi coloris, tegentem nucleum candicantem, ſalſi ſaporis, involutum rufeſcente membrana.

55. *Fructus Indicus echinatus ſonorus* J. B.

J. B.

Magnitudine erat circiter Nucis moſchatæ, coloris cinerei, plurimis abundans tuberculis obtuſis: Deguſtatus videbatur aliquid adſtrictionis habere. Pediculus craſſus ligneus. Sonorus erat.

56. *Fructus Indicus Juglandi ſimilis tuberoſus* J. B.

J. B.

Juglandem pulvinato ſuo calyce etiamnum intectum æquat, perpetuis tuberculis & longioribus jugis aſperatus, ex cinereo ruffeſcens, cujus intervenia tenuis replet cortex fuſcus. Infima pars umbilicum habet ſeſſilem, oppoſita modicè in conum faſtigiatur. Durus eſt & gravis fructus.

57. *Fructus multifariam fiſſus* J. B.

Ferè orbicularis erat totus, niſi utraque parte eſſet nonnihil compreſſus. Finditur circiter in 12 partes, quæ fungoſæ ſunt, ſaporis manifeſti nullius; ineſt internè oſſiculum durum. Cortex totius fructûs exterior tenuis fuſcus & cinereus.

58. *Pinei nuclei Malucani ſive purgatorii* J. B. *Pinus Indica nucleo purgante* C. B. *Pinei nuclei Maluccani* Park.

Acoſta.

Alitur in hortis quibuſdam Malabar, inquit Acoſta, tum etiam in nonnullis ſylvis ſponte naſcitur arbor magnitudine Pyri, cujus folia infernè diluto virore prædita ſunt, ſupernè autem ſaturo, admodum tenella & mollia, quæ guſtata valdè acria deprehenduntur, & linguam diu vellicant. Fructus triangularis Avellanæ magnitudine, interiùs in multa receptacula diſtinctus, in quibus ſemen eſt album, ſolidum, rotundum Pineo nucleo ſuo putamine exempto par.

Conſiderandum (inquit J. Bauhinus) An eædem ſint Pineæ nuculæ catharticæ Monardis, quas ſic deſignat, Tranſmittit Nova Hiſpania Pineorum nucleorum genus quo Indi ſe purgabant, quos imitati ſunt plurimi harum regionum. Noſtris Pineis nucleis ſimiles ſunt naſcentes in ſtrobilis magnis quales ſunt Mayzii Spicæ muticæ, molliore putamine & nigriore quam noſtri rotundi, intus albi, pingues & guſtu dulces.

Vires. Indi, Autore Acoſta, binos nucleos membranis nudatos, terunt, & clyſteribus admiſcent adversùs urinæ difficultatem & dolorem iſchiadicum, aut cum gallinæ juſculo propinant ad educendos putridos, lentos, craſſos frigidóſque humores & peculiariter ad aſthmaticos curandos. Ex aqua tritis impetigines inungunt & curant ſed admodum urunt: Nuclei pinei cathartici tradente Monarde bilem, pituitam & aquas validiſſimè purgant, & licet Avellanis mitiores tamen vomitum cient. Aſſi nec tam valenter, nec cum tantis torſionibus purgant. Dantur in diuturnis morbis, & peculiari quadam facultate craſſos humores expellunt.

Quibus obtingent nuclei Pinei, ſive Malucani Acoſtæ, ſive cathartici Monardis, ſive diverſi, ſive iidem ſint (inquit J. Bauhinus) non temere exhibeant ægris, ſiquidem, referente Acoſta, admodum urunt, & quatuor grana interimunt. Monardes etiam validiſſimè nec ſine torſionibus purgare, & vomitum ciere ſcribit.

59. *Pineos nucleos duros referens fructus* C.B. *Nucula peregrina alia* J. B. *Fr. peregr.* 8. Cluſ. *Exot. l.* 2. *c.* 30.

Pinei cujuſdam generis nucis nucleos quiſpiam æſtimare poſſet, adeò noſtratis Pineæ nucis ſive ſtrobili nucleos referebant, licet magna ex parte noſtris & longiores eſſent & craſſiores: durum ſimiliter putamen & idem color.

60. *Curcas Avellanæ magnitudine* J. B. *Curcas Malavarenſium, Carpata Cambayenſium Garciæ* C. B.

Naſcitur in Malavar, autore Garcia, fructus quidam magnitudine Avellanæ cum ſuo putamine; non tamen adeò rotundus eſt, candidus, guſtu quali ſunt Tubera cocta; dependet ex ramis cujuſdam plantæ quæ ſeritur, nullius, quod ſciam, in medicina uſûs. Dicitur in Malavar *Chiviquilenga*, id eſt exiguum *Inhame*.

Habalculcul Serapioni videtur, cujus frequentem uſum ſeminis quidem copiam facere, ſed cholericam quam vocant paſſionem excitare ſcribit: quæ omnia Malavares huic fructui tribuunt. Fructum hunc ad Ricinum refert C. Bauhinus.

61. *Pepita Peruanus* J. B. *Pepitas del Peru, Fr. 9. cap. 30. lib. 2.* Cluſ. exot. *Amygdalo ſimilis fructus Peruanus fuſcus vel ſpadiceus lineâ candida* C. B.

In fructu hoc quædam eſt varietas, nam alter altero major & amplior eſt, licet color & forma propemodum eadem. Planus eſt & oblongiuſculus, altera parte latior, altera anguſtior, glaber & lævis, totus fuſci, aut interdum ſpadicei coloris, niſi linea quædam candicans, qua parte ſuo fructui adhæſit (nam alteri incluſus fuiſſe videtur) varium faceret, prægnans eſt & ſonitum edit.

62. *Brindones Indici, fructus rubentes acidi* J. B.

In Goa India (uti refert Garcias) eſt fructus quidam *Brindones* vocatus. Is foris aliquantulum rubicat, intus verò ſanguinis inſtar rubet, guſtu admodum acido: invenitur interdum foris nigricans [qui color maturitate contrahitur] nec adeò acidus uti ſuperior, qui tamen non minùs quàm ille intus rubeat. Multorum palato ſapidus eſt hic fructus, meo verò inquit Garcias minime ob nimium aciditatem. Eo tinctores utuntur. Cortex verò adſervatur atque mari aliò transvehitur aceti conficiendi gratiâ, quod à Luſitanis quibuſdam etiam in Luſitania factum eſt.

63. *Beguill* Purchaſii.

Fructus in ſinu S. Auguſtini prope Sierram Lionam proveniens, magnitudine Mali, cute aſpera & nodoſa veſtitus; ſub quo pulpa Fragorum inſtar, ſive coloris, ſive granorum rationem habeas.

64. *Beninganio* ejuſdem.

Fructus ejuſdem loci, Limonii magnitudine, cute rubida, ventriculo gratus.

65. *Rucma Hiſpanis Lucma* * De Laet.

* *Ind. Occid. l. 10. c. 3.*

Fructus eſt qui forma & mole ad Aurantia mala accedit: intra medullam oſſiculum Caſtaneæ, tam colore corticis, quàm nuclei, qui amarus & cibo ineptus, albedine validè ſimile, aliquando duo continet. Inter craſſos cenſetur cibos: Sapore tamen eſt magis dulci quàm acri.

66. *Mungo* J. B. Garc. *Fructus niger Coriandro ſimilis* C. B. *Meſſe ſeu Meiſce Avicennæ.*

Eſt ſemen (inquit Garcias) viride, quod per maturitatem fit nigrum, Coriandri ſicci magnitudine. Naſci ferunt in Palæſtina. Pabulum eſt equorum, interdum tamen ab hominibus editur. Guzarate & Decan incolæ in febribus hoc modo utuntur. Febricitans cibo abſtinet per decem, nonnunquam per quindecim dies, poſt quos hujus fructus decoctum illi propinatur, in quo nonnihil pulpæ remanſit: deinde cortice delibratum Mungo, & inſtar Oryzæ coctum febricitanti exhibetur. Panis verò triticeus nonniſi poſt multos dies adminiſtratur.

Mungo autem frigidus eſt, quantum ex ejus facultatibus colligere licet.

67. *Sel Serapionis & Avicennæ* J. B.

Fructus *Sel*, quales Rauwolfius vidiſſe ſcribit carent duris putaminibus, planéque nudi ſunt, magnitudine Piſtaciorum, colore Juglandibus noſtris non diſſimiles, ſapore ſatis amaro cùm manifeſta acrimonia. Dediſſe ſibi Minoritam quendam Hieroſolymis, qui dicebat in vicinis locis provenire; eſſe autem *Sel* Serapionis & Avicennæ, quod virtutem habet Zingiberis.

68. *Nux Indica pulchra, cui unguis albus* J. B.

Unciam & ſemis longus erat, unciam latus, compreſſus, niger, ſplendens, in ſuprema parte veluti unguis albus. Sonorus eſt. Cortex niger, mediocriter craſſus; ſubeſt medulla alba, in iis ſaporem manifeſtum non animadvertimus. Medullæ autem albæ ſubeſt fortè oſſiculum, eſt enim ſonorus.

69. *Nucula Ind. Lob. & Penæ* J. B.

Lob.

Nuculam Indicam hanc admodum fructu variam fortéque & ſylveſtrem eſſe ſuadent nuculæ, quas ex finibus Troglodyticæ Guineæ habemus. Hæc vix magnam æquat Olivam, corticoſo nucleo, oleaginoſo ac ſapido, illi prorſus Nuci Indicæ ſimilis, ſed huic Nuculæ teſta oſſea. Icon integræ magnam habet ſimilitudinem cum Chamærrhiphes fructu, inquit J. Bauhinus.

70. *Nucula Indica ab Hercule Saxonia miſſa* J. B. Cochiglio de Guigne, *dicta.*

J. B.

Unciâ brevior eſt, ſemunciam vix lata, nigra, dura, modicè exteriùs arcuata, interiùs ſinuata Phaſeoli modo, multis fiſſuris ſeu lineis variè ſparſis ſulcata; quæ tamen omnes in tuberculum parvum, umbilici ſpeciem præferens, coeunt.

71. *Ficui ſimilis fructus exoticus* J. B.

Ficum communem figura & magnitudine quodammodo repræſentaret, ſi non anguloſus eſſet & ſupernè cordatus. Cortex exterior ſubflavus, fragilis, quo decorticato alius ſubeſt, craſſus, durus, niger. Concuſſus non crepitat, aquæ injectus ſuo pondere ſidit.

72. *Fructus peregrinus ſulcatus* J. B.

J. B.

Avellanæ domeſticæ magnitudine eſt, oblongus, turgidus, niger, cætera lævis & politus, præterquam ad latera profundus ſulcus, rectus (quem à ſummo ad imum habet exaratum, lineola in medio tantillum eminente) ubi nonnihil rugoſus. Parte oppoſita ſulco reſpondent levia quædam alterius ſulci veſtigia impreſſa. Quem ſervamus (inquit J. Bauhinus) foramine per longum pervius eſt, ad cujus margines in altero finium apophyſis parva eſt, in medio fiſſa. Inanis eſt, & pulſatus reſonat, proculdubio aliquando pulpa plenus.

73. *Lauri baccæ ſimilis fructus* J. B.

J. B.

Magnitudine eſt & forma baccæ Lauri majuſculæ, coloris nigricantis, lævi & nitida ſuperficie, ex altero turbinato fine ſtylum retuſum, quemadmodum in glandibus videre eſt, proferens, altero autem tanquam ab acicula impreſſum veſtigium habens, durus & lapidi alliſus cum ſonitu reſiliens. Eorum uni circa medium inſculptus apparet ſcrobiculus, natura an arte neſcio.

74. *Fructus quadrangulus niger cum membrana miniata* J. B.

Oſtendebat Cluſio Exot. l. 2. c. 26. Chriſt. Porretus fructum unciam longum, quadrangulum, lateribus aliquantulùm depreſſis, prorſus nigrum, media tamen ex parte tectum, tanquam membrana foris miniata fructui firmiter inhærente.

75. *Oſſiculum fructûs Indici tuberculoſum* J. B.

Majus erat oſſiculo Ceraſi, ſubrotundum, undique rugoſis tuberculis exaſperatum, colore pullo.

76. *Avellanæ compreſſæ facie fructus vel ſemen* J. B.

Unciam ferè longus erat, vix ſemunciam latus, modicè compreſſus, durus, dilutè croceus & ſplendidum, parte anguſtiore qua adhæſiſſe putamus ſaturatiùs tinctum. Longæ alicujus Avellanæ ſpeciem quodammodo referre videtur; ſed planè exoticum eſſe & facies & notæ jam ſcriptæ ſatis inſinuant. Alii hujus generis aſperſi erant longiuſculis maculis albicantibus, cortice paulò firmiore quàm Caſtaneæ & tenaci, medulla intus alba tenera, acrimoniam reſipiente. Unde commodiùs (inquit) forte Ricino ſubnecterentur.

77. *Fructus Indicus villoſus parvus* J. B.

Magnitudine erat Avellanæ vulgaris, conſtans tunicis villoſis, ſubflavis, cortice tenero, una parte nigricante.

78. *Caſtaneæ ſpecie fructus peregrinus* J. B.

Mediocrem Caſtaneam non tantùm magnitudine, ſed & totâ formâ refert, ut pro ea primo obtutu poſſit fallere. Color tamen paulo dilutior ad flavum inclinat: nitor & lævitas eximia, exceptâ baſis portiuncula oblonga, qua videtur aut arbori aut echino adhæſiſſe. Cortex extimus admodum tenuis fragiliſque, cui fungoſa ſubſtantia adnata ſubeſt: ipſa verò cavitas vacua eſt, quo fit ut inſignis totius fructûs ſit levitas.

79. *Leucoma fructu Caſtaneæ* J. B.

Monard.

Similis eſt noſtrati Caſtaneæ, cùm colore, tum magnitudine, tum etiam ſeſſili illa & albicante parte quam Caſtanea obtinet, quæ prægnans videtur. Arboris eſt vaſtæ magnitudinis, materiæque firmæ & robuſtæ, cui folia Arbuti. Fructum edulem gratique ſaporis eſſe aiunt, & alvi profluvia ſiſtere, quoniam aſtringit. Temperatum eſſe aſſerunt.

80. *Glans Indica* J. B.

J. B.

Glandi Quercinæ figura & magnitudine ſimilis eſt, intus candida, ſubſtantia dura ac propemodum oſſea, nullius ſaporis manifeſti, exteriùs nigra, lineis ac venulis ſquamatis corticatiſque rufis reticulatim per ſuperficiem ſparſis, Cupula dura, craſſa ac lignoſa fere, exteriùs plurimorum denticulorum mutuo incubitu imbricatoque aſperata, colore cinereo, pediculo ſemunciam ferè longo, craſſo & lignoſo.

81. *Glans Indica magna, ſubrotunda* J. B.

J. B. Juglandem magnitudine æquabat, cortice conſtans flaveſcente, uti Glandis Quercûs exſiccatæ, lævi, craſſiuſculo, qui tamen à fortiori digitorum compreſſione facilè frangatur ac diſſiliat. Per longitudinem area inſignis, inæqualis & ſcabra ſubcinerea excurrit, hili imaginem præ ſe ferens, quâque parte cortex reliqua firmior eſt craſſior, duriórque eam adhæſiſſe vel alteri cortici externo vel arbori veriſimile eſt. Interna facies cortice contecta eſt ruffo, tenui atque fungoſo, intercurrentibus veluti venulis ut in interiore cortice Caſtaneæ immediate callum complectente. In quo ceu pulvino immerſus jacet, omnem ferè cavitatem adimplens, nucleus, figurâ rotundus, facie Glandis aut Caſtaneæ nucleo perſimilis, geminus ut in Glandibus, extima facie ſcaber, rufa cuticula intectus, quà verò committitur lævis, ſubſtantiâ durâ, & colore glandis nuclei, ſapore dulci, grato.

Pro fructu Balſami à Robino ad Platerum miſſus erat.

82. *Fructus Amygdaloides nitidus peregrinus,* J. B.

J. B. Lævis & lubricus eſt ſuperficie, nuclei Amygdalini magnitudine & formâ, niſi quòd una parte paulò eſt acutior obtuſâ Amygdali parte, infráque mucronem alterum lacuna orbicularis inſculpta, non tamen effatu dignæ altitudinis, fortè hinc prodibat germen. Color eſt ex flavo ferè cinereus, & altera quidem parte magis in arcum curvatus, Damaſceni pruni nuclei modo, corticéque tegitur tenui, fragili, nucleum in ſe continens.

83. *Fructus Peruanus Amygdaloides, ſub terra naſcens,* J. B.

Pulcher admodum aſpectu eſt, & grati ſaporis, qui & radice caret, nec aliquam plantam profert, aut ab ulla planta producitur, ſed ſolummodo ſub terra enaſcitur quemadmodum tubera. Dimidii digiti magnitudinem æquat; rotundus eſt & contortus & affabrè elaboratus, coloris ſpadicei, nucleum intus continens reſonantem dum ſiccus eſt, Amygdalæ ſimilem, cortice fuſco, intus album, & in duas partes diviſum, ut Amygdala, grati ſaporis, & Avellanam guſtu referentem.

Invenitur apud flumen Marannon, nec ullibi alibi per univerſam Indiam. Editur recens & exſiccatus ſed torreri præſtat. Adponitur ſecundis menſis bellariorum loco, quoniam ventriculum admodum exſiccat & roborat. Sed ſi liberaliùs edatur capitis gravedinem generat. *Locus & Vſus.*

Dari in rerum natura hujuſmodi fructum ſubterraneum mihi ſanè non videtur veriſimile.

Dubitat Cluſius, an hic fructus ſit Mandobi Lerii, quem ait ſub terra Tuberum modo naſci, tenuibus filamentis ſimul cohærere, nucleum non eſſe majorem domeſtica Avellana, ejuſdémque ſaporis, cinerei coloris, cortice non duriore quàm Piſorum ſiliquæ. An vero folia ſeménve proferat ignorare ſe fatetur, licet fructum ſæpiùs ederit.

J. Bauhino *Mandobi* Lerii fructus arboreus eſſe videtur, aut fortè Traſi genus aliquod: Traſi enim, inquit, ſunt veluti fructus & nuclei Avellanarum.

84. *Nucula Indica Pyriformis & ſonora* J. B.

Articulo poſtremo pollicis non major erat, exprimens parvum Pyrum moſchatellinum, ſolidus, durus, rugoſus, fere cinereus, lignoſus, ſonorus, ſaporem manifeſtum non ſenſimus.

85. *Nucula Indica globoſa ſonora* J. B.

Orbicularis ſive globoſus erat, gallæ parvæ ſive parvulo globulo ſimilis, cinerei & maculoſi coloris, coſtâ pæne totus cinctus, ſonorus. Cortex non admodum durus.

86. *Nucula ex Guinea* J. B.

Nucis Myriſticæ ferè magnitudine & formâ, levis, concuſſu ſonum edens, cujus alter finis ſtyli quid ſimile habet, ex quatuor parvis ſulcis ſive eminentiis procedens; oppoſitus verò ſcrobiculum, unde avulſus videtur pediculus, unde radii recti producuntur: cortice mediocriter lævi, ſubruffo tectus, quo abraſo ſubeſt alius durus qualis in nuce Moſchata: huic ſubeſt alius craſſior, ſpadiceus, fungoſus, politus. Nucleum ambit immediate quartus, pertinaciter adhærens, pelliculæ tenuis inſtar rugoſus, ſpadiceus quoque: ipſe verò nucleus amplus, candidus, pinguis, guſtu dulci cum faſtidioſo quodam ſapore.

87. *Nux Indica alia* J. B.

Minor eſt Juglande, latitudine unciali, paulóque longior, colore pullo obſoleto, fuſcis maculis conſperſo. Deſinit in breviſſimum acumen qua parte quinquepartita eſſe videtur. Parte oppoſita pediculi pars adhæret, lignea prorſus, firma craſſáque, unde conjectura arboreum fœtum. Ipſe alioqui fructus levis & minimè ponderoſus.

88. *Guabam* De Laet. *Ind. Occid. l.* 10. *c.* 6.

Fructus eſt binos palmos longus, cinereo cortice, pulpâ candida, duriſſimis quibuſdam nucleis permixta, ſuavis & refrigerans. Provenit in calidioribus Quitenſis præfecturæ regionibus.

89. *Pomum Sucu* Sinenſium *Martin. Atl. Sin.*

Naſcitur in mediocri arbore, & quæ vix ullâ culturâ opus habet. Majus eſt noſtratibus, rotundum, puniceum aut rubicundum. Pulpa intra aliquando exos, plerunque ad ſuperficiem acinos, teruncii mole, planos & rotundos, verticalitérque erectos cortice lignoſo quinque vel decem continet. Caro tota rubeſcit, molleſcit Sorbi inſtar matura & ſuaviſſimi ſaporis eſt. Siccatum cruſtam mellis vel ſacchari emittit. Eſt & cortice viridi quod non molleſcit, ſed cultro vel dentibus detrahitur. Provenit in *Xantunque*, & extra Sinas nullibi.

** Ind. Occid. l. 7. c. 10.*

90. *Ziccara Guatimalenſium. Capote* * De Laet.

Eſt inſtar Pinearum nucum, in quo viginti, aliquando & triginta Amygdala continentur.

91. *Fructus Indicus granuloſus vel tuberoſus minor.* J. B. *Fr. Indicus* 5. *c.* 30. *l.* 2. *Exot.* Cluſ.

Prorſus ſphærica huic forma erat, magnitudo globuli minoris ſclopi: putamen flaveſcentis coloris, & perpetuis tuberculis, at non adeò craſſis, obſitum, nullâque lineâ cinctum.

J. Bauhinus formam olivarem ei attribuit, lapideam & invictam duritiem, colorem rutilum, ſuperficiem granulis omnigenis aſperatam, &c.

92. *Fructus dyſentericus flavus* J. B.

Monard.

Provenit in India, autore Monarde, fructus Dyſenteriam ſanans, delatus ex Quito, qui videtur eſſe vaſtæ arboris, alterà parte lævis, flavus, altera aſper, coloratiſſimus ac veluti pullus. Cæterùm qualis eſſet fructus, cujúſve arboris nunquam perveſtigare licuit.

Vires. In pollinem tenuiſſimum redactus, & cum aqua capitum roſarum manè & veſperi exhibitus dyſenterico fluxu miſerè afflictum brevi ſanitati reſtituit.

93. *Nicaraguæ pomum nuce rotunda* J. B.

In Nicaragua (inquit Benzo) Novi Orbis provincia Pomi quoddam genus peculiare eſt, neque Hiſpaniolæ, neque ulli alteri parti Indiæ conceſſum, Piri noſtri ſpecie fermè eſt, ligno interiore rotundo, Nucis craſſitudine & dimidio amplius, optimi & jucundiſſimi ſaporis. Arbor procera, exiguis foliis veſtita.

94. *Pruno ſimilis fructus ſubfuſcus ex Guinea* C. B. *Pruni facie fructus è Guinea, in quo ſemina* J. B. *Fructus Exot.* 1. *à Cluſio.* Cluſ. *Exot. l.* 2. *c.* 23.

Pruni ferè magnitudine & forma erat, duas pæne uncias longus, ſeſcunciam latus, infima parte mucronatus, cortice ſive ipſo corpore ſatis craſſo, & veluti fungoſâ materia conſtante, foris aliquantulum rugoſo & ſubfuſco colore, internè cavo & pulpam quandam continente, in globum convolutam, albicantem, friabilem inſipidam, in qua tenella quædam ſemina.

95. *Pruno ſimilis ſpinoſa* C. B. *Jangómas Prunis ſimilis* J. B.

Arbor Pruni magnitudine ſponte naſcitur in agris & etiam in hortis in *Baſaim, Chaul & Batequala,* multis ſpinis horrens, foliis itidem Pruni, floribus candidis, fructu Sorbo ſimili, guſtu Prunorum adſtringente & acerbo.

96. *Nux Ponticæ nuci non valdè abſimilis, ſpadicei coloris* J. B. *Nux altera cap.* 26. *lib.* 2. Cluſ. Exot.

Spadicei erat coloris, Ponticæ nuci non valde abſimilis, unciam longa, ejus ambitus unciâ paulò major, ſeſſili ſive infima parte anguſtior, extimâ craſſior, & velut decuſſatim formata, dura, ſolida, nec ullo modo ſtrepitum edens. Inter aromata reperta eſt.

CAP. VIII.

Parvi quidam fructus à J. Bauhino viſi apud Ill. Duc. Wirt. & deſcripti Lib. 3. *cap.*80, 81, 82. &c.

1. *Nucula Indica altera, compreſſa, cortice duro, coloris ſonora.* Parvi Pruni quodammodo ſimilis erat, ſublongus, compreſſus, lucidus, coſtis in uno latere conſtans, lucidus.

2. *Nucula Indica tertia ſplendidior.* Idem fortè præcedenti. Color idem niſi dilutior & ſplendidior, magis etiam compreſſus & latior, potiſſimùm una parte.

3. *Fr. Indicus ovi parvi fere formâ.* Coloris erat quodammodo Caſtaneæ, dilutioris, ſplendens. Circulus ambit ferè totum qui non ſplendet, utrinque foratus.

4. *Nucula ſublonga, vel Os fructus alicujus Indici.* Unciam longa, unciam ſemis circiter lata, rotunda, fuſci coloris, una parte latior, lignoſa, cava: in ea nucleus cortice tenui tectus, qui fuſcus, intus fiſſus, durus, albus & ſapore manifeſto deſtitutus.

5. *Nucula triangularis Indica, Caſtanellæ ferè facie.* Piſo majori haud major erat, inter angulos compreſſa, ex uno latere commiſſura nigricante inſignita, colore ſubfuſco, in ruffum quaſi ex cinereo in ſpadiceum vergit. Concuſſa non ſtrepitat, ſed circulum perelegantem nuculæ concolorem, partim ſeſſili innatum vel potiùs enatum (nam linea elevatior & nonnihil ſplendicans) interſecat commiſſuræ linea prædicta: Ex obſervatione Cherleri.

6. *Nucula Indica ovata fere.* Niſi utrinque acumen quoddam extaret ovatæ eſſet figuræ. Longitudo uncialis, latitudo media, colore inter fuſcum & pullum medio, maculis dilutioribus picturato, coſtis quibuſdam eminentibus quales in Nuce unguentaria inſignita. Nucleus intus latet albus.

7. *Oſſiculum ſulcatum fructûs peregrini.* Figura ovata erat, utrinque extremorum acuminatum, per longitudinem profundè ſatis ſulcatum, colore pullo.

8. *Fructûs exotici oſſiculum aliud.* Semunciam longum erat, mucleo Pini ferè figurâ par, ambitu tereti, obiter turbinato, durum, politum, læve; colore ruffeſcente, maculis quibuſdam albicantibus aſperſum.

9. *Fr. Indicus Corni figurâ.* Diceres Cornum eſſe ſi ruber eſſet, adeò figurâ & proportione reſpondet, ſed niger eſt, ſplendidus, durus, pediculi reſiduo craſſo, concuſſus non ſidit ponderis argumento.

10. *Fructûs Indici oſſiculum perelegans.* Magnitudo fere Amygdalæ eſt, ſed figura nonnihil diverſa. Collo ſupernè donatus anguſto, quatuor inſignibus per longitudinem lineis notatus, cætera quoque parte nonnihil rugoſus, colore pullo.

CAP. IX.

1. *Hiboucoubu fructus Americanus* J. B.

HIC fructus Dactylo ſimilis eſt aliquo modo, nec edulis, oleo ejus tumores moleſtos in pedibus à * vermiculis quibuſdam Sironum vulgò dictorum magnitudinem non excedentibus, qui in cutim ſe inſinuant excitatos, curant. Eodem oleo affricto corpora labore & laſſitudine fracta refocillant: vulnera quoque & ulcera ſanant. Oleum iſtud adſervant in vaſculis quibuſdam ex fructibus excavatis paratis, quos *Carameno* ſuo idiomate appellant.

* *Tom.* dicti.

2. *Palma ſaccifera* J. B. Ger. *Arbor ſive Palma ſaccifera* Park. *Palma manicam Hippocratis referens* C. B.

In inſula quadam Americæ deſerta *Coronopez* dicta invenerunt Batavi integras ſylvas nulla alia arbore conſtantes, quàm Palmæ quodam inuſitato genere, cui ab involucro ſaccum ſeu colum manicam Hippocratis dictum referente in quo fructus reconditus, *Sacciferæ* nomen indidit Cluſius. Nam creberrimis quibuſdam fibris ſpadicei coloris, tranſverſim & obliquè ab infimo ad ſupremum excurrentibus magno à natura artificio contextum eſt, idque varia longitudine: unum vidit Cluſius 22 uncias longum, & ea parte qua patebat ſeptem latum; alterum 2½ pedes ſive 30 uncias longum, paris cum illo latitudinis.

Iſta porro involucra (iis referentibus qui ab arbore reſciderant) plena fuerant fructibus nucem Juglandem cum externo ſuo pulvino ſive viridi cortice magnitudine æquantibus, in quibus orbiculares aliæ nuces adeò rotundæ ut torno elaboratæ viderentur, atque adeò duræ, ut non niſi ferreo malleo, & cum difficultate confringere quiverim, tametſi non valdè craſſo putamine ſint præditæ: Continebat autem ea orbicularem nucleum, putamini adhærentem, medio cavum, & qui ſiccitate lacunam contraxiſſet, candidam, ſapore initio quaſi leguminum, deinde inſtar Lupini amaro.

Sacci hujus Palmæ texturam exactiùs deſcribit D. Grevius Muſ. Soc. Reg. pag. 185. quem conſule. Inter palmas hujus mentionem fecimus.

3. *Zingi fructus ſtellatus ſive Aniſum Indicum* J. B. *Aniſum inſularum Philippinarum* C. B. *exoticum Philippinarum inſularum* Park. *Fœniculum Sinenſe* D. Fr. Redi.

J. B.

Fructus hic ſtellæ figuram repræſentat, conſtàtque ex ſeptem nuculis particularibus, radiorum in morem in centro coeuntibus, triangularibus, longis, leviter compreſſis, eâ parte quâ committuntur impreſſis, extimâ & convexâ peripheriâ ſemicirculum ferè deſcribentibus, cortice gemino tectis, exteriore duro & ſpadiceo, nigricante, rugoſo, interiori propemodum oſſeo, internâ ſubſtantiâ cupri diffracti inſtar lucente, bivalvi atque in ſiccis & inveteratis nonnihil hiante. Nucleus vero in ſingulis nucibus latitat ſingularis, lævis, ſplendens, colore ſeminis Lini aut Pomorum, ſed dilutiore paulo. Odor & ſapor Aniſi planè eſt, nihil tamen præterea cum Aniſo commune habet. Relinquit tamen neſcio quid acrimoniæ in lingua commanſus.

De hujus radice, caule, foliis vel etiam floribus ſe quicquam pronunciare poſſe negat Cluſius: quòd ſeminum & umbellarum tantùm partes Londino acceperat Aniſi nomine.

CAP. X.

Fructuum exoticorum oſſicula è Muſei Soc. Reg. Londin. deſcriptione à D. Grevio edita.

1. O*S Pruni Indici fere globulare.* Juglandis mediocris magnitudine eſt, colore leucophæo obſcuro, undique tuberoſum, duriſſimum, ad baſin & verticem aliquantulum prominens.

2. *Os globulare aliud.* Magnitudine & figurâ præcedentis, niſi quòd ad baſin tantillo latior, colore citrino ſeu ſtramineo, duritie Juglandis, undique inæquale & ſcabrum, cum ſulcis parvis & foraminibus intermixtis.

3. *Os globulare tertium,* in quinque tamen valvas ſeu latera dividuum, primi modo inæquale & tuberculoſum undique, æquè durum, ejuſdémque leucophæi coloris, verùm magnitudine Ceraſum mediocrem non excedens.

4. *Os Pruni ovale,* Magnitudine & figura eſt ovi Columbini, aſperiuſculum ſeu ſcabrum, ferreo colore, ſubſtantiâ durâ, non tamen admodum craſſa.

5. *Os aliud ovatum,* Ovi Gallinacei magnitudine & propemodum figurâ, niſi quòd baſis aliquanto obtuſior ſit, conus ſeu vertex minor; colore leucophæo, mira duritie, in quinque latera diviſum, rugoſum & inæquale, cum plurimis foraminibus & profundioribus ſulcis. Latera totidem fiſſuris rectis diſtinguuntur, paulò ſupra baſin incipientibus & inde versùs apicem productis. In horum unoquoque continetur oſſeum & veluti dentatum corpus unciam longum.

6. *Oſſiculum ovale productius,* Duos digitos longum eſt, unum latum, Olivæ oſſiculi figura, membrana quadam ſtraminei coloris tectum, ſub qua ſulcis undique inæquale eſt, exteriùs colore cinereo obſcuriore, intus albicante, duritie eximia.

7. *Oſſiculum ovale oblongum aliud.* Nudum ſeu nullâ membranâ tectum, præcedente multò majus, ut quod $2\frac{1}{2}$ uncias longum eſt $1\frac{1}{4}$ unciam latum. Sulci etiam hujus plures ſunt & profundiores.

8. *Oſſiculum ovale oblongum tertium,* præcedenti cognatum verùm multo minus. Cornum vulgare magnitudine parùm excedens. Hæc tria cognata inter ſe ſunt, non tamen ejuſdem fructus junioris & adultioris oſſicula, æquè enim dura ſunt omnia, proinde & plenam maturitatem adepta.

9. *Pruni Oſſiculum Juglandi ferè ſimile,* Unciam $1\frac{1}{4}$ longum, dimidiam unciam latum ad baſin, quæ paululum excavata media parte unciam $1\frac{1}{2}$, vertice nonnihil acuminato & prominente. Trilaterum eſt ſingulis lateribus ſulcis plurimis & profundiuſculis inæqualibus.

10. *Oſſiculum figuræ anomalæ.* Duabus unciis longius, duas propemodum latum, $1\frac{1}{2}$ craſſum, coloris citrini obſcuri, aſperiuſculum ac ſi arenâ reſperſum eſſet ab uno latere inæqualiter planum, ab altero in labium duplex intumeſcens, valdè aſperum, fiſſura per longitudinem decurrente.

Duo adhuc alia oſſicula anomalæ & inſolitæ figuræ deſcribit: quæ apud ipſum vide *Muſ. Reg. Soc.* p. 189, 190.

11. *Oſſiculum acuminatum aliud.* Prægrande eſt $3\frac{1}{2}$ digitos longum, $1\frac{1}{2}$ craſſum, duos pænè latum; ab uno latere valdè convexum, ab altero propemodum planum, baſi ovali, cacumine in punctum ſtatim exacuto, colore rubiginoſo, prædurum & rugoſum ſeu aſperum, ſulcis latiuſculis pleriſque ſecundum longitudinem extenſis, è quorum nonnullis ligneæ aliquot fibræ exoriuntur. Sulci in hoc aliíſque hujus generis oſſiculis fibrarum lignearum ſedes ſeu veſtigia impreſſa intelligendi ſunt. Aliud huic ſubjungit ſimile oſſiculum, multis non tamen valdè profundis ſulcis undique inæquale, quorum nonnulli à baſi ad verticem ferè producti ſunt.

12. *Oſſiculum ſeu Nux ovalis,* magnitudine & figura Olivæ mediocris. Undique læve eſt, coloris leucophæi ſplendentis, veluti Mammei oſſiculum, exceptâ duntaxat baſi, quæ ſordidior & rugoſa cum duobus anguſtis glabris marginibus labiorum aut oris aperti æmulis à cujus angulis crena ſeu ſulcus naturalis Nucem ſeu oſſiculum undique cingit.

13. *Nux Indica velut larvam oſtendens* J. B.

Niger eſt, duas uncias fere longus, unciam pæne latus, ceu monticulis quibuſdam inæqualis, ovata figura longiore; cui terni ſcrobiculi ſupernè adverſa facie impreſſi, eo ſitu ut larvam quandam Simiæ caudatæ aliquo modo repræſentent ſine naſo.

14. *Alia præcedenti ſimilis, ſi non eadem* J. B.

Figura à præcedente nonnihil evariat. Nam & tres illas ſcrobiculas habet, ſed tribus lineis canaliculatis, in medio concurſu tres angulos oppoſitos facientibus, interſtinctas. Figura fructûs etiam ad triangularem accedit, ſecundum ſe longitudinem canaliculis ſtriatus atque ſulcatus, eâ parte quâ foramina ſunt latiore, oppoſita anguſtiore; color ex pullo cinereus. Concuſſus nullum ſonum præbet.

Hujus generis Nuces ſex ſeptémve deſcribit * D. Grevius Palmacoci nomine. 1. Prima longitudine ſemipedali erat, media parte duos digitos lata, baſi nonnihil ovali & prominente cum tribus amplis foraminibus ut in Coco, ſuperiùs conica & paululum inflexa. Tribus valvis ſeu laminis componitur, quæ totidem angulos concurſu ſuo efficiunt, inferne obſcuriores, ſuperiùs acutiores. Color varius pro diſtributione fibrarum lignearum. 2. Secunda mediæ magnitudinis, Juglandi majori par, $1\frac{1}{2}$ unciam longa, baſis diametro unciali. Ad margines foraminum in baſi, fibrillæ nigræ plurimæ in ambitu expanduntur ad modum proceſſuum ciliarium circa humorem oculi cryſtallinum. 3. Tertia pariter conica ſed minor, figurâ Pyri moſchatellini, Nuci myriſticæ parvæ magnitudine, ſubſtantia lignea, colore Buxi, cum tribus, ut in reliquis apertis foraminibus. 4. Quarta, Palmacocus caninus

* *Cat. & Deſcr. Muſei Reg. Soc.* p. 201, 202.

dicta, Nuci Indicæ larvatæ *J. B.* jam deſcriptæ ſimilis, ſpecie tamen (ut putat) diverſa, caput caninum non ineptè exprimens. Deſcriptionem vide apud autorem noſtrum loco citato. 5. Palmacocus ovalis, Nucis Myri. 6. Palmacocus latus, in tranſverſum uncialis, à baſi ad verticem non ultra $\frac{3}{4}$ unciæ extenſa, tribus in lateribus foraminibus propemodum æquidiſtantibus.

7. Palmacocus orbicularis, aliquantulum tamen compreſſus, diametro ſemunciali, colore & duritie Buxi, oſſiculi Perſicini in modum ſulcata. Foramina in lateribus terna æquidiſtantia, fibris capillaribus nigris obvelatis.

8. Nux rhomboides, præcedentibus affinis, $1\frac{1}{4}$ unciæ longa, $\frac{3}{4}$ unciæ lata, ſemunciam craſſa, lateribus paululum compreſſis, fibris ligneis tenuibus à baſi ſeu pediculo ad faſtigium productis undique opertus.

15. *Nucidactylus* Muſ. R. Soc. D. Grevii.

Duos plus digitos longa eſt, ad pediculum unciam lata, prope ſummitatem propemodum duas, Pyri inſtar turbinatus, linea ab uno latere elatiore ſecundùm longitudinem decurrente. Pediculus alba lanugine ut in Malo Cydonio tectus. Tunica exterior leucophæa, tenuis, mollis, glabra, ſub qua fibrillarum operculum non ut in aliis fructibus ſecundùm longitudinem productarum, ſed erectarum ad modum villorum in veluto dicto, aut ſetarum in dorſo porcino, ut exteriore tunica exuta, fructus ſcopulam ſetaceam ſeu echinum repræſentat. Omnes hæ fibellæ proximo tegumento circumcirca continuæ ſunt, quod ſubſtantia conſtat lignea, lenta admodum & dimidiam unciam craſſa. Operimento ſeu cortici huic proximè ſubjacet ſubſtantia quædam mollis leviſque, quæ ex ſpatio relicto vacuo initio pulpoſa admodum & ſucculenta pars fuiſſe apparet. Intra hoc pericarpium latitat oſſiculum magnitudine circiter ovi columbini, non ut in Prunis concavum, ſed ſolidum prorſus ut in Dactylis, ejuſdémque albicantis, denſæ & corneæ materiæ. In ſummo oſſiculo ut in Nuce moſchata efformatur cellula quædam rotunda in qua ſemen ſeu nucleus genuinus continetur.

16. *Nux oleoſa,* **The Butter-Nut.** *Ejuſdem.*

Novam Angliam agnoſcit matrem Nux iſta quæ ab oleo dulci quod copioſum nucleus fundit cognomen Butyraceæ meruit. Uncias $2\frac{1}{2}$ longa eſt; media parte unciam $1\frac{1}{2}$ propemodum lata, utrâque extremitate anguſtior, & aliquantulum prominens, ad Cucumeris parvi figuram accedens. Cute integitur læviore, colore Bætico in ſicca. Subſtantia interior nigricat, quæ initio pulpa quædam erat, ſeu cortex carneus $\frac{1}{4}$ circiter digiti craſſus, cortici Juglandis pulvinato reſpondens. Os fere ovale erat, ſex ſeptémve angulis ſecundùm longitudinem ſtriatum, maximis, qui oppoſiti ſunt, in mucronem acutum deſinentibus. Angulorum interſtitia inæqualia ſunt, lamellis plurimis & tuberculis rugoſa, ſeu exaſperata.

Uſus. Decocto corticis coloni Angli pannos lineos laneóſque Cinnamomi colore tingunt, abſque additione Aluminis, aliúſve rei cujuſcunque.

17. *Juglans anguloſa, ejuſdem.* **The edged Wallnut.**

Colore eſt Juglandis vulgaris, unciam fere longa, tantundem lata, paulo plus ſemuncia craſſa. Baſis, ſed præcipuè vertex, aliquantulum prominent: Octo angulis diſtincta eſt alternis acutioribus & obtuſioribus. Nucleus in figuram Juglandis vulgaris efformatus.

18. *Avellanæ Indicæ ſpecies,* Ejuſdem.

Figuræ eſt triangularis, uno latere majore duobus minoribus ſubtenſo. Baſis ſemunciam craſſa, $1\frac{3}{4}$ unciæ longa latáve, à baſi ad cuſpidem tantundem extenditur, coloris cinerei obſcuri, undique rugoſa ſeu ſcabra, ex diſtributione fibrarum plurimarum. Vera duntaxat baſis qua putamini adhæſit glabra eſt, & ut Avellanæ in medio fiſſilis.

19. *Avellana Novæ Angliæ,* Ejuſdem.

Breviores ſunt & latiores hæ nuces quàm Coryli vulgaris, apice depreſſiore, baſi productiore, colore ſimiles.

20. *Avellana purgatrix Novi Orbis.* **Barbado Nut.** *Ben magnum Medicorum vulgo* Monard.

Hanc ſuperiùs è Monarde & Cluſio deſcriptam dedimus. Pruni cujuſdam (ſi Ligono credimus) revera fructus eſt non Avellanæ. In nuclei meditullio latitat plantula ſeminalis foliis binis cum radicula & gemma conſtans, in qua ſola vis cathartica hoſpitatur; hac enim exempta reliqua pulpa innoxiè non minùs quàm alia quævis Nux edi poteſt, teſte *Ligono* Hiſt. Barbad. p. 68.

21. *Nux purgatrix Angolenſis* Muſ. R. S.

Longa eſt $\frac{3}{4}$ unciæ, tantundem lata, ab uno latere convexa ab oppoſito plana; colore Aurantii, teſta prædura; nucleo præcedentis ſimili. Surſum & deorſum purgat vehementer, ut vel una nux duodecies alvum ſubducat.

22. *Caſtaneæ figurâ fructus* Muſ. R. S. p. 207.

Vulgaribus Caſtaneis multo minor eſt. Cortex exterior fuſcus, tenuis, ſilicis tamen propemodum duritie aut Lithoſpermi vulgaris. Huic ſubjacet alius oſſiculi Pruni conſiſtentia & ſoliditate, cui includitur nucleus ſaporis non injucundi qui tamen aſperitatem in faucibus aut gutture creat.

23. *Caſtanea Novæ Angliæ.* Muſ. S. R.

Figura eſt Caſtaneæ vulgaris, ſed tantillo minor.

24. *Fructus Indicus decuſſatus* J. B. *Tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 116. *Caſtanea purgatrix* Muſ. S.R.

Ovilli renis formam habet, tanquam ex pluribus partibus coagmentatus, caſtaneæ magnitud. & colore, oblongus, craſſiuſculus, parùm compreſſus, interdum magis orbiculatus, paſtillum terræ Sigillatæ (qualis in Officinis fere oſtendi, & haberi ſolet) forma & magnitudine adæquans, quem una quidem parte duo ſulci decuſſatim in quatuor partes ſuis radiis dividunt. Oppoſita verò parte ſigmoides ſulcus duplex conformem porcam ambiens, artificioſè exaratus, inter cujus cornua triplex eminentia germinis ſedet.

25. *Ceratium monococcon Indicum* J.B. *Lobus Bugloſſoides* Muſ. S. R.

J. B.

Quinque uncias longus eſt, duas ferè latus, pediculo brevi, craſſo, firmo, non fructui ſuperficie tenus inſerto, ſed cortici continuo. Cortex porro craſſus, (thaleri craſſitudinem ſuperans) extima facie ſpadicea, rugoſa, quadam ſui parte pellucente, cum quibuſdam verrucoſis tuberculis, interna fuſca, pulverulenta, digitorum contactum fuſca quadam fuligine, veluti uſtilago (quæ è fructûs ſuperficie) inficiens. Ipſa cæterum corticis ſubſtantia veluti ex arenoſis quibuſdam micis firmiter adeò compactilis eſt, ut ſine vi quadam rumpere haud ità ſit facile. Quod cavitatem replet intus non faba eſt aut Phaſeolus, ſed phalloides fungoſus quidam fructus, internæ atque convexæ corticis cavitati exteriùs reſpondens magnitudine, ut integer fructus agitatus ſonitum intus edat: pulverulentus quoque eſt, teres, modicè recurvus ex fungoſa quadam materie compactus, colore fuſco intus foríſque: ſapor fatuus nec olfactu dignus.

Qui in Muſæo R.S. hujus generis aſſervatur lobus (deſcribente D. Grevio) triplo major eſt jam deſcripto, nimirum decem uncias longus, & in medio 4½ latus, utraque extremitate ovali, planus & tenuis, dimidium digitum craſſitie vix ſuperans, ventre æquali, dorſo convexo, obtuſo, tuberculis plurimis undique aſper, colore ruffo obſcuro. Tota cavitas interna unico nucleo repletur, è mira congerie fibrarum albentium, neque ſecundùm longitudinem neque ſecundùm latitudinem fructus extenſarum, ſed ſecundùm craſſitiem utrinque veluti dentes in pectine duplici, compoſito. Fibrarum interſtitia pulvere replentur, qui initio pulpoſum fructûs parenchyma fuit.

CAP. XI.

Fructus peregrini Wormii.

1. PRimus eſt ſeſſilis excavatus, pulpam quandam tenuem, exſiccatam continens, patinæ modo cavam, ut nucleum alium ambiviſſe ſuſpicio ſit. Parte inferiore & ſeſſili foramen habet, quod tamen cultro majus redditum videtur; tantæ magnitudinis ut nucem Avellanam capere poſſit, per quod interiorem ſuperficiem luſtrare licet. Cinereus, aſper, inæqualis, ad rotunditatem accedens, figurâ ferme lapidis Brontii, in circumferentia pollices ſex cum dimidio obtinens.

2. *Secundus* eſt ovalis, cinereus, aſper, ovum parvum gallinaceum figurâ referens, paululum acuminatum, ſed parte craſſiore pediculi ſervans veſtigia. Ab hoc pediculi puncto ad ſummum apicem pollices duos cum ſemiſſe habens in ambitu quatuor, concuſſu ſonitum ab incluſi nuclei attactu edens: ſed nullis prominentiis aut tuberculis inæqualis, affinitatem quandam habere videtur cum fructu 2. Garetti à Cluſio l. 2. Exot. c. 16. deſcripto.

3. *Tertius* quodammodo figurâ refert fructum, quem Cluſius l. 2. Exot. c. 16. vocat *Coxco-cypote*, colore fuſco, præ lævore ſplendens, in utroque apice cineream & falcatam quandam habens prominentiam. Nec fructus mihi videtur, nec alterius fructûs oſſiculum, quia cavus, mollis, læviſſimus, nullum in ſe nucleum habet, nec in aqua ſubſidet. Si acu aut cultello pupugeris facilè ad interiora penetraveris: potiùs Fungi genus quoddam dixero. Ovum columbinum majus figurâ refert.

4. *Quartus* elegans eſt, altera parte ſeſſili, Nucis moſchatæ magnitudine: cortice conſtat tenui, cujus pars tertia ſcabra eſt, inæqualis, coloris ſpadicei, lapidem Bufonium colore & lævore fermè referens. Parte ſeſſili foramen eſt, non naturâ, ſed caſu proculdubio impreſſum, per quod & corticis tenuitas, & nuclei ei innatantis fermè conſtitutio videri poteſt. Eſt autem nucleus cortice paulò minor, unde concuſſus fructus alliſu ſonitum excitat: cæterum ipſe nucleus exteriùs coloris eſt purpurei ſed interiùs albi. Sunt qui Balſami Peruviani fructum eſſe putent.

5. *Quintus* ejuſdem ferè cum priore eſt magnitudinis, parte altera lævis & lubricus cum exigua prominentia in medio, colore luteo, figura ovali, aliquantulum ad angulos obtuſos protuberante: Parte altera inæqualis & ſcabra, ſeptem ſinubus ſeu foraminibus in medullam perviis præditum, coloris cinerei, nucleum nucis Juglandis quodammodo referens, ſed lignoſus & durus etiam hac parte eſt. Ego arbitror affinitatem magnam habere cum ſexto fructu deſcripto à Cluſio l. 2. Exot. c. 30. Quidam veram nucem Metel eſſe arbitrantur.

6. *Sextus* Dactylum fermè figurâ æmulatur, oblongus, compreſſus aliquantum, duas uncias longitudine ſuperans, unam latitudine, utrinque acuminatus, colore purpureo, ſtriatus & rugis inæqualibus dotatus. Aut è genere Nucum eſſe videtur, aut os majoris alicujus fructûs. Lignoſus namque eſt, durus, an verò nucleum in ſe contineat non liquet, quia concuſſus non reſonat. Neſcio an ad Zabucayo referri debeat.

7. *Septimus* ovalis eſt figuræ Os, ovum gallinaceum parvum magnitudine æquans, ſed utrinque acuminatum, lignoſum, flavum, nucleum continens, qui moto & concuſſo fructu reſonat. Tectum verò fuiſſe videtur pulpa quadam candida, cujus reliquiæ tenacitèr adhuc ei adhærentes conſpiciuntur.

8. *Octavus* gemellus erat duorum Prunorum majuſculorum, invicem cohærentium magnitudine. Alter verò illorum (inquit Wormius) appendicem habebat roſtratum, Nucis Avellanæ minoris magnitudine. Nec genuinum ejus colorem, nec pulpam aut nucleum delineare potuit Worm. quia interiore nucleo aut ſubſtantia ſpoliatus erat & exterior facies vernice obſcure flava obducta: in extremitate appendicis colore nigro ſplendente præditus, ex eo namque retenta naturali figura pyxidem fecerant Tabaco ſternutatorio deſtinatam.

CAP. XII.

1. *Pinei coni facie fructus exoticus* J. B. *T.* 1. *P.* 2. *pag.* 264.

J. B.

PEdiculo minimi digiti ferè craſſitudine, rufo, duro atque lignoſo, *folia* mutuo incubitu adnaſcuntur, digitum ferè longa, firma, ſubſtantiâ lignoſâ, triquetra, principio anguſtiore, reliqua parte latiora, & faſtigio tenus recurva, numeroſiſque ſquamulis, foliaceis, lucentibus nigriſque veſtita. Hæc pars quæ incurva, modico inflexu ſeparatur, ut fructum eſſe ſquamoſum ſuſpicio ſit. Folia quæ intus deliteſcunt extimis breviora, & denſiore dictorum foliorum ſtipatu obſepta: per quorum longitudinem extimam coſta inſignis, angulum faciens, excurrit, parte interna carinata. Sapor nonnihil amaricat, non ſine aſtrictione nidorulenta, ac ſi fructus in fumo eſſet exſiccatus. Partes ex comeſtione dentiúmque attritu hærent, quod argumento eſt ſubſtantiam nonnihil eſſe viſcoſam.

A C. Bauhino fratre hunc fructum habuit. Dignus eſt inquit qui cum Carduo Madagaſcar conferatur, cujus ergo deſcriptionem ſubjiciemus, ut Lector invicem conferat.

2. *Carduus ex Madagaſcar Indiæ* J. B. *Inſulæ Madagaſcar* C. B. *Cardui cujuſdam elegantiſſimi caput, ſub fructu* 15. Cluſ. Exot. *lib.* 2. *cap.* 15.

Erat id caput tres uncias cum ſemiſſe longum, inferna parte unciam latum, ſuperna magis, ut quod explicatum ex multis ſquamis imbricum modo ſibi invicem incumbentibus conſtaret, quæ circa mediam & ſupernam ipſius capitis partem majores, præ ſiccitate reflexæ erant ſummo faſtigio, & quodammodo in lacinias diviſæ, coloris ſpadicei; inter quas exortæ erant velut exiguæ membranaceæ ligulæ, planæ & ſatis anguſtæ, cineracei quaſi coloris, ſumma parte latiores & foris exalbidæ, internè autem ſpadicei coloris, molliſſimo longóque villo ſaturæ purpuræ elegantiſſimæ per oras ornatæ, quæ temporis ſucceſſu in atrum degenerabat. In medio capite denſa erat villoſorum ſtaminum flaveſcentis coloris congeries, inter quæ latebant anguſtæ & pungentes ſpinæ, binas uncias longæ, quibus infima parte villoſum ſemen inhærebat, Nerii ſemini non diſſimile, fuſci ex rufo coloris, ſed immaturum.

In magno illo ſinu inſulæ Madagaſcar à Luſitanis *Bayo d' Anton. Gill* nuncupato lectum erat.

3. *Cachos* J. B. *Solanum pomiferum folio rotundo tenui* C. B.

Arbuſti modo naſcitur, & inſigni virore prædita eſt, folio rotundo & tenui. *Fructum* fert Malo inſano ſimilem, altera parte ſeſſilem, alterâ turbinatum, cinerei coloris, grati ſaporis & acrimoniæ expertis, minutum admodum ſemen continens.

Invehitur tantùm in Peruvianis montibus.

Magnæ eſt apud Indos æſtimationis ob inſignes facultates. Nam urinas ciet, calculum è renibus pellit, quódque præſtantius eſt, illius uſu calculum in veſica comminui ferunt, ſi mollis adhuc ſit, ulliſque medicamentis cedat. *Vires.*

SECTIO

SECTIO QUARTA.

De Plantarum quarundam ſuccis in Medicina uſitatis.

Notas Gummi, Reſinæ, & Succi inſpiſſati, vide Lib. 1. *Hiſt. noſtr. p.* 10.

1. *Olibanum, ſive Thus* Park. *Thus* J. B. *Arbor thurifera* Ger. C. B. **Frankincenſe or Olibanum.**

J. B.

SIcca ac pinguior eſt Thuris lachryma quàm Maſtiche, ſtatímque in luculentam pertinacémque flammam exardet, odore multo imbecilliore, ſed nihil per incendium ſtillat, u Maſtiche; dentibus ſtatim friatur, verùm friatura non cogitur denuo, ut Maſtiches, neque ut ea libere volutari poteſt, cùm dentibus eorúmque præſepiolis adhæreſcat. Sapore eſt amaro & modice acri, non ingrato tamen, Cæſalpino adſtringente ſubamaro. Colore eſt ex albo fulveſcente, minúſque pellucet quam Maſtiche, colore candicante aut ſubruffo; tranſlucidæ guttæ, aliàs ſingulares, aliàs gemellæ teſticulos aut mammas, prout eæ majores minoréſve fuerint, imitantur, unde & Mammoſi & Maſculi Thuris cognomenta: interdum quaternæ aut quinæ, magnitudine Ciceris, Avellanæ, & majores, adhærentes nonnunquam ſuo cortici unde exſudarunt: friatura vero immundior ex grumorum attritu decuſſa Thuris Manna Græcis appellatur.

Quod ex eo [Thure] inquit Plinius rotunditate, guttæ pependit *maſculum* vocamus, cùm alias non fere mas vocetur ubi non ſit fœmina. Maſculum alii putant à ſpecie teſtium dictum. Caſp. Hofmannus quam ob cauſam maſculum vocabant ſe neſcire ſcribit, nec enim arridere quæ Plinius dicit lib. 12. cap. 14. Nobis ſatisfacit Plinius ob formam vel præſtantiam maſculum dictum.

Mammoſum Thus J. Bod. à Stapel à maſculo diſtinguit quod illud oblongis grumis mammarum inſtar pendulis compoſitum ſit; hoc parvis rotundis candicantibus aut flavis, interdum ſingulis, interdum teſticulorum inſtar gemellis conſtat: Alii hoc ab illo non differre volunt.

De Arbore Thurifera nihil certi traditur. Theophraſtus Arborem non magnam eſſe tradit, quinque fère cubitis attolli, ramoſam eſſe, folia habere Pyro ſimilia, corticem lævem ut Laurus. Alii tamen (inquit) ſimilem Lentiſco eſſe aiunt, & ejuſdem fructus ſubrutilo folio. Alii & cortice & folio etiam Lauri. Diodorus Siculus Acaciæ Ægyptiacæ formam Arbori thuriferæ attribuit, Salicis folia, Lentiſci autem folia Myrrhæ arbori, in quo Dioſcoridi & Theophraſto plane contrariatur; quomodo hæc concilianda non video, niſi ſit quædam tranſpoſitio. Garcias quoque Thuris arborem humilem eſſe & folia habere Lentiſco ſimilia ſcribit.

At Thevetus Arborem Thuriferam Pinus reſiniferas referre tradit: verùm iconi quam proponit cum Pinis nulla eſt ſimilitudo; quamvis ſe fingat adſtare arbori, aut ei adſtantem pingat. De vera ergo forma hujus arboris etiamnum incerti manemus, quod neque Veterum quiſquam, neque Recentiorum in vaſtas illas Arabiæ ſolitudines penetravit quæ Thus dant, ut Caſp. Hofmanni verba uſurpem.

Oportet tamen ut Regio thurifera ſatis latè pateat, & arboribus etiam abundet, cùm thus tam vili veneat.

De loco Thuris natali magna lis eſt: nonnulli Arabiam ſolam Thus gignere ſcribunt, nec tamen eam omnem, ſed Sabæam dictam, *Solis eſt Thurea virga Sabæis,* Virg. Juba, autore Plinio, negat in inſulis naſci præter Arabiam ullis. Thus quoque præter Arabiam nullis gigni Theophraſtus & Plinius tradunt. Dixere tamen poſtea, quòd ex relatu acceperant, id etiam naſci in quibuſdam inſulis. Thevetus etiam multas inſulas & regiones hujus feraces eſſe ſcribit præter Arabiam, & quibuſdam in locis tam vulgarem eſſe quàm Aurantiæ Malum: Thus tamen quod ex Arabia defertur ut olim ità & nunc omnium præſtantiſſimum haberi.

Dioſcorides præter Arabicum Thus inveniri & Indicum ſcribit. At Garcias per univerſam Indiam. Thus non naſci certiſſimum eſſe ait, cùm quicquid Thuris ibi conſumatur ex Arabia deferatur: & miratur à quo Dioſcorides id acceperit. Potuit fortè à colore nigro quoddam Thuris genus Indicum appellari, quemadmodum Myrobalani nigræ Indæ denominantur. At * Bodæus à Stapel Indum Græcos vocâſſe ait hoc genus, non quòd in terra ipſa Indiæ continente naſceretur, ſed in inſulis Arabiæ adjacentibus, quæ tum temporis erant ſub Indorum poteſtate, quæ deinde ab Arabibus forte ſunt recuperatæ, & hodie ſub eorum ſunt principatu. Duplicem Thuris quotannis meſſem eſſe tradit Plinius & confirmat Thevetus. *Meti ſemel anno ſolebat, minore occaſione vendendi; jam quæſtus alteram vindemiam affert; prior atque naturalis vindemia canis circa ortum flagrantiſſimo æſtu, incidentibus quà maximè videatur eſſe prægnans, tenuiſſimúſque tendi cortex. Autumno legitur in æſtivo partu. Secunda vindemia eſt vere, ad eam hyeme corticibus inciſis,* Plin. Quod æſtate colligitur candicans, purum, nitidum, pellucidum eſt (inquit Thevetus) alterum quod vere rubeſcens, pondere, pretio, bonitate, viribus ſuperiore longè inferius.

* *Comment. in Theophr. hiſt. lib.* 9. *c.* 4.

Vires. Quod ad vires attinet, Thus calfacit, ſiccat & ſubaſtringit. Uſus præcip. intrinſecùs eſt ad varios capitis & pectoris affectus, ut & ad alvi uteríque profluvia, ad tuſſim (deglutitur veſperi fruſtatim) vomitum, ſanguinis excreationem, diarrhœam, dyſenteriam mitigandam. Avicenna depravatis ſenſibus & abolitæ memoriæ Thus opem præſtare tradit. Dioſcorides Thus in ſecunda valetudine hauſtum inſaniam facere, & largiùs cum vino ſumptum interficere ait. Nos ergo (inquit J. B.)

conſulimus, ut nulli affectui interno præſcribatur, nec etiam in ſuffumigiis, ſi vera ſcripſit Dioſcorides de ejus natura. Sunt nobis alia tutiora medicamenta pro roboranda memoria, & adversùs alios pravos affectus internos.

Extrinſecùs inſervit ſuffitibus pro capite roborando, catarrhos diſcutit, cava ulcera carne replet & ad cicatricem perducit: cruenta vulnera, cephalica imprimis glutinat, perniones (cum ſuillo adipe aut anſerino) ſanat; ulcera cacoëthea tum ſedis, tum reliquarum partium demulcet (tritum cum lacte linimentum:) oculorum rubedini ac lippitudini medetur (ſcil. aq. Roſarum multiplici in extinctione Thuris imprægnata, lactíque muliebri poſtmodum commixta pro collyrio liquido:) verrucas incipientes & impetigines abigit (cum pice & aceto impoſitum) Emplaſtris, unguentis, Balſamis ad vulnera & ulcera mundanda & carne replenda utiliter admiſcetur. Præcipui usûs eſt in Cranii fracturis.

Olibanum cum albumine ovi tritum & temporibus applicatum hemicraniæ & cephalalgiæ prodeſt.

Ad aurium dolores, [aures ulceroſas *Matth.*] cum vino dulci [& calido] infunditur.

Cortex thuris vim habet eandem quam thus, efficacior tamen eſt & magis aſtringit. Quare potus magis commodat ſanguinem ſpuentibus, & fluidis affectionibus appoſitus. Hodie in uſu non eſt; nec ſcio an olim importaretur per ſe, ſed duntaxat qui unà cum Thure ab arbore deradebatur, eíque adhærebat.

Alia res eſt cortex thuris nonnullis dictus, vel Thymiama, vel Thus Judæorum quòd Judæi in ſuffumigiis frequenter utantur, eſt corticoſum quid ex India allatum. Manna Thuris dicta eandem etiam vim habet quam Thus ipſum; nec enim aliud eſt quàm micæ Thuris concuſſu eliſæ, ut Plinius ſcite.

Fuligo etiam Thuris olim in uſu fuit ad mitigandas oculorum inflammationes, ſiſtendas fluxiones, repurganda ulcera & cava implenda compeſcendáque carcinomata; verùm nunc dierum non amplius in uſu eſt. Modum autem faciendi fuliginem vide apud J. B. tom. 1. part. 2. pag. 306.

Cæterùm Thuris uſus antiquiſſimus & longè celeberrimus erat in ſacris; thure enim ſacrificabant olim, eóque in templis ad ſuffitus utebantur. Nec rarior ejus uſus eſt nunc dierum in templis Chriſtianorum ad ſuffumigia. Ejuſdem (inquit Amatus) etiam uſus eſt in luſtrandis mortuorum cadaveribus. Et mirum dictu ut hic mos per omnes ætates, inter omnes ferè gentes & religiones inolevit.

Thuris limpidi folium Lob.

Nobis cum Parkinſono nihil aliud eſſe videtur quàm Limonio congeneris plantæ Cluſio dictæ folium. An J. Bauhino eo nomine deſcriptum diverſum ſit inquirendum.

Thus, vel Tus ut in antiquis codd. abſque aſpiratione legitur à tundendo dici ſcripſit Soſipater, ut Tus dicatur quaſi tuſum, nempe à glebis tuſis, ſive tunſis. Aliis placet thus dici quaſi θύος ἀπὸ τοῦ θύειν; quod Voſſio magis placet: nam θύος Græcis idem ac θυμίαμα ſuffitus, ſive ut Recentiores loquuntur incenſum. Quemadmodum θύειν unde θύος, idem interdum ac θυμιᾷν *ſuffire. Voſſ.*

Λίβανον Græcis quidem dictum volunt à juvene Aſſyrio ejus nominis in hunc fruticem converſo, quem Deos ſtudioſiſſimè colentem invidi occiderunt. Hinc Diis Thure gratius nihil aſſerunt. Alii malunt à monte Libano: Sed in eo, Thuris arborem reperiri Veterum nemo prodidit. Veriſimilior illorum opinio, qui à λίβω ſtillo nomen accepiſſe ſcribunt. Officinæ Olibanum vocant à Græca voce λίβανος, λίβανος arbor λιβάνωτος lachryma. Euripidi vice verſa λιβάνωτος arbor, λίβανος lachryma ut Recentiorum nonnulli obſervârunt.

2. *De Myrrha.*

Myrrha Græcis Σμύρνα & Μύῤῥα. At Μύῤῥα pro Σμύρνα Æolicum eſt, à quibus Latini mutuati ſunt. Myrrhæ nomen (ut Poetæ fabulantur) accepit à Myrrha Cinaræ regis Cypriorum filia, quæ nefando patris amore capta, cùm aliquot noctes auxilio nutricis cum illo concubuiſſet, tandem illato lumine agnita, cùm illam pater occidere vellet, noctis beneficio elapſa in Arabiam confugit, ubi in arborem ſui nominis eſt converſa. Vide fab. Ovid. Metamorph. 10. Verius Etymon eſt à μύρον unguentum. De Myrrhæ arbore nihil certi traditur, nec à Veteribus neque à Recentioribus. Theophraſtus Myrrham quam Thuriferam arborem & minorem & humiliorem eſſe dicit, fruticoſiorémq; caudice duro contortóque juxta terram, craſſiorémque ſurâ hominis; folium habere Thuris, aculeatum tamen & non læve ut illius. Dioſcorides Myrrhæ arborem ſimilem Spinæ Ægyptiacæ eſſe dicit. At Diodorus Thuriferam arborem Spinæ Ægyptiacæ ſimilem facit; Myrrham autem Lentiſco cui Dioſcorides Thuris arborem comparat. Quod de Bellonio 2 Obſ. 8. recenſent quidam (inquit * Caſp. Hofman.) quòd viderit Ramæ in Palæſtina inane eſt. Hariolatur tantùm (ut Scaliger loquitur) ex vicinia cum Acacia Ægyptiaca, cui comparari audiverat à Dioſcoride l. 1. c. 78. Interim non contemno ſpinoſam arborem Penæ *Adv.* f. 428. quod & Acacia ſpinas habeat in trunco, licet alio modo. At Theveti arborem, quam Hiſt. Lugdun. etiam dat, rideo.

* *De Medicam. officin. l. 2. c. 154.*

Myrrham ſic deſcribit J. Bauhinus. Glebæ Myrrhæ aliæ pugillares ferè, aliæ Avellanæ magnitudine & minores, colore fulvo, ruffo, aut ferrugineo, aliæ pellucidæ, aliæ minùs, ſubinde etiam unguibus eximiis albis præditæ: ſapore amaro, ſubacri: odore nares ferit acriter, ubi adoletur, nam flammam concipit. Dentibus attritæ friabiliores apparent quàm quod pro Bdellio exhibent, nec aquæ immerſæ diſſolvuntur ut gummi, ſed diutiùs in ea relictæ limi inſtar diffluunt & flaveſcunt. Digitis etiam faciliùs confringuntur teruntúrque. Quibus notis (inquit) facile diſtingues ab admixto adulterato gummi, & ſuppoſititiis glebis.

Myrrham Officinarum legitimam non eſſe ſuſpicatur Fuchſius, quòd notæ Myrrhæ apud Dioſcoridem illi non conveniant. Quin ipſi Bdellii indicia magis reſpondere videntur. Concludit autem ſiquidem Myrrha ſit eam eſſe ſpeciem quæ Caucalis & Ergaſine Dioſcoridi cognominatur.

Braſſavolus aliíque Myrrham Officinarum pro Bdellio habuerunt. Et revera tanta intercedit inter Bdellium & Myrrham ſimilitudo, ut facilè ab incautis & minus expertis unum pro altero accipi poſſit. Verùm Myrrha facile diſcernitur, quòd impenſe amara ſit, non autem Bdellium, præterea pallidior, pinguior, fragilior, odoris acrioris & magis pungentis, minus denique pellucida quàm Bdellium.

Langius & Alii Benzoinum dictum omnes Myrrhæ electæ proprietates habere ſcribit. At ipſius confeſſione deſideratur amaritudo, quam Dioſcorides in Myrrha requirit. Plerique Myrrham Officinarum improbant & pro genuina & optimæ notæ Myrrha non habendam ſtatuunt, ſed vel Ergaſinen Dioſcoridi dictam vel Indicam à Plinio vocatam. Verùm J. Bauhinus, Parkinſonus aliíque in ſimplicibus medicamentis examinandis verſati Veram Myrrham ad nos adferri ſtatuunt, quamvis ſæpius adulteratam cum Gummi, & argumentis in contrarium allatis reſpondent.

Notæ optimæ Myrrhæ Galeno ſunt, quòd ſit mundiſſima & tactu quidem aſpera, & arida & fragilis & levis, & globulis puſillis, extrinſecùs uno colore, intrinſecùs deinde ſubruffa & veluti venulas habens albicantes, odore ſuavi, guſtu amara & excalfaciens. Adde ex Dioſcor. quòd ſit recens πρόσφατος. Hæc dubio procul (inquit Caſp. Hofm.) illa eſt quam vocat λιπαρὰν & λιπαρωτάτην ob copioſum Stacten.

Omnibus autem præfertur quæ à loco unde convehitur Troglodytica appellatur, colore palleſcens ſeu ſubviridis, ſplendens ac mordax.

Pro ſecunda nota, *ut ſit friabilis* ψαθυρὰ Caſp. Hofman, ponit ȣ ψαθυρὰ non friabilis, cujus rationes apud ipſum vides nobis non ſatisfaciunt. Nam eadem nota habetur apud Plinium, qui Dioſcoridi vel coævus erat, vel antiquior, & apud Galenum. Aliarum notarum explicationes vide apud C. Hofmannum prædictum.

De Myrrhæ generibus non attinet dicere, cùm nihil certi ſit, & omnia mercatorum fraudibus conſtent, uti nec de Myrrhæ adulteriis. At verò inquiret fortaſſe Lector quid ſit Opocalpaſum ſeu Opocarpaſum, à quo maxime cavendum jubet Galenus nè Myrrhæ admixtum ſit. Opocarpaſum ex ſententia Caſp. Hofm. eſt Myrrha Indica Plinii, quæ ibidem quadam è ſpina colligitur; ſiquidem hac Plinius fallaciſſimè adulterari Myrrham ſcribit. Galenus autem Opocarpaſum mentiri poſſe optimam Myrrham ait: at quei poſſit eſſe major fallacia. Mera hæc eſt conjectura, nec noſtro judicio valde probabilis, cui tamen refutandæ immorari operæ pretium eſſe non ducimus. Opocarpaſus certè ſuccus erat venenatus, ſoporem & ſtrangulationem præcipitem inducens. Et Galenus in ætatis ſuæ decurſu ſe multos vidiſſe refert mori, quòd Myrrham cui Opocarpaſum admiſtum eſſe neſciebant ſumpſiſſent. Cujuſnam autem plantæ arboríſne an herbæ ſuccus eſſet Opocarpaſum dictum nemo Veterum nos docet, nec recentiorum quiſquam novit. Adjuvantur autem qui hunc hauſerunt epotæ Cicutæ remediis.

Stacte in genere nihil aliud eſſe videtur quàm Myrrha liquida. Duplex autem ejus colligendi modus apud Veteres occurrit. 1. Sponte ex arbore non vulnerata exſudat. *Sudant* (inquit * Plinius) *arbores Myrrhæ ſponte priuſquam incidantur Stacten dictam, cui nulla præfertur.* 2. Exprimitur ex Myrrha cum modica aqua contuſa, ut docet Dioſcorides. Hoc modo Cordus ex electa Myrrha ſe Stacten expreſſiſſe aſſerit; quâ vix aliqua reperiatur quæ diutiùs & latiùs oleat, odore aromatum modo jucundo. Et Valerandus Dourez è Myrrha trita & calefacta eo modo quem præſcribit Dioſcor. Stacten præparabat: quam ſane ſatis jucundi odoris & amaram experiebatur. *J. B.* Hoc modo & Oleum Liquidambar è Reſina ejuſdem nominis exprimitur.

* *Hiſt. nat. l. 12. c. 15.*

Stacten Arabes Styracem vel Storacem liquidam appellarunt, quos ſecutæ Officinæ & medicorum vulgus. At verò quicquid ſit de Arabum Storace liquida, Officinis ità dictam Stacten non eſſe oſtendit Cordus.

Vires. Myrrhæ Dioſcorides has vires attribuit, Vim habet calefaciendi, ſoporem inducendi: [non in omnibus (inquit Caſp. Hofman.) ſed in capitibus, aut frigidis naturâ aut alioqui pituitâ occupatis, in quibus aromata id faciunt. At Cordus Stacten propter gravitatem aliquam ſenſoriis irrepentem facilè ſomnum conciliare ſcribit] glutinandi, ſiccandi, adſtringendi [Alii Myrrham aſtringere negant, cùm menſes & partus celeriter ejiciat] Mollit etiam uterum concluſum & aperit. Ducit item menſes & fœtus celeriter cum Abſinthio, aut Lupinorum cremore, aut Rutæ ſucco appoſita. Myrrha etiam nunc dierum à multis commendatur in partu difficili, [quòd menſes interdum ſiſtat id fit ſiccando & ſerum abſumendo] Sumitur etiam pro catapotio magnitudine Fabæ ad tuſſim veterem, & orthopnœam, & laterum ac thoracis dolorem alvíque ſolutionem & dyſenterias [hoc efficit non adſtrictoria vi, quâ caret, ſed quatenus ſiccat & digerit humores acres & rodentes. *Caſp. Hofm.*] Solvit quoque rigores ante acceſſionem cum Pipere & aqua magnitudine Fabæ pota. Arteriæ etiam aſperitatem & vocis raucedinem corrigit, Lingua ſuppoſita, & ſucco inde deglutito. Necat & lumbricos amarore nimirum, & ad oris graveolentiam manducatur. Ad alarum dolores illinitur cum alumine liquido. Si verò cum vino & oleo colluatur gingivas & dentes corroborat: inſperſa quoque vulnera in capite glutinat. Et contuſas aures & denudata oſſa cum Cochleæ carne impoſita ſanat. Et pure fluentes inflammatáſque aures cum Papaveris ſucco, Caſtoreo ac Glaucio illita. Ad varos autem cum Caſſia & melle illinitur, & impetigines deterit cum aceto. Defluos item capillos cum Ladano & vino Myrteo oleo illita corroborat. Mitigat quoque diuturnas deſtillationes naribus cum penna illitis. Replet ulcera in oculis, ac ea quæ pupillis tenebras offundunt, & aſperitates deterit.

Exſiccatoria & abſterſoria vi pleraque hæc præſtat. Unde & olim inſignis ejus uſus erat in conſervandis cadaveribus. Aſt inquit J. Bauhinus, Myrrha non ex omni parte beata eſt. Scimus enim cum Galeno Myrrhæ odorem plurimis etiam ſanis dolorem capitis inducere. Et Galenus, citante Caſp. Hofman. 5. Simpl. 19. Myrrham habet inter ea quæ ob copiam humiditatis, ſi largiùs ſumantur, quoſdam dementant, quibuſdam etiam mortem inferunt.

Recentiores nonnulli Myrrham hydropicis conducere ſcribunt. Matthiolus cum Agrimonia potam.

Schroderus extrinſecus prodeſſe ait in igne ſacro, gangræna, tumoribus, vulneribus inveteratis ac recentibus, præcipuè capitis, unde in Emplaſtris ſticticis, ut vocant, uſus ejus creberrimus eſſe ſolet.

Myrrha Bœotica Dioſcor. quam dicit Arboris cujuſdam in Bœotia naſcentis radicem eſſe, & calefaciendi, emolliendi vim habere, utiliter etiam in ſuffitus admiſceri, hodie prorſus incognita eſt.

Ægyptii hodie tempore Peſtis Myrrham maſticare dicuntur.

3. *Sagapenum omnium Autorum.*

Serapinum *Offic.* à Sagapeno corruptum eſt. Sacopenium Plinius à Sagapeno aperte diſtinguit l. 20. c. 18.

Eſt autem Sagapenum Dioſcoridi ſuccus herbæ ferulaceæ in Media naſcentis. Schroderus lachrymam ſeu gummi arboris cujuſdam ferulaceæ eſſe ſcribit ejuſdem nominis ex qua ſauciata educitur. Galenus ſtirpem ipſam Sagapenum primariò vocari ait, ſuccum abuſive, cùm rectiùs Sagapeni ſuccus diceretur.

Quemadmodum autem olim incognita erat planta quæ ſuccum hunc dabat, ita & hodie quoque *Caſp. Hofman.*

Sagapenum ita deſcribit J. B. Guttis conſtat magnis velut Thuris mammoſi aut maſculi (interdum in glebas magnas coactum) Opopanacis modo ruſeſcentibus, intus corneo quodam colore prædítis, ſub dente vel etiam digito lenteſcentibus, albeſcentibuſque, mordaci acriq; ſapore, odore viroſo, candelæ admotis flammam concipientibus. Aſſulæ rariùs in maſſa inventæ, ſubſtantia fungosâ, albâ, foris purpuraſcente, rariùs adhuc caulis ipſius portiones juſtæ, digitalis craſſitudinis, ſtriatæ, fibris longis contextæ, quarum ſpatia opplet fungoſa laxâque ſubſtantia: ſemen quoque gemellum, Ferulaceo par, ſemunciâ longius, ſemunciam ferè latum, impuriores ſunt glebæ quarum vix grumos internoſcas, ita omnes ſunt concretæ veluti fuſæ, colore ſordido, ſapore & odore ſimili.

Notæ bonitatis Dioſcoridi ſunt pellucidum eſſe, extrinſecùs fulvum eſſe, intus album, odorem inter Silphii ſuccum & Galbanum medium habere, acrem ſaporem. Meſue colore medium eſſe inter ſubrubrum & ſubalbum, odore Porri in aqua facilè reſolvi (quod nec Aſſæ, nec Galbano contigit.)

Sed quo ſenſu (inquit Caſp. Hofmannus) accipere oportet illa in Galbano, ὅσον ἀφρῶδες ϗ κυφὸν ἔστι, non eſſe ampliùs Galbanum, ſed tranſire in Sagapenum modo in aqua diſſolvi? Hoc, notam illam facilè in aqua diſſolvi non eſſe propriam Sagapeno, ſed convenire etiam deteriori Galbano. Unde & ab odoris convenientia valdè adjuvatur ſententia Lob. & Penæ Adv. p. 349. *Tria hæc gummata Sagapenum, Aſſam, Galbanum eſſe cognatarum plantarum ferulacearum natalibus differentium ſuccos.*

Sagapenum potentiſſimè aperit, diſcutit & attenuat, non leviter etiam abſtergit. Facit (autore Dioſcoride quocum & Plinius conſentit) ad thoracis & laterum dolorem, rupta, convulſa, & tuſſes veteres. Craſſa in pulmone hærentia repurgat. Datur & comitialibus, opiſthotonicis, ſplenicis, paralyticis perfrigeratis, in febribus per circuitum repentibus in potu. Sed & in unguentis commodè adhibetur. Ducit & menſes & fœtus corrumpit cum aqua mulſa potum. Auxiliatur commorſis à beſtiis venenatis cum vino ſumptum. Excitat eas quæ ab utero ſtrangulantur ſi cum aceto ipſum olfaciant. Deterit cicatrices oculorum, & quæ pupillis tenebras offundunt, & ſuffuſiones. *Vires.*

Inter purgantia validiora habetur. Meſue ait nocere ventriculo & hepati. Corrigit aſtringentibus & tonum conſervantibus, ut Spica, maſtice, &c.

Vires ſummatim recenſet Schroderus. Tanta extrahendi vi pollere dicitur, ut quoque ſpicula è carne eliciat. Purgat lentos & craſſos, imò & ſeroſos humores ex ventriculo, inteſtinis, utero, renibus, cerebro, nervis, juncturis, pectore. Hinc prodeſt in hydrope, tuſſi inveterata, aſthmate, cephalalgia, ſpaſmo, epilepſia, paralyſi, tremore artuum, in obſtructione & tumore ſplenis, febribus intermittentibus, dolore colico, menſes ciet (ſed fœtum enecat) urinam movet. Convenit extrinſecus in Pleuriſi aliíſque tumoribus ac doloribus mitigatione & reſolutione opus habentibus. Fumus excitat epilepticos, hordeola ciliorum ſanat. Doſis à ʒß. ad ʒj.

4. *Aſa fœtida* C. B. Park. *noſtras Officinarum* J. B.

Aſam vocem ex Laſere corruptam eſſe plerique putant. Eſt autem Aſa (deſcribente J. Bauhino) lenta & ſequax, compactæ ſubſtantiæ, colore ruffo, glebis ſatis magnis coacta; odorem nobis viroſum, Allii ferè, vehementiorem magíſque abominandum late ſpirans, & nares acriter feriens; ſapore primùm amaro, poſtmodum mordaci, in Officinis ſæpe impura, admota igni flaveſcens.

In Officinis ſæpe duplex habetur; una pura & tranſlucens: altera impura & turbida, cui Sagapenum (quo adulterari Dioſcorides ſcribit) cujus odorem refert, permiſcetur, unde Germani Diaboli ſtercus, [eóſque ſecuti noſtrates **Devils dung**] nominant. Utraque tamen gravis odoris eſt. Cujus ſi uſus eſſe debeat ad medicamenta liquida, aquæ, aut aceto, aut vino injecta ſuper prunas reſolvenda, & quod in fundo manet rejiciendum; vel per colum, cui adhærebit, tranſmittendum.

Plerique Botanici Aſam fœtidam Laſeris ſeu Laſerpitii plantæ ferulaceæ quæ Σίλφιον Dioſcoridi lib. 3. cap. 94. dicitur, gummi eſſe volunt, è caule aut radicibus inciſis effluens. Hanc ſententiam ità probat Garcias, Altiht Arabum eſſe Laſerpitium Dioſcoridis & Plinii ſatis oſtendit Serapio lib. ſimpl. cap. 251. qui de Altiht agens ad verbum ea refert quæ Galenus & Dioſcorides de Laſerpitio ſcripſere. Certum autem eſt Aſam fœtidam Arabibus *Altiht* dici: nam cuicunque Arabi gummi *Imgu* aut *Imgara* ab Indis vocatum, h. e. Aſam fœtidam oſtenderis, ſtatim id *Altiht* ſive *Antit* eſſe pronunciabit. At verò quamvis fortaſſe Arabes in ea opinione fuere, non indè ſequitur Aſam fœtidam Antiquorum Laſer eſſe. De Cyrenaico id concedi non poteſt, quoniam notæ ejus Aſæ fœtido do nullo modo conveniunt; an Medicum & Syriacum doctiores dubitant. Jo. Bodæus expreſſe negat, quem adi. *Not. in Theophr. hiſt.* p. 594. Verum non opus eſt argumentis ultro citróque allatis depugnare: cum Jacobus Bontius jamdudum rem definivit, & controverſiam diremit. *Hiſt. nat. & medic. Indiæ Orient. lib.* 4. qui continet Animadverſiones in Garciam.

Planta (inquit) è cujus radice Aſſa exprimitur magna quantitate creſcit in Imperio Perſico, inter Laram & Gamaron civitates, quarum prima non longè diſtat à mari, & noſtris mercatoribus, & Anglis etiam, frequentatur. Eſtque hæc planta duorum gunerum. Prima ſarmentoſa fere ut Salix aquatica. Ex ejus foliis & ſtolonibus inciſis Aſa fœtida per torcular exprimitur, quæ ut reliqui ſucci, ſole indurata in conſiſtentiam evadit, qualis eſt Aloes. Secunda porro Aſſæ ſpecies longe fœcundior exiſtit, éſtque ſuccus expreſſus & radicibus hujus plantæ, quæ craſſiſſimos Rhaphanos, folia autem Tithymali folia referunt. Hujus generis ſe aliquot radices domi habuiſſe ait, quæ quamvis jam eſſent exſuccæ, tamen totas ædes fœtore replerent, qui inſuetis vix tolerandus eſſet. Quod Javani & Malaii & cæteri Indiarum incolæ negabunt, ſe quicquam odoratius nunquam naribus percepiſſe affirmantes. D. Mandelſlo, qui in Perſia peregrinatus eſt, duo etiam Aſæ fœtidæ ſucco prægnantium plantarum genera agnoſcit, verùm ea paulò aliter deſcribit, Alterum fruticoſum ſeu ſarmentoſum eſt, foliis parvis, Oryzæ ſimilibus. Alterum Rapi folio, colore viridi folia Ficûs referente. Locis ſiccis & lapidoſis meliùs proficit. Gummi circa finem æſtatis manare incipit, Autumno colligitur. Confirmat etiam quæ Garcias & Bontius habent de ejus uſu apud Indos in cibis condiendis.

Vires. Nullum medicamentum ſimplex per totam India majore eſt in uſu quàm Aſa fœtida, tum in medicamentis, tum in condiendis cibis, ut poſt Garciam teſtatur Bontius, ut propter hanc cauſam una ſit cum Opio ex præcipuis mercibus quæ per Indiam diſtrahuntur. Solent Baneanes & omnes gentiles provinciæ Cambaiæ, qui à carnium eſu abſtinent, Aſam juſculis & oleribus ſuis commiſcere, confricato primùm ex ea lebete, nec alio condimento utuntur omnibus in cibis. Multa in hanc rem vide apud Garciam.

Utuntur eâ Medicamenti loco ad Appetitum proſtratum excitandum, ventriculum roborandum, flatus diſcutiendos, venerem irritandam. Apud nos in Europa, præcipuus ejus uſus eſt internus in ſuffocatione uterina, peripneumonia & vulneribus. Extrinſecus in tumido Liene & uteri ſuffocatione, paneritio (cum allio ovi alb. ſuſcepto) *Schrod.* N. Siquis Epilepſiæ obnoxius ſenſerit ſuffitum ex *aſſa fœtida* & cornu caprino paroxyſmo actutum corripitur. *Idem.*

5. *Ammoniacum* C. B. *& aliorum. Ferulæ lacryma Galeno.*

** L. 13. c. 23.* Ammoniacum * Plinio ab Hammonis oraculo nomen habet; juxta quod gignitur arbor quam Metopion vocant: At Dioſcoridi totus cum radice frutex Agaſyllis appellatur. Advehitur nunc in magnas glebas coactum, grumis magnis conſtans, unguibus lactei candoris nitentibus, aut rufis, per ſubſtantiam coloris obſoleti & fuſci permixtis, odore Galbani viroſiore, ſapore amaricante.

Elige ſyncerum, minimè arenoſum, purum, majoribus grumis, foris flavis aut croceis, intus candidioribus, quod claram flammam cùm accenditur alit, in manibus cum lentore tractatum molleſcit, repentinóque ictu propter denſitatem aridiorem, in plurimas ſplendidas nitentéſque micas diſſilit. Solvitur aqua.

Vires. Attenuat & reſolvit, attrahit validè, alvum movet, ſplenicum eſt. Uſus præcipuus eſt in doloribus arthritidis, in reſolvenda mucilagine viſcoſa, craſſa ac contumaci pulmonum, meſenterii, & hinc in obſtructionibus contumacibus Lienis, epatis, uteri, in calculo, extrinſecùs in ſcirrhis, panis tophiſque juncturarum, in ſcrophulis aliiſque tumoribus durioribus reſolvendis, &c. *Schrod.*

Succi inſpiſſati Exotici, quorum Hiſtoriam tradit Cluſius, quem conſule. Exotic. Lib. 4. *cap.* 7, *&* 8.

Succus ſplendens Anethi odore *C. B.*
Succus Aſpalatho ſimilis Anethi odore *C. B.*
Succus colore albo, flavo & rufo mixtis, anethi odore *C. B.*
Succus cinericius fœniculi odore *C. B.*
Succus Aſpalatho ſimilis ater, micis albis aſperſis, odorus *C. B.*
Succus Aſpalatho ſimilis inodorus *C. B.*
Succus atrorubeſcens inodorus *C. B.*
Succus flavus albis granis commixtis gravi odore *C. B.*
Succus viſco ſimilis colore vario *C. B.*
Succus Maſtichinæ reſinæ non abſimilis *C. B.*
Succus ſuccino non abſimilis *C. B.*
Succus ſanguini Draconis affinis *C. B.*
Succus Camphoram redolens, ex radice Canellæ vulneratæ *Garc. C. B.*
Conſule Hiſtor. Arboris Cinnamom.
Succus Aloes facie *C. B.* Muſæ foliis involutus *Cluſ.*
Vide *Cluſ.* Exot. Hiſtor. Lib. 4. cap. 7, & 8.

6. *Bdellium omnium Autorum.*

Bdellii veri nomine (inquit J. Bauhinus) magnas habeo glebas, Taurino glutini, ut habet Dioſcorides, aliquatenus ſimiles, colore ex fuſco nonnihil ruffeſcente, concretionéque, quanquam hac molli & tenaci, ad gummi magis accedente: ſapore ſubamaro eſt, multùm tamen à Myrrha relinquitur. Odorem non inſuavem ſpirat flammámque concipit, & quidem pertinacem, licet cum crepitu. In ſuperficie granula exſudantis glebæ hinc indè apparent. In glebarum medio ſubinde digitalis craſſitudinis bacilli reperiuntur, ſpinoſi. Exterior facies glebarum aliquando Myrrham vulgarem refert, Aliæ coloris ferruginei, ſed non tam intenſi amaroris.

Aliæ glebæ pro Bdellio adulterino exhibitæ, nigricantes, micis ſi ſcindantur pellucentibus, alioqui viſûs aciem nequaquam admittentes, conſiſtentia & ſapore gummi, cujus modo tenaciter dentibus hærent; concipiunt tamen flammam relicto interim craſſamento copioſo.

Bdellifera, arbor, deſcribente Plinio, nigra eſt, magnitudine Oleæ, folio Roboris, fructu Caprifici naturâque. Alii Arbori Myrrhiferæ eam valde ſimilem faciunt. Lobelius & Pena inter alias merces ſe multos hujus ligni ſurculos expiſcatos tradunt, ſolidâ ſubſtantia; cortice duro nigricante, ſpinis multis rigidis & craſſiuſculis horrentes, quibus multa copia Bdellii erat aggeſta, intus foriſque valdè quàm amari.

Matthiolus Bdellium, ſi ſuo tempore in Italiam importaretur, adeo rarum eſſe ſcribit, ut ad oſtentationem tantùm aſſervetur vel ad adulterini & reprobati normam. Lob. & Pena quod Bdellium putatur, Myrrhæ ſpeciem eſſe exiſtimant. C. Bauhinus apud Matthiolum ſex Bdellii differentias habet, quarum deſcriptiones ibidem requirendas omitto.

Probatur guſtu amarum, tranſlucidum cum frangitur, pingue cum fricatur, odoratum, facile molleſcens, ſincerum (Parthicum nominant.) Reprobatur ſordidum, nigrum, in offas convolutum, quod Adrobalon nuncupatur.

Sunt qui gum. Anime verum Antiquorum Bdellium eſſe putant ob multas notas communes.

Unde autem Bdellii tot differentiæ, Indici, Arabici, Mechii ſeu Petræi, Judaici, Siculi, Scythici? Omne Bdellium eſt ex India, ſed prout huc vel illuc mari defertur, inde accipit nomen. *Caſp. Hofmannus.*

Vires. Bdellium Galeno vim habet emolliendi, & eam quidem potentiorem dum recens eſt: inſigniter etiam diſcutit, aperit atque abſterget, ſed alia atque alia ætate; ſi diſcutere velis mediæ ætatis ſumendum eſt; ſi diſcutere & abſtergere tantùm quò vetuſtius eò melius. Uſus præcip. intern. in tuſſi ac pulmonum apoſtemate, calculo atterendo, urina cienda, menſibus immodice fluentibus ut & in fluore uterino ſiſtendo, fœtu expellendo. Extrinſecus diſcutit hernias, mollit durities ac nervorum nodos, adeóque creberrimi uſûs eſt in emplaſtris ſticticis. Contuſum ſolvitur affuſo vino, aqua calida aut aceto. *Schrod.*

7. *Belzoinum Officinarum* C. B. *Benzoin* Park. *Benjoinum cujus arbor folio Citri* J. B. **Benjamin.**

Reſina iſthæc nobiliſſima magnis conſtat glebis inæqualibus, puris, nec ulla ferè ſorde utplurimum infectis: colore ſunt maſſæ aliàs rutilante, aliàs magis ad albedinem vergente, & creberrimis ceu unguibus aut Amygdalarum friaturâ miſtæ; verùm in rutilis illis maſſis obſcuriùs lucent ungues, in aliis candidi admodum, ſed non ità pellucidi: ſubſtantia omnibus ſatis compacta, ſed vel attritu digitorum in pulverem friari potis, nec quæ ſub dentibus lenteſcat, ſaporis fere expers, verùm odor ſuaviſſimus, qui accenſo vegetior. Eidem interdum adhæreſcens invenitur cortex, qui magnæ ſatis arboris ſuſpicionem injicit, foris rugoſus, ad cinereum inclinans, ſubſtantiâ compacta, colore intrinſecus ruffo ceu Canellæ, qui guſtanti nihil præter ſiccitatem quandam offerre videtur.

Arbor Benivifera (inquit Garcias) procera eſt, vaſta, pulchra, magnam ſpargens umbram ob ramorum frequentiam, quos pulcherrimo ordine digeſtos & in aerem elatos habet. Ejus folia partim aceto condita, partim adhuc adhærentia accepi: Minora ſunt ea aliquantum Citri ſive Limonii foliis, non tamen adeò virentia, ſed parte adverſa candicantia; quæ verò in ipſis majoribus ramis naſcuntur ad Salviæ folia magis accedere videntur, latiora tamen ſunt, ſed minùs longa. Vulnerantur arbores ut gummi emittant.

Benivi plura ſunt genera, 1. *Amygdaloides* è præſtantiſſimis, ſic dictum quòd ungues ſeu maculas candidas admixtas habeat Amygdalarum inſtar, in Sian & ejus contermina Mirtaban proveniens. 2. Nigrius in Jaoa & Sumatra inventum, quod vilioris eſt pretii. 3. Nigrum in Sumatræ provincia Bayrros è novellis arboribus profluens, quod ab odore grato Benivi *de Boninas* vocant; ſuperiore decuplo charius. Quia candidum eſt elegantius, nigrum verò & novellum odoratius utrumque permiſcere ſolent, ut fragrantiæ elegantiam concilient.

Benjoinum Veteribus Græcis & Arabibus ignotum fuiſſe oſtendit Garcias. At neque Aſſam dulcem ſeu Laſer eſſe, ut multi opinati ſunt, cùm magnæ arboris gummi ſit, non herbæ lachrymæ; ut teſtantur fragmenta ramulorum ligneorum admiſta, & Ludovici Romani aliorúmque hiſtoriæ.

Benzoinum Myrrham non eſſe patet quia amaritudinis omnis expers eſt.

Fieri poteſt, inquit Garcias, ut Ruellius [in eo quòd *Benivi* Ben Judæum vocat] lapſus fuerit nominum affinitate, debuítque potiùs nuncupare Benjaoy, id eſt, filium de *Jaoa* ubi plurimum naſcitur. At Garciam lapſum eſſe oſtendit Scaliger quòd Ben filium interpretatus ſit, cum ea vox Arabibus etiam lachrymam ſignificet.

Vires & Uſus. Uſus Benzoini internus in medicina rarus aut nullus; Schroderus tamen in affectibus pulmonum catarrhoſis, tuſſi, aſthmate intrinſecus ſumptum præcipue utilem eſſe ſcribit. Extrinſecus in cerebro per ſternutationem expurgando, in odontalgia maſticando, in tuberculis ac rubore faciei extergendo, in emplaſtris, ſcutis, cucuphis, &c. Ob ſuavem halitum ſæpiſſimè ſuffumigiis admiſcetur. Notat tamen Schroderus, ſi ſuffitus ex ſolo Benzoino paretur tuſſim excitari.

Præcipuus ejus uſus eſt ad odoramenta & ſuffumigia: Solvitur in oleis & ſpiritu vini rectificatiſſimo, ut & in aere humido ad liqueſcendum expoſitum.

Habetur ejus oleum duplex, 1. Ex recenti in India expreſſum quod præſtantius. 2. Deſtillatum, multo ignavius. Chymicas multas præparationes Benzoini vide apud *Schroderum* in Pharmacop.

Ad nos ſcripſit *D. Tancredus Robinſon* Arborem reſiniferam odoratam foliis citrinis prædictæ haud abſimilem tranſmiſſam fuiſſe è Virginiâ *à D. Baniſter*, ad illuſtriſſimum Præſulem *D. Henr. Compton*, in cujus inſtructiſſimo horto culta eſt à D. *Georgio London.* viro admodum honeſto, & in re Hortenſi peritiſſimo. Arbor iſta Virginiana Citrii vel Limonii foliis Benzoinum fundens, in Horto Reverendiſſimi Epiſcopi culta habet folia Citri minora aliquantulùm, non tamen adeò virentia, ſed averſâ parte candicantia, & per margines æqualia.

8. *Cancamum* J. B. C. B.

Cancamum Dioſcoridi eſt lacryma Arabicæ arboris (folia Myrti habentis Amato) Myrrham quadantenus referens, viroſi guſtus, quâ tanquam thymiamate *i. e.* ſuffimento utuntur: Veſtes eo additis Myrrha & Styrace ſufficiuntur: datur lienoſis, comitialibus & ſuſpirioſis: menſes cum aqua mulſa pellit: oculorum cicatrices confeſtim emendat, ac vino madefactum eorum medetur hebetudinibus, adversùs gingivas humore prægnantes non aliud, ut & ad dolores dentium, ac per pluſculos dies ternûm obolorum pondere ex aqua aut aceto mulſo bibitum obeſos extenuat.

Quid ſit hodie ignoratur. Alii Laccam eſſe volunt, ſed perperam, cùm vires non conveniant: alii Benjoinum, nonnulli gummi Anime, ut Amatus & Garcias.

9. *De Gummi Anime.*

Anime duplex eſt, Occidentalis & Orientalis.

Occidentalis arboris in Hiſpania nova creſcentis lachryma eſt ſeu reſina alba, ad Thuris colorem nonnihil vergens [pellucida, ex albo citrineſcens] verùm Copali magis oleaginoſa. Defertur granis Thuris, ſed craſſioribus, quæ confracta luteum colorem oſtendunt inſtar reſinæ: gratiſſimi & ſuaviſſimi odoris eſt, & prunis impoſitum facilè conſumitur. Differt ab Orientali quòd nec tam candidum, neque tam lucidum ſit. Orientale item magnis fragmentis adfertur tranſparentibus.

Orientale triplex eſt. 1. Album. 2. Subnigrum, quod Myrrhæ quodammodò ſimile, odoratum, quod Dioſcorides inter Myrrhæ ſpecies tanquam improbam commemorat, & Minæam à terra ubi præcipuè naſcitur, eam appellat: Serapio Aminæam, quam vocem Luſitani in Anime corruperunt. *Amat.* 3. Quod Cluſius addit pallidum & reſinaceum retorridúmque. Animæ omnia genera jucundum in ſuffumigiis ſpirant odorem. In medicina uſus præcipuus externus in capitis & nervorum affectibus frigidis, dolorificis, catarrhoſis, flatulentis; in affectibus articulorum, paralyſi, contractura, laxationibus, contuſionibus, &c. Miſcetur emplaſtris & cerotis, ad uſus prædictos.

Gummi Anime quinque ſpecies deſcribit J. Bauhinus, quæ

1. Animes ſpecies ad ſuccinum luteum accedens.
2. Anime ſimilis reſina ex albo flaveſcens.
3. Anime alba perlucida, ſapore Vernicis, odore Maſtiches.
4. Anime colore Colophoniæ.
5. Anime ſpecies alba, Copal Indis.

10. *Reſina Copal*, Schrod. *Copal* J.B. C. B. *Gummi Copal* Park. *Monard.*

Reſina eſt admodum candida & lucida & tranſparens, magnis fragmentis Diacitro valde tranſparenti haud diſſimilibus, ſatis odoratis, ſed non perinde ac Anime. Eâ Indi in ſuis ſacrificiis ſuffumigii loco utebantur, háncque ob cauſam Sacerdotibus ſuis in templis frequenti in uſu erat, adeò ut cùm Hiſpani primùm illuc appellerent, hujuſmodi ſuffitibus naribus eorum admotis exciperentur.

Utilis eſt ad frigidos capitis morbos, & Thuris aut Animæ vicem explet.

Cœpit ab annis aliquot (inquit Cluſius) ex India Occidentali liquor quidam inferri Olei de *Copalyva* appellatione, quod an ex Reſina jam dicta eductum ſit me latet; valde tamen commendari & perutile eſſe intelligo ad vulnera recentia curanda.

Copalliferarum arborum octo ſpecies enumerat & deſcribit *Franc. Hernandes.*

Cæterum Copal vox, monente Gul. Piſone, Indis reſinas omnes arborum odoratas & gummi denotat.

11. *Tacamahaca* C.B. Park. *Tecomahaca* Hernand. *Tacamahaca Populo ſimilis fructu colore Pæoniæ* J. B. *Arb. Populo ſimilis reſinoſa altera* C. B.

Colligitur vulnerata arbore magna ut Populus, admodum odorata, cujus fructus ruber eſt Pæoniæ ſeminis modo. *Monard.* Fr. Hernandez folia obrotunda, mediocria & ſerrata arbori attribuit, fructum parvum obrotundum, fulvum refertum ſemine nucleo Perſici haud abſimili in ſummis ramorum flagellis. Color eſt Galbani (nec deſunt qui idem eſſe putent) unguibus albis uti Ammoniacum, odore gravi atque etiam ſapore *Monard.* J.Bauhinus plenius deſcribit; Coloris eſt rutili partim, partim flavi pallidioris, veluti ex unguibus diverſis compacta, reſinæ ſtrobilinæ concretione, bullatis tamen tuberculis alicubi cava, ſub dente in pulverem diſſilit primùm, mox rurſum recolligitur, lenteſcénſque pro arbitrio ducitur, ſapore amaricante, haud ingrato & aromatico. Suffita jucundum ſpirat odorem, Maſtiches ferè æmulum, minùs vehementem & ſuaviorem, nullóque relicto craſſamento conſumitur.

Vires. Magni eſt apud Indos uſûs in quocunque affectu, præſertim in omnis generis tumoribus in quacunque corporis parte, ſiquidem mirificè reſolvit, maturat & diſſipat: tollit etiam omnes dolores ab humoribus frigidis & flatulentis provenientes. Prunis injecta naribúſque admota mulieres uteri ſuffocatione laborantes illico liberat: Umbilico emplaſtri modo impoſita uterum ſuo loco retinet, uſu familiariſſimo. Delicatiores Ambram & Moſchum addunt. Defluxiones quaſcunque à capite reprimit (linteo excepta & poſt aurem alteram vel utramque applicata ſuffitúve attracta) Temporibus adhibita cerati modo defluxiones in oculos aut alias faciei partes revellit: Dolores dentium ſedat dentibus corruptis indita.

Ex ea, Styracis tertia parte & Ambræ momento fit emplaſtrum ſtomacho longè utiliſſimum, ſiquidem illum roborat, appetitum ciet, concoctionem juvat & flatus diſcutit, eodem modo cerebro impoſita. Magnæ eſt efficaciæ in doloribus coxendicis, & omni articulorum morbo præſertim ſi ab humoribus frigidis vel mixtis proveniant. Sola juncturarum aut nervorum vulneribus impoſita, ea curat; nam ſtatim ſuppurat & ſpaſmum prohibet. Ego (inquit Monardes) tertiam partem ceræ adjicio, ut facilius inducatur. Hæc omnia *Monard.* Emplaſtrum de Tacamahaca ventri applicatum cephalalgiam lenire dicitur; efficax etiam eſt ad tumores lienis, & durities diſcutiendas.

12. *Caranna* C. B. Park. & aliorum. *Tlahueliloca Quahuitl.* i. e. *Arbor inſaniæ* Fr. Hernand. *Monard.*

Ex continentis parte interiore per Carthaginem & *Nomen Dei* defertur reſina colore Tacamahacæ, ſed ſplendidior, liquidior & denſior, [foliis involvi ſolita, nè fruſta ſibi mutuo adhæreſcerent, eſt enim valdè glutinoſa] lingua Indica *Caranna* dicta, quod nomen etiam apud Hiſpanos retinuit, odore Tacamahacæ, ſed graviore. Pinguis eſt & oleaginoſa, ideóque tenax ſine multa adglutinatione & colliquatione.

Eâ utuntur Indi in tumoribus & omnis generis doloribus. Ad eoſdem morbos laudatur quos Tacamahaca curare ſolet, & minore temporis ſpatio vires ſuas exerit; ſic ut quos Tacamahaca non curarit Caranna ſanet.

Sed ex eadem Carthagine allata ad nos eſt Caranna quædam purior, & Cryſtalli modo limpida, ſuperiore multò præſtantior, utilior & odoratior.

Præparatur inde Emplaſtrum antipodagricum inſigne. Fr. Hernandez ſic arborem deſcribit, Arbor eſt magna, fulvos ſtipites fundens, læves, nitidos & odoros: *Folia* oleaginea, in crucis formam compoſita, orbicularia. Odora arbor eſt, guſtûs acris & nonnihil aſtringens.

13. *Sarcocolla* C. B. Park. *Officinarum* J. B.

Nominis ratio obvia eſt: ita enim dicta eſt quòd carnes agglutinet: vim, inquit Dioſcorides habet glutinandi vulnera. Lacryma eſt arboris in Perſide naſcentis, thuri tenui ſimilis *Dioſc. Galen.*

Sarcocollæ (inquit J. Bauhinus) grumi albicantes ſunt, aut ex albo ſubruffi, ſpongioſi, micis lucentibus ſubinde miſtis; globoſarum lachrymarum fragmina Piſi aut parvæ Avellanæ magnitudine; tanta eſt enim fragilitas ut in pulverem craſſiuſculum vel concuſſu levi frietur, ſaporis amari cum quadam dulcedine obſcura *, ingrata. Sub dente lenteſcit, & candelæ admota primum bullit, poſtmodum in claram flammam exardet: Admiſta reperiuntur aliquando folia ex candido flaveſcentia, Tithymali myrſinitis folia ſicca egregiè referentia. [Granula Papaverinis ſeminibus non multo majora eſſe Parkinſonus ait.]

* Vomitum provocante *Park.*

Eligenda recens, colore ad pallorem vergens (vetuſta enim rubeſcit) ſaporis amari, ſubſtantiæ poroſæ & quaſi ſpumoſæ, facileque in aqua ſolubilis. *Schrod.*

In Sarcocollæ notis non conveniunt Plinius & Dioſcorides: hic enim ſubflavum ſeu flaveſcentem dicit: ille eo meliorem quo candidiorem. Dioſcorides laudat guſtu amariſſimam, Plinius cum acrimonia dulcem, in quo ab omnibus deſeritur.

Vires.

Schrod. Calf. & ſicc. adſtringit, conſolidat, glutinat, coquit, maturat. Uſus præcipuè in vulneribus conſolidandis, cicatrice obducendis, unde & nomen adepta eſt. Mirificè præſtat & in oculorum fluxionibus, albugine, nubeculis (maceratur in lacte Aſinino vel humano, ʒv, poſtea cum aqua roſarum mixta ciliis imponitur addito ſi libet tantillo Sacchari. In hæmorrhagiis narium anacollematis admiſcetur.

Serapio multùm perforativam eſſe ſcribit, comedere carnes ulcerum, exulcerare inteſtina, inducere calvitiem & alia. At quomodo quod cauſticum eſt glutinabit vulnera? Scribunt purgare pituitam craſſam à remotis partibus veluti oculis, cum quibus tantam habet affinitatem, ut purgandi gratia in illis data exulceret. Miſera affinitas? quam hoſtibus optem. Meſue dat in ſubſtantia à ʒj ad ij. quod ego nè in pilulis quidem audeam, quantumvis bene correctæ videantur. Coſtæus ſuo more multa excuſat: Ego dico, *Abeat Sarcocolla cum pil. ſuis in maximam malam rem.* Caſp. Hofm. Veteres Sarcocolla foris tantùm uſi ſunt: de vi purgatrice nihil dicunt.

14. *Gummi Elemi* Park. *G. Elemi Officinarum* C. B. *Elemi reſina* J. B.

J. B.

In maſſas cylindraceas cogitur quas pollice & medio digito complectaris, duarum palmarum circiter longitudine. Subſtantia verò eſt fere uniformi, ceræ flavæ colore & conſiſtentia ſimili, facilè flammam concipiens; color aliàs intenſior; ſubſtantia reſinacea: ſub dentibus facillimè lenteſcit dealbatúrque, ſapore non ingrato, nonnihil acri & ſubamaro, odore fere Fœniculi. Obvolvuntur autem glebæ quæ ad nos importantur pulchro folio, è cujus nervo medio parallelæ obliquè creberrimæ in margines feruntur venæ, quod Cannæ Indicæ videtur eſſe. Funiculis præterea xylinis omnia conſtringuntur.

Multa habet communia cum reſina Gummi Molle arboris à Paludano miſſa *J. B.*

Impropriè Gummi dicitur cùm Reſina ſit, ut quæ flammam facilè concipiat, & oleaginoſis diluatur.

Oleæ Æthiopicæ gummi eſſe multi volunt, ſiquidem Elemi vox ab Eleæ corrupta videtur. Aſt Elemi Officinarum Dioſcoridei notas non habet, nimirum flavum eſſe & Scammonio utcunque ſimile & mordax. Negat Matthiolus Oleæ Æthiopicæ lacrymam eſſe. Verùm C. Bauhinus Oleas & Oleaſtros ſimilem fere lacrymam fundere ait. Et apud Caſp. Hofmannum invenio locum ex Andreæ Baccii autoris graviſſimi lib. 5. de *Vinis Apulis* adductum, quem huc tranſcribam, quia hanc rem illuſtrat valde, & gummi Elemi originem declarat. Olearum ibi [in Apulia] mira vetuſtas & magnitudo, Quercuum inſtar procerrimæ, & quod fœcunditatis earum argumentum eſt, (quod in Tiburtinis non video, nec in Sabinis oleis) ob aſſiduos, ut reor, in Apulia calores, gummi hîc Oleæ exſudant optimum, quod Chirurgi gummi Elemi appellant. Gleba eſt pinguis, ac Myrrhæ inſtar fragranti odore, ut non ſolùm in unguento probandam exiſtimem, utique applicata ſimpliciter Cerati inſtar, tumores diſcutiat, emundet ſordida ulcera, ac carnem inducat ad cicatricem: Verumetiam prunis aſperſa ſuffimentum balſami in cameris edit gratioſum, ſuperans thuris & ſtactæ Myrrhæ fragrantiam, quod Reverendiſſ. Adriæ Epiſcopo Lucæ Ant. Reſti Barolitano acceptum refero. Hæc ille. Cujus (inquit Caſp. Hofman.) graviſſ. Viri teſtimonio fiſus Gummi Olearum noſtrarum in poſſeſſionem nominis *Elemi* immitto: Et Materialiſtas noſtros jubeo, non ex India alterutra petere, ſed ex Apulia regni Neapolitani.

De loco ejus natali nihil adhuc certi accepimus. *J.B.*

Teſtantur plerique qui de eo ſcripſerunt admirabiles ejus vires eſſe in vùlneribus capitis. Practici ergo in Calvariæ fracturis & vulneribus nunquam id in ſuis emplaſtris ac unguentis omittunt, mirabilem ejus uſum continuo experimento edocti: qua de cauſa ex eo & unguentum & ceratum à Pharmacopolis diligentioribus concinnatum habetur.

15. *Liquidambar* C. B. Park. *Liquidambar Reſina arboris* Ocoſolt *dictæ, foliis Hederæ, odore Styracis liquidæ* J.B. *Xochiocotzo Quauhuitl ſeu Arbor Liquidambari Indici* Hernandez.

Reſina eſt, teſte Monarde, effluens inciſis arboribus vaſtæ magnitudinis, pulchris & ramoſis, quarum folia Hederaceis ſimilia ſunt, *Ocoſolt* Indi vocant, cortice craſſo cinereo. Huic cortex odoris cauſâ commiſcetur comminutus, ut ſci. ſuaviùs ac diutiùs ſpiret in ſuffitibus. Fra. Hernandez arborem Liquidambari *Xochiocotzo Quauhitl* Mexicenſibus dictam Aceris fere foliis eſſe ait, in tres cuſpides duóſque ſinus diviſis, altera parte albicantibus, altera verò obſcurioribus ſerratiſque. Corticem ſtipitis partim fulvum, partim virentem. Addit Jo. Terentius, Fructum rotundum eſſe, ſed inſtar Polygoni multos habere ungulos luteos, ſuperficies vero nigras. Ubi naſcuntur ejuſmodi arbores fragrantiſſimus eſt aeris odòr, adeò ut Hiſpani primùm eo appellentes, iſtic aromata naſci, atque adeò eas aromatiferas eſſe arbores exiſtimarent. Eo hic utimur in ſuffitibus, odoramentis, paſtillis Styracis liquidæ loco, cujus odor proximè ad hunc accedit, adeo autem validus eſt, ut celari etiam ſuffitibus non additum non poſſit, ſed totas ejus, ſi ejus ſit copia, atque adeò plateas ſuo odore repleat.

Vires. Plurimus in medicina illius uſus eſt, nam calefacit, roborat, reſolvit & anodynum eſt. Cerebrum per ſe illitum aut aliis aromatibus mixtum confortat, omnigenóſque dolores à cauſa frigida emplaſtri modo impoſitum mitigat. Ventriculo adprimè utile Stomachici inſtar adhibitum nam appetentiam excitat & concoctionem adjuvat. Cum Styracis, Ambari & Moſchi momento mixtum emplaſtri conſiſtentia, & ſcuti formâ ſuper alutam extenſum ad eadem utile eſt. Ex eo recens collecto & loco idoneo [in Sole *Park.*] repoſito oleum quod de Liquidambar nuncupant deſtillat multò perfectiſſimum illóque longè ſuavius. Sunt qui expreſſione etiam eliciant ut majori quantitate colligant. Nam chirothecis imbuendis plurimum abſumitur. Utile eſt ad pleroſque morbos frigidos, ad tumores reſolvendos, & privatim ad tumores & obſtructiones uteri, menſéſque provocandos.

Sunt qui ex arboris ramis comminutis & coctis pinguedinem innatantem colligunt & vendunt pro legitimo oleo. Atque hic liquor à nonnullis Storax liquida putatur in Aromatoriorum & Pharmacopœorum officinis vulgò venalis. Fr. Hernandez oleum hoc eſt, arbore ipſa vel ſponte vel inciſa exſtillare ait.

Arboris pampini & ſummitates in faſciculos collecti veſtibus & ſtragulis ab Indis inſeruntur odoris gratia, in eúmque uſum Hiſpanis etiam vendunt.

Fr. Hernandez ſomni inducendi vim Liquidambaro ejúſque oleo tribuit.

APPENDIX

APPENDIX
AD
HISTORIAM
PLANTARUM:
CONTINENS
ADDENDA & EMENDANDA.

Addenda LIBRO SECUNDO.

AD finem primæ Sectionis p. 66. *adde*

Lithophytων quorundam nondum deſcriptorum icones ad Plantas ab Everhardo Rumphio ab inſula Ambona miſſas delineatæ exhibentur in *Ephemer. Germ.* Ann. 11. Obſerv. 21. nimirum,

1. Lithodendri calcarii ſive Caranæ, Calcis Ambonicæ.
2. Corallii nigri anguini Ambonici Acarbarum incolis dicti.
3. Amaranthi Saxei cum ſuo ſaxo annato.
4. Pſeudocorallii rubri fiſtuloſi.

Pag. 69. *lin.* 5. *adde,*

Equiſetum junceum Africanum fruticeſcens nodis candicantibus apud *D. Plucknet* vidi. Planta eſt ſubmarina, Equiſeto junceo nigrinodo Breynii affinis.

Pag. 69. *ad finem Sectionis ſecundæ, adde*

Corallinam marinam Piniformem, apud ornatiſſimum Virum *D. Gul. Courtine* vidimus, quæ foliorum longitudine, figura, & ſitu in caule Pini ramulum adeò exactè referebat, ut non immerito *Pinus marina* dici poſſet. Erant autem folia cruſtâ purpureâ Corallinæ reticulatæ modo obducta, ligno interiore corneo & lento. Ramus ipſe ſeſquipedalis longitudinis erat aut major.

Sect. 3. *Cap.* 1. *Spec.* 1. *p.* 70. *adde, ad finem.*

In veſiculis oblongis extremis hujus foliis innaſcentibus obſervavit *D. Tancred. Robinſon* corpora multa, parva, obſcura, rotunda, interiori veſicularum membranæ adhærentia, mucilaginoſo quodam liquore repleta; cùm reliquæ veſiculæ foliis innatæ tum liquore omni, tum globulis illis ſolidioribus nigricantibus deſtituerentur: corpuſcula iſthæc plantæ hujus ſemina eſſe conjectabatur, proinde & hanc & reliquas ſubmarinas non minùs quàm terreſtres ſtirpes ſeminibus abundare. Poſtea literis Septemb. 7. 1686. ad me datis ſcripſit idem eruditiſſimus Vir, ſemina prædicta folliculis contenta adeò manifeſta eſſe, & vel nudo & inermi oculo conſpicua, ut primo ſtatim veſicularum extremarum aſpectu agnoſcantur, nec ullus de eis ſuperſit dubitandi locus: ſe enim multis ea viris ingenioſis & curioſis oſtendiſſe qui rei evidentiâ victi pro ſeminibus initio nudo oculo conſpecta habuerunt, atque etiam poſtquam microſcopio examinaverant. Se autem primam horum notitiam & obſervationem *D. S. Doody* pharmacopœi Londinenſis conjecturis & ſuggeſtionibus debere ingenuè profitetur.

Alga quædam in litore Iſlandico naſcens invenitur, è quâ calore Solis extrahitur Sacchari quoddam genus, Sacchari communis loco ab inſulanis uſitati. *Tho. Bartholin.* Act. Med. An. 1671, 1672, & 1674. Eadem lætiſſimum ovibus pabulum eſſe dicitur.

Lib. 2. *pag.* 71. *lin.* 24. *poſt verba illa pro remedio adde,*

Algam Hibernis *Duleſh* dictam, quam aſſiduè in ore habent, pulchrè exſiccatam & convolutam, ut moris eſt, ad me miſit ingenioſiſſ. Vir, *D. Hans Sloane*: Eam ab hoc loco deſcripta ſpecie differre exiſtimo, ex anguſto principio in inſignem latitudinem duarum interdum triúmve unciarum extenditur, & in plures lacinias dividitur, non enim diviſione ſua dichotomiam obſervat, quin & ſegmenta primaria in alia ſubdividuntur nullo ordine, quæ ſenſim anguſtata in acutos mucrones deſinunt. Subſtantiâ eſt tenui & membranacea, ad Lactucam marinam accedente, colore purpureo, Spithamæ longitudinem vix excedens. Odorem non invalidum Violæ exſpirat. *D. Sloane* Hibernos hanc maſticare ſcribit, non quòd vim ullam ſalutarem aut medicam ei ineſſe exiſtiment, ſed animi tan-

tum

tùm causâ & quod more receptum ſit. Hanc eſſe quam deſcribit C. Bauhinus in Prodromo Fuc membranacei ceranoidis titulo, tum deſcriptio, tum nomen Scoticum *Dils* ad *Duleſh* acceden convincunt.

Pag. 72. *lin.* 28. *pro decimaquarta ſpecie adde,*

14. *Alga ſpiralis maritima* Boccon.

Tenuis eſt hæc & anguſta membrana, in modum ſpiræ convoluta, duas aut tres uncias longa, cujus extrema minutiſſimè inciſa ſunt, ſive fimbriata: ſimplex eſt, in plures quandoque ramos diviſa, totáque ſubnigro, fuſcóve colore nitet. Saxis & tectis innaſcitur, ligníſque uti Corallina. Liburni, Saccæ, & alibi maritimis fluctibus ejectam in litore ſæpius collegi.

Pag. eadem Ad hiſtoriam fuci folliculacei ſerrato folio C. B. *ad calcem paginæ adde,*

Hic fucus *Sargazo* Hiſpanis dicitur, depingitúrque & deſcribitur à Gul. Piſone pag. 266. Hiſt. Nat. & Medic. Braſiliæ.

Lenticula marina (inquit) ſed impropriè nominatur. Eſt enim non Alga, ſed arbuſcula baccifera, palmum longa, tenuibus caulibus, griſeis & perpetuis foliolis ſerratis, ſaturè rubris in glomos convoluta, quæ circa inſulas Flandricas vulgò dictas, incerta quidem origine undequaque fluitans adeò magnam maris partem obſidet, ut ſolum non ſalum diceres, & remiſſiore vento moram navibus haud parvam faciat. Raram hanc plantam pubes nautica Luſitanorum ut & Batavorum indiſcreta quantitate macerant & coquunt cum liquore convenienti, eóque non ſine felici ſucceſſu contra difficultates urinandi utuntur. Inſipida eſt præter ſalſuginem à mari contractam. Nulla Radix conſpicitur, ſed ſola rupturæ veſtigia apparent.

Americam navigantibus magna hujus quantitas in mari fluitans occurrit atque hoc ſignum habent nautæ ſe terræ appropinquare. Aiunt cum fluenti vi è ſinu Floridæ in Oceanum expelli, cujus curſus cum impetu Orientem versùs dirigitur unde fit breviori tempore è Virginia in Angliam quam retro navigetur, navibus etiam magis onuſtis. *D. Baniſter.*

Pag. 80. *ad Cap.* XI. *pro* 32 *ſpecie addatur,*

32. *Muſcus maximus ceratoides maritimus* Triumfetti.

Triumf.

Ex imo maris numeroſa ramorum ſobole uſque ad aquarum ſuperficiem enititur, qui rami in minores alios iterum aque iterum ſubdividuntur, donec in extremo bifurcati ipſas quodammodo arcium ſeu turrium pinnas æmulentur: hujuſmodi ramulorum craſſities plerunque pollicem æquat, quoad extenſionem verò inordinatè procedunt, cùm nonnulli ramorum jam perfecti ceſpites palmo haud ſint longiores, alii verò ſupra cubitum eleventur, adeóque copioſum ramorum numerum fundant, ut etiam non tam leviter ponderent. Prædictorum ramulorum materies ſatis rara ac flaccida, nullis apparentibus potitur nervis, propter quod nec ſub aquis recti conſiſtunt, at flexi, ſimúlque taliter recollecti, ut ipſe primo intuitu implexos potiùs funium vetuſtorum faſciculos illuc à nautis projectos eoſdem exiſtimaverim. Horum inſuper color atrovireſcens eſt, nullúmque præter ab aquis marinis communicatum (quas etiam intra ſe continent) ſaporem aut odorem reddunt. Denique expoſiti rami propè fundum omnes in ſimplicem veluti truncum conveniunt, cui pro radice inſervit lata quædam ac ſubrotunda baſis ejuſdem cum planta ſubſtantiæ, ac ſaxis firmiſſimè adhærens.

In portu apud centum cellas obſervavit Autor.

Pag. 81. *Ad finem capitis de Spongia adde,*

Apud illuſtrem Virum *D. Guilielmum Courtine,* Medii Templi Londinenſis rariſſimum Spongiæ genus vidi, reticulatum, texturæ adeò raræ & maculis magnis, ut lumen facilè tranſmitteret, & ut fibrarum artifici Naturæ manu contextarum diſcurſus plexúſque clariſſimè diſcerni poſſent. Erat ea concava nec valdè craſſa.

Aliam præterea ſpeciem apud eundem vidi quam Spongiam ramoſam tuberculatam denominavi.

Multa inſuper lithophyta rariora ut v. g. Corallium album punctatum creberrimis punctulis. Corallium manum humanam cum pollice & digitis adeo exactè referens, ut non caſu productum ſed arte elaboratum videretur. Lapidem fungitem cerebriformem. Corallinam tuberoſam majorem lævem. Corallinam maximam compreſſam. Corallinam luteo-pallidam. Pori aſterioidis quatuor aut quinque ſpecies. Hippurim ſaxeam fulvo-rubram, aliáque quæ curioſiùs obſervare & deſcribere non vacabat.

Pag. 92. *Ad finem cap.* 22. *adde,*

Hæc ſpecies Tabernæmontano Fungus Capreolinus dicitur. Hujus eſum admirabilis ſæpe urinæ rubedo comitatur. Cujus rei veritas illuſtratur ab exemplo. An. 9. & 10. Obſerv. 68. Ephemer. German.

Pag. eadem Ad finem paginæ adde,

Fungus Sinenſis Antidotalis Lac Tigridis dictus.

Sina illum in locis arenoſis, inprimis in litore maris gignit, ubi Sinenſium relatione ex Tigridum lacte elapſo oritur. Tenuem ex tubere rotundo candidóque protrudit pediculum, in quo orbiculatus, infra plicatus albúſque pileolus eminet.

Vires. Antidotum tuber illud præſentiſſimum, plurimis reſiſtens venenis, perhibetur in morbis malignis maximè expetitum. *Ephem. German.* Ann. 4. & 5. Obſerv. 153.

Pag. 103. *poſt finem capitis* VII. *adde*

Cap. VIII.

Fungus typhoides coccineus Melitenſis Boccon. *&* *ſequentium capitum numeri mutentur.*

Boccon.

Palmaris eſt altitudinis, interdum major, fungum nondum explicato capituli diſco planè referens. Pediculus uncialis eſt craſſitudinis, tres aut quatuor uncias longus, ſcaber, fungoſus; capitulum etiam ipſum fungoſum, pediculo paulò craſſius minoris Typhæ paluſtris clavam aliquatenus repræſentans, quod dum viret, ſi digitis premas veluti ſanguineum ſuccum fundit. Per maturitatem granis minimis innumeris exaſperatur, undique cocci colore ſplendentibus. Æſtatis munus eſt, aliis tempeſtatibus temere & fruſtra quæſieris. Aſtringit maximè, unde ei præcipua laus in cohibendis ſanguinis profluviis, cujus gratia Melitenſes ex Gaulo inſula illius in pulverem ſoluti ſcrupulum aut amplius vino vel juſculo dilutum hauriunt, ducta à majoribus hac nunquam fallente medicina.

Oritur in ſcopulo Melitæ inſulæ adjacente dicto *Scoglio del Generale*; hinc ipſe Fungus *Heritz tal General* vernaculâ linguâ dicitur. Folia tenuiſſima primo naſcenti adeſſe, atque maritimis fluctibus continuè irrigari dicuntur.

Pag. 104. *poſt lin.* 14. *adde,*

Hic Fungus eſſe videtur quem *D. Plot* in * Hiſt. Nat. Com. *Stafford.* ſub titulo *Fungi ramoſi candidiſſimi ceranoidis ſive digitati minimi* proponit & deſcribit. Differt quòd ſpicæ nonnulli ſeu digiti circumcirca criſpi ſunt & cornu cervi in modum diviſi.

* *Cap.*6. §. 3.

Pag. 105. *lin.* 20. *poſt ſecundam ſpeciem adjiciatur,*

3. *Fungus pulverulentus cute membranacea, ſubſtantiâ intus ſpongioſâ, pediculo brevi craſſiore in oras fere ducto* * D. Plot. *&* *ſequentium ſpecierum numeri mutentur.*

* *Hiſt. Nat. Stafford. cap.* 6. §. 4.

Peramplus eſt hic fungus, quatuor vel quinque digitos diametri obtinens, duos propemodum digitos craſſus, pediculo brevi craſſo, à baſi ſeu principio anguſto paulatim ſe dilatante ad margines uſque Fungi, in metæ ſeu coni inverſi figuram, nonnihil ſimilem Fungo tuberoſo eſculento albo, fuſco permixto *J. B.* aut Fungo duro arborum ſive igniario *Park.* Eorum tamen neuter eſſe poteſt hic Fungus, cùm mollis ſit, cute membranacea lenta tectus, ſubſtantia interiore ſpongiam tùm textura, tum colore referente, poris intermediis per maturitatem ejuſmodi pulvere ſubtili repletis, qui è Fungo *Crepitus Lupi* dicto compreſſo evolat. Propè *Packington* à D. *Waltero Aſhmore* obſervatus eſt, &c.

Eadem pag. poſt quartam ſpeciem pro quinta & ſexta ponantur ſequentes.

6. *Fungus Siculus ſubcœruleâ pulpâ, arillis flavis refertus* Boccon.

Bocc.

Fungum hunc globoſâ figurâ, nonnunquam ovatâ creſcentem vidit P. Boccone, Nucis Juglandis magnitudine. Breviore & craſſo pediculo terræ cohæret, cutéque tegitur rugis quibuſdam atque tuberculis exaſperata, adeóque lenta & tenaci, dura & craſſa, ut corium repræſentet: Pulpa alioquin interiore, inchoata maturitate ſubcœrulea, abſoluta, arillis compluribus flavis referta. Hujus coriacei corticis decocto Meſſanenſes mulierculæ pannos lanáſve ſubpurpuraſcente colore inficiunt. Autumni exitu & menſe Martio colligitur eſui aptus, ubi & *Catatumphili* nomine notus.

7. *Fungus Malicorii facie* Boccon.

Bocc.

Eſt & hic quoque Fungus notatu dignus, Meſpili facie, lævis, veſicæ formâ, nigricantis coloris, intermediis fibris terræ cohærens. Pulpa illi ut cæteris rara, ſed Cutis per maturitatem dura, ad inſtar corticis Mali Punici.

Oritur in ſylvis *Bargæ* in Hetruria. *Locus.*

Pag. 110. *poſt Cap.* XV. *adde,*

Fungus barbatus Quercinus teterrimè fœtidus Breyn. Ephemer. German. *An.* 4. *&* 5. *Obſerv.* 151.

Menſe Auguſto in ſylva non procul ab acidulis Schwalbarenſibus in quadam Quercu obſervavit J. Breynius Fungum magnitudine pugni minoris, niveum, carnoſum, ovali pæne figura, ſuperiùs latiorem, inferiùs magis acuminatum, & undique radiis craſſis unciali longitudine deorſum vergentibus velut pilis in modum barbæ inferioris cuſpidatæ è caudice excreſcentem. Odorem dum avellere eum ab arbore annitebatur baculo adeò gravem, fœtidum ac viroſum emittebat, ut eundem miſſum facere cogeretur.

Pag. 113. *Ad finem Capitis* I. *pro ſpecie* II. *adde,*

II. *Muſcus multiformiter pyxidatus apicibus coccineis* D. Plot *Hiſt. nat. Stafford.*

D. Plot.

Colore eſt cinereo, pro anni tempore obſcuriore, magnitudine & interdum etiam figurâ Caryophylli aromatici, calyce rariùs quadrato, plerunque rotundo aut ovali, nunquam valdè profundo, marginibus undique eminentiis coccineis, capitellorum acicularum magnitudine, perpetuò obſitis.

In Canoci ſylva circa *Wildmore Hollies*, *Fair Oak*, & *Wolſely* parcum à D. *Edwardo Byrch* Armigero obſervatus eſt, & Autori noſtro oſtenſus.

Pag. 115. *lin.* 14. *poſt* pag. 92. *adde,*

Ad tuſſim convulſivam ſeu catarrhum Ferinum, ℞ pulverem muſci * Querno aſſeri innaſcentis

* An Oaken pale.

in Syrupo Irionis. Aſſidue utere. E M. S. D. Page M D. D. E. Hulſe.

Pag. 118. *l.* 22. *adde pro quarta & quinta ſpeciebus.*
4 *Lenticula paluſtris major* Commelin. *Cat. plant. Holland.*

5. *Lenticula paluſtris bifida, fructu tetragono* Magn. *App. ad Botan. Monſp.* C.B. *Callitriche Plinii* Col.

Hanc Neapoli in Sebeti paluſtribus obſervatam depinxit Columna, aquaticæ Lenticulæ foliis binis in tenuiſſimis caulibus, fructu juxta illa tetragono. Cùm & caulem habebat & ſemina producat, ad hunc locum propriè non pertinet.
Pag. eadem, Ad Cap. VIII. *pro tertia ſpecie adjiciatur*

3. *Conſerva reticulata* D. Doody.

Puſilla admodum eſt & tenella, è filamentis tenuiſſimis in retis formam contextis compoſita, maculis ſæpe pentagonis, interdum hexagonis, aut etiam tetragonis: colore viridi; Quantum diſcernere licuit in tubulos non rarò contexitur.

In foſſis propè Weſtmonaſterium & rivulis in ericeto Hounſleiano obſervavit *D. Doody*. Herbarum caulibus, foliis & aliis quiſquiliis adnaſcitur.

Addenda LIBRO TERTIO.

Ad finem Cap. I. *pag.* 119. *poſt lin. ult. adde,*

3. *Frutex cineraceus muſcoſus Capitis bonæ Spei* Breyn.
Breyn.

Frutex arboreſcens hic, admodum rarus, & mirificè quaſi cineribus conſperſus. Lignum obtinet album; ramos frequentiſſimos, rigidos, & variè divaricatos; cortice tomentoſo, cinereo penitus circumtectos, minutiſque tenuibus, brevibus, tomentoſis ac cinereis coacervatis, *foliolis* muſcoſis ornatos. Quæ in ramis rariora, majora, & eâ fere forma, ut Cannabis luteæ ſterilis Contareni ſtolonum ſummitatibus, ſtellularum in modum; in ramulis verò denſiora, minora, magiſque criſpula, pæne inſtar Abrotani fœminæ foliolorum collocata ſunt.

Pag. 121. *poſt. lin.* 21. *Capiti* II. *pro tertia ſpecie addatur*
3. *Selago Indiæ Orientalis ſive Plegmaria admirabilis Zeilanica* Breynii.
Breyn.

Planta quam deſcripſit Autor ex *Zeilan* delata, è vetuſtæ cujuſdam Jacæ arboris caudice ibidem enata, tripedalem obtinebat longitudinem, atque *caule* olorinam ferè pennam craſſo conſtabat, rotundo, ſtriato, ex viridi flavo obſoleto, ad Olivarum conditarum colorem accedente, qui parumper ultra ſemipedem à radice, in ramos duos pænè dodrantales dividebatur, atque hi in totidem aliquanto longiores, quorum quilibet rurſus in binos, vix triunciales tenues deſinebat. Dictus *caulis* ab infima (cui quædam adhuc radicum fibræ adhærebant) parte uſque ad extremum apicem *foliis* craſſiuſculis cordis figuram inverſam exprimentibus, ſemunciam in longitudine, & quadrantem unciæ in latitudine vix ſuperantibus, ex flavo-viridi ad Olivarum colorem inclinantibus, rigidiuſculis & ſplendentibus, Tithymali paralii ritu, velut ſquamis denſiſſimè obtectus conſpiciebatur. In unoquoque autem ſupremorum ramorum apice artificioſum plegma, ſeſquipalmare, tanto *ſtudio*, tam curioſè & ſcitè à Natura elaboratum, ut potiùs artificiale quid quàm naturale putandum ſeſe oſtentaret. Hoc pediculo perexiguo innixum, in duas utplurimum partes primùm dividebatur: ſingulæ verò deinde plurimis diviſæ tenerrimis flexibilibus claviculis (aut ramulis) in diviſione bifidum ordinem frequenter obſervantibus, & tam accuratè tandem terminantibus acſi forfice eſſent reſectæ, quæ in univerſum cruciformi ſerie (ut Cupreſſi ramuſculi) planè contectæ ſquamulis ſeu foliolis rotundis, Sanamundæ 3. *Cluſ.* foliis ex parte reſpondentibus, ſed longè minoribus, eodem quo planta integra ejuſque folia colore; quarum ſingularum in gremio granulum orbiculare, albicans & pellucidum, Bombycis ovi magnitudine & facie latebat, ſuperiore medietate ex ſquamula ſæpiùs emicans, intus inane ex denegata forſan maturitate. Reperitur etiam granulis trigonis.

An ſpecies *Quamjavatl.* Nardi Anton. Recchi Rerum medicarum Novæ Hiſpaniæ lib. 6. cap. 61. pag. 258? aut genus *Tlamacozqui y papan* ejuſdem pag. 414?

Rariſſimè in *Zeylan* reperitur: frequentior eſt in *Malabar*, non procul à *Cochin*, quamvis & ibi perrara æſtimetur.

Muſci clavati ſpecies nobis videtur.

Pag. 130. *lin. ult. Pro Equiſeti duodecima ſpecie adjiciatur,*
12. *Equiſetum junceum nigrinodum Capitis bonæ ſpei, An Arundinis gramineæ aculeatæ* Alpini *genus?* Breyn.

Hujus ramus à *D. Beverning* Breynio donatus intra binas ſpithamas ſubſtitit, *Caule* conſtans calami frumentacei craſſitudine, nodoſo, lævi, tereti, in altera tamen parte plano, non adeo ut Equiſeti vulgaris flexili ac molli, ſed magis lignoſo Arundinis inſtar, intrinſecùs niveo ac concavo, extrinſecùs ex obſoleto virore caſtanei coloris, & quaſi punctulis atris infecto [Alius ramulus quem à D. *ten Rhine* obtinuit, obſcuriùs vireſcebat, guttulis nullis interſtinctus erat, & nihil pæne ad ſpadiceum tendebat] Genicula foliorum vice involucris nigris ſtriatiſque, in acutum deſinentibus circumvoluta ſunt; ex quibus rami graciles, lenti ac obſequioſi, geniculis creberrimis diſtincti, contrario ſitu prorumpunt; qui rurſus ab imo ſucceſſivè in frequentia divaricantur vimina, hæcque iterum in alia minora, ramoſa, tandémque in parvas furculas pari cum caulis, ramorum & viminum colore terminantia. Totus ille ramus caudam non malè equinam repræſentabat; unde plantam Equiſetum denominare placuit.

In ramo à D. *ten Rhyne* tranſmiſſo Congeries ſquamularum quædam minutiſſimarum, in modum fermè utriculorum Junci foliacei capſulis triangulis *J. B.* ſe præbuit. Quæ, niſi abortus, majorem hujus plantæ cum Juncis vel Graminibus quàm Equiſeto eſſe cognationem manifeſtè indicat.

Pag. 135. *Poſt lin.* 4. *adde,*

In Catalogo Horti Acad. Lugduno-Batavi à D. Hermanno editi Phyllitidis varietates vel ſi mavis ſpecies ſequentes inveniuntur.

1. Phyllitis polyſchides, laciniis ſingulis cruciatim decuſſatis, in ſylvis Angliæ à *Jacobo Bobarto* reperta.
2. Lingua cervina anguſtifolia major ſua lanugine foliorum lacinias involvente. *Hort. Reg. Par.*
3. Lingua cervina medio folii nervo in aculeum deſinente. *Ejuſdem Hort. Par.*
4. Lingua cervina minima Anglica *Bobarti.*
5. Lingua cervina ſeu Phyllitis minima undulato folio *Hort. Reg. Pariſ.* His addenda

1. *Phyllitis minor* Triumfetti.

E radice craſſiori, ſubrotunda, nigra, longis exilibus ac numeroſis fibris capillata numeroſam foliorum ſobolem ſemipalmari circiter in ſenioribus plantis longitudine præditam, & in gyrum velut diſpoſitam producit; quorum ſubſtantia Phyllitide multò craſſior, ſupernè ſplendidè vireſcit, infernè albicat: inſuper eorundem forma triangularis inſtar reliquarum ſui generis, geminas tamen ad baſin exiguas veluti alas ſortitur, uncialis magnitudinis, verſus externum limbum acutiores, at in oppoſito, qui petiolo propior, rotundiores, ubi etiam decuſſatæ mutuo ſuperſternuntur. Ulteriùs eadem folia, uti ſæpius propè apicem dentata cernuntur, ità perpetuò circa reliquum ambitum criſpantur, habéntque breves petiolos coloris ſplendidè nigricantis, ac taliter integram foliorum longitudinem percurrentes, ut ſulcata videantur. Denique tota planta tum ſapore ſubaſtringenti, tum fungi odore quem manſa reddit perbellè imitatur vulgarem Phyllitidem.

2. Phyllitis parva ſaxatilis Virginiana per ſummitates foliorum prolifera *D. Baniſter,* à quo deſcriptionem & iconem ejus expectamus.

3. Jac. Bontius Phyllitidem quandam Indicam caule foliis pluribus donato depingit & deſcribit ſuo modo.

Pag. 137. *Poſt lin.* 43. *adde,*

Non incommodum eſt ſi recipiatur vinum, cui permiſceatur ſpiritus ſulphuris ut aceſcat. Huic immitte radiculam Polypodii per 24 horas: tunc ſicca & utere pro dentifricio. Firmat, mundat & candorem dentibus inducit. *Etmuller prax.* cap. de Dentium vitiis. *D. E. Hulſe.*

Pag. 138. *poſt lin.* 21. *pro quinta ſpecie adde,*

Hemionitis parva Antegoana folio Platani ferè in modum diviſo.

Hujus folium nobis communicavit peritiſſ. Botanicus D. *Doody* pharmacopœus Londinenſis. Pediculo innitebatur tenui nigricanti, & Capilli Veneris in modum ſplendentia quatuor digitos longa. Folium 2½ uncias longitudine ſuperabat; ima parte tantundem propemodum latum; ad baſin duplicem laciniam ſeu apophyſin habuit velut Hemionitis peregrina Cluſii, utramque tamen ad latera dentatam ſeu laciniatam, & in acutiorem mucronem productam. Medium etiam folii ſegmentum utrinque laciniatum, in acutum cuſpidem procurrebat. Semina folii marginibus circumcirca reflexis adnaſcuntur ut in Filice fœmina vulgari aut Filice peregrina Oſmundæ facie *Bod.* à *Stapel,* non lineolis aut punctis in averſa folii parte.

Pag. 141. *Ad Cap.* VI. *adde,*

Filiculam hanc magis perfectam & integram cum omnibus ſuis partibus vide apud Clariſſ. Virum *D. Plucknet,* eandémque mihi communicavit *D. Doody.* Plurimis autem tenuibus nigris filamentoſis obliquè incedentibus radiculis variè implexis & cum muſco cui intermiſcentur velut contextis in ſuperficie terræ ſeu petrarum quibus innaſcitur ſe diffundit ceu velo quodam eas operiens. Filamenta obiter foliola emittunt uncialia aut ſeſcuncialia, è pinnulis compoſita hinc inde tribus, quatuor, quinque aut pluribus, alternatim poſitis, ſingulis in tres quatuórve lacinias longas anguſtas ad pediculum uſque diviſis. Singulas lacinias ſeu foliola mavis dicere nervus niger per longitudinem medias dividit.

Pag. 146. *Poſt primam ſpeciem Cap.* IV. *adde,* Oſtendit nobis D. Pettiver Filiculæ ſpeciem è China delatam, quæ plurimum accedere videtur ad Filicem minorem paluſtrem, verùm extremum folium in longiorem mucronem procurrebat, & Lonchitidem diviſurâ ſua æmulabatur.

Pag. 149. *Ad finem Capitis* VIII. *de Adianto adde,*

4 *Adiantum foliis Coriandri ramoſum Chinenſe.*

Pediculis nigris ſplendentibus cùm Adianto nigro Coriandri foliis convenit: foliis magis accedit ad Adiantum Americanum Cornuti. Sunt autem ea nuſquam adverſo ſitu diſpoſita, ſed ubique alterno. Cauliculus ſeu pediculus ramos ad eundem fere modum emittit quo Filix fœmina vulgaris;

garis; in ramos ſcil. adeò divaricatur ut verus caulis videatur, non folii compoſiti ſeu ramoſi pediculus.

Ramulum ſiccum è China allatum nobis communicavit peritiſſimus Botanicus *D. Pettiver* Pharmacopæus Londinenſis, ſemipedali longitudine, in ramos diviſum, atque etiam ſubdiviſum: medius ſcapus duodecim foliorum ſeu pinnarum paria adnexa habuit.

Pag. 153. *Ad finem Capitis* 8. *adde,*

5. *Adiantum nigrum, ſeu Dryopteris Chinenſis lanuginoſa.*

Hujus folia [totalia] longiora & anguſtiora ſunt, magnitudinis ratione habita, quam Dryopteris nigræ *Officin.* in ramulos ex adverſo plerunque ſitos diviſa: at pinnulæ in ramulis alternatim plurimùm diſpoſitæ ſunt; hæ autem diviſurâ ſuâ folium Quernum quodammodo imitantur. Pediculi ut in dryopteride vulgari ex ſpadiceo nigricant. Verùm hæc planta inſigni nota ab omnibus nobis hactenus viſis Capillarium ſpeciebus differt, quòd non pediculi tantùm ſed pinnulæ ſeu folia ipſa hirſuta & lanuginoſa ſunt.

Hujus etiam folium ex China allatum nobis communicavit ſuperius laudatus D. *Jacobus Pettiver.*

6. *Adiantum nigrum Chinenſe tenuiter diviſum pinnulis minimis obtuſis plerunque bifidis.*

Hujus cauliculus ſeu ſcapus folii medius ramulos emittit alternos, in ſurculos pariter alternatim poſitos diviſos, & hos demum in pinnulas minimas ab anguſto principio paulatim dilatatas, ad ſummum uſque, quod latiuſculum & plerunque bifidum eſt. Pinnularum parvitate & figura ab omnibus nobis cognitis Filicum ſpeciebus diſtinguitur, adde & frequenti diviſurâ.

Hanc quoque à prædicto D. *Pettiver* habuimus.

7. *Adiantum album floridum Cicutæ foliis Virginianum* D. Plucknet *in horto ſicco.*

Addenda LIBRO QUARTO.

P*Ag.* 159. *l.* 18. *D. Hermannus in* Catalogo Plantarum Horti Med. Lugd. Bat. *Banguen pro Althææ* [*nobis Alceæ*] *Indicæ ſpecie habet.*

Pag. 159. *lin.* 41. *Pro tertia ſpecie ad finem Capitis ſecundi adde,*

3. *Herba de Bengala* C.B.

De hac herba C. Bauhinus ex Linſcot. part. 2. Ind. Orient. 18. &c. hæc habet,

In Bengala ex herba quam ad colum inſtar Lini nent, telam texunt, quæ ſubtilitate ſericum antecellit: ex foliis linteamina elaborant, acu pingentes nunc floſculos, nunc hiſtorias vario colore, quæ lectulis inſternuntur.

Obſervat *Mandelſlo* in Indica ſua peregrinatione è glomo laneo ſummo cauli plantæ cujuſdam *Herba de Bengala* Luſitanis dictæ innaſcenti, pilæ parvæ ſeu fibulæ vulgò dictæ majori ſimili, optimos pannos, aulæa & periſtromata fieri.

Hanc herbam ſimili omnino fructificatione gaudere cum Curcuma, Cardamomo, Zedoaria, &c. nos docet *D. Paul. Hermannus* Catal. Hort. Lugd. Bat. pag. 211. in hiſtoria Curcumæ, cui ob hoc aliaque ſua obſervata & inventa plurimas debemus gratias.

Pag. 161. *Poſt lin.* 25. *adde,*

In procidentia uvulæ gargariſetur ſuccus Urticæ.

Ad morbum equorum [**The Stratches** Anglicè dictum.] Ex cineribus Urticæ cum aq. font. q. ſ. fiant orbiculi; quibus tempore uſûs adde axungiæ q. ſ. m. f. ung. pro uſu. *D. Hulſe* è MS. cujuſdam Doctoris *Page.*

Pag. 162. *Poſt lin.* 4. *pro octava Urticæ ſpecie adde,*

8. *Urtica Racemoſa Canadenſis* Moriſ. præl. Dodart. Mem.

Hujus folia multò obſcuriùs virent quàm Urticæ noſtratis majoris; ad tactum mollia ſunt, non tamen pungentia, pediculis longis teretibus appenſa. E foliorum alis & versùs ſummitates florum velut racemuli exoriuntur.

Invenio inter plantas meas ſiccas ante triginta annos Londini collectas hujus Urticæ folium.

D. Paul. Hermannus in *Appendice* ad *Cat. Leyd.* Pino *Marcgrav. & Piſon.* ad Urticam [intelligit puto racemoſam Canadenſem] refert.

Pag. ibid. Ad finem Capitis de Spinachia adde,

Abrahamus Muntingius in Herbario Belgico lib. 2. cap. 37. pag. 162. Plantam quandam ſpinoſam deſcribit & depingit, quam Spinachiam fruteſcentem Americanam vocat; quæ tamen ad hunc locum non videtur pertinere: qui linguam Belgicam callent rem certiùs definire poterunt.

Pag. 164. *Poſt. lin.* 23. *pro quarta Mercurialis ſpecie addatur,*

4. *Mercurialis Zeylanica tricoccos cum Acetabulis Kupamenija Zeylanenſibus Herman.* Cat. Leyd. App.

E *radice* annua, albente, modicè fibroſa ſurriguntur *caules* nunc unicus, nunc plures, ramoſi, rotundi, pedales, ſtriati; ad quorum genicula hærent *folia*, ex longis pediculis, Mercurialis effigie, ſubrotunda, glabra, leviſſimè crenata. Ex horum ſinubus verò oriuntur teneræ ſemidigitales alæ, quos alterno ordine cingunt parva, herbacea acetabula, cum parvis è medio prodeuntibus pulchellis breviſſimis thyrſulis, multis herbaceis villoſis & cirroſis floſculis veſtitis, quibus ſubſunt rotundi, lappacei globuli, terni ſimul juncti, ſingulis continentibus *ſemen* parvum, congeneribus ſuppar.

In Zeylona & Malabara luxuriat in fimetis. Hinc *Kupamenija*, hoc eſt ſtercoris aut fimi amans appellatur. *Locus.*

Cùm fructus flori ſubeſſe dicatur in noſtra methodo ad hunc locum non pertinet.

Pag. ibid. Ad finem paginæ pro ſecunda Ambroſiæ ſpecie addatur

2. Ambroſia foliis Artemiſiæ inodoris elatior Herman. Cat. Lugd. Bat.

Hujus virgultis trium quatuórve pedum altitudine aſſurgentibus adhærent *folia* * priori ampliora, Artemiſiæ foliis proxima, profundiùs laciniata, ſupernè viridia, infernè palleſcentia, odoris nullius evidentis. *Flores* in ſummis ſpicis apparent minores, foris viridantes, intus nigricantes; quos ſingulos excipit *ſemen* unicum, muricatum, vulgari ſimillimum. ** Ambroſiæ vulgari.*

Ex ſeminibus Venetiis tranſmiſſis prodiit.

Pag. 165. Habetur in Horto Hafnienſi Lappa quædam minor, aculeata dicta *Bartholin. Act. med.* Qu. quomodo differat à vulgari Xanthio.

Pag. 167. *lin.* 19. *poſt verba illa,* è Syria allati *adde,*

Hæc Ricini ſpecies eſſe videtur quam * *Horti Malab.* Auctores deſcribunt ſub titulo *Pandi Avanacu* his verbis. ** P. 2. p. 60.*

Pandi Avanacu, quæ ſecunda ſpecies *Avanacu*, ling. Bram. * *Vollò Erandò* à priore ſpecie, (quam pro Ricino vulgari habemus) in eo tantùm differt, quòd altiùs aſſurgat, quódque ſtipitibus & ramis eſt valdè rubris ſeu miniatis & nitentibus: Foliis, floribus & fructibus paulò majoribus. Semina quoque eadem ſed majora & paulò planiora, & inter ſpadiceo-fuſcum & nitentem colorem cinereis undulis rarioribus conſperſa. ** I. e. Erando major.*

Rariùs in hiſce terris quàm *Avanacu* reperitur.

Ricinus Africanus maximus caule geniculato rutilante Hort. Reg. Pariſ. Hort. Lugd. Bat. Herman.

Idem totus ruber Indicus Hort. Lugd. Bat. Herman.

Quantum differant à præcedente nôrunt qui eos coluerunt.

Ricinus Americanus major caule vireſcente Hort. Reg. Pariſ. Hort. Lugd. Bat. Herman.

De his, cùm nondum eos viderim, nihil amplius dicendum habeo.

Cadel Avanacu H. M. *ad finem pag.* 167. *poſt verba illa,* ad Cadel-Avanacu plantam dictam *addenda,*

Frutex eſt in arenoſis naſcens, ſtipitibus ac ſurculis ſolidis. *Folia* quæ in pediculis tenuibus, quatuor pollices longis proveniunt, oblongo-rotunda ſunt, anteriùs in cuſpidem ſtricta, ad petiolum latiſſima, oris rotundis, tenuibus & raris in margine denticulis inciſa; ſuperficie plana, glabra & texturæ tenuis ac ſubtilis: nervis è coſta media ſubtus eminente obliquè antrorſum exeuntibus, & in ſe invicem arcuatim ſubtili tractu incurrentibus, colore viridi-claro, in hac parte. *Flores* in ſummis ſurculis albicantes, plures; quibus ſuccedunt *Fructus* pedunculis brevibus, rotundis & tenuibus appenſi, formâ oblongâ & trilaterâ, tribus plano-rotundis lateribus conſtantes, & in medio ſingulorum laterum ſutura ſubtili in longum ſtriati, ad petiolum ſtrictiores, in ſuperficie punctis lacunoſis effoſſi, in vertice cùm teneriores ſunt umbilico trium rubrorum foliorum, quæ dein decidunt dotati, cortice exteriore viridi diluto, interiore lignoſo ac corneo, ad petiolum calyce parvo, qui cuſpidatorum viridium foliorum eſt, comprehenſi, in terna loculamenta diviſi, interſepimentis lignoſis, quæ angulis laterum & ſtylo medio aſtricta ſunt à ſe mutuò disjuncta; in quorum ſingulis ſingula continentur *ſemina*, formâ oblongâ in parte interiore, quà ſtylo medio fructûs accumbunt, pellicula albicante tenuiſſimâ obducta, ac in medio, ubi cùm teneriora ſunt angulo eminente extuberant, ſutura flavâ ſtriata; ſúntque cum ſicca parte interiori planiora, in altera rotundiora & magis extuberantia, coloris in totum nigricantis & parùm nitentis; in vertice nullo umbilico albicante ſunt, uti quidem ſemina priorum ſpecierum.

Bis in anno flores & fructus fert, ferme in Januario & Julio.

Folia trita & cum aqua epota purgativa ſunt. Pro morſu ſerpentis dicti *Cobra Capella* juvant ſi in pulverem trita vulneri indantur; eadem cum foliis *Pandi Avanatu*, & floribus * *Schem-Pariti* melli permixta pro capitis puſtulis ſerviunt facta unctione. Unum fructûs ſemen ſumptum uſum purgandi obtinet ſi tritum in aqua propinetur. *Tempus.* ** Alceæ Indicæ ſpecies eſt.*

Hic frutex fructu tricocco & vi cathartica cum Ricino convenit, in reliquis ſatis differt.

Cæterùm Ricini vires in Hiſtoria omiſſas placet hîc adjicere:

Oleum è nucleis expreſſum non ſolùm Lychnis affunditur, ſed omnibus paſſim incolis [Braſiliæ] in uſu eſt quotidiano contra affectus frigidos tam internos, quàm externos. Reſolvit apoſtemata, & matricis ventríſque tormina ac flatus illitum diſcutit: prodeſt tinnitibus aurium: reſtituit tenſos convulſóſque nervos. Tres vel quatuor guttulæ ex conveniente liquore ſubinde per os vel anum exhibitæ ſanant frigidos articulorum affectus & ſimul alvum laxant. Cutem quoque à pſora reliquiſque vitiis vindicat. Umbilico inunctum lumbricos puerorum expugnat. At * D. *Stubs* ** Act. Philoſoph. N. 56.*

affirmat Oleum expreſſum, quantumvis nuclei ipſi vehementer purgent, nullam omnino vim catharticam obtinere, nè quidem ſi integri cochlearis menſurâ una vice deglutiatur, aut trium per anum injiciatur. Piſonem attendamus.

Semen purgat validè. Sex ſeptémve nuclei per os intro aſſumpti humores crudos per ſuperiora & inferiora exturbant cum vehementia. Convenit ergo in ſpiritu vini optimo loco correctorii ſemina multa macerare, & tincturam exhibere. *Piſo.*

Folia aquâ vel aceto macerata Herpetis aut hujus generis affectibus mederi, præter Dioſcoridem teſtem habeo quotidianam experientiam. *Piſo.* Eadem, teſte D. *Stubbes*, unicum ſunt apud Indos Cephalalgiæ remedium.

N. Indi ante Europæorum adventum non expreſſione oleum eliciebant, nullam enim nôrant, ſed coctione; eadem ſcil. ratione quam docuit Dioſcorides h.e. contuſo ſemine, deinde in aqua cocto, poſtremum oleo innatante cochlearibus excepto: quæ eliciendorum oleorum ratio è ſeminibus & fructibus Indis admodum familiaris & uſitata eſt, quomodo faciliùs etiam quam expreſſione eliciuntur.

Hucipochotl Huaxacenſis ſeu Ricinus Novæ Hiſpaniæ Hernandez. *Qu. an differat à Curcas?*

Si rectè depictus ſit ad hoc genus propriè non pertinet, huc tamen ob ſimilitudinem foliorum & fructûs cum Ricino Americano *Curcas* dicto referri poteſt. Arbuſcula eſt, deſcribente *Hernandez*, vitium modo ſerpens, ſinuoſis ac tricuſpidibus foliis, floribus coccineis, parvis & aggregatis in comam, unde generantur fructus Nucis pæne Ponticæ formâ ac magnitudine, ſed ternos includentes Ricini more candicantes nucleos. Toto anno folia, flores ac fructus fert.

Liquor ſtillatitius vires elangueſcentes inſtaurat reficítque, ut homines ferè mortuos ferant exſuſcitare; idem refrigerat & impinguat, aut ipſa arboris folia oleris vice devorata, nitidúmque reddunt colorem. Lachryma ſtillans è perfractis germinibus inflammationi oculorum mirum in modum confert. Nuclei quini, aut ſi robuſtior homo ſit ſepteni, emundati à quodam illis tegente membrana vacuant egregiè pituitam & bilem per ſuperna & inferna, adeò ſecuro eventu, ut vel levis momenti re ingeſta, medicamenti hujus vis ſi ita expediat coerceatur.

Bengi-eiri * H. M. *Ricini Indici ſpecies.*

* P. 4. T. 51. p. 105. *H. M.*

Arbor eſt mediæ magnitudinis, *caudice* craſſo, albicante, cortice obducto nigricante, necnon multis ramulis cinereis, intus fungoſis, inodoris, ſaporíſque acris donato.

Radix albicans, flaveſcente ac lacteſcente cortice tecta, inodora, ſaporis acris & urentis.

Folia alternatim brevibus petiolis circa ramulos proveniunt, oblongo-rotunda acuminata, in ambitu ſerrata, craſſa, denſa, glabra, nervis aliquot è media coſta albicante & infernè extuberante in latera excurrentibus; ſapor dulcis & aſtringens.

Floſculi exigui & pæne inviſibiles ſurculorum extremis racematim proveniunt, calycíque viridi-albicanti & exiguo inhærent, tribus *ſtaminulis*, luteis *apicibus* ornatis conſtantes. At verò floſculi hi *Juli* potiùs dicendi ſunt, cùm ex iis fructus non enaſcantur: ſed infrâ floſculorum analogicè dictorum racemos ſeu potiùs ſpicas, gemma obſervatur oblongo-rotunda, tria emittens reflexa, albicantia, flaveſcentibus *apicibus* ornata filamenta; quæ gemma inodora, inſipida ipſius fructûs rudimentum eſt.

Fructus rotundi, ſex angulis craſſioribus ſulcati, fructibus *Nilicamaram* haud abſimiles, virides, craſſo cortice cincti: cui ſubeſt putamen ſeu cortex lignoſus, rufus, bina ternáve includens *ſemina*, albicantia, dulcis, gratíque ſaporis, Ricini ſeminum formâ æmula. Craſſus autem qui fructum hunc ambit cortex, levibus inciſuris vulneratus lachrymam fundit lacteſcentem, acrem, urentem; quamobrem ſiquis fructus hoſce dentibus confringere conetur, mox inſigni acrimonia lingua, fauces, cæteræque oris partes vellicantur, intumeſcunt, inflammantur, quæ ſymptomata mors intempeſtiva non rarò excipit.

Locus. Creſcit locis arenoſis & humidis in *Malabar*, præſertim circa *Cochin*: ſemper viret; quotannis maturos fert fructus, menſe viz. Decembri.

Vires. Folia contrita & pulveriſata ulceribus inſperguntur ad fungoſam luxuriantémque carnem tollendam. Eadem folia conciſa, & cum Bubali fæcibus in nodulo conſuta ac calefacta convulſis & ſpaſmo affectis partibus utiliter imponuntur.

Pag. 180. Species Acetoſæ undecima ſeu ſcutata repens copioſè provenit juxta ſcaturigines aquarum in cautibus clivoſis montis *Snowdon* ſupra vicum *Llandberis*, necnon ad rivulos in confragoſis rupibus montis *Cader Idris* ſupra lacum quendam noſtratibus *Lhiny Cau* dictum.

Pag. 194. *ad finem cap.* 4. *adde*,

Atriplex maritima Mauritanica foliis Polygoni argenteis, ſemine amplo fuſco, vaſculis rotundis: quam apud D. *Plucknet* exſiccatam vidimus.

Pag. 195. *adde*,

Halimus anguſtifolius ſeminibus ſingularibus, vaſculis Burſæ paſtoriæ æmulis bicornibus incluſis. D. Plucknet in agro Lincolnienſi invenit.

Pag. 199. *Ad finem paginæ adde*,

Pleniorem hujus plantæ deſcriptionem vide apud D. Hermannum in *Cat. Hort. Lugd. Bat.* ſub titulo Amaranti Indici ſpinoſi ſpicâ herbaceâ, Kathutampala Zeylonenſibus h. e. Pala ſeu Amarantus ſpinoſus.

Pag. 201. In horto Reverendiſſimi Epiſcopi Londinenſis, cujus frequens in hac Appendice mentio, Amaranti ſpeciem vidimus maximam, humanam altitudinem ſuperantem, quam arboream meritò appelles, foliis multò pallidioribus quàm purpurei vulgaris ſpicis erectis: ſpicis etiam multò quam illius gracilioribus, & brevioribus ſi modo adultæ fuerint, colore minùs ſaturo, at lucidiore, *Quinuæ* Cluſii in modum ſparſis ſeu deorſum dependentibus. Semen nondum perfecerat

rat Septembris medio. Verùm æſtas hujus anni ſupra modum frigida, & ſeminibus exoticis maturandis minùs propitia fuit.

Pag. 203. *Poſt lin.* 64. *pro ſeptima Amaranti ſpecie addatur,*

7. *Amarantus minor Indicus folia Tripolii, flore ex æneo colore & argenteo variegato* Breyn. prod.

Pag. 208. *Ad ſecundam ſpeciem Aſari not.*

Hæc Aſarum Americanum Parkinſoni eſſe videtur, deſcriptiones tamen non in omnibus conveniunt. *D. Baniſter* in Catal. Aſarum Americanum *Park.* Serpentariam radicem magnam vocat, foliáque ejus maculoſa eſſe aſſerit Cyclamineorum inſtar, quibus tamen minora ſunt, nec Aſari noſtratis majora, quicquid dicat Parkinſonus. Communicavit nobis *D. Pettiver* folia & radicem cujuſdam plantæ è Provincia Americæ *Terra Mariana* dictâ allata quam incolæ iſtius regionis *Serpentariam nigram* vocant. Radices fibroſæ erant, nigricantes: folia pediculis longis inſidebant figurâ & magnitudine foliorum Chelidonii minoris, verùm circum oras crenata ad modum Calthæ paluſtris quibus & ſimilia niſi quòd minora. Eandem plantam ſiccam vidimus apud Virum inſignem *D. Leon. Plucknet*. Fibræ è radicis quodam velut trunco exibant. Eandem hanc eſſe puto cum Aſaro Americano *D. Baniſter.*

Pag. 211. *Kali geniculatum majus ſive alia nova ſpecies Kali perennis à* D. Sloane *obſervatum eſt propè inſulam* Shepey.

Pag. 217. *Ad finem Cap.* XI. *pro tertia Saxifragæ aureæ ſpecie addatur,*

3. *Saxifraga aurea Lichenis facie* Moriſ. Præl.

Satis frequenter, inquit, reperitur in rivulis aquæ dulcis à fontibus jugibus manantibus. *Folia* gerit oblonga, ſerrata, hirta, per terram ſtrata; floſculos in alis luteos; quin & primo ſtatim intuitu à Saxifraga aurea montana rotundifolia diſcernitur à foliorum denſa diſpoſitione & forma longa, cùm alterius montanæ ſint rotunda & rariora.

Suſpicor illum intelligere primam noſtram ſpeciem; verùm tum male illam deſcribit floribus in foliorum alis.

Pag. 219. *poſt lin.* 40. *adde ſpeciem ſequentem.*

8. *Lactuca ſativa maxima Auſtriaca capitata, variegata, Lactuca Caryophyllacea vulgò* Herman. Hort. Lugd. Bat.

Refert, inquit, variegato colore Caryophyllum hortenſem.

Viribus Lactucæ adde ſequentia.

Lactucæ frequens eſus Veneri adverſatur ut quod maximè; unde ſpeciem ejus quandam Veteres Eunuchion & Aſtutida vocârunt: cavendus ergo iis imprimis eſt qui liberis operam dare vellent. Hanc ejus facultatem quamvis ſuperiùs leviter attigimus, quoniam non levis momenti res eſt, iterum inculcandam duximus.

Pag. 222. *poſt lin.* 40. *adde,*

Hanc ſpeciem *D. Magnol* in *App. ad Botan. Monſp.* accuratiùs deſcribit nomine *Lactucæ ſylveſtris anguſto laciniato folio,* & quærit An ſit Lactuca ſylveſtris altera anguſtiore folio *Hort. Reg. Par.*

In Catalogo Plantarum in *Horto Reg. Pariſ.* enutritarum necdum editarum à D. *Tancr. Robinſon* ad me tranſmiſſo invenio,

Lactucam pratenſem fol. anguſtiori & longiori D. Fagon.

Quæ quomodo à præcedenti differat inquirendum.

Pag. 229. *Ad finem Capitis quarti de Chondrilla adde,*

Chondrilla Tingitana floribus luteis Papaveris hortenſis folio D. Hermanni *in* Cat. Hort. Lugd. Bat.

Herman.

Radice nititur digitum craſſa, pallida, fibroſa, annua, è qua prodeunt *folia* Papaveri hortenſi nonnihil ſimilia, duos tranſverſos digitos lata, palmam longa, glauca, lævia, carnoſa, albentibus venis inſignita, per ambitum crenata. Intra hæc aſſurgunt *caules,* cubito longiores, in aliquot alas divaricati, læves, pallidè virentes, ſolidi, circa cacumina verò fiſtuloſi. Horum ſingulis nodis hærent folia ſine ullis petiolis, auriculata, inferioribus latiora, & profundioribus crenis inciſa. Apices verò exornant *capitula,* Sonchi effigie, ſquamata, quæ Auguſto menſe explicant florem, congeneribus affinem, ex numeroſis petalis, planis, flavis, ad baſin purpuraſcentibus, radiantem ſtellam imitantibus congeſtum, ſuccedentibus *ſeminibus* oblongis, albis, fungoſis, ſulcatis, denticulatis, candidiſſimo ſericeo pappo criſtatis. Tota planta ſcatet lacte amaro, ingrato.

Pag. 236. *Hieracium maximum aſperum Chondrillæ folio* C. B. *à* D. Newton *in Cantia inventum eſt.*

Pag. 238. *Hieracium fruticoſum fol. ſubrotundo* C. B. *in Parco Edinburgenſi, & alicubi in Weſtmorlandia obſervavit idem* D. Newton.

Aliam adhuc Hieracii ſpeciem Sonchi vel Chondrillæ folio hirſuto ad me ſiccam tranſmiſit diligens & induſtrius Botanicus *D. Doody*. Caulis erat ſemipedalis aut paulò altior, unico folio laciniato donatus ad modum Pulmonariæ Gallorum, flores pariter in faſtigio geſtans non multos nec valdè diffuſos, luteos, non grandes, calycibus lanuginoſis. Semina parva nigra eſſe videntur Pulmonariæ dictæ. Folia laciniis & figura Cichorium, Dentem leonis aut Sonchum imitantur.

Hæc planta accedit ad Hierachium maximum aſperum Chondrillæ folio *C. B.* Flores antequam aperiantur rubore quodam dilutiore exteriùs tinctæ videntur, ut in Myoſotide etiam cernere eſt.

Pag. 239 *lin.* 9. *Speciem Hieracii Pulmonariæ ſextam ſic deſcribit D. Hermannus in* Cat. Hort. Lugd. Bat.

Ex fibroſis candidis radicibus quotannis fruticant novi ſurculi, ſeſquicubitales, tenues, in viridi albentes lacteſcentes; foliis concoloribus, longis, anguſtis, pæne ſetaceis ab imo ad ſummum uſque densè ſtipatus; quorum faſtigia in complures abeunt ramulos, ſuſtinentes è calyce oblongo incano modicè hirſuto & ſquamato *flores* luteos, ex multis petalis planis in gyrum diſpoſitis confractos, qui marcidi faceſſunt in ſemina atro-rubentia, gracili pappo criſtata.

Pag. 251. *lin.* 57. *Ad finem Cap.* XII. *pro decima ſeptima ſpecie adjiciatur,*

17. *Tragopogon ſive Scorſonera humilis craſſiore folio* Magnol. App. ad Botan. Monſp.

Radix ei craſſa, brevis, fibroſa, quæ in plura capita dividitur; è quibus multa naſcuntur *folia*, longa, anguſta, craſſa, glabra: inter quæ ſurgit caulis palmaris, cavus; florem in faſtigio ferens flavum, Scorſoneræ modo ſquamatum, ſed minorem; *Semen* etiam minus.

In pratis ad lævam Lateræ verſus ſtagnum Maio menſe floret.

Pag. 261. *poſt lin.* 23. *ad finem capitis* II. *pro quarta ſpecie addatur,*

4. *Petaſites Africanus Calthæ paluſtris folio* Herman. Cat. Hort. Leyd.

Novum (inquit) hoc Petaſitidis genus ex paluſtribus C. *Bonæ Spei* in hortum tranſlatum foliis eſt rotundis, rigidis, crenatis, Calthæ paluſtris facie, radice flaveſcente craſſa, cætera vulgari ſimile.

Hanc plantam cum caule fructu ſuo racemoſo onuſto apud *D. S. Doody* vidimus, unde eam Petaſiten non eſſe conſtat, ſed anomalam quandam ſtirpem Petaſitis folio, Bliti fructu.

Pag. 264. Conyza 16, ſeu Melitenſis foliis retuſis *Boccon.* in hortis Londinenſibus nomine Senecionis arboreſcentis C. Bonæ Spei innoteſcit, ut me monuit D. *Tancredus Robinſon.* At D. Hermannus Conyzam Africanam Senecionis flore, foliis retuſis à Bocconiana abludere ſcribit florib. diſcoidibus nudis non radiatis Senecionis facie & modo in umbellam diſpoſitis, cætera cum ea convenire.

Pag. 265. *Ad finem capitis de Conyza add.*

Conyza Africana foliis Stœchadis citrinæ Gallicæ Faſcic. plant. rar. Breyn.

Suffrutex pedalis eſt vel altior, Elichryſo II. *C. B.* ſimilis, ſed magis lignoſus. Foliis pluribus Stœchadis citrinæ Gallicæ ſed anguſtioribus: Flore majore, cujus umbo petalis longis & anguſtis circumradiatur. Radix lignoſa, multis fibris divaricata. Semen pappeſcens. In Africa juxta Promont. B. Sp. *D. Ten Rhyne* collegit.

Eadem Pag. add. Conyzam Africanam Urticæ folio *Hort. Amſterodam.*

Pag. 270. *lin.* 18. *pro* 21. *Aſteris ſpecie interponatur,*

21. *Aſter latifolius Tripolii flore* Dodart. memoir. *Tripolium altiſſimum Americanum, caulibus viridantibus* Herman. Cat.

Ad finem Cap. IV. in eadem pag. addantur ſpecies ſequentes.

23. *Aſter Africanus latifolius maximus puniceis caulibus* Herman. Cat. Leyd. App.

Altiùs aſſurgit quàm Aſteres Novæ Angliæ, *caulibus* robuſtis, puniceis, in breves, concolores ramos diviſis. *Foliis* Tripolii facie, ſed rigidioribus, craſſioribus, per ambitum nonnihil dentatis, inferioribus palmam æquantibus, ſuperioribus verò brevioribus & anguſtioribus. *Floribus* amplis, violaceis, medio diſco purpureo flaveſcente, & in albentem pappum fatiſcente. Subeſt radix fibroſa, vivax, numeroſa fertilitate ſe propagans.

24. *Aſter Novæ Belgiæ latifolius, paniculatus, floribus ſaturatè violaceis* Hort. Leyd. Herman.

Elegantiſſimus hic Aſter, humanam altitudinem longè ſuperans, fundit *radicem* albam, lignoſam, perennantem, innumeris tenuiſſimis fibris capillatam, ex qua ſurgunt *virgulta* quampluima, glabra, purpuraſcentia, Calami craſſitie, infirma, circa faſtigia in frequentes ſurculos, quaſi in ſpecioſam paniculam collectos ſubdiviſa. His ſtrictè adhærent *folia*, abſque petiolis, digitum longa, duóſq; tranſverſos lata, plana, craſſiuſcula, mucronata, alterâ parte glabra, lætè viridia, alterâ ex viridi palleſcentia, numeroſis exiguis venulis è media coſtâ oriundis inſcripta, ad extimos linbos purpuraſcentia, & aliquando leviſſimis, vix conſpicuis crenulis exaſperata; quæ verò immediatè è radice prodeunt ſuperioribus ampliora ſunt, fulta petiolis digitalibus, alatis, ex viridi ruffeſcentibus. Juxta ſurculorum faſtigia eminent *capitula* parva, brevib. anguſtiſſimis foliolis, ſquamatim diſpoſitis, veſtita, quibus ſingulis inſidet *flos* ſtellatus, Aſteris Attici facie, inodorus, radiatus, diſcoides; radiis purpureo-violaceis, diſco parvo, flaveſcente, abeuntes in *ſemina* pappoſa, cinerea, more congenerum.

25. *Aſter Novæ Belgiæ latifolius umbellatus, floribus dilutè violaceis* Herman. Hort. Leyd.

Formâ & creſcendi modo cum ſuperiore convenit, ferens radicem longè latéque repentem, albam, parùm fibroſam, ex qua prodeunt *folia* præcedenti haud abſimilia, at paulò anguſtiora, rigidiora,

diora, minùs glabra, & quodammodo ſinuata. Inter hæc eriguntur *caules* bicubitales, viridantes, ad radicem nihil aut parùm rubentes, ſtriati, ſuperioribus rigidiores, duriores & robuſtiores, circa ſumma faſtigia in frequentes folioſas alas magis expanſas, umbellam mentientes, diviſi; ſuſtinentes in capitulis parvis, ex longioribus foliolis ſquammatim diſpoſitis, *flores* priori paulò majores ex diluta purpura violaceos, petalis duplici ſerie ſibi invicem incumbentibus, diſco luteo, fatiſcente in *ſemina* cinerea pappoſa, priori ſimillima.

26. *Aſter Æthiopicus, Stœchadis foliis, flore aureo* Herman. Hort. Leyd.

In montoſis aridis ad Cap. Bon. Sp. reperitur. Conſtat *radice* parva, lignoſa, fibroſa, fuſca: *Caule* itidem lignoſo, dodrantali, modò ſimplici, modò multiplici, candicante, in ramulos divaricato, undique *foliis* ſetaceis, tenuiſſimis, incanis, Stœchadi citrinæ æmulis, veſtito. Horum ſummitatibus inſidet è capitulo oblongo, ſquamato *flos* luteus ſtellæ inſtar, cujus medium umbonem pallidè flaveſcentem cingunt foliola, radiorum inſtar, aureo colore fulgentia. His ſeneſcentibus ſuccedunt *ſemina* pappoſa, velut in congeneribus. Viget & floret per totum annum, dummodo ab aeris frigidioris injuriis vindicetur.

27. *Aſter exoticus Hyoſeridis folio minor.*

Siccum nobis oſtendit Clariſſ. Vir D. *Leon. Plucknet.*

28. *Aſter Africanus Stœchadis folio incano* ejuſdem.

Pag. 278. *Ad finem cap.* 8. *adde,*

15. *Doronicum maximum Americanum, latiſſimo anguloſo folio, radice tranſparenti* Herman. Cat. Hort. Leyd.

A Jacobo Boberto habuit. Flores & ſemina nondum viderat.

16. *Doronicum integro & craſſo Hieracii folio* Magnol App. ad Botan. Monſp. *An Doronicum Helveticum incanum* C. B. prod?

Radix fibroſa eſt, è qua oriuntur *folia* pediculis donata, longa, latiuſcula, ſerrata, craſſa, ſubtus tomentoſa, ſupra viridia: *Caulis* ſeſquipedalis folia anguſta habens ſine pediculis. *Florem* fert magnum, petalis luteis, in extremitate crenatis umbonem luteum cingentibus, qui in pappos abit. Floris calyx ſtriatus in baſi foliis viridibus coronatur.

In herbidis locis montis *Serrane* frequens eſt & Junio menſe floret.

Pag. 280. *Ad finem Cap.* IX. *pro* 12. *ſpecie adjiciatur,*

12. *Virga aurea Canadenſis foliis Scrophulariæ* Dodart. mem.

Item, 13. *Virga aurea Americana foliis ſerratis anguſtis ſubtus nervoſis* Moriſ. prælud.

Hujus folia ſunt ſubtus adeò nervoſa, & eminenter anguſta maximéque ſerrata ut notu inde facilis ſit. Quin & radicem habet odoratiſſimam.

Item, 14. *Virga aurea humilis Alpina* Moriſ. prælud.

Hæc in omnibus vulgari accedit, ſola parvitate diſcrepans: eſt enim Virgâ aureâ vulgari triplo minor.

Pag. eâdem. Capiti X. de Helichryſo ſeu Stœchade citrina addantur ſpecies ſequentes:

1. *Helıochryſon quorundam foliis Abrotani* J. B. *Elichryſon foliis Abrotani* C. B. *Helychryſon ſive Coma aurea* Ger.

Pedalis, nonnunquam cubitalis eſt planta, *caulibus* rectis, robuſtis, fruticoſis, in multas alas ſubinde diviſis; per quos & ramos numeroſa *folia,* Abrotono ſimilia, candicantia, ubi primùm erumpit, tenuiſſimè diviſa, brevia, hirſuta, cum gravitate odorata. *Flores* in ſummis ramis umbellatim congeſti, lutei Agerati floribus formâ & odore perſimiles, verùm majuſculi. *Radix* lignoſa, minimi digiti interdum craſſitudine, quæ tamen ſingulis annis perit.

Læto ſolo provenit, & copioſè circa Madritium itinere Complutenſi, aliíſque Hiſpaniæ locis in agris, ubi Septembri & Octobri florentem videbat Cluſius. *Locus.*

Quòd dubius eſſem quò referenda eſſet hæc planta, nec ad hunc locum pertinere putarem, commodiorem quærendum ratus, tandiu eam Hiſtoriæ inſerere diſtuli donec tandem penitus è memoria excidit & omiſſa eſt. Duo ſunt quæ me hactenus dubium & ſuſpenſum tenent. 1. Quòd neſciam an pappoſa ſit. 2. Quòd mihi nondum planè conſtat an florem habeat radiatum an verò nudum; quamvis ex deſcriptionibus quæ ejus extant nudum habere colligitur. A reliquis certè Stœchadis citrinæ ſeu Helichryſi ſpeciebus foliis multifidis differt. Qui coluerunt & obſervârunt nos certiores de ejus genere facere poſſunt.

Helichryſum Africanum inodorum glabrum Magnol App. ad Botan. Monſ. *Elichryſum inodorum glabrum Coronopi folio annuum Magnoli*, Herman. Cat. Leyd.

Nobis deſcribitur inferiùs pag. 364. pro Agerati ſpecie titulo *Agerati Africani foliis laciniatis inodori.* Verùm ſi ſemina pappoſa obtineat (ut affirmat D. Hermannus, nam in planta quæ nobis ſuccrevit pappum nullum ſeminibus adhærentem obſervare potuimus,) Elichryſi potiùs quàm Agerati ſpecies cenſenda eſt. Nuper cùm Londini eſſem Botanici Londinenſes mihi affirmârunt plantam hanc minimè pappoſam eſſe, proinde & Hermannum erraſſe. Quin & ipſe (ut video) in Appendice ſententiam ſuam mutat, à *Ciaſſi* certiora edoctus.

Chryſocome Africana flore albo, anguſtiſſimis foliis Breyn. in Faſcic.

Breyn.

E radice hujus virgæ exeunt multæ, pedales, nonnunquam ampliores, lignoſæ, firmæ, in multos ramos tomento albo candicantes diductæ, & ab imo ad ſummum foliolis crebris ac anguſtiſſimis, Stœchadis citrinæ Italicæ Herbariorum dimidio brevioribus denſè ſtipatæ. Summos verò ramulos corymbi occupant admodum elegantes Gnaphalio Americano *Cluſ.* valdè accedentes, quadruplo minores, è candidulis, infra aliquando ruffeſcentibus ità compoſiti ſquamulis, ut umbonem in medio comprehenſum duplici & triplici ſerie notabiliter circumradient. Semen minùs pappeſcens, Chryſocomes vulgaris ſeminibus par.

In herboſis juxta Promont. Bonæ ſpei *D. ten Rhyne* ut & duas ſequentes collegit.

Chryſocome Africana flore phœniceo anguſtifolia Breyn. faſcic.

Breyn.

Planta alba & penitus tomentoſa eſt Chryſocomæ Germanicæ anguſtifoliæ flore ex aureo rutilante ſimilis, niſi quòd folia anguſtiora & breviora, eorúmque ex alis ramulos quamplurimos foliis minoribus veſtitos promittat. *Flores* denſiſſimè in glomerulum congeſti multò ſunt minores, ſquamulis exilioribus minúſque ſplendentibus ex igneſcente phœnicei coloris imbricati; quorum medium *ſtamina* quædam minutiſſima in pappos, ſemine appenſo perquam puſillo, abeuntia occupant.

Chryſocome Africana flore phœniceo ſerratifolia Breyn. Faſcic.

Perraræ hujus plantulæ *caules* etiam candicant, multò tamen infirmiores ſunt, ínque debiliores, & longiores ramos diviſi: Foliis paucioribus multóque brevioribus, latioribus, ſerratis, nervoſis, incanis quidem, minùs tamen quàm ſuperioris, [Euphraſiæ latifoliæ Italicæ *Col.*] quodammodo æmulantibus ſepti. Flore & ſemine cum præcedente convenit.

Chryſocome ſive Argyrocome Gnaphaloides Africana flore ampliſſimo Breyn. Prod.

Chryſocome Africana Ericoides flore albo Breyn. Prod. *Item fl. ſulphureo.*

Chryſocome impia, ſive Filago dicta Cap. B. Sp. Ten Rhyne *apud Breyn. in Faſcic. Duæ ſpecies. Vidimus apud* D. Plucknet.

Elichryſo affinis Africana arboreſcens, floribus purpuro-violaceis, foliis Salviæ, odore Roſmarini: Conyza Africana incana arboreſcens odore Salviæ & Roſmarini vulgo Herman. Cat. Leyd.

Herman.

Quanquam hæc arbuſcula nomen Chryſocomæ non mereri videatur, quòd ejus flores aurea luce non refulgeant; Attamen ob florum ſquamatam corymbaceamq; ſtructuram, & ſeminum pappoſam diſpoſitionem, ceu primariam plantarum partem, Chryſocomæ haud diſſimilem, huic adjungendam eſſe exiſtimavi. Sponte naſcentem reperi locis ſaxoſis & ſalebroſis ad radices montis tabulati Capitis Bonæ ſpei; unde in Hortum tranſlata læta fertilitate germinavit. Figit *radicem* longam, obliquam, pallidam, in brachia divaricatam, ex qua virgulta aſſurgunt complura (nonnunquam unum) ſex ſeptémve pedum proceritate lignoſa, ramoſa, candida, incano tomentoſo cortice veſtita. His adſtant *folia*, Salviæ quadantenus ſimilia, rigida, craſſa, perpetua, ſupra viridia, infra candida, inſcripta numeroſis obliquis nervis, è coſta media in margines exporrectis, ſaporis acris, amari, aromatici, odoris fragrantiſſimi ex Roſmarino & Salvia mixti. Ad ramorum cacumina pullulant multi ramuli, in quibus apparent parvi, ſquamati tomentoſi *floſculi*, Elichryſi vulgaris effigie, barbulis tamen anguſtiſſimis purpuro-violaceis cingentibus orbiculum pallidum, fatiſcentem in tenuiſſima pappeſcentia *ſemina.*

Menſibus Martio & Aprili floret in Hyemali, inque Prom. B. Sp. iiſdem menſibus perficitur. Virtutibus reſpondet Roſmarino. Oleum ex deſtillatione prolectum præſtantiſſimum eſſe deoppilativum experientia nos docuit.

Elichryſo affinis Peruana fruteſcens Herm. Append.

Surrexit in horto Beverningiano ex ſeminibus Peruviâ advectis ad altitudinem ſex ſeptémve pedum, viticulis lignoſis pallidis, lentis, geniculatis, valdè ramoſis; *foliis* binis, ex oppoſito naſcentibus, formâ & magnitudine neſcio quid affinitatis cum foliis Coſti hortorum, ſive etiam Scabioſæ Hiſpanicæ ſtellatæ habentibus, per margines tamen crebriùs ſerratis, tribúſque per longitudinem excurrentibus nervis inſcriptis: *Floribus* ad foliorum exortus circa ramorum cacumina corymboſis, parvis, ab Elichryſo non multùm abludentibus, pendulis, herbaceis, diſcoidibus, modò ſolitariis, modò tribus quatuórve ſimul junctis. *Seminibus* exiguis, ut conjicere potuit, pappoſis, ad perfectam tamen maturitatem hucuſque nondum perductis; ſapore & odore nullo evidenti.

Aliam adhuc Elichryſo affinis fruticeſcentis ſpeciem à præcedente diverſam à D. Hermanno ad Reverendiſſ. Epiſcopum Londinenſem miſſam planè novam & cujus nulla in Catalogo Horti Academici *Lugd. Bat.* mentio, ſe *Fulhamiæ* in Horto prædicti Epiſcopi vidiſſe literis Aug. 27. ad me datis ſcripſit *D.Tancredus Robinſon.* Folia ejus breviora, craſſiora ſpiſſiora, rotundiora & obſcuriùs viridia ſunt quam Elichryſo affinis Peruanæ fruticeſcentis *Herman. Append.* An Senecio Arboreſcens Atriplicis folio?

Pag. 287. *lib.* 13. *pro undecima Jacobææ ſpecie adjiciatur,*
11. *Jacobæa ſupina maritima* Triumfetti.

Ab unciali nervoſa *radice* multas fibrillas emittente & albida cute veſtita oriuntur terni aut plures *cauliculi*, vix plerumque palmares, ſupini potiùs ac veluti in terram reclinati quàm recti, intus cavi, externè rotundi, molles ac tenues, ſubrufo vel etiam purpuraſcente colore infecti: *foliis* nullo ordine poſitis, nitidè virentibus, & aliquantulum craſſis veſtiti, caules abſque ullo pediculo amplectentibus. Præter folia prædicta habentur inſuper pauciora alia ad ramuſculorum exortus, ejuſdem licet cum ſuperioribus ſubſtantiæ, attamen conſpicuo ſuffulta pediculo, & ſemuncialem latitudinem, unciam verò longitudine ſuperantia, eáque non purè dentata, ſed potiùs denticulatis laciniis interrupta. Caules propè ſummum duos treſve ramuſculos è ſinubus foliorum proferunt quorum ſinguli tres aut plures ſuſtinent *flores*, ſingulos longiuſculis petiolis inhærentes, calice è pluribus anguſtis & ſubviridibus foliolis, in nigrum acutúmque apicem deſinentibus compoſito obvallati, barbulis aureis, oblongis latíſque diſcum medium luteum cingentibus conſtantes. *Semen* ſuccedit pappo innaſcente alatum. Plantæ odor nullus, at ſapor inter amarum ac ſalſum medius.

Martio & Aprili viget, deinde ex toto perit. Copioſè admodum naſcentem obſervavit Auctor per totam oram maritimam, campóſque adjacentes, quà à Centumcellis Cajetam verſus iter eſt.

Tempus & Locus.

Donavit me eximius Botanicus D. Jac. Pettiver cujuſdam plantæ à Terra Mariana miſſæ ramulo quæ foliorum diviſura ad Eryſimum vulgare & capitulis in ſummo conglobatis ad Jacobæam aut Senecionem accedere videbatur. Florem cæruleum habere, incolas autem Morſum Diaboli vocare ſcripſit. Tota planta hirſuta eſt, & folia ad margines ſerrata.

Caaetimay Braſilienſibus Marcgr. *Senecio Braſilienſis folio anguſto, ſerrato. Marcgr.*

In trium pedum altitudinem excreſcit, *caule* viridi, intus medulloſo; quem ab ipſo exortu numeroſa ambiunt *folia*, quatuor dig. longa, anguſta, per ambitum inciſa, levi hirſutie prædita (ut & caulis) & molli lanugine paulum incana. Caulis ſuperiùs in quatuor, quinque, ſex, aut ſeptem ramos ſe ſpargit, & foliola parva obtinet, foliis Hyſſopi figurâ ſimilia: in ramulis autem multos fert *floſculos*, florum Senecionis ſimiles, pallidè flaveſcentes, qui in pappos deſinunt, vento diſſipabiles. Folia hujus plantæ acrem & calidum ſaporem habent, ac cocta, contuſa atque illita ſanant ſcabiem in quacunque corporis parte.

Pag. 291. *poſt lin.* 23. *pro quinta Senecionis ſpecie addatur,*
5. *Senecio Lamii folio* D. Fagon.

Quam invenio in Catalogo plantarum *Hort. Reg. Pariſ.* nondum editarum à D. Tancred. Robinſon ad me tranſmiſſo.

6. *Senecio arboreſcens Virginiana Atriplicis folio. Deſcriptionem vide inter Arbores & frutices in horto Rev. Epiſc. Londinenſis viſas.*

Pag. 292. *Cacaliæ ſpeciebus vel ſi mavis Eupatorii Cannabini add.*
Eupatorium Novæ Angliæ Urticæ folio, floribus purpuraſcentibus, maculato caule Herman. Cat. App. *Herm.*

Hoc à * præcedente diſtinguitur quòd radices habeat odoratiores, *caules* humiliores & tenuiores, ſeſquicubitum rarò excedentes, pallidè virentes, puniceis lineolis inſcriptos: *Folia* minora, profundiùs crenata, flores purpureos Eupatorio Enulæ foliis omnino pares.

* Valeriana urticæ folio flore violaceo *Cornut.*

Pag. 296. *Gnaphalii ſexti ſeu minimi deſcriptioni adde,*
Hæc ſpecies plus duplo minor eſt Gnaphalio vulgari. Capitula paucioribus floribus [totales intellige] compoſita ſunt quàm in illo, nec in ſphæricam figuram adeò exactè conglobatis, at neque pariter tomentoſis. Calices florum ſingularium [totalium] magnitudine iis non cedunt, ſed ventricoſi ſunt & anguloſi, neque floſculi è calycibus tantùm eminent ſeu extant.

Pag. 297. *l.* 15. *adde,*
Gnaphalium flore ſulphureo *Herman.* cujus ſpecimen nobis oſtendit inſignis Vir D. *Leon.Plucknet* in Horto ſuo ſicco aſſervatum.

Pag. 303. *poſt lin.* 5. *pro tertia Cnici ſpecie interponatur*
3. *Cnicus perennis cæruleus Tingitanus* Herman. Hort. Leyd. *Herm.*

Planta hæc naturâ totóque habitu Cnicum referens *radicem* agit albam, longam, tenuem, abſque fibris, modò obliquè, modò rectà in terram deſcendentem, emittentem *folia* rigida, craſſiuſcula, ſpithamâ longiora, pollice anguſtiora, circa margines crenata, & ſimul exiguis aliquot ſpinulis obtutum ferè fugientibus armata. Intra hæc prodit *caulis* ut plurimum ſimplex, aliquando ſtatim à radice in binos ternóſve ramos ſubdiviſus, ſuſtinens ex capitulo oblongo ſquamato, & aliquot rigidis, brevibus foliolis circumvallato *flores* cœruleos, fiſtuloſos, oris laciniatis, quos excipiunt *ſemina* fuſca, barbata, more congenerum. Circa Tingidem Africæ collectus erat.

Pag. 307. *lin.* 50. *adde,*

Huic ſpeciei [11.] valde ſimile eſt ſi non idem Cirſium anguſtifolium *C. B. prod.* Folia anguſtiora & raris aculeis prædita eſſe dicuntur; capitula hiſpida.

Pag. 310. *poſt lin.* 54. *pro nona Cardui ſpecie adjiciatur,*

9. *Carduus pycnopolycephalos ſylveſtris* Triumfetti.

Triumf.

Radice eſt perenni, Raphani hortenſis formâ, craſſitie pollicari, longitudine palmari, circa extremum ramoſa, ramis in craſſiuſculas fibras diviſis, raris quibuſdam barbulis, ut & radix ipſa obſitis: Hæc è ligneis filamentis fungoſæ ſubſtantiæ muſtelini coloris intermixtis componitur, necnon externo molliori cortice ejuſdem coloris obtegitur. *Folia* radicis caput multiplicatis ceſpitibus coronantia breviſſimo ipſi adhærent pediculo, palmo plerunque minora, latitudine unciali, ſolidam ſortiuntur ſubſtantiam pronâ parte, quæ denſa lanugine obtuitur, candidam, ſupinâ verò atrovirentem, ſed maculis ſeu potius lineis quibuſdam albis interruptam, ob hirſutiem tum primarium nervum, tum ipſius propagines occupantem, quæ versùs lateralem extremitatem bifurcatæ literam Y egregiè æmulantur, & poſtea in tenuem ac flaveſcentem aculeum, longum tamen & ſatis pungentem, terminantur, imò propè extremum foliorum ambitum ita ordinantur, ut ipſa velut criſpatis oris evadant. Cæterùm Junio menſe ſatis explicatis jam foliis unus vel plures juxta ceſpitum numerum eorumque robur oriuntur *caules*, qui Auguſto deinde menſe duorum ferè cubitorum altitudinem adepti, anguloſi, alati, aculeiſque muniti cernuntur, colore etiam quaſi cinereo ob modicam lanuginem præditi, ſubſtantia exteriore ligneis fibris conſtante, medullâ ſpongioſâ intus repleti, foliis multis, imis ſimilibus, ſed minoribus ornati, & ad modica intervalla nullo pediculo cauli adnexis, raro in ramos, & tum pauciſſimos, diviſis ac breves, unde in ipſius faſtigio, quatuor ſeu plura notantur *capitula*, cuncta confertim ſimulque collecta, ac breviſſimis innixa petiolis, magnitudine plus minùs nucis Avellanæ, & priuſquam florem expandant rotunda, viridia, è multis ſquamulis in luteum ac pungentem aculeum deſinentibus compoſita; *Flos* ex plurimis floſculis atro-rubentibus, & ex ipſorum centro album ſtamen proferentibus densè perpetuò junctis, nec ut in aliis Carduis dilatatis donec ſiccati decidant, conſtat. *Semen* denſa ac alba involutum lanugine forma, colore ac magnitudine (niſi quòd rotundius exiſtat) perquam ſimile eſt ſeminibus Cardui Leucoii folio. Tota planta reliquorum Carduorum odorem obtinet, ſapore eſt initio dulci, poſt amarorem relinquente.

Locus. In umbroſis ſylvis ultra Tuſculanos agros extenſis quà præſertim itur Lavicano Anagniam, &c. reperit deſcriptionis autor Jo. Baptiſta Triumfetti.

Accedit ad Carduum polyacanthum ſecundum Ger. emac. quem nos pro Carduo acanthoide *J. B.* habuimus.

Pag. 314. *Poſt ſecundam ſpeciem adde,*

Carduus Bæticus ſpinoſiſſimus echino aculeis rigidis armato.

Exſiccatum vidimus apud eruditiſſimum Virum *D. Plucknet.*

Pag. 317. *l.* 24. *Pro ſecunda ſpecie Cardui ſtellati, ſeu pro primæ varietate ponatur*

2. *Carduus ſtellatus foliis integris ſerratis Magnol.* App. ad Botan. Monſp.

Differt præcipuè à præcedente foliorum formâ quæ in hoc integra ſunt, cùm in illo ſint valdè diſſecta. Invenit *D. Tournefort* juxta rivulum dictum *Viſtre*, inter *Candiac* & *Vauvert.*

Pag. 322. *Poſt ſecundam Cyani ſpeciem pro tertia interſeratur*

3. *Cyanus Centaurioides fruticeſcens Lavandulæ folio cap. B. Sp.* Breyn. Faſcic.

Breyn.

Frutex mihi videtur lignoſus quantum ex ramis miſſis augurari licuit. Hi quadrati, lignoſi, necnon incani ſunt, binis alternatim ramis. *Foliola* Lavendulæ haud diſſimilia ſed breviora è regione habentibus præditi: quorum ſummitatibus *capitula* etiam ex adverſo bina innata, haud craſſa, pollicem tranſverſum longa, latis incanarum ſquamularum & membranacearum ſquamulis, Caryophylli ſpicati Aldini calyculorum de more, imbricata; ſtaminulis referta Serratulæ ſimilibus quorum color me latet. *Semen* magnum, oblongum, pilis molliuſculis argenteo colore ſplendentibus hirſutum, longiſſimiſque in modum Stœbes Roſmarini foliis Ponæ, ſed ad phœniceum tendentibus coronatum.

Pag. Ibid. Pro tertia Cyani ſpecie interponatur

4. *Cyanus major Alpinus foliis inciſis* Triumfetti.

Triumf.

E *radice* carnoſa, cinerea, palmum circiter longa, infra digiti craſſitiem, in minores tenuioribus barbulis præditas diviſa, guſtu ſubadſtringente, manſu mucoſa. Martio menſe plura exeunt *folia*, craſſa, denſo licèt brevi tomento ipſa cooperiente candida, primò exeuntia ad Cyani majoris vulgaris formam accedentia, apice acutiora, digitum circiter longa, vix unciam lata; ſuccedentia; non tantùm prædictis (ut plerunque ſolent) majora, verùm etiam tribus, quinque vel ſeptem profundis inciſuris diſtincta. E medio foliorum ceſpite circa Aprilis initia tenuis ſed lignoſus attollitur *caulis*, palmarem circiter longitudinem obtinens, quandoque ramoſus, externè ſtriatus, ac ſimilibus foliis licet anguſtioribus inſignitus, quæ nullo pediculo caulem amplexantes, alatum quodammodo efficiunt, præſertim quæ floribus ſunt viciniores, quibus etiam laciniæ deſunt. In caulis ac ramorum faſtigio *flores* aperiuntur magnitudine, forma & colore Cyani majoris vulgaris, uti eſt & *ſemen* floribus tabefactis ſubſequens. Radice & foliis perennat, non tamen ſerpit more Cyani vulgaris. Humore nimio corrumpitur.

Sapore eſt amaro, & odorem veluti Cinaræ inter manducandum reddit. Folia acie cultelli ſcarificata vulneribus etiam majoribus applicita intra diei ſpatium eadem ad cicatricem perducunt. *Vires.*

In altiſſimo aſperrimóque illo Aprutii monte, (quem vulgus Hortum Centauri nominat) ab Autore primitus reperta eſt hæc planta. *Locus.*

Pag. 323. *Poſt lin. ſeptimam interſerantur*

7. *Cyanus Orientalis alter ſeu Conſtantinopolitanus flore fiſtuloſo candicante* Hort. Reg. Pariſ. Herman. Hort. Leyd.

Idem fiſtuloſo purpureo flore eorundem.

Idem flore luteo fiſtuloſo Dodart. Mem. Herman. Cat. Lugd. Bat. *Hujus ſpecimen ad me miſit* D. Doody.

Pag. 329. *Ad finem* Cap. XIII. *pro* 32. *ſpecie Jaceæ addatur*

32. *Jacea lutea Cretica foliis Cinerariæ* Dodart. Mem.

Pag. 335. *lin.* 26. *add. Helenium Indicum flore & ſemine maximis perenne* Herm. Cat.

Pag. 336. *ad finem* Cap. I. *pro quinta ſpecie addatur,*

5. *Helenium Indicum flore & ſemine maximis perenne* Herman. Hort. Leyd.

Pag. 338. *poſt lin.* 19. *pro tertia & quarta Calendulæ ſpeciebus addantur*

3. *Calendula minor arvenſis Hiſpanica* Herman. Cat. Hort. Lugd. Bat.

Minore arvenſi gracilior & humilior eſt; quotannis ritu congenerum ex ſemine deciduo propullulans.

4. *Calendula humilis Africana flore intus albo, foris violaceo ſimplici* Herman. Cat. Hort. Leyd.

Herm.

Sequentes potiùs florum & ſeminum diſpoſitionem, quàm foliorum cæterarúmque partium affinitatem Calendulis inſerendam cenſuimus hanc plantam. Mittit ab albente *radice cauliculos* multos ramoſos, dodrantem rarò ſuperantes, nunc erectos, nunc reclinatos; *Folia* pinguia, craſſiuſcula, glabra, aliquot laciniis inciſa, Erucæ maritimæ non adeò diſparia. *Flores* in ramulorum ſummitate petalis ſimplicibus, Calendulâ vulgari longioribus, intus lacteis, extus violaceis, ad ſolem radiatæ ſtellæ in modum expanſis, cæteroqui clauſis, ad ſe collectis, & in gyrum revolutis, medium occupante orbiculo croceo, aliquot purpuro-nigricantibus granulis, in tenuiſſimos villos fatiſcentibus inſperſo. *Semina* nuda; in parvis capitulis diſpoſita, ritu Calendulæ, duplicis ſpeciei; alia orbiculata, membranacea, compreſſa inſtar Oreoſelini *Cluſ.* coloris dilutè caſtanei; alia quæ his eleganti ordine interjacent teretia, ſpadiceo-fuſca, ſuperficie granulata. Utraque fœcunditatem probant ſuo partu, quem vel Autumno decidua, vel Vere ſtudio ſata feliciter excludunt.

Alumna eſt aridorum collium ad Promont. B. ſpei, culturæ ſub noſtro climate patientiſſima. Ejus ſapor percipitur fatuus, aliquando ſubamaricans; odor medii diſci crocinus debilis.

Hujus plantæ ſpecimen ad me miſit *D. Pettiver* Pharmacopœus Londinenſis Rei Botanicæ apprimè gnarus.

Eadem pag. Pro tertia Chryſanthemi ſpecie addatur

3. *Chryſanthemum Aſteris facie, foliis ad florem rigidis, flore minore elatius* Herm. App.

4. *Idem flore minimo humilius* Ejuſdem.

Herm.

Prius erigit *caules* pedales, aliquando altiores, rigidos, duros, ramoſos, tenui tomento obſitos, quibus hærent *folia,* Aſteri ſupino Cluſii paria, rigida, deorſum inflexa, medio nervo in brevem aculeum abeunte. *Flores* fert Bellidis minores, luteos, radiatos, diſcoides, denis foliis ſupradictis ſimilibus, quinque majoribus, totidémque minoribus circumvallatos. Diſco marceſcente defluunt *ſemina*, exigua, fuſca, ſolida, ex quibus planta renovatur. Huic ſimile eſt poſterius, aſt humilius & omnibus partibus minus.

Pag. 339. *l.* 66. *Pro tertia Chryſanthemi ſpecie interſeratur*

3. *Chryſanthemum Canadenſe Rapunculi radice, ſtrumoſum vulgò* Herman. Cat. Leyd.

Herm.

Multis firmatur *radicibus*, albis, carnoſis, fuſiformibus, Rapunculo aut Aſphodelo haud diſparibus, quæ *caules* attollunt quamplures, novem decémve pedum altitudine, rotundos, aſperos, nonnihil hirſutos & ſtriatos, in numeroſos ramos ſubdiviſos. Hos ſine ordine cingunt *folia* palmam longa, pollicem & amplius lata, in acumen definentia, aſpera, atroviridia, per ambitum leviter crenata. Ramorum cacumina occupant *flores* lutei corymboſi, Chryſanthemo Canadenſi humiliori ſimillimi, niſi quòd petala dilutiùs flaveſcant, in mucronem bifidum terminentur, & foliola flori ſubſtrata longiùs producantur. His fatiſcentibus ſuccedunt *ſemina* anguloſa ritu affinium. Radices ſubamarum, aromaticum, non ingratum habentes ſaporem à Canadenſibus parantur in fercula, velut ab Europæis Rapunculi, Rapæ & ſimiles.

Pag. 340. *l.* 7. *Adde*

Duæ adhuc aliæ Chryſanthemi ſegetum ſpecies à C. B. proponuntur, nimirum.

1. *Bellis lutea foliis profundè inciſis minor* C. B. *Chryſanthemum minus* Cam. ep.

Hanc J. Bauhinus ad Chryſanthemum ſuum majus folio valdè laciniato, flore croceo refert.

2. *Bellis lutea foliis ſubrotundis* C. B.

Quam D. Hermannus eandem facit cum Chryſanthemo folio minùs ſecto glauco J. B. quod nobis non probatur. Ex ſynonymis enim & ex deſcriptione patet, Chryſ. folio minùs ſecto, &c. eandem eſſe plantam cum Chryſanthemo ſegetum noſtrate, hoc eſt, cum Bellide lutea fol. profundè inciſis majore *C. B.* quamvis non ſim neſcius compilatores Hiſt. Ebrodunenſis Bellidem illam aliò referre.
De his nobis nondum ſatisfactum eſt. D. Hermannus in Catalogo Horti Lugd. Bat. tres recenſet & diſtinguit ſpecies Chryſanthemi folio glauco à Creticis Chryſanthemis diſtinctas.

Pag. 341. Chryſanthemum noſtrum octavum ſeu Alpinum ſecundum Cluſii ex obſervatione D. *Leonardi Plucknet* M. D. Londinenſis ſemina producit papposa, ideóque ad Aſteres transferendum eſt.

Pag. 342. *Ad finem* Cap. IV. *de Chryſanthemis add.*
13. *Chryſanthemum Peruvianum flore albo Catal. Lipſienſis* Amman.
14. *Chryſanth. Virginianum Platani folio* Hort. Oxon. *Utrumque vidimus apud eundem peritiſſimum Botanicum & inſignem medicum* D. Plucknet.
15. *Chryſanth. Americanum Scrophulariæ folio* Ejuſdem.

Pag. 344. *Ad finem paginæ addatur.*
Ptarmica Alpina Matricariæ foliis Triumfetti.

Hanc plantam *Corymbiferæ* noſtræ *Millefolii umbellâ, folio alato & laciniato* eandem eſſe mihi pæne perſuadeo, quamvis nec figura ejus, nec deſcriptio in omnibus conveniunt plantæ noſtræ: nam primò foliorum laciniæ obtuſiores ſunt, deinde caulis internè medulloſus, tum *folia* in nodis, è quibus alter erumpit ſurculus, communiter majora ſunt reliquis inferiorum nodorum è quibus ramuli non exeunt: tandem flores quamvis integri naribus admoti nullum ſenſibilem odorem exhalent, triti tamen Ageratum redolent, aut potiùs ſuaviorem odorem florum Ptarmicæ prioris *Matth.* emittunt. Quæ in noſtra non obſervantur: in reliquis convenire videntur.
Nos etiam primo aſpectu Ptarmicam folio alato plantam noſtram denominavimus: verùm poſtea animadvertentes eam odore & ſapore carere, foliáque proferre alata & laciniata Matricariæ ferè in modum, ſententiam mutavimus.

Pag. 346. *lin.* 12. *poſt verba illa* Hort. Blæſ. *adde* Botan. Monſp. *Millef. odoratum minus album Monſpelienſium* Dodart. Mem. *ubi plenam ejus deſcriptionem vide.*
Pag. 348. *lin.* 2. *adde Millef. montanum purpureum Tanaceti foliis* Dod. mem.

Frutex corymbiferus Africanus Chryſanthemuli Ericoidis facie, floribus Globulariæ Breyn. faſcic.

Breyn.

Frutex eſt lignoſus, ramis compluribus, cortice ex obſoleto purpuraſcente fuſci coloris tectis: quorum juniores Chryſanthemuli Ericoidis proximè deſcripti adeò ſimiles, iiſdemque ſtipati foliis ut non facilè ab eo diſtingui poſſint. *Flores* ramulorum extremitates lutei occupant Tanaceti inſtar florum quaſi in umbellam diſpoſiti, orbiculares omnino Globulariæ ſeu Aphyllantidis Herbariorum perbellè referentes, minores quidem & ex tubulis minutiſſimis quinquepartitis densè admodum conflati, ſedem ſuam minutiſſimo in fructu fixam tenentibus: quem propter immaturitatem exilitatémq; fortuna examinare mihi non conceſſit; an veluti Cupreſſo-pinuli ſeminum pericarpia concavus & ſemine refertus, aut an ipſe Semen illud. Quicquid vero ſit, ſive fructus ſive ſemen, certo certius illud eodem pæne quo Abſinthii ſemen modo teneræ involutum lanugini obſervatur.

Pag. 350. *Ad finem* Cap. I. *de Bellide minore adde,*
Bellis minima annua Triumfetti.

Triumf.

Februario labente in conſpectum ſe prodens ſemiunciali circiter *radice* nititur, cortice albo tenui induta, & ex paucis fibris tenuiora aliquot capillamenta mittentibus coagmentata, quæ fibræ omnes supernè in exilem ac breviſſimum veluti truncum albidi coloris deſinentes baſin efformant quinque aut pluribus *foliolis* dilutè virentibus, at ſimul nitidis, ſuccoſis, nervum duntaxat medium oſtendentibus, ovali formâ, extremo rotundioribus, leviter crenatis, magnitudine unguis minimi digiti, longitudine circiter ſemunciali incluſo pediculo, pallidioris coloris, breviſſimis ac rarioribus pilis donato. Inter folia ad parvi digiti altitudinem aſſurgit *cauliculus* erectus, fragilis, licet capillaribus nervulis aliâque ſubſtantiâ apparenter cartilagineâ compoſitus, nec vulgari filo craſſior, imò internè concavus, externè verò tenuiſſimâ ac rubrâ quodammodo circumſeptus membranâ; ab eodem verò infra ſui medietatem quatuor aut plura inordinatè exeunt *folia*, ab infimis quoad ſolam parvitatem diverſa: denique in ejuſdem ſummitate nonnihil latiore intra calycem ex duodecim viridantibus ſquamulis conſtructum unicus *flos* aperitur, habita totius plantæ ratione valdè inſignis, diſcum oſtentans luteum, etiam triginta anguſtiſſimis albíſque petalis circundatum, quæ ad differentiam Bellidis minoris vulgaris non in duplicem, at unicum diſponuntur gyrum, necnon longiora exiſtunt quàm in illa. *Semen* flori ſuccedens minimum, cinerei coloris, oblongioris formæ ac Bellidis prædicti min. vulg. ſimile.

In locis Romæ vicinis præſertim aridis & incultis & arvis reſtibilibus mira fœcunditate luxuriat, Februario & Martio florens, brevique ex toto deperditur.

Bellis montana gramineis foliis Magnol. App.

Radix vivax eſt, fibroſa, è qua plurima prodeunt *folia*, longa, anguſta & graminea; leviter versùs extremum crenata, rigiduſcula. *Caules* ſunt ſeſquipedales, in quibus *folia* ſine ordine aliis anguſtiora villos quoſdam pro denticulis habent. *Flos* in quolibet caule unicus cum umbone luteo plurimis petalis albis cincto. Oritur in planitie montis *Serane* & Maio floret.

Pag. 351. *lin.* 18. *adde,*
Bellis Alpina major rigido folio breviore & latiore Herman. Cat. Leyd.

Præcedente humilior eſt & tenerior, foliis latioribus, brevioribus, magis reflexis; Floribus minoribus. Floret in hybernaculo tota hyeme.

Bellis montana major foliis Chryſanthemi Cretici anguſtioribus Magn. App.

Magn.
Radices fibroſæ perennes plurimos *caules* producunt, cubitales, ſtriatos, in ramulos diviſos. ***Folia*** ſecundùm ramulos in profundas lacinias diviſa ſunt, & variè diſſecta. Extremis ramulis *flos* magnus inſidet, cujus pars inferior ex plurimis foliolis viridibus ſquamatim diſpoſitis componitur. Ambiunt umbonem luteum pluſquam triginta petala alba, in extremitate leviter ſerrata. ***Semen*** habet aliarum more. Florentem invenit Julio menſe in depreſſis & ferè inacceſſis locis montis Calcaris in loco dicto *Barroc* juxta fluvium deſcriptionis autor *P. Magnol.* ***Locus.***

Bellis Americana fruticeſcens ramoſa.

Hanc exſiccatam vidimus apud *D. Plucknet*. Ejuſdemque ramulum ad nos miſit *D. Doody*. Caule firmo & rigido eſſe videtur, ſumma parte ramoſo, crebris foliis anguſtis, oblongis utraque extremitate acutis, denticulis rarioribus ad margines obiter inciſis veſtito. Ramulum unumquemq; ut & caulem medium terminat flos albus umbone luteo.

Buphthalmum Alpinum flore candido Triumfetti.

Triumf.
Radix lignoſa multis ac gracilibus barbulis capillata, talem etiam ſcabritiem poſſidet, ut nodulis undequaque referta videatur, ſpadicei coloris, inodora ac ferè inſipida ex ſeipſa emittit quandam digitalis trunci (ut ita loquar) portionem, in cujus ſummo denſi germinant *foliorum* ceſpites, quorum ſi quandoque aliqui terram attigerint facilè productis radicularum fibris eidem implantantur: hoc pacto plantam quodammodo repentem, ipſiq; quandam perennitatem reddentes. ***Folia*** ipſa forma, colore, odore ac ſapore iis Buphthalmi vulg. *Matth.* omnino ſimilia verùm triplo majora. Adventante Junio è ſingulis fere ceſpitibus prædictis recti, ramoſi ac fragiles aſſurgunt *caules*, conſimilibus veſtiti foliis, ſed proportionaliter minoribus: in caulium ac ramuſculorum faſtigio *capitulum* ſquamoſum protuberat, colore præter obſcurum ſquamularum limbum ex toto viridi; quo ſe aperiente *flos* emicat diſcum ex luteis ſtaminibus compoſitum habens, & ſæpius 24 albis petalis circundatum: quibus arefactis ſupereſt capitulum hiſpidum, ut in Buphthalmo vulgari, clarioris tamen ac ferè luteſcentis coloris: ſeminis pariter forma cum illo convenit, at magnitudo minor & magis candidus color.

In Alpibus Caſtilionenſibus Autumno obſervavit Auctor noſter caulibus vix palmo altioribus & ***Locus.*** minime ramoſis: verùm in monte *Cavi* prope Albanum æſtivis menſibus caulibus cubito altioribus & in quamplurimos ramulos diviſis.

Pag. 357. *lin.* 22. *Inter varietates Matricariæ recenſenda venit Matricaria ſylveſtris flore toto luteo quæ in* Hort. Lugd. Bat. *à D. Hermanno colitur. In ſylvis cæduis reperiri ſcribit* Tab.
Pag. 360. *Ad finem* Cap. I. *de Abrotano fœmina adde ſpecies ſequentes.*
Abrotanum fœmina foliis Crithmi D. Fagon. *Hort. Reg. Pariſ.*
Abrotanum fœmina foliis Roris marini totis viridibus D. Fagon *ejuſdem.* An Abrot. fœm. 6. Cluſi?
Abrotanum fœmina degener ex Abrotani fœminæ viridis ſemine flore pallido *ejuſdem.*
Habui è Catalogo M. S. plantarum Horti prædicti nondum editarum à *D. Tancred. Robinſon* & à *D. Hanſ. Sloan* communicato.
Abrotanum fœmina caneſcens foliis Stœchadis citrinæ *Breyn. Prod.*

Pag. 361. *lin.* 34. *Ad finem* Cap. II. *de Eupatorio Cannabino adde,*
4. *Eupatorium aquaticum Americanum* Park. *Chryſanthemum cannabinum Americanum* Moriſ. præl.

A noſtrate diſcretu facile eſt: quippe *caules* edit quadripedales, ſubrubentes, firmiores & rectiores. *Floſculos* ex multis ſtaminulis luteis conflatos habet, & *ſemina* bidentia vulgaris Chryſanthemi cannabini ſeminibus multò majora, veſtibus pariter adhærentia. Addit Parkinſonus caulem ab imo ſtatim ramulos longos crebros emittere. Folia ima quinquepartita eſſe, ſuperiora in caule tripartita: Caulem ad quinque aut ſex pedum altitudinem aſſurgere.

5. *Chryſanthemum aquaticum foliis multifidis Cicutæ nonnihil ſimilibus* Herman. Cat. Hort. Lugd. Bat.

Herm.

Fibris radicatur numeroſis, pallidis: *Caules* tollit tripedales, aliquando altiores, ramoſos, glabros, quadrangulos, geniculatos, ſubinde ex viridi rubentes. *Folia* ad ſingulos nodos promit bina ex adverſo, multifida, Cicutæ nonnihil ſimilia, aſt minora & robuſtiora. Flores inſident ramorum faſtigus, diſcoides, vix radiati, Chryſanthemo Cannabino Americano duplo minores, parte extima multis viridantibus foliolis ſquamarum inſtar obvallati, medio verò orbe ex minutis aureis fiſtuloſis tubulis, apiculos fuſcos exſerentibus compacti: *ſemina* ſuccedunt oblonga, depreſſa aſpera, in duos apices deſinentia more hujus generis reliquorum.

7. *Eupatorium cannabinum Jacobææ foliis Virginianum. Item* 8. *Eup. Americanum, caule incano, flore aureo, umbone nigerrimo. Utriuſque ſpecimen ſiccum apud* D. Plucknet *vidimus.*

Pag. 362. *Ad finem Cap.* IV. *De Bellide flore luteo nudo adde,*
Bellis Africana capitulo aphyllo luteo, foliis & cauliculis junceis erectis Herman. Cat. Leyd.

Nata eſt ex ſeminibus *Bonæ ſpei,* * priori ſimilis eſt foliis & cauliculis tenuioribus erectis & junceis: Sapore & odore veluti præcedens fatuo.

* *Chryſanthemum Cap. B. Sp. repens flore aphyllo* Breyn.

Pag. 364. *Quartæ Agerati ſpeciei hæc ſynonyma addantur.*
Helichryſum Africanum inodorum glabrum Magnol App. *Elichryſum inodorum glabrum Coronopi folio annuum Magnoli* Herman. Hort. Leyd. *Chryſanthemum corymbiferum Africanum* Triumfetti, *à cujus deſcriptione noſtram ſupple.*

Radix circiter ſemipalmaris, intorta, gracilis, plurimíſque tortuoſis capillata fibrillis, ſubſtantiâ carnoſâ & alba, ſupérque ejuſdem radicis indiviſum caput ceu ſi in breves quandoque ac ferè lignoſos truncos multiplicetur. Foliorum longitudo maxima vix unciam æquat nec latitudo illam parvi digiti ſuperat etiam quà latiſſima ſunt versùs apices. [Magnitudo pro loco aut ſolo variat.]

Pag. 369. *l.* 29. *pro duodecima ſpecie Abſinthii interſeratur*
Abſinthium Santonicum Gallicum C. B. Magnol. App.

In noſtro litore (inquit D. Magnol) frequens eſt, cum Seriphio Gallico permixtum; à quo facilè diſtinguitur ex eo quòd folia longiora, latiora & minùs diſſecta habeat.

Pag. 371. *poſt tertiam ſpeciem add.*
Abrotanum mas ex Surinam molli hirſutie caneſcens, ex horto Fageliano D. Plucknet.
P. 372. 5. *Abrotanum campeſtri ſimile, Tingitanum* Herman. Cat. Hort. Leyd.

Formâ & creſcendi modo Abrotano campeſtri vulgari ſimile eſt, odoris & ſaporis aromatici non omnino expers, ubi verò adoleverit acquirit virgulta magis lignoſa & fruticoſa. Summitates viſcoſæ ſunt. Folia tenuiora, hilari virore nitentia, inferiora utplurimum trilobata, ſuperiora integra. *Semina* exigua cinereo-ſpadicea, more congenerum. Londini in hortis colitur. Ramuli floriferi in frequentiores ſurculos dividuntur quàm in vulgari Abrotano campeſtri.

P. 373. *Ad finem Capitis de Artemiſia adde,* Moxam tam celebrem in curatione podagræ per uſtionem nihil aliud eſſe quam Molluginem Artemiſiæ oſtenditur in Ephem. German. Ann. 11. Obſ. 6. Recipiantur folia Artemiſiæ. Exſiccata probe & caule ſuo decerpta conterantur manibus eouſq; donec excuſſo pulvillo viridi lanuginoſæ interiores fibræ velut ſubtegmen ſubſtratæ remaneant. Sin madeſiant udore manûs repetendum opus eſt ad deſideratam teneritudinem. Joan. Hartmannus Kornmann. Vide obſervationem.

Pag. 378. *pro* 15. *Scabioſæ ſpecie interponatur*
15. *Scabioſa ſtellata annua prolifera* Dodart. mem.

Pag. 379. *pro* 18. *Scabioſæ ſpecie interſeratur,*
18. *Scabioſa altiſſima annua foliis Agrimoniæ nonnihil ſimilibus* Herman. Cat. Hort. Leyd.

Herm.

Supra viri altitudinem aſſurgit *caulibus* rotundis, cavis, geniculatis, piloſis, ramoſis quibus ad ſingula genicula hærent *folia*, bina ex adverſo, pinnata, crenata inſtar foliorum Agrimoniæ, nonnihil hirſuta. Summis ramis inſident *capitula* ex multis *floſculis* pentapetaloidib. compoſita; ſingulis ſubjiciuntur *ſemina* oblonga, parva, in ſummo umbilicata ſeu ſtellata ritu congenerum. *Radix* ſubeſt alba, lignoſa, fibroſa, annua.

Pag. 380. *pro* 22 & 23. *Scabioſæ ſpecie interſerantur*
22. *Succiſa Alpina Globulariæ foliis* Triumfetti.

Triumf.

Singulis hujus generis plantæ in fœcundiſſimos foliorum ſuis petiolis, unciam circiter longis, inſtructorum propagantur ceſpites, & *folia* quidem magnitudine ac formâ foliis Globulariæ ſeu Bellidis cœruleæ omnino correſpondent, verùm craſſiora exiſtunt, nullíſque arantur ſulcis aut conſpicuis venis, ſi illam per mediam ipſorum longitudinem excurrentem excipias, colore viridi ſplendente, ſapore amaro. Non radice tantùm perennat hæc planta, ſed etiam per hyemem folia retinet,

tinet, quamvis iſta vario tempore variant inter ſe: nam Vere alia habentur dentata, alia etiam laciniosa, aſt recurrente Autumno his omnibus planta ſe exuens nova omnino integra induit. Maio menſe è ſingulis ceſpitibus germinant unus, interdum plures *cauliculi*, ima parte ramoſi, herbacei, teneri, læves, longitudine circiter digitali, uno, vel ad ſummum duplici nodo diſtincti, quibus utrinq; ad latus bina folia nullo pediculo hærent, à ſuperiùs expoſitis longè diverſa, utpote profundè laciniata inſtar foliorum Scabioſæ calidarum regionum. Singulis cauliculorum ac ramulorum apicibus *flos* inſidet, vulgaris Succiſæ flore amplior, formâ tamen nullatenis diſcrepans, colore aliquantulum clariore donatus: quibus delapſis hiſpida emergunt *capitula*, *ſemen* valdè exiguum continentia, oblongum, anguloſum, hirſutum, cinerei coloris, quini, in ſummo apicibus veluti coronatum: *Radix* fuſci eſt coloris, craſſioris ſubſtantiæ, ac in multas fibras diſcinditur (è brevi ac ferè nodoſo trunco provenientes) & ſui extremo inducta veluti carie contabeſcens.

In ſalebroſis nudíſque celebrem Centauri hortum circumvallantibus jugis ab Autore deſcriptionis reperta eſt.

Pag. eadem. Ad finem paginæ adde,

Clinopodium Virginianum anguſtifolium flore luteo Herman. Hort. Leyd.

Herm.

Caulibus exit humilioribus & gracilioribus: Foliis anguſtioribus, pallidioribus, contactu mollioribus & odoratioribus: Floribus in caulis faſtigio paucioribus, tenerioribus, flaveſcentibus. Cæteris partibus Canadenſi ſimillimis.

23. *Succiſa anguſtifolia paluſtris* Triumfetti.

Triumf.

E radice nonnihil corroſa aliquot parùm craſſos producit veluti truncos virides, herbaceo munitos cortice, nonnullíſque albis carnoſis fibris barbatos, qui reipſa aliud non ſunt quàm infimæ caulium partes, quæ dum ipſi magis protenduntur, deperditis foliis novas radicum barbulas ſuper humum effundunt, haud diſpari ritu ac in Millefoliis, Ageratis & ſimilibus. Ab his verò infimis caulium partibus Veris tempore plura exeunt velut in gyrum expanſa *folia* ſuis innixa pediculis, longitudine (incluſis etiam pediculis) ſeſquipalmari, at latitudine circiter ſemunciali. *Flores* quàm in vulgari Succiſa dimidio minores obſervantur: In reliquis cum ea planè convenit, uti tum deſcriptio, tum figura oſtendit.

Cæterùm areſcentibus floribus hiſpida ſuccedunt *capitula*, *ſemen* valde exiguum, ovale, æruginei coloris, ac glabra continentia, neutiquam illi abſimile quod in tertia Scabioſa Cluſii conſpicitur.

Tota planta perenniter durat, uliginoſa loca ac umbras expetit.

Pag. 381. *Scabioſæ ſpeciebus adde,* Scabioſam foliis Dipſaci.

Item, Succiſam anguſtifoliam Alpinam. Quæ nomina in Catalogis plantarum ad me tranſmiſſis invenio.

Pag. 385. *Pro ſexta Eryngii ſpecie interponatur*

6. *Eryngium Americanum fœtidum,* Itubu *Surinamenſibus* Herman. Hort. Leyd.

Herman.

Pedis altitudinem nonnunquam ſuperat Eryngio montano pumilo *C. B. J. B.* non multum diſſimile. Nititur radiculis tenuibus, fibroſis, pallidè flaveſcentibus; *caulibus* ternis quaterníſve, viridantibus, rectis, firmis, ſtriatis, in frequentes ramos divaricatis: quibus inſident capitula oblonga, echinata, herbacea, Pſyllii craſſitie, ſubtus aliquot rigidis aculeatis foliolis circumvallata. Intra echinos capitulorum abſconduntur *floſculi* exigui, pallidi, vix conſpicui, fatiſcentes in *ſemina* parva, ſuæ ſortis paria. Folia circa radicem humi procumbunt, in orbem digeſta, digiti longitudinem & latitudinem aliquando excedentia, molliora, obtuſa, in ambitu crenata, ſingulis crenis in molleculas ſpinas deſinentibus. Aſt quæ caulium geniculis per intervalla adnaſcuntur ſunt rigidiora, mucronata & laciniata, marginibus profundiùs ſerratis & robuſtioribus aculeis armatis. Tota planta eſt ingrati fragrantis odoris, ad Coriandri recentioris folia accedentis; guſtus verò acris & ſubdulcis.

Surinamenſibus audit *Itubu*, id eſt, fuga ſerpentum, eò quòd Eryngii hujus auram ſerpentes fugiant, nec eo loci quo germinat unquam reperiantur. Ob ſalem volatilem quem obtinet reponitur ab Americanis inter Alexipharmaca præſtantiſſima. In uteri vitiis tantæ efficaciæ eſt, ut ſolus odor naribus exceptus hyſterica paſſione correptas reſtituere valeat.

Pag. 390. *pro quarta Valerianæ ſpecie interponatur*

11. *Valeriana Cacaliæ folio Alpina* D. Fagon. Hort. Reg. Pariſ. *inter nondum editas.*

Pag. 399. *Lineæ* 19 *&* 20. *deleantur*: Revoco enim quæ ibi dicta ſunt, & ſententiam muto, nec genere tantùm cum Admirabili Peruviana plantam hanc convenire, ſed & ſpecie quoque cum D. Hermanno exiſtimo: Nec obſtat foliorum hirſuties, nam ut obſervavit perſpicaciſſimus * F. Columna, id evenire poteſt loci varietate: Nam Cichoreum dulce (inquit) à nobis propoſitum in montano natali loco & frigido hirſutum eſt admodum, tranſlatum & cultum Neapoli omnem hirſutiem depoſuit. Sic etiam in Sanguiſorba & aliis obſervatur, & in maritima Braſſica oleracea. Poſſunt etiam flores tubi longitudine variare.

* *Notis in Recchum.*

Pag. 401. *l.* 6. *pro nona Eupatorii ſpecie adde,*

9. *Eupatorium Indicum flore albo* Bartholin. Act. Med.

Pag. 402. *pro quinta Pimpinellæ ſpecie interſeratur*

7. *Pimpinella Africana maxima fœtida* Hermanni. *Siccam nobis exhibuit* D. Plucknet.

Pag. 414. *add. Seſeli Pyrenaicum Thapſiæ folio* D. Plucknet *poſt Seſeli Maſſilienſe.*
Pag. 421. *Ad finem Cap.* XIII. *de Ferula addantur ſpecies ſequentes.*

Ferula lucido & criſpo folio D. Lock Hort. Reg. Pariſ.
Ferula folio latiſſimo D. Fagon ejuſdem.

E Catalogo Plantarum *Hort. Reg. Pariſ.* nondum editarum ad me tranſmiſſo à *D. Tancred. Robinſon.*

Pag. 427. *Ad finem* Cap. II. *de Laſerpitio addantur hæ ſpecies.*
Laſerpitium umbellâ contractâ & D. Fagon *Hort. Reg. Pariſ.*
Laſerpitium fœtidum folio fragili & anguloſo D. Fagon *ejuſdem.*
Laſerpitium anguſtifolium non ſinuatum *ejuſdem.*

Habui è Catalogo proximè dicto.

Laſerpitio Lobelii ſimilis anguſtifolia J. B.

In horto Robini Lutetiæ vidit J. B. Robinus autem ſibi miſſam affirmabat nomine Dauci montani.

Pag. 429. *Ad finem paginæ & Cap.* IV. *de Cicutaria adde,*

4. *Cicutaria Caſſubica Thyſſelini folio* Breyn. Prod.
Breyn.

Planta eſt cubitalis, caule recto, ſtriato: foliis Thyſſelini, ſed minoribus minutiúſque diſſectis: Umbella alba & denſa, ſemine ſtriato Cicutariæ fatuæ *Lob.* ſimili.

Locus. In Caſſubiæ montibus atque dumetis ſylvarúmque marginibus ubique ferè naſcitur.

Pag. 431. Specierum Myrrhidis quartæ & quintæ pleniores deſcriptiones habentur in *Moriſon. Umbellif.* p. 66, 67. Ubi poſteriores hujus duas tradit varietates, Alteram foliis hirſutioribus, ſeminibus longioribus; Alteram foliis hirſutiſſimis, ſeminibus longis ſubfuſcis.

Pap. 433. *Ad finem Capitis de Meo adde,* Meum latifolium adulterinum longiori folio *D. Tournefortii.*

Pag. 436. *lin.* 11. *Add.* Angelica Acadienſis flore luteo *Dodart. mem.*

Radix ei nigra eſt & denſa fibris confertis, plures emittens *caules*, ſtriatos, anguloſos, altitudine ſeſquipalmares, inferiùs veſtitos pediculis quibuſdam, origine ſua membranaceis, progreſſu triangulis, extremo in tres pediculos ſubdiviſis, quorum medius quinque ſuſtinet folia denticulata, reliqui duo tria tantum. Caulium nonnulli ramulos ex alis foliorum emittunt. Singuli autem caules & ramuli faſtigio ſuo geſtant umbellam pluribus faſciculis floſculorum minimorum, luteorum pentapetalum compoſitam. Petala autem pericarpio viridi aciculæ capitelli magnitudine innaſcuntur. *Stamina* intus duo vel tria viridia *apices* luteos ſuſtinent. Flore præterito perficiuntur *ſemina*, per maturitatem brunnea, ſtriata, Cari ſeminibus ſatis ſimilia.

Tota planta acris eſt, amara & aromatica, odore ab Angelicæ communis multùm differente. Vivax eſt, non ceſſat *ſemen* producere quemadmodum Angelica vulgaris, *Aſt Angelica vulgaris poſtquam ſemel ſemen per ſe fecerit radicitus interit.* Allata eſt ad nos (inquit) à *D. Richer*, à Rege miſſo in Acadiam & Cayennam.

Pag. 445. *Planta in agro Cantabrigien.* ſi obſervata, quam pro Pimpinella Saxifraga media *J.B.* habuimus, eadem videtur Apio petræo ſive montano albo *J. B.* p. 463. deſcripto, ut ex planta è ſemine orta & in horto culta didicimus. Caulis etiam altitudo deſcriptioni J. Bauhini reſpondet.

Pag. 446. *lin.* 26. *Ad finem capitis de Pimpinella Saxifraga adde,*

Hæc planta à *D. Magnol* in Append. ad Botan. Monſpel. ſub titulo *Pimpinellæ Saxifragæ maximæ Americanæ* ſic deſcribitur,

Radicem habet craſſam, in plurima capita diviſam; *folia* Pimpinellæ, lobata, ſed latiora, ad Paſtinacam ſylveſtrem latifoliam accedentia, ſerrata, ſupra glauca, ſubtus leviter piloſa. *Caulem* erigit bicubitalem & tricubitalem, quaſi Junceum, in multos ramos diviſum; ad quorum articulos oritur *folium* parvum, longum. *Umbellæ* conſpiciuntur plurimæ, parvæ pro plantæ magnitudine, quas componunt capitula lutea cum *ſtaminibus* albis. Succedunt *ſemina*, bina ſimul ut in Pimpinella Saxifraga, ſed majora.

Ex inſula Tabaco nactus eſt.

Pag. 448. *Pro tertia Apii ſpecie interponatur,*

3. *Apium paluſtre minus cauliculis procumbentibus ad alas floridum* Herman. Cat. Hort. Leyd.
Herman.

Hoc præcedenti eſt conforme; aſt omnibus partibus minus & gracilius, *cauliculis* humi procumbentibus, alis quamplurimis donatis: ad quarum ſinus oriuntur parvæ florum albicantium *umbellæ* quos excipiunt *ſemina* exigua, ſtriata.

Luxuriat locis undoſis & aquoſis Belgiæ: nec dubito quin & Angliæ etiam, quamvis à nobis minus curioſè ſpectantibus nondum fuerit animadverſa.

4. *Apium paluſtre fruticeſcens flore ampliſſimo* Barthol. Act. Hofman.

Pag. 450. *Add.* 2. *Aniſum Africanum fruticeſcens* D. Plucknet.
Pag. 451. *lin.* 35. *adde,* De noxis Cicutæ terreſtris vide longam epiſtolam in Ephem. Germ. An. 13. Obſerv. 115.
Pag. 452. *Ad finem paginæ adde,* Seſeli Pyrenaicum Thapſiæ folio *D. Fagon.* In Catalogo nondum editarum horti Reg. Pariſ. à *D. Tancr. Robinſon* ad me tranſmiſſo.

Pag. 464. *ad finem Cap.* XVIII. *add.* Daucus Pyrenaicus odore Citri *D. Fagon.* ex eodem Catalogo.

Pag. 469. *l.* 24. *add.* Caucalis elegantiſſima Pyrenaica *D. Fagon.* ex eodem Catalogo.

Pag. 476. *lin.* 12. *adde,*

Paſtinaca Oenanthes folio Bocconi.

Bocc.

Folia huic Pimpinellæ Saxifragæ ſive Oenanthes non abſimilia. *Caules* pedales, recti, ramoſi: Umbellæ magnæ aliarum Paſtinacarum tenuifoliarum more. *Flores* albi, quibus ſuccedunt *ſemina* exigua, aſpera ſeu potiùs villoſa ſive hiſpida.

Supra muros Leocatæ urbis in Sicilia invenit D. Boccone: neque enim in pratis aut ſecus viarum margines cum ſpontanea ſylveſtri ſeu tenuifolia naſcitur.

Suſpicor hanc eandem eſſe cum *Dauco ſecundo Sieulo Sophiæ foliis* Zanoni ſuperiore capite deſcripto, cujus ſemen à D. Boccone tranſmiſſum.

Pag. 478. *Ad finem paginæ, & capitis* I. *adde,*

6. *Rubia quadrifolia aſperrima lucida peregrina* Herman. Cat. Hort. Lugd. Bat.

Folia ex nigro virore lucent: *flores* albicant, quos ſingulos excipiunt baccæ gemellæ nigræ, cætera non differunt à vulgari.

7. *Aparine minima vel Rubia ſaxatilis minima* Magnol App.

Magn.

Planta eſt pedalis, *radices* habens parvas, ſubrubentes, quæ plurimos *ramulos* profert, quadratos, ſubrubentes, aſperos, ad quorum articulos folia ſex vel ſeptem anguſta, brevia & acuminata, radiatim diſponuntur: pedicellis inſident *floſculi* herbacei, quibus ſuccedunt bina *ſemina* ſimul juncta, nigricantia, oblonga, ex una parte concava. Æſtate floret in aſperis circa *la Valette* & *la Colombiere.* Satis accedit ad Rubeolam ſaxatilem *C. B.* in prod. ſed noſtra non eſt incana. Figura prima Rubiæ angulosæ aſperæ *J. B.* iſtam optimè repræſentat.

Caapo tiragua Braſilianis Marcgr. *Rubia Braſilienſis floribus verticillatis albis, maritima.*

Marcgr.

E *radice* longa, intorta, lenta, exteriùs fuſca, intus candida multi enaſcuntur *caules,* quadrati, duorum aut trium digitorum intervallo, geniculati, octodecim, viginti, & interdum plures digit. longi, qui partim terræ incumbunt, partim ſe ſurrigunt. Ad ſingulos autem nodos adnaſcuntur duo, tres, vel quatuor *folia,* figurâ & magnitudine Hyſſopi, inæqualis tamen magnitudinis. Quidam etiam *caules* hinc inde ramulos protrudunt ad nodos, eodem modo foliis veſtitos. Caulis autem ramuli & folia ſunt piloſa, viridia, incana. In ſummitate caulis & ſeſquidigitum ſub illa, & tali intervallo rurſus versùs inferiora verticillatim enaſcuntur *floſculi,* globuli luſorii magnitudine, plurimi, albi, tetrapetali; & propè quemlibet verticillum floſculorum bina foliola Hyſſopi æmula. Poſt floſculos *capſulæ* rotundæ ſtriatæ ſequuntur, magnitudine Myrtillorum, in quibus ſemen. Planta hæc ſalſi eſt ſaporis, & proinde Kali geniculatum ſeu vitraria poteſt appellari.

Frequens eſt in locis arenoſis maritimis, in mediterraneis autem nequaquam reperitur.

Reperitur & alia ejuſdem ſpecies, caule lignoſo, foliis Roſmarini.

Ad Rubiam in nonnullis accedit, non eſt tamen vera & genuina Rubiæ ſpecies.

Pag. 487. *Ad finem partis primæ lib. decimi pro ſecunda Specie* Naſturtii Indici *addatur*

2. *Viola Indica ſcandens Naſturtii ſapore maxima odorata* Herman. Cat. Hort. Leyd.

Herman.

Si unquam amœnioris Floræ cultoribus tum varietate, tum inſigni florum elegantia ſeſe commendavit planta, hæc profecto Naſturtii Indici nova ſpecies eſt. Multò feracior, & omnibus ſuis partibus amplior eſt Naſturtio Indico vulgari. Etenim è craſſa, pallida, repente, fibroſa radice admirabili fertilitate luxuriant viticuli longiſſimi, herbacei, ſucculenti, glabri, qui vel ſolo incumbunt vel vicinos ſtipites bacillóſve complexibus ſuis involvunt. Horum genicula emittunt tortiles, ſequidodrantales pediculos, ſuſtinentes *folia* orbiculata, peltata, hederæ inſtar anguloſa, vulgari Naſturtio duplo ampliora, medio pallente umbone, cui pediculus inſeritur, in aliquot concolores radios ad ambitum uſque diducto. Ad ſingulas foliorum alas prodit alter petiolus brevior & gracilior, qui terminatur in *florem* ampliſſimum odoratum extus croceo, intus nunc cinnabarino, nunc coccineo, nunc ſimul ex utroque colore pulcherrimè variegato ſuperbientem, quem ſi Solis radiis illuſtratum inſpexeris gracili holoſerica pube aurato pulvere perfuſa diceres interpolatum. Flos quinque contexitur petalis, ſeſquipollice latioribus, quorum duo ſuperiora ſurrecta è baſi anguſta, coccineis fulgentibus virgulis ſtriata ſenſim in rotundam latitudinem expanduntur: tria inferiora fulciuntur anguſtiſſimo craſſiuſculo crocato cervice & ubi in latum orbem ſe diffundere incipiunt concoloribus ad margines barbulis capillantur, unguibus holoſericâ maculâ, modò coccineâ, modò intenſiùs miniatâ inſcriptis. Medium occupant aliquot brevia, rigida, recurva, miniata *ſtamina,* oblongis ſtriatis concoloribus apiculis ornata. Flori verò ſubjicitur flaveſcens calyx, parte antica qua floris petala amplectitur in quinque mucronatas crenas, poſticâ verò in longiſſimum calcar, purpuraſcentibus per longitudinem ſtriis inſignitum productus; quo unà cum flore delapſo ſequuntur *vaſcula* ſubrotunda, & rugoſa verrucoſa, utplurimum terna, rariùs bina, preſſiùs invicem juncta, quibus ſingulis involvitur *ſemen* oblongo-rotundum, fuſcum, craſſum, ſolidum, rugoſum, ſtriatum ſeu anguloſum, nonnihil incurvatum.

Quamvis radix hyeme perire ſolet ſurculi tamen deciſi & in terram depacti, radices agunt, & à frigore muniti hyeme tota vernant, & ſuccedente Vere flores & ſemina numeroſa fertilitate largiuntur.

Pag. 497. *ad finem pag. adde*

In Catal. Hort. Leyd. Herman. pro diſtincta Anchuſæ ſpecie poſitam invenio Anchuſam primam Matthioli *C. B. Matth.*

Pag. 500. *Ad finem paginæ & capitis de Echio addatur,*

Lycopſis Dioſc. quibuſdam J. B. *Echium latiſſimo folio Lycopſis dictum, flore dilutè purpuraſcente* Herman. Hort. Leyd.

J. B.

Lycopſi Dioſcor. apprime ſimilis planta *radice* nititur rubra, è qua *caulis* ſurgit rectus, cubitalis, ex cujus parte ima plurima prodeunt *folia*, rugoſa, rigidáque Bugloſſi ſylveſtris, nullo ordine in ambitu extenſa, quæ ſumma versùs minora ſenſim evadunt in cacumen uſque. In viginti aut plures dividuntur ramulos, quibus minora rurſus adhærent folia, ut in Echio: ex quorum ſinu *floſculi* emergunt tenelli, purpurei, inferiori parte integri, in ambitu verò in quinque anguſta foliola Caryophyllorum ſylveſtrium inſtar diſſecti.

Echium Lycopſis facie Africanum perenne Herman. Cat. Hort. Leyd.

Producit cauliculos bipedales, aſperos, nonnihil piloſos, ramoſos, ex ruffo viridantes. *Folia* pinguia craſſiuſcula, Lycopſis vulgaris anguſtiora, breviora, aſpera, hirta, quaſique verrucoſa & obtuſa. *Flores* in cœruleo purpuraſcentes: *Semina* triangula, nigricantia. Cætera ſuperiori ſimillima.

Pag. 502. *lin.* 2. *adde,*

Pro Synonymo *Jacua acangæ* Heliotropium Americanum cœruleum foliis Hormini *Dodart. mem.*

Pag. 509. *Pro prima ſpecie Salviæ ponatur,*

1. *Saliva maxima foliis & floribus ampliſſimis* Herman. Cat. H. L. *major peregrina ampliſſimis floribus* Breyn. Prod.

Pag. 519. *Ad finem capitis de Satureia adde,*

Thymbra Africana foliis ſpinoſis, flore purpureo Bartholin. Act. Med.

Satureia floribus in ſummitate diſpoſitis Herman. Cat. Hort. Leyd. *Pulegium noſtrum quartum eſt.*

Satureia hirſuta purpurea Libani Dod. mem.

Pag. 526. *Ad finem capitis de Polio adde,*

Polio affinis Guacatane C. B. *Guacatane Scrophularia Indica* Park.

Ex Hiſpania Nova miſſa eſt. Ad hæmorrhoides, ejus decocto ex vino (ſi calor abſit) alioquin ex aqua hæmorrhoides abluuntur, deinde blandè ſiccantur, poſtmodum ejuſdem plantæ pulvere inſperguntur.

Dolores ex frigore & flatibus ortos in quacunque corporis parte ſedat, ſi locus reſinâ priùs inunctus tenuiſſimo hujus pulvere inſpergatur, & linteum ſuperimponatur, &c. Vide.

Pag. 527. *Ad finem capitis de Teucrio adde,*

Teucrium regium purpureum Moriſon. Prælud.

Multò altior eſt hæc ſpecies Chamædrye vulgari; humilior Teucrio *C. B.* Floſculos gerit amplos, rubros, galeatos: quibus pereuntibus ſubveniunt *ſemina* itidem magna. Folia ſunt lucida obſcuréque virentia.

Nihil video in hac deſcriptione quod non conveniat Chamædryi majori.

Teucrium Americanum procumbens Veronicæ aquaticæ foliis ſubrotundis Herman. Hort. Lugd. Bat. *Herm.*

Radice firmatur tenui fibroſa pallida, ſpargente coliculos ſpithamiæos, quadrangulos, humi ſtratos; quos per intervalla ambiunt *folia* bina ſibi adverſa, ſubrotunda, glabra, pinguia, in ambitu leviſſimè denticulata, Veronicæ aquaticæ rotundifoliæ nonnihil ſimilia. Ad horum exortus prodeunt *flores*, utrinque unus, pu[illegible], pallidi, labiati, vix galeati, labio trifido, galea ſimplici, exigua, vix conſpicua. Singulis ſubeſt utriculus quinquefidus, ſuſtinens ſemina ſubrotunda, fuſca, quaterna.

Pag. 532. *lin.* 43. *adde,*

In cholera etiam morbo convenit Mentha ceu egregium ſpecificum, ſtomachum nempe ſuo modo pacificans.

Pag. eadem, Mentham anguſtifoliam ſpicatam *C. B.* invenit *D. Dale* Bockingæ in Eſſexia, ad ripas fluvii duobus tribúſve locis copioſam. Odor tamen vehementior & ingratior huic eſt quàm Menthæ Romanæ in hortis cultæ.

Pag. 533. Mentha undecima ab eodem ibidem inventa eſt ad fluvium propè Molendinum Fullonicum.

Pag. 534. *Ad quartam ſpeciem adde,*

Planta hæc Botanicis Londinenſibus Satureia Virginiana florib. in ſummitate diſpoſitis ſatis aptè nuncupatur. Siquidem flores in ſummis duntaxat ramulis confertos geſtat velut in umbellulis.

Pag. 536. *Pro ſexta Verbenæ ſpecie adde,*

6. *Verbena Americana Urticæ foliis longioribus, flore cæruleo* Herman. Append.

Ad finem paginæ adde,

8. *Verbena Africana minor flore luteo* Bartholin. Act. Med.

9. *Verbena Indica lanuginoſa flore rubente* ejuſdem.

Pag. 540. *Ad finem capitis de Origano & Majorana adde,*

Origano Congener Zatarendi C.B. *Zatarendi herba* J.B. *Zatarhendi Origanum Indicum* Veſling. Obſerv.

Veſling.

Magnitudine pedali adoleſcit, caulibus rectis ſatiſque firmis: cujus *folia* Amaraci habitudine, tenella, mollíque veluti lanugine aſperſa tactui blandiuntur. Rotunda quidem illa ſunt, in conum tamen leviter coarctata & excurrentibus in longitudinem fibris cum virore pallidula. *Floſculos* producit quamplurimos, niveo candore lacteſcentes, qui per extrema caulium inter numeroſa foliorum capitula prominuli, Onitidis Origani umbellam glomerato ambitu propemodum exprimunt: linguam guſtantium aromatica nec ingrata acrimonia perſtringens Creticum Origanum odoris vehementia ſuperat.

In ſonticis capitis affectibus, cùm ſenſuum motûſque voluntarii nobiles functiones improba mucedine vel imminuuntur, vel penitus obruuntur, eximiè opitulatur. Stomach. vigorem excitat, ſolutíſque tetro veneno vitæ præſidiis gratum & efficax remedium adfert.

Pag. 541. *lin.* 20. *adde,*

In Catalogo Horti Academ. Lugduno-Batavi à clariſſ. Viro D. Paulo Hermanno edito, Ocimum Ægyptium Alpini *Ribau* dictum pro ſpecie ab Ocimo Caryophyllato majore *C.B.* diſtincta poſitum invenio.

In eodem Catalogo Ocimi varietates ſeu ſpecies habentur ſequentes:

Ocimum foliis ex nigro vireſcentibus flore albo Cat. Hort. Reg. Pariſ.
Ocimum violaceo flore ejuſdem horti.
Ocimum nigrum majus acuto Rutæ odore.
Ocimum medium criſpum conglomeratâ brevíque ſpicâ Cat. H. R. Paris.
Idem bullatis foliis ejuſdem.
Ocimum tricolor ejuſdem.
Ocimum anguſtifolium foliis ſerratis.

Pag. 547. *Ad finem capitis de Hormino adde,*

Horminum Pyrenaicum Anguriæ folio viſcoſum D. Fagon Hort. Reg. Pariſ. *inter nondum editas.*

Item,

Horminum Verbenæ laciniis anguſtifolium Triumfetti.

Triumf.

Radix lignoſa, alba, vix ultra digitum longa, rariùs in alias diviſa, ſemper tamen numeroſis fibris referta, ac rugoſo obſcuro cortice induta uberrimam foliorum ſobolem multiplicis ſanè formæ ſuper humum effundit: horum enim aliqua altiùs ex utroque latere inciſa Verbenæ vulg. frondibus plurimùm aſſimilantur, præterquam quòd in apice magis ſubrotunda exiſtant; alia verò non tantùm inciſa, ſed etiam dentata ſpectantur; dum ex adverſo nonnulla crenis ſolummodo per margines diſtinguuntur. Variant præterea penes utramque longitudinis ac latitudinis dimenſionem, quamvis nulla latitudine unciam, binas vero longitudine ſuperent, petiolus autem cui innituntur oblongus atque compreſſus, extenſo nervo in adverſa folii parte eminente, ac in minores ſubdiviſo totam ipſorum longitudinem percurrit. Hujuſmodi porro foliorum ſubſtantia haud craſſa, attamen glabra, imò ſi ope microſcopii examinetur talem criſpitudinem oſtentat qualem in Braſſicis, color obſcurè vireſcens, odor nullus, diu manſa neſcio quid dulcis ſaporis guſtatui exhibent. E foliorum centro attolluntur bini vel plures *cauliculi*, recti, lignoſi, quadrangulares, quorum rarioribus licet nodis bina *folia* adnaſcuntur, petiolis prædita (exceptis tamen ſupremis) interdum latiora, ſimúlque breviora iis quæ ad radicem, interdum verò iis longiora ſed anguſtiora: prope radicem glabri, versùs faſtigium pilis exiguis denſis donati, præſertim ubi flores erumpunt, qui calyculo, quo priùs incluſi erant, hiante, viridémque colorem obſcuris lineis diſtinctum detegente, ſe produnt ampli, galeati, in rectam oblongam ſpicam verticillatim diſpoſiti, coloris ſaturatè cœrulei: quibus deinde ſpadiceum ſuccedit *ſemen*, minutiùs reliquis hujuſce generis.

Not. Caulium ſummitates unà cum floribus eorúmque calycibus fragrantem ferè Pulegii odorem exhalant.

2. Planta toto anno, tam hyeme quàm æſtate, floret in aridioribus ac ſabuloſis Romanorum arvorum tractibus.

Pag. 551. *Ad finem capitis de Betonica adde,*

Betonica purpurea ſpica longiore molliore & ſeriùs florente D. Tournefort. *Inter nondum editas* Hort. Reg. Pariſ.

Pag. 552. *Ad finem capitis de Prunella adde,*

Prunella Alpina folio anguſto integro D. Tournefort. *Inter nondum editas* Hort. Reg. Pariſ.

Item, *Brunellam Luſitanicam flore & ſpica majore* Dodart. Mem. *foliis Scrophulariæ* Herman. Cat. Leyd.

Pag. 555. *Capiti de Stachy adde,*
Stachys Pyrenaica D. Fagon. *Inter nondum editas* Hort. Reg. Pariſ.
Stachys Alpina folio Betonicæ Dodart. Mem.
Stachys Betonicæ folio ſubincano Herman. Cat. Leyd.]
Herm.

In altitudinem bicubitalem adoleſcit, *radice* pallida, digitum craſſa, carnoſa, multis fibris capillata, *caulibus* tribus quatuórve, ramoſis, rectis, ſolidis, quadrangulis, rigidis, in ſpicam deſinentibus palmarem; quam undique cingebant denſiſſimâ verticillatâque *ſerie* flores dilutè purpuraſcentes, galeâ bifidâ erectâ, labio promiſſo amplo ſcutellam exprimente, & ad collum anguſtius utrinque auriculato: ſingulis verò ſubjiciebantur utriculi longi quinquefidi, nullis vel breviſſimis petiolis fulti, continentes *ſemina* quaterna, fuſca. Inſuper caulibus ac ramis adnata erant *folia* rugoſa, ſerrata, pallidè virentia, Betonicæ facie, bina adverſo cruciatóque ſitu diſpoſita, ſaporis ſubacris, odoris debilis, aromatici quidpiam redolentis.

Semina ex Italia allata ſunt.

Pag. eadem, Ad finem capitis de Stachy adde,
Stachys Indica procerior Betonicæ folio D. Plucknet.

Pag. 560, *lin.* 34. *pro ſeptima Lamii ſpecie adde,*
7. *Lamium paludoſum Belgicum Meliſſæ foliis* Herman. Cat. Hort. Leyd.
Herm.

Exilem, albicantem, fibroſam gerit *radicem: cauliculum* palmarem, aliquando longiorem, quadrangulum, geniculatum, ſubhirſutum, in ramos diviſum, quorum geniculis adſtant *folia* ex longioribus petiolis, bina ex adverſo, Meliſſæ foliis paria, ſed graciliora. Summitates ambiunt verticillata ſerie *floſculi* exigui, pallidè purpuraſcentes, galea anguſtiore, minore & integra, labello majore, latiore & trilobato. Hos excipiunt *ſemina* fuſca quaterna in utriculis foliaceis quinquefidis. Sponte ſua luxuriat in paludoſis Belgiæ, fœtido & gravi odore ad congeneres ſpecies accedens.

Pag. 563. *lin.* 2. *adde,*
An Sideritis Africanæ flore aureo oblongo Tho. Bartholin. Act. Medic.

Poſt lin. 20. *pro ſpecie Sideritidis tertia adde,*
3. *Cardiaca Americana annua, Nepetæ folio, floribus brevibus phœniceis villoſis, Leonurus annuus Americanus vulgo* Herman. Cat. Leyd.
Herm.

Caule adoleſcit tricubitali & altiori, herbaceo, candicante, quadrangulo, ſtriato, ſolido, albâ medullâ farcto; quam per remotiora intervalla verticillato ambitu amplectuntur utriculi denſa numeroſâque congerie invicem incumbentes, tubuloſi, quinquanguli, ſtriati, * ſuperiore longiores, ex brevibus pedunculis deorſùm flexi, & quadantenus falcati, orificio ampliori, ſeptem molliculis aculeis, ſex brevioribus, uno in ſummo longiore & robuſtiore armato. Ex his exeunt flores galeati, vix labiati, præcedente Africanâ triplo breviores & graciliores, villoſi, phœnicei coloris, ſuccedentibus quaternis *ſeminibus* oblongis, anguloſis, ſpadiceis, ſuperiore itidem brevioribus & anguſtioribus. Ad ſingula genicula ab imo caule ad ſummum uſque naſcuntur *folia* bina ex oppoſito alternatim, Nepetæ haud multùm abſimilia, ampliora tamen, nonnihil incana, mollia, & in ambitu magis crenata. *Radix* ſubeſt lignoſa, albicans, fibroſa, pro plantæ ratione ſat parva. Nata eſt ſemine ex Surinama advecto.

* *Leonuro perenni.*

Pag. 568. Tertia nobis Moluccæ ſpecies Meliſſa fruticoſa Sicula, &c. dicta non videtur differre à planta quam hac æſtate in hortis circa Londinum Lamii arborei Zanoni, & Teucrii Tingitani nominibus cultam vidimus.

Pro tertia Marrubii nigri ſpecie Capiti 24. *adde,*
Marrubium nigrum Creticum Alpin. Exot.
Alpin.

A *radicibus* multis Primulæ ſimilibus *folia* complura profert, oblonga, extremis acuta, parvis ſuis pediculis ſurſum in orbem acta, nigra & nigrâ lanugine obſita, Marrubii albi foliis majora, longiora & latiora, magnitudine & figurâ ad Apiaſtri ferè folia accedentia. E quibus ſanè duos vel plures *caules* producit, longos, rectos, quadrangulos, nigros, per intervalla geniculatos, in quibus è ſingulis geniculis exeunt circum ipſos ex oppoſito *folia* complura, numero ferè ſeptena, ac plura etiam, oblonga, prioribus ſimilia, ſed longè minora, multùm nigricantia quæ circa ramum veluti in orbem aguntur. In caulium ſummitatibus *flores* utrinque virgas ambiunt, non diſſimiles Marrubii floribus, itidem nigricantes. Tota planta colore nigricat, ut de induſtria ab aliquo videatur eo colore obducta. Saporis & odoris expers eſt.

Hæc planta, ſi ab Alpino rectè deſcripta ſit, pluribus ſemper ad ſingula genicula foliis anomala videtur.

Pag. 583. *Addatur Synonymis* II. *Speciei,*
Ranunculus Alopecuroides Ajugæ foliis P. Boccone; quem conſule p. 28. *&* 29.

Pag. 584. *Pro Ranunculi nemoroſi ſpecie tertia interponatur,*
3. *Ranunculus nemoroſus Virginianus parvo flore, mollieri folio* Herman. Cat. Hort. Leyd.

A ſuperiore haud abhorret, ſed floſculis & ſeminibus valdè exiguis eſt, cæteríſque partibus omnibus tenerior & gracilior.

4. *Ranunculus Caſſubicus folio Thoræ* Breyn. Prod.

Apud *J. B.* (inquit) cum Ranunculo auricomo *Lob.* confunditur, à quo tamen manifeſtè differt, altiùs namque excreſcit, & in omnibus major eſt. In ſylvoſis Caſſubiæ oritur.

Pag. 599. *adde,*

Malva altera repens Betonicæ folio Zanoni.

Caule & foliis Malvæ Betonicæ folio Bocconi ſimilis eſt, ſed minor, & naturâ reptatrix. Flos pariter ſimilis, verùm petalis majoribus.

In plano Groſſedæ eundo ad montem Peſcalis in Etruria, & locis vicinis oritur.

Pag. 600. *Poſt ſextam Malvæ ſpeciem adde,*
7. *Malvam Tingitanam flore cæruleo* D. Plucknet.

Pag. 602. Althææ vulgaris duæ varietates habentur in *Cat. Hort. Edinburg.* & *Hort. Lugd. Bat. Herman.* Altera folio rotundiori ſive minùs acuminato: altera folio anguloſiori.

Ad vires Althææ adde,

Pulvis radicum Althææ ad ʒj. omni mane in lacte epotus in Gonorrhœa eſt remedium præſtanſtiſſimum. E MS. Doctoris *Page* medici, Suffolcienſis.

Pag. 603. *pro ſecunda ſpecie Malvæ fruticeſcentis interſeratur,*
2. *Malva Hiſpanica foliis mollibus undulatis in margine, ſuperiùs micis ſulphureis ad Solem ſplendentibus donatis* Moriſ. Hiſt.

Moriſ.

Folia producit mollia, undulata in margine, ſuperiùs micis ſulphureis ad Solem ſplendentibus donata. *Caules* edit bipedales aut tripedales. *Flores* & ſemina aliarum Malvarum modo. Perennis eſt planta, quin & perpetua fronde viret, ut Althæa Olbiæ. Provenit in Hiſpania, aliíſque Meridionalibus locis.

Pag. 606. *Ad finem cap.* 10. *adde,*
10. *Alcea Zeylanica folio latiori cordiformi* Herman. Cat. Leyd.

Hujus folia ſummis marginibus cordis figuram referunt. Caules rubent; Radix perennat. Cætera cum penultima conveniunt.

11. *Alcea Zeylanica foliis faſciculatim congeſtis* ejuſdem.

Sunt huic flores admodum exigui faſciculatim ſeu in racemos denſiſſime diſpoſiti. Cæteræ verò partes ultimæ ſpeciei omninò ſimiles.

Pag. 609. *lin.* 5. *Ad finem capitis de Caryophyllata adde,*
Huic eadem videtur Caryophyllata Virginiana albo flore minore, radice inodora Herman. Cat. Leyd.

Herman.

Huic *folia* longiuſcula ſunt, attactu aſpera, crenata, inferiora palmam ampla, laciniata, ſuperiora anguſta, rariùs laciniata, leviter mucronata. *Caules* ad duo cubita elevati, nonnihil villoſi & aſperi, in multiplices ſurculos diviſi. *Flores* Caryophyllatæ vulgaris effigie, petalis pallidis, anguſtiſſimis, exiguis *ſtaminibus* herbaceis cum *apiculis* pallidè flaveſcentibus. *Semina* rara ſuperiorum nuda, in capitulum congeſta, brevioribus & minùs rigidis filamentis caudata. Radix ſubeſt alba, multis capillamentis fibrata, ſapore & odore fatua.

Pag. 616. Pentaphylloides erectum *J. B.* invenit D. Lloyd ad latera montis cujuſdam *Craig-Wraidhin* dicti in Comit. Montis Gomerici Walliæ.

Pag. 633. *Ad finem capitis de Anemone adde,*
Anemone affinis Æthiopica, fibroſa radice flore Aſteris, Tanaceti foliis ſubincanis Herman. Cat. Leyd. *Chryſanthemum Stæbes foliis latioribus* Breyn. Prod. *Aſter Jacobææ foliis latioribus vulgo.*
Eadem foliis anguſtioribus. Chryſanthemum Africanum Stæbes foliis anguſtioribus Breyn. Prod.

Herman.

Prior ſpargit per terram folia digito longiora, forma inter Taraxacum & Stœben media, prona parte pallidè virentia, ſupernâ incana & ſubhirſuta, in aliquot lacinias, ſitu modò oppoſito, modò alterno, intercedentibus longioribus intervallis, diſſecta. Inter hæc prodeunt *cauliculi* terni, pluréſve dodrantales, molleculi, ſucco aquoſo pleni, anguloſi, viridantes, atro-puniceis, latiuſculis per longitudinem excurrentibus ſtriis inſcripti, quæ caules eà potiſſimùm parte quâ humi procumbunt penitus videntur obliterare, ità ut nihil aut parum viriditatis in iis appareat. E medio caulis eriguntur aliquot alæ, digito longiores, ſuſtinentes è capitulo rotundo, ſquamato *florem* amœnum, amplum, radiatum, diſcoidem, facie Aſteris, radiis interiùs omnino aureis, exteriùs pallidè punicantibus ſtriis inſcriptis, medio verò diſco ex puniceo nigricante, qui cœlo ſereno croceum ſpirat odorem. Poſt hujus exantheſin ſequuntur *capitula* facie Anemonum, rotunda, nuda, tomentoſa, pallida, quibus involvuntur *ſemina* parva, ſpadicea, dura, quæ Autumno ſata ſubſequente Vere progerminant. *Radice* fibroſa, alba, tenui, quotannis pereunte.

Locus. Naſcitur aridis montoſis apricis ad Promontorium Bonæ Spei, unde *ſemina* ad nos ſunt delata.

Poſterior iiſdem locis reperitur, Foliis priore anguſtiorib. cætera verò ſimillimis. De viribus nihil certi conſtat. Turgent ſucco aquoſo, nullo evidenti ſapore prædito.

Pag. 641. *Poſt. lin.* 3. *pro tertia Peponis ſpecie interponatur*

Pepo Indicus reticulatus ſeminibus nigris minor Herman. Cat. Hort. Leyd.

Item, *Pepo Indicus reticulatus minor Tittawætha Zeylonenſibus* ejuſdem.

** Luffæ.*

** Luffa Arabum Veſling. & Pepo reticulatus minor* Tittawætha.

Hæ duæ ſpecies * præcedenti à Veſlingio deſcriptæ accedunt, ſed folia ferunt integra, & fructus triplo minores. Huic ſemina ſunt alba, illi nigra.

Antequam ad maturitatem pervenerunt * adſumuntur in India ad rem culinariam. Dempto enim cortice coquitur interior tenella pulpa in aqua; exempta vel in butyro ſeu oleo frigitur, vel cum lacte, aliiſq; juſculis paratur. Hunc in uſum conſeruntur in hortis. Secunda ſeminibus nigris ſylveſtris eſt, in declivibus humidis provenit, & ob immenſam ſuam amaritiem à culinis proſcribitur.

Pag. 643. *Hiſtoriæ Melonis aquatici adde*, Hujus fructus duas ſpecies in America reperiri, alteram pulpa rubente, alteram alba à *D. Baniſter* certiores facti ſumus.

Pag. 647. *Ad finem capitis ſeptimi pro ſecunda Balſaminæ ſpecie addatur*

Cucumis puniceus Zeylanicus, Maragoſa Luſitanis Herman. Cat. Hort. Lugd. Bat. *Herm.*

Fert ſarmenta longiora & craſſiora; *folia* ampliora, profundiùs laciniata; fructus pyriformes, ex flavo rubentes, ſuperficie verrucoſa. Cætera cum priore conveniunt. Seritur in Zeylan & Malabara ad hortorum ſepes, quas cincinnis ſiccis implicat. *Folia* amariſſimi guſtûs ſunt inſtar Lupuli, cujus loco à Belgis in Oriente degentibus ad decoquendam Cereviſiam adhibentur. Indigenæ commendant decoctum & expreſſum ſuccum in morbis chronicis à ſale acido aduſto, quod ſubvertit Sal Alcalicum.

Ab hac diverſa videtur

Balſamina Cucumerina Indica Poncley *dicta, vel Balſ. mas fœtida* D. Doody.

Hujus flagellum cum foliis & floribus exſiccatum ad me miſit peritiſſimus Botanicus *D. S. Doody.* Folia majora ſunt quàm in Balſamina vulg. in longiores & acutiores lacinias diviſa, & in ſicca obſcuriùs viridia videntur. *Flores* minores in medio pediculo foliolum obtinent lunulatum. Dum adhuc viret fœtidiſſimum odorem exhalat. Fructum apud nos nondum perfecit. Semina (quæ ſicca miſit) majora quàm pro plantæ modò, longitudine latitudinem non multùm ſuperante, compreſſa, ab altero latere non raro paululum convexa ſeu gibba, ab altero concava, colore pallido aut ex luteo albicante, lineis elatis flexuoſis varia ſeu inæqualia, præſertim ad margines utriuſque ſuperficiei, tum gibbæ tum convexæ, ubi limbus duplex denticulatus ſemen in orbem cingit, annulo intermedio relicto paulo depreſſiore.

In Appendice ad Catalogum D. Hermannus duas diſtinguit ſpecies Cucumeris punicei Zeylanici, Prima producit fructus palmam longos, ſativi Cucumeris craſſitie, in obtuſum mucronem deſinentes, cute craſſa velut in flavo virente, ſpinoſis bullis ſeu tuberculis exaſperata, carne pulpoſa ex flavo rubente, dulci, grata, q. ſaccharo condita.

Hi per maturitatem finduntur in tres partes, oſtendentes *ſemina* alba, ſuperficie granulata, Momordicæ vulgari ſimilia, aſt majora.

Secunda omnibus ſui partibus minor eſt, fructibus digiti longitudinem vix excedentibus, in mucronem recurvum terminantibus, ſeminibus Momordica vulgari minoribus nigris.

Utramque ſpeciem in horto Acad. Leyd. viguiſſe & ſemina ſua perfeciſſe ſcribit Hermannus.

Pag. 648. *Ad finem Capitis de Cucumere ſylveſtri adjiciatur,*

1. *Cucumis ſylveſtris glaber* Muſ. R. S. *pag.* 231.
2. *Cucumis Aſininus folio Anguriæ D. Fagon* Hort. Reg. Pariſ.

In Catalogo nondum editarum ad me tranſmiſſo à D. *Tancredo Robinſon.* & D. *Hanſ. Sloane.*

Pag. 650. *Tertiæ Granadillæ ſeu Murucuiæ ſpeciei adde* ſequentia ſynonyma.

Clematis pentaphylla flore roſeo clavato Moriſon. hiſt. *Clematis paſſiflora pentaphylla flore cæruleo punctato* Munting. prax. *Cucumis Flos paſſionis dictus, pentaphyllos, flore clavato* Herman. Cat. Hort. Lugd. Bat.

Octavæ ſpeciei adde ſequentia.

Clematis paſſiflora flore luteo *Munting.* An Clem. ſ. flos Paſſ. Hederæ fol. floribus parvis herbaceis, fructu minimo, quando maturus nigro *D. Baniſt?* Cucumis, Flos paſſionis dictus hederaceo folio, flore ex luteo viridante *Herman. Cat.*

Ghandiroba vel Nhandiroba Braſilienſibus Marcgr. *Granadillæ ſpecies videtur.*

Hederæ ſcandentis ſpecies, more Murucuiæ ſeu Granadillæ aſcendit, ſarmentis paullò tenerioribus. Folia habet diſpoſita more Hederæ, ſubrotunda & quaſi in tres angulos deſinentia, quatuor dig. longa & totidem lata, viridia, glabra, ſplendentia. *Floſculos* fert parvos, ex pallido luteſcentes, tetrapetalos. *Fructus* ſequitur rotundus, viridis, ſplendens, inſtar Murucuiæ, Pomi majoris magnitudine, ſuperiùs circulum inſculptum quaſi continens, & in centro ejus tres lineas, una extremitate ad angulos obtuſos ſe contingentes. Fructus ſecundùm longitudinem diſſectus intus apparet cavus, cortéxque illius Murucuiæ cortici craſſitie eſt æqualis, duplici ſubſtantiâ compoſitus, exteriùs minimâ, craſſitie lignoſa, reliquâ interiùs ſpongioſâ, ſucculentâ, albâ: Cavitas fructûs in medio per interſtitia more Juglandis in tres diſpeſcitur concamerationes, continétque in qualibet quatuor, [in totum duodecim] ordine diſpoſita corpora ſubrotunda, clypeata, ſatis craſſa, magnitudine pataci, in extremitate ambitus tenuiora, ſolida verſùs medium. Quodlibet corpus pelliculâ primum obductum eſt uvea, punctulis ſeu tuberculis nigricantibus, quâ defrictâ, cortex ligneus fuſcus apparet, inſtar teſtæ ovi fragilis, in ambitu dentatus: cortice fracto intus albus apparet, continétque oleaginoſum nucleum ex albo flaveſcentem, pelliculâ incluſum.

Ex hoc nucleo oleum parant Braſilienſes; quo in lucernis utuntur, clariſſimum, & optimum, tardè enim conſumitur; in cibo non poteſt uſurpari, quia amarum eſt, quemadmodum & totus fructus.

In hortum Regium ex America nuper invecta eſt Granadillæ quædam ſpecies dicta Flos Paſſionis folio pyriformi, flore candidiſſimo q. An Murucuia veſicaria lanuginoſa odoris gravis *Marcgr.* à *D. Tancredo Robinſon.*

Pag. 660. *lin.* 26. *Ad finem Capitis de Bryonia alba adde,*
Bryonia Zeylanica foliis profundè laciniatis Herman. Cat. Hort. Leyd.
Herman.

Ingenium catharticum congeneribus haud diſſimile probat hæc Bryonia, tum guſtu ſuo, acri, amaro & nauſeoſo, tum etiam uſu, Zeylanenſibus in hydrope frequenti, penes quos in parietinis ruderibus, aliſque incultis ſordidis ſua ſponte luxuriat. Spargit à radice albicante, fibroſa, in modicum ventrem extumeſcente flagella tenera, flexibilia, longo varióque reptatu cincinnatis ſuis claviculis vicina quævis apprehendentia. *Folia* atro-viridia, aſperiuſcula, quinque vel ſex profundis laciniis diviſa; *Flores* ad foliorum ſinus ſolitarios, aliquando binos ternóſve, parvulos ex quinque petalis reflexis pallidè flaveſcentibus & ſubhirſutis compoſitos, *Baccas* Ceraſi magnitudine, oblongo-rotundas, primùm virides, poſtmodum rubellas, aliquot lacteis ſtriis perbelle inſcriptas, continentes in pallido lentóque ſucco acinos fuſcos, duros, aſperos, ſubrotundos, cingulo medio quaſi faſcia in obtuſum apicem protuberante. Radix ad multos annos perennat in *Zeylon*, ſub noſtro verò duriori climate facilè perit.

Pag. eadem, pro quinta ſpecie Lauri Alexandrinæ adde,
5. *Hippogloſſum foliis anguſtiſſimis, baccis ex oblongis petiolis in extremo ramulorum dependentibus* Breyn. Prod.

Pag. 667. *poſt lin.* 33. *adde,*
Ad ecchymoſin [ſugillationem] nobiliſſimum Cataplaſma. ℞ Radicum Sigill. Solom. Ireos Florent. pulveriſat. *ana* partes æquales. Aq. vitæ coch. unum. Ol. Roſ. q. ſ. M. F. Cataplaſma applicetur loco affecto.

Pag. 669. *Ad finem paginæ add.* Quartam hanc ſpeciem ſic deſcribit D. Herman. in *Append.* Multis fruticat virgis cubitalibus, flexibilibus, obſequioſis, ramoſis, quæ ornant *folia* hilari virore lucida, mucronata, ad Myrtina accedentia. Sept. menſe exeunt è ramorum cymis *capitula* parva, rotunda, herbacea, ad baſin flo. monopetalo, in viridi palleſcente, ſex exiguis crenis diviſo veſtita, quo marceſcente tranſeunt capitula in *fructus* globoſos, pulchrè rubentes, baccis Aſparagi ſimiles, includentes ſub pellicula tenui & parca pulpa nucleum unicum rotundum, pallidum, durum. Subſunt *radices* fibroſæ, albæ, multæ, longæ, facie Aſparagi, ex uno capitulo promiſſæ.

Pag. 672. *poſt. lin.* 33. *adde,*
Weſtphali, quibus Scorbutus valdè familiaris eſt, decocto Glycypicri cum radice pro potu quotidiano utuntur cum ſucceſſu in hoc morbo.

Pag. 674. *lin.* 34. *poſt verba illa* hic ſubjiciam *ad finem ſpeciei nonæ adde,*
Cùm in Catalogo Horti Academici Lugduno-Batavi à Clariſſ. Viro D. Paulo Hermanno editi inveniam Solano Pomifero Indico ſpinoſo, Boraginis flore fructu croceo pro ſynonymis adjuncta Solanum ſpinoſum fructu rotundo *C. B.* & Pomum de Hiericho Melongenis congener *J. B.* priſtinam ſententiam mihi reſumendam video: ſiquidem D. Hermanno non poteſt non eſſe probè perſpecta hæc planta, ut qui eam tum in loco natali creſcentem viderit, tum in horto aliquandiu coluerit.

Plures ejus ſpecies diſtinguit idem eruditiſſ. Botanicus, nimirum,
1. Eam cujus Synonyma dedimus, quam *Chundæ* ſimpliciter dictæ Hort. Malab. eandem facit.
2. Eandem ſpinis violaceis.
3. Eandem ſpinis ex albo virentibus.
4. Solanum, &c. candicans maximè tomentoſum: i. e. Sol. ſpinoſum maxime tomentoſum P. *Boccone*, cujus deſcriptionem dedimus. Hanc ſpeciem pro Anachunda *Hort. Malab.* habet, cujus fructus pilis denſis longis, ſurrectis ac nonnihil hirſutis ex albicante flaviuſculis undique circundati & ſubaſperi ſunt: integram deſcriptionem ſi placet vide.

5. Solanum, &c. Americanum floribus ex lacteo & cœruleo mixtis. Hanc ſpeciem pro *Jurepeba* fœmina Piſonis habet. At D. Commelinus præcedentem.

6. Solanum pomiferum fruteſcens Africanum, ſpinoſum, nigricans, Boraginis flore.

Huic (inquit) Solano ſuppingitur *radix* alba, lignoſa, perennis, longo & obliquo reptatu diſperſa. Ex hoc fruticat *caulis* lignoſus, ſeſquicubitalis, ramoſus, in viridi nigricans, aculeis mordacibus undique armatus. *Folia* promit atro-viridia, oblonga profundè laciniata, coſtis ab utraque parte ſupparibus ſpinis obſeſſis. Flores ad ramorum cacumina pentapetaloides, Boraginis facie, ex cœruleo pallentes. Baccas Pomi amoris amplitudine & formâ, primùm virides, deinde flavas & ex maturitate in nigrum degenerantes colorem, foventes *ſemina* compreſſa, orbiculata, fuſca, in pulpa flaveſcente, viſcida, acri, amara, nauſeoſa & viroſa.

Locus. Ad foſſarum margines locíſque aliis incultis Promontorii bonæ ſpei ſponte provenit. In hortis tam per ſemina, quàm ramorum circumpoſitionem vel ſubmerſionem commodiſſimè propagatur.

Vires. Hujus radicem, quam acrem & amaram deprehendi, exemplo Hottentottorum ad Hydropicorum aquas per urinam educendas ex decocto præſcripſi magno ſemper ægrotantium levamine: pulpam verò baccarum virulentam reperi, inducentem capitis gravedines, torpores, dolores, furorem denique, ipſámque necem.

Hujus aliam ſpeciem vidimus in Horto reverendiſſ. Epiſcopi Londin. foliis minùs profundè laciniatis, ſpinis crebrioribus craſſioribus & longioribus de qua alibi diximus.

His adde,

7. *Cheru-Chunda* H. M. *Jurepeba mas Piſon. ex ſententia D. Commelini. Solanum Indicum ſpinoſum fructu minimo, miniato, glabro.*

H. M.

Reliquis minor eſt, altitudine ſeſqui aut duorum pedum, ramis in latum ſparſis, ejus *caules* non rubeſcunt: *Radix* fibroſa & albicans: Stipes cum ſurculis tenuiſſimis pilis obſitus & viridis, medulla intus molli. *Folia* multò minora cæteris, piloſa ac aſpera nonnihil, paucioribúſque & minùs cuſpidatis laciniis ſinuata. *Flores* omnium minimi, ſtellati, quinque vel ſex cuſpidum, coloris cœruleo-diluti & ſubpurpuraſcentis, in ſingulis cuſpidibus in medio venula albicante ac nitente & ad umbilicum calycis virideſcente ſtriati, è calyce in quinque cuſpides partito. Corculum, quod in medio flavum ſeu croceum eſt, conſtat ſurrectis & craſſis ſtaminibus, quæ ſuperiora & inferiora versùs ejuſdem ferè craſſitiei ſunt. *Fructus* ex omnibus ſpeciebus minimi ſunt, rotundi, glabri ſine pilis ac nitentes, à ſuis calycibus arctè inferiùs comprehenſi, colore dum immaturi ſunt viridi, dum verò maturi flavo, deinde corallino rubro. *Semina* præcedentium ſimilia.

Vires. Radicis decoctum confert in febre calida; idem cum melle prodeſt catarrhis & gravedini, item ſtranguriæ; cum momento Cardamomi flatibus & inteſtinorum torminibus conducit. Radicis aut foliorum ſuccus decoctus & epotus concoctionem promovet; idem cum ſaccharo datus uti, & ejus decoctum cum melle ſervit pro phlegmaticis juvátque in pectoris aſperitate. Foliorum & fructuum decoctum addito pauxillo Sacchari & calcis pro pruritu corporis ſervit in unctione partis affectæ.

Pleræque hæ vires nobis ſuſpectæ ſunt.

An planta ſpinoſiſſima Virginiana nobis ante 30 annos apud Tradeſcantium viſa, cujúſque folia & flores etiamnum retinemus, ſit præcedentium aliqua, an ſpecies ab omnibus diſtincta, mihi non conſtare fateor: ſunt autem folia, quantum in ſicca diſcernere licet, lævia & pilis omnino deſtituta, utrinque non per mediam tantùm coſtam ſed & per nervos laterales ſpinis acutis flavicantibus obſita. In ſurculo florifero quinque aut ſex flores ſunt. Spinulæ tenues, oblongæ & propemodum rectæ ſunt ſecus quàm in Hort. Malab. pinguntur.

Pag. 679. *Capiti* 23. *adde*, Solanum peregrinum Betæ folio. Folia habet grandia, craſſa, ſucculenta, ad Betæ formam accedentia; nec flores nec ſemina vidimus. Suſpicamur iſthoc congener eſſe Solano Americano racemoſo: in Horto Chelſeiano ut & Fulhamenſi colitur.

Pag. 681. Ad ſecundam Solani veſicarii ſpeciem nota. D. Hermannus in Catalogo ſæpius laudato Solanum veſicarium Indicum à Sol. Veſic. Americano ſpecie diſtinctum facit, & hujus Synonyma ponit *Tomatl* ſeu Planta acinoſa *Hernand.* p. 295. Camuru *Piſonis*; nec nos repugnamus, cùm illi (ut qui utramque coluerit) plantæ hæ non poſſunt non eſſe notiores quàm nobis, qui neutram hactenus virentem vidimus: unde & Halicacabum Virginianum *Park.* ab Indico diverſum eſſe abſque ulla tergiverſatione agnoſcimus. Deleatur ergo illud Quærendum, *An ſpecie differat à præcedente.*

Solanum ſpinoſum *D. Fagon* in Catal. nondum editarum *Hort. Reg. Pariſ.* ad me tranſmiſſo quomodo in præcedentibus differt inquirendum.

Solanum Caianenſe birſutum, caule & pediculis ſpinoſis Dodart. Mem.

Pag. 682. Quartæ Solani Halicacabi ſpeciei, *i. e.* Halicacabi ſive Alkekengi Indici Bontii pleniorem & accuratiorem deſcriptionem tradit Paul. Hermannus in Catalogo Horti Academ. Lugd. Bat.

Radice nititur tenui, alba, fibroſa: Coliculis dodrantalibus, tenuibus, rotundis, glabris, crebros in ramos diductis, media ſui parte humi procumbentibus: Foliis Solano vulgari ſimilibus, ſed multò minoribus, atro-viridibus, acuminatis, in margine aliquando leviter crenatis, ſæpius integris. Ad horum ſinus prodeunt ſubinde in calyculis quinquifidis *flores* parvi, pallidè flaveſcentes, monopetali, in quinque angulos acutos diſſecti, & ad fundum fuſcis maculis inſcripti. Hos excipiunt veſiculæ herbaceæ, anguloſo Solano prædicto duplo minores, quibus includitur bacca concolor, referta ſeminibus depreſſis pallidis, in pulpa virenti, acri & amara.

In incultis, ſordidis aridis Malabaræ & Zeylonæ collegit D. Hermannus. Ex ſeminibus deciduis quotannis ſe renovat. Facie ad Solanum *J. B.* accedit, partibus tamen omnibus tenuius & gracilius eſt.

Solanum pomiferum Americanum non ſpinoſum lacteo flore. Iva Braſilienſibus Marcgrav. Ivabeba Piſon.

Piſon. Marcgr.

Frutex eſt eodem modo creſcens quo *Jurepeba*, ſimilique ligno, ſed ſolet altiùs aſſurgere. *Caudex* ſpinoſus, ac leni hirſutie præditus. *Folia* diverſæ figuræ, inordinatè poſita, pallidè viridia, oblonga, non ità laciniata ut *Juripebæ*, levi hirſutie ſeu lanugine infecta.

Flores itidem fert ut *Jurepeba*, lacteos, pentapetalos, inſtar ſtellæ expanſos, in medio autem *ſtaminula* lutea ſunt erecta.

Fructum fert * magnitudine majoris Pomi vulgaris, rotundum, initio ſaturatè viridem, ac brunna lanugine tectum, per maturitatem citrini coloris ac ſplendentem. Cortex fructûs inſtar teſtæ ovi fragilis, intus continet pulpam ſucculentam, flaveſcentem, admodum dulcem & gratam formicis, cæterùm non edulem, quæ copioſa *ſemina*, Lentium magnitudine, figurâ & colore continet.

* *Rotundus inſtar Pomi Piſo; de magnitudine ſilet.*

Radix plantæ eſt amara & tenuium partium, atque inter remedia deobſtruentia in pretio habita, præſertim in renum viſcoſitatibus abſtergendis. Quia radix quibuſdam nimis amara videtur, decocta exinde parata temperantur cum Liquiritia Americana. *Vires.*

Pag. 675. *Pro decima quarta Solani ſpecie interſeratur,*

Pomum amoris majus fructu rubro Park. parad.

Hæc planta omnibus ſuis partibus caule, folio, flore, fructu, multo major eſt ea quam deſcripſimus in hiſtoria, aliàs ſimilis. Fructus pomi mediocris magnitudinem æquat, éſtque ſtriatus ſeu ſulcatus plerunque & inæqualiter hic illic protuberans, cùm illiùs æqualis & rotundus ſit; magis inſuper planus & depreſſus, non globoſus ut illius; ejuſdem rubri coloris, quamvis habentur etiam hujus generis colore per maturitatem luteo, aureo, albo.

Parkinſonus, experientiâ ſuâ, iterata per aliquot annos in hortis noſtris ſatione fructum multo minorem evadere aſſerit.

Hoc genus in Horto Reverendiſſ. Epiſcopi Londinenſis Fulhamiæ prope Londinum vidimus hoc autumno cum fructu maturo, & ſpecie diſtinctum putamus à vulgari nobis deſcripto.

Pag. 684. *Ad finem capitis de Aſparago adde,*

6. *Aſparagus aculeatus, maximus, ſarmentoſus zeylanicus* Herman. Cat. Hort. Leyd.

Herman.

Huic ſubſunt *radices* longæ, fuſiformes, plures ex uno capite propendentes, albicantes, carnoſæ, pollicem craſſæ, ſapore ſubdulci, grato, ad Scorzoneram noſtram accedente. Ex hac pullulant aliquot *ſarmenta* longiſſima, in multas alas diviſa, brevibus pungentibus aculeis, modò ſurſum, modò deorſum ſpectantibus, armata, vicinas arbores ſcandentia, eáſque amplectentia. His adhærent folia reliquis hujus familiæ ſpeciebus omnibus latiora, longiora & robuſtiora. Ad quorum ſinus prodeunt è calyculis exiguis *flores* parvi, pallidi, hexapetali, fulciti brevibus tenuiſſimis pediculis. Hos excipiunt baccæ rubentes, in quibus continentur utplurimum terni anguloſi, nigricantes acini, velut in ſpeciebus conſimilibus.

Sponte naſcitur in ſylvis inſulæ Zeylonæ, indigenis *Hattawariia*, Europæis verò ibidem degentibus Scorzonera dicta. Radices vel cum lacte aut brodio carnium, vel ſale aceto & pipere conditæ, ab incolis habentur in deliciis. *Locus.*

7. *Aſparagus aculeatus Africanus* ejuſdem.

Herman.

A Corruda vulgari nihil diſcrepat, niſi radicibus craſſioribus, rotundioribus bulbillorum inſtar, ex uno ceſpite dependentibus, ſapore cum Aſparago Zeylanico conſimili. Ad rivulorum margines circa Promont. Bon. ſpei luxuriat.

8. *Aſparagus aculeatus Siculus.*

Cauliculos ſeu flagella multa edit, tenuia, anguloſa humi fuſa, ramulos hinc inde crebros ad ſemuncialia interdum intervalla emittentia. Ramuli pariter crebris foliis ſeſcuncialibus aut longioribus rigidis aculeatis anguloſis, quæque ſpinæ veriùs ſunt quàm folia, alterno ſitu veſtiuntur. *Flores* circa foliorum ſeu ſpinularum baſes exeunt herbacei coloris, Aſparagi floribus ſimiles: Fructus non obſervavimus.

Prope Tauromenium in Sicilia invenimus circa finem Maii florentem. An vera & genuina Aſparagi ſpecies ſit neſcimus cùm fructum non viderimus. *Locus.*

Pag. 685. *lin.* 25. *adde,*

Chriſtian. Mentzel. in pugillo rariorum plant. duplex genus diſtinguit, Alteram vocat *Vitem Idæam paluſtrem foliis majoribus acutis*; Alteram *Vit. Id. pal. foliis parvis acutis Serpilli inſtar.*

Eadem pag. Ad finem Lib. 13. *in capite ſeorſim addatur,*

CAP. XXVIII.

Sempervivum marinum bacciferum Braſilianum Marcgr.

Marcgr.

IN ſeſquipedalem aut majorem altitudinem aſſurgunt multi *caules*, digitum craſſi, lignoſi, fragiles, teretes, foliis circumcincti eo modo quo Porticulaca; quæ ſunt egregiè viridia, craſſa, ſucculenta, figurâ Portulacæ foliis ſimilia, verùm longè majora, & magnam Acetoſam æquantia. Inter folia in ſingularibus pediculis prodeunt *floſculi* quinque foliis conſtantes, uno latere in ambitu ſerratis, albi coloris, figurâ Caryophyllorum. Flores ſequuntur *baccæ* magnitudine olivæ, nigræ, ſplendentes, ſucculentæ, carnem habentes inſtar nigrorum Ceraſorum multam, & nucleum in medio inſtar Pruni. *Radix* longa, recta, uno latere multa filamenta coacervata habens, lignoſa, albicans, ſed intus ſubflava.

Pag. 687. *Ad finem deſcriptionis Sedi majoris arboreſcentis adde,*

Hæc planta funiculis è ramis ad terram demiſſis & radices agentibus ſe propagat, ad modum Ficus Indicæ.

Poſt verba illa Cotyledon altera Dioſcoridis *adde*

Sedum Africanum fruteſcens incanum, foliis orbiculatis Herman. Cat. *arboreſcens Promont. Bon. Spei* Stapel *in Theophr. hiſt. pag.* 335. Breyn. Prod. *Herm.*

Locis maritimis, aridis, glareoſis ad Promont. B. Sp. fruticis altitudine aſſurgit, *radice* ſuccoſa, longa, brachiata, robuſta, ruſeſcente, nonnunquam albida, frequentes fibras emittente: *caudice* pollicem craſſo, ramoſo, in viridi caneſcente, qui parte inferna cingitur *foliis*, denſiſſimo ſtipatu abſq; petiolis congeſtis, orbiculatis, craſſis, ſucculentis, aliquando volæ manûs magnitudine, glaucis, ambitu nunc rubente, nunc palleſcente; parte verò ſuperiore conſpicitur nudus, in tenue geniculum protuberans; quo mediante divaricatur in aliquot ramulos digitales & palmares; quibus ex calyce quinquefolio dependent *flores* oblongi quinquanguli, quinque rubentibus incarnatis petalis oris, ſurſum reflexis, cum totidem è medio ſe exſerentibus ſtaminibus apiculatis flaveſcentibus conſtructi. His evanidis ſuccedunt more congenerum quinque *ſiliculæ* corniculatæ, oblongæ, preſſiùs invicem junctæ, includentes *ſemina* exigua ruffa. Tota planta aquoſo, viſcidóque gaudet ſucco, conſimilíque virtute quâ cæteræ ſpecies. De facili verò propagatur ramulis abſciſſis & aridiori ſolo impactis.

Ad finem ejuſdem pag. addantur ſequentia.

℞. Sempervivi Mj. contundatur & coq. in lactis recentis ℔ij. F. poſſet. Bibat ℔ ß. bis vel ter in die. In inflammationibus oculorum eſt egregium remedium. Ex *MS. D. Fiſher. D. Hulſe* Unguentum egregium ad combuſtionem, curans ſine cicatrice. ℞. Axungiæ recentis ℔.j. Succi Sempervivi ℔jß. M. & parti affectæ inungatur. *D. Hulſe* è MS. prædict.

Fulhamiæ in Horto Reverendiſſ. Epiſcopi Londinenſis, monſtrante *D. Doody*, Sedi majoris ſpeciem vidimus germinibus ſeu globulis è foliorum ſinubus emiſſis ſe propagantem, foliorum inquam non infimorum & terræ proximorum tantùm ſed & mediorum in globulis, quod ſanè mirati ſumus.

Sedum vulgare maximum *Herman. Cat.* Hoc non deſcribit. Aſteriſcus præfixus Batavicum eſſe indicat.

Sedum vulgari magno ſimile *J. B.* Hæc planta non deſcribitur, verùm Hiſtor. Ebrodunenſis compilatores pro ea aſſumunt iconem Sempervivi majoris crenati myrtifolii Lob. ico. primo in loco exhibitam. Suſpicatus autem quondam fuit J. Bauhinus Sedum montanum latifolium flore purpureo cultura in hoc mutari.

Pag. 692. *poſt Seda minora in capite proprio addatur*

1. *Cotyledon vera radice tuberoſa* J. B. *Cot. major* C. B. *Umbilicus Veneris* Ger. *Veneris vulgaris* Park. **Wall penny-wort, Navel-wort, Kidney-wort.** *J. B.*

Ex *radice* tuberoſa, exiguis fibris donatâ pediculi exeunt palmares, in medium peltati circinatíque *folii*, craſſi, ſucculenti, glauci umbonem inſerti, ſaporis viſcidi & aquei, indidémque adeò *caules* prodeunt duo aut tres, dodrantales aut altiores, aliàs ſimplices, aliàs ramoſi, ab imo ferè ad ſummum uſque confertis *floribus* oblongis, herbaceis comoſi, floribus Polygonati ſimilibus, concavis, minoribus tamen: *ſemen* exiguum, Portulacæ ſimile.

Folia quæ in imo caule duo vel tria plerunque ſunt non ut reliqua circularia, neque in eorum centrum ſeu umbilicum inſeritur pediculus, ſed ad latus. Folia interdum ſupernè concava ſunt infundibuli aut acetabuli ferè in modum. In ſaxis & vetuſtis parietibus.

Cotyledon Luſitanica. Alterius ſpeciei è Luſitania allatæ à Boelio meminit Parkinſonus, quam Luſitanicam majorem, foliis pallidiùs virentibus vocat.

Superiore æſtate in Cotyledonis plantis, quas in horto ſuo coluit, obſervavit mihique oſtendit *D. S. Dale* pro vaſculo ſeminali quinque theculas ſeu ſiliquas diſcretas ſeminibus refertas ſingulis floſculis ſuccedentes, adeóque de ejus loco omnem mihi ſcrupulum exemit.

2. *Cotyledon radice tuberoſa longa repente* Moriſ. *Cotyledon flore luteo maxima* Herman. Cat. Leyd. *Moriſ.*

Præcedenti quàm proximè accedit, niſi quòd *folia* gerat majora ſpiſſiora, nec circulariter ſcutellam ſeu cotyledonem effingentia, ſed juxta pediculi inſertionem aperta. Quin & radicem non promit rotundam & tuberoſam Rapi inſtar, ſed longitudinaliter porrectam & ſub terram repentem, à qua exeunt fibræ multæ exiles, quibus nutritur radix. Flores & ſemina vulgaris ſimilia.

Plenior hujus deſcriptio occurrit in Dodart. Memoir. Folia, inquit, crenata ſunt, intercrenis nonnihil denticulatis, per hyemem virent, Maio marceſcunt veſtigiis duntaxat nonnullis relictis: inter quæ *caulis* aſſurgit, teres, rubicundus, firmus, foliis aliquot minoribus veſtitus, in tres vel quatuor ramos *floribus* luteis, pentapetalis, ſpicatis, calyce longo viridante exceptis onuſtos. E medio flore exoriuntur quinque theculæ ſeu ſiliculæ anguſtæ rectæ, viridantes, *ſeminibus* minutiſſimis rubentibus repletæ, quas quinque circumſtant ſtamina citrina, apicibus donata. Junio menſe floret.

Vires. Cotyledon Galeno 7. Simplic. miſtæ eſt facultatis, nempe humidæ, ſubfrigidæ & cujuſdam obſcurè adſtringentis, & cum ea leviter amaræ: valdè refrigerat, repercutit, abſtergit & diſcutit, itaque phlegmonas eryſipelatodes & eryſipelata plegmonode curat: & maximè ſtomachi ardore æſtuantis

antis utile epiplaſma. Putantur folia cum radice manducata calculos confringere & urinam movere.

Dioſcoridi Cotyledon φίμως τὰς ἐν αἰδοίοις χαλᾷ ſucco ejus cum vino circumlito inſtillatóve. Inflammationibus, ſacris ignibus, ſtrumis, pernionibus illitu auxiliatur, ſtomachi ardorem refrigerat. Hydropicis folia ex melle dantur. Herbâ utuntur ad amatoria.

Eadem pag. Ad finem Capitis tertii de Sedis ſtellatis adde

Sedum Africanum umbellatum album Herman. Cat.

Herm.

Exilem, fibroſam, albam habet *radicem*: *caules* complures, ramoſos, ſuccoſos, ſpithamâ altiores: *Folia* viridia, anguſta, acuminata, caulem ab imo ad ſummum uſque cruciato poſitu velut in Gentiana ambientia: *Flores* albos, pentapetalos, in muſcario ſeu umbella diſpoſitos: *ſemina* exigua in ſiliculis quinis invicem junctis.

Eadem pag. Sedum minus à rupe S. Vincentii Catalog. noſtr. plant. Ang. S. Vincent's **Sengrœn.**

Hoc ad ſeda multicapſularia pertinet. Folia denſe ſtipantur.

Pag. 693. *Ad finem Capitis quarti adde,*

Plantas haſce eruditiſſ. Paul. Hermannus in Catalogo Horti Academici Lugduno-Batavi ad Ficus Indicas Opuntias dictas refert, & Ficoides ſeu Ficus aizoides appellat. Etenim (inquit) harum omnium floribus ſubjicitur fructus ad modum Ficûs Indicæ, qui cujuſcunque ſit magnitudinis ac figuræ includit pulpam ſuccoſam dulcem Ficui Indicæ ſimilem, quanquam ſiccitate in Fungoſam aridam membranaceam ſubſtantiam degenerantem, & varios ſeminum loculos deſcribentem.

Mihi necdum conſpecti ſunt harum plantarum fructus, ad Aizoa tamen potiùs quàm ad Ficus Ind. referendæ videntur; aut rectiùs novum plantæ genus conſtituunt. Diſpeſcuntur autem à D. Hermanno in quinquecapſulares, quarum duæ ſunt fructu pyriformi majore, quinque fructu pyriformi minori; tres vero fructu orbiculato: & multicapſulares, quarum altera eſt fructu majori, altera minori.

Prima inſcribitur

Ficus Aizoid. Afric. maj. procumb. triang. fol. fruct. maxim. eduli.

Fructum maximum edulem Ficui ſimillimum proferens, ſpargit ab *radice* craſſa, fibroſa, repente, multíſque fibrata capillamentis *caliculos* multos, humi ſtratos, digitum craſſos, duos tréſve, cubitum & ampliùs longos, ſuccoſos, ex viridi palleſcentes, penes radicem aliquando rubentes, ad quorum genicula exeunt *folia* bina ex adverſo, digiti longitudine & craſſitie, triangularia, viridia, ſucculenta, cum totidem ex oppoſito ramulis, & ex his aliis atque aliis, ſuſtinentibus in cacuminibus fructuum rudimenta, pyriformia, quinquangula, quinque trigonis foliolis inferioribus multò minoribus circumvallata, intra quæ emicat Flos ſtellæ vel Solis effigie radiatus, aſteris flore amplior, ex molleculis, tenuibus numeroſis petalis quaſi radiis ad Solem aureo fulgore micantibus constructus, cingentibus multa concoloria *ſtamina*, farinaceis flaveſcentib. apiculis donata, quorum medium occupant ſeptem octóve cornicula, ex luteo viridantia, in orbem diffuſa. His marceſcentibus maturatur *fructus*, adæquans nonnunquam Ficum vulgarem, viridis, pulpoſus granis minutiſſimis, ſaporis dulcis, aquoſi, haud ingrati, ſummo umbilico quinque ſtellatis decuſſatis radiis inſcripto, pulpa vel cito putreſcente, vel intenſiori Solis æſtu in fungoſam ſubſtantiam tranſeunte, quæ diſpeſcitur in quinque loculos, includentes *ſemina* exigua, anguloſa, fuſca.

Locus. Luxuriat cum cæteris ſubſequentibus hujus ſortis locis marit. aridis ſabuloſis ad Promont. Bonæ Spei, ubi fructus tam à Belgis ibidem hoſpitantibus quàm ab indigenis Hottentottis eſitantur. Hujus propagatio fit vel per avulſos ramulos terræ commiſſos, vel per radices quas caulium genicula terræ proxima demittunt. Toto anno in Belgia viget & viret, aſt præſervanda eſt à Brumæ injuriis. Conſpicitur triplici florum colore, albo, purpureo & flavo.

Eadem folio triangulari enſormi.

Priori omnibus notis reſpondet, exceptis foliis nonnihil brevioribus enſem falcatum latiori dorſo imitantibus.

2. *Ficus aizoides Africana minor erecta, folio triangulari glauco, flo. luteo. An Chryſanthemum Aizoides Africanum triangulari folio, flore luteo* Breyn?

Partium exilitate, neutiquam diſpoſitione & formâ ab ante allatis differt. Fruteſcit cauliculis cubiti altitudine, rectis, tenuibus, lignoſis, albentibus: *Foliis* duplo brevioribus, digiti minimi craſſitiem vix adæquantibus, glaucis, triangulis: *Floribus* intra quinque foliola luteis, ad Solem expanſis, ſuperiore minoribus. His ſubjiciuntur *fructus* Avellanæ nuclei magnitudine, pyriformes, quinquanguli, ſucculenti, dulces, vetuſtate fungoſi, tenaces quaſique coriacei, in ſummo plani, quinis ſtellatim decuſſatis radiis notati, claudentes in totidem oblongis loculis *ſemina* pallidè flaveſcentia, anguloſa, dura, exigua. Indiget eâdem quâ ſuperior cultura. Foliorum ſapor obſervatur nunc ſalſus, nunc aquinſipidus, prout fert ingenium ſoli in quo naſcitur.

Eadem triangulari folio viridi, flore intus aureo, foris purpureo. An Chryſanthemum Africanum flore carneo Breyn?

Tota æſtate floret cum proximè deſcripta, cujus ſitum & figuram omnino imitatur, ſed videtur paulo minor & gracilior. Folia edit viridia; flores intus aureos, extus purpuraſcentes, eminus colorem quodammodo incarnatum mentientes.

Eadem folio tereti procumbens flore purpureo. Chryſanth. aizoides Africanum triangulari folio, flore purpureo Breyn.

Cauliculis eſt infirmis, herbaceis, reſupinis, dodrantalibus. Foliis viridibus, teretibus, anguſtis, gracilibus digito longioribus: Floribus purpureis: cæteris antecedenti paribus.

Eadem flore coccineo.

Hæc à modò dicta differt foliis nonnihil longioribus & floribus elegantiſſimo coccineo colore comantibus.

3. *Ficus aizoides Africana major, flore flavo, folio plano latiori. Chryſanthemum aizoid. African. primum ſeu latifolium* Breyn. Cent. 1.

Hujus flori ſubjicitur fructus orbicularis, ſucculentus, dulcis, ex vetuſtate fungoſus, candidus, ima parte convexus, ſumma planus, medio umbilico barbato; ex quo quinque ſtellatim decuſſatæ lineæ ad extremum ambitum ducuntur, dividentes fructum in quatuor cellulas ſeminibus duris pallidis refertas. Cætera ſuperiùs vide.

Eadem folio anguſtiori.

Omnibus partibus minor & gracilior conſpicitur.

Eadem minor multicaulis flore intus rubente, extus incarnato.

Spargit *cauliculos* numeroſos, ſucculentos, geniculatos, reſupinos, ab radice pallida & buxea. *Folia* bina ex adverſo, ſuperioribus multò minora, Portulacæ inter & Halimi folia media, incana bullatâq; aſpergine perfuſa: *Flores* denſis in ambitu barbulis radiatos, intus gratè rubentes, extus incarnatos, ſerò & manè congenerum ritu clauſos, medio verò die ſole illuſtratos expanſos, aſpectu jucundiſſimo. *Semina* pallida, exigua, in fructu ſuperiore minore.

4. *Ficus aizoides Africana, triangulari folio longiſſimo, fructu multicapſulari, flore luteo major. Chryſanthemum aizoides Africanum ſecundum ſive teretifolium* Breyn.

Hanc eandem eſſe exiſtimat quam Jac. Breynius in *Prodr.* 25. nomine Chryſanthemo ſimilis Aizoidis Africanæ majoris, triangularifoliæ, flore luteo majore deſcripſit. Etenim pro ratione ſoli & ætatis, modò amplior & robuſtior, modò minor & gracilior obſervatur. *Fructus* amplitudine nunc Ceraſum, nunc Nucem Juglandem æquat, ſucculentus, ſubdulcis, in fungoſam membranaceam ſubſtantiam tranſiens, communiter 17, pluribus vel paucioribus membranaceis loculis, favis apum ſimilibus partitus: ex cujus ſummo ambitu eriguntur totidem radii fungoſi, fuſci, acuminati, duas tréſve uncias longi, effigiem coronulæ exprimentes. *Radix* perennat, colitúrque velut ſpecies ſuperiores.

Eadem minor. Chryſanthemum aizoides Africanum tertium, ſive triangulari folio, flore aureo Breyn. Cent.

Hæc antecedente minor, profert *fructus* Ceraſi magnitudinem vix excedentes, 15 aut 16 membranaceis loculis, totidémque radiis brevioribus, (veluti ſemina Malvæ) in orbem junctis, & in mucronatum capitulum terminantibus conſtructos, quibus includuntur *ſemina* exigua dura, anguloſa, rufeſcentia. Reliquam deſcriptionem quæ Breynii eſt, vide ſupra.

Pag. 699. *Ad finem paginæ adde*

Abutilo Indico Camerarii ſimile ſi non idem, Beloere H.M. *P.* 6. *T.* 45. *p.* 77. *D. Hermannus Beloere Abutili Indici intrepidè ſynonymum facit.*

H.M.

Altitudinis duorum triúmve pedum eſt, ramorum è ſpadiceo fuſcorum, lenioribus pilis hirſutorum. *Radix* ejus fibroſa. *Folia* Verbaſci mollitiem reddentia, tenuia equidem, è lato acuminata, quibus inciſuræ ſunt crebriores, longis piloſiſque adhærentia pedunculis, ternas habent coſtas, frequentiùs ſubdiviſas, in ſuperiore duntaxat eminentes parte. Sapor ſubacris, odor haud planè ingratus. Lutei *flores*, inflexíſque ſupernè petiolis inſiſtentes, qui *Catu-uren* poſſent videri ni paululum majores eſſent, quina habent petala, è longo latiora, venis rectis ſtriata; exſurgenti è medio *ſtylo*, multa ſunt *ſtaminula* tenuia, flava, ex umbilico autem germinis fructus virides erumpentes. Hiſce ſuccedunt capita ſeminalia, quinque virentibus circumſepta foliis, vertice plana, in frequentes, quæ duo triáve plana continent *ſemina*, capſulas ſeminales, primùm rubentes, dein nigricantes, lintei collaris more complicata ſeu carinata, piliſque obſita.

Vires. Arenarum amans eſt, ſemper frondens & florifera. In *Ange-Caimal*, utì & in hortis reperitur. Foliorum pulvis inteſtinis alienus eſt, hypercatharſin enim excitat facillimé. Radix, quæ olei inſervit aliàs concoctioni, ſi earundem facultatum ei addas herbas, lepræ prodeſt; contritum & calidè aſſumptum ſemen citat alvum.

Katou-Beloeren H. M. *P.* 6. *T.* 46. *p.* 79. *Abutilon Indicum quinque ad ſingulos flores thecis.*

Mox deſcriptæ *Beloere* ſtipite, ramis, radice proxima eſt. *Folia* denſa, mollia, in quinque diviſa cuſpides, per ambitum ſerrata, petiolis longioribus & piloſis inhærent. Coſta, quæ tria præcipuè habet

bet brachia, vix nova ſpargit. Viror in ſupina parte obſcurus, in prona clarior eſt. Odor iis ac ſapor nullus. *Flores* pediculis innitentes, quinis conſtant petalis, è longo rotundis, quæ è viridi diluto nonnihil flavent, uno in latere leviter ſinuatis, venis in parte inferiore eminentibus ſecundùm longitudinem ſtriatis, & rugis minoribus criſpatis: horum ex umbilico aſſurgens *ſtylus* craſſior & longior, coloris purpurei *ſtaminulis* circundatur rubris, quæ gemmas habent ruffas, & in vertice bifariam dividitur in filamenta, colore purpuram, lenitudine ſericum referentia. *Calix* vero quinque foliorum juxta pedunculum ſeptem, octo, ſæpiſſime novem foliolis anguſtis ſuccingitur. Floribus deciduis è perianthii medio enaſcuntur *capſulæ* ſeminales, numero quinæ, planæ, piloſæ, nigricantes, in vertice eminentes: hæ propriis loculamentis *ſemina* trilatera, quorum duo plana, tertium convexum, coloris è rubro nigricantis includunt.

Arenoſo lætatur ſolo: neque flores, neque frondes unquam ei deficiunt: in *Angecaimaal* frequens eſt.

Uſus & Vires. Radix olei butyríque inſervit confectioni: item ex ea conficiuntur globuli fonticulis non inutiliter immittendi: è foliis chirurgi (ut ipſorum utar voce) lavamentum parant ulceribus ac eryſipelati convenientiſſimum.

Pag. 701. Cap. XI. *add. Hujus majorem ſeu ſpeciem ſeu varietatem obſervavit* D. Plucknet, *nobíſque ſiccam oſtendit.*

Pag. 723. *Qu. An Mechoacanna alba à nigricante ſeu Gialappa aliter differat quàm ut Radix decorticata ab eadem integra ſeu cortice veſtitâ, quomodo Piper album à nigro differt, non aliter differre conjectura ſeu ſuſpicio eſt* D. Tancredi Robinſon. *Et ſane non eſt diſſimile veri Mercatores compendii cauſâ viam inveniſſe unam radicem, pro duabus obtrudendi.*

Pag. 727. *lin.* 40. *pro Decima ſeptima Convolvuli ſpecie interponatur*

17. *Convolvulus Indicus villoſus Hederæ folio tripartito, flore cæruleo* Herman. Cat. Hort. Leyd. *Herman.*

Gaudet *radice* exili, pallida, modicè fibroſa; Viticulis longis tenuibus, piloſis, infirmis, quæ vel vicinis ſtipitibus implicantur, vel terræ incumbunt, & ex viticulorum nodis novas radiculas defigunt: *Foliis* pariter piloſis, ſupernè viridibus, ſubtus pallidioribus, in tres lobos Nil Arabum inſtar diviſis, aſt anguſtioribus: *Floribus* monopetalis, campaniformibus, peranguſtis, pallidè cœruleis, fugacibus, ad Solem expanſis, cæteroqui clauſis, tribus quatuórve in hirſutum capitulum congeſtis, ſingulis inſidentibus calyculis villoſis quinquefoliatis. His includuntur vaſcula rotunda, plana, cruſtacea, in quibus quaterna *ſemina* triangula, fuſca, hirſuta. Madet tenui lacte, ſubacri, ingrato, ſuſpecto virtutis purgantis.

Locis aridis incultis Indiæ uberrimè provenit.

Pag. 728. *Deſcriptioni Battatæ Hiſpanicæ adde Gul. Piſonem aſſerere eam Flores ferre externè dilutè virides, internè candidos, figurâ Campanulæ.*

Pag. 730. *Poſt lin.* 16. *adde pro* 29. *Convolvuli ſpecie*

29. *Convolvulum Americanum villoſum pentaphyllum & heptaphyllum majorem* Herman. Cat. Hort. Leyd. *Herman.*

A *radice* non adeò magna, albente ſubrotunda emittit ſarmenta hirſuta, herbacea, infirma, in ramulos quamplures divaricata, ſex aut plurium ulnarum longitudine, viciniſquibuſvis adminiculis multivario amplexu ſe involventia. *Folia* palmam ampla, hirſuta, digitata, quinque vel ſeptem profundis laciniis inciſa, altera parte viridia, alterâ ſubincana, longis piloſis petiolis adhærent. Ad horum exortum prodeunt hirſuta *capitula*: in quibus ſunt *flores* pallidè flaveſcentes, & poſt florum exantheſin *ſemina* præcedenti omnino ſimilia. Lacte quoque dilutiore turget, ſubacri ingrato.

Ex America tranſmiſſus eſt: non multum differt à Convolvulo Ægyptio Veſlingii.

Idem Zeylanicus minor Ejuſdem. *Pes Tigrinus dictus* * Diwipahuru *Zeylanenſium Convolvulus Indicus heptaphyllus villoſus* Breyn. Prod.

* *à folii ſimilitudine.*

Præcedenti ſimillimus eſt, aſt minor & hirſutior. Foliorum inciſuræ ſunt latiores & obtuſiores, pedem Tigridis exprimentes. *Flores* candidi quini aut ſepteni prodeunt alternatim è capitulis hirſutis. Seminum medulla in aquam tepidam injecta peramœno ſpectaculo reſolvitur in tenuiſſima candida folia, plantæ foliis exactè reſpondentia.

Pag. 731. *Ad finem Capitis quarti adde ſequentes Convolvuli ſpecies,*

Convolvulus maritimus Zeylanicus folio craſſo, cordiformi, Bintamburu Zeylanenſibus, * *Pes Capræ Luſitanis* Herman. Catal. Hort. Leyd. *Herm.*

* *à folio ſimilitudine.*

Hujus *radix*, Salſaparillæ non abſimilis, in obliquum longè latéque prorepit, fuſco craſſóque cortice tecta, & lacte tenui, in reſinam concreſcente referta. Ex qua ſparguntur ſarmenta, herbacea, glabra, infirma, humi ſtrata, trium quatuórve ulnarum longitudine. His alternatim adhærent *folia* ſubrotunda, carnoſa, lucida, glabra, expanſa aut complicata quaſique bifida, imitantia figuram cordis. *Flores* prodeunt ex parvis quinquefoliaceis calyculis, monopetali, ampli, pentanguli, campaniformes, roſeo vivaci colore, umbone medio atropurpuraſcente. *Semina* ſequuntur quaterna, anguloſa, hirſuta, locata in vaſculis ſubrotundis, in parvum deſinentibus mucronem.

Vires. Conſimili purgativo ſale ac alii congeneres prædìti ſunt hunc quoque convolvulum gaudere colligit D. Herman. non tantùm ex lacte acri linguam & fauces pungente, ſed & experimentis multijugâ experientiâ comprobatis. Reſina enim radicis drachmæ pondere cum vitello ovi, lacte coccineo, aliâve convenienti emulſione data hydropicorum aquas blandè ſubduxit. Idem officium præſtitit radicis extractum cum ſpiritu Vini paratum. Hinc falſam & imaginariam eſſe exiſtimat opinionem quam habent Luſitani & nonnulli Indi de vi ejus diaphoretica, inde fortè ducta quòd facie externa Sarſaparillam referat. Licet in cenſum purgantium reponatur radix, tamen ejus folia cedunt in pabulum cuniculis, cervis, damis, capris tam domeſticis quàm ſylveſtribus.

Locus. Luxuriat locis maritimis Malabaræ, Zeylan, aliarúmque regionum & inſularum Orientalium.

Plantæ huic ſimilis è China allata folia nobis communicavit eximius Botanicus D. *Jac. Pettiver.*

Convolvulus Indicus alatus maximus, foliis Ibiſco nonnihil ſimilibus anguloſis. Turbith Officinis Herman. Cat. *Turpethum repens foliis Althææ, vel Indicum* C. B.

Herman.

Vario longóque reptatu ad tria quatuórve cubita deſcendit *radix,* pollicem & ampliùs craſſa, lignoſa, in aliquot ramos diviſa, craſſo fuſcóque cortice tecta, qui ruptus ſtillat ſuccum lacteum glutinoſum in pallidè flaveſcentem reſinam illico concreſcentem, guſtûs primùm ſubdulcis, poſtmodum pungitivi, vomitum minantis. Ex hac prodeunt ſarmenta ramoſa, quatuor alis donata, varios in gyros ſeſe contorquentia, propè radicem lignoſa, digiti craſſitie, rufeſcentia, in progreſſu verò viridia, ſex ſeptémve ulnarum longitudinem aliquando ſuperantia, quorum nonnulla humi procumbunt, alia vicinas arbores fruticéſque ſcandunt iiſq; multiplici plexu ſe involvunt. His adſtant ex carinatis alatíſque pedunculis *folia* Althææ nonnihil paria, mollia, incanâ raràque lanugine obſita, anguloſa, in ambitu crenata, leviter mucronata: Ad quorum ſinus circa ramorum ſummitates exeunt petioli, ſuperioribus longiores, robuſtiores, alis & carina omnino deſtituti, ſuſtinentes terna aut quaterna *capitula* oblonga, mucronata, quinque viridantibus in rubro foliolis conflata, quæ ſingula excludunt *florem* monopetalum, Convolvuli vulgaris magnitudine & forma, candidum, intus quinque palleſcentibus apiculatis ſtaminulis cum ſexto intermedio ſubjectæ ſeminali capſulæ impacto refertum. Flore excuſſo *capitula* expanduntur, in quorum centro conſpiciuntur quaterna, rotundo-anguloſa nigricantia ſemina, Piperis magnitudine, incluſa vaſculo tenui, membranaceo, ſubrotundo, depreſſo, quadripartito. Conſimilia ſemina, florum ſeminúmque involucra memini, inquit, me obſervâſſe in Mechocanna, cujus expanſum involucrum unà cum capſula ſeminali falsò pro flore propoſuit Monardes & ex eo Dalechampius, J. Bauhinus aliíque.

Turbith frequens offendi locis opacis, humidis, ad foſſarum margines, retro hortorum ſepes aliiſq; locis ſylveſtribus à mari longe diſſitis in Zeylan & Malabara.

Colliguntur in uſum medicum non caules, ut perhibet Garcias, ſed radices craſſiores, turgentes lacte & reſina copioſiore. Quæ ad nos transferuntur fodiuntur in Guzaratta, ubi proventus luxurioſus. Hæc omnia Hermannus.

Convolvulus Bona nox *dictus, flore candido grandi* J. B. *Smilax aſpera Indiæ Occidentalis* C. B. *Buenas noches Hiſpanis* Park. *Fructus* 3. *cap.* 18. *lib.* 2. *Exot.* Cluſ.

Cluſ.

Primo ortu bina profert *folia* Campanulæ Indicæ primùm naſcentis foliis ſimilia, ſed majuſcula & craſſiora, cui etiam ſimilia edit folia recens natus Mechoacanus. Multi porro ab hujus plantæ radice prodeunt *caules,* qui pedamenta affixa vel vicinas plantas multiplici ambiunt ſpira, Smilacis aſperæ inſtar, cui etiam ſimilia habet folia, majora tamen & molliora. In caulibus etiam aliquot hamatas continet ſpinulas, quales & Smilax aſpera, ſed minores & minùs horridas. In planta ex ſemine nata Sarmenta tenellos veluti ſpinarum aculeos, præſertim circa articulos generabant, quæ Cluſio nihil aliud erant quàm radicum rudimenta, ut in pleriſque plantis, putà Mayzio, Harundine, &c. contingere videmus. Cujus etiam ſententia nobis arridet, ſiquidem in nulla Convolvuli ſpecie ſarmenta ſpinulis obſita hactenus videre contigit. *Flores* autem pandit candidos & grandes, mediocri diſco pares, qui matutino tempore dehiſcentes, noctu illico flacceſcunt, unde nomen accepiſſe videtur. Calyx florem continens, [in planta ad Cluſium miſſa] quinque foliis unciam ferè longis & latis invicem amplectentibus conſtabat, ut in Cappare, quibus includebatur caput trigonum membranaceum, tria grana inſtar magnorum Piſorum continens, coloris ex fuſco cineracei & pæne fuliginoſi: tres autem *flores* ex longis pediculis dependentes craſſiuſculo ramo inhæſiſſe apparebant.

Hæc planta cùm genuina Convolvuli ſpecies ſit à Smilace aſpera genere diverſa eſt.

Convolvulus folio Sagittariæ Wheeleri.

Exſiccatum vidimus apud *D. Plucknet.*

Convolvulus ſerpens maritimus ſpicæfolius, Triumfetti.

Triumf.

Ceſpites aliquot plurium erectorum foliorum ſupra humum fundit, nonnullos immediatè radici, alios lignoſis, perbrevibus tamen, ac exilibus veluti truncis innixos, quorum majora unà cum petiolo parùm excedebant minimi digiti longitudinem, formâq; ſimilia erant iis Cantabricæ vulgaris, multùm tamen anguſtiora; imò ab excurrente nervo mediam ipſorum longitudinem (aliquot etiam propagines æquali ordine hinc indè ad latera demittente) ſupernè eleganter ſulcata reddebantur, infernè verò toroſa. Porro hujuſmodi foliorum color cinereus ſimúlque ſplendens obſervabatur, excitante ipſum breviſſima, tenui ac denſa lanugine eadem folia occupante; ſubſtantia ſolida ac pinguis, nullius tamen ſenſibilis ſaporis aut odoris. Subtus foliorum ceſpites pro radicibus craſſiuſculæ ad inſtar ferrei fili extenduntur fibræ, intortæ, ac ruditer annuloſæ, adeóque ſimul connexæ, ut illas uni ceſpiti ſubjectas trahenti reliquæ etiam aliis remotioribus ceſpitibus inſervientes eadem opera, (ni fortè continuatio diſrumperetur) ſuccederent. Harum ſubſtantia nervoſa, cortice craſſo ſubſpadiceo tecta, inſipida planè ac inodora, nec tenuioribus capillamentis omnino deſtituta, imperfectis priorum more annulis voluminoſa ac inflexa.

Flos breviſſimo ac gracili inhæret petiolo plerunque nudo, interdum binis valdè exiguis foliolis, folioſis appendicibus ex adverſo ſitis donato circa Aprilis finem ſe explicans, formâ ut in reliquis ſui generis, ſed parvitate Convolvuli Siculi Bocconiani æmulus, non tamen cœruleus ſed in candido carneus, & in medio quædam ſtamina minimis apicibus prædita, obſcurioris coloris continens, calyci inſidens herbaceo, aliquot inciſuris diſtincto. Flore verò citò areſcente parva, globoſa ſuccreſcit *capſula*, interdum quatuor vel quinque, parumper anguloſis, nigri coloris ſeminibus prægnans, ſingula tamen intus candida ac tenui membranâ invicem diſcreta.

Tota planta maximè vivax eſt & folia medias etiam inter hyemes conſervans.

Juxta oram maritimam quà è Centumcellis Romam itur in eminentiore quodam loco lateralem veluti limitem viæ publicæ præſignante à *D. Trionfetti* inventa eſt. **Locus.**

Pag. 742. Campanulis glabris addatur,

Campanula minor Americana foliis rigidis, flore cœruleo patulo Herman. Cat. *Trachelium Americanum minus flore cœruleo patulo* Dodart. Mem.

Dod. Mem.

Radicem habet fibroſam & velut capillatam, è cujus capite initio fundit *folia* Roſæ inſtar in orbem poſita, pollicem & dimidium longa, & tres circiter lineas [*lignes*] lata, leviter crenata, firma, glabra, deſuper obſcuriùs viridia. E medio foliorum exit *caulis*, paullùm ſtriatus, dimidium circiter pedem altus, foliis circumcirca obſitus, figurâ inferioribus ſimilibus, ſed minoribus magiſque acuminatis. Circa mediam partem plures emittit ramos, foliis etiam veſtitos, eis qui in caule ſimilibus, verùm adhuc minoribus & acutioribus, quorum unuſquiſque faſtigio ſuo *florem* geſtat, calyce quinque-partito cinctum, è cœruleo in violaceum colorem tendentem, Campanæ ſimilem, quinque-partitum: è cujus medio exit *ſtilus* flavo-viridis, ſumma parte trifidus vel quadrifidus: imum ſtilum circumſtant quinque filamenta tenuia, lutea apices ſuſtinentia, triplo ipſis longiores. Flore præterito craſſeſcit calyx & quandam quaſi ſtellam efformat, in cujus medio ſe elevat pericarpium, in tres cellulas diviſum, *ſemen* continens parvum, ruffum, Rapunculorum ſimilem. *Radix* è lateribus propagines emittit, qui germina novaſque plantas edunt. Folia ſapore ſunt leviter adſtringente. Planta vivax eſt & umbrâ gaudet. Ex America ad nos allata eſt.

Pag. 743. Ad quintam ſpeciem ſeu Erinon Col. *adde,*

Plantam ab hac diverſam depingit & deſcribit Abrah. Muntingius in Hiſtoria plantarum Belgica, quam vocat Erinum Dioſcoridis, ad quem Lectorem remitto. Lib. 3. Cap. 269.

Eadem pag. pro ſpecie ſexta poſt Erinum F. Columnæ addatur,

6. *Campanula minima Africana, Erini facie, flore violaceo, cauliculis procumbentibus* Herman. Cat.

Herm.

Erino F. Columnæ accedens plantula in paſcuis aliiſque irriguis locis circa Promont. Bonæ Spei reperitur, cujus ſemina huc advecta lætè progerminârunt. Nititur *radice* exigua, pallida, emittente *cauliculos* tenues, humi procumbentes, in aliquot ramulos diviſos, quibus adſtant foliola Erino Columnæ longiora, anguſtiora, pinguia, craſſiuſcula, hilari virore nitentia, ſinuata, per margines leviter crenata. Ad horum alas prodit tenuiſſimus pedicellus, ſuſtinens ex calyculo exiguo, hirſuto quinque-partito *floſculum* parvum, oblongum, monopetalum, campanulatum, quinque profundioribus crenis diſſectum, coloris in purpura violacei. Hoc defluxo ſuccedit more congenerum vaſculum oblongum, exiguum, trigonum, tricapſulare, tribus foraminibus, vix conſpicuis pertuſum, continens *ſemina* minutiſſima rubiginea. Tota planta, lacte tenui aquoſo ſubdulci turget. Floret ab Auguſto in mediam hyemem uſque ſeminibus deciduis ſe propagans.

7. *Eadem cauliculis erectis,*

Antedictæ adeò ſimilis eſt, ut antequam adoleſcat vix ab illa diſcerni queat. Cauliculos acquirit robuſtiores, rectà aſſurgentes, dodrantales: *Folia* longiora & anguſtiora: *Floſculos* minores in pedunculis longioribus. Cætera conveniunt. Offendit cum ſuperiore locis humentibus ad Promont. Bonæ Spei.

Pag. 749. lin. 34. D. Hermannus Hummatu H. M. *idem facit Solano ſpinoſo fructu rotundo, longo flore* C. B. *Ego etiam mutatâ ſententiâ à Stramonio majore albo diverſum puto.*

Pag. 750. Ad finem Lib. 14. add.

CAP. VII.

Anonymos Braſiliana flore monopetalo ſpecioſo.

Marcgr.

IN ſeſquipedalem altitudinem aſſurgit, *caule* rotundo, leniter hirſuto, geniculato: ad genicula autem bina folia ſibi invicem oppoſita, leniter etiam hirſuta, oblonga, viridia, & in extremitatibus ramulorum multa foliola ſibi adjuncta, atque inter illa *flores* ex longo calyce prodeuntes, ex lacteſcente dilutè purpurei coloris, unica quidem parte conſtantes, ſed ſuperius in quinque lacinias diviſi, nullo in centro ſtamine. Poſt florem ſequuntur folliculi magnitudine grani Cannabis, quibus continetur *ſemen* compreſſum, fuſcum.

Pag. 755. *Pro* 16. *Linariæ ſpecie interſeratur,*

16. *Linaria annua anguſtifolia floſculis albis longiùs caudatis* Triumfetti.

E *radice* binas circiter uncias longa, eâque lignoſa, tenui, albo cortice induta, in contortas fibras diſſecta, ac barbularum ſatellitio ſtipata germinant duo vel tres *cauliculi* initio recumbentes, tenuiſſimi, ſubvirides & ſuccoſi, quos radiatim per intervalla cingunt foliola utplurimum quaterna ſimul, integra, oblongo-anguſta, craſſiuſcula tamen ac ſaturatiùs virentia. Horum cauliculorum unus vel alter ad ſummum, plantâ magis adoleſcente erigitur ad palmarem vel ſeſquipalmarem altitudinem (paulatim interea contabeſcentibus cæteris), túncque hujuſmodi caulis rectus, rotundus, lignoſus & craſſior ſpectari incipit, internè quidem albâ medullâ repletus, externè vero involutus membranâ, primùm fulvâ, deinde palleſcente, qui inſuper in aliquot pauciores ramulos ſæpe dividitur è ſinu foliorum erumpentes. Folia autem ſuperiora ordine longiora ſunt & anguſtiora inferioribus, & uncialia tandem evadunt, ſuprema ſingulatim dependent & ferè capillacea redduntur. Ex ſummo cauliculorum adventante Junio prodeunt floſculi rari ac exigui, brevibus pediculis ſuffulti, è calyce quinquefolio reliquorum congenerum ſimiles, ſed perexigui, calcari longiſſimo, colore penitus albo. *Capſulæ* oblongæ, turgidæ, circa medium patenti rima diſtinctæ, tenui candidóque diaphragmate in geminas cellulas diſcretæ, utramque copioſo ac minutiore ſemine, maturitate nigerrimo, ex rotundo in oblongum declinante repletus, altera extremitate latiore, cujus pariter ſapor, uti cæterarum partium, ſubamarus.

Semine completo Planta penitus exſiccatur.

Romæ prope Farneſianos colles, non longè ab eo ſitu quo meridiem reſpiciunt, ſæpius obſervavit Joan. Baptiſta Triumfetti.

Pag. 756. *Pro* 19. *Linariæ ſpecie ponatur*

Linaria Americana maxima purpureo flore Herman. Cat. Hort. Leyd.

Herman.

Caules huic rotundi, læves & ramoſi, humana altitudine quandoque ſuperiores. *Folia* quina, quaterna, ternáve ex adverſo, abſque petiolis ordinatim diſpoſita, conſimili ferè facie Gentianæ concavæ, ex baſi lata in acutum mucronem tendentia, ſupernè glabra, lætè viridia, infernè pallida, aliquot per longitudinem excurrentibus nervis inſcripta. Summas virgas occupant *flores* monopetali, in fundo integri, purpurei, reliquis omnibus Linariæ ſpeciebus ampliores, anteriùs rictum, poſteriùs calcar habentes. His defluxis ſuccedunt vaſcula rotunda, ſurſum versùs bifariam dehiſcentia, in quibus *ſemina* nigra, orbiculata, compreſſa, foliacea, quæ globulo rugoſo pallido, tanquam ſepto intermedio imbricato ordine circumſtant. *Radix* ſubeſt, alba, tenuis, fibroſa, vario reptatu longè latéque ſeſe diffundens & ſingulis annis nova germina protrudens.

Pag. 761. *Ad finem Cap. de Antirrhino add.*

In *Hort. Reg. Pariſ. & Hort. Acad. Lugd. Bat.* habetur

Antirrhinum longifolium majus Italicum flore amplo, niveo, lacteſcente.

Pag. 763. *Ad finem hiſtoriæ Piſtolochiæ Creticæ add.* Medici & Pharmacopœi Londinenſes Polyrrhizon Virginianam dictam à Piſtolochia Cretica diverſam eſſe contendunt: Et ſane ſpecimina ſicca utriuſque plantæ quæ apud Clariſſ. virum & Botanicum longè peritiſſimum D. Leonard. Plucknet, M.D. vidi, plantas diverſas eſſe arguunt. Rem curioſis diligentiùs examinandam propono. Cæterùm omitti non debuit Herbam hanc certiſſimum eſſe & præſentaneum remedium adverſus lethiferos morſus Serpentis illius, **the Rattle-ſnake** noſtratibus dicti.

Vires. Herbæ commanſæ ſuccum deglutiunt, ſtatim à morſu, & contuſam vulneri imponunt. Radicis & herbæ pulvis in vino alióve convenienti liquore ſumptus morſum canis rabidi ſanat, & ab hydrophobia defendit.

Pag. 764. *Ad finem Capitis de Ariſtolochia addatur*

Ariſtolochia longa Mexicana, Tomahuactli copatli Hernand. *l.* 2. *c.* 24.

Herba eſt volubilis, *foliis* cordiformibus, Cacalictla-copatlis ſimilibus ſed majoribus & rotundioribus, *caulibus* tenuibus, plexis, geniculatis & purpureis, purpureíſque floribus radice longa, craſſa & pallida; fructum fert craſſiuſculum, Cucurbitis ſtriatis ac pentagonis quadantenus ſimilem, refertum ſemine. Naſcitur in montoſis & calidis locis; qualis eſt Tlackmalacenſis & Huaxtepecenſis. Radix eſt nonnihil amara, guſtu adſtringente, & reſinoſa.

Pag. 767. *Ad finem capitis de Scrophularia adde,*

Scrophularia peregrina fruteſcens foliis Teucrii craſſiuſculis Breyn. Prod. Hort. Lugd. Bat. Herman. *An Scrophularia Telephii foliis?*

Herm.

Hæc ob elegantiam & perpetuò virentem comam omnes Scrophulariæ ſpecies antecellit. E *radice* pallida in contortas fibrillas abeunte *caules* erigit rectos, firmos, fruteſcentes, altitudinis ſeſquipedalis, quadrangulos, virides, ſtriatos, geniculatos, frequentes in ramos diviſos, quos ad ſingula genicula cingunt *folia*, craſſiuſcula, ſubrotunda, crenata, unguem vix excedentia, vulgaris Teucrii facie, parte inferiore bina adverſa, ſuperiore verò ſolitaria. *Floſculi* inſident exiguis quinquifidis calyculis, Scrophulariæ Rutæ caninæ dictæ ſimillimi, monopetali, ſubrotundi, in quinque lacinias, quaſi totidem petala diſſecti, petalo ſuperiori purpuraſcente, bifido, galeæ inſtar, binis lateralibus auriculatis, pallidis, imo labiato, exiguo, purpuraſcente; profluentibus è medio rictu *ſtaminibus* candidis, *apiculis* purpuraſcentibus donatis. Flores excipit *vaſculum* ſubrotundum, acuminatum, bicapſulare, in duas carinulas dehiſcens, continens *ſemina* exigua, fuſca. Propagatur feliciùs ramulis quàm ſeminibus.

Pag. 774. *Ad finem Capitis de Euphraſia addatur*

Euphraſiæ affinis Indica Echioides Kawatuwa *Zeylonenſibus* Herman. Append.

Herm.

Aſſurgit ab *radice* albente, lignoſa, digitali craſſitie, multíſque fibris capillata, *Cauliculus* pedalis, ſtatim ab radice in aliquot ramos diviſus geniculatus, quadrangulus, aſper, villoſus. E ſingulis geniculis ab imo ad ſummum uſque exeunt *folia* lætè viridia, ſubaſpera, villoſa, digitum longa, unguem lata, obtuſa, bina ex adverſo poſita, ſaporis fatui, ad quorum ſinus prodeunt ramuli, tenues, biunciales, quibus ex anguſtiſſimis herbaceis quinquefidis calyculis inſident *flores* quini, ſepteni, aliquando plures, ad baſin candidi, cætera purpuraſcentes, conſimili ferè ordine quo Echii Alcibiadici flores diſpoſiti. Formâ tubulum ſeſquiuncialem exprimunt, qui in amplum orificium quaſi galeâ trifidâ & labio integro obtuſo conſtructum deſinit: profluentibus è medio duobus capillaceis, atro-purpureis tenuíque albente lanugine pubeſcentibus ſtaminulis cum *ſtylo* corniculato concolori & longiori. His diſcuſſis ſuccedunt vaſcula bicapſularia, oblonga, quadrangula, membranacea, granum Hordei imitantia, quæ *ſemina* continent quaterna, ex fuſco flaveſcentia, ſingulis in loculis bina. Frequens occurrit locis ſordidis inſulæ Zeylonæ. Floruit in *Horto Acad. Lugd. Batav.*

Hanc plantam eandem eſſe quæ à Jac. Breynio deſcripta occurrit Ephemer. German. An. 4. & 5. Obſerv. 139. ſub titulo Bugloſſi Echioidis Indici Convolvuli cœrulei minoris folio, & icon & deſcriptio & locus ſuadent. Rectiùs autem noſtrâ ſententiâ à D. Hermanno pro Euphraſiæ ſpecie habetur quàm à D. Breynio pro Bugloſſæ. Ideóque à Libri X. Cap. VI. ubi eam in Hiſtoria collocavimus hunc transferendam cenſemus.

Pag. 776. *ad finem paginæ,*

Cap. IX.

1. *Gratiola* J.B. Ger. *vulgaris* Park. *Centauroides* C. B: *Gratia Dei.* Germanis *Gratiola S. Centaurium aquaticum, fortè Polemonium paluſtre amarum Hippocrati veterinario* Geſ. Col. **Hedge-Hyſſop,** *rectius* **Water-Hyſſop.**

J.B.

UBertim luxuriant hujus *radices,* pennæ Anſerinæ craſſitudine, obliquè reptantes, albæ, crebris geniculis nodoſæ, à quibus plurimæ demittuntur fibræ albæ: *Caules* plures dodrantales ſurgunt, teretes, propter terram rubentes, ſuperiùs ex albido vireſcentes, creberrimis geniculis diſtincti, ad quorum ſingula *folia* bina, Saponariæ minora, interdum in ambitu nonnihil crenata, aliàs æqualia naſcuntur, & ex eorum alis modò Surculi foliis Hyſſopi minimè crenatis donati, modò *flores* ſingulares, ſtriati, oblongi, colore quà pediculo ſemunciali & longiori committuntur ſubflavo, per reliqua albo, excepto folio, ex quatuor quæ habet ſupremo, ſurſum reflexo, quod interna parte lanuginem luteam oſtentat: inſidet autem totus flos calyculo quinquepartito, cui bina foliola Hyſſopi appoſita: Porro autem pericarpium ex rotundo oblongum eſt, *ſemen* continens minutum. Tota planta inſigniter amara eſt & inodora, quadam cum obſcura adſtrictione.

In paluſtribus prope Conſtantiam Germaniæ urbem uberrimè provenit: in aquoſis etiam tum in *Locus.*
Italia, ubi *Stanca-Cavallo* appellatur, tum in Gallia Narbonenſi. Flos communiter in purpura albicat, interdum luteus eſt.

Efficax remedium eſt in humoribus aquoſis, lentis bilioſiſque ſpecificè evacuandis, quos vel ex re- *Vires.*
motiſſimis partibus trahit, atque tam per ſeceſſum tam per vomitum expurgat. Hinc magni uſûs eſſe poterit in Hydrope & ictero flavo, necnon ad diutinos coxendicum dolores & inveteratas febres ſive ſicca in pulvere, ſive recens decocta & exhibita: verùm quia violenter nec ſine moleſtia purgat corrigenda eſt Zingibere, Sale Gemmæ, Cinnamomo, &c. Quia amaritudine dotata eſt inſigni lumbricos fugat, eorúmque ſaburram expurgat. Vulneribus celeriter medetur ea glutinando trita & impoſita, autore Matthiolo.

2. *Gratiola Alpina* J.B.

J. B.

Vix ſeſcunciam excedit coliculus, qui ſingularis, ſuperna parte, ubi aliquot floſculi, bifidus, per quem folia duo aut tria oblonga, inferiora latiuſcula, unciam circiter longa, ſapore nullo evidente: multis tenuibus fibris radicatur. Florentem invenit Autor noſter menſe Julio in monte Braulio Rhætorum.

Hæc planta florem habet monopetalum ex oblongo tubo in quatuor petala ſeu potiùs lacinias petalorum æmulas, non eas tamen uniformes & inter ſe omnino ſimiles, diviſum; proinde ad Tribum Herbarum flore monopetalo difformi pertinet. Verùm quoniam figurâ floris non uſquequaque convenit cum ullo genere ſub prædicta Tribu contento, ſeorſim collocari, ſuúmque ac proprium genus conſtituere debet.

Pag. 780. *Poſt tertiam Leucoii ſpeciem pro quarta adde,*

Leucoiis affine Tripolium Anguillaræ & Leucoium maritimum Camerarii J. B. *Maritimum foliis & ſiliquâ hirſutis, eâque tribus in ſummo apicibus donatâ.* Moriſon. hiſt.

Provenit Tripolium inter Scyllam & Charybdim circa S. Georgium. Folia ſimilia Plantagini, anguſtiora & craſſiora; exſilit è medio caulis palmum altus, in tres ramos diviſus: flores ſimiles Violæ matronalis: Radix alba, acris, odore Rhaphani, craſſa, non odorata, ut vult Dioſcorides.

Icon Leucoii marini (inquit J. Bauhinus) Camerarii non mihi videtur reſpondere deſcriptioni Anguillaræ, non enim ſunt folia Plantagini ſimilia.

C. Bauhinus Tripolium Ang. & Leucoium maritimum aliud *Cam.* Leucoii marini latifolii *Ger.* ſynonyma facit. Parkinſonus iconem Camerarii aſſumit pro Leucoio ſuo marino maximo, quod nihil aliud eſt, noſtra ſententia, quam Leucoium maritimum noſtras, ut diximus; maritimum autem noſtras cum maritimo majore *Cluſ.* idem videtur. Quocirca ni inveniſſem in Catalogo hort. med. Lugd. Bat. Leucoium marit. ſinuato folio *C. B.* & Leucoium marit. Camerarii *J. B.* à D. Hermanno, cui notiora eſſe debent quàm nobis, utpote qui utrumque coluerit & ob oculos habuerit, pro diverſis ſpeciebus propoſita in ſententia perſtitiſſem, eandem plantam eſſe Leucoium marit. *Cam.* & marinum majus *Cluſ.* quamvis Tripolium Anguillaræ longè alia res ſit & rectiùs à C. Bauhino ad Leucoium maritimum latifolium referatur.

Pag. 781. *Ad finem Cap.* I. *de Leucoio adde,*
Leucoium Africanum cœruleo flore latifolium hirſutum Herman. Cat.
Herman.

Ex *radicula* tenui, albente, fibroſa exoriuntur *caules* ſingulares vel ramoſi, bipalmares, graciles, hirſuti, atro-virentes; quibus ad ramorum ſinus adſtant *folia* nonnihil ſinuoſa, piloſa, craſſiuſcula, integra, raró laciniis inciſa, digitum longa, unguem lata, nunc latiora, nunc anguſtiora, nervis veniſve nullis inſcripta. *Flores* brevibus inſident petiolis; forma & colore Lini ſativi floribus æmuli, aſt quatuor tantùm petalis conſtructi, totidémque ſubtus viridantibus parvis foliolis muniti. Hos excipiunt *ſiliquæ*, digitum longæ, anguſtæ, compreſſæ, bivalves & bicapſulares, quarum ſepto intermedio utraque parte adhærent *ſemina* exigua, rufeſcentia, oblonga, parùm compreſſa. Seminum ſapor deprehenditur ſubacris: Odor florum nullus.

Incola eſt Promontorii Bonæ Spei, amans ſaxoſa inculta Sole illuſtrata.

Leucoium Africanum cœruleo flore Coronopi anguſto folio minus Herman. Cat.

Ab antecedente differt partium omnium exilitate.

Pag. 785. *Ad finem pag. adde,*
Muntingius in Hiſtoria plantarum Belgica Dentariæ quandam ſpeciem depingit, quam vocat montanam radice non dentata, raræ & inſolentis formæ, quam apud ipſum vide lib. 3. cap. 185.

Pag. 790. *Add. Paronychia Bugloſſæ folio* D. Baniſter, *apud* D. Plucknet *viſa.*

Pag. 807. *Ad finem paginæ, pro ſeptima Erucæ ſpecie adde,*
7. *Eruca echioides Africana flore cœruleo* Breyn. Prod.

Pag. 814. *Ad finem Cap.* 19. *pro* 17. *Eryſimi ſpecie addatur*
Eryſimum ſiliquis quaſi implicitis Pyrenaicum D. Fagon.

E Catalogo nondum editarum Hort. Reg. Pariſ. à D. *Hanſ. Slaone* ad me tranſmiſſo.

Pag. 816. *Ad hiſtoriam Naſturtii aquatici vulgaris addatur*
Naſturtium aquaticum maximum D. Fagon.

Item Naſturtium aquaticum minus, quod hac æſtate [An. 1687] obſervavit *D. Dale.* Folia triplo minora ſunt quàm Siſymbrii vulgaris; flores & ſiliquæ conveniunt. Florendi tempore menſtruo ſpatio illud antecedit. Iiſdem in locis creſcit.

Pag. 819. *Ad finem Capitis de Rhaphano ſylveſtri adde,*
Naſturtium impatiens luteum ſiliquis curtis, fortè Rhaphani aquatici ſpecies Baniſter. Cat. Plant. Virgin.

Ramulum hujus ſiccum vidimus in horto ſicco D. Leon. Plucknet M. D. Londinenſis.

Pag. 823. *Poſt lin.* 30. *adde,*
Cochlearia major Batavica erecta folio oblongo Herman. Cat. Hort. Leyd.
Herm.

A vulgari majore Cochlearia differt tantùm cauliculis rectà aſſurgentibus, dodrantalibus, aliquando cubitalibus, & foliis oblongis. Reperi in udoſis circa Catwiick.

Pag. 827. *Add. Naſturtium Virginianum ſiliquâ compreſſâ.*

Pag. 837. *Ad calcem paginæ adde,*
Thlaſpi Halimi folio ſemper virens Herman. Cat.
Herm.

Formâ & magnitudine à Thlaſpi fruticoſo ſpi[illegible]ſo non multum abludit: verùm cauliculis eſt herbaceis, ſpinis omnino deſtitutis, pallidis, glabris, incumbentibus humi, & in aliquas alas divaricatis: *Foliis* brevioribus incanis, ſplendentibus Halimi de more: *Floribus* nunc in ſpica, nunc in umbella diſpoſitis, candidis, tetrapetalis; quos excipiunt *ſiliculæ* orbiculatæ, depreſſæ, ſepto intergerino per tranſverſum, hoc eſt antrorſum & retrorſum, eas in binos loculos dividente; quibus ſingulis includitur *ſemen* unicum, orbiculatum, depreſſum, ruffum, acre.

Pag. 840. *lin.* 2. *Not.* D. Hermannus in *Cat. Hort. Leyd.* cum Moriſono Erucam maritimam Italicam ab Anglica diverſam facit. Et revera ſi altera monoſpermos ſit, altera diſpermos; altera folio latiore & craſſiore, altera anguſtiore; non præter rationem id facit. Nobis tamen negligentiùs contemplantibus Eruca maritima noſtras cum Eruca maritima Narbonenſi & Italica eadem ſpecie planta viſa eſt. At Hermanno potiùs fidendum, qui utramque coluit, & ut credi par eſt, differentias obſervavit. Aſt illi non libenter concedimus Erucam maritimam Anglicam folio eſſe latiore & craſſiore quàm Italicam.

Eadem pag. Raphaniſtrum Monoſpermum capſulâ capitatâ & aculeatâ ad inſtar roſtri aviculæ *Moriſon.* Myagrum ex Sumatrâ capſulâ ſpinoſâ *Zanon.* Roſæ Hiericontheæ ſylveſtris ſpecies.

Eadem pag. Ad finem paginæ adde,

Raphaniſtrum monoſpermum maximum Chalepenſe, flore luteo, capſulâ rotundâ ſtriatâ Moriſon. hiſt.
Moriſon.

Folia prima edit Sinapeos more: *Caules* producit bipedales & tripedales ſecundùm ſolum cui committitur, nunc humiliores, nunc altiores, ramoſos admodum, in quorum ramuſculis exeunt flores tetrapetali, lutei, cum multis ſtaminulis itidem luteis, quibus ſingulis ſuccedunt *ſiliculæ* ſingulæ, rotundæ, ſtriatæ, hirſutæ, deſinentes in apicem acutum, ramis brachiatis prædictis inſiſtentes, densè ſatis diſpoſitæ ad pedalem & ſeſquipedalem aliquando longitudinem.

Floret ſub finem æſtatis, & ſemina matura edit ineunte Autumno. In ſingulis ſiliculis ſingula continentur ſemina.

Pag. 843. *Ad finem Capitis de Iſatide adde,*

Iſatis ſylveſtris minor Luſitanica *Herman. App.* Folia profert Myagro quodammodo paria, ſed paulò ampliora; *cauliculos* ſpithamiæos, ramoſos, graciles; *Floſculos* luteos, tetrapetalos, exiguos: *Siliculas* compreſſas, fungoſas, avis linguam referentes, in quorum medio *Semen* unicum, flavum, oblongum, acre, more congenerum.

Pag. 845. Veronicam ſpicatam latifoliam *C. B.* invenit D. Lloyd ad latera montis cujuſdam *Craig Wreidbin* dicti in Comit. Montis Gomerici Walliæ.

Pag. 855. *Ad vires Opii add.* ℞ Opii ℈j. Sal. nitri, Camphoræ ana gr. iij. Olei Caryophill. gut. vj. M. f. pilulæ parvæ indendæ in cavitatem dentis dolentis & permitte ſalivam ex ore effluere. Sæpe tollit dolorem dentium in momento. *D. E. Hulſe.*

Pag. 857. *Poſt Papaver cornic. violaceum adde,* Papaver corniculatum Hormini folio *D. Plucknet.*

Pag. 858. *Ad vires Chelidonii majoris adde,* Uſum Chelidoniæ majoris in Peſte magno encomio celebrat Isbrandus Diemerbrook lib. *de Peſte.*

Pag. 859. *Ad finem* Cap. II. *pro ſpecie Chelidonii majoris adjiciatur*

Chelidonium maximum ἄκαυλον Canadenſe Cornuti. Park. *Item Ranunculus Virginienſis albus* ejuſdem.
Moriſon.

Egregia hæc planta perpaucis conſtat foliis, longis pediculis è radice originem trahentibus, amplis, rotundis, glaucè virentibus, & Vitium foliorum modo laciniatis. *Radicem* habet carnoſam, ut & folia ſucco flavo aut aureo virus quoddam olente turgida; ſi quælibet ejus pars rumpatur illico prædictus ſuccus emanat. E radice immediatè oritur pediculus brevis, tenuis, ſubrubens, ſuſtinens *florem* album, ex plurimis petalis conflatum veluti Cyclaminis flos. Plantæ defloreſcenti ſupervenit *ſiliqua* bivalvis, craſſior ſeu ſpiſſior, ſine ſepto medio, continens multa *ſemina*, majora ſeminibus noſtratis Chelidonii majoris.

Planta eſt Americana, in Virginia vel Canada proveniens. Anomalis ſiliquoſis potiùs quam Chelidoniis annumeranda nobis videtur.

Pag. 860. *Ad finem capitis tertii add.*

4. *Sinapiſtrum Indicum triphyllum flore carneo minus non ſpinoſum.* Herman. Cat.
Herman.

E *radice* tenui, albente, parva *cauliculum* erigit cubitalem, in paucos diviſum ramos, ad tactum glutinoſum, cui adnectuntur *folia* terna, petiolo modò longiore, modò breviſſimo ramis cauliculóq; preſſiùs juncto, ſuffulta. *Flores* modò albicant, modò ex flavo palleſcunt. Cætera Sinapiſtro Indico pentaphyllo omnino paria.

Locis aridis ſiccis, cultis & incultis utriuſque Indiæ mirabili fœcunditate luxuriat.

Harum plantarum ſemina ſapore & virtute Sinapi non tantum æmulantur ejúſque loco ſubſtituuntur, verumetiam à Luſitanis in India degentibus *Muſtardo demato*, hoc eſt, Sinapi ſylveſtre appellantur.

Pag. 864. *Pro ſeptima Tithymali ſpecie interponatur*

7. *Tithymalus Lithoſpermi majoris folio* Magnol. Append.

Plurimos producit *caules* cubitales, in quibus *folia* ſeſquiunciam longa, Lithoſpermi majoris, ſed anguſtiora, confertim naſcuntur, quæ videntur glabra, quamvis breviſſimis pilis donata ſint. *Flores* & ſemina ſunt ut in aliis ſpeciebus.

Pro octavo & nona,

8. *Tithymalus Amygdaloides ſive Characias arboreſcens floribus purpureis major.*
9. *Idem floribus flaveſcentibus minor.* Herman. Cat. Hort. Lugd. Bat.

Hos neque depingit, neque deſcribit.

16. *Tithymalus Hibernicus* Mackenboy *dictus*.

Hunc virentem mihi nondum videre licuit: in ſicco folia latiuſcula & obtuſa ſunt, non crenata; nec admodum crebra in caule, qui ſatis craſſus eſt, dodrantalis aut pedalis faſtigio in ramulos aliquot diradiato, & foliorum velut corolla cincto, ut in aliis Tithymalis.

Semina non obſervavimus.

Pag. 870. *poſt lineam quartam adde,*

Chamæſycen alteram Virginianam, foliis crenatis & maculâ fuſcâ eleganter notatis, quam exſiccatam apud *D. Plucknet* vidimus.

Pag. eadem, Speciem Tithymali 36. *P. Hermannus in Catalogo plantarum Horti Academici Lugduno-Batavii,*

Tithymalum Raguſinam flore luteo pentapetalo vocat, & ſic deſcribit.

E *Radice* lignoſa, tenui, pallida, *cauliculos* promit dodrantales, ramoſos, quaſi fruticoſos, graciles tamen, glabros, ſubrubentes, aliquando exiguis ferrugineis punctis & tuberculis aſperſos. His adſtant *folia* rara, linariæ paria, ſed triplo breviora, inſigni per longitudinem nervo inſcripta. Ramorum cymis inſident *flores*, quinque orbiculatis flaveſcentibus petalis, totidémque concoloribus *ſtaminulis*, ſingulis duobus apicibus donatis conſtructi: è quorum medio prominet *vaſculum*, parvum, trigonum, tricapſulare, ceu arenularum minutiſſimarum congeſtu, aut verrucarum inſtar aſperatum, tribus, è ſummo exeuntibus ſtaminulis bifidis. In ſingulis capſulis continetur *ſemen* rotundum, fuſcum. Exactam poſtulat culturam, inprimis hyeme, cujus rigidiores injurias minimè ſuſtinet. In noſtrate cœlo ſolóque ſemina rarò perficiens, per ramulos ſe propagari patitur. Anomala eſt planta, nec genuina Tithymali ſpecies.

Pag. 871. Tithymalus verrucoſus *J. B.* à *D. Dale* alicubi in Eſſexia aut Suffolcia inventus eſt & in hortum tranſlatus: locum non meminit.

Pag. 872. *lin.* 9. *adde,*

Tithymalus Ranunculi radice *D. Fagon.* In Cat. Hort. Reg. Pariſ. nondum editarum.

Pag. 873. *pro tertia ſpecie Euphorbii adde,*

3. *Cereus alter ſpinis crebrioribus horridus D. Watſio in horto Chelſiano cultus, anguloſior & ſpinoſior* Hermann.

4. *Ela-Calli* H. M. *P.* 2. *F.* 43. *pag.* 83.

Frutex eſt duûm hominum altitudinem ſuperans, naſcens in arenoſis. *Radix* craſſa, ſe rectà in terram demittens, ac fibras hinc indè emittens, intus lignoſa, cortice exteriùs fuſco, intus candido & lacteo. Stipes qui ex radice unus aſſurgit, rotundus, ac ambitu amplexum unius brachii implens, ut & rami, quos hinc rectos, hinc tortuoſos emittit, cortice valdè lacteo, ac in ſuperficie ſpinis, binis & binis, tranſverſis, duris & aculeatis, ac in ſpiralibus tractibus ordine ſitis in totum muniti, cum teneriores ſunt cortice viridi-fuſco, ac intus pulpa etiam albicante lactea, vetuſtiores lignoſi cortice minus viridi ſeu cinereo, & intus lignoſi. *Folia* tranſverſim, vel etiam ſurrectim prodeunt, petiolis rigidis, craſſis, brevibus, lacteis, proximè ſupra ſpinas ſtipiti vel ramis coronatim circundata, ſúntque oblonga, linguæformia craſſa, denſa, anteriùs rotunda, ſeu etiam rotundo-cuſpidata, nullis venis ſeu nervis ad viſum conſpicuis pertexta, in exteriore parte unam coſtam eminentem in medio habentia, in interiori ejus tractu ſulco ſtriata, nullis aliis nervis ad viſum conſpicuis pertexta, intùs valdè lactea, ſuperficie plana & glabra, colore cum teneriora ſunt viridi-fuſco, cùm vetuſtiora viridi-claro, ac dein flaveſcentia decidunt. Folia ſemper ex ſummitate ramorum ac ſurculorum increſcentium, qui virides ſunt, erumpunt, inferioribus deciduis, notáſque albicantes & extuberantes relinquentibus.

Flores ſimiles floribus præcedentis, ac ſupra ex nodis prorumpentes. Floribus erumpentibus folia magna ex parte decidunt, ac maximè in ſuperiori parte caulium viſuntur. Fructus cum primæ ſpeciei iidem, cum qua & unà floret.

Radicis cortex tritus & epotus in aqua in qua Oryza cocta & lota eſt, ſervit pro hydrope, éſtque medicamentum valde * lene: ejus lac cum butyro in quo decoctum eſt datum blandè & leniter purgat. *Folia* ad ignem calefacta urinam provocant; eorundem decocti fumus ſeu vapor exceptus doloribus corporis ſeu membrorum mitigandis ac depellendis confert. Succus ex foliis calefactis ſeu parum toſtis expreſſus & auribus inditus eorum dolores ſedat; idémque oculis inſtillatus eorum nubeculis tollendis confert; quin & in lotione corporis prodeſt pro pudendis tumefactis.

* *Mirum hoc cùm lacte acri & cauſtico planta turgeat.*

Not. De Euphorbii planta diſſentire video eximios Botanicos Paul. Hermannum & Joan. Commelinum. Hic diſertis verbis negat figuram Dodonæi eſſe veri Euphorbii; ille pro Euphorbio vero iterum proponit, Dodonæi & Lobelii Euphorbium. Uter rectiùs? Aſt Stapelium falſum puto cùm affirmaret Cereum Spinoſum *Ger.* non aliter differre ab Euphorbio *Dod.* quam ut adultam plantam à juvene.

Euphorbiæ cognata vel Eſulæ Indicæ Bontianæ planta Breyn. Prod.

Pag. 878. *pro quinta Rutæ ſpecie addatur,*

5. *Ruta Chalepenſis tenuifolia florum petalis villis ſcatentibus* Moriſon. hiſt. *Moriſ.*

Hæc cum præcedente in omnibus fere quadrat, niſi (quod notatu dignum) quatuor petala florum eleganti ſpectaculo, numeroſis villis ſeu pilis luteis ſcateant. Capſulas ſeminales producit tetragonas, minores, capſulis præcedentis pares, atque in ſingulis loculamentis (quæ ſunt quaterna) minutiora ſemina, anguloſa, quàm prædictarum ſpecierum cujuſvis minora.

Habetur in Horto Acad. Lugd. Bat. hujus generis foliis latis. In Catalogo quodam ad me miſſo invenio Rutæ ſpeciem arboream latifoliam dictam.

Pag. 878. *poſt nonam Plantaginis ſpeciem adde,*

10. *Plantago Myoſotis ſive trinervia hirſuta Caroliniana.* **Mouſe-ear-Plantain from** Carolina.

Ex ſeminibus è Carolina Americæ Septentrionalis provincia delatis induſtrio Hortulano D. *Derby* Hogſdeniæ propè Londinum enata eſt. *Radix* fibroſa reliquarum Plantaginum ſimilis. *Folia* tres plus minus uncias longa, unam lata ex anguſto principio ſenſim dilata aliarum more, hirſuta, tribus tantùm nervis [in plantæ ad nos tranſmiſſæ folio] per longitudinem decurrentibus. *Spicæ* brevibus & tenuibus pediculis vix unciam excedentibus hirſutis, ipſæ pariter tenues breveſque, adultæ fortè aliquanto longiores ſunt, tunc tamen proculdubio tenues & perexiguæ. Communicavit D. *Doody*.

Pag. 879. *pro* 12. *Plantaginis ſpecie adde,*

12. *Plantago Indica* C. B. *Payco herba Monard.* Cluſ. Exot.

Monard.

Herba ex Peruvia miſſa, incolis *Payco* dicta, cujus folia Plantaginis foliis formâ & colore ſunt ſimillima, reſiccatâ valdè tenuia, & guſtata impenſè acria calidáque deprehenduntur.

Ejus pulverem ex vino ſumptum nephriticum dolorem à flatibus aut frigida cauſa provenientem tollere aiunt; ipſam verò plantam coctam & emplaſtri modo dolenti loco impoſitam, eundem effectum præbere: quod veriſſimum eſſe ſe experientia didiciſſe affirmat Monardes.

Pag. 880. *lin*. 11. *adde,*

D. Edv. Hulſe in Manuſcripto quodam D *Page*, M. D. Suffolcienſis hujus herbæ pulverem adversùs morſum canis rabidi commendatum ſe inveniſſe ſcribit, ℞, inquit, Coronopi (Herbam * Stellam nonnulli vocant) quantum velis, mundatam & in clibano vel aliter leni calore exſiccatam in pulverem ſubtiliſſimum comminuas, ejúſque quantum ſolido noſtræ monetæ incumbat, plus minúſve pro ægroti ætate, in convenienti aliquo liquore ceu vehiculo propines.

* *Qu. annon Doctor iſte per errorem Seſamoides Salam. magnam* Cluſ. *quam in Suffolcia* Stellam terræ *vocant, pro Coronopo quam herbarii nonnulli* Herbam Stellam *vocant habuerit: ſiquidem Seſamoides illud adversùs morſum canis rabidi valdè celebratur.*

Pag. 887. *pro* 21. *Phaſeoli ſpecie interſeratur,*

24. *Phaſeolus Africanus hirſutus, bituminoſus, ſiliquis bullatis, flore flavo* Herman. Cat. Hort. Leyd.

Hujus ſemina (inquit) ex declivibus irriguis montis menſalis ſeu Tabulati Promontorii Bon. Sp. huc advexi. Proferebant plantam ſarmentoſam circiter trium ulnarum longitudine, more Phaſeoli hortenſis emittentem ex *radice* lignoſa, alba, fibroſa ſarmenta tenuia, terna quaternáve, valdè ramoſa, folia ſubrotunda, obtuſè mucronata, ſubhirſuta, glutinoſa, bitumen quadantenus redolentia. *Flores* Papilionaceos flavos, aliquando lineolis purpureis inſcriptos: *Semina* rotunda, nigra, parva, hilo albo exiguo, in ſiliquis parvis, tumidis, villoſis. Diligenter cuſtodita viget tota hyeme, multóſque annos durat.

Pag. 889. *poſt lin*. 21. *adde,*

Phaſeolus Braſilianus Mucuna Guacu *dictus* Piſon.

Piſo.

In tanta Piſorum Fabarúmque apud Braſilienſes varietate hæc ſpecies cæteris facilè antecellit, tum magnitudine tum pulchritudine. Creſcit ex arbore quæ ejuſdem eſt nominis. Faba hæc nigra pelle, lapidis fere duritie, pilis flavis molliter eſt veſtita, manum longa, & tres digitos lata. Vi effracta pulcherrimi globuli, interſtitiis diviſi exinde prodeunt tres quatuórve punicei & rubri coloris, rotundi, læves, magno hilo, qui ſi in aqua macerantur, vim noxiam ex parte deponunt, & cum *Tipioca de Mandihoca* præparati Barbaris edules fiunt. Itâ ut venenata earum qualitas non uſque adeò altè poſita à natura videatur quin retundi patiatur à correctorio convenienti. Quippe cùm interior fabæ ſubſtantia acris ſit & mordicans, viſcera vellicet & uſque eò turbet corpus, ut vomitus violentus & alvus moveatur, refrigerans & demulcens alimentum hoc medicamentoſum ex *Tipioca* factum cæteris Antidotis præferri ſolet.

Phaſeolus Americanus ſpinoſus folio parvo Rhomboide D. Plucknet.

Phaſeolus perennis fruticeſcens Africana ſiliquâ triangulâ erectâ Tho. Bartholin. Act. Med.

Phaſeolus alatus Indicus fructu fuſco, orbiculato maximo, lobis latiſſimis & longiſſimis, Puzwæl Zeylonenſibus Herman. Cat. Hort. Leyd.

Phaſeolus alatus arboreus, fructu orbiculato compreſſo coccineo Mandhathija ſeu Mara Zeylonenſ. Ejuſdem ibidem.

De Phaſeolis Braſilianis Cumanda *dictis.*

1. *Cumanda guacu, i. e. Fabæ magnæ* Piſon.

Pollicis ſunt craſſitie, & ſicut præſtant Europæis magnitudine, itâ etiam ſapore & ſalubritate. Inſtar funis ad arborum cacumina enituntur, eáſque Hederæ modo complectuntur.

Fabæ torrefactæ & contuſæ, cúmque ovo exhibitæ, contra fluxus ventris in uſu ſunt. Coctæ verò ad cataplaſmatis modum & ventri impoſitæ colicis doloribus medentur, ad reſolvenda quoque apoſtemata parti affectæ applicantur. *Vires.*

Plantam hanc cùm neque deſcribat, neque depingat Piſo, an ſit ex deſcriptis, an nova aliíſque indicta neſcimus.

2. *Cumanda guira* Marcgr. *Piſo.*

Marcgr.

1 Frutex eſt elegans, toto anno florens & fructifera: cortice viridi, ligno fragili; in ramis autem multos habet ramulos, ſurrectos, ſeſquidigitum longos, directe ſibi oppoſitos, ſed paria alternatim poſita; in quorum uno tria ſunt *folia* oblonga, acuminata, foliis Salviæ acutæ ſimilia, infernè albicantia, ſupernè viridiora, & ad tactum inſtar Serici lævia, conſpicuis venis prædita; in altero flores ſex, ſèptem, aut octo, lutei, Piſorum noſtratium magnitudine, foliis duobus ſurſum verſis cum ſuo involucro, & uno deorſum, quod maximum, inferiùs rubris venulis per totum inſignitum. [*Vel male deſcribit flores, vel eorum ſitus in hac ſpecie invertitur, ſunt autem proculdubio tetrapetali & papilionacei*] Floribus ſuccedunt *ſiliquæ* compreſſæ & quaſi contortæ, quarum quælibet continet quatuor grana Phaſeoli, alba, noſtris Piſis paulò minora, quæ cocta bene ſapiunt, & alvum laxant; ideóque Braſilienſibus atque etiam Luſitanis in frequenti ſunt uſu.

Florent ac fructus ferunt toto anno.

3. *Cumandæ* ſimpliciter dictæ non videntur differre à Phaſeolis vulgaribus.

4. *Comanda-miri,* i. e. Fabæ parvæ, ſunt Piſa Europæis magnitudine paria, ſed oblonga & non rotunda, albi quoque & leucophæi coloris. An Phaſeolus tumidus minimus niveus *J. B.*?

5. Phaſeolus elegans, *Guandu* dictus, Turcicorum modo ſcandit, iiſdémque eſt foliis & floribus, ſed multò minoribus. Jucundè ſemper viret, perpetuiſque copulatis ſiliquis parvis decoratur: ità ut ob ornatum æquè ac uſum ſativa facta ſit planta.

Hoc genus Phaſeoli adeò expetiti ſunt præ cæteris, ut non minùs ægris quàm ſanis conducant.

6. *Garumbeè* dictæ Turcicis Phaſeolis aliquanto ſunt majores, coloris nigerrimi & optimi ſaporis, ſed minùs frequentes præcedentibus.

In Horto Reverendiſſimi Domini Epiſcopi Londinenſis Phaſeoli ſpeciem vidimus foliis parvis, mollibus lanuginoſis & ferè incanis, brevioribus & rotundioribus quàm cujus aliis Phaſeoli nobis hactenus viſi, ſiliquis piloſis, ſemine nigro ſplendente. Eandem hanc putamus Phaſeolo Africano hirſuto bituminoſo, ſiliquis bullatis flore flavo *D. Hermanni* ſuperiùs deſcripto. Folia utique tam formâ quàm odore ad Trifol. Phaſeolus Horti Francofurtenſis folio ſubrotundo apud *D. Plucknet* viſus neſcio an idem fuerit præcedentium alicui.

Aliam etiam ſpeciem habemus ex eodem horto à *D. Doody* tranſmiſſam foliis magnis glabris, in longos mucrones productis, an deſcriptum neſcimus, nec enim flores, nec fructum vidimus.

Phaſeolus Indicus cochleato flore Triumfetti. *Americanus perennis flore cochleato odorato, ſeminibus fuſcis orbiculatis, Caracalla dictus* Hermann. Cat. Leyd. *Phaſeol. calyce cochleato* D. T. Robinſon.

Triumf.

Innititur *radici* inſigniter craſſæ, & ad palmi circiter longitudinem tuberoſæ, quæ præterquam quòd in alias minores adnatas multiplicetur, ſenſim etiam imminuitur, hoc pacto multùm ſimilis radici balani myrepſicæ *Aldini,* omnéſque tandem in fibras non omnino rectas abſumuntur. Porro hujuſmodi radicum ſubſtantia carnoſa & albicans eſt, odorem oleraceum referens, exteriúſque obducitur tenui rufeſcente membrana, nec fibroſis propaginibus, in ſummo præſertim ubi caulis erumpit, deſtituitur. *Caulis* verò ſarmentoſus utique ac lentus digitalem ferè craſſitiem, potiſſimùm in ſenioribus, acquirit, infirmus, ſaturatè purpureus. Circumvolvendo ſe ſcandens ad 30 uſque cubitorum altitudinem una æſtate, in minores alios ſimiliter ſcandentes diviſus & ſubdiviſus, ſummitatibus ſubviridibus & herbaceis. *Folia* vulgarium Phaſeolorum foliis adamuſſim reſpondent, niſi quòd minùs craſſa, duriora tamen exiſtant, viciæ ſapore, odore nullo, pediculis ſemipalmaribus raro intervallo cauliculis inordinatè inhærentia. E quorum ſinubus inclinante æſtate prodeunt palmares cauliculi, teretes, fractu contumaces, nitidè virentes, rectà ſurſum ſpectantes, ac argenteis globulis velut margaritis copioſè onuſti, qui magis intumeſcentes circa Autumni initia ſic in ſpiralem formam aliquatenus turgidam elongantur, ut cochleam ſuo putamine exutam egregiè repræſentent, colore priùs nitidè candido janthino, ſuavíque purpura, præcipuè circa ſpirarum centra perfuſo. Hæc autem florum ſunt rudimenta. *Flos* ipſe ex argenteo calyce (quem ſuſtinet nitidè virens petiolus) cytinum Mali Punici quoad formam referente, breviore tamen, pandit exteriùs quoddam petalum, unciali latitudine, at longitudine majori in tres ſpiras circumvolutum, intus ac foris dilutiore ærugineo colore infectum, quà tamen calyci inſeritur aliquid ſplendentis purpuræ admixtum habens. E medio intra ſpiras exeunt bina breviora & anguſtiora petala, ibique ſimul veluti coeunt, exteriùs intenſiſſimè, intus dilutè violacea, propè centrum tamen fulva remanente portione. Inter hæc duo petala tertium breviſſimum (nec primo intuitu ſatis apparens) excipitur clypeiforme, coloris albi impurioris, quod ſui extremo in tubulum arctatur argenteum, in crebros annulos circinatum, ſi tamen extendatur petalis duplo longiorem: denique in hujuſce poſterioris petali ſinu quarta occluditur membranula potiùs quàm petalum, brevior, argentea, ovalis, anguſtiſſima, in fibram pariter fiſtuloſam ac priori incluſam degenerans. Sub his omnibus petalis parva fovetur *ſiliqua,* in fibram pariter deſinens, ac ſui extremitate villoſa. Marceſcentibus petalis *ſiliqua* aliquantulum curva ad quatuor uncias elongatur, mediocriter tamen craſſa ac rotunda, colore viridi, in qua perfectum *ſemen* ad Lentis magnitudinem paulò majorem accedit, minùs tamen ſphæricum, at rectâ in ſummo donatum lineâ coloris ad rufum tendentis.

Planta eſt perennis, è Luſitania in Italiam invecta. E qua Indorum regione Luſitani hanc comparaverint nos latet. Flos odoratus eſt, at ſub hoc cœlo brevi admodum incorruptus ſervatur, & pro maxima parte ſemen poſt ſe non relinquit.

Pag. 894. *Ad finem paginæ adde,*
Piſa nana rotunda, ſine adminiculis recta Herman. Cat. Hort. Reg. Pariſ.

Pag. 898. *Ad finem Capitis* IV. *adde*
In Catalogo Hort. Acad. Lugd. Bat. à D. Hermanno edito tres ſequentes ſpecies occurrunt, quæ an aliquibus ex ſupraſcriptis eædem ſunt, an novæ & nondum deſcriptæ, me latet,

1. *Lathyrus Narbonenſi ſimilis annuus.*

2. *Lath. annuus flore cæruleo, Ochri ſiliquis.*

3. *Lathyrus Hiſpanicus flore luteo.*

In Jacobi Breynii Prodr. habentur,

1. *Lathyrus Zeylanicus, flore pulchro rubro, ſiliquis Piſi.*

2. *Lath. Syriacus minimus, ſiliquis Viciæ.*

Pag. 899. *Ad Cap.* VI. *adjiciatur,*
Lathyrus Ochrus dicta fructu hiſpido ex cæruleo nigricante, ſemine pullo Hort. Reg. Pariſ. Herman. Cat. Leyd.

Pag. 903. *Viciæ multifloræ ſpeciebus adde ſequentes,*
1. *Vicia multiflora Caſſubica fruteſcens, Lentis ſiliquâ* Breyn. Prodr
Breyn.
Caulem habet lignoſum, erectum, foliis Viciæ firmioribus, levitérque incanis veſtitum: *Flores* ſpicatos, ex rubro purpuraſcentes: quibus ſuccedunt *ſiliquæ* deorſum reclinatæ, Lentis majoris effigie, *ſemina* verò rotundiora continentes. Ad Sylvarum nonnullarum Caſſubiæ margines abundè provenit.

2. *Vicia multiflora perennis majori flore ex cæruleo & albo mixto* Magnol. App. *An Vic. noſtra multiflora Meſſanenſ.?*
Magnol.
Caules habet cubitales; plurima *folia* longa, anguſta, in acumen deſinentia, villoſa, ex articulis naſcentia; pediculos palmares & bipalmares, florum Papilionaceorum ſpicam ſuſtinentes, octo vel decem numero, qui majores ſunt quàm in aliis Viciarum ſpeciebus à nobis viſis. Pars floris ſuperior eſt cæruleo-violacea, inferior alba, ità ut ex cæruleo & albo ſit mixta. *Siliquæ* latæ ſunt; *ſemen* maturum non vidimus: Radix ſerpit. In devexis herbidis montis *Serane* oritur, & Julio menſe floret. Si hæc ſit (inquit) Vicia Onobrychidis flore *C. B. Prod.* ejus deſcriptio valdè manca eſt.

Vicia multiflora ſpicata cærulea annua procumbens Moriſon. hiſt.

Hæc ſola partium tenuitate & duratione à vulgari Vicia multiflora perenni differt.
His ſubjungantur,

Vicia Benghalenſis hirſuta & incana, ſiliquis Piſi Herman. Cat. Hort. Leyd.
Herman.
Ob elegantem florum purpuram inter hortenſes ornatus recepta eſt exotica hæc vicia, conſtans *radice* fibroſa, alba, *cauliculis* bicubitalibus aut tricubitalibus, ramoſis, viticuloſis, angularibus, ſtriatis; è quorum geniculis prodit coſta in tortilem capreolum deſinens, cui à dextris & ſiniſtris adhærent *folia*, cæteris viciis longiora, ſubincana, parte averſa modicè piloſa. Ad coſtarum ſinus oritur pediculus digitalis, ſuſtinens aliquot *flores* Papilionaceos, oblongos, puniceos, extremis oris nigriori purpura ſplendentibus. Hos excipiunt *ſiliquæ* Piſis ſimiles, aſt breviores, & compreſſæ, undique ſericeis incanis pilis obductæ, continentes *ſemina* ſubrotunda, nigro-fuſca, granis Piperis paulò minora.
Paſſim provenit in tractu Benghalenſi.

Vicia minima radice granuloſa Breyn. Cat. hort. Amſtel. Comelin. Catal. Herm. Cat. Hort. Leyd.
Aſteriſcus præfixus Belgiæ indigenam eſſe indicat.
Oſtendit nobis *D. Pettiver* raræ cujuſdam plantæ leguminoſæ erectæ ramulum, è China, ut puto, acceptum. Totus hirſutus erat præcipuè caulis. *Folia* binis pinnarum conjugationibus & impari in extremo folio conſtabant; erant ea ovata fere, extremis ſubrotundis. Spicæ florum longæ ex alis foliorum exeunt ferrugineâ lanugine hirſutæ, præſertim floſculorum calyces, qui profundè in lacinias quinque diſſecti, ſurculo abſque pediculis adnati videntur, cùm aperiuntur floſculi deorſum nutantes. *Floſculi* quidem parvi ſunt, cujus autem coloris in ſicca diſcernere non licuit. Siliquas & ſemina non vidimus.

Pag. 911. *Ad finem* Cap. IV. *de Glycyrriza addatur,*
Ibiraeem ſive Liquiritia ſylveſtris Piſon.

Familiariſſima (inquit) illa radix, quæ Braſilianis *Ibiraeem* (quod dulcedinem exprimit, Luſitanis *Alcaen* dicitur, eadem planè habetur quæ Liquiritiæ nomen à Latinis accepit. Majoris fruticis eſt altitudine, *caule* lignoſo, foliis Pyri ſimilibus. Locis aridioribus creſcit in ſylvis Parnambuci. Glycyrhizæ, non æquè tamen dulcis ſi maſticetur radix.

Pag. 912. N. Piſo *ſecundam* habet Paiomiriobæ ſpeciem, quæ à præcedenti ſeu prima ſpecie differt foliorum figura ovali, ſeminéque rotundo, nigro minuto & multo. Utræ Senæ ſpecies ſunt non Orobi, ideoque hinc ad Senam transferendæ.

Pag. 915. *Speciebus Orobi adde,*
Orobum Americanum luteum, ſiliquis incanis Breyn. Prod.

Pag. 917. *Ad finem Capitis* II. *de Orobo ſylvatico adjiciatur, vel ſi mavis pro ſecunda Orobi ſpecie interponatur,*

A. *Orobus ſylvaticus noſtras* Cat. Ang.

Radice nititur craſſa, lignoſa, perpetua, unde *caules* exoriuntur numeroſi, pedales aut cubitales, terram versùs reclinati, hirſuti, ſtriati, ramoſi. *Folia* Viciæ vulgaris minora, conjugatim ad eandem coſtam adnexa, ad ſeptem aut octo paria, nullo in extrema coſta neque impari folio, neque clavicula. *Flores* ſex aut ſeptem in eodem ſurculo ſeu communi pediculo, è foliorum ſinu egreſſo, conferti, ut in Lathyro luteo dumetorum, purpurei. *Siliquæ* breves, latæ, glabræ, duo vel tria, rariùs plura *ſemina* continentes.

Locus. Ad ſepes & in paſcuis circa *Bigglesby* Cumberlandiæ vicum, itinere à *Hexham* ad *Pereth* oppidum obſervavimus copioſam. Tho. Williſell infra montem *Brecknock* eundo ad *Caerdiff* Walliæ urbem: item in Comitatu Merionethenſi non procul à *Bala* oppido prope vicum quendam in deſcenſu montis Denbighenſis. D. Sutherland in Scotia invenit.

Pag. 927. *Poſt Cap.* I. *de Nil ſeu Indico interponatur pro Cap.* II.

Polygala Indica minor ſiliquis recurvis D. Syen *i. e. Colinil* H. M.

H. M.

E *radice* intus albicante lignoſa, cortice albicante aut ruffo tecta amara & ſubacri, inodora *caulem* erigit bipedalem aut tripedalem, quatuor digitos craſſum, ramos tranſverſos fundentem, ligno duro, cortice ſubcinerea cruſta viridi, amaro & mordaci. *Folia* alata ſeu pinnata, pinnulis coſtæ anguloſæ, tenui, viridi petiolis parvis hinc inde annexis parvis oblongo rotundis, à petiolo ſenſim dilatatis & extremis ſubrotundis, ſuperne viridia, ſubtus hyalina ſeu ex viridi ſubcœrulea, ſaporis ſubacris & ſubamari, ac languidi ardoris diutiùs maſticata. *Flores* parvi, papilionacei, imo petalo ungulæ-formi, clauſo ac multum inflexo, viridi-albicante, duobus lateralibus anguſtioribus ſaturo ac roſaceo rubore perfuſis, ſuperiore lato & reflexo. Floribus delapſis ſuccedunt *ſiliquæ*, anguſtæ, tenues, planæ & ad unam partem nonnihil inflexæ, duos tréſve pollices longæ glabræ, primùm virides, deinde rubro fuſceſcentes. *Semina* ſeu Fabæ quæ intus ſunt à ſe mutuò per ipſam carnem ſiliquæ ſejunctæ, oblongo-rotundæ, planæ, cum ſua longitudine jacentes in longitudine ſiliquarum, cum umbilico ventri ſiliquarum affixæ, primùm virides, dein nigricantes. Bis in anno fert *flores* & *fructus*, tempore pluvioſo & æſtivo. Præter ſiliquas fructus nothi virides tenuiter piloſi ac durioli ſurculis ſæpe inſidere conſpiciuntur, qui in vertice ſunt foramine pertuſi & intus cavi. *Hi nihil aliud ſunt quàm tumores & excreſcentiæ ab inſectis pungentibus excitatæ, ut hoſpitium & alimentum eorum fœtibus ſuppeditent.*

Vires. Succus è planta extractus addito momento mellis ſervit pro oris puſtulis, ore eo perunсto. *Radix*, trita & decocta in lacte *Coqui Indici* conducit in morbo ſacro, facta perunctione.

Pag. 936. *Poſt quintam Aſtragali ſpeciem interſeratur*
Aſtragalus Canadenſis flore viridi flaveſcente Dodart. Mem.

Dodart.

Radice eſt alba, minimi digiti craſſitudine, in plures radiculas diviſa, ſapore initio dulci, paulo poſt ſubacri, & ad Raphani ſaporem tendente. *Caules* emittit 4 vel 5, bipedales & interdum altiores, teretes, leviter ſtriatos, nodoſos, inferiùs rubentes ut & circa nodos, quorum unuſquiſque alternatim producit alam folioſam è pluribus foliorum conjugationibus compoſitam. Ex alarum ſinubus emergunt ramuli nodoſi pariter & folioſi ad modum caulis. Summos caules & ramulos occupant Spicæ è pluribus *floribus* leguminoſis è viridi flavicantibus compoſitæ, aliorum Aſtragalorum ſimilibus. Floribus præteritis efformantur *ſiliquæ* plures, dimidium circiter pollicem longæ, glabræ, brunneæ. Unaquæque ſiliqua intus ſecundùm longitudinem tenui membrana in duas cellulas diviſa eſt, *ſeminibúſque* parvis, xerampelinis, planis, glabris, reniformibus, aliorum Aſtragalorum ſimilibus repleta. Julio floret, Hyeme perit. Frigoris minùs patiens eſt.

Pag. 940. *lin.* 24. Plantam à *D. Sloane* ad me tranſmiſſam pro *Glauce Hiſpanica* Cluſii eam eſſe puto quam P. Hermannus in *Cat. Hort. Lugd. Bat.* deſcribit & depingit pro Aſtragalo Hiſpanico, ſiliqua Epiglottidi ſimili flore purpureo majori Tournefortii: quam veram Cluſii Glaucem eſſe aſſerere non auſim, uti nec negare: nonnulla tamen ſunt quæ diverſam arguunt, ut quòd florum ſpicæ in hac ſpecie non extremis cauliculorum faſtigiis innaſcuntur, ſed è foliorum ſinubus exeunt, quódque paucioribus componuntur floribus. Qui ergo receptæ ſententiæ adhæret, & plantam præcedentem pro Glauce Hiſpanica Cluſii habet, me volente id faciet.

Planta ſequens, *Glaux Catalonica* dicta, eadem videtur Aſtragalo Hiſpanico, ſiliqua epiglottidi ſimili, flore albo, minori Tournefortii *Herman. Cat. Hort. Lugd. Bat.* Harum deſcriptiones vide l. c.

Pag. 943. *Poſt lin.* 32. *pro nona ſpecie Trifolii pratenſis & montani adde*
9. *Trifolium Norwegicum majus foliis crenatis, flore luteo non deſcript.* Bartholin. Act. Med.

Pag. 948. Trifolio Lagopus dicto tertio ſeu Ebeno Creticæ Alpini, addantur Synonyma ſequentia, Cytiſus incanus Creticus *C. B.* Cytiſi genus miſſum nomine Ebeni ſecundi floribus purpureis *J. B.* Cytiſus Creticus incanus ſeu Ebenus Cretica Belli & Ponæ *Park.*

Pag. 952. *Poſt decimam Meliloti ſpeciem interſeratur,*
Melilotus Luſitanica rotundo crenato folio procumbens, corniculis reflexis longis, ex eodem centro ortis Herman. App.

Pag. 954. *Pro tertia Fœnugræci ſpecie interſeratur,*
3. *Fœnum Græcum ſylveſtre minus Arabicum* Herman. Cat. Hort. Leyd.

Exilitate partium à ſuperiore differt.

Pag. 958. *Pro ſeptima Anonidis ſpecie interponatur,*
Anonis non ſpinoſa procumbens Luſitanica flore purp. ſpicato Breyn. Prodr.

Pag. 960. *Poſt penultimam Anonidis ſpeciem adde,*
Anonis arboreſcens flore rubello in Hiſt. Plant. Belgic. Ab Muntingii *lib.* 3. *cap.* 337. depicta & deſcripta accedere videtur ad præcedentem Cicer ſylveſtre perenne dictam, fortè eadem eſt, folia vix crenatâ pinguntur.

Eadem pag. Anonidibus ſubnectantur Plantæ *Crotalariæ* dictæ, quòd in India Crepitaculorum uſum pueris præbent eorum ramuli ſiliquis maturis onuſti. Harum quinque ſpecies in Horto Lugduno-Batavo enutritas deſcribit inſignis Botanicus D. Paulus Hermannus in Catalogo plantarum Horti Academici Lugduno-Batavi.

1. *Crotalaria Aſiatica fruteſcens, trifolia, floribus luteis amplis* Herman. *Laburnum Zeylanicum floribus ex luteo & rubro variegatis, ſiliquis bullatis* Breyn. Prod. *Cytiſus Zeylanicus foliis Laburni* Amman.

In *caulem* fruteſcit bipedalem, glaucum, craſſitie digiti, varios ad latera ſpargentem ramos. *Folia* concoloria, glabra, terna ab uno digitali petiolo, in obtuſum mucronem graciteſcunt, Anagyridi proxima. Caulium ſpicæ ornantur *floribus* luteis papilionaceis, Anagyridi pariter ſimilibus, ſingulis ex calyce quinquefariàm ſecto longis gracilibus petiolis dependentibus. Hos *ſiliquæ* excipiunt bivalves, teretes, membranaceæ, rigidæ, glabræ, ex baſi anguſtiore in ampliorem quaſi ampullam, cum longiore protenſo filamento caudæ inſtar terminantes, ſiliquis Anonidis ſimiles, ſed longiores & ampliores, quæ includunt *ſemina* parva, compreſſa, flava, renalia, breviſſimis tremulis petiolis affixa, facie & ſapore Geniſtæ æmula. *Radix* ſubeſt lignoſa albicans, in aliquot ramos & paucas fibras diducta, vivax ad tertium, quartúmve annum.

Spontanea reperitur in ſylvis *Malabar*, *Zeylan*, aliarúmque Orientalis Indiæ regionum. **Locus.**

Hactenus nonniſi ſeminibus propagari potuit. Semina apud Indos in uſu non ſunt: ſuſpicionem tamen præbent Salis purgantis, quòd ſtatim ac ex infuſo aquæ calidæ ſumpta ſunt vomitum minentur.

2. *Crotalaria Aſiatica trifolia ſubhirſuta* Herman. Append.

Præcedenti non multùm diſſimilis eſt, aſt tota ſubhirſuta, & quoad omnes partes minor & tenerior. *Caules* fert herbaceos, quorum cacumina, *flores* & *ſiliquæ* ſtrictiùs ambiunt, facie Crotalariæ ſecundæ & tertiæ. Hanc in Append. pro quinta ſpecie Crotalariæ proponit Hermannus.

3. *Crotalaria Aſiatica, folio ſingulari, verrucoſo, floribus cæruleis* ejuſdem. *Herman.*

E *radice* albente, partim lignoſa, raris fibris conſperſa, annuatim pereunte *caulem* tollit herbaceum, cubitalem, aliquando altiorem, nodoſum, anguloſum, in progreſſu quadrangulum, & propemodum alatum, frequentibus ramis in orbem diſpoſitis ornatum, quibus per uncialia intervalla breviſſimis petiolis adhærent *folia*, ſemidigitum longa, duos ungues lata, in ſummo obtuſa, parte ſuperna dilutè viridia, inferna ex viridi candicantia, nervoſa, modò pro ſoli & climatis ingenio glabra, modò verrucoſa & ad margines undulata. Ramorum apices faſtigiantur in ſpicam, quam ambiunt *flores* papilionacei, ſuperiori multo minores, coloris cœrulei, vel in cœruleo palleſcentis, numero quinque aut ſeptem, non raro etiam triginta uni ſpicæ adhærentes, qui ex parvis quinquefoliis in tenuiſſimis tremulis petiolis nolæ inſtar dependent. His defluxis ſuccedunt *ſiliquæ* præcedenti conſimiles, aſt nigricantes, minùs glabræ, ſed rarioribus pilis obſitæ cum filamento ad extremum breviori, claudentes *ſemina* velut in priore, cum quo & iiſdem natalibus perficiuntur. Foliorum ſapor eſt oleraceus, ſeminum verò ſubacris & ingratus, quidpiam cathartici portendens.

4. *Crotalaria Aſiatica floribus luteis, folio ſingulari cordiformi* ejuſdem.
Herman.

Pares cum ſuperioribus agnoſcit natales, faciem, creſcendi modum & vires. Aſt foliis omnino glabris ex baſi anguſta ſenſim in latiorem, obtuſam & cordiformem aciem deſinentibus, & ſex ſeptémve per tranſverſum nervis inſcriptis; floribus flavis, & ſeminibus in ſiliquis glabris ritu congenerum.

5. *Crotalaria Americana hirſuta minor, herbacea, caule ad ſummum ſagittato* ejuſdem.

E *radice* pallida fibroſâ *cauliculum* emittit gracilem, nunc ſimplicem, nunc multiplicem, ramoſum, ſpithamiæum, hirſutum, ad radicem rotundum, in progreſſu verò propè ſingulorum foliorum exortus alatum quaſique fimbriatum, alis faciem ſagittæ, ut in Chamægeniſta peregrina Cluſii, exprimentibus. *Folia* cæteris ſpeciebus minora, unguem lata, leviter mucronata, hirſuta, craſſiuſcula, pallidè virentia, cauli ſine pediculo preſſiùs adhærent. *Flores* ex ſpica propendent, papilionacei, dilutè flaveſcentes ſubhirſuti, Cytiſi floribus haud majores, quos ſequuntur *ſemina* reniformia, in *ſiliquis* bullatis, parvis hirſutis.

Pag. 967. *Pro Synon. tertiæ ſpeciei addatur, An Lotus tetragonolobus maritimus flore luteo Danicus, prope Cruciſoram naſcens* Bartholin?

Pag. 971. *Ad finem Capitis de Loto adde,*
Lotus incana procumbens quaternis ſiliquis cruciatim diſpoſitis.
Item,
Lotus parva hirſuta foliis acutis flore luteo. An Trifolium argentatum flore luteo?
Quas apud D. Plucknet *exſiccatas vidimus, ut & Lotum aſperiorem fruticoſam Africanam, foliis incanis, floribus binis amplis coccineis.*
Loto Affinis Coryli folio Icon. Robert. Dodart.

Pag. 973. *Ad finem Cap. de Cytiſo addatur,*
Cytiſus flore primùm incarnato, poſtmodum rubello Herman. Cat.
Herman.

Pedali, nonnunquam cubitali, aſſurgit altitudine, *virgis* gracilibus, lignoſis, *foliis* glabris, ternis in brevi pediculo, *floribus* in ſpica coacervatis, papilionaceis, ab exortu candidis, poſt incarnatis, gratè rubellis, ſiliquis & ſeminibus ut in Cytiſo glabro nigricante *C. B.*

Pag. 974. *Poſt Fumariæ primam ſpeciem adde pro ſecunda,*
Fumaria amplexicaulis veſicaria Bartholin. Act. Med.

Pag. 977. *lin.* 9. *add.* *Fumaria Canadenſis radice tuberoſa ſquamata* Dodart. Mem.

Pag. 980. *Poſt quintam ſpeciem Æſchynomenes interſeratur pro ſexta,*
6. *Herba caſta Americana ſupina, veluti ſpinulis exaſperata, foliolis Acaciæ latioribus & brevioribus* Breyn. Prod.

N. Folia Herbæ vivæ in pulverem redacta, & exigua quantitate aliquoties exhibita clam exitium hominibus inferunt, pecoribus alimentalia exiſtunt, idque præſertim de prima ſpecie dictum vult *Gul. Piſo.*

Radices ejus non minùs tutum præſtant Antidotum quàm *folia*, pernicioſo turgent veneno, ſi multum & ſæpe in uſum adhibeantur. Providi autem eſt medici in hoc & ſimili caſu præter ſpecifica ad generalia quoque confugere Alexipharmaca, ſive exotica, ſive domeſtica. *Nobis ſuſpecta ſunt quæ habet tum de lethifera foliorum vi, tum de ſalutari radicis. Nec enim videtur veriſimile pecoribus alimentalia eſſe quæ hominibus extioſa ſunt; aut radicem ejus plantæ alexipharmacum eſſe poſſe cujus folia venenata. Quin & ipſe Piſo radici ſoli non fidendum monet, ſed ad generalia confugiendum.*

Pag. 983. *Ad finem Paginæ adde,*
Herba viva foliis & floribus longis pediculis, uni thyrſo inſidentibus Amboniea Rumphii, Ephem. Germ. *An.* 11. *Obſ.* 32. *Herba ſentiens & pudica* Bontii *p.* 120. *Figura utrobique eadem. Bontii deſcriptio nihil valet: Icon autem longè diverſam plantam oſtendit ab omnibus à Marcgravio, Breynio, Zanonio deſcriptis.*
Item.
Æſchynomene foliis minimis à D. Plucknet *nobis oſtenſa in horto ſuo ſicco.*

Pag. 995. Lychnis major noctiflora Dubrenſis dicta proximè accedit ad Lychnidem viſcoſam quintam noſtram, id eſt montanam viſcoſam albam latifoliam *C. B.* ut eandem ſuſpicer. *D. Newton* qui utramque contulit inter ſe, diverſam affirmat.

Notandum etiam *D. Dale* Lychnidem præcedentem noctifloram in Anglia ſpontaneam inveniſſe.

Pag. 996. *lin.* 10. Botanici Londinenſes affirmant *Lychnidem ſylv. albam reflexâ ſpicâ* Magnoli in Botan. Monſpel. eandem plantam eſſe cum ſequenti ſeu *Lychnide flore albo minimo noſtrate.* Nos tamen nullam in ſpica noſtratis reflexionem hactenus vidimus: at neque florum petala profundè bifida ſunt in noſtrate, imo vix omnino fiſſa; adeóque parva, ut eorum incurvatio vix ſit obſervabilis. Oportet ergo ut locus in hac planta inſignem varietatem efficiat. Sive eadem ſit ſive minùs, Lychnis certè flore albo minimo nobis dicta Angliæ indigena eſt, à *D. Dent* in agro Cantabrigienſi dudum obſervata, & ad nos tranſmiſſa, quam * Lychnidem ſylv. annuam anguſtifoliam flore purpuraſcente denominavimus, & per errorem pro Lychnide ſylveſtri annua flore minore carneo Moriſoni habuimus. Nuper etiam in vicinia noſtra inter ſegetes eandem invenit *D. Dale*.

* *In Cat. plantarum Angliæ.*

Hæc planta adeò ſimilis eſt decimæ nonæ ſpeciei ſeu *Lychnidi hirſutæ flore eleganter variegato*, ut floribus exceptis vix poſſint internoſci. Et quod ad Lychnidem illam decimam nonam attinet, vix poſſum mihi perſuadere eam ſpecie convenire cum Lychnide hirta minima ſexta Cluſii, & floris duntaxat colore variare; ſiquidem non colore tantùm ſed etiam formâ florum differunt; cùm Lychnidis hirtæ 6. *Cluſ.* petala inciſis marginibus pingantur, hujus autem integra & ſubrotunda ſunt. Ex ſemine deciduo ſe renovans in hortulo noſtro nondum produxit plantas vel floris figurâ vel colore à matre diverſas.

Pag. 998. *Hiſtoriæ Lychnidis maritimæ repentis adde,*
Hanc plantam à D. *Sam. Dale* in Horto cultam ſuperiore æſtate diligentiùs obſervavi & cum Lychnide Behen albo collatam ſpecie diverſam eſſe deprehendi.

Eadem pag. lin. 23. *Adde,* Alias adhuc ſeu ſpecies ſeu varietates Lychnidis ſylv. ſeu Ben albi vide in Catalogo Hort. Lugd. Bat. à *D. Hermanno* edito.

Pag. 999. *lin.* 24. Scribit D. Hermannus in *Cat. Hort. Leyd.* ſe in Promontorio Bonæ ſpei collegiſſe Lychnidem ſegetum Nigellaſtrum minus glabrum dictam, &c. ejuſque ſemina ad D. Moriſonum tranſmiſiſſe.

Pag. 1000. *Poſt Lychnidem plumariam ſylveſtrem ſimplicem adde*
Lychnidem Caryophylleum Virginianum, Gentianæ foliis glabris, quatuor ex ſingulis geniculis caulem amplexantibus flore amplo fimbriato, quam inter ſiccas *D. Plucknet* vidimus.

Pag. 1002. *Ad ſpeciei nonæ ſeu Lychnidis viſcoſæ flore muſcoſo hiſtoriam adde,*
Hæc herba vulgo Suffolcienſi *Stella terræ* dicitur, éſtque in magna exiſtimatione ad morſum Canis rabidi. Grayus in libro ſuo de Equorum cura & medicina [Hippiatrice] cap. 5. Sect. 9. adverſùs malum prædictum eam ſic præſcribit. Herbam integram unà cum radicibus diligenter mundatam, elotam, & probè contuſam in lacte, cereviſia, ala, aut vino albo Equo à cane rabido commorſo exhibe, tribus matutinis ſucceſſivis, prima vice tres herbas integras cum radicibus ſcilicet & tota ſuperficie præbendo, ſecunda quinque, tertia ſeptem, videndo ſemper ut Equus omnes partes ſumat & deglutiat. Quæ ſi obſerves, Equus haud dubiè ſanabitur, & ab omni Hydrophobiæ periculo liberabitur. At nec equos ſolùm, ſed & omnia alia animalia & hominem etiam ipſum curat hoc medicamentum. Generoſi cujuſdam (inquit Grayus) mihi familiaris filius à cane rabido infeliciter demorſus, licet eouſque vis morbi progreſſa eſſet, ut capite affecto delirare inciperet, hujus medicamenti uſu perfectè ſanatus eſt & etiamnum poſt multos annos ſanus perſiſtit. Habui ab amiciſſimo viro eodémque ingenio & eruditione præſtanti *D. Edwardo Hulſe*. Poteſt etiam herba cum butyro recenti contuſa & in pilulas efformata exhiberi pari effectu.

In his numerorum imparium obſervationibus aliquid ſuperſtitioſi ineſſe mihi videtur, ut & in integræ plantæ nullâ parte omiſſâ ſumptione. De medicamenti autem efficacia minimè dubito. Vide plura in Philoſoph. Tranſact. N. 187.

Pag. 1005. *Poſt Ledi Alpini ſecundam ſpeciem addatur pro tertia*
Ciſtus Indicus Ledi Alpini foliis & floribus amplis Herman. Cat. *Chamærhododendron exoticum ampliſſimis floribus Liliaceis* Breyn. Prod.
Herm.
Fruticat duorum cubitorum altitudine, trunco pollicem craſſo, cortice ſcabro, inæquali, ex fuſco cinereo; Ligno duro, ſolido, palleſcente; Ramis brevibus, contortis, inordinatis, circa faſtigia foliis Balſamo Alpino non diſparibus, ſed rigidioribus & villoſis denſiſſima ſerie perpetuóque virore refertis. Intra hæc prodeunt *flores*, quodammodo Liliacei, monopetali, quinquepartiti, ſtructurâ Balſami Alpini, amplitudine Narciſſi Gareti, colore fulgentis dilutioris Cocci. Julio verò & Auguſto tantâ ubertate luxuriant, ut ſuperiorem fruticis partem quaſi elegantiſſima coccinea veſte videantur cooperire. His niſi odor deeſſet, diceres naturam nihil amabilius, nihílque admirabilius unquam produxiſſe. Attamen odoris deſiderium rependere videtur florum congeries numeroſa, amœniſſima Liliacea ſtructura, & vivacitas exquiſitiſſimi coloris. Cæterùm ex ſingulis floribus ſeſe exſerunt quaterna apiculata *ſtamina*, incurvata, pallidè coccinea, unico intermedio longiori inſidente futuri fructûs rudimento. His unà cum flore defluxis perficiuntur in parvis, oblongis, villoſis, quinquifidis utriculis conceptacula villoſa veluti in Ledo Alpino, quinque intus carinulas habentia, in quibus *ſemina* exigua flaveſcentia. Quo contumacius eſt Balſamum Alpinum locis mitioribus, in quibus vivere refragatur, tantò ſequacior eſt hic Ciſtus, qui hortenſem culturam admittit. Facultate ad congeneres Ciſtos accedere putamus, ex adſtringente guſtu quem cum illis habet communem.

Pag. 1013. *lin.* 4. D. Magnol in Appendice ad Botan. Monſp. quæ de identitate utriuſque Tuberariæ Myconi habet revocat, majorémq; à minore diverſam eſſe agnoſcit; ſéque majorem inveniſſe Maio menſe florentem in incultis locis circa *Vauvert* pagum refert. Radix utique vivax plura capitula cum foliis hirſutis producit, quæ caule glabra ſunt.

Pag. 1015. *lin.* 29. *Adde,* Chamæciſtum quendam montanum quem Polii folio vocat invenit *D. Plucknet* in montibus *Brent-Downs* dictis, in Somerſetenſi Com.

Pag. 1016. *Pro duodecima Helianthemi ſpecie addatur,*
12. *Ciſtus humilis Aizoides maritimus Africanus flore rubello* Herman. Cat. Hort. Leyd.
Herman.

Radice nititur parva, ex ruffo albeſcente; *Caule* concolori, dodrantali, rotundo, nunc bifido, nunc quadrifido; *Foliis* teretibus glabris, Sedo minori luteo acutifolio æmulis, ſed craſſioribus & quadruplo longioribus. Inter hæc erigitur pediculus gracilis, tenuis, nudus, ſubrubens, ſemipalmaris, circa faſtigium in aliquot ramulos tenuiſſimos divaricatus, ſuſtinentes *florem* pentapetalum, parvulum, rubellum, fugacem, qui ad Solem Meridianum expanditur, hoc verò recedente clauditur, vel omnino marceſcit, relinquens conceptaculum rotundum, trigonum, in terna foliola carinata diſſiliens, fundénſq; *ſemina* exigua, compreſſa, nigra. Frequens occurrit maritimis locis ad *Promont. Bonæ Spei*, inter ſpecies Ficûs aizoidis, & proinde eandem culturam requirit. Solum amat arenoſum, ſiccum, aeris rigidioris injurias ægrè ferens, progerminans non minùs ſeminibus quàm ramulis reſectis & in terram depactis, virens toto anno. Sapor percipitur aqueus, odor nullus.

Chamæciſtus Friſicus foliis Nardi Celticæ C. B. *Chamæciſtus Friſicus* Park. *Hirculus qui Chamæciſti genus* Cluſ. cur. poſt.
Cluſ.

Plantula hæc Celticæ Nardo ferè ſimilis foliis & radice, ejuſdémque propemodum magnitudinis; Cauliculo tamen diſpar eſt, qui gracilis, ſeſe attollens, quinis aut ſenis floribus onuſtus conſpicitur, ſpecioſis, Ranunculi florum æmulis, ſex foliis ſimplici ſerie diſpoſitis conſtantibus, flavi coloris, parvis tamen maculis alterius coloris duplici ſerie circa umbilicum orbiculatim diſtinctis: Iis ſuccedunt capita ſeu vaſcula mucrone bifido prædita, paleaceo ſemine referta. Tota planta aliquantulum graviter olet.

Locus. Naſcitur in paluſtribus ſiccioribus locis permixta Gramini Parnaſſi vulgò dicto propè amœniſſimum quendam pagum in Comitatu Drentiæ. A Dortmanno habuit Cluſius.

Planta eſt anomala, magis tamen accedit ad Sedum quàm ad Chamæciſtum.

Pag. 1019. *lin.* 3. Plantam hanc à Joan. Baptiſta Triumfetti in Obſervationibus de Ortu ac vegetatione plantarum deſcriptam invenio. Liber autem iſte non ante ad manus noſtras pervenit quàm Hiſtoria noſtra de Herbis penitus abſoluta & impreſſa eſſet.

Pag. 1034. *Spergulæ ſpeciebus adde,*
Alſinem Spergulæ facie minimam Commelin. Catal.

Pag. 1036. *Ad finem Cap.* XII. *quæ eſt de Alſine adde,*
Alſine procumbens Gallii facie Africana Herman. Cat.
Herman.

Spargit per terram ex tenui capillari radice *cauliculos* graciles, rotundos, glabros, geniculatos, ramoſos; *Folia* ad genicula ſex ſeptémve ſtellatim, Gallii modo expanſa. Intra hæc exeunt aliquot pedicelli tenuiſſimi, ſuſtinentes *flores* nudos, ſtellatos, exiguos, pentapetalos, foris vireſcentes, intus pallidos, ſubſequentibus *ſeminibus* fulvis in capſulis Alſine proximis. Annua eſt, ex Africa advecta, florens Auguſto, propullulans quotannis ex ſeminibus deciduis. Sapor apparuit muricatus & ingratus.

Alſine litoralis graminea Magnol. Append.

Plantula eſt triuncialis, cauliculos habens plurimos, partim rectos, partim ſupinos. *Folia* ad articulos bina, parva anguſta; inter quæ oritur pediculus fere uncialis, unicum producens *florem* Alſines mediæ flore multò minorem, cui ſuccedit *capitulum* cum involucro, minutiſſimo *ſemine* plenum. In herbidis maritimis eundo ad montem Cetium, ubi ſtagnum trajicitur, Maio menſe copioſè reperitur.

Pag. 1042. *Ad finem paginæ adde,*
Sedi minoris flore albo quadrifolio ſpeciem in rupibus circa Voltagium in territorio Genuenſi obſervavimus, niſi error ſit in notis noſtris.

Pag. 1045. *Pro Synonymo primæ Cotyledonis ſpeciei adde,*
Sanicula Aizoides foliis longiſſimis ſerratis candicantibus Herman. Cat. Hort. Leyd.

Pag. 1046. *Pro ſynonymo ſextæ Cotyledonis ſpeciei adde,*
An Sanicula Alpina roſea oblongo-rotundo ſerrato folio, umbilico rubente? Herman. Cat. *An potiùs Sanicula montana crenata umbilico rubro* Cat. Hort. Reg. Pariſ?

Pag. 1047. Decimam quartam Cotyledonis ſpeciem ſive Saniculam montanam roſeam flore guttato *Hort. Reg. Pariſ.* eandem eſſe plantam puto cum ſpecie ſexta, ſeu Sedo ſerrato latifolio montano guttato flore *Park.* Ejus ergo vice ſubſtituatur.

14. *Sedum ſerratum flore albo multiflorum* Dodart. mem. *&* *pro* 15. *ſpecie addatur*

15. *Sedum Africanum annuum, Centaurii minoris facie, flore aureo* Herman. Cat.

Altitudinem palmæ vix attingit hæc planta, figens *radiculam* tenuem, fibroſam, albam, ex qua aſſurgit *cauliculus* ſimplex, rotundus, pallidè vireſcens, ad ſummitatem ramoſus, cui per intervalla adſtant

ſtant *folia* craſſiuſcula, ſucculenta, bina ex adverſo, Centaurio minori nonnihil ſimilia. Ramorum ſummitates ſuſtinent perianthium quinquefolium, quod dehiſcens excludit *florem* pentapetalum, ſtellæ inſtar expanſum, foris purpuraſcentem, intus aureum, *ſtaminulis* in medio apiculatis flaveſcentibus, ſingulíſque petalis ad fundum macula cordiformi ſanguinea inſcriptis.

Pag. 1055. Duabus illis plantis, 1. Gratiola anguſtifolia *Ger. emac.* 2. Ageratum purpureum Dalechampii *J. B.* duo capita aſſignanda ſunt; quòd genere ſint diſtincta tum à præcedentibus, tum à ſe mutuo.

Pag. 1056. *Pro quinta ſpecie Geranii Althææ folio addatur*

Geranium Africanum arboreſcens, Ibiſci folio rotundo, Carlinæ odore Hort. Lugd. Bat. *D. Hermanni.*

Herman.

Ad radices montis Tabulati Promontorii *Bonæ ſpei* fruteſcit hoc Geranium, *radice* lignoſa, albente, craſſa, fibroſa; *caule* rotundo, hirſuto, tres & ampliùs pedes alto, aliquando ſtatim à radice in complures ramos diviſo, quibus ex longis, piloſis, craſſiſque petiolis circumſtant *folia* in ambitu rotunda, leviter crenata, modò plana, modò ſinuata, craſſiuſcula, mollia, hirſuta, Ibiſci inſtar, dilutè virentia, odoris fragrantis, Carlinam æmulantis. Circa faſtigia prodeunt palmares ramuli, quibus ex oblongis, quinquifidis, ſubhirſutis calyculis inſident *flores*, ex incarnato rubentes, ampli, pentapetali, duobus ſuperioribus petalis amplioribus, galeæ inſtar erectis, biniſque ſanguineis in baſi ſtriis inſignitis, tribus inferioribus minoribus, quaſi labiatis, prominentibus è medio aliquot *ſtaminibus* cum *ſtylo* longiori, in quinque ſanguineas lingulas divaricato. His defluxis ſuccedunt more congenerum quinq; *capſulæ* membranaceæ, arctè ſibi invicem annexæ, & in longum acutum mucronem terminantes: ex quibus præ maturitate dehiſcentibus proſiliunt totidem *ſemina*, oblonga, ſpadicea, roſtrata, contorta, incana lanugine pubeſcentia, cum ſtilo intermedio, è cujus apice ſemina hærent.

Tota planta, imprimis folia, ſubacrem & aromaticum præbent ſaporem, cum levi viſciditate. Hinc reponi meretur inter carminantia & emollientia. Folia leviter exſiccata non infelici ſucceſſu adjeci clyſteribus contra ventris tormina, paſſionem Colicam, Iliacam, Nephriticam, præſertim Calculum, cæteráſque urinæ difficultates. *Vires.*

In Belgio de facili propagatur ſeminibus, ramulis & viviradicibus.

Pag. Eadem. poſt ſeptimam ſpeciem.

Geranium Africanum Coriandri folio, floribus incarnatis minus Hort. Lugd. Bat. *D. Hermanni.*

Herm.

Hujus & præcedentis [Geranii Æthiopici Myrrhidis folio tertii flore magno ſtriato *Breyn. cent.* 1.] *folia* prima ſeminalia ſunt ſubrotunda, brevia, modice laciniata, in progreſſu verò elongantur & frequentioribus ſegmentis diſſecantur, quæ in hac minori ſpecie apparent tenuiora, anguſtiora, haudquaquam hirſuta. *Flores* prodeunt paulo minores: *Semina* cæteráque omnia prædicti Geranii ſimilia.

Geranium Africanum Betonicæ folio laciniato & maculato, floribus incarnatis Hort. Lugd. Bat. *D. Hermanni.*

Herm.

Prioribus accedit & hæc ſpecies, cujus folia inferiora, radici proxima referunt effigiem foliorum Betonicæ, quæ verò in progreſſu cauli adſtant, majora ſunt, profundioribus laciniis inciſa, & medio ſinu ex fuſco rubente maculâ inſignita, aliquando omnino viridia. *Cauliculos* ſpargit ſpithamam longos, geniculatos ex viridi nonnihil rubentes, reſupinos, ſuſtinentes *flores* pentapetalos, incarnatos, Geranio Africano Coriandri folio perquam ſimiles; quos excipiunt *ſemina* quina, roſtellis contortis lanuginoſis.

Geranium Africanum Alchimillæ hirſuto folio, floribus albidis Hort. Lugd. Bat. *D. Hermanni.*

Herm.

Cauliculos emittit bicubitales, ex viridi rubentes, piloſos, geniculatos, procumbentes, & ex ſingulis nodis novas radiculas demittentes: quibus ex longis pediculis adſtant *folia* rotunda, Alchimillæ foliis paria ferè, piloſa, in viridi candicantia, media ſui parte interdum maculata, in ambitu crenata & laciniata. *Flores* edit multos, ſimul junctos, ſuperioribus ſpeciebus minores, albidos, & pro ingenio ſoli & climatis in pallido vel flaveſcentes vel incarnatos, ſubſequentibus *ſeminibus* quinis, diſpoſitione & facie congenerum.

Pag. 1057. *Synonymis* 10. *ſpeciei adde,* Geranium Cicutæ folio moſchatum C. B. *& pro undecima ſpecie, aut octavæ varietate potius* adde,

Geranium moſchatum folio ad Myrrhidem accedente minus J. B.

Hæc enim ſpecies aliàs odorata eſt, aliàs inodora.

Pag. 1058. *Geranii quarti titulo adde,*

Geranium Africanum noctu olens tuberoſum & nodoſum, Aquilegiæ foliis Hort. Lugd. Bat. *D. Hermanni, è quo & deſcriptionem ſupple.*

Herm.

Conſtat *radice* longa, tuberoſâ, craſſâ, nonnihil lignoſâ, ex viridi palleſcente, ſubinde aliquot fibris capillatâ: *Caulibus* ſurrectis, bipedalibus, cineraceis, glabris, lignoſis, ad genicula craſſeſcentibus. Foliis utrinque appoſitis Aquilegiæ facie, craſſiuſculis, ſegmentis tamen paucioribus & amplioribus diſſectis. Floribus pentapetalis in umbellam congeſtis nunc ſurſum, nunc deorſum ſpectantibus, coloris buxei, nonnunquam obſoletè purpuraſcentis, à veſpera ad Auroram uſque jucundiſſimum ſpirantibus

tibus odorem: Seminibus antecedentium ritu quinis roſtratis, candida, ſericea, modica lanugine pubeſcentibus.

Propagatur ſeminibus, & tuberibus ſeu geniculis.

Pag. 1062. *Geraniis Malvæ foliis addatur*

Geranium Africanum fruteſcens Malvæ folio, laciniato odorato Hort. Lugd. Bat. *D. Hermann.*
Ger. *Malvæ folio odoratum, flore purpuraſcente C. Bonæ ſpei* Breyn. Prod.

Herm.

Fundit *radicem* craſſam, candicantem, fibroſam: *cauliculos* cubitales, geniculatos, nodoſos, reſupinos: *folia* digitalibus petiolis, Malvæ paria, ſubrotundo anguloſa, crenata, undulata, nonnunquam laciniata, odoris grati & aromatici. *Flores* facie antecedentis, aſt paulò minores, ſex ſeptémve plures vel pauciores quaſi in capitulo ſeu umbella ſimul junctos; cui ſubjiciuntur quinque, in orbem radiata, hirſuta, ſubrotunda foliola, ambitu rubente & in exiguum molleculum mucronem abeunte: Sequuntur *ſemina* ſuperiore tenuiora.

Tota planta piloſâ hirſutâque facie eſt, gaudens iiſdem natalibus cum præcedente, eadémque culturâ & virtute, ſed remiſſiore.

Pag. 1063. *Ad finem capitis de Geranio,*

Geranium Africanum Uvæ criſpæ foliis, cauliculis procumbentibus, floribus exiguis rubellis Hort. Lugd. Bat. *D. Herman.*

Herm.

Germinavit (inquit) nobis ex ſeminibus Africis hæc puſilla Geranii ſpecies, *radice* tenui, fibroſa; *cauliculis* plurimis, ramulis gracilibus, geniculatis, humi jacentibus, prona parte rubicundis, ſupina viridantibus. Singulis geniculis adſtant *folia*, interdum bina è regione, glabra, lætè viridia, Uvæ criſpæ foliis ſimilia, ſed quadruplo minora & frequentiùs inciſa. Penes horum exortum exit tenuis pedunculus, circiter longitudine digiti, ſuſtinens floſculos, unum, tres, quatuórve, exiguos, pentapetalos, rubellos: quibus ſingulis ſubjicitur pediculus tenuis cum calyculo quinquepartito, includente vaſculum pentacoccum roſtratum, in quo quina *ſemina* exigua more congenerum.

Pag. 1065. *Poſt lin. quartam adde,* Hujus arboris in *Hort. Lugd. Bat.* duplex habetur ſpecies ſeu varietas, Altera flore purpureo; altera flore flavo. *Lin.* 26. *adde,* Quærendum an fructus à Jo. Bauhino deſcriptus pro fructu Xyli Braſiliani non ſit potiùs diverſæ ſpeciei quàm illius quam Marcgravius deſcribit; ſiquidem in illo ſemina duplici ordine in loculamentis ſita ſunt, cùm in deſcriptione Marcgraviana Xyli Braſiliani ſeu *Aminiju* hujuſmodi ſeminum ſitûs nulla mentio; alia etiam ſunt quæ non conveniunt. Oculatiſſimus Botanicus Jac. Zanonius Bononienſis duas dari Xyli Braſiliani ſpecies diverſas exiſtimat. Nam primò quæ à Marcgravio deſcribitur pentapetalos eſſe dicitur, cùm à ſe culta & deſcripta, (referente Fratre Stephano Capucino Ravennate, qui 14 annos continuos Fernambuci commoratus eſt) florem flavum campanulatum producat, quod & ex Lerio confirmatur, qui eam Flores ferre luteos Campanulis ſimiles inſtar Cucurbitarum vel Citrullorum tradidit. 2. Marcgravius Xyli ſui folia in tres lacinias ſecta eſſe ſcribit; cùm plantæ ejus quam è ſemine natam coluit Zanonius folia variæ admodum formæ eſſent, prima integra & ſubrotunda, ſecunda acutiora; ſequentia laciniata una, duabus, tribus, quatuor & pluribus laciniis pro plantæ ætate magnitudine & ſtatura, ut ſuprema in ramis ad ſeptem uſque lacinias inciſa eſſent. 3. Quòd fructum ferat ovatum, & tandem ſemen Piſtacei magnitudine; cùm in ſuo ſeptem ſemina conjuncta, ut plerunque ſunt, non multum ſuperent molem nucis Piſtacei. Verùm his argumentis facilè poteſt reſponderi. Nam primò mihi veriſimilius videtur florem Xyli Braſiliani quinque petalis compoſitum eſſe quàm monopetalum, quum reliquæ omnes Xyli ſpecies pentapetalo flore ſint, magíſque fidendum eſt curioſis ſpectatoribus Piſoni & Marcgravio, qui plantâ ob oculos poſita florem deſcripſerunt, quàm vel Lerio, vel Stephano Capucino; qui minus curioſè eum ſpectarunt & examinarunt, & ut veriſimile eſt, è memoria deſcripſerunt. Denique Marcgravius folia in tres quidem lacinias ſecta eſſe ſcribit, non tamen ſemper & omnia: hoc eſt, pleraque hoc modo ſecta eſſe, aut ſectionem hanc affectare. Deniq; non dicit Marcgravius ſemina ſingula ſeorſim Piſtaceis æqualia eſſe, ſed in quolibet flocco contineri ſeptem nigros fructus magnitudine ſimul Piſtaceorum: quòd quidem obſcurius dictum eſſe fateor, ut Laetius etiam id de ſingulis fructibus acceperit. Lerii autem autoritas apud me minoris momenti eſt, qui fructum etiam quadripartitum eſſe ſcribit præter normam aliarum omnium Xyli ſpecierum quæ fructu ſunt vel tripartito, vel quinquepartito. Nomen autem commune *Aminiu* eum eandem plantam intelligere arguit, quam deſcribunt Piſo & Marcgravius.

Melianthus Africanus. Pimpinella ſpicata maxima Africana Bartholin. *Act. Hafn. An.* 1653. *Vol.* 2. *p.* 58. Herm. Cat. Hort. Lugd. Bat.

Herm.

Mellifera hæc planta *radice* nititur vivaci, lignoſa, craſſa, pallida, brachiata, longo profundóque reptatu hinc indè diffuſa; *Scapo* multiplici ſupra Viri altitudinem aſſurgente, viroris & vigoris perpetui, pollicem craſſo, rotundo, ſtriato, ſcabro, geniculato, ad radicem lignoſo, ſolido, in progreſſu ex ruffo virente, & ubi in floriferam ſpicam faſtigiatur punicante, facilè ex geniculis in terram demiſſis ſe propagante. *Folius* pinnatis, facie Pimpinellæ, aſt ſextuplo, amplioribus, rigentibus, nervoſis, per ambitum profundiùs ſerratis, colore in glauco virente, Coſtâ media ad ſummum uſque, cui folia ex adverſo ſtrictiùs adhærent, alata & crenata, parte vero ima & prona contecta folio, digitum longo, concolori, integro, lata ſua carinatáque baſi, qua ad ſcapi genicula prorumpit in mucronem porrecto, & coſtæ inſtar ligulæ incumbente, Odore fœtido narcotico gravi, ſapore herbaceo parum adſtringente. *Floribus* in ſummo numeroſis nudis, ex nigro puniceis, in ſpicam congeſtis, hærentibus ex petiolis longulis, punicantibus, tenui raràque lanugine pubeſcentibus: quibus ſingulis ſubjicitur foliolum, nunc puniceum, nunc ex puniceo vireſcens, unguem adæquans, & in deltoidem effigiem gracileſcens. *Flos* utplurimum quinque conſtruitur petalis ex floris fundo ampliori, cui arctè junguntur, in longum protenſis, duobus ſupernis latioribus & longioribus, binis lateralibus brevioribus & anguſtioribus, unico inferno breviſſimo carinato. Hoc in flore conſtanter deprehenditur, reliquorum vero numerus & amplitudo variant. Ex his profluunt decem *ſtamina*, punicei ſaturati coloris, quinque longiora & tenuiora, apicibus flaveſcentibus parvis, totidémque breviora, apicibus robuſtioribus, leviſſima concuſſione deciduis. Inferiori petalo includitur receptaculum cartilagineum carinæforme, refertum liquore melleo, diluto puniceo, ſaporis vinoſi jucundiſſimi. Hunc à Belgis ad Prom. B. Sp. degentibus non inepto nomine Melianthum ſive Florem mellis appellari ait. Mellea verò hæc ſubſtantia neutiquam videtur productum roris ſeu aeris in flore collecti, ſed eo ipſo quo flos perficitur incipit ex porulis & villulis internæ floris baſeos inſtar ſubtiliſſimi vaporis emanare, & in hiantem hanc carinulam deponi. Sive enim plantam mox flores parituram aeri liberiori expoſueris, ſive in conclavi diligenter cuſtodiveris æquam mellis proportionem obſervabis, tanta utrobique ubertate ut in ſubjecta folia ſtillatim defluat. Melle floréque exareſcente ſequitur *vaſculum* ventrioſum, membraneum, facie & magnitudine Nigellæ fructum adæquans, tetragonum, quaternis diſſèpimentis diſtinctum, quaſi ex totidem vaſculis eſſet compactum, ſingula continent ſemen ovale, nigrum, lucidum, ſemini Pæoniæ ſuppar.

Locus. Sponte ſua luxuriat locis udis & paludoſis ad Prom. B. Sp. Tranſpoſita in hortos mirum in modum multiplicatur. Brumam rigidiuſculam quamvis patienter ferat, tamen cuſtodienda eſt in commodo hybernaculo, nè flores, quos media ſæpe hyeme ſuppeditare ſolet, vitium capiant & pereant. Eo adeò delectantur *Hottentotti*, & nunc quoque Belgæ, ut Melianthum nunquam prætereant, quin melleam ejus dulcedinem avidè reſorbeant. Hactenus Hermannus. Plantam in horto Reverendiſſ. Epiſcopi Londinenſis cultam vidimus.

Pag. 1065. *Ad finem Capitis* VIII. *de Goſſipio,*

5. *Moul Elavou ſive Arbor lanigera ſpinoſa* H. M. *P.* 3. *T.* 52. *p.* 61. *Goſſipium arboreum caule ſpinoſo* C. B.

H. M.

Arbor eſt procera & admiranda, altitudine 50, craſſitie 18 pedum menſuram haud raro ſuperans, antequam ullos diffundat ramos. *Lignum* molle, fragile, ſubrufum, *cortice* craſſo, molli, cinereo, intus rubicundo ac ſcabro cinctum, qui ſquamis numeroſis, rigidis, atris, glabris ac nitentibus ſpinis inſuper dotatis undique ornatur*:* hæ autem ſpinæ acutæ circa caudicis exortum demum decidunt, manent tamen in ramis ſuperioribus, quos omni ex parte obducunt; atque hæc ratio eſt quod Simiæ nunquam haſce ſcandant arbores.

Radix craſſa, fibrata, albicans, cortice ſubrufo, flaveſcente ac nodoſo obducta: ſapor acerbus, odor nullus.

Folia inſipida, inodora, manibus confricta unctuoſa, *Panjæ* foliis haud abſimilia, longis itidem, rotundis, glabris, necnon viridi-ſtriatis, ac in exortu nodoſis petiolis plura ſimul juncta, & in orbem expanſa inhærent.

Flores ſuaveolentes, ac magnitudine palmum æquantes, plures ſimul juncti ramulorum extremis inhærent, atque è calyce craſſo, denſo, intus ſubviridi, extus flaveſcente prodeunt, quinque oblongis, craſſis, denſis, undique colore purpureo nitentibus, extus lanuginoſis & reflexis foliis conſtantes, numeroſis in medio craſſis, denſis, longis, ac rubicundis *ſtaminibus*, atris falcatis *apicibus* dotatis, duplici ordine mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus: inter quæ *ſtylus* prodit fiſſus, qui ipſius fructus rudimentum eſt. Inſuper in floris umbilico ſubcœruleus ac pellucidus obſervatur humor, qui dulciſſimi gratiſſimíque ſaporis eſt.

Fructus cum *Panjæ* fructibus in omnibus conveniunt, excepto quòd ſemina in loculamentis non triplici ut in illa, ſed duplici ordine locata ſint.

Locus & Tempus. Creſcit ubique in Malabar, ſeminibus ſata Anno circiter 16 fructus fert, quos dein ſingulis annis, viz. Februario & Martio menſibus maturos exhibet, atque ad annum 200 & ultra frugifera manet.

Uſus & Vires. Lanugo lectulis & pulvinaribus farciendis inſervit. Arboris cortex pulveriſatus, & cum ſucco Limonum in linimenti formam redactus, inflammationes quaſcunque compeſcit, & oſſium fracturas conſolidat: cum aduſto verò è nuce Indica vino ſi permiſceatur pro linimento ad herpetem uſurpatur. E radicis verò cortice egregium fit vomitorium. Humor ille dulcis, qui in floris ſinu colligitur, cum Tamarindi foliis exhibitus quoſcunque aquoſos humores per alvum & veſicam potenter educit.

6. *Goſſipium Indicum Salicis folio, fructu quinquecapſulari* * *Panja Panjala* H. M. *Arbor lanigera ſive Goſſampinus Plinii* Bontio. *Goſſipium Javanenſe Salicis folio* C. B. *Lanifera arbor peregrina* J. B. Cluſ. *Goſſipium arboreum Orientale foliis Salicis digitatis latioribus* Herman. Cat.

* P. 3. T. 49, 50, 51. *p.* 59.

H. M.

Arbor eſt procera, 40 aut 50 pedes alta, ramis decuſſatim in alios minores diviſis in orbem brachiata; ità ut velut alæ expanſæ videantur, ac (uti in Abiete & Pino obſervare eſt) ſurſum versùs magis magíſque gracileſcant frondes. Lignum albicans, molle, cortice glabro, atro-viridi variegato, inodoro atque inſipido obductum.

Radix albicans, cinereo & glabro cortice tecta, fibris ſuis non latè per terram diffunditur, ſed profundiùs ei inhæret: ſapor viſcidus & unctuoſus, odor nullus.

Folia longis, rotundis, glabris, necnon rubicundis petiolis plura ſimul juncta, ac in orbem expanſa inhærent, oblongo-teretia, glabra, denſa, longitudine ſpithamam, latitudine duos circiter pollices æquantia, virore nitenti.

Flores inodori ac inſipidi, plures ſimul juncti, rufis, rotundis ac hirſutis petiolis, ramis lignoſis inhærent, atque è *calyce* craſſo, viridi, in quinque lacinias ſecto prodeunt, quinque ſubrotundis, denſis, intus lanuginoſis, extus glabris, nitentibus & albicantibus foliis conſtantes, quinque in medio teretibus, craſſis, albicantibus *ſtaminibus*, flaveſcentibus, falcatis ac diviſis *apicibus* eleganter ornatis, mediam floris cavitatem & umbilicum occupantibus; inter quæ *ſtylus* prodit, flaveſcente globulo dotatus.

Fructus oblongo-rotundi ſunt, quinque angulis levioribus ſulcati, cortice primùm viridi, glabro ac nitente, dein rufo, ſcabro ac duro, obducti, intus in quinque loculamenta, alba ac nitente lanugine, ſeu goſſypio referta, diviſi. Intra quam lanuginem, dehiſcente demum fructu, numeroſa obſervantur *ſemina* rotunda, glabra, nigricantia. Hujus verò arboris fructibus maturis pleræque ejus decidunt frondes, quo tempore ſolis fructibus ornata eſt arbor.

Locus. Provenit ubique in *Malabar*. Semel in anno, viz. Januario & Februario menſibus fructum fert. Martio autem & Aprili denuò frondeſcit & floret; atque ſata ſeminibus 40 annos non rarò frugifera manet.

Vires & Uſus. Fructuum horum lanugo ſeu goſſypium colligitur, ex eóque lectuli & pulvinaria fiunt quæ ſummam ob mollitiem pluris æſtimantur. Bontius lanuginem hanc propter brevitatem carminari non poſſe ait, ideoque nec lintea inde texuntur; facillimè flammam concipit. Flores fructúſque teneriores in cataplaſmatis formam contuſi, ac capiti impoſiti cephalalgiam & vertiginem tollunt.

Hujus arboris fructum eſſe quem deſcribit & depingit Cluſius Exot. l. 1. cap. 14. minimè dubito. Folia *tamen arboris à Franc. Roderigues nimis anguſta deſcribuntur. Et Sebaldus de Wert apud Cluſium* loco *citato arbores quas obſervavit ſimilem fructum gerentes in Guineæ maritimis ampliora habere folia affirmabat. Forte Javanenſis foliorum anguſtiâ à Guineenſi differt; imò utraque diverſitas habetur in* Hort. *Academ. Lugd. Bat.* Herman. Cat.

Pag. 1066. *adde,* Bammia ex Surinam Urticæ foliis *D. Plucknet.*

Pag. 1067. *lin.* 1. D. Hermannus Quingombo I. ſeu Alceam muſchatam Piſonis, quæ Alceæ hirſutæ flore flavo & ſemine moſchato *Markgrav.* eadem eſt, ad ſpeciem noſtram tertiam ſeu Alcæam Ægyptiam villoſam *C.B.* refert: & certè ei ſimillima eſt, ſi non planè eadem. Deſcriptiones per omnia non conveniunt, ut conferenti patebit.

Pag. 1069. *pro Synonymo tertiæ Speciei adde,*

Althæa arborea Indica Populi folio, flore ephemero *Herman. Cat. Hort. Lugd. Bat.*

Pag. 1070. *Pro Synon. decimæquartæ Speciei adde,*

Althæa arbor Indica Tiliæ folio, flore ephemero *Herman. App. ad Hort. Lugd. Bat.*

Ad finem Capitis 10. *de Althæa Indica addantur Species ſequentes.*

Althæa Indica floſculis parvis, folliculatim ramulis affixis D. Herman. Breyn. Prod.

Item,

Althæa Orientalis Pernambucenſis foliis latioribus & rotundioribus D. Plucknet.

Item,

Althæa Indica Bryoniæ folio ejuſdem.

Alcea Indica fruticoſa flore coccineo petalis criſpis.

Ain-Pariti H. M. *P.* 6. *T.* 43. *p.* 73. *An Roſa Batavico-Indica inodora, ſeu Malva fruticeſcens* Bontii?

Frutex eſt *Bem-Pariti* planè ſimilis, & nonniſi arte aut culturâ in arborem adoleſcit. *Flos* tamen ſimplex, coccinei, intensè rutilantis coloris, in eo differt, quòd quinque conſtat petalis latioribus, rotundis & criſpis, circa unguiculos rubenti macula conſperſis. In quinque puſilla, villoſa, filamenta, quæ capitulis è fuſco gaudent purpureis diſpertitur ſubpurpureus *ſtylus*, qui in ſummitate multis *ſtaminulis*, ſemilunatis *apicibus* exornatis circumtegitur, infrà verò, ſi flos plenus fuerit, petalis interioribus.

Ob florum gratiam per totam Indiam in hortis colitur: éſtque longæva, & ubi octo vel decem annorum complevit ætatem flos è ſimplici evadit plenus, quo Ethnici utuntur in cæremoniis.

Vires. Contrita folia atque ex aqua exhibita iis qui ex variolis febricitant, eorum copioſam inhibent eruptionem, præcordiorum temperant æſtum, cum butyro nimium menſtruorum fluxum; Ex oleo cum foliis *Curumulli* cocta unguentum præſtant vulneribus aptum. Ex florum gemmis decoctum mulieres reddit ſteriles: ipſæ autem oculis illitæ ophthalmiam tollunt. At flores aperti, recentéſque ex butyro triti aphthis mederi incolis dicuntur.

Hanc ſpeciem D. Commelinus pro Roſa Batavico-Indica inodora ſeu Malva fruteſcente Bontii lib. 6. cap. 4. habet qui à nobis lib. 12. cap. 9. dubitanter ad Althæas refertur.

Bontius in febribus continuis ſe aquâ ex hujus floribus deſtillata ad ſomnum conciliandum pro frontali uſum eſſe ſcribit.

Althæa Indica Goſſipii folio, Acetoſæ ſapore Cat. Lugd. Bat. Herman. *Alcea acetoſa trifido folio Indiæ Orientalis* Breyn. Prod. 1.

Herm.

Radicem habet fibroſam, albicantem, ſingulis annis pereuntem: Caulem tripedalem, viridem, glabrum, aliquando anguloſum, ramoſum, in fila ductilem: Folia trilobata, lætè viridia, forma & magnitudine ad Goſſipii folia accedentia, longis innixa petiolis. Ad horum ſinus prodeunt *flores*, ex breviſſimis pediculis ampli, roſei, incarnati, ex quinque petalis in baſi arctè junctis, & intermedio piſtillo racemoſo concolore exſtructi. His ſubjicitur calyculus quinquefoliatus; ex quo poſt florum exantheſin prodit *capſula* membranacea, oblongo-rotunda, pentagona, quinis intus loculamentis donata, in quibus *ſemina* compreſſa, ex rufo ſpadicea congenerum more.

Folia ſubacidum & leviter viſcoſum præbent ſaporem. Caules non minùs quàm apud nos Cannabini in fila ducuntur, & ad funes texendos uſupantur. Hinc in agris & hortis Indorum quotannis ſeritur. In Horto Reverendiſſimi Epiſcopi Londinenſis cultam vidimus.

Hujus & alia datur ſpecies, à *Garcia ab Horto* Bangue dicta.

Althæa Indica Vitis folio, flore amplo flavo pendente Herman. Hort. Leyd. *Althæa Indica non ſpinoſa flore amplo, pendulo, flavo* Breyn. Prod. 2.

Ex *radice* alba lignoſa protrudit *caules* modo unicum, modo plures, bicubitales, lignoſos, rectos, glabros, aliquando ſubhirſutos, ima parte rubentes, ſummâ viridantes, in multos ramos brachiatos. Cum his ſimul exurgunt *folia* longis inſidentia petiolis, tribus quinìſve ſegmentis diviſa, foliis Vitis haud abſimilia, ſed rigidiora, craſſiora, aliquot venis ac inſignibus nervis donata. Ad alarum ſummitates prodeunt breves, tenuiſſimi pedicelli, quibus nolarum inſtar appendent *flores*, ampli, Roſæ minoris magnitudine, ad Solem aperti, cæteroqui clauſi, quinque petalis flaveſcentibus, unguibus violaceis holoſericeis, in fundo junctis conflati, prominente è medio piſtillo, copioſis apiculis puniceis eleganter paniculato. Floris baſin tegit calyculus parvus, in quinque profundas, acuminatas, viridantes crenas, quaſi totidem foliola diſſectus. Huic verò incumbunt quina aut ſeptena anguſtiſſima ſetacea foliola ſtellatim decuſſata. Floribus emarcidis ſuccedunt *vaſcula* membranacea, duriuſcula, ſubhirſuta, ex quinque ſulcis vel alis & totidem loculamentis conſtantia, in quibus continentur *ſemina* compreſſa, fuſca, reniformia, congenerum more.

Ex ſeminibus in inſula Zeylona collectis germinavit.

Altera Species.

Iiſdem in locis ubi hæc provenit invenitur & alia ſpecies foliis aſperis profundè laciniatis, foliorum Cannabis inſtar, ſaporis acidi; caulibus aduncis hamis undique armatis, cæteris verò partibus ſuperiori ſimillimis.

Acetoſa Indica Bontii.

Bontius l. 6. p. 113. hanc alteram ſpeciem videtur deſcripſiſſe Acetoſæ Indicæ nomine.

Folia ſi maſticentur, acetoſam planè ſapiunt niſi quòd guſtui pinguius quiddam & glutinoſius repræſentent. Quod addit ſemen ejus inſtar ſeminis Cardui Benedicti ſpinoſum eſſe non capio, niſi ſeminis nomine vaſculum ſeminale intelligat.

Vires & Uſus.

Qualitate eſt è frigida vergente ad ſiccam. Malaii & Bengalenſes & cæteri Mauri eam in eduliis pro olere reponunt. Herba hæc quoque in frequenti uſu eſt pro topico medicamento. Conterunt quippe folia ſuper lapidem marmoreum cum ſcobe ligni Santalini, & intinctos pannos capiti imponunt mixto oleo Nucis Indicæ & aceto in doloribus capitis bilioſis. In febribus ardentibus etiam & phrenitide admodum frequenti in uſu eſt.

Alcea Indica ſpinoſa magno flore ex albido flaveſcente D. Comelin. *Narinam Poulli* H. M. *P.* 6. *T.* 44. *p.* 75.

H. M.

Rubi more luxuriat frutex iſte, cauliculis rubeſcentibus, ſpinis ejuſdem coloris licet interalbicent, perquàm acutis obſitis. *Folia* craſſa, oblonga, in tres cuſpidatas lacinias, quarum media protenditur, diviſa, villoſa, aſpera, in oris ſerrata ſunt: horum ternæ ſenticoſæ, è viridi rubentes coſtulæ in parte ſupina, ubi quoque protuberant, ſpinis carentes, in prona magis eminent. Novella hæc teneráque folia non inciduntur, aſt in cuſpidem exeunt, quæ quò vetuſtiora eò profundiùs inſecantur. *Flores* ex albido flaveſcentes, petiolis qui juxta foliaceorum ſurculorum exortum prodeunt, adhærent triuncialibus: quinis conſtantes petalis, leviter criſpatis, venis prominentibus ſtriatis, maculis autem grandiuſculis è rubicundo obſcuris, quæ circum oras exteriùs apparent, interſtinctis. Exſurgens ſpiſſus rubicundúſque *ſtilus*, in ambitu ſtaminulis rubris, quæ majuſcula è croceo rubra habent capitula circundatur, & in ſummitate quinquies dividitur. Florem involvens perianthium quinquelaciniatum, pilis candidis, oblongis, rigidis aſperum eſt, hócque decem, elongi, anguſti, piloſi, cubitali modo inflexi unguiculi coarctant. Odor ipſis nullus. Floribus deciduis *capſulæ* ſuccreſcunt *ſeminales*, conicæ, pilis candidis villoſæ, perianthii foliolis obtectæ, quæ ſicceſcentes in quinque conceptacula ſejunguntur, quorum in ſingulo *ſemina* interſepimento mediaſtino inhærent. Foliis ac floribus nunquam denudatur.

Locus.

Per univerſum Malabar regnum in locis arenoſis plurimus eſt.

Vires.

Folium hujus fruticis oculorum pterygio impoſitum, ſubmovet. At ex foliis hiſce adjectis Pipere, Zinzibere, Lacte, Nucíſque Indicæ ſucco expreſſus liquor reſiſtit fluxionibus. Plantæ pedis æſtus balneo ex radice parato facile diſcutitur.

Althæa Ricini folio Virginiana Herman. Cat. Leyd.

Herman.

Enata eſt ſeminibus ex Virginia delatis Planta humanam altitudinem multùm excedens, ex cujus radice Ibiſco ſimili, pallida, longè latéque repente, perenni, guſtûs viſcoſi aſſurgunt *coliculi* glabri, viridantes, frequentibus alis ſubinde diviſi. His adſtant *folia* longis ſuffulta petiolis, Ricini æmula, ternis quiníſve, mucronatis & circa marginem crenatis lobis diſſecta. Ad horum exortus ab imo caulis ad ſummum uſque prodeunt ſimul pediculi longiores & graciliores, in aliquot pedicellos tenuiſſimos divaricati, quorum ſinguli ſuſtinent ex caliculo viridanti quinquefariàm crenato *florem* parvum, candidum, quinque carinatis petalis in baſi junctis conſtructum, medium occupante columellâ racemoſâ, innumeris violaceis apiculis exornata. Flore diſcuſſo ſequitur *capitulum*, quinque exiguis membranaceis, anguloſis, arctè invicem conjunctis & in acuminatum apicem coeuntibus thecis efformatum; quibus ſingulis includitur *ſemen* unicum, parvum, ſpadiceum, reniforme.

Adamboe H. M. *P. 4. T. 20, 21. p. 45.* *Alcea Indica arborea pericarpio carnoſo in plura loculamenta partito.*

H. M.

Arbuſcula eſt humilior, ſeptem circiter pedes alta; caudice albicante, variis ramis in orbem diffuſis donato, qui cortice ſcabro, primùm viridi, dein furvo obducti ſunt. *Radix* albicans, cinereo cortice tecta, odoris gravis, ſaporis unctuoſi. *Folia* oblongo-rotunda, craſſa, denſa, ſine ordine, brevibus ac nodoſis petiolis circa teneriores ramulos proveniunt, longitudine ſpithamam, latitudine palmum ſuperantia, ſupernè atroviridia, infernè è viridi ruføſcentia, tactu nonnihil aſpera, à media illa craſſa, albicante coſta plures nervi minores ſuperiora versùs deferuntur, arcuatim in ſe invicem coeuntes: odor ſylveſtris, ſapor ſubaſtringens. *Flores* elegantes, purpurei, nitentes, roſis haud abſimiles, rotundis & hirſutis petiolis, numeroſi circa ramulos proveniunt, ac ſex ſeptémve, mollibus, ſubrotundis, expanſis, at nonnihil criſpis conſtant foliis; necnon calyci lato, profundo, craſſo, ac rugoſo, ſubviridi, in ſex ſeptémve lacinias, acuminatas ſtellæ in modum ſecto, inhærent, qui plurima inſuper emittit *ſtamina* ſurrecta, infernè albicantia, ſupernè rubicunda, flaveſcentibus, nitentibus, ac planis apicibus ornata; inter quæ *ſtylus* prodit acuminatus, infernè rubicundus, ſupernè viridis: ſapor ſubſalſus & ſubaſtringens, odor nullus.

Fructus floribus ſuccedunt inodori, inſipidi, rotundi, viridi-fuſci, nitentes, in vertice oblongo ſtylo dotati, ad baſin vero calyce plano, craſſo, ac viridi excepti, qui cuſpides ſuos latè extendens, ac exteriora versùs reflectens, ſtellam quodammodo refert, intus porro carne albicante referti, intra quam numeroſa latitant *ſemina* plana, Malvæ ſemini haud abſimilia, ſex ſeptémve loculamentis, membranaceis, quibuſdam pelliculis à ſe invicem ſejunctis, concluſa.

Locus & Tempus. Creſcit frequenter locis arenoſis & petroſis in *Mangatti* & *Cranganoor*, præſertim circa fluminum ripas, Julio & Auguſto menſibus floret, fructúſque fert Novembri & Decembri. Viret tamen perpetuo, ac diu ſuperſtes manet.

Vires. Ex arboris radice in aqua decocta gargariſma conficitur, quod palati oríſque ulcuſculis, necnon quibuſcunque faucium affectibus medetur. Ex eadem radice decocta & dein contuſa cataplaſma fit, quod tumoribus impoſitum potenter eos emollit ac maturat. Ex arboris cortice, foliis ac floribus cum aqua communi decoctio paratur, quæ pota hepatis, lienis, aliorúmque viſcerum obſtructiones aperit, & aquas hydropicorum per alvum & urinam potenter educit. Semen haud ſecus ac Coriandri ſemen capiti infeſtum eſt, ac vertiginem, ebrietatem, ſimiléſque affectus producit.

Katou-Adamboe H. M. *P. 4. T. 22. p. 47.* *Alcea Indica arborea elatior pericarpio carnoſo ſubaſpero.*

H. M.

Præcedentis ſpecies eſt ſylveſtris & major, altiùs namque excreſcit.

Ab ea differt quòd folia & rami lanuginoſi ſunt ac hirſuti quòd florum mediam cavitatem & umbilicum quinque tantùm *ſtamina* ſurrecta, candida, rubicundis *apicibus* ornata occupant, inter quæ *ſtylus* prodit albicans, cacumine bifido: denique quòd fructus pilis tenuiſſimis ſubaſperi.

Locus & Tempus. Naſcitur locis montanis in *Mala* & *Poiga* provinciis Malabar, Maio, Junio & Julio menſibus floret, Decembri verò maturos fert fructus, viret autem perpetuó.

Vires. Ex foliis hujus contuſis cum Nucis Indicæ aqua emplaſtrum conficitur, quod bubonibus Venereis, aliíſque glandularum tumoribus impoſitum medetur.

Pag. 1084. poſt lin. 6. adde,

Auricula urſi minima, folio inferiùs venoſo & incano, flore ſuave-rubente Ciaſſii Herman. Cat. *Herman.*

Diſcriminatur à præcedente foliis longioribus, infernè venoſis, nonnihil incanis, ſupernè viridibus, ſummis marginibus crenatis: *Floribus* quinis vel ſeptenis, coloris ſuave-rubentis, quaſi in umbella caulis faſtigio inſidentibus.

Pag. 1089. Nonæ Apocyni ſpeciei adde,

Synonym. & Deſcript. Apocynum Novæ Angliæ, ſubhirſutum, tuberoſa radice, floribus Aurantiis Herman. Append.

Radice conſtat tuberoſa, pugni magnitudine, carnoſa, nodoſa, paucis fibris veſtita, ſolo aridiori commiſſa hyemem ſuperante. Ex qua ſub æſtatis initium aſſurgunt aliquot *Stolones*, altitudine pedali aut cubitali, rotundi, ſtriati, herbacei, parte qua Sole illuſtrantur ſubrubentes. His adhærent *folia* ſine ordine, modò bina ſibi oppoſita, modò ſolitaria, ſemidigitum longa, unguem lata, ad radicem minora, in progreſſu verò majora, rigidiuſcula, in parvum obtuſum mucronem abeuntia, ſupra è virore nigro ſplendentia, infra pallida, ſubhirſuta, venoſa. Ramorum faſtigia ſuſtinent *flores* in umbellam congeſtos, Apocyno Canadenſi Syriaco minori Cornuti formâ & magnitudine ſimiles, elegantiſſimi Aurantii coloris. Hi antequam perficiuntur exigua, oblonga, crocata, anguloſáque capitula mentiuntur; dehiſcentes verò in decem petala finduntur, quinque externa longiora, tenuiora, deorſum flexa, totidémque interna breviora, craſſiora, erecta: è quorum ſingulorum baſi exit ſtaminulum concolor, tenuiſſimum, apiculo deſtitutum. Medium occupat pallidè flaveſcens capitulum, quinquangulum, ſtructurâ valdè eleganti. Fructum nondum videre contigit. Turget ſucco viſcido, lento, in viridi palleſcente, ſapore acri, amaro, nauſeoſo.

10. *Apocynum Americanum foliis Juglandis quod apud* D. Plucknet *ſiccum vidimus.*

11. *Apocynum humile aizoides ſiliquis erectis Africanum* Herman. Hort. Leyd. *Fritillaria craſſa Promont. bonæ ſpei Stapel. not. in Theophraſt. hiſt.* p. 335.

Herman.

Locis montoſis, ſaxoſis, præruptis ad Prom. B. ſp. luxuriant è *radice* exili, alba, fibroſa *cauliculi* modò humi proſtrati, modò obliquè aſcendentes, ſpithamam & ampliùs longi, valdè ramoſi, digitum craſſi, aphylli, lætè viridantes, ingruente verò tempeſtate rigidiori ex livore ad purpureum vergentes, propemodum trigoni, denticulati & circumquaque brevibus, craſſis, obtuſis quaſi aculeis, ſeu prominentibus dentibus, angulorum præruptorum rupium inſtar, ſtipati, ſucco viſcoſo, acri, amaricante, viroſo & nauſeoſo turgentes. Ad dentium ſinus prodit pediculus digito brevior, tenuis, pallidè vireſcens, vel ex livido purpuraſcens, communiter in tres, raròin quinque foliaceos cuſpides abiens, ſuſtinens *florem* amplum, flavum, monopetalum, craſſum, quinque acuminatis laciniis expanſum, foris glabrum, viridantem, quinque purpuraſcentibus per longitudinem ſtriis inſcriptum, intus tenacem, coriaceum, rugoſum, flaveſcentem, punicantibus maculis eleganter conſperſum, odoris fœtidi, viperini: Ex hoc protuberat umbilicus orbicularis, ejuſdem cum flore conſiſtentiæ & coloris, occupans fermè mediam floris partem, cujus centrum concavum tegit ſtella, quinque radiis compreſſis puniceis in extremo bifidis lividíſque constructa: huic inſidet breviſſima craſſiuſcula columella, emittens in imo radios quinque, teretes, rigidos, pallidè punicantes, in ſummo totidem alios, breviſſimos, concolores. Florem deciduum ſequuntur *ſiliquæ* gemellæ, erectæ, virides, ſpithamam longæ, digiti craſſitie, includentes Apocynorum more *ſemina* orbiculata, compreſſa, tenuia, marginibus craſſiuſculis, caſtanei coloris, imbricatim invicem incumbentia, quibus ſingulis inſident flocci ſericei, candidi, ad ſolem aureis micis fulgentes.

Culturam exigit quam Opuntia ſpinoſa. Solem aurámque calidiorem amat, Septentrionalem verò & hyemale frigus in tantum reformidat, ut illico liveſcat, areſcat & pereat. Propagatur tam ſemine quàm avulſis ramulis in terram depactis.

Virtutem poſſidere cum Apocynis communem indicant acris, amarus, nauſeoſus ſapor, & viroſus odor.

12. *Apocynum Americanum arboreſcens ſiliqua maxima* Herman. App.

Herman.

Foliis palmum amplis, mucronatis, è regione oppoſitis, longis pediculis appenſis ſeminibus è Surinama miſſis prodiit. Semina erant membranacea, compreſſa, fuſca, cum alba lanuginoſa cæſarie.

Pag. 1090. *Ad Caput de Aſclepiade add.*
Aſclepiadi affinis ſiliquis foliaceis pappo deſtitutis D. Plucknet.

Pag. 1098. *Ad finem Capitis de Blattaria addend.*
Blattariam Zeylanicam flore amplo miniato Herman. Cat. Hort. Leyd.

Eadem pag. Oxys ſive Trifolii acetoſi ſpeciebus adde,
Trifolium acetoſum corniculatum luteum majus rectum Indicum ſeu Virginianum Moriſ. hiſt.

Hujus cauliculi recti ſunt, ſeu rectà aſcendunt ad pedalem altitudinem: Folia, flores & cornicula ſeu ſiliquas pentagonas, Oxyos luteæ minoris repentis quoad omnes ſuas partes multo majora, aliàs ſimilia fert.

Pag. 1100. *Ad finem Cap.* XV. *de Nummularia addatur*
Nummularia rara Norvegica flore purpureo Bartholin. Act. Med.

Pag. 1101. *Ad Cap.* XVII. *nota.* Nonnulli Violæ aquaticæ duplex genus diſtinguunt, Alterum folio latiore, quod jam deſcripſimus; Alterum folio anguſtiore, Millefolium aquaticum equiſeti folio, caule nudo C. Bauhino dictum; cujus hoc in loco mentionem non feciſſem, ſi non inveniſſem in Cat. Hort. Lugd. Bat. à P. Hermanno edito.

Pag. 1103. *add.*

CAP. XXIII.

A 1. *Cuſcuta* Park. *major* C. B. *Cuſcuta ſive Caſſutha* Ger. *Caſſutha ſive Cuſcuta* J. B. **Dodder.**
Anomalis accenſeri poteſt, vel monopetalis flore tetrapetaloide.

J. B.

ALienæ quadræ aſſecla nunquam non paraſitatur Caſſutha, ingrata hoſpes, quippe quæ herbas fruticéſque quos ſemel arripuit longiſſimis ſtamineis claviculis rubentibus tam arcto nexu complectitur, ut eorum genium defraudet, ſubductóque alimento eos penitus enecet, nullis poſtquam in altum conſcendit nixa *radicibus*, quibus tamen primulum erumpens haudquaquam deſtituitur. *Folia* ei omnino nulla. *Flores* ad intervalla glomerati, caules non ambiunt verticillatim, ſed ad unam duntaxat eorum partem vergunt; ſinguli autem * quatuor foliolis acutis craſſis & ſucculentis conſtant; intus ſtamina totidem medium florem occupant. Ad ſingulos florum glomerulos apponitur foliolum minutum membranaceum, quinetiam è ſignis illis, ubi flores naſcuntur caules ramos fundunt.

* *Hæc calycis foliola ſeu ſegmenta ſunt.*

Cæterùm planta hæc prolixa & verboſa deſcriptione non indiget, cùm ab aliis quibuſcunque abundè diſtinguatur in eo quòd foliis caret, & poſtquam ſuccreverit etiam radice, longiſſimis tantùm filamentis conſtans, quibus plantis contiguis ſe circumvolvit & adhæreſcit, alimentum indè exugens. Semina rotunda, Papaverinis magnitudine paria.

2. *Epithymum ſive Cuſcuta minor* C. B. *Caſſutha minor* Dod. *Cuſcuta* Park. *qui duas ſpecies non diſtinguit.*

An hæc ſpecie differat à præcedente meritò ambigitur: nobis nondum conſtat. Certè quæ in Officinis habetur Cuſcuta filamentis conſtat multo tenuioribus, quàm quæ apud nos paſſim ſponte provenit; & tamen Parkinſonus affirmat eam quæ Viciæ innaſcitur frequentiſſimam eſſe circa Londinum, indéque Pharmacopolia noſtra præcipuè ſuppleri. Et fortè tenuitas apparens exſiccationi debetur; poteſt etiam planta ipſa pro ſterilitate ſoli, aut plantarum quibus adhæret naturâ, vel major vel minor evadere.

Cuſcuta è ſemine in terram deciduo ſe quotannis renovat: Cùm tamen adoleverit radix penitus marceſcere dicitur, plantáque ipſa ex ſtirpibus quibus adnaſcitur totum ſuum alimentum exſugere. Verùm ex accuratiore obſervatione *D. Sam. Dale*, Radices, quæ longæ ſunt & fuſci coloris, non ità ſtatim intereunt, imò (ut ei videtur) non intereunt omnino, ſed plantam ipſam propagant: quamvis verum ſit ex Parkinſoni & noſtra obſervatione ſi ſemen in fictili ſeratur emergere quidem plantulam, ſed brevi radicitus perire, ſi non ſint in propinquo ſtirpes quibus irrepat, unde proculdubio aliquam ſaltem alimenti ſui partem inde exugit. Ex ejuſdem peritiſſ. Botanici obſervatione Flores Cuſcutæ monopetali ſunt in quatuor (rariùs quinque) ſegmenta brevia acuta diviſi, colore albo, calyce viridi ſucculento in quatuor pariter ſegmenta diviſo excepti: quibus ſuccedunt vaſcula ſeminalia rotunda ſingula quatuor ſemina oblongo-rotunda [Parkinſono Papaverinis duplo majora] continentia.

3. *Cuſcuta Americana, ſuper arbores ſe diffundens; Cuſc. trichodes lendiginoſa, arboribus innaſcens ex terra Mariana* D. Plucknet.

Hæc ſuper arbores latè ſe extendit veli inſtar, tenuibus filamentis, ramoſis, variè implexis, & dependentibus. De flore aut ſemine nihil novimus. Gratum bobus & vaccis pabulum eſſe ferunt. Vidimus primò apud D. *Gul. Courtine*, deinde apud D. *Leon. Plucknet.*

Vires.

Cuſcuta Linum & Legumina in quibus copioſiſſime ſæpenumero apud nos provenit, vel ſtrangulat penitus, & corrumpit, vel certè humi deturbat & alimento fraudat, unde non immeritò à nonnullis Orobanche dicitur. Hinc in Suſſexia & alibi ruſtici & agricolæ eam execrantur, odioſis nominibus **Hell-weed**, id eſt, Inferni herba, & **Devils guts**, id eſt, inteſtina Diaboli eam appellantes. Plantarum quibus innaſcitur temperamentum participare aliquatenus creditur. Sic humidior eſt quæ Lino implicatur, quæ Geniſtam ſuperat urinas potentiùs movet, adſtringendi facultatem admixtam habet quæ Rubiæ inſidet. In occidentalibus Angliæ quæ in urtica nata eſt urinis potenter eliciendis efficacem experimento ſuo confirmant incolæ, adnotante Lobelio & poſt eum Parkinſono. Cuſcuta humorem melancholicum blandè purgat. Utilis eſt in ſcabie, ictero nigro, obſtructionibus hepatis & lienis. In fomentis, deſeſſionibus & balneis ſudatoriis ad quaſvis melancholicas affectiones Regiúmque morbum inveteratum præſtantiſſima habetur.

Pag. 1106. *Adde Lilium Perſicum minus* Dodart. Mem.

Pag. 1109. *Cap.* 4. *Ad. Lilium Americanum Acadienſe flore rubro punctato* D. M.

Pag. 1110. *lin.* 8. *Add.*

Alcool Antherarum Liliorum alborum in diuturna urinæ ſuppreſſione unicè olim profuiſſe recordamur. Hagendorn. Cynoſbatol. pag. 48.

Ad dolores poſt partum. ℞ Olei Liliorum ℥jv. Lanæ ſuccidæ eo imbutæ calidè ventriculo ſupponantur. Eſt ſingulare remedium inquit Matth. *Cheſneau.* Habui à D. Hulſe.

Lin. 19. *Poſt ſecundam Lilii ſpeciem pro tertia adde,*

Lilium lato caule multiflorum *Cat. Hort. Reg. Pariſ.* Lilium album Syriacum Rauwolfii *J. B.* D. Hermannus diverſum facit à Lilio albo Conſtantinopolitano *Sultan Zambach* dicto *Cluſ.* Nobis varietas tantùm eſſe videtur.

Lilium Canadenſe imperfectis floribus & irregularibus multis albis *Moriſ. hiſt.* anomala & monſtroſa planta eſſe videtur.

Pag. 1117. *lin.* 4. Incipientem cancrum Cepa ſub cineribus cocta & applicata aliquoties ſanâſſe perhibetur.

Contra colicum dolorem remedium inſigne.] ℞. Cep. inciſ. & rad. Raphani ſylv. ℥ß. Zingib. Nucis moſchatæ ana ʒß. Coque in vini albi ℔jß. ad ℔.j. Cape ℥iiij. ineunte paroxyſmo, & deinde quando opus fuerit. Habui à *D. Ed. Hulſe.*

Pag. 1137. *Addatur,*

Narciſſus Zeylanicus flore albo hexagono odorato, Lunala *Zeylanenſibus* Herman. App.

Huic ſubſternitur bulbus oblongo-rotundus pallidus, ſub corticibus ſuis lanuginoſus, *folia* promens Narciſſina, aſt breviora. Ad horum latera aſſurgit thyrſus levis, craſſitudine calami, proceritate dodrantali, in cujus apice turget vagina membranacea, excludens *florem* unicum hexagonum, monopetalum, candidum, odoratiſſimum, ſex foliaceis, deorſum flexis, circinatíſque laciniis diſſectum. Medium occupat calyx 12 per oras venis inciſus; ex quo producitur ſtylus cum ſex ſubalbidis falcatis ſtaminibus in luteos apices deſinentibus. Sequuntur *ſemina* fuſca anguloſa in vaſculo tricapſulari, more congenerum. Minor hujus Narciſſi ſpecies à majori differt partium omnium parvitate, aliquando etiam florum laciniis minùs contortis, & per oras pallidè cæruleâ lineâ virgatis.

Pag. 1143. *Ad finem Cap.* III. *adde,*

Lilium Africanum humile longiſſimis foliis polyanthos, ſaturato colore purpuraſcens Herman. Cat. Append. *Lilium idem diluto colore purpuraſcens* ejuſdem.

Bulbus huic rotundus, magnitudine & formâ Lilium Sphæricum adæquans, cujus duris membranaceis corticibus, ex quibus totus componi videtur, lanoſa pallida filamenta intertexta ſunt. Foliis viget totâ æſtate ſphærico paribus, ſed proventu prolixiori humi jacentibus. Septembri menſe erigitur ſcapus propè palmaris, in viridi puniceus, è cujus bifida membranacea vagina funduntur deni, aliquando viceni *flores*, in orbem diradiati, hexapetali, forma & colore Narciſſo Liliaceo Ferrarii pares, magnitudine verò inferiores, odore Hyacinthum racemoſum *Muſcari* ſeu *Dipcadi* dictum æmulante, Alterius flore purpura ſaturatiore, Alterius verò dilutiore gratiſſimè rubente. A floris interitu apparent vaſcula oblonga, trigona, tricapſularia fœta ſeminibus.

Lilium Zeylanicum umbelliferum & bulbiferum, Tolabo *Zeylanenſibus* Herman. Cat. App.

Herm.

Ex hujus *bulbo*, oblongo, albido, lanuginoſo aſſurgunt *folia* Narciſſina, lata, glabra, plana, carinata & flexuoſa; inter quæ attollitur thyrſus nudus, rotundus, bipalmis, cujus ſummum caput coronatur *floribus* ſenis noveníſve pro ætate plantæ aut ſoli ubertate, modò paucioribus modò pluribus in umbellam congeſtis, omnibus ſimul è vagina membranacea bifida prorumpentibus: Singuli verò ſex candidis anguſtis longulis petalis conſtruuntur; in quorum medio prominet *ſtylus* cum ſex albidis ſtaminibus in verſatiles flaveſcentes farinaceos apices deſinentibus. His defluxis ſuccedunt in conceptaculis trigonis, tricapſularibus *ſemina* fuſca anguloſa, quæ in bulbos grandeſcunt, conceptacula dirumpunt & germina protrudunt. Eadem ſemina bulbacea obſervantur in Liliis ſphæricis, Siſyrhynchiis nonnullis, aliíſque hexapetalis bulboſis Indicis Africíſque.

Pag. 1151. *lin.* 6. Succum inſpiſſatum bulborum Tuliparum ferunt inficere nigerrimo colore, qui nulla arte elui poteſt. An ergo cùm in Oriente Tulipæ ſponte naſcantur in maſſulas planas morſelliformes eum redactum ità temperare norunt Chinenſes, ut iis atramenti ſcriptorii vel rubricæ fabrilis loco madefactus inſerviat, aut eodem mappas Goſſipinas colorent, aut illius beneficio alia pigmenta ità præparare docti ſunt, ut elui nequeant, aut apricationi expoſitæ telæ Goſſipinæ minimè decolorentur. S. Paulli quadr. Bot. Cl. 2. p. 133.

Tulipa ſerotina ramoſa maxima, flore ſimplici, fimbriato, flavo-vario Herm. Cat. Hort. Leyd.

Herm.

Hujus bulbus emittit *caulem* pede altiorem, robuſtum, incano madore pubeſcentem, & in tres, quatuor, pluréſve ramos diviſum. Singulis inſidet *flos* amplus, in viridi rubro auréoque eleganter variegatus, & multiplicibus petalis modò planis, modò fimbriatis, Roſæ vel Pæoniæ in modum diſpoſitis refertus. Huic æſtate ferventiori ſuccedit aliquando *capitulum* oblongum trigonum, cæteris Tulipis majus & robuſtius, quod dehiſcens in tribus loculis ſex ſeminum ſeries oſtendit more congenerum. Cauli verò ac ramis adſtant folia lata, firma, erectiora; qualia fert Tulipa ſerotina *ϖολυκλαδὴς Cluſ.* cum qua hæc planta ſolis exceptis floribus omnino convenit.

Pag. 1152. *Pro Ornithogalo ſpicato octavo interſeratur*

Ornithogalum Indicum ſpicatum flore lacteo magno, folio Cepæ fiſtuloſo D. Plucknet.

Pag. 1155. *Ad finem Capitis de Ornithogalo add.*

Ornithogalum Africanum luteum odoratum, foliis Cepaceis, radice tuberoſa. Herm. Cat. Hort. Leyd.

Herm.

Huic ſubeſt *radix* ampla, tuberoſa, nonnihil depreſſa, ſeſſilis, pugni magnitudine, coloris flaveſcentis, *Folia* promens longa, fiſtuloſa, cepacea; *Flores* in ſpicam congeſtos, hexapetalos, luteos, odoratos, à quibus profluunt *ſtamina* concoloria, lanuginoſo tomento obſita. Sequuntur *ſemina* more congenerum in vaſculis tricapſularibus.

In udis petroſis Promontorii Bonæ ſpei provenit. *Locus*]

Pag. 1164. *Ad finem Capitis de Hyacintho add.*

Hyacinthus Africanus tuberoſus flore cœruleo umbellato Breyn. Prod.

Breyn.

Radicem habet tuberoſam, ſi rectè memini, albam vel cineream, fibris craſſis & longis imâ baſi diffuſam. *Folia* virentia, oblonga, Hyacinthi Orientalis & Lilio-narciſſi Indici Ferrariani mediam faciem obtinentia. *Caulem* rotundum, nudum, ſeſquipedalem & altiorem haud craſſum, in cujus apice 10, 11, nunc plures nunc pauciores *flores* Hyacinthi Indici tuberoſi & effigie, & magnitudine naſcuntur, umbellatim autem diſpoſiti & cœrulei pulchri coloris. Fructûs forma me latet.

Pag. 1170. *Gladiolus Æthiopicus flore miniato* Hort. Reg. Pariſ. *q. an à præcedenti diverſus? Add.*

Gladiolus max. Africanus Bartholin. Act. Med. Hafn.

Pag. 1172. *Ad finem paginæ adde,*

Colchicum biflorum ſeu vere & autumno florens an à Colchico verno Camer. *differat conſiderandum proponit J. Bauhinus.*

Pag. 1177. *Ad finem paginæ addatur*

22. *Crocus vernus anguſtifolius ſerotinus parvo argenteo verſicolore flore* Herm. Cat. Hort. Lugd. Bat.

23. *Crocus vernus juncifolius ſerotinus cauleſcens, floribus violaceis, ad Solem aureis micis fulgentibus* Ejuſdem.

Hic (inquit) adeò ſimilis eſt Croco verno anguſtifolio Cluſii Rar. l. 2. 207. ut pæne idem videatur. Sed dubium movet cauliculus ſemipalmaris, è cujus apice prodeunt tres quatuórve *flores* violacei ad Solem expanſi, aureíſque micis nitentes.

Pag. 1194. *l.* 20. *adde,*

Ephemerum Africanum annuum flore dipetalo Herman. Cat. Leyd.

A Marcgravio in Hiſt. Braſil. pag. 8. depingitur & deſcribitur ſine nomine, & à nobis, qui tum plantam ipſam non videramus, lib. 23. p. 1332. inter anomalas diſponitur ſub titulo Dipetalæ Braſilianæ foliis Gentianæ aut Plantaginis. Aſt jam Pſeudophalangii ſpeciem eſſe percipimus. Hermannus à Zanoniano Ephemero ramoſo, &c. diſtingui tantùm radice annua & floribus minoribus duobus petalis conſtructis aſſerit. Verùm ſi ego verba Zanoni rectè intelligo, in florum ſitu inſignis eſt differentia: nam in Phalangio Virginiano Zanoni flores ſeminalibus vaſculis non ſunt contigui, quemadmodum in hoc, nec per conſequens tres uno calice incluſi ſed unus tantùm tripetalos tribus vaſculis ſeminalibus poſtea ſe exſerentibus communis, cùm in hoc nullus hujuſmodi flos fit, ſed tribus vaſculis ſem. ex eodem calyce exeuntibus terni inſident *flores* dipetali, hoc eſt, ſingulis vaſculis ſinguli.

Locus. Luxuriat in teſquis & ad margines rivulorum circa Promontor. Bon. Sp. Seminibus deciduis in horto ſe propagat.

Similem ſpeciem, aſt multò minorem, obſervavit Hermannus in *Zeylan* & *Malabar*, quæ in locis uliginoſis, aliíſque herbidis abundabat. A medicis reponebatur inter aquea & refrigerantia medicamenta.

Pag. 1200. *Ad finem Cap. de Aloe adde,*

Aloe Americana ſobolifera Herman. Cat. Leyd.

Herm.

Ex craſſa, fibroſa, palleſcente *radice* prodeunt *folia* facie vulgaris Aloes Americanæ junioris, carnoſa, ſucculenta, modò plana & humi procumbentia, modò canaliculata & arcuatim ſurſum vergentia, lætè viridia, in mucronem minus pungentem abeuntia, & in ambitu crebrioribus exiguis, fuſcis, rigidiuſculis ſpinulis armata. Ex horum medio quinto aut ſexto à ſatione anno aſſurgit *caulis*, ſex ſeptémve pedum altitudine, ſtriatus, compreſſus, ſolidus, durus, herbaceus, raris aliquot *foliis*, inferioribus longe anguſtioribus & tenuioribus caulem firmiter amplectentibus veſtitus, ſpargens circa faſtigium ſex ſeptémve, plures vel pauciores ramos, palmares, ſuſtinentes ex brevibus craſſis petiolis *capitula* oblonga ſtriata, trigona, capſularum ſeminalium rudimenta. E quorum cymis eriguntur *flores* oblongi, ſex luteo-viridantibus craſſis, obtuſis petalis conſtructi, prominente *ſtylo* flaveſcente, cum ſex brevioribus concoloribus ſtaminibus, longis, tranſverſis apicibus donatis. His emarcidis perficiuntur ſubjectæ capſulæ, includentes *ſemina* parva, anguloſa, fuſca, duplici ſerie in tribus loculamentis diſpoſita. Ad ſingularum capſularum exortus, aliquando etiam ad ramorum & foliorum in caule ſinus progerminant novæ ſoboles, quæ avulſæ & in terram depactæ nullo negotio excreſcunt.

D. Hermannus Iridem uvariam Cap. B. Sp. *Bod. à Stapel.* Aloes ſpeciem facit, vocatque Aloen Africanam folio longiſſimo, & anguſtiſſimo, floribus luteis fœtidis.

Pag. 1202. Cannæ Indicæ plures ſpecies diſtinguunt Herbarii, nimirum,

1. *Cannam Indicam latifoliam maximam* Herman. Cat. *Arund. Indic. latiſſimo folio, flore rutilo.* Hort. Reg. Pariſ.

2. *Arundo Indica latifolia flore luteo punctato* C. B.

3. *Canna Americana flore fulgenti cocco ſplendente* Herman. Cat.

Herm.

Hujus ſemina ex Surinama tranſmiſſa ſunt. Stipites edit vulgari Canna Indica paulò humiliores: *Flores* hilari cocco intentiſſimè rubentes; *Semina* minora, in ſpadiceo nigricantia; cætera paria.

4. *Canna Indica anguſtifolia flore flavo. Albara* Piſon. *l.* 5. 21. Herman. Cat.

5. *Canna Africana minor flore ſuave-rubente* Bartholin. Act. Med.

Pag. 1204. *Curcumæ ſynonymis adde,* Curcuma ſive Terra merita Officinarum radice crocea *J. B.* qui verum Indicum Cyperum Antiquorum hunc eſſe ſtatuit. Plantæ ipſius deſcriptionem accuratam debemus obſervationi & induſtriæ Clariſſimi Viri & eximii Botanici *D. Pauli Hermanni*, cujus frequens in hac Appendice mentio, qui non hanc tantùm plantam deſcripſit, ſed & novum unà ſtirpium genus in lucem produxit: Nóſque docuit, quod antea neſcivimus, Simili omnino fructificatione gaudere Bengalam Indorum, Cardamomum majus & minus, Coſtum Arabum, Galangam utramque

tramque, Zedoariam, Zerumbeth Garciæ & Zingiber. Plurimum certè vel hoc ſolo nomine ei debet Reſpublica Medica & Botanica, quòd tenebras illas quibus involuta eſſent, ſimplicia iſthæc medicamenta paſſim uſitata diſpulerit, omnéſque de illis diſputationes & litigia determinaverit & ſuſtulerit.

Conſtat (inquit) Curcuma *radice* tuberoſa, tereti, in tranſverſum acta, Zingiberis facie, craſſitie digiti, ex multis propaginibus cum circularibus in ſuperficie zonis geniculatim conflata, aliquot craſſiuſculas fibras è geniculis demittente, ponderoſâ, foris pallida & modicè ſcabra, intus crocea ac temporis decurſu in puniceum inclinante, ſolida quaſi ex condenſato croceo ſucco preſſiùs compacta, guſtûs acris, aromatici, pinguis, odoris fragrantis. Hujus ſingula genicula protrudunt *folia* lætè viridia, plana, ſpithamam longa, unam duáſve palmas lata, in modicum acumen deſinentia, foliis Cannæ Indicæ junioris adeò ſimilia, ut à rudioribus non facilè ab invicem diſcerni queant. Hoc errore ductum video Bontium, qui *Hiſt. Nat. & Med. Ind. Orient.* l. 7. c. 30. loco Curcumæ delineavit Cannam Indicam in India frequentem, & hortis noſtris familiarem. Cæterùm è novellis & robuſtioribus radicis tuberibus erigitur ſcapus dodrantalis, teres, ſucculentus, ſcriptorii calami craſſitudine è viridi palleſcens, inferiori parte nudus, à medio verò ad cacumen uſque in craſſam rotundam ſpicam faſtigiatus; quam formant foliola ab exortu pallidè viridia, poſtmodum ex flavo rubentia, vel ex pallido flava, duos ungues lata, ſenſim in recurvum mucronem abeuntia, ſquamatim diſpoſita; intra quorum commiſſuras deliteſcit tenax & viſcoſus humor collectus ex nocturno deciduo rore. Inſuper ex ſingulis ſquamis ſucceſſivè prodeunt *flores* oblongi, Cannæ Indicæ facie, aſt triplo minores, quatuor utplurimum pallidè flaveſcentibus aut purpuraſcentibus petalis conſtructi, uno ſuperiore obliquè ſurſum vergente, binis inferioribus rectà protenſis, intermedio verò quadantenus intorto & fimbriato. Quibus excuſſis ſuccedunt vaſcula parva, membranacea tricapſularia, quæ continent *ſemina* rotunda, fuſca, ſeminibus Cannæ Indicæ minora.

Indis adeò familiaris eſt Curcuma, ut vix hortum in Oriente reperire liceat, in quo non colatur. Matureſcit foditúrque radix poſtquam *flores* exaruerunt. Propagatur tam ſeminibus, quàm nodulis ſeu germinibus à radice reſectis. Donatur ſale oleoſo volatili, partibus blandis viſcoſis immerſo. Hactenus Hermannus.

Methonica Malabarorum Herman. hic inſerenda. Vide deſcriptionem inter anomalas inferiùs.

Pag. 1207. Cyclamini multæ ſpecies à nobis omiſſæ habentur in Catal. *Hort. Reg. Pariſ.* & *Horti Academ. Lugd. Bat.* à P. Hermanno editi, quas hîc recenſere non pigebit.

1. Cyclamen Autumnale orbiculato, circumroſo folio, ſubtus rubente, odoratiſſimo flore: Corcyræum *Hort. Reg. Pariſ. Herm. Cat.*
2. Cyclam. Autumnale, folio ſubrotundo lucido molliore & crenato, ſuave-rubente flore, Syriacum *ejuſdem.*
3. Cycl. hyemale orbiculatis foliis, inferiùs rubentibus, purpuraſcente flore, Coum Herbariorum *ejuſdem.*
4. Cycl. hyeme & vere florens, folio anguloſo, amplo flore albo, baſi purpurea, Perſicum dictum *ejuſdem.*

Idem carneo flore, baſi purpurea *ejuſdem.*

5. Cycl. latifolium auriculatum flore ſuave-rubente *ejuſdem.*
6. Cyclamen folio longiore anguloſo & linguam Serpentis mentiente, Regium *ejuſdem.*
7. Cycl. folio paulò longiore, vixdum maculato, flore dilutè purpuraſcente, Romanum recentiorum *ejuſdem.*

Pag. 1210. *poſt hiſtoriam Ari Ægyptiaci Colocaſia dicti adde,*

Arum maximum cauliculis nigricantibus Zeylanicum Herman. Cat. Leyd.

Item, Arum Album Æthiopicum flore albo odorato, moſchum redolente *ejuſdem.*

Item, Dracunculum Indicum caule viridi non maculato *Dodart. Mem.*

Poſt hiſtoriam Dracunculi aquatici adde,

Ariſarum Potamogeiti folio Bocc.

Bocc.

Radice & caule maculato cum aliis Ariſari ſpeciebus convenit. At *Folia* unciam lata, duas longa, ſubtus paululum nervoſa & per terram ſparſa quadantenus Potamogeiti rotundifolii ſunt ſimilia. *Flos* brevior & radii textoris inſtar apertus, exili piſtillo piloſo prægnans, extremo mucronato & hami inſtar adunco. Natales illi Saccæ & Panormi in ſylvula S. Mariæ à Jeſu, &c.

Pag. 1211. *Ad finem Capitis de Aro adde,*

Ariſarum anguſtifolium minimum P. Boccon. *p.* 80.

Bocc.

Humilis eſt hæc planta, & palmarem altitudinem vix ſuperat, *Caule, involucro, piſtillo,* necnon *radice* globoſa eáque candidâ Ariſaro anguſtifolio vulgari perſimilis, ſola omnium prædictarum partium exilitate, atque *Foliis* anguſtis & longis à vulgari diſcrepans. Ad *Saccam*, mediis in ſaxis atque in ſaxorum fiſſuris mihi obvium factum eſt, in loco *La Pirrera* dicto.

Pag. 1218. Orchis anthropophora fœmina *Col.* à *D. Dale* inventa eſt in Eſſexia juxta *Dalington* vicum, prope Sudburiam in veteri Sabuleto.

Pag. 1220. Orchis Scarabæum referens *Breyn. Cent.* 1. p. 45. ejuſdem Orch. myodes fuſca Luſitanica eſt.

Pag. 1240. *lin.* 30. Ad dolores oculorum vehementes] ℞ Cruſtum panis ſecundarii, torreatur & ſtatim quàm maximè calens aquæ immergatur, & extracta mox oculis applicetur per noctem relinquendo.

quendo. Excellens eſt remedium, inquit Liber arcanorum. *Cheſneau.* Tranſmiſit *D. Hulſe.*

Ad ſudorem provocandum in febribus] ℞ micarum Panis communis q. ſ. Calefiat in *MB.* & irroretur vino Hiſpanico & aqua Theriacali; deinde applicetur ſuris pedum & poſt horas ſeptem removeatur. *Idem.*

Pag. 1245. *Ad finem paginæ adde,*

Pulpa Pomorum aſſatorum comminuta & mixta cum aqua fontana, aut Cereviſia tenui non lupulata, deinde ſyrupo violarum edulcorata & pota ad ſtranguriam valet.

Ad tonum nervi aut tendinis læſum, & dolorem in quavis parte] ℞ duas quartas Cereviſiæ optimæ, veteris, ad Olei aut extracti conſiſtentiam decoque, eóque partem affectam frequenter inunge.

Pag. 1246. *Ad finem capitis de Hordeo adde,* In Hiſtoria neſcio quomodo omiſſum eſt Hordeum nudum ſeu Gymnocrithon *J. B.* quod ſic deſcribit. Hujus ſpica Hordeaceam imitatur horrido ariſtarum barbitio, at verò grana rufeſcentia, utrinq; acuta, una facie ſulcata, ex adverſæ partis mucrone germen longiuſculum oſtentantia, glumâ ſimplici obvoluta levi etiam digitorum attritu faciliùs quàm Triticea exſiliunt. Siquis autem verſuum ordo obſervari poſſit quaterni ii videri poſſint, porro folium latum, multum calamos amplectitur.

In Catalogo Horti Edinburgici Sutherlandii; & *Hort. Acad. Lugd. Bat.* habetur Hordeum nudum. Quomodo hoc differt à Gymnocritho ſive Hordeo nudo *J.B?* Zeopyro ſeu Tritico-ſpelto *C. B?*

Pag. 1251. *poſt tertiam Milii ſpeciem adde,*

Milium Indicum Arundinaceo caule, granis flaveſcentibus Herman. Cat. Hort. Leyd. *Frumentum Indicum, quod Milium Indicum vocant* C.B. Theat.

In ſeptenum pedum altitudinem aſſurgit culmo Arundineo, digitum craſſo, quem à geniculo ad geniculum involvunt folia frumento Indico anguſtiora & longiora, lineâ albâ per mediam longitudinem notata. In ſummitate erigitur juba dodrantalis, pugni craſſitudine, multis paniculis, ſtrictiùs invicem junctis coacervata, *flores* lanugineos pendulos Milii inſtar flaveſcentes proferens; quibus defluentibus ſuccedunt grana copioſa, rotunda, nitida, dura, pallida, farinacea, magnitudine Orobi; ſingula inſident calyculis bifidis, parvis, nigris, ſplendentibus.

Milium Indicum Arundinaceo caule, granis nigris ejuſdem ibid.

Herm.

Hoc cum priore convenit creſcendi modo & forma, ità tamen ut grana ferat nigra, lucida, in ſummo nonnihil tomentoſa.

Utrumque Milium quanquam in utraque India omnium frugum fertiliſſimum ſit, ſatum tamen in hortis noſtris difficulter ad frugem perducitur.

Pag. 1252. *Capiti de Milio Arundinaceo adde,*

2. *Milium maximum Indicum. Lithoſpermum Arundinaceum aliud, Tozcuitlapil xochitl Hernandez* p. 282. *Milium Solis Bontii,* p. 152.

Hernand.

Folia fert Arundinacea, fructum initio candidum & gemmantem, tandem nigrum, & nitidum & precariis vocatis globulis perſimilem. Quamvis calidis maxima ex parte locis naſcatur, frigida tamen & temperata non refugit, tranſlatum jamdudum in Hiſpaniam. Tumores præter naturam repellit. Valet etiam adverſùs renum & veſicæ affectus.

Pag. 1263. Graminis Loliacei hac æſtate ſpeciem in pratis obſervavimus ſpicis partialibus totalem componentibus anguſtioribus teretioribus nec ità compreſſis, longioribus etiam, quam in vulgari, inferioribus non ſeſſilibus in ala ſeu ſinu cujuſdam folioli, ſed longis pediculis inſidentibus; aliæ adhuc differentiæ obſervari poſſent.

Pag. 1266. *Ad finem Capitis* VIII. *adde,*

Gramen Alopecuroides Indicum maximum.

Culmis aſſurgit bicubitalibus aut tricubitalibus, Spica tres uncias longa, teres, Graminis typhini ſimilis, ſed major, non è ſquamis compactilis quemadmodum illius, ſed ex ſeminibus confertis ſingulis pilorum tenuium congerie velut penicillo quodam ad baſin cinctis.

Ex ſeminibus Indicis in horto Reverendiſſ. Epiſcopi Londinenſis ſuccrevit.

Pag. 1271. *lin.* 9. *adde,*

Gramen hirſutum repens ſpicâ ſimplici, molli J.B.

J. B.

Importuna luxuries eſt radicum albentium, nitidarum, geniculatarum, ſapore ſubdulci, quibus in immenſum ſe propagat. *Folia* longa, hirſuta, mollia, vaginâ longiſſimâ culmum nodoſum tenuem cubitalem obvolvunt. Panicula mollis contractior, palmum circiter longa ex viridi purpuraſcens.

Locus. Abundat in vineis Montbelgardi florens Junio & Julio.

Pag. 1273. *Ad finem pag. & Capitis de Gramine Dactylo adde,*

Gramen Dactylon maximum Americanum Hort. Reg. Pariſ. *Dactylon Indicum eſculentum ſpica articulata* Ambroſin. Phyt. *Seſamum perenne Indicum* Zanon.

Zanon.

Semine ex India delato enata eſt, nihilominus hyemis ſecura, in horto Jacob. Zanoni ad trium

** Bononienſium.* * ulnarum altitudinem excrevit, *radice* ſimplici altè deſcendente, è capite multa germina emittente &

& fibras ſpargente. E majoribus radicis germinibus exeunt *culmi*, penna ſcriptoria majores, ad medietatem uſque crebris foliis cincti, reliqua parte nudi, ex rotunditate plani ſeu compreſſi, ſupernè virides, inferiùs lucidi, foris Arundinum ſimillimi, intus ſpongioſa medullâ Sorghi inſtar pleni; nodis prægrandibus raris intercepti, ima viz. parte plus quatuor digitis à ſe invicem diſtantibus, & ſuperiùs multo adhuc plus, ut ſuprema internodia aliquoties ulnam longitudine excedant: inflexi rumpuntur & contriti ſuccum reddunt aqueum. *Folia* ad radicem ulnam aut etiam duas ulnas interdum longa; quæ in caule ordine breviora, fragilia, per longum ſtriata & velut plicatilia, foris viridia, intus albicantia, ad margines aſpera, abſque ulla tamen ſerartura, piloſa. Singuli culmi ſingulas, binas, ternáſve, interdum etiam quaternas aut quinas geſtant *ſpicas* ſpithamam longas, triangulares, ſquamoſas; inter ſquamas [ſingulas] menſe Junio exeunt lingulæ duæ lanuginoſæ colore Laccæ *del Verzino*, & poſt has eodem menſe, atque etiam ſequente, per unamquamque ſpicæ diviſionem enaſcuntur flores ſtaminei apicibus obſcure flavis ut in aliis hujus generis, quorum particularem deſcriptionem apud autorem noſtrum vide. Floribus ſuccedunt *ſemina* tegumento pyramidali, duro, foris colore paleaceo, intus argenteo contenta, éque tribus lateribus glumis coloris paleacei cincta; Teguminibus hiſce exutis *ſemen* membrana ex albo ſublutea tectum apparet; quâ detracta nudum pyramidalem retinet figuram, dum recens eſt Piſtacii mundi colore, exſiccatum ad albedinem inclinans, valdè oleoſum. Spicæ ſcapus medius ex articulis invicem commiſſis componitur, quorum unuſquiſque dentis ſine radice formam habet. Reliquam deſcriptionem vide apud Zanonium.

Pag. 1275. *lin.* 6. *adde,*

Gramen Filiceum paniculis integris Bocconi.

Bocc.

Radice eſt fibrata, *culmo* tenui & geniculato, foliis paucis veſtito, cujus faſtigium obtinent pulchræ paniculæ, vulgari Gramini Filiceo pares, ni ſimul eſſent conjunctæ, & palmam manûs extenſis junctíſque digitis imitarentur.

In litore *S. Eraſimi* loco *li Stazzuni* dicto nobis apparuit.

Pag. 1277. *poſt decimam Arundinis ſpeciem adde,*

Arundo Indica variegata ſeu Laconica Cornuti 55. *Laconica à Petro Mullerio* Stapel 440. Herman. Cat.

Cornut.

Hujus radix vulgaris more naturâ vivax & geniculata: Singulis annis calamos & folia vere novat, quæ duo ſimul apud nos hyeme intercidunt. Calamus hominis proceritatem implet ac ſuperat, vix nudus oculis patet. *Folia* enim, quæ in ſuo exortu tubulo facto, pediculi vicem præſtant, complexu tenues, per ambitum inducunt tunicas atque ità ſubinde naſcentia ab imo ad ſummum uſque calamum operiunt. Inter hæc folia quædam cubitum longitudine ſuperant, latitudine unciam alteram explent: incana ſunt omnia, variè tamen colorantur, excurrentibus lineis latis, quarum aliæ ſubflavæ ſunt, aliæ virides, aliæ ſubrubræ, quanquam is rubor non omnibus foliis communis ſit, ſed tantùm ad radicem natis. Ejus paniculam videre non licuit.

Pag. 1280. *Cap.* 4. *poſt tertiam ſpeciem Graminis Arundinacei interſeratur,*

Gramen Arundinaceum aquaticum paniculâ Avenaceâ.

Hoc genus à *D. Sam. Doody* Pharmacopœo Londinenſi, Rei Herbariæ peritiſſimo & maximè induſtrio ad ripas Thameſis fluvii inter Londinum & Chelſeiam obſervatum ad nos ſiccum tranſmiſſum eſt. Ad tricubitalem altitudinem aſſurgit *culmo* grandi, Arundineo, geniculato, longis internodiis, in cacumine longam, non multùm ſparſam, ſubinde purpuraſcentem, è ſpicis ſquamoſis muticis compoſitam paniculam geſtans. *Folia* anguſtiora quàm pro magnitudine plantæ, longiſſima.

Pag. 1289. *poſt ſeptimam Gram. Avenacei ſpeciem interponatur,*

Feſtuca Avenacea ſpicis ſtrigoſioribus è glumis glabris compactis.

Ad pedalem aut cubitalem altitudinem aſſurgit, *culmo* tenui, tribus aut quatuor articulis intercepto, *foliis* anguſtis, oblongis, utrinque hirſutis cincto. *Paniculam* in faſtigio explicat longiorem & anguſtiorem ſeu minùs ſparſam, & paucioribus ſpicis compoſitam quàm præcedens. Sunt etiam ſpicæ ſingulares glabræ & ſtrigoſiores quàm illius, aliàs ſimiles.

In pratis humidis provenit. *D. Dale* obſervavit & attulit.

Gramen Avenaceum glabrum panicula è ſpicis raris ſtrigoſis compoſita, ariſtis tenuiſſimis.

Culmo eſt cubitali aut etiam longiori, tenui, quatuor aut quinque geniculis intercepto; ad quorum ſingula *Folia* ſingularia, ut in omnibus ferè Graminibus, aliquouſque eum obvolvunt, modicè lata, viridia, ſtriata, glabra. Faſtigium occupat *panicula*, laxa, è ſpicis ſtrigoſis, paucioribus & rarius ſitis compoſita. Spicarum ſquamas ſingulas ariſtæ terminant longiuſculæ, capillaceæ ferè tenuitatis. *Radices* fibroſæ. Fulhamiæ propè Londinum, in aggere inter locum exſcenſionis è cymbis & Epiſcopale palatium, à *D. Doody* obſervatum oſtenſum & ad nos tranſmiſſum eſt.

Gramen Avenaceum panicula purpuro-argentea ſplendente D. Doody.

Radix, quantum ex ſicca diſcernere licuit, paucis & brevibus fibris conſtat, plantam tamen perennem eſſe conjectatur *D. Doody*. *Culmi* cubitales & altiores, tenues, duobus tribúſve articulis donati, totidémque *foliis* veſtiti, paniculam in ſummo geſtantes, non multùm ſparſam, purpuro-argenteam & ſplendentem, non è ſpicis ſquamoſis compoſitam ad modum præcedentium, ſed ex locuſtis Avenacearum æmulis, quarum unaquæque tria plerunque grana glumis obvoluta & ariſtata continet, ariſtis prætenuibus, nonnihil incurvis, purpuraſcentibus. *Folia* ad radicem & in caule ima hirſuta, in ſuperioribus hirſuties non apparet in ſicca, omnia, brevia & anguſta potiùs quam lata, & longa; quæ autem è radice exeunt in ſicca anguſtiora videntur.

Locus. In paſcuis circa ædes Comitis Cardiganiæ ad *Twitnam* Middleſexiæ vicum.

Pag. 1296. *pro ſexta Graminis Cyperoidis Polyſtachii ſpecie adde,*

Gramen Cyperoides foliis mollibus tenuibus, ſpicis brevibus coacervatis tribus quatuórve in ſummitate caulis.

Hæc ſpecies ambigere videtur intèr hoc & ſequens genus: nam ſpica in ſummo paleacea caſſa ad hoc pertinere eam arguit: at ſpicæ ex ſeminibus compactiles, breviſſimæ, & globulorum æmulæ, in ſummo caule coacervatæ, non exeuntes è foliorum ſinubus, nec pediculis inſidentes, ſed cauli immediatè adnatæ, ad ſequens. *Folia* ei anguſta, oblonga, è radice crebra, & Gramineorum inſtar mollia. *Caules* pedales, tenues, nudi, triquetri, enodes. Radicibus & modo ſe propagandi non videtur ab aliis Cyperoidibus differre.

Locus. In ericeto Hampſtedienſi propè Londinum invenit *D. S. Doody.*

Pag. 1299. *lin.* 4. *adde,*

Gramen Cyperoides ſpica ſimplici compreſſa diſticha.

Caulis ſemipedalis aliquouſque ſupra ſpicam producitur, ut ſpica è ſinu caulis egredi videatur quemadmodum in Juncis. Eſt autem ſpica ſimplex, mollis, non admodum compacta compreſſa, diſticha, colore Caſtaneo, lucido. Folia, forma & creſcendi modo reliquis Cyperoidibus reſpondent. Hoc genus à *D. Newton* mihi primò oſtenſum eſt, à ſe collectum in aquoſis propè *Orton* Weſtmorlandiæ vicum, necnon circa *Chiſſelburſt.* Habui etiam à *D. Doody*; & exſiccatum vidi apud *D. Plucknet*, qui primus illud obſervâſſe dicitur.

Pag. 1312. Sparganium ſecundum ſeu non ramoſum apud nos naſcens ſuperiori æſtate obſervatum deſcripſimus his verbis,

Fibris multis, prælongis, ſimplicibus, craſſiuſculis, è luteo albentibus, profunde in limum demiſſis *radicatur.* E radicis capite plurima exeunt *folia* pedalia aut cubitalia, etiam longiora, vix ſemunciali latitudine, lævia, mollia, neque carinata, neque ſtriata ut in majore ſpecie, intus concava, in acutum terminata: Inter quæ aſſurgit *caulis* teres, geniculatus, ſolidus, infirmus, cubitali longitudine, vel major minórve pro altitudine aquarum in quibus oritur, ad ſingula genicula ſingulis foliis veſtitus, quæ ima parte eum vaginæ inſtar cingunt, ſenſim breviora ad ſummum uſque. In ſummo caule florum & ſeminum globuli quatuor vel quinque habentur, quorum infimus pediculo longiuſculo è folii ſinu egreſſo inſidet, ſuperiores in aliis foliorum ſeſſiles non tamen caulem undique ambiunt, quo à planta J. Bauhino deſcripta differt. Summi globuli meris ſtaminulis floreis quibus nullum ſuccedit ſemen conſtant, inferiores pilulæ ſeminiferæ ſunt.

Pag. 1313. *Adde,*

2. *Capicagtinga, aliis Jacarecatinga Acori ſpecies* Piſon.

Europæo noſtro externâ figurâ, ſive radicem, ſive folia ſpectes, excepta magnitudine, multùm ſimilis. Sed quantùm mole inferior, tantùm efficaciâ ſuperior exiſtit, inprimis radix, quæ calida & ſicca eſt, grato amarore & aromatico ſapore linguam vellicans. Ea ſola, vel aliis mixta non tantùm ad incidendos frigidos humores peccantes feliciter adhibetur, ſed & contra venena aſſumpta inprimis uſurpatur, ab advenis æquè ac indigenis. Non ſemper uliginoſis locis ſicut Iris, ſed etiam promiſcuè aliis terris gaudet depreſſis, gleboſis.

3. *Acorus Aſiaticus radice tenuiore* Herman. Cat. *Calamus aromaticus* Garciæ Arom. hiſt. *lib.* 1. *cap.* 32. *Q. an & quid differat à præcedente.*

Acorus hic omnibus partibus convenit cum Europæo, excepta ſola radice, quæ tenuior eſt & compactior, ſuperficie crebriùs geniculata, odore & ſapore gratiori.

Locus. Sponte ſua luxuriat in Malabar & inſula *Zeilan.* Incolis Vazubu & Vazumbo audit.

Pag. 1318. Ad plantam *Jupicai* Piſoni dictam & pro Graminis ſpecie propoſitam nota, *D. Baniſter* in Catalogo Virginienſium pro Gladioli ſpecie habere titulo Gladioli lutei tripetali floribus pluribus minimis ex uno capitulo ſquamoſo erumpentibus.

Nardus Indica Ger. *Indica vulgaris* J. B. *Indica ſive Spica Nardi* Park. *Indica, quæ Spica, Spica Nardi, & Spica Indica* Offic. C. B.

Nardus Dioſc. l. 1. fortè à Naardo, urbe Syriaca Euphrati contermina, aliis Ναρδόσταχυς. Genera multa recenſet Dioſcorides cap. 6. quæ varietates potiùs loco natali ſolùm differentes, quàm ſpecies diſtinctæ videntur. Nardi Indicæ nomen (inquit J. Bauhinus) particula duntaxat plantæ hodie obtinet, quæ & Spica ob figuram dici meruit. Eſt autem nihil aliud quàm comatum radicis caput, ex marcidorum foliorum nervoſis filamentis convolutis congeſtum, colore ruſeſcente, ſapore amaro, acríque & aromatico, odore Spicæ Celticæ, validiori. Adhæret hæc coma radici digitalis craſſitudinis, ſaturatiùs ruſtæ, ſolidæ, ſed fragili: eſt ùbi folia quoque nondum in nervos divulſa, albicantia inveniuntur: Cauliculi etiam concavi, ſtriati, pluréſque ex eadem radice capillatæ ſpicæ enatæ, ſubinde conſpiciuntur.

Miror autem quenquam huic plantæ *caules* potuiſſe negare, cùm eorum partes infimæ filamentis nervoſis obvolutæ, ſe cuivis examinanti facilè conſpiciendas præbeant.

Quicquid autem repugnet Anguillara aliíque, ego cum J. B. Garcia aliíſque peritioribus Botanicis exiſtimo noſtram Spicam Nardi Officinarum veram eſſe & genuinam Antiquorum Nardum Indicam.

Porrò non eſſe diverſa Nardi genera, ſed unicum duntaxat ſibi notum teſtatur Garcias, id ſc. quod in monte quodam juxta Gangem fluvium provenit, qui altera quidem parte Orientem ſpectat, altera Occidentem; ad quem Occidentem ſita eſt Syria, multis regionibus ab India diſcreta: neque una præſtantior eſt altera, ſpicámve habet alia altera multò longiorem. Nec eſt quòd quis ex ingenti pretio quo antiquitus teſte Plinio l. 12. c. 12. emebatur, inferre ſtudeat noſtram Nardum non eſſe legitimam. Nam Indiæ nunc magis apertæ & cognitæ ſunt quàm tempore Plinii fuerunt, & ipſa aromata majori copia, minúſque adulterata quàm Plinii tempore ad nos adferuntur, proinde & viliori pretio emuntur, ex quo in Indias circum Africam navigari cœptum eſt.

Magna eſt inter eruditos quæſtio, quæ pars Nardi στάχυς ſit. Quidam radicem eſſe affirmant, quidam negant. Prioribus ſuffragatur Galenus, 1. Antid. 14. Ὁ Ἀνδρόμαχος Ἰνδικὴν νάρδον κελεύει βαλεῖν, ἥντινα καὶ στάχυν ὀνομάζομεν νάρδον, καί τοι ῥίζαν οὖσαν, ἀπὸ τῆς πρὸς τοὺς ἀστάχυας ὁμοιότητος κατὰ τὴν μορφήν. Poſteriores Dioſcoridis autoritatem opponunt, dicentis, *Plures habet ſpicas ab eadem radice, tum comoſas, tum ſibi invicem convolutas.* Dicendum, ſpicas dici cauliculos multis capillaceis foliis obſitos, qui quamvis radices videantur, reverà non ſunt, ſubſunt enim radiculæ ſeu fibræ quibus alimentum attrahit planta; atque has vocat radices Dioſcorides & à caulibus diſtinguit. Interim tamen hanc plantam caules emittere ſumma parte ſpicis, aut paniculis onuſtos, ad modum Graminum aut iis affinium plantarum, minimè dubium eſt.

Nardi Dioſcoridi vim habent calefaciendi, exſiccandi, urináſque ciendi. Quamobrem & alvum epotas ſiſtere, & appoſitas ex utero fluxiones ſaniémque compeſcere. Ex frigida verò potas nauſeæ & ſtomachi roſionibus auxiliari: itémque iis qui à flatibus exagitentur, hepaticis, ictericis atque nephriticis; coctas verò in aqua & pro fomento inſeſſibus adhibitas vulvæ inflammationibus adhiberi. Facere & ad ſuperfluo humore redundantes oculorum palpebras, dum ipſa cilia aſtringunt & condenſant: Quin & ſiccas ad ſummovendam graveolentiam humentibus corporibus utiliter inſpergi: Miſceri etiam antidotis. Porro ad ocularia quoque medicamenta uſque ad ſummum lævorem tritas & cum vino in paſtillos conformatas vaſe novo non picato recondi.

Nardi folium Plinio principale eſt in unguentis. Variè autem præparabatur Nardinum unguentum ab Antiquis. V. Dioſcoridem. Vis autem ejus attenuans eſt, acris, exterſoria & rarefactoria humorum, & calefactoria.

Nardus Gangitis ſpuria Narbonenſis Park. *Spuria Narbonenſis* C. B. *Narbonenſis* Ger.

In montis amœniſſimi & celſi, herbarum lectiorum feraciſſimi, cui idcirco nomen *Horti Dei* impoſitum, ſeptem plus minus mill. à *Gange* urbecula diſſiti clivo quà ad meridiem maréve Mediterraneum vergit, hæc uberi proventu erumpit, muſcidis & udis tractibus; infima *radix* puſilla, exilibus fibris duris & raris, quæ ſubſunt ſpicatis comosíſque torulis, minimum digitum craſſis, colore palleſcentibus ex fuſco, ferè palmum altis, non valdè mucronatis, ſed quadantenus per extrema reciſis. *Folio* eſt viridi, rigido, junceo, vix pedem alto, numeroſo, quod ab ima radice ortum trans ſpiceam comam imum caulem ambientem ſeſe exſerit: multæque plantæ quaſi uno ceſpitis ambitu amplexæ unius effigiem præ ſe ferunt. Tota inodora eſt præterquam capillamenta ſpicea, quæ multò craſſiora quàm Indicæ ſunt, odore muſci Querni vel terreſtris, cui ſemimerſa humo inſeruntur comoſa capillamenta: è quibus gracilis ac nitidus junceus culmus *Elphæ* vocatæ non diſſimilis, cubitum altus exit, à medio cujus ad ſummum alternatim ſunt admodum exiles herbaceæ ſiliquæ, apiculis è calyculis aliquantum Schœnanthi flori, aut defloreſcenti Geranio aut Cotyledoni ſimilibus.

Adverſariorum autoribus Nardo Gangitidi Dioſcoridis prorſum quadrare videtur.

Pag. 1323. *pro Synonymo Cotyledonis repentis Braſilienſis adde,*
Acaricoba Piſonis p. 259. *ex quo & deſcriptionem ſupple.*

Flores hinc inde ex diverſis caulibus ex luteo albeſcentes fert. *Radix*, quæ longa & ſarmentoſa quaſi eſt, contrita odore eſt radicis Petroſelini, guſtatu perquam jucunda & aromatica, tenuium & calidarum partium, ut inter radices aperientes haud poſtremum locum mereatur. Incolæ recentem foliorum ſuccum inter decantata habent antidota, vomitúmque ſicut noſtrates foliis Aſari eo ſuſcitant. *D. Banniſter* in Catalogo Virginienſium ſe nullam potuiſſe obſervare differentiam ſcribit inter hanc & Cotyledonem paluſtrem noſtratem.

Pag. 1325. *Ad finem Capitis* XII. *de Gladiolo lacuſtri adde,*

Nos plantam hanc cùm primo eam invenimus quàm potuimus accuratè deſcripſimus his verbis: Sub aquis creſcit, plurimis *fibris* majuſculis albis in arenas demiſſis, ſapore nullo præditis. *Folia* ad radicem plura, duas circiter uncias longa, anguſta, extremitatibus reflexis, duplici intus ſecundum longitudinem tubo excavata. *Caulis* ab una radice aſſurgit unicus, pedalis & altior, teres, intus concavus, purpuraſcens, foliis per intervalla longiora veſtitus: propè ſummitatem *flores* geſtans pediculis brevibus, tenuibus, è foliorum ſinubus exeuntibus inſidentes, octo aut decem, plures, paucioréſve, rariùs diſpoſitos, pallidè purpureos cœruleóſve, è tubo ſimplici in quinque ſegmenta expanſos, quorum duo ſuperiora anguſtiora & ſurſum reflexa, inferiora tria latiora & concava. Succedit vaſculum ſeminale majuſculum, *ſemina* intus continens plurima, perexigua, purpuraſcentia. *Stylus* in medio flore, & ſtamina purpurantibus apiculis donata. Calyx floris quinquepartitus. Repit hæc planta flagellis emiſſis Fragariæ modo.

Capparis Portulacæ folio C.B. *fabaginea, ſive Peplios Lutetianorum* J. B. *Telephium Dioſcoridis & Plinii* Col. *Capparis fabago* Ger. *fabago, ſive leguminoſa* Park.

Col.

Radicem habet craſſam, perennem, longam, æqualem, candidam, tenui cortice obductam, teneram, ſed vetuſtate lignoſiorem, capite extuberante ob germinum vetuſtorum amiſſionem, & novorum quotannis eruptionem. Plures quidem exeunt ab radice *rami*, firmi, teretes, læves, virentes, geniculati, ſpontaneæ Portulacæ ſimiles; ſingulíſque geniculis *folia* utrinque adhærent uncialibus petiolis vel minoribus, craſſis, foliatis, Aurantiorum petiolis quibus folia inſident ſimilibus, minoribus, atque anguſtioribus bina ab eodem ortu prodeuntia, carnoſa, craſſa, lævia, effigie Portulacæ, lenta, ſuccoſa, ad cœruleum quodammodo vergentia, ob candidam aſperginem, quâ dealbari videntur ex viridi, circa radicem latiora & majora, ut lata ſint uncias duas, & longitudine 2½ ſuperent; circa ramos decreſcentia Portula cæparia, & in ſummo minora. E foliorum ortu & caulis geniculis breves bini producuntur petioli, circa ſummum è medio ramulorum, in quibus primùm virides *corymbi*, rotundi, parùm oblongi inſident, erecti, qui dehiſcentes alba folia interna exſerunt parùm, numero quina, ſicuti & externa illa continentia calycis vice, corymbum efficientia, pluribus croceis, oblongis, intermediis, tenuibus *ſtaminibus* capitatis productis, ex eorum centro tantundem excedentibus. Stamina quidem illa primùm craſſo capite, brevi filamento ſunt, cùm flos parùm hiat & cavus conſpicitur; at perfectiore flore producuntur admodum ſtamina, capitella ſeu apices minuuntur; atque interna foliola floris candida croceum unguem, dimidium folioli occupantem oſtendunt. Floribus marceſcentibus atque decidentibus petioli remanent, *ſiliquas* habentes, elatas, parvas ſtaminibus adhuc remanentibus: At perficiente ſe ſiliqua, Raphani ſiliquam æmulante, *ſtamina* pereunt, petiolus intorquetur & ſiliqua deorſum nutat, vireſcens, lævis, nitida, circa extremum craſſa, atque pilum habens, à quo veluti lineæ quinque per longum deducuntur, quibus ſiliqua jam maturitatem & ſiccitatem adepta dividitur hians, ſemináque demittens oblonga, plurima.

Junio & Julio floret, & ſiliquas profert, Auguſto & Septembri menſe perficitur.

Sapor plantæ amarus, parùm acrimoniæ offerens guſtui, non multum à Capparis vulgaris ſapore alienus, unde & Capparis nomen ei inditum. Quia foliis alatis Fabæ folia imitari videretur, alii Fabaginem dixerunt.

Radicis ſapor acerbus, parùm acris, ad amarum inclinans. Folia verò magis amara. Ob amarorem ad vermes necandos apud Syros in uſu eſſe tradunt.

In Italia locis ruderatis ſponte naſci perhibetur. At nos nullibi in Italia ſpontaneam obſervavimus, nec ab alio quoquam fide digno obſervatam audivimus.

Pag. 1326. *Ad finem Capitis de Acantho adde,*

Acanthus exoticus Breyn. Prod.

Pag. eadem, Ad Cap. de Leontopetalo adde,

Leontopetalon capitatum Americanum Muntingio in Hiſt. Plant. Belg. deſcriptum & depictum, Lib. 3. pag. 361.

Pag. 1338. *Ad finem paginæ adde,*

Hæc planta umbellifera Chinenſis foliis Seſelios Æthiopici, radice Paſtinacæ, *Niſi* ſeu *Genſeg* dicta D. *Tancredo Robinſon* inſcribitur. Qui ex accurata plantæ icone è China ad Regiam Societatem miſſa, foliis longis, anguſtis, acuminatis, alternatim diſpoſitis eam eſſe ſcribit, floribus albis, pentapetalis, umbellatis.

P. 1340. *Zedoariæ longæ hiſtoriæ adde,*

Celeberrimus Vir D. Paulus Hermannus in *Cat. Hort. Leyd.* hanc plantam Zingiberis latifolii Sylveſtris Zerumbet Garciæ nomine, plenè & accuratè deſcribit his verbis.

Spontaneo proventu luxuriat in Sylvis lociſque aliis umbroſis inſulæ *Zeylan*, Malabaræ, cæterarúmque Orientalium regionum, Malabaris *Kua*, Zeylanenſibus *Walinghuru*, hoc eſt, Sylveſtre Zingiber dictum, cujus *radix* prælonga, brachium craſſa, inæqualis, nonnihil depreſſa, ex crebris prominentibus tuberibus ceu apophyſibus per genicula junctis compacta, alba, nonnunquam flaveſcens, carnoſa, ſucculenta, tenacibus craſſioribus filamentis intertexta, modò in ſoli ſuperficie hærens, modo altiùs demiſſa, paucíſque albentibus fibris capillata, guſtûs acris amaricantis, aromatici, ad Zingiber accedentis, ſed magis terreſtris & minùs grati, odoris fragrantis. Ex hujus tuberculis eriguntur *caules* ſeſquicubitales, craſſitudine digitali, herbacei, depreſſi, viridante medulla pleni, quos alterno ordine ab imo ad ſummum uſque veſtiunt *folia* ſpithamam longa, tres, quatuórve tranſverſos digitos lata, in mucronem abeuntia, glabra, polita, altera parte viridia, altera in viridi pallentia, fulcita pediculo craſſo breviſſimo, qui lato ac folioſo ſuo principio Arundinum Graminúmve ritu caulem involvit, & in nervum per folii longitudinem excurrentem terminatur. His in caulibus *flores* nulli conſpiciuntur, ſed ex peculiaribus radicum tuberculis, velut in Curcuma cæteríſque hujus ſortis aromatibus, ſingularis erigitur ſcapus, prælongis aliquot foliaceis ſquamis, ſcapum ſtrictiſſime ambientibus contectus, apice in oblongo-rotundum, ſquamatum rufeſcens caput, ex multis obtuſis foliolis imbricum modo hærentibus conſtructum, faſtigiato; è cujus ſquamarum interſtitiis proſilit *flos* oblongus, utplurimum pentapetalos, Curcumæ aut Zinziberi ſimilis, petalo ſuperiori oblongo, pellucido, galeæ inſtar erecto duobus inferioribus conformibus inſtar labii protenſis intermedio flaveſcente, ſinuato, ad marginem fimbriato, ex anguſta cervice in rotundam latitudinem diffuſo. Huic demum ligulæ inſtar incumbit petalum craſſum albidum, reliquis anguſtius, craſſius tamen & robuſtius, deſinens in parvum, leviter inflexum mucronem. His omnibus marceſcentibus ſuccedit vaſculum penè trigonum, continens in tribus loculamentis *ſemina* rotunda, fuſca, Cannæ Indicæ paulò minora, cæteroqui valdè ſimilia. Culturam poſcit eandem quam Curcuma.

Sale volatili oleoſo aromatico abundare hujus radicem inter alia probat deſtillatio. Tranſmittit enim per Alembicum aquam fragrantem cum ſufficienti oleo, cui, ſi recens fuerit deſtillata innatat Sal volatilis paucus, formâ nivis aut Camphoræ. Hic in ſpiritu vini ſolutus, conditis, electuariis, aliiſve debitè remixtus, acidis ventriculi cruditatibus & ex iiſdem obortis flatibus ac doloribus mirabiliter conducit. Idem ſed cum blanda alvi dejectione præſtat ſuccus ex radice recenti expreſſus. Conſciſſa, ſiccata & in farinam trita plurimam acredinem amittit, quâ ratione conficiuntur ex ea panes, quibus annonâ duriore veſcuntur Indi. Mucilago ſquamati capitis interſtitiis inhærens aromatis hujus virtutem nonnihil redolet, & propterea doloroſo & debilitato ventriculo cenſetur utiliſſima. *Hæc omnia Hermannus.*

Juncus Floridus minor C. B. Prod.

C. B.

Radice eſt candida, geniculata, fibris plurimis adhærentibus; *caule* palmari; *foliis* ternis, junceis, oblongis, acutis, duobus caulem ſuperantibus; cujus ſummo ſingulis pediculis, qui quini ſunt, alternatim ſibi ſuccedentes, flores (quos non vidit C. B.) inſident, quos fructus gemini rotundi Orobi Cretici magnitudine ſequuntur.

In paluſtribus Helvetiæ circa cœnobium Eremitanorum, & in monte Fracto ad lacum Pilati Lucernatum.

Quò pertineat hæc planta ob deſcriptionis imperfectionem neſcimus.

Pag. 1344. *Hiſtoriæ Piperis ſubjungatur,*

Betre ſive Betelle J. B. *Betre ſive Tembul* C. B. *Betre, Betle, Betele ſive Bethle* Park.

Planta eſt anadendras, arboribus ſe implicans & circumvolvens, eáſque ſcandens Hederæ modo. Folium, deſcribente Garcia, ſimile ferè Mali medicæ folio, oblongius tamen & per extremum arctius, venas ſive coſtas per longitudinem excurrentes habens, amarum. Fab. Columna, notis in res medicas Novæ Hiſpan. Piperis & Betelæ foliorum differentiam oſtendit, Horum folia, inquit, quanquam inter ſe magnitudine vix differant, ſimilique modo ſarmentis arbores ſcandentibus hæreant, effigie atque aliis non parùm disjungi videntur. Piperis enim folia, quæ non tribus tantùm ſed quinque nervis per longum folii ferè Plantagineis diſtinguuntur, carnoſiora & ſolidiora ſunt foliis Betle, magiſque ad ovalem figuram accedentia, & indè in acutum deſinentia. *Betle* vero iiſdem nervis tenuioribus molliora & delicatiora ſunt admodum, & circa petiolum latiora, atque in ſummo ſinuoſa, ut ipſius coni potiùs quàm ullam Ovi effigiem exprimere videantur.

Folia quæ pro *Betle* foliis deſcribit J. Bauhinus, circumſcriptione & magnitudine cum Tiliaceis poſſent conferri, rotunda, niſi in mucronem non ſenſim ſed mox deſinerent, glabra, atrovirentia, tenuia, Potamogitonis modo, nervis quinque aut ſeptem, partim rectis, partim ſinuatis, ad mucronem uſque excurrentibus, pediculo unciali appenſa, ſapore aromatico, tenui; manſu neſcio quid arenoſi ſub dentibus eſſe videtur. *Conſiderandum annon pro Betelæ foliis Piperis folia deſcribat: nam quod ad figuram eorum, tum deſcriptioni accuratæ Columnæ, tum figuræ Cluſianæ contrarius eſt.*

Folium optimum cenſetur bene maturum colore fulveſcente. Corrumpitur ſi recens à planta collectum diutiùs manibus tractetur.

Fert *Betre* in Maluccis inſulis fructum quendam contortum, Lacertæ caudæ ſimilem, quem iſthic edunt quòd bene illis ſapiat. Bontius fructum ferre ſcribit Piperi albo & oblongo ſimilem ſeu mavis caudam Gliris referentem, quem Malaii *Sirii boa* vocant, éſtque propter raritatem, in longè majori exiſtimatione quàm ipſum folium *Betele.* Seritur vitis modo, adduntúrque ſtipites & pedamenta, per quæ repens ſe ſuſtineat: Quidam majoris quæſtûs gratiâ Arecæ arboribus id maritant, atque ità pulcherrima umbracula conficiunt. In omnibus Indiæ provinciis creſcit, ſed locis maritimis, non mediterraneis & à mari procul remotis, niſi ex illis in hæc transferatur humanâ induſtriâ.

Vetuſtiores Botanici plerique *Betle* cum Malabathro ſeu Folio Indo confundunt, quæ tamen plantæ ſunt diverſiſſimæ; una enim arbor eſt ſurrecta, teſte Garcia, altera ſcandens & adminiculis egens.

Matutino tempore, pomeridiano, veſpertino, imò etiam nocturno Betelam manducant, eámque continuo manibus geſtant Indi. Sed nec ſimpliciter Betela utuntur: nam maſticata amara deprehenditur. Ergo ad mitigandam hanc ejus amaritudinem Arecam admiſcent & calcis momentum, [Arecam & calcem Betelæ folio involventes] ſicque præparatum ſuaviſſimi eſſe ſaporis affirmant. Alii Betelæ Lycium admiſcent, ditiores & potentiores Caphuram de Borneo: Alii lignum Aloes, Moſchum & Ambarum cinericeum. Sic autem paratum adeò ſuavis eſt ſaporis, oriſque halitum adeò commendat ſuâ fragrantiâ, ut perpetuò ferè illud maſticent opulentiores, tum etiam alii pro facultatum ratione, tameſi non deſint qui Arecam cum Cinnamomo aut Caryophyllis maſticent. Hæc Garcias; verùm alii qui in Indiam peregrinati ſunt & itineraria conſcripſerunt, Indos tam opulentiores quàm pauperiores Arecam ſolam confractam cum tantillo calcis Betelæ folio involutam in os injicientes perpetuo manducare ſcribunt, quod adeo ſuavem halitum expirat ut totum conclave odore ſuo replat. Priorem illum ſuccum expuentes (quod tamen nonnulli non faciunt) qui cruentus videtur [color ille Arecæ debetur non Betelæ] deinde alia atque alia folia ſimili modo præparata ſubſequenter ſumunt. Hoc ni facerent Indi eorum oris halitus malè oleret. At Bontius aſſerit, quòd ſiquis ſine modo (quod ſæpe fit) his utatur, corrodunt dentes, imo eos excidere faciant: novi ego hîc juvenes qui 25. annum nondum exceſſere tamen planè edentuli erant ab uſu hujus folii frequentiori.

Solent aliquem dimiſſuri, aut ipſi ab adſtantibus diſcedentes his foliis præparatis plena burſulâ ſericeâ abeuntem honorare. Nemo autem diſcedere ſuſtinet, donec *Betre* ſit donatus. Illud enim dimiſſionis indicium eſt.

Cæterùm opulentiores aliquos adituri hoc *Betre* maſticare pro more habent, ut odore oris animam commendent. Siquidem apud eos ſummæ incivilitatis eſt odoratum non habere anhelitum, ità ut ſi tenuioris fortunæ aliquem cum potentiori ſermones conferre neceſſe ſit, manu ori appoſitâ loquatur, ne teter aliquis odor alterius nares feriat. Sic etiam mulieres cum viris congreſſuræ, *Betre* mandunt antequam colloquantur, exiſtimántque ad laſciviam ſummam eſſe illecebram. Inde in

viſitationibus

viſitationibus & mutuis ſalutationibus Betella ipſis in manu eſt, & ſummâ benevolentiæ ſignificatione, ubique ea offertur cum calce & Areca in catino ligneo quem ad eum ſervant uſum. Poſt prandium præcipuè mandunt ad avertendum ciborum faſtidium.

Abſtinere autem ſolent ab ejus uſu interdum in funere ſanguine junctorum, & in quibuſdam jejunio deſtinatis diebus, &c.

Vires. Gingivas confirmat, cor & ventriculum roborat, flatus diſcutit, cerebrum & ſtomachum purgat cum Cardamomo manè à jejunis præmanſum, oriſque halitum (ut diximus) emendat, dentes tamen denigrat, imo, teſte Bontio corrodit & decidere facit.

Luſitanorum mulieres Indos imitatæ eundem Betellæ mandendæ morem habent, cùm ſine ea vitam vix ſibi conſtare poſſe arbitrentur.

Arbuſcula Braſilienſis Piperis facie julifera. *Betis* Marcgr. *Betis vel Betre* Piſo. *Piper longum Braſilienſe* *Marcgr. Piſo.*

Arbuſcula eſt quatuor aut quinque tantùm pedes alta, *caudice* recto, nodoſo, digitum craſſo, pallidè viridi, & per totum punctulis albis maculato. Superiùs ad aliquot nodos ramulos adipiſcitur, itidem nodoſos, & ejuſdem cum caudice coloris; & in his *folia*, ad quemlibet nodum unum, quinque aut ſex digitos longum, linguæ figurâ, pallidè viride ſeu flaveſcens, ſuperiùs ſplendens, Laurini folii craſſitie; *Julum* item unum ad quemlibet nodum, unum aut duos digitos longum, pennam Olorinam circiter craſſum, *ſemen* ferens oblongum, fuſcum, odoris valdè fortis inſtar Zinziberis, [Piperis longi formâ, ſed inſipidum & nullius uſûs. Denique Piperis ſtirpi ſarmentis, caule & facie externa ſimillima eſt hæc arbuſcula; differt quòd folio & fructu ſit paulo grandiore. *Piſo.*] Lignum caudicis intus eſt ſpongioſum. *Radix* aromaticum quid ſpirat, & Zinziberis præſtantiam ſapore, colore atque odore æmulatur, præcipuè ſi recens ſit, tunc enim dignitate illi vix cedit.

Vires. Foliorum & radicum decoctum colicum dolorem ſedat, dolores membrorum mitigat, ventrem flatibus turgidum componit, pedúmque tumores ex frigore natos amolitur. Idem præſtant balnea & fomenta indè confecta.

Locus. Frequens eſt tum in ſylvis, tum in ruderibus urbis Olindæ.

Præter hanc *Betyn* aliæ adhuc, inter quas eſt *Betys* fœmina, in ſaltibus reperiuntur, julis gracilibus & exiguis botrorum modo congeſtis.

Pag. 1344. *poſt lin.* 12. *adde,*

Jaborandi IV. Piſonis. *Piperis longi ſpecies.*

Frutex eſt arboreſcens *caudice* duro & nodoſo, ſaturè viridi Lauri majore, cæterùm non diſſimili. *Fructus* ſive Juli potiùs Piperis longiſſimi non qualitates ſed tantùm formam æmulantur, & caudici adnaſcuntur, *foliis* magnis linguæ figurâ, acuminatis, nunc alternatis, nunc ſibi & Julis oppoſitis. Radice eſt aliarum *Jaborandi* ſpecierum efficaciâ ſimili. Folia pro balneis & fomentis contra affectus frigidos in uſu exiſtunt.

Jaborandi III. *Piſonis Atriplicis fruticeſcentis ſpecies eſſe videtur.*

Pag. eadem, Ad hiſtoriam Limonio congeneris Cluſ. *adde,*

Ex Catalogo Virginienſium *D. Joan. Baniſter.*

Corpus illud quod pro flore vaſculo ſeminali inſidente habet Parkinſonus, nihil aliud eſt quàm operculum arcuatum umbellæ aut Conopæi formâ, quod vaſculo ab injuriis aeris ſ. cœli defendendo inſervit. Vaſculum ſem. quinquecapſulare (quod extrinſecus aſperum eſt) ſtaminulis brevibus numeroſis *apices* flavos geſtantibus cingitur. Hæc unà cum petalis quinque ſaturatè purpureis Holoſerici S. veluti inſtar, quæ inter ſingulos Operculi angulos exſurgunt & inflexi illud operiunt (unde reſultat figura Ephippii muliebris Sedi ſimilis) brevi decidunt, remanentibus quinque calycis ſeu floris involucri foliis; unde corpus reſiduum, i. e. operculum cum calyce & vaſculo figuræ Parkinſonianæ nonnihil ſimile, apparet.

In frigidis udis & paluſtribus ſpongioſis inter Oxycoccos oritur.

Pag. 1345. *Ad finem pag. & Capitis ſeptimi adde,*

Hanc plantam Jac. Breynius in Prodr. Alceam Indiæ Orientalis fructu lappaceo foliis Ribis vocat, & à ſe in Cent. prima malè ſub nomine Trifolio affinis Indiæ Orientalis deſcriptam ſcribit.

Pag. 1346. *Cap.* IX.

Hujus herbæ Cajaciæ nomine pleniorem deſcriptionem vide apud Gul. Piſonem l. 4. p. 245. qui & vires ejus adversùs venena celebrat.

Ad finem Herbarum anomalarum pag. 1348. *addatur,*

Planta ſcandens Hederaceis foliis Zeylanica Breyn. Eph. German. *An.* 4. *&* 5. *Obſerv.* 137.

Hæc in Zeylan inſula ſentibus & fruticibus ſe circumvolvens planta flori paſſionis Hederæ folio ſeu Clematiti Paſſifloræ flore luteo Muntingii (quà folia, capreolos & caules) perquam reſpondet: quanquam viticulis capreoliſq; multò tenuioribus, atque foliis minùs duris, quæ etiam acutiora & quodammodo denticulata apparent. Flores oblongos, tubuloſos, anguſtos in quinque foliola exeuntes, *Quamoclit* florum æmulos ſed niveos, & ob lacinias tenues in fibras plurimas, ſubtiliores, criſpas, diviſos, quaſi radiatos aſpectu digniſſimos ferre aiunt.

Eadem pag. Ad finem Anomalarum addantur Kali Ægyptiacum foliis valdè longis hirſutis C.B. *Kali* 3. Alpini. *Kali Ægyptiacum* 3. *Alpino* J. B. *Ægyptiacum* Park.

Alpin.

Foliis conſtat paucis, Ajugæ foliis proximis, ſed valdè longioribus, *caule* uno, non omnino recto; à quo tres quatuórve cauliculi exoriuntur, qui rectà ſurſum feruntur, quilibétque ipſorum in cacumine ſcapum quinque aut pluribus foliis Chamæpityos proximis, ac deorſum in arcum recurvatis inclinantibus, conflatum habet; ſalſo atque acri ſapore.

Dubitat C. Bauhinus annon hæc planta eadem ſit cum *Pſyllio minore* à ſe in Prodromo deſcripto, cujus idcirco deſcriptionem, quia in ſuperioribus à nobis omiſſa eſt, ſubjiciemus,

Radix eſt tenuis, oblonga, ſubalbida, fibris paucis capillata. *Ramuli* ſemipalmares, rotundi, tenues, rufeſcentes, in terram reclinati, in ſummo in minores diviſi: *foliis* brevibus, anguſtis, binis ſibi ex oppoſito reſpondentibus, quæ alis ſubjiciuntur, aliquando ternis, nonnunquam quinis ſimul junctis. Ramulorum faſtigiis capitula ſquamata inſident, quibus utrinque foliolum unum, (aliquando plura & impari longitudine) parvum, recurvum, & per maturitatem rigidum ſubjicitur. *Floſculos* habet puſillos, albos, pedicellis inhærentes, quibus *ſemen* longè vulgari minus, ſubnigrum, relucens ſuccedit. Auguſto florens in horto collegit *C. B.* & ſemen Patavio accepit *Gottne* rubri & albi nomine, Heydelbega *Botrii* rubri appellatione.

Planta lactaria Africana Pini fructuum facie Breyn. Prod.

Breyn.

Planta hæc rarâ atque peregrinâ formâ pro caule magnum facit tuber, cinereum, valdè tumidum, rotundum vel turbinatum, Piniforme, magnitudinis pugni & amplioris, quantumque ex aſpectu externo colligere licuit carnoſum, multis fibris fuſcis ab ima ſede anguſtiore prodeuntibus firmatum. Ramos præſertim ſupernè protrudit copioſiſſimos, densè in orbem comatos, uncias tres, vel ad ſummum quatuor longos, digitalis fermè craſſitudinis, ſaturéque viridis coloris, qui juxta ſummitates magis craſſeſcunt, atque tuberculis anguloſis veluti ſquamulis per totum à natura ità formati ſunt, ut non aliter appareant quam ſi Pini fructus eſſent immaturi: in illorum ſummitatibus foliola quædam anguſta, digitum tranſverſum pæne longa, craſſa, rigida, in ſuperiore parte canaliculata, atro virore picta, Tithymali aphylli ab Imperato deſcripti, ſimillima conſpiciuntur, lacteſcentia, ſicut etiam tota planta lacteâ ubertim alimoniâ diffluit. Et hoc, inquit Br. quantum ex Planta (quæ an adulta vel primùm germinans me latet) atque figura ſuis depicta coloribus obſervare potui, namque plura non licuit.

Methonica Malabarorum, Nienghala Zeylonenſium, Lilium Zeylanicum ſuperbum vulgò Herman. Cat. App.

Suſtinetur hæc planta *radice* oblonga, ex rotundo nonnihil compreſſa, formâ anconem ſeu literam r, ex duobus quaſi brachiis cohærentem, referente; foris fuſcâ, intus albâ, carnoſâ, guſtûs amari nauſeoſi, è cujus medio ſuperiori angulo prodeunt ſarmenta herbacea, rotunda, nodoſa, ramoſa, altitudine trium quatuórve pedum, quæ vel humi incumbunt, vel vicinas arbores ſcandunt, varióque flexu illas comprehendunt. Cuilibet nodo adhæret folium glabrum, planum, politum, latitudine duorum triúmve digitorum, longitudine verò propè dodrantali in longum, recurvum capreolatum mucronem deſinentia. Ex ſummis ramis, aliquando etiam foliorum alis oritur pediculus, ſuſtinens *florem* nudum, odore quidem vacuum, ſed ſtructuræ raritate & coloris pulchritudine flores omnes quos Zeylona & Malabara ſuppetunt longè ſuperantem. Conſtat verò ſex anguſtis ſemidigitum longis, elegantiſſimè fimbriatis petalis, totidem apiculatis *ſtaminibus*, & *ſtylo* intermedio tricuſpidato. Primis ab exortu diebus in viridi flaveſcit, & Fritillariæ ritu propendet, dehinc expanditur, ejúſque petala, ſtamina & ſtylus ſurſum retróque vertuntur, & ſenſim in aureum, tandémque exquiſitiſſimum coccineum colorem faceſſunt. His omnibus defluxis perficitur *ſeminarium*, amplitudine Nucis Juglandis, ſubrotundum, trigonum, tricapſulare, quod in tres coriaceas tenaces membranas dehiſcit, refertum *ſeminibus* parvis anguloſis rubris duplici ſerie diſpoſitis.

In Hortis Beverningiano & Fageliano luxuriat. Herbis bulboſis affinibus annumeranda eſt. *Locus.*

Hippophaes Anguillaræ & Dodonæi ſive Spina purgatrix J.B. *Hippophaes quibuſdam* Ἄκανθα κακαθαρσίοις *i. e. Spina purgatrix Anguill.* C. B. *Item Rhamnus catharticus Oleæ folio* ejuſdem.

Hippophaes (inquit Anguillara epiſt. 8.) ſabuloſis Peloponneſi maritimis, quæ nunc *Morea* dicitur, oritur, cujus radix ob vehementem vim purgandi quibuſdam ſpinæ purgantis nominatur. Suffrutex eſt ſpinis duriſſimis, ſpargit ſe in comam rotundam, albam: *folia* Oleæ longiora, anguſtiora & teneriora: nec florem, nec fructum vidi. *Radices* palmo longiores lacteum ſuccum frangendo fundunt amariſſimum, odore gravi: Similem plantam in Italia non reperi.

Parkinſonus Glaſtiridam Hon. Belli pro Hippophae Dioſcoridis habet.

Hippophæſtum quorundam Dalechampio ex planta ſicca è M lita inſula miſſa delineata, quænam ſtirps ſit neſcimus. Echinopus Plutarchi quibuſdam *J. B.* forte Echinopoda Cretica Belli fuerit.

Pag. 1377. *lin.* 38. *D. Jo. Baniſter* Nucem Regiam Virginianam primam *C. B.* quæ forma & ſapore parum ab Anglicis differt &c. eandem facit cum Nuce Juglandi Virginienſi alba *Park.* à ligni colore ſic dicta. Harum variæ ſunt ſpecies forma & putaminis duritie differentes quemadmodum Europææ. Hæc nux eſt quam **the Hickery** ſeu **Pieck Hickery Nut** vocant. Ex hisnucibus lac conficiunt Indi quod vocant **Hickery Milk**, non ex majoribus illis, ut vult C. Bauhinus. Ex ſimilitudine quam habet cum ſuo lacte Juglandium Indi lac noſtrum **Hickery** vocant.

Autor deſcriptionis Carolinæ Indigenas ex nucleis hiſce decoquendo oleum ſalubre elicere ſcribit, quod & Anglis ad uſus culinæ frequenter inſervit. Præſtans habetur remedium ad tormina inteſtinorum. Sapore eſt jucundo, verùm poſt ſemeſtre ſpatium ranceſcit & corrumpitur.

Idem D. Baniſter Nucem Juglandem ſeu Regiam majorem cortice ſcabro & duro, nucleo magno & dulci *C. B.* eandem eſſe vult cum nigra Virginienſi *Park.* à ligni colore ſic dicta. Verùm Parkinſonus hanc Nucem nucleum intus minimum claudere ſcribit.

Pag. 1379. *lin.* 29. *Adde,*

Haud generoſius contra colicam reperitur remedium quàm Juglandium membranula lutea amara pulveriſ. & cum vino data Sim. Paul. Quadrip. Botan. p. 99. & p. 565.

Pag. 1388. *lin.* 22. *Add.* Quercus Virginiana Caſtaneæ folio *D. Plucknet.*

Pag. 1389. *lin.* 11. *Add.*

Ad menſes albos ſeu fluxum uteri album] ℞. Scobem Quercus in tenuiſſimum pulverem redactum, propina in lacte. Vel ℞. Decoct. foliorum Quercus ℥v. coag. Leporis ʒj. octo dierum ſpatio ſæpius utentibus curavit veteres fluxus. Idem efficiunt Conſolidæ majoris radices in lacte coctæ & comeſtæ. *D. Hulſe.*

Equi ſcutellati ſubalbidi (**dapple-gray**) ſi verno tempore unum vel alterum pugillum aut manipulum oculorum aut gemmarum Quercûs arboris recentium in modium Avenæ conjeceris, illíque aliquandiu his paſcantur nigricant, ubi pilos veteres jaciunt, vel nigriores albidorum loco renaſcuntur. Hoc adſcribendum Vitriolo Quercûs. Sim. Paul. Quadripart. Botan. p. 340.

Pag. 1396. *Ad finem paginæ add.*

Abies foliis prælongis Pinum ſimulans.

Hujus ramulum ad me miſit *D. Doody* Pharmacopœus Londinenſis, Botanices apprimè gnarus. Folia Abiegnis multò longiora ut Pinûs videri poſſint, non tamen bina ſimul ex eadem theca exeunt, ſed ſingula è ramis enaſcuntur Abietinorum in modum, creberrima, anguſta, in mucrones acutos & pungentes exeuntia: quem florem fructúmve ferat nobis incompertum. Scribit tantùm *D. Doody* in Horto Edwardi Morgani Weſtmonaſterii pridem enutritam Pinaſtri nomine.

Pag. 1405. Sabina vulgaris nec ſterilis eſt, neque baccifera, ſed ex obſervatione *D. Samuelis Dale* Medici & Pharmacopœi Brantrienſis, vicini & amici noſtri, in plantis indagandis & obſervandis induſtrii admodum & curioſi, verè conifera. Oſtendit ille nobis conos virgis adnaſcentes plurimos, Piſis multo minores, ſquamoſos, & ſub ſingulis ſquamis ut in aliis hujus generis bina ſemina occultantes.

Pag. 1408. Arborem vitæ verè coniferam eſſe hac æſtate obſervavi. Fructus enim ſquamoſos producit, & ſub ſingulis ſquamis bina vel ſingula ſemina membranis alata occultantes. De flore, an fructui contiguus ſit, an ab eodem ſejunctus, nobis nondum conſtat.

Pag. 1414. Cedrus à Goâ malè collocatur inter Juniperos, eſt enim conifera, & Sabinæ ſpecies cujus odorem gravem ſpirat.

Pag. 1421. *l.* 1. Nota non unam tantùm Salicis ſpeciem corticem abjicere; verùm duas à nobis obſervatas nimirum præter hoc loco deſcriptam Salicem noſtram quartam, ſive folio auriculato ſplendente flexilem: quin & Salicem à Tho. Williſello Darkingæ in Surreia obſervatam cum Julo denſiſſimo tomento ceu cotone conferto ab his duabus diverſam eſſe ſuſpicor.

Pag. 1428. *Ad finem paginæ add.*

2. *Oſtrya Ulmo ſimilis fructu racemoſo Lupulo ſimili.*

Pag. 1433. *lin.* 41. *adde,* Potus eximius in colica plumbariis expetitus, ℞. Caricarum pinguium ℔.4. Aq. font. ℔.xii. coq. ad medias pro potu communi. D. *Hulſe* è M S. D. *Fiſher.*

Pag. 1438. *Hiſtoriæ arboris peregrinæ fructum ficui ſimilem gerentis* Cluſ. Exot. *l.* 1. *c.* 11. *adde,*

Fructui huic idem eſſe videtur fructus Lance dictus Bontio l. 6. c. 23. lævis, cortice flavo, ſuccum lacteum, acrem Tithymali inſtar è vulnere inflicto fundens: à quo (inquit) externa tantùm facie & nomine diſtat alter qui *Rampeſtan* vocatur, quod fructum crinitum denotat, quia filamentis quaſi capillis externè ſit munitus. Nuclei utriuſque intus conditi cum carne ſua eundem ſaporem acidum & vinoſum obtinent. Cæterùm arbores vaſtæ & magnæ ſunt, foliis Laurinis, è quibus hi fructus racematim magna quantitate pendent & pulcherrimo aſpectu utriuſque fructus ardoribus febrilibus reſtinguendis eximiè conducunt.

Pag. 1446. Ad vires Pomi adde, Potus antinephriticus, ℞. Pom. dulc. aſſat. n. ij. Vini albi Aq. font. ana ℔ß. Syrup. de Althæa ℥j M. Bibat omni manè tepidè. *Idem.*

Ad dolores acerbiſſ. Ophthalmiæ, ℞. Pomi dulcis ſub cineribus cocti pulpam ad ℥iiij. Camphoræ ʒj. Croci ℈ß. Aq. Roſarum & lactis muliebris. q. s. Fiat Cataplaſma. *Bruel. Cheſneau.* Habui ab eodem D. *Hulſio.*

Pag. 1459. lin. 5. Pro quarta & quinta Meſpili ſpinoſa ſpecie addantur

4. *Meſpilus ſpinoſa ſive Oxyacantha maxima Virginiana* Herman. Cat. Leyd.

5. *Meſpilus ſpinoſa ſive Oxyacantha Virginiana nigra* ejuſdem *quarum in ſequente cap. mentio facta eſt.*

Ibidem pro tertia ſpecie Sorbi foliis integris interponatur,

3. *Sorbus Aucuparia Virginiana foliis Arbuti* Breyn. Prod. Herman. Cat. Leyd.

Breyn.

Arbuſcula eſt Chamæmeſpilo *J. B.* non valdè diſſimilis, duorum aut trium cubitorum altitudine, aliquando altior, uno plerunque ſtipite, pollicem craſſo, qui in aliquot ramos ex fuſco vel ſpadiceo cinereos dividitur, & hi in alios minores, ſerratis foliis haud frequentibus eos veſtientibus onuſtos, Arbuti ſimilibus, prona autem parte albicantibus & lanuginoſis. *Flores* in ſummis ramulis pentapetali, candidi, Sorbi Aucupariæ ſimillimi, ſed minùs conferti, in umbellam diſpoſiti, quos excipiunt ſupervenientes baccæ, colore & formâ etiam Sorbi Aucupariæ fructibus planè convenientes, ſed minores; in quibus ſemina quoque minora continentur. Septembri floruit.

Pag. 1460. Pro tertia ſpecie Sorbo affinium foliis integris addatur,

Cotoneaſter J. B. *Cotonaſter Geſneri* Park. *Cotonaſter folio rotundo non ſerrato* C. B. *item Chamæmeſpilus Cordi* ejuſdem. *Chamæmeſpilus* Ger. *Epimelis* Lugd. Dwarf Medlar.

J. B.

Frutex eſt ramoſus, cultu tamen arboreſcens, cui *folia* Mali Cydoniæ, averſa parte candicantia & lanuginoſa, adverſa verò nervoſa & virentia, minimè per ambitum ſerrata ſinuatáve, pediculo brevi appenſa. *Flores* concavi, herbacei, plures juncti cohærent, quibus ſuccedunt *fructus* in extremis ramulis, velut in Oxyacantha Matthioli ſive Spina alba, bini, terni, vel plures, parvi, compreſſi, ex rotundo oblongi, in umbilico quinquepartitis ſectiunculis inſigniti, cortice ubi matureſcunt primò rubeſcente, cui tamen obducta eſt lanugo cineracea: Sapor iis acerbus. Oſſicula intus continentur terna aut quaterna, oblonga, hinc anguloſa, illinc plana, duriuſcula, quæ tamen dentibus facilè conteruntur, medullam claudentes albam. Fructum Cluſius dicit colore foris initio ſubflaveſcente, deinde rubro, carne intus pallida, fungoſa, Oxyacanthæ ferè ſapore, quina oſſicula ſive ſemina continente.

Nos in montibus Rheno imminentibus, inque Saleva & Jura obſervavimus. Frequens oritur in Alpibus, Apennino aliiſq; montibus, ut videre eſt apud Cluſium & J. Bauhinum. *Locus.*

Geſnerus, eúmq; ſecuti C. Bauhinus, Parkinſonus, Lugdunenſis hiſtoriæ auctor & alii, ex hac planta duas faciunt, ut J. Bauhino quem ſequimur videtur. Verùm C. Bauhinus non fidenter affirmat diverſas eſſe, ut vult Geſnerus, ſed fortè eandem, Cotonaſtrum Geſneri & ejuſdem Chamæmeſpilum, quamvis illa foliis ſit majoribus, nec baccis adeò rotundis. Quid Geſnero errandi occaſionem dediſſe putet J. Bauhinus apud ipſum vide.

Hortis facilè aſſueſcit hic frutex, quamvis monticola ſit.

Pag. 1466. Ad ſextam ſpeciem Opuntiæ ſeu Ficus Indicæ adde.

Hanc ſpeciem eſſe puto quam in Horto Chelſeiano à D. Watſio cultam vidimus, ab inſula *Barbados* acceptam, foliis longiſſimis, triangularibus, profundè canaliculatis, & ad angulos ſolùm ſpinis ſtellatim diſpoſitis armatis. In Horto D. *Darby* primùm culta fuit.

Pag. 1467. Ad finem capitis adde,

Echinomelocactos lanuginoſus tuberculis ſpinoſis undique obſitus, fructu è lateribus ſparſim egrediente.

Hanc raram & nondum deſcriptam ſpeciem in Horto maximè Reverendiſſ. Epiſcopi Londinenſis vidimus. Figuræ eſt globoſæ, nullis ſulcis exaratus ad modum præcedentis, neque rectis neque tranſverſis; plurimis tuberculis acuminatis è quorum ſummitatibus ſpinæ egrediuntur, unciam circa longis undique obſitus. Tubercula iſthæc denſa hic illic lanugo intercedit. Fructus è lateribus ſparſim exit, Mali granatæ flori nondum expanſo non diſſimilis, pallidiùs duntaxat rubens, quem ſpinæ undique muniunt, ut impunè eum contingere non liceat. Singulis 24 horis novos fructus promit. Flos Monopetalos ſummitati fructus inſidet. N. Ejuſdem omnino figuræ & coloris eſt Echinomelocacti vulgaris ſulcati fructus. Hæc D. *Tancredus Robinſon*, è cujus notis deſcriptionem noſtram concinnavimus.

Pag. 1483. Ad finem paginæ pro Loti ſecunda ſpecie add.

2. *Lotus arbor Virginiana fructu rubro,*

Quam olim Jo. Tradeſcantius in Angliam è Virginia intulit. Hujus florem baſi fructûs cohærentem in ramulo à *D. Doody* in horto reverendiſſimi *D. Criſpin* collecto, & ad nos tranſmiſſo obſervavimus: Summo autem fructui ſtylus geminus cornuum ſpecie huc illuc reflexus inſidet; unde nos in diſpoſitione arboris Loti erraſſe ſuſpicamur.

Pag. 1485. Ad finem capitis de Groſſularia addatur,

Uva criſpa Americana Piſon. *p.* 242.

Piſo.

Menſibus potiſſimum pluviis (quibus magna pars fructuum hic [in Braſilia] vigere ſolet) fructifera eſt hæc planta, quæ ex *radice* alba, longa, filamentoſa, caulibus è viridi albicantibus ad ordinarii fruticis altitudinem aſſurgit, ſpinis undequaque armata. Cui hinc inde alterna ſerie cum longiſſimis pediculis adnaſcuntur *folia* diverſæ figuræ & magnitudinis, *Jurepebæ* foliis ſimilia, dilutè viridia, ad tactum mollia, tenera, ac à tergo ſecundùm longitudinem aculeata. In extremitate & medio caulis & ramorum veniunt tres vel quatuor *floſculi*, ex viridi ad luteum inclinantes, pentapetali, cum multis *ſtaminulis* erectis. His ſuccedunt *fructus*, Meſpili magnitudine, rotundi, læves, coloris è viridi albicantis, ſtriis viridibus ſaturatis ſecundùm longitudinem, mox dilutè flaveſcentes, folliculo & pulpâ conſtantes, ut Uvæ criſpæ noſtrates, ſaporis acidi grati. *Semina* orbicularia, compreſſa, flaveſcentia, figurâ fermè ut Lentes pulpæ inſperſa, quæ ſimul cum fructibus deglutiuntur. Fructus antequam planè maturuerit ſanis æquè ac ægris ob gratum acorem ad ſitim ſedandam in uſu eſt frequenti.

Pag. 1491. *Adde, ad finem* Cap. V.

Periclymenum humile flore ſuper florem Hort. R. Pariſ. in Catal. nondum editarum.

Item, *Periclymenum foliis ſinuatis variegatis & hirſutis ex horto Fulham. Reverendiſſimi Epiſcopi Londinenſis.*

Pag. 1522. *lin.* 8. *add.*

Amygdalo Æthiopicæ ſimilis foliis binis nervoſis Breyn. Prod.

Pag. 1524. *Ad vires Nucis moſchatæ add.* Ad Mammulas puellarum quàm par eſt graciliores proficuum eſt oleum Nucis myriſticæ externè uſurpatum, unde mammillæ brevi temporis ſpatio jucundè ſororiari incipiunt. *D. Hulſe* è quodam MS.

Pag. 1569. *Ad finem Capitis de Saſſafras adde,* D. *Baniſter* in Catalogo Plantarum Virginienſium Saſſafras arborem tum florendi modo, tum araneoſis filamentis in quæ Scabioſæ ad inſtar folia rupta ducuntur, ad Cornum marem accedere ſcribit, nec fructus aut facultates diſpares eſſe, unde Corni ſpeciem eſſe non veretur aſſerere.

Pag. 1574. *Ad finem paginæ add.*

Guaiacana Virginiana Piſhamin dicta Park.

A Guaiaco Patavino parum differt; eandemq; planè arborem eſſe vel ſpeciem ejus majorem ſibi perſuadet Parkinſonus. In magnam utique arborem adoleſcit, *ligno* duro, fragili albicante, cortice tenui obſcurè viridi tecto, ramis plurimis gracilibus tenuiore caneſcente cortice veſtitis, quos ſepiunt *folia* multa, lata, pulchra, viridia, per margines æqualia, & Guaiaci Patavini ſimillima. *Fructus* formâ & magnitudine Dactylum refert, nigricante cuticula tectus, & in calyce quatuor duris & rigidis foliis conſtructo conſitus, ſapore pariter dulci, tribus vel quatuor intus nucleis magnis craſſis, planis, prædictæ ſimilibus ſed dimidio majoribus.

Pag. 1583. *lin. antepenult. add.* Viſci ſemen Populo albæ, perterebrato à ſe cortice, inſertum germinâſſe & plantulam ediſſe in horto ſuo nobis affirmavit ingenioſus Vir & fide digniſſimus *D. Sam. Doody* Pharmacopœus Londinenſis, teſtéſque advocat ſane idoneos D. *Martinum Liſter* & *D. Leonard. Plucknet*, Medicinæ Doctores inprimis celebres. Nobile ſanè eſt hoc experimentum quod longis & diuturnis ſuper hac re controverſiis & diſputationibus finem imponit. Mirum interim maluiſſe Botanicos & Philoſophos argumentis ultro citroque habitis tot annos nè dicam ſecula contendere; quam naturam conſulendi & rem ipſam experiundi laborem, non ſanè valde ærumnoſum, ſumere.

Pag. 1590. *lin.* 16. *Add.*

Thymelæa Africana fructu ruberrimo Herman.

Ramulum hujus ſiccum vidi apud *D. Plucknet.*

Pag. 1593. *lin.* 23. *Rhamnus Orientalis Liguſtri foliis, ſpinis atro-purpureis recurvis* D. Plucknet.

Pag. 1626. *Ad finem capitis de Rhamno add.*

Rhamnus Virginianus Pruni folio fructu nigro, oſſiculo compreſſo apud eundem Clariſſ. virum.

Pag. 1642. *Ad finem bacciferarum arborum adde,*

Oleander minor frugifer fœtidus Creticus Zanoni.

Zan.

A præcedente differt foliis, floribus, & fructibus minoribus.

E *radice* longa, perplexa, tortuoſa, repente, & in radiculas minores ramorum in modum bipartitas, crebras diviſâ, colore extrinſecus cervino, interiùs flavo obſcuro, odore fœtido & acuto raporum, *cauliculos* emittit plurimos, nullo ordine poſitos, teretes, tortuoſos, inæquales, cortice & ligno Oleandri præcedentis, in multiplices ramos diviſos, ſuperiùs in alios ramuſcellos minores bifurcatos, foliis veſtitos confuſis, interdum etiam binis oppoſitis, præterquam in ſumma parte; ubi plura in ceſpitem congeſta oriuntur, præcedentis ſimilia, verùm anguſtiora, lucidiora, pallidiora, conſiſtentiâ craſſâ & carnoſâ, Polygoni nivei foliis ſi modo lucida eſſent perſimilia. E prædictis foliorum ceſpitibus ſeu agminulis enaſcuntur gemmæ virides, quæ menſe Maio & Junio ſeſe aperientes *flores* oſtendunt, verum pauciores quàm in præcedente, nimirum duos tréſve aut ſummum quatuor ſimul, colore & figurâ illius ſimiles, ſed breviores. Flores decidui *fructus* totidem relinquunt, per maturitatem præcedentis fructibus ſimiles.

Planta rupta aut contuſa ejuſmodi odorem fœtidum exhalat, unde & ejuſdem qualitatis malignæ particeps eſſe videtur.

Perennis eſt planta, frigoris tamen minùs patiens quam ſuperior.

Oleander Creticus fruticoſus major fœtidus Zanoni.

Zan.

E *radice* perenni, ſarmentoſâ, fibroſâ, ſatis craſſâ, tortuoſâ, repente, *cauliculos* ſupra terram fundit multos, undatim flexos reflexóſque, ſpithamam circiter longos, tenues, teretes, lignoſos & nodoſos, infernè cinericeos, nonnihil lucidos, paulò ſuperiùs flavicantes, ſummis ramulis viridibus, in gyrum circa radicis caput terram latè occupantes, & ſi fortè eam contigerint radices agentes, ad ſingulos nodos duos tréſve ramulos emittentes, qui in alios mox minores ſubdividuntur, unde planta ipſa foliis & ramulis crebris valdè denſa apparet. *Folia* ad nodos brevibus pediculis adnexa, plura etiam ſimul minora, ex eodem oculo ad nodum, qui craſſitie ipſum caulem ſuperat, exeunt, supernè obſcuriùs viridia, ſubtus palleſcentia, craſſa & denſa, in medio ſulcata, & lineis tenuibus velut ſcripta, oblonga, medio latiora, verſùs utramque extremitatem acutiora, Anthyllidis maritimæ Alſinefoliæ *C. B.* ſimilia. Propè ſummos caules foliorum ceſpes exit, in quorum medio gemmæ aliquot viridantes exoriuntur, quarum unaquæque multas oblongas fiſtulas emittit, quæ apertæ floſculos rubentes oſtendunt, ſummâ parte in quatuor lacinias ſeu petala diviſos, deorſum reflexa, formâ, & colore Nerii vulgaris florum, ſed multis (ut par eſt) numeris minores, vulgaris Gelſemini floribus valdè ſimiles, ſed minores, ut iidem planè ut viderentur, ni color differentiam oſtenderet, ut & lingulæ quædam in medio rubentes cum quatuor ſtaminibus albis, apices rubros geſtantibus, ut veluti totidem ſagittæ ſeu ſpicula ſanguine tincta appareant. Mediam fiſtulam ſtylus permeat, cujus baſis receptaculum fructûs obtegit, qui menſe Auguſto ad maturitatem tendit. *Semen* in quibuſdam parvis fructibus occultatur, colore viridante, formâ pyri, cujus apici inſidet tenuis quædam cauda retorta; fructus matureſcentes, obſcurè purpurei & ſucculenti evadunt velut Myrti baccæ, & tandem cùm perficiuntur nigri. *Semen* oblongum ſemini Quamoclit ſimile, ſed minus. *Radix* triplici cortice integitur, exteriore, quæ facilè delibratur, nigricante, mediâ tenerâ & flavâ, tertiâ rubrâ velut Erythrodani, cum medulla in medio lignoſa flavicante.

Odor totius plantæ fœtidus & ingratus velut floris Dracontii vulgaris, unde & capitis dolorem inducit, & oculis nocet non aliter quàm Nerium vulgare. Sapor ingratiſſimus & amarus: in manu geſtata reſpirationi officit, & Naturam totam perturbat, ut non ſine ratione venenoſæ qualitatis particeps cenſeatur.

Hanc plantam eſſe exiſtimo quam propè Scaleam in Regno Neapolitano inveni, & poſtea ſiccam apud inſignem Botanicum jam fatis junctum *Joan. Mariam Ferro* Pharmacopœum Venetum vidi, Periclymeni ſupini pumili appellatione. Floris equidem formâ ad Periclymenum accedit, flos etiam ſummo fructui inſidet ut in Periclymeno; qui fructus qualis fuerit in ſicca diſcernere non licet, pyriformis tamen videtur & umbilicatus. Folia in ſicca craſſa videntur glabra, non utraque extremitate acutiora, & in latiora ut in planta Zanoniana, ſed è lata baſi in mucronem ſenſim anguſtata & Serpylli foliorum æmula in longiora eſſent.

Utucatu Braſilienſibus Marcgr.

Marcgr.

Planta eſt quæ ſuper arbore *Urucari-iba* naſcitur ſine radice, verùm quatuor aut quinque *folia*, inferiùs lata, bulbum faciunt ovalem, circiter quatuor digitos longum, qui intus continet medullam quandam unguenti factitii conſiſtentia & aſpectu, pinguem, ad tactum frigidam, ex albo vireſcentem, multa adhæc filamenta ſubtilia albida in ſe diſperſa habentem. Supra bulbum folia à ſe invicem diſcedunt, ſúntque ibi anguſta, ſed in pedalem aut majorem altitudinem excreſcentia, ſuperius latiora, linguæ figura, & ſimilia Squillæ, viridia. Quodlibet autem folium ſecundùm longitudinem habet tres nervos. Nec florem fert, nec fructum; inodora eſt planta, unguentum quoque illius inodorum. Hoc denique frigidum & ad dolores leniendos judicatur aptiſſimum atque efficaciſſimum: ſoporem quoque inducere experientiâ probatum eſt.

Pag. 1647. *Ad finem paginæ adde*, Carandas Bontii alia ab hac arbor eſſe videtur quamvis ille [Bontius] eandem velit, & quidem Tamarindus Americanus noſtratium aut ei ſimillima arbor. Tamarindi enim illius ſiliquæ quas apud illuſtrem Virum *D. Gul. Courtine* vidimus, breves compreſſæ & monoſpermæ erant.

Pag. 1681. *Ad Cap. de Staphylodendro adde*, Abrahamus Muntingius duas Staphylodendri trifoliati Virginiani ſpecies depingit, majorem & minorem.

Pag. 1707. Platanus Occidentalis ſeu Virginiana] Arborum vetuſtiorum, docente nos *D. Jo. Baniſter* in Catalogo plantarum Virginienſium, non tantum trunci ſed & rami cortices ſuos ſcabros exuunt indéque & glabri evadunt & nivis ferè inſtar candidi. Arbores etiam juniores cortices abjiciunt, virides tamen non albi apparent.

Pag. 1721. *Ad finem Cap. de Barba Jovis adde*, Abraham. Muntingius in Herbar. Belgic. lib. 2. cap. 41. plantam quandam depingit Barbæ Jovis Antiquorum appellatione, quæ quo pertineat neſcimus, certè hujus loci non eſt. Icon folia oblonga repræſentat extremitatibus ſubrotundis, crebra adeò in ſurculis ut eos undique occultent.

Pag. 1722. *Speciebus Anagyridis ſeu Laburni adde*, Laburnum ſpinoſum Americanum flore rubro ab Abrahamo Muntingio in Herbario ſuo Belgico deſcriptum & depictum.

Pag. 1728. *Ad finem Capitis de Spartio non ſpinoſo adde*, Geniſtæ quædam ſpecies ab Abr. Muntingio in * Herbario Belgico depingitur & deſcribitur, quam latifoliam flore luteo parvo vocat. * *Pag.* 135.

Emendanda.

P*Ag*. 144. P. Hermannus Filicem mollem ſeu glabrum vulgari mari non ramoſæ accedentem *J. B.* & Filicem marem non ramoſam pinnulis anguſtis raris profundè dentatis *Ger. emac.* pro eadem planta habet; nec nos repugnamus.

Pag. 159. *l*. 18. D. Hermannus in Catalogo Horti Academici Lugduno-Batavi p. 26. Banguen Alceæ, ſive, ut ille vocat, Althææ Indicæ ſpeciem eſſe nos docuit; hinc ergo ad congeneres Lib. 19. Sect. 2. cap. 9. p. 1065. transferenda eſt.

Pag. Eadem l. 47. Caput de Urtica ad ſequentem primæ Sectionis partem removeatur. Obſervavi enim in Urtica Romana pilulas ſeminiferas & fructus racemoſos in eadem planta; quod & aliis Urticæ ſpeciebus commune eſſe puto.

Pag. 203. *l. antepenult*. Amarantus Siculus ſpicatus radice perenni *P. Boccon.* non rectè collocatur inter Amarantos Sericeos, ſi modo genuinus Amarantus ſit, quod non puto: Amaranto potiùs affinis aut ſimilis videtur.

Pag. 213. Kali floridum repens aizoides Neapolitanum *Col.* ad Chryſanthemi aizoïdis Lib. 14. cap. 4. deſcripti genus pertinet, ideóque hinc illuc transferendum eſt.

Pag. 244. *l*. 46. *poſt verba illa* primum Cluſii *adde*, Imò non accedere tantùm, ſed eandem planè plantam eſſe exiſtimo, ſiquidem in hortum tranſlatus & cultus à *D. Sam. Dale* unum vel alterum ramulum emiſit, & in omnibus deſcriptioni Hieracii Pannonici I. *Cluſ.* reſpondere deprehenſus eſt, ideò hìc expungendum, & cum ſpecie ſeptima Capitis VII. conjungendum eſt.

Pag. 263. *l*. 40. Species nona, nimirum Conyza caulibus rubentibus, flore luteo nudo hoc in loco expungatur, nam repetitur p. 293. ad quem locum in noſtra methodo, non obſtante gravi Conyzæ odore pertinet.

Pag. 272. Antiquam jam ſententiam reſumo, ſpeciem quartam ſeu Jacobæam montanam non laciniatam noſtratem eandem plantam eſſe cum ſecunda ſeu Jacobæa Pannonica folio non laciniato *J. B.* ut ex planta in horto *D. Dale* culta cum deſcriptione Cluſii collata apparuit.

Pag. 399. Quæ de Atzogatl ſeu Mirabili Mexicana Hernandez nimis feſtinanter ſcripſi revoco, & poſt ſecundas cogitationes eam & genere & ſpecie cum admirabili Peruviana convenire agnoſco.

Pag. 427. P. Hermannus Laſerpitium foliis anguſtioribus, dilutè virentibus, conjugatim diſpoſitis *Moriſoni* pro eadem planta habet cum Laſerpitio Gallico *J. B.*

Pag. 540. Origanum montis Sipyli genuina Dictamni ſpecies nobis videtur.

Pag. 619. Hiſtoriæ Sagittariæ *adde*, Idem etiam obſervavit diligentiſſimus Botanicus *D. Doody*, qui in omnibus Sagittariæ plantis bulbum ſeu tuber qualis à Bauhino depingitur infra limum in ipſam terram ſolidam defixum inveniri ad me ſcripſit. Notandum tamen non in hoc tantùm planta folia hoc modo variare, ſed in aliis etiam aquaticis, ut v. g. Potamogitone latifolio, cui pariter folia aquis immerſa graminea ſunt, at quæ aquas ſuperant lata & ſubrotunda, ut in ejus deſcriptione oſtendimus.

Pag. 737. Rapunculus Creticus Petromarula dictus hinc removendus, & ad Rapunculos galeatos transferendus eſt.

Pag. 780. P. Hermannus Leucoiis affinem Tripolium Anguillaræ & Leucoium maritimum *Camer.* pro ſpecie diſtincta à noſtro Leucoio maritimo latifolio ponit.

Pag. 793. Rapiſtrum flore Leucoii marinum, neſcio quo caſu in eadem pagina repetitur.

Pag. 818. Deſcriptio quæ ſubjicitur titulo *Raphani aquatici* Ger. Park, *&c.* eſt alterius plantæ, nimirum Radiculæ ſylveſtris ſive paluſtris *J. B.* Rapiſtri aquatici Tab. Raphani aquatici Rapiſtri folio *C. B.* Ideoque deleantur verba illa. *Proinde Raphanus aquaticus Tab. & ejuſdem Rapiſtrum aquaticum non differunt ſpecie.*

Pag. 830. *l*. 30. Species illa *Thlaſpi verum primum Dioſcoridis* Zanonio dicta ad ſequens caput tranferatur, ſiquidem in ejus vaſculo membrana ſiliquas diſterminans ad latitudinem ſiliquæ tranſverſa eſt. Eadem autem videtur Thlaſpi Alexandrino Cortuſi *J. B.* p. 834. deſcripto, ideoque cum illo conjungenda.

Pag. 866. *ſpec*. 17. Tithymalum maritimum ſeu Eſulam raram è Lio Venetorum inſula, flore albo *Cat. Hort. Reg. Pariſ.* Paul. Hermannus Apocyni ſpeciem facit, vocátque Apocynum maritimum erectum Venetum flore albo: Et certè nobis olim ex ramulis ſiccis (nam plantam virentem nondum videre contigit) ſpecies Tithymali non eſſe videbatur, ſed plantæ longè diverſæ.

Pag. 895. Chamæbalani leguminoſæ vires neſcio quo caſu ad p. 899. tranſlatæ Lathyro Viciæformi ſubnectuntur, ideóque illinc huc removendæ ſunt.

Pag. 912. Paiomiriobas duas Piſonis Sennæ ſpecies eſſe non Orobi à D. Hermanno didici. Hac æſtate utraque mihi ſuccrevit ex ſeminibus ab ornatiſſimo Viro D. *Spragge* acceptis.

Pag. 922. Abſus etiam eodem docente, Sennæ ſpeciem eſſe agnovi. Adde Synon. Abſus foliis Trifolii *J. B.*

Pag. 996. Species duodecima ſeu Lychnis ſylveſtris alba ſpicâ reflexâ *Botan. Monſp.* eadem eſt proximè ſequenti, i. e. Lychnidi flore albo minimo noſtrati. Vide additamenta. *D. Dale* Lychnidem arvenſem minorem Anglicam *Park.* in arvis prope Colceſtriam inventam pro eadem habet, nec nos repugnamus. Vide ejus deſcriptionem p. 1004.

Pag. 1033. Juncariæ Salmanticenſis deſcriptio repetitur. Habetur ſuperiùs Lib. 4. cap. 17. p. 211. quò referri debeat nobis nondum conſtat: hic tamen ſi placet deleatur.

Pag. 1047. Speciem Cotyledonis undecimam, ſeu Saniculam Alpinam crenatam umbilico pallido eandem eſſe puto cum ſexta, ideóque tranſlato illuc titulo deſcriptio hìc deleatur.

Pag. 1055. Gratiola Hyſſopoides & Ageratum purpureum Dalechampii male adjiciuntur capiti de Reſeda; ſuúmque ſingula proprium caput conſtituere debent.

Pag. 1073. Linum tertium & quartum Moriſono deſcripta non differre putamus à decima ſpecie ſeu Lino ſylveſtri cœruleo perenni noſtrate; nam & hujus etiam hac æſtate duas ſpecies obſervavimus, alteram caulibus erectis, foliis latioribus capitulis majoribus, alteram caulibus terram versùs reclinatis, foliis anguſtioribus, capitulis minoribus.

Pag. 1125. *l. antepenult.* Allium montanum majus Anglicum Newtoni, id eſt, Allium Holmenſe, ad hunc locum non pertinet, non enim bulbum habet ex multis nucleis compoſitum, ut nos omiſſa inter transferendum particulâ [Non] falsò opinati ſumus, ſed ſimplicem tunicatum: éſtq; ex obſervatione *D. Sam. Dale*, qui in Horto illud coluit, nihil aliud quàm * Scorodopraſſum primum Cluſii: ideóque hîc expungatur, & cum illo conjungatur. Notandum autem Porrum Syriacum *Tab.* i. e. ſylveſtre folio latiſſimo *C.B.* plantam eſſe longè diverſam à Scorodopraſſo primo *Cluſ.* non ut ſuſpicabamur eandem.

* P. 1121. *deſcriptam.*

Pag. 1201. Yucca Braſiliana & Americana Muntingii ſtellatæ folio mucronato & obtuſo ad hunc locum non pertinent, ſed Mandiocæ ex qua panis Caſſavi fit, ſpecies ſunt.

Pag. 1443. *Ad finem Capitis* VII. *adde*, Ananam ſylveſtrem Acoſtæ eundem fruticem eſſe cum Kaida Horti Malabarici à peritiſſimo Botanico D. Jacobo Breynio illud in Prodromo innuente, didici; ideóque hiſtoria ejus inter Anomalas tradita in Capite de Anana p. 1333. huc transferatur.

Pag. 1663. Pequea ſive Pekia 2. Piſonis bis ponitur.

Colinil Hort. Malab. bis ponitur p. 1734. & in Appendice p. 1892.

Fructus Samparantan dictus bis ponitur p. 1744, & p. 1815.

In deſcriptione folii Quinquinæ p. 1797. lin. 38. acutius ponitur pro obtuſius.

Libet hîc ad Hiſtoriam conſummandam Stirpium nonnullarum Indicarum, Mexicanarum, Perſicarum, Africanarum & Virginienſium nomina à me omiſſa ex Hernandez & Reccho, Indicibus *Jacobi Zanonii* Faſciculo rariorum *Jacobi Breynii*, & Catalogo *Joannis Baniſter* excerpta adjicere.

EX

EX INDICIBUS
JACOBI ZANONII BONONIENSIS.

A

AGivan.
Akaſa.
Akled, Species Croci Indici.
Akaſonum ſive Arkaſonum, Manga ſylveſtris. Hujus figura & deſcriptio in aliquibus conveniunt cum Odallam H. M. *in aliis, ut ſeminum parvitate, differunt.*
Ala, ſeu Zingiber Chinenſe.
Aladar Croci ſpecies.
Aladiul.
Albu, ſpecies quæ Alou H. M.
Allium Indicum.
Aleo.
Amarkand.
Ambari fagi.
Ambeti.
Ampururi.
Anguis.
Anglè arbor.
Anicigan.
Anna Varſecha, i. e. *Arna Viſci Indici, ſeu Plantæ paraſiticæ ſpecies.*
Antacca.
Arbor S. Georgii.
Arbor Alta ex qua Aves nidos ſuos ſuſpendunt.
Arbor Indica max. falſo Idolorum cultui dicata videtur eſſe Atti-meer-Alou H. M. *quæ Ficûs eſt ſpecies & omnium Arborum Indicarum maxima.*
Arbor ferens folia argentea.
Archam arbor, cujus radix Mater Dei dicitur. Folia *habet tripartita, ſolida ut Myrtus; Florem album; è cujus medio oritur fructus ſquamatus figuram piſcis habens.*
Arti ſive Ada arbor.
Arita ſeu Rita.
Arumba Myrobalani ſpecies.
Aruſa.
Atta.

B

Bablia.
Bacchion.
Badam arbor.
Babila arbor.
Babinda.
Bar Zambul.
Baſilicum Indicum ſylv.
Bebla.
Bendi.
Biagha arbor.
Biga.
Bil.
Binghe.
Birli ſpecies Palmæ.
Bolzari.
Bogra.
Bretum ſive Blitum Bengal.
Bretum Amberi.
Baclenda.
Bulilla, an Belilla H. M.
Buin, Binkhini.

C

Caggiu ſeu Chaggiù Arbor.
Carda arbor.
Cardilla arbor.
Carangia.
Caſunda ſeu Caſcunda frutex.
Cata, Tartane.
Cetorzon frutex.
Curafani ſeu ſylveſt. Curaſen.
Cia thara.
Chiadken.
Ciamba pua.
Ciarati.
Ciaruans ſeu Herba Trinit.
Cickna.
Cirti Cucumeris ſpecies.
Ciurata ſeu Rota aut Canna Indica.
Corundi.
Criata herba.
Cruni.
Crulli muſla.

D

Danti ſive Stipſdanti.
Dudhali.
Durli.

F

Fanghela.
Fœniculum marinum Syriæ.
Flos Pavonis.
Flos Perſidis.

G

Galgheri.
Garar Nelli.
Gharfalli.
Ghondi arbor.
Giambua.
Giaſon, arbor parva.
Ginthe ginthæ.
Guburli.
Gulſi.
Gung.

H

Herenda duæ ſpecies.
Hortulana.

I

Ignis cœli Herba.
Igli arbor.

K

Kadi Tumba.
Kaggiuri ſpecies Palmæ Dactyliferæ.
Kaggiu, arbor, Caggiu eadem videtur: v. in C.
Kagnilam.
Kalungi matam.

Kalii kardor radix.
Kalumba.
Kampedi Fudeli.
Kanadi.
Kemberi.
Kanteferi vel Kara Syriaca radix.
Kannu.
Karante arbor.
Karute arbor procera.
Kata pineka.
Khevan.
Khink.
Kiriata.
Kokus inſularum.
Kodria.
Koni vulgò Ralla.
Krididi.
Kudi, Anneko.
Kucli arbor parva.
Kuper kuti Herba repens.
Kumba.
Kurulu.
Kurut arbor parva.
Kureta.
Kura kuſa.

L

Lamba vulgò Giacca de Buſcio.
Laun.
Laudelſul.
Laza Margiada ſeu Pes capræ an Convolvuli ſpecies Bintamburu *voce ejuſdem ſignificati Zeylonenſibus dicta* Herman. Cat. Leyd ?
Licchia.
Limberæ duæ ſpecies.
Linda arbor.
Linbra, arbor.
Londal.
Luceraggo.

M

Mako.
Macongo.
Makoma.
Malkangoni fructus.
Manda Jabo. Her.
Mandara.
Mamekdi.
Marbeth Herba.
Maſſiera.
Meluk.
Morus Indica vulgò Celſi.
Munda.
Muri kuk.

N

Nai.
Nagdon.
Nagli ſeu Nacceni.
Narandi.
Narnbedi.
Narua ſeu Naral.
Nelliea ut Nilicamaram H. M. *prunifera Acaciæ foliis.*
Nid.
Nimbera.

O

Odelbenga.
Ogbſi.
Oud Mogre.
Oxalis Perſica.

P

Paberabul.
Pacali arbor parva.
Pagnas.
Paguiera arbor.
Paire arbor.
Panna ſeu Bethel.
Panna tali.
Panaube ſeu Giancoma, an Jangomas Garciæ?
Paneka.
Panri Kaſli.
Paperambul.
Paragh ſeu Pharangh.
Parangi.
Parcol.
Paringha.
Parmi.
Parmi kanti arbor.
Pateki ſeu Pripilli
Paugiora.
Phulia.
Pilu.
Pimbul arbor
Pinpal.
Pinkeui, Pinxeui.
Pui phanda.
Putakeri.
Puna.

R.

Radix Peluſa & Peluz.
Rad. Ran Varuua ſeu Dantora.
Rad. Nai.
Rad. Kua.
Raiſink.
Rambe Arbor.
Rambulon.
Ranabil radix.
Raugandual.
Ranguri.
Rarondera.
Ratdegal, Arbor.
Rinda.
Ringhini.
Rodali herba.
Roſerage, Arbor.
Rodibula.
Rumbera, Rambora.

S.

Sabon.
Sabranta Herba.
Sabſon & Samb, Savan item, Anteka.
Sai ſeu Sairam.
Sakat.
Samba arbor
Sanderfar & Sander Pal. arbor.
Sanderlak frutex.
Sapuri.
Satura.
Savarghi.
Sciruli.
Scivan & Saivan arbor procera.
Siabon.
Suphucaia arbor.
Suran, Surandi arbor.
Surna.

T.

Tamberi Pagi.
Tan.
Tankela.
Tapheri, nidus è ramo ſuſpenſus.
Tarara.

Tota Vari.
Tendelines.
Teti kani.
Toppi, arbor.
Tungur.
Ty, arbor parva.

V.

Vaar ſeu Vara.
Vanti.
Vuar Panti.
Varua chan, arbor parva.
Vaſnagha.
Vatel ſeu Aſlu, Herba.

Viſub Mogri.
Ulba, Herba.
Umbra, arbor magna.
Undari.
Upalſeri.

Z.

Zalanda, Herba.
Zambal, Frutex.
Zambul, arbor.
Zambulon.
Zaſſar, bulbus, An Crocus?
Zaſuan vel Chiaſu.
Zuui.

Index eſt Plantarum quarum Icones & Deſcriptiones ex India miſit Frater Matthæus S. Joſephi Carmelitanus diſcalceatus ex urbe Regio in Lombardia.

Nonnullarum ex his Figuræ & Deſcriptiones habentur in Hiſtoria Botanica Jacobi Zanonii. Ut v. g.

1. Aliadul ſive Aſdalbul Herbæ Indicæ, quam ità deſcribit prædictus frater Matthæus. *Folia* habet lata & oblonga; flores albos, unico ramo inſidentes, in qua ſunt aliqua foliuſcula cordis figurâ, inter quæ naſcuntur floſculi, qui habent odorem quaſi ſimilem pomo maturo, & includuntur ſinulis foliolorum, in quibus apparet caput vaccæ cum ſuis cornibus; unde Gentiles qui vaccas adorant pulmentum tali capite faciunt.

2. Alhu, nomen Alou ſeu Ficus Indicæ ſpeciem denotat.

Arbor eſt grandis, habet folia magna, lata, plana & mollia, odore ſylveſtri. *Flores* producit coloris purpurei. Fructus fert quaſi ut ficus, ſed deſuper acutus, colore rubro, ſapore acido: Semen incluſum eſt valdè amarum. Fructus vim habet corroborandi refrigerandíque. Foliis utuntur Indi ad inflammationes, &c.

3. Archam arbor.

Hujus radix Mater Dei dicitur. Folia habet tripartita, ſolida ut Myrtus: Flos eſt albus, è cujus medio oritur fructus ſquamatus figuram piſcis habens, qui in pulverem redactus & cum aqua bibitus eſt optimum remedium pro Febribus.

4. Butua, S. Brutua. Hujus icon habetur abſque deſcriptione.

5. Buebenda,

Cui folia triangularia; flores intus flavi, in baſi rubicundiſſimi, quaſi quinas cicatrices continentes, unde flos cicatricum dicitur. Radix trita pro renum dolore adhibetur, flos vero ſanguinis profluvium ſiſtit.

6. Bulilla eſt Bulbus ſquamoſus ſimilis Lilio, è cujus medio oritur *caulis*, qui erigitur ad ſex palmos aculeis circundatus, in vertice emittens pyramidem Aro noſtro ſimilem, rotundis fructibus compoſitam, qui colore & forma videntur Corall. inter quos exeunt aliqua anguſta & undoſa folia Lonchiti aſperæ ſimilia, colore roſaceo ſeptenúmque numerum non excedentia. Fructus duriſſimi ſunt, virtutem habent ſiſtendi ſanguinem, ſolo carnis tactu ubi ſunt venæ, applicantúrque in pulvere ad fluxum ſanguinis ſedandum, & conferunt illis qui non poſſunt retinere cibum pro ſtomachi imbecillitate.

Cannam vivam ſpinoſam venenoſam & mortiferam pro figmento habeo. Datur tamen canna quædam capite ſquamato in Braſilia *Paco-caatinga* dicta.

7. Carda arbor Indica,

Eſt arbor ſpinoſa ſicut Limones cujus folia fricata dant odorem ſicut folia Cedri, & *flores* deſtillantur ad fluxum ſedandum, ſpirántque ambo odorem ſuaviſſimum. Fructus eſt paulo major Limone, flores ſimiles Cedri. Cortex fructûs eſt durus inſtar Granatorum. Pulpa incluſa ſecundo cortice duriſſimo & craſſo eſt viſcoſa ac ſapore inſipida; Semen incluſum eſt ſicut Limonis, ſed non tam durum nec amarum. Hoc fructu utuntur Gentiles antequam matureſcat ad appetitum excitandum.

8. Cardilla arbor Indica,

Folia habet lenia, plana, cordis figura. Radicis decoctio febrim tollit. Folia trita & alio folio involuta & in cinere calido ſepulta pro omnibus animalibus ſunt proficua.

9. Igli arbor pagi Ende dicti in inſula Solor, nulla hujus deſcriptio habetur ſed icon tantum.

10. Kanadi ſeu Konade Indiæ Orientalis herba,

Radice eſt tuberoſa, valdè craſſa & ſcabroſa, quæ plurimas radiculas emittit; in vertice verò multa folia, parva quidem ſed longiora, inter quæ aliquot aſſurgunt virgulæ, Juncorum inſtar ad altitudinem quinque, ſexve palmarum, quorum in vertice flos eminet luteus, ſimplicis Roſæ non abſimilis; è cujus medio tria ſtamina prodeunt, apices in ſummitate ferentes aurei coloris & figurâ cordis. Talem verò hi flores ſpirant odorem ut longè ſentiantur.

11. Lamba, arbor eſt valdè alta, naſcitúrque in locis ſylveſtribus, cujus folia ſunt parva, Parietariæ noſtræ ſimilia: Ramos habet longos, æquali proportione diſtantes; fructus ſimiles nuci, ſapore Ceraſorum, coloris aurei: ideóque mulieres eos colligunt ad tingendos capillos; ſed clam metu ſupplicii: nam id prohibetur, quia reſervantur pro Avibus.

E Faſciculo rariorum plantarum Jacobi Breynii.

A.

Abſinthio Seriphio ſimilis Cap. B. Sp.
Alcæa minor Africana, Althææ facie, flore purpureo parvo.
Arbor roſea prima, ſeu Arbuti folio, flore flavo.
Secunda, ſive Styracis folio, *Ten Rhyne.*
Arbor lucens Halicacabi fructu. An Arbor lucens Jamaycenſis noſtras?
Aſphodelus major ramoſus Cap. B. Sp.

B.

Bellis Erucæ folio incana, C. B. Sp.
Bugloſſum Africanum Echii folio.

C.

Camphoratæ ſimilis, longiùs radicata.
Altera, magis hirſuta.
Chamægeniſta C. B. Sp.
Chenopodæ ſimilis planta mirabilis Africana, Echini *Alpini* facie, ſed minimè ſpinoſa.
Chryſanthemum Africanum pumilum, foliis Abſinthii Alpini umbelliferi minoris.
Corruda ſpinis horrida, foliis Aſparagi Sylveſtris Africana.
Corruda Africana Hippuris facie.
Cynogloſſum Africanum myrtifolium.
Cynoſorchis Cap. B. Sp.

E.

Elichryſon minus Africanum, flore aureo.
Erica Coris folio Æthiopica, flore purpureo tetrapetalo.
Erica Serpylli folio Æthiopica, flore purpureo pulchro.
Eupatorio affinis Suffrutex Ericoides capitatus, Coris ſeu Juniperi folio Cap. B. Sp.

F.

Frutex Æthiopicus foliis Alaterni.
—— Myrtiformis *D. Ten. Rhyne.*
—— Vitis Idææ 1. Cluſii foliis.
—— Africanus foliis Buxi.
—— Africanus, fruticis terribilis Narbonenſium foliis, capitulis oblongis ſquamoſis.
Frutex anonymus, foliis Lauri tini minoris.
—— foliis Chamægeniſtæ Creticæ.
—— leguminoſus Myrtifolius, ſiliquâ hirſutâ, Anonidis montanæ præcocis purpureæ fruticeſcentis *Moriſon.* facie.
Fucus carnoſus coralloides C. B. Sp.

G.

Geranium Malvæ folio odoratum, flore purpureo Cap. B. Sp. *D. Ten Rhyne.*
—— Myrrhidis fol. Æthiopicum parvum.
—— noctu olens Æthiopicum, foliis Myrrhidis anguſtioribus minùs hirſutis.
—— noctu olens Æthiopicum lanuginoſum, foliis Myrrhidis latioribus minùſque laciniatis, flore rubro vel purpureo perelegantí.
Geniſtæ Aſpalathoides polyanthos major Cap. B. Sp.
Geniſta affinis Africana flore cœruleo, alatis & punctatis foliis aſperiuſculis.
Gladiolus, flore pendulo.
—— major ramoſus, flo. cœruleo amplo.
—— medius, flo. majore.
—— minor gramineus, flo. parvo cœruleo.
—— min. gram. flo. parvo pulchro variegato.
Gramen triglochin bulboſum Monomotapenſe.

H.

Hyacinthi & Cotyledonis faciem mediam obtinens Planta Africana, floribus luteis longiſſimis atque ſtriatis, Gladiolus Imperialis *Ten Rhyne.*

M.

Marrubium album minus Africanum, calyculis amplis.
Monorchis C. B. Sp.

O.

Olus atrum Africanum.
Ornithogalum umbellatum maximum Cap. B. Sp.

P.

Perfoliato anguſtifolio montano *Col.* ſimilis Planta umbellifera nova, fructu triplici membranaceo C. B. Sp.
Pimpinella maxima Africana flore purpureo.
Planta Corios folio Africana.
Planta fruticeſcens Africana perrara, foliis Peucedani, floribus conglomeratis, Herbæ caſtæ Americanæ nonnihil ſimilibus.
Planta foliis Ruſci minoribus C. B. Sp.

S.

Sanamunda Africana 1. ſive foliis anguſtiſſimis candicantibus.
—— 2. Sive foliis Serpylli minoribus aſperiuſculis, capitulis Thymi.
—— 3. Sive foliis Serpylli majoribus incanis.
—— 4. Sive foliis glabris acutis.
—— 5. Sive ericoides major.
—— 3. Sive ericoides minor, ramulis admodum lanuginoſis.
Solanum ſpinoſum arboreſcens C. B. Sp.
Stœchadi Arabicæ ſimilis C. B. Sp.

T.

Thymelæa Æthiopica foliis Paſſerinæ, minor C. B. Sp.

V.

Virga aurea Africana foliis Ericæ bacciferæ.
—— foliis Linariæ minoribus.

E Catalogo huc tranſmiſſo *Anno* 1680. quem compoſuit eruditiſſimus Vir & conſummatiſſimus Botanicus D. *Johannes Baniſter* Plantarum à ſeipſo in Virginia obſervatarum.

A.

Alſine Spergula latifolia reptans.
Becabungæ folio.
Althæa lutea Pimpinellæ majoris folio, floribus parvis, ſeminibus roſtratis. Folia hujus plantæ pediculis inſident.
Althæa magna Aceris folio, cortice Cannabino, floribus parvis ſemina rotatim in ſummitate caulium, ſingula ſingulis cuticulis roſtratis cooperta ferens.
Althæa magna quinquecapſularis, cortice Cannabino, foliis integris ſubtus albicantibus, floribus magnis ex fundo ſaturatè rubro albis.
Alth. magna quinquecapſularis, cortice Cannabino, foliis Malvarum modo diviſis, ſubtus viridibus.
Ambroſia inodora foliis non diviſis.
gigantea inodora foliis aſperis trifidis. ,
Anchuſa lutea minor, quam Indi Paccoon vocant ſeipſos ea pingentes.
Anemone latifolia ſylveſtris alba.
Apocynum erectum non ramoſum folio ſubrotundo, umbellis florum rubris.
Apoc. erect. non ramoſ. latiore folio, umbellis florum albicantibus.
Apoc. erect. minus, umbellâ florum candida.
Apoc. erect. non ram. Aſclepiadis folio, umbellis florum rubentibus.
Apoc. minus non lacteſcens, caule & foliis hirſutis, floribus ſaturatè luteis.
Apoc. erect. non ram. Roris marini foliis umbellis florum candidis.
Apoc. petræum ramoſum Salicis folio.
Apoc. ſcandens, capſulis brevibus ſpinis aſperis.
Apoc. ſcand. capſulis alatis.
Apoc. ſcand. capſulis planis.
Hæc omnia ſiliquas ferunt tumentes.
Apoc. erect. ramoſum, caule rubente, foliis oblongis parvis, ſiliquis [ex floſculis albis] tenuiſſimis, binatim ad extremitates conjunctis.
Ariſarum triphyllum, pene viridi.
Ariſ. triph. minus, pene atro-rubente.
Ariſ. Dracontii foliis pene longo acuminato.
Arum aquaticum, foliis in acumen deſinentibus, fructu viridi.
Arum fluitans, pene nudo.

C.

Carduus Jaceoides purp. foliis ſubtus incanis, capite viſcoſo.
Caryophyllata flore ſemper albo.
Caſtanea pumila racemoſo fructu parvo, in ſingulis capſulis echinatis unico, **The Chinquapin.** Autor deſcriptionis Carolinæ ex hac nuce Chocolatam fieri refert non multò inferiorem ei quæ ex Cacao fit.
Centaurium minus caule quadrato alato, flore carneo amplo, umbilico luteo.
Centaurium luteum Aſcyroides.
Clematis purpurea repens petalis florum coriaceis.
Clem. erecta, humilis non ramoſa, foliis ſubrotundis, flore unico ochroleuco.
Cochlearia flore majori In locis udis à ſalſis procul remotis..
Conyza cœrulea acris Americana.
Cucumis fructu minimo viridi, ad maturitatem perducto nigricante. Fructus Bryoniæ albæ baccâ non multo major eſt, cujus primo aſpectu ſpeciem eſſe putaveram.

D.

Dens caninus flore luteo.
Digitalis flore pallido tranſparenti, foliis & caule molli hirſutie imbutis.
Digit: rubra minor, labiis florum patulis, foliis parvis anguſtis.
Digit. lutea elatior Jaceæ nigræ foliis.
lutea altera, foliis tenuiùs diſſectis thecis florum foliaceis.
parva comis coccineis.

E

Eryngium campeſtre Yuccæ foliis, ſpinis tenellis hinc inde marginibus appoſitis.
Euonymus capſulis eleganter bullatis.

F.

Filix mas foliis integris auriculatis.
mas rachi ſeu nervo medio alato.
fœmina foliis per margines pulverulentis, ſeminibus fimbriatis.
Fumaria ſiliquoſa lutea.
Siliquoſa altera grumoſa radice, floribus gemellis ad labia conjunctis.
Fungus (ex ſtercore equino) capillaceus capitulo rorido, nigro punctulo in ſummitate notato. Ex recenti fimo noctu exoritur cauliculis erectis, vix digitum longis, capillorum inſtar tenuibus nec minùs denſis ſeu confertis. Singuli Cauliculi parvulo globulo aqueo coronantur, qui in ſumma ſui parte macula parva nigra Limacis oculo ſimili inſignitur.

G.

Gentianæ affinis foliis glabris ſerratis, floribus Ranæ referentibus.
Gladiolus cæruleus hexapetalos, caule etiam gladiato.
Gratiola foliis latioribus ſerratis.

H.

Hedera trifolia Canadenſis foliis ſinuatis.
Helleborine flore rotundo luteo, purpureis venis ſtriato. **The Mockaſine flower.**
Helxine latè ſcandens ſeminibus majoribus.
Helxine fruteſcens Bryoniæ nigræ foliis, capſulis triquetris amplis Pergamenis.
Hieracium fruticoſum latifolium foliis punctulis & venis ſanguineis notatis.
Hyacinthus Occidentalis flore pallidè cœruleo.
Hypericum parvum caule quadrato ſeu Aſcyron minimum.
Hyper. pumilum ſemper virens caule compreſſo ligneo; ad bina latera alato, flore luteo tetrapetalo, ſeu Crux S. Andreæ.
Hyper. fruteſcens luteum Phillyrrheæ foliis.

Jacea

I.

Jacea non ramoſa tuberoſa radice, foliis plurimis rigidis peranguſtis, flores ferens multos parvos rubentes acaules in ſpica ad caulem ſeſſiles.

Jac. non ram. tub. rad. foliis latioribus flores ferens pauciores, majores, ſquamis hiantibus armatos & pediculis curtis inſidentes.

Jacobæa lanata foliis brevibus ſubrotundis, lanata altera foliis longis anguſtis.

Jaſminum arboreum foliis amplis, oblongis, ſupernè virentibus, ſubtus leni canitie pubeſcentibus, flores albos in quatuor lacinias longas anguſtas ad umbilicum uſque partitos racematim ferens.

Iris aculeata baccifera arborea minùs ferax.

Iris cœrulea latifolia & anguſtifolia.

Chamæ-Iris verna odoratiſſima, latifolia cœrulea repens.

L.

Pſeudo-Lathyrus luteus glaber, ſiliquis tumentibus, duplicem ſeminum ſeriem continentibus.

Pſeudo-Lath. lut. hirſutus ſiliq. tument. continentibus duplicem ſeriem ſeminum.

Laurus Tinus floribus albidis eleganter bullatis. Flos nondum apertus pyxidi S. M. Magdalenæ (ut nonnunquam pictam vidi) ſimilis eſt.

Lilio-narciſſus humilis albus.

Lilium S. Martagon floribus reflexis ex luteo rubentibus, purpureis maculis eleganter notatis.

Lilium S. Martagon puſillum florib. minutiſſimis herbaceis. Caulem habet vix dodrantalem, verticillo foliorum unico cinctum, cujus ſummitas quatuor floribus reflexis Solani lignoſi floribus magnitudine haud æqualibus, pediculis parvis inſidentibus coronantur.

Lilium Squillæ foliis, denticellis parvis ad margines ſerratis. Caule eſt alto, nudo, ad cujus ſummitatem prodeunt flores in ſpica ſeſſiles, petalis pæne ad imum (ut loqui amant feciales) quaſi eraſis; ſtaminibus ſex (ſi non malè memini) purpuro-cœruleis, mole ſua aliquantulum depreſſis. Flos quamvis aſpectu non admodum pulcher ſit pergratum habet odorem. Radicem habet imbricatam inſtar Lilii, folia craſſa admodum & ſucculenta, non tamen Sempervivi ſpecies eſt.

Lonchitis maxima foliis planis *i. e.* non dentatis, nec pulverulentis maculis notatis, uno in ceſpite foliorum unicum protrudens caulem foliis anguſtioribus, pulverem ſeu ſemina in membranulis quaſi in capſulis ferentibus compoſitum.

Lonchitis major Polypodii facie. Hæc atque etiam vulgaris ſimili modo florida eſt.

Lychnis plumaria alba, foliis ad geniculum quatuor cruciatim poſitis, thecis florum tumentibus.

Lyſimachia lutea minor, foliis & floribus purpureo punctatis

Lyſimachia ſiliquoſa lutea minor.

M.

Meliſſa elatior foliis magnis dentatis glabris, ad geniculum binis: flores odoratos luteos patulos ſtamina bina quaſi cornua protrudentibus in ſummitate caulium racematim ferens.

Mercurialis tricoccos hermaphroditica, ſ. ad foliorum juncturas ex foliolis criſtatis Julifera ſimul ac fructum ferens.

Muſcus erectus densè complicatus Cupreſſi foliis major & minor. In rupe quadam prope Sabinas foliis Cupreſſi.

Myrrhis minor procumbens, ſeu potiùs Cerefolium.

N.

Nux veſicaria Virginiana *Park.*

O.

Orchis palmata elegans lutea cum longis calcaribus luteis, palmata lutea minor nullis calcaribus. Hermaphroditica, flore minore, calcare longiore.

Origanum floribus amplis luteis, purpureo maculatis, cujus caulis ſub quovis verticillo decem vel duodecimo foliis eſt circumcinctus.

Orig. cujus ramorum ſummitates floribus dilutè rubris in verticillos congeſtis coronantur.

Orig. foliis ad ſummitatem caulium canis, floribus multis pallidè cœruleis in cymis ramorum densè ſtipatis.

Ornithogalum luteum parvum foliis gramineis hirſutis.

Orobanche radice dentata caule & flore albo. Flos ejus quem unicum in uno caule Goodyeri Orobanches ſimilis eſt ſed major. Conceptaculi ſeminalis venter ſeu pars protuberans non rotunda eſt ſed canaliculata.

P.

Pepo fructu parvo compreſſo.

Phalangium ramoſum floribus albis, ad fundum viridibus.

Phalangium album non ramoſum floribus albis ad caulem ſpicatim ſeſſilibus.

Phyllitis parva ſaxatilis per ſummitates folii prolifera.

Piſum ſpontaneum purpureum.

Plantago aquatica latiore folio.

Polygala ſeu Flos ambarvalis floribus luteis in caput oblongum congeſtis.

Polyg. rubra ſpicâ parvâ compacta.

Polygala ſpicata rubra major foliis & caulibus cœruleſcentibus.

Pol. quadrifolia S. cruciata floribus ex viridi rubentibus, in globum compactis.

Pol. quadrif. minor ſpica parva rubente.

Polygonatum ramoſum capſulâ priſmaticâ, ramoſum perfoliatum flore ochroleuco capſula trigonâ.

Polypodium parvum foliis minutim ſerratis.

Polypodium minus alterum Scolopendriæ facie.

Potamogiton Virginianum.

Q.

Quercus variæ ſpecies, 1. Pumila. 2. Alba. 3. Rubra. 4. Hiſpanica. 5. Caſtaneæ folio. 6. Lini aut Salicis foliis. 7. Fruticoſa. Harum primam in Hiſtoria, quintam in Appendice meminimus.

R.

Ranunculus Thalictri folio, radice grumoſa; Anemone ſylv.

Rapuntum minimum glabrum. In uliginoſis minùs glabrum flore pallidiore.

Rhamnus Prunifolius fructu nigro, oſſiculo compreſſo. The black Haw.

Rhus ramis ex ſtipite pullulantibus glabris. Hujus truncus carpi craſſitiem nunquam ſuperat, pollicis raro excedit. Baccæ ſapore ſunt ſubſalſo cum pungenti illo acore qui in Tamarindis ſentitur mixto.

Rubia parva foliolis ad geniculum unumquodque binis, flore cœruleo fiſtuloſo.

Rub. parvá latifolia foliis ad genic. binis, flore rubente.

S.

Sanicula ſeu Auriculá urſi Cyclamini flore.

Saxifraga petræa Alſinefolia.

Sedum ſaxatile parvum, caule gracili aphyllo, floribus rubentibus.

Solanum verticillatum latifolium molle, floribus obſoletè rubris, baccis luteis.

Sol. verticill. anguſtiore folio, flore ochroleuco.

Sol. triphyllum flo. tripetalo, atro-purpureo, in foliorum ſinu abſque pediculo ſeſſili.

Staphis agria fol. dilutè viridibus.

Stramonium fundo floris cœruleo, pomis longioribus ſpinis armatis.

T.

Trichomanes major foliis longis auriculatis.

U.

Valeriana Græca ſeu Valeriana cœrulea minor.

Veronica pratenſis Serpyllifolia.

Viola tricolor nudo caule, foliis tenuius diſſectis.

Viola alabaſtrites pentaphyllea, Cochleariæ ſapore, Naſturtii ſpecies.

Urtica urens major ſeminibus rotundis, compreſſis loculamentis viridibus incluſis & in caulis ſummitate racematim diſpoſitis.

Inter ſemina ad me è Virginia tranſmiſſa, *Anno* 1687. ab eodem *D. Baniſter*, nonnulla invenio quorum nomina *in hoc* Catalogo non habentur, v. g.

Erigeron (frutex marit.) Halimi folio : Senecio arboreſcens Atriplicis folio.

Eryngium Plinii Portulacæ foliis à *D. Spragge* acceptum.

Euonymus (ni malè memini) Pyracanthæ foliis.

Lyſimachia lutea corniculata maritima.

Cynogloſſum cœruleum Bugloſſi foliis.

Senæ ſpuriæ tres ſpecies quarum una ſiliquis eſt hirſutis à *D. Spragge* acceptæ. Duæ à me ſatæ germinârunt & plantas produxerunt, quæ duæ ſpecies Paiomiriobæ à Piſone deſcriptæ eſſe videbantur.

Piſtacia nigra Coryli folio *D. Spragge*.

Ulmus fructu Lupulino.

Ricinus parvus Urticæ folio.

Convolvulus bicapſularis ſeminibus pappo alatis.

Phalangium ſpicatum floſculo Arbuteo bullato aureo.

Lithoſpermum floribus roſtratis.

Ricinus fruteſcens Fici foliis.

Gramen marinum echinatum. Hujus ſemina etiam à *D. Spragge* accepi, quæ hac æſtate in horto ſata germinarunt, ſed nondum ad frugem pervenerunt.

COM-

COMPENDIUM Hiſtoriæ Plantarum Mexicanarum

FRANCISCI HERNANDEZ.

PRIMUS LIBER

Agit de Plantis in genere, nimirum de earum nominibus, convenientiis & differentiis, de generationibus & mutationibus, partibus, ſaporibus, &c. *de quibus nos Libro primo Hiſtoriæ hujus diximus quantum ſufficere arbitramur.*

LIBER SECUNDUS. CAP. I.

Coapatli *S. Tlamacazquipan* Hernand. *Corymbifera Mexicana Perſicifolia, flore parvo ochroleuco, radice odorata.*

RAdix flatum diſcutit, oſſa conſolidat, urinam evocat. Jus decocti dicitur evacuando curare dyſenterias. Cortex radicis ℥ ß. pondere per novem dies continuos devoratus dolores è lue Venerea ortos lenire perhibetur. Idem febres quartanas fugat.

Cap. 2. Coapatli II. *S.* Teoitztlæ: *Corymbifera Mexicana Limoniæ folio, flore luteo, radice odorata.*

Temperamento & viribus cum præcedente convenit.

Coapatli III. *S. De* Tepequaquilco: *Papposa Mexicana triphyllos, flore albo, radice tuberoſâ.*

His ob convenientiam in nomine & viribus ſubnectemus,

Coapatli IV. *S. Quauhnacenſem* CAP. XII. *deſcriptam foliis oblongis, aſperis in caule per intervalla ternis floribus nudis, pallidis, piloſis; radice odorata.*

Vide duas alias plantas *Coapatli* nomine, frigida temperie, infra *lib.* 8. *cap.* 55. & 56.

At quia (Annotatio eſt Columnæ) in prima *Coapatli* Synonymum eſt *Tlamacazquipan*, quod nomen invenimus in aliis plantis, quarum imagines & nomina tantùm in exemplaribus extant fol. 414. in alia parùm variante figura, ſub nomine *Tlamacazqui y Papam* vel *Coapatli*, quæ figura tertiæ deſcriptæ *Coapatlicli* quodammodo affinis videtur; an Pictoris varia ſors, vel Plantæ varietas ſit proponitur expendenda.

Cap. 3. *Texaxapotla Hern.* S. Ptarmica Indica Linifolia repens flore pallido, mali Medici odore.

Naribus admota ſternutamenta movet, unde confert gravedini.

Cap. 4. *Xochinacaztli* S. Flos Auriculæ Oregioella * *Cluſ. Orejuelas Hughes*, quæ Hiſpanica vox eſt eodem Auriculæ ſignificatu. Hujus floris mentionem fecimus in Capite de *Cacao l.* 29. *p.* 1671. at plantæ deſcriptionem omiſimus, quæ hujuſmodi eſt, Arbor longis & anguſtis eſt *foliis*, virore exaturato tinctis, & è pediculo velut marcido propendentibus in inferiora. *Flores* intus purpuraſcunt, externè herbacei, auricularum pænè formâ, jucundo odore. *Fructus* eſt ſiliqua, longitudine ſex unciarum, craſſitie verò unius digiti: *Semina* intus ex mutua compreſſione fiunt anguloſa, ſuntque coloris ſanguinei. Cluſius floris hujuſce folium pro cortice fructus alicujus habuit. Nihil hoc flore frequentius in Indorum emporiis venditur. * *Exot. l. 2. c. 16.*

Huic flori valdè ſimilis flos *Yoloxochitl* cap. 20. deſcripti, niſi quòd plenus ſit, & colore nonnihil variet; Chocolatæ etiam pariter potioni admiſcetur.

Cap. 5. *Xocoxochitl* ſeu Piper Tavaſci: in hiſtoria noſtra deſcribitur ſub nomine Amomi odore Caryophylli pag. 1507.

Cap. 6. *Acocotli*, ſeu Corymbifera Mexicana tuberoſa, foliis Nardi, flore pallidè rubente.

Viribus & temperamento non multum differt à *Coapatli.*

Cap. 7. *Acueyo S. Ocixochitl.* Foliis Ari, caulibus fœniculaceis geniculatis. Nec flores, nec fructus deſcribit, unde ad quod genus pertineat nos latet. Caules duntaxat condiri ſcribit, ſed & crudos edules eſſe, ſapore & odore grato. Earundem pæne virium eſt cum præcedente.

Cap. 8. *Apoyomatl* S. *Phatziſiranda*, Cyperus Americanus, Radix S. Helenæ. Vide Hiſtor. noſtræ pag. 1339.

Cap. 9. *Atepocapatli.* *Flore* eſt radiato coccineo: *Foliis* Amygdalinis, ex adverſo binis; *radicibus* tuberoſis.

Sterilitati à frigida intemperie mederi dicitur, & febres fugare.

Cap. 10. Eſt de Caryophyllo aromatico; de quo nos in Hiſt. noſtræ l. 26. p. 1508. abundè egimus.

Cap. 11. De Cinnamomo; de quo & nos prolixè Hiſt. p. 1559. &c.

Cap. 12. De *Coapatli* IV. quam nos cognominibus plantis in initio libri ſubjunximus.

Cap. 13. *Curutzeti* S. Aſarum Mechuanicum; Rectiùs cum Terentio Cacaliam Michuacanicam, foliis vitigineis ſerratis, floribus luteis dixerim. *Radicibus* eſt fibróſis, odoratis. *Folia* ex ſententia Columnæ ad Cortuſam Matthioli accedunt.

Temperamento & viribus cum præcedentibus ferè conveniunt radices, quæ ſolæ in uſu ſunt, & ab incolis magni fiunt ob odorem jucundiſſimum, Moſchi æmulum.

Cap. 14. *Hoitziloxitl*, Arbor Anethina reſinifera, Liquidambaris plantæ par eſt, *ſtipite* recto, lævi, extra exaturato virore tincto, intus candicante; *foliis* oblongis acuminatis ſerratis, [icon pinnata repræſentat, ex pluribus conjugationibus cum impari in extremo compoſita] *floribus* pallidis; guſtu & odore quavis ſui parte mirè refert Anethum, ejúſque effectus, & efficacius præſtat.

Fruſtum ligni ubicunque infodiatur ſtatim radices agit.

Cap. 15. *Tlilxochitl* ſeu *Vaynillas*, de hoc egimus *Hiſt.* l. 23. c. 13. p. 1330.

Cap. 16. *Axixtlacotl*, S. Virga diuretica ab effectu urinas educendi dicta, *Foliis* eſt Anchuſæ, minoribus ſerratis, hirſutis, per longum venoſis, *radice* Hellebori albi, fibrata, odora; *floribus* parvis, ex albo palleſcentibus, velut coacervatis, odoratis, acríſque ſaporis.

Cap. 17. *Hoitzxochitl*, S. Arbor Lonchifolia, *Foliis* eſt Myrtinis longè majoribus [quinque uncias longis, duas latis] rigido & infeſto mucrone; *floribus* coccineis, quos filo transfixos Indi in emporiis ſuis vendunt, qui & uterini ſunt & cardiaci, ínque condimentis & dapibus Croci vicem præſtant; [Fructus Pomo ſimilis, colore Amygdalæ, cui florem inſediſſe videtur.]

Cap. 18. *Chichicpatli*, S. Chamædrys Mexicana, foliis aſperis, floribus luteis, *Flores* circa poſtremos caules coacervati, & calycibus oblongis contecti: *Folia* odorata, amara; *Radix* ſurculoſa, pariter odorata, at amaritudinis ferè expers, acris, Appetentiam excitat. Duæ aliæ cognomines, at diverſi generis. Vid. p. 364, 365.

Cap. 19. *Hucuuiro*, Salvifolia Mexicana, floribus promiſcuè cyaneis atque coccineis, *Folia* longis pediculis appenſa, ad exortum latiora, ſubalbicantia; *Radix* tenuis, longa; Odor & ſapor Lavendulæ. Exteriùs appoſita medetur dolori ventriculi.

Cap. 20. *Yoloxochitl Ariſtochyea*, Arbor eſt magna, foliis Mali Medicæ, duplo longioribus quæ abſcedentia veſtigia in caule relinquunt. Flos odoratus, polypetalos, externa parte media vireſcens, circum oras ex cinereo luteſcens, quatuor digitorum diametro petalis interna parte cavis & purpurorubentibus, in extremo luteſcentibus, pinguibus & glutinoſis, ſingulis pollicem æquantibus, umbone medio virente. *Floris* effigies non parùm ſimilis flori *Xochinacaztli* cap. 4. deſcripti, & eundem uſum præſtant, paritérque admiſcetur potioni Chocolatæ. Cardiacus eſt & uterinus, ſterilitatis remedium.

Cap. 21. *Yztactlacocotic* S. Herba Lonchifolia, Dodrantes quatuor alta eſt, *foliis* oblongis aſperis; *floribus* candentibus, calycibus parvis tectis; *radice* ſurculoſo, fuſco cortice, odorata & reſinoſa, dolores ſedante, tuſa & devorata.

Cap. 22. *Caçalic Tlacopatli*, S. Convolvulus Cinnamomeus, à radicis ſapore reſinoſo & odorato, Volubilis eſt herba, *foliis* cordiformibus ſed longioribus & magis acuminatis, venoſis, glutinoſis & ſalivoſis, crebris; *Radice* lutea, Rhaphano ſimili, digitum minimum craſſâ, ſaporis reſinoſi & odorati. Naſcitur in calidis. Diuretica eſt & febrifuga, hydropicis medetur, & convulſionem enixæ curat.

Cap. 23. *Tozontolli*, S. Juncus capillatus, *Radices* fundit capillatas; *caules* teretes, læves, cavos, & in cacumine *capitula* lutea oblonga: *Radices* dulces, odoratæ. Bechica eſt, cephalica, diuretica, cardiaca, uterina, aſtringens, unde fluxus omnes curat.

Cap. 24. *Tomahuactla copatli* S. Ariſtolochia Mexicana: Hujus deſcriptionem vide in Appendice.

Cap. 25. Caninga arbor, Lignum Aromaticum Monardis. vid. Hiſt. p. 1801.

Cap. 26. *Yztle-Huayopatli*, S. Radix Caryophyllea, *Foliis* Mali Limoniæ, ſubtus candicantibus & hirſutis, supernè nigricantibus. *Floribus* candicantibus modicis, *fructu* parvo orbiculari: *Radicibus* candidis, acribus, odoratis Caryophyllorum, quorum vicem ſupplere poſſunt in cibo & medicamentis. In calidis *Tilanci* collibus naſcitur.

LIBER TERTIUS. CAP. I.

Copal Quahuitl *S. Arbor Copallifera* I. *Copal cahuitl Gomaræ apud* Cluſ. Exot. *pag.* 297.

C*Opal* Indis (ut alibi monuimus) quodlibet gummi genus ſignificat, ſed quod ab hac Arbore ſeu ſponte, ſeu ſcarificata fluit κατ' ἐξοχὴν ità dicitur, nobis in Hiſtoria è Monarde deſcriptum. Arbor eſt procera, foliis quernorum formâ & magnitudine [pinnulis foliorum intellige, folia enim pinnata pinguntur è pluribus hujuſmodi pinnarum conjugationibus compoſita; media etiam coſta quibus pinnæ adnectuntur membranis utrinq; foliaceis aucta eſt ut in Lentiſco] Fructu obrotundo & purpuraſcente Gummi ſapore.

Cap. 2. *Copal Quahuitl Patlahoac*, S. Arbor Copallifera II. ſeu latifolia. Mediocri eſt magnitudine, *foliis* ſerratis, & Rhoi obſoniorum perquam ſimilibus tum formâ, tum magnitudine, tum etiam colore ſqualenti. Gummi ſtillat non abſimile præcedenti, ſed parciús.

Cap. 3. *Copal Quauhxiotl*, S. Copallifera III. Leproſa dicta, quòd ſci. membranam externam facilè exuat; *foliis* eſt parvis oblongis [Icon numeroſiſſimas pinnatim ad unam coſtam annexas repræſentat, ad quindecim uſque conjugationes] fructu acinoſo, ſingulatim dependente: gummi pauco.

Cap. 4. *Copalli* Totopecenſe, Copallifera IV. Mali Medicæ foliis ſaturatè viridibus. Arbor eſt magna.

Cap. 5. *Tecopalli Quahuitl*, S. Copallifera V. montana, Arbor eſt mediocris, unedonis folio [Hujus etiam folia icon pinnata repræſentat] fructu Glandibus ſimili, quendam veluti Strobilinum continente, opertum lucidâ & reſinoſâ quadam ſalivâ, atque includentem intra ſe nucleum candidum, ad multa utilem. Thus Indicum dicitur.

Cap. 6. *Cuitla Copalli*, Copallifera VI. leproſa II. Arbor eſt mediocris, foliis obrotundis parvis, aciniſque racematim dependentibus, Oxyacanthæ ſimilibus, valdè odoratis glutinoſiſque. Folia, adnotante Terentio, ſitu & figurâ ſimilia ſunt foliis ſiliquæ arboris.

Cap. 7. *Tecopal Quahuitl Pitzahuac* S. Copallifera VII. leptiphylla. *Foliis* eſt pinnatis, parvis, minimè ſerratis; fructu parvo, rotundo, Piperi figurâ non abſimili, ſed coccineo, ſingulis biniſve acinis per intervalla ramis appenſis.

Cap. 8. *Xochi copalli*, aliis *Xarapizqua*, an Xolochcopalli Gomaræ apud Cluſium Exot. p. 297? Copallifera VIII. menthæ foliis profundiùs ſerratis. Arbor eſt mediocris, ſtipitibus impensè odoris: liquor exſtillans fulvus eſt, Limonum odorem valdè referens, Thuris Indici generibus annumerandus. *Folia* adnotante Columna, 5½ pollices longa, duos lata, obſcurè virentia. *Flores* ex longis calycibus dilutè virentibus, denſis ſtaminibus luteis compacti. An Balſamum Urticæ folio Indis *Xilo* dictum Monard. cap. 9? de quo Hiſtor. p. 1758.

Cap. 9. *Mizquixochi copalli*, S. Copallifera IX. foliis Mali Medicæ, floribus coccineis. Arbor eſt magna, ſtipite candicantibus punctis diſtincto. Hujus gummi *Animè* nonnullis vocatur.

Cap. 10. *Holquahuitl* ſeu *Chilli* arbor. Arbor Mexicana cortice amaro, fructu in orbiculis ſtellatis ſtipiti adnaſcentibus. Duûm eſt generum, Alterum *ſtipite* magno, levi, fulvo, & lentâ referto medulla; *Floribus* candicantibus *foliis* maximis. *Fructus* Ponticis nucibus par eſt, candenti luteâque obductus membrana, & amari ſaporis. Alterum foliis Mali Medicæ ſed majoribus. De hujus gummi quod inciſo cortice emanat, *Holli* dicto Chocolatæ interdum admiſceri ſolito nonnulla è Piſonis mantiſſa Aromatica petita vide Hiſt. noſt. 1672. Plura de ejus viribus vide hoc in loco.

Cap. 11. Arbor Balſamifera I. *Hern. Hoitziloxitl.* De hac vide Hiſtor. p. 1758.

Cap. 12. *Huaconex*, Balſamifera II. baccifera. Arbor eſt mediocris altitudinis & craſſitiei, materie firma, incorruptibili, odora; *foliis* luteis denarii amplitudine; *flore* parvo candicante, baccis Lauri. E cortice confracto, aquâ macerato, demum inſolato & expreſſo liquor balſamicus extorquetur. Extrahitur etiam ex foliis ſtillatitius liquor ad multa utilis. Surculi ad dentiſcalpia commendantur.

Cap. 13. Balſamifera III. *Maripendam* dicta. De qua egimus Hiſtor. p. 1759.

Cap. 14. Balſamifera IV. De Tolu dicta, deſcripta Hiſt. noſt. p. 1758.

Cap. 15. *Molle* arbor, Lentiſcus Peruana, Deſcribitur Hiſtor. noſtræ p. 1582.

Cap. 16. *Tecomahaca.* De qua vide Hiſtor. noſt. p. 1846.

Cap. 17. *Tlahveliloca Quahuitl*, S. Caragna, Deſcript. vid. Hiſtor. p. 1847.

Cap. 18. *Xochiocotzo Quahuitl*, S. Liquidambari arbor. Hiſt. p. 1848.

Cap. 19. *Yztac Quauhxiotl*, S. Galiopifera, Arbor eſt mediocris, *foliis* obrotundis, ſtipitibus & pediculis rubentibus. Gummi ſtillat candidum acris ſaporis, ad dyſenterias utile, quod aquam in qua infunditur lacteo tingit colore Balſami Antiquorum inſtar.

Cap. 20. *Copaltic*, S. Arbor Copallifera cuticulam exuens, Ocymi foliis, fructu Oxyacanthæ. Gummi in ſiſtendis dyſenteriis celebratur. Hoc etiam aquæ inſtillatum in lac ſolvitur.

Cap. 21. *Tzina Cancuitla quahuitl*, S. Arbor Laccifera. Folia Acaciæ Ægyptiacæ ei attribuit, ſtipites purpureos. De Lacca vid. Hiſt. noſt. p. 1535.

Cap. 22. *Ezquahuitl* S. Draco arbor, de qua vide Hiſt. p. 1598.

Cap. 23. *Ezquahuitl* ſecunda *Quauhnahuacenſis*, Foliis eſt magis orbiculatis, hirſutis & aſperis, craſſo cortice, radice ſurculoſâ, juxta aquas naſcens, ad eadem utilis ad quæ præcedens.

Cap. 24. *Mizquitl* S. Siliqua Acaciæ, de Acacia vid. Hiſtor. noſt. p. 976, 977.

Cap. 25. *Mizquitl* Michuacanenſis, Acacia No. Hiſpaniæ II. Foliis eſt exiliorib. Mizquitl vulgari, & ſpinis caret.

Cap. 26. *Hucipochotl* Huaxacenſis, S. Ricinus No. Hiſpan. inſeritur Hiſt. noſtræ Append. p. 1856.

Cap. 27. *Saſſafras* arbor, de qua nos Hiſt. p. 1568.

Cap. 28. *Tecpatli*, Arbuſcula Mexic. Rhaphani ſylveſtris foliis, floribus candicantibus. Radix ſurculoſa, acris, odora, Lui venereæ medetur.

Cap. 29. *Hoaxacan* S. Lignum Sanctum, vid. Hiſt. noſt. p. 1685. Guayacum.

Cap. 30. *Yohualxochitl*, Arbor noctiflora Sambuci foliis & umbellis. At *Folia* ſerrata non ſunt; *floſculi* orbiculares & pallentes; *acini* racematim dependentes, per maturitatem purpurei. Tumores diſcutit aut maturat, pulvis inſperſus medetur ulceribus inſanab. ſcabiei, lepræ, &c.

Cap. 31. *Cayolizan* S. *Tepozan*, Arbor ſalvifolia, Thus redolens. Mediocri eſt magnitudine, *foliis* Salviæ majoribus ſupernè virentibus, ſubtus ſubalbidis, pinguibus, Verbaſci modo hirſutis; *Flore* in extremis ramis modico ac luteo & in Corymborum formam velut compoſito. Diureticum eſt, uterinis convenit affectibus. Extrinſecus impoſita radices, cortices aut folia tumores ſolvunt, & ulceribus medentur.

Cap. 32. *Nanahuaquahuitl*, S. Morbi Gallici arbor, magna eſt & excelſa, foliis Oleæ, odoratis & amaris. Fructus è trunco enatus racemos longos componit, cujus pediculus rubet, baccæ verò ſunt virides. *Nanahoaquahoitl* p. 389. depicta huic eadem eſt.

Cap. 33. *Quauhtlepatli* S. Arbor ignea, Nerion ſive Rhododendron Mexicanum. A noſtrate Nerio, adnotante Columna, magnitudine differt, foliis longitudinis pedalis & latitudinis pollicum $3\frac{1}{2}$. & quod nervuli foliorum circa folii oras conjungantur. Eodem obſervante, Nerium etiam noſtro cœlo, non lac, ſed copioſum luteum ſuccum Apocyno ſimilem habet, in radice tamen copioſum album lac emittit. Idem obſervavit in Periplocis & vulgari Aſclepiade. vid. Annot. in Recch. p.868.

Cap. 34. *Quauhyyac*, Arbor fœtida Mali Medicæ foliis acuminatis. Cortex aſtringit, & fluxum alvi coercet. Succus naribus attractus ſternutamenta excitat.

Cap. 35. *Xiloxochitl*, Arbor pentaphyllos Mexicana floribus capillaceis coccineis & albis. Flores ante foliorum exortum profert. Tum Deſcriptio, tum figura, notante Columna, Goſſipio Indico Ponæ Ital. ſatis aptè conveniunt, ni folia in eodem pediculo ſeptena haberet.

Cap. 36. *Cacapolton*, Baccifera Ceraſifolia, floribus cœruleis, acinis purpuro-nigricantibus. Folia aſtringunt, unde diarrhœas compeſcunt, &c.

Cap. 37. *Yzquixochitl*, Arbor Mexicana Mali Medicæ *foliis*, Cynorrhodi flore, Roſæ odore. Toto anno floret. Flos coctionem juvat & commendandi halitûs causâ Chocolatæ admiſcetur.

Cap. 38. *Tlalamatl*, S. Arbor vomitoria, Trifolia eſt *foliis* Salviæ pinguioribus & mollioribus, floribus ſpicatis, parvis, coccineis, ex quibus acini producuntur. Si Auctor (inquit Columna) pro acinis ſiliquas poſuiſſet facile ad Anagyrin referri poſſent icon & vires: ſiquidem vim ei catharticam attribuit. Ejuſdem nominis eſt alia planta longè diverſa p. 420. Sed p. 451. adeſt icon ſimilis ſub Synonymo vocabulo *Yztac tlalamatl*.

Cap. 39. *Chatalhuic*, S. Caſſia ſylveſtris. Vid. Hiſt. noſt. p. 1747. In reliquis cum Caſſia fiſt. Braſiliana ſatis convenit, floris colore luteo ab eadem differt.

Cap. 40. eſt de Palma coccifera, de qua nos prolixè p. 1356. & ſequentibus.

Cap. 41. *Achiotl*, Medicina tingendo apta, i.e. Urucu. Vid. Hiſt. p. 1771.

Cap. 42. *Bahei Coyolli*, Palmæ ſpecies, Areca S. Fauſel dicta nobis videtur.

Cap. 43. *Yczotl* S. Palma montana, Arbor eſt fruticans, duos tréſve ab radice ſtipites edens; *folia* longa, anguſta, craſſa, Iridis ferè ſimilia, ſed longè majora, acervatim ab extremis ſtipitibus orientia; *flores* hexapetalos, albos, odoros, racematim dependentes; ex quibus generantur *fructus* ſtrobilis ſimiles. E foliis eo fere modo quo Cannabis paratis fila fiunt linteis ſtoreiſque texendis perquàm idonea, firmiora iis quæ ex Metl.

Ex deſcriptione hac Arbor Draconis dictæ ſpecies eſſe videtur. Icon *Yccotl* quæ habetur p. 443. non convenit Draconi arbori, at nec huic deſcriptioni. Vide notas Terentii.

Cap. 44. *Noctli* S. Tunarum genus, de quibus vid. Hiſt. p. 1464.

Cap. 45. *Nocheznopalli* S. Coccus Indicus, *Cochinele*, Hiſt. p. 1465.

Cap. 46. *Cacava-quahuitl* S. Arbor Cacavifera, vid. Hiſt. p. 1670.

Cap. 47. *Anacoztic* S. Papyrus lutea, S. *Tepeamatl*, Sycomorus Saxatilis. Duæ ſunt ſpecies, Prima arbor eſt magna foliis Hederæ amplis, pinguibus, obrotundis cordatis, altera parte ex viridi pallentibus, alterâ fulvis. In ipſis ſtipitibus, qui Ficulnei ſunt & lenes in modum Sycomori, *fructus* Ficubus parvis ſimilis, ſemine minuto ac fulvo refertus. Adhæret ſaxis non mediocriter ſpectando miraculo. Radices nondum excuſſo lacte catharticæ ſunt. Secunda ſpecies eodem nomine & temperamento prædita, virgarum rectarum leviumque uſum tantùm præſtat.

Cap. 48. *Copalxochotl* S. Pruniformis gummoſa, Foliis eſt obrotundis Pruni; fructu Medicis Malis ſimili, prædulci, valdè adſtringente, & ſalivam ſtillante impensè glutinoſam, quæ diarrhœis & dyſenteriis medetur. Materies Operibus inteſtinis aptiſſima eſt.

Cap. 49. *Copalxochotl* altera, S. Pruniformis gummoſa II. Foliis eſt majoribus alias ſimilibus: Fructu Prunis aut Nucibus Juglandibus ſimili forma & magnitudine; præcedenti viribus & formâ congener, nimirum aſtringens & glutinans, ſapore dulci.

Cap. 50. Tamarindus, De quo vide Hiſt. p. 1748.

Cap. 51. *Xalxochotl* S. Pomum arenoſum i. e. Goyave ſeu Guayava Hiſt. p. 1435.

Cap. 52. Planta *Cachos* vocata. Vide Hiſt. p. 1839. Ex aliorum relatu deſcribit.

Cap. 53. *Hoitzmamaxalli* S. Arbor Cornigera, Foliis eſt Tamarindi, floribus luteis, ſiliquis eſculentis. Cornua Taurinis valdè ſimilia in ſtipite & ramis prodeunt. Folia inſipida, venenis tamen adverſari dicuntur. Generantur intra cornicula Formicæ morſu nocivæ. Q. An Cornua hæc ſint excreſcentiæ à Formicis illis excitatæ, an ex aculeorum ſeu ſpinarum genere & natura?

Cap. 54. *Quauhayohuatli*, Avellanæ catharticæ. De his egimus Hiſtor. p. 1381. Huic tribuit *ſtipitem* magnum, fulvum & contortum; *folia* Rhododendri anguſta & longa. Vide etiam Hiſt. noſtræ p. 1837.

Cap. 55. *Quauhayohuatli* 2. S. Caſſia fiſtula, De qua nos Hiſt. p. 1746.

Cap. 56. *Quauhayohuatli* 3. Arbor Cucurbitifera nucleis pineiformibus catharticis. vid. Hiſt. p. 1830. Tribuit arbori folia magna, Lappæ ſimilia, anguloſa; fructum Nuci Juglandi ſimilem, ſtrobilos ternos, totidem ſecretos cavitatibus, noſtratibus, Pineis nucibus formâ, magnitudine, cruſtâ & nucleis pares.

Cap. 57. *Quauhtlatlatzin*, Arbor fructu orbiculari, ſtriato, crepitante: Foliis eſt Mori, majoribus, ſerratis, venoſis. Fructus per maturitatem ſecundùm ſtrias dehiſcens magno cum impetu & ſonitu veluti tormenti bellici * rumpitur, duodecim circiter nucleos continens, ex quibus bini membrana nudati blandè purgant. Vid. deſcriptionem.

* *Flos Araticu ponhe tripetalos cum crepitu aperitur.*

Cap. 58. *Ahuaca quahuitl*, Arbor Querciformis fructu butyraceo. Folia Mali Medicæ majora, aſperiora: Fructus ficuum præcocium forma & magnitudine, carne butyracea, nucleo ſolido duro. Eſt è Pruniferarum genere. E nucleis per expreſſionem elicitur oleum Amygdalino ſimile.

Cap. 59. *Cochitzapotl*, Arbor prunifera trifolia, fructu Cotonei formâ, oſſis nucleo deleterio. Hujus fructus idem eſt cum Perſicæ nuci ſimili fructu, nucleo venenato Monardis, cujus deſcriptionem vide Hiſtor. p. 1553. Poma ingeſta ſomnum conciliant.

Cap. 60. *Quautzapotl* S. Anona, Anon Oviedi eſſe videtur Hiſt. noſt. p. 1651. deſcripta.

Cap. 61. *Quauhxilotl,* Arbor cucurbitifera trifolia, fructu moſchato. Flores cymbalorum habent formam; fructus dulcis eſt & edulis; folia ſpinoſa, in nonnullis tamen ſpinis carent.

Cap. 62. *Coachamachallis*, à foliorum forma Colubri maxillæ ſimili dicta, Arbor ſiliquoſa ſemine Lentiformi folio *Coanenepilli.* Fructus ſpicati ſunt. Arbor eſt magna.

Cap. 63. *Tlapalezpatli,* Arbor Mexicana ἄκαρπος, Ocymi folio, flore candido racemoſo. Jus decocti corticum urinam evocat, ſanguinem per colem fluentem cohibet.

Cap. 64. *Chichicpalez quahuitl,* Arbor Sanguiflua Mexicana, flore fructúque carens. Folia longa, obtuſa, & versùs pediculum ſenſim attenuata: Lac primò candens & tandem rubeſcens effundit. Cortex aſtringit & ſanguinem ſiſtit.

Cap. 65. *Ahuapatli Tilacenſis,* Arbor Indica foliis Ilicis, flore luteo parvo, fructu nigricante. Stipitis (qui pallidus intus) ramentorum decoctum ictericis & bilioſis opitulatur.

Cap. 66. *Avevetl,* Abies Mexicana. Vid. Hiſt. p. 1397.

Cap. 67. *Bitoncus,* Arbuſcula trifolia Philippinenſis, radice alexipharmaca.

Cap. 68. *Tzopilotlzonte comatl,* S. Caput Auræ. Foliis eſt longis anguſtis, fructu magno oblongo nucleos quoſdam planos includente, ſapore & viribus Amygdalarum amararum.

Cap. 69. *Quamochitl,* Arbor Punicæ foliis, ſiliquis rubentibus ſemine nigricante. Capitula in poſtremis viticulis Epithymo ſimilia producit. Semen comeſtum odore inſuavi halitum inficit. Cortex aſtringit, & fluxus cohibet.

Cap. 70. *Cacaloxochitl,* Arbor ſiliquoſa, foliis Mali Medicæ majoribus, flore pulchro odorato. Florum apud Indos permultus eſt uſus in manipulis, torquibus & corollis. Arbor lacte manat.

Cap. 71. *Capolin,* S. Ceraſus dulcis Indica 1550. Hiſt. noſt.

Cap. 72. *Calamaio,* Arbuſcula Philippinenſis Laurifolia, radice emplaſtica. Hæmorrhoidas curant.

Cap. 73. *Coco Quauhitl,* Arbor cardiaca foliis Leguminis, ſucco rubeſcente. Floſculi exiles ad foliorum exortum.

Cap. 74. *Coconam,* Arbor foliis Senæ, floribus albis umbellatis. Tineæ & lichenibus medentur folia.

Cap. 75. *Enguamba.* Hiſtor. p. 1791.

Cap. 76. *Tepeyzquixochitl,* S. *Yzquixochitl* montana foliis majoribus, floribus candidis in muſcaria compoſitis, inodoris. Cortex ad gingivas tumentes & laxos dentes firmandos utilis eſt.

Cap. 77. *Yhuixochitl,* Arbor flore pennas avium referente. Folia *Pinahuiztli* S. Arbori verecundæ ſimilia ei attribuit, quina per intervalla prodeuntia; vires etiam eaſdem amorem conciliandi, &c. quo mirer florem pennas avium referentem ei aſcribere, & non potiùs folia.

Cap. 78. *Ytziperequa,* Laurus Michuacanenſis, foliis odoratioribus. Semen Coriandro ſimile ſed paulo majus, nigrum quando maturum.

Cap. 79. *Tetlatiam,* S. Arbor urens, quam *Manchinello* dictæ eandem eſſe ſuſpicabamur. Vid. Hiſt. p. 1647.

Cap. 80. *Tlatzcan,* S. Cupreſſus fuſa, Arbor vitæ Hiſt. p. 1407.

Cap. 81. *Xumatl,* S. Sambucus noſtras.

Cap. 82. *Papaya,* Pepo arboreſcens. Hiſt. p. 1370.

Cap. 83. *Acapatli,* Arbuſcula foliis Rhaphani ſerratis, flore albo, fructu deſtituta. Folia tuſa & impoſita lienem abſumere dicuntur.

LIBER QUARTUS.

CAP. 1. *Tlepatli,* Frutex Mexicanus radice tuberoſa, floribus oblongis caliculatis albis, foliis Amygdalinis. Flores in ſummis ramulis in capitula ſeu potiùs ſpicas congeſti. Ad aquas naſcitur. Diuretica eſt & carminativa, dolores colicos & à lue Venerea ortos ſedat decocta & pota, icon cum floribus, p. 429.

Cap. 2. *Chillapatli,* Frutex foliis Roſeis, floſculis coccineis, binis unà è foliorum alis exeuntibus. Thoracica eſt, & ventris dolorem ſedat.

Cap. 3. *Copalxihuitl,* Frutex odoratus *Copalli* referens, foliis Ocimi ſerratis, baccis rubentibus. Thymi ſaporem refert.

Cap. 4. *Hoitzit-Xilxochitl,* Origanina, floribus galeatis, coccineis. Calore ſuo flatus diſcutit, concoctionem juvat, corroborat.

Cap. 5. *Tlacoxiloxochitl,* S. Flos barbatus: Acaciæ foliis, ſiliquoſa, floribus filamentoſis coccineis. Siliquæ nodoſæ ſunt ſeminibus extuberantibus, luteæ. Sicca eſt & adſtringens. Aqua in qua flores tuſi macerati fuerint oculis mirè opitulatur.

Cap. 6. *Tlacoxochitl,* S. Capilli rubei. Linifolia floribus in ſummis virgis comantibus. Folia in virgis terna quaternáve ſimul per modica intervalla. Radix amara, odorata: jus decocti ejus medetur dyſenteriis, & confert doloribus articulorum. Hujus nominis alia eſt icon latifolia, & alia tenuifolia p. 418. Ex his quæ ſine hiſtoria ſunt.

Cap. 7. *Xonequilpatli,* Frutex Mexicanus foliis Salicis anguſtis, floſculis calyculatis pallentibus. Aſtringit & commanſus guttur urit. Folia externè omnibus pæne morbis à frigida cauſa ortis mederi dicuntur.

Cap. 8. *Tlatlacotic,* Scabioſa fruticoſa Mexicana, flore luteo. Ut facie ſic viribus cum Scabioſa convenit. *Tlacocotic* alterius generis icon habetur, p. 426.

Cap. 9. *Tztacpatli, Tepexicenſis* ſeu *Hoximo,* Foliis pennas avium referentibus, floribus luteis. Cortex radicis purgare dicitur & bubones diſſipare.

Cap. 10. *Acuilotl*, S. Volubilis aquatica, Roſæ Moſchatæ floribus, potiùs Jaſmini Arabici ſeu Sambach Ægyptii *Alpin.* monente Columna. Duplex eſt, altera foliis minoribus, floribus candentibus; altera foliis majoribus, floribus pallidis. Flores odoramentis & corollis inſerviunt. Folia flatus diſcutiunt intus ſumpta, foris admota tumores reſolvunt, & contracta membra laxant.

Cap. 11. *Huitz-tomatzin*, Spinachia fruteſcens Americana *Muntingii* eſſe videtur. Flore eſt purpureo, ſtaminulis luteis, fructu candidis Ceraſis ſimili. Videtur eſſe è Solani potius genere ut rectè Columna. Radicis cortex purgat.

Cap. 12. *Xiuhquilitl Pitzahoac*, eſt Anil S. Indigo deſcript. Hiſt. noſt. p 926.

Cap. 13. *Xiuhquilitl Pitzahac* altera, floribus capillaceis, candentibus, foliis Piperis longi majoribus, nervoſis. Eadem videtur ſecundæ ſpeciei *Marcgr.* Icon præcedenti appoſita hujus eſt.

Cap. 14. agit de Arundinibus Saccharinis & de Saccharo, de quibus nos fusè p. 1278, 1279.

Cap. 15. *Axixpatli Texaxahuacenſis*, S. Volubilis quinquelatera foliis vitigineis. Succus diureticus eſt, & ictericis admodum confert.

Cap. 16. *Ecapatli*, S. parva Sambucus. Siliquoſa, floribus expanſis luteis in ſummis ramulis, ſiliquis teretibus tenuibus. Granula Lentibus ſimilia, ſed minora. Folia (hoc eſt pinnæ foliorum) Amygdalina. Calida ſiccáque eſt & nonnihil aſtringens.

Cap. 17. *Huitxiqua*, Folia ei longa, ſerrata, magnitudine Mali Medicæ, floribus ſpicatis. Siccat & aſtringit, unde fluxionibus quibuſcunque opitulatur, & tumores diſcutit.

Cap. 18. *Nacazcul* S. *Toloatzin*, Datura altera Mexicana. Solanum pomiferum, pomo ſpinoſo rotundo, ſemine pallido. Fructum ſpinas demum exuere ſcribit; Folia mollia & hirſuta.

Cap. 19. *Toton capatli*, S. Syringa lutea, floribus pentapetalis ſtellatis. Foliis eſt Pyri, floribus ſpicatis, ſemine nigro exili, ſtipitibus & ramis cavis. Folia calefaciunt, ſiccant & aſtringunt.

Cap. 20. *Tocizquiah*, Chamædryfolia, graviter odorata, floribus oblongis coacervatis luteis. Calef. & exſiccat, externè appoſita ventriculo uterinis affectibus convenit. Jus foliorum medetur dyſenteriis.

Cap. 21. *Yzticpatli*, Pentaphyllos febrifuga, flore parvo candente, fructu rotundo. Radix craſſa, longa, tenera & ſucculenta, impensè refrigerat & adversùs febres magno in pretio habetur.

Cap. 22. *Atlat zopillin*, S. Aquoſa herba appenſa. Althæa Indica, tuberoſa radice, foliis vitigineis, floribus rubris, capitulis ternis, triangulis. Fructus Corallorum inſtar rubent, eſculenti ſunt, & ſemine nigro pleni. Radix humida & ſalivoſa eſt natura, unde convenit morbis quibuſcunque à calida cauſa ortis.

Cap. 23. *Cocoztamatli* ſeu lutea *tomatli*, Urinaria mirabilis. Nos in Hiſt. p. 727. ad Convolvulum hederaceum trifolium retulimus & folia quidem ſimilia ſunt, verum cætera non bene reſpondent. Radix craſſa, flores candidi modici, acini Ceraſis haud abſimiles urinam mirè evocat. Conſule Hernand. hoc in loco.

Cap. 24. *Yztac-Coanenepilli*, Convolvulus foliis cordatis, floribus ex albo palleſcentibus, S. Volubilis diuretica. Radix urinam provocat. V. Coanenepilli ſeu Contrayerva.

Cap. 25. *Coatli*, S. Aqueus Serpens. V. Lignum nephriticum Hiſt. 1804

Cap. 26. *Caçapipilotl-xochitl*, Periclymenum flore coccineo pendente. Frigida & humida cenſetur temperie contra quàm Periclymena noſtratia.

Cap. 27. *Chupiri* S. *Charapeti*, aquam rubeo colore tingens ſeu Arcanum Venerei morbi. Radice eſt craſſa longa, internè ex albo & luteo purpuraſcente; foliis Mali Medicæ, majoribus; floribus luteis ſtellatis. Sapore & odore inſigni caret. In Lue Venerea profliganda plantas reliquas *Mechuacanenſes* facilè ſuperat, eo modo quo Guaiacum uſurpata.

Cap. 28. *Curaqua*, S. Braſilium Hiſpanorum. Frutex eſt ſpinoſus, ſurculoſis candidiſque inſiſtens radicibus, unde profert ſtipites extra fulveſcentes, ac intra rubeos, contortos, refertóſque foliis cordis ferè figurâ, ſed mucrone appendentibus, venis frequentibus à medio nervo ad latera procedentibus. Tingunt ejus ligno fila coccineo colore. Naſcitur in frigidis Mechuacanenſibus campeſtribus ac montoſis locis. Longè diverſa planta eſt à Braſilia arbore in Hiſt. deſcripta p. 1736.

Cap. 29. *Quauh-Tlepatli*, Ocimifolia ſerrata floribus è luteo rubentibus, in ſummis ramulis coacervatis. Siccat & adſtringit, unde diarrhœas aliáſque fluxiones ſiſtit.

Cap. 30. *Quauh-Tlepatli* II. S. Volubilis Limonifolia flore candenti, radice fulva. Eruptiones è lue Venerea ortas aliáſque cutis infectiones exterit & ſanat.

Cap. 31. *Xiuh-Cocolin* S. Planta contortiva, foliis raris, unica ab uno latere laciniâ, Phaſeoli florib. Cortex radicis potus adſtringit & vomitum ſiſtit.

Cap. 32. *Pinahuihuiztli*, S. Herba verecunda. Caaco ſeu Herbæ vivæ tertia ſpecies *Marcgr.* nobis videtur, deſcript. Hiſt. p. 979.

Cap. 33. *Mexochitl* S. *Omexochitl*, Perſicifolia floribus ſecundum caules parvis, ſiliquis Capſici luteis. Flores ex luteo rubeſcunt. Odor plantæ gravis. Fortè Apocyni ſpecies. Vi pollet emetica.

Cap. 34. *Atlinam*, S. Frutex juxta aquas proveniens, Foliis Salignis, floribus candentibus, radice craſſa, caſtaneas inveteratas reſipiente. Folia odorata ſunt & vi cathartica pollent.

Cap. 35. *Izontecpatli* S. vulnerum medicina, Eſula Ocymifolia non ſerrata. Lac è germinibus inciſis emanans recentes plagas glutinat & ad cicatricem perducit.

Cap. 36. *Buyobuyo*, Piper longum Philippinenſe. Hoc in hiſtoria ad Piper longum Occidentale Monardis retulimus; verùm ex uſu quem ei aſſignat, *Betre* ſeu **Betle** potiùs intelligere crediderim.

Cap. 37. *Tlatlancuaye*, S. Piper longum, Hujus præter *Buybuyo* ſuperiore capite deſcriptum quatuor ſpecies proponit, quas quoniam ex aliorum relatu deſcribit, omitto.

Cap. 38. *Ezpatli Quauhnauhacenſis*, Sanguinis medicina, foliis Verbaſci rotundioribus, hirſutis, odore gravi Stœchadis. Inciſa ſuccum ſanguineum manat, unde nomen. Cortex ſiccat & aſtringit. Decoctum radicis medetur dyſenteriis, ſuccus ſanguineus veteribus plagis.

Cap. 39. *Ceval chichiltic*, Vitis Sylveſtris ſeu Labruſca, cujus plures ſpecies in Nova Hiſpan. ſponte proveniunt, quæ & forma & viribus cum noſtratibus conveniunt.

Cap. 40. *Hapahualizpatli*, S. Convulſionis medicina. Humana eſt altitudine, ſtipitibus ac ramis ſcabris, magna ex parte foliis nudis, (quæ longiuſcula & anguſta ſunt) floribus exilibus, pallidis, calyciformibus. Decoctum totius plantæ propinatur ad motum amiſſum reſtituendum.

Cap. 41. *Yllamatlantli*, S. Dentes vetulæ, Foliis vitigineis, flore pallido, fructu acinoſo, racematim dependente. A ſpinarum cum dentibus ſimilitudine nomen habuit. Folia vitigineis hirſutiora & minora. Acini maturi lutei, multis nucleis parvis candidis referti. Folia alvum leniter ſubducunt. Admoventur capitibus puerorum refrigerii cauſâ.

Cap. 42. *Tamancapatli*, S. Medicina temperata foliis Portulacæ. Quavis parte inciſus fundit liquorem reſinoſum, ſapore & odore Thuris. Radice eſt craſſa, longa, fibrata, cujus pulvis ulcera cacoethe etiam cancroſa ſanare dicitur. Liquor firmat dentes & gingivarum dolori medetur.

Cap. 43. *Xiopatli*, S. Lepræ Medicina, foliis Mori majoribus. Suffrutex eſt quaternos altus cubitos, ſtipitibus multis. Tuſa folia lepram & lichenas curant.

Cap. 44. *Tenamaz Nanapoloa*, Frutex trifolius, floribus leguminoſis, fructu ſ. ſiliquâ Ponticæ nucis forma. Radix magna, ſurculoſa, folia Salviæ forma; Flores in corymbos compoſiti ex candido purpuraſcentes. Fructus racematim diſpoſiti. Succus medetur oculis inflammatis & tumoribus præter naturam.

Cap. 45. *Tlacote Quilizpatli*, S. Medicina inciſæ ſudis, ſtipites multos lignoſos fundit: Folia Origani ſerrata; flores modici candentes. Acris eſt & glutinoſus, odorus, Coriandrum aliquantulum reſipit. Thoracicus eſt & flatus diſcutit.

Cap. 46. *Xalquahuitl*, ſtipite punctato: odora, foliis Piperis longi, eíque planè congener, & earundem virium.

Cap. 47. *Mintzintzin*, ſtipitibus eſt fulvis, foliis Perſicæ, floribus albis. Amara eſt planta & odora, guſtu nonnihil acris, calidáque & ſicca. Folia tuſa atque illita ventri, inteſtina à vitiatis emundant humoribus.

Hactenus in Arboribus ſci. & Fruticibus ordinem Librorum & Capitum Hiſtoriæ HERNANDEZ *ſervavimus; ſequentes ſtirpes, quæ omnes Herbæ ſunt, Alphabetica ſerie diſponemus.*

A.

ABſinthium Mexicanum, *Yztacchyatl.* Et formâ & viribus Abſinthio Europæo reſpondet. Repetitur ſub litera Y.

Acacoyotl, S. Arundo vulpina: ex deſcriptione eadem videtur Cannæ Indicæ anguſtifoliæ; verùm flores non conveniunt.

Acatzan Aycxitl, Equiſetum foliis brevibus, S. Polygonum fœmina Mexic.

* *Acaxaxa*, Julifera Gentianæ foliis.

Acaxaxan, Potamogeito affinis Mexicana florifera, Planta paluſtris & lenta, quæ ſtatim comprimentibus cedat digitis.

* *Acaxochitl*, Limonio ſimilis vel Echio. Caulis rubet, folia longa Biſtortæ figurâ, flores rubei, calycis foliola longa; Flos barbam habet longam trium foliorum.

Acuitze huariacua, Scorzonera Mechuacanenſis Rumicis folio, floribus ex candido rubentibus, orbiculatis.

Aexoyatic, S. Herba Nunnii, foliis Abiegnis, floribus ſpicatis, radice cathartica.

Agies Haytinorum eſt Chilli S. Piper Indicum ſiliquoſum.

Ahoaton, S. Quercus parva, foliis Ilicis, floſculis coccineis, acinis nigris. Radix adſtringit & exſiccat.

Ahuapatli, S. Chamædrys Mexicana, floribus luteis parvis.

Ahuatepatli, Urticæ-folia cum Julis Piperi longo ſimilibus, radici appenſis.

Alahuacapatli, S. Lubricum & tenuifolium medicamentum. Folia Lini minora, flores candentes, radix alba, pellucida.

* *Amacpatli*, Corallium digitatum punctatum.

Amamaxtla, Expurgans S. Rhabarbarum Monachorum: Differt à noſtrate ejus nominis Lapatho, ut nobis videtur.

Amara herba i. e. *Caçachichit*.

* *Amazauhtli*, Bulbifera quædam foliis Tulipæ, *Amutzauhtli*.

* *Amazquilitl*, Baccifera foliis Phillyreæ, latifoliæ.

Amolli herba, Convolvulus Mexicanus foliis cordatis, floribus albis.

* *Amozotl*, Baccifera, foliis Crithmi ſpinoſi baccis in uvam congeſtis.

* Anonyma Mechuacanenſis prima. Folia figura & ſitu cum Chryſogoni foliis conveniunt.

* Anonymæ aliæ novem depinguntur diverſorum generum, p. 351, 352. *Hern.*

* *Aocoxochitl*, fortè Anagallidis, ſeu Veronicæ aquaticæ ſpecies.

* *Apanxaloa*, An Lychnidis ſpecies? Flores ſimiles Plumbagini *Terrent*.

Apatli ſeu *Atlinam*, Campanula hirſuta Salvifolia flore pallidè rubente, ſemine fulvo. At folliculum ovatum ei attribuit, qualis in Campanulis non cernitur, ſed triquetrus.

Aparaqua, Herba Mexicana anadendras, radice tuberoſa, flore candido, ἄκαρπος.

Apatzi Puntzumeti, Herba Ocymifolia, Chamæmeli flore, Aniſi ſemine.

Alia ſpecies foliis Amygdalinis, floribus luteis papposis, radice Coriandrum olente, *Muſtela odorata* dicta.

Apitzalpatli, Herba adſtrictoria ſeu dyſenterica, ad Verbenam accedens.

Hoc nomen etiam Battatæ purgativæ tribuitur.

Apitzalpatli Tzontololotli foliis ſubrotundis, Chryſanthemi floribus.

Aquæ gutta, id eſt *Atlychipinca*. Herba parvula foliis Solani aut Piperis.

* *Aquitztli*, Planta volubilis foliis Clematitidis.

Atehuapatli eadem eſt Ahuatepatli. Nomen ſignificat *Herba naſcens juxta rivos*. Alia icon habetur p. 354. foliis Urticæ, verùm radice rotunda variat. Idem etiam nomen tribuitur *Totoncaxoxo Coyollin*, quæ tamen ſpecie diverſa videtur.

* *Atenxihuitl*, Icon repræſentat Herbam trifoliam foliis ſerratis pediculis longis inſidentibus, à radice crebris, Fragariæ fortè ſpecies. At nec caules, nec flores nec fructus pinguntur.

* *Atexcalquahoitl*, Frutex marinus ἄφυλλος, ſeu Corallinæ ſpecies.

Atlancane, S. Herba aquoſis locis proveniens, caulibus prociduis, foliis ſalignis, florib. oblongis.

Atlinam circinata *v. Apatli*.

Atlychipinca v. Aquæ gutta.

* *Atzizicaztli*, Herba foliis Urticæ alternatim poſitis.

* *Axihuitla papa tlactli*, foliis binis adverſis ſerratis.

Axixcoça Huilizpatli, Leguminoſa Glycyrrhizites, floribus luteis ſpicatis ſiliquis parvis Ciceꝛum. At flores, monente Columna, à leguminoſis alieni ſunt, nimirum quinquepartiti cum multis in medio ſtaminibus nigris.

Axixcoçahuizpatli, S. Medicina urinæ lutea, foliis Hederæ, ſubtus luteis.

Axixpatli Quauhnahuacenſis, Herba Menthæ foliis, floribus ſpicatis purpureis è foliorum alis exeuntibus. Hæc inodora eſt, at datur altera odorata foliis Salignis ſerratis, flore candente.

Axochiatl, S. Flos aquæ, ut rectè Columna, valdè ſimilis eſt Lyſimachiæ luteæ Virginianæ, ſi non prorſus eadem.

Alia ſpecies *Axochiatl de Colan* dicta foliis deſcriptioni reſpondet. Florum rudimenta in ſummis caulibus è viridi pallent: radix fibroſa eſt, non Raphano ſimilis.

Axochiatl altera, S. Narciſſolirion Mexicanum, flore magno. Radix tumores diſcutit, & dyſenterias alióſque fluxus coercet.

* *Axochiotl*, depingitur p. 356. verùm icon imperfecta eſt flore fructúque vidua. Folia cordata ſunt, ad margines ſinuata, pinnatim diſpoſita.

* *Ayacach quahoitl*, Depingitur tantùm. Folia Goſſipio aut Ficui ſimilia, ſublutea, in ſummo multa congeſta.

Ayotectli S. Colocynthis Indica tuberoſa. Radix orbicularis, ſeptem aut pluribus minoribus cincta: Ramis & foliis eſt Cucurbitæ hortenſis, ſed minoribus. Radix urinam evocat & per ſuperiora ac inferiora purgat. Pomum noſtræ Colocynthidis fructui magnitudine, forma, atque facultate reſpondet, ſed hac aliquanto mitiori.

Ayotic, Herba ſimilis teſtudini, Graminifolia radice orbiculata, fructu tricocco. Radix candida eſt & lacte manat, purgat per inferiora, levi etiam occaſione vomitum ciet.

* *Aztaxochitl*, Trifolia eſt, foliis Urticæ ſimilibus, flore Anemones: Folia octonæ lineæ rubræ perreptant.

B

* *Banaixitl*, Icon folia repræſentat alata & bicompoſita Criſtæ Pavoninæ dictæ in modum. Nec flos, nec fructus appingitur.

Barchaman Indorum i. e. Turbith, de quo varias ſententias v. apud Garciam & Hernandez. Jo. Terrentius concludit Turbith Indicum inter Convolvuli ſpecies numerari debere, quod extra dubium ponit D. Hermannus. Vid. Hiſt. noſt. Append. p. 1882.

C

* *Cacacili*, Radix longa ſubnigra; caules foliati Conyzæ inſtar, ſine pediculis; in ſummo botri Oxalidis. Color foliorum dilutè viridis.

* *Cacamilxochitl*, Huic radix grumoſa Thoræ inſtar; folia in caule bina oppoſita verbenæ ſimilia; flos coccineus in medio luteus, Roſæ ſimilis.

Caçachichit, S. Herba amara flore ſubrotundo pappoſo, foliis minimis hirſutis. Succus expreſſus herbæ purgat omnes humores.

Caçalic, Coapitlanenſis S. Trifolium ſpicatum Mexicanum, floribus coccineis, ſiliquoſum. Aſtringit, & diarrhœam alióſque fluxus ſiſtit: inflammationes repellit. Duæ dantur ſpecies.

Cacamotic tlanoquiloni, S. Battata purgativa. Vid. Hiſt. noſt. p. 728.

Caçanaca, Pappoſa, foliis oblongis ſerratis, radice lanuginoſa. Flos extrinſecus ex pallido albet, intrinſecus rubet. Radix acris eſt & amara, ad multa utilis.

Cacanel haotl Chullulenſis, S. Anagallis Mexicana: noſtrati perſimilis eſt.

* *Cacapatli*, folia habet Fragariæ.

* *Cacatlaolxochitl* Icon imperfecta, Folia oblonga ſerrata repræſentat.

Cacatlepatli, S. Medicina urens, Aſphodelo affinis Mexicana, floribus luteis, calycibus contectis.

Cacavitzpatli, S. Medicina pabuli ſpinoſa, cauliculis eſt in ſtellæ formam per terram ſparſis, ac refertis foliis exilibus in ſphærulas aggregatis; longiuſcula habet & candicantia juxta umbilicum filamenta, radicem parvam, fibratam.

Cacatzin, foliis eſt Mali Punicæ, fructu orbiculari calice excepto, Cicere majore. Cortex pulverizatus alvum leniter ſubducit.

* *Cachruiaqua*, Ad Campanulas pertinere videtur, calix floris luteus; flos ipſe ruber.

* *Cahuaztitziqui*, Radix longa rubet inſtar Rhabarbari. Flores oblongi, tubuloſi, carnei in ſummis caulibus ſpicatim quaſi digeſti.

* *Camatotoncapatli*, Caulis nigris velut annulis cinctus, folia cordata, nervoſa, longitudine quatuor unc. latitudine ferè pari. *Ter.*

* *Camolxochitl*, Arbor leguminoſa, folia in alas componit. Flos Caſſiæ ſimilis, ex rubro flavus in octo partes diviſus: Siliqua Piſo ſimilis *Ter.* Hæc in icone non apparent.

* *Camopaltic*, Flores in ſummo multi ſimul conjuncti.

Caquiztli, Ocymifolia verticillata, foliis non ſerratis, floribus cyaneis.

Cayolpatli, S. Muſcarum medicina, Liguſticum Mexicanum, flore Ferulæ, foliis menthæ ternis quiniſve, ſemine Piperis nigri ſimili.

Cayolpatli, Vaxacenſis muſcarum Medicina, Plantula per terram repens, candidis & ſtellatis floſculis. Decoctum catharticum eſt.

* *Cececpatli* I. Coſti hortorum foliis, radice Rhaphani fibris cincta.

* *Cececpatli* altera, Lyſimachiæ luteæ foliis, radice tuberoſa Filipendulæ.

Cececpatli Acatlanenſis, Glycyrrhizæ æmula, radice dulci ſed purgatrice.

* *Celicpatli*, foliis Urticæ & ex adverſo binis.

Cempoalxochitic, Pappoſa Cichorei folio ſpinoſo, radice Raphani, quæ amara eſt & acris.

Cempoalxochitl I. Flos Africanus dictus.

* *Cenanam de Quabuna boac*, Baccifera Nerii foliis, baccis in uvam congeſtis.

* *Cenanam Tezcoquenſis.* Foliis, flore & fructu ad Periplocam Græcam anguſtifoliam accedit. *Terrent.*

Cenanam Tezcoquenſis, ſeu Mater ſpicæ Mayzii, Periplocæ affinis aut Apocyno, Verbaſci foliis lanuginoſis, floribus in muſcariis.

* *Centzomecatl*, Folia rara, trinervia, Plantaginea, radix tumida cum fibris prælongis.

* *Chachalacametl*, Arbor baccifera, Pyri folio, baccis in racemulis Ribium æmulis.

Charapeti, Urticæ folia ſerrata; *Flores* longi anguſti, ex albo rubeſcentes; radix fibrata. Veſicæ cordis figurâ floribus ſuccedunt, in quibus ſemen. Scabiem curat Radix pota.

* *Charapetl*, Radix rotunda, craſſa, fibroſa; Folium Biſtortæ longum duodecim, latum duos digit. *Terrent.* icon nec caulem nec florem aut fructum repræſentat.

Chiantzolli S. Planta in humore intumeſcens. Foliis eſt Hederæ; floribus candidis, exilibus in vaſculis oblongis contentis, in quibus ſemen generatur candens, lentiforme. Uſus ejus eſt tum in medicina, tum in cibis ad paranda bellaria & potiones refrigerantes.

* *Chiauhxihuitl*, S. Ptarmicæ ſpecies flore luteo. At folia ſerrata non ſunt.

Chicallotl, i.e. Papaver ſpinoſum hiſt. noſt. p. 856.

Chichiantic Coatlanenſis, S. China adſtringens, Foliis eſt Urticæ, floribus purpureis Chinæ ſimilibus, radicibus capillatis; adſtringens eſt & fluxus omnes cohibet.

* *Chichica quilitl*, Folia bina, ad quorum exortum caules in nodos protuberant, flos oblongo tubo flavus.

Colocynthis Indica tuberoſa *v.* Ayotectli.

Chichi mecapatli, S. Chichimicæ gentis medicina; Apios Mexicana foliis longis anguſtis in caule ſtellatim ad intervalla diſpoſitis.

* *Chichic tronpatonic de Ocopetlayuc*, Vaſculis Paronychiæ, foliis binis tenellis; ad Alſines poſſit referri.

* *Chichicezquahuitl*, Planta eſt trifolia, ſed ſingularis & ſui generis.

* *Chichihoalxochitl*, Folia Chenopodio aut Stramonio ſimilia; Fructus oblongi, alii virides, alii lutei; Flos albus Stramonio ſimilis. Flos ſummo fructui inſidet ut in Cucurbitis.

* *Chichiltic Tepetlauhxochitl*, Bulboſa radice eſt, foliis latis Tulipæ, flore pulcherrimo in uno cauliculo foliis viduo unico. Floris deſcriptionem vide in notis Terrentii p. 368.

* *Chichiltic patli*, Fructus anguloſus eſſe videtur ex viridi ad rubrum tendens.

* *Chichilticci huapatli*, Icon imperfecta: folia Calaminthæ aut Alyſſi Dioſcoridis montani *Col.* cauliculus ſerpit.

Chichichoautli, Atriplicis ſpecies amara.

* *Chichipiltic*, Foliola in caulibus & ramulis diſponuntur eo modo quo pinnulæ in viciarum foliis.

Chichival memeya, Foliis eſt Caſtaneæ ſerratis, flore oblongo vaſculis ſimili. At icon pro flore ſiliquas Capſici ſimiles repræſentat rubras & in extrema parte luteas undique clauſas; radices longas & velut nodoſas. Cortex evacuando corpus febres curat.

Chilmecatl S. Ycha, Folia bina oppoſita Clematidis Daphnoid. ſimilia, caules volubiles; radicis ſapor acerrimus, hanc ad Clematitis genus pertinere arguunt ut recte Terrentius. Radix admota velut per miraculum dentium dolorem levat.

Chilpan, Facie & viribus ad Digitalem accedit, Col. At flores prout pinguntur & deſcribuntur calicum figura non reſpondent.

Chilpantlaçolli, S. Signum ſtercoris, Herbula eſt foliis Salignis, floribus longis rubeis & circa extrema palleſcentibus. Radix acris & adurens ſupra infráque purgat.

Chilpanxochitl, S. Signi inſtar pendens, Mortuorum medicina. Foliis eſt Salicis, anguſtioribus, in caule crebris cubitali, in cujus ſumma parte flores coccinei rubríve, caliculorum forma. Radix parva, fibrata amara, & tamen frigidæ naturæ. Epilepticis opitulari dicitur, unde ſecundum nomen.

Chilpatli, Corymbifera Ocymifolia floribus luteis, acinis Piperis nigri æmulis. Acris eſt & cauſtica, purgat vehementer: lac verrucas exedit. Terrentius ad Tithymalum refert.

China 3. Mexicana *v. Cozolmecatl.*

Chipeqna S. Herba firma, caulibus tenuibus foliis Lini, floribus luteis ad foliorum exortus.

Cicimatic, Phaſeolus floribus racemoſis purpureis, ſiliquis parvis. Flos appictus Convolvuli potius videtur. Neutra icon reſpondet deſcriptioni.

Cimatl, Legumen trifolium foliis Phaſeoli cordatis ſubtus albidis, repens, radice ferruginea.

Civapatli Tachapichtlenſis S. Conyza Mexicana, foliis Salviæ glutinoſis, floribus purpuraſcentibus.

Civipatli Hemionitica S. Herba uterina, foliis Hemionitidis multifidæ ſitu & figurâ, floribus albis umbellatis. Uterina eſt & thoracica, partum promovet, urinam ac menſes ciet. Conyzæ ſimilis videtur Terrentio.

Civipatli major, S. Fœminarum medicina foliis Ocimi, floribus rubeis ſpicatis, radicibus capillaceis.

Coaçihuizpatli, S. Dentium medicina, cauliculis per terram ſparſis, foliis tenuiſſimis pennatis, floſculis candidis.

Coacivizpatli, Auriculæ urſi ſpecies eſſe videtur, floribus è viridi rubentibus: Aliſma Columnæ.

Coalquiltic, v. Colubriolus.

Coanenopilli, S. Contrayerva. Vid. Hiſt. noſt. p. 651.

Coapatli Tancuitlanenſis, Ramulis crebris foliis longis, anguſtis, hirſutis, infernè ſubalbidis, floribus luteis, radice longa tenui. Venenatis potionibus & ſerpentum ictibus medetur.

Coapatli Aſphodelina, Radicibus eſt Aſphodelinis foliis prolixis, Porraceis paribus [in icone Polygonati ſimiliora, nervoſa] floribus in ſummis caulibus velut ſpicatis Stœchadis.

Coatzonte coxochitl, S. Flos Lynceus. Radice eſt ſquamoſa, foliis longis latiuſculis, floribus Lilii aut Tulipæ, rubris punctis interſtinctis candidis & palleſcentibus.

Coaxihuitl, S. Herba Colubrina; Foliis eſt Hyperici minoribus, non pertuſis, floribus purpureis calycum figurâ, è ſingulis foliorum alis ſingulis. *Campanulis tum figura tum viribus ſimilis eſt.* Terrent. *At folia in caule bina oppoſita.*

Coca Peruina, Hippogloſſi proculdubio ſpecies eſt. *Ter. v.* Hiſt. noſt.

Cocobut Panucenſis, Volubilis Perſicifolia radice orbiculari, flore & fructu vidua. Radix diuretica, lithontriptica, emmenagoga, & alexipharmaca.

Cococaquilitl, S. Olus aquaticum. Folia in icone Caryophyllatam referunt, flos Caryophylleus coccineus è calyce ſquamoſo. Planta trium cubitorum altitudinem aſſequitur. Sapore eſt acri Naſturtii & pro olere uſurpatur.

Cocoxohuitl expurgatoria, An Convolvuli ſpecies? foliis cordatis, floribus parvis luteis, vaſculis tricoccis. Humores omnes ſupra infráque purgat.

Cocoxihuitl Teuhcaltzincenſis, Menthæ foliis eſt, fructu in ſummis caulibus capitulorum forma. Impenſè calida eſt, & guſtata linguam adurit.

Cocotemecatl, S. Funis volubilis acer, Clematidis ſpecies. Mirum tamen quod dicit folia dyſentericis mederi.

Cocoxihuitl, S. Herba acris, Aſſurgit interdum in altitudinem arboris, foliis Polypodii aut Acanthi, venis rubentibus, floribus ſpicatis pallidis, fructu racemoſo, parvo, utrinque acuminato, ſapore acri & amaro. Stipites ſucco luteo manant. A ſapore acri & urenti, Capſici quàm ſimillimo nomen accepit.

Cocoz xochipatli S. Medicina lutei floris, Buphthalmum luteum, foliis Bugloſſi, radicibus Pæoniæ. Radix glutinoſa eſt & fluxus ſiſtit.

Coçoyatic, S. Herba Palmæ ſimilis. Radice eſt Porri cap. foliis Palmæ humilis, floribus oblongis purpureis calyculorum formâ. Radix contrita & naribus admota protinus ſternutamentum movet, unde Medici Indi *Titici* dicti, eâ velut certiſſimo indicio periclitantur num ægri oblati morituri ſint nécne. Alia eſt herba vitam & mortem prænuncians apud Monardem. Conciſa & in mulſum conjecta muſcas omnes perimit quotquot dulcedine illectæ mulſum deguſtaverint.

Coen S. *Coentic*, Phaſeolus exoticus radicibus tuberoſis, foliis laciniatis, ſiliquis nodoſis, ſemine lentiformi, eſculento.

Cohayelli, S. *Chichica hoazton*, Eryngium vel (ut rectè Terrentius) potiùs Dipſacus Americanus. Calore & acredine ſua ad affectus frigidos valet.

Coltotl, Leguminoſa Securidacæ foliis, floribus in capitula congeſtis, pallidè purpuraſcentibus. Glycyrrhizæ ut odore & ſapore ita viribus accedit.

Colubriolus, ***Coalquiltic***, Paſtinaca aquatica Mexicana; ut facie ſic viribus cum Europæa conveniens.

Copalli Dei, ***Theuh Copalli***, Caule eſt cavo, geniculato Ferulæ, fructu in ſummo comante muſcarii in modum, floribus lanuginoſis. Radix ad luem Veneream facit.

Coyolxochitl S. Martagon volubile Mexicanum. Foliis eſt nervoſis Plantagineis aut Arundinaceis; caule volubili. Circulus foliorum ſummum caulem ambit, ubi pediculi egrediuntur flores ſuſtentantes undiquaque diffuſos, Liliaceos, è rubro viridantes punctatos, quorum uſus ad ſervias & corollas.

Coyotomatl, S. *Tomal Coyotli*, Hiſt. noſt. p. 681.

Cozamalo xihuitl, S. Herba Iris: Cur ità dicta ſit cùm Autor folia rutacea ei tribuat non video. Radix tenuis & longiuſcula, flores albi, formâ *Hoaczin*, i. Acaciæ.

Cozolmecatl, S. Curarum funis; China 3. Mexicana Medicina mirabilis: Volubilis, radice craſſa, rubra, fibrata, caulibus capreolatis; foliis ſubrotundis trinerviis; fructu Myrti ſemine referto. Duplex eſſe dicitur, fertilis & ſterilis. Celebratur ut panacea quædam & omnium ferè morborum medicina. Autorem, ſi placet, conſule.

Coztic mecapatli Tilancenſis, S. Criſta galli Mexicana, flore purpureo.

Cozticpatli Acatlanenſis, S. Thalictrum Mexicanum. Folia [partialia] pæne Adianti; Flores piloſi parvi; radix dulcis & amaritudinem participans. Diuretica eſt, & adſtringens. Semen ſ. fructus Filipendulæ potiùs videtur. Ad flumina. Alia pingitur ſpecies radicibus craſſis, ex quibus multæ fibræ dependent.

Coztic xihuitl, Linifolia ſemine in ſummis ramulis orbiculari. Radix cathartica eſt.

Coztomatl, Solanum veſicarium, flore luteo, radice craſſa, viribus cum vulgari convenit. Veſica viridis eſt, ſulci obſcurè rubent. *Hiſt.* 681.

Cuicuitlapilli, S. Glandularia, à radicum figura dicta, foliis ſerratis, ſeminibus Coriandri figura & magnitudine, binis unà teſticulorum in modum naſcentibus. Hanc ex figurâ totius plantæ & viribus ad Mercurialem rectè refert Jo. Terrentius.

Cuitlaçotl Tepecuaquilcenſis, S. Napiformis, foliis pinguibus cordatis, caule volubili. Radix Napum olet ſapítque; bilem evacuat. Ad Convolvulos referenda eſt.

Cuiztapaçollin, Phaſeolus Mexic. foliis Mori, floribus parvis rubeis, radice dulci. Decoctum radicum hydropicis confert. Nidus lacertarum neſcio qua ratione dicatur.

Cungariqua, Leguminoſa caule volubili, foliis longis, anguſtis, nervoſis, floribus purpureis, ſiliquis teretibus, tenuibus, prælongis, ſemine orbiculari albo; radice craſſa, candente, longa, capillata. Leguminis genus ſingulare eſt; necdum enim præter Phaſeolos legumen ullum caulibus ſcandens novimus. Alia pingitur caulibus magis erectis, ſiliquis nodoſis.

Currungariqua, Foliis eſt longis, anguſtis, Pentaphylli in modum ſerratis, floribus Campanulæ cyaneis, vaſculis orbicularibus ſeminibus refertis. Radix Thoracica eſt: pulvis florum ſumptus viſum acuit.

Cutiriqui, S. *Matlacaça*, Bulboſa radice cepæ, foliis Vettonicæ altilis, floribus luteis, ſiliquâ oblongâ, ſemine trigono. Radices edules ſunt & Venereæ.

E.

Eloquiltic, S. Herba geniculata, foliis Bliti, caulibus ſarmentoſis, nodis inſignibus diviſis; flore ſeminéq; rubro atque minuto in conorum modum velut ex Blito dependentibus. Humida eſt & frigida, Pleuritidi & tuſſi opitulatur; alvúmque lenit.

Erahueni, Foliis eſt Origani, floribus oblongis, anguſtis, cyaneis, radice contorta. Coriandrum olet, ſed acrius quidpiam ſapit. Calida eſt & ſicca unde urinam evocat, flatus diſcutit, &c.

H.

Hoauhquilitl, S. Atriplicis plures ſpecies: Vid. p. 269. altera rubra, altera viridis utræque eſculentæ, tertia amara nec edulis. Nomen Indicum ſignificat, Olus ſeminis in criſtam compoſiti. Columna hanc habet pro Atriplice baccifera, & rectè ad Bliti genus potiùs quàm ad Atriplices referendam cenſet.

Hochoetzonte-comatl, S. Caput Senis, Convolvulus foliis cordatis, floribus oblongis coccineis, radicibus tuberoſis. Radix editur elixa, febrilem calorem compeſcit, olet ſapítque aquam deſtillatam florum Mali Medicæ.

Hochlicpatli, S. Suavis medicina, Herba leguminoſa floribus coccineis, ſiliquis tenuibus teretibus. Glutinoſa eſt & adſtringens.

Huemberequa, Trifolia folus undulatis, caulibus prolixis, fructu parvo racemoſo ab exortu foliorum prodeunte. Frigida eſt & adſtringens.

M.

Macatozquitl, S. Somnus cervi; Pappoſa foliis Lactucæ ſerratis floribus luteis, ſemine tenui fulvo. Urinam & menſes evocat, flatum diſcutit, & alia præſtat caloris effecta.

Matlalytzic Tetzocana, S. Triorchis Mexicana. Folia craſſa ſerrata Plantaginis, & ad radicem Arundinacea; caulibus eſt geniculatis digitum craſſis: Flores cyanei calicum forma: radices Triorchidis parvæ & multæ. Radix ad ea valet, quibus refrigeratione opus eſt.

Mecapatli S. Zarzaparilla. Vid. Hiſt. noſt. 656. Quartam ſpeciem deſcribit & depingit Muntingius pro Sarſaparilla vera.

Mecapatli Mecatlinenſis, Convolvulus Mexicanus flore purpureo; videtur eſſe Convolvulus purpureus folio ſubrotundo *C. B.*

Mecaxochitl, Vid. Hiſt. noſt.

Miahoapatli, S. Medicina ſpicæ Mayzii; Alſine affinis arborum truncis innaſcens, floſculis candidis. Acris eſt, odorata & calida.

Michuacanica diuretica Vid. *Tlalantlacuaye cuitlapilli.*

Micui Tlaxcolli Vid. *Tlaxcolli.*

Milto-matl Vid. *Tomatl.*

Motinenſis Herba expurgans, foliis parvis cordatis, volubilis, floribus rubeis calycibus ſimilibus vaſculis ſubrotundis, ſemine cathartico.

N.

Nanacace, Jacea Mexicana radice tuberoſa, foliis ſubrotundis. Aiunt radicem decoctam alvum ſiſtere, crudam purgare.

Nanahuapatli, S. Morbi Gallici Medicina, foliis Piloſellæ, flore in ſummo caule Chamæmeli, ſemine acri. Ulceribus putridis medetur.

Naviyteputz quadrilatera. Chryſanthemum caule alato, folio haſtæ cuſpidi ſimili. Alia eſt varietas flore è luteo purpuraſcente, quæ frigida eſt & humida; cùm prior calida ſit & acris: Item tertia radicibus Hellebori, calida & acris.

Neicotlalpatli Totopecenſis vomitoria, Apocyni ſpecies eſſe videtur (ut rectè Terrentius) à foliis in caule binis ex adverſo, odore viroſo, & vi emetica. Foliis eſt Scammoneæ, caule volubili, floribus candentibus, ſurculoſis radicibus.

Nextalpe, Chamælææ congener, foliis Oleæ inordinatè poſitis, caulibus lignoſis, fructu Ciceribus ſimili, radice acri & guttur urente, cathartica.

Nextlacotli Yacapichtlenſis Limoniphylla floribus pallidis in calicibus ſquamoſis. Calida eſt & ſicca.

O.

Oceloxochitl, S. Herba lætificans, foliis Lini quaternis quiniſve per intervalla in caule, floſculis purpureis ſubrotundis.

Ocopiaztli, S. Scorpii ſpina, Eryngii aut Dipſaci ſpecies. Radix Eryngii odore, ſapore & viribus pollet.

Ocopitin, S. Planta reſinam ſtillans; Folia longa anguſta ſinuoſa & crenata; flores rotundi & coccinei, radices Aſphodeli ſucco reſinam olente. Foliis odor, ſapor & vires Raphani.

Oliliuqui, S. Planta orbicularium foliorum. Convolvuli ſpecies, foliis cordatis, floribus albis longiuſculis, ſemine Coriandro ſimili. Sapore eſt acri, comeſta varia in Cerebro phantaſmata excitat.

Omimeztli, S. Os femoris. Foliis Ocimi aut Betæ, caule volubili, floribus in ſummis ramulis parvis pallidis; vaſculis ſubrotundis, radice craſſa, longa, tenera, candida, glutinoſa, inſipida & inodora. Oſſa fracta conſolidat, viribus cum Symphyto majore conveniens.

Omixochitl S. Flos oſſeus. Lilium Mexicanum foliis porraceis. Flos ex oblongo tubo in ſtellam expanditur; viribus cum Lilio convenit.

P.

Paradiſea herba Hernandez dicta quòd folia habeat Manucodiatæ plumis ſimilia. Radices fibroſæ; caules fulvi hiſpidi. Amariſſima eſt, unde lumbricos necat, flatum diſcutit, pectori medetur.

Peço, Foliis eſt ſerratis oblongis, ſinuatis Lapathi pulchri Bononienſis inſtar: floribus rubentibus in brevibus pediculis è radice exeuntibus. Radix ſubacris & amara, thoracica & cardiaca.

Phace, i. China Michuacanenſis.

Pina huihuiztli, S. Herba verecunda *Hiſtor. noſt.* p. 979.

Poztecpatli Huaxacenſis Gemmata. Foliis è puſillis, convolutis, arborum gemmis primò erumpentibus ſimilibus, Naſturtii ſapore. Nervis reſolutis ſuccurrit ac motum amiſſum reſtituit.

Poztecpatli Mecatlanica, S. Fracturarum medicina, foliis Mali Perſicæ, binis per caules adverſis, geniculatos teretes digitum craſſos; floribus pentapetalis rubentibus. Tumores arcet herba, fractis & luxatis oſſibus medetur.

Q.

Qualancapatli S. Irati hominis medicinà. Foliis ſalignis, caulibus contortis tenuibus. Pacificam herbam appellat Columna, quia velut Animo medetur.

Quamiavatl, S. Spica arboris. Hernandez ad Tithymalum paralium refert, ſed malè. Icon Selaginem 3. Thalii referre videtur, & locus etiam convenit: quamvis icon *Tlamacazypapan* cum floribus vix reſpondet. Quinetiam vis cathartica Selaginem arguit.

Quaquahutzontic, S. Truncus Sectus. Apocynum Pyri foliis, fructu Capſici ſpinoſo & lanuginoſo, radice orbiculari miti.

Quauhxocotl Chillulenſis, S. Oxymalva, foliis ſerratis trifidis aut quinquefidis, radice Napi ſuccoſa, Sapore Oxalidem referunt folia, fructus orbicularis acinoſus. Radix leniter purgat. Ad hanc accedit Alcea Indica Goſſipii folio, Acetoſæ ſapore *Herman.* niſi quod radice ſit fibroſa. Alia etiam Alceæ Indicæ ſpecies foliis ſunt Acetoſæ ſapore, ut quæ *Acetoſa Indica* Bontio dicitur.

Quil Amolli, S. Herba Amolli, Convolvulus foliis cordatis, floribus candidis prælongis, Cymbali forma. Herba eſt frigida & emolliens, unde inflammationibus medetur.

T.

Tatacanaltic, S. Chamæbalanus Mexicana. Folia Saligna; flores modici purpurei Ericæ: radix longa, & per intervalla in tubercula orbicularia intumeſcens, dulcis.

Teçonpatli, Apocyno affinis, radice Pyriformi foliis longis pinguibus. Fructus Siliquaſtri, ſemine refertus plano, orbiculari, pediculis appenſo. Folia lacte acri manant. Radix amara eſt & odoris gravis. Datur alia ſpecies, foliis latioribus mollioribus & minùs nervoſis varians.

Teiczmincapatli S. ictûs oculi medicina. Foliis eſt longis & anguſtis, ſemine gemino luteo, rotundo, parvo.

Temecatl expurgans, Convolvulus foliis hederaceis, floribus luteis orbicularibus è foliorum alis.

Temecatl Yauhctepecenſis S. Bryonoides. Folia ſubrotunda, undulata, mollia, odoris gravis: capreolatis caulibus; fructu acinoſo racematim dependente; radice magna amara.

Teoquilin S. Saxei vermes. Caulibus [ſeu radicum truncis] eſt geniculatis, & circulis quibuſdam præcinctis, fibris terrâ attactâ ſtatim emiſſis capillatis; foliis cordatis; cauliculis ſeu mavis fructibus Piperi longo perſimilibus. Odora eſt & acris, traumatica, diuretica, carminativa.

Tepari S. Craſſa planta, foliis haſtatis ſerratis pungenti Urticæ lanugine obſitis; caulibus cavis geniculatis. Inſipida eſt & inodora, temperie frigida.

Tepehoila Capitz xochitl, Saxivolvula, Foliis eſt Hederæ urticæve, ſerratis ſaxis ſe convolvens, radice ſucco manante. Datur aliud genus, foliis ſcutorum undulatorum formâ. Refrigerat & humectat.

Tepetla xihuitl S. Herba montana, foliis Amygdali, floribus ad extremos caules ſubrotundis, vaſculis contectis virentibus. Odorata eſt & calida.

Tepetla chichix xihuitl, S. Herba amara in montibus proveniens; foliis Chamædryos odoratis, floribus pallidis, piloſis ſtellatis; fructu parvo oblongo. Radix odora & amara eſt: Decoctum herbæ per ſuperna & inferna purgat.

Tepeyautli S. *Yautli* Montana, foliis eſt Salignis longioribus nec ſerratis, caule tricubitali; floribus oblongis calyculorum formâ, coccineis, radicibus fibroſis. Acris eſt & odorata.

Tepezentli S. Spicæ Mayzii montani. Apocynum radicibus contortis glanduloſis.

Tepitzic xihuitl S. Herba firma. Foliis eſt parvis obrotundis, ſerratis Adianti nigri; flore oblongo pallidè rubente, vaſculo roſaceo pæne ſimili. Urinam elicit quacunque de cauſa retentam.

Tetzmitl Tonallæ S. Sedum Myſticæ. Foliis eſt longis, anguſtis, raris, juxta extrema latioribus, floribus orbicularibus candidis. Succus emeticus eſt.

Tetzquixochitl S. *Yzquixochitl* ſaxea, Bellis minor Mexicana, foliis Lini, flore Chamæmeli, radicibus ſurculoſis. Radix frigida eſt & aſtringens.

Teuhquilitlic S. Herba principis, Foliis Mali Punicæ ad ſingula genicula ternis, floribus in corymbis, coccineis, ſiliquis parvis cum ſeminibus maturis nigris. Radix tenuis, prolixa, lutea frigefacit, ſiccat & aſtringit.

Teuxochitl S. Flos Herois, foliis Ocymoidis floribus purpureis parvis, ante æſtatem emicantibus. Radix tota planta duplo longior, tenera & lacte manans frigefacit & humectat.

Tecpatli 291. Buphthalmi S. Bellidis ſpecies videtur, flore diſcoide radiato, diſco luteo, radiis purpuraſcentibus; foliis aſperis ſinuoſis; radice craſſa Paſtinacæ ſapore, cujus ſuccus tuſſi confert, & dyſenteriæ miram præſtat opem; ex eadem paratur viſcum.

Tezompotonic S. Capilli fœtidi, foliis ſerratis Salignis; floribus candidis, comantibus, odoris. Naſcitur in humidis. Radix odorata & amara calf. ſicc. & adſtringit.

Theuh Copalli Vid. Copalli Dei.

Tlaaça Camecaxochitl S. Flos funis pabuli terreſtris. Foliis eſt Salignis, floribus ex albo rubentibus exilibus, tranſverſa radice. Mentem amiſſam reſtituit.

Tlachichinoa Patlahoac, S. Herba uſta; Heliotropium majus Mexicanum, Tres figuræ trium diverſarum plantarum eſſe videntur. Situs florum tertiæ ſpeciei in ſurculis floriferis idem eſt cum ſitu florum in Bugloſſo Echioide Indico Breynii.

Tlalcimatl & *Tlalamatl*, S. Morbi Gallici dolores ſedans & Herba S. Joannis infantis. Trifolium purpureum ſpicatum foliis Nummulariæ. Adſtringens eſt & vulneraria. Monardes Herbæ S. Joannis infantis folia Oxalidis villoſâ tribuit: intelligit fortè Trifolium acetoſum.

Tlachochichic Ocapetlayuce, Salvifolia floribus candidis papposis. Succus pituitam purgat ℥, pondere.

Tlacolcoatli S. Coatli humilis. Foliis eſt Ericæ; floribus candidis longiuſculis & velut è flocco concinnatis; radicibus fibroſis. Radix diuretica eſt.

Tlacopatli Malinalcenſis S. Ariſtolochia Mexicana III. Folia cordata; caules volubiles; Fructus oblongus Avellanæ magnitudine; Radices fibratæ, Morbis frigidis pæne omnibus auxilio ſunt.

Tlacoxochitl S. Jaſminiflora, foliis Salignis ſubalbidis, ad nodos ternis; floſculis ex albo rubentibus longiuſculis & compoſitis in comam. Laſſitudinem pota tollere dicitur, & radicis pulvis vetuſtis plagis mederi.

Tlacuitlaxocolli S. Viſcera terræ. Foliis Origani longioribus & anguſtioribus, fructu rotundo è foliorum alis; radicibus albis, tenuibus, longis. Succus naribus attractus pituitam elicit & cephalalgiam tollit. Cathartica & emetica eſt. Caules nodoſi pinguntur ità ut internodium quodvis ipſi nodo inſertum videatur.

Tlaelpatli Tonallæ S. Medicina dyſentericorum, foliis Lini, floribus in corymbos ſeu ſpicas compoſitis.

Tlaelpatli S. Medicina dyſentericorum alia, foliis Veronicæ ſubrotundis ſerratis, fructu Piperi longo ſimili [aut ſpicæ Plantaginis] Radix longa, digitum craſſa.

Tlaelpatli Acatlanenſis Alſinefolia II. caulibus ſpithamiæis, ſemine in ſpicis foliaceis ſeu ſquamoſis. Radix ut reliquarum cognominum dyſenteriæ medetur.

Tlalapaltic S. *Cocoztic*. S. *Tlalauhquichioyantic* S. *Chiciantic rubea*, Herba pallida, foliis oblongis ſerratis, radicibus fibroſis pallidis Hellebori; floribus oblongis candidis, fructu glandibus oblongis ſimili. Bibitur adverſus febres; item Variolas.

Tlalatochictl S. Humile Pulegium. Foliis Origani ſerratis ex adverſo binis, è quorum ſinubus ſingulis ſinguli flores exeunt ex albo purpuraſcentes. Linguam quamprimum calefacit, paulo poſt velut Atochictl ſpecies reddit intenſè gelidam.

Tlalcacahuatl Chimalhuacanichalcenſis S. Filipendula 4. Mexicana. Foliis eſt Ocimi oblongis, craſſiuſculis, nervoſis, ſerratis, binis per intervalla in caulibus aſperis tenuibus, floribus cyaneis in ſpicis Stœchadis Radicum glandulis Avellanarum magnitudine, quæ ardores febrium temperant, & alvum ſiſtunt.

Tlalcacauatl S. *Yztacixpatli*, Filipendula trifolia, radicum glandulis interdum oblongis, floſculis coccineis. Radix frigefacit & humectat. Icon flores galeatos S. labiatos repræſentat, ſpicas ſquamatas.

Tlalcapolin S. Chamæceraſus Atlapulcenſis, foliis ſerratis, oblongis, in caulibus per intervalla quaternis quiníſve unà, floribus in ſummis ramulis parvis coccineis; fructu Ceraſi, minore. Pulvis radicis dyſenterias curat.

Tlalchinolxochitl S. Venerea medicina II. foliis oblongis, anguſtis, crebris; floribus parvis, oblongis ex albo purpuraſcentibus multis capillamentis luteis. Folia aſtringunt. Radix ad ʒij. devorata vomitum ciet.

Tlalchipillin Hoexotzincenſis, Foliis Origani nonnihil ſerratis, floribus candidis, ſemine in vaſculis candido rotundo, radicibus fibroſis, Catharticis. Alia pingitur ſpecies vaſculis in foliorum alis in tres carinas dehiſcentibus.

Tlalcocoltzin, S. Parva herba & contorta, Tithymalus helioſcopius Mexicanus foliis quàm noſtras magis acuminatis.

Tlallantlacua cuit lapilli S. Cauda parvi Tlacuatzin; Michuacanica diuretica. Duplex eſt, mas & fœmina. *Mas* folia fert Solani mucronata, & juxta cuſpidem contorta, caules volubiles; radicem tenuem, longam, fibratam, candentémque. *Fæmina* caule eſt cinereo geniculato; foliis cordatis majoribus, flore per hyemem candenti & magno, fructúque oblongo & ampliore, referto, ſemine luteo obducto candida lanugine. Hæc proculdubio Apocyni ſpecies eſt.

Tlallantlcaca cuitlapilli, S. Trifolium tetraphyllum, floribus rubeis ſtellatis in ſpicis ſquamoſis. Radix craſſa. Thoracica eſt doloréſque & laſſitudinem ſedat.

Tlallayotli S. humilis Cucurbita. Folia cordata acuminata bina adverſa; Caules volubiles geniculati, cucurbitulæ pollicaris craſſitudinis & longitudinis, maculis viridibus & cinereis interſtinctæ, edules, ac refertæ lanuginoſo ſemine. Radix longa fibrata per ſuperiora & inferiora purgare dicitur. Inter Apocynum & cucurbitam ambigere videtur aut de utroque participare. Ad Cucurbitam tamen magis accedit.

Tlalmatzalin Hocxotcinſenſis S. Amygdaloides ſerrata floribus parvis purpureis in ſummis caulibus, radice Napi frigida & ſicca, corpus tamen purgare dicitur cum *Cacaboatl*, &c.

Tlalquequetzal S. Penna terræ, Millefolium Mexicanum, Europæo acrius & amarius.

Tlaltzilocayotli S. Tzilocayotli humilis, ſiliquaſtrum Mexicanum. Sæva ſymptomata, quæ dicitur inferre hoc medicamentum, ſuſpicionem injiciunt hanc herbam inter Apocyni ſpecies numerari debere, quam augent herba repens, flos albus, ſiliqua viridis, quæ omnia in ſiliquaſtris nunquam ſimul invenies. *Ter.*

Tlalyxtomio S. Yztomio humilis, Foliis eſt Portulacæ, aliquanto majoribus, caulibus teretibus purpureis, floribus in ſummo purpureis; radicibus craſſis, ſurculoſis, amaris vi cathartica præditis. *Folia terna, Craſſulæ ſimilia caulibus ſine pediculo adhærent: flos pentapetalos ruber: unde inter Craſſulæ ſeu Sempervivi ſpecies reponenda videtur.* Ter.

Tlanoquiloni Huaxacenſis, Herba Mexicana Piloſellæ foliis binis oppoſitis, ſpica Plantaginea, (Stœchadis *Col.*) Radix acris & cathartica eſt.

Tlanoquilonipatli Yancuitlanenſis, Linifolia hirſuta, floſculis luteis ſpicatis, radice longa, acri, guttur urente, amara & cathartica.

Tlapatl i.e. Stramonium.

Tlaquauhtilizpatli S. Venerea medicina, Foliis longis anguſtis Salignis majoribus, floribus fulvis, radicibus longis, ſapore Glycyrrhizæ. Diarrhœas puerorum curat.

Tlatlacizpatli S. Fluxionum medicina. Folia Origani aut Teucrii, caules tenues breves; floſculi candidi [lutei *icon.*] Abſinthii ſimiles.

Tlatlauhcapatli, Alſinefolia, floſculis albis, radice ſurculoſa. Radix acris nonnihil & dulcis eſt, ophthalmica & Thoracica mirabilis; diuretica etiam & tumores maturans.

Tlatlauh Capatli S. Oxygeranium Mexicanum, cujus duæ ſpecies, altera radice candidiore, altera rubente: icones etiam diverſitatem oſtendunt in foliis & floribus: in altera enim bini flores pinguntur in uno pediculo, in altera ſinguli: alterius folia altiùs inciſa ſunt, ad modum fere Pentaphylli Tormentillæ facie; alterius leviùs. A noſtratibus Geraniis acido ſapore differunt.

Tlatlayotic S. Nummularia Indica à noſtrate genere diverſa videtur; eſt enim radice craſſa, lacteſcente; fructu Cucurbitino eduli. Radix glutinoſa eſt & adſtringens.

Tocizquiuh S. Mayzium torridum & calidum, Foliis Chamædryos ſerratis hirſutis, odore gravi; floribus oblongis luteis, pluribus congeſtis. Uterinis affectibus & dyſenteriæ medetur.

Toma S. Urtica arboreſcens foliis ſinuoſis, ſtipitibus lævibus, candidis luteíſque floribus. *In icone inferior caulis pars ſpinoſa pingitur.*

Tomatl S. Planta acinoſa vel Solanum. Hujus duo genera proponit, Alterius fructus minores orbiculares ſunt, membranâ incluſi, iíque vel nucibus Ponticis majores, minores Juglandibus, qui è viridi palleſcunt; vel prædictis nucibus æquales, eodem colore, *Miltomamæ* dictæ: Alterius majores *Xitomamæ*, qui Poma amoris dici ſolita nobis videntur; hi etiam vel majores iterum ſunt, eadem nobis in Appendice deſcriptas; vel minores, utríque colore differunt, luteo, rubro, aureo.

Tonalxochitl S. Solis nuncius, Foliis eſt Ocymi longioribus minimè ſerratis [icon profundè ſerrata repræſentat] caule volubili, floribus magnis, longis, intus luteis circa labra, quæ fiſſa ſunt, purpureis, Cappares olentibus. Humida eſt & glutinoſa natura.

Totoycxitl S. Pes paſſerinus, Convolvuli ſpecies videtur, radice Pyriformi lacteſcente, foliis in quinque aut ſeptem lacinias profunde diviſis flore Malvæ minori [icon integrum Campaniformem exhibet.] Radix grato eſt ſapore, & tamen (quod mirum) leniter purgat.

Tozancuit laxcolli, S. Inteſtina Tuccæ Talpæve Indicæ, à radicibus illorum inſtar conglobatis formâ rarâ: Foliis Origani aſperioribus, floribus in ſummis caulibus coccineis, caliculorum formâ. Radix refrigerat & adſtringit.

Tragoriganum Quauhnacenſe, Figura, Deſcriptio & vires Tragorigano conveniunt; in icone tamen quatuor vel quinque folia ad genicula ſingula ſubinde appinguntur, fortè pictoris incuriâ.

Turbith Indicum Convolvuli ſpecies eſt foliis Ibiſci, floribus candidis, interdum ex albo rubentibus, Malvaceis. Vid. Hiſtoriæ noſtræ Appendicem.

Tuzpatli, Polypodium Mexicanum tuberoſa radice fibris cyaneis, folio brevi. Impetigines, panos, furunculos, luem Veneream, alióſque tumores diſcutit.

Tzaguangueni III, S. Hæmorrhoidalis Mexicana. Foliis eſt longis anguſtis, plerunque quinis, Abſinthii Indici; floribus coccineis; radicibus fibratis. Amuletum eſt appenſum brachio ad hæmorrhoidas.

Tzabuengueni, *Tzatſcuane*, S. Filipendula Michuacanica foliis trifidis ſerratis, floribus in ambitu coccineis, medio luteis cum alba quadam iride. Calfacit & exſiccat.

Tzabuengueni S. Filipendula Mexicana altera. Floribus eſt circa medium luteis, in ambitu purpuraſcentibus quo ad Aſteres pertinere oſtenditur. Folia habet Umbellatarum in modum diviſa; radices tuberoſas Oenanthes. Convenit viribus cum præcedente.

Tzautli, S. Gluten, Gladiolus Indicus Aſphodeli radice, floribus è luteo purpuraſcentibus. Ex radice ſiccata fit gluten præſtantiſſimum ad uſum pictorum. Ea dyſenteriam, alióſque fluxus curat.

Tzicatzon Tecomatl, S. Caput formicæ. Folia Lini ſtellatim per intervalla caules ambiunt, juxta quæ florum vice quædam velut verticilla prodeunt lutea. Radix dulcis eſt & glutinans: Folia frigida & glutinoſa.

Tzocuilpatli, Pappiflora foliis Ocimi crenatis & nonnihil ſpinoſis. Odorata eſt, calefacit & exſiccat.

Tzocuilpatli altera foliis majoribus profundiùs ſerratis ſubtus candentibus. Flores orbiculares & piloſi; caules hirſuti & ſubalbidi. Decoctum ejus motum amiſſum reſtituit, naribus attractum hemicraniæ medetur.

Tzonpelic Xihuitl, Nectarea. Foliis Ocimi in caule binis. Flos candidus parvis oblongiſque ſpondylis ſimilis, in pediculis longiuſculis. [Florum unitorum figura ſpicam vel julum Typhæ refert colore ex luteo in rubeum tendente.] Folia Mel ipſum & Saccharum dulcedine longè ſuperant.

Tzonpotonic, S. Helichryſum Mexicanum, floribus pallidis, umbilico rubro.

Micui Tlaxcolli, S. Piſcium inteſtina à radicis forma dicta. Foliis longis anguſtis, floſculis parvis candentibus in ſummis caulibus tenuibus. Radix medetur ulceribus etiam cancroſis celerrime, tuſa & pota ictericis medetur, & urinam evocat. Fructus apertus pingitur in tres partes diviſus, & in earum unaquaque duo ſemina lutea.

X.

Xararo, Helichryſo ſimilis, foliis Salignis ſerratis ſubtus albentibus. Flores rubeſcentes ſquarroſis calyculis conteguntur: radices fibris ſimiles nigræ. Rad. amara eſt, odorata, calida & ſicca.

Xicama, Phaſeolus Mexicanus radice orbiculata foliis per medium velut orbiculariter ſectis. Radices eſculentæ ſunt & menſas ſecundas inſtruunt: Corpus refrigerant & humectant, ſitímq; extinguunt.

Xiuh Totonqui, S. Herba calida Totopecenſis. Foliis eſt aſperis, ſerratis Limonis ſed majoribus floribus purpureis; radice ſurculoſa, Helleboro ſimili, lanugineque aut eſca obducta, Caçanacæ tota ſimilis eſt ejuſque ſpecies. Decoctum lumbricos interimit.

Xochipalli, Artemiſifolia, floribus Floris Africani ſed parvis ex luteo rubentibus. Floris tantum uſus eſt, ad affectus uterinos & ad ulcera; præcipuus verò ad tingendas lanas luteo colore; & ad pingendum, cujus gratiâ in aqua coquitur adjecto nitro, & ſuccus exprimitur.

Xoxonacatic, S. Hyacinthoides capilloſa, foliis Cæpe, floſculis longis luteis pediculis exilibus, è radice ſtatim exeuntibus radice orbiculari Avellanæ magnitudine, capillamentis nigris operta. Purgat blande & leniter omnes humores.

Y.

Yauhtli, S. Nubiloſa herba, Umbellifera floribus luteis, foliis integris Salignis ſerratis, odore & ſapore Aniſi. Thoracica eſt, & uterina, diuretica, lithontriptica, omniáque ferè præſtat quæ calida & ſicca.

Ychcacalotl, S. Vas Goſſipinum. Foliis eſt orbicularibus, undulatis, ſenis, ſubalbidis præter alia quædam minora & albidiora; cauliculos tenues & breves, & in ſumma parte exiles floſculos profert, radices verò capillis ſimiles quibus ſaxis adhæret. Edulis eſt, Hernandez Lichenis ſpeciem eſſe vult.

Ychatlepatli, Foliis eſt cordatis, infernè hirſutis & albidis, ſupernè viridibus; flores profert virentes in Corymbis; fructus ſubrotundos; & capillos quoſdam juxta foliorum exortus. Odor Cydoniorum. Cortex radicum hydropi medetur. Acris eſt & calida.

Yexochitl, S. Flos *Yetl*, Radice eſt craſſa, tuberoſa, aliis ei è funiculis demiſſis appendentibus radicibus porcinis renibus ſimilibus ſed majoribus; caulibus quaternis canaliculis ſtriatis; foliis Bliti, floribus oblongis luteis, fumum olentibus. Radix dulcis eſt & edulis, ſiccatæ pulvis inſperſus ulcera oris curat.

Yolmini Quilizpatli, Folia anguſta longiuſcula; caules prolixi; flores pallidi, radices tenues, amaræ, acres, calidæ, pituitam & bilem evacuant.

Yolopatli irina à figura foliorum dicta, duæ ſpecies ſunt, Prior foliis Iridis anguſtis, flore Omixochitl, S. Lilii Mexicani; radice pyriformi. Radix cardiaca eſt inſign. & vulnerar. Altera caule, flore & fructu carens, foliis Plantagineis anguſtioribus, ſingulis biniſve ab eadem radice.

Yizcuimpatli ſeu Canis interfector, S. Hordeolum, *i. e.* Hordeum cauſticum, S. Cevadilla *Monardis*. An revera Frumentacea herba ſit, tum figura, tum deſcriptio, tum vires mihi dubium faciunt. Caulis minimum digitum craſſus. Deſcriptionem & iconem vide apud Hernandez p. 307. Duæ aliæ ſpecies 1. Radice cæpaceâ, eiſdem viribus. 2. Radice orbiculari, foliis anguſtioribus, ſapore nullo, ibidem habentur.

Yxiayahoal Chapaltepecenſis, S. Nepeta Mexicana foliis minoribus & brevioribus cordatis, floribus candidis.

Yxtenextic, S. Oculi cinerei, Foliis Limonis ſerratis ſubalbidis, floribus Chryſanthemi, radice craſſa ſurculoſa, amara acri & urenti, Panos, lepras & lichenas extergit & curat, inſuper *Tzatzayanalitzli* morbum in qua univerſum corpus dehiſcit, illitâ reſina, inſperſóque deſuper hujus pulvere & gallinarum pennis.

Yxtomium Xihuitl, S. Lanuginoſa herba. Folia Anchuſæ, caules bicubitales; flores candidi, calyculis contenti, in pappos abeuntes. Radices emeticæ ſunt.

Yzcuicuil, S. Oculus depictus, Caules exiles geniculati, flores candidi parvi ad foliorum exortus, quæ bina in caule: Radix Pæoniæ ſimilis, Primo guſtatu dulcis, mox guttur urens, evacuat pituitam.

Yzpatli, S. Apios Mexicana foliis tenuibus oblongis. Viribus cum aliis Tithymalis convenit. Radix ſubrotunda eſt, Avellanæ magnitudine.

Yztaçaçalic, S. Herba glutinoſa & candens, à radicis qualitate dicta. Foliis eſt Alliariæ, leviter ſerratis, fructu racemoſo uvæ acerbæ forma & magnitudine; capreolis ſcandens. Radix anodyna eſt, humenti & glutinoſa natura, frigidâque.

Yztac cihuatl, S. Fœmina candida, Dens leonis Mexicanus. Calida eſt & amara, convulſioni & torminibus medetur.

Yztacchyatl, S. Sal amarum, Abſinthium Mexicanum, Europæo ſimile forma & viribus.

Yztac ololtzin Chullulenſis, S. Scammonium Mexicanum, Radice foliis, floribus cum Scammonea Syriaca convenit; duntaxat foliorum auriculæ magis falcatæ: flores ex albo rubeſcunt. Radix dulcem ſaporem præferre videtur, & tamen devorata bilem ac pituitam evocat.

Yztacpatli Yanguitlanenſis, Lychnis Mexicana anguſtifolia, flore parvo, coccineo. Radix acris eſt & glutinoſa.

Yztacpatli Ygualapenſis, Papposa Mexicana, Virgæ aureæ floribus, foliis Ocimi longioribus. Radix acris eſt, amara & calida.

Yztacpatlis Ototonilci, Linifolia argentea, floribus candidis, radice purgatrice.

Yztacpatli Tepuzcullulæ, S. Linaria argentea Mexicana. Floribus eſt oblongis, ex luteo candicantibus, in pappos abeuntibus. Calyx floris Senecioni ſimilis. Herba eſt papposa ad Elichryſum accedens, non Linariam.

Yztacxihuitl, S. Baſium monile, Volubilis ſpecies calidâ & glutinoſâ naturâ, ophthalmica & diuretica. Flos inferiore parte depictus eſt colore luteo, ſuperiore colore Echii. *Ter.*

Ycel Acocotl Chullulenſis, S. Roſmarinus ferulaceus. Umbellifera eſt foliis Fœniculi craſſioribus & latioribus, ſemine candido, rotundo, anguloſo & reſinaceo, quod in mandendo linguam exurit; radice craſſa longa Thus olente. Omnibus notis Roſmarini ferulacei reſpondet.

Mirum fortaſſe alicui videri poſſit tot novas aliiſque indictas herbarum ſpecies in hoc opere reperiri. Verùm deſinet mirari ſi mecum perpenderit, Herbas medicinales per Novam Hiſpaniam naſcentes à nemine præter Franciſcum Hernandez deditâ operâ conquiſitas & deſcriptas: Nec enim alias commemorant Peregrinationum ſuarum aut Hiſtoriæ generalis Americæ conſcriptores, quàm quarum vel flores *ob pulchritudinem ſuam aut odoris fragrantiam in pretio ſunt: vel* fructus, *radices, aliæve partes hominibus in cibum veniunt.*

Cùm ad Hiſtoriam plantarum *Franc. Hernandez* illuſtrandam me parum lucis adferre poſſe viderem, nec ob brevitatem & imperfectionem deſcriptionum ſpecies pleraſque ibidem traditas ad ſuas claſſes reducere valerem, eas duntaxat inde excerpere & Hiſtoriæ noſtræ inſerere decreveram, quæ ab aliis etiam deſcriptæ eſſent. Verùm ab Amico quodam, cui plurimum tribuo, monitus, nonnullos Hiſtoriam ut imperfectam criminaturos ſi tot ei ſpecies deeſſent quot ab Hernandez novæ proditæ ſunt, Epitomen hanc qualemcunque, ſumma feſtinatione nè editionem morarer compoſitam, adjeci. Si per otium licuiſſet plantas ſingulas cum Americanis à Piſone, Marcgravio, aliiſque traditis diligenter conferre, longè perfectiorem eam reddere potuiſſem, multáſque fortè, quas jam pro novis & nondum editis habeo, ab aliis deſcriptas inveniſſem.

Species ſequentes ad calcem Catalogi Zanoniani, p. 1927. *ſubjiciendas, ſed Typothetarum incuriâ omiſſas, hinc ſuppleat Lector benevolus.*

12. *Limbra* ſeu *Baccam* frutex Orientalis folia habet oblonga, aliquantulum inclinata, dentata & æqualiter ducta. *Flores* producit racematim, ut & fructus rotundos. Utuntur illâ ad conſtruendum unguentum pro vulneribus: folia cocta ſunt pro uſtione, præcipuè pulveris tormentorum.

13. Palmæ Indicæ *Birli* dictæ icon exhibetur abſque deſcriptione.

14. *Parcol* Arbor ſylveſtris habet lignum aſperum, fructus producit parvulos figurâ & guſtu noſtro Hypomelidi ſimiles, ſed parùm trigonales & dulciores. *Flores* emittit pulcherrimos, quatuor folii compoſitos, è quorum medio exeunt virgæ oblongæ ſanguineæ.

15. *Pinxevi* eſt Arbor qui habet folia magna, quaſi rotunda, aliquantulum aculeata, plana, non tamen lenia ſed parùm aſpera. *Floſculos* producit parvos: Fructus in racemis ſunt Uvæ, ex quorum ſeminibus extrahitur oleum quod eſt optimum pro intemperie frigida.

16. *Ramba* Arbor eſt procera, folia habens oblonga, nervoſa, coloris viridis: Fructus verò ſimiles Coriandro, ſed in racemis ſicuti Uvæ, & ſunt multùm ſalutiferi infirmis: Folia cocta cum ſale & ſulphure in aqua omnes plagas ſanat brevi tempore: Succus vel pulvis de fructibus eſt valdè admirabilis pro plagis, gangrænis & fracturis oſſium.

17. *Rambora* eſt Arbor ſylveſtris, à Luſitanis *Pero de Matto* dicta; hæc habet folia ſatis magna, aſpera & dura magis quàm noſtræ Ficûs, multum nervoſa, præſertim in parte inferiore. Fructificat multùm non in ramis, ſed in trunco, ubi ex omni parte oriuntur, in quibus naſcuntur fructus, ut Pomum parvulum, lanuginoſum, habentes ſtellam in medio cum quatuor corniculis. Condiuntur in Aceto ſive Aqua ſalſa pro cibario.

18. *Rategal* Arbor producit folia oblonga & ovata, coloris viridis. Flores pulcherrimos habet, multùm racematos; è trunco enim prodeunt multæ virgulæ, in quarum ſummitate ſunt quædam foliola viridia, bipartita ut in noſtra Viola, prima inferiùs clauſa, cætera totaliter aperta, è quorum medio faſciculus virgularum ſanguinei coloris exit, & unà foliola parvula cum caule longo, tota criſpa & pulcherrima, pulcherrimo ordine diſpoſita & in eodem racemo flores naſcuntur, interdum aliqui flavi, aliqui rubri, alii partim flavo, partim rubro colore variegati, quos ſuſtinent receptacula ſuperiùs rubra inferiùs verò viridia. Semina dant ut *Piſeli* (quid ſibi velit hæc vox non capio) odore Naſturtii noſtri. Utuntur fructu ad ſolvendum corpus, & ſemina cocta cum aqua ſalſa ſunt optima pro ulceribus malignis. Pulvis ſimiliter idem efficit.

19. *Stipſdanti* Arbor Indica folia habet aculeata, aſpera & craſſa, valdè viridia, *flores* producens parvulos, albos & in cacumine radiantes. Fructus eſt triangularis, rotundus, nigricans: *Radix* magna, ſed valdè purgativa, ſi cum aqua bibatur utilis eſt ad hydropicos. Ex foliis formant Orientales medicamentum purgans; ſed valdè periculoſum eſt ob nimiam caliditatem; aperit venas & eſt medicamentum mortale.

20. *Toppi* herba marina Indica *folia* habet magna ut Laurus, lucida in ſuperiore parte viridia, ſed ſubtus parùm lutea cum acuminibus minutis, colore nigro. Eſt planta valdè longa & naſcitur in mari, duplicis ſpeciei, quæ in foliis ſunt ſimilia, quæ nullum habent nervum niſi unum in medio, ſiintque tactu multùm mala, quæ totæ franguntur & in diverſas partes dividuntur; ſolùm diſtinguintur in fructibus; quorum unus eſt ut Pirus, etiam in odore ſimilis cum quinque auriculis foliaceis retroflexis, quæ adhærent fructibus, in quo inſerta eſt longa fiſtula, quæ dum fructus matureſcit cadit, & eſt plena lanugine veluto magis delicata. Alius verò fructus habet parvum calycem inſtar poculi, qui poſtea dilatatur & dividitur in ſeptem radios, in medio quorum eſt parvus fructus Rapæ noſtræ ſimilis. Eſtur ſale conditus vel aquâ ſalſa: valet ad reprimendum ſanguinem, ac etiam pro contuſionibus & aliis ſimilibus affectibus utuntur ſupradicta lanugine. Cortex plantæ partim eſt ruber, partim luteus quo utuntur ad tingendum colorem rubrum obſcuriſſimum.

21. *Toſſunda* ſive *Caſanda* frutex eſt circiter quinque cubitorum altitudine. Flores producit flavos, pentapetalos inſtar Violæ: folia vulgari Parietariæ ſimilia ſunt. Poſt flores ſiliquas profert Phaſeolis ſimiles in cacumine tamen curvatos, in quibus ſunt circiter octo ſemina dura, oblonga & lenia. Foliorum decoctio partum accelerat, foliáque trita cum Sinapi ventris doloribus medentur.

22. *Zambul* arbor Indica ſive Cornus mas Theophraſti ex ſententia Jac. Zanoni. Arbor hæc ſatis magna habet folia, oblonga, plena, dura, nervoſa, fructus producens ad inſtar Corni noſtratis, coloris inter rubrum vel ſanguineum & nigrum, ſuntque ſaporis acidi; oſſa verò olivarum inſtar. Cortex contuſus & ex eo decoctio facta alvum ſiſtit. Hæc arbor eadem eſſe videtur cum *Noela tali* ſeu Berberi Indica Aurantiæ folio *H. M.* p. 1606. Hiſtoriæ noſtræ deſcriptæ.

23. *Zambal* utraque ſpecies Solani Indici ſpinoſi ſpecies eſſe videtur.

Inter *Emendenda* neſcio quo caſu omiſſam invenio hanc notam, Planta illa, quam D. *S. Dale* erroneè pro Gramine bulboſo aquatico à C. Bauhino in Prodromo deſcriptam & depictam fuiſſe obſervavit noſque commonefecit, non erat Sparganii radix cum foliis primò erumpentibus & aquâ immerſis, ut nos memoriâ lapſi ſcripſimus, ſed Sagittariæ aquaticæ; quod Lectorem monere oportet; nè obſervatori injurii ſimus, noſtrúmque illi errorem impingamus.

13 OCT 62

INDEX

INDEX.

A. pag.
Abariga Palmæ Ady fructus 1356
Abavo Cluſ. i. e. Baobab Alpini 1372
Abdelavi Melo Ægyptius Alpini 645
Abellicea Ponæ, i. e. Pſeudoſantalum 1805
Abelmoluch, Ricini ſpecies 168
Abelmoſc Ponæ & Veſting. 1066
Abbel Guiland. Cupreſſi ſpecies 1408
Abies fæmina 1394. mas Theophr. 1. Picea 1396. Mexicana Hernand. 1397, 1916. Marina 76
Abrotanoides ſaxea Cluſ. 64
Abrotanum ejuſque ſpecies 371, 372, &c. 1866. fæmina ejuſque ſpecies 358, 359, 1865
Abrus Alpini 889
Abſinthium ejuſque ſpecies 366, &c. ad 370, 1866
——— Santonicum 368
——— Seriphium 370
——— Alpinum Umbelliferum 347
Abſus Alpin. v. Senna 922
Abutilon ejuſque ſpecies 699. Indicum 1880
Acacabis Cam. i. Kiſmiſen. S. Keſm. 1718
Acacia ejúſque ſpecies 976, 977
——— Malabarica Intſia dicta H. M. 1739
——— Americana Robini & Park. 1719
——— Germanica i. Prunus Sylv. 1527
Acaciæ foliis frutex Meſapotamicus 1739
Acacia trifolia C. B. v. Cytiſus 1783
Acaja Piſon. 1554
Acajaiba arbor cujus fructus
Acajou Piſon. i. Anacardii ſpec. 1649
Acanthium ejúſque ſpecies 313
——— Illyricum J. B. ibid.
Acanthus ejúſque ſpecies 1325, 1912
——— Germanicus, i. e. Sphondylium 408
Acanus Theophraſti 314
Acaricoba Piſon. 1323
Acarna ejúſque ſpecies 314, 315
Acarnæ ſimilis flore purpureo J. B. 289
Acer ejúſque ſpecies 1700
Acetoſa ejúſque ſpecies 177, &c. ad 181, 1856. veſicaria Americana 179. rotundifol. hortenſis 180
Acetoſella, i. Trifolium acetoſum 1098
Achanaca Thev. i. Braſſicæ-folia peregrina C. B.
Achillea, i. Millefolium 345, 346
Achiote 1671
Achlades, Bellon. i. Pyra Sylv. Cretica, à noſtris diverſa
Achoavan Alpin. 1. Matricaria inodora 357
Acinos ejúſque ſpecies 553
Aconitum ejúſque ſpecies 701, 702
——— Hyemale Park. 700
——— racemoſum i. Chriſtophor. 661
——— Salutiferum S. Anthora 705
——— humile bifolium, &c. Mentzel. 671
Acorus 1313; 1910. Aſiaticus radice tenuiore adulterinus C. B. i. Iris pratenſ. lutea 1186
Actæa Plinii C. B. i. Chriſtophoriana 661
Acua potûs genus in China ex Oriza
Aculeoſa Gazæ Ad. Cardui genus 309
Acus moſchata Cæſ. Col. i. Geranium moſchatum.
Adiantum ejúſque ſpecies 147, 148. nigrum Officin. 147. Americanum 148. album folio Filicis J. B. 152. Braſilianum Marcgr. 145. acroſticum Thal. 141. Chinenſe 1854.
pag.
Adiantum aureum 123
Adonis ejúſque ſpecies 596
Adrachne Theophraſti J. B. 1577
Ægilops ejúſque ſpecies 1289. v. Avena 1254. Narbonenſis 1290
Ægilops Aſpris Theophr. i. Quercus ſpec. 1387
Æſchynomenes variæ ſpecies 979, 980, 981, 1894
Æthiopis ejúſque ſpecies 542, 543
Aga Cretenſium, i. Carduus lacteus Syriacus Cam. 312
Agallochum S. Lignum Aloes 1808
Agaricus 107
Agaranus Cretenſium Bell. 314
Agaty Galegæ affinis H. M. 1734
Agem-Lilac Perſarum Corn. v. Syringa 1703
Ageratum ejúſque ſpecies 364. ferulaceum Dal. 286. purpureum Dal. 1055
Agiahalid Alpini. v. Lycium 1029
Agnacat Scaligeri 1789
Agnus caſtus, i. Vitex 1696
Agrifolium S. Aquifolium 1622
Agriocinara Cretenſium J. B. 301
Agrioſtari Belli, i. Triticum Sylv. Creticum 1240
Agrimonia ejúſque ſpecies 400
Agrimonoides Col. ib.
Aguape Braſil. i. Nymphæa
Aguara-quiya Marcgr. i. Solan. Sp. 672
——— ponda Marcgr. 1337
Aguarima Piſ. 1343
Aguti-guepo-obi Marcgr. 1203
Aguti-Treva 1794
Ahate de Panucho Hernand. 1650
Ahovai Theveti 1676
Ajuba-tipita 1791
Ajuga, i. Chamæpitys 571
Aizoon v. Sedum 687. paluſtre, i. Stratiotes 1324
Airi, i. Hayri 1363
Alabaſtrites Lob. i. Dentaria 1229
Alaternus ejúſque ſpecies 1608
Albara Cannæ Indicæ ſpecies Piſ.
Alcanna, v. Phillyrea 1585
Album olus Dod. i. Lactuca agnina 392
Alcea ejúſque ſpecies 604, 605, 1873. Indica 1065, 1900, 1914. Ægyptia villoſa, i. Abelmoſch 1066
Alchimelech Alpini, i. Melilotus Ægyptia 953
Alchimilla 208, 209
Alcyonium ejúſque ſpecies 81, 82
Alectorolophos i. Criſta galli 769, 770, 771
Alga marina 71, 72, &c. 1849. tinctoria 73. bombycina 71. fontalis trichodes 118
Alhagi J. B. v. Geniſta 1730
Aliſma Cord. i. Ophrys bifolia 1232
——— Matth. & aliorum, i. Doronicum Plantaginis folio C. B. Aliſma Thal. i. Helleborine
Aliſma Col. i. Auricula Urſi 1082
Alkekengi vulg. 081
Alleluia, i. Trifolium acetoſum 1098
Alliaria 792
Allium ſativum 1125. Sylv. foliis fiſtuloſis 1117 Sylv. planifolium 1119. montanum latifol. i. Victorialis.

INDEX.

pag.
ctorialis 1122. Urſinum ibid.
Alnus ejúſque ſpecies 1409. nigra baccifera, i. Frangula 1604.
Aloe ejúſque ſpecies 1195, 1196, &c. 1906. paluſtris 1324
Alopecuros 1265
Alpam H. M. 1765
Alſine ejúſque ſpecies 1025, 1896. fœtida Col. C. B. Myoſotis 1029. Spergula dicta 1034, 1896. Corniculata Cluſ. 1029. Hederulæ folio i. e. Veronicæ ſpecies 848. foliis Veronicæ ib. foliis Triſſaginis 847. triphyllos cærulea 848. ſcandens baccifera v. Solanum 682. Alpina glabra C. B. v. Lychnis 1003. nodoſa Dal. 805. cruciata marina Ger. 1024
Althæa ejúſque ſpecies 601, &c. item 1873. fruteſcens 603. Theophr. flo. luteo, i. e. Abutilon 699. Indica Herman. 1900, 1901
Altiht Avicennæ, i. Laſerpitium Veterum 425
Alum Gallicum Scribon. i. Symphytum 504
Alu ſive Alou H. M. i. Ficus Indica 1434
Alyſſon Dioſcoridis i. Lunaria Græca 788
—— Galeni v. Marrubium 557
Alypum Monſpelienſe montis Ceti 1443
Amaracus ejúſque ſpecies, i. Majorana 537
Amara dulcis v. Solanum lignoſum 672
Amarantus ejúſque ſpecies 201, 1856. Sericeus 202. tricolor 203. Siculus ſpicatus perennis Boccon. 203
Amatzquitl 1789
Amba, i. e. Manga 1550
Ambaiba Piſon. 1373
Ambaitinga ibid.
Ambalam 1551
Ambapaia H. M. 1370
Ambare Mangæ affinis 1780
Ambarvalis flos, i. Polygala 1335
Ambela, i. Charamei Acoſt. 1780
Ambroſia ejúſque ſpecies 164, 1855. camp. rep. i. Thlaſpi ſeu Naſturt. verrucoſum 843
Ambugaembo 1346
Ambulon Scal. 1792
Amelanchier Lob. 1461
Amelpodi H. M. 1787. Belutta-Amelpodi ib. Siouanna-Amelpodi 1607. Karetti Amelpodi 1611
Ameri H. M. i. Anil S. Indigo 1926
Amellus Virgilii eſt Caltha paluſtris, aliis Conyzæ aut Aſteris montani ſpecies.
Aminiiu, i. Goſſipium
Ammi ejúſque ſpecies 454
Ammoniacum 1844
Amomum quorundam odore Caryophyll. 1507. Verum 1697. Germanicum, i. Siſon Cordi 443
—— Plinii vulgò, i. Solanum, &c. 673
—— Virgin. Corni fœm. facie 1799
Amomis Cluſ. 1697
Amongeaba gramen 1318
Ampana H. M. 1366
Ampelopraſſum 1126
Amvetti H. M. 1712
Amygdalus ejúſque ſpecies 1519, 1918. Granatenſis 1791
Amygdalo perſicum 1516
Amylum 1240
Anabaſis Dod. i. Polygonum baccif. ſcandens 1638
Anacampſeros, i. Telephium 689
Anacardium Occidentale Cajous dictum 1649
Anacardium ſimpliciter dictum 1813
Anacock Phaſeoli ſpecies 890
Anagallis terreſt. ejúſque ſpecies 1024
Anagallis aquatica 852, 853. aquat. rotundifolia non crenata 1101

pag.
Anagyris ejúſque ſpecies 1722
Ananas Linſch. & Acoſtæ 1332
Anavinga H. M. 1032
Anblatum Cordi ſive Aphyllon J. B. 1229
Anchoas S. Zingiber maſculum Hern. 1314
Anchuſa ejúſque ſpecies 496, 497, &c.
Anda Piſon. & Marcgr. 1677
Andira Piſon. 1687
Andrachne Theophr. i. Adrachne 1577
Androſace Matth. i. Fungi lapid. ſpecies 66. altera Matth. 1086
Androſæmum ejúſque ſpecies v. Hypericon 1017, 1020, 1021
Anemone ejúſque ſpecies 626, &c. ad 633, 1873
Anemone nemorum 624. Bononienſium 700
Anethum hortenſe 416. ſylv. ſemine exiguo Ammeos 459
Angelica ejúſque ſpecies 434. Acadienſis 1869
Angelica arboreſcens ſpinoſa 1798
Angelica baccifera Canadenſis 661
Angelina arbor 1384
Angelyn, i. Andira Piſon. 1687
Angolam 1597
Anguria, i. Citrullus 643
Anhuiba arbor, i. Saſſafras
Anil ſive Anir 926. Anil alia ſpec. 1783
Anime gummi 1846
Aninga Piſon. 1654. Aninga-iba 1653
Aninga-peri Piſon. Planta eſt fruticeſcens, quæ paſſim in denſis ſylvis naſcitur, flore exiguo albicante, cui paucæ uvulæ è cæruleo nigricantes, Sambuci baccis ſimiles ſuccedunt. Foliis decoratur lanuginoſis, ovalis figuræ, triſte viridibus quidem, ſed aſpectu pulcherrimis, ad tactum inſtar Urticæ mortuæ, mollibus & velut lanuginoſis, quæque nervis multis & craſſis diſtinguuntur. Folia recentia contuſa vel in pulverem redacta medentur prima intentione ulceribus recentibus & inveteratis.
Aniſum ejúſque ſpecies 449, 1868
—— Indicum S. Zingi 1835
Anon Oviedi 1651
Anona-maram H. M. 1650
Anonis ejúſque ſpecies 957, 958, 959, 960, 1893
Anonymos Ribeſii foliis icon. Roberti 1708
—— flore Coluteæ Cluſ. 1733
—— Garciæ, i. Herba viva Acoſtæ 982
—— Braſilianus frutex flore Keiri 1785
—— Braſilian. flore monopetalo ſpecioſo 1883
Anſerina Trag. i. Argentina.
Anſjeli H. M. i. Angelina 1384
Anthedon Theophr. i. Meſpilus Aronia 1458
Anthemis, i. Chamæmelum 353
Anthora S. Antithora 705
Anthriſcus, i. Pecten Veneris 428
Anthyllis Alpin. ex. 215. nivea, i. Polygonum 185. Valentina Cluſ. 215. marit. Alſines foliis C. B. 1026. lentifolia Peplios effigie mar. 1024. leguminoſa 922
Antipathes, i. Corallium nigrum 61
Antirrhinum ejúſque ſpecies 760, 761. arvenſe minus v. Linaria 760. minus flo. Linariæ luteo n. d. Ger. App.
Antophyllus v. Caryophyllus aromat. 1508
Aparaqua Hern. 661
Aparine ejúſque ſpecies 484
Apeiba Marcgr. 1643
Aphaca 899
Aphyllantes Anguillaræ 381
Aphyllantes Monſpel. v. Caryophyllus.
Apiaſtrum i. Meliſſa 554

INDEX.

pag.
Apios J.B. *Tithymali ſpec.* 870, 871. *Americana* Cornut. *i. Aſtragali ſpec.* 937
Apium hortenſe, vulgò Petroſelinum 448. *paluſtre ſeu Paludapium* 457, 1868. *Macedonicum* 463. *peregrin. foliis ſubrotundis* C.B. 462. *petræum ſive montanum album* 463. *montanum nigrum* J.B. 413. *montan. folio tenuiore* C.B. 461. *Cicutæ folio* 414. *paluſtre lacteo ſucco S. Thyſſelinum* 413. *Scoticum S. maritimum* 447
Apochyma, i. Pix à navibus deraſa. v. Pix 1402
Apocynum ejúſque ſpecies 1087, 1088, *&c. humile aizoides Africanum, i. Fritillaria craſſa* 1903
Aquifolium, i. Agrifolium 1622
Aquilegia ejúſque ſpecies 705, 706, 707
Arabis, i. Draba 821
Aracynappil, Malum aureum 1660
Araca-miri 1456
Araca-guacu Piſon.
Arachydna Belli 918
Aracus ſive Arachus vulgò v. Vicia 902. *fabaceus S. Faba Kayrina* J.B. 903, 904. ὦχρος 919
Aralda Geſn. *i. Digitalis* 767, 768
Arantia vulgo, v. Malus Arantia 1651, 1652
——————*marina* 83
Arara fructus 1826
Araticu variæ ſpecies 1651, 1652. *pana* 1646
Arbor Braſiliana Juglandi ſimilis 1794
——*febrifuga Peruviana* 1796
——*finium regundorum* Scal. *i. Urucu* 1771
——*Fraxini folio, cortice ſpinoſo Virg.* 1798
——*Fraxini folio* C.B. *i. Azedarach* 1546
——*Exotica Fraxini fol. Negundo credita* 1798
——*Judæ vulgo* 1717
——*lanigera Bontii, v. Goſſipium.*
——*Lavendulæ folio* Cluſ. 1795
——*racemoſa Braſil. fol. Apocyni* Br. 1595
——*conifera oderata fol Salicis, &c.* 1800
——*pentaphyllos Virginiana, &c.* ibid.
——*Spinoſa, Herculis clava dicta* ibid.
——*tinctoria* 1794. *tinctoria Virgin.* 1699
——*S. Thomæ, i. Mandaru* H.M. 1751
——*trifolia venenata Virginiana* 1799
——*triſtis* 1698. *de Rayz i. Ficus Indica* 1437
——*Tulipifera triplex* 1798
——*vitæ* 1407, 1916
——*Uvifera Tabacenſis* 1792
Arbuſcula coralloides depingitur Piſoni 265
Arbutus 1578. *folio non ſerrato i. Adrachne*
Archangelica 435
Ardabar 1210
Arctium i. Lappa major 332. *item minor* 165
Arcturus Belli 1097
Areca i. Fauſel 1363
Arenaria J.B. 1033
Argemone ejúſque ſpecies v. Papaver 855
Argentina 617
Aria Theophr. 1459
Ariſarum ejúſque ſpecies 1211, 1907
Ariſtolochia ejúſque ſpecies 761, 762, 1884. *polyrhizos* 763, 1884
Armeniaca Malus 1513, *&c.*
Armeria ejúſque ſpecies, v. Caryophyllus 990, 991. *pratenſis, i. Lychnis* 1000
Armoracia i. Raphanus ruſticanus 818
Arnabo nonnullis i. Zedoaria
Aroeira i. molle arbor 1582
Artemiſia ejúſque ſpecies 372, 373, 1866. *tenuifolia ſive leptophyllos i. Abrotanum campeſtre* 371
Arthanita i. Cyclamen 1005
Arthritica i. Primula veris & Paralyſis 1080
Arum ejúſque ſpecies 1208, 1209, *&c.* 1907
pag.
Arundo ejúſque ſpecies 1275, *&c.* 1315. *Donax* ib. *naſtos ſeu farcta* 1276. *Indica* 1277. *Saccharifera* 1278. *Scriptoria* 1276, 1909
Arundo Indica latifolia v. Canna Indica 1202
Aſa fœtida 1843
Aſarina Matth. 208
Aſarum 207, 1857
Aſcalonitis 1417
Aſclepias ejúſque ſpecies 1090, 1903
Aſcyrum ejúſque ſpecies v. Hypericon. 1019
Aſpalathus ejúſque ſpecies 1729, 1730
Asjogam arbor H.M. 1786
Aſparagus ejúſque ſpecies 683, 1877
Aſperula ejúſque ſpecies 483
Aſphodelus ejúſque ſpecies 1191
Aſplenium 139
Aſpris Theophr. *Ægilops Quercûs ſpec.* 1387
Aſſitra i. Mandaru 1751
Aſter ejúſque ſpecies 265, 266, *&c. item* 1858. *Conyzoides* Geſn. 264
Aſtragalus Bæticus Cluſ. 920. *marinus Luſitanicus* Boel. 935. *Sylvaticus* Thal. 914. *Africanus lut. odoratus* 936. *incanus ſiliquâ incurvâ* 938. *Monſpeſſulanus* J.B. *ib. Romanus* J.B. *i. Hedyſarum clyp.* 929. *Canadenſ. flo. viridi flaveſcente* 1892
Aſtrantia nigra 474, 475
Ata-maram H.M. 1650
Athanaſia i. Tanacetum 365
Athera 1240
Atitara Palmæ ſpecies 1369
Atolli i. Mayzii farina 1671
Atragene Theophr. *i. Viorna vulgi* 620
Atractylis 304
Atriplex ejúſque ſpecies 191, 192, *&c. mori fructu* 197. *maritima Halimus dicta* 194, 1857
Atzoyatl Hern. *v. Mirab. Peruviana* 399
Avacari facie Myrti 1781
Avanacu H.M. *i. Ricinus* 166, 1855
Avaramo temo 1764
Avellana ejúſque ſpecies v. Corylus 1379. *purgatrix* 1381
Avena ejúſque ſpecies 1253. *piloſa* J.B. *v. Feſtuca* 1289
Avenqua Luſitanis Marcgr. *i. Adiantum Braſil.* 145
Avevetl Hern. *i. Abies Mexicana* 1397
Avicularia Sylvii i. Speculum Veneris 742
Aurantia Malus v. Malus 1658
Aurea mala, i. Cidonia 1452
Auricula leporis i. Bupleurum 473, 474
Auricula Judæ i. Fungus Sambucinus 106
Auricula marina 77
Auricula muris ejúſque ſpecies v. Piloſella 242. *muris Alpina glabra* J.B. 1003. *muris* Cam. *Loto affinis* 922
Auricula urſi ejúſque ſpecies 1082, 1083, 1902
Auzuba Oviedi 1647
Axochiotl Hern. 262
Azarolus i. Meſpilus Aronia 1458
Azedarach arbor 1546

B

Badukka i. Capparis arboreſcens 1630
Baccharis Monſpelienſium 292
Bala H.M. *i. Muſa arbor* 1373
Babel Schulli H.M. 1731
Babei Coyolli 1364
Balam-pulli i. Tamarindus 1748
Balanus myrepſica Ger. 1738
Balauſtium 1463
Ballote i. Marrubium nigrum 571

INDEX.

Pag.
Balſamina mas ſive Cucumerina 647, 1874
——— fœmina Perſicifol. 1328
Balſamita mas 363. fœmina 364
Balſamum ejúſque ſpecies 1755. Peruvianum 1757. Tolutanum 1758
Baly inſulæ fructus 1653
Bambu Arundo arborea 1315
Bamia v. Alcea Indica 1066, 1900
Bananiera Piſon. i. Ficus Ind. 1377
Bandura Cingalenſium 721
Bangue 159, 1854
Baobab Alpini 1371
Baptiſecula i. Cyanus ſegetum 321
Barba capræ i. Ulmaria 623, 709
Barba Jovis frutex 1721, 1919. herba i. Sempervivum majus 687
Barbarea Erucæ ſpecies 809. muralis J. B. 799
Bardana S. Lappa major 332. minor 165
Baruce fructus 1826
Baſaal arbor 1570
Baſilicum vulgo ejuſque ſpecies i. Ocimum 940
Battata Hiſpanica 728. Tajaoba 1334
Baxana 1794
Batis & Baticula i. Crithmum 456
Batrachion i. Ranunculus 581, 582, &c.
Bdellium 1844
Becabunga i. Anagallis aquatica 852, 853
Bechion i. Tuſſilago 259
Bedeguar Offic. i. Spongia Roſæ caninæ 1471
Beeſha Arundo 1316
Beenel 1557
Beguill Purchaſii 1831
Beidelſar Alpini v. Apocynum 1088
Behen album i. Lychnis 998. rubrum v. Limonium
Beli Bengalenſium 1665
Belilla 1493
Belingela Piſon. Malum inſan. 1673
Bella Donna i. Solanum lethale 679
Bella Modagam H. M. 1481
Bellevedere i. Scoparia 210
Bellis major ejuſque ſpecies 351, 1865. ramoſa umbellifera Cornut. 270. Tanaceti folio i. Tanacetum inodorum 352
Bellis minor ejúſque ſpecies 349, 1865, 1866
Bellis lutea, &c. C. B. v. Chryſanthemum
Belmuſcus Ægypt. Belli 1066
Beloere H. M. i. Abutilon Indicum 1880
Belzoinum 1845
Belutta Tsjampacam i. Caſtanea Roſea Indica 1680
Bengieiri H. M. 1856
Aria-Bepou H. M. i. Nimbo 1543. Kari-bepou ibid.
Ben-Kaleſiam 1786
Ben Nux 1738
Ben Moenja 1787
Ben Theka H. M. 1633
Beninganio Park. 1831
Ber & Bor Acoſtæ 1535
Berberis ejúſque ſpecies 1605
Beretinus fructus 1815
Berula Tab. i. Anagallis aquat. 852, 853
Beta ejuſque ſpecies 204
Betella, Betle 1913
Betre & Betis, Piſon. 1914
Betonica ejúſque ſpecies 550, 1871
Betonica coronaria ejúſque ſpecies i. Caryophyllus 986, 987, 988, 989. Betonicæ minimæ ſimilis J. B. 1003
Betonica aquatica i. Scrophularia 764
Betula 1410
Betulus i. Carpinus & Oſtrys 1428
Bibinella Cæſ. i. Coronopus 879
Bifolium ejúſque ſpecies 1232
Bilimbi H. M. 1449
Bintambaru 1881
Biſermas Cam. 544
Biſlingua i. Hippogloſſum 663
Biſmalva i. Althæa 601
Biſtorta ejúſque ſpecies 186, 187
Biti H. M. 1735
Bixa Oviedi i. Urucu 1771
Blaſo H. M. 1721
Blattaria ejúſque ſpecies 1096, 1097, &c. 1903
Blatti H. M. i. Jambos ſylv. 1479
Blitum ſylv. ejúſque ſpecies 195. Blitum Bonu Henricus dictum ib. Blit. Botrys dictum 196. Bl Atriplex ſylveſtris dictum 197. Americanum ſpinoſum 199. Bl. Kali dictum ibid.
Blitum hortenſe 200. Americanum 201
Boa Tſinkring Bontii i. Coral arb. 1736
Bona major Dod. i. Faba 909, 910
Bolbonach S. Viola lunaris 787
Boletus Antiquorum 91
Bombax i. Goſſipium 1064, 1065
Bon vel Ban Alpini Coffee frutex 1691
Bon ſeu Calaf Alpini.
Bonduck Indorum 1743. Siliquâ non ſpinoſâ 1800
Bonus Henricus 195
Borago ejúſque ſpecies 492. ſemper virens 494. minima Herbariorum ibid.
Botrys Ambroſioides 196
Branca urſina i. Acanthus 1325
——— Germanica i. Sphondylium 408
Braſilia arbor 1736
Braſſica ejúſque ſpecies 794, 795, &c. capitata 794. florida 795. caulo-rapa ib. arborea, &c. 796. Epiphyllitis thyrſoides 797. ſpinoſa ibid. marina monoſpermos 838. perfoliata ſiliquoſa 797
Braſma i. Piper abortivum 1342
Britannica Antiquorum vera Muntingii i. Hydrolapathum max. 172
Brindones Garc. Fructus tinctorius 1831
Briza 1242
Bromos i. Avena 1255. item Gram. Avenaceum 1289
Brunella ejúſque ſpecies 551, 552
Bruſathaer Arbor Chinenſis
Bruſcus S. Ruſcus 664
Bruxanelli 1497
Bryon i. Muſcus 112
Bryonia alba 659. nigra 660. alba Mechoacana 723. Zeylanica 1875
Bugloſſum ejúſque ſpecies 493. dulce ex inſulis Lancaſtriæ 500. ſylveſt. cauliculis procumbentibus C. B. 502. luteum Ger. i. Hieracium echioides, &c. 233
Bugula S. Conſolida media 575
Bulapathum Plinii Munting. 179
Bulbocaſtanum 440
Bulbocodium ejúſque ſpecies i. Pſeudonarciſſus 1130
Bulbonach i. Viola Lunaris 787
Bulbus eriophorus 1158. liliaceus vomitorius C. B. Sp. 1111. monophyllus J. B. 1154. ſylv. Fuch. i. Ornithogalum lut. 1153
Buna arbor i. Coffee 1691. Bunnu eadem.
Bunias i. Napus 302
Buphthalmum vulgare Ger. 341. Cotulæ folio ib. Dodonæi i. Adonis major 597. peregrinum Alpini ibid. Alpinum flo. candido 1865
Bupleuron ejúſque ſpecies 473, 474
Burſa marina Cæſ. 83

Pag.

Burſa paſtoris ejúſque ſpecies 828. *paſtoris minor i. Naſturtium petræum* 827. *major loculo oblongo* C. B. 790. *minor loculo oblongo i. Paronychia vulg.* 789
Buſelinum Plin. i. Petroſelinum Creticum C. B.
Butomos i. Sparganium, at Cluſio Acorus adulterinus ſeu Iris paluſtris lutea 1186
Buxus ejúſque ſpecies 1693, 1694
Buyo Buyo Inſ. Phillippin. Hern. 1343

C

Caa-apia Marcgr. 330
Caa-opia Marcgr. 1631
Caa-ataya Marcgr. 1329
Caacica Marcgr. *i. Cajacia* Piſon. *Herba colubrina Luſitanis* 1346
Caachira 2. Piſon. 1783
Caaetimay 1861
Caaeo Marcgr. *i. Planta mimoſa* 979
Caaghiyuyo 1636
Caagua-cuba 1634
Caapeba 1331
Caaponga Marcgr. 1039. *I.* Piſon. 1331. *II.* Piſon. 1337
Caapomonga 1334
Caapo-tiragua Marcgr. 1869
Caaroba Piſon. 1761
Cabureiba i. Balſamif. Peruviana 1757
Cacalia ejúſque ſpecies 291. *Americana* 292
Cacamotic Tlanaquiloni Hern. 728
Cacao, Cacavate 1670, 1671
Cachi arbor quid.
Cachos Monard. 1839
Cachrys i. Libanotis Cachryophoros 424
Cacubalum Plin. *i. Alſine baccifera* 682
Caiahaba S. Mippi 1795
Cajan arbor 1722
Cajacia Piſon. 1346, 1914
Cajous 1649
Cakile Serapionis i. Eruca marina 840
Calaf Alpini, Saſſaf. Rauwolfii 1424
Calamagroſtis, S. Gram. Arundinaceum 1281, 1282
Calamintha ejúſque ſpecies 568, 569
——— *arvenſis verticillata* 530
Calamus aromat. Officin. *i. Acorus* 1313
Calcatrippa i. Conſolida regalis 707, 708
Calceolus Mariæ i. Helleborine 1232
Calcitrapa i. Carduus ſtellatus 317
Calebaſſier Rochefort 1667
Caleſiam H. M. 1597
Calendula ejúſque ſpecies 337, 1863
Calochierni Cretica Cardui ſpecies 304
Caltha ejúſque ſpecies i. Calendula 337. *paluſtris* 700
Camarajapo Piſon. *Mentaſtri ſpec. Aſſurgit* caule *unico, procero, tereti, hirſuto & ruffo, in bipedalem altitudinem;* foliis *leviter ſerratis, hirſutis, inferiùs quaſi incanis, binis ſibi oppoſitis cum parvulis adjunctis. In ſuperioribus ramulis caulis multi* flores *umbellatim poſiti toto anno Tanaceti fere modo proveniunt, cum ſtaminibus dilute cœrulei coloris; quorum odor, ut & totius plantæ eſt Mentaſtri æmula, ſaporis amaricantis & aromatici.* Semine *nigro, exili longo, quod maturum pappis evolat.* Radice *eſt tenella, fibris multis prædita.*
Camanbaya Braſil. Marcgr. *Herba filamentoſa, ab altiſſimis arboribus dependens, ita ut integros obducat, gryſei coloris & quaſi lanuginoſa, cui hinc inde, certis intervallis ſex, quinque, tria, duo, vel etiam unum folium; Roſmarini æmulum, inodorum adſiſtit: Eadem videtur Cuſcutæ.*
Camara Marcgr. *Lychnidis ſpecies* 993
Camara-vuba Marcgr. 257
Camara-mira 1347
Camara-tinga 1655. *Periclymeni ſpecies.*
Camarinhaja Marcgr. *Lyſimachiæ ſpecies* 862
Camarinhas Piſon. 1518
Camaru Marcgr. *i. Solanum halicac.* 681
Cambui i. Myrtus Americana ſylv. 1504
Camelina Dod. *v. Myagrum* 811
Camiri fructus 1822
Camotes i. Battata v. Convolvulus 728
Cactos Theophraſti, Planta ſpinoſa Sicula, nonnullis cinara.
Campanula ejúſque ſpecies 731, *&c. ad* 747. *item* 1883. *hirſuta ſive Trachelium* 731, 732. *glabra Rapunculus dicta* 737, *&c. Perſicifolia* 738. *pyramidalis* ib. *Cymbalariæ foliis* 741
Camphorifera arbor 1678
Camphora ibid.
Camphorata 210
Canacorus Lob. *i. Arundo Indica florida* 1202
Cancamum 1846
Candou Purchaſii 1791
Canella i. Cinnamomum & Caſſia 1559, *&c.*
Canella ex arbore C. B. 1801. *alba* 1802
Caniram H. M. 1661
Canna Indica florida 1202, 1906
Cannabina aquatica C. B. 360
Cannabis ſativa & ſylv. 158. *ſpuria i. Lamii ſpecies* 561
Cantabrica Anguillaræ v. Campanula 740
Canſchena-pou, Mandaru ſpecies 1752
Caopoiba Marcgr. 1646
Caova potus i, Coffee 1691
Caoup 1793
Capillus Veneris v. Adiantum 147
Capicatinga Piſon. *Acori ſpecies*
Capnos i. Fumaria 404, 405
Capollin 1550
Capotes fructus v. Cydonia exot. C. B. 1665
Capparis 1629. *Portulacæ folio* 1912
Capreolata Bryoniæ folio 1345
Caprificus 1433
Caprifolium perfoliatum & non perfol. 1490
Capſicum ejúſque ſpecies 676, 677, *&c.*
Capuupeba 1318
Caput gallinaceum v. Onobrychis 914
Cara i. Inhame Marcgr. 729
Caraguata i. Aloe 1199
Carambolas Acoſt. 1449
Caranna 1847
Carambu Lyſimachiæ ſpecies 1510
Carandas Garciæ 1647. *Bontii* 1749, 1919
Cara-noſi H. M. *i. Negundo* 1575
Caranaiba Piſ. *Palmæ ſpecies* 1368
Cara-Schulli H. M. 1755
Cararu Bliti ſpecies 201
Carcapuli 1661
Carchicec Turcarum i. Primula veris 1081
Cardamine ejúſque ſpecies 814, 815. *puſilla ſaxatilis* δισκοειδὴς Col. 826
Cardamomum 1204
Cardiaca 571, 572. *Americana annua* 1872
Carduncellus montis Lupi 316
Carduus ejúſque ſpecies 308, 309, 310, *&c. item* 1862. *benedictus* 303. *Chryſanthemus* 258. *Braſilianus fol. Aloes i. Ananas* 1332. *lanceatus* 310.

Pag.
310. lacteus S. Mariæ 312. mollis 307, 308. tomentoſus 311. ſtellatus 317. Solſtitialis ibid. Eryngoides capit. ſpinoſis Alpin. 318. Sphærocephalus S. globoſus 383
Caretti H. M. i. Bonduch Indorum 1743
Carex Calamagroſtis, Cyperus aut Sparganium.
Carimpana 1366
Carlina 268. ſylveſtris 288
Caroba i. Siliqua arbor 1718
Caros ſive Carum & Carvi 446
Carota ejúſque ſpecies i. Paſtinaca 465
Carpeſium i. Piper Æthiop. aut Cubebæ
Carpinus arbor v. Betulus & Oſtrys 1428, 1916
Carthamus i. Cnicus 302, 303
Carpobalſamum v. Balſamum & Amomum
Carua H. M. i. Cinnamomum 1560
Catou Carua 1562
Carum ſeu Caros 446
Carvifolia J. B. 415
Caryoces 1356
Caryophyllata ejúſque ſpecies 606, 607, 608, 1873
Caryophyllus aromaticus 1508. aromat. Spurius i. Lyſimachiæ Indicæ ſpecies 1510
Caryophyllus flos ejúſque ſpecies 987. holoſteus i. Alſine 1027. ſaxatilis ericæfolius, &c. C. B. 1033. marinus 1037. barbatus i. Armeria 990, 991. pumilio Tauricus 1003. pumilio Alpinus Ger. 1004. arvenſis glaber minimus 1003. gramineo folio minimus ibid. pratenſis flo. laciniato 1000
Caryophyllus Indicus i, Flos Africanus 342
Caſia Poetica 1489
Caſſia Cinnamomea 1559
Caſſia fiſtula 1746
Caſſavi radix 1683
Caſſutha J. B. i. Cuſcuta
Caſſida Col. i. Scutellaria 572
Caſtanea ejúſque ſpecies 1382. equina 1683.
—— Indica florida 1680
Catanance Dalechamp. J. B. 257. leguminoſa quorundam J. B. 921
Cataputia major & minor v. Tithymalus 866
Cate i. Lycium 1626
Cattu-gaſturi H. M. Alcea Indica
Cattu-Schiragam 1443
Cavalam H. M. 1754
Caucalis ejúſque ſpecies 466, 467, &c. major Cluſ. 412. Peucedani folio C. B. 461. tenuifolia montana Park. 462. Syriaca Cam. max. ſem. 412
Caucaſon i. Moly Indicum 1123
Cauda muris 1332
Cauda equina i. Hippuris 127
Caulorapa Braſſicæ ſpecies 795
Caunga 1363
Ceanothos Col. v. Carduus 310
Cebipira Marcgr. 1712
Cedrus conifera Libani 1404. Lycia retuſa 1415. Virginiana 1413. Phœnicia Bellonio J.B. v. Juniperus 1411
Cedrusè Goa 1798
Ceiba v. Yztamotl. 1789. Ceybas arbores maximæ ſunt, in quibus Indi domicilia ſua habent, quas 15 homines complecti nequeunt v. C.B. pin. p. 513.
Celaſtrus Theophraſti Cluſ. 1608
Cembro Pinus ſpecies 1398
Centaurium majus ejúſque ſpecies 329. foliis Cinaræ Cornut. 301. Collinum Geſn. i. Jacea major 325
Centaurium minus ejúſque ſpecies 1092, 1093
Centimorbia Geſn. i. Nummularia 1099
Centinodia J. B. i. Polygonum 184
Pag.
Cepa ejúſque ſpecies 1115, -1116. Aſcalonica 1117
Cepæa 690
Cereiba Piſon. Mangles ſpecies 1772
Cereibuna ibid.
Ceraſus ejúſque ſpecies 1537, -1538, &c. racemoſa S. Padus 1549. Sinenſis fructus pulpâ ſebaceâ 1788. ſylv. amara, i. Mahaleb 1549. Idæa Cretica Alpin. 1489. folio Laurino i. Lauroceraſus 1549
Ceratonia, ſiliqua edulis 1718
Cercis Theophraſti i. Populus tremula 1418
Cerefolium v. Chærophyllum 434
Cereus ſpinoſus 872
Cerinthe ejúſque ſpecies 506, 507
Cerrus Quercûs ſpecies 1387
Cervaria nigra J. B. 413
Cervicaria i. Campanula hirſuta 732, 733
Ceradilla Monard. i. Hordeum cauſticum 1247
Ceterach i. Scolopendria 139
Chaa Japoniæ S. Thè 1619
Chærophyllum ſativum 430. ſylv. 431
Chafar Alpini Melonis Ægyptiaci genus.
Chamæacte i. Sambucus humilis 1611
Chamæbalanus i. Terræ glandes 895
Chamæbatus i. Rubus humilis 1639
Chamæbuxus flore Coluteæ C. B. 1732
Chamæceraſus ejúſque ſpecies i. Periclymenum rectum 1491
Chamæciſſus i. Hedera terreſtr. 567
Chamæciſtus ejúſque ſpecies i. Ciſtus hum. 1015
Friſicus 1896
Chamæcriſta Pavonis 982
Chamæcypariſſus i. Abrotanum fœmina 338, -59
Chamædrys ejúſque ſpecies 527. ſpuria ejúſque ſpecies v. Veronica 847, 848, 849. Alpini Ciſti flore v. Caryophyllata 608
Chamæfilix marina 140
Chamægeniſta ejúſque ſpecies 1725
Chamæiaſme Alpina J.B. 1085
Chamælarix Breyn. 1782
Chamæiris ejúſque ſpecies 1187
Chamæitea i. Salix pumila 1420, 1422, 1423
Chamælea Germanica 1587. tricoccos 1710
Chamælæagnus 1707
Chamæleon albus gummifer 301. niger 311. exiguus Trag. 310
Chamæmelum ejúſque ſpecies 353. fœtidum i. Cotula 355
Chamæmeſpilus J. B. v. Meſpilus 1460
Chamæmorus 1487, 653
Chamænerion Lyſimachiæ ſiliquoſæ ſpecies 860
Chamæpericlymenum 655
Chamæpitys ejúſque ſpecies 571, 572
Chamærubus 654
Chamæpyxos J. B. 1733
Chamærrhiphes i. Palma humilis 1369
Chamærododendron Alpin. i. Ledum Alp. 1005
Chamærops Plinii i. Chamerrhiphes 1369
Chamæſyce Tithymali ſpecies 869
Champacam H. M. & Champe 1641. it. 1811
Chanterelle Fungi ſpecies 92
Charamais Acoſtæ 1780
Chate Alpini, Cucumis Ægyptius 646
Chelidonium majus ejúſque ſpecies 858, 1887. minus ejúſque ſpecies 579
Chermes Officin. v. Ilex Coccifera 1391, 1392
Chimalatl Hernand. i. Flos Solis
China radix & planta 657
China Chinæ arbor 1796
Chille, Piper Indicum S. Capſicum 1676, 1677, &c.
Chivef Theveti 1372
Chocólate potus 1671

INDEX

pag.

Chondrilla ejúſque ſpecies 227, 1857. viminea 223. purpuraſcens fœtida Park. i. Hieracium flore carneo 271. altera Dioſcoridis Rauwolf. Cluſ. 243. bulboſa 247. cœrulea Cyani capitulis 257. viſcoſa humilis, i. Lactucæ Sylv. ſpecies 222. verrucaria 255. lutea J. B. 222. fol. laciniat. ſerrat. &c. C. B. i. Crupina Belg. 331.
Chondrus 1240
Choyne 1372
Chriſtophoriana 661
Chryſanthemum ejúſque ſpecies 336, &c. ad 342, 1863. Alpinum fol. Abrotani multifidis C. B. 286. Valentinum Cluſ. 363. Canadenſe bidens Mor. 337. Aizoides Africanum ejúſque ſpecies 692
Chryſocome 281, 1860
Chryſogonum Penæ 1326
Cibage Pini formâ 1654
Cicer ejúſque ſpecies 917. Sylveſtre Matth. 935. arboreum Indicum perenne v. Anonis 959. Sylv. latifolium triphyllon C.B. ibid.
Cicercula 981
Cichoreum ejúſque ſpecies 255. bulboſum J.B. 247. ſpinoſum 255. Verrucarium ibid. prat. lut. hirſutie aſperum C.B. i. Hieracium 233
Cicla Officin. i. Beta alba 204
Cicuta 451
Cicutariæ variæ ſpecies 451, 1868. odorata bulboſa 429. paluſtris 429
Cidra ſeu Pomaceum 1448
Cinara ejúſque ſpecies 299, 300
Cineraria, i. Jacobæa maritima 286
Cinnamomum 1559
Ciporema Allii Braſiliani ſpecies aphyllos v. Piſon. 236
Circæa Lutetiana 401
Circium ejúſque ſpecies 305, 306, &c.
Ciſtus ejúſque ſpecies 1006, 1007, &c. mas 1007. fœmina 1008, 1011, 1012. Ladanifera S. Ledon 1008, 1009, 1010. myrtifolia 1011. capſulis trigonis major 1011. Indicus Ledi Alpini foliis 1895. humilis aizoides, &c. 1896.
Ciſtus humilis v. Chamæciſtus 1015
Citrago, i. Meliſſa 1332, 554
Citra 1806
Citrullus, i. Anguria 643
Citrus ejúſque ſpecies 1654
Clavi Siliginis v. Secale 1241
Clematis Daphnoides 1091. flore roſeo clavato 1874
Clematitis ejúſque ſpecies 620, 621. tetraphylla Americana 1329
Clinopodium 558. quorundam Maſtichina Gallorum J.B. 520. arenoſa Ocimi facie 553. Creticum Alp. 554
Clitorius flos Breyn.
Cneoron Matthioli v. Thymelæa 1589. album fol. Oleæ argenteo molli 731
Cnicus ſativus, S. Carthamus 302, 1861. Sylv. hirſutior S. Carduus Benedictus 303
Cobban arb. 1518
Coca Indorum 1788
Cocconilea, v. Coccygria
Cocculæ Offic. S. Cocculus Indus 1812
Coccygria 1696
Coccus baphica 1392. radicum 186, 401
Coccus Indica 1356. de Maldiva 1359
Cochinilla 1405
Cochlearia ejúſque ſpecies 822, 823, 1886
Codda-panna H. M. 1367
Coddam-Pulli H. M. i. Carcapuli 1661
Codaga-pala 1754
Coda-pilava 1442
Codi-Avanacu 1710
Coffee potus 1691
Coggygria 1696

pag.

Colcaquahuitl Hern. 1791
Colchicum ejúſque ſpecies 1170, 1171, 1905
——— luteum 1143
Colchico-narciſſus 1143
Colès Phaſeolus & ei ſimiles fructus 1774
Colinil H. M. 1734, 1892
Colocaſſia, i. Arum Ægyptiacum 1209
Colochierni Belli, i. Atractylidi & Cnico Sylv. ſimilis C. B. 304
Colocynthis 642, 643
Colophonia 1402
Colus Jovis 547
Colutea Scorpioides ejúſque ſpecies 923, 924
Colutea veſicaria ejúſque ſpecies 1720. Zeylanica argentea tota ibid.
Coma aurea, i. Chryſocome 281
Conambai-miri Piſon. i. Adiantum Braſilianum 145
Conferva 79. Plinii 118. reticulata 1852
Conna H. M. i. Caſſia fiſtula 1746
Conſolida major, v. Symphytum 505
——— media, i. Bugula 575
——— media vulnerariorum Lob. 351
——— minor, i. Bellis minor 349
——— Regalis 707, 708, 709
——— aurea, i. Helianthemum vulgare 1015
Contrayerva 1339
Convolvulus ejúſque ſpecies 722, &c. ad 731, 1881, 1882. maritimus 726. Indicus Battatas dictus 728. Syriacus, S. Scammonea 722. pennatus Quamoclit dictus 730. niger 181
Conyza ejúſque ſpecies 261, 262, &c. item 1858 Helenitis 263. marina J.B. 264. major vulgaris 292. cœrulea acris 270, 271
Copal reſina 1846
Copaiba Balſamifera arbor 1759
Copalxocotl Tepeacenſis Hern. 1540
Copau 1794
Copavich Ouaſſou 1789
Copeya arbor Papyrif. 1795
Copiiba Marcgr. 1593
Coral arbor 1736
Corallina marina Piniformis 1849
Corallina marina 65. reticulata 67
Coralloides arbuſcula 67. item 1849
Corallium ejúſque ſpecies 61, 1849, 1850
Corchorus Plinii Lob. i. Melochia Alceæ Indicæ ſpecies 1068
Corchorus Plinii, i. Anagallis 1024
Coriandrum 470
Cor Indum, i. Piſum cordatum 487
Coris cœrulea maritima 882. Monſpeſſulana lutea, i. Euphraſiæ ſpecies 773. Matth. C. B. i. Hyperici ſpecies 1018
Cornu cervinum, v. Plantago 879
Cornus ſativa 153. fœmina 1571
Corni vel Sorbi ſpecies Bontio 1623
Corona fratrum Carduus 311
Corona Imperialis 1105
Coronilla ejuſque ſpecies 924
Coronopus 879. Ruellii, i. Naſturtium verruc. 843
Corruda, i. Aſparagus Sylveſt. 683
Coru arbor 1781
Cortex eriophorus 1802. antirheumaticus ibid. arboris Igæ ad navigia ibid. Pinûs è Nova Scotia ibid. Winteranus 1801. Lawang arboris 1803. Peruvianus febrifug. 1796
Cortuſa 1084
Corylus ſativa & Sylv. 1379. Byzantina 1380. max. folio latiſſ. Virgin. 1709
Coſtus 1347. hortenſis 363. amara Libanotidis ſpecies 427

Cotinus

pag.
Cotinus i. Coccygria 1696
Cotonea malus 1452
Cotoneaſter i. Meſpilus 1460, 1917
Cotula i. Chamæmelum fœtidum 358
Cotyledon S. Umbilicus Veneris 1878
Cotyledonis variæ ſpecies 1045, 1046
Cotyledon paluſtris 1323, 1911
Scherunam-Cottam H. M. 1623
Covalam H. M. 1665
Courondi H. M. 1664
Courou-moelli H. M. 1634
Couton arbor 1794
Criſta pavonis Breyn. 981
Cracca i. Viciæ ſpecies 902
Cratæogonon v. Euphraſia 772. item Melam pyrum 774
Cratægus Theophraſti 1457
Craſſula i. Telephium 689, 690
Crepis Dalech. v. Trinciatella 227
Crepitus lupi 104
Criſta Pavonis Breyn. 981
Criſta galli i. Pedicularis 769
Crithmum ejúſque ſpecies 456. Spinoſum S. Paſtinaca marina 469. Chryſanthemum 268. quartum Matth. 454
Crocus ejúſque ſpecies 1173, &c. ad 1177, 1906
Crocus Indicus, Arabibus Curcuma 1204
Crotalaria 1893, 1894
Cropiot fructus 1820
Cruciata 479
Crupina Belgarum 331
Cuambu Braſil. Gnaphalium Marcgravio, Caryophyllata Piſoni
Cubebæ Offic. 1813
Cuciophora Palma 1365
Cucumis ejúſque ſpecies 645. Ægyptius i. Chate 646. aſininus 647, 1874. puniceus 1874
Cucurbita ejúſque ſpecies 638, &c. clypeiformis ſive Siciliana 648
Cucurbitifera arbor Tab. 1689
—— folio Laurino 1668
—— Americana folio ſubrotundo 1667
Cuiette Marcgr. ibid.
Cumandatia Piſon. v. Leblab.
Cudu-Pariti H. M. i. Goſſipium 1065
Cuipeuna Piſon. 1782
Cumana arbor 1790
Cumanda Faba 1889, 1890
Cumbalu H. M. 1664
Culcas, Colocaſſia 1209
Cuminum 433. Sylv. capitulis globoſis 402. pratenſe i. Carvi Officin. 447
Cunane fructus 1826
Cunila bubula, i. Origanum Sylv. 539
Cupreſſus 1405. marina 77
Cupreſſopinulus Cap. B. Sp. Breyn. 1444
Curcas, i. Ricinus Americanus 166. Avellanæ magnitudine Malavarenſium 1831
Curcuma 1204, 1906
Curuba Cucumis Braſilianus 634
Carim Curini & Bern. Curini 1709
Curutu-pala 1754
Cururu ape 1347
Cuſcuta ejúſque ſpecies 1903, 1904
Cyamos leguminoſa, i. Faba 909, 910
Cyanus ejúſque ſpecies 321, 322, 1862, 1863
Cyclamen ejúſque ſpec. 1205, 1206, 1907
Cydonia Malus, i. Cotonea 1452
Cydonia exotica C. B. 1665
Cymbalaria 759
Cyminum 433

pag.
Cynocrambe 163. legitima Dioſcoridis C. B. 206
Cynogloſſum ejúſque ſpecies 489, 490, &c.
Cynorrhodos i. Roſa canina 1471
Cynosbatos ibid.
Cynoſorchis v. Orchis 1212, 1213, &c.
Cyperus ejúſque ſpecies 1299. longus inodorus Peruvianus 1339. rotundus inodorus ex Florida ibid.
Cypote 1758
Cyprus, i. Liguſtrum 1603
Cytiſus ejúſque ſpecies 970, &c. ad 973. item 1894

D.

Daburi Cluſ. i. Orellana 1771
Dactylus vulgo v. Palma 1352, &c.
Damaſonium i. Helleborine 1230, 1231
Datura vulgo i. Stramonium 748
Daphnoides i. Laureola 1587
Daucus Officin. v. Paſtinaca tenuifolia 464. Alſaticus C. B. 414. Creticus ſemine hirſuto 463. Apii folio C. B. 449. montanus Apii fol. albicans C. B. 438. glauco folio, &c. 460. montanus Cluſ. floreo carneo, &c. J. B. 454. 3. Dioſcoridis Col. 462. Stellatus Creticus 469. pratenſis Millefolii paluſtris folio C. B. v. Oenanthe 459. montanus Apii folio major C. B.
Delphinium i. Conſolida regalis 708
Dende Ricini ſpecies 168
Dens canis ejúſque ſpecies 1178
Dens leonis ejúſque ſpecies 244, 245, &c.
Dentaria aphyllos 1229
Dentaria ejúſque ſpecies 785
Dentariæ affinis Echii flore, capſulâ Anagallidis 1346
Dentaria Buguloides Mentzel. 774
Dentellaria Rondeletii 394
Diapenſia, i. Sanicula mas 475
Dictamnus Creticus 537
———— albus Offic. i. Fraxinella 698
Digitalis ejúſque ſpec. 767, 768, &c.
Dipcadi v. Hyacinthus 1162
Dipetalos Braſiliana fol. Gentianæ, Pſeudophalangii ſpecies 1331
Dioſpyros 1461
Dipſacus ejúſque ſpecies 382
Diwapahuru 1881
Dora Rauwolf. J. B. v. Milium Ind. 1253
Doria J. B. 279
Doronicum ejúſque ſpecies 274, &c. ad 277. 1859
Dorycnium Monſpelienſium 969. Imperati J. B. 731
Dorycnio congener Cluſ. 969
Draba 821. lutea ſiliquis ſtrictiſſimis 811. alba ſiliquoſa repens 786
Draca arbor 1598
—— herba 373
Dracontium 1211
Dracunculus hortenſis, Tarchon 373
—— pratenſis, Ptarmica 344
—— paluſtris, Arum 1210
—— polyphyllos, Dracontium 1211
Drakena radix 1339
Dryopteris Trag. 151. Lob. 146. vulgar. 152
Drypis Cardui ſpecies, de qua nihil certi
Dudaim Gen. 30. & Cant. 7. i. Mandragora 669
Dudaſali, Ligni Colubrini ſpecies Acoſtæ 1807
Dulcamara i. Solanum lignoſum 672
Duleſh S. Dils Algæ ſpecies 1849
Duriones Acoſtæ 1651
Dyahibala Cingalenſium 982

E.

INDEX.

E.

pag.

Ebenus 1805
———*Cretica* 948
Ebulus, i. Sambucus humilis 1611
Ecapatli altera Hern. *v. Sena* 1742, 1743
Echinomelocactos 1467, 1917
Echinopoda Cretica 1730
Echinopus major 383. *minor* 385
Echium ejúſque ſpecies 498, 499, 1870. *pullo flore* 495. *Scorpioides* 504
Ela-calli H. M. 1888
Elæagnus Cordi 1707
Elaphoboſcum, i. Paſtinaca Sylv. latif. 409
Elatine ejúſque ſpecies 759
Elemi gummi 1847
Eleoſelinum, Apium paluſtre 447
Elengi prunifera H. M. 1564
Elephas, Col. *i. Melampyri ſpecies* 776
Elichryſon 280, 281, *&c.* 1859
Elleborine, v. Helleborine 1230
Eloxochitl 1375
Endivia vulgaris, i. Intybus 254, 255
Embyaembo 1346
Enguambo 1791. Hernand. 97
Enneaphyllum, i. Helleboraſter 698
Enula campana 273
Epazotl Hernand. *i. Botrys Mexic.* 196
Ephedra, i. Uva marina 1638
Ephemerum Virginianum, i. Phalangium Tradeſcanti 1192. 1906. *Matth. v. Lyſimachia* 1330
Epimedium ibid.
Epimelis, v. Meſpilus
Epithymum, v. Cuſcuta
Equiſetum ejúſque ſpecies 127, 128, 129, 1852
Eranthemum, v. Adonis 596
Eraway Cluſ. *Ricini ſpecies* 166
Erica ejúſque ſpecies 1713. *maritima Anglica ſupina*
Ericu H. M. *i. Apocynum* 1088
Erigeron, v. Senecio 290. *Zeylanicum* 294
Erinos Col. *v. Campanula* 739, 743, 1883
Erithronium bifolium, &c. J. B. *v. Dens canis* 1178
Erva de capitaon Luſit. 1323
Eruca ejúſque ſpecies 806, 807, 808, 1880. *cærulea in arenoſis naſcens* 793. *maritima* 840. *Monſpeliaca echinata* 804. *Naſturtio cognata tenuifolia* C. B. 826
Ervilia Dod. 899
Ervum, v. Orobus 915
Eryngium ejúſque ſpecies 384, 385, 386, 1867. *luteum Narbonenſe* 258. *montanum minimum capitulo magno* C. B. 216
Eryſimum ejúſque ſpecies 810, 1886. *Cereale, i. Fegopyrum* 181
Erythrodanum 480
Eſchara marina 65
Eſculus Quercûs ſpecies 1386
Eſula ejúſque ſpecies 868. *Indica Bontii* 873. *rara Venetorum* 866
Ettalch Scalig.
Euonymus ejúſque ſpecies 1621
Eupatorium Cannabinum mas S. Avicennæ 293, 1861. *fœmina* 362, 381, 1865, 1866.
Eupat. Veterum i. Agrimonia 400
———*Meſue, i. Ageratum* 364
Euphorbium 872, 873
Euphraſia ejúſque ſpecies 771, 772
Euphraſiæ affinis Indica Herman. 1885

F.

pag.

Faba ejúſque ſpecies 909, 910. *purgatrix latiſſima* 1776. *arboreſcens* 1777. *Sylv. fructu rotundo atro* 903. *Ægyptia* 1322. *purgatrix S. Ricinus Americ.* 163
Fabago 1912
Fagara Cubebis affinis 1813
Fagus 1381. *Sepium, i. Carpinus*
Far 1240, 1242
Farfara, i. Tuſſilago 259
Faufel S. Areca 1363
Fegopyrum Dod. *i. Frument. Saracen.* 181
Ferrum equinum ejúſque ſpecies 930. *Gallicum ſiliquis in ſummitate* C. B. 925
Ferula ejúſque ſpecies 420, 1868
Ferulago ibid.
Feſtuca ejúſque ſpecies 1289
Ficus ejúſque ſpecies 1431, *&c. Indica arcuata* 1437. 1916. *Indica Opuntia dicta* 1463, 1917
Ficoides Herman. *v. Chryſanthemum Aizoides* 692, 1879, 1880
Ficus Sinenſis florida 1788. *Ægyptia* 1321
Ficus infernalis Italorum, i. Papaver Spinoſum 856
Filago Dod. *v. Gnaphalium* 283, 284, *&c.*
Filipendula 623. *aquatica* 441. *montana flore Pediculariæ* C. B. 771
Filix florida 151. *mas vulgaris* 143. *fœmina vulg.* 149. *Indica Oſmundæ facie* 145. *ſcandens exotica anomala* 153. *baccifera* 145. *Saxatilis ramoſa* 151
Filicula 140
Fiſtularia, i. Pedicularis 769
Flammula Jovis, i. Clematitis 621
———*i. Ranunculus flammeus* 622
Flos Africanus ejúſque ſpecies 342
———*Mexicanus* J. B. *i. Mirabilis Peruv.* 397
———*Ambarvalis, i. Polygala* 1335
———*Cardinalis, i. Rapunculus galeat.* 746
———*Cuculi, i. Lychnis* 1000. *Cardamine* 814
———*Conſtantinopolitanus, v. Lychnis* 992
———*Paſſionis, i. Granadilla* 649
———*Solis* 314
———*Noctis, Convolvulus cær.* 797
———*Clitorius* Breyn. 890
———*Indicus è violaceo fuſcus, &c.* 1207
Focot guebit Populi ſpecies exot.
Fockii Solani ſpecies Bont. 675
Fœniculum ejúſque ſpecies 457. *tortuoſum* 460. *maritimum i. Crithmum* 456
Fœnum Græcum ejúſque ſpecies 954, 955, 1893
Fœnum Burgundiacum, v. Medica 961
Folium Indicum, i. Malabathrum 1563
Fontalis, i. Potamogiton 188, *&c.*
Fragaria ejúſque ſpecies 609. *Sterilis* 610
Frangula, i. Alnus nigra baccifera 1604
Fraxinella 698
Fraxinus 1702. *bubula, i. Sorbus Aucuparia* 1457
Fritillaria ejúſque ſpecies 1106, 1107
——*craſſa Prom. B. Sp. i. Apocynum*
Fructus Caſtaneæ forma utrinque acumin. 1800
———*tetrapyrenus putamine ligneo, &c.* ib.
———*exotici plurimi à pag.* 1812. *ad* 1839
Frumentum Indicum Mayz dictum 1249
———*Saracenicum, i. Fegopyron* 181, 182
Frutex Æthiop. baccifer fol. Myrtilli 1636
———*cineraceus muſcoſus* Breyn. 1852
———*Indicus baccifer Vitis Idææ* 2. *Cluſii foliis* Breyn. ibid.
———*Muſciformis Ind.* 119

pag.

——— Ind. baccif. fructu ad ſingulos flores multiplici, i. Narum panel H. M. ibid.
——— coronarius Cluſ. i. Syringa alba 1764
——— Pavoninus Breyn. i. Criſta Pavonis 981
——— Corymbifer Africanus, &c. Breyn. 1864
Fucus marinus ejúſque ſpecies 70, 71, 72, &c. phasganoides 75. Roccella tinctorum dictus 74
Fumaria ſiliquoſa 970. lutea ſive Split. 974. bulboſa radice cava & non cava 975
Fumaria vulgaris & Offic. &c. 404, 405, 406, 1894
Fungus ejúſque ſpecies 85, 86, &c. ad 111. item 1851. Mouceron dictus 86. campeſtris Champignon 87. Laricis i. Agaricus 107. ophiogloſſoides 104. pezicæ 106. piperatus 88. pulverulentus, i. Crepitus lupi 104. ramoſus 103, 104. calyciformis ſeminifer 105. Sambucinus, Auricula Judæ 106. Ceraſorum coloris varii 109. igniarius 108. Phalloides 103. Cervinus 111. petræus 66. favaginoſus 102

G.

Gagel Germanorum, i. Elæagnus Cordi 1707
Gaiderothymum, i. Stachys ſpinoſa Cret. 555
Galacorta Scorzoneræ ſpecies 249
Galanga ejúſque ſpecies 1337
Gale, i. Myrtus Brabantica 1707
Galbanum 421
Galeata & verticillata Perſicæ fol. 566
Galega 911. nemorenſis verna, montana Dalechampii, v. Orobus 912, 913. Ægyptiaca Sesban dicta 927
Galegæ affinis Sophera dicta C. B. 559
Galeopſis ejúſque ſpecies 548
Gallitrichum ejúſque ſpecies 543, 544, 545, 546
Galla Quercûs excreſcentia 1388, 1389
Gallium ejúſque ſpecies 481, 482
Gannanaperide 1796
Gangila, i. Seſamum 1337
Garb Arabum Salicis ſpecies 1424
Gebuph arbor 1518
Gelſeminum Indicum maximum flore phœniceo Ferr. 1769
——— luteum odoratum Virginianum 1796
Gelſeminum ejúſque ſpecies 1599, &c.
Genipat, i. Janipaba 1666
Geniſta ejúſque ſpecies 1723. ſpinoſa major 1729. minor Aſpalathoides 1731. tinctoria 1725. humilis S. Chamægeniſta ibid. erinacea 1730
Genſing radix 1338, 1912
Gentiana ejúſque ſpecies 716, 717, 718. folio convoluto Saponariæ ſpecies 999
Gentianella ejúſque ſpecies 1718
Geranium ejúſque ſpecies 1055, &c. ad 1062, 1896. Althææ folio 1055. Cicutæ vel Myrrhidis fol. 1056. moſchatum 1057. triſte ibid. Robertianum 1058. columbinum 1059. batrachoides 1061, 1062. hæmatodes ibid. noctu olens 1057
Geum S. Caryophyllata 606, 607
Gingidium umbella longa 456. latifolium Ger. 412
Ghandiroba Marcgr. 1875
Giocara Piſon. Palmæ ſpecies 1362
Giraſol fructus
Gith, i. Nigella 1070. Githago, i. Nigellaſtrum S. Lychnis ſegetum 998
Gladiolus ejúſque ſpecies 1169, 1905. paluſtris Cordi 701. Dortmanni 1325, 1911
Glans unguentaria 1738
Glandes terreſtres S. Terræ glandes 895
Glaſtavida Cretenſ. Belli 1097

pag.

Glaſtum ejúſque ſpecies 842
Glaux vulgaris leguminoſa 935. Hiſpanica Cluſ. 939, 940. Dioſcoridis Ger. ibid. Catalonica 940. maritima 1102
Globularia Monſpelienſium 381
Glycyrrhiza vulgaris 910. capite echinato 914
Gnaphalium ejúſque ſpecies 283, 284, &c. 294, 295. item 1861. maritimum 295. roſeum 297. Tragi, v. Gramen tomentoſum 1307
Goaconez Oviedi Balſam. Americanum 1758
Goan arbor 1803
Gonandina Marcgr. 1783
Gor arbor 1384
Goſſipii ſpecies 1064, 1065, 1899.
Gramen ejúſque ſpecies 1255, &c. ad 1310. Alopecuroides 1265, 1908. aculeatum 1268. amourettes 1274. aquaticum 1280, 1281. Arundinaceum 1281. Avenaceum 1288, 1289, 1909. Brizæ ſpica 1257. Cyperoides 1293, 1910. cyp. polyſtachion ibid. cyp. Braſilienſe 1317. caninum 1255. dactyloides 1271, 1908. junceum 1306, 1307, 1308. Loliaceum 1262, 1263, 1908. paniculatum pratenſe & arvenſe 1284. nemoroſum hirſutum 1291. nodoſum 1284. Paniceum 1261. Secalinum 1250. Sparteum 1258. Triticeum 1257. Typhinum 1267. tremulum 1274. Sorghinum 1283. ſegetum altiſſimum ibid. bufonium Juncei ſpecies, Holoſteum Matthioli 1309. Mannæ dactyloidis ſpecies 1271. ſtriatum 1281. phalaroides 1249, 1274. triglochin Juncei ſpecies 1308. tomentoſum 1306
Gramen Fuchſii ſeu Leucanthemum, i. Alſines ſpecies 1027, 1028
Gramen Parnaſſi 1049
Granadilla, i. Flos paſſionis 649, 1874
Granum Kermes 1392
Grana Paradiſi Melegueta 1205
Gratiola 1885. Alpina ibid.
Gratiola cœrulea, i. Lyſimachia galericulata 572
Gratia Dei Germanorum, i. Geranium batrachioides 1061
Groſſularia ejúſque ſpecies 1484, 1917. non ſpinoſa, i. Ribes 1584
Guabam de Laet 1833
Guacatane 1870
Guaiacum 1685. Patavinum 1575. Virgin. 1918
Guajabara 1795
Guajaba S. Guayava 1455
Guajana-timbo Piſ. 1330
Guaiba-poca-biba 1740
Guanabanus Oviedi 1650
——— Javanenſis Bontii 1651
——— Africanus Piſon. ibid.
——— Scaligeri, i. Baobab Alp. 1371
Guandu phaſeoli ſpecies Piſon.
Guaperaiba Piſ. i. Mangles ſpecies 1772
Guapereiba Marcgr. 1785
Guarerua Piſ. Cucumis ſylv. Braſil. Caule ſarmentoſo humi repit. Folia habet in longis pediculis ſingulatim poſita, quodlibet in tres lacinias ſectum, ac in ambitu dentatum atque hirſutum: Flore ut ſolet flavo, capaci: Fructu magnitudinis ovi gallinacei, ellipticæ figuræ, tuberculis per ambitum acutis, qui ubi maturuerit palleſcit. Semina tranſverſim multa in pulpa more Cucumerum ſita. Deſcriptio potiùs convenit Cucumeri ſativo quàm ſylveſtri noſtrati.
Guirapariba Marcgr. 1783
Guity arbor 1554
Gummi Arabicum 977
Guvavirap Braſil. 1791

INDEX.

pag.
Gummi variæ ſpecies 1846, 1647
Gutta Gamba S. Jemou 873

H.

Hacub Cardui ſpecies 310
Halicacabum Solanum 681
Halimus latifolius & anguſtifolius 194, 195
Haliphæos 1387
Haſtula regia, i. Aſphodelus 1191
Harmala, i. Ruta Syriaca 874
Hayri Palmæ ſpecies 1363
Hedera ejúſque ſpecies 1505
—— quinquefolia Canadenſis Corn. 1699
—— trifol. Canad. ejuſdem ibid.
—— terreſtris 566, 567
Hedypnois Monſpeſſulana J. B. 228
Hedypnois, i. Dens Leonis 244, &c.
Hedyſarum clypeatum 929. triphyllon Canadenſe Cornut. 928
Hedyſarum majus & minus, v. Securidaca
Helenium vulgare 273. Indicum tuberoſum, i. Flos Solis pyramidalis 334. Indicum maximum, i. Flos Solis ibid.
Helianthemum ejúſque ſpecies, v. Chamæciſtus 1013, 1014, 1015, 1016
Helichryſum ejúſque ſpecies, v. Elichryſ. 280, 281, &c. 1859, 1860
Heliotropium 501. tricoccon 165
Helleboraſter 698
Helleborine ejúſque ſpecies 1230
Helleborus albus 168
—— niger 697, 698, &c.
—— niger Saniculæ folio 415
—— niger tenuifol. Buphthalmi flore, i. Adonis perennis 597
Helxine ſemine triangulo 182
—— ciſſampelos, v. Convolvulus 725
Hemerocallis Chalcedonica 1112
Hemeris Quercûs ſpecies 1387
Hemionitis 135. multifida 142, 1853
Hepatica nobilis ejúſque ſpecies 580, 581. ſtellaris, i. Aſperula 483
Hepatica, v. Lichen 124
Hepatorium, v. Eupatorium 400
Heptaphyllon, i. Tormentilla 617
Herba S. Barbaræ, S. Barbarea 309. Benedicta, i. Caryophyllata 606. de Bengala 1854. caſta, i. mimoſa 1894. Doria 279. Gerardi, i. Podagraria ſive Angelica erratica 434. impia Plinii 1781. Judaica Sideritidis ſpecies 564. S. Kunigundis, i. Eupatorium Cannab. 293. S. Jacobi, Jacobæa 284. mimoſa 979, 1894. Paris 670. Sacra 535. Malabarica 1781. Sardoa, i. Apium riſus 584. venti Monſpelienſium, i. Sideritis 562. viva Acoſtæ S. mimoſa 983. Trinitatis, i. Viola tricolor 1053. trientalis Cord. i. Pyrola Alſines flore 1101. lanuginoſa Dictamni æmula 1346
Herbatum Canadenſium Cornut. 417
Herba terribilis, i. Alypum Monſpelienſ. 1443
Hermodactylus Officin. 1172
Herniaria 214
Heſperis ejúſque ſpecies 790. Sylv. latifolia flo. albo parvo 756. Alpina ſeu muralis minor repens 786. Syriaca, Leucoium melancholicum dicta, 790, 791
Hiboucouhu 1835
Hieracium ejúſque ſpecies 230, 231, &c. ad 243. item 246, 247, 1857. majus Sonchi folio 226. Pulmonaria dictum 238. Fruticoſi variæ ſpecies 238, 239, 240. falcatum & ſtellatum 256. Hyoſeris dictum 229
Hierobotane, i. Herba Sacra 535
Higuero Oviedi 1372, 1667
Hippogloſſum, v. Laurus Alexand. 663, 1875
Hippion Gentianellæ ſpecies 1718
Hippolapathum, Rhabarbarum Monachorum & Pſeudo-rhabarbarum 171
Hippomarathrum Sphærocephalum 459
Hippophaes Anguillaræ 1915
Hippoſelinum, v. Smyrnium 438
Hippuris Saxea 68
Hippuris ejúſque ſpec. 127, &c.
Hirculus 392. Friſicus 1896
Hirundinaria vulgo, v. Aſclepias 1190
Hoaxacan Hern. i. Guaiacum 1685
Hoitziloxitl Hernand. 1758. Hobus Indor. 1533
Hivourahe Pruni ſpecies
Holli 1672
Holoſteum 880
Holoſteo affinis cauda muris 1332
Hordeum ejúſque ſpecies 1243. murinum 1258, 1908
Horminum ejúſque ſpecies 542, 543, &c. 1871
Hucipochotl Hern. 1856
Hummatu H. M. i. Stramonium 749, 1883
Hoxocoquamoclit Cam. 911
Hyacinthus ejúſque ſpecies 1155, &c. Stellaris 1556, 1557, 1558. eriophorus 1158. flore oblongo Orientalis 1159. flo. oblong. Anglicus ibid. racemoſus 1161. comoſus ibid. Indicus tuberoſus 1164. botryodes, i. racemoſus 1161, 1905
Hydrolapathum 175
Hydropiper, i. Perſicaria urens 182
Hydrophyllon, i. Dentariæ affinis Echii flor. &c. 1347
Hyoſcyamus ejúſque ſpecies 711, 712
Hyoſeris, v. Hieracium 229
Hypecoon 1328
Hypericum ejúſque ſpecies 1017, 1018, &c.
—— fruteſcens Americanum flore albo 1782
Hyphear 1583
Hypochæris, Porcellia Hieracii ſpec. 229
Hypociſtis, v. Ciſtus 1228
Hypogloſſum S. Hippogloſſum 663
Hyſſopus ejúſque ſpecies 516, 517
Hyſſopifolia S. Hyſſopoides 1055

I.

Jaaroba Marcgr. Phaſeoli ſpecies 889
Jabatapita Marcgr. 1632
Jaborandi 1345, 1914
Jabuticaba 1648
Jaca 1440
Jacape gramen 1317
Jacapucaia Marcgr. 1677
Jacaranda 1648
Jace Braſilienſ. i. Melo aquaticus 643
Jacea ejúſque ſpecies 323, &c. ad 329, 1863
—— capitulis ſpinoſis 318, 319, 320, 321
Jacea tricolor ejúſque ſpecies 152
Jacobæa Aſter nobis dicta 271, 272
—— maritima 286
—— vulgaris aliæ ſpecies 284, 285, 286, 1861
Jacuaa-canga Heliotropii ſpecies 552
Jagra 1358
Jaiama, i. Ananas
Jalapium 724
Jamacaru 1465, 1466

pag.
Jamboloins 1545
Jambos 1478, &c.
Jangomas 1834
Janipaba 1666
Japarandiba 1646
Jaracatia Piſ. 1669
Jaruina 1789
Jaſminum ejúſque ſpecies 1599, 1600, &c.
——— Perſicum, i. Syringa 1763
Ibacurapari Marcgr. 1565
Iba-curu-pari Marcgr. 1677
Iba paranga 1556
Iberis 827
Ibibiraba 1500
Ibi-pitanga 1540
Ibira Marcgr. 1782
Ibiraba Marcgr. 1481. alba 1676
Ibiraee, i. Guaiacum
Ibeixuma 1633
Ibiraeem, i. Liquiritia 1892
Ibira ſeu Pindaiba 1593
Ibira-piteruna 1715
Ibira-pitanga, i. Braſilia arbor 1736
Ibiraremo Alliariæ Braſilianæ ſpecies Piſoni, foliis & fructibus rotundis, ligno adeò duro ut ciſtæ ex eo fiant.
Ibiſcus, i. Althæa 601
Ibixuma, i. Arbor Saponaria
Icicariba Piſon. 1546
Icipo Marcgr. 1661
Idou-Moulli H. M. Pruni ſpecies 1480
Jecuiba Marcgr. 1785
Jequi tinguacù Arbor ſaponifera 1799
Jetaiba, i. Locuſta arbor 1760
Jeraſoy fr. 1829
Jetica, i. Bottata herba.
Jeticucu, i. Mechocanna 721
Igbucami 1793
Igcica & Igtaigcica 1792
Jito Piſon. 1645
Ilex ejúſque ſpecies 1391
Illecebra minor 1041
Impatiens herba, i. Cardamine 815
Imperatoria ejúſque ſpecies 436
Imperatoriæ affinis umbellifera marit. Scot. 447
Inaia guacaiba, i. Cocos arbor
Indigo, ſ. Indicum Offic. v. Anil & Nil 926
Ingæ variæ ſpecies 1762
Inhame Luſitanorum & Igname 729
Inimboy Marcgr. 1743
Intſia H. M. i. Acacia Malab. 1739
Intybus S. Endivia 254
Johualxochitl 1791
Jontblaſpi Col. 841
Ipeca-caatinga Marcgr. 669
Ipeca coanba Marcgr. ibid.
Irio, i. Eryſimum 810
Iripa H. M. 1675
Iraiba Piſon. Palmæ ſpecies 1361
Iris ejúſque ſpecies 1180, &c. paluſt. lutea 1186
Iris bulboſa 1228, &c.
Iris uvaria prom. B. Sp. Stapel 1208
Irucaba 1789
Iſopyron Dioſcoridis Col. 705
Iſatis 842, 1887
Iſora murra H. M. 1765
Iſchæmon, i. Gramen dactylon 1271
Iva arthritica, i. Chamæpitys 574. moſchata Monſpelienſium ibid. Muſchata Rhætis, i. Millefolium 347
Ivabeba Piſon. 1877
Iva-pecanga, i. Sarſaparilla

pag.
Iva umbu Braſil. 1530
Jucaia arbor 1791
Juglans 1377, 1915
Jujuba 1533
Juncaria 211. Salmanticenſis 1033
Juncus ejúſque ſpecies 1303, 1304, &c.
Juncus bombycinus, v. Gramen toment. 1306
Juncus floridus major 701. minor 1913
Juncus odoratus, i. Schœnanthus
Junipappe cyma 1666
Juniperus ejúſque ſpecies 1411
Jupicai 1318
Juruma Marcgr. i. Pepo Braſil. 641. Jurumu
Jupicanga, i. Radix China 657
Juqueri, v. Herba viva
Jurepeba Marcgr. i. Solanum ſpinoſum 674
Juwb Amazonum Cluſ. 1794

K.

Kadali ſpecies 1493
Kaida H. M. i. Ananas Sylv. Acoſtæ 1442
Kaka-Toddali H. M. 1612
Kaka-Moullou H. M. 1745
Kaka-Niara H. M. 1571
Kali geniculatum 211, 1857. minus album 198
——fruticoſum S. Vermicularis frut. 199
——Spinoſum 212. majus ſemine cochleato ib.
Kali floridum repens aizoides Neapolitanum Col. 213. Ægyptiacum 1915
Kal-todda vaddi H. M. 1740
Kandel H. M. variæ ſpecies 769, 770
Kanden-Kara 1606
Perin-Kara 1546
Kannelli variæ ſpecies 1499
Kapa-mava, i. Cajous 1649
Kara-Angolam H. M. 1483
Kara-baka 1768
Kare-Kandel 1498
Karil H. M. 1564
Karin-kara H. M. 1668
Karin-niotti H. M. 1776
Karin-tagera H. M. 1735
Kari-vatti H. M. 1596
Katmer-Babour Turcarum Corn. i. Cyclamen 1205
Kasjavo-maram H. M. 1595
Katou-Conne 1746
Katou-Indel H. M. i. Palmæ ſpecies 1364
Katou-Kaleſiam 1643
Katou-Naregam 1463
Katou-Patsjotti 1572
Katou-Pulcolli 1765
Katou-Theka 1482
Katou-Tſjaka 1441
Kauki arbor 1781
Kedangu H. M. 1735
Keiri, i. Leucoium luteum 782, 783
Kermes granum 1392
Ketmia Syrorum Alceæ ſpecies 1066
Kikajon, i. Ricinus 166
Kiſmeſen 1718
Knawel Germanorum 213

L.

Lablab Alpini 888
Labrum Veneris, i. Dipſacus 38[illegible]
Laburnum, i. Anagyris 1721, 1919. Zeylanicum, v. Crotalaria
Lacca 1535
Lachryma Jobi S. Milium Arundinac. 1253
Lactuca ejúſque ſpecies 220, 1957. Sylv. 222

Lactuca

INDEX.

Pag.
Lactuca montana purpuro-cærulea 223
Lactuca marina 77. *agnina* 392. *ranarum* 189. *leporina i. Sonchus* 224
Ladanum 1008
Ladanum ſegetum i. Sideritis 566
Lagenulæ Americanæ 1668
Lagochymica Belli C. B. 970
Lagopus ejúſque ſpecies 948, 949
Lamium ejúſque ſpecies 559, *&c. ad* 562. *ad Hederam terreſtrem accedens* 351. *montanum Meliſſæ folio* 561. *Pannonicum alterum* Cluſ. *i. Scrophularia lutea* 765. *paludoſum Belgicum* 1872
Lampſana Dod. 256
Langoas
Lanigera arbor i. Goſſipium 1064
Lantana i. Viburnum 1590
Lantor 1359. *Palmæ ſpecies*
Lapathum ejúſque ſpecies 169, 170, *&c.*
Lapathum hortenſe ſemine ſpinoſo C. B. *i. Spinachia* 162. *unctuoſum i. Bonus Henricus* 195
Lappa major 332. *minor* 165
Lappula canaria J. B. *i. Caucalis* 467, *&c.*
Larix 1405
Laſerpitium ejúſque ſpecies 425, 1868
Lathyris major & minor 866. *Indic. fruteſc. fructu echinato i. Codi-Avanacu* 1710
Lathyrus ejúſque ſpecies 893, 894, 895, 896. 1891
Lavendula ejúſque ſpecies 512
Laureola ejuſque ſpecies 1587
Laurifolia Javanenſis C. B. *i. Mangoſtans* 1662
Laurus 1688. *Indica* 1690. *Americana* 1553. *Alexandrina* 663. *ſylveſtris S. Tinus* 1690
Lauro-ceraſus 1549
Lawang arbor 1803
Lechyas fructus.
Ledon ejúſque ſpecies 1005
Leguminoſa Æthiopica fol. Ruſci 1761
Lens ejúſque ſpecies 904, 905
Lenticula marina 72. *paluſtris* 118. 1852. *paluſtris latifolia punctata* 1324
Lentiſcus 1579. *Peruana i. Molle* 1582
Leo ferox 315
Leontopetalon 1326, 1912
Leontopodium i. Alchimilla 296
Leonurus Breyn. 563
Lepidium latifolium S. Piperitis 828. *glaſtifolium* 828, 840. *Dentellaria dictum* 394
Leucacantha Monſpelienſium Lugd. 1313
Leucographis i. Carduus lacteus 312
Leucoium bulboſum 1144, 1145. *unico & junceo folio* C. B. 1154
Leucoii incani variæ ſpecies 779, 780, 1885, 1886
Leucoium folio viridi, flore albo 781
—— *luteum ejúſque ſpecies* 782, 783
—— *flore minore variæ ſpecies* 786, 787
Leucoium ſiliquâ latâ 787. *melancholicum* 790, 791. *marinum parvum folio virenti craſſiuſculo* J. B. 793. *Africanum cæruleo flore, &c. paluſtre flore ſubcæruleo* C. B. 1325
Leucoma fructu Caſtaneæ Monard. 1832
Leviſticum S. Liguſticum 437
Libanotis coronaria i. Roſmarinum 515
Libanotis Theophraſti major & minor 427. *Aquilegiæ foliis* 438. *Ferulæ folio & ſemine* 421. *Galeni, ſeu Cachryophoros* 424. *nigra* Ger. 413. *minor Apii fol.* 449. *minor umbellâ candida* C. B. 454.
Lichen ejúſque ſpecies 117. *Lichen ſive Hepatica fontana* 125
Lici 1650
Pag.
Lignorum variæ ſpecies 1803, *&c.*
Lignum Aloes 1808. *Aromaticum* 1801. *Braſilium v. Braſilia arbor* 1736. *Colubrinum ejúſq; ſpecies* 1806. *Guaiacum* 1686. *Molucenſe* 1803. *Pavanum* 1803. *Nephriticum* 1804. *Rhodium* 1809. *Sanctum i. Guaiacum* 1686. *Sapou* 1737. *Teixo, ſeu Feixo.* 1810.
Liguſticum vulgare 437. *quod Seſeli Officinarum* J. B. 439. *fol. Angelicæ* 435
Liguſtrum ejúſque ſpecies 1603. *foliis laciniatis i. Syringa* 1763
Lilach i. Syringa ibid.
Liliaſphodelus 1191
Lilium ejúſque ſpecies 1110, 1904, 1905, 1915. *album* 1110. *flore reflexo S. Martagon* 1112. *Perſicum* 1106. *convallium* 667
Lilio-Narciſſus 1140, *&c.*
Limonium ejúſque ſpecies 395, 396
Limonio congener Cluſ. 1344, 1914. *Braſiliana* 1331
Limodorum i. Orobanche 1226
Limonia Malus 1656
Linaria adulter 399
Linaria ejúſque ſpecies 752, *&c. ad* 760, 1884. *aurea Tragi* 292. *Scoparia i. Belvedere* 210
Lingua avis i. Semen Fraxini 1703. *cervina i. Phyllitis* 134
Linum ejúſque ſpecies 1072, *&c. aquaticum* 118. *catharticum* 1076
Linoſyris nuperornm Lob. 292. *i. linaria aurea.*
Liquidambar 1848
Liquiritia i. Glycyrrhiza 910
Lithophytarana 1850
Lithoreoleucoium, Col. 781
Lithoſpermum ejúſque ſpecies 502, 503, *&c. linariæ foliis* 399. *arundinaceum* 1252
Lobus echinatus Moluccenſis 1744. *Ex Wingandecaouw* Cluſ. 1760. *Braſilianus magnus* 1773. *Braſil. alius craſſus, &c.* ibid. *magnus ex Guinea* ibid. *quadrangularis magnus* ibid. *cartilagineus ſeu membranaceus* 1774, 1775. *oblongus aromaticus & alii varii* 1775, *&c.*
Locos fructus 1792
Lolium 1262
Lonchitis aſpera 138
Lotus arbor 1483, 1917
—— *herba ejúſque ſpecies* 965, 966, 967. 1894. *hortenſis odora i. Melilotus* 950
Loti affinis 922
Lucumas fructus.
Luffa Arabum Veſling. *i. Pepo* 640
Lujula i. Trifolium acetoſum 1098
Lunaria ejúſque ſpecies 126. *radiata Robini* v. *Aſtragalus* 939. *flore luteo i. Leucoium* 788, 789. *biſcutata* J. B. 636
Lupinus ejúſque ſpecies 906, 907, 908. *Arabicus* 859
Lupulus mas & fœmina 156, 157
Luteola 1054
Lychnis ſylveſtris Behen album vulgo 998. *Chalcedonica* 992. *Segetum Vaccaria dicta* 999. *Segetum major, Pſeudomelanthium dicta* 998. *Lychnis Saponaria dicta* 999. *viſcoſa ejuſque ſpecies* 1000, *&c. Alpina glabra minor* 1003
Lychnidum variæ ſpecies 992, *&c. ad* 1004. *item* 1895, 1896
Lycium ejúſque ſpecies 1626
Lycopodium 120
Lycopſis v. *Echium* 698. *item* 1870
Lycoperſicon quorundam i. Pomum amoris 675
Lyſimachia ſiliquoſa ejuſque ſpecies 860, 861, 862, *&c. Indica non pappoſa i. Pſeudo-Caryophyllus.*

pag.
phyllus 1510. lutea Virginiana 862. lutea vulgaris ejúſque ſpecies 1021. galericulata 572, 573. purpurea ſpicata 1036. cærulea ſpicata, v. Veronica 845

M.

Macandou Bontii 1442
Maçarandiba 1525
Macer veterum 1779
Macis 1524
Macoxacotlifera arbor 1790
Macock Virginianum Peponis ſpecies 641
Macocqwer 1669
Macouna 888
Maguei 1199, 1200, 1201
Mahaleb 1549
Mail Anſchi H. M. Rhamni Malabarici ſpecies 1573
Mail Elou 1557
Katou-Mail-Elou 1557
Mail-Ombi 1500
Majorana ejúſque ſpecies 537, 538, 539. Syriaca vel Cretica, v. Marum, 526, 527.
Mala-Elengi 1637
Malabathrum 1563
Mala-Poena H. M. 1596
Mallam-Toddali H. M. 1597
Malleamothe ſeu Pavate 1581
Malvæ ſylveſtres annuæ 597, 1873. Sylveſt. perennes 599. hortenſes ſeu Roſeæ 600. arboreæ maritimæ 601. Veneta ſeu horaria 1067
Mala Æthiopica 673. inſana ibid.
Malus ſylveſtris 1448. domeſtica ſeu ſativa 1445
———— Armeniaca 1513
———— Aſſyria 1660
———— Arantia 1658
———— Aurea, i. Cydonia 1452
———— Citria 1654
———— Cydonia 1452, 1453
———— Limonia 1656
———— Medica 1654
———— Perſica 1516
———— Punica S. granata 1461, 1462
———— Indica pomo anguloſo (Carambolas) 1449
———— Indica fructu pentagono (Bilimbi) ibid.
Mamanga frutex Piſon. p. 183. Frutex eſt in Braſilia arboreſcens, ubique obvius, Luſitanorum vulgo Lavapratas dictus. Flores fert multos, pendulos & luteos, & poſt hos ſiliquas plurimas, oblongas, copulatas, primùm quidem virides, ſed mox nigras & putridas, & frequens ſemen in illis contentum. Folia habet Citriis haud diſſimilia, paullò tamen longiora & molliora, vulneribus atque ulceribus medendis Chirurgis expetita. Succus etiam oleoſus è Siliquis expreſſus ad maturanda apoſtemata reſervatur.
Mamay arb. 1665
Mambu Arundo 1315
Mamoëra, i. Pepo arboreſcens 1370
Manaca Marcgr. 1612
Mancinello 1646
Mandiboca Mandiiba 1683
Mandragora ejúſque ſpecies 668, 669
Mandsjadi H. M. 1752
Mandobi, 1833. v. Mundubi 919
Mandaru arb. H. M. 1751
Mangaiba Marcgr. 1644
Mangas 1550, 1551
Mangier blanco 1651
Mangle 1772
Mangaratia, i. Zingiber
Mangoſtans 1662

pag.
Mangue S. Mangle 1772
Manjapumeram H. M. 1698
Manicongo 1375
Manna, v. Fraxinus 1702
Manus marina 77
Manyl-Kara, i. Prunus Chinenſis 1565
Maracock ſeu Maracot, i. Flos paſſionis 649
Maragoſa Luſitanorum, i. Cucumis
Maranda Zeylan. Myrti ſpecies 1504
Marotti H. M. 1670
Marmelos, Marmelada 1454
Maratatabiba Marcgr. 1784
Maripendam 1759
Marrubium aquaticum 535. nigrum S. Ballote 571 album 555, 556, 557. Alyſſon dictum ib. nigrum Creticum Alp. 1872
Martagon S. Lilium montanum flore reflexo, 1112, 1113, &c. Canadenſe 1109. Chymiſtarum 1110. Pomponi 1114
Marum vulgare 520. Cortuſi 527
Maſarandiba Piſon. 1525
Maſſoy cortex 1802
Maſtiche gummi Lentiſcin. 1581
Mates fructus 1775
Mater herbarum, i. Artemiſia 372
Matricaria ejúſque ſpecies 357. foliis Abrotani C. B. 348. Alpin. fol. Chamæmeli ibid.
Matzatli Hernand. 1332
Matriſylva 483
Mayz Frumentum Indicum 1249
Mecaxochitl 1671
Mecapatli 656
Mechoachenna 723, 1881
Mechinum Zinziberi affine
Meconium, v. Opium 854
Medicæ cochleatæ ſpinoſæ & non ſpinoſæ variæ ſpecies 961, &c. ad 966. ſcutellata 961. doliata 962, 963. ciliaris 965. maritima ibid. orbiculata 962. lunata 966
Medica ſativa 961
Medium ſive Campanula Mariana 732
Meeru, i. Canna Indica 1202
Melampyrum ejúſque ſpecies 774, 775
Melandryon Plinii, i. Barba capræ 623, 709
Melanthium, i. Nigella 1070. odoratum 1345
Meleagris, i. Fritillaria 1108
Melenken 1654
Melianthus Africanus 1898
Melegueta 1205. Spuria 1825
Melica, i. Sorghum 1252
Melilotus ejúſque ſpecies 950, 951, 1893 quinta Tragi J. B. 925
Meliſſa ejúſque ſpecies 570. fruticoſa Sicula acetabulis Moluccæ 568. Moluccana ibid.
Melocactus 1467
Melo ejúſque ſpecies 644. aquaticus 647
Melocorcopali Scalig. 1793
Melongena 673, 674, i. Mala inſana
Melo-pepo, v. Pepo 646
Melochia J. B. v. Corchorus 1068
Melocotonca 1516
Mentha Corymbifera, v. Coſtus hortorum 363
Mentha ejúſque ſpecies 530, 531, &c. item 1870
Menthaſtrum ejúſque ſpecies 531
———— tuberoſa radice 549, 550
Mentha cattaria ejúſque ſpecies 531
Mercurialis ejúſque ſpecies 163. Sylveſt. Noli me tangere dicta 1328. Zeilanica 1854
Meſpilus vulgaris 1460. ſpinoſa ſive Oxyacantha max. Virginiana 1459, 1917. Aronia veterum 1458. humilis Cydoniæ folio, Cotoneaſter J. B.

INDEX.

Pag.
Metl Hernandez S. Aloë Americana 1201
Metel nux quorundam, i. Stramonium 747. Officina*rum* 1815
Meum ejúſque ſpecies 431. *Alpinum umbella purpuraſcente* C. B. 453
Mezereon Germanicum, i. Laureola 1587
Micambe Angolenſium 1329
Milium ejúſque ſpecies 1250, 1251. *Arundinaceum Sorgo nominatum* 1252. *Arundinac. Lachryma Jobi dictum* 1253, 1908
Milium Solis, i. Lithoſpermum 502, 503
Militaris Aizoides, i. Stratiotes 1324
Milleſolium terreſtre ejúſque ſpecies 344, *&c. aquaticum umbellatum* 459. *aquat. minus* 1322. *aquat. dictum Viola aquat.* 1101. *paluſtre galericulatum* 1322. *aquat. pennatum ſpicatum* 191. *aquat. cornutum* ibid. *aquat. Ranunculi flore & capit.* 586
Millegrana major 214. *minima, Alſines ſpecies* 1026
Mimoſa ejúſque ſpecies, i. Æſchynomene 979. *Kal-Todda-vaddi dicta* H. M. 1740
Minari H. M. 1733
Mippi 1795
Mirabilis Peruviana 397, 398
Miracaiba Piſon. 1362
Miriti Piſon. *Palmæ ſpecies* ibid.
Mizquitl, Hern. *i. Acacia*
Modagam H. M. 1644
Modera-canni 1470
Mogori flores 1811
Molago-maram 1543
Molle arbor 1582
Mollugo montana 481
Melon Plinii, i. Filipendula 613
Moluca 568
Herba Molucana Acoſtæ 352
Moly ejúſque ſpecies 1119, 1120, 1121, 1122, 1123
——— *Moſchatum* 1119
Momordica, i. Balſamina mas 647
Monophyllum 668
Monorchis 1217
Mora rubi 1639
Moringa 1745
Morſus Diaboli, i. Succiſa 380
——*gallinæ major, La mii ſpecies* 560
—— *minor Veronicæ ſpecies* 848
——*ranæ, i. Nymphæa min.* 1320
Morus ejúſque ſpecies 1429
Moſchatellina 684
Moul-Ila S. Elavo H. M. 1658
Moul Elavou S. arbor lanigera ſpinoſa H. M. 1898
Moullava 1752
Mourouve 1540
Mucuitaiba & Mocitaiba Marcgr. 1782
Mucuna guacu Piſ. 1889
Mugo Pini ſpecies 1399, 1400
Mundubi Marcgr. *i. Aracus* [illegible] 919
Munduy-güacu Piſ. *i. Ricinus Americ.* 166
Mulla H. M. *i. Jaſminum* 1600, 1601, *&c.*
Muiva Braſilienſ. 1648, 1501
Mungo, Col. 955, 1831
Mureci Piſon. 1632
Murucugifera arbor 1789
Murucuia, i. Flos Paſſionis 649, 1874
Muſa arbor 1373
Muſcari Hyacinthi ſpecies 1161
Muſcipula Lob. 1000. *muſcoſo flore* 1001
Muſcus ejúſque ſpecies 112, *&c. ad* 124. *item* 1851. *marinus* 65. *item* 78, 79. *corniculatus* 113. *coralloides* 114. *Iſlandicus* 115. *clavatus* 120. *erectus abietiformis* 121. *terreſtris vulgaris* 112. *aquaticus terreſtri ſimilis* 122. *Filicinus* ib. *pyxioides* 114. *arboreus, Uſnea* Officin. C. B. 114. *arboreus cum orbiculis* ibid. *pulmonarius* 116
Muttellina J. B. 453
Myagrum ſativum 820. *monoſpermon* 838. *Siliqua longa S. Camelina* 811. *exotic.* 1887
Myoſotis, i. Auricula muris 242, 243
Myoſotis Scorpioides 656
Myoſuros 1332
Myrica vulgo, i. Tamariſcus 1704
Myrobalanus ejúſque ſpecies 1531, 1532
Myriophyllon pelagicum Cortuſi Cluſ. 69
Myriophyllon, i. Milleſolium 344
Myrrha 1841
Myrrhis ejúſque ſpecies 430, 431. *ſylveſtris ſeminib. aſperis* 432
Myrtogeniſta Cap. B. Spei Breyn. 1731
Myrtus ejúſque ſpecies 1501. *Brabantica* 1707
Myrtidanum 1503
Myrtillas, i. Vitis Idæa 1480
Myxa, i. Sebeſten 1555

N.

Nagam H. M. 1753
Nalugu H. M. 1635
Nanas, i. Ananas 1332
Nandi Ervatam 1785
Napeca S. Nabca, i. Oenoplia 1534
Napellus ejúſque ſpecies, i. Aconitum 702
Napobraſſica 797
Napus 801
Narciſſus ejúſque ſpecies 1130, 1131, *&c. ad* 1140. *tubo longiſſimo S. Bulbocodium & Pſeudo-Narciſſus* 1130. *mediæ longitudinis* 1131. *brevi calice Monanthes* 1133. *brevi calice Polyanthes* 1130. *juncifolius* 1037. *Japonicus* 1142. *Indicus S. Lilionarciſſus* 1141, 1142. *maritimus, i. Pancratium* 1140. *Indicus bifolius, ſerpentarius* Column. 1126. *Autumnalis* 1143
Narciſſo-colchicum, v. Colchicum 1143
Nardus agreſtis, i. Aſarum 207. *Celtica* 391. *Indica ſeu ſpica* 1910
Naregam 1656
Narthecium Theophr. i. Ferula 420
Narumpanel H. M. 1636
Naſturtium ejúſque ſpecies 825, 1886. *aquaticum* 814. *aquatici & Alpini variæ ſpecies* 814, 816, 817. *petræum, i. Burſa paſtoris min.* 827. *Valentinum* Cluſ. 826. *verrucoſum, i. Coronopus Ruellii* 843. *hybernum* 809
Naſturtium Indicum 487, 1869
Natrix Plinii 958
Nedum-Schetti H. M. 1500
Negundo 1575
Neiemelſalib Gramen 1272
Nela-poulli 1450
Nepa S. Scorpius, i. Geniſta ſpinoſa 1729
Nenuphar S. Nymphæa 1319
Nepeta ejúſque ſpecies 548, 549
Nerion S. Rhododendron 1767
—— —— *Alpinum S. Ledum Alp.* 1005
Nhambi Marcgr. 1346
Nhandu Marcgr. *i. Piper longum* 1343
Nicotiana ejúſque ſpecies 713
Nhua Braſil. 1530
Nidus avis, i. Orobanche 1228
Nigella ejúſque ſpecies 1070, *&c.*
Nigellaſtrum, v. Lychnis ſegetum 998
Nil ſive Anil, i. Indigo 926

pag.
—— *Arabum, i. Convolvulus* 722
Nilica maram H. M. 1556
Niir-Pongelion H. M. 1764. *Niir-Notsjil* 1573
Nimbo Garciæ & Acostæ 1545
Ninzin radix Chinenſ. 1338, 1912
Niruala H. M. 1644
Niruri H. M. 1635
Perin Nirouri H. M. 1558
Nochez.nopalli Hern. *i. Ficus Opuntia* 1463
Nochtli Hern. ibid.
Noela-tali, i. Berberis Indica 1606
Noli me tangere, i. Balſamina, &c. 1328
Nola-Ily, i. Bambu Arundinis ſpec. 1316
Cara-Noſi & Bem-Noſi H. M. 1575
Nuciperſica 1516
Nummularia ejúſque ſpecies 1099, 1903
Nux Avellana, v. Corylus 1379
—— *inſana* 1529
—— *Juglans ejúſque ſpecies* 1377, 1915
—— *Juglans Virginiana nigra* ibid. & 1798
—— *moſchata ejúſque ſpecies* 1522
—— *veſicaria, i. Staphylodendron* 1681
—— *Vomica Officin.* 1814
Nucula terreſtris, i. Bulbocaſtanum 440
Nyalel H. M. 1606
Nyara H. M. 1499
Nymphæa ejúſque ſpecies 1319, 1320

O.

Ochrus S. Ervilia Dod. 899
Ocymaſtrum Valerianthos Lob. *i. Valeriana rubra* 389. *Verrucarium* Geſn. *i. Circæa* 401. *Valentinum* Cluſ. *i. Marrubii ſpecies*
Ocymoides ejúſque ſpecies 994, 995. *Lychnitis* Col. 1031
Ocoloxochitl Hern. 1165
Ocymum ejúſque ſpecies 540, 541, 1871. *Cereale, i. Fegopyrum* 181
Odallam H. M. *i. Manga venenata* 1552
Odontis quibuſdam J. B. *v. Lychnis* 1000
Odontitis lutea Valerandi J. B. 472
Oenanthe aquatica 440, 441. *Myconi, i. Ranunculus* 588
Oenoplia 1535
Oepata H. M. 1566
Ogegba
Olea ſativa 1540, 1541, 1542. *Sylveſtr.* 1544. *Bohemica* 1576
Oleander ejúſque ſpecies, i. Nerium 1767, 1918
Olibanum S. Thus 1840
Olyra 1243
Olus atrum, i. Hippoſelinum 438
—— *Hiſpanicum, i. Spinachia* 162
—— *Judaicum* 1063
Onobrychidis variæ ſpecies 936, 937. *Semine clypeato aſpero* 929. *ſemine clypeato lævi* C. B. 927. *incana fol. longiorib.* C. B. 928. *incana fol. ſubrotund.* C. B. ibid. *Caput gallinaceum dictum* 914. *arvenſis, i. Speculum Veneris* 742
Onagra, i. Lyſimachia ſiliquoſa 861
Onbou 1790
Ononis S. Anonis 957, 958, &c.
Onopordum, i. Cardui ſpecies 313
Onopteris Ger. 152
Ophiogloſſum 126
Ophioſcorodon quibuſdam 1220
Ophris bifolia ejúſque ſpecies 1232
Opium 854
Opoponax 410
Opulus Ital. 1701
pag.
Opuntia ejúſque ſpecies, i. Ficus Ind. 1463. *marina* 77
Orchis ejúſque ſpecies 1212, 1213, &c. 1907. *teſticulata* 1212, &c. *palmata* 1223. *abortiva, i. Nidus avis* 1228. *Anthropophora* 1218. *Melittias & Sphegodes* 1220. *Myodes* 1219. *fœtida ſeu Tragorchis* 1212. *Arachnitis* 1222. *Batrachites* ibid. *Ornithophora* 1222. *hermaphroditica* ibid.
Oreoſelinum 413
Oregioella Cluſ. 1671
Origanum ejúſque ſpecies 539, 540. *fiſtuloſum Canadenſe* 380
Origano congener Zatarhendi 1871
Orleana S. Orellana, i. Urucu 1771
Ornithogalum ejúſque ſpecies 1150, 1905
Ornithopodium ejúſque ſpecies 931, 932
Ornithopodio affinis Stella leguminoſa 938
Ornus, i. Fraxinus ſylveſt. 1702
Orobanche ejúſque ſpecies 1226
—— *major radice dentata* 1229
Orobus ſativus 915. *ſylveſt. ſiliquis erectis* 912, 913. *ſylv. ſiliquis propendentibus* 916, 917, 1892
Orvala Dod. i. *Sclaræa* 543
Orucoria fructus 1776
Oryza 1246. *Germanica* 1243
Oſmunda regalis, i. Filix florida 151
Oſtrea in arboribus 1772
Oſtrya Ulmo ſimilis, v. Carpinus 1428
Oſyris fruteſcens baccifera 1489
—— *Græcorum* 210
Otites Tab. *i. Seſamoides Salamunticam mag.* 1002
Oxalis ejúſque ſpecies, v. Acetoſa 178, 179
Ovajerova 1791
Oxya Græcorum i. Fagus 1381
Oxyacantha 1458. *Virginiana* 1795, 1799
Oxyacanthus Galeni, i. Berberis 1605
Oxycedrus 1413
Oxycoccos, i. Vaccinia paluſtria 685
Oxylapathum 173. *tuberoſ. American.* Munt. 169
Oxymyrſine, i. Ruſcus 664
Oxys S. Trifolium acetoſum 1098

P.

Pacal arbor 1802
Paco-caatinga Marcgr. *Cannæ Ind. Sp.* 1202
Paco-caatinga ejuſdem 1540
Paco-ſeroca Cannæ Ind. ſpecies 1203
Pacourii 1792
Pacoeira, i. Muſa 1374
Padri H. M. 1750
Padus Theophr. i. Ceraſus avium 1549
Paenoe 1482
Paianelli H. M. 1741
Palega-Paianelli ibid.
Pai-Paroea 1624
Pæonia ejúſque ſpecies 693, 694, &c.
Paiomirioba Senæ ſpecies 912
Pala 1749
Paliurus folio Jujubino 1708
Palma S. Manus marina 77
—— *Chriſti, i. Ricinus* 166. *Orchis palmata* 1223
Palma dactylifera 1352, 1353, 1354, &c.
—— *prunifera Japonica, Todda Panna* 1360
—— *coccifera, Tenga* 1356
—— *humilis S. Chamærrhiphes* 1369
Palmarum variæ ſpecies 1353, &c. ad 1382
Palmapinus Lob. 1675
Palma ſaccifera Cluſ. 1370
Paltifera arbor 1789
Paludapium S. Apium paluſtre 447

INDEX.

pag.
Panem-Palka H. M. *i. Nux Myriſtica* 1524
Panaces κάρπιμον Corn. 661
Panax Herculeum majus Ger. 410. *Paſtinacæ folio* ibid. *Sphondylii folio ſive Heracleum* C. B. 409. *Aſclepium alterum* Dalech. 417. *Guilandini* ibid. *Aſclepium Apulum* Col. 418. *Siculum ſemine hirſuto* Boccon. 464. *moſchatum* Cornut. 417
Pancratium, i. Narciſſus maritimus 1140. *verum, i. Pcilla* 1164
Panja panjala H. M. *Goſſipii arboris ſpec.* 1899
Panicum ejúſque ſpecies 1246
Panitsjica maram H. M. 1666
Panis porcinus, i. Cyclamen 1205
Papaver ejúſque ſpecies 853, 854, 1807. *Rhœas* 855. *ſpinoſum* 856. *corniculatum* 857. *ſpumeum, i. Lychnis* 998
Papaya, i. Pepo arboreſcens 1370
Papyraceæ arbores variæ 1796
Papyrus Nilotica 1302
Paralyſis, i. Primula veris 1008
Parapar fructus 1827
Pararò Piſon. *Battatæ ſpecies*
Paratura gramen, v. Piſonem
Parietaria ejúſque ſpecies 205. *cærulea quorundam, i. Melampyrum* 775
Parili 1557
Pariti, i. Alcæa Indica ejúſque ſpecies 1070
Paronychia vulgaris 789. *Hiſpanica Cluſii, i. Polygonum niveum* 185. *rutaceo folio* 1043
Parthenium, i. Matricaria 357
Paſſerina Tragi 399. Lob. 1076
Paſtinaca ejúſque ſpecies tenuifoliæ 464, *&c.* 1869. *latifoliæ* 409. *marina, i. Crithmum ſpin.* 469
Payco 1889
Perin-Patsjotti H. M. 1428, 1624. *Acara-Patsjotti* 1572
Patientia 171
Pavana lignum 1803
Pavanum lign. i. Paſſafras 1568
Pavate, Pavetti 1581
Patheca, i. Melo aquat. 647
Pecten Veneris, i. Scandix 428
Pedicularis ejúſque ſpecies 769
Pelou, i. Guayava 1455
Penna marina aurea 86
Peno abſou arbor 1803
Pentaphylloides 616
Pentaphyllum ejúſque ſpecies 610, 611, 612, 613. *Piliquoſum* 859
Pepitas del Peru 1831
Peplus Tithymali ſpecies 869
Peplis J. B. ibid.
Pepo ejúſque ſpecies 639, 640, 1874
Pepo arboreſcens 1370
Pequea S. Pekia ſecunda Piſon. 1663, 1793
Peragu 1571
Perchepier Anglorum 209
Perfoliata ejúſque ſpecies 471, 472, 473. *Siliquoſa ſa Braſſicæ ſpecies* 797
Periclymenum ejúſque ſpecies 1490. *rectum* 1491, 1918. *parvum Prutenicum* Cluſ. 655
Perin-Panel H. M. 1625
Perin-Courigil H. M. 1758
Perſea arbor 1552
Periploca, i. Apocynum 1087
Perſica malus ejúſque ſpecies 1516
Perſicaria ejúſque ſpecies 182, 183, *&c. Salicis falio Potamogiton dictum* 184. *Siliquoſa* 1328
Perſonata, i. Lappa major 332
Pes Anſerinus, i. Atriplex 197
Pes Aſini Pandectarii, i. Alliaria 792
pag.
Pes Columbinus, i. Geranium malacoides 1059
Pes Leonis, i. Alchimilla 208
Petaſites ejúſque ſpecies 261, 1858
Petromarula Cretica, i. Rapunculus 737
Petroſelinum vulgare 448. *Macedonicum* 463
Petum, i. Nicotiana 713. *Petume Braſilienſibus*
Peucedanum minus 460. *majus* 417
Pevetti H. M. 1632
Phagus Græcorum Quercûs ſpecies 1386
Phalangium ejúſque ſpecies 1192. *Virginianum ejúſque ſpecies* 1193
Phalaris 1248. *pratenſis* 1274
Phaſeoli variæ ſpecies 884, *&c. ad* 889, 1889. *Æthiopicus* 887. *Zurratenſis* ibid. *purgatrix* 1776, 1777. *arboreſcens* Cajan *dictus* 1722. *Ægyptius* Leblab 888. *Orthocaulis,* Mungo Col. 955. *alatus* Abrus 889. *Braſilianus* Macouna *dictus* 888, 1889
Phellandrium. i. Cicutaria 452
Philadelphus Athenæi 1763
Philanthropus Plinii, i. Aparine 484
Phillyrea ejúſque ſpecies 1585
Phlomos Lychnitis Dioſcoridis Cluſ. 511. *Lychnitis Pyriaca* Ger. emac. 993
Phœnix Lolio ſimilis 1263
Photel 1375
Phu, i. Valeriana 388
Phylica ejúſque ſpecies, i. Alaternus 1608
Phyllitis ejúſque ſpecies 134, 1853
Phyllum teſticulatum & ſpicatum 163. *Thelygonon Dalechampii* J. B. 789
Phyteuma Monſpelienſium, i. Reſeda 1033, 1034
Picea Latinorum 1396
Pila marina 83
Pilipoc Philippin. inſul. 1792
Piloſella major repens 242, 243. *erecta* 241. *Piliquata Thalii* 800
Pimpinella ejúſque ſpecies 401, 402, 1857. *ſpinoſa* 1492. *Agrimonoides* 402. *ſpicata max. Africana* 1000
Pimpinella Paxifraga ejúſque ſpecies 445, 1868
Pimpinichi 1794
Pindova Palmæ ſpecies 1361
Pindaiba 1593
Pinguicula Geſneri 751
Pino, i. Urtica Braſiliana 159
Pinea Indica, i. Ananas 1332
Pinei nuclei Malucani, S. purgatorii 1830
Pinoguaçu Piſon. *i. Pepo arboreſcens* 1370
Pinaſter, v. Pinus 1400
Pinus ejúſque ſpecies 1398, 1399
Piper ejúſque ſpecies 1341, 1914. *Æthiop.* 1778. *odoratum Jamaicenſe, i. Piper Tavaſci* Hernand. 1507. *Indicum ejúſque ſpecies, v. Polanum & Capſicum* 676, 677
Pipa arbor Chinenſ. 1788
Piperitis, i. Lepidium 828
Piſtacia 1682
——— *Pylveſtris* C. B. *i. Staphylodendron* 1681
Piſtolochia, v. Ariſtolochia 763, 1884
Piſum ejuſque ſpecies 891, 1891. *veſicarium cordatum, i. Cor-Indum* 487
Pitine Anguillaræ, i. Aphaca 389
Pitoma Marcgr. 1663
Pityuſa, i. Tithymalus Pineus 867
Pix 1402
Planta lactaria Africana 1915
Planta ſcandens hederaceis foliis 1914
Plantago ejuſque ſpecies 878, 879, 880, *&c.* 188
——— *aquatica* 618
——— *aquatica ſtellata* 701

pag.
Plantaginella paluſtris 1077
Platanus Orientalis 1706. *Occident.* 1707, 1919. *Indicus duplex* 1791
Plegmaria mirabilis Breyn. *i. Selago* 1852
Plumbago Plinii Ger. 394
Pneumonanthe Ger. *i. Gentiana paluſt.* 739
Pocatsjetti 1711
Poerinſii H. M: *Arbor Saponaria* 1548
Polemonium petræum Geſneri J. B. *v. Lychnis viſcoſa, &c.* 1001
Polemonium, i. Trifolium fruticans flore luteo
Polium montanum ejúſque ſpecies 524. *Gnaphaloides Alpinum* 295
Polyacanthus Caſabonæ J. B. 315
Polygala vulgaris 1335
Polygala Valentina Cluſ. 924. *Polygala major Maſſiliotica* C. B. 925. *dumetorum flo. vario, ſiliquis articulatis* C. B. 925. *Indica minor, Colinil* H. M. 1734. *Polygalo Geſneri affine Caput gallinaceum* 928. *Cortuſi* J. B. 925
Polygonatum ejúſque ſpecies 664, 665, *&c.*
Polygonum ejúſque ſpecies 184, *&c. item* 212, 213. *bacciferum* 1638. *fœmina* Dod. *v. Equiſetum* 129. *niveum* 185. *cocciferum Polonicum* 186. *puſillo vermiculato Serpylli folio* Lob. 214. *Knawel dictum* 213
Polypodium ejúſque ſpecies 136, 137. *Braſilianum* Marcgr. 142. *Indicum* Breyn. 135, 136
Polyrrhizos Ariſtolochia 763, 1884
Polytrichum aureum ejúſque ſpecies 123
Pomum Adami, v. Malus Limonia 1660
Pomum amoris 675. *item* 1877
Ponga H. M. 1441
Pongam 1733
Pongelion H. M. 1753
Ponnagam 1496
Tsjerou-Ponnagam 1611
Ponna 1525
Tsjerou-Ponna 1537
Pōpulus ejúſque ſpecies 1417, 1418
Pori Corallio affines 63
Porrum ejúſque ſpecies 1226. *Sectivum juncifolium* 1117
Portulaca aquatica Ger. 1035
Portulaca ejúſque ſpecies 238, 239
Potamogiton, ejúſque ſpecies 188, 189
Poterio affinis Pimpinella ſpinoſa 1492
Poterion Dioſcoridis, i. Tragacantha 933, 934
Potentilla, i. Argentina 617
Poualetsja H. M. 1634
Praſſium, i. Marrubium album 555
Priapeia Geſn. *i. Nicotiana Anglica* 715
Primula veris ejúſque ſpecies 1080, 1081, *&c.*
Prunella ejúſque ſpecies 551, 552, 1871
Prunus ejúſque ſpecies 1526, *&c. ſylveſtr.* 1527. *inſana* 1529
Pruno ſylveſtri affinis Canadenſis C. B. 1782
Pſeudo-aſphodelus paluſtris 1194, 1195
Pſeudo bunias, i. Barbarea 309
Pſeudo-capſicum Dod. *i. Solani ſpecies* 673
Pſeudo-chamæbuxus, i. Anonymus flo. Coluteæ Cluſ. 1733
Pſeudo-coſtus flo. lut. J. B. *i. Panax Heracl.* 409, 410
Pſeudo-cyperus Lob.
Pſeudo-dictamnus 557
Pſeudo iris Dod. *i. Iris paluſtris lutea* 1186
Pſeudo-digitalis Perſicæ foliis Bocc.
Pſeudo-melanthium, i. Lychnis ſegetum 999
Pſeudo-orchis 1226
Pſeudo-narciſſus, S. Narciſſus tubo longiſſimo Bulbocodium J. B. 1130
Pſeudo-nardus, i. Lavendula 512
Pſyllium ejúſque ſpecies 881, 882
Ptarmica ejúſque ſpecies 344. *Auſtriaca* 287. *Alpina fol. Matricariæ* 1864
Ptarmica foliis profundiùs ſerratis, lætè viridibus elatior Herman. Cat. App.
Ptarmica Alpina incanis ſerratis foliis ejuſdem ibid.
Ptarmica Rhaphani aquatici folio amplo rubello D. Watſii ejuſdem ibid. *omiſſa in Hiſt. noſt.*
Puchaminifera Virginiana 1792
Pulegium ejúſque ſpecies 533
Pulmonaria arborum, i. Muſci ſpecies 116
——— *flore luteo, i. Hieracium* 240
——— *maculoſa, S. Symphytum* 488, 489
——— *Gallorum* 238
Puls 1240
Pulſatilla ejúſque ſpecies 633, 634, *&c.*
Pycnocomos 315
Pyracantha 1459
Pyramidalis, v. Campanula 738
Pyrethrum Bellidis flore 353
——— *Umbelliferum* 462
Pyrola ejúſque ſpecies 1233
——— *Alſines flore Europæa* 1101
Pyrus ſativa ejúſque ſpecies 1450
——— *Sylveſtris* 1451
Pyri ſylveſt. facie frutex Braſil. 1785
Pytahaia 1793
Pycielt Hern. *i. Nicotiana* 713

Q.

Quabyyaa 1793
Quadrifolium hortenſe album, v. Trifolium
Quadrifolium Perſicum Zanoni 1103
Quamoclit, i. Convolvulus 730
Quera-iba Braſil. Marcgr. 1769
Quercus ejúſque ſpecies 1385, 1916
——— *marina, i. Alga* 68
Quinquefolium ejúſque ſpecies 610, 611, 612, *&c.*
Quingombo 1068, 1900
Quinquina, i. Arbor febrifuga 1796
Quinua Cluſ. *Amaranti ſpecies* 201
Qaity Braſilienſibus 1548
Quyee, i. Piper Indicum S. Capſicum 676

R.

Radicula Dod. 804
Radix S. Helenæ 1339
——— *cava* 975
——— *cava minima* Ger. 684
——— *Idæa, i. Uva urſi* 1489
——— *Rhodia* 684
——— *Urſina, i. Meum* 431
Rancena-pou-maram H. M. 1635
Ranunculus ejúſque ſpecies 581, 582, *&c. item* 1872, 1873. *pratenſis & arvenſis* ibid. *nemoroſus dulcis* 584. *echinatus* 585. *paluſtris* ibid. & 586. *flammeus* 587. *gramineus* ibid. *montanus* 588, 589, 590. *grumoſa radice* 591. *Aſiaticus grumoſa radice* 592, 593, 594. *flammeus* 586
Ranunculus nemoroſus, v. Anemone nemorum
——— *rutaceo folio* 596
——— *flore globoſo* 700
Rhaphanus ejúſque ſpecies 804, 805
——— *ruſticanus* 818
——— *aquaticus* ibid.
Raphaniſtrum 1887
Rapiſtrum flore luteo, i. Sinapi 803, 804
——— *flo. albo, Siliquâ articulatâ* 805

pag.
——— maximum monoſpermon 840
——— Italicum ſiliquis longiſſ. i. Eryſimum 811
——— flore Leucoii marini ibid.
Rapum ſativum 800, 801
———Geniſtæ 1227
———Braſilianum alterum C. B. i. Yam Peru 729
Rapunculus ejúſque ſpecies 743, 744, 745, &c. Braſilienſis tuberoſus 1334. galeatus ejúſque ſpecies 746, 747. eſculentus 739. pyramidalis, v. Campanula 738. Alopecuroides 743. corniculatus 744. umbellatus 745
Regina prati, i. Ulmaria 623
Reſeda ejúſque ſpecies 1033
Reſina ejúſque ſpecies 1401
Reticulum marinum 78
Rhabarbarum Officinarum 170. Monachorum S. Patientia 171. lanuginoſum, &c. 1077
Rhaphanus, v. Raphanus
Rhaponticum anguſtifolium 331. capitatum fol. Enulæ ibid.
Rhamnus ejúſque ſpecies 1592, 1918. Catharticus 1625
Rhodia radix Telephii ſpecies 690
Rhododendron ejúſque ſpecies 1767
Rhus folio Ulmi 1490
———Myrtifolia Monſpeliaca 1698
———Virginian. Lentiſci folio 1799
——— Myrtifolia Belgica 1707
Ribes ejúſque ſpecies 1584
Ricinus ejúſque ſpecies 166, 1855, 1856
Ribau J. B. v. Ocimum 941
Robur ejúſque ſpecies 1386
Roccella Fuci ſpecies 74
Rorella, S. Ros Solis 1101
Roſa ejúſque ſpecies 1467, 1468, 1469, 1470, &c. moſchata 1474. Pomifera 1472. canina ſeu ſylveſtris 1470
Roſa Sinenſis Ferrarii 1069. Alpina Geſn. 1005. Hierichontea 1711
Roſmarinus ejúſque ſpecies 515
——— Sylveſtris quorundam 1006
——— Stæchadis facie Alpini 1335
Ros Solis ejúſque ſpecies 1101
Rotang Arundo 1316
Rubia tinctorum 480. quadrifolia 478, 479, 1869. cynanchica 485. ſpicata ibid. Sylv. aſpera Ravennenſis Zan. 486
Rubus ejuſque ſpecies 1639
———Idæus 1640
Rubi facie ſenticoſa planta Lob. 1641
Rucma 1831
Ruſcus 664
Rumphal 1211
Ruta ejuſque ſpecies 874, &c. 1888
Ruta canina, Scrophulariæ ſpecies 766
Ruta capraria, i. Galega 911
Ruta ſylv. Hypericoides, i. Hyperici ſp. 1020
Ruta muraria, i. Adiantum album 146
Ruta pratenſis, i. Thalictrum 403

S.

Saamouna Piſon. 1761
Sabdariſſa, i. Alceæ ſpec. 1067
Sabina ejuſque ſpecies 1415, 1916
———ſylv. Trag. 120
Sabucaie
Saccharum 1278
Sagapenum 1843
Sagitta ejuſque ſpecies 619
Sagittaria cordialis Marcgr. 921

pag.
Sagoü, S. Zagou Panis Indicus ex Palma 1360
Salicornia, i. Kali genic. 211
Saliunca Neapolit. 391
Salix ejuſque ſpecies 1419. caprea 1422. pumila ejuſque ſpecies ibid. & 1420, 1421, 1916
Salix marina 69
Salſaparilla 656
Salvia ejuſque ſpecies 509, 510, &c. item 1870. agreſtis, i. Scorodonia 576. Salvia vitæ, i. Adiantum album 146
Sambac, i. Syringa Arabica aut Jaſminum 1763
Sambucus ejuſque ſpecies 1609, 1610, &c. humilis S. Ebulus 1611. Indica Bontii 1606
Sambucus aquatica 1586. Roſea ibid.
Samolus Valerando J. B. 1101
Samparantan 1744, 1825
Sampſuchus, i. Majorana 537
Samſtravadi Jambos ſylv. ſpec. 1479
Sanguis Draconis herba, i. Lapathum San. 174
Sanguis Draconis gummi 1598
Sanamunda 1588
Sanamundæ tertiæ Cluſ. affinis, &c. 1781
Sanguiſorba ejuſque ſpecies, i. Pimpinella 401
Sanicula Officin. 475
———Alpina guttata 1047, 1896
——— Alpina S. Auricula urſi 1083, 1084
——— Eboracenſis Ger. 751
Santalum ejuſque ſpecies 1805
Santolina vulg. v. Abrotanum 359. flore amplo 208
Sapinus, Abietis pars aut Pini ſpecies 1394
Saponaria ejuſque ſpecies 999
Sapou lignum 1737
Saponariæ ſphærulæ 1548
Sarcocolla 1847
Sargazo, i. Lenticula marina ſerrata 72, 1850
Saſſaf Syrorum 1424
Saſſifica Italorum 252
Saſſafras arbor 1568, 1918
Satureia ejuſque ſpecies 518, 1870
Satyrium v. Orchis 1212, 1213, 1214, 1215, &c.
Saxifraga Anglica S. Seſeli pratenſe 453. alba 1048, 1049. aurea 207, 1857. paluſt. Anglica 1032. Antiquorum 1033. altera Alpin. 1035: Venetorum Lob. 413. multifido folio Pannonicum 461. Anglica Alſinefolia 1026
Saxifragia hircina S. Pimpinella Saxifraga 445, 446
Scabioſa ejuſque ſpecies 374, 375, &c. ad 381. item 1866. Indica arborea 1443. Africana arborea 1444
Scabioſa ovilla dicta, v. Rapunculus 744
Schageri-Cottam 1553
Schem-Pariti 1068
Scammonea Syriaca 722
———Monſpeliaca 1087
Scandix 428
Scariola, i. Intybus 254
Scherunam-cottam H. M. 1623
Schetti H. M. 1573
Schorigenam H. M. i. Urtica Indica 159
Schœnanthus 1310
Schænopraſſum 1117
Schulli H. M. duæ ſpecies Pana-Schulli & Niir-Schulli 1766
Schunda pana H. M. 1365
Scilla ejuſque ſpecies 1164
Scirpus ejuſque ſpecies, i. Juncus 1303, 1281
Sclaræa, i. Horminum vulgare 543
Scolopendria vulgaris 139. 136
———Indica Breyn.

pag.
Scolymus ejuſque ſpecies, i. Cinara 299
——— Chryſanthemus 258, 259
Scoparia, i. Belvedere 210
Scordotis 576
Scordium ibid.
Scorodonia ibid.
Scorodopraſſum 1121
Scorodotblaſpi Aldrovandi J. B. 834
Scorpioides Bupleuri folio 930, 931
Scorpioides leguminoſa 931. Portulacæ folio C. B. 957
Scorpius ejúſque ſpecies 1729
Scorzonera ejúſque ſpecies 248, 249, &c.
Scrophularia ejúſque ſpecies 764, 765, 1884
——— minor J. B. i. Chelidonium min. 579
Scutellaria 572
Sebeſten 1555
Secacul Arabum Lugd. i. Paſtinaca Syriac. 443
——— Ang. i. Crithmum ſpinoſum 469
Secale 1241
Secamone, i. Apocynum 1087
Securidaca lutea major C. B. 921. Pennæi 928. Sicula ſiliquis foliaceis 935. lutea minor ſiliquis recurvis 936. ſiliquis planis utrinque dentatis 939. dumetor. major, flo. vario ſiliq. articulatis C. B. 925
Sedum arboreſcens Bontii 1585. arboreſcens Stapelii 1878. majus arboreſcens J. B. 687. majus vulgare aliæque Sedi majoris ſpecies 687, 688, 1878
Sedi minoris vaſculo bicorni ſpecies variæ 1040, 1041, 1042, 1043, 1044
Sedum minus ſtellatum ſeu echinatum 691, 692, 1879
Sedum ſerratum 1045, 1896. Alpinum quartum Cluſ. 1085. tridactylites 1043. tridact. tectorum ibid. minus fruticoſum C. B. i. Kali frut. 199
Sel Serapionis 1831
Selago Indiæ Orient. Breyn. 1852
Sempervivum ejúſque ſpecies, v. Sedum 687. marinum bacciferum 1877
Senecio ejúſque ſpecies 290, 1861. arboreſcens Virginium. Atriplicis folio 1799
Senna Alexandrina 1742. Occidentalis Paiomirioba dicta 912. Orientalis hexaphylla 1743
Seriphium v. Abſinthium 370
——— Germanicum, i. Sophia Chirurg. 812
Serpentaria triphylla, v. Arum 1208, 1209
——— Virginian. i. Polyrrhizos 763
——— item Pulegii ſpecies 544, 1212
Serpentaria major & minor Lugd. i. Dracontium 1211. fœmina Fuch. i. Biſtorta 186, 187
Serpyllum ejúſque ſpecies 521, 522,
Serratula 331
Seſamoides parvum Matth. v. Cichorium 257. Salamanticum magnum, i. Lychnis 1002
Seſamum verum 1327. perenne Indicum Zanoni Graminis Iſchæmi ſpecies
Sesban Alpini v. Galega 927
Seſeli Æthiopicum frut. 476. pratenſe 453. montanum Cicutæ folio glabrum 452. paluſtre lacteſcens i. Thyſſelinum 413. montanum Fœniculi folio 439. Maſſilienſe Ger. 414 Officinarum C. B. 438. Creticum majus & minus, i. Tordylium 411, 412. Peloponnenſe Matth. v. Cicutaria 451. 2 mont. Pannon. 438
Sferro cavallo Geſn. i. Ferrum equinum 930
Siciliana J. B. i. Androſæmum vulgare 1020
Sida 1066
Sida-pou H. M. 1788
Sideritis ejúſque ſpecies 562, &c. ad 566. Alpina Hyſſopifolia 552

pag.
Sigillum B. Mariæ 660
——— Solomonis, v. Polygonatum 664, 665, &c.
Silacus Plinii 453
Siler montanum 439. Creticum folio Cicutæ 464
Siligo, i. flos farinæ 1240
Siliqua arbor ejúſque ſpecies 1718. Sylveſtris ſpinoſa arbor Indica, i. Coral arbor 1736
Siliquaſtrum, v. Capſicum 676
Silphion S. Laſerpitium 425
Silybum, i. Carduus leucographis 312
Sinapi ejúſque ſpecies 802, 803. marinum Ægyptium Alpin. exot. 793
Sinapiſtrum Ind. 1887
Sion ejúſque ſpecies 443, 444. Erucæ folio C. B. 450
Sjouanna-Amelpodi 1607
Siſarum 442
Siſon 443. Alpini Exot. 461
Siſymbrium, i. Naſturtium aquat. 815
——— i. Mentha aquatica 533
Siſyrrhynchium ejúſque ſpecies 1166
Sium Matth. & Italorum 814. minus impatiens 814
Smilax aſpera ejúſque ſpecies 655. lævis, i. Convolvulus major. & min. 722. hortenſis, i. Phaſeolus 884
Smyrnium ejúſque ſpecies 436, 437
Soda 212
Solanifolia Circæa dicta, v. Circæa 401
Solanum ejúſque ſpecies 671, &c. lignoſum 672. fruticoſum bacciferum 673. pomiferum ibid. & 755. item 1876, 1877. ſpinoſum Indicum 674. item 1875, 1876. tuberoſum 675. veſicarium 681, 1876. Somniferum verticillatum ibid. lethale 679. racemoſum Americanum 662. pomo ſpinoſo S. Stramonium 747, 748. Mexiocanum flo. magno, &c. 399. tetraphyllon & triphyllon, i. Herba Paris 670
Soldanella ejúſque ſpecies 726
Solea equina J. B. v. Ferrum equinum 930
Solidago Saracenica ejúſque ſpecies 279
Sonchus ejúſque ſpecies 224, 225. lanatus Dalechampii 231
Sondari H. M. 1624
Sophera Alpini 911
Sophia Chirurgorum 812
Sorbus ejúſque ſpecies 1456, 1457, 1458, 1917
Sorghum 1252
Sparganium ejúſque ſpecies 1311, 1910
Spartium ejúſque ſpecies 1726, 1919
Spartum 1259, 1260
Spatula fœtida Iridis ſpecies, Xyris 1190
Speculum Veneris 742
Spelta S. Zea 1242
Spergula ejúſque ſpecies 1034
Sphacelus Theophr. C. B. i. Salvia 509
Sphondylium ejúſque ſpecies 408, 409
Spica Celtica 391. Indica
Spica, i. Lavendula minor 513
——— trifolia Alp. exot. 1336
Spina alba tomentoſa, i. Carduus 313
——— alba, i. Oxyacantha 1458
——— appendix ibid.
——— cervina, i. Rhamnus cathart. 1625
——— Solſtitialis, i. Jacea 317
——— Burgi Monſpelienſ. i. Alaternus 1608
Spinachia ejuſque ſpecies 162
Spinus Virgilii 1527
Spiræa Theophraſti 1699
Split v. Fumaria 974
Spongia ejuſque ſpecies 80, 81. 1850
Squinanthum, i. Schœnanthum 13[illegible]

Stachys

pag.
Stachys ejúſque ſpecies 554, 555, 1872. paluſtris fœtida, i. Panax coloni Ger. 563
Staphylinus Veterum 465
Staphylodendron 1681, 1919
Staphis agria 705
Statice Dalech. 1037
Stella leguminoſa 938
Stellaria aquatica 1323
Stœbe ejúſque ſpecies 323, 324. fruticoſa Cretica 324. capitata Roſmarini folio 323
Stœchas Arabica 513, 514
—— Citrina ejúſque ſpecies 280, 281, 282
Stramonia ejúſque ſpecies 747, 748, 749
Stratiotes millefolia 345, 346
Stratiotes 1324
Strychnodendron, i. Amomum Plinii 673
Struthium S. Lanaria Imper. 1000
Styrax arbor 1680. liquida Aceris folio 1681. arbor Virginiana Aceris folio 1799. rubra Officin. 1681
Suber 1393
Sucu Sinenſium 1834
Succiſa Scabioſæ ſpecies 380, 1866
Sumach S. Rhus 1490
Su-pim Boym. 1645
Succi exotici 1844
Sultan Zambach, i. Lilium album peregr. 1110
Sura liquor 1358
Syalita H. M. 1707
Sycomorus 1439
Symphytum majus S. Conſolida ma. 504, 505. maculoſum S. Pulmonaria maculoſa 489. minus Boraginis facie 494. petræum, i. Prunella 551
Symphonia Dalech. i. Amarantus tricolor 203
Syringa ejúſque ſpecies 1763, 1764. Malabarica lacteſcens, &c. 1785
Syſirhynchium S. Siſyrhynchium 1166, &c.

T.

Tabacum ejúſque ſpecies 713
Tabaxir 1315
Tacamahaca 1846
Tacomaree, i. Arundo Sacch.
Tacori Draconis arboris folium ſimile
Tacuſa Lignum Angolenſe 1808
Tæda 1399
Tagera H. M. 1743. Tag. Wellia 1746
Tagetes 342
Tajaoba Piſon. Braſſicæ Sp.
Talagas Cingalenſium 1368
Taliir-kara 1787
Tamaratonga H. M. i. Carambolas 1449
Tamarindus 1748
—— Occidentalis 1800
Tamarix S. Tamariſcus 1704
Tamoatarana Cannæ Indicæ ſpec. 1203
Tamus Plinii 660
Tanacetum ejúſque ſpecies 365. inodorum 352. minus odore Camphoræ C.B. v. Millefolium 346. Africanum, i. Flos Africanus 342
Tangaraca Marcgr. 1638. Piſon. 1794
Tani 1547
Tapia Braſilienſ. Piſon. 1662
Tapira pecù, Sonchi lævis ſpec. Piſon. p. 182. caule unico, ſupra tibiæ altitudinem; foliis oblongis anguſtis dentatis, lanuginoſis; floſculis albis verſus ſummum caulem, in pappos fatiſcentibus. Vulneraria eſt inſignis
Tapyra coaynana, i. Caſſia fiſtula Braſilian. 1747
Tapſus barbatus Ger. 1094
pag.
Tarchon J. B. v. Dracunculus 373
Tareriaya Braſil. Marcgr. 859
Tareroqui Marcgr. 912
Tarton-raire 1588
Tataiiba Marcgr. 1639
Tataria Ungarica 424
Tatura, S. Datura, i. Stramonia 748
Taxocoquamoclit, i. Sesban Ægypt. 927
Taxus 1416
Tecomaxochitl 1768
Telephium ejúſque ſpecies 689. legitimum Imperati, i. Chamæciſto affinis 1016. Dioſcoridis S. Scorpioides 956
Tenga H. M. i. Palma coccifera 1356
Terebinthina reſina dicta 1403
Terebinthus 1577
Teregam 1435
Terracrepola 225
Terra merita Officin. i. Curcuma 1204
Tertianaria J. B. 572
Terræ glandes, i, Chamæbalanus legumin. 895
Tetlatiam Nieremberg. Hernand. 1647
Tety-pote-iba S. Vitis arbuſtiva Piſon. p. 250. Ex ſtercore Avium Tetyns naſci dicitur ad arbores Aurantiorum, quas maritat, & præ nimia luxuria tandem cooperit & enecat. Folio eſt Myrti majoris ſimili. Ex hujus radicibus & ramulis contuſis, & oleo communi frixis emanat inſigne medicamentum ad ventris & pedum inflationes è frigore ortas.
Tetragonia Theophraſti, i. Euonymus
Teucrium ejúſque ſpecies 526, 1870
Teucrii S. Chamædryos ſpuriæ variæ ſpec. 849
Teucrium Alpinum Ciſti flore 608
Texoctlifera Mexicana 1792
Thalictrum ejúſque ſpecies 403
Thapſia ejúſque ſpecies 418, 419, &c.
Thee Chinenſium, Tſchia Japonenſium 1620
Theka H. M. i. Kiati S. Quercus Indica Bontii 1565
Thapſus S. Tapſus barbatus 1094
Thlaſpi ejúſque ſpecies 809, 1886. Alyſſon dictum ibid. Vaccariæ folio 830. Drabæ folio 831. perfoliatum 832. Saxatile 833. umbellatum 835. biſcutatum 836, 837. fatuum, i. Burſa paſt. 838. Alexandrinum Contuſi, i. verum Dioſcoridis Zanoni 834. Alpinum minus 821. minus Ger. 825. clypeatum Serpylli folio 841. montanum Glaſti folio ibid. anguſtifolium, i. Naſturtium minus 825. Roſa Hierichontea dictum 1711
Thus & arbor thurifera 1840
Thuya Theophraſti S. Arbor Vitæ 1408
Thymbra Græcorum, i. Satureia 518, 1870
Thymelæa ejúſque ſpecies 1589, 1918
Thymus ejúſque ſpecies 519, 520, 521. capitatus Creticus 519
Thyſſelinum 413
Tibeadi, i. Hyacinthus botryodes 1161
Tigridis flos 1165
Tilia ejúſque ſpecies 1694, 1695
Timbo 1330
Tinctorius flos, i. Geniſta tinctoria 1725
Tinda parva H. M. 1569
Tinus S. Laurus ſylveſtris
Tipioca 1684
Tipi, Alliariæ Braſil. ſpecies frutic. flo. albicante, fructu nigro rotundo Prunorum inſtar Piſ. 236
Tira-calli H. M. Tithymali ſpecies 1710
Tithymalus ejúſque ſpecies 863, 864, &c. 1807. Characias 863. dendroides 864. paralius 865. myrſinites, S. myrtifolius ibid. cypariſſias 867. pineus

pag.
pineus ibid. helioſcopius 869. verrucoſus 871. tuberoſus S. Apios 870. Hibernicus 1888. Raguſinus ibid.
Tlatlancuay Hern. 1343
Tlaolli, i. Frumentum Indicum 1249
Tlapalcoçatli Hern. i. Flos Africanus 1342
Tlilxochitl Hern. i. Vaynillas 1330
Tondi-Teregam 1787
Todda Panna H. M. 1360
Tocot-guebit 1810
Tomahuactli Hern. 1884
Topiaria Cynogloſſa J. B. 502
Tordylium ſpurium 411. genuinum 412
Tormentilla ejúſque ſpecies 617. Alpina folio ſericeo, v. Alchimilla 209
Totocifera arbor De Laet. 1678
Trachelii ſpecies variæ 732, 733, 734, 735
Tragacantha 933, 934
Tragium, v. Hypericum alterum Dioſcoridis, &c. J.B. 515
Tragopogon ejúſque ſpecies 251, 252, 253, 1858
Tragopyron Ger. 182
Tragoriganum 523, 527
Tragus 1240
Tragus ſpinoſus Matth. i. Kali ſpinoſum 212
Traſi, i. Cyperus eſculentus 1302
Tremaee Marcgr. 1783
Tribulus terreſtris 1344
—— aquaticus major 1321. minor eſt
—— Potamogiton minus 189
Trichomanes, S. Polytrichum 140
Trifolium ejúſque ſpecies 940, &c. ad 950. acetoſum S. Oxys 1098, 1903. bituminoſum 943. Aſphaltion Col. 955. Alpinum Rhæticum Aſtragaloides 956. ſtellatum 945. fragiferum 947. lupulinum 949. Lagopodoides 948, 1893. paluſtre 1099. Hepaticum ejúſque ſpecies, v. Hepatica nobilis 580. Americanum ſpicatum 928. ſpinoſum Creticum C. B. 1037. Luſitanicum corniculatum Park.
Trifolium cochleatum ſpinoſum & læve, v. Medica, 961, 962, &c. ad 966
Trifolio affinis Indiæ Orientalis 1345, 1914
Trifolium hæmorrhoidale, i. Lotus Lyb. 968
Trinciatella Cordi, Chondrillæ ſpecies 227
Tripolium ejúſque ſpecies 270
Triorchis 1217
Triticum ejúſque ſpecies 1236. Indicum, S. Mayz 1249. vaccinum, i. Melampyrum 774. temulentum, i. Lolium 1262
Trixago, S. Triſſago, i. Chamædrys 527. Apula unicaulis Col. i. Criſta galli 772
Trollius flos, i. Ranunculus globoſus 700
Tsjakela H. M. Ficus ſpecies 1435
Tsjapangam H. M. 1737
Tsjaka-Maram H. M. 1640
Coipa-Tsjambou 1479. Malla-katou-Tsjambou 1480
Tsjela H. M. Ficus Indicæ ſpecies 1435
Tsjem-Tani 1556
Tsjeroe-kara H. M. 1497. Tsjeroe-Katou 1547. Tsjeroe-Poeam 1571
Tsjeriam-Cottam 1596
Tshinka-Papoua Ind. Piſon. 1509
Tsjocatti 1573
Tubera terræ 110, 111
Tuberaria Myconi, v. Ciſtus 1012
Tubuli ad Aſthma 1317
Tucum Piſonis Palmæ ſpecies 1361
Tuinamtiiba, i. Coral arbor 1736
Tulipa ejúſque ſpecies 1146, &c. 1905
Tuna 1463

pag.
Tupa-ipi Marcgr. 1165
Tupi-ewa, S. Scoparia
Turbith Officin. v. Convolvulus 1882
———— Garganicum 418
Turritis ejuſque ſpecies 799
Tuſai, i. Corona Imperialis 1105
Tuſſilago ejuſque ſpecies 259
Typha paluſtris 1312
Tzopilotl Hern. 791

V.

Vaccaria Lychnidis ſpecies 999
Vaccinia, i. Vitis Idæa 1487. nubis 653. paluſtria 685
Valeriana ejuſque ſpecies 388, &c. ad 392, 1867
———— Græca 1102. Mexicana 392
Valerianella ejuſque ſpecies 393
Valli-noel H.M. 1734. -Panni ibid. --Teregam 1530
Vaynillas Hiſpanorum 1330
Vencu Sinenſis 1793
Veratrum nigrum 697, 698
Verbaſculum ejúſque ſpecies 1080, 1081
Verbaſcum ejuſque ſpecies 1094, 1095. Salvifolium 511. Salvifolium exoticum folio rotundiore 1007. Lychnites Syriacum, &c. 993
Verbena ejuſque ſpecies 535, 1871. Indica lanuginoſa Stapelii 1336
Verbenæ facie planta Braſiliana Marcgr. ibid.
Verbeſina Geſn. i. Cannabina aquat. 362, 381
Vermicularis frutex 199. herba 1041
Vernimbock lignum 1737
Vernix 1413
Veronica ejuſque ſpecies 845, &c. ad 853, 1887
Veſicaria marina J.B. 83
Vettadagou H. M. 1633
Vetta-tali 1712
Uhebehaſou Theveti 1794
Viburnum 1590
Vicia ejuſque ſpecies 900, 901, &c. item 1891. Lathyroides 898. ſeſamacea Apula Col.
Victorialis mas S. longa 1122
Vidimaram H. M. 1562
Vincetoxicum, i. Aſclepias 1090
Vinca pervinca, i. Clematis Daphnoides 1091
Viola ejúſque ſpecies 1049, 1050, 1051. tricolor 1053. aquatica 1101, 1903. Lunaris S. Bulbonach 787. Mariana 732. Matronalis 790. petræa, i. Eruca Calathiana Gentianellæ ſpec. 719
Viola bulboſa, v. Leucoium bulboſum 1144
———— Indica Naſturtii Sapore 1869
Viorna vulgi 620
Viperaria Ger. Sicula Zanoni
Virga aurea ejuſque ſpecies 278, &c. 1859
Virga paſtoris, v. Dipſacus 382
Virga ſanguinea, i. Cornus fœmina 1571
Viſcum 1583, 1918
Viſqueiro Luſitan. Marcgr. 1784
Viſnaga. i. Gingidium 456
Vitis Idæa ejuſque ſpecies 1487, 1625. Idæa 3. Cluſ. i. Dioſpyros 1461. Idæa paluſtris 684
Vitis Vinifera ejuſque ſpecies 1613. folio Apii 1614. Corinthiaca ibid.
Vitis alba & nigra, i. Bryonia 659, 660
Vitis hederacea Indica Stapel. v. Hedera 1699
Ulmaria S. Barba capræ 624, 709
Ulmus ejuſque ſpecies 1426
Umari 1518
Umbilicus Veneris S. Cotyledon marinus, i. Androſaces 66

INDEX.

pag.

Umbu Piſonis 1530

Unguentaria Lutetianorum Abrotanum fœmina 358

Unedo Plin. i. Arbutus

Ungula caballina 259

Unni Chilenſium 1791

Unifolium S. Monophyllum 668

Volubilis, i. Convolvulus

Urtica ejúſque ſpecies 159. *fatua v. Lamium* 449, 450, *&c. racemoſa Canadenſis*

Urucu 1771

Urucatu, i. Tupa-ipi 1919

Urucuri-iba Piſon. *Palmæ ſpecies* 1362

Uru-pariba 1783

Ururumbeba, i. Jamacarum S. Tunæ VI. *ſpec.* Piſon.

Uſnea Officinarum C. B. 114

Uſtilago 1241

Utricaria C. B. Spei 1347

Uty Braſilienſium Acaciæ ſpecies 1739

Uva cava 1793

Uva criſpa 1484

Uva marina 1638

Uva-pirup 1793

Uva-vitou ibid.

Uva urſi 1487

Vulneraria ruſtica Geſn. 922

Vulvaria, i. Atriplex olida 198

Uvularia, i. Trachelium 732, 733

Uzeg Alpini 1628

Waga H. M. 1766

Waricoramori fr. 1826

Watta-tali 1595

Wamcabec De Laet. 1792

Wellia Tagera 1746

Wiſanck S. Vincetoxicum Indicum Ger. 1088

X.

Xanthium ejúſque ſpecies 165

Xagua Martyris Arbor Papyrifera 1796

Xeranthemum 287

Xocoxochitl Hern. 1507

Xiphium J. B. *v. Gladiolus* 1169

Xochiocotzo Quauhuitl Hern. 1848

Xylaloes 1808

Xylobalſamum 1757

Xylocaſſia Lob.

Xylon S. Goſſipium 1064

Xyloſteum, i. Periclymenum rectum 1492

Xyris, i. Spatula fœtida 1190

Y.

Yecotl, i. Palma-pinus 1674

Yeam Peru 729

Yga

Yztamotl 1789

Yucca S. Mandiboca 1683

————foliis Aloes 1201

Yztactzec caltacotl 292

Z.

Zatarhendi Alpin. 1871

Zacyntha J. B. *i. Cichoreum verrucarium* 255

Zea ejúſque ſpecies 1242

Zedoaria 1339, 1912

Zerumbet 1340

Zingi ſive Aniſum Indicum 1835

Ziccara Guatimalenſium 1834

Zingiber 1314

Zizyphus ejúſque ſpecies 1533

————Cappadocica, Olea Bohemica 1576

Zopal-Nochaztli Hernand. *v. Ficus* 1463

Zuccha, i. Cucurbita S. Pepo

Zygis Cluſio, i. Serpyllum 523

Zufiniare, i. Martagon Conſtantinopolitanum 1113

INDEX

Affectuum & Remediorum.

A.

A*Bortus.*] *Sem.* Plantaginis. *Rad.* Biſtortæ, Coccus Ilicis, Opobalſamum, Sanguiſorba.

Abſtergentia ſeu *Extergentia.*] *Rad.* Ari, Ariſtoloch. Bryon. Curcum. Gentian. Gramin. Rubiæ, Scyllæ. *Fol.* Abrotan. Abſynth. Agrimon. Mercurial. Naſturtii, Parietar. Perſicar. Sabin. Saponar. Gummi & Lacrymæ variæ, Ambaiba.

Adſtringentia.] *Rad.* Acori adulter. Biſtortæ, Conſolidæ majoris, Filipendulæ vulg. Geranii cujuſcunque, Pentaphylli, Tormentillæ. *Fol.* Alchimillæ, Argentinæ, Burſæ paſtoris, Chamæciſti vulgaris, Equiſeti, Fragariæ, Gallii, Geranii, Glaſti, Gnaphalii, Herniariæ, Lichenis, Lunariæ minoris, Millefolii vulg. Muſci, Nummulariæ, Quercûs cortex & folia, Piloſellæ, Pimpinellæ, Plantaginis, Polygoni, Saniculæ, Sophiæ chirurgorum, Telephii, Trachelii, Virgæ aureæ, Ulmariæ, Ulmi cortex & folia. Quin & radices quoque in nonnullis harum plantarum non minus efficaces ſunt in aſtringendo quàm folia. *Fruct. & Sem.* Berberis ſive Oxyacanthæ, Caſtaneæ nucis membrana interior, Glandium Calices, Limonii Semen, Pruna Sylv. Pyra Sylv. Mora Rubi immatura, Sorba, Ceraſa acida.

Cotinus, Tamariſcus, Macer, Coral, Gum. Arabicum, Maſtiche, Sanguis Draconis, Thus, Balauſtia, Rhabarbarum toſtum, Myrtus, Sumach, Gallæ, Acacia, Ciſtus, Chamæciſtus, Hypociſtis, Gramen tomentoſum, Palma dactylifera, Katou-Indal, Ambaiba, Fagus, Angelina, Ilex, Suber, Cupreſſus, Cort. Salicis, Morus, Cydonia, Guayava, Meſpilus, Roſa, Lotus Arbor, Groſſularia, Ribes, Vaccinia nigra, Caſſia poetica, Nux moſchata, Oenoplia, Cornus mas, Acaja, Guiti-iba, Terebinthus, Lentiſcus, Phillyrea, Viburnum, Lycium, Cajou, Tiliæ fructus, Coru.

Alexipharmaca,] *omnia Cardiaca & Diaphoretica.* *Rad.* Allii, Angelicæ, Biſtortæ, Carlinæ, Eryngii, Helenii, Pimpinellæ vulg. & Saxifragæ, Succiſæ, Tormentillæ. *Fol.* Abſinthii, Centaurii min. Pimpinellæ vulg. Quinquefolii vulg. Scabioſæ, Scordii, Veronicæ, Ulmariæ. *Flores* Centaurii min. Croci, Ericæ, Hyperici, Nymphææ, Violæ. *Fruct. & Sem.* Acetoſæ, Hyperici, Herbæ Paridis. Nux Juglans, Juniperi, Sambuci baccæ. His accenſet *Prævotius* è noſtratibus Argemonem, Boni Henrici ſuccum, Cardiacam, Cruciatam, Cyanum minorem, Helleborinem, Irionis ſemen, Mentaſtrum, Perſonatæ ſuccum cum vino hauſtum, Rapi ſemen, Sparganii & Valerianæ minoris radices.

Carduus Benedictus, Imperatoria, Galega, Acorus, Ninzin, Contrayerva, Serpentaria Virginiana, Zedoaria, Coccus de Maldiva, Coccus Ilicis.

Alopecia.] Abrotanum, Capillus Veneris, Verbena, Ladanum, Cepa.

Ambuſta.] Filicis mucilago, Hyoſcyamus, Populi albæ cortex, Sambuci cortex interior, Sedi minoris ſuccus, Solanum vulgare, Telephium, Tiliæ folia.

Lilium album, Roſa, Nymphæa, Verbaſcum, Linum, Camphora, Cannabis, Cepa, Stramonium.

Angina,] *Emollientia, Anodyna, & Detergentia.* Fragaria, Fungus Sambucinus, Prunella, Ribes nigrum, Papaver Rhœas, Scabioſa, Sedum majus, Succiſa, Trachelium.

Ani procidentia, v. *Adſtringentia* & *Conſolidantia.*

Anodyna.] Althææ rad. Chamæmeli flores, Crocus, Cynogloſſa, Malvæ rad. & fol. Meliloti flores, Sambuci fol. Verbaſci flores, Violariæ fol. Telephium.

Leucoium luteum, Papaver, Primula veris, Lilium album, Triticum, Secale, Hordeum, Nymphæa, Alcool Roſæ ſylv. Liquidambar.

Aperientia,] *Attenuantia,* & *Incidentia.* Ruſcus, Apium, Petroſelinum, Aſparagus, Cappares, Rubia, Capillus Veneris, Ceterach, Fumaria, Cochlearia, Geniſta, Centaur. min. Chamæmel. Daucus, Sinapis, Juniperus, Laurus, Aloe, Ammoniacum, Myrrha, Opoponax, Sagapenum, Curcuma, Gramen caninum, Lacca.

Apoplexia.] Ceraſa dulcia, Crocus, Eruca, Leucoium luteum, Lilium convallium, Pœoniæ ſem. Primula veris, Aqua florum Tiliæ, Viſcus.

Salvia, Roſmarin. & Cephalica omnia, Leucoium luteum, Sinapis, Coccus Ilicis.

Aphthæ.] Rapum, Rubus, Genipat. Salvia.

Arthritis.] Barbarea, Braſſica, Bryonia nigra, Caryophyllata, Centaurium min. Oleum è Nucleis Ceraſorum, Chamædrys, Chamæpitys, Conſolida major, Ebulus, Erica, Geniſtæ ſemen, Geranium, Helenii rad. Hyoſcyamus, Hypericum, Lens paluſtris, Pentaphylli rad. Primula veris, Rhamnus catharticus, Scabioſa, Sambucus, Sedum majus, Ulmus.

Solanum Halicacabum, Betonica, Acacia, Trifol. paluſtr. Thé.

Aſthma.] Bellis major, Crocus, Eryſimum, Lichen arborum, Marrubium album, Origanum, Periclymenum, Petaſites, Pimpinella ſaxifraga, Saponaria, Scabioſa, Sonchus, Urticæ ſem. & quæcunque inter Pneumonica recenſebimus infra.

Balſam. Peru, v. *Convulſiv.*

Aurium affectus.] Hyſſopus, Porrum, Roſa.

C.

Calculus, v. *Lithontriptica.*

Cancer, v. *Ulcera*,] *Detergentia*, *Anodyna*, *& Siccantia.* Eryſimum, Solanum, Carduus benedictus.

Cardiaca.] *Rad.* Biſtortæ, Carlinæ, Caryophyllatæ, Helenii, Petaſitidis. *Fol.* Acetoſellæ, Agrimoniæ, Calaminthæ montanæ, Cardiacæ, Pimpinellæ ſanguiſorbæ. *Flo.* Cordiales 4 dicti, ſc. Boraginis, Bugloſſi, Roſarum, Violarum, Leucoii lutei, Lilii convallium, Ulmariæ: & præter hæc Alexipharmaca pleraque.

Cardialgia.] Cardiaca.

Catarrhus ferinus, v. *Tuſſis convulſiva.*

Catarrhus,] *Anodyna*, & *Adſtringentia.* Eryſimum, Fragaria.

Hyoſcyamus, Papaver, Nicotiana.

Cauſtica.] Ranunculi plerique, Ros Solis, Tithymali omnes, Sinapi.

Laureola, Mezereon, Ahovai, Anacardium, Euphorbium, Apocynum, Manchinello, Hordeum cauſticum.

Cephalalgia.] Peucedanum, Serpyllum. Solanum vulgare externè adhibitum: *Prævotius* ad Cephalalgiam quamcunque commendat ſuccum Verbenæ depuratum.

Hederæ terreſtr. ſuc. & *Hypnotica*, Coffee.

Cephalica.] Lilium Convall. Pæonia, Salviæ, Roriſmarin. Opobalſamum, Betonica, Majorana, Verbena, Thee, Coffee, Tilia, Lavendula, Meliſſa, Origanum, Pulegium, Ruta, Satureia, Serpyllum, Primula veris, Adianthum verum, Fumaria Split dicta, Caryophyllus, Cyperus, Ninzin, Ceraſa nigra.

Cholera Morbus,] *Anodyna*, *Adſtringentia*, *Hypnotica.* Vaccinia.

Ligna Colubrina.

Colicus dolor,] *Anodyna*, & *Hypnotica.* Agrifolii baccæ, folia, aculei: Cerefolium, Chamæmelum, Daucus, Ericæ flores, Filipendula, Geranium, Pimpinella Saxifraga, Veronica.

Buxus, Hedera terreſtr. Eryſimum.

Convulſivi motus,] *Cephalica*, *Hypnotica*, & *Antiſpaſmodica.* Chamæmelum, Ceraſa nigra, Helenii rad. Lilium convallium, Phyllitis.

Balſamum Peru, Ebenum.

Coſmetica.] Argentinæ aqua ſtill. Arum, Dipſaci aqua, Florum Fabæ & Fragariæ aqua deſtill. Radix Polygonati, Primulæ flores, Solanum lethale.

Triticum, Seſamum, Betula, Sabina, Ulmus, Amygdalus, Ag. Limonum, Camphora.

D

Dentium dolor, v. *Odontalgia.*

Diaphoretica & *Sudorifera.*] Buxi ligni decoct. & extract. Chamædrys, Chamæmeli decoct aqu. Chelidonii ma. decoct. Extract. Cicutæ, rad. Crocus & ejus Extr. Ebulus, Fraxini cortex & lignum *Prævotio*, Fumaria, Juniperi ligni decoct. & Extract. *Prævotio*, Laureolæ decoct. *eidem*, Lupuli radicis decoctum *eidem*, Milii decoct. *eidem*, Petaſitidis rad. Pimpinellæ aqua *eidem*, Polygoni ex vino decoct. Sambuci baccæ, Saponaria, Tormentillæ rad. Veronica, Ulmaria.

Angelica, Card. bened. China, Contrayerva, Sarſaparilla, Zedoaria, Scordium, Scorzonera, Calendula, Guaiacum, Saſſafras, Camphora, Alexipharmaca fere omnia.

Diarrhæa] Berberis, Farina Fabarum, Lens, Muſcus, Oxylapathi ſem. Phyllitis, Plantago, Polygonum, Sorbus, Virga aurea, Ulmaria, & reliqua fere adſtringentia.

Tormentilla, Nil, Pimpinella ſpinoſa, Coffé, Macer, Papaver.

Digerentia.] Ocymum, Majorana, Ruta murar. Chamæmel. Crocus, Lilium album, Bardana, Scrophularia, Napus, Bdellium, Tacamahac, Ammoniacum, Elemi, Opoponax, Pix.

Diſcutientia.] *Rad.* Althææ, Curcumæ, Iridis, Scyllæ. *Fol.* Chamæmel. Melilot. Verbaſc. *Flor.* Sambuci, Croci. *Sem.* Cumin. Fœnugræc. Lini, Lupin. Gummi Ammoniac. Copal. Opoponax, Sagapenum, Tacamahaca, Galbanum, Myrrha, Bdellium.

Diuretica.] Abſinthium, Acorus, Adianthum, Agrifolii ſummitates, Anonis, Apium, Aquilegia, Aſparagus, Barbarea, Betonica, Bryonia nigra, Calamintha, Cardui quicunque, Cerefolium, Chamædrys, Chamæmeli flores, Cichorium, Crocus, Daucus, Eryngii cujuſcunq; radix, Eryſimum, Eupatorium Avicennæ, Aqua florum Fabæ, Filipendula, Fœniculæ rad. & ſem. Fraxini lignum & ſem. Geniſtæ flores, Baccæ Juniperi, Linaria, Semen Lithoſpermi, Hedera tereſtris, Hypericum, Kali, Lupulus, Meum, Naſturtium aquat. Percepier, Periclymenum, Perſicaria ſiliquoſa, Peucedanum, Pulegium, Plantaginis ſuccus, Rhaphanus ruſticanus, Rubia, Ruſcus, Salvia agreſtis, Saxifragia alba & pratenſis, Siſon, Sium, Solani halicacabi baccæ, Tiliæ cortex & folia, Valeriana, Urticæ ſem. & racemuli.

Dyſenteria.] Berberis, Clematis daphnoides, Cynogloſſum, Lamium rubrum, Lens, Ungentum de Lunaria, Muſcus, Piloſella, Plantago, Polygonum, Sophia chirurgorum, Tiliæ baccarum pulvis, Verbena, Virga aurea, & pleraque adſtringentia.

Papaver, Filipendula, Ciſtus, Nymphæa, Faba Ægyptiaca, Uva quercina.

Dyſuria.] Daucus, Cineres ſpongiolæ Roſæ caninæ, Syrupus mororum Rubi vulgaris.

Malva, Hordeum.

E

Emetica.] Aſarum, Atriplicis radix & ſem. Betonicæ rad. Digitalis flores, Ebuli radices, Euonymi baccæ, Eupatorii cannab. radices, Geniſtæ ſem. Hederæ baccæ, Juli & cortex interior Juglandis, Laureola, Narciſſi bulbus, Polygonati baccæ, Sambuci aquat. baccæ autore *Prævotio*, Sedi minimi ſuccus, Senecionis herba, Spergulæ ſemen.

Nicotiana, Gutta Gemou, Hellebor. alb. Cicuta aquat. Scylla, Cataputia, Cyclamen, Ricinus, Nux vomica, Aſarum, Anagyris fœtida, Glans unguentaria.

Emmenagoga, v. *Menſes moventia.*

Emollientia.] Alcea, Althæa, Atriplex, Beta, Chamæmelum, Lapathum, Malva, Mercurialis, Parietaria, Violaria.

Allium, Lilium album, Melilotus, Verbaſcum, Gummi & lacrymæ variæ, Bdellium.

Epilepſia.] Ceraſa dulcia, Digitalis, Filipendula, Lilium convallium, Pæoniæ rad. & ſem. Sinapi, Succiſa, Aqua florum Tiliæ, Valerianæ radices, Viſcus.

Muſcus clavatus & *omnia Cephalica*, Bryonia alba, Hellebor. Paſtinaca ſylv. Bugloſſum, Horminum, Ruta, Galega, Ninzin.

Eryſipelas.] Lens paluſtris, Mali ſylv. ſuccus, Malva, præcipuè hortenſis, Solanum vulgare, Tuſſilago, Umbilicus Veneris.

Sedum maj. Pomum Amoris, Malva roſea, Secale, Stramonium, Pavate, Sambucus, Camphora.

F.

Febris & febrilis ardor.] Acetoſa, Argentina externè, Ceraſa acida, Cichoreum, Dens leonis, Geranium, Lichen, Lujula, Papaver Rhœas, Portulaca, Roſæ caninæ fructus, Mora Rubi Idæi, Vaccinia, Violaria.

Tertiana.] Alſine in Epithem. Caryophyllata, Centaurium minus, Hypericum, Pentaphyllum, Sinapi in Epithem. ad carpos, Verbena.

Quartana.] Cicuta, Hypericum, Linaria vulg. Oxyacanthini viſci pulvis vino albo infuſus, Pentaphyllum, Rapum, Sambuci baccæ, Sedi minoris ſuccus.

Quotidiana.] Lupulus in Epithem.

Febres continuæ.] Endivia, Lactuca, Berberis, Cynogloſſa, Nymphæa, Tamarindus, Aurantia, Limones, Myrtilli, Ribes, Sorbus, Sempervivum, Citria Mala.

Febres intermittentes.] Myxa pyriformis, Ligna Colubrina, Fraxinus, Contrayerva, Serpentaria Virginian. Piper, Cortex Peruvianus, Chamæmelum, Chamædrys, Gentiana, Sinapis, Adianthum verum, Bardan. maj. Abſinthium, Imperatoria, Fœniculum, Prunella.

Flatus.] Cari ſemen, Mei ſemen, Fœniculi ſem. Radices Ari ſiccatæ, Tanacetum.

Aurantia, Cardamomum, Caryophylli, Cubeb. Macis, Nux Moſchat. Acorus, Galanga, Zinziber, Anethum, Chamæmel. Cuminum, Carum, Zedoaria, Aniſum, Piper Jamaycenſe, Bac. Lauri.

Fluor albus mulierum.] Filipendula, Flores Lamii albi, Paronychia foliis rutaceis, Roſa canina, Salvia, Quercus.

Fonticuli ſeu *Fontanellæ.*] Hedera, Saponaria.

Fracturas oſſium conſolidantia.] Conſolidæ majoris & Polygonati radices, Ruſcus.

Gummi varii, & *vulneraria.*

G.

Gangræna.] Abſynth. Alliaria, Camphora.

Gargariſmis idonea.] Folia Aquilegiæ, Periclymeni, Aqua Fragorum.

Gonorrhæa.] Cichoreum, Cynogloſſum, Dens leonis, Lichen, Millefolium vulg. Nymphæa, Plantago, Polygonum.

Reſinæ, Gummi, & *omnia conſolidantia.* Aparine, Burſa Paſtoris, Abies, Opobalſamum, Santala.

H.

Hæmoptyſis.] Argentina, Aſplenium, Bardana major, Pes cati, Plantaginis ſuccus, Urticæ ſuccus & eorundem aqua ſtill. Vinca pervinca.

Hæmorrhagia.] Biſtorta, Clematis daphnoides, Gallium luteum, Geranium ſanguineum, Glaſtum, Gnaphalium, Millefolium, Pentaphyllum vulg. Ros ſolis, Salix, Pulvis baccarum Tiliæ, Urticæ, & in genere omnia adſtringentia.

Hæmoptyſis, & Hæmorrhagia.] *Omnia conſolidantia,* Urtica, Pimpinella vulg. Salvia, Brunella, Burſa Paſtor. Hyoſcyamus, Papaver, Nigellaſtrum, Xylon, Linum.

Hæmorrhoides.] Chamædrys, Chelidonium minus, Cynogloſſa, Fungus Betulæ, Fungus pulverulentus, Galeopſis ſuccus, Filipendula, Linaria, Scrophulariæ rad. Serratula, Sideritis, Verbaſcum, Vinca pervinca, Geniſta. His tribus malis & reliqua ferè *Adſtringentia* conveniunt. Becabunga, Anonis, Cacao.

Hepatica.] Abſinthium, Acetoſella, Agrimonia, Aſperula, Betonica, Centaurii minoris flores, Cichorium, Fragaria, Fumaria, Lichen, Mentha.

Hernia.] Alchimillæ exiccatæ pulvis, Conſolida major, Cruciata, Dentaria, Filix præcipuè florida, Geranium columbinum, Herniaria, Lens paluſtris, Lunaria, Nummularia, Perfoliata, Polygonatum, Serratula, Telephium, Valeriana major.

Anonis, & omnia *Adſtringentia*, Adianthum album.

Herpes.] Chelidonium majus, Gummi Ceraſi & Pruni ſylv. Erica, Piloſella.

Hydrops.] Abſinthium, Alnus nigra, Ebulus, Geniſtæ ſem. & ſummitates, Kali, Linaria, Polypodium, Pulegium, Ranunculus hederaceus, Rhamnus catharticus, Solanum lignoſum, Soldanella.

Bryonia alba, Ruſcus, Naſturtium, Sambucus, Guaiacum, Semen Fraxini, Aſclepias, Trifol. paluſtr. Iris, Betula, Cynosbatos.

Hypnotica.] Narcotica omnia, Unguentum Populeum, Primulæ maj. flores & conſerva eorundem.

Hypocondriaci affectus.] Orobanche, Hellebor. Polypod. Agrimon. Centaur. min. Cort. Aurantior. Ammoniac. Galban. Ceraſa acida, Cort. Mali Citri.

Hyſterici affectus.] Atriplex olida, Daucus, Meum, Parthenium, Paſtinaca ſativa tenuifolia, Peucedanum, Phyllitis, Sphondylium, Xyridis rad.

Crocus, Aſſa fœtida, Galbanum, Bryonia alba, Matricaria, Ballote, Cardiaca, Ruta.

I.

Icterus.] Apium, Aquilegia, Aſparagi rad. Aſperula, Berberis cortex interior, Centaurium minus, Chamædrys, Chelidonium maj. & min. Crocus, Cyani flores, Eryngium, Eupatorium Avicennæ, Fragaria, Fraxini ſemen, Fumaria, Geniſtæ ſem. Hedera terreſt. Hypericum, Lens paluſtris, Lichen, Linaria, Marrubium album, Mercurialis ſem. Origanum, Oxylapathi rad. Pulegium, Ruſci radices, Solani veſicarii baccæ, Solani lignoſi ſeu Dulcamaræ lign. & folia, Thalictrum, Verbena, Urtica.

Rad. Curcumæ, Rubiæ. *Sem.* Cannabin. Nil, Muſcus Quercinus, Aquilegia.

Incraſſantia.] Lactuca, Symphytum maj. Cynogloſſa, Papaver, Plantago, Solanum, Nymphæa, Viola, Gummi Arabicum, Sarcocolla, Tragacantha.

Iſchiadicus dolor.] Artemiſia, Aſparagi rad. Centaurium min. Conſolida maj. Helenium, Jacobæa, Populus alba, Thlaſpi, Ulmi cortex & quæcunque præterea Arthritidi conducunt.

Rad. Bryon. alb. Fœnum Græcum, Ol. Laurinum.

L.

Lac abſumentia.] *Repellentia & Adſtringentia.* Plantago aquatica.

Lac coagulantia.] Flores Acanthii vulg. Gallium luteum. Acida omnia.

Lethargus.] *Sternutatoria,* & *Cephalica,* Sinapi, Naſturtium hortenſ.

Lienteria.] Farina Fabarum.

Lithontriptica.] *Rad.* Acetoſæ *Prævot.* Acori, Cardui fullonum, Caryophyllatæ ſylv. *Prævot.* Eryngii *Prævot.* Helenii, Filipendulæ vulgaris, Filicis, Peucedani, Pimpinellæ Saxifragæ, Rhaphani ruſt. Rubi, Rubiæ, Tragopogi, Urticæ. *Fol.* Altheæ, ut & radix & ſem. Anonidis, Aparines aqua deſtill. Argentina, Aſparagus, Avellanæ ſylv. cortex *Prævot.* Becabungæ, Betonicæ, Braſſicæ, Cardui ſtellati, Cerefolii, Chamædryos, Chamæpityos, Naſturtii aquat. Parietariæ, Parthenii, Percepier, Perſicariæ, Piloſellæ, Pulegii, Quercûs, Salicis, Saxifragæ albæ & pratenſis, Siſymbrii, Sium aqua Tanaceti, Thalictri, Veronicæ, Virgæ paſt. Virgæ aureæ, Capillares herbæ. *Flores* Chamæmeli, Conſolidæ regalis, Ericæ, Geniſtæ ut & ſummitates. *Fructus* & *Sem.* Bardanæ maj. & min. *Prævot.* Dauci, Irionis, Juniperi, Lithoſpermi, Oxyacanthi, Peucedani, Roſæ ſylv. Solani halicacabi, Violæ purpureæ. His adde Gummi Ceraſi, nucleos & oleum è nucleis Ceraſorum, & Graminis radices.

Sem. Sophiæ Chirurgorum, Reſina Terebinth. *Aperientia, Attenuantia,* & *Anodyna.* Urtica, Hedera terreſtris, Fragaria, Ruta, Cicer ſativ. Nil, Phalaris, Lacryma Jobi, Avena, Gramen caninum, Gramen Crucis, Perſicaria ſiliquoſa, Anana, Pinus, Betula, Meſpili oſſicula, Nuclei Armeniaci, Theè, Limon, Balſama Indica, Lignum Nephriticum, Cubebæ.

Lochiorum nimius fluxus.] *Adſtringentia, Conſolidantia,* & *Anodyna.* Filipendulæ radices.

Lues Venerea.] Lignum Buxi, Saponaria, Scorodonia, Succiſa.

Guaiacum, China, Sarſaparilla, Santala, Smilax aſpera, Bardana maj. Saſſafras, Tamariſcus.

Lumbrici inteſtinorum.] Abſinthium, Allium, Cannabis ſem. aut foliorum ſuccus *Prævot.* Centaurium min. Corallina, Filicis fœm. radix, Gramen caninum, Helleboraſter maj. Hypericon, Juniperus Alpina, Marrubium album, Parthenium, Sabina in hoc genere excellit, Senecionis ſuccus aut decoct. Scordium, Tanacetum, Viſcus. His adde è *Prævòtio* Enulæ recentis ſuccum, Petaſitidis radicem, Rutam caprariam.

Ageratum vulg. Cepa, Aloe, Feſtuca Avenacea, Sabina, Fol. & Flor. Mali Perſic. Cort. Aurantiorum, Eleagnus, Cordi ſeu Myrt. Brabant. Ligna Colubrina, Agallochum.

M.

Mania & *Melancholia.*] Tinctura florum Hyperici.

Agrimonia, Fumaria, Meliſſa, Anagallis Mas, Hellebor. Idou-Moulli.

Mammarum durities & *tumores.*] *Emollientia omnia.* Althæa, Cerefolium, Dulcamara, Malva, Mentaſtrum, Farina Fabarum, Senecio, Sium aquat. Solanum vulgare & lethale.

Maturantia ſeu pus generantia.] Althæa, Cepa, Lilium alb. Malva, Chamæmel. Crocus, Ficus, Fœnugræcum, Hordeum, Linum, Triticum, Colophonia, Elemi, Ladanum, Liquidambra, Maſtiche, Pix, Styrax, Tacamahaca, Thus, Terebinthus.

Melancholia:] Fumaria, Pimpinella.

Menſes moventia.] Abſinthium, Acetoſæ radix, Acorus, Alliaria, Apium, Aquilegia, Artemiſia, Arum, Aſarum, Aſparagi rad. Betonica, Becabunga, Bryoniæ rad. Calamintha, Cardiaca, Cæpa, Centaurii min. rad. Chamædrys, Chamæmelum, Chamæpitys, Conyza, Crocus, Daucus, Eryngii rad. Eupatorium Avicennæ, Hedera terreſt. Filicis rad. Graminis rad. Helenii rad. Hypericum, Leucoii lutei flores, Matricaria, Meliſſa, Mentaſtrum, Mercurialis, Meum, Naſturtium, Phyllitis, Pimpinella, Periclymenum, Polytrichum, Praſſium, Pulegium, Ruſcus, Rubia, Salvia agreſtis, Saponaria, Serpyllum, Tanacetum, Urticæ ſem. Præ aliis omnibus Sabina: quin & diuretica pleraque ſunt etiam emmenagoga.

Caryophyllata, Ariſtolochia, Curcuma, Cardamomum, Cyperus officinar. Schœnanthus, Acorus, Vaynilla, Coſtus, Sabina, Myrrha, Sagapenum.

Menſes ſiſtentia.] Mentaſtrum, Pimpinella, Plantago, Papaver Rhœas, Polygonum, Roſæ caninæ flores, Vinca pervinca & reliqua ferè Adſtringentia.

Nymphæa, Millefolium, Hyoſcyamus, Papaver, Acacia, Cinnamomum.

Mictus involuntarius.] *Conſolidantia omnia,* & *Adſtringentia:* Agrimoniæ exiccatæ pulvis, Plantago.

Morſus venenatus.] Ligna Colubrina, Lychnis ſylv. flore muſcoſo, Opobalſamum, Serpentaria Virginiana, Ruta, Allium; *Alexipharmaca. Rad.* Granadillæ, ſeu flor. Paſſion. Phyllon Marificum, Scorzonera, Pimpinella vulg. Calamintha, Ballote, Pulſatilla, Anagallis Mas, Malum Citrium, Caniram, Laurus, Platanus, Roſa.

N.

Narcotica.] Croci flores, Cynogloſſum, Hyoſcyamus, Lactuca ſylv. Lolium, Papaver, Napellus, & *alia Aconita*; Stramonium, Nuces Moſchat. recent. Odallam, Cocculus Indus, Nux Vomica.

O.

Odontalgia.] Argentina, Chelidonium minus, Clematis daphnoides, Lepidii radices, Primula veris, Ptarmica. *Anodyna* & *Narcotica:* Nicotiana, Quercus, Morus.

Ophthalmica.] Caryophyllata, Chelidonium maj. Cichorei & Cyani flores, Dipſaci aqua, Enula campana, Erica, Euphraſia, Fumaria, Fœniculum, Horminum, Holoſteum, Linaria, Lyſimachia ſpicata, Pomorum agreſtium ſuccus, Salicis lachryma, Valeriana, Verbena.

Acacia, Anagallis mas, Ulmus, Camphora, Arbor triſtis, Ebenum, Sarcocolla.

Oris & Gingivarum Vitia.] Areca ſeu Faufel, Cochlearia, Maſtiche, Herba Britannica, Fagus, Hondir-Alou, Meſpilus, Balauſtia, Caryophyll. Ind. Nux Moſchata, Malabathrum, Rhus, Agallochum.

P.

Paralyſis.] *Cephalica omnia.* Ceraſa dulcia, Ericæ flores, Leucoium luteum, Lilium convallium, Primula veris, Sinapi, Viſcus.

Paronychia.] Paronychia vulg. Telephium.

Partus difficilis.] Dictamnus, Caltha, Crocus, Galbanum, Myrrha.

Pediculi.] Cocculus Indus, Staphis agria.

Peſtis, v. Alexipharmaca.] Anagallis mas, Arum, Hederæ baccæ, Herba Paris, Juniperi baccæ, Petaſites, Ranunculus bulboſus, Scordium, Scorodonia, Thalictrum.

Galega, Nicotiana, Ruta, Juniperi bac. Opobalſamum, Myrrha.

Phthiſis.] Bellis maj. Conſolida maj. Crocus, Dens leonis, Glycyrrhiza, Helenium, Linum, Tuſſilago, Betulæ ſuccus & reliqua Pneumonica.

Chelidon. maj. Hedera terreſtris, Muſcus pulmonarius, Papaver, Reſinæ, Balſama, Equiſetum, Carduus Fullonum, Pulmonaria macaloſa, Anagallis mas, Linum, Xylon, Arum, Acanthus ſativus, Palma coccifera anguloſa, Roſa, Alcool Cynosbati, Cacao, Balſama Indica.

Pleuritis.] Glycyrrhiza, Aqua florum Pruni, Fraxini ſem. Linum, Papaver Rhœas, Scabioſa, Tragopogi rad. Violaria, Viſcus, Urtica & pleraque Pneumonica.

Hordeum, pleraque Anodyna.

Pneumonica.] Adianthum album & aureum, Althæa, Artemiſia, Arum, Calamintha, Crocus, Filipendula, Glycyrrhiza, Hedera terreſtris, Helenium, Lichen arborum, Marrubium album, Pes cati, Peucedanum, Pimpinella ſaxifraga, Pulegium, Pulmonaria, Scabioſa, Tuſſilago, Verbaſcum album, quod noſtrates **Cows Lungwort**, *i. e.* Pulmonarium boum, appellant, Veronica, Trichomanes, Urticæ ſemen.

Allium, Ficus, Amygdalus, Jujuba, Sebeſten, Perin-Nirouri, Terebinthus, Baccæ Lauri, Opobalſamum.

Purgantia.] Alnus nigra ſeu Frangula, Aſarum, quamvis hoc nondum in Anglia ſpontaneum obſervaverim, Bryonia alba, Cuſcuta, Digitalis, Dulcamara, Eſula, Euonymus Theophraſti, Eupatorium Avicennæ, Geniſtæ ſemen & ſummitates, Juglandes immaturæ ſaccharo conditæ, Oxyacanthæ cortex medianus, Pinguicula, Polygalon, Polygonati baccæ, Polypodium, Rhamni cathartici baccæ, Sambuci & Ebuli ſem. cortex, ſuccus, Soldanella, Sorbi ſylv. ſeu Aucupariæ baccæ, Thalictrum, Valerianæ radices, Xyridis radices, Kali, Laureola, Linum catharticum, Tithymali omnes, & ſiquæ præterea inter Emetica recenſuimus.

Alypum ſive herba terribilis, Agaricum, Aloes, Caſſia, Hederæ bac. Pſyllium, Colocynthis, Elaterium, Jalapium, Manna, Mechoacanna, Helleborus albus & niger, Scammonium, Senna, Tamarindus, Gutta Gemou, Euphorbium, Hermodactyli, Gratiola, Ricinus, Rhabarbarum, Eupatorium cannabinum, Cnicus, Valeriana maj. Thapſia, Thymelæa, Siliqua edulis, Colutea veſicaria, Sagapenum, Ammoniacum.

R.

Rachitis.] *Aperientia*, Chamædrys ſpuria, Filix præcipuè mas & florida, Ruta muraria, Trichomanes.

Repellentia.] Roſa rubra, Plantago, Portulaca, Quercus, Balauſtia, Berberis, Gallæ, Biſtorta, Tormentilla, Meſpilus, Prunus ſylv. Sorbus, Sumach, & adſtringentia ferè omnia; Gum. Arabicum, Sang. Dracon.

Reſolventia, v. Attenuantia, & Emollientia.] Dulcamara, Tacamahaca, Liquidambar.

S.

Sanguinem purgantia.] Fumaria, Naſturtium aquaticum, Urticæ turiones.

Scabies.] Lapathi rad. & aqua ſtill. Chamædrys, Conyza, Fumaria, Lichen, Origanum, Scabioſa, Scrophularia, Veronica.

Ariſtolochia, Enula Campana, Nicotiana, Camphora, Naſturtium Indicum, Pix, Cedrus, Larix, Juniperus, Sabina, Alnus nigr. baccif.

Scorbutus.] Abies, Aceris lachryma, Becabunga, Betulæ lachryma, Radices Ari ſiccatæ, Centaurium minus, Chamæmorus, Chelidonium minus, Cochlearia, Fumaria, Naſturtium aquaticum, Nummularia, Oxylapathi radix, Rhaphanus ruſticanus, Piſa viridia, Rapa cruda & cocta, Mora Rubi vulgaris & Idæi, Scorodonia, Sorbus ſylv. Soldanella.

Cortex Winteran. Trifolium Paluſtre, Vaccinia nigra, Malum Aurantium, Vermicularis, Cynosbatos, Sinapis, Reſinæ Pini, Aquilegia, Adianthum album, Herba Britannica, Acetoſa, Carduus Benedictus, Braſſica, Piſa viridia.

Scrophulæ.] Aparine, Bardana minor, Bellidis minoris radices, Chamædrys, Clematis daphnoides, Cynogloſſæ radices, Digitalis, Geniſta, Lamium album, Malus ſylv. Paronychia foliis rutaceis, Perfoliata, Scrophularia, Umbilicus Veneris, Xyridis rad.

Bryonia alba, Chamæmelum, Carduus Fullonum, Chamædrys, Marrubium album, Lamium album, Chelidonium min. Cupreſſus.

Siccantia.] Abrotanum, Abſinthium, Acacia, Agrimonia, Aquilegia, Ariſtolochia, Artemiſia, Betonica, Burſa paſtoris, Calaminth. Cardiaca, Chamæpit. Dictamnus, Equiſetum, Eryſimum, Filipendula, Hypericum, Majorana, Mentha, Millefol. Myrtus, Quercus, Rhus, Roriſmarin. Sabina, Salvia, Satureia, Scordium, Serpyllum, Thymus, Ulmaria, Abies, Pinaſter, Tamariſcus, Saſſafras, Muſci varii, Cupreſſus, Juniperus, Laurus, Guaiacum, Santalum, Bdellium, Sang. Dracon. Sarcocoll. Benzoin, Caranna, Colophonia, Ladanum, Myrrha, Styrax, Tacamahaca, Thus, Maſtich.

Singultus.] Daucus, Mentha, Papaver, Anethum.

Splenetica.] Ceterach, Cicuta, Fraxini ſem. cortex & lignum, Geniſta, Orobanche, Polypodium.

Sternutatoria.] Ptarmica, Saponaria, Sinapi, Thlaſpeos ſem.

Sem. Nigell. Hellebor. Nicotian. Lilium convall. Horminum, Alliaria, Curcuma.

Stranguria.] Conſolidæ maj. flores, Daucus, Linaria, Populus alba, Ruſci rad. Sonchus.

Flor. Chamæmeli, ſem. Dauci, bac. Juniper. Lauri, Terebinthina, Althæa.

Strumæ, v. Scrophulæ.

Suffuſio.] Fœniculum.

T.

Tabes, v. Phthiſis.] Anagallis, Dens leonis, Eryngium, Marrubium album, Parietaria, Pimpinella, Tragopogi radix.

Chelidonium maj.

Tinctoria.] Alni cortex, Geniſta tinctoria, Glaſtum, Lichen petræus, Luteola, Rubiæ radix.

Curcuma, Anchuſa, Anil, Gallæ, Nottè, Ligna varia, Braſil. rubrum, **Logwood, Fuſtick**, Candel, Orellana.

Tormina.] *Anodyna* & *Narcotica:* Meum, Serpyllum, Tanacetum, Trifolii prat. purp. flores, Verbena.

Tumores & *Inflammationes.*] *Anodyna, Emollientia, Diſcutientia, Repellentia,* vel *Maturantia* pro re natâ: Cerefolium, Oleum Chamæmelinum, Cicuta, Cynogloſſa, Fagi folia, Galeopſis ſuccus, Lamium, Oleum Lini, Malva, Orchidum rad. Parietaria, Rapum, Selinum Sii foliis, Sphondylii rad. Urtica.

Tuſſis, v. *Pneumonica.*] Enula campana, Eryſimum, Daucus, Glycyrrhiza, Baccæ Juniperi, Linum, Marrubium album, Parietaria, Periclymenum, Petaſites, Peucedanum, Scabioſa, Tragopogi radix, Tuſſilago, Verbena, Violaria, Urticæ radix & ſemen, Caſtanearum farina.

Decoctum pectorale, Papaver, Rapum, Muſa, Avellana, Amygdalus, Siliqua edulis, Bdellium, Benzoin.

Tuſſis convulſiva ſive *Catarrhus ferinus.*] *Antiſpaſmodica omnia:* Muſcus pyxidatus, Succus Pulegii, Origanum.

Muſcus Quernus, Agallochum, Cubebæ, Opobalſamum, Balſam. Peru.

V.

Variolæ & *Morbilli.*] *Ad præcavendum,* v. *Alexipharmaca, ad expellendum* Aquilegia, Crocus, Rapi ſemen.

Venerem ſtimulantia.] Aſparagus, Avellanæ, Caſtaneæ, Crocus, Eringium, Eruca, Dauci ſem. Fœniculum virens, Cannabis, Fabæ, Orchides omnes, Opiata quæcunque, Paſtinaca latifolia, Horminum, Mentha virens, Naſturtium, Ononis, Perſonatæ rad. Rapi ſem. Sinapi, Apium dulce, quod *Seleri* dicitur.

Ventriculum roborantia ſeu *Stomachica.*] *Aromatica, Amara:* Abſinthium, Acorus, Acetoſa, Agreſta, Berberis, Caryophyllata *Prævot.* Ceraſa acida, Fraga, Mentaſtrum, Calamintha, Pruna ſylveſtria & eorum ſuccus, Pulegium, Prunella, Sorba, Ranunculus.

Zingiber, Galanga, Contrayerva, Cinnamomum, Saſafras, Thè, Cort. Mali Citrii, & Aurantii, Zedoaria, Piper, Xochoxochitl, Caryophyll. Aromat. Nux Moſchat.

Verrucæ.] Mercurialis, ſuccus in foraminibus Populi collectus, Lac Tithymalorum, præcipuè Helioſcopii, Dipſacus, Galeopſis ſuccus.

Sedum maj. Heliotropium maj. Braſſica.

Vertigo.] *Cephalica omnia:* Primula veris, Aqua florum Tiliæ, Viſcus.

Chærophyllum, Sinapis.

Ulcera.] Caprifolium, Negundo, Liguſtrum, Lycium, Mandihoca, Opobalſamum, Myrrha.

Ulcera cancroſa.] *Detergentia, Anodyna, Siccantia:* Elatine, Gallium, Laureolæ pulvis.

Heliotropium, Solanum, Symphytum maj. Ladanum, Schœnanthus.

Vomitoria, v. *Emetica.*

Vomitum ſiſtentia.] *Hypnotica;* Sal Abſinthii, Menthæ aqua ſtillat. Polygonum, Rubus Idæus, Vaccinia.

Urinæ ardor vel *acrimonia.*] *Sem.* 4. *frigida, Emulſiones, Anodyna, Emollientia,* & *Incraſſantia;* Caſtanearum emulſio, Malva, Glycyrrhiza, Portulaca, quamvis ad acrimoniam urinæ mitigandam nihil conducibilius ſit quàm Lac recens copioſè ingeſtum, aut Lactis defectu Serum vel Cereviſia tenuis, nihil enim aliud requiri videtur, quàm ut Sanguis ſero exhauſtus leni aliquo liquore affatim diluatur.

Urina cruenta, v. *Adſtringent. & Conſolidant.*

Uteri procidentia.] *Adſtringentia & Vulneraria.*

Vulneraria, ſeu *Conſolidantia.*] Agrimonia, Alchimilla, Anagallis, Androſæmum, Argentina, Artemiſia, Bellis major & minor, Betonica, Bonus Henricus, Bugula, Centaurium, Ceterach, Chamædrys, Cicuta, Conſolida maj. Cruciata, Cynogloſſum, Equiſetum, Eupatorium Avicennæ, Fœniculum, Geranium, Glaſtum, Hedera terreſt. Herniaria, Hypericum, Jacobæa, Lamium, Lilium convallium, Lunaria minor, Melilotus, Millefolium, Nummularia, Ophiogloſſum, Panax coloni, Parietaria, Pentaphyllum, Perfoliata, Perſicaria, Peucedanum, Piloſella, Pimpinella, Pinguicula, Plantago, Polygonatum, Polygonum, Prunella, Rubia, Salvia agreſtis, Sanicula, Scordium, Serratula, Sophia Chirurgorum, Succiſa, Tanacetum, Telephium, Tormentilla, Valeriana, Verbena, Virga aurea, Veronica utraq;

Balſamina mas, Delphinium, Ulmaria, Nux myriſtica, Reſinæ & Lacrymæ variæ, Clematis Daphnoides, Pyrola, Quercus, Pix, Alnus vulg. Cada-Pilava, Ol. Olivarum, Opobalſamum, & Balſama Americana, Sarcocolla, Elemi.

NOMENCLATOR BOTANICUS, *Anglo - Latinus.*

A.

THE **Abele-tree**, *or white Poplar*, Populus alba.
Adders-tongue, Ophiogloſſum.
Adonis flower, *or Pheaſants eye*, Flos Adonis, Eranthemum.
Agarick, Agaricum, ſive Fungus Laricis.
Agrimony, Agrimonia.
The **Alder-tree**, Alnus.
Alexanders, Hippoſelinum.
Alkanet, Anchuſa.
The **Almond-tree**, Amygdalus.
Aloes, Aloe.
Wood of **Aloes**, Xylaloe, Agallochum.
Anemony, *or Wind-flower* : Anemone.
Angelica, Latinè pariter Angelica.
Anniſe, Aniſum.
The **Apple-tree**, Malus.
Apples of Love, Pomum Amoris.
Mad **Apples**, Mala inſana.
The **Apricock-tree**, Malus Armeniaca.
Archangel, *or Dead Nettle.* Lamium, Galeopſis.
Areck, *or Faufel.* Areca, Palmæ ſpecies.
Arrach, *or Orrach.* Atriplex.
Arrow-head, Sagittaria.
Arſmart, Perſicaria acris, Hydropiper.
Artichoke, Cinara, Scolymus.
Aſarabacca, Aſarum.
The **Aſh-tree**, Fraxinus.
The **Aſpen-tree**, Populus tremula ſeu Libyca.
Aſphodil, Aſphodelus.
Avens, *or Herb Bennet.* Caryophyllata.

B.

The **Balſam-tree**, Balſamum.
Balſam-apple, Balſamina.
The **Bambou Cane**, Bambou, Arundinis ſpecies.
The **Barberry**, *or Pipperidge-buſh.* Berberis.
Barley, Hordeum.
Barren-wort, Epimedium.
Baſil, Ocimum.
Wild **Baſil**, Acinos, Ocimum ſylveſtre, Clinopodium.
Baulm, Meliſſa & Meliſſophyllum.
The **Bay-tree**, Laurus.
The **Bead-tree**, Azedarach.
The white **Beam-tree**, Sorbus Alpina, Aria Theophraſti.
A **Bean**, Faba.
Bean-trefoil-tree, Anagyris, Laburnum.
Binding **Bean-tree**, *or Gum-Arabick-tree.* Acacia Ægyptiaca.
Bears-breech, *or Brankurſine.* Acanthus, Branca urſina.
Bears-ear, Auricula urſi.
Bears-foot, Helleborus niger hortenſis.
The **Beech-tree**, Fagus.
Beet, Beta.
Bell-flower, Campanula.
The **Benjamin-tree**, Benzoin.
Betle, Betre.
Betony, Betonica.
Bilberry, *or Whortle-berry.* Vaccinium, vitis Idæa.
Bindweed, Convolvulus, Smilax lævis.
The **Birch-tree**, Betula.
Birds-foot, Ornithopodium.
Birds-neſt, *or abortive Orchis*, Nidus avis, Satyrion abortivum.
Birthwort, Ariſtolochia.
Biſhops-weed, Ammi.
Biſtort, *or Snake-root.* Biſtorta..
The **Bladder-Nut-tree**, Staphylodendron, Nux veſicaria.
Blite, Blitum.
Blood-wort, Lapathum ſanguineum, Draco herba.
Blue-bottle, Cyanus.
The **Bonana-tree**, Bananiera.
Borage, Borago.
The **Box-tree**, Buxus.
The Stone **Bramble**, *or Raſpis.* Chamærubus ſaxatilis.
The **Bramble**, *or Blackberry-buſh.* Rubus ſylveſtris.
Braſile-wood, Braſilia arbor.
Brooklime, Anagallis aquatica, Becabunga.
Broom, Geniſta.
Broom-rape, Orobanche.
*Butchers-***Broom**, *or Knee-holly.* Ruſcus, Bruſcus, Oxymyrſine.
*Spaniſh-***Broom**, Geniſta Hiſpanica.
Bryony, Bryonia.
Buckler-wort, *or Hart-wort.* Tordylium, Seſeli, Caucalis.
Buck-thorn, Rhamnus.
Bugle, Bugula, Conſolida media.
Bugloſs, Bugloſſum.
Vipers **Bugloſs**, Echium.
Burdock, Lappa, Perſonata, Bardana major.
Burnet, Pimpinella.
Bur-reed, Sparganium.
Butter-burr, *or Peſtilent-wort.* Petaſites.
Butter-wort, Pinguicula.

C.

Cabbage, Braſſica capitata.
Cabbage-tree, *or Palmetto-Royal.* Palma nobilis.
The **Cacao**, *or Chocolate-Tree.* Cacao.
The **Calabaſh-tree**, Higuero Oviedi.
Calamint, Calamintha.
Water **Caltrops**, Tribulus aquaticus.
Calves-ſnout, *or Snap-dragon.* Antirrhinum.
Camels-hay, *or ſweet ſmelling Ruſh.* Schœnanthos
Camomile, Chamæmelum.
The **Camphire-tree**, Arbor Camphorifera.
Campions, Lychnis.
Canary-graſs, Phalaris.
Capers, Capparis.
Carawaies, Carum.
Cardamums, Cardamomum.
The **Carline-thiſtle**, Carlina.
The **Carob-tree**, Siliqua arbor, Ceratia.
Carrot, Paſtinaca tenuifolia.
Caſſia, Caſſia fiſtula.
Caſſidony, *or French Lavender.* Stœchas Arabica.
The **Caſſu**, *or Cajou-tree.* Acajou, Anacardium.
Catchfly, Muſcipula, Lychnis viſcoſa.
Caterpillars, Scorpioides.

Cats-tail, *or Reed-Mace*, Typha.
The **Cedar-tree**, Cedrus.
Celandine, Chelidonium.
Centory, Centaurium.
Charlock, *or Wild Muſtard.* Rapiſtrum.
The **Chaſt-tree**, Agnus caſtus, Vitex.
The **Cherry-tree**, Cerasus.
Winter **Cherry**, Solanum halicacabum, Alkekengi.
Chervil, Chærophyllum, Cerefolium.
The **Cheſnut-tree**, Caſtanea.
Chick-weed, Alſine.
China-root, China radix.
Chiches, *or Chich-peaſe.* Cicer ſativum.
*Herb-***Chriſtopher**, Chriſtophoriana, Aconitum racemoſum.
Chriſt's Thorn, Paliurus.
Cicely, *or ſweet Chervil.* Myrrhis.
The **Cinamon-tree**, Arbor Cannellifera.
Cinamon, Cinnamomum.
Cinquefoil, Pentaphyllum, Quinquefolium.
The **Citron-tree**, Malus medica, Citria.
Cives, Schœnopraſſon.
Clary, Horminum.
Claver, Medicæ ſpecies.
Cloud-berries, Chamæmorus.
Clover-graſs, Trifolium purpureum majus pratenſe.
Cloves, Caryophyllus Aromaticus.
Cockle, Pſeudomelanthium, Lychnis ſegetum.
Cocks-comb, *or Rattle.* Pedicularis, Criſta galli.
The **Coco**, *or Coker-Nut-tree.* Palma coccifera, ſeu Tenga.
Coffee, Caova, Coffee ***Frutex***, ſeu Bon vel Ban Arbor.
Colewort, Braſſica.
Colly-Flower, Braſſica florida.
Colts-foot, Tuſſilago.
Strange **Colts-foot**, Cacalia.
Columbines, Aquilegia.
Comfrey, Symphytum, Conſolida major.
Saracens **Conſound**, Solidago Saracenica, Virgæ aureæ ſpecies.
Coral, Corallium.
Coralline, Corallina.
The **Cork-tree**, Suber.
Coriander, Coriandrum.
Corn-flag, Gladiolus.
The **Cornel-tree**, *or Cornelian Cherry.* Cornus mas.
Coſtmary, *or Alecoſt.* Coſtus hortorum, Balſamita mas.
The **Cotton-tree**, Goſſipium, Xylon.
Couhage, vulgo *Cowitch.* Phaſeolus Zurratenſis ſiliquâ hirſutâ.
Cow-ſlips, Verbaſculum, Paralyſis.
Cranes-bill, Geranium.
The bearded **Creeper**, Crupina.
Creſſes, Naſturtium.
Croſs-wort, *or Mugweed.* Cruciata.
Crowfoot, *or Butter-Cups.* Ranunculus.
Crown Imperial, Corona Imperialis.
Crow-ſilk, *or hairy River-weed.* Conferva Plinii.
Cubebs, Cubebæ.
Cuckow-pint, *or Wake-robin.* Arum.
Cucumbers, Cucumis.
Cudweed, Gnaphalium.
Cumin, Cuminum.
The **Curran-buſh**, Ribes.
Currans, Uvæ Corinthiacæ.
The **Cuſtard-Apple**, Araticu ſpecies.
Cyperus, Latinè etiam Cypreſſus.
The **Cypreſs-tree**, Cupreſſus.

D.

Daffodil, Narciſſus.
Daiſie, Bellis, Conſolida minor.
Dandelion, Dens leonis.
Darnel, Lolium.
The **Date-tree**, Palma dactylifera.
Devils-bit, Succiſa, Morſus Diaboli.
Dill, Anethum.
Dittander, *or Pepper-wort.* Lepidium, Piperites.
Dittany, Dictamnus.
Baſtard **Dittany**, *or Fraxinel.* Fraxinella.
Dock, Lapathum.
Dodder, Cuſcuta.
Dogs-bane, Apocynum.
The **Dog-berry**, *or Gatter-tree.* Cornus fœmina.
Dogs-ſtones, Cynoſorchis.
Dragons, Dracontium.
The **Dragon-tree**, Draco arbor.
Drop-wort, Filipendula, Oenanthe.
Ducks-meat, Lenticula paluſtris.
Dutroy, Stramonii ſeu Daturæ Indicæ ſpecies.

E.

Earth-Nut, *or Kepper-Nut.* Bulbocaſtanum, Nucula terreſtris.
*Peaſe-***Earth-Nut**, Chamæbalanus.
Ebony, Ebenus.
The **Eglantine**, *or Sweet-briar-buſh.* Eglanteria, Roſa foliis odorata.
The **Elder-tree**, Sambucus.
Elecampane, Helenium, Enula campana.
The **Elm-tree**, Ulmus.
Endive, Endivia.
Eringo, *or Sea-Holly.* Eryngium.
Eſchalottes, *or Scallions*, Cepa Aſcalonica.
Euphorbium, Schadida-Calli, Tithymali ſpecies.
Eye-bright, Euphraſia.

F.

Fennel, Fœniculum.
Fennel-flower, Nigella.
Fennel-giant, Ferula.
*Hogs-***Fennel**, *Sulphur-wort, or Hareſtrong.* Peucedanum.
*Scorching-***Fennel**, Thapſia.
Fenugreek, Fœnum Græcum.
Fern, *or Brakes.* Filix.
Feverfew, Matricaria, Parthenium.
The **Figg-tree**, Ficus.
Figwort, *or Broom-wort.* Scrophularia.
The **Filberd-tree**, Nux avellana, Corylus ſativa.
The **Fir-tree**, Abies.
The **Fiſtick-Nut-tree**, *or Piſtacho.* Piſtacia.
*The ſweet ſmelling-***Flag**, Acorus, Calamus Aromaticus.
Flax, Linum.
Fleabane, Conyza.
Flea-wort, Pſyllium.
Flixweed, Sophia Chirurgorum, Naſturtii ſpecies.
Flower-de-luce, Iris.
Flower-gentle, Amarantus.
Fluellin, *or Speed-well.* Elatine.
Fox-glove, Digitalis.
Fox-tail-graſs, Alopecuros, Gramen alopecuroides.
Frankincenſe, Thus, Olibanum.
*Herb-***Frankincenſe**, Libanotis.
Friers-cowl, Ariſarum.
Fritillary, Fritillaria, Meleagris.

Fumitory, Fumaria.
Furze, *Whins or Gorſe.* Geniſta ſpinoſa.
Fuſtick-wood, Lignum Americanum flavum.

G.

Garlick, Allium.
Gentian, *or Felwort*, Gentiana.
Germander, Chamædrys.
*Tree-***Germander**, Teucrium.
*Water-***Germander**, Scordium.
Ginger, Zinziber.
Gladwyn, Xyris, Spatula fœtida, Iridis ſpecies.
Glaſs-wort, *or Saltwort*, Kali, Salicornia.
Goats-beard, Tragopogon.
Goats-rue, Galega.
The **Goavo-tree**, Guayava, Pela.
Golden-rod, Virga aurea.
Gold of Pleaſure, Myagrum.
The **Gooſe-berry-buſh**, Groſſularia.
Gooſe-graſs, *or Cleavers*, Aparine.
Gourd, Cucurbita.
Oily Purging **Grain**, Seſamum.
Graſs, Gramen.
Green-weed, *or Wood-waxen*, Geniſtella tinctoria.
Gromil, *or Gromwel*, Lithoſpermum.
Ground-pine, Chamæpitys.
Groundſel, Senecio, Erigerum.
Guaicum, Guaiacum.
Gum, Gummi.

H.

Hares-ear, Bupleurum, Auricula Leporis.
Hares-foot, Lagopus.
Harts-tongue, Lingua Cervina, Phyllitis.
Hartwort, Seſeli.
Hawkweed, Hieracium.
The **Haw-thorn**, *or White-thorn*, Oxyacantha.
The **Hazel-nut-tree**, Corylus ſylveſtris.
Heath, Erica.
Hedge-Hogs, Medica echinata.
Hellebore, Helleborus.
Hemlock, Cicuta.
Hemp, Cannabis.
Henbane, Hyoſcyamus.
Henbit, Morſus Gallinæ.
Herb-terrible, Alypum montis Ceti.
Hollyhocks, Malva hortenſis.
Holly, Agrifolium, ſive Aquifolium.
Honey-ſuckle, Caprifolium, Periclymenum.
Honey-wort, Cerinthe.
Hops, Lupulus.
Hore-hound, Marrubium.
Baſe **Hore-hound**, Stachys.
The **Hornbeam-tree**, Carpinus, Betulus, Oſtrys.
Horſe-tail, Equiſetum, Hippuris.
Horſe-tongue, Hippogloſſum, Biſlingua.
Hounds-tongue, Cynogloſſum.
Houſe-leek, Sedum.
The **Humble-plant**, Herba mimoſa, ſeu humilis vulgo dicta.
Hyacinth, *or Harebells*, Hyacinthus.
Hyſſop, Hyſſopus.

I.

The **Jack-tree**, Jaca.
Jack by the hedge, *Sauce alone*, Alliaria.
Jalap, Jalapium.
Jeſſamin, Jaſminum, Gelſeminum.
The **Jeſuits-tree**, Arbor Peruviana, ſive febrifuga, Quinquina.
Jews-ear, Auricula Judæ, ſive Fungus Sambucinus.
Indigo, Anil, ſive Nil.
Job's-tears, Lachryma Jobi.
S. **John's-wort**, Hypericon.
Iron-wort, Sideritis.
Judas-tree, Arbor Judæ.
The **Jujube-tree**, Ziziphus, ſive Jujuba.
July-Flower, *or Carnation*, Caryophyllus.
Juniper, Juniperus.
Ivie, Hedera corymbifera.
*Ground-***Ivie**, *Gill go by the Ground, Ale-hoof or Tun-hoof*, Hedera terreſtris.

K.

Kidny *or French-Beans*, Phaſeolus.
Knapweed, Jacea.
Knot-graſs, Polygonum, Centinodia.

L.

Ladies-Bedſtraw, *or Rennet-wort*, Gallium luteum.
Ladies-Bower, Clematitis ſpecies.
Ladies-Mantle, Alchimilla.
Ladies-Slipper, Calceolus Mariæ, Helleborines ſpecies.
Ladies-Smock, *or Cuckow-flower*, Cardamine.
Lambs-Lettuce, *or Corn-Sallet*, Lactuca agnina, Valerianella.
The **Larch-tree**, Larix.
Larks-ſpur, Delphinium, Conſolida regalis.
Laſerwort, Laſerpitium.
Lavender, Lavendula.
Lavender-Cotton, Chamæcypariſſus, Abrotanum fœmina.
*Sea-***Lavender**, Limonium.
The **Laurel-tree**, *or Cherry-Bay*, Laurocéraſus.
Leadwort, Dentellaria, Plumbago Plinii.
Leeks, Porrum.
The **Lemon-tree**, Malus Limonia.
Lentils, Lens.
Leopards-bane, Doronicum.
Lettuce, Lactuca.
The **Lilly**, Lilium.
The **Lime** *or Linden-tree*, Tilia.
Liquorice, Glycyrrhiza.
Liverwort, Lichen, Hepatica.
The **Locuſt-tree**, Jetaiba, ſeu Lobus ex Wingandecaow.
Looſe-ſtrife, *or Willow-herb*, Lyſimachia.
Lote-trefoil, Lotus Herba.
Lovage, Leviſticum.
Lungwort, Pulmonaria.
Lupins, Lupinus.

M.

Mace, Macis.
The **Macaw-tree**, Urucu, Bixa, Orellana, Achiotl.
Madder, Rubia tinctorum, Erythrodanum.
Madwort, Alyſſum.
Maiden-hair, Adianthum nigrum, Capillus Veneris.
Engliſh black **Maiden-hair**, Trichomanes.
Maize, *or Indian-Wheat*, Frumentum Indicum.
Mallows, Malva.
*Marſh-***Mallows**, Althæa, Ibiſcus.
*Vervain-***Mallow**, Alcea.
The **Manchinello-tree**, Araticu ſpecies.
Mandrake, Mandragora.
The **Mango-tree**, Mangas.
The **Mangrove-tree**, Mangle.
The **Maple-tree**, Acer.
Marigold, Calendula, Caltha.

Corn-**Marigold**, Chryſanthemum.
Marjoram, Majorana.
Marvel *of Peru*, Mirabilis Peruviana.
Maſter-wort, Imperatoria, Aſtrantia.
Herb **Maſtick**, *or Maſtick-Thyme*, Marum.
The **Maſtick-tree**, Lentiſcus.
Matt-weed, Gramen ſparteum.
Maudlin, *or Maudlin-Tanſie*, Ageratum, Balſamita fœmina.
May-weed, Cotula.
Meadow-Saffron, Colchicum.
Meadow-ſweet, Ulmaria, Regina Prati.
Medick, *or Snail-trefoil*, Medica.
The **Medlar-tree**, Meſpilus.
Melilot, Melilotus.
Melon, Melo.
Melon-Thiſtle, Echinomelocactos.
Mercury, Mercurialis.
Milfoil, *or Yarrow*, Millefolium.
Milk-wort, Polygala.
Millet, *or Grout*, Milium.
Mint, Mentha.
Horſe-**Mint**, Mentaſtrum.
Miſſeto, Viſcus.
Moly, Moly, Allii Genus.
Money-wort, Nummularia.
Monks-hood, Napellus.
Moon-wort, Lunaria.
Moſs, Muſcus.
Mother-wort, Cardiaca.
Moth-mullein, Blattaria.
Mouſe-ear, Piloſella, Auricula muris.
Mouſe-tail, Myoſuros, Cauda Muris.
Mug-wort, Artemiſia.
The **Mulberry-tree**, Morus.
Mules-Fern, Hemionitis.
Mullein, *or High-taper*, Verbaſcum.
Muſhroom, *or Toad-ſtool*, Fungus.
Muſtard, Sinapi.
Arabian-**Muſtard**, Draba.
Tower-**Muſtard**, Turritis.
Myrobalans, Myrobalanus.
Myrrh, Myrrha.
Myrtle-tree, Myrtus.

N.

Navel-wort, *or Wall penny-wort*, Cotyledon, Umbilicus Veneris.
Navew, Napus.
The **Nectarine-tree**, Nuciperſica.
Nettle, Urtica.
The **Nettle-tree**, Lotus arbor.
Nightſhade, Solanum.
Nipple-wort, Lampſana.
A **Nut**, Nux.
Nutmeg, Nux moſchata.

O.

The **Oak-tree**, Quercus.
The Holm-**Oak**, Ilex.
The Scarlet-**Oak**, Ilex coccifera.
Oats, Avena.
The **Olive-tree**, Oliva.
The Wild-**Olive**, Oleaſter.
One-blade, Monophyllon.
Onions, Cepa.
The **Orange-tree**, Malus Aurantia.
Orchis, Orchis, ſeu Satyrion.
Orpine, *or Live-long*, Telephium, Craſſula.
The **Oſier**, Salix aquatica.
Ox-eye, Buphthalmum.

P.

Palma Chriſti, Ricinus.
The **Palm tree**, Palma.
Panick, Panicum.
The **Papa-tree**, Papaia, Mamoera.
The **Paper-reed**, Papyrus Nilotica.
Herb **Paris**, *True-love, or One-berry*, Herba Paris.
Parſly, Apium hortenſe, Petroſelinum.
Baſtard-**Parſly**, Caucalis.
Parſly-piert, Percepier.
Parſnip, Paſtinaca latifolia, Staphylinus, Elaphoboſcum.
Cow-**Parſnip**, Sphondylium.
Paſque-flower, Pulſatilla.
Paſſion-flower, *or Maracoks*, Granadilla, flos Paſſionis.
The **Peach-tree**, Malus Perſica.
The **Pear-tree**, Pyrus.
The Prickly-**Pear-tree**, Opuntia, ſeu Fic. Indica.
Peaſe, Piſum.
Peiony, Pæonia.
Pellitory *of Spain*, Pyrethrum.
Pellitory *of the Wall*, Parietaria.
Penny-royal, *or Pudding-Graſs*, Pulegium.
Pepper, Piper.
Guinny-**Pepper**, Capſicum.
Jamaica-**Pepper**, *or All-ſpice*, Caryophyllus fructu rotundo.
Periwinkle, Vinca pervinca, Clematis Daphnoides.
S. **Peters-wort**, Aſcyrum.
The **Phyſick-nut**, Ricini ſpecies Americana.
Spaniſh **Pick-tooth**, Viſnaga, Gingidium.
Pimpernel, Anagallis.
The **Pine-tree**, Pinus.
The **Pine-Apple**, Anana.
Ground-**Pine**, Chamæpitys.
Pinks, *or Carnations*, Caryophyllus.
The **Pipe-tree**, *or Lilach*, Syringa.
The **Pitch-tree**, Picea, *i. e.* Abies mas.
The **Plane-tree**, Platanus.
Plantain, Plantago.
The **Plantain-tree**, Muſa arbor.
The **Plum-tree**, Prunus.
Poley mountain, Polium.
Polypody, Polypodium.
The **Pomegranate-tree**, Malus Punica.
Pond-weed, Potamogiton.
The **Poplar-tree**, Populus.
Poppy, Papaver.
Rough headed Baſtard-**Poppy**, Argemone.
Potato's, Battatas.
The **Prickly Pear-tree**, Opuntia, ſeu Ficus Indica.
Primroſe, Primula veris, Verbaſculum.
Tree-**Primroſe**, Lyſimachia Virginiana.
Privet, *or Primprint*, Liguſtrum.
Mock-**Privet**, Phillyrea.
Ever-green-**Privet**, Alaternus.
Pulſe, Legumen.
Pumpion, Pepo.
Purſlane, Portulaca.

Q.

Quince-tree, Malus Cydonia.

R.

Radiſh, Raphanus.
Horſe-**Radiſh**, Raphanus ruſticanus, Armoracia.
Ragwort, *Seggrum or S. James-wort*. Jacobæa.
Rampions, Rapunculus, Rapuntium.

Ramſons, Allium urſinum.
The **Raſp-berry-buſh**, Rubus Idæus.
Reed, Arundo.
Reſt-harrow, *or Cammock*, Anonis.
Rice, Oryza.
Rie, Secale.
Rocket, Eruca.
Roſe, Roſa.
The **Dogs-Roſe**, *Wild-Briar or Hep*, Roſa ſylveſtris inodora, Cynosbatos, Cynorrhodos.
The **Holy-Roſe**, Ciſtus.
Roſe-wort, *or Roſe-root*. Rhodia radix, Telephii ſpecies.
Roſe-bay, *or Oleander*, Nerium, Oleander.
Roſe *of Jericho*, Roſa Hiericuntina.
Roſemary, Roſmarinus.
Roſa ſolis, Ros ſolis.
Rubarb, Rhabarbarum.
Rue, Ruta.
*Medow-***Rue**, Thalictrum.
Rupture-wort, *or All-ſeed*. Herniaria Polygoni ſpecies.
Ruſh, Juncus.

S.

Saffron, Crocus.
Sage, Salvia.
Sage *of Jeruſalem*, Pulmonaria maculoſa.
Saint-foin, Medicæ ſpecies.
Sallow, Salix latifolia.
Samphire, Crithmum ſeu Fœniculum marinum.
Sanicle, Sanicula, Diapenſia.
Sarſaparilla, Salſaparilla.
The **Saſſafras-tree**, Saſſafras arbor.
Sattin, *or honeſty*. Viola lunaria ſive Bulbonach.
Satyrion, Orchis.
Savine, Sabina.
Saunders, Santalum, Ligni ſpecies.
Savoury, Satureia.
Saw-wort, Serratula.
Saxifrage, Saxifraga.
Scabious, Scabioſa.
Scammony, Scammonia Syriaca.
Scurvy-graſs, Cochlearia.
The **Sebeſten-Plant**, Myxa, Sebeſten.
Self-heal, Brunella ſeu Prunella.
Sena, Sena Alexandrina.
Baſtard **Sena**, Colutea.
Sengreen, *or Houſe-leek*. Sedum, Sempervivum.
The **Senſitive-Plant**, Herba viva, Æſchynomene.
Sermountain, Siler montanum.
The **Service**, *or Sorb-tree*. Sorbus.
Shepherds needle, Scandix, Pecten Veneris.
Shepherds-purſe, Burſa Paſtoris.
The **Silver-buſh**, Barba Jovis.
Silver-weed, *or wild Tanſie*. Argentina, Potentilla.
Skirret, Siſarum.
The **Sloe-tree** *or Black-thorn*, Prunus ſylveſtris.
Smallage, Paludapium, Apium paluſtre, Eleoſelinum.
Sneezwort, Ptarmica.
Solomon's Seal, Polygonatum, Sigillum Solomonis.
The **Sope-tree**, Saponaria arbor.
Sopewort, Saponaria.
Sorrel, Acetoſa.
Sothern-wood, Abrotanum mas.
Sowbread, Cyclamen.
The **Sower-ſop**, Araticu ſpecies.
Sow-fennel *or Sulphur-wort*, Peucedanum.
Sow-thiſtle, *or Hares-Lettice*, Sonchus.
Sparagus *or Sperage*, corruptè *Sparrow-graſs*. Aſparagus.
Spelt, Zea, Spelta.
Spider-wort, Phalangium.
Spignel, *Meu or Bawd-money*. Meum.
Spinache, Spinachia.
The **Spindle-tree** *or Prickwood*. Euonymus.
Spleen-wort, Aſplenium, Scolopendria, Ceterach.
Spunge, Spongia.
Spurge, Tithymalus.
Spurrey, Spergula.
Squills, *or Sea-Onyon*, Scilla.
Star *of Bethlehem*, Ornithogalum.
Star-wort, Aſter.
Sea-ſtarwort, Tripolium.
Staves-acre *or Louſewort*, Staphis agria.
Stock-gilliflower, Leucoium incanum.
Stonecrop, Sedum minus, Illecebra minor.
The **Storax-tree**, Styrax Arbor.
Strawberry, Fragaria.
The **Strawberry-tree**, Arbutus.
Succory, Cichoreum.
*Gum-***Succory**, Chondrilla.
The **Sugar-Cane**, Arundo Saccharifera.
Sumach, Rhus.
Sun-dew, Ros ſolis.
Sun-flower, Flos ſolis.
Swallow-wort, Aſclepias.
Sycamore-tree, Sycamorus.

T.

The **Talipot-tree**, Codda-Panna, Palmæ ſpecies.
Tamarinds, Tamarindus.
The **Tamariſk-tree**, Myrica, Tamariſcus.
Tanſie, Tanacetum.
Tares, *or Vetches*: Vicia.
Tarragon, Draco herba, Dracunculus hortenſis.
The **Tea** *or Thee-Plant*, The Sinenſium, Tſia Japonenſibus.
Teaſel, Dipſacus, Carduus Fullonum.
Tent-wort, *or Wall-Rue*. Adiantum album, Ruta muraria.
Thiſtle, Carduus.
*Torch-***Thiſtle**, Cereus.
*Melon-***Thiſtle**, Echinomelocactos.
Thorn-Apple, Stramonium.
Thorow-wax, Perfoliata.
Throat-wort, *or Canterbury Bells*. Trachelium.
Thyme, Thymus.
Toad-flax, Linaria.
Tobacco, Tabacum, Nicotiana.
The **Toddy-tree**, Mamay arbor.
Tooth-wort, Dentaria.
Tormentil, Tormentilla.
Traveller's Joy, Viorna, Clematidis ſpecies.
Tragacanth, Tragacantha.
Tree of Life, Thuya Theophraſti, Arbor vitæ ſive Paradiſiaca vulgò dicta.
Trefoil, Trifolium.
*Shrub-***Trefoil**, Cytiſus.
Tuberoſe, Hyacinthus Peruvianus.
Tulip, Tulipa.
The **Tulip-tree**, Arbor Tulipifera.
Turmerick, Curcuma.
Turnep, Rapum.

Turnſole, *or Heliotrope.* Heliotropium.
The **Turpentine-tree**, Terebinthus.
Tutſan, Androſæmum.
Tway-blade, Ophris bifolia.

V.

Valerian, Valeriana.
Vanillas, Banillas.
Venus-comb, *or Shepherds-needle.* Pecten Veneris.
Venus-looking-glaſs, Speculum Veneris, Onobrychis arvenſis, Campanula arvenſis erecta.
Vervain, Verbena.
Vetch *or Tare,* Vicia.
*Cocks-head-***Vetch**, Onobrychis.
*Horſe-ſhoe-***Vetch**, Ferrum equinum.
The **Vine**, Vitis Vinifera.
Violet, Viola.
Viper's-graſs, *or Scorzonera.* Scorzonera.

W.

Wake-Robin, *or Cuckow-Pint.* Arum.
The **Walnut-tree**, Nux Juglans.
Wall-flower, Leucoium luteum, Keiri.
Wart-wort, *or Sun-Spurge.* Tithymalus Helioſcopius.
Way-faring-tree, Viburnum, Lantana.
Wheat, Triticum.
*Buck-***wheat**, Fegopyrum, Fagotriticum.
*Cow-***wheat**, Melampyrum.
The **White-beam-tree**, Aria Theophraſti, Sorbi ſpecies.
Whitlow-graſs, Paronychia.
The **Whortle-berry**, *or Bil-berry.* Vitis Idæa, Vaccinium.
Widow-wail, Chamelæa triccocos.
Sweet **Williams**, *or Pride of London.* Armeria.
The **Willow-tree**, Salix.
Spiked **Willow** *of Theophraſtus,* Spiræa Theophraſti.
Winter's-bark, Cortex Winteranus.
Winter-green, Pyrola.
Woad, Glaſtum, Iſatis.
*Wild-***Woad**, *Diers Weed.* Luteola.
Wolfes-bane, Aconitum.
Wood-roof, Aſperula.
Wood-bind, *or Honey-ſuckle.* Periclymenum, ſeu Mater ſylvæ.
Wormwood, Abſinthium.
Worm-ſeed, Abſinthium Santonicum.
Wrack, *or Sea-weed.* Alga, Fucus.

Y.

Yam, Rapum Braſilianum.
Yarrow, *or Milfoil.* Millefolium.
The **Yew-tree**, Taxus.
Yucca, *Caſſava, or Indian bread,* Yucca.

Z.

Zedoary, Zedoaria.

FINIS.

BRITISH MUSEUM 13 OCT 62